J. DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

IX

GEORG OLMS HILDESHEIM

JOHANNES DUNS SCOTUS · OPERA OMNIA IX

JOHANNES DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

IX

1968

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Die Originalvorlage für diesen Faksimiledruck ist im Besitz
der Niedersächsischen Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen.
Signatur: 2° Patr. Lat. 1842/3

Die falsche Paginierung sowie die teilweise
schlecht ausgedruckten Passagen der Originalvorlage
wurden beibehalten.

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101862

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

QVÆSTIONES

IN LIB. IV. SENTENTIARVM,

Nunc denuò recognitæ, Annotationibus marginalibus, Doctorúmque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornatæ, & Scholijs per textum insertis illustratæ.

CVM COMMENTARIO R. P. F. ANTONII HIQVÆI Hiberni, eiusdem Ordinis S. Theologiæ Lectoris emeriti.

TOMVS NONVS.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

QVÆSTIONES

IN LIB. IV. SENTENTIARVM.

Nunc denuò recognitæ, annotationibus marginalibus, Doctorumque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornatæ, et Scholijs per textum insertis illustratæ.

CVM COMMENTARIO R. P. F. ANTONII HIQVÆI Hiberni, eiusdem Ordinis S. Theologiæ Lectoris emeriti.

TOMVS NONVS.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX
Distinctionum & Quæstionum, quæ hoc Tomo continentur.

Index Distinctionum, & Quæstionum.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM
in Commentariis ad hunc Tomum examinatarum.

HÆc tabula diſponitur iuxta exigentiam variarum materiarum, quas diſcernere oportet à ſe inuicem in diuerſas claſſes, & primo loco comprehendit pœnitentiam.

Index Quæstionum.

Absolutio.

Vide *Pœnitentiæ Sacramentum.*

Confeßio.

Præceptum Eccleſiaſticum confeßionis.

Satisfactio latè ſumpta.

Satisfactio ſtrictè ſumpta.

Pœnitentiæ Miniſter.

Vide *Pœnitentiæ Sacramentum*, verb. *Confeſſio*, & *Satisfactio.*

Pœnitentiæ præceptum.

Vide verb. *Confeſſio.*

Pœnitentiæ materia remota.

Iuſtifica

Iustificatio a peccato.

Pœnitentiæ sigillum.

De persona complicis.

De reuiuiscentia peccatorum, & meriti.

De fructibus Pœnitentiæ.

De iustitia, & iure.

De iustitia in bonis animæ, & vitæ.

De bonis famæ.

Quid

Extrema Vnctio.

Ordo.

De pœnis Canonicis impedientibus Ordinem ſuſcipiendum, vel exercendum.

De matrimonio.

Cauſa efficiens.

De impedimento ex metu.

De impedimento erroris.

Inſolubilitas matrimonij.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE.

Ex Ioanne.

Ex Actibus Apostolorum.

Ad Romanos.

Ex I. ad Corinthios.

Ex II. ad Corinthios.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Ex II. ad Thessalonicenses.

Ex I. ad Timotheum.

Ex II. ad Timotheum.

2.3. *Erunt*

Ad Titum.

Ad Hebræos.

Ex epistola B.Iacobi Apostoli.

Ex I. Petri.

Ex II. Petri.

Ex I. Ioannis.

Ex Apocalypsi.

APPROBATIO.

EX commissione Reuerendiss. Patris Magistri sacri Palatij diligenter perlegi secundam partem Commentarij in IV. Sententiarum Scoti, admodum Reuerendi Patris, Fratris Antonii Hiqvæi *à dist.* 14. *vsque ad* 42. inclusiuè, & nihil in illo reperi, quod sanæ doctrinæ, & bonis moribus aduersetur; sed magnâ eruditione, & claritate mentem Doctoris Subtilis explicat, & ideò illud typis mandari posse iudico, & vtilissimum fore censeo. Romæ die 21. Iulij 1637.

Ego D. Thomas de Afflictis, *Clericus Regularis, sacræ Theologiæ Professor, affirmo vt suprà*, &c.

Imprimatur.

Fr. Nicolavs Riccardivs, S. Palatij Apostolici Magister, &c.

CENSVRA ORDINIS.

NOs infrascripti ex commissione Reuerendiss. Patris, Fr. Ioannis Baptistæ a Campanea, totius Ordinis Minorum Ministri Generalis, Tomum secundum Commentariorum R.P. Fr. Antonii Hiqvæi, eiusdem Ordinis Lectoris emeriti, supra IV. Sententiarum Doctoris Subtilis, attentè legimus ac examinauimus, cúmque in eo non solùm nihil reperiamus, quod fidei, aut bonis moribus vlla ratione aduersetur, sed etiam eiusdem Doctoris doctrina & Metaphysicis rationibus, & sacræ Scripturæ ac sanctorum Patrum auctoritatibus explicetur, ac defendatur, dignum iudicamus, qui non in Scotistarum tantùm, sed aliarum etiam scholarum vtilitatem prælo mandetur. Datum Romæ in Collegio S. Isidori Fr. Minorum Hibernorum Regularis Obseruantiæ, 8. Martij 1637.

Fr. Ioannes Ponce, S. Theologiæ Lector.

Fr. Thadævs Dalævs, S. Theologiæ Lector.

R. P. F.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS,

ORDINIS MINORVM,

IN LIB. IV. SENTENTIARVM QVÆSTIONVM

PARS ALTERA.

Cum Commentario R. P. F. ANTONII HIQVÆI.

DISTINCTIO XIV.

De Pœnitentia in generali.

POST hæc de Pœnitentia agendum eſt. Pœnitentia longè poſitis à Deo neceſſaria eſt, vt appropinquent. [Eſt enim, vt ait Hieronym. ſecunda tabula poſt naufragium;] quia ſi quis veſtem innocentiæ in Baptiſmo perceptam peccando corruperit, pœnitentiæ remedio reparare poteſt. Prima tabula eſt Baptiſmus, vbi deponitur vetus homo, & induitur nouus. Secunda, Pœnitentia, quâ poſt lapſum reſurgimus, dum vetuſtas reuerſa repellitur, & nouitas perdita reſumitur. Poſt Baptiſmum prolapſi per Pœnitentiam renouari valent, ſed non per Baptiſmum. Licet homini ſæpiùs pœnitere, ſed non baptizari. Baptiſmus tantùm eſt ſacramentum: ſed Pœnitentia dicitur, & ſacramentum, & virtus mentis. Eſt enim pœnitentia interior, & eſt exterior. Exterior ſacramentum eſt: interior, virtus mentis eſt: & vtraque cauſa ſalutis eſt, & iuſtificationis. Vtrùm verò omnis exterior pœnitentia ſit ſacramentum, vel ſi non omnis, quæ hoc nomine cenſenda ſit, conſequenter inueſtigabimus. A Pœnitentia cœpit Ioannis prædicatio, dicentis, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Quod autem præco docuit, illud pòſt Veritas prædicauit, exordium ſumens ſermonis à pœnitentia. *Pœnitentia* dicitur à *puniendo*, quâ quis punit illicita, quæ commiſit. Pœnitentiæ virtus timore concipitur.

Margin: A — *Commentario ad 3. c. Eſaiæ poſt med. eiuſdem tom. 5. & tom. 1. epiſt. de virginitate ſeruãda, ante med. eiuſdem.* — *Matth. 3. a Marc. 1. a Lucæ 3. a Matth. 4. c*

tur. Vnde Esa. A timore tuo Domine concepimus,& peperimus spiritum salutis.[Est autem pœnitentia,vt ait Ambros.mala præterita plangere,& plangenda iterum non committere] Item Greg. [Pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere. Nam qui sic alia deplorat, vt alia tamen committat,adhuc pœnitentiam agere aut ignorat,aut dissimulat.Quid enim prodest si peccata luxuriæ quis defleat, & adhuc auaritiæ æstibus anhelat?] His verbis quidam vehementiùs inhærentes, contendunt verè pœnitentem vltrà non posse peccare damnabiliter:& si grauiter peccauerit,veram non præcessisse pœnitentiam.Quod etiam aliis muniunt testimoniis.Ait enim Isidor.[Irrisor est & non pœnitens,qui adhuc agit,quod pœnitet. Nec videtur Deum poscere subditus,sed subsannare superbus. Canis reuersus ad vomitum,& pœnitens ad peccatum. Multi lacrymas indesinenter fundunt,& peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad pœnitentiam cerno,& affectum pœnitentiæ non habere; quia inconstantia mentis nunc recordatione peccati lacrymas fundunt, nunc reuiuiscente vsu, ea quæ fleuerunt iterando committunt.Esaias de peccatoribus dicit,Lauamini,mundi estote.Lauatur & mundus est,qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit. Lauatur, & non est mundus qui plangit quæ gessit, nec deserit, & post lacrymas ea quæ defleuerat,repetit.] Idem, [Inanis est pœnitentia,quam sequens culpa coinquinat. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam à malis poscere,& mala denuò iterare.] Item Greg. [Qui commissa plangit, nec tamen deserit,pœnæ grauiori se subiicit.]Item Ambr.[Reperiuntur qui sæpiùs agendam pœnitentiam putant: qui luxuriantur in Christo. Nam si verè pœnitentiam in Christo agerent,iterandam postea non putarent:quia sicut vnum Baptisma, ita est vna pœnitentia.] His aliisque pluribus vtuntur in assertionem suæ opinionis.Sed Ambr.dicit,[Hæc vera pœnitentia est cessare à peccato.]Et iterum, [Magni profectus est renunciasse errori. Imbutos enim vitiis animos exuere atque emendare, virtutis est perfectæ, & cœlestis gratiæ, & ideò sanè ita definiri potest. Pœnitentia est virtus, vel gratia, quâ commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & odimus,& plangenda vlteriùs cõmittere nolumus:quia pœnitentia vera est in animo dolere,& odire vitia. Vnde illa verba præmissa, *Pœnitere est anteacta deflere, & flenda non committere,* rectè sic accipi possunt, vt non ad diuersa tempora, sed ad idem referantur, vt scilicet tempore quod deflet commissa mala, non committat voluntate, vel opere flenda, quod innuitur ex verbis consequentibus. Nam qui sic alia deplorat, &c.Hinc Aug.ait,[Cauendum est ne quis existimet nefanda illa crimina(qualia qui agunt,regnũ Dei non possidebunt)quotidie perpetranda,& eleemosynis redimenda.In melius est enim vita mutanda,& per eleemosynas de peccatis præteritis propiciandus est Deus, nõ ad hoc emendus quodammodo,vt ea semper liceat impune committere.Nemini enim dedit laxamentum peccandi, etsi miserando deleat commissa peccata, si non satisfactio congrua negligatur.] Item Pius Papa [Nihil prodest homini ieiunare & orare, & alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate reuocetur.] Qui ergo à malis sic mentem reuocat, vt commissa plangat, & plangenda committere non velit, nec satisfacere negligit,verè pœnitet. Nec ideò non est vera pœnitentia,quia fortè pòst,non de proposito,sed casu,vel infirmitate peccabit. Ille autem irrisor est,& non pœnitens,qui sic commissa plangit,vt plangenda voluntate,vel opere committere non desinat.Ille etiam qui post lacrymas repetit quę fleuit, lauatur ad tempus: sed mundus non est, id est, illa munditia non est ei sufficiens

Esai.26.c. iuxta 70.
In sermon. quadrag.
Homil.24. super Luc. 15.& Aug. serm.11.ad fratres in eremo.
In lib.2.de summo bono c.16.&hab. de pœ. dist. 3.c.Irrisor.
2.Pet.2.d.
Esaiæ 1.e.
In lib.synonymorum part.48.& vlt. & de pœn.dist.3. c. Inanis.
In Pastor. admonitione 31. & de pœnit. dist.3. Qui admissa.
Lib. 2. de pœnit.c.10. in tom.1.
Super epist. ad Cor. circa illud 2. Cor. 2. ne fortè abũdantior.
Super Psal. 118.ser.22. paulo post princ.
Quid sit pœnitentia.
In ench.cap. 70. to.3.& de pœn.dist. 3.Sanè cauendum.
Rom.1.d.
In epist. 1. ad omnes Ecclesias. De pœ.dist. 3. c. Nihil prodest.
Ponit determinationem Isidori.

ciens ad salutem: quia est momentanea, non perseuerans. Item illud, Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat, sic intelligendum est: Inanis est, scilicet carens fructu illius pœnitentiæ, quam sequens culpa inquinat. Illius enim fructus est vitatio gehennæ, & adeptio gloriæ. Mortificatur enim illa pœnitentia & alia anteacta bona per sequens peccatum, vt non sortiantur mercedem, quam meruerunt cùm fierent, & quam haberent si peccatum non succederet. Sed etsi de peccato succedenti pœnitentia agatur, & pœnitentia quæ præcessit, & alia anteacta bona reuiuiscunt: sed illa tantùm, quæ ex charitate prodierunt. Illa enim sola viua sunt, quæ ex charitate fiunt. Ideóque si per sequentia peccata mortificantur, per subsequentem pœnitentiam reuiuiscere possunt. Quæ verò sine charitate fiunt, mortua & inania generantur: & ideo per pœnitentiam reuiuiscere non valent. Similiter intelligendum est illud, Nihil prosunt lamenta, &c. Et illud, Nihil valet, &c. Si enim replicentur peccata, nihil valet ad salutem, vel ad veniam in fine præcedens lamentum, quia nihil relinquitur de vitæ munditia: quia aut peccata dimissa redeunt, vt quibusdam placet, cùm replicantur: vel si nõ redeunt, eis tamen deletis, propter ingratitudinem ita reus & immundus constituitur, cùm adhuc in expiandis implicatur, *Dist. 22.* ác si iam deleta redirent. De hoc tamen, scilicet an peccata redeant, pòst pleniùs agemus. Similiter nihil valet ad salutem obtinendam, vel ad munditiam vitæ habendam, veniam de malefactis poscere, & malefacta denuo iterare. Ita *Aug. lib. de vera & falsa pœnitentia c. 8. & de pœnit. dist. 3. pœnitentia.* etiam intelligendum est illud quod idem Aug. alibi ait. [Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse.] & infrà, [Continuè dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere: vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Ille autem pœnam tenet, qui semper vindicat quod commi- *Eodem lib. c. 19.* sisse se dolet.] Pœnitentia ergo est vindicta semper puniens in se quod dolet *Ibid. c. 13.* commisisse. [Quid restat nobis nisi dolere in vita? vbi enim dolor finitur, defi- *Ioan. 5. c. 8 b.* cit & pœnitentia. Si verò pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? Tamdiu gaudeat & speret de gratia, quamdiu sustentatur à pœnitentia. Dicit enim Dominus, Vade, & amplius noli peccare. non dixit, Ne pecces, sed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo seruabitur, nisi dolor in pœnitentia continuè custodiatur? sed semper doleat, & de dolore gaudeat, & non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat, & non semper doluisse doleat.]

Determinatio intelligentiæ dictorum.

DE pœnitentia perfectorum, vel ad salutem sufficienti, intelligendum est quod suprà dixit, scilicet, Pœnitentia est vindicta semper puniens quod commisit: & alia huiusmodi. illud verò, Si pœnitentia finitur, nihil de venia relinquitur, dupliciter accipi potest. Si enim iuxta quorundam intelligentiam peccata dimissa redeunt, facile est intelligere nihil de venia relinqui: quia peccata dimissa iterum replicantur. Sicut enim ille qui ex seruitute in libertatem manumittitur, interim verè liber est, & tamen propter offensam in seruitutem postea reuocatur. Sic & pœnitenti peccata verè dimittuntur, & tamen propter offensam quæ replicatur iterum redeunt. Si verò non redire dicantur, sanè potest dici etiam sic nihil de venia relinqui: non quòd dimissa peccata iterum imputentur, sed quia propter ingratitudinem ita reus & immundus constituitur, ac si illa redirent. B

De solenni & vnica pœnitentia.

C *De pœnit. dist. 3. cap. Reperiuntur.* *De pœnit. dist. 3. cap. fin. part. pœnitentia ergo, & ca. Ex persona lib. 2. de pœn. c. 11. Cap. 10. Ad Macedonium epist. 54. non longè à principio tom. 2. Super Leuit. c. 25. hom. 15. in medio eiusdem tom. 1.*

ILlud autem quod Ambrosius ait, Reperiuntur, &c. & sicut vnum baptisma, ita & vna pœnitentia; non secundùm generalem, sed secundùm specialem morem Ecclesiæ de solenni pœnitentia dictum intelligitur, quæ apud quosdam semel celebrata, non iteratur. Item, illud aliud Ambrosij. [Pœnitentia semel vsurpata nec verè celebrata, & fructum prioris aufert, & vsum sequentis amittit,] de solenni intelligitur. [Solennis ergo pœnitentia, vt Ambrosius in eodem ait, est, quæ fit extra Ecclesiam in manifesto, in cinere, & cilicio: quæ pro grauioribus horrendísque ac manifestis delictis tantùm imponitur. Et illa non est iteranda pro reuerentia Sacramenti, & ne vilescat & contemptibilis fiat hominibus.] Vnde Augustinus. [Quamuis cautè & salubriter prouisum sit, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis vel minùs vtilis esset ægrotis: quæ tanto magis salubris est, quanto minùs contemptibilis fuerit. Quis tamen audeat Deo dicere, quare huic homini, qui post pœnitentiam primam, rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?] Origenes quoque de hac solenni pœnitentia, quæ pro grauioribus criminibus iniungitur, ait; [Si nos aliqua culpa mortalis inuenerit, quæ non in crimine mortali, vel in blasphemia fidei, sed in sermonis, vel in morum vitio consistat: hæc culpa semper reparari potest: nec interdicitur aliquãdo de huiusmodi pœnitentiá agere: sed nõ ita de grauioribus criminibus. In grauioribus enim criminibus semel tantùm pœnitentiæ conceditur locus. Communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & semper redimuntur.] Communia dicit venialia peccata, & fortè mortalia quædam aliis minùs grauia: quæ sicut sæpè committuntur, ita frequenter per pœnitentiam redimuntur. Sed de grauioribus criminibus, semel tantùm agitur pœnitentia, scilicet solennis. Nam & de illis, si iterentur, iteratur pœnitentia, sed non solennis; quod tamen in quibusdam Ecclesiis non seruatur.

Auctoritatibus probat, quòd non semel tantùm, sed frequenter peccata dimittantur per pœnitentiam.

D *Libr. de vera & falsa pœnitentia c. 5. in initio tom. 4. Rom. 12. a.* *August. ad Macedonium, epist. 54. non longè à princ. to. 2. & de pœn. dist. 3. In tantam. Matt. 5. g.*

QVòd verò pœnitentia non semel tantùm agatur, sed frequenter iteretur, & per eam frequenter iterum venia præstetur, pluribus Sanctorum testimoniis probatur. Ait enim Augustinus, scribens contra quosdam hæreticos, qui peccantibus post Baptismum semel tantùm dicebant vtilem esse pœnitentiam, ita: [Adhuc instant perfidi, qui sapiunt plusquam oportet: non sobrij sed excedentes mensuram: dicunt, & si semel peccantibus post Baptismum valeat pœnitentia, non tamen sæpè peccantibus proderit iterata: alioquin remissio ad peccandum esset incitatio. Dicunt enim: Quis non semper peccaret, si semper per pœnitentiam redire posset? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, si semper peccantibus subuenit: & ei peccata placere, quibus semper præstò est gratia. Errant autem. Constat enim multum ei peccata displicere, qui semper præstò est ea destruere. Sed si ea amaret, non semper ea destrueret.] Idem ad Macedonium, [In tantum hominum iniquitas aliquando progreditur, vt etiam post peractam pœnitentiam, & post Altaris reconciliationem, vel similia, vel grauiora committant. Et tamen Deus facit etiam super tales oriri Solem suum, nec minùs tribuit, quàm antè tribuerat, largissima munera vitæ, & salutis. Et quamuis eis in Ecclesia locus ille pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliuiscitur.

tur. Ex quorum numero si quis vobis dicat, Dicite mihi, vtrùm aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si me pœnitendo vehementiùs, quàm priùs excruciauero, si vberiùs fleuero, si meliùs vixero, si pauperes largiùs sustentauero, si charitate ardentiùs flagrauero? quis vestrûm ita desipit, vt huic homini dicat, Nihil tibi ista in posterum proderunt? Vade, saltem huius vitæ suauitate fruere. Auertat Deus tam immanem, sacrilegámque dementiam.] Item Ioannes Chrysostomus de reparatione lapsi, [Talis, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei. *Et habetur de pœnitent. dist. 3. cap.* Talis. Nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincerè, & simpliciter offeratur, etiam si ad summum quis perueniat malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam: suscipit libenter, & amplectitur, & facit omnia quatenus ad priorem reuocet statum. Quodque est adhuc præstantius & eminentius, etiam si non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulancunque tamen, & quantumlibet breui tempore gestam non respuit pœnitentiam: suscipit etiam ipsam, nec patitur quamuis exiguæ conuersionis, perdere mercedem.] Exemplis etiam hoc idem astrui potest. Dauid enim per pœnitentiam, *2. Reg. 11. 12. & 24. Ambr. in Apologia. David c. 7. in fine eiusdem in to. 4. 2. par. 21. c. Exod. 32. g.* adulterij simul & homicidij veniam impetrauit: & grauiter tamen postea deliquit in populi enumeratione, quod populi multitudo prostrata ostendit. [Illud autem mirabile est, quòd Angelo ferienti plebem, se obtulit, dicens, Grex iste quid fecit? fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Quo facto statim sacrificio dignus iudicatur, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum si tali sua oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam, cùm Moyses offerendo se pro plebis errore, peccata diluerit.] His aliísque testimoniis pluribus euidenter ostenditur per pœnitentiam non semel tantùm, sed sæpiùs nos à peccatis surgere, & veram pœnitentiã sæpiùs agi. Voluntariè enim peccantibus nobis, vt ait Apostolus, pro peccatis non relinquitur hostia, secunda scilicet, quia semel tantùm Christum oportuit pati. *Heb. 10. e.* Nec relinquitur secundus Baptismus. Relinquitur verò secunda pœnitentia, & tertia, & deinceps, vt Ioannes Chrysostomus super hunc locum ait, [Sciendum, inquit, *Ad cap. 10. ad Heb. Hom. 20.* quòd hîc quidam exurgunt, horum verborum occasione pœnitentiam auferentes: quasi per pœnitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundò, & tertiò, & deinceps.] Verumetiam in hoc pœnitentiam non excludit, nec propitiationem, quæ sæpè fit per pœnitentiam, sed secundum Baptismum & hostiam.

QVÆSTIO I.

Vtrùm pœnitentia necessariò requiratur ad deletionem peccati mortalis post Baptismum commissi?

Alens. 4. *p. q.* 57. *m.* 1. *&* 2. D. Bonau. *hîc* 2. *p. art.* 2. *quæst.* 3. Richar. 1. *quæst.* 1. D. Thom. *quæst.* 2. *art.* 2. *&* 3. *p. quæst.* 86. *art.* 2. Suar. 3. *p. tom.* 4. *disp.* 9. *sect.* 1. *&* 2.

a POSTQVAM Magister determinauit de Sacramento Baptismi, & Confirmationis & Eucharistiæ; hîc determinat de Sacramento Pœnitentiæ, quod est commune Sacramentum post lapsum: quia secunda tabula post naufragium est Pœnitentia, secundùm Hieronymum. 1

Circa istam distinctionem, quæro primò: Vtrùm pœnitentia necessariò requiratur ad deletionem peccati mortalis post Baptismum commissi? *Arg. 1.* Videtur quòd non; quia cessante actu interiori & exteriori, cessat esse peccatum: ergo statim sine pœnitentia deletur. Antecedens patet, quia peccatum non est, nisi deordinatio in actu exteriori.

Arg. 2. Secundò sic, homo offensus potest remittere offensam, absque hoc, quòd offendens pœniteat: ergo multò magis Deus, qui est summè misericors; sed remissâ offensâ remittitur peccatum: ergo, &c. Hæc duo argumenta probant quòd non requiritur pœnitentia ad istam deletionem.

Arg. 3. Item, quòd non valeat ad illam deletionem, probatur primò sic: Augustinus in Homil. super illud Matth. 5. *Estote misericordes*, loquens de damnatis, dicit: *Erit & tunc pœnitentia: sed tamen infructuosa.* Quod probat per illud dictum de damnatis Sapien. 5. *Pœnitentiam agentes, &c.* Si autem dicas, quòd quamdiu homo est in vita ista, valet pœnitentia ad deletionem peccati, sed non pòst. Contra hoc est auctoritas Hieron. *de pœn. dist.* 3. & ponitur in litera, *nihil Iudæ profuit egisse pœnitentiam, per quam scelus emendare non potuit.*

2 *Arg. 4.* Item, oportet illud, per quod deletur peccatum mortale, esse maius bonum, quàm peccatum illud sit malum, vel æquè bonum; sed pœnitentia est minus bonum, quàm peccatum mortale sit malum: ergo, &c. Maior patet, quia non recompensatur malum, nisi per bonum æquale illi quod tollit. Minor probatur, quia pœnitentia est bonum finitum: peccatum autem mortale est malum infinitum: quod patet per illud Anselmi Cur Deus homo. libro 1. cap. 5. *tantum malum est peccatum, quantus est qui offenditur, vel in quem committitur:* sed ille est infinitus, *quia tibi soli peccaui*; ergo, &c. Hæc duo argumenta probant quòd pœnitentia non valeat ad deletionem peccati mortalis. *Psal. 50.*

Ratio 1. ad opp. Oppositum probatur similibus viis, quantùm ad primam viam sic: Saluator ait Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

Ratio 2. Pœnitentia secunda post naufragium tabula, ex Hier. hîc Aug. ep. 48. Item Hieronym. *secunda Epistola ad Demetriadem*, & ponitur in litera, *secunda post naufragium, &c.* Prima tabula comparatur naui integræ, quâ fractâ naufragus periclitatur, nisi alicui tabulæ adhæreat: hæc dicitur secunda tabula: ergo à simili cadens in peccatum mortale, & in hoc passus naufragium spirituale periclitatur, nisi adhæreat pœnitentiæ.

Item, quantùm ad secundam conclusionem arguitur sic, Matth. 3. dicitur, *Agite pœnitentiam, &c.* ergo valet.

Ratio 3. Ratio 4. Ezech. 18. Item Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam*, sequitur: *Omnium iniquitatum eius non recordabor: vita viuet:* ergo, &c.

COMMENTARIVS.

Quinam tractant de Pœnitentia. IN hac secunda parte prosequemur materiã de reliquis quatuor Sacramentis, iuxta ordinem Magistri, quem sequitur Doctor *in dist.* 14. quæ est præsens, incipit tractatus de Pœnitentia, & producitur vsque ad *distinct.* 22. inclusiuè, nouem distinctionibus, sicut & cæteri Sententiarij eodem ordine explicant. Alens. 4. *qu.* 12. *& sequentibus.* D. Thomas *in Magistrum*, & 3. *p. q.* 84. *vsque in finem*, qui morte præuentus summam nõ compleuit: & *opusculo* 22. Gratianus *in* 2. *p. Decreti, tit. de pœnitentia*, per septem distinctiones, vbi congerit loca Patrum, & Conciliorum antiquorum. Huc spectant Canones pœnitentiales plures. Ius Canonicum *lib. 5. de pœnitentiis & remissionibus.* Præterea Clemens Romanus *lib.* 2. *constit. Apostolicar. c.* 13. & 14. Tertullian. *lib. de pœnitentia.* Cyprianus *in sermone de lapsis.* Ignatius *Epistola ad Philadelphios.* Clemens Alexandrinus *lib. 1. pædag. cap. 9. & lib. 2. stromat.* Eusebius *lib. 6. histor. cap. 35. de Nouato.* & reliqui Patres variis in locis prout occasio fert. Sed præ cæteris Chrysostomus *in duobus libr. de compunctione cordis, & homiliis* 12. *de pœnitentia.* Ambrosius *duobus lib. de pœnitentia.* Augustinus *tom. 9. lib. de pœnitentia medicina, & lib. de pœnitentia vtilitate.* Author *lib. de vera & falsa pœnitentia inter ipsius opera tom.* 4. qui vulgari errore tribuitur ipsi Augustino; quamuis *cap.* 17. citet ipsum Augustinum. Videantur etiam Expositores Scripturæ *in Ioan.* 20. & Controuersitæ latè contra modernos hæreticos. Summistæ verbo *Pœnitentia.*

In hac distinctione agit Doctor de essentia pœnitentiæ, & quid importet eius ratio, tam quà est virtus, quàm etiam quà est sacramentum: comprehendit totum tractatũ quatuor quæstionibus.

Prima est de necessitate eius ad delendum peccatum mortale post Baptismum commissum. Secunda, An actus pœnitendi sit alicuius virtutis. Tertia, An sit vnius pœnæ inflictiua. Quarta, vtrùm per sacramentum Pœnitentiæ deleatur culpa. *Partitio distinctionis.*

a *Postquam determinauit, &c. Circa istam distinctionem quæro primò, &c.* Ad partem negatiuam arguit quatuor viis. Primò quòd transacto actu peccati, nihil maneat delendum in peccatore. Secundò, quòd offensa possit remitti à Deo, & homine sine pœnitentia offendentis. Tertiò, quòd illa pœnitentia sit inutilis. Quartò, quòd sit inefficax: quia maius malum est peccatum, quàm bonum sit pœnitentia: ac proinde non seruetur debita proportio secundùm iustitiam. Quatuor etiam viis arguit pro affirmatiua contradictoria, iuxta argumenta, quæ primò ad negatiuam proposuit, quæ etiam tangunt materiam circa quam, necessitatem, & vtilitatem Pœnitentiæ. Diuidit quæstionem in tres Articulos. Primus est, de eo quod manet in peccatore post actum, quo dicitur peccator. Secundus est, illud deleri per punitionem. Tertius est, requiri punitionem pœnitentialem: hæc autem suo ordine egregiè declarat. *1 Dispositio & diuisio quæstionis. Continet tres Articulos.*

SCHO

SCHOLIVM.

Prænotando duplicem esse iustitiam,& iniustitiam,habitualem & actualem,impugnat sententiã,quæ tribuitur D.Tho.tenentem reatum culpæ esse relationem realem,tum quia repugnat relationem realem fundari in culpa;tum etiam,quia eâ datâ non faceret peccatorem, quia esset à Deo. Refutat etiam Magistrum dicentem dissimilitudinem,quæ inest animæ ex peccato actuali, esse maculam,seu peccatum habituale.

HIc sunt tria videnda. Primò,quid manet in peccatore transeunte actu, à quo dicitur peccator:quia si nihil reale manet,non oportet quærere quid delendum sit:imò omnino essent similes, qui nihil commisit, & qui cessauit, tam ab actu peccandi interiori, quàm exteriori.Secundò,quòd illud deletur,& ad hoc requiritur aliqua punitio. Tertiò, quòd non quæcunque,sed punitio pœnitentialis:& in hoc patet solutio quæstionis. 3 *Quid manet in peccatore post actum, à quo dicitur peccator.*

De primo [b] sciendum, quòd sicut est duplex iustitia habitualis, scilicet gratia, & charitas,& actualis,scilicet rectitudo nata inesse actui elicito(& prima patet, secunda declaratur,quia actus natus est elici conformiter suæ regulæ, & in ista conformitate consistit rectitudo eius.)Ita cùm opposita æquè multipliciter dicantur, erit duplex iniustitia habitualis,scilicet priuatio gratiæ in eo cui debet inesse;& actualis, scilicet priuatio istius rectitudinis in actu,cui deberet inesse.Post autem actum intrinsecum,& extrinsecum transeuntem, manet quædam iniustitia habitualis: sed non ab illa sola dicitur quis peccator, alioquin,qui commisisset duo millia peccata mortalia, & qui vnum,essent æquè peccatores intensiuè & extensiuè:quia in eis & tota gratia quantùm ad intensionem, & sola ipsa quantùm ad extensionem priuatur, tam in eo, qui commisit vnum, quàm in eo qui duo millia:& ideò non dicetur vnus minùs peccator post actum transeuntem,quàm alius. *Iustitia & iniustitia duplex, habitualis & actualis.* *Priuationẽ gratiæ, vel habituũ non esse habituale peccatum. 2. dist. 37.q.6.§.ex ista.& 3.d. 23. ad arg.*

Assumptum probatur,quia in quodlibet peccato mortali ita priuatur gratia, quòd nihil eius manet,& per consequens per nullum succedens potest fieri intensior, neque extensior,loquendo de priuatione ista habituali: quia non priuat,nisi vnum habitum,sicut non est natus,nisi vnicus inesse. Et hæc ratio similis est rationi Anselmi *de conceptu Virginali*, quòd peccatum originale non est natum inesse magis in vno,quàm in alio: quia in quo non est iustitia,non potest ab eo priuari iustitia,de quo dictum est *lib.2. distin.*30. *&* 37.Iniustitia autem actualis manere non potest cessante actu: quia illius subiectum proximum est actus in anima, sicut & rectitudinis sibi oppositæ: non enim anima potest esse immediatum subiectum illius rectitudinis, sed tantùm actus in anima:adhuc tamen non manente actu non manet illa rectitudo,nec eius obliquitas. 4 *d.30.q.1.& 2. & d.37. q.1. vbi dicitur, Quomodo actus sit subiectũ priuationis mala.*

Dicitur autem, [c] quòd manet in anima, quæ peccauit, reatus culpæ, quæ est quædam obligatio ad pœnam debitam illi culpæ: illa autem obligatio est quædam relatio realis non fundata super actum culpæ, sed super ipsam essentiam animæ: non tamen nisi culpa præuia actuali, sicut est dictum sæpè *suprà*, quomodo super actionem fundatur relatio. *D.Th.hîc q. 2.ar.1. In 3.dist.8. & dist.13. huius.q.1.n. 26.*

Sed contra hoc, arguitur dupliciter. Primò, quòd nulla relatio realis fundata super actum culpæ manet in anima. Secundò, quia si maneret, non ab illa diceretur anima peccatrix.Primum probatur,quia relatio realis intrinsecus aduenìens,sequitur necessariò positionem extremorum:hæc autem non sequitur;patet,quia animâ eâdem manente, & Deo,seu pœnâ eodem modo se habente, non propter hoc anima eodem modo est obligata ad pœnam,quia non ante peccatum. 5 *Nulla relatio realis fundatur super actum culpæ.*

Quòd si sit relatio extrinsecus aduenìens, necesse est sibi dare causam, per quam adueniat extremis iam positis, sicut de *vbi* & cæteris. Non enim potest esse respectus realis non sequens extrema posita, quin sibi vt termino respondeat aliqua actio realis:sed istius obligationis non potest dari actio realis,nec agens reale:non enim anima,quia peccando non habuit nisi vnicam actionem deordinatam,quæ fuit ad illud *velle* priuatum circunstantiis debitis,& ita non ad istum respectum, vt ad terminum. Nec potest ista obligatio dici terminus actionis diuinæ immediatus:quia nulla anima dicitur peccatrix præcisè ab illo quod est terminus immediatè actionis diuinæ. *Si ex culpa esset relatio realis,nõ faceret peccatorem.*

Secundum probatur per illud vltimum: quia si esset in anima talis obligatio, non posset fingi inesse, nisi à Deo immediatè, & ita per istam formaliter non esset anima peccatrix,cùm Deus non sit causa peccati per se,sed solùm permissiuè.

Istam difficultatem tangit Magister *distin.*18.*c.vlt.* & videtur soluere per hoc, *Polluta est anima*,inquit, *quousque pœniteat, sicut erat dum in ea erat praua voluntas*: & exemplificat de eo, qui tetigit morticinum: cessante enim tactu est immundus, sicut priùs, & subdit

 Ita

Ita polluta remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati, quia ita est longè à Deo per dissimilitudinem. Ipsa ergo dissimilitudo, quæ inest animæ ex peccato, & est elongatio animæ à Deo, macula intelligitur.

Macula vel peccatū habituale quomodocūque vocetur, nō potest esse carentia gratiæ.

Contra istud stat deductio prior, quia macula ista, vel elongatio, vel dissimilitudo, quomodocunque nominetur, non potest esse tantummodò carentia habitus gratiæ, quia illa totaliter inest primo peccato: nec carentia rectitudinis in actu, quia ista non est nata manere, nisi manente maculâ in actu. Item, macula summi odij. *A*, & amor summus ipsius *A*, repugnant: ergo per vnum aufertur aliud, & per consequens, macula odij *A* posset auferri per immoderatum amorem ipsius *A*.

COMMENTARIVS.

2 *I. Articulus.*

b DE *primo sciendum est*, &c. Supposita partitione quæstionis iam præmissâ, ad resolutionem huius Articuli præmittit in genere iustitiam dici dupliciter; nam alia dicitur gratiæ adoptionis, & supernaturalis, de qua Tridentinum *sess.6.c.7.* agit, & illa est, quâ iustificatur impius, tamquam per causam formalem, & dicitur ibi à Concilio fides, spes, & charitas habituales, quæ infunduntur in corda per virtutem Spiritus sancti: hæc etiam est iustitia quantùm ad integritatem. Doctor hîc solùm facit mentionem charitatis, quam vocat antomomasticè gratiam: quia illa sola est ratio formalis, per quam tollitur peccatum, cæteri habitus accedunt ad perfectam eleuationem hominis secundùm intellectum & voluntatem ad opera salutis. Nam fides, quæ per dilectionem operatur, saluat, ex Apostolo. Sicut ergo iustitia sanctificans à peccato est sola charitas, quę dicitur gratia, ideò nomine iustitiæ hoc modo sumptæ explicat charitatem, & appellatione gratiæ: quod perinde facit idem Tridentinum loco citato *can.* 11. vbi agit de forma iustificante à peccato. *Si quis dixerit, omnes homines iustificari vel solâ imputatione iustitiæ Christi, vel solâ peccatorū remissione, exclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum diffundatur, atque illis inhæreat; aut gratiam, quâ iustificamur, esse tantùm fauorem Dei, Anathema sit*, &c.

Iustitia duplex.

Iustitia habitualis.

Est charitas.

Trident.

Hîc autem non est locus disserendi, an gratia, & charitas sint diuersi habitus: non esse patet ex Tridentino, & fusiùs probari posset ex Patribus, si hic esset locus proprius: de hoc aliquid dicetur ex occasione *infrà*: quidquid autem dicatur, non refert ad præsens institutum, in quo agitur de peccato habituali, quod statuit Doctor non consistere in priuatione gratiæ, quæcunque illa sit forma.

3 *Iustitia actualis operum.*

Alia est iustitia, quæ dicitur operum, & appellatur à Trident. *eadem sess.c.16.* fructus iustitiæ, de qua potissima quæstio fuit cum Pelagianis, & appellatur sæpè adimpletio legis, atque eius obedientia, ab Augustino; à Theologis autem & Philosophis, conformitas operis ad regulam rectæ rationis, éstque rectitudo virtutis, quæ nata est, & debet inesse operi.

Iniustitia habitualis.

Per oppositum, duplex est iniustitia, alia priuatio gratiæ sanctificantis, & habitualis; & in illa negat Doctor cōsistere peccatum habituale: quia illa priuatio per vnicum peccatum inducitur, & neque extensiuè, neque intensiuè potest augeri per subsequentia, vt probat ex Anselmo in litera. Iniustitia habitualis augetur per quodlibet peccatum. Ergo iniustitia habitualis, quâ quis dicitur peccator, & magis peccator, debet esse alia: quid ergo est? Dicit cum communi antiquorum non esse illam priuationem, quæ fuit in actu: quia illa transit simul cum actu, quem affecit, sicut tenetur etiam de rectitudine opposita, quæ non manet post actum Physicè.

c *Dicitur autem*, &c. Adducit sententiam, quæ imponitur D. Thomæ in margine: eius tamen non est, neque scio inter veteres, quis eam docuerit: nam quamuis cum Augustino admiserint post actum præteritum manere reatum, non satis ex ipsis colligitur, si statuerint esse realem relationem, prout hæc sententia, vt à Doctore explicata, docet, cuiuscumque sit hæc sententia, rectè improbatur à Doctore rationibus positis in litera: quia nequit esse intrinsecus, neque extrinsecus adueniens. Non primum: quia extrema manere possunt simul absque eo, quòd insit talis relatio, vt anima & pœna. Dices requiri actum vt conditionem fundandi, sicut in relationibus secundi generis. Contrà, quia actus, quâ est priuatio, & peccatum, nequit esse conditio determinans ad aliquid reale positiuum: quia priuatio non est quid Physicum, sed morale: quâ autem materiale substratum, nihil facit ad aliquid, quod habet rationem relationis, sed producit habitum vitiosum, qui est qualitas. Quòd nec sit relatio extrinsecus adueniens, patet: quia nequit inesse nisi per causam extrinsecam: quia nec peccatum, quâ peccatum, potest esse causa eius, ex ratione præmissa; neque anima etiam peccando, seu deficiendo à recta ratione, ex eodem medio; neque Deus: quia peccatum est tantùm permissiuè à Deo: neque anima dicitur obligata per illud quod præcisè est terminus diuinæ actionis. neque responsio desumpta à Magistro, satisfacit: quâ dicitur anima per dissimilitudinem, & elongationem à Deo manere pollutam, donec pœniteat: quia de hoc quæritur. Non est priuatio gratiæ, ex ratione superiùs præmissa: non est priuatio rectitudinis debitæ ritui, quia hæc nequit manere, non manente actu; deinde videtur, quidquid sit posse tolli per formam contrariam. Hæc summa textus, controuersiam autem tangemus statim, super textu sequente.

4 *Sententia docens esse realem relationem.*

Impugnatur.

Non est relatio intrinsecus adueniēs.

Neque extrinsecus adueniens.

SCHOLIVM.

Vult nihil medium dari inter actum peccati, & obligationem ad pœnam, quo quis dicatur peccator, non tamen ait illam relationem ad pœnam esse peccatum habituale, sed ipsum actum præteritum manentem virtualiter, nam d.21.q.1. §. Sic patet, *ait secundùm Sanctos distingui remissio*

missionem culpæ à remissione pœnæ, & §. In ista quæst. *pro eodem sumit peccatum habituale, & mortale non remissum, & d.22.* §. In ista quæst. *ait obliquitatem, quæ est in actu, non propriè manere post actum, quod est dicere, manere virtualiter. Item in Report.2.d.35.* §. Ex his sequitur: *ait in peccato esse auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam. Item hîc num.5. infert, vt absurdum, relationem realem esse, id, quo quis esset peccator; quia esset à Deo, sed relatio ad pœnam est à Deo, ergo. Præterea ex Scot.2.d.37.q.1. actuale consistit in priuatione; & idem ait de originali 2.d.32.q.1.* §. quoad primum: *ergo idem sentit de habituali. Si verò proteruiatur, quòd Scotus posuit habituale in relatione ad pœnam, intelligatur de relatione resultante ex ipso actu, seu de dignitate pœnæ, & hoc est satis probabile cum August. citato à Scoto, & 1. de Nupt.26. vbi ait peccata transire actu, & manere reatu, & 6. contra Iulianum 8. ait habituale non esse in actione, quia præteryt, nec in voluntate, sed in reatu; ita Rubion hîc q.2.art.2. Gabr.q.1.not.2. Medina C.de Pœn. tract.1.quæst.7. Ocham 4.quæst.8. & 9. Bassol.quæst.2. Olcot. & Alm. sed hi tres potiùs aiunt habituale esse ipsum actuale non remissum.*

Dico [a] ergo, quantùm ad istum articulum, quòd nihil reale absolutum, vel relatiuum est in aliquo cessante omni actu peccati, à quo ille dicatur peccator, & hoc vel grauiter, vel multipliciter peccator, sicut aliquis dicitur post actum transeuntem. Quia si dicatur aliquid derelictum ab actu manere, illud non est formaliter peccatum: quia potest stare in iustificato, sicut habitus vitiosus, vel dispositio ad illum, manet in iustificato subitò. Patet, quia in principio pronus est ad sequendum illam inclinationem habitus vitiosi, sed pugnando contra eam, benè meretur, & acquirit sibi habitum in contrarium. Vnde magni peccatores non statim quando sunt iustificati habent illam pacem, quam habent perfecti, & exercitati in virtutibus. 6

Quid est peccatũ habituale.

Habitus vitiosi manent in iustificatis.

Quicumque etiam habitus, vel dispositio vitiosa derelinqueretur ex actibus, desineret esse post fluxum temporis, nisi firmaretur per frequentes actus: sicut vniuersaliter omnis dispositio ad habitum desinit esse cessantibus actibus perficientibus habitum: sed illud, à quo peccator dicitur peccator post actum, non desinit esse per quantumcumque tempus, licèt actus similes non adiiciantur: semper enim in infinitum est peccator postquam commisit: non est ergo ibi aliquid absolutum, vel relatiuum positiuum, vel priuatiuum, à quo dicatur peccator à tempore cessationis actus vsque ad pœnitentiam: sed tantummodò quædam relatio rationis inquantùm est obiectum intellectus, vel voluntatis Dei; quia postquam commisit, Dei voluntas ordinat ipsum ad pœnam correspondentem peccato: & tunc intellectus præuidet, & pro omni tempore, donec pœna debita sit soluta.

Vult præter actum præteritum nihil manere in peccatore, nisi relationem, manet tamen moraliter actus præteritus.

Istud probatur per Augustinum super illud Psalm. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Videre*, inquit, *Deum peccata, est ad pœnam imputare. Auertere autem faciem à peccatis, hoc est ea ad pœnam non reseruare.* Ita ergo dicit peccata ab eo tecta, non vt Deus tunc non videat, sed vt nolit animaduertere, id est, punire: ergo ipsum remanere in reatu post actum transeuntem, nihil aliud est, nisi ipsum à Dei voluntate ordinari ad pœnam condignam illi peccato: obiectum autem intellectus, vel voluntatis, vt intellectum, vel volitum, non habet nisi relationem rationis: ergo, &c.

Psalm.31.

Confirmatur per simile; quia esto quòd Deus in multiplicatione meritorum, non intendat habitum charitatis, vt possibile est, si merita sint remissa, vel etiamsi essent intensa: tamen iste qui plura merita habuit transeuntibus interioribus & exterioribus, est magis meritus quàm alius, quod nihil aliud est, nisi quia ordinatur ad maiorem gloriam: per quod non habetur aliquod reale positiuum, vel priuatiuum absolutum, vel relatiuum intrinsecum isti: sed tantùm relatio rationis, inquantùm, vt est obiectũ voluntatis diuinæ, ordinatur ad multiplicẽ gloriam. Ibi enim in acceptatione diuina ordinantur ista merita, vel ille per merita ad talem, vel talem gloriam. Sicut ergo ista acceptatio propter merita transeuntia nihil est realiter, nisi actus voluntatis diuinæ, & in isto tantùm relatio rationis, sicut in obiecto volito: ita ex alia parte propter peccata transeuntia nihil est aliud abiectio istius, nisi reprobatio, vel repulsio, in voluntate diuina, & in peccatore relatio rationis, vt abiecti, vel reprobati ad talem, vel talem pœnam ordinati. 7

Post actus meritorios tantùm manet in merente relatio rationis, si merita illa non auxerunt gratiam.

Hoc tandem patet in exemplo simili: quia si quis offendat magnum Principem tali offensa, cui correspondeat pœna magna; cessante illo actu nihil est in ipso, quod priùs non fuit propter quod modò dicatur inimicus, & non priùs: sed tantùm in voluntate domini offensi est actus transiens super ipsum: & per hoc in ipso est relatio rationis, vt in obiecto volito, vel ordinato ad talem pœnam.

Ex

Prater, scilicet ipsum actum virtute manentem.
Offensa, macula, reatus quomodo differũt?
Quomodo Deus dicitur iratus?

Ex isto sequitur corollarium, quòd nihil aliud est post actum peccati cessantem, offensa, macula & reatus, nisi ista relatio rationis, scilicet ordinatio ad pœnam: vt est disconueniens ipsi animæ dicitur eius macula, sicut per oppositum pulchritudo: vt autem est obligatio formaliter ad illam pœnam, dicitur reatus: & vt est actus voluntatis diuinæ, in qua est tota ista realitas, per quem actum ordinatur ad talem pœnam, dicitur offensa. Nihil enim aliud est offendi, vel irasci in Deo, quàm velle vindicare ista pœna. & licèt Deus dicatur figuratiuè iratus, vel offensus: tamen accipiendo istam rationem *irasci* pro *velle vindicare*, exclusâ passione concomitante istud *velle*, Deus formaliter est iratus, vel offensus: quia formaliter est volens vindicare peccatum commissum contra legem suam.

COMMENTARIVS.

5 *Cõclusio Doctoris.*

DIco ergo quantùm ad istum articulum, &c. Conclusio Doctoris est in præsenti litera, vt patet, quòd præter actuale peccatum commissum, nihil aliud sit in anima, quàm reatus pœnæ, seu obligatio ad pœnam: vt autem supponamus quid alij dicant, & ex instituto tractemus hanc controuersiam, antequam ad probationem in specie descendamus ipsius conclusionis: Aduertendum quòd controuersia non est in hoc, an peccator post actum dicatur maculatus, & esse peccator, quasi habitualiter, & permanenter; quia denominatio illa manet post actum, vt omnes Theologi admittunt, & patet ex modo loquendi Scripturæ, & Conciliorum: *erat mulier in ciuitate peccatrix*, *Luca* 7. *Cùm adhuc peccatores essemus* ad Rom. 5. Iosue 22. *& vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet*. Trident. *sess. 6. cap. 6. & 7.* illud supponit. De natura autem huius maculæ, & qualiter se habeat ad peccatorem, est controuersia inter Doctores.

Controuersia.
Peccator post actũ permanenter dicitur.
Trident.
Status cõtrouersia.

Prima sententia imponitur nostro Doctori *in 4. hic quæst. 2. §. dico ergo. & distinct. 16. quæst. 2. §. respondeo*, quibus in locis asserit maculam, à qua denominatur homo peccator, postquam transit actus, esse ordinationem eius passiuam ad pœnam: sumi potest ergo ordinatio ad pœnam dupliciter, nimirùm actiuè & passiuè: actiuè sumpta est actus diuinæ voluntatis, & dicitur offensa, quia Deum esse offensum, non est aliud quàm irasci, & velle vindicare, quod est ordinare ad pœnam. Passiuè sumpta vel consideratur in ordine ad animam, & sic est eius macula; vel in ordine ad pœnam, vt est ad ipsam obligatio, & sic est reatus pœnæ. Hanc sententiam docent aliter Ochã *in 4.* Gabriel *ead. d. q. 1. art. 1. not. 2.* Ioan. Maior ibidem. Almainus. In hoc solùm differunt, quòd negent consistere in relatione rationis, quam Scotus ponit ad pœnam, aut alio, superaddito peccatori; sed in hoc, quòd ipse peccator sit obiectum Dei ordinantis ipsum ad pœnam.

Prima sententia.
Peccatũ habituale ordinatio ad pœnam.
Quid sentiãt Nominales.

6 *Secunda sententia* est, hanc maculam consistere in dignitate ad pœnam, quæ dignitas non oritur ab actu voluntatis, aut intellectus diuini, sed est obligatio, & debitum, sequens actum peccati, & subiectio ad patiendum pœnam, quæ indifferenter appellari potest reatus, obligatio, aut debitum pœnæ. Dicunt autem vlteriùs, non esse relationem, aut absolutum reale, sed relationem rationis, quæ consequitur ad actum peccati. Hanc sequitur Durandus *in 2. d. 3. q. 3.* Hæc sententia verbis differt, & non reipsâ à priori.

Secunda sententia
Esse debitum pœna.
Durandus.

Tertia sententia est Bassolis *in 4. d. 14. q. 2. art. 1. §. Quantum ad præsentem.* Ioan. de Medina *Codice de pœnitentia tract. 1. q. 7.* qui asserunt hominem denominari peccatorem formaliter ab ipso actu peccati præterito, prout non retractatur, siue non condonatum est à Deo, & consequenter consistere in denominatione extrinseca. Ad hanc reduci potest aliorum sententia, qui dicunt à peccato præterito denominari hominem peccatorem, quandiu non retractatur; non quòd ipsa non retractatio tribuat denominationem peccatoris, sed quòd tollat impedimentum, quo posito, non sequeretur denominatio per actum præteritum: verbi gratia, si peccatum fuerit retractatum per contritionem, aut aliud æquiualens, nequit ampliùs denominare hominem peccatorem; addit ampliùs manere affectum quendam habitualem secundùm prudentem æstimationem, vnde homo dicatur conuersus ad creaturam, & auersus à Deo, etiam in specie. hæc est sententia Vasquis 1. 2. d. 139. c. 5.

Tertia sententia.
Bassolis.
Ioan. Medina.
Esse denominationem extrinsecam ab actu præterito non retractato.
Vasquez.

Quarta sententia est peccatum habituale esse aliquid reale, & hæc multipliciter tenetur. nam aliqui dicunt esse morbidam qualitatem; aliqui inclinationem habitualem, seu vitiosum habitum, determinantem hominem habitualiter ad bonum commutabile, & auertentem à Deo: vtraque tribuitur Gregorio *in 2. d. 30.* defendit Bassolis *in 4. d. 14.* quamuis ab alio *suprà* explicato alibi, dicat hominem dici posse peccatorem. Alij docent esse relationem realem dignitatis ad pœnam, quæ resultat ex actu antecedenti. quam impugnat etiam Doctor.

Quarta sententia.
Gregorius.

Vltima sententia. est, esse priuationem gratiæ. Hæc variè explicatur, quia gratia est qualitas inhærens iustis, & potest sumi dupliciter secundùm se, aut secundùm aliquem effectum suum; tres autem effectus eius distinguunt; primus est constituere hominem formaliter gratum Deo, & ab ipso dilectum: quia sicut gratia est effectus dilectionis, quâ nos diligit, ita habet pro effectu reddere nos gratos, & dilectos ipsi: ita Sotus *lib. 2. de natura & gratia c. 17.* Secundus effectus eius est, quidam nitor, pulchritudo, seu lux quam tribuit animæ. Tertius est dignitas habendi gloriam, non quòd gratia sit ista formalis acceptatio hominis ad gloriam, quia hæc est actus diuinæ voluntatis ex quo resultat in nobis relatio rationis, pro vt terminamus ipsum: sed quia per gratiam efficimur digni, vt acceptemur à Deo. Hoc supposito, omnes concedunt peccatum non esse priuationem gratiæ sumptæ primo modo, id est, sumendo gratiam pro entitate, seu qualitate ipsa in actu primo: sed posteriori modo sumpta gratia pro qualitatis effectu. Quidam autem dicunt esse priuationem primi effectus, vt Soto *in 4. d. 15. q. 1. art. 2.* asserens transeunte actu peccati, manere maculam quæ denominat peccatorem

Vltima sententia.
Esse priuationem gratiæ sanctificãtis.
Triplex consideratio gratia.
Sotus.
Modus expli

eandi peccatum habituale.

torem, quæ est relatio rationis in ipso, vt est obiectum diuinæ voluntatis, non quâ otdinat eum ad pœnam, sed ipsum odio habet.

8 *Modus explicandi.* Caiet. & Conrad.

Alij dicunt esse priuationem secundi effectus gratiæ, dicentis habituale peccatum esse, animam esse inuisam Deo, & priuatam decore, ac pulchritudine gratiæ. Caiet. & Conradus in hoc conueniunt; quamuis ille dicat habituale esse conuersionis ad Deum, tamen hanc non distinguit à priuatione nitoris, quæ sub diuersis rationibus opposita vtrique tribuit varias denominationes maculæ, vt opponitur nitori; vt opponitur conuersioni, tribuit appellationē peccatoris.

Tertius modus explicandi. Antonin.

D. Thomas.

Alij tandem dicunt esse priuationem tertij effectus, & attribuitur D. Antonino 1. *p. q.* 27. *art.* 4. Quomodocumque explicetur hæc sententiæ, est magis Communis Thom. habituale peccatum consistere in priuatione gratiæ quæ passim ipsi D.Thomæ tribuitur 1.2. *q.* 86. *art.* 1. *&* 2. *q.* 87. *art.* 1. *q.* 109. *art.* 7. & alibi sæpè, & quotquot dicunt peccatum, & gratiam ex natura rei opponi, debent meo videri, hoc dicere, tenendo peccatum non esse quid positiuum. Hæ sunt potissimæ sententiæ huius controuersiæ, quas ordine suo declarabimus. Primùm tamen resoluendum erit, quid Doctor in hoc senserit.

Plures sententias ex præmissis conuenire.

Ex his colligitur omnes præfatas sententias, præter vltimam, quæ constituit peccatum habituale in priuatione gratiæ, & illam, quæ dicit esse qualitatem morbidam, licèt verbis differant, vix in reipsa differre, & statuere peccatum habituale in ordinatione ad pœnam, qua fundatur in peccato actuali commisso, quod in reipsa transit, licèt maneat in suo effectu, perinde est vocetur reatus, vocetur dignitas pœnæ, vocetur debitum, vel quid aliud, diuersum tamen ab actuali præterito, quod dat denominationem permanentem.

9 *Vera sententia Doctoris.*

Doctor autem hìc magis appositè secutus Augustinum, illud explicat constituens peccatum habituale in ordinatione passiua peccatoris ad pœnam. *Dico ergo quantùm ad istum articulum, quòd nihil reale absolutum vel relatiuum est in aliquo, cessante omni actu peccati, à quo ille dicatur peccator, &c.* & infrà, *Sed tantummodò quædam relatio rationis in quantùm est obiectum intellectus, vel voluntatis Dei, quia postquam commisit peccatum, voluntas Dei ordinat ipsum ad pœnam correspondentem peccato; & tunc intellectus præuidet omni tempore, donec pœna sit soluta,* &c. Quod ptobat authoritate Augustini super illud Psal. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Videre,* inquit, *Deum peccata, est ad pœnam imputare: auertere autem faciem à peccatis, hoc est ea ad pœnam non reseruare.*

Psal. 31.

Augustin,

Exemplum ex merito remisso, cui non datur augmentum gratiæ.
Aliud ex offensa Principis.

Probat ratione: quia qui plura haberet merita in actu casu quo Deus non intenderet in hoc statu charitatem, esset magis meritus quàm alius, qui non eliceret tot actus. Sed transeunte actu tam interno quàm etiam externo, nihil in eo per hoc manet quàm ordinatio ad maius præmium: ergo simile contingit in demerito. Et ampliùs probatur exemplo eius, qui Principem offendit, in quo manet tantùm ordinatio eius ad pœnam transeunte actu, qui est actus Principis transiens super ipsum: ac tandem concludit: *ex isto sequitur coroliarium: quod nihil aliud est post actum peccati cessantem, offensa, macula, & reatus, nisi ista relatio rationis, scilicet ordinatio ad pœnam, vt est disconueniens ipsi animæ, dicitur eius macula,* &c d. 16. q. 2. videtur supponere eandem doctrinam.

Hæc verba videntur clara, vt interpretationē nō admittant, & eorum veritate datâ, non sequitur quod alij opponunt Doctori: nempe eum sentire quod habituale consistat in aliquo extrinseco denominante, quia illa relatio rationis intrinseca est, nempè ordinatum esse ad pœnam: & supponit fundamentum ex parte subiecti, nempè peccasse: quia hæc otdinatio est secundùm iustitiam vindicatiuam, & est propter culpam, in qua fundatur debitum pœnæ, vel ex qua oritur, stante lege. 10

Confirmatur ex Augustino locis *suprà* citatis, quibus ostendit peccatum habituale sistere in reatu pœnæ, quam reducit ad voluntatem extrinsecam Dei transeunte actu, & speciatim *lib. 6. contra Iulianum c.* 8. cuius verba clara sunt. *Actu,* inquit, *transeunte manet reatus in conscientia eius, qui deliquit, donec dimittatur: ergo in subiecto est, hoc est, in animo eius, qui deliquisse se meminit, & scrupulo agitur conscientia, donec fiat delicti remissione securus. Quod si obliuiscatur se deliquisse, nec eius conscientia stimuletur, vbi erit reatus ille, quem transeunte peccato manere concedis, donec remittatur? Non est certè in corpore, quia non est eorum accidentium, quæ accidunt corpori. Non est in animo, quia eius memoriam deleuit obliuio, & tamen est: vbi est igitur, cùm iam benè viuat homo, nihil tale committens? nec dici possit eorum peccatorum eius reatum manere, quæ meminit, eorum verò quæ oblitus est, non manere: manet quippe omnino, donec remmittatur: vbi ergo manet nisi in occultis legibus Dei quæ conscriptæ sunt; quomodo in mentibus Angelorum, vt nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expianerit,* &c. Hactenus Augustinus, quibus verbis non agnoscit aliud manere post peccatū actuale, quàm reatum pœnæ, id est, ordinationem ad pœnam lege statutam.

Augustinus

Quomodo manet peccatū?

11 *Ratio ex natura peccati quod solum consistit in actu.*

Probatur autem ratione hæc sententia: nihil potest habere rationem maculæ, seu peccati propriè dicti in anima, præter actum ipsum: ergo transeunte actu frustrà, & sine fundamento fingitur aliquid, quod sit propriè, & in rigore peccatum condistinctum ab actu. Antecedens probatur: solus actus est voluntarius, & solus est capax rectitudinis; ergo solus capax obliquitatis, & consequenter sicut nulla rectitudo nata est inesse voluntati nisi mediante actu, & libertate eius; ita nihil distinctum ab actu potest propriè esse peccatum, vt vllâ ratione dicatur propriè maculare animam, vt præscindit ab actu.

Responsio.

Impugnatur instantia ex peccato originali

Dices, peccatum originale non consistit in actu, & propriè maculat animam, & peccatum omissionis etiam imme diatè inest voluntati sine actu. Contrà hìc agimus de peccato personali, quod inest mediante voluntate proptiâ, originale est voluntarium mediante voluntate Adami, & priuatio rectitudinis debitæ, quæ non consistebat in actu, sed in habitu; peccatum verò personale est ptiuatio rectitudinis, quæ inesse debet mediante actu: & sumimus hìc actum latè, vt denotat exercitium libertatis, quomodocumque fiat, siue per actum, siue per omissionem, vt condistinguitur illa obliquitas, quæ inest voluntati, mediante illo exercitio ab alia, quæ ponitur obliquitas habitualis. Probatur ergo talem non dari condistinctam, & præcisam ab actu: imò esse repugnantiam in terminis. Priuatio non multiplicatur nisi multiplicetur

Peccatum personale cōpetit per actū liberum, aut omissionem.

forma

forma opposita, vel saltem diuersa communicetur, & participetur: sed rectitudo temperantiæ nequit aliter participari, quàm per actum, & ratione actus: ergo neque eius priuatio: ergo nulla est eius priuatio in voluntate, vt præscinditur ab actu.

12 *Responsio. Impugnatur.* Dices relinqui aliquam priuationem productam per modum termini. Contrà, hæc priuatio non habet aliquam formam, cui opponitur, quia neque rectitudini, quæ est in actu, seu actuali exercitio libertatis, cùm hæc fundetur in libero, & voluntario, tamquam fundamento proximo, quod inuenitur solùm in actu: neque inuenitur aliqua rectitudo actualis, cui opponeretur. *Alia responsio. Impugnatio.* Dices, dici habitualem, quia immanet. Contrà, oportet assignare terminum eius, seu habitum, quo priuat, & cuius capax sit subiectum. Si dixeris illam maculam habitualem consistere in aliquo positiuo, quod sit propriè peccatum, contrà sunt quæ differuntur, de natura & essentia peccati, probando non consistere in positiuo contra Manichæos ex Patribus ex quibus colligitur hanc maculam debere sumi ab aliquo alio, quod post peccatum manet, quod tribuit denominationem suæ causæ, vt eam includit: sed nihil aliud magis conuenienter assignari potest, quàm reatus pœnæ, & ordo ad ipsam: *ergo, &c.* Probatur subsumptum, quia nihil aliud inest per actum præter habitum Physicum, qui formaliter non spectat sub hac ratione ad genus moris, vt videbimus, & priuatio gratiæ, & ordinatũ esse ad pœnã, sed nõ est priuatio gratiæ, quia multiplicãtur peccata habitualia, nõ sic priuatio gratiæ, quæ intensiuè & extensiuè considerata deletur per vnicum peccatum, quod primò aduenit: ergo, &c.

13 *Secunda probatio ex natura pœnitentia.* Secundò, Pœnitentia, satisfactio, confessio, & absolutio, & quæcumque alia vindicatio, improperium, & huiusmodi, respiciunt peccata actualia, & ea quæ fuerunt tantùm in potestate, & prout in exercitio habita sunt. Ergo præter hæc non datur aliquid, quod sit quiditatiuè, & formaliter peccatum personale. Probatur consequentia, pœna respicit præcisè quidquid est peccatum, & iustitia vindicatiua eodem modo transgressionẽ: sed respiciunt illa, vt inueniuntur in exercitio libertatis: ergo alia non reperiuntur.

Tertiò, nulla necessitate ponitur aliquid, quod sit propriè peccatũ, præter actuale: ergo. Antecedens probatur, nõ est alia ratio, quàm vt saluetur proprietas formularum, quæ dicunt hominem peccatorem manere pollutum, maculatum, abominabilem Deo. *Peccatum actuale manet in suo effectu.* Sed hæc saluari possunt sine macula, quæ sit propriè distincta à peccato actuali, ergo, &c. Subsumptum probatur, quia ipsum peccatũ actuale manens in suo effectu, potest tribuere talem denominationem: *Rectitudo charitatis in distracto.* sicut charitas manens in actu imperato, verbi gratiâ, actus ieiunij assumptus ex fine, & imperio charitatis, habet appellationem, & rectitudinem charitatis, etiam deinceps in distracto, in quo non exercetur aliquis actus explicitus, & elicitus charitatis. *Lex & contractus non manẽte actu.* Sic etiam manet lex & imperium Principis in acceptatione populi, ipso mortuo manent contractus, & alij actus morales in suo effectu, vt matrimonium, & similia, quamuis deficiat consensus, per quem fiant: sic in proposito manet peccatum præteritum in obligatione pœnæ, tamquam in effectu quem inducit, & à quo nequit præscindere reatus, seu debitum pœnæ: ergo frustrà aliud fingitur. Dices esse denominationem extrinsecam. Respondetur id falsum esse, quia peccatum vt manens in suo effectu, denominat, & intrinsecè, quia ordinatio, & dignitas ad pœnam nequeunt præscindere à peccato, in quo fundantur. *Denominatio peccatoris intrinseca.*

Quartò, si esset aliquid priuatiuum manens propriè dictum peccatum, iam difficulter posset ostendi quomodo posset expelli sine rectitudine opposita; quæ tamen non restituitur. Dices restitui in æquiualenti, nempe in gratia habituali. 14 *Quarta ratio ab inconuenienti.* Contrà, hæc non repugnat ex natura rei; quia priuatio est rectitudinis determinatæ per præceptum, hæc fuit rectitudo in actu tantùm; charitas autem consistit in habitu. *Rectitudo habitualis non æquiualet actuali.* Deinde, nullum æquiualens excedit, quoad effectum saltem formalem, id, cui æquiualet: sed temperantia habitualis, verbi gratiâ, non repugnat priuationi rectitudinis actualis temperantiæ: ergo neque charitas habitualis. Deinde, neque charitas actualis, neque habitualis adimplet formaliter præceptum iustitiæ, aut temperantiæ, quia ob actus harum virtutum sæpè deserenda est charitatis operatio, ergo non æquiualent, quantùm ad id, de quo controuertitur. Accedit quòd sint diuersæ virtutes.

15 *Quinta ratio comparantur meritum, & demeritum.* Quintò, merita præterita, & demerita debent comparari vniformiter, quantùm ad id, quod post se relinquunt: sed illa saltem omnia quæ non intendunt gratiam, non relinquunt transacto opere, aliud quàm ius ad gloriam, vt supponit Trid. *sess. 6. c. 16. de fructu iustificationis:* Triden. ergo demeritum nihil post se relinquit, præter ordinationem ad pœnam, seu, quod idem est, debitum pœnæ, & obligationem. *Confirmatio.* Confirmatur per hanc ordinationem donec remittatur tam in se, quàm sua radice, sufficienter opponitur iniustus iusto, qui est ordinatus, & adoptatus ad præmium, id est, gloriam: iniustus autem ob demeritum ordinatus ad pœnam: ergo nihil aliud fingendum erit. Ad hæc accedit vltimò, quòd gratia deperditur ob demeritum in actu; ergo illud solum sufficit ad tribuendum quidquid Scriptura de peccato affirmat, quatenus, vt *suprà* dixi, manet in ordinatione ad pœnam, seu moraliter.

Concordia opinionum. Ad quam sententiam reduci possunt reipsa omnes penè contrarij: in primis illa opinio quæ statuit peccatum habituale in eo, quod est peccasse, & non fuisse retractatum peccatum, vt tenet Medina *tract.* 1. *de pœnitentia. q.* 7. Vasquez *suprà* citatus, & alij: Medina. Vasquez. nihil differt ab hac, & minùs saluat denominationem intrinsecam, quia peccatum non fuisse remissum, aut retractatum, non sunt aliqui effectus peccati, sed negatio formarum oppositarum, vnde denominatio peccatoris præcisè est ab eo, quod est peccasse, quæ est denominatio ab actu præterito, ac proinde extrinseca.

16 Alia sententia, quæ est Cordubensis, Richardi, & aliorum, quæ statuit habituale in eo, quod est peccasse, & non satisfecisse, cum priori coincidit reipsa, & negatio satisfactionis non dat denominationem peccatoris. Alia dicit consistere in dignitate ad pœnam; sed si loquatur de fundamentali, nihil est quàm ipsum peccatum actuale, quod supponitur non remanere. Si de formali, est ordinatio ad pœnam secundùm proportionem iustitiæ, & sic coincidit cum iam explicata sententia. Alia, quæ dicit esse relationem

realem

realem relictam post peccatum, qua ordinatur ad pœnam, quantùm ad modum denominationis & se habendi formæ, coincidit: & sic etiam dicendum de illis, qui ponunt habitum vitiosum relictum post peccatum habituale consistere in aliquo effectu, qui non propriè dicitur peccatum, sed tantùm denominatione suæ causæ in effectu, qualem nos statuimus in proposito. & concordat modus loquendi hic Scripturæ, quia sic Apostolus appellat concupiscentiam, peccatum, quia, vt exponit Trid. cum Augustino, de peccato est, & in peccatum inclinat. non est ergo quòd timeatur hæc sententia, tamquam periculosa, quæ magis est consequens, & quasi in forma assertionis, & denominandi peccatorem, non differt ab aliis.

17 *Obiectio, & fundamētum aliorum soluitur.* Neque argumenta quidpiam concludunt, obiiciunt enim quòd peccator non sit à Deo, sed ordinatio ad pœnam est à Deo. Item dicitur, peccator est ex malo post actum relicto: macula est turpis, & improperio digna, non sic ordinatio ad pœnam, quæ est actus iustitiæ. Ad hæc patet ex dictis, quia ordinatio passiua, quæ est ex peccato supposità lege, est malum, & ex peccato demeritoriè. in hac consistit macula habitualis, quatenus includit radicem, & fundamentum, nempe peccatum non remissum, quòd adhuc manet tamquam in effectu, licèt transeat physicè: quia vt consideratur homo ratione status, & vt subest iustitiæ, & regulis eius, semper consideratur sub peccato, donec remittatur: sicut volūtas legislatoris semper præsens dicitur manere, donec transeat lex, & voluntas, seu consensus in contractu præterito, vt refertur ad iustitiam commutatiuam, semper censetur præsens, donec rescindatur. *Quomodo peccatum manet, & denominat?*

Argumentum Suarez soluitur ex effectu Pœnitentiæ. Argumentatur Suarez quòd sequeretur ex opinione hac nihil remitti in pœnitētia præter solā obligationem ad pœnam. Respondetur argumentum non concludere quidpiam speciale, quia in omnium sententia, & secundùm fidem, peccatum actuale est materia Pœnitentiæ, & illud remittitur, & non solum habituale, quod dicunt esse præsens: ergo in pœnitentia primariò remittitur peccatum actuale, & secundariò obligatio ad pœnam proportionatam: vt insinuat Trid. *sess.6.cap.* 14. *Actuale est materia Pœnitentiæ.* Trident.

18 *Aliæ obiectiones.* Obiiciunt præterea, si Deus nullam statuisset pœnam contra peccatum, adhuc peccatum relinqueret maculam in anima. Item, remissâ culpâ manet in peccatore obligatio ad pœnam temporalem quandoque sine vlla macula habituali. Item, in inferno sunt peccatores, quamuis ibi non sit ordinata aliqua pœna: ergo ordinatio ad pœnam non est peccatum habituale. Respondetur quòd si nulla esset ordinata pœna, aut alius effectus peccati præter hoc, quod est peccasse, quòd nulla esset macula distincta ab ipso peccato præterito, quod consideratur semper in *esse* morali præsens, vt explicatum est. Dices, ergo non esset aliqua macula habitualis. Respondetur, negando consequentiam, quia ipsum peccatum præteritum, licèt Physicè non esset, maneret tamen moraliter, & sic per modum habitus, donec remitteretur: ergo de facto sic manet. Respondetur secundò concedendo consequentiam, vt *infrà* videbimus. Posset dici aliter quòd nō maneret aliquod peccatum habituale, cùm nullus sit effectus peccati diuersus à se in eo casu, in anima: maneret tamen imputatione peccatum *Soluuntur.* præteritum donec remitteretur. Ex his patet ad primum, & tertium. Ad secundum respondetur, reatum pœnæ proportionatæ, & lege primaria statutæ, esse effectum peccati, & in se, probabilem ab ipso peccato, donec remittatur; ideò hæc semper remittitur ordinariè, remisso peccato, per actus nostros, & pœnitentiam (quidquid sit de pœna, quæ debetur peccato veniali, quod remittitur in transitu) hinc Trid. *sess.6.cap.*14. dicit pœnam æternam debitam peccato mortali remitti virtute clauium. Respondeo secundò, ordinationem ad pœnam prout constat peccatum non remissum, esse peccatum habituale, non autem ordinationem ad pœnam præcisè. Ideò Doctor adiungit semper cum hac ordinatione, priuationem gratiæ, vt patet *loco citato, & d.* 16. *in principio.* Ad hæc omnia argumenta tenentur respondere ipsi aduersarij, vt facile est videre, replicando ipsa ad oppositum sententiæ eorum. Trident.

Vrget vltimò Vasquez, hanc sententiam damnatam esse à Gregorio XIII. & Pio V. inter alias propositiones Baij. Propositione 53. *In peccato duo sunt, actus, & reatus, transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, siue obligatio ad pœnam. Vnde in sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotis solum liberat à reatu.* Respondeo ad propositionem teneri Vasquem, & alios reipsâ: sed nulla est difficultas, quia error est dicere, quòd non extendatur virtus sacramenti, aut clauium ad peccatum remittendum, vt docet illa propositio. Ad hanc remissionem sufficit peccatum manere modo dicto. 19 *Obiectio Vasquez, ex propositionibus Baij damnatis.* *Responsio.*

Vrget tandem Caietanus hæc tria se habere per ordinem, peccatum, dignitatem ad pœnam, & ordinationem ad pœnam. Hæc est ex parte Dei actus voluntatis eius, illa alia ex parte ipsius peccatoris; ergo indisciplinatè hæc confundit Scotus. Respondetur secundùm aliquos, distingui ex parte peccatoris ipsum peccatum, & dignitatem ad pœnam, vt proprietatem sequentem ipsum: quibus accedit ipsa ordinatio actualis. Sed respondetur aliter, quòd nulla est dignitas pœnæ ex parte peccati, præter ipsam malitiam, prout abstrahit à lege ordinante pœnam, & prout cadit sub iustitia vindicatiua, vnde quòd natum sit cadere, hoc ei conuenit formaliter intrinsecè à malitia, extrinsecè autem ab ipsa iustitia vindicatiua, quæ nata est ordinare peccatum pœna condigna formaliter. Vniformiter ergo se habent in hoc meritum, & demeritum, quòd vtrumque formaliter sumptum dicat ordinem ad pœnam, aut præmium, fundamentaliter autem dicant bonum, & malum in actu, ratione cuius nata sunt ordinari. Primo modo supponunt ordinationem, quæ est ipsa lex sic ordinans præmium, & pœnam. Secundo modo, præceptum, cui sunt conformia, aut difformia. Præter illam ordinationem legis, quæ est antecedens ad meritum, & demeritum; datur alia subsequens, quæ est legis executio: hæc autem est iudicium quod de quolibet fit secundùm opera. Ex his patet opinionem hanc nihil pati erroris, aut periculi, imò sanam esse, ac dogmaticam, magísque communem; vnde immeritò ab ea quidam moderni nostræ Scholæ recedunt tamquam à non satis fundata, aut ab aliis notatur. 20 *Obiectio Caietani.* *Soluitur.* *Quid sit dignitas ad pœnam.* *Multiplex ordinatio.*

Sed vrget Curiel: quod est in pueris originale, 21 *Obiectio Curiel.*

nale, fuit in Adamo habituale, ſed illud eſt propriè peccatum, & intrinſecum etiam ſecundùm ipſum Scotum, vt *ſuprà* probatum eſt: ergo & habituale erit ſic propriè peccatum, & intrinſecum, & diſtinctum ab actu, & malitia eius.

Confirmatio. Confirmatur: non magis erat natum peccatum Adami producere, aut relinquere in pueris peccatum originale, quàm relinquere aliquid habituale, peccatum actuale, quod habituale ſit propriè, & formaliter peccatum.

Reſponſio. Duplex priuatio iuſtitiæ in Adamo. Reſpondetur in Adamo fuiſſe, & priuationem iuſtitiæ originalis, ſicut eſt in pueris, quia ille recepit præceptum eam ſeruandi ſibi, & poſteris, & hæc priuatio non fuit alicuius rectitudinis in actu conſiſtentis, ſed ſolùm in habitu; & tranſit ad poſteros. Fuit in eodem Adamo alia priuatio rectitudinis actualis: verbi gratiâ, temperantiæ, obedientiæ, &c. & habituale quod relictum eſt in eodem per comeſtionem pomi, erat vniforme cum habituali in nobis. Diſtinguo itaque maiorem: habituale, quod fuit priuatio iuſtitiæ, concedo, quia hæc immediatè comparatur ad voluntatem, vt ad ſubiectum immediatum, & non mediante actu, atque eodem modo habitus oppoſitus eidem, vt iuſtitia originalis. Habituale quod fuit ex actu relictum, negatur, niſi modo explicato, de habituali prout in nobis manet. Diſparitas iam data eſt, quia priuatio eius rectitudinis, quæ ineſt voluntati, vt ſubiecto, poteſt manere ſecluſo actu, à quo non dependet, vt ſubiecto proximo, priuatio autem rectitudinis, quæ eſt in actu, cùm conueniat mediante actu, ſicut & rectitudo oppoſita, nequit remanere propriè phyſicè, ſicut nec manet eius ſubiectum, quod eſt ipſe actus.

Priuatio iuſtitiæ originalis ineſt voluntati non per actum vt ſubiectum.

22 *Reſponſio ad confirmationem.* Ad confirmationem reſpondetur, negando antecedens: quia rectitudo, ad quam obligatur quiſque in propria perſona, eſt illa ſolùm, quæ ei conuenit mediante actu ſuo, vt ſubiecto vero, aut interpretatiuo: & ſimiliter dicendum de oppoſita priuatione: rectitudo autem habitualis originalis iuſtitiæ, cuius eſt debitum in infantibus, conuenit ipſis immediatè independenter ab aliquo actu, vt ſubiecto; & conſequenter priuatio eius, quamuis hæc demeritoriè cauſata fuit à peccato Adami, quo demeruit ſibi, & poſteris iuſtitiæ conſeruationem: non inuenitur autem aliqua cauſalitas demeritoria in peccato actuali, niſi tantùm reſpectu gratiæ, & donorum, ſi dentur diſtincta, non autem alicuius habitualis formaliter, quod ab ipſo cauſaretur, & eſſet diſtinctum, ac propriè dictum peccatum.

Retorquetur argumentum. Vnde argumentum poteſt reduci ad oppoſitum, quia in propoſito deſtructâ cauſalitate, deſtruitur cauſatum, ſed peccatum non cauſat aliud peccatum niſi demeritoriè, ſicut neque priuatio priuationem, niſi ſit alicuius inſeparabilis à ſua affirmatione, quod tollit conſequenter, ſicut priuatio cauſæ infert priuationem effectus, vt vitæ, operationum vitalium; ſubiecti, formarum, quæ inſunt mediante ipſo; ſed in propoſito non inuenitur aliqua talis rectitudo, quâ priuaret peccatum habituale, præter ipſam actualem, ſublatam per priuationem in actu, aut rectitudinem gratiæ, quæ eſt iuſtitiæ habitualis, & non eſt peccatum, vt probabimus articulo ſequenti contra Thomiſtas: ergo non datur aliqua diſtincta ab ipſo actu manente modo explicato. Vnde rectè Doctor *diſt.22. artic.1. §. In iſta quæſtione*, quòd poſt actum tranſeuntem, nihil manet (ſupple ab ipſo actu diſtinctum) præter iniuſtitiam habitualem, id eſt, priuationem gratiæ, & ordinationem ad pœnam: vlteriorem impugnationem Curiel remitto in quæſtionem de peccato originali. Vide *dicta diſt.2.quæſt.6.huius*; hæc quoad hanc ſententiam modo præmiſſo explicatam.

23 *Doctor ab eadem ſententia reuocatur.* Cæterùm, licèt Doctor præfatis in locis eam tenuerit; in ſequentibus tamen reuocauit eum modum dicendi, vt *d.22. q.1. §. In iſta quæſtione, v. Si iſte modus non placet*, &c. vbi præmiſſo modo, nempe remiſſionem culpæ fieri per remiſſionem reatus pœnæ, qui ſolùm poſt actum manet in ratione culpæ. Subiicit aliter, *Si iſte*, inquit, *modus non placet: id eſt, quia videntur Sancti diſtinguere inter remiſſionē culpæ cuiuſcumque, & pœnæ, & maximè inter remiſſionem, & ſolutionem pœnæ debitæ illi culpæ; poteſt alio modo dici*, &c. & cōſequenter oſtendit peccatum remitti veniale, ſiue per noua opera meritoria, ſiue per merita præterita in vita iam facta, & ſic remitti per acceptationem à Deo dictorum operum manente pœnâ poſt hanc vitam diluendâ in purgatorio, ſi quis deceſſerit in gratia: vbi diſtinguit remiſſionem culpæ à remiſſione pœnæ.

Remiſſio culpæ diuerſa à remiſſione pœnæ.

Eſt & alius locus *in d.50.q.6.§. Ad argumentum*, in fine, reſponſione ad vltimum. *Et ideò*, inquit, *pœna durat, quia peccatum in eis durat. Vnde dicit* (ſupple Fulgent. de fide ad Petrum) *permanente in eis iniuſtæ affectionis malo, permanet in eis iuſtæ retributionis damnatio*, &c. loquitur de damnatis. Vide eum *in 4.d.46.q.4.art.2.* Vbi diſtinguit pœnas damnatorum, & docet peccatū continuatum eſſe pœnam, vbi diſtinguit illud à pœna damni, & ſenſus. Eandem ſententiam retinuit in ſecundo Sententiarum, quem ſcripſit poſt quartum, vt patet *ex eodem lib.2.d.43.q.1.in fine*, vbi ſeipſum citat *in 4. in hac diſt.14.* & ea quæ hîc dicit de diſpoſitione, ſeu dolore requiſito ad remiſſionem peccati: in ſecundo autem d.7. quæſt.vnica.§.*Poteſt tamen concedi*, reſponſione ad tertium. *Poteſt tamen*, inquit, *concedi totum argumētum, ſcilicet quòd ipſi* (ſupple damnati) *habent potentiam non peccandi, quia habent potentiam, quæ non eſt formaliter peccatum: licèt non habeant potentiam non peccandi, hoc eſt, non eſſe in peccato, quomodo dicitur eſſe in peccato, poſtquam tranſiuit actus, quem commiſit, & priuatus gratia remanet reatus, vſque ſcilicet ad pœnitentiam de peccato commiſſo; hoc modo non poſſunt ex ſe non peccare, id eſt, non eſſe in peccato*, &c. & in fine, reſponſione ad vltimum dicit peccatum damnatorum, quod in eo ſtatu committunt, eſſe pœnam ſui ipſius ex Auguſtino, & hæc eſt maxima pœna, quæ conſiſtit in priuatione ſummi boni, auertente à Deo, quæ eſt malitia peccati, & ſic extenſiuè dicit hanc pœnam creſcere in infinitum, & ſupponit manere illam malitiam.

Prius ſcripſit quartū quàm ſecūdum ſententiarum.

Item d.28.q.vnica. §. *Ad quæſtionem. Poteſt dici*, inquit, *quòd peccatum vno modo poteſt accipi pro ipſo actu elicito deformi, loquendo de peccato commiſſionis: alio modo pro macula, quæ remanet poſt actum elicitum, ſiue pro reatu permanente quouſque peccatum fuerit deletum per pœnitentiam.* Poſſemus adducere plura alia loca ex anterioribus per conſequentiam doctrinæ: ſed hæc ſufficiant, quibus continetur expreſſa reſolutio quæſiti in terminis. Ex dictis ſequitur quid dicendum ſit ad ſententias *ſuprà* præmiſſas.

24 *Peccatū habituale non eſſe reale.* *Dico primò*, habituale peccatum non eſt habitus realis, aut qualitas: eſt contra quartam ſententiam.

tentiam. Probatur primò; quia sic esset à Deo: nullum autem peccatum est à Deo, quà peccatum. Secundò, actus, quà peccatum est, non est aliquid reale, sed rationis, aut morale: ergo nequit sic producere aliquid reale, quod peccatum sit. Tertiò, sequeretur quòd habitus relictus, seu peccatum habituale, si in habitu consisteret, relictum ab extremo vitio, destrueret aliud oppositum, sicut actus vnius destruit actum alterius, verbi gratiâ, auaritiæ, prodigalitatis; hoc est falsum, quia de facto nequit peccatum mortale destrui, nisi per gratiā, vt supponit Trident. *sess.6.& 14.* necessariam esse pœnitentiam ad delendum peccatum. Sequela probatur: quia sicut actus ad actum se habet, ita habitus ad habitum: & inclinatio ad vnum ad inclinationem ad alterum. Quartò, sequeretur illum habitum manere simul cum gratia, quia non destruitur in instanti. Si dixeris deleri quoad reatum: contrà, peto an reatus sit aliquod reale ipsius habitus, aut talis qualitatis. si sic: ergo manet quamdiu inest ipsa qualitas, si sit aliquid rationis superadditum, in eo consistet peccatum, non autem in habitu, quia id quod deletur per gratiam, habet propriam rationem peccati. Fundamentum huius sententiæ non est aliud, quàm ea, quæ *suprà* citauimus de peccato originali.

25 *Non esse dignitatem ad pœnam.* *Dico secundò:* non est relatio dignitatis ad pœnam, siue realis, siue rationis. Non primum, quia relatio realis nequit esse, nisi ad extrema realia; actus non manet vt supponitur, quod est fundamentum, neque pœna adhuc est. Præterea, dignitas ad pœnam non est peccatum præcisè, vt præscindit ab actu. Iterum, hæc dignitas fundatur in actu, prout dicit ordinem ad legem decernentem pœnam: ergo debet esse aliquid morale, & non Physicum, quia lex non inducit alium effectum, quàm moralem. Quòd non sit relatio rationis, probant argumenta aduersariorum, iam soluta in articulo antecedenti. Si loquamur de illa, vt præscindit ab actu præterito, in quo fundatur; si autem loquamur de illa relatione vt includit causam, & sua extrema, non differt hæc sententia ab illa, quam ibi explicuimus.

26 *Non esse priuationẽ gratiæ.* *Dico tertiò:* peccatum habituale non est priuatio gratiæ: est contra Thomistas. Hanc probat Doctor *in 4.d.16. §. Respondetur, conclus.* 1. probat primò, quia culpa multiplicatur; sed priuatio gratiæ vnica est, & simplex, sicut ipsa gratia, cui opponitur: ergo peccatum habituale, aut actuale in ipsa non consistit, aliàs qui commisisset plura peccata, esset æquè peccator, ac qui commisisset vnum, quia æquè in eo est priuatio gratiæ. *Responsio aduersa.* Respondent Thom. Caietan. Medina, Soto, quòd peccatum non sit priuatio gratiæ quomodocumque, sed in ordine ad causam, nempè peccatum: non est ergo priuatio nuda gratiæ, sed respectiuè ad causam, quâ multiplicatâ, multiplicatur ipsa priuatio; & suscipit magis, & minùs. Exemplum adducunt in vmbra, quæ est priuatio luminis ex obiectione corporis inter solem, & locum, in quo fit vmbra, & diuersorum corporum diuersa est vmbra.

Priuatio specificatur ab habitu, non à causa. Contrà, priuatio in ratione priuationis non specificatur à causa, sed ab habitu contrario, vnde priuatio formæ ignis in subiecto eiusdem rationis est, siue inducatur à forma terræ, aquæ, aut mixti, aut alterius cuiusque corrumpentis, sicut & ipsa forma ignis non variatur, siue generetur ab igne, siue à Sole, vel à quocumque alio.

Confirmatur, priuatio in *esse* priuationis, & quà destruit habitum, nihil aliud dicit, quàm *non esse* formæ, connotando in subiecto inclinationem, aut habitudinem ad formam, & quà dicit *non esse* præcisè, excludit formam à subiecto, in quo est: sed in his non includitur aliquis ordo ad causam efficientem priuationem: ergo est extraneus talis ordo priuationi, quà opponitur formæ oppositæ, & quà priuatio est. 27 *Confirmatio prima.*

Confirmatur secundò, oppositio formalis attenditur præcisè secundùm ea, quæ conueniunt oppositis in suo *esse* formali: sed talis est priuationis, & habitus oppositio: ergo attenditur secundùm nudum *esse* formale: sed ordo ad efficientem extraneatur formæ, quà causa formalis est: cùm sit nihil aliud, quàm relatio effectus ad causam efficientem; forma autem vt causat, consideratur in ordine ad subiectum, vt causa est formalis dans *esse*, non vt recipiens *esse* ab efficiente: sed *esse* formale priuationis consistit in negatione habitus oppositi, eiúsque exclusione: ergo, &c. Maior probatur, quia hæc oppositio attenditur secundùm prædicationem formalem, & in *esse* extremorum, qua repugnat illa simul inesse subiecto, aut de eodem prædicari; hæc autem attenduntur in ipsis secundùm *esse* formale. *Confirmatio secunda. Oppositio priuationis, & habitus est formalis.*

Deinde, non variatur ratio formalis gratiæ in se: quæro ergo quid sit illud, quòd diuersæ causæ influunt in priuationem? non aliquid specie diuersum: quia non correspondet ei aliqua affirmatio, aut habitus, aut gradus diuersus in forma: non aliquid numero tantùm diuersum; quia sic sequeretur non esse magis peccatorem, qui cõmittit plura in specie, & numero diuersa, quàm qui cõmitteret plura solo numero diuersa. *Priuatio non variata forma non variatur in specie.*

Exemplum autem quod adducitur, est ad oppositum, quia neque corpora illa, inquantùm causant vmbram, sunt diuersa specie: quia illam causant non inquantùm sunt diuersæ substantiæ: sed vt sunt quanta, & non transparantia, seu non diaphana, in quibus conueniunt specie sicùt in quantitate. Deinde eadem est difficultas dato opposito, de priuatione luminis, & gratiæ, seu cuiuscumque alterius formæ. Si dicas quòd diuersarum vmbrarum diuersæ sint figuræ, sicut & corporum. Contrà, hæc diuersitas figuræ non variat quantitatem in ipsis corporibus, aut non transparentiam essentialiter: ergo neque priuationẽ in *esse* priuationis. Deinde priuatio luminis in hac parte spatij est eiusdem rationis, siue lumen sit in contigua parte, siue non; secundùm hoc autem variatur figura vmbræ: ergo non facit ad propositum. Huc reuocari possunt alia argumenta, quibus probatur peccatum, & gratiam posse esse simul. Vnicum illud sufficit pro præsenti, vt cõsulamus breuitati. Addi potest quòd tam peccatum actuale, quàm habituale in statu puræ naturæ esset, in quo non esset priuatio gratiæ, quia hæc forma non debetur tali statui, maximè secundùm aduersarios. 28 *Exemplum allatum est ad oppositum. Variata figura nõ variatur quantitas. Peccatum in statu puræ naturæ nõ opponeretur gratiæ priuatiuè.*

Ad illud autem quod affirmant peccatum habituale opponi gratiæ, non simpliciter, sed alicui ex tribus effectibus, iam assignatis, euasio est: quia nulla priuatio opponitur effectui formali, nisi quà primò opponitur formæ, loquendo de effectu formali, qui nullo modo dependet ab extrinseco: quod addo ad excusandam instantiam, quæ fieri potest de actu virali posito in subiecto sine eo, quòd tendat subiectum in quodcumque 29 *Priuatio non opponitur effectui, nisi vt prius formæ.*

eius obiectum, aut de forma habente effectus subordinatos, quos communicat successiuè, prout disponitur subiectum ad eos recipiendos: ergo priuatio formalis gratiæ debet esse per oppositionem ad ipsam gratiam primum. Probatur consequentia, quia aliàs cum peccato habituali posset stare gratia absolutè in subiecto, quamuis sine tali effectu.

Soluūtur rationes opposita.

Non inuenio aliquod argumentum pro hac sententia, cui responderi oporteret, nisi illud solum, quod est de peccato originali, quod consistit in priuatione iustitiæ, quod iam abundè ex dictis patet solutum. Iterum, quòd sic dicatur peccatum esse priuationem gratiæ: sed hoc intelligi debet causaliter, & demeritoriè, atque de ipso peccato actuali; vnde priùs intelligitur quis priuatus gratia, quàm in peccato habituali, quia eodem instanti, quo peccat actualiter mortaliter, priuatur gratia; non intelligitur autem in peccato habituali, nisi pro tempore sequenti. Deinde, quia in statu puræ naturæ posset esse peccatum tam actuale, quàm habituale, in eo statu habituale non esset priuatio gratiæ: ergo aliquid aliud, &c.

30 *Reliqua sententia impugnantur.*

Dico quartò: reliquæ opiniones non rectè videntur explicare peccatum habituale per hoc, quòd dicant consistere in eo, quod est peccasse, & non satisfecisse, aut retractasse peccatum præteritum, aut non fuisse remissum. Quia quæritur de forma, quæ dat denominationem peccatoris, non pro tempore præterito, sed pro tempore præsenti, & permanenter; talis non est illud *peccasse:* quia sic denominat præcisè pro mensura durationis actus, in qua habuit suum *inesse*, forma autem, prout consideratur præcisè ad determinatam durationem, & *inesse* suam in tali duratione, non potest tribuere denominationem pro alia duratione, nisi pro illa insit: *peccasse* non desinat *inesse* peccati pro nunc: ergo non tribuit denominationem peccatoris pro nunc, sicut neque actio præterita denominat pro futuro, aut præsenti, vt calefactio quæ fuit, non denominat nunc calefacientem. Aliud, quod additur, nempe *non satisfecisse*, &c. non designat nunc maculam, aut peccatum manere: sed tantùm non fuisse ordinatum secundùm id, quod ei ex iustitia correspondet.

Forma denominat, iuxta mēsuram sui inesse.

31 *Peccatū habituale quid sit?*

Dico quintò: peccatum habituale est ipsum peccatum præteritum quidem physicè, manens autem moraliter, donec remittatur, connotans priuationem gratiæ, & debitum pœnæ tanquam effectus correspondentes, à quibus tamen non denominatur quis peccator, sed ab ipso actu, qui manet moraliter. Pro quo nota, quòd homo, vt ordinatur ad præmium, aut pœnam mediante lege, quæ est ipsi regula directiua operandi, nequit abstrahere ab operibus, quia ratione operum subest legi, & ratione operum in eodem fundatur dignitas ad pœnam, aut præmium: & ratione operum transit in hunc, aut illum statum. Vnde sicut professio Monastica, votum, contractus, & huiusmodi, qui fundantur in actibus, præteritis physicè, censentur semper manere, vt comparantur ad statum mediantibus illis assumptum, & secundùm legem, ex qua recipiunt vigorem. Ita etiam censetur quis in statu peccati semper manere, donec illud remittatur, & per condonationem transferatur in statum contrarium.

Peccatum actuale, quomodo manet moraliter?

Probatur, quia ius debitum, vel quodcumque aliud resultans ex actu in ipso fundatur, & mediante eo conuenit homini: ergo nequit præscindere ab ipso actu: ergo sicut illa manent, debet manere eorum fundamentum, quod est ipse actus: sed non manet physicè; ergo præcisè moraliter, vel vt consideratur homo in ordine ad finem mediante lege; pœnitendo autem remittitur tale peccatum, & transfertur homo in alium statum, aliter se habens ad legem nunc, quàm antè.

Ad hanc conclusionem reducuntur cæteræ sententiæ, & potissimùm quam *suprà* explicuimus ex Doctore, & probatur argumentis ibidem præmissis: quia manet homo transacto actu peccator, non ab alio distincto ab ipso actu: ergo per ipsum actum modo iam explicato, & sic intelligendus est Augustinus, quando dicit peccatum manere in regulis æternis *suprà*; manet enim in se moraliter, & manet etiam effectu virtualiter physicè: manere autem moraliter patet ex locis, quos citauimus, pro secunda opinione Doctoris, seu modo dicendi, manere autem virtualiter docet hîc.

His positis declaratur litera Doctoris, iuxta interpretationem veram eius. Primò, dicit nihil absolutum, vel relatiuum manere in peccatore cessante actu peccati. Sumit hîc, *nihil*, vt opponitur enti reali absoluto, vel relatiuo: quæ est conclusio opposita opinioni, quam proximè impugnauit *in §. præcedenti*, & statuit peccatum habituale in relatione reali. Hoc patet per rationem subiunctam, quâ excludit habitum realem, & vitiosum, qui manet post actum, à ratione peccati; ex eo quòd maneat in iusto, in quo non manet reatus peccati, aut ipsum peccatum. Probat secundò, quia illa qualitas vitiosa etiam ex natura rei, desinente frequentatione actuum similium, desineret, sicut cæteri habitus; reatus autem peccati non desinit sine pœnitentia: ergo illa qualitas non erit reatus, quia semper in infinitum, inquit, est peccator postquam commisit peccatum (scilicet donec pœniteat) nec desinit esse peccator, licèt non adiiciantur actus similes. 32

32 Declaratur litera, & vera sententia Doctoris.

Dicit peccatum habituale nō esse reale.

Secundò dicit non esse aliquod absolutum, vel relatiuum priuatiuum, à quo dicatur peccator: sed tantùm relationem rationis, quâ peccator ordinatur ad pœnam correspondentem peccato, per voluntatem diuinam, & præuidetur per intellectum, donec pœna debita sit soluta. In negatiua illa comprehendit etiam priuationem physicam, seu formæ physicæ. In affirmatiua autem supponit pœnam esse debitam peccato, & ex lege constitutam, quæ dignitas fundatur ratione peccati: & in corollario *infrà*, dicit obligationem illam esse formaliter reatū, & vt afficit animam, esse maculam: malè ergo moderni ei imponunt dixisse nihil aliud esse, quàm denominationem extrinsecam à voluntate ordinante. Dicit præterea, vt est in voluntate diuina esse offensam: & statuit esse relationem rationis in peccatore, in Deo verò actum positiuum. 33

33 Esse relationem rationis.

Esse maculam intrinsecam

Porrò quis ille sit actus in diuina voluntate? respondetur esse voluntatem vniuersalem legislatoris, vt particulariter respicit peccatorem ratione delicti; & esse illam, qua finis cōstitutus est homini viatori, siue ad gloriam, siue ad pœnam (seruato medio iustitiæ prout inter Deū, & creaturam interuenire potest) dependenter ab eius operibus, siue bonis, siue malis respectiuè: hinc actus malus cadit sub iustitia vindicatiua, bonus 34

34 Quis actus in Deo dicitur, offensa.

sub

Regula generalis præmij, & pœnæ. sub retributiua. Illa autem voluntas est antecedens debitum formale præmij, & pœnæ in actibus, & vt includit pactum secundùm communiorem Theologorum, & propriam sententiam Doctoris aliàs sæpè: quia ratione operis boni nihil deberetur creaturæ, nisi præcessisset acceptatio diuina ad præmium cum conditione operis, *Dignitas operum supponit pactum.* sicut opera Beatorum perfectissimè circumstantionata nihil sibi, vel aliis merentur de condigno: neque peccata damnatorum excessiua in malitia ordinantur ad pœnam extrinsecam.

Neque alia ratio est, nisi quia acceptatio, pactum, seu lex hæc vniuersalis, limitatur ex dicta voluntate ad statum viæ: quoniam Christus Dominus meruit nobis per portionem superiorem, secundùm quam fuit comprehensor, vt probabilior sententia fert: iam autem non meretur; quod aliunde non contingit, nisi quâ statur vltimatè ad legem, & voluntatem Dei, quâ supposita consurgit ordo iustitiæ inter Deum & hominem, *Iustitia est inter Deū, & creaturam.* & debitum præmij, seu ius ad præmium in homine iusto ratione operis exhibiti, debitum autem pœnæ in peccatore ex transgressione, quâ violauit legem, & subiectionem debitam legislatori. Primum cedit in fauorem iusti: secundum verò, quo fundatur debitum pœnæ in vtilitatem & fauorem legislatoris.

35 *Ordo eius inter partes.* Reciprocantur ergo secundùm hanc iustitiam legislator & subditus, vindex, & peccator: secundùm iustitiam, inquam, quæ est virtus ad alterum, & obligationem mutuam, prout hîc interuenire potest: vnde peccator ratione peccati, quo tollit debitam subiectionem legislatori, incurrit obligationem: ac proinde obligatio pœnæ manet in ipso ex peccato, quæ respicit voluntatem legis, & legislatoris, quæ eadem est, per modum tituli, quo tenetur legislatori, *Explicatur reatus, & ordo eius ad diuersa.* respicit autem pœnam, aut satisfactionem per modum termini, per quem ordinatur peccatum eius, quo ponit inæqualitatem, & per pœnam, aut satisfactionem restituitur medium, seu æqualitas lege præscripta secundùm motiuum iustitiæ: obligatio itaque passiua ad pœnam respicit legislatorem, & voluntatem eius iam explicatam; vt cui obligatur peccator respicit peccatum, vt fundamentum inducens obligationem; respicit pœnam, vt id ad quod tenetur, & obligatur: & vlteriùs hæc obligatio, vt consurgit ratione delicti, supponit voluntatem dictam vniuersalem (de qua iam dictum est, & per quam statuitur medium iustitiæ inter Deum, & hominem respectiuè) tanquam fundamentum iuris, & tituli, seu debiti ratione operis, ad præmium, aut pœnam: quam voluntatem Doctor appellat ordinationem diuinam, nempe secundùm motiuum iustitiæ, decernentem præmium, aut pœnam iuxta naturam operis, vt huic legi vniuersali subiicitur. Alia præter hanc est voluntas consequens, *Voluntas consequens.* quâ fit executio legis in iudicio, quod fit in termino, secundùm ea, quæ homo gessit in corpore, siue bonum, siue malum: & hanc non intelligit Doctor: sed priorem, quæ sola admittit satisfactionem per pœnitentiam.

36 *Applicatio præmissæ doctrinæ.* Hæc doctrina, seu interpretatio patet ex litera, nam, vt patet ex confirmatione, perinde æquiparat merita iustorum ad præmium, & ius seu debitum præmij, & demerita peccatorum, quantùm ad debitum pœnæ, & illam voluntatem eandem, quam appellat ordinationem diuinam hîc, & in sequentibus, vocat voluntatem vindicatiuam peccati in corollario, quod est summarium, & recapitulatio propriæ sententiæ: *Accipiendo*, inquit, *istam rationem irasci pro velle vindicare, exclusa passione concomitante, per istud velle, Deus formaliter est iratus, vel offensus: quia formaliter est volens vindicare peccatum commissum contra legem suam*, &c. hoc autem *velle vindicare* non est voluntas particularis distincta ab vniuersali; *Volūtas vniuersalis dicitur particularis.* sed eadem ipsa vniuersalis, quæ ex determinatione posita ex parte obiecti, nempe peccato in peccatore, ipsum respicit particulariter; sicut lex vniuersalis inhibens cum pœna, positâ transgressione, seu conditione ex parte subditi, in eo sortitur effectum, non secus ac si esset præceptum, seu personalis inhibitio respectu eius: comprehendit enim omnes, & singulos; persona enim ficta, vt collectio, & multitudo, magis subsistit in particularibus suppositis, quàm in collectione: sic obligatio legis vt efficax est, & stabilis voluntas legislatoris comprehendit supposita prædicta non secus, ac si esset præceptum respectu singulorum.

37 *Voluntas antecedens legis.* Accedit præterea alia determinatio voluntatis diuinæ, diuersa ab illa qua ordinauit opera viatorum ad præmium, & pœnam secundùm iustitiam; nempe illa qua statuit regulam operandi & modum, vt legem naturalem & positiuam in hac vel illa materia virtutis. Hæc etiam supponitur ad bonum, & malum in opere, quam respicit vt regulam, cui conformetur, vel difformetur liberum arbitrium: & contra ipsam est peccatum, vt priuatio rectitudinis debitæ inesse secundùm regulam: vt supponit in initio §. præcedentis, & requiritur ad constitutionem boni, vel mali operis, ac proinde in exercitio habet suum effectum priusquam lex ordinans opera ad præmium, aut pœnam, licèt hæc prior sit intentione.

38 Ex his patet primò, quàm appositè Doctor probat suam sententiam ex Augustino, quamuis indignè id ferat Caietanus; sed verba Augustini plana sunt, quæ citauimus suprà. Patet præterea confirmatio cum exemplo adducto, *Varijs modis manere dicitur peccatū.* quæ intelligi, iuxta sensum explicitum corollarij, debet. Patet tertiò Doctorem non discrepare à sensu communi DD. qui statuunt peccatum habituale, seu reatum peccati actualis esse debitum pœnæ in ipso peccatore intrinsecè, in quo manet peccatum præteritum virtualiter, *Virtualiter.* iuxta vulgarem modum dicendi, quia debitum illud nequit præscindere à suo fundamento, per quod inducitur.

Moraliter. Vel secundùm alium modum, manet ipsum peccatum præteritum moraliter, quâ constituit talem statum hominis respectiuè ad Deum legislatorem, & retributorem operum. Et quamuis non sit physicè, præterito actu, manet tamen in habitu, *In habitu, & interpretatiuè per complacentiam.* & etiam interpretatiuè secundùm complacentiam, quamdiu manet peccator, & voluntas eius non correcta ab impietate ad pietatem, & obnoxia pœnæ, aut satisfactioni debitæ; neglectus enim pœnitentiæ, est interpretatiuus consensus in peccatum, *Neglectus pœnitentiæ est interpretatiuus consensus in peccatum.* & habitualis saltem permanentia in ipso. Hanc esse sententiam Doctoris *suprà* probatum est ex variis eius locis, sed potissimùm *distinct.* 12. *q.* 1. §. *Si iste modus non placet*, &c. nempe peccatum dimitti, inquam, quando reatus pœnæ, & ipsa pœna dimittitur:

titur: quia videntur Sancti, inquit, distinguere inter remissionem culpæ cuiuscumque & pœnæ, & maximè inter remissionem culpæ, & solutionem pœnæ debitæ illi culpæ,&c. vbi loquitur de peccato, vt permanente in verbis sequentibus. *Ad propositum*, inquit, *opera istius qui moritur in charitate, etsi post mortem non referantur ab ipso ad veniale, in quo moritur*,&c. Vbi loquitur de peccato veniali aliàs commisso,& docet modum quo remittatur in vita: nam de peccato, quod tum in actu est continuatum, dicit non remitti in vita, sed in morte: & sic etiam agit de peccato, tanquam permanente quoad maculam in aliis locis citatis *suprà*. & *loco proximè citato responsione ad argumenta ad tertium*: quin etiam *articulo tertio*, §. *Et tunc sequitur corollarium*,&c. eundem modum loquendi retinet: *Culpa enim*, inquit, *manens ordinatur per pœnam concomitantem, sed inuoluntariam,& sic non deletur per eam*,&c. vbi loquitur de peccato damnatorum.

Hæc autem sententia magis seruat proprietatem loquendi Scripturæ, & Conciliorum; nam & Trident. *sess. 6. cap. 5. de necessitate præparationis in adultis peccatoribus*, idem insinuat: *Vt qui per peccata à Deo auersi erant*,&c. particula verbalis denotat statum ipsorum ante vocationem quâ disponuntur, non autem præteritionem peccati, vel non permanentiam eius. Ideò cap. 6. de modo præparationis; *Dum peccatores*, inquit, *se esse intelligentes*,&c.& cap. 7. in descriptione iustificationis impij: *vnde ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus*,&c. vbi pro termino *à quo* denotatur iniustitia peccati. & *cap.* 14. dicit pœnam æternam, seu debitum eius simul cum culpa dimitti virtute Sacramenti in re, aut voto. Idem colligitur passim *ex sess.* 14. *de Sacramento pœnitentiæ*. 39

Trident.

SCHOLIVM.

Id quod est peccatum habituale posse deleri, alioquin prædestinatus lapsus in mortale, non posset beatificari, hæc autem deletio regulariter fit per pœnam, vel per ei æquiualens. Probatur auctoritatibus adductis num. 2. ad oppositum; & ideò pœnitentia meritò à Patribus vocatur secunda tabula post naufragium, ex Trident. sess. 6. c. 14. Vide Hieron. epist. 2. ad Demetriad.

8 DE [b] secundo articulo dico, quòd istud, quod dictum est remanere post actum in peccatore, potest deleri, & quandoque deletur, iuxta illud Symboli, *Remissionem peccatorum*; & Deus est remissiuus peccatorum, & quandoque remittens peccata: & hoc probatur sic, quia aliquando prædestinatus labitur in peccatum mortale. Patet de Dauid, Petro, & Paulo, & quasi innumeris: non autem potest beatificari, ad quod principaliter ordinatur per prædestinationem, nisi deleto peccato, accipiendo peccatum modo prædicto: quia nullus beatificatur, remanens obligatus ad pœnam soluendam: quia vel simul soluendam cum gloria, quod est impossibile, quia ad minùs secundùm dispositionem diuinam, gloria illa & pœna quæcumque repugnant: vel post glorificationem soluendam, quod similiter est impossibile, quia Deus disposuit illam gloriam in quocumque finalem esse, ita quòd non sequetur aliqua pœna: ergo oportet ante glorificationem remitti, vel deleri istam obligationem ad pœnam quandoque sustinendam.

9 *Ad deletionem peccati requiritur punitio, vel æquiualens.*

Secundò dico, quòd non remittitur sine pœna, vel æquiualente in acceptatione diuina: quia per quodcumque peccatum offenditur Deus, sicut Scriptura satis clamat: offensa autem eius, vel ira, (vt dictum est) est eius *velle vindicare*, vel aliquid sufficiens ad placandum exigere: ergo posito quocumque peccato Deus vult vindicare de peccante: sed velle vindicare, est velle punire: ergo post peccatum commissum ad eius deletionem requiritur aliqua punitio, vel æquiualens in acceptatione diuina.

Et licèt culpa, quæ tollitur, tollatur regulariter per pœnam, sicut obligatio ad aliquid tollitur per solutionem illius; & licèt quandoque tollatur per aliud à pœna æquiualens in acceptatione diuina: tamen regulariter per pœnam ordinatur, etsi non tollatur: & hoc est, quod dicitur communiter, & accipitur à Boëtio *lib.* 4. *de Consolatione Philosophiæ, Prosa* 4. quòd pœna est ordinatiua culpæ, ita quòd non potest relinqui in vniuerso aliqua culpa, cui non correspondeat pœna ordinatiua. Et simpliciter melius est peccatorem non correctum esse in pœna, quàm sine pœna, quia in primo est aliquid boni, scilicet correspondentia iusta pœnæ ad culpam: sed in secundo esset tantùm malitia, scilicet culpa, & impunita. Nec tamen intelligo quòd hîc sit simpliciter necessitas, cuius oppositum includit contradictionem: quia ex quo non est idem essentialiter Deum remittere culpam, & punire eam, vt patebit *ex illa quæst. dist.* 16. de expulsione culpæ, & infusione gratiæ, videtur quòd Deus posset vnum separare ab altero; sed de potentia ordinata ista est via vniuersaliter præfixa à lege diuina ordinante, scilicet peccatum puniri per pœnam, tanquam per proprium correspondens.

Quomodo pœna est ordinatiua culpæ.

Sine pœnitentia & gratia, posset Deus absolutè remittere peccatum.

COMMEN

COMMENTARIVS.

40 *Prima cõclusio. Remissio peccati. Symbolum fidei.*

b DE *secundo articulo dico*,&c. Prima conclusio huius §. est, remitti illud, quod in peccatore manet post actum peccati. hæc est de fide ex illo Symboli Apostolorum, *Remissionem peccatorum.* Patet ex Scriptura, quæ passim hanc efficaciam tribuit conuersioni peccatoris per pœnitentiam, & fidem formatam charitate. Ezechielis 18. *Quotiescumque ingemuerit peccator*,&c. *omnium iniquitatum eius non recordabor*,&c. *conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos.* Zachariæ 4. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam.* Apocalyps. 1. & 2. *Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem*,&c. 1. Ioan. 2. *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras*, &c. Ieremiæ 3. *vsque septuagies septies*, &c. Matth. 18. & vniuersim in Scriptura nihil frequentiùs habetur, quàm inuitatio peccatorum ad pœnitentiam: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Patet ex Patribus, locis *suprà* citatis in prologo huius distinctionis, ex Lateranensi *de Summa Trinit. & fide Catholica.* Florent. *in Decreto vnionis.* Trident. *sess. 6. locis citatis*,& *sess. 14. per totum.* Ratio autem Doctoris, suppositis iis, quæ docet fides de electione Prædestinatorum, est conuincens, vt patet in exemplis ab eo adductis de Petro, Paulo, Dauide, & multis aliis electis, qui in via lapsi sunt, & per pœnitentiam surrexerunt.

Conc. Later. Florent. Trident.

Secunda conclusio est, non tolli peccatum sine pœna, aut aliquo, quod æquiualet in acceptatione diuina. Hæc etiam patet ex præmissis: vnde concludit regulariter tolli per pœnam, quamuis per aliquid etiam æquiualens, vt contingit in remissione venialis, vt *infrà dist. 22. quæst. 1.* dicetur; & mortale etiam per dilectionem perfectam, & supernaturalem, quæ iustificat, vt dicetur *infrà*, & addit prætereà melius esse ordinari peccatum per pœnam secundùm iustitiam, quàm peccatum manere impunitum, loquendo simpliciter, quantùm ad bonum iustitiæ, prouidentiæ, & vniuersi, licèt peccatori quoad affectum commodi sit magis malum. Vnde Augustinus Ench. cap. 27. *Melius autem iudicauit de malis benè facere* (supple Deus) *quàm mala nulla esse permittere*, &c. & de correptione, & gratia, cap. 10. *Sciuit ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benè facere, quàm mala esse non sinere*, &c. Intelligit deinde dicta quantùm ad potentiam ordinariam, non verò quantùm ad absolutam: quia Deus potest remittere culpam absolutè sine pœna: vt *infrà* patebit *d. 16.*

41 *Secunda conclusio. Remittitur peccatum per pœnitẽtiam.*

Bona est punitio peccati.

Augustin.

SCHOLIVM.

Peccatum deleri per pœnam, non qualemcumque, sed voluntariam: & explicat varios modos voluntarij in pœna huiusmodi, docétque voluntatem esse causam totalem remotam tristitiæ, quæ est primaria pœna, hanc tamen esse inuoluntariam, voluntate commodi. Vide auctoritates citatas, num. 2. & Bellarm. 2. de pœn. à cap. 8. vsque ad 12. & lib. 1. cap. 8. 9. 10.

DE [c] tertio articulo: primò videndum est de re, secundò de nomine. De re est ista conclusio, quòd ad deletionem peccati regulariter requiritur pœna, vel punitio voluntaria. Hoc probatur, quia per aliquam punitionem deletur peccatum, vt dictum est in secundo articulo, & per aliquam non deletur, vt patet de punitione damnatorum, & de illa pœna quæ statim sequitur culpam, iuxta illud Augustin. lib. de Confess. primo: *Iussisti Domine, & ita est, vt pœna sit sibi quisque peccator.* Non est autem ita probabilis differentia inter punitionem, quâ deletur peccatum, & quâ non deletur, sicut de voluntario, & non voluntario, tum quia punitio damnatorum longè maior est, & intensiuè, & extensiuè, quàm punitio viatoris, cuius peccatum deletur per punitionem: & per consequens maius & minus in intensione, & extensione non facit differentiam inter punitionem delentem peccatum, & non delentem: tum quia ita videmus in offensis humanis, quòd pœna, vel displicentia voluntaria, placat offensum, non autem omnino inuoluntaria, & cum murmure supportata, vel suscepta: ergo rationabile est, si per aliquam pœnam debeat deleri offensa, & per aliquam non, & differentia quoad hoc non sit ita probabilis per aliquid, sicut per voluntarium & inuoluntarium, quòd pœna voluntaria regulariter requiratur ad deletionem peccati.

10 *Ad deletionem peccati quid requiratur. Vide auctoritates citatas num. 2. & Bell. 2. de pœn. c. 8. & seq. & lib. 1. c. 8. 9. & 10. Cap. 12. Peccatũ per pœnam voluntariam, nõ aliter remitti, regulariter.*

Et tunc sequitur corollarium, quomodo dupliciter ordinatur culpa per pœnam: culpa enim manens ordinatur per pœnam concomitantem, sed inuoluntariam, & sic non deletur per eam: culpa autem ordinata per pœnam voluntariam, deletur per eam.

Dupliciter ordinatur culpa per pœnam.

Sed si quæras, quomodo aliqua pœna possit esse voluntaria, cùm de ratione pœnæ sit esse inuoluntarium? quia sicut nullus peccat in eo quod non vult, ita nec punitur in eo, quod vult.

11 Inuoluntariũ *quid sit.*

Hæc difficultas prolixiorem requirit declarationem. Vbi intelligendum est, quòd inuoluntarium simpliciter est illud, contra quod voluntas simpliciter remurmurat: & per consequens, per oppositum *voluntarium* potest intelligi tripliciter. Vno modo contra quod non omnino voluntas remurmurat, sed patienter sustinet. Secundo modo, quod

Voluntarium *triplex.*

quod voluntariè acceptat. Tertio modo, quod voluntariè causat. Et hoc dupliciter, scilicet vel vt causa proxima partialis, & non intendens istum effectum: vel vt causa remota principalis, & intendens effectum, & sic habentur quatuor membra.

Quatuor modi volũtarij declarantur.

Et patet hæc distinctio, quia in primis duobus modis tristitia est obiectum tantummodò volitionis: in tertio est effectus tantùm, & non obiectum: in quarto obiectum, & etiam effectus, nisi aliquid impediat. Hæc membra statim declarabuntur. Patet etiam ordo, quia secundum addit super primum, quantùm ad rationem *voluntarij:* & tertium super secundum, & quartum super tertium. Pœna etiam potest intelligi, vel quodcumque incommodum, siue disconueniens, & illud potest esse in homine in parte sensitiua, vel in corpore coniuncto actui animæ sensitiuæ: vel potest esse primum disconueniens, quod est tristitia, quæ est ex parte intellectiua, quæ propriè, & primò est pœna; de qua dicit Augustinus de Ciuit. lib. 14. cap. 15. Quòd *tristitia est dissensio animi ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt.*

Definitio tristitiæ ex August.

12 Supposito ergo de pœnis exterioribus tanquam de manifestis, quomodo possunt esse voluntariæ quocumque istorum quatuor modorum *voluntarij,* de pœna ista prima, scilicet tristitia speciali, videamus. Patet, quòd ipsa potest esse voluntaria, primo modo scilicet secundùm *quid*, id est, patienter tolerata: quia malum incommodum, dum tamen non sit contra rectam rationem, potest non tantùm absolutè patienter, sed ordinatè patienter sustineri. Potest etiam istud acceptari in ordine ad aliquem finem, vt dicit Augustinus lib. de Pœnitentia: *Peccator de peccatò doleat, & de dolore gaudeat.*

Patiẽter tolerare, scilicet negatiuè, sed acceptare, dicit positiuũ.

Quæ causent tristitiam.

Sed tertium, scilicet quomodo voluntas causat dolorem, vel tristitiam voluntariè, vt causa partialis, est difficilius. Ad quod dico, quòd tristitia in aliqua voluntate causari naturaliter non potest, nisi à duabus causis concurrentibus, scilicet ex actuali nolitione alicuius existentiæ, & actuali apprehensione illius existentiæ, iuxta descriptionem tristitiæ præmissam ab Augustino: quicquid ergo est causa nolitionis, est causa partialis ipsius tristitiæ, licèt non intendat per nolitionem, causare tristitiam, nec oportet intendere. Istæ autem duæ causæ quandocumque concurrunt, quantùm est ex se, causant tristitiam, sicut effectum naturaliter consequentem.

13 Ex isto tertio declaratur quartum, quia ex quo tristitia sequitur, vt effectus naturalis nolitionem actualem alicuius, & considerationem actualem illius noliti, licèt istæ duæ causæ multipliciter possint concurrere, quia ex tot causis, ex quot potest esse talis consideratio actualis in intellectu, & talis actualis nolitio in voluntate: tamen nihil vnum potest esse causa tristitiæ, loquendo de naturali causatione, nisi possit esse causa concursus istorum duorum, quæ sunt causæ proximæ naturaliter necessariæ; huiusmodi autem causa communis potest esse voluntas, vt imperans actum considerationis, & actum nolitionis eiusdem obiecti: & hoc in ordine ad illum finem intentum, vt sequatur tristitia puniens: ergo voluntas præcipiens intellectui considerare aliquid vt actu existens, & voluntati nolle illud vt actu existens, causat tristitiam, tanquam vna causa etiam intendens istum effectum, & hoc non vt proxima, quia non potest esse vna causa sufficiens proxima, sed causat tristitiam, vt vna causa remota, quia causa est proximarum causarum respectu tristitiæ, & applicationis earum.

Voluntatem esse causam totalem remotam tristitiæ.

Sic ergo patet quomodo prima pœna, scilicet tristitia, potest esse summè voluntaria, & est à voluntate causata: non tantùm sicut à causa partiali, sicut vniuersaliter causatur à voluntate volente illud quod euenit, sed sicut à causa totali, remota tamen, applicante scilicet causas partiales proximas huius effectus, & hoc in ordine ad talem effectum causandum.

Pœna quomodo volũtaria, & inuoluntaria.

Tunc ad argumentum illud: Omnis pœna est inuoluntaria: verum est secundùm se comparando ad voluntatem sequentem affectionem commodi: tamen potest esse voluntaria voluntate antecedente, scilicet voluntariâ applicatione causarum, ad quas sequitur. Potest etiam esse voluntaria voluntate iusta acceptante, & hoc voluntate sequente affectionem iustitiæ: quia sic acceptat quicquid habet ordinem ad per se volendum iustè: ista autem tristitia potest esse ad aliquid per se iustè volendum.

COMMENTARIVS.

42

Tertius articulus. De pœnitẽtia virtute, & eius actibus. Debet esse voluntaria.

c DE *tertio articulo,* &c. Diuiditur hic articulus in duas partes principales; quarum prima agit de pœnitentia, quà est voluntaria. Secunda de eius actibus, & nomine. Primò, docet pœnitentiam debere esse voluntariam, & sumit pœnitentiam pro ipsa pœna. Hanc differentiam conuenire punitioni pœnitentiali, quà est satisfactio acceptata à Deo pro peccato, & quà distinguitur à pœna, seu punitione damnatorum inuoluntaria, & quæcumque alia, quam quis

Hæc est prima, & magis nota differentia. quis inuitus patitur, docet esse primam,& magis notam,per ordinem scilicet ad peccatorem,& ad satisfactionem acceptatam à Deo.Nam aliæ differentiæ intensionis,& extensionis non sunt primæ,neque potiores:quia in his excedit pœna inuoluntaria damnatorum : quæ tamen non acceptatur à Deo,neque delet peccatum. Et sic etiam aliæ pœnæ grauioris inflictæ propter peccatum excedunt punitionem pœnitentialem(vt patet in Antiocho,Herode, & aliis tam intensiuè, quàm extensiuè.

Probatio huius differentiæ. Patet autem hæc differentia,quia in omni opere satisfactorio , aut meritorio supponitur pro fundamento bonitatis libertas , sine qua nequit esse bonum,aut satisfactorium : vt ergo pœna sit satisfactoria offensæ & iniuriæ , eiúsque deletiua,necessariò requiritur libertas ad ipsam , vt sit bona,& consequenter satisfactoria , seu deletiua peccati ; quia necessariò includit conuersionem perfectam peccatoris ad Deum , & auersionem à malo, vt patet ex citatis in articulo secundo , & *Trident.* ex Tridentino sess.6.cap.5.*Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. libertatis,* inquit, *nostræ admonemur*,.& patet deinceps *ead.sess.can.3.4.& 5.*quod longiori probatione non indiget: quia id peruium est ex Patribus , & Scriptura in hæc materia.

43 *Sed si quæras quomodo aliqua pœna,*&c. Respondet ex oppositione *voluntarij, & inuoluntarij*,dicés hoc esse illud,contra quod simpliciter remurmurat voluntas. Intelligit *inuolumtarium* positiuè, & contra appetitum elicitum voluntatis ; non autem vt est contra appetitum innatum, aut etiam ex habitu,de quo vide ipsum *in 3.d.15.de tristitia Christi*.Sumit etiam *voluntarium* , latius quàm sumitur,& definitur à Philosopho *3.Ethic.cap.1.*& ab ipso Doctore *quodlib.18. responsione ad primum* in 3.acceptione, qua dicit respectum effectus ad causam,& conuenit actui voluntatis interno,vel externo. hîc autem sub *voluntario* comprehendit etiam obiectum volitum ab ipsa voluntate, siue interpretatiuè , siue positiuè, siue antecedenter, siue consequenter.

Voluntarium quid sit? Voluntarium positiuè.

Sumitur latè, vt extenditur ad volitum.

Eius diuisio. Hinc distinguit *voluntarium* primò,in id quod inest voluntate non repugnante, seu non remurmurante,id est,non habente dissensum inclinantem in contrarium , quod est sustinere patienter pœnam : quæ alioquin est contra appetitum innatum,tam voluntatis,quàm appetitus, cui condescendere nata est voluntas ex affectu commodi. Secundò sumit *voluntarium* pro eo , quod est voluntatem acceptare pœnam : quæ acceptatio superaddit priori actum positiuum complacentiæ. *Voluntarium* vtroque modo sumptum dicit obiectum volitum permissiuè,aut positiuè. Tertio modo sumitur *voluntarium* in pœna,quatenus causatur à voluntate , vt causâ proximâ partiali. Quarto modo vt causatur à voluntate tanquam à causa totali remota imperante , & applicante causas proximas eius,quæ sunt (vt dicit) apprehensio obiecti disconuenientis,seu noliti,& præsentis,quod obiectum sit disconueniens per nolitionem ipsam,quà est appetitus elicitus voluntatis in contrarium. *Voluntarium* vtroque hoc modo dictum est voluntarium propriè dictum, & per modum effectus;duobus primis modis est volitum obiectum,seu pœna , vt habet rationem obiecti voluntarij.

Prima acceptio. *Secunda acceptio.* *Tertia acceptio.* *Quarta acceptio.*

44 *Ordo horum ad inuicem.* Horum ordinem , quà posterius superaddit vnum gradum voluntarij,alteri priori , egregiè declarat in litera,tam in pœna corporali,quæ est secundùm sensum,& dicitur dolor, quàm in spirituali,quæ est tristitia,& pœna propriè dicta,vt spectat ad scopum huius materiæ , quam definit ex Augustino in litera:dicitur autem *dissensio animi* , id est,repugnantia voluntatis per appetitum, elicitum, & fugam obiecti per nolitionem eius, *ab iis rebus,quæ nobis nolentibus acciderunt*,&c.denotant causam illius dissensionis. Dissensio animi sumitur non pro volitione,sed pro ipsa passione, quæ ab Augustino distinguitur in eodem capite, in consensionem, & dissensionem , vt respiciunt affectus animi, secundùm quos patitur , vt coniungitur obiecto volito , vel nolito, in quo per delectationem,& gaudium quiescit, aut per motum,aut tristitiam tanquam à repugnanti , & disconuenienti offenditur: quæ offensio dicitur dissensio , sicut & quies per oppositum consensio: mutatis vocabulis ab actibus , à quibus proximè causantur, qui sunt consensus,& dissensus.

Distinctio doloris, & tristitiæ. *Definitio tristitiæ. Explicatur.* *Dicitur dissẽsio à causa.*

Duobus modis est voluntaria. Hæc autem tristitia, seu pœna , potest esse voluntaria primo modo:quia ordinatè tolerata,est voluntaria secundo modo , quia etiam acceptata positiuè per consensum voluntatis : quia,vt Author libri de vera & falsa pœnitentia , cap.13. *Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat* , &c. pro hac sententia citat August.ex errore vulgari, qui est etiam Magistri in litera.

Lib. de vera & falsa pœnitentia.

Sed tertium,scilicet voluntas,&c. docet tristitiam etiam esse voluntariam per modum effectus duobus modis *suprà* declaratis,& modum,quo causatur ipsa tristitia,vt patet ex litera & iam tactum est *suprà*.Hîc de se offert controuersia de hac tristitia,quia aliqui dicunt esse vitalem actum , sed necessarium. Pro qua sententia facit D.Thomas 1.*p.q.*64.*art.*3.*in corpore,& ad tertium.* & 1.2.*q.*31.*art.*1.& 4.*in corpore,& q.*22.*art.*3.*in corpore, & aliis locis.* Caiet. Conrad. Medina *in præfatis locis.* Capreolus *in* 1. *d.*1.*q.*1. *art.*2.*concl.*2. Vasquez 1.2. *disp.*14.*cap.*2.& alij. 45

Causa tristitiæ. *Controuersia an sit actus elicitus Sent. affirmatiua.*

Sententia negatiua. Contrarium docet hîc Doctor in litera, & vniuersim docet de passionibus animi, vt de delectatione *in primo d.*1.*q.*3.*d.*17.*q.*1.*ad* 4. *in* 3.*d.*15. *in* 4.*infrà d.*49.*q.*4.*&* 7.quem sequuntur Mayron, & Bassolis,& reliqui nostræ scholę ibidem. Cum Nominalibus tenet Audefacis *lib. de patria* ,*q.*3. Henr.*quæst.*41.*q.*8.*&* 9.*quæst.*12.*q.*9.*quæst.*6.*q.*32. Richardus *in primo d.*1.*art.*2.*q.*1. Nemetius *cap.*41. & plurimum fauet D. Thomas 1.2.*q.*31.*art.*1. *ad* 1.vbi asserit hanc:*delectatio est operatio*,non esse per essentiam,sed per causam.& *q.*32.*art.*1. delectationem sequi ad operationem *q.*33.*art.*4.operationem perfici per delectationem. Quam sententiam sequitur etiam *infrà d.*49.*q.*1.*art.*4. Hæc controuersia non est huius loci,quia omnes concedunt tristitiam, & delectationem fieri necessariò , à quacumque fuit causa , neque spectare ad materiam virtutis,aut vitij, nisi vt participat libertatem:ex suppositione actus alicuius per qué fiat volita,aut voluntaria:hîc autem ex scopo dubij , quod *suprà* , & hîc mouet Doctor, præcisè quæritur , quomodo possit hæc tristitia esse voluntaria ? & declarat hos quatuor modos eius,& respondet ad rationem dubitandi motam in contrarium. *Omnis pœna est inuoluntaria*,&c. quod verum est,quantùm est ex se,& secundùm affectum commodi consequentem : potest tamen esse voluntaria secundùm affectum iustitiæ , & per voluntatem antecedentem. Duobus primis modis est voluntaria per voluntatem consequentem,& acceptantem.

Remissio controuersiæ in proprium locum. *Scopus præsẽtis dubij.* *Quomodo inuoluntaria tristitia , aut voluntaria?*

acceptantem. Duobus aliis, nempè 3. & 4. modo est voluntaria voluntate antecedente, & causante ipsam, vel proximè, & partialiter, vel remotè & totaliter.

46 *Dubium de causis eius.* Superest aliud dubium circa illud quod dicit, quòd tristitia in voluntate nequeat naturaliter causari, nisi per nolitionem alicuius existentis, & apprehensionem eius præsentis tanquam per causas concurrentes. Deinde has esse causas proximas eius, quantùm ad primum non videtur vniuersaliter subsistere: quia sicut appetitus sensitiuus habet obiectum sibi conueniens, aut disconueniens secluso actu elicito, & hoc ex natura rei: ita etiam voluntas habet aliquod obiectum, verbi gratiâ, beatitudinem sibi conuenientem ex appetitu innato: ergo perinde ex apprehensione huius obiecti præsentis sequetur delectatio in voluntate, & ex apprehensione pœnæ oppositæ tristitia, secluso aliquo actu elicito priore; & consequenter non requiritur semper in voluntate nolitio antecedens obiecti ad hunc effectum.

Prima ratio dubitandi ex appetitu innato.

Secunda ratio dubitandi ex aliàs asserus. Contra secundum est, quòd *in 3. d. 15. art. 1.* §. Vlteriùs *de tristitia*, &c. dicit passionem hanc causari ab obiecto nolito, vt apprehenditur præsens: *Tali*, inquit, *conuenientiâ positâ, puta per* velle *obiecti, & disconuenientia per* nolle; & ita relationibus conuenientis, & disconuenientis concomitantibus relationes voliti & noliti, sequitur approximatio huius obiecti, scilicet apprehensio circa volitum, vel nolitum: & ex hoc vltimo videtur sequi in voluntate passio ab ipso obiecto sic præsente: scilicet gaudium, vel tristitia, &c.

47 *Solutio, & recôciliatio dictorum.* Respondetur Doctorem hìc agere de tristitia, vt plerumque accidit in voluntate, & iuxta definitionem præmissam Augustini, & prout est magis nota, & circa obiectum indifferens, quod redditur voluntati disconueniens mediante eius nolitione, vnde *in 3. d. 15.* admittit 1. §. *Præter istum modum tristandi*, &c. etiam tristitiam in voluntate ex sola repugnantia appetitus innati responsione ad primum dubium, vt quando obiectum est disconueniens simpliciter voluntati, vt priuatio Beatitudinis: vel etiam appetitui sensitiuo primo, & voluntati ex colligantia ad appetitum, vt ibidem determinat. Ex quo patet ad primum: nempè hìc agere Doctorem de tristitia, vt est nobis manifestior, & plerumque in via contingit circa obiecta indifferentia secundùm specificationem. Si dicas peccatum non esse indifferens. Respondetur esse indifferens ratione operis substrati, & etiam ex adiuncto, qua delendum est per pœnitentiam fructuosam, quæ repugnat appetitui commodi.

Ad secundum pariter respondetur admittendo causam physicam vt distinguitur ab omni conditione posita & requisita ex parte subiecti esse obiectum disconueniens in apprehensione; & sic intelligẽdus est in tertio loco citato. Cum hoc stat quòd nolitio etiam concurrat aliquo modo in genere causæ efficientis, inquantum est dispositio subiecti, seu voluntatis in quâ causatur tristitia: vnde suprà d. 1. q. 5. §. *Ad primam ergo quæstionem*, &c. asserit quòd omnis dispositio necessitans ad formam, quæ non est ratio receptiui, sit quodammodo actiua, vt ibidem probat de merito, de motu, de dispositione necessitante ad formam substantialem: talis autem est nolitio obiecti, quia posita ipsa, & apprehensione eiusdem existentis necessitat ad tristitiam quantùm est ex parte sua; & hoc modo in hac quæstione docet nolitionem obiecti concurrere vt causam partialem respectu tristitiæ: hæc magis per se probantur infrà d. 49. Videat lector quæ ibi dicenda sunt: ad expositionem literæ sufficiant dicta. 48 *Soluitur secunda ratio.* *Qua ratione nolitio se habet ad tristitiam vt causa.*

Addam tantùm in cõfirmationem primi membri solutionis vnam rationem ex Tridentino. Timor est species quædam tristitiæ proueniens ex fuga obiecti, & in hoc differt à tristitia, quæ est pœna, quòd vna respiciat positionem futuram obiecti, altera positionem eius de præsenti: sed timor causatur in voluntate quandoque non præsupposito aliquo actu nolitionis obiecti elicitæ, sed ex sola naturali disconuenientia eius: ergo causatur per solam apprehensionem. Minor probatur ex Trident. *sess. 6. cap. 6.* timor diuinæ iustitiæ incussus peccatori est prima motio voluntatis eius, & supponit tantùm actum fidei, quâ repræsentatur dicta iustitia, & pœna debita, & destinata peccato ex dicta ordinatione. *Dum peccatores*, inquit, *se esse intelligentes à diuinæ iustitiæ timore concutiuntur*, &c. *in spem eriguntur*, &c. ergo supponitur ad spem, dilectionem Dei, & odium peccati consequens, vt suo ordine declarat ibi Concilium, & *sess. 14. cap. 4.* ex metu gehennæ docet aliquando concipi attritionem fructuosam: dato ergo quòd passiones non sint actus eliciti, vt docet Doctor cum aliis citatis, sequitur aliquando causari secluso actu elicito voluntatis: vnde idem Tridentin. *sess. 6. can. 3.* vbi exprimit actus elicitos peccatoris, & necessitatem gratiæ, non facit mentionem timoris inter illos, comprehendendo duntaxat actus fidei, spei, dilectionis, & pœnitentiæ: sed de hac difficultate aliàs agetur: quia longiorem discussionem exigit. 49 *Timor species tristitiæ.* *Causatur ex apprehensione obiecti. Trident.*

SCHOLIVM.

Sumit pœnitentiam quatuor modis. Primò, pro actu voluntatis coniungente duas causas tristitiæ. Secundò, pro nolitione, & apprehensione mali, quæ sunt causæ proximæ tristitiæ. Tertiò, pro voluntaria acceptatione tristitiæ iam causatæ. Quartò, pro acceptatione eiusdem cum patientia, & gaudio. Docet pœnitere *esse pœnam tenere; & ponit alia quatuor per modum termini correspondentia prædictis quatuor causis, sed in his propriè ponit rationem pœnitentiæ; & sic quadrupliciter eam definit. Ait etiam pœnitentiam non esse ad hæc quatuor vniuocam, quia tertio & quarto modo non est tentio pœna causalis, sed obiectiua, & intentionalis, & sic pœna, vt terminat hos duos modos, est ens rationis: vt verò alios duos, ens reale.*

14 Pœnitere, *seu* pœni- De [d] secunda conclusione huius articuli, scilicet de vocabulo *pœnitentiæ*, dico quòd sicut in punitione ista voluntaria conuenit multa considerare: primò quidem velle punire,

punire, quod est *velle* imperatiuum, seu efficax coniungens causas proximas ipsius punitionis passiuæ: & secundò, nolle peccasse, vel displicere, quod est causa partialis proxima pœnæ, licèt non intendat pœnam illam: & tertiò, velle acceptare punitionem illam passiuam iam inflictam: quartò, patienter ferre punitionem. Et hæc quatuor sic breuiter explicantur: Vindicare commissum: Detestari commissum: Acceptare pœnam inflictam: Patienter ferre pœnam inflictam.

tentia, quid significet, & quot modis sumatur?

His quatuor correspondent alia quatuor ex parte termini volitionis, in quibus est idem materiale, scilicet *puniri*. Formalia autem quatuor superaddita, scilicet *volitum* à voluntate causante, à voluntate detestante, à voluntate acceptante, & à voluntate patienter ferente.

Patet autem, quòd non est per se idem volitio aliqua prædicta, & ipsa punitio passiua: & ita nomen, quod per se significat volitionem, & connotat punitionem, non significabit vniuocè punitionem, connotando volitionem: & per consequens, si aliqua dictio significet per se punitionem volitam, & pœnæ volitionem, hoc erit æquiuocè. Item, si significat istam quadruplicem volitionem, hoc erit æquiuocè. Istis ergo octo posset imponi aliquod idem nomen æquiuocè.

Sed faciendo vim in hoc nomine *pœnitere*, & sequendo auctoritatem, & vsum loquentium de hoc nomine, cùm *pœnitere* sit pœnam tenere, secundùm etymologiam nominis: & tenere pœnam importet actionem respectu pœnæ, non tantùm passionem ipsius, vt inhærentis, propriè videtur significatum huius vocabuli consistere in quatuor primis: & sic fit quadruplex definitiò, vel descriptio eius, quod est *pœnitere*. 15

Pœnitere est pœnã tenere, secundum Aug. de vera & falsa pœnit. c. vlt.

Quatuor definitiones pœnitentiæ.

Prima est ista: *Pœnitere est vindicare peccatum à se commissum:* & patet quomodo est ibi *tenere pœnam:* quia applicare sibiipsi pœnam, est tenere eam: & istud potest intelligi, siue applicet, vel infligat pœnam in effectu, vel affectu: quia vindicans non minùs vindicat, etsi quandoque pœna non sequatur, propter defectum alicuius causæ secundæ, dum tamen ipse æquè, & iustè intendat pœnam infligere.

Secunda descriptio est: *Pœnitere est detestari, vel odire peccatum à se commissum*, vel *displicentiam habere de hoc peccato à se commisso:* & patet quomodo est ibi *pœnam tenere*, quia in causa proxima partiali. Et istud potest intelligi de *nolle*, vel *detestari*, vel displicentiam habere de hoc peccato, sub propria ratione, vel in generali simul de quocumque peccato, à se commisso: & iterum de displicentia formali, vel virtuali. Et est displicentia virtualis quicumque actus voluntatis virtualiter includens illam displicentiam, sicut quodammodò causa includit effectum, licèt effectus in se non causetur: sic cùm omnis nolitio oriatur ex aliqua volitione, omnis displicentia, seu nolitio peccati, licèt formaliter non insit, potest virtualiter inesse in aliqua volitione, ad quam nata est consequi talis displicentia.

Quid displicẽtia virtualis peccati, stat in Dei amore.

Tertia descriptio: *Pœnitere est pœnam inflictam pro peccato suo commisso gratanter acceptare*; & patet quomodo hoc est pœnam tenere, sicut obiectum tenere per actum voluntatis: & istud non potest intelligi de *acceptare* formaliter, vel virtualiter: sed aliqua alia acceptatione, in qua ista includitur virtualiter, sicut volitio entis ad finem includitur in volitione finis. 16

Id est, acceptare pœnam inflictã per causas relatas, num. 13.

Quarta descriptio est: *Pœnitere est pœnam sibi pro peccato suo inflictam patienter sufferre:* & patet, quomodo hoc est pœnam tenere, quia non abiicere remurmurando; vnde & communiter dicitur in hoc sensu sustinere, id est, sub actione agentis infligentis se illi conformando tenere. Omnis punitio voluntaria continetur sub aliquo quatuor modorum pœnitentiæ: sed ad deletionem cuiuslibet peccati mortalis actualis post Baptismum commissi, requiritur aliqua punitio voluntaria: ergo ad eius deletionem requiritur pœnitentia dicta aliquo illorum quatuor modorum.

Aliquã pœnitentiã ex his quatuor requiri ad deletionem peccati.

COMMENTARIVS.

50 *Secunda conclusio articuli.*

DE *secunda conclusione huius articuli*, &c. In superiori §. declarauit quatuor modos punitionis, seu pœnæ voluntariæ, seruato ordine, quo proceditur ab imperfectiori ad perfectius, seu à minùs ad magis voluntarium. In hoc §. explicat quatuor actus correspondentes ex parte voluntatis, procedendo ab eo, quod perfectius est, ad minùs perfectum. Hi actus sunt vindicare peccatum commissum, detestari commissum, acceptare punitionem, patienter ferre punitionem. *Pœnitentia* est nomen æquiuocum respectu punitionis, & actus eliciti, sumendo autem *pœnitentiam* iuxta communem vsum loquendi, quod est pœnam tenere, supponit in recto pro actu elicito, & connotat punitionem: pœnitentia enim etymologiâ nominis à pœnæ tenentia dicitur.

Pœnitentiæ quatuor actus eliciti.

Etymon nominis à pœnæ tenentia.

Erasmus, & quibus non sapit, sectatores eius hæretici volunt pœnitentiam non à pœna, sed à ponè, id est, post, dici, quasi *ponè tenere*; quod est

Reyciuntur Nouatores.

est postea sapere, non patiendo, sed resipiscendo à culpa. Author lib. *de vera, & falsa pœnitentia* dicit, ab eo, quod est *pœnam tenere*. Hanc deriuationem sequuntur Scholastici, & magis concordat, quia à pœna dicitur pœnitentia, quæ sine dolore esse nequit, vt vbique patet ex sacris literis, idque proprietas vocabuli significat ex vsu linguæ: vnde Auson. in Epigram.

Sum Dea quæ facti, non factique exigo pœnam,
Nempe vt pœniteat, sic. Methanœa vocor.

Pœnitentia ergo est dolor punientis peccata, quæ dolet commissa; quamuis Nouatores admittant esse dolorem quendam, vocant tamen indolentiam, seu resipiscentiam, & sic vbique vertunt, vbi occurrit in sacris literis pœnitentiæ nomen.

51 *Prima descriptio pœnitentiæ.* Subdit ergo Doctor iuxta præmissam acceptionem pœnitentiæ, quatuor eius descriptiones. Prima est, *Pœnitere est vindicare peccatum commissum in se.* Hæc descriptio quadrat illi, quam tradit Author lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 8. *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse*, &c. & cap. 19. *Pœnitere est pœnam tenere, vt semper puniat se in vlciscendo, quod commisit peccando*, &c. Ille ergo pœnam tenet, qui semper punit quod commisisse dolet, &c. Augustin. in lib. 50. hom. vltima, cap. 9. *Tertia actio est pœnitentia, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet; & de quibus Apostolus: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur: in hac ergo pœnitentia, maiorem quisque in se seueritatem debet exercere, vt à seipso iudicatus, non iudicetur à Domino, sicut idem Apostolus ait: si enim nosmetipsos iudicaremus, à Domino non vtique iudicaremur, ad Galat. 5.* &c. Nyssenus orat. in eos qui duriùs, & acerbiùs alios iudicant. *Quid enim est aliud pœnitentia, nisi dissolutio, & euersio præteritorum, quæ vel in re, vel cogitatione sunt admissa.*

Author lib. de vera & falsa pœnitentia. — Augustin. — Nyssen.

52 *Secunda descriptio pœnitentiæ.* Secunda descriptio: *Pœnitere est detestari, vel odire peccatũ à se commissum*, &c. hæc descriptio est Pœnitentiæ secundo modo sumptæ; hæc acceptio pœnitentiæ est frequens in Sanctis Patribus, & Conciliis, ac etiam Scriptura: & patet ex Trident. sess. 6. cap. 6. & 14. & sess. 14. cap. 1. & 4. vbi definit hunc dolorem, seu contritionem, quòd sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, &c.

Trident.

Tertia descriptio. Tertia descriptio, est, *pœnam inflictam pro peccato suo commisso gratanter acceptare*; hæc patet ex illo Augustini citato suprà: *Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Tridentinum sess. 14. cap. 1. *Tantam*, inquit, *Dei offensam cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur:* quæ vltima verba denotant hanc voluntariam acceptionem pœnæ.

Augustin. Trident.

Quarta descriptio. Quarta: *Pœnitere est pœnam sibi pro peccato suo inflictam patienter sufferre:* vtraque hæc descriptio, & acceptio pœnitentiæ magis propriè extenditur ad acceptationem, & tolerantiam operum pœnalium satisfactionis. De vtraque Tridentin. sess. 14. cap. 9. *Docet denique tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pœnis sponte à nobis, pro vindicando peccato, susceptis* (hîc sumitur pœnitentia quæ describitur tertia acceptione) *aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis: sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, &c. satisfacere valeamus.*

Trident.

53 Concludit tandem Doctor omnem punitionem voluntariam contineri sub aliquo dictorum modorum: ad deletionem autem peccati mortalis post Baptismum commissi requiri punitionem voluntariam: ergo aliquem ex dictis quatuor modis puniendi peccatum. Maior patet; quia nequit punitio esse voluntaria, nisi quà est volita per modum obiecti, vel quà est voluntaria per modum effectus. Nequit etiam esse voluntaria, nisi voluntate antecedente, aut subsequente: requiritur enim vt imputetur voluntati alter horum modorum; & consequenter vt habeat rationem satisfactionis præscriptæ à lege. Si priori modo est volita, vel hoc sustinendo patienter pœnam, per conformitatem voluntatis ad agens, quod infligit pœnam; vel vlteriùs acceptando gratanter ipsam pœnam, & sic habentur duo modi vltimi pœnitentiæ, per voluntatem subsequentem, & conformantem se agenti superiori, & extrinseco. Si autem per modum effectus est volita punitio: vel ergo vt respicit causam remotam, vel proximam, ex parte voluntatis; quia aliud non requiritur ad punitionem voluntariam, & sic habentur duo modi pœnitendi, priores, & voluntas antecedens: ergo nequit dari alius aliquis modus pœnitendi, qui in prædictis non includitur.

Ad deletionem peccati aliqua dictarum requiritur. — *Sufficiẽtia, & numerus dictorum modorum colligitur.*

Minor probatur ex Augustino in libro de continentia, cap. 6. *Nullus debitæ grauioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, & si longè minorem, quam debeat, soluerit pœnam: ita enim impertitur à Deo largitas misericordiæ, vt non relinquatur etiam iustitia disciplina*, &c. Patet etiam ex articulo secundo, & locis ibidem citatis.

Augustin. *Necessitas pœnæ.*

Ex his patet quid dicendum sit ad censuram Suarez *disput.* 3. *sect.* 4. In corollario, seu censura huius opinionis, & diuisionis traditæ à Doctore tam hîc, quàm in quæstione sequenti; dicit enim hanc distinctionem nulla ratione, aut methodo datam esse; nescio quid ipsi sit methodus, aut ratio. Doctor autem methodum scientiæ est secutus, quà diuisio termini æquiuoci supponitur ante definitionem: ex vulgari modo loquendi tam Patrum, quàm Scripturæ, pœnitentia dicitur non solùm actus voluntatis, sed pœna etiam voluntaria per modum satisfactionis præscriptæ pro peccato. Vnde Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. dicit contritionem esse detestationem, & dolorem, &c. quæ duo idem in prædicta sectione sumit pro diuersis actibus, quorum vnus sit liber, alius necessarius; nos autem secundum dicimus esse pœnam, seu tristitiam, & passionem, & non actum elicitum, vt benè Doctor in hac quæstione. Quod etiam breuitatis gratiâ hîc omittimus probandum, & remittendum in suum locum. Et idem Tridentin. etiam *cap.* 1. copulat odium peccati, & pium animi dolorem tanquam diuersa: rectè ergo Doctor docet primùm necessariò punitionem, & pœnam esse voluntarias, deinde quatuor modos, quibus pœna voluntaria esse possit. Deinde quatuor modos reciprocè, quibus voluntas pœnam respiciat, aut respicere possit. Deinde, sumendo argumentum ex etymologia nominis secundùm methodum, docet pro quo supponat pœnitentia in recto secundùm vsum communem vocis: nempe supponere pro actu voluntatis, vt connotat punitionem propter peccatum voluntariam, aut volitam, per ipsum actum: quatuor mox modos eius explicatos describit seorsim suo ordine, & declarat descriptiones singulas. Tandem concludit

54 *Obiectio Suarez.* — *Soluitur, & sustinetur methodus Doctoris.* — Trident. — Idem. — *Ratio ordinis, & methodi optima, & secundùm scientiam.* — *Pro quo supponat pœnitentia in recto.*

cludit intentum: non est ergo quòd reprehendatur methodus.

Doctrina autem eius sustinebitur in quæstione sequenti, quam malè præfatus Author interpretatur, impugnans eam, qua dicit secundum actum pœnitentiæ non esse specialis virtutis, de quo ibidem agetur: quoniam & ipse admittit non esse specialis virtutis; quia dicit esse posse pœnitentiæ, aut charitatis: & hæc impugnatio eius contra Doctorem statuit sententiam, quam impugnat: quia si displicentia peccati valeat ad remissionem eius, siue concipiatur ex motiuo charitatis, siue ex motiuo ipsius pœnitentiæ: ergo non requiritur vt illa displicentia ex motiuo peculiari vnius virtutis tantùm eliciatur.

Retorquetur ratio aduersarij.

55 Circa numerum horum actuum Gabriel sequitur Doctorem, & Vasquez *3. part. q. 75. art. 2. dub. vnico, in fine*; nisi quòd putet non esse necessarium multiplicare tot actus; nam patienter ferre pœnam, est eam velle facere, & postquam facta est, in ipsa delectari, quod est libenter eam acceptare. Cæterùm hunc actum ferendi pœnam patienter, *suprà* probauimus ex Tridentino esse diuersum: quamuis enim in pœna volũtariè assumpta, aut imposita à Sacerdote, possit saluari id, quod dicit Vasquez: tamen in iis pœnis, quas Deus infligit independenter à voluntate, & acceptatione peccatoris, inuenitur quartus ille actus, qui est potiùs sustinentiæ voluntariæ, quàm acceptationis, cùm, vt dixi, velit, nolit peccator, in pœnam peccati infligitur. Talis fuit pœnitentia Mauritij Imperatoris, quem Deus per Phocam inuasorem Imperij castigauit: talis est plurium aliorum, quos Deus ob peccata sua visitat in hac vita, vt sic eruditi purgentur.

Gabriel. Vasquez.

SCHOLIVM.

Explicat qua, & qualis pœnitentia requiratur ad peccati deletionem regulariter; & quomodo amor Dei, & volitio martyrij sine formali pœnitentia quandoque sufficiunt: ita Vega 6. Trident. c. 36. 37. Vide Bellarm. de Bapt. c. 6. & Henriq. lib. 2. c. 34. §. 1. & c. Cùm Marthæ, *de celebr. Miss. ait etiam de potentia absoluta non esse necessariam pœnitentiam ad tollendum peccatum: ita communis. Richard. d. 15. art. 1. q. 7. Gabr. hîc, q. 1. art. 1. 2. Med. C.* de pœn. *tract. 1. q. 7. est contra D. Thom. 3. p. q. 86. art. 2.*

EX his ad solutionem quæstionis arguitur breuiter sic. Ad deletionem culpæ mortalis post Baptismum commissæ requiritur punitio voluntaria, vel voluntas punitionis: sed neutrum istorum potest esse sine pœnitentia: ergo, &c. Prima propositio est probata in secundo articulo, & in principio istius tertij articuli. Secunda patet ex secunda parte istius articuli. 17

Ex ista ratione patere potest quomodo conclusio, in qua stat solutio quæstionis, debeat intelligi, scilicet quòd pœnitentia requiritur ad deletionem peccati, &c. non enim intelligitur, nisi de pœnitentia actuali, id est, actu pœnitendi, qui est pœnæ tenentia (vt ita loquar) actualis: nec de illo actu intelligitur, nisi indistinctè accipiendo ad quodcumque quatuor prædictorum. An autem oportet istum actum esse rectum, seu virtuosum, vel non, & etiam formatum, vel non, de hoc in sequenti quæstione.

Intelligitur etiam conclusio de *requiri* non simpliciter necessariò, cuius oppositum includit contradictionem: quia posset Deus remittere sine omni actu illius, cui remittitur; sed nec de *requiri* necessariò supposito actu hominis, cui remittit: posset enim Deus remittere per aliquem motum feruẽtem dilectionis in Deum absque quocumque quatuor prædictorũ actuum sub propria ratione, vtpote in actu feruoris ad martyrium statim sustinendum, vbi fortè non esset cogitatio de aliquo peccato mortali priùs commisso, nec per consequens aliquod *pœnitere* prædictum: & hoc formaliter, licèt virtualiter in illo motu esset *pœnitere*, iuxta secundam significationem.

Peccatum posse remitti de absoluta potentia, sine vlla pœnitentia.

Et istud probatur, quia nullus excluditur à regno cœlorum, qui facit illud quod simpliciter est necessarium: sed est possibile aliquem vsque ad instans *A*, existentem in peccato mortali ab instanti *A*, necessitati ad toto corde insistendum circa actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso, vtpote statim exposito martyrio arctissimo. Et propter hoc dictum est in conclusione, quod requiritur ad hoc, vt peccatum mortale regulariter deleatur: quia dicitur regulariter fieri, quod fit secundùm regulas determinatas à sapientia diuina: quarum hæc est vna, Quòd peccatum commissum non deleatur sine displicentia de peccato commisso: quæ apparet multùm rationabilis, quia sicut peccatum auertit à fine, & conuertit ad creaturam: ita rationabile est, quòd non deleatur, nisi per motum oppositum auertentem à peccato, siue à creatura, vt circa illam fuit peccatum, & conuertentem ad Deum. Ad hoc autem, quod est displicere de peccato commisso, possunt reduci alia tria membra eius, quod est *punire*. Speciales autem conditiones qualiter actus pœnitendi, vel puniendi requiratur ad peccati deletionem, an vt dispositio præuia, an vt concomitans, patebit in proxima quæstione. 18

Martyriũ posset delere peccatum, sine pœnitentia formali.

Pœnitentia auertit à creatura, & conuertit ad Deum, sicut peccatum è contra.

19 *Ad arg. 1. & 2.* Ad [f] argumenta. Ad primum, patet ex primo articulo. Ad secundum, non probat, nisi de potentia absoluta Dei, & hoc concessum est in secundo articulo principali. Sed si arguas, quòd de potentia ordinata potest remittere sine pœna, sicut & homo iratus. Respondeo, remissio eius non est per mutationem voluntatis eius: quia voluntas eius, & in se, & in actu volendi tam absoluta, quàm inquantùm transit super obiectum permanet vniformis: & per consequens, si in æternitate vult aliquem puniendum esse pro aliquo tempore, vult illum semper puniendum pro illo tempore, nisi aliquid in creatura mutetur: non sic autem de voluntate hominis irati, quæ mutatur quantùm ad actum volendi, & nolendi.

Ad 3. Ad tertium de pœnitentia damnatorum, dico vt priùs dictum est ibi, quia verè non pœnitent: quia nec pœnam tenent, cùm non sit ibi voluntarium, sed remurmuratio. Sed ad hoc, quod dicitur de Iuda: Respondeo, quòd non quicumque actus pœnitendi sufficit ad deletionem peccati, vt patebit ex sequenti quæstione: sed oportet quòd sit actus ordinatus, & maximè ex circunstantia finis, quæ prima est inter circunstantias actus moralis: Iudas autem non pœnituit cum ista circunstantia, id est, ex dilectione Dei.

Pœnitētiam deletiuam peccati oportet esse ex dilectione Dei. Trid. sess. 6. cap. 6.

Ad 4. Ad vltimum patebit aliqualiter ex quæstione sequenti, quis actus pœnitendi, vel puniendi sit dispositio præuia ad deletionem peccati: & quis formaliter requisitus in quo deletur peccatum: & ille secundus est tantum bonum, quantum malum est peccatum; quia malum peccati consistit in auersione à fine: ergo & bonum reductiuum consistit in conuersione ad finem. Ita autem perfectè conuertit in Deum actus conuersionis, sicut auertit actus peccati. Sicut autem non est in secundo actu realiter bonitas intensiuè infinita, ita nec in actu peccati malitia intensiuè infinita: quia non est maior malitia, quàm bonum, quod priuat: non priuat autem bonum ab actu, nisi quod natum esset inesse actui: actui autem, cùm sit quid finitum, non est natum inesse bonum, nisi finitum. Est ergo præcisè infinita, & malitia in peccato, & bonitas in actu opposito, propter infinitatem ipsius obiecti à quo peccatum auertit, & ad quod actus bonus conuertit: & hoc non est nisi infinitas participata, vel magis secundùm *dici* in ipso actu propter infinitatem realem, & simpliciter in ipso obiecto.

Peccatū non esse infinita malitia.

COMMENTARIVS.

56 c EX *his ad solutionem quæstionis arguitur*, &c. Argumentum est, quod proximè explicuimus; & patet ex dictis *artic. 2. & 3.* limitat conclusionem positam, vt intelligatur regulariter, & de potentia ordinaria: quia Deus posset infundere iustitiam, de potentia absoluta, sine omni actu peccatoris, vt patet cap. *Cùm Marthæ*; & præterea, sicut dat gratiam vocationis immerenti, posset etiam dare iustitiam sanctificantem, vt sanctificauit aliquos in vtero. Contra hanc limitationem tenet Sotus *in 4. d. 15. q. 1. & 2.* & plures discipuli D. Thomæ *1. 2. q. 113. art. 2.* ibique videtur ipsius D. Thomæ. Richardus *in 4. d. 1. art. 6. d. 17. q. 1.* Durandus *ibid.* Vasquez *1. 2. disp. 106.* Conclusionem Doctoris sequitur Ocham *in 4. quæst. 8. dub. 1.* Gabriel *in hac dist. q. 1. art. 1. & 2.* Medina *C. de pœnitentia, tractatu 1. q. 7. & 12.* Suarez *3. p. tom. 4. disp. 9. sect. 2. & lib. 7. de gratia, cap. 21. & 23.* Contraria autem sententia non cohæret suis principiis, vt videbimus: in eo ergo versatur, vt sine aliquo actu peccatoris non remitti asserat posse eius peccatum: quia requiritur de eo pœnitentia, aut formalis; aut saltem virtualis in casu, non solùm de potentia ordinaria, sed absoluta.

Sine pœnitentia potest Deus iustificare de potētia absoluta.

Controuersia circa idem.

Sententia negans.

57 Probatur tamen ad hominem: gratia & peccatum opponuntur ex natura rei secundùm aduersarios: ergo infusâ gratiâ tolli potest peccatum: sed infundi potest gratia sine actu peccatoris, vt constat in infantibus: ergo. Secundò, quicumque actus antecedens infusionem gratiæ habet tantùm rationem dispositionis congruæ ex ordinatione diuina: alioquin si ex natura rei requireretur, sequeretur non posse infundi infantibus iustitiam sine tali dispositione: sed quod requiritur ex præcisa ordinatione diuina de potētia absoluta potest tolli: ergo, &c. Tertiò, iustificatio, vt definit Trident. includit de facto remissionem peccati, & infusionem gratiæ, seu renouationem interioris hominis: sed neutrum horum consistit in actu peccatoris, quia remittere peccatum præcisè conuenit Deo, sicut & infundere gratis iustitiam: ergo sine actu peccatoris saluari potest tota ratio iustificationis. Quartò, si esset aliqua connexio actus prioris ad iustitiam, esset in ratione meriti, aut satisfactionis: non meriti obligantis Deum: quia alioquin iustificationem mererentur peccatores, & non fieret illa gratis, contra Trident. c. 8. sess. 6. Non satisfactionis: quia potest Deus non exigere talem satisfactionē, sicut non punit de facto peccata damnatorum; potest etiam remittere satisfactionem omnem peccatori: ergo, &c. Dices ad hæc, quòd voluntas sit per peccatum auersa à Deo, ac proinde donec conuertatur per actum proprium, non esse capacem effectus gratiæ: debet ergo retractare actum priorem, ad hoc vt sit capax effectus gratiæ. Contrà, hoc ipso quòd voluntas cessat ab actu peccandi, non est per actum auersa, hoc est, actualiter: sed tantùm est sub peccato habituali, quod non est ipsi liberum, nisi in antecedente actu, qui præteriit; neque etiā virtualiter auersa: quia non habet aliquem actum necessariò, cum quo peccatum habet connexionē, tanquam cum priore: ergo nihil habet nunc, cuius ratione dicitur auersa, præter solum habituale: sed totum hoc excluditur à gratia habituali: ergo.

Probatio conclusionis ex repugnantia gratiæ ad peccatum

Dispositio ad gratiam ex institutione diuina, nō ex natura rei est.

Iustificatio sine actu peccatoris à Deo potest dari.

Sine merito datur.

Potest Deus remittere satisfactionem, & peccatum sine illa.

Præterea,

58 *Quinta ratio. Nō repugnat diuinæ misericordiæ.* Præterea, remissio peccati hoc modo non repugnat diuinæ misericordiæ, & liberalitati, ex qua sola habetur talis remissio, & gratis ex Tridentini loco proximè citato, etiam sub conditione operis: quia *neque fides*, vt ait, *neque opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur*, &c. & loquitur de iis, quæ antecedunt iustificationem per modum dispositionis, de quibus egit *cap. 7. & 6.* ergo si iustificatio fiat gratis, etiam illa, quæ est de lege cum conditione operis; à fortiori esset gratis, si absque conditione operis fieret. *Non iustitia talis remissio.* Neque derogaret etiam iustitiæ diuinæ consequenter: quia hæc remissio de facto non fit ex motiuo, vel secundùm medium eius, eo modo, sicut retribuuntur merita iustorum: posset ergo stare etiam actus quicumque antecedens peccatoris sine remissione peccati de potentia absoluta: *Iustificatio gratis fit.* ergo & ipsa peccati remissio, sine tali actu, qui neque formaliter ipsi opponitur physicè, neque moraliter per modum satisfactionis, aut meriti propriè dicti, sed præcisè de congruo, & vt subest misericordiæ, & liberalitati diuinæ, quæ gratis iustificat per remissionem peccati: imò etiam de facto attritio stat cum peccato: ergo neque hæc necessitas fundatur in causis intrinsecis, aut extrinsecis, ita vt non subsit potentiæ Dei absolutæ.

59 *Sexta ratio. Ex natura cōtrariorum.* Præterea, pro quocumque tempore vnum contrariorum inest, pro eodem, in sensu diuisiuo, inesse potest aliud: sed peccatum est contrarium gratiæ, etiam ex natura rei, secundùm aduersarios: ergo pro eodem tempore, quo inest, potest inesse gratiæ: alioquin non essent contraria, neque opponerentur circa idem.

Septima ratio. Ex oppositione priuatiua. Præterea, peccatum habituale, & gratia ex seipsis secluso extrinseco opponūtur, secundùm aduersarios: quia habituale est priuatio gratiæ secundùm ipsos, vt visum est *art. 10. quæst. præced.* ergo si subiectum est capax vnius, est capax alterius secluso extrinseco. *Soluuntur. Fundamenta opposita.* Per hoc patet ad primam rationem aduersariorum, quæ in substantia cum dicta responsione cohæret. Secunda ratio est, maculam habitualem esse quid morale, ac proinde non tolli per formam physicam gratiæ, ad quod facile est respondere ex nostris principiis: si tamen argumentum concluderet intentum, probaret idem etiam de actu tertio. Argumētatur Sotus, quia impossibile est Deum remittere peccatum homini, nisi diligendo ipsum: diligere non potest nisi dignum; dignus autem solùm fit per conuersionem eius, qui alioquin est auersus. Respondetur, transeat maior, & negatur minor: quia potest eum iustificare, & consequenter dignum facere dilectione, infundendo habitum gratiæ, sine vllo actu peccatoris positiuo.

60 *Posse etiā iustificari sine formali dolore.* Tangit præterea Doctor aliam limitationem, nempe posse Deum dare iustificationem suppositā solā dilectione Dei super omnia, verbi gratiâ, ad martyrium rapto, sine dolore expresso, & formali de peccato, ad quod tum non aduertit, *Negant alij.* hominem non iustificari sine formali, & expressa pœnitentia, etiam in casu, docet *Canus.* Cano *in relectione de pœnitentia 3. p.* Petrus à Soto *de instit. Sacerd. sect. 4.* Maior *in 4. d. 14. q. 2. conclus. 4. & 5.* *Explicatur casus.* Casus cōmuniter proponitur; si aliquis haberet contritionem virtualem, hoc est, actum charitatis perfectum, verbi gratiâ, quando rapitur ad martyrium oblitus alicuius peccati, quod habet, an talis dilectio sufficienter eum disponeret sine expresso dolore, quem habere nequit sine memoria sui peccati.

Error fuit Lutheri, pœnitentiam veram consistere in noua vita, & cessatione a peccatis, non autem dolorem requiri anteactæ vitæ, qui efficit hominem magis hypocritam. *Error Lutheri.* Ita Castro v. *Pœnitentia.* Vega *lib. 13. in Trident. c. 7.* Roffens. *art. 6. & 7.* Damnatur in specie per Concil. Trident. *sess. 14. cap. 4. & can. 5.* Hic error impugnatur *art. 2.* qui est contra conclusionem huius.

Conclusio Doctoris. Sola dilectio in tali casu, sufficienter disponit ad iustificationem, quem sequitur ibidem Gabriel. Nauar. *in Sum. cap. 1. n. 30.* Ioan. de Medina *C. de pœnitentia q. 2.* Maior *in 4. d. 12. q. 1. concl. 4. & 5.* Vasquez *3. p. q. 86. art. 2. dubio 1.* estque magis communis. 61 *Conclusio. Dilectio in casu iustificat.* Magis supponitur conclusio ex perfectione actus charitatis, quàm probatur: probari tamen potest ex Paulo 1. ad Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: *Probatio.* ergo prodest martyrium, quod intendit Paulus, si charitas adest, ac proinde iustificaret. *Locus à contrarijs.* Secundò, dolor expressus acceptatur, quia est ex motiuo charitatis: ergo actus ipse charitatis à fortiori acceptatur. *Perfectio charitatis.* Dices inde sequi nunquam requiri dolorem expressum. Respondetur falsum assumi: quia repugnat stare perfectam charitatem cum consideratione peccati, quin habeatur dolor de peccato, quà offensa Dei est. Accedit deinde Deum exigere pœnitentiam in pœnam peccati ordinarie, & supposita eius cognitione. Ex hoc patet ad rationem Cani.

Obiicit enim primò necessariam esse pœnitentiam necessitate medij, sicut fidem explicitam Christi: sed sine hac nemo potest saluari: ergo neque peccator adultus sine illa reconciliari. 62 *Obiectio.* Respondet Vasquez diuersam esse rationem: quia, inquit, pœnitentia ex natura rei est medium ad salutem necessarium, fides est tantùm medium ex institutione diuina. *Respōsio Vasquez.* Hæc distinctio magis est ad oppositum: quia quod ex natura rei est medium, habet maiorem connexionem cum fine, quàm medium ex instituto. Sed his omissis respondetur pœnitentiam esse medium ad salutem ordinarium, in casu autem sufficere virtualem, seu dilectionem formalem; huic enim tribuitur remissio peccati in Scriptura sacra, *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Charitas operit multitudinem peccatorem*, 1. Petri 4. quod saltem in casu debet verificari. *Pœnitentia mediū ad salutem regulare. Remissio charitati tribuitur.*

Obiiciunt secundò, martyrium in hæretico, & schismatico non remittit peccatum, nisi priùs fidei aggregetur: ergo idem dicendum de quouis peccato, nisi adsit pœnitentia formalis. 63 *Secunda obiectio.* Respondetur vniformiter, si habeat dilectionem perfectam cum sui peccati obliuione, iustificatur in martyrio; memorans peccatum tenetur de eo dolere, neque veram dilectionem habet sine tali dolore: casus autem in hæretico non contingit practicè, si verè est hæreticus; quia nequit moraliter sui status obliuisci, dato tamen casu haberet pœnitentiam virtualem hæresis, & iustificaretur per martyrium, & profiteretur ipso actu fidem veram: quamuis Ecclesia non approbaret tale martyrium, donec cōstaret de dispositione eius: quia multi ex pertinacia sui erroris sæpè occumbunt. Suppositio autem non subsistit, vt dixi, si est verè hæreti-

cus, id est, pertinax voluntate, & non ignorans inuincibiliter: quia nisi conuertatur, non patitur pro fide vt martyr.

64 *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò: actus dilectionis, vel ideò sufficit sine formali pœnitentia: quia ex natura sua habet repugnantiam ad peccatum per modum formæ, vel quia ex voluntate diuina acceptatur, vt meritum de congruo. Si primum, ergo formaliter iustificat: si secundum, ergo semper disponit sufficienter, & sic non est fingendus casus, cùm illa sit vera, & ordinaria dispositio, quæ ex voluntate diuina talis est. *Solutio. Charitas dispositio cöuertens peccatorem.* Respondetur, esse dispositionem ex diuina voluntate, sicut & pœnitentia, cuius efficacia desumitur ex radice charitatis, quando est perfecta. Sed nunquam est cum consideratione, & memoria peccati, quin adsit etiam pœnitentia in viatore: & in tali casu vterque actus disponit peccatorem.

65 *Tertia difficultas. An sufficiat attritio sola cum martyrio. Casus exeluditur.* Ex his euacuatur controuersia, quæ frequens est apud modernos: vtrùm scilicèt habenti memoriam peccati permanentis, sufficiat attritio sola cum martyrio ad iustificationem. Affirmat Suarez *tom. 3. disp. 24. sect. 3. conclus. 2.* quem sequitur Fauentinus *in hac distinctione.* Respondeo casum non subsistere, quia offerre vitam pro Christo nequit esse sine maxima gratia, & assistentia Dei; & consequenter sine charitate perfectissima in actu secundo: quâ diligit Deum super omnia: quia *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* *Charitas perfecta non coharet cum sola attritione.* Hoc dato, charitas perfecta in eo gradu, nequit consistere sine detestatione perfectissima peccati: quantum enim mouetur in finem voluntas, tantum recedit à peccato, & offensa Dei cognita: ergo non stat voluntas efficax, & perfecta moriendi pro Christo; quin detestetur peccatum perfecto dolore contritionis.

66 *Secunda conclusio. Teneri ad cötritionë æstimatam. Ad confessionem etiam, si adesset confessarius. Charitas cũ contemptu legis non consistit. Sentëtia Doctoris.* Dico secundò, dato casu, eum teneri ex præcepto ad contritionem saltem æstimatam; quia tenetur ad medium ordinarium, quod est vel Sacramentũ, vel contritio cum voto Sacramenti: imò, si adesset copia confitendi, teneretur ad Sacramentum ex præcepto; quia media lege præscripta adhibenda semper sunt, quando fieri potest; neque stat charitas actualis perfecta coniungens fini sine adimpletione legis, vel cum auersione, vel contemptu eius actuali, aut physicè loquendo, aut moraliter. Et hanc esse sententiam Doctoris patet ex litera: quia in eo casu implicat conditionem obliuionis peccati; & suprà d. 4. q. 6. *respons. ad secundum,* dicit Martyrem, si post pœnas maneat viator, teneri ad suscipiendum Baptismum: quod perinde in proposito dici debet si præuideat mortem inferendam per martyrium, & se offert occasio confitendi peccatum; neque contra hoc facit quod Sancti Patres asserunt de prærogatiua martyrij: *Martyriũ non derogat medijs ordinarijs, & necessarijs.* quia martyrium supponit dispositionem requisitam, neque est medium per se ordinatum ad deletionem peccati, neque tollit necessitatem medij quod competit Baptismo, & Pœnitentiæ; licèt ex perfectione actus antecedente legitima dispositione, & bona fide, deleat peccatum: quia est consummatio charitatis in via, vltimò disponens ad cõsummationem eius in patria. *Martyrij efficacia.* Ex hoc autem ipsi magis competit delere peccatum per accidens, quàm per se, tanquam medium ad hoc institutum; quia martyrium adulti supponit per se charitatem perfectam, & fidem per dilectionem operantem, quæ iustificat, ex Apostolo: in adultis proinde ex dispositione præfata supponit consummatio martyrij iustitiam: in aliis, qui non sunt compotes sui, habetur iustificatio, vt *suprà* vidimus de Innocentibus, per gratiam quam recipiunt per martyrium.

Neque hinc nego in adultis martyrium conferre gratiam ex opere operato propriam, sed nego illam esse primam gratiam, aut martyrium ordinari ad dandam primam gratiam per se; sed simpliciter effectus eius est dare gratiam consummatam, seu in termino, cum quo incompatibile est peccatum. Hinc dixi per accidens delere peccatum, aut illud supponere: & per se tantùm dare gratiam in termino, id est, vt est vltima dispositio ad gloriam, & necessitans ad eam ex prærogatiua, & acceptatione ipsi annexa, ex quo etiam habet delere omnem pœnam, quæ impedit gloriam, si alicui fuit obnoxius martyr: si ergo martyrium non determinat statum peccati, sed magis in adultis statum iustitiæ, non est dicendum per se delere peccatum, sed per accidens: eo modo, quo aliàs diximus sacramenta viuorum, vt Eucharistiam antecedente bona fide, delere peccatum. Vide quæ dicta sunt distinctione nona. 67 *Dat gratiam in termino. Delet pœnam. Dare primã gratiam per accidens.*

Dices, effectus martyrij est dare gratiam in termino, id est, vt est dispositio necessitans ad gloriam: ergo habet ex efficacia sua delere peccatum, & pœnam per se, quæ non compatiuntur cum gratia in termino. Respondetur, negando consequentiam: quia ad hunc effectum sufficit, vt deleat per accidens, si insit: nam cùm in adulto supponat fidem, & charitatem actualem perfectã, quâ quis offert vitam pro Christo, & acceptat martyrium, & supponat etiam media ordinaria delendi peccati, vel in re, vel in voto: supponit etiam iustificationem. In aliis vt in infantibus, quamuis non supponat iustitiam, per accidens, delet peccatum dando ipsis iustitiam, quæ incompatibilis est cum peccato: neque requiritur, vt per se deleat peccatum ad hoc vt saluetur efficacia eius ex opere operato (tenendo sic agere ex speciali acceptatione diuina) nam aliàs in adultis peccatoribus non esset medium necessarium pœnitentia, si martyrium ex opere operato per se deleret peccatum: nam ordinatis pluribus mediis, quorum quodlibet seorsim est efficax, & non in virtute alterius nullum est simpliciter necessarium: nam ex ratione sua particulari alterutrum sufficit per se ad effectum, & sic quodlibet seorsim non habet necessitatem medij, vt patet in omnibus, & exemplum esse potest de Circumcisione, & Baptismo, vt erant media concurrentia delendi peccati originalis ante mortem Christi, neutrum erat medium per se necessarium, sed sufficiens, vt *suprà* dictum est. 68

Marytrij ergo effectus est dare gratiam in termino, seu necessitantem ad gloriam: huic per accidens accidit ex statu subiecti habere peccatum, aut pœnam, quæ per ipsam deleatur. Qui voluerit plura videre circa hæc, & varias, & incertas opiniones, legat modernos in materia de Baptismo sanguinis: hæc in præsentiarum sufficiunt, quantùm ad præsens institutum.

69 1 *Ad argumenta. Ad primum*,&c. Notanda est illa differentia, quam statuit inter voluntatem diuinam, & humanam quantùm ad modum operandi de lege ordinariam, & regularem: quia voluntas ordinaria Dei, & lex statuta eius est ab æterno, & nequit mutari, quia nõ est in Deo mutatio, aut vicissitudinis obumbratio; & transit voluntas eadem absoluta, & informis super obiecto secundùm determinatas circumstantias, quibus manentibus, manet etiam voluntas ipsa vniformis, & absoluta respectu obiecti; obiectum autem si mutetur in se, pro alio tempore, iam non comprehenditur sub priori voluntate determinata Dei, quæ alligata est obiecto tantùm, vt subest his circumstantiis, in aliis autem aliter terminatur ad obiectum, quà mutatum est: sic ergo in ipsa voluntate non est vlla mutatio, sed in obiecto.

Voluntas ordinaria Dei, & immutata.

Mutatur tantùm extrinsecè.

Voluntas autem humana, quia non est obiecti aliter, & aliter, nisi per sui mutationem, quà transit de actu in actum diuersum. Ideò in tempore regulariter mutatur, quia nequit obiectum aliter se habere ad hanc voluntatem, nisi ipsa etiam aliter se habeat ad obiectum, quantùm ad oppositas conditiones vtriusque. Ad tertium, & quartum patet ex litera, & magis responsio elucidabitur in quæstione sequenti, &c.

Voluntas intrinsecè mutatur.

Superest tantùm illa difficultas de infinitate peccati, & proportione eius ad actum perfectum conuersionis, seu pœnitentiæ: quæ difficultas aliis in locis sæpiùs tractatur: & infrà suo loco de satisfactione distinctione sequenti quæstione prima: hîc autem in responsione ad vltimum dicit, in ratione boni, & mali, proportionari quantùm ad commensurationem desumptam ex præcisa ratione actus, inquantùm actus est: quia tantùm bonum in conuersione reperitur, quanto priuat actus malus. Conuersio etiam peccatoris perfecta per pœnitentiam ponit satisfactionem lato modo lege præscriptam: quamuis non mereatur simpliciter remissionem peccati ex iustitia, aut iustificationem, sed vt dispositio congrua; vt Doctor in sequenti quæstione docet, & patet ex Tridentino *sess.6.cap.8.* quia iustificatio peccatoris fit sine merito, & gratis diuina misericordia, supposita eius conuersione.

Conuersio commensuratur peccato in ratione actus.

QVÆSTIO II.

Vtrùm actus pœnitendi requisitus ad deletionem peccati mortalis sit actus alicuius virtutis?

Alens.4.*p.q.54.membr.*1.*per* 4.*art.* D.Bonauent.*hic* 1.*part.art.*1.*q.*1.*&* 2. Richard.*art.*1.*quæst.*1.*&* 2. *&* *art.*2.*quæst.*1. D. Thom. *quæst.*1 *art.*1.*&* 3.*part.quæst.*85.*art.*2. Suarez 4.*tom.disp.*3.*per totum*, *&* *disp.*7.*sect.*1.*&* 2

SECVNDÒ quæro, Vtrùm actus pœnitendi requisitus ad deletionem peccati mortalis sit actus alicuius virtutis? Quòd non, quia *passionibus non laudamur*, 2. Ethic. actus autem virtutis laudabilis est, ex eodem 2. *pœnitere* autem est passio quædam, sicut & ipsa punitio, quam includit. 1 *Argum.*1. *Cap.*5.

Item, actus virtutis est voluntarius, quia electiuus, ex 2. Ethic. sed pœnitentia est inuoluntaria, nihil enim est pœnale, nisi quod est contra voluntatem, & tunc vt priùs. *Argum.*2. *Cap.*6.

Item, virtutes fuissent in statu innocentiæ, & remanebunt in patria, quia natura remanebit perfecta, & fuisset tunc perfecta, cuius naturæ sunt illæ virtutes: sed nec in innocentia, nec in patria potest esse pœnitentia, quia nec aliquod malum de quo habeatur punitio voluntaria: ergo, &c. *Argum.*3

Item, si *pœnitere* esset actus virtutis, non esset alterius potentiæ, quàm voluntatis; patet inductiuè: sed non est aliquod *velle*, quia respectu mali: nec *nolle*, nisi hoc quod est nolle peccasse: sed iste non est actus virtutis, quia nec electiuus: nam electio non est respectu impossibilis, præteritum autem non fuisse, est impossibile Deo, ex 6. Ethicor. *Hoc solo priuatur Deus, ingenita facere quæ facta sunt.* *Argum.*4. *Cap.*3.

Item, aut est actus virtutis acquisitæ, aut infusæ: non primo modo, quia acquisita potest manere cum peccato mortali, & actus eius: actus autem pœnitentiæ virtutis, non, quia delet mortale: nec infusæ, patet per inductionem de fide, spe, & charitate, & etiam per probationem communem, quia quælibet virtus infusa, & actus eius habet immediatè Deum pro obiecto: non sic ille actus, sed peccatum: ergo, &c. *Argum.*

Oppositum per Magistrum in litera patet.

SCHOLIVM.

Pœnitere esse actum, seu medium actus virtutis, & pœnitentem esse ministrum Dei ad vindicandum in seipsum, pro peccatis commissis contra Dei legem.

2 IN [a] ista quæstione primò oportet videre, quomodo *punire* possit esse actus virtutis,& hoc secundùm quemlibet istorum quatuor modorum,qui positi sunt *in quæst. præced.art.*3.& cuius virtutis. Secundò,an aliquis istorum actuum requiratur,vt actus virtutis: & ideò indistinctè tractandum est in vtroque articulo de quatuor, quia *ex quæst.præced.*non habetur quin quodcumque istorum sufficiat.

Primus [b] articulus istorum duorum habet conclusiones quatuor,iuxta scilicet quatuor significationes, & rationes pœnitentiæ, priùs tactas de pœnitentia. Iuxta primam significationem, prima conclusio est hæc: [c] *Pœnitere* potest esse actus virtutis medium, quia potest esse actus conformis rectæ rationi. Hoc probatur, quia secundùm rectam rationem quilibet legislator vindicat trangressionem legis: vnde & Philosophus *in fin.* 10. *Ethic.* post doctrinam de vitiis,& virtutibus statim introduxit legem positiuam, tanquam vltricem vitiorum, & præmiatricem virtutum: patet *in fine* 10. *Ethic.* Sed si legislator rectâ ratione vindicat, minister rectâ ratione exequitur: quia vniuersaliter rectitudo in actu subministrationis est ex conformitate eius ad agens, cui subministrat: ergo secundùm rectam rationem potest aliquis, vt minister Legislatoris, vindicare peccatum commissum contra legem: & hoc in illum, in quem est sibi commissum vindicare,quia aliàs non est subministrans. Sed vnicuique commissum est esse ministrum Dei ferentis legem suam ad vindicandum in seipsum pro peccatis, quæ commisit: *pœnitere* autem primo modo dicit sic vindicare in seipsum: *tenere* enim quando non additur datiuus exprimens, cui teneatur, significat, quod sibi ipsi tenenti teneatur.Hoc patet ex communi sermone. Ideò Deus,licèt puniat peccatorem, non dicitur pœnitere: quia non sibi, sed alteri pœnam infligit: sed sibi ipsi infligens dicitur pœnitere, id est, sibi pœnam applicando tenere.

*Conclus.*1. Pœnitere *esse medium actus virtutis.*

Cap.vlt.

Pœnitēs est executor legis Dei de pœnitentia.

3 Quantùm ergo ad hanc conclusionem, non dico quòd *pœnitere* primo modo semper sit actus virtutis, id est, elicitus à virtute: sed virtutis, id est, natus elici à virtute, vel generare virtutem: quia conformis rectæ rationi, & in hoc est bonitas moralis actus humani: accidit tamen quantùm ad per se rationem bonitatis moralis, quòd sit à virtute generata, vel virtutem generans,vt dictum est *lib.*3.*d.*33.*&* 34.

COMMENTARIVS.

1 *Diuisio, & ordo quæstionis.*

a IN *ista quæstione*, &c. Distribuit hanc in duos articulos;quorum primus est,an Pœnitentia,prout extenditur ad quatuor acceptiones eius præmissas *in præcedenti quæstione art.* 3. sit actus virtutis? Secundus articulus, an aliquis istorum requiratur vt actus virtutis?

2 *Articulus primus.* *Continet quatuor conclusiones.*

b *Primus articulus continet quatuor conclusiones*, &c. Agit nempe suo ordine ad scopum quæsiti, de quatuor actibus, seu acceptionibus pœnitentiæ, iuxta ordinem vltimò loco dispositum. Prima acceptio est, quâ est actus efficax puniendi peccatum, seu vindicandi: quod est velle vindicare, & iuxta hanc acceptionem est prima conclusio.

3 *Actus vindicandi peccatum est actus virtutis.*

c *Pœnitere est actus virtutis.*Hanc docet Magister *in hac dist.* & omnes Doctores citati ad titulum quæstionis. Optimè probatur in litera à Doctore: & confirmatur ratione Theologica;actus pœnitentiæ,de qua loquimur,pœnitentiæ, inquam, fructuosæ,est ex gratia, & nequit fieri viribus naturæ, vt patet ex Arausicano *cap.*4. Trident.*sess.*6.*cap.*5.*can.*3.*sess.*14.*cap.*4. quæ veritas vbique sustinetur ab Augustino, & Patribus contra Pelagianos. Sed gratia non confertur, nisi vt tribuat vires libero arbitrio ad bonum iustitiæ, & virtutis, vt patet similiter ex iisdem Conciliis, & anterioribus Tridentin.*sess.*6.*per totum.* Arausi.*cap.*7.8.9.10. ergo actus pœnitentiæ est actus virtutis.

Est ex gratia. Arausican. Trident.

Gratia datur ad iustitiam.

Secunda ratio.

Secundò, pœnitentia præparat, & disponit voluntatem ad iustificationem, ex Tridentino iisdem in locis; non est peccatum, vt definitur contra Nouatores *sess.*6.*can.*7.*&* 8.per eam conuertitur peccator ad Deum, & auertitur à peccato, non necessitate, sed voluntate: ergo est actus virtutis: nam omnis honestas virtutis in eo principaliter versatur, vt creatura rationalis sit subiecta voluntati diuinæ, ipsique conformis in operando: quia est regula obiectiua mediante lege rectificans rationem,vt regulam proximam operandi bonum honestū,ergo,&c.

Disponit ad iustitiam. Trident.

Honestas in conformitate ad regulam.

Tertiò, de pœnitentia est præceptum, vt infrà suo loco dicetur: est ergo laudabilis, quod soli virtuti conuenit,*secundo Ethic.*ordinat peccatum secundùm pœnam lege præscriptam:ergo est actus virtutis. Admonet autem Doctor sub fine huius paragraphi se intelligere actum virtutis, non qui elicitur ab habitu virtutis, quod Philosophi nonnunquam requirunt ad constituendum sapientem, & Iustum: sed intelligit actum, qui natus est elici secundùm inclinationem habitus, & ex quo nata est virtus generari, & meritò, quia nempe ad perfectionem vllam actus non facit, vt procedat ab habitu, cæteris vniformiter se habentibus, neque misericordiæ diuinæ, & fragilitati humanæ congruebat, vt actus tantùm, qui procederet ab habitu, esset dispositio ad remissionem peccati: ideò Deus habet rationem operum, quibus statuit præmium, & pœnam, non habitus, in quo nec meremur, neque demeremur.

4 *Tertia ratio. Ex præcepto.*

Actus bonus est,qui secundùm inclinationem virtutis fit.

SCHOLIVM.

Explicatis quinque, quæ reperiuntur in pœnitente, concludit primò pœnitentiam esse actum virtutis specialis. Secundò, non esse actum virtutis intellectualis. Tertiò, non esse actum virtutis appetitiuæ ordinantis ad se, sed ad alterum, & sic contineri sub iustitia.

SEcunda [d] inquisitio est, cuius virtutis sit ille actus pœnitere secundùm primam significationem huius vocabuli *pœnitere*. Ad cuius declarationem sciẽdum, quòd *pœnitere* requirit præcognitionem distinctam eius, de quo pœnitet secundùm istum intellectum. Vbi dico, quòd ista se habent per ordinem, imperare causarum proximarum partialium tristitiæ coniunctionem: & ipsæ causæ partiales coniunctæ, quæ sunt effectus proximus illius imperij: & vltrà sequitur effectus remotus huius imperij, ipsa scilicet tristitia: postea potest sequi complacentia tristitiæ, quæ est actus voluntatis habens tristitiam pro obiecto: & tandem gaudium de tristitia secundùm illud Augustini, *Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Patet distinctio illorum, primi quidem, scilicet imperij à causis proximis tristitiæ, sicut causæ principalis, & remotæ à causa secundaria, & propinqua. Secundi à tertio, sicut causæ ab effectu, & actionis à passione. Tertij à quarto, sicut obiecti ab actione. Quarti à quinto, sicut obiecti à passione appetitiua de illo obiecto. *In pœnitente 5. reperiri.* *Lib. de pœnitentia.*

Dico ergo, quòd omnium istorum quinque nihil est vindicare per se, nisi primum, scilicet ipsum *velle* imperatiuum. Probatur, quia in vindicante inferiori, & superiori, vel saltem in quocumque vindicante immediatè idem peccatum, sub eadem ratione, & sub eisdem circumstantiis vindicandi, potest esse actus vindicandi eiusdem rationis: sed in vindicante in seipsum, & in alium secundùm rectam rationem hinc, inde, non potest esse aliquid vniforme præter primum istorum: ergo, &c. 4

Hoc posset probari à posteriori, quia illæ actiones pertinentes ad secundum, possunt esse à causis quantumcumque indeterminatis: sed iustè vindicare non. Sed istud non curo, quia declaratio arguendo, statim ex prioribus ostendetur. Sufficiat ergo hîc habere, quòd possibile est inuenire aliquem actum priorem causis proximis tristitiæ, & coniungentem illas causas, sicut declaratum est articulo vltimo quæstionis præcedentis; & per consequens ille actus præcedit tristitiam, ac per hoc complacentiam, & multò magis gaudium de tristitia. Illum primum actum possibilem voco *vindicare*, siue pœnam infligere pro commisso: & per consequens habemus distinctam rationem eius, quod est pœnitere secundùm primam significationem nominis.

Hoc supposito sit hæc conclusio: *Pœnitere* est actus specialis virtutis. Probatur, quia ille actus natus est habere speciale obiectum, & speciales circunstantias ordinatas: obiectum, peccatum vindicabile: circunstantias quæ conueniunt actui vt rectè tendenti in tale obiectum, scilicet finem, modum & huiusmodi. *Conclus. 2. Pœnitẽtiam esse virtutẽ specialem.*

Vlteriùs in speciali sit hæc conclusio: *Pœnitere* non est actus alicuius virtutis intellectualis. Patet statim, quia est actus appetitus, vt appetitus, quia imperare intellectui, vt consideret, & voluntati vt detestetur, vt dictum est in præcedenti solutione: hoc *imperare* non conuenit, nisi appetitui, vel voluntati: neque enim aliqua vis sensitiua potest imperare intellectui & voluntati, & coniungere eos in actibus suis: neque intellectus sibi & voluntati: sed sola voluntas sibi & intellectui, iuxta illud Augustini de Trinit. *Voluntas copulat parentem cum prole.* Hoc quantùm ad intellectum: quantùm ad voluntatem, voluntas imperat sibi. 5 *Conclus. 3. Pœnitẽtiam non esse virtutem intellectualem.* *Lib. 11. c. 3. & lib. 13. c. 27.*

Hæc etiam conclusio iterum patet: quia virtus intellectualis dicit verum esse, vel non verum esse, siue in speculandis, siue in agendis: hæc autem inclinat ad sic agendum, non autem ad dictandum sic esse agendum. Est ergo actus non virtutis intellectualis, sed appetitiuæ.

Sequitur alia conclusio, quòd non est appetitiuæ virtutis ordinantis ad seipsum, cuiusmodi sunt temperantia, & fortitudo: ergo virtutis ordinantis ad alterum, cuiusmodi est iustitia. Hoc argumentum tenet, supponendo illam famosam virtutum appetitiuarum distinctionem, quod ad duo genera omnino reducantur. Antecedens probatur, quia actum istum vindicandi, potest aliquis eodem modo secundùm rationem rectam, exercere in alterum, sicut in seipsum: si etiam exerceat in seipsum, non exercet in se, nisi vt in alterum, quia non exercet in se, nisi inquantùm sibi committitur à legislatore in istum reum vindicare. Sed accidit, quòd iste, cui committitur, *Conclus. 4. Pœnitẽtiam non esse actũ virtutis ad se.*

 vt

vt ministro iudicis, sit iste reus, quia eodem modo exercet secundùm rectam rationem ministri in reum, si esset omnino alius in persona: ergo ista virtus, cuius natus est esse iste actus, continetur sub iustitia, prout in generali dicitur iustitia omnis virtus ordinatiua ad alterum, vel quasi ad alterum: nec obstat, quòd ille in actu isto ordinatur ad seipsum: quia non ad se, nisi vt alterum, vt scilicet minister iudicis in reum contra legem, in quem commissa est sibi auctoritas à iudice.

COMMENTARIVS.

5 *Quartus actus pœnitētia ingenere.* d SEcunda inquisitio est, &c. Hîc recapitulat superiùs dicta quoad acceptionus pœnitentiæ (supponendo cognitionem distinctam eius, de quo quis pœnitet) vt est velle vindicare, displicere de peccato, tristitia sequens, acceptare punitionem, eandem patienter sustinere. Hos actus diuersos esse probat ex diuersitate obiecti, & ordine eorum inter se.

Prima concl. Prima ergo conclusio huius §. est *illos actus esse diuersos.*

Secunda cōcl. Secunda cōclusio, *Vindicare per se solùm cōuenit primo actui*, &c. Intelligitur hæc exclusiua respectiuè tam ad reliquos actus, quàm etiam ad formale motiuum eorum, in hoc sensu, *Sensus conclusionis.* quòd reliqui actus, licèt elici possint etiam ex motiuo formali vindicandi, præter vltimum: tamen possunt etiam haberi ex alio motiuo diuerso: primus autem actus ex solo motiuo vindicandi, seu iustitiæ vindicatiuæ.

Tertia concl. Tertia conclusio, *Pœnitere hoc modo sumptum est actus speci alis virtutis.*

Quarta cōcl. Quarta conclusio, *Non est virtutis intellectualis, sed appetitiua.*

Quinta cōcl. Quinta cōclusio, *Non est appetitiua ordinantis ad seipsum*, &c. ad medium rectæ rationis, quod respicit temperantia, & fortitudo, & species sub his contentæ: *Sed ad medium rei, seu iustitia ordinantis ad alterum.* Singulis conclusionibus suas probationes subiungit Doctor: quæ claræ sunt.

6 Alij variè senserunt in hac materia. Altissio- *Varia sent. de actu pœnitentia.* dorensis *lib.4. sum. tract.6.q.3.* Maior *in 4. d.14. q.2.dub.1.* affirmāt esse generalem virtutem non per prædicationem, vt vocant, sed quatenus cuiuscumque virtutis sit detestari peccatum contra se commissum. Eam sententiam Albertus, D.Bonauentura, Alensis insinuant tanquam aliorum. Can. *in relect. de pœnitentia, prima part, quæst.2.* & Sot. *in 4.d.14.q.2.art.3.* Eam attribuit nostro Doctori. Ioan. de Medina videtur eam probabilem censere *eod. de pœnitentia tract. 1, quæst.1.*

Impugnatio aliorum contra prædictas conclusiones. Contra primam conclusionem Doctoris insurgit Sotus *in hac d.q.2.art.3.* & Suarez *disp.3. sect.4.* Primò, quòd actus illos inutiliter multiplicauerit. Contra secundam vrgent, quòd displicentiam de peccato excluserit à virtute pœnitentiæ, qui est proprius, & principalis actus eius; secundarius verò velle vindicare: hęc *Sent. D.Thomæ, & aliorū.* est opinio D.Thomæ *3.p.q.85. art. 2.* quem sequuntur eius discipuli: & D.Bonauentura *in 4. in hac d.q.3.* asserentes pœnitentiam consistere in ipsa peccati detestatione, odio, & displicentia, seu fuga: velle verò vindicare esse effectum huius displicentiæ, quatenus est voluntas assumendi satisfactionem per opus externum impositum à Sacerdote. Doctor contrà dicit detestationem peccati non esse actum proprium pœnitentiæ, hoc est, ita vt non possit esse alterius virtutis; esse verò effectum actus proprij pœnitentiæ, qui est velle vindicare, & imperantis ex motiuo vindicandi displicentiam, & fugam peccati ex quocumque motiuo ordinato huius, aut illius virtutis elicitur.

His positis quoad explicationem controuersiæ, conclusionem primam suprà probauimus in quæstione præcedenti, articulo 3. & hunc ordinem actuum, & numerum, rectè assignatum esse à Doctore. Vlteriùs probatur distinctio eorum in litera ab ipso Doctore, & bene, ex diuersitate obiectorum, & ordine actuum inter se. Secundò probatur eadem distinctio quoad duos primos actus, in quibus maior est controuersia cum aduersariis, qui putant esse posse vnum, & eundem actum in re. Contrà, velle vindicare peccatum ad ponendum æqualitatem inter Deum offensum, & peccatorem, est actus prosecutionis: detestatio & fuga peccati, seu odium propter offensam Dei, est actus fugæ: ergo non sunt vnus, & idem actus. Patet consequentia, quia fuga, & prosecutio eiusdem etiam obiecti physicè distinguuntur, sicut amor, & odium. Antecedens probatur, imperare pœnam applicatis causis, seu etiam desiderare, non est fuga eius, sed volitio: quia non vult eam abesse, sed adesse: odium autem est actus fugientis à peccato, quo volumus abesse peccatum. 7 *Defenditur prima conclusio.* *Prosecutio, & fuga, amor & odium diuersi actus.*

Secundò, voluntas finis, & medij sunt diuersæ: sed vindicare peccatum est voluntas finis, nempe satisfaciendi iniuriæ per pœnam; detestari verò peccatum est medium, seu ipsa pœna: ergo non sunt vnus, & idem actus. Dices detestari peccatum includere voluntatem vindicandi, nam qui detestatur, vult abesse peccatum efficaciter. Contrà, potest contingere detestatio peccati sine voluntate vindicante: ergo, &c. Probatur antecedens: quia perfecta detestatio peccati potest prouenire ex motiuo charitatis, spei, timoris, virtutis oppositæ ipsi peccato, gratitudinis, Religionis, & sic de reliquis: sed in his non includitur motiuum formale, & expressum pœnitentiæ, quod est iustitiæ, aut ponendi æqualitatem, sicut neque in motiuo charitatis includitur motiuum formale temperantiæ, aut gratitudinis, aut quodcumque aliud in specie, ex quo detestari possit peccatum; ergo non coincidunt. 8 *Secūda ratio. Voluntas finis, & medij diuersa. Euasio.* *Impugnatio.* *Detestatio peccati ex variis motiuis fit.*

Dices includere virtute saltem. Contrà, quia quæritur de voluntate formali, & expressa vindicandi, an coincidat semper cum detestatione peccati. Deinde retorquetur ad oppositum responsio: si tantùm virtute detestatio peccati includit voluntatem vindicandi: ergo posita hac in suo *esse* formali, & expresso, distinguitur tanquam actus diuersus: sicut effectus à causa: nam quod virtute tantùm in alio est, non est ipsum formaliter. Præterea actus perfectæ charitatis Dei includit virtute contritionem peccati, seu detestationem eius. Contritio propositum *Responsio. Impugnatur* *Effectus & causa non coincidunt.*

Contritio est diuersa à charitate imperante.

tum emendationis,& votum Sacramenti. Certum autem est hos actus in suo *esse* formali, & expressò diuersos esse: ergo similiter in proposito.

9 *Contradicentia in assertione.*

Imò quod amplius est,sibi contradicunt,qui affirmant velle vindicare peccatum esse effectum secundarium pœnitentiæ, primarium verò detestari ipsum, vt Suarez: certum enim est *primarium*, & *secundarium* de eodem actu non dici, quæ indicant *prius*, & *posterius*: eiusdem enim ad seipsum nullus est ordo; neque ad aliud, seu ad eandem causam alius, & alius: cùm repugnet aliam, & aliam habere dependentiam in vna, & eadem causalitate: sed hoc clariùs in sequentibus probabitur.

Alij actus præmissi distinguuntur.

De aliis actibus acceptationis,& sufferentiæ pœnæ, conclusio patet: quia pœna acceptari potest ex quocumque motiuo quis detestetur peccatum. Deinde, acceptare pœnam respicit pro obiecto ipsum dolorem: ergo non coincidunt: sufferentia autem est actus patientiæ, vt per se constat; deinde vtraque voluntas supponit pœnam,siue interior sit,siue exterior: quia nihil acceptatur, nisi quod est.

10 *Actus proprius pœnitentiæ.*

Secunda conclusio, *Detestatio, seu odium peccati, seu nolle peccasse, quæ synonyma sunt, non est actus semper proprius elicitus pœnitentiæ; sed velle vindicare peccatum: detestatio verò est actus imperatus supponens voluntatem vindicandi peccati.* Hæc connexa sunt impugnatione & fundamentis, quæ ad vnam conclusionem licèt diuersa reducuntur,ne ad idem sæpiùs recurratur.

Prima probatio. Pœnitētia est specialis virtus.

Probatur conclusio primò: Pœnitentia est specialis virtus: ergo actus eius elicitus ex obiecto talis est, vt nequeat elici ex alia virtute. Totum hoc concedunt aduersarij: sed detestatio peccati potest elici à quacumque virtute, cui peccatum in genere, aut specie repugnat: ergo non est actus proprius pœnitentiæ. Probat subsumptum Doctor, quia eiusdem virtutis est prosequi bonum, & fugere à malo, seu contrarium detestari, & in eo displicere: sed cuius est displicere de aliquo, eiusdem est de eodem dolere, si adsit, & applicetur: ergo cuiuscumque virtutis ex proprio motiuo est dolere, & detestari peccatum.

Eiusdem virtutis est prosequi, & fugere.

11 D.Thom. *Differētia inter dolorem charitatis, & pœnitētiæ per ipsum.*

Totum etiam concedunt aduersarij, & speciatim D. Thomas *art. 2. ad primum*, admittens dolere de peccato, quatenus est, esse charitatis; dolere verò de peccato delendo, quatenus est offensa Dei, est actus specialis pœnitentiæ, qui alteri non conuenit: & sic communiter eius discipuli per eandem distinctionem respondent. Contrà, dolere de peccato, vt præterito, est actus charitatis: ergo etiam dolere de eodem, vt præsente,est charitatis. Probatur consequentia, quod peccatum sit siue præteritum, siue præsens,non determinat motiuum aliquod charitatis, neque variat: quia detestatur peccatum,quà peccatum est ex motiuo diuini amoris, siue autem præteritum, siue præsens, manet idem, & eiusdem malitiæ, & eiusdem offensæ, & quod nunc est offensa, fuit offensa: imò nunc ideò est offensa, quia fuit vera offensa pro eo tempore, quo habuit suum *inesse*: ergo si charitatis est dolere de præterito, eiusdem est dolere de præsenti,& vice versa,de pœnitentia.

Impugnatur. Charitas dolet de peccato, tam præterito, quàm permanente.

Responsio.

Dices, charitatem non respicere peccatum sub ratione offensæ, sicut pœnitentia. Contrà, repugnat charitatem dolere de peccato,nisi sub ratione offensæ:ergo,&c.Probatur antecedens: eatenus dolet charitas de peccato, quatenus est contrarium suo obiecto, id est, vltimo fini, & Deo: sed præcisè est contrarium in ratione offensæ: ergo, &c. Probatur consequentia; eatenus est offensa, quatenus tollit amicitiam, vel quatenus est auersio ab vltimo fine, & conuersio ad creaturam: sed hæc duo specificant motiuum formale charitatis: ergo charitas non aliter fertur in peccatum, nisi vt offensa Dei est.

Impugnatur

Charitas est de peccato vt est offensa.

Quid sit offensa?

12 *Confirmatio ex motiuo doloris de offensa.*

Confirmatur: eius virtutis est detestari peccatum sub formali ratione offensæ diuinæ, seu contrarietatis ad Deum, cuius est operari circa ipsum Deum immediatè, sicut eiusdem est amare Deum,ac reliqua, quatenus in Deum referuntur sub hac formalitate: sed ad charitatem hoc spectat, quæ est virtus Tèologica; non verò ad pœnitentiam, aut aliam virtutem moralem: ergo offensa Dei non specificat motiuum pœnitentiæ, sed solius charitatis.

Responsio. *Impugnatur*

Dices offensam, quatenus includit iniuriam Dei, esse obiectum formale pœnitentiæ. Contrà, eadem ratio currit; vel motiuum formale Deus, quà Deus; vel iniuria, quà iniuria: si primum; ergo charitatis est sic detestari peccatum, ex principio iam posito, quia nullius virtutis est fugere malum, nisi eius, quæ prosequitur bonum: si secundum; ergo motiuum formale est medium, seu æqualitas ponenda per applicationem congruæ satisfactionis,quæ est pœna: huic autem extranea est ratio offensæ; quamuis in eodem materiali communicent: nihil enim aliud respicit,quàm vindicare culpam pœna, siue offensa per hoc remittatur, siue non: punitio etiam sceleris, & offensæ remissio separari possunt, sicut contingit in damnatis, in quibus Deus iustitiæ vindicatiuæ medium conseruat per punitionem, sine remissione culpæ: quod verò ad pœnitentiam peccatoris de facto Deus remittat offensam, gratis contingit,vt definit Tridentinum: quod autem ex gratia, & liberalitate contingit, separari potest in pœnitentia ab eo, quod respicit medium iustitiæ, & debitum punitionis peccati: & licèt simul concurrant de facto, suis rationibus formaliter distinguuntur.

Offensa, & æqualitas ponenda,diuersa sunt motiua.

Punitio, & remissio peccati separari possunt.

Triden:.

13 *Responsio. Impugnatur. Differētia ex motiuis.*

Si dicas esse ex vtroque motiuo. Contrà,ergo hoc habetur, quòd non sit ex motiuo pœnitentiæ inquantùm respicit offensam: quia sic est ex motiuo charitatis. Deinde id repugnat, vt vnus, & idem actus habeat duo formalia motiua,vel obiecta:quod supponere debent aduersarij ex fundamentis, quibus assignant speciale motiuum pœnitentiæ,diuersum à motiuo charitatis: quia virtus distincta est.

Responsio.

Dices ergo quòd sicut detestatio peccati contingit ex motiuo speciali huius, aut illius virtutis, vt supponit argumentum, vt est actus ipsius virtutis elicitus, & proprius, non tantùm ex fine, seu imperatus: ita etiam detestatio peccati ex motiuo particulari pœnitentiæ erit elicitus, & proprius ipsius pœnitentiæ. Contrà: sic etiam elicitus non erit de peccato sub ratione offensæ; quia hoc motiuum est charitatis, & non pœnitentiæ. Præterea, fuga mali est ex motiuo formali boni oppositi: ergo supponit prosecutionem, & affectum boni, & consequenter detestatio hoc modo sumpta sequitur

Impugnatio.

Fuga mali est ex motiuo boni oppositi.

sequitur ad actum prosecutionis pœnitentiæ. Antecedens patet, quia eatenus fugit voluntas aliquid in ratione mali, quia contrarium est bono, quod amat: quod si non amat, nec etiam malum fugit, vt constat, aliàs non fugeret illud ex motiuo formali boni: quòd si supponit actum prosecutionis: ergo prior ille erit proprius actus pœnitentiæ, & primarius: sicut contingit in aliis virtutibus, quarum quælibet primariò consistit in sui obiecti prosecutione, secundariò in fuga mali oppositi.

14 *Responsio. Impugnatur.* Dices pœnitentiam respicere primò malum, quà malum est. Contra hoc currit ratio iam facta, & argumentum principale, quia eius est fugere malum, cuius est prosequi bonum, sicut contrariorũ eadem est disciplina & intellectus, & quælibet virtus affectiua detestatur malum, & prosequitur bonum contrarium sine multiplicatione sui: imò repugnat malum fugere, nisi ex motiuo formali boni: ergo quod nequit prosequi bonum contrarium, nequit etiam detestari malum, quà malum: ex quo sequitur, si detur ratio specialis mali, quam detestatur pœnitentia, dari etiam bonum aliquod, huic contrarium, in quod prosecutione fertur.

Argumentũ ex concessis. Secundò, ad pœnitentiam fructuosam, verbi gratiâ, in Sacramento, non requiritur odium peccati ex motiuo speciali, & determinato secũdùm aduersarios, maximè quia sufficit odium peccati ex motiuo spei, vel timoris, vt ex consideratione pœnæ infernalis, ex turpitudine peccati. & id ipsum definire contendunt Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. de attritione, quam motiuo formali distinguunt à contritione; sed ad pœnitentiam requiritur aliquis actus, qui sit proprius pœnitentiæ: ergo actus proprius eius non consistit in detestatione peccati, vt offensæ. Minor probatur, quia virtus pœnitentiæ subordinatur Sacramento tanquam proptia dispositio; nam licèt actus perfectus charitatis diuinæ extra Sacramentum deleat peccatum, si contingat obliuio pœnitentiæ faciendæ: tamen in Sacramento casus tollitur, in quo haberi possit obliuio.

Trident.

Attritio disponit in Sacramento.

Ex variis motiuis elicitur.

15 *Confirmatio.* Confirmatur, quotquot possunt esse motiua gratiæ excitantis, seu vocationis diuinæ; tot possũnt esse motiua detestandi peccati: quia ipsa excitatio in hoc consistit, vt auertat voluntatem à peccato, & conuertat ad Deum: in quo consistit peccati detestatio, & fuga: sed excitatio diuina est multiplex, & ex diuersis motiuis, sicut & mediis, vt patet ex Prospero *lib. 2. de vocatione Gentium c. 9. & contra collatorem, cap.* 14. argumentum procedit contra eos, qui distinguũt attritionem, & contritionem, neque faciunt differentiam inter motiuum specificans, & excitans: saltem ex differentia contritionis, & attritionis specifica distinguunt formalia motiua: ergo non requiritur detestatio peccati ex eodem formali motiuo: ac proinde actus proprius pœnitentiæ in hoc non consistit: vindicare autem peccatum, seu velle vindicare, semper requiritur, neque trahi potest ad aliud motiuum distinctum à motiuo pœnitentiæ: ergo, &c.

Talis est detestatio, qualis est excitatio per gratiam.

Hæc multiplex est.

Prosper.

Conclusio dictorum. Ex his patet, quòd detestatio peccati cum motiuo suo formali non spectet ad virtutem pœnitentiæ semper, sed ad illam virtutem, ex cuius motiuo elicitur: non posse verò reduci ad pœnitentiam, nisi in ratione effectus, quatenus ab ipsa saltem remotè imperatur, ac proinde ad eum supponi actum imperantem, qui sit proprius pœnitentiæ.

Plura tamen obiiciunt aduersarij. Primò, ex obiecto formali, quia huius virtutis est detestari peccatum sub ratione generali offensæ. Ad hoc autem responsum est argumento primo ad conclusionem, probando id esse charitatis; pœnitentiæ verò est restituere ius per vindicationem peccati. 16 *Prima obiect. soluitur.*

Secunda obiectio. Secundò obiiciunt, vindicare, seu exactio pœnę, non est actus primarius pœnitentiæ: quia detestationem peccati respicit: finis enim pœnitentiæ est tollere culpam. Respondetur negando antecedens, sumendo *pœnam* latè, pro vt extenditur ad interiorem, qui est ipse dolor: & exteriorem, quæ nomine satisfactionis comprehenditur. Ad cuius probationem respondetur, quòd finis intrinsecus pœnitentiæ sit vindicare culpam, quoad actum primarium; quoad secundarium actum, est reconciliari Deo per oblationem culpæ, quâ ipsa subest charitati, quæ respicit offensam per se, & imperatur à charitate: vt est ergo actus imperatus à charitate, tanquam medium reconciliationis, sic respicit offensam, & qua ex lege ipsi est connexa reconciliatio; vt sistit autem in motiuo suo formali, & proprio, quod dicitur intrinsecus eius finis, respicit satisfactionem legis, æqualitatem ponendam per medium punitionis. vtrumque ergo respicit pœnitentia tanquam effectum, sed ordine seruato, qui interuenit inter actum elicitum, & imperatum.

Responsio.

Finis primarius pœnitentiæ, & secundarium.

Tertiò obiicit Suarez malè intellecto Scoto: Detestatio, inquit, peccati potest esse ex motiuis diuersarum virtutum, verbi gratiâ charitatis, ita vt ad singulas pertineat, quando ex earum motiuo elicitur: ergo non est actus alicuius virtutis generalis, aut communis, pro vt asserit Scotus. 17 *Tertia obiectio Suarez.*

Respondetur, ex antecedẽte seipsum destruit: nam si potest esse detestatio ex motiuo charitatis, & aliarum virtutum, malè esse asseritur actum proprium pœnitentiæ, vt est specialis virtus. Ex hoc patet ad consequentiam: nam Scotus non sic intelligit detestationem esse actum communem; quasi per abstractionem à reliquis, seu per extensionem ad reliquarum motiua: sed tantùm quatenus non est specialis virtutis ita proprius, quin haberi possit ab aliis: vocat ergo communem: sic autem fuga, seu detestatio peccati, siue ex hoc, vel illo motiuo fiat, est perfecta fuga, & detestatio eius, quantùm ad finem Sacramenti, ideò autem est communis, quia à singulis virtutibus, ex propriis licèt motiuis, haberi potest. *Responsio.*

Quo sensu detestatio peccati sit communis actus.

Obiiciunt quartò: Sancti Patres, & Concilia, nomine pœnitentiæ exprimunt tantùm dolorem de peccatis, ac detestationem, & in his completur vltima, & perfecta dispositio ad Sacramentum. Ergo hic est actus proprius pœnitentiæ. Probatur ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. definitur *contritio dolor animi, ac detestatio de peccato commisso.* Respondetur, quòd detestatio de peccato includitur tanquam effectus in actus vindicandi, qui non potest stare, si est efficax, sine suo effectu, qui est infligere pœnam; quæ pœna consistit in illo dolore imperato: aliàs certè non ordinaret culpam debita pœna. Sancti autem Patres loquuntur hoc modo de pœnitentia, & secundùm etymologiam nominis quam *suprà* diximus, esse 18 *Quarta obiectio.*

Trident.

Responsio.

Actui vindicandi pœna coniuncta.

Interpretatio, & sensus Patrum.

pœnæ

pœnæ tenentiam; quæ tenentia tunc est, quando infligitur pœna, vel dolor, & secundùm quòd pœnitentia habet suum terminum, seu effectum, quo posito censetur completa in actu secundo iustitia, quæ per vindicationem restituit suum ius Deo.

Ideò ab Augustino, seu Authore lib. de vera & falsa pœnitentia, rectè definitur c. 8. *Pœnitentia est doloris vindicta puniens in se, quod dolet commisisse.* vbi ponitur in recto, quòd sit *vindicta*, *doloris* additur tanquam terminus: vindictæ enim terminus est pœna, quæ in proposito consistit in dolore: de voluntate autem vindicandi in actu primo, seu seorsim considerata ab actuali inflictione pœnæ, intelligi potest Canon Arausicani IV. qui talis est: *Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus per Spiritus sancti infusionem, & operationem in nos fieri confitemur*, &c. Voluntas purgandi se à peccato est voluntas puniendi in se peccatum, qui est actus proprius pœnitentiæ. Cæterùm sancti Patres, vt dixi, loquuntur frequentiùs de pœnitentia, vt est efficax ad delendum peccatum, ac proinde vt actu vindicat: quia sic est pœnitẽtia.

Arausican.

19 Obiicies quintò, Trident. sess. 6. cap. 6. assignans modum præparationis, & conuersionis, non facit mentionem vllam de vindicatione peccati, ponit autẽ quinto loco detestationem. Respondetur Concilium supponere regulas generales, quando dicit: *Mouentur aduersùs peccata, per odium aliquod, & detestationem, hoc est*, inquit, *per pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*, &c. Pœnitẽtia autem quæ ante Baptismum agi oportet, est vindicatiua, & hoc cõcedunt ipsi aduersarij, si supponunt detestationem esse actum pœnitentiæ specialis virtutis, ex proprio motiuo eius. Vnde retorqueo argumentum, detestatio, de qua loquitur Conciliũ, est ex motiuo charitatis, vt patet ex verbis antecedentibus. *Illúmque* (id est, Deum) *tanquam omnis iustitia fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersùs peccata per odium aliquod, & detestationem*, &c. Propterea denotat motiuum, & causam odij esse dilectionem Dei: ergo illa detestatio, de qua Conc. non est actus elicitus pœnitentiæ: sed charitatis, & consequenter erit tantùm imperatus, seu effectus eius, quod est intentum nostrum: neque dubium est talem detestationem sufficere, quæ concepta est de peccato ex motiuo charitatis: ergo præter eam requiritur aliquis actus iustitiæ vindicatiuæ, proprius, qui sit pœnitentiæ, quamuis simpliciter sufficiat contritio perfecta ad deletionem peccati ex motiuo charitatis: non puto tamen eam contingere sine eo quod adsit antea voluntas vindicatiua peccati.

Quinta obiectio. *Responsio.* Trident.

Comprehẽdit pœnitentiam. vt vindicatiua est.

Efficacia contritionis.

Ex dictis manet probata 1. 2. 3. & 4. conclusio: de quarta non est controuersia pœnitentiam esse virtutem appetitiuam, vt omnes supponunt: alia verò illa controuersia, an imperium sit in intellectu, vel voluntate, quantùm ad potestatem imperandi, est alterius loci.

Pœnitentia est virtus appetitiua.

SCHOLIVM.

Pœnitentiam non esse actum amicitiæ, quia licèt per eam reconcilietur quis Deo, tamen vindicatio pœnitentiæ, de per se tantùm respicit æqualitatem pœnæ ad culpam, & vt seruetur lex punitiua Dei.

VLterior [c] inquisitio est; sub iustitia continetur amicitia, loquendo de iustitia in communi, quia amicitia est virtus ad alterum 8. & 9. *Ethic.* Nunquid igitur actus iste pœnitendi, vel puniendi est actus amicitiæ? Videtur quòd sic, quia amicitia est actus reconciliandi amico: talis est iste. 6

Cap. 1. Cap. 5. *Quid amicitia?*

Item, amicitiæ est corrigere amicum, vt sit dignus amari, illo quod repugnat honestæ amicitiæ excluso: istud vindicare est corrigere amicum, vt fiat dignè amabilis: ergo, &c. Probatio minoris, quia si tantùm punitur, vt vindicetur, vel vt vindicans satietur, crudelitas est: ergo non est secundùm rectam rationem vindicta, nisi vt ille, in quem vindicatur, corrigatur; sed hæc est amicitia: ergo, &c.

Confirmatur per Philosophum 2. *Rhet.* c. 12. vbi vult, quòd differt correctio à punitione strictè accepta, in hoc, quòd correctio fit correcti gratiâ, vt scilicet emendetur: punitio autem fit punientis gratiâ, vt satietur. Secundum videtur esse omnino crudelitas, & hoc tam in ministro, quàm in iudice: quia propter eundem finem debet minister exequi, propter quem fert iudex sententiam; quia finis eius debet esse finis mouentis ipsum, & per consequens, quod est crudelitatis in vno, & in alio.

Correctio, & punitio quomodo differant.

Respondeo, *vindicare* etiam, quando est actus ordinatus, non est actus amicitiæ ad illum, in quem vindicatur: quia vindicta propriè respicit correspondentiam pœnæ ad culpam secundùm legem, licèt non concomitetur correctio ipsius puniti. Vnde, & quandoque iusta vindicta fit exterminando reum: & patet, quòd non corrigendo: nec tamen crudelitatis est, vt procedit secunda obiectio, quia finis istius proximus est conseruatio legis, & vlterior finis ille, qui est finis legis. Finis autem legis positæ ab homine legem ferente non est ipse legislator, vel bonum eius: sed bonum commune: propter illum ergo finem est lex, & obseruatio eius: & ita rationabilior est vindicta, inquantùm est ad istum finem, quàm si esset ad bonum priuatum personæ punitæ. 7

Finis legis humanæ, bonum cõmune non legislatoris, sed legis diuinæ finis est Deus.

In proposito autem posset dici similiter, quòd lex diuina est propter bonum commune hominum, quibus data est: & punitio cuiuscumque contra legem peccantis: &

& hoc secundum est propter obseruationem legis, & vlteriùs propter bonum commune illorum, quibus data est lex, tandem verò propter ipsum legislatorem: & hoc ideò hîc, non autem in lege posita ab homine: quia hîc bonum legislatoris est simpliciter melius bono communitatis, non autem ibi. Actus autem amicitiæ, qui imperaret aliquam punitionem amati, vt amati, non imperaret illam, nisi præcisè propter correctionem amati: & licèt illa esset via corrigendi, tamen si alia esset via faciliùs corrigendi, amicitia, vt amicitia, magis imperaret illam aliam viam.

8 Per hoc patet ad instantiam primam, quia si per pœnitentiam reconciliatur quis Deo: tamen Deus non vindicat principaliter de illo, vt reconciliet ipsum sibi, vocando reconciliationem reductionem in amicitiam pristinam: sed vt reconciliatus immunis à pœna debita habeatur, soluta iam pœna illa quam vindicans requirit solui per se propter correspondentiam præmissam ad culpam secundùm legem.

Reconciliatio, & correctio per accidens sequuntur ex vindicatione.

Consimiliter ad secundam, dico enim quòd *vindicare* non est principaliter propter correctionem puniti, licèt quandoque illa correctio sequatur: sed est per se, vt ordinetur culpa per pœnam: & vt obseruetur lex punitiua, in quem transgressum est. Et cùm dicitur hoc esse crudelitatis; patet quòd non: quia vlterior finis est bonum commune: sed crudele esset, si staret in fine alio, quàm communi, vel quàm in fine vltimo.

Pœnitentia secundùm quid est distributiua, quia à superiore, propriè tamen cōmutatiua. Scot. inf. d. 46. q. 1. §. hic primo.

Ad confirmationem de primo Rhetor. dico, quòd corrigens corrigit gratia correcti: sed vindicans non gratiâ correcti per se, nec gratiâ sui ipsius: sed gratia legis, & vlteriùs gratiâ boni communis; & tunc gratia sui, si est ipse finis legis, vt est in proposito.

Est ergo iste actus iustitiæ punitiuæ, quæ distinguitur contra iustitiam commutatiuam, & etiam contra amicitiam. Et fortè iste actus est nobilior inter omnes actus iustitiæ in communi, excepto actu præmiationis: quia ille est proprius legislatori, & nulli alij conueniens, nisi ex commissione à iudice, quasi vice eius.

Actus vindicandi an nobilior aliis actibus iustitiæ.

Alij autem actus commutationis, amicitiæ, & huiusmodi, possunt conuenire regulariter quibuscunque personis: actus autem, qui excellentiori personæ est proprius, cæteris paribus est excellentior. Sed adhuc actus præmiandi excellentior est, quia cum ista excellentia communi vtrobique, scilicet quòd soli principi conuenit; *præmiare* habet vtrumque extremum nobilius, & scilicet meritum pro quo fit, & præmium quod confertur, & personam meritam cui confertur, quæ excellunt pœnam, culpam, & personam ream cui pœna infligitur.

Actus præmiādi est nobilior actu vindicandi & quare.

COMMENTARIVS.

20 e VLterior inquisitio est, &c. In præcedente §. definiuit actum proprium pœnitentiæ, & quòd sit virtutis specialis, & distinctus ab aliis actibus sequentibus, & quòd sit virtutis appetitiuæ, & secundùm medium iustitiæ. Deinceps in hoc §. resoluit cuius iustitiæ sit, & quomodo distinguatur ab aliis speciebus iustitiæ, & potissimum ab amicitia, & iustitia commutatiua, quæ sunt species, quibus magis videtur communicare pœnitentia; nam quoad alias iustitiæ species, facilis est differentia, & magis nota ex natura medij, circa quod versantur.

Ad quā speciem spectat actus pœnitentiæ.

Durandus *in hac dist. quæst. 2.* docet pœnitentiam non esse generalem virtutem, sed specialem, quia eius actus non spectat ad omnes virtutes: pertinere autem ad iustitiam non tanquam pars ad totum, seu inferius ad superius, sed esse ipsam iustitiam, qua redditur cuique, quod suum est; sic per iustitiam redditur obseruantia mandatorum, & si fiat transgressio, redditur opus pœnitentiæ in satisfactionem, fundatur in eo quòd aliàs sequeretur quòd qui frequentiùs peccat, haberet perfectiorem virtutem pœnitentiæ: quia frequentiùs pœniteat: hoc autem est incommodum, quòd homo ex lapsu crescat in virtute: sed hæc ratio ad hominem facilè torquetur: quia siue sit iustitia, siue virtus distincta specialis pœnitentia eodem modo ex actu suo perficitur, neque magis incommodum est vt homo ex peccato euadat magis pœnitēs, quàm magis iustus. Alij constituunt eam sub iustitia commutatiua, alij sub distributiua. Caiet. dicit spectare ad virtutem religionis *3. part. quæst. 85. art. 1.*

Sentētia Durandi. *Esse iustitiā.* *Fundamentum eius.* *Retorquetur.*

Prima conclusio. Pœnitentia non est iustitia communis. Probatur, quia aliàs non esset specialis virtus distincta ab omni alia, communis autem sententia ponit distinctam. Alij probāt, quia scilicet, nostri ad Deum nulla est iustitia, sicut neque filij ad Patrem, aut Domini ad seruum: sed hæc ratio licèt de iustitia commutatiua vera sit, quando medium habet per commutationem, tamen de vindicatiua non vsque adeò concludit. Probatur ergo aliter: actus vindicandi est distinctus obiecto formali, & specie ab actu iustitiæ, verbi gratiâ, commutatiuæ, amicitiæ, religionis, obedientiæ: ergo habet honestatem in specie diuersam ab honestate illarum: ergo est diuersa specie ab illis. Maior per se patet: quia finis amicitiæ est correctio amici, punitio verò respicit correspondentiam pœnæ ad culpam, obedientia subiectionem, & sic de reliquis, quæ specie distinguūtur: quia contingit aliquem esse inimicum, qui non est inobediens, & obedientem, qui non sit amicus, &c. 21

Prima conclusio. *Prima ratio ex motiui differentia ab aliis.* *In dubio.*

Probatur

22 *Ex varietate præceptorum, mody, & finis.* Probatur minor, quia de his sunt varia præcepta tam affirmatiua, quàm negatiua, vt patet ex sacra pagina, & sacris Canonibus, ac legibus: vnius autem virtutis non dantur varia præcepta, sicut neque diuersa media, quæ spectari possunt tanquam diuersi fines, & honestates. *Confirm. ex praxi confessionis.* Confirmatur ex praxi confessionis, nam si quis confiteatur se iniustum esse, non ideò censetur confessus inobedientiam, impœnitentiam, aut alia hæc peccata in specie: *Circunstātia varians speciem.* deinde quando quis furatur ob finem inobedientiæ, censetur contrahere malitiam in specie diuersam, *Præcepta diuersa Decalogi de iustitia.* patet etiam ex præceptis Decalogi secundæ tabulæ, vbi aliud est de honore parentum, aliud de furto, aliud de aliis, neque valet ad hæc dicere, quòd iustitia est virtus quædam generica, quæ sub se continet omnes enumeratas, sicut aliàs, hoc, inquā, non valet, quia quæritur vtrùm Religio, pœnitentia, & eiusmodi, superaddant aliquam in specie honestatem? si sic, vt probat argumentum: ergo est talis in specie pœnitentia, cuius honestas nulli alteri conuenit, quàm ius sub genere iustitiæ continetur, sicut charitas, & Religio: quis autem asserit charitatem nihil aliud esse, quàm iustitiam? quia sic possemus omnes virtutes reducere in suum genus primum, idest, in honestatem sui generis tantùm, quod esset magnæ confusionis, & impropriētatis. *Euasio reiitur.* Dices iustitiam esse vnam habitualem, quæ habet diuersos in specie actus. Contrà, iustitia producitur per actus suos sicut & alia acquisita: ergo quilibet actus in specie producit habitum proportionatum, *Actus & habitus sunt eiusdem motiui.* qui respiciat idem obiectum in specie, aliàs non vniuocaretur cum suo habitu. Probatur consequentia: quia repugnat aliquem actum ferri extra suum obiectum formale: ergo etiam repugnat esse causam alicuius habitus, qui ad aliud obiectum formale inclinaret: aliàs certè tolluntur omnia principia diuersificandi actus, & habitus.

23 *Dependentia habitus à suo obiecto.* Deinde, quilibet habitus dependet ab aliquo obiecto formali primo, à qua dependentia nequit abstrahere: ergo habitus ille iustitiæ debet habere aliquod tale, sed nullum creatum medium includit formaliter, aut virtualiter reliqua media iustitiæ in specie: ergo nullus vnius in specie habitus ad singula, & simul inclinat: neque instare licet de habitu charitatis, *Charitatis idem obiectū, diuersi actus.* qui habet plures in specie actus; quia ille est infusus non dependens ab actibus, sicut dependent acquisiti: & quidquid sit de hoc, non respondet ad argumentum de diuersitate obiecti formalis, qualem non admittit charitas, licèt diuersimodè circa illud variè applicatum agat. *Responsio.* Dices, quælibet virtus agit prosecutiuè circa proprium obiectum, & circa oppositum fugiendo, qui sunt actus specie distincti. *Impugnatio.* Contrà, hoc nihil iuuat, *Fuga in prosecutione cōtinetur virtute.* quia fuga virtute continetur in prosecutione: nam accessus ad extremum contradictionis est recessus ab alio: vnde hoc ipso, quo quis velit bonum, fugit malum, & etiam in speculabilibus contrariorum eadem est disciplina, eadem scientia de priuatione, & habitu. Ita similiter omnis nolitio includitur in aliqua volitione, vt rectè Doctor *quæst.* 1. *huius* § *secunda conclusione,* &c. In secunda descriptione pœnitentiæ, quatenus significat detestationem, & dolorem de peccato. *Electio in intentione.* Nec valet vlteriùs instare quòd sit eadem virtus ad finem, & media, quamuis diuersis actibus, intentione scilicet, & electione, illa respiciat: hoc, inquam, non soluit argumentum: quia secundus includitur in priori virtute, sicut effectus in causa, sine qua nequit esse: actus autem pœnitentiæ non ita se ad actus iustitiæ enumeratos habet.

Secundò, eatenus exigitur pœnitentia ad deletionem peccati, quatenus habet honestatem propriam: & eatenus impœnitentia est peccatum speciale, quatenus rectitudo pœnitentiæ, cui opponitur, est specialis: ergo pœnitentia non est iustitia in genere, sed species eius. 24 *Impœnitētia est peccatum speciale.* Antecedens patet, quia pœnitentiæ actus est meritum de congruo, & dispositio ad remissionem peccati: Deus autem non acceptat nisi actum bonum laudabilem, qui imputari posset, & est ex gratia. Secunda pars antecedentis patet ex definitione peccati. Probatur consequentia: si iustitia in genere eadem esset ac pœnitentia, tunc quicumque actus iustitiæ sufficeret ad remissionem peccati: verbi gratiâ restituere quod iniustè ablatum est, obedire parentibus, &c. hoc autem nequit dici: ergo.

25 *Secunda conclusio.* *Pœnitentia distinguitur ab amicitia.* Conclusio secunda. *Pœnitentia non communicat cum amicitia.* Hæc probatur à Doctore: patet autem ex rationibus iam positis. Est contra Sotum, aliósque Thomistas, qui dicunt consequenter, sicut pœnitentia respicit peccatum in ratione offensæ, eius finem esse reconciliationem cum Deo, qui est finis amicitiæ. Contrà, ratio Doctoris est: vindicta respicit finem legis, *Finis pœnitentia.* qua ordinatur culpa per pœnam præscriptam: vnde aliquando contingit talis actus per destructionem rei, vt patet in suspensione furis, & aliis similibus pœnis per legem pœnalem inductis: ergo per accidens est si concurrat reconciliatio: amicitia autem respicit correctionem, qui est finis extraneus iustitiæ vindicatiuæ, cuius est intendere satisfactionem per pœnam debitam.

Vnde si correctio posset aliâ via haberi per amicitiam sine pœna, lex amicitiæ, quæ intendit bonum correcti, præscriberet non esse puniendum, aut vllum ei inferri detrimentum; non sic iustitia vindicatiua, quę directè præscribit malum pœnæ in vindicationem culpæ, siue correctus inde decedat, siue non: de facto autem, licèt concurrant cæteræ virtutes cum pœnitentia, vt charitas, spes, &c. non sunt confundendæ in motiuo formali inter se, aut cum pœnitentia. *Concurrere alias virtutes cum Pœnitentia, non confundi.* Per hoc patet ad obiectiones, quæ fieri possent ex Conciliis, Scriptura, & Patribus, à quibus reconciliatio tribuitur pœnitentiæ, quia loquuntur de pœnitentia, pro vt habet annexam charitatem, & alias virtutes, tam morales, vt patientiam, humilitatem, temperantiam ab inordinatis passionibus per cessationem à peccatis, & propositum emendationis, *Explicantur patres.* ac nouæ vitæ; quàm etiam fidem, & spem infusam, quibus voluntas ad pœnitendum erigitur. Deinde vt plurimùm loquuntur de pœnitentia secundo modo sumpta, pro detestatione, & dolore de peccato. Ad alias obiectiones respondet Doctor in littera.

26 *Impugnatur opinio asserens pœnitentiam esse speciem Religionis.* Ex his impugnata manet opinio Caietani, qui adstruit pœnitentiam esse virtutem Religionis, aut speciem eius: quia in hoc est contrarius rationi, & D. Thomæ, quia neque D. Thomas enumerauit pœnitentiā inter actus, aut species Religionis, 2.2.*q.*81. *&* 82. *& in* 4. *d.*15.*q.*4.*art.*7. *quæstiunc.*1 *ad* 2. docet actum latriæ imperari ab actu pœnitentiæ; & *d.*14. dicit

cit quòd alio modo Religio reddat debitum Deo, alio modo pœnitentia. Deinde, ratio ex dictis est manifesta: quia Religione protestamur cultum Dei, vt est primus Author, & Dominus rerum, ad quam spectant illi soli actus externi, qui reuerentiam, & subiectionem significant, vt sacrificium, votum, oratio, genuflexio, inclinatio, & eiusmodi: qui actus, licèt imperari possunt à pœnitentia in finem remissionis peccati, aut vindicationis, vt propriùs loquar, sicut imperatur actus charitatis: differunt tamen à propriis actibus ipsius pœnitentiæ.

Finis Religionis, & pœnitētiæ diuersus.

27 Tertia conclusio: *Pœnitentia est iustitia vindicatiua, seu species eius:* ita Doctor in tertia conclusione huius §. *est ergo iste actus iustitiæ punitiuæ.* Probata manet ex definitione assignata pœnitentiæ, quam communitet admittunt Doctores, ex Authore de vera & falsa pœnitentia; quam etiam S. Thomas *quæst.* 85. *art.* 3. attribuit Augustino, dicitur quòd sit *doloris*, aut *dolentis vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse.* si est vindicta: est ergo vindicatiua. Secundò pœnitentia Sacramentum est tribunal iustitiæ, non alterius, quàm vindicatiuæ, vt patet ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. vbi docet distinctionem inter effectum pœnitentiæ & Baptismi, quòd tribuat omnium peccatorum remissionem: *Ad quam tamen*, inquit, *nouitatem, & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, diuinâ id exigente iustitiâ, peruenire nequaquam possumus*, &c. Suprà autem præmisit pœnitentes tanquam reos sisti ante hoc tribunal: iustitiæ autem vindicatiuæ subiiciuntur rei. Patet etiam *ex cap.* 5. & speciatim *cap.* 8. vbi dicit Concilium, quòd spectet ad diuinam iustitiam aliter recipere in gratiam peccantem ex ignorantia ante Baptismum: aliter verò peccantem post Baptismum; ostendens pœnam remanere peccantibus post Baptismum, pro qua ordinatur opus satisfactorium, quod aliter appellat pœnas satisfactorias: quarum necessitatem ostendit ex condecentia diuinæ iustitiæ vindicantis peccatum.

Tertia conclusio. Pœnitentia species iustitiæ vindicatiuæ.

Secunda probatio ex natura Sacramenti. Trident.

28 Ex quibus argumentor: Deus ex iustitia vindicatiua ordinat peccatum per pœnam, & actus pœnitentiales in hoc Sacramento: sed idem est finis exequentis pœnam, seu ministri, & ipsius iudicis, peccator autem est minister exequens in seipsum, vel contra seipsum pœnam mediante virtute pœnitentiæ: ergo virtutis pœnitentiæ finis proprius est vindicare. Minor probatur: quia minister vt ordinatè procedat, debet procedere ex fine legis, & legislatoris, cùm is sit finis potestatis ministerialis, qui est principalis causæ delegantis. Minorem illam in ea parte negarent Sotus, & Caietanus, quà asserit pœnitentem ex commissione iudicis, tanquam personam publicam, & ministrum iudicis vindicare in seipso peccatum. Sed hoc malè & sine fundamento id negatur: cùm in hoc ipso foro habeat personam accusatoris, & rei, quia iure diuino tenentur omnia sua mortalia post Baptismum commissa confiteri, vt definit Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 6. & vt accusator est, respicit seipsum vt alterum, quà reus est. Sic Princeps, qui suis tenetur legibus, punit in seipso transgressionem illarum, tanquam in priuatam personam: sic etiam secum ipse dispensat in iis legibus secundùm aliquos: ergo eundem esse reum, & executorem pœnæ in seipsum non repugnat: sicut in seipsum potest quis esse iniustus, iustitiâ latè sumpta; vt quando peccat contra charitatem propriam, vt interficiendo se, aut abscindendo sibi membrum: quorum non est dominus. Præterea vindicatio peccati in seipsum est actus regulatus, & ordinatus per pœnitentiam, ad quam tenetur; aliàs non peccaret, eam omittendo.

Idem est finis pœnitentis, & iudicis, seu cōfessarij.

Idem est reus, & minister in hoc foro iudicis.

Trident.

Dices id conuenire eidem, vt reus est. Contrà, vt reus est non conuenit ipsi, nisi acceptare voluntariè pœnam; non autem exequi: ergo si tenetur eam exequi, hæc potestas deriuatur in ipsum vt ministrum; quod probatur vniuersaliter in omni lege pœnali, (quæ non continet sententiam latam saltem) cuius executio est potestas, quæ necessariò deriuatur in ministrum ex ipsa lege: aliàs certè nullum adminiculum ad bonum commune, aut priuatum ex ipsa esset, neque haberet potestatem coactiuam necessariam, nisi executio pœnæ ex eius authoritate deriuaretur: ergo si executio pœnæ ex lege pœnitentiæ deriuetur in pœnitentes, tanquam veros, & solos eius ministros; sequitur sub hac ratione esse ministros principalis Iudicis, & legislatoris: ac proinde non considerari punientes ex authoritate priuata; sed ex authoritate legislatoris. 29

Lex inducit potestatē coactiuam, & ministerialem.

Quod ampliùs probari potest ex definitione superiùs assignata, quæ in hoc statuit rationem pœnitentiæ, quòd sit *vindicta puniens in seipso, quod dolet commisisse.* Ideò enim vindicat, seu punit in seipso: quia Deus id statutâ lege in pœnam peccati exigit, cuius legis executionem remisit ipsi pœnitenti: vnde non puniret, nisi id lex præciperet.

Ex his refutatur Vasquez, qui pœnitentiam quidem affirmat partem potestatiuam iustitiæ vt sic, sicut Religio; non esse tamen vindicatiuam, commutatiuam, aut distributiuam, sed speciem distinctam ab omnibus aliis assignatis sub iustitia. Ratio illius fundatur in eo, quòd pœnitens non tantùm intendat medium satisfactionis, quâ ratione pertineret ad vindicatiuam, sed principaliùs deletionem peccati, emendationem vitæ, & eiusmodi. 30

Sentētia Vasquez impugnatur.

Sed hæc sententia superiùs refutata manet: nam hoc conuenit pœnitentiæ, vt habet coniunctam reconciliationem ex perfecta detestatione peccati, ex motiuo charitatis, quæ detestatio est effectus pœnitentiæ, non actus elicitus: reconciliatio autem includit destructionem offensæ, sicut est detestatio eius, & ex hoc sequitur propositum emendationis: pœnitentia verò præcisè respicit peccatum præteritum, vt vindicabile per pœnam; quæ motiua sicut ex se formaliter non coincidunt, sic etiam nec ad eandem virtutem spectare possunt.

Reconciliatio est finis extrinsecus pœnitentiæ.

Formari potest argumentum in forma: pœnitentia est vna specialis virtus: ergo debet quiescere in vno motiuo speciali; illa autem diuersa sunt: ergo, &c. Deinde, detestari peccatum sub ratione offensæ spectat ad charitatem, vt ipse concedit: ergo & propositum non offendendi vlteriùs; aliàs certè non esset perfecta, & absoluta displicentia peccati, vt offensæ, nisi excluderet complacentiam etiam de futuro, quantùm est ex se: quia complacentia, 31

Propositum emendæ spectat ad charitatem.

&

& displicentia respiciunt peccatum per se absolutè, vt contrarium bono charitatis: præteritum autem, aut futurum non variant rationem offensæ, aut peccati, cùm sint materiales tantùm differentiæ, seu circumstantiæ: ergo cùm charitas comprehendat illa duo, eodem modo pollet se extendere ad tertium (quod est punire ex motiuo satisfactionis) si pœnitentia omnia hæc comprehendat: quia eadem est ratio, & repugnantia vnius, & alterius, ex simplicitate motiui formalis.

32 *Responsio.* Respondet idem Author quòd licèt dolor de peccato fiat per modum recompensationis Deo; non tamen vt vindicta est: quia non fit vt sumatur pœna de peccato, sed vt tollatur offensa per eius retractationem, & reconciliationem cum Deo. Sicut cùm amicus amico vult reconciliari, non puniendo in se offensam; sed mox tribuendo eidem honorem debitum. Sed *Impugnatio.* contrà, hoc est transire ad sententiam Thomistarum, quam dubio præcedenti reliquit, & impugnatur ex definitione vulgari pœnitentiæ. Impugnatur etiam ex rationibus dictis, quia totum quod asseruit, specificat motiuum charitatis, quæ respicit peccatum sub ratione offensæ, & de eo sola dolet sub hac ratione.

Aliud assertum eiusdem. Neque minùs contradicit, quod subdit: peccatorem puniendo se per satisfactionem, agere ex motiuo vindicationis, quod concedendum erit, inquit, Scoto: cùm tamen, inquit, habeat illum actum primum, & præcipuum, qui est emendare vitam, reconciliare se Deo; neque quoad hunc concedenda erit propriè vindicatiua.

Impugnatur. Contrà, si hic actus est ex motiuo vindicatiuæ, & est actus pœnitentiæ: ergo pœnitentia est vindicatiua; cùm nequeat transcendere formale sui obiecti. Si actus superiores vlteriùs sint etiam actus pœnitentiæ, sequitur vel quòd habeat plura formalia motiua, vel certè quòd vtrobique transcendat, quod nequit stare. Concilium autem Tridentinum locis citatis vocat satisfactionis opus, pœnam. & *cap. 5.* inter alias rationes, quibus colligit necessitatem confessionis, est, quia alioquin non possent Sacerdotes imponere condignam pœnam pro peccato. & de iis agens, cap. 8. *Habeant*, inquit, *præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad vitæ nouæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem*: ergo est propriè actus vindicatiuæ, satisfactionem sub vtroque modo præscribere. (Trident.) *Obiectio.* Dices, Scotus pœnitentiam tertio modo sumptam dicit non esse actum virtutis specialis. *Soluitur.* Respondetur eum loqui de acceptatione pœnitentiæ, seu pœnæ, non autem de inflictione eius, qui est actus ministri, qui ex motiuo legis debet procedere, vt supponit etiam Doctor: & *infrà d. 18.*

33 *Dubium mouetur. Vindicatiua reducitur ad commutatiuam. Ratio difficultatis.* Superest dubium ex litera Doctoris: nam dicit pœnitétiam esse actum iustitiæ vindicatiuæ, seu punitiuæ, quæ distinguitur contra iustitiam commutatiuam, & etiam contra amicitiam: *infrà* autem *d. 46. q. 1.* iustitiam punitiuam reducit ad commutatiuam, quæ est sententia ipsius Philosophi *5. Ethic.* Ergo pœnitentia, cùm sit punitiua, non distinguitur à commutatiua. Et patet ratione, quia commutatiua respicit æqualitatem in commutatione: punitiua autem respicit æqualitatem in commutatione inter pœnam, & culpam: ergo, &c.

Respondetur, non poni iustitiam commutatiuam propriè in Deo, neque ad Deum: sed aliqualiter; deinde, quia commutatiua respicit æqualitatem in commutatione, pœnitentia autem non seruat illum rigorem, quin clauis errare possit, vel puniendo minùs, vel magis. *Responsio. Commutatiua non est in Deo.*

Respondeo secundò, quòd punitiua reducitur ad commutatiuam; distincta est tamen: quia commutatiua respicit medium propriè in rebus, & mercimoniis, seruando in commutationibus æqualitatem: punitiua autem, quia seruat æqualitatem in pœnis ad debitum culparum, per quandam commutationem: ideò ad priorem reducitur magis, quàm ad distributiuam, cuius est seruare proportionem tantùm, seu æqualitatem proportionis, non autem quantitatis, ideò respicit, vt quidam dicunt, Arithmeticam proportionem: cõmutatiua Geometricam. Loquitur ergo Doctor de commutatiua non in sua latitudine, & abstractione: sed vt est in mercimoniis. Vnde sub hac ratione comparat eam *infrà d. 18. in corpore paulò post medium* ad pœnitentiam, versu *dico ergo*, &c. asserens pœnitentiam esse commutatiuam pœnæ. Verba eius sunt: *Secunda responsio. Quare vindicatiua reducitur ad commutatiuam?*

Dico ergo, quòd sicut in alijs commutationibus iustitia commutatiua habet aliquam latitudinem, ita quòd non respiciat in commutationibus indiuisibile, sed medium rectæ rationis: ita iustitia punitiua, quæ est commutatiua pœnæ pro culpa, non respicit necessariò gradum indiuisibilem pœnæ correspondentem huic culpæ, &c. 34

Cæterùm cognoscitur medium rectæ rationis faciliùs per commutatiuam, quæ pretium altum, bassum, mediocre, in quibusdam rebus constituit, secundùm quæ stat eius latitudo, quàm per pœnitentiam, quæ certò nequit attingere gradum pœnæ temporalis, in quam Deus commutat æternam, per fidem, aut cognitionem naturalem: imò neque eandem pœnam in omnibus taxat, vt patet ex canonibus pœnitentialibus, in quibus peccata, quæ leui pœnâ puniuntur, olim diuturniori, & grauiori pœnâ puniebantur. Dici potest *Medium pœnæ faciliùs ex proportione commutatiuæ cognoscitur.*

Tertiò, reduci ad commutatiuam, quantùm ad modum seruandi proportionem, non verò vt species: sequitur enim proportionem eius, & non distributiuæ. *Tertia responsio.*

Ex dictis patet litera Doctoris, & distinctio pœnitentiæ ab aliis. Primò ab amicitia, cuius finis est bonum amici, eiúsque correctio: sed finis proximus pœnitentiæ est resarcire legem, eámque conseruare, & ordinare culpam. Finis extrinsecus est bonum commune, quod est finis ipsius legis, in quo distinguitur à crudelitate, quæ respicit finem particularem ipsius vindicantis, non conseruationem legis, aut boni communis hominum. Vlterior finis eius est bonum legislatoris, qui est in reipsa finis vltimus reliquorum; nempe Deus. In hoc distinguitur lex humana, & vindicatio secundùm ipsam, à vindicatione peccati per pœnitentiam: quod illius nequit legislator, aut vindex esse finis; sed bonum commune quod est perfectius: è contra in proposito contingit. 35 *Sequela dictorum. Finis intrinsecus, & extrinsecus per se pœnitentiæ.*

Subdit Doctor hunc actum esse nobilissimum inter omnes actus iustitiæ in communi, præter actum præmiandi: quia est actus proprius legislatoris, & Principis, neque alteri conueniens, nisi ex commissione eius: perfectio autem actus sumitur à perfectione personæ: *Perfectio pœnitentiæ vnde sumitur?*

Cedit actum præmiandi. sonæ: actus autem præmiandi præterea respicit perfectiora extrema, inter quæ seruatur medium, nempe meritum & præmium in quo excedit actum vindicandi. Vtrique actui competit vt sit exercitium potestatis supremæ, à qua specificatur; includit enim ipsam potestatem, & motiuum eius, per quæ reducitur ad talem speciem.

36 *Limitatio dictæ conclusionis.* Hanc conclusionem Doctoris non intelligerem de actu iustitiæ in communi, quæ comprehendit omnes virtutes, quæ sunt ad alterum, vt chatitatem, Religionem, fidem: sed de actu iustitiæ in communi, vt distinguitur in commutatiuam: quia in sequenti §. dicit ipse charitatem excedere pœnitentiam ex perfectione sui motiui formalis; quod perinde de aliis Theologicis proculdubio est dicendum: quæ habent Deum pro obiecto, & suâ naturâ sunt infusæ. Deinde, ex eadem ratione, qua charitas ex perfectione motiui excedit pœnitentiam, eodem modo Religio eam excedit; quia immediatiùs accedit ad Deum sub ratione primæ causæ, & finis, vltimi, & Domini: quamuis proximè habeat obiectum creatum: sic dicerem de iustitia legali, & obedientia legis, & de aliis multis. Ideò non intelligit Doctor iustitiam in communi primo, sed secundo modo: vt patet etiam §. *sequenti*, versu *ex hoc posset esse dubium*, &c. *in fine*, vbi dicit pœnitentiam non esse virtutem Theologicam, neque simpliciter perfectissimam inter illas, quæ sunt circa obiectum creatum. *Religio excedit pœnitentiam.*

SCHOLIVM.

Pœnitentiam esse actum voluntatis, & imperfectiorem actu charitatis, quia licèt hic ex pœnitentiæ motiuo imperetur quandoque, tamen ipsi ex obiecto, & fine magis conuenit imperare.

9 *Conclus. 5. Pœnitentiã esse actum voluntatis ad modum irascibilis se habentis.* ALIa[f] conclusio est ista, quòd ille actus est actus voluntatis, cuius est imperare intellectui, & voluntati; & hoc imperio pertinente ad irascibilem, & potentiam aliquam habentem in se aliquid simile virtuti irascibili: sicut enim irascibilis in sensitiua suo modo vindicat, ita & illa potentia quæ imperat vindictam in parte intellectiua, habet quoddam simile irascibili: nunc autem non conuenit in parte intellectiua hoc imperare, nisi voluntati.

Ex hoc posset esse dubium de habitudine istius virtutis ad charitatem: ex quo enim ista per actum suum imperat actum charitatis, videtur esse superior charitate. Sed oppositum est manifestum, quia per se obiectum charitatis est Deus, sub ratione obiectiua nobilissima: proprium autem obiectum istius est malum vindicabile, seu reus, in quem est vindicandum. Et ex hoc patet quòd pœnitentia non tantùm non est virtus Theologica, vt priùs argutum est: sed nec virtus simpliciter nobilissima inter illas, quæ sunt circa obiectum creatum. *Obiectum pœnitentiæ malum vindicabile.*

10 *Volũtas imperat actum virtutis vnius ex motiuo alterius, & è contra.* Ad illam ergo instantiam de vsu virtutis, dico quòd voluntas secundùm diuersos habitus potest vti seipsa, quasi circulariter, hoc modo, ex dilectione Dei in se, quæ est actus charitatis, potest imperare actum voluntatis vindicatiuum peccati, & è conuerso: ex actu imperatiuo vindicandi potest imperare actum dilectionis Dei in se, ad quem sequatur nolitio, vel displicentia de aliquo peccato commisso, & sic tristitia de illo peccato: ergo charitas potest vti actu pœnitentiæ, & etiam actu cuiuscumque virtutis in voluntate, vel in intellectu; & pœnitentia etiam potest vti charitate, & quacumque virtute in intellectu, & voluntate, quæ potest esse principium considerationis, & nolitionis obiecti, de quo vult causare tristitiam.

Ad charitatem magis spectat imperare actus aliarum virtutum, quàm è contra. Dico ergo, quòd illa est superior simpliciter, cui magis ex obiecto conuenit imperare: sed charitati ex obiecto, scilicet fine vltimo, magis conuenit vti quacumque alia virtute, quàm è conuerso: sicut semper in actibus, & potestatibus ordinatis habens finem superiorem regulariter vtitur inferioribus omnibus. *1. Ethic. in princ.*

Epilogatio dictorũ q. 1. & hac parte huius quæst. Sic apparet de primo actu pœnitendi, siue de prima significatione huius vocabuli *pœnitere*, quid sit: quia *velle* imperatiuum, & cuius effectus, quia tristitiæ: & per quæ quasi per instrumenta, quia per causas proximas tristitiæ, scilicet considerationem actualem, & nolitionem actualem alicuius obiecti; & circa quod obiectum, quia circa peccatum commissum: & à quo, quia à ministro habente commissionem puniendi à legislatore. Et propter quem finem, quia propter obseruationem legis, & vlteriùs propter bonum commune: ac per hoc, quòd ille potest esse actus virtutis specialis, quia cuiusdam specialis iustitiæ. Et cuius subiecti, quia voluntatis: & quam comparationem habeat ad alias virtutes Theologicas, & acquisitas.

COMMEN

COMMENTARIVS.

37 *Comparatur ad alias virtutes secundùm perfectionem.*

f *A*Lia conclusio est ista, &c. Asserit pœnitentiam esse in voluntate secundùm affectum irascibilis. Ex quo etiam sequitur differentia eius ab aliis, quæ sequuntur affectum concupiscentiæ, vt sunt illæ virtutes, de quibus *suprà* egit. Addit præterea, inferiorem esse charitate, & aliis Theologicis, neque esse perfectissimam inter virtutes acquisitas quarum obiectum est aliquod creatum. Pœnitentiam non esse infusam virtutem, *infrà* docet *responsione ad vltimum argumentum*, & supponit *hîc*. Ad rationem autem dubitandi positam de excessu pœnitentiæ supra charitatem ex eo, quòd imperet actum eius. Respondet, id non prouenire ex perfectione ipsius, aut sui motiui, sed ex libertate voluntatis, quæ vti potest suis habitibus reciprocè, aut circulariter, imperando actum vnius ex motiuo alterius: charitati autem conuenit magis ex obiecto suo imperare actus aliarum virtutum, quæ est suprema, & immediatè operatur circa finem vltimum, ad quam reliquæ virtutes vt medium ordinantur: hinc dicitur plenitudo legis, quia omnia præcepta, & virtutes ad eam tanquam ad finem ordinantur, sine qua sunt informes, siue quoad actum in genere meriti; siue quoad habitum in *esse* principij meriti, ordinantis ad salutem: quia sine actu, aut imperio charitatis, nihil facit ad salutem: nequidem fides, quæ sine operibus mortua est, & tunc facit ad salutem ex Apostolo, quando per dilectionem operatur.

Imperans non est semper perfectior. Voluntas vtitur suis habitibus.

Perfectio charitatis.

Finis legis, & virtutum.

Sic apparet de primo actu pœnitendi, siue de prima significatione huius vocabuli pœnitere, &c. Hîc recapitulatione comprehendit dicta suo ordine, vt quòd pœnitentia actualis in prima significatione sit actus imperatiuus tristitiæ, &c. Vide literam, ex qua facilè colligitur, quàm ordinatè, quàm solidè hactenus explicuit naturam huius actus in ordine ad omnes conditiones, & principia ex quibus est.

Recapitulatio dictorum.

SCHOLIVM.

Detestationem peccati commissi esse actum virtutis, sed non specialis, sed omnis virtutis contra quam commissum est. Hic ergo actus non est iustitiæ punitiuæ, seu pœnitentiæ propriè dictæ. Eodem modo dicendum de acceptatione pœnæ. Ferre autem patienter pœnam, est specialis virtutis patientiæ. An pœnitentia sit actus absolutus, & efficax, vel conditionatus, vide Scotum 2.d.6.q.1.& 3.d.15. §.aliter potest dici; *certum est esse efficacem ad destruendum habituale peccatum, non tamen vt peccatum quod commissum est, commissum non fuerit.*

DE g secunda significatione huius vocabuli *pænitere*, scilicet de eo, quod est detestari peccatum commissum, vel displicentiam habere de commisso. Dico quòd iste potest esse actus virtutis. Probatur vt priùs, quia potest esse actus electiuus concors rationi rectæ. Ratio enim recta sicut dictat complacendum esse in bono honesto, ita dictat displicendum esse in malo inhonesto. Et ex hoc patet secunda conclusio, scilicet cuius virtutis potest etiam esse actus, quia nullius specialis, sed cuiuscumque appetitiuæ: quæcumque enim virtus inclinat ad complacendum in bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & ad displicendum de malo inhonesto opposito: vtpote castitas de aliquo inordinato contra castitatem inclinat ad displicentiam, & humilitas de actu inordinato superbiæ, & sic de cæteris. Quælibet tamen inclinans ad talem displicentiam est virtus appetitiua, quia nihil est principium odiendi, sicut nec amandi, nisi virtus appetitiua. Et ex hoc patet, quòd malè ponitur detestatio peccati actus pœnitentiæ virtutis, loquendo de pœnitentia virtute primo modo, vt est species iustitiæ: quia iste actus est multum generalior, quàm possit esse ille, qui est proprius actus pœnitentiæ iustitiæ elicitus ab ea. 11

Qualibet virtus detestatur peccatum contra se commissum: Richard. & D. Thom. dis. præsen.

De tertio, quod est gratanter acceptare pœnam inflictam pro peccato commisso. Dico quòd etiam iste actus potest esse virtutis, quia concors rectæ rationi. Et secundò, quòd potest esse multarum virtutum, quarum tamen quælibet sit appetitiua, quia quicquid potest esse principium acceptandi aliquod obiectum, potest esse principium acceptandi aliud in ordine ad ipsum: per diuersas autem virtutes potest acceptari aliud, & aliud obiectum in ordine ad quod possit pœna inflicta pro peccato acceptari. Nam si ex charitate amatur Deus, ex charitate potest acceptari pœna, inquantùm reductiua est ad Dei amicitiam. Si autem ex virtute spei desideratur Deus vt bonum mihi, ex virtute spei acceptatur pœna vt ordinans ad istud præmium attingibile. Si ex virtute timoris cauetur amissio vitæ æternæ, ex ipsa potest acceptari pœna, vt excludens illā amissionem. Si ex amicitia honesta ad seipsum diligit quis sibi munditiam, & innocentiā, ex illa potest acceptare pœnā, quæ soluit reatum, qui infuit. 12

Ad omnes virtutes spectare potest acceptatio pœnæ pro peccato.

De quartò, scilicet patienter ferre pœnam inflictam, patet quòd potest esse actus virtutis, & specialis virtutis, quia patientiæ.

COMMENTARIVS.

38 *Prima cõclusio. Pœnitentia secundo modo sumpta actus virtutis.* g DE *secunda significatione huius vocabuli*,&c. In hoc §.1. conclusio est, detestationem peccati, seu pœnitentiam secundo modo sumptam, esse actum virtutis, id est, studiosum, & secundùm inclinationem virtutis: quia potest esse electiuus, & liber, & conformis rectæ rationi. Hæc probata est superiùs. est communis: de pœnitentia enim hoc modo sumpta loquuntur Patres sæpissimè, & in specie Tridentinum *locis citatis, sess.6. cap.6. sess.14. cap.1. & 4.* vbi definit contritionem esse detestationem peccati. *Trident.*

Secunda conclusio. *Secunda conclusio* est: hunc actum non esse alicuius specialis virtutis. Hanc sustinuimus contra discipulos D. Thomæ *suprà*, & vlteriùs in specie probabitur *infrà*, agendo de contritione in duobus sequentibus paragraphis.

Tertia conclusio. *Tertia conclusio* est de pœnitentia tertio modo sumpta, & est similis priori, nempe posse esse actum virtutis, seu honestum, & omnium virtutum, ex quibus potest esse displicentia peccati.

Quarta conclusio. *Quarta conclusio*, dicit pœnitentiam quarto modo sumptam esse actum patientiæ.

SCHOLIVM.

Non requiri pœnitentiam sumptam pro actu vindicatiua iustitiæ, ad deletionem peccati, nec actum ab illa virtute iam genita, & inexistente elicitum.

13 DE h secundo principali, scilicet an *pœnitere*, vt actus virtutis, requiratur ad deletionem peccati; dico quòd non vt actus vnius determinatæ virtutis. Secundò, quòd non vt actus cuiuscumque virtutis genitæ talis, vel talis indifferenter. Et tertiò, si vt actus simpliciter perfectè circumstantionatus, nunquid vt formatus, vel sufficit vt informis?

Primum patet ex dictis, quia *pœnitere*, secundùm quamcumque quatuor significationum prædictarum sufficit, vt probatur auctoritate Ezech. 18. & 33. *Quacumque hora ingemuerit peccator*, &c. Actus autem primus, & alij non necessariò sunt alicuius eiusdem determinatæ virtutis: sed primus iustitiæ, vltimus patientiæ, duo intermedij cuiuscumque virtutis appetitiuæ.

Non requiritur quòd pœnitentia efficiatur ab habitu virtutis. Secundum probo, quia actus æquè perfectus secundùm omnes circumstantias morales æquè est acceptus à Deo ad peccati deletionem: sed sine virtute genita potest haberi actus æquè perfectus secundùm omnes circumstantias morales, sicut cum virtute iam genita; quia secundùm perfectum dictamen intellectus de aliquo agibili, potest esse perfecta electio circumstantionata omnibus circumstantiis, quæ sit prima generatiua virtutis: & per consequens, actum rectum perfectè circumstantionatum, qui requiritur ad deletionem peccati, non oportet esse virtutis, vt à virtute iam inexistente: sed potest esse virtutis, vt est primò generatiuus virtutis.

Dispositio præuia deletionis peccati informis, concomitans formata. De tertio dico, quòd actum aliquem humanum requiri ad deletionem peccati, potest dupliciter intelligi: vel vt dispositionem præuiam, vel vt concomitantem. Primo modo sufficit actus informis, imò semper est informis, quia dispositio præuia ad peccati deletionem est semper sine gratia, & charitate, à cuius solius inhærentia, & inclinatione ad actum, dicitur actus formatus. Secundo modo dico, quòd requiritur actus formatus: nam in illo instanti, in quo deletur peccatum, charitas inest, & per consequens, si actus requiritur vt concomitans, requiritur vt formatus.

COMMENTARIVS.

39 *Articulus secundus.* *Prima cõclusio.* h DE *secundo principali*, &c. Hic est secundus articulus huius quæstionis: an scilicet *pœnitere* vt actus virtutis, requiratur ad deletionem peccati? Dicit primò non requiri vt actum determinatæ virtutis, vt patet ex præmissis: & ex illo Ezechielis 18. & 33. *Quacumque hora ingemuerit peccator*, &c. Dicit secundò non requiri vt sit actus procedens ex habitu: sed sufficere vt sit secundùm inclinationem habitus. *Secunda conclusio.*

Pœnitētia vt præuia dispositio est informis. Tertiò tandem mouet dubium; vtrùm requiratur pœnitentia vt actus formatus: vel sufficiat vt informis. Ad quod dubium respondet infrà semper esse informem, vt est dispositio præuia ad deletionem peccati; informem intelligit, vt patet in textu, ex eo quòd non insit charitas habitualis, seu gratia sanctificans. Dicit secundò, vt est dispositio concomitans deletionem peccati, esse formatum; quia deletio peccati fit per infusionem charitatis.

40 *An contritio eliciatur ab habitu charitatis in peccatore? Sententia D. Thomæ affirmatiua.* Ad explicationem huius, & literæ, quam miris modis torquent moderni Discipuli sancti Thomæ, examinanda erit controuersia ad quam hîc alludit Doctor, Vtrùm scilicet dispositio vltima ad gratiam, nempe contritio eliciatur ab habitu charitatis? Affirmatiuam partem tuetur D. Thomas 1.2.q.113.art.6.& 8. vbi Caiet. Conradus, Medina, Sotus *in hac dist.q.2. art.6. & dist.16. quæst.1. art.2.* & *lib.2. de natura & gratia, cap.18.* Cano *relect. de pœnitentia parte 1.* Valent.2.*tom.disput.8.quæst.5. puncto 4.* Vasquez 1.2.*disput.211.per totam.* vnde tuetur contritionem esse semper actum formatum, quia elicitur ab ipso habitu charitatis.

Negati

Negatiua Doctoris, & aliorum. Negatiuam docet Doctor in prima responsione ex conclusione ad dubium præmissum, & in sequenti textu. D. Bon. *infrà dist.* 17. Durandus *ibidem quæst. prima*, & *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 5. Henricus *qu.* 5. Suarez 4. *tom. in* 3. *part. disp.* 4. *sect.* 7. & *lib.* 8. *de gratia cap.* 12. pro ea citans D. Thom. 1. *part. quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 3. & 1. 2. *quæstione* 109. *art.* 2. & *quæst.* 112. *art.* 2. & 3. *parte*, *quæst.* 89. *artic.* 1. quam tuetur etiam Capreolus *in hac distinct. quæst.* 2. *artic.* 3. *ad primum*.

41 *Probatur negatiua primò. Causalis vera ex Scriptura & Conciliis.* Probatur conclusio Doctoris primò, hæc causalis est vera: *ideò homo iustificatur, quia conteritur.* ergo eius opposita non est vera: *ideò conteritur quia iustificatur*; quia daretur circulus. Antecedens probatur: quia illa causalis habet veritatem suam ex Scriptura & Conciliis: *dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Lucæ 7. *qui pœnitentiam egerit, aut conuersus fuerit viuificabit animam suam*, Ezech. 18. &c. Et quantùm ad primam causalem, facilè ex verbis Christi colligitur, eámque admittit D. Thomas 1. *part. qu.* 21. *art.* 4. *ad* 1. & 3. *part. quæst.* 49. *art.* 11. & sic etiam Patres tribuunt remissionem peccatorum pœnitentiæ, seu dilectioni Magdalenæ, tanquam causæ. *Peccata dimitti ob pœnitentiam.* Gregorius *hom.* 33. *in Euangelia*. Paulinus ad Seuerum *Epistola* 4. Ambrosius *lib. de pœnitentia c.* 17. Tertullian. *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 17. August. in Psalm. 144. *Propter quod dico tibi, dimittuntur ei peccata multa, quare? quia confessa est, quia fleuit, &c.* Item Theophylact. & Euthym. idem docent.

42 *Secūda ratio. Trident. de efficacia pœnitentiæ.* Secundò patet eadē causalis, ex Trid. sess. 14. cap. 4. *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic cōtritionis motus necessarius, &c.* & infrà: *docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam, &c.* Ex quibus colligitur contritionem impetrare veniam peccatorum, eique, quando perfecta est, cum sacramenti voto adscribendam esse reconciliationem hominis: sed hæc reconciliatio consistit in iustificatione impij, quæ includit & remissionem peccati, & infusionem gratiæ: ergo infusio impetratur à contritione, & sic eius erit causa antecedens: ergo non præsupponit gratiam, aut remissionem: sed supponeret, si eliceretur physicè à gratia habituali, vt volunt aduersarij, quia omnis effectus supponit suam causam; sequeretur ergo hominem iustificari ante contritionem, & extra sacramentum, quod repugnat Concilio, & dictis. *Contritio supponitur ad iustificationē extra Sacramentum.*

43 *Tertia ratio. Ab inconuenienti.* Tertiò, si vera esset sententia aduersariorum, sequeretur quòd homo adultus iustificaretur extra sacramentum sine vlla dispositione, quod repugnat doctrinæ de iustificatione impij. Probatur sequela ex dictis: quia contritio supponit iustificatum; præter hanc autem non est alia dispositio, ergo. Antecedens patet: quia supponit principium elicitiuum sui, hoc est, gratia habitualis secundùm aduersarios. *Responsio impugnatur.* Dices, vt dispositio est, antecedit. Contrà, non potest esse dispositio, aut aliquid agere, antequam sit, & eliciatur, *Dispositio vt sit.* disponit enim in quantùm communicat aliquem effectum formalem præuium subiecto, necessitatem aliquo modo ad formam, vel in quantum remouet impedimentum: sed hæc repugnant ipsi, nisi in ratione entis sit: ergo supponit antequam sit, suum principium elicitiuum: vel ergo tunc elicitur ab habitu: ac proinde eum supponit, vel ab alio: ergo non ab habitu.

Quartò idem Concilium Trident. *sess.* 6. *c.* 6. non agnoscit aliam gratiam, quâ adultus ad iustificationem disponatur, nisi excitantem, & adiuuantem, & *cap.* 6. docet quomodo per diuinam gratiam excitantem, & adiuuantem actu disponatur. cap. 7. *Hanc dispositionem*, inquit, *seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis*, &c. 44 *Quarta ratio. Gratia excitans tantùm præsupponitur ad contritionem peccatoris.* Trident. *Iustificatio consequitur dispositionem.*

Ergo ex Concilio nulla gratia antecedit iustificationem peccatoris, nisi excitans, & adiuuans ad dispositionem adulti, quam ipsa iustificatio consequitur: iustificatio autem includit habitualem gratiam: & cap. 8. *Gratis autem iustificari ideò dicimur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promerentur*; iustificatio autem gratia est habitualis in parte: ergo non antecedit opera dispositionis, sed sequitur. *Iustificatio cur gratis fit.* Deinde *cap.* 7. dicit hanc gratiam partiri singulis secundùm propriā cuiusque dispositionem, & operationem. Ex quibus constat sequi ad dispositionem, non antecedere: ergo ab ipsa non elicitur ipsa dispositio. *Sequitur mensuram dispositionis.* Item *can.* 3. requirit ad actus fidei, spei, dilectionis, & pœnitentiæ (in quibus *cap.* 6. statuit dispositionem ad iustitiam) tantùm præuenientem Spiritus sancti inspirationem, & adiutorium. *Ad dispositionem sola inspiratio, & adiutorium requiritur.* & *Canon* 4. docet liberum arbitrium cooperando Deo excitanti, & vocanti se disponere, & præparare ad obtinendam iustificationis gratiam.

Aliqui distinguunt in gratia rationem genericam, & specificam: sub ratione generica asserunt infundi, vt homo conteratur, & sic esse principium contritionis, sub ratione specifica sequi dispositionem. 45 *Responsio. Reiicitur.* Hæc distinctio Chimærica est: quomodo enim ratio generica infundi, aut esse potest sine specifica; ergo si secundùm vnā, secundùm aliam etiam supponitur ad dispositionem. *Gratia nequit in genere, sine spetie esse.* Alij, vt *suprà* dictum est, recurrunt ad prioritatem in diuerso genere causæ efficientis, & materialis, dicentes gratiam, vt infunditur, esse principium effectiuum dispositionis, vt recipitur in subiecto præsupponere contritionem. *Secunda responsio.* Sed hæc iam impugnata sunt. *Impugnatio.* Præterea sequeretur quòd gratia non infunderetur animæ antequam produceretur contritio, ac proinde in *esse* separato esse principium contritionis, quod non concedunt aduersarij, neque ex principiis scholæ suæ admitti potest; asserunt enim accidentia per subiectum indiuiduari: neque pœnitentiam agere posse sine eleuatione ad actum supernaturalem, qualem ponunt esse contritionem plerique. *Vt est in subiecto præsupponi ad contritionem.* ergo priùs gratia inest subiecto, quàm agat: & consequenter etiam in genere materialis causæ supponitur contritioni, si est principium eius.

Alij respondent secundùm prioritatem naturæ mutuam eo modo quo dicuntur *causæ esse sibi inuicem causæ.* *Tertia responsio reiicitur.* Sed hæc responsio facilis est impugnationis ex doctrina de causis, quia effectus causæ efficientis nunquam producit suam causam, aut disponit ad ipsam, aut eidem supponi- *Effectus non producit causam efficientem suam.*

tur: aliàs esset, antequàm esset. Dicunt aliqui contritionem quamuis non existat posse disponere, sicut materia non habens existentiam propriam causat, & hæc responsio est iuxta vulgarem sententiam aduersariorum, quâ negant materiæ propriam existentiam. Sed quidquid sit de hoc, falsum est in proposito: quia forma siue substantialis, siue accidentalis, nihil causat in omnium sententia, nisi existat: disponere materiam est effectus formalis physicus dispositionis: ergo, &c. Has responsiones subindicare tantùm volui, non impugnare ex proposito, quia sunt euasiones contra prima principia, quas facile est repellere variis modis; neque rationes ad oppositum maioris sunt momenti.

Quarta responsio.

46 *Prima obiectio.* Prima est ex illo Ioannis quarto, *non quasi nos dilexerimus Deum: sed quoniam ipse prior dilexit nos*, &c. diligit autem Deus infundendo gratiam habitualem: ergo priùs infunditur, quàm nos diligimus Deum. *Soluitur.* Respondetur Apostolum loqui de dilectione, quâ Filium suum dedit pro nobis. Intelligi etiam potest de dilectione electionis, & vocationis. Alia loca adducunt, quibus dicitur fides operari per charitatem, gratiam, & Spiritum sanctum infundi nobis, vt conuertamur, vt dicit Arausi. Respondetur hæc omnia, & similia, referri ad gratiam actualem, seu adiutorium gratiæ excitantis, & adiuuantis, vt ex stylo, & intento tam Patrum, quàm Conciliorum, quàm Scripturæ constat.

Varia beneficia dilectionis diuinæ in peccatores.

Alia loca explicantur.

Argumentantur à ratione primò, quia non est in potentia voluntas ad producendum actum vitalem contritionis, nisi eleuetur per gratiam habitualem. Respondeo negando antecedens. Secundò, quia contritio non est meritoria de condigno nisi eliciatur à gratia habituali. Ad hoc patet ex dictis: concedo contritionem peccatoris vt est dispositio, non esse meritum de condigno, sed de congruo. Tertiò, quia nullum aliàs inconueniens, aut repugnantia sequitur ex hoc, negatur, quia destruit principia naturalia & supernaturalia.

Obiectio ex ratione soluitur.

47 *Conclusio Doctoris præmissa, & scopus.* Ex his patet intentum Doctoris, & sententia tam in prima conclusione præmissa, quàm in secunda, in quibus solùm quærit de ordine contritionis ad gratiam habitualem, & charitatem præcisè, & quomodo, & quando sit actus formatus charitate habituali, & quando informis: quia de hac informatione agunt antiqui Theologi, sub qua non comprehendunt gratiam actualem, aut adiutoria, quæ possunt communicari iusto, & iniusto: sed informationem per gratiam sanctificantem, quæ est iustitia, & excludens peccatum formaliter. His ergo primùm positis, facilis est via ad explicationem sequentis §. quæ est continuatio textus; sed propter incidentem controuersiam de sententia eius, subdiuisit Scholiastes ipsum à priori, vt scholio apposito illustraretur, & vindicaretur: est namque declaratio præmissarum conclusionum.

SCHOLIVM.

Carpitur Scotus in hac litera, quòd asseruerit vltimam dispositionem ad gratiam esse ex nobis; quod Pelagianum sapit. Ita Soto hîc qu. 2. art. 5. & alij. Sed hoc calumnia est. Scotus enim 1. *d.* 44. *n.* 4. *ait quemlibet peccatorem saluari posse, quia (inquit) potest Deus eum sua gratia præuenire, & infrà d.* 20. *qu. vnic. ait esse opus Dei, non hominis, pœnitentiam fructuosam inspirare, & d.* 22. *art.* 2. *ait, Deum propter merita mortificata, citiùs dare gratiam ad resurgendum, & quodl.* 14. *a.* 1. *ait hominem non posse se disponere ad fidem. &* 2. *d.* 9. *qu.* 2. *n.* 14. *ait hominem non posse efficere vltimam dispositionem ad formam supernaturalem. Vide eum quodl.* 17. *art.* 1. *fin. vbi idem habet, & qu.* 1. *quodl. &* 1. *d.* 17. *q.* 2. *& hîc qu.* 3. *& alibi sæpe. Dum ergo ait hîc, ex puris naturalibus, &c. tantùm excludit gratiam habitualem, quia tantùm agit an dispositio præuia informis sufficiat. Secundò, cum Vega, qu.* 11. *de iustific. & Angles* 4. *qu.* 1. *de essent. pœnit. art.* 6. *non refert illa verba,* ex naturalibus, *ad voluntatem, & sic non negat requiri gratiam ad eius actum, iuxta primam solut. Explicatur D. Thom.* 2. *d.* 28. *art.* 4. *dicens ex solo libero arbitrio hominem posse se præparare ad gratiam gratificantem. Sic etiam Vasq.* 1. 2. *d.* 186. *cap. vlt. explicat Scotum, dicentem voluntatem secundùm naturalia mouere intellectum ad credendum quòd tantùm excludat habitum gratiæ. De quo in materia de gratia. Scotus ergo non voluit attritionem deletiuam peccati per vires naturæ haberi, quod est contra Arausi.* 2. *can.* 4. *Trid. sess.* 6. *cap.* 5. *Carpitur etiam Doct. à Soto d.* 17. *qu.* 2. *art.* 2. *& aliis, quòd hîc requirat durationem & intensionem ad actum pœnitentiæ: sed primò falsum est de intentione, quia de hac nihil dicit hîc: de duratione etiam loquitur dubitatiuè, si (inquit) aliqua dispositio sufficit, maximè hæc. Secundò ait dari gratiam in vltimo instanti, vel in alio termino ad quem Deus determinauit attritionem durare. Dubitat ergo tantùm quis sit ille terminus, quia non est certum esse primum instans, quia multi tenent oppositum. Bassol. Tartar. & Alm. hîc. Palud. d.* 17. *qu.* 1. *art.* 5. *con.* 7. *Caiet. tom.* 1. *opusc. tr.* 4. *qu.* 1. *& Greg.* 2. *disp.* 3. *qu.* 1. *art.* 2. *Vasq.* 1. *part. disp.* 229. *cap.* 10. *tenent actum voluntatis non posse durare, tantùm vno instanti. Tertiò, regulariter requiritur duratio in attritione, quia incipitur ab imperfectiori: quòd verò sufficiat contritio instantanea, habet Doct. expresse infrà d.* 20. *con* 1. *& ad* 2. *&* 4. *Friuolæ sunt itaque Thomistarum circa hoc censuræ, & quod clamant aliqui dari posse iuxta hanc opinionem statum, in quo quis non posset se saluare, non tangit Scotus: quia, vt dixi, hanc non tenet: & eam tenentes facilè dicerent, non requiri tempus ad attritionem, quando est impossibile habere illud, sic illi saluant D. Thom.* 3. *p. q.* 87. *art.* 1.

&

& 1.2.qu.113.art.5. ad 3. & 4.d. 17. qu.2. art.2. qu.6. dicentem, ad contritionem requiri distinctam peccatorum recogitationem. Dicunt enim hoc non requiri in fine vitæ, quia est impossibile. Canus ergo, qui relect. de pœn.p.10. vocat hanc opinionem errorem Scoticum, dupliciter errat, quia nec Scoti, nec error est. Sed ipsius censura paruifacienda.

AD [i] huius intellectum sciendum, quòd peccator in peccatis existens eo modo, quo dictum est *in præcedenti quæstione art.1.* peccatum manere post actum, potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt auersiuum à Deo, & vt impeditiuum præmij, & vt inductiuum supplicij, & sub multis talibus rationibus: & potest voluntas ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis illud peccatum sic consideratum detestari, & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ. Potest etiam ista detestatio esse totaliter circunstantionata circunstantiis moralibus debitis: non est enim verisimile, quòd necesse sit propter peccatum istud remanens, actum quemcumque circa peccatum commissum esse defectiuum in aliqua circunstantia morali. Iste autem motus dicitur attritio, & est dispositio, siue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis: quæ sequitur in vltimo instanti alicuius temporis, in quo tempore ista attritio durauit. 14 *Vide Leuchet 1.d.17. qu.1.* §. Si dicatur.

Nec est certum, si Deus talem attritionem velit esse dispositionem ad iustificationem, nisi sit perfectè moraliter circunstantionata, saltem si est aliqua circunstantia inordinatè circunstantionata, non est dispositio ad iustitiam, quia tunc est actualiter offendens. Sed si est tantummodò carens aliqua circunstantia debita ex inconsideratione intellectus, vel omissione voluntatis, quantùm ad illam circunstantiam, tunc dubium est, si disponat sufficienter ad iustitiam. Sed si est attritio perfectè circunstantionata in genere moris, videtur omnino dispositio sufficiens ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam: in termino, inquam, quem Deus præfixit debere esse terminum illius motus attritionis, quam vsque tunc vult continuari: vel enim oportet dicere quòd iustificetur peccator sine omni dispositione sufficiente de congruo ex parte eius: & per consequens difficile est saluare, quòd apud Deum non sit acceptatio personarum, vt dictum est *lib.2.dist.6.quæst.2.* vel nulla potest esse sufficientior dispositio ad istam iustificationem, quàm ista attritio perfectè circunstantionata in genere moris: vt tunc in vltimo instanti, vel aliquo, vsque ad quod Deus determinauit attritionem debere durare, ad hoc, vt sit meritum de congruo ad iustificationem, infunditur gratia, & tunc simpliciter deletur peccatum. *Forte tãtùm petit duratione & intensionem, quãdo incipit dolor sine gratia, quã concurrẽte, statim dat effectũ, ex ipso Scot. d.16. qu.1.* §. Ad propositũ, *& d. 20.* §. In ista, *& ad secũdum & quartũ, vbi expresè ait esse possibilẽ cõtritionem in instanti.*

Et si manet idem motus contra peccatum in *esse* naturæ, & moris, qui priùs, idem motus, qui priùs fuit attritio in illo instanti, fit contritio: quia in illo instanti fit concomitans gratiæ, & ita actus formatus, quia habens secum charitatem, quæ est forma actus, vt hic loquimur.

Ibi tamen oportet distinguere signa naturæ, inter actum, vt est talis in *esse* naturæ, & moris, & inter charitatem, & inter actum, vt est formatus: quia in primo signo naturæ est ibi actus talis, in secundo charitas, in tertio actus formatus à charitate iam inclinante, & inhærente: & sic attritio fit contritio sine omni mutatione reali ipsius actus. 15 *Attritio sine sui mutatione fit cõtritio, adueniẽte gratiâ.*

Contrà, ergo non per contritionem deletur culpa, quia non est contritio, nisi in tertio signo naturæ, & in secundo deletur: neque etiam per contritionem illam, vt per meritum, quia sequitur illam deletionem. Potest ergo dici, quòd Deus disponit per attritionem in aliquo tempore, tanquam per aliquod meritum de congruo, in aliquo instanti dare gratiam, & pro illa attritione, vt pro merito iustificat, sicut est meritum iustificationis. Et licèt non continuaretur idem actus circa peccatum in genere naturæ, & moris, qui priùs; adhuc in illo instanti infunderetur gratia, quia iam præcessit meritum sufficiens de congruo. *An contritio præcedat vel sequatur peccati deletionem.*

Esto enim, quòd in vltimo instanti intellectus, & voluntas cessent à præterito actu, conuertendo se ad aliquem alium actum impertinentem: quare non iustificabitur iste in vltimo instanti, sicut alius habens in illo instanti actum, quem priùs habuit? Ille enim, qui in illo instanti habet actum, per actum huius, vt in illo instanti, non iustificatur: sed per actum, vt præcessit in tempore, & hoc modo, habuit alius actum illum. Et secundùm hoc, diceretur quòd non oportet ad deletionem peccati continuari aliquem actum pœnitentiæ, neque formatum, neque informem: sed tantummodò in tempore præcedente vsque ad istans actum pœnitentiæ informem.

Sed

16 Sed quid, si in illo instanti ponat obicem? sicut enim potest tunc habere actum impertinentem, ita oppositum. Diceretur, quòd non potest ponere obicem, quia iam meruit vt in illo instanti detur sibi gratia. Sed hoc nihil est, quia etsi non possit quis in instanti præmiationis post meritum de condigno ponere obicem, vt in instanti mortis non potest quis demereri (tunc enim merito suo debet reddi impeccabilitas.) tamen quia meruit de congruo, potest ponere obicem in illo instanti in quo reciperet terminum meriti de congruo si non esset obex: & sicut in termino meriti de congruo potest non habere illud quod meruit, quia ponit obicem, ita est verisimile quòd nisi continuet in illo instanti actum similem in genere moris, non habebit illud ad quod talis actus disponit meritoriè de congruo. Et ideò prima via videtur rationabilior, scilicet quòd per actum pœnitentiæ informem, sed plenè, vel semiplenè circunstantionatum in genere moris, deletur peccatum, vt per dispositionem præuiam, & meritum de congruo per actum autem pœnitentiæ, qui est formatus, & dicitur contritio, deletur, vt per actum concomitantem.

In instanti præmiationis de condigno, non potest poni obex. an idē in præmio de congruo?

Et cùm arguitur, contritio vt contritio sequitur deletionem; Respondeo, actus qui est contritio, in eodem instanti temporis præcedit natura deletionem, licèt vt contritio, hoc est, vt formatus, sequatur deletionem ordine naturæ; & sic debet concedi in sensu diuisionis, quòd per actum, qui est contritio, deletur peccatum, vt per dispositionem omnino proximam: nec est inconueniens, imò conueniens dispositionem proximam simul esse cum forma, ad quam disponit.

Quomodo cōtritio præcedit, & sequitur deletionem peccati.

COMMENTARIVS.

48 *Textus Doctoris.*

1 *AD huius intellectum, &c. Sciendum, quòd peccator in peccatis existens eo modo, quo dictum est in præcedenti quæst. art. 1. peccatum manere post actum, potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum vt offensiuum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt auersiuum à Deo, & vt impeditiuum præmij, & vt inductiuum supplicij, & sub multis talibus rationibus; & potest ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis, illud peccatum sic consideratum detestari, & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ. Potest etiam ista detestatio esse totaliter circumstantionata circumstantiis moralibus debitis*, &c.

Censura aduersariorū in hanc doctrinam.

Hanc sententiam Doctoris conclamant moderni esse Pelagianismum, vel semipelagianismum: neque secus contra Doctorem vrgent argumenta Patrum, & Conciliorum, quàm iidem vrserunt Pelagianos. Animum addit nescio quæ aliquorum nostrorum hac in parte trepidatio, & variæ responsiones, quæ textum Doctoris extra scopum discursus, & quæstionis, ac responsionis ab eo positæ, quam hîc declarat, extraxerunt.

Expositio textus per alios. Vega.

In primis Vega *de iustificatione quæst. decima & 11.* illa duo, quibus fundatur calumnia, nempe *ex naturalibus cum communi influentia*, refert ad intellectum tantùm, & non ad voluntatem, quasi intellectus ex puris naturalibus, cum communi influxu, possit proponere voluntati peccatum vt detestabile. Quem sequitur Angles *in 4. quæst. prima de essentia pœnitentiæ art. 6.* Tartaretus cedit quæstioni, & ita explicat textum, prout aduersarij volunt: nempe illum motum peccatoris esse ex naturalibus, fingens hanc controuersiam esse inter Doctorem, & Nominales, illis asserentibus necessitatem auxilij specialis ad pœnitentiam, illo negante: sed complicat quosdam terminos, vnde ambiguum sit quod velit. Delfinus, *in tractatu de iustificatione*, intelligit per influxum generalem comprehendere auxilium speciale. Fauentinus hanc rem fusiùs prosequens *in quarto in hoc loco dist. 14.* & plura loca ex Doctore congerit pro necessitate gratiæ. Videtur autem eò reducere decisionem, quò Delfinus, vt per influxum generalem comprehendatur auxilium speciale gratiæ: quod dici à Doctore eo sensu putat, quo excludatur auxilium, quod alij intelligunt physicè prædeterminans, in quo statuunt rationem, & efficaciam auxilij specialis, seu specialitatem, vt ita dicam, auxilij.

Angles. Tartaretus. Delfinus. Fauentinus.

Interpretationem huius loci veram dedit Scholiastes, in primo loco præmissi scholij; quā facile est confirmare ex ipso textu, cuius ille planus est sensus. Nam *in hoc articulo secundo* tria quærit. Primò vtrùm ad remissionem peccati requiratur actus virtutis determinatæ. Secundò vtrùm requiratur actus genitus ex habitu. Tertiò *si vt actus simpliciter perfectè circumstantionatus, nunquid vt formatus, vel sufficit informis?* Ad has quæstiones suo ordine respondet: ad duas primas negatiuè. Ad tertiam verò respondet cum distinctione: primò asserens quòd actus pœnitentiæ, vt est dispositio præuia ad remissionem peccati, semper est informis, sine charitate, & gratia habituali, *à cuius totius*, inquit, *inhærentia, & inclinatione ad actum, dicitur actus formatus*, &c. Hanc conclusionem abundè probauimus in præcedenti commento. Alterum membrum distinctionis est, loquendo de actu pœnitentiæ, vt est dispositio concomitans remissionem peccati, esse formatum: nam in instanti, quo deletur peccatum, charitas inest, & consequenter si requiritur vt concomitans, requiritur vt formatus. 49

Scholiastis interpretatio præfertur.

Scopus Doct. & litera.

Distributio, & ordo quæstionis, & scopus.

Conclusiones Doctoris.

In sequentibus autem declarat illas duas conclusiones, quomodo nempè actus sit præuius ad remissionem peccati per modum dispositionis, & quomodo sit concomitans. *Ad huius intellectum*, inquit, *sciendum*, &c. *quòd peccator in peccatis existens, eodem modo, quo dictum est in præcedenti quæstione art. 1. peccatum manere post actū, potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt auersiuum à Deo,* 50

Declarat priores conclusiones.

&

& vt impeditiuum pramij, & vt inductiuum supplicij, & sub multis talibus rationibus: & potest voluntas ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multas illud peccatum sic consideratum detestari, & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratia. Potest etiam ista detestatio esse totaliter circumstantionata circumstantiis moralibus debitis: non est enim verisimile, quòd necesse sit propter peccatum istud remanens, actum quemcumque circa peccatum commissum esse defectiuum in aliqua circumstantia morali. Iste autem motus dicitur attritio, & est dispositio, siue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, qua sequitur in vltimo instanti alicuius temporis; in quo tempore ista attritio durauit.

51 *Hoc est certum, si Deus talem attritionem velit esse dispositionem ad iustificationem, nisi sit perfectè moraliter circumstantionata, saltem si est aliqua circumstantia inordinatè circumstantionata, non est dispositio ad iustitiam, quia tunc est actualiter ostendens: sed si est tantummodò carens aliqua circumstantia debita ex inconsideratione intellectus, vel omissione voluntatis, quantùm ad illam circumstantiam, tunc dubium, si disponat sufficienter ad iustitiam: sed si est attritio perfectè circumstantionata in genere moris, videtur omnino dispositio sufficiens ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam, in termino, inquam, quem Deus præfixit, debere esse terminum illius motus attritionis, quam vsque tunc vult continuari: vel enim oportet dicere quòd iustificetur peccator sine omni dispositione sufficiente, de congruo ex parte eius, & per consequens difficile est saluare, quòd apud Deum non sit acceptatio personarum, vt dictum est libro secundo dist. 6. quæst. 2. vel nulla potest esse sufficientior dispositio ad istam iustificationem, quàm ista attritio perfectè circumstantionata in genere moris: vt tunc in vltimo instanti, vel aliquo vsque ad quod Deus determinauit attritionem debere durare, ad hoc, vt sit meritum de congruo ad iustificationem, infunditur gratia & tunc simpliciter deletur peccatum, &c.*

52 *Diuisio textus in sua mèbra, & expositio.* In primis distribuendo hanc doctrinam in sua membra, dicit peccatorem posse ex naturalibus *cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contra legem diuinam*, nempe reuelatam, *& vt auersiuum à Deo, & vt impeditiuum pramij: & vt inductiuum supplicij.* Hæc propositio constat pluribus prædicatis disiunctis, vel etiam copulatis, vt volueris, quæ omnia referuntur ad illud idem subiectum, nempe ad intellectum, vt ex naturalibus cum communi affluētia potest considerare peccatum secundùm hæc motiua. De voluntate autem subiungit sine illa limitatione *ex naturalibus cum communi affluentia*: quòd possit detestari peccatum sub aliquo, aut pluribus istis motiuis: ergo fundamentum calumniæ obiectæ est tantùm ex parte intellectus.

53 *Diluitur calumnia vt ex parte intellectus obiicitur. Regula pœnitentia est fides.* Sed neque in hoc etiam est tale fundamentum, quia in quæstione sequenti docet expressè, vt videbimus, fidem diuinam esse regulam pœnitentiæ, neque posse esse notum creaturæ Deum esse finem suum sub propria ratione per lumen naturale sine reuelatione, & fide, sicut neque virtutes euangelicæ possunt esse notæ, vel habere regulam notam lumine naturali: *In virtutibus enim, inquit, aliqua sunt possibiles natura humana ordinabiles ad finem sub ratione superiori quàm sit cognitio huius status, &c.* Quod exemplificat de paupertate, castitate, & obedientia. Sic etiam dicit infrà regulam pœnitentiæ esse reuelatam, & notam ex Euangelio, *Pœnitentiam agite*, Matth. 5. & *suprà* §. *Hic dicitur in secunda Regula*, &c. *Alia*, inquit, *regula respiciens peccatum detestandum tantummodò est nota ex reuelatione, scilicet quòd peccatum est detestandum, inquantùm est Dei offensiuum, vel inquantùm auersiuum à Deo, vel impeditiuum acquisitionis Beatitudinis, vel inquantùm inductiuum finalis miseria*, &c. Ecce hîc exprimitur eadem concipiendæ contritionis præmissa motiua, offensionis diuinæ, auersionis, impeditionis præmij, inductionis supplicij, tamquam, quæ necessariò cognosci debent ex regula fidei, & reuelationis: ergo per particulam illam *ex naturalibus cum communi influentia*, &c. positam ex parte subiecti, nempe intellectus considerantis, non intendit Doctor excludere gratiam, & habitum, aut actum fidei ab intellectu, aut gratiam reuelationis, neque alia adiutoria tam intrinseca, quàm extrinseca, in ordine ad talem considerationem per ipsum necessaria: neque consequenter intendit ita strictè loqui de natura, aut intellectu, vt præscindit ab his adiutoriis, sed tantùm iuxta scopum quæsiti & responsionis datæ vt solùm excluditur iustitia inhærens in voluntate, ad quam actus pœnitentiæ ex his motiuis conceptus est dispositio præuia, & informis, ante remissionem peccati. *Motiua contritionis ex sola fide cognita.*

54 *Confirm. Agit de pœnitentia fidelis adulti, & peccatoris.* Confirmatur, quia Doctor hîc agit de pœnitentia peccatoris adulti, & fidelis, quæ est dispositio præuia, quam consequitur remissio peccati, & quam vocat ipse meritum de congruo, & acceptatum à Deo, & præscriptum lege, & per se intentum efficaciter à pœnitente per modum satisfactionis taliter præscriptæ, & ad finem deletionis peccati. Hæc omnia necessariò supponunt fidem: ergo nihil minus intendit Doctor, quàm intellectum ex puris naturalibus posse hæc omnia cognoscere, & proponere practicè voluntati, tanquam regulam operandi: vnde patet eum præcisè loqui de intellectu *ex naturalibus*, &c. quatenus excluditur illa forma charitatis inhærentis, à qua habent actus tam fidei, quàm aliarum virtutum, esse formati, & haberi causas sufficientes ex parte intellectus, & etiam voluntatis respectu dispositionis, ad quam consequitur remissio peccati absque eo, quòd charitas habitualis influat in istum actum dispositiuum, vt excludat opinionem illam, quam superiori capite impugnauimus, & ostendat actum, vt informem, sequi ad prædictas causas per se eius, & sic in vltimo instanti inferre per modum meriti de congruo, & dispositionis prȩuiæ à Deo acceptatæ, remissionem peccati, & infusionem gratiæ per modum causȩ ea ratione, qua ipsa dispositio ex diuina acceptatione est causa. Sed dices, quid ergo intendit per illa verba *ex naturalibus cum communi influentia?* Respondebitur *infrà*: sufficit pro nunc probare quòd per hoc non excludit gratiam supernaturalem requisitam ad actum fidei diuinæ ex parte intellectus. *Fundatur in fide. Excluditur sola charitas habitualis.*

55 *Non excluditur gratia præueniens à voluntate.* Probatur secundò minùs excludi ex textu à voluntate gratiam præuenientem, & adiuuantem, in ordine ad actum detestationis peccati, qui sit talis dispositio, de qua loquimur; sic non potest secundùm principia explicata Doctoris excludi ab intellectu, cui additur illa clausula *ex naturalibus*, &c. à voluntate autem in toto textu nihil excludit, nisi gratiam sanctificantem, quam

Nihil excludit textus à volũtate præter habitum gratiæ.

quam dicit solùm in esse simul cum remissione peccati. Vnde ergo suppetit vel apparens fundamentum eam excludere à voluntate gratiam præuenientem? si quis ita in scholis discurreret: actus disponens perfectè ad remissionem peccati est præuius ad infusionem gratiæ sanctificantis: ergo non est ex gratia Dei præueniente, nemo admitteret; & meritò, quia nec fides, nec ratio id admittit. Antecedens dicit solùm Doctor, vt excludat influxum gratiæ sanctificantis in illum actum. Consequentiam verò inferunt aduersarij: sed qua lege? nullâ sanè, quæ inuitatur principiis assertis Doctoris.

Fallax argumentum.

56

Non excludi gratiã præuenientem.

Quod probo eadem euidentia, qua primum probatum est. Detestatio peccati ex duobus primis motiuis intrinsecis (de his enim agit Doctor, qui docet in præcedenti paragrapho, & quæstione, sæpiùs causam proximam tristitiæ esse detestationem seu displicentiam peccati ex motiuo formali illiùs virtutis, ex quo concipitur) *suprà* expressis auersionis à Deo, & offensionis diuinæ ex principiis Doctoris sunt actus diuinæ charitatis supernaturalis, vt in articulo primo huius quæstionis probatum fusiùs contra eos, qui dicunt hunc actum esse proprium virtutis pœnitentiæ, saltem ex assertione iterata Doctoris sæpiùs in dicto articulo, est actus charitatis. Similiter duo vltima determinant obiectum & actum spei; sed nihil magis est contra Doctoris doctrinam, quàm dicere, quòd voluntas ex natura sua, aut virtute naturali secluso adiutorio supernaturali, possit attingere hos actus, aut motiua eorum, vt patet *ex* 3. *dist.* 26. & 27. *d.* 34. & *in primo d.* 17. *quæst. prima*, & *in quarto dist.* 6. *quæst.* 10. *Ad tertium pro opinione*, vbi dicitur habitum supernaturalem esse simpliciter potentiam, non ita acquisitum, & *quæst. prima prologi per totam*, & aliàs sæpissimè: secundùm quæ principia, quæ ipse tradit tanquam certa de fide, debet sententia intelligi, vt dicit hic voluntatem detestari peccatum posse ex motiuo charitatis, & spei, & comprehendit specialem Dei concursum ad tales, qui eliciuntur secundùm inclinationem charitatis, & spei, vt voluntas est informis ante remissionem peccati, & sine habitu charitatis.

Detestatio peccati ex motiuo offensa diuinæ, & auersionis.

Est actus elicitus charitatis supernaturalis.

57

Spes manet habitualis in peccatore.

Accedit ex principiis Doctoris, quòd spes maneat in peccatore secundùm habitum, quando non est peccatum contra ipsam virtutem, & deperditur demeritoriè tantùm gratia sanctificans, quæ est charitas; quod & *hic* supponit, asserens restitui gratiam cum remissione peccati in iustificatione peccatoris: & *in articulo præcedenti* §. *De secunda significatione*, &c. dicit detestationem peccati elicitam ex motiuo spei esse sufficientem pœnitentiam, quantùm est ex parte displicentiæ requisitæ: ergo nihil minùs *hic* intendit, quàm voluntatem posse habere talem motum, & displicentiam ex sola virtute naturali.

58

Tertiò probatur ex ratione subiuncta, *Potest etiam*, inquit, *detestatio esse totaliter circumstantionata circumstantiis moralibus debitis.* & infrà: *nec est certum, si Deus talem attritionem velit esse dispositionem ad iustificationem, nisi perfectè moraliter circumstantionata.* Et infrà: *si est attritio perfectè circumstantionata in genere moris* (idest, actus boni) *videtur omnino dispositio sufficiens ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam*, &c. Et infrà: *nulla potest esse sufficientior dispositio ad istam iustificationem, quàm ista attritio perfectè circumstantionata in genere moris.*

Debet contritio esse circũstantionata.

Inter has circumstantias requiritur ex mente Doctoris, & sententia constanter asserta, vt sit actus elicitus à charitate, vel certè relatus in finem eius, & imperatus ab ipsa; hoc autem nequit fieri viribus naturæ, seu à sola voluntate secundùm virtutem innatam iuxta principia Doctoris citata in ratione proximè præmissa: ergo non intendit hîc voluntatem posse se disponere ad iustificationem ex propriis, & solis viribus naturalibus. Maior probatur ex paragrapho sequenti, in qua comparat actum proprium pœnitentiæ, & charitatis ad inuicem circulariter, secundùm perfectionem, vt se mutuò imperant, & dicit vtriusque actus esse mutuam excellentiam, & ex contemplatione & sola charitate Dei posse innasci maximam tristitiam, quæ facit ad remissionem peccati. Et *suprà in articulo præcedenti* §. *Aliâ conclusio est ista*, &c. subdit habitudinem pœnitentiæ actualis ad charitatem, quã ipsam imperat, aut à charitate imperatur, cui magis ex fine suo competit imperare.

Debet esse elicita aut imperata à charitate.

Comparatio actus charitatis & pœnitentiæ.

Vnde infrà distinct. 20. quæst. vnica in probatione secundæ conclusionis argumento secundo. *Secundò*, inquit, *ad hoc, quòd displicentia valeat, & sit ordinata, oportet quòd sit debitè circumstantionata, & maximè circumstantia finis, & principij actiui principalis, vt scilicet, voluntaria propter Deum*, &c. Quod probat ex Augustino lib. 50. hom. 41. *Oportet non solùm timere iudicem, sed diligere: arbitrij enim libertatem quærit, vt delere possit commissa, non necessitatem: charitatem, non timorem*, &c. 59

Augustin.

Et in tertio dist. 36. artic. 3. exponens Augustinum lib. 4. contra Iulianum cap. 2. dicentem, quòd non sunt veræ, & perfectæ virtutes sine charitate. *Respondet, potest dici*, inquit, *quòd nulla virtus inclinet ad finem vltimum, nisi mediante illa* (supple charitate) *cuius est per se respicere finem vltimum immediatè; aliæ non erunt ad finem vltimum, nisi mediante charitate: quatenus autem sunt quædam instrumenta perficiendi hominem, debent esse instrumenta ordinandi ipsum ad finem vltimum, in quo est sua perfectio; & ideò sunt imperfectæ sine charitate, sine qua non possunt ordinare.* Et infrà: *pro tanto igitur dicuntur esse informes sine charitate, & formatæ per charitatem, pro quanto charitas ordinat ipsas, & earum fines in finem vltimum, in qua ordinatione est vltima earum perfectio, licèt extrinseca per hoc patet ad Augustinum: nam verè non sunt veræ sine charitate, quia non perducunt ad finem Beatitudinis*, &c. vbi loquitur vniuersim de omnibus virtutibus, vt sunt operatiuæ ad salutem, & sic dicit ordinari per charitatem operantem etiam, & ordinantem actus aliarum virtutum ad finem vltimum, & salutem hominis; quatenus est ex ipsis tanquam mediis, seu instrumentis perficientibus hominem in ordine ad finem.

Charitas ad finem immediatè inclinat, reliquæ virtutes mediatè.

Sũt imperfectæ sine charitate.

Ordinatur per ipsã charitatem.

Ex hoc eodem principio *in dicto articulo* §. sequenti, *Quod si dicatur*, &c. dicit virtutes morales per se infusas non esse necessarias propter modum, medium, & finem: quia omnis finis, quem non possunt habere ex specie, determinatur sufficienter ex inclinatione charitatis, modus autem & medium determinãtur per fidem infusam, &c. Ex hoc ergo principio docet ad actum contritionis, seu attritionis perfectæ, vt vocat, requiri vt eliciatur secundùm inclinationem charitatis 60

Modus, mediũ & finis virtutum habetur per fidem, & charitatem.

charitatis infusæ, & dilectionis Dei, vt sit sufficiens dispositio ad salutem, & remissionem peccati. Ex quibus rectè colligitur sensus realis literæ, nempe Doctorem excludere dumtaxat concursum charitatis habitualis à cæteris causis, in ordine ad hanc dispositionem, non auxilij specialis Dei, aut gratiæ actualis.

Non sufficere habitum, sine gratia actuali ad actum.

Imò quod magis est, neque in iusto admitteret Doctor habitum infusum cum virtute naturali potentiæ habere posse actum, nisi cætera concurrant necessaria, quorum vnum est auxilium gratiæ actualis, seu gratia excitans, & adiuuans necessaria etiam iustis, vnde in d.6. huius quæst.10. §. *Respondeo ergo*, &c. vers. *Et si dicas*, &c. *Respondeo*, inquit, *habitus supernaturalis potest esse disponens ad actum bonum, licèt non sit eius principium elicitiuum proximum, vel sufficiens: & hoc modo fides infusa non est principium sufficiens eliciendi actum credendi, nec charitas infusa eliciendi actum diligendi: sed inclinant vt concurrentibus alijs necessarijs actus bonus eliciatur*, &c.

Habitus infusus non est sufficiēs principium actus, sine alijs.

61 Item, *in 3. d.23. q.vn.* §. *Ad quæstionem tamen dico.* vers. *Nec pono habitum fidei infusâ*, &c. vbi ostendens necessitatem huius habitus, non solùm propter gradum, sed etiam propter substantiam assensus: *Quia assensus*, inquit, *non est totaliter à voluntate*; subdit rationem: *Aliqui enim*, inquit, *sunt, qui vellent magis assentire, & tamen minùs assentiunt; & ideò petebant Apostoli, Domine adauge nobis fidem: & in quadam collecta petitur augmentum eius: Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum*, &c. *istud non oporteret petere si totus assensus esset à voluntate*, &c. quia nempe esset ex natura. Hoc ipsum est argumentum Augustini de necessitate gratiæ adiuuantis ex oratione Ecclesiæ variis in locis. Vnde Trident. *sess. 6. cap.10.* de acceptæ iustitiæ incremento in fine: *Hoc verò iustitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cùm orat: Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum*, &c. Ratio autem Doctoris perinde concludit de fide actuali, quàm habituali: quia voluntas etiam Apostolorum supponebat fidem habitualem, sicut & eorum, qui vellent plus assentire, & non possunt, quod perindè etiam ipsa oratio petens augmentum fidei, spei, & charitatis, supponit. Ergo etiam supponit Doctor similiter non sufficere voluntatem, & intellectum esse habituatum respectiuè ad hos actus, nisi addatur auxilium gratiæ, quod postulat oratio, respectiuè ad opera, ex quibus est profectus in his virtutibus.

Actus fidei, & augmentum donatur.

Necessitas auxilij.

Trident.

Necessitas orationis.

62 Accedit quòd *in 3. d. 34.* non distinguat dona in ratione habitus à virtutibus, tam moralibus, quàm infusis; quia putat virtutes etiam à Deo donari per gratiam. Vnde in §. *Aliter dicitur, quòd oportet*, &c. impugnat D. Thomam quà statuit necessitatem diuersorum habituum doni, & virtutum, in hoc, quòd virtus disponat voluntatem, vt mobilis est à recta ratione: habitus autem doni disponat eandem, vt mobilis est à Spiritu sancto. Contrà autem vrget Doctor tertiam rationem: *Ex quo Deus*, inquit, *dedit habitum voluntati, semper assistit voluntati, & habitui ad actus sibi conuenientes; sicut postquam illuminauit cæcum miraculosè, semper assistit illuminato, vt possit mouere illam potentiam: igitur per idem est aliquid proportionatum mouenti primò, & secundò. Igitur si per habitum proportionatur Spiritui sancto, vt alij mouenti: non igitur propter illam motionem oportet ponere necessariò alios habitus*, &c.

Dona non esse habitus diuersos à virtutibus.

Habitus moralium donari.

Habitus ergo tam infusarum, quàm etiam acquisitarum donatur à Deo iuxta sententiam Doctoris professam; infusus quidem immediatè infunditur: acquisitus mediantibus operibus ex quibus est donatus. Et vlteriùs Spiritus sanctus secundùm exigentiam cuiusque, cooperatur mediante gratiâ suâ, ad opus connaturale. 63

Quid porrò donum sit, declarat in primo d.18. quæst. vnica, §. *Respondeo primò ad rem in se*, &c. circa finem: *Inter omnia*, inquit, *dona dantis, primum donum, quod dat, & quisque dare potest, est amor eius, quem primò dat amato, qui est ratio cuiuscumque alterius doni: nihil enim habet rationem doni, nisi inquantùm cadit sub actu amoris: non cultellus, vel rosa, neque aliquod exterius habet rationem doni, vel meretur nomen doni, nisi communicatum amicabiliter actu amatorio voluntatis*, &c.

Quid sit donum?

Subnotanda præterea sunt, quæ docet *in 2. d.29. q. vnica*, ad confirmationem huius, & intellectionem. Dicit autem, §. *Potest dici ergo*, &c. quòd voluntas in puris naturalibus absque omni dono nata sit condelectari appetitu sensitiuo, & delectabili, à quo neque se, neque appetitum potest retrahere delectabiliter viribus propriis, sine dono aliquo supernaturali: ac proinde necessarium fuisse in statu innocentiæ tale donum, quo constitueretur ipsi finis delectabilior, nempe Deus, & reliqua ordinata ad ipsum, quàm esset delectabile retrahens à fine. Vnde probat tranquillitatem illius status fuisse ex tali dono supernaturali, & non ex natura. Non est quòd aliquid illius paragraphi exscribam: quia totus est in declaratione, & probatione huius: & videatur *in responsione ad argumenta ad primum*: vnde in corpore dicit; *Illa*, inquit, *iustitia facit donum supernaturale, quia fecit Deum delectabiliorem voluntati, quàm aliquod appetibile sensibile: quod non potuit esse ex aliquo dono naturali ipsius voluntatis*, &c. 64

Inclinatio voluntatis.

Necessitas doni in statu innocentiæ.

Ex eo tranquillitas status illius, non ex natura.

Hæc ipsa est doctrina sancti Augustini vbique contra Pelagianos: nam infirmitas naturæ ab ipso in hoc statuitur, vel quia viam veritatis nesciat: vel quia cognita non delectat, nec apprehenditur à voluntate, quæ magis afficitur sensui, & sensibili: ex hoc etiam necessitas gratiæ excitantis & præuenientis ab eodem statuitur. Videatur *de corrept. & gratia, cap.2. lib.2. de peccatorum mer. & remiss. cap. 7. & 19. de Spiritu & litera, cap.2. 29. 35. lib. 2. ad Simplicianum.* Prosper *c.14. contra Collatorem.* Imò & Trident. *sess.5. & 6.* & ratio est clara: quia gratia Christi succedit iustitiæ originali ad sanandam naturam in ordine ad operandum bonum: ergo præcipuè respicit illam infirmitatem, quam induxit peccatum: sed huic non plurimùm insisto: quia magis spectat ad materiam de auxiliis: sufficiat tantùm ex occasione indicasse, & doctrinam Doctoris ostendisse esse ipsam, quæ est Ecclesiæ, & Augustini; quin imò, si permitteret præsens occasio, ostenderem inter inter Theologos hac in parte neminem esse, qui magis sequatur doctrinam Ecclesiæ de necessitate gratiæ ad opus bonum; considerando eius principia, & applicando ad propositum illius quæstionis. 65

Doctrina Augustini contra Pelagianos.

66 *Aduertentia.* Verùm, sequendo institutum, admonendum est bonum salutis aliquando enim appellare virtutis nomine, aliquando doni: appellat nomine virtutis ex more Philosophorum: doni appellatio est ad denotandum gratiam ex qua donatur. Vnde *in 30. d. 33. §. Ad illud de Principatu despotico*, recedit à Philosopho, asserens, non cognouisse alium naturæ statum quàm præsentem: *Putauit enim*, inquit, *conditionem naturæ corruptæ esse conditionem naturæ institutæ*, &c. allegans contra eum, quæ dixit *in prædicta dist. 29. secundi sententiarum de infirmitate voluntatis ad bonum rationis*, & circa finem vltimum, & ordinata ad ipsum, nisi detur in ea donum aliquod, modo iam declarato; quod donum hîc appellat virtutem. Ratio autem, ad quam respondet, est quarta in ordine ad initium quæstionis posita, cuius intentum est, non dari virtutem in voluntate, sed in appetitu sensitiuo, ex eo, quòd voluntas ipsi præsit principatu despotico, & ciuili.

67 Ad hoc ergo vt moueatur à voluntate delectabiliter, sufficit vt in ipso sit virtus inclinans ad obiectum rationis delectabiliter. Hanc consequentiam negat Doctor ex ratione præmissa; quia neque imperare appetitui, neque sequi bonum honestum, aut media, & finem potest ipsa voluntas alligata appetitui, & inclinata ex peccato in bonum sensibile, quod est obiectum sensitiui appetitus, nisi per donum gratiæ adiuuetur, quod reddat finem magis delectabilem, quàm sit delectabile sensibile retrahens: in *Error Philosophi.* hoc ergo recedit à Philosopho, inquantùm voluntati tribuit ex naturali virtute posse habere actum, & habitum virtutis, & dominari appetitui quantùm ad moderationem, quæ requiritur ad sequendum medium rationis. Doctor autem ex dictis *d. illa 29.* negat hoc esse ex sola natura, sed ex dono. Primum secuti sunt Pelagiani, qui ad hoc negabant gratiæ necessi- *Doctrina fidei.* tem, vt patet ex Augustino passim contra eos, speciatim *lib. 4. contra Iulianum, cap. 30.* vbi eo modo, quo Doctor, & ex eodem fundamento infirmitatis naturæ, astruit virtutes esse dona gratiæ.

68 Similiter in loco primùm allegato, §. 3. *ratio*, &c. vbi reducit tertiam rationem D. Thomæ ad oppositum, probat necessitatem virtutis in voluntate, ex fine ipso, quo exigitur virtus ad moderandas passiones: quia nempe passio est etiam in voluntate, ex Augustino *Necessitas virtutis in voluntate. Moderatio appetitus variis modis contingit.* *lib. 14. de Ciuit. cap. 5. & 6.* deinde, quia moderatio passionis appetitus sensitiui magis per se competit voluntati, quàm appetitui (qui ducitur, & non ducit) vel minuendo passionem, quæ inest secundùm naturam potentiæ, & obiecti, si sibi dimitterentur, vel referendo prosecutionem appetitus in finem rationis; vel præueniendo passionem futuram, quæ inesset: ergo in ipsa voluntate magis statuenda est virtus moderatrix passionum, quàm in appetitu. Quod confirmat mox authoritatibus Augustini, & Magistri, inde concludens virtutem esse primariò in voluntate.

69 *Virtus est supplementum naturalis defectus.* Præterea, *in præsenti quæstione*, quam explicamus *in fine respons. ad argumenta*, asserit in prima responsione, conformiter ad hactenus dicta, virtutem esse in nobis supplementum defectus naturalis, nempe infirmitatis incursæ per peccatum, vt superiùs locis citatis declarauit. Vnde dicit, quòd in statu innocentiæ non fuissent quales nunc sunt, nec fuisset necessitas habendi virtutes omnes, quas & nunc, &c. Patet ergo ex principiis eius citatis habitum, & actum virtutis etiam moralis donari per gratiam, & non esse ex virtute naturæ solius: quia, vt optime *in primo d. 41. §. Contra istud, Petrus & Iudas*, &c. respondens ad argumentum factum contra ordinem prædestinationis, & reprobationis à se positum. *Nec mirum*, inquit, *quòd non ponitur similis processus prædestinationis, & reprobationis, quia bona omnia*, inquit, *attribuuntur principaliter Deo: mala autem nobis:* ergo opera bona, quæ sunt media producendi ad finem prædestinatum, sunt principaliter à Deo, & *Bona omnia à Deo sunt principaliter, mala à nobis.* non à nobis: mala verò principaliter à nobis, permissiuè à Deo: vbi loquitur de bono & malo vt sunt in operibus; vide plura in hac distinctione. Calumnia itaque prætensa aduersariorum manet exclusa: quia procedit ex malo intellectu sententiæ, & literæ Doctoris: quam diluunt etiam Scholiastes, & Faber citatis variis locis Doctoris, quos consulere poterit lector.

Quartò probatur vera sententia Doctoris ex locis in specie de pœnitentia, quibus asserit eam haberi ex dono Dei: *in hac dist. quæst. 4. responsione ad secundum argumentum*, quod est ex Augustino in caput Ioan. 11. de suscitatione Lazari: *Nemo potest confiteri nisi suscitatus*, &c. supple per gratiam: *Concedo ergo*, inquit, *quòd ante perceptionem dignam pœnitentiæ oportet suscitari, vel simpliciter, & tunc per pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum: sed gratia, quæ infuit, augetur: vel suscitari secundùm* quid, *scilicet vt habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cauendi de cætero, & velit suscipere Sacramentum pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio, & tunc suscitatur simpliciter per Sacramentum*, &c. Tam Augustinus, quam Doctor loquuntur de suscitatione per gratiam, & vocat suscitationem simpliciter illam cui annexa est remissio peccati, vt in contritione perfecta contingit, vel in virtute Sacramenti: vocat suscitationem secundùm *quid* illam, quæ est attritionis imperfectæ, nec se solâ sufficientis ad remissionem sine Sacramento: ad vtrumque autem requirit gratiam præuenientem, qua peccator suscitatur ex affectu peccati, ad conuersionem ad Deum, & ad ipsam peccati detestationem. 70

Quarta probatio ex assertione in terminis.

Necessitas excitationis per gratiam.

Duplex suscitatio.

Item, *dist. 20. quæst. vnica*, in qua hæc est prima conclusio: *Pœnitentia vera siue interior sola, siue exterior cum susceptione Sacramenti pœnitentiæ sufficit ad salutem alicuius in extremis.* Quam sic probat: *Primum*, inquit, *patet per Augustinum, & ponitur in littera: quoniam Deus semper potens est etiam in morte præmiare quibus placet: cùm ergo opus sit non hominis: sed Dei fructuosam pœnitentiam inspirare, potest eam, quandocumque vult sua misericordia*, &c. supple dare, vel inspirare. 71

Inspiratio pœnitentiæ opus Dei, non hominis.

Item infrà d. 22. q. 1. art. 2. in fine, corollario secundo. *Nec tamen credit*, inquit, *quòd merita mortificata omnino nihil faciant in acceptatione diuina ad primam gratiam dandam huic lapso: quia licèt secundùm strictam iustitiam iste inimicus Dei non sit dignus de propinquo ad aliquam gratiam, & gloriam, tamen excellens misericordia Dei, propter præcedentia merita, licèt mortificata, citiùs dat gratiam ad resurgendum*, &c. *vnde aliquando audiui*

Deus dat gratiam ad resurgendum à peccato.

dini de viro prius valdè perfecto, & profundissimè lapso, cùm propter facinora sua esset morti adiudicatus, misericordissimè visitato perfectissima pœnitentia sibi subitò inspirata, &c.

72 Item articulo 3. *Ad primum, concedo quod simpliciter maius beneficium diuinum est, conseruare innocentiam, quàm concedere post peccatum pœnitentiam; vnde maius beneficium contulit Deus suæ Matri, quàm Magdalenæ*, in quibus habetur, quòd tam præseruatio à peccato, quàm pœnitentia, sit ex dono Dei. Vnde infrà dicit: *Sed nullus est cui Deus pauca donat, quia pauca commisit; quin sit ei aliud beneficium datum magis quàm donare, id est, remittere plura, scilicet eum ab aliȷs, in quæ cadere potuisset, & cecidisset, nisi præseruatus à Deo fuisset: & hoc consonat glossa Augustini: & commissa, & non commissa donantur: quia nullus est, qui aliqua committat, quin alius possit eadem committere, nisi præseruaretur: igitur ille, cui dimittitur, tenetur plus diligere, supple ex causa remissionis: sed alius tenetur diligere ex alia causa: quia non habuit dimittenda, quod sine præseruatione diuina esse non potest*, &c. quod commodissimo exemplo morali optimè mox declarat.

Gratiarum actio propter præseruationē à lapsu debita.
August.
Præseruatio ex gratia est.

73 Ex hoc, & textu, & doctrina, vel sola, palam fit, quàm distet Doctor à Pelagianismo, & semipelagianismo, & quàm rigorosè sequatur sententiam Patrum contra eosdem: dicit nempe præseruationem à peccato in eo, qui non peccat, esse donum speciale, sine quo haberi nequit cessatio à peccato, aut continentia: præseruatio autem à peccatis fit per obseruantiam legis, per victoriam tentationum, per operationem virtutis, siue cessando, & fugiendo à malo, siue sequendo bonum: omne enim peccatum per opposita horum contingit. Hæc tria viribus naturæ tribuebant Pelagiani: at contrà Doctor, beneficio Dei præseruantis specialiter hominem, ex quo magis incurrit obligationem gratitudinis ad Deum, quàm is, cui post lapsum donatur à Deo gratia pœnitentiæ: Deus nempe non præseruat à malo, nisi dando gratiam, qua fit bonum.

Quid sit præseruatio, & quā magnū donum.

74 *Sine me nihil potestis facere*, Ioan. 15. *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* 1. ad Corinth. 4. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*, 2. ad Corinth. 3. *Deus est, qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate*, &c. ad Philipp. 3. *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in ipsis ambulemus, ad Ephes.* 2. Hinc etiam articulus ille 7. Diospolitani obiectus Pelagio: *& gratiam Dei, atque adiutorium non ad singulos actus donari: sed in libero esse arbitrio, vel in lege, aut doctrina*, &c. supple gratiam & adiutorium operandi bonum, quod docuit Pelagius: ideo in Palinodia præscripta à Concilio ita habetur: *vt fateatur gratiam Dei, & adiutorium etiam ad singulos actus dari, eámque non dari secundùm merita nostra*, &c. quem articulum non secus ac fidei, tractat Augustinus variis in locis, vt *de gestis Pelagij, cap.* 12. *epistola* 106. 107. *lib.* 1. *de gratia Christi, cap.* 3. cui consonat Arausican. *cap.* 9. 11. 20. 22. 23. Patet eadem veritas ex epistolis Innocentij, Zozymi, & Cœlestini, & vbique ex Augustino contra eosdem, neque ex multis pauca notare libet: sed insinuasse sufficiat eandem esse doctrinam Ecclesiæ, quam hîc Doctor tradit: neque aliter hanc præseruationem à peccatis per modum doni specialis *hîc* explicat, quàm eandem explicuerit *in* 2. *d.* 20. docens confirmationem viatoris in gratia non consistere in eo, quòd tollatur ab eo potentia peccandi (quia hæc est confirmatio, quæ lege tribuitur voluntati in termino, seu in patria) sed in præseruatione ne actu peccet, Deo ipsum præueniente: vt contigisse putat multis sanctificatis in vtero, quamuis hanc præseruationem in ipsis non extendat ad peccata leuia propter authoritatem Ioan. *Si dixerimus quòd peccatum non habuerimus*, &c. 1. Ioan. 1. Sic *in* 1. *d.* 44. docet Deum de potentia ordinaria saluare posse viatorem, qui morietur in peccato mortali: *Quia*, inquit, *potest eum sua gratia præuenire.* Damnatum autem non posse, nisi de potentia absoluta.

Diospolitanū Conc.
August.
Arausican.

His præmissis ad responsionem censuræ aduersariorum, non est quòd obiectionibus eorum respondeamus, quibus nobis apponunt Patres contra Pelagianos: quos faciliùs fortè retorquerem in ipsos, si vices reddere in hoc vellem: nam qui ponunt virtutes morales acquisitas posse esse ex viribus liberi arbitrij, & ad saluandum authoritates Scripturæ, & Patrum, statuunt totidem morales infusas, quibus disponatur homo circa finem, & media, quasi virtutes notæ Philosophis (quas putabant viribus naturæ haberi, & exercitationis, quod etiam docuit Pelagius, & cum eo Iulianus, vt patet ex variis locis Augustini contra ipsum) non facerent ad salutem, neque donarentur per auxilium gratiæ Christi, cuius oppositum noster Doctor tenet: hi, inquam, maiorem difficultatem patiuntur in explicandis Patribus, quàm nos: vel certè superfluitatem inuehere probantur, quia non probabunt, vel saltem difficulter probabitur necessitas infusarum, nisi per eadem loca Patrum, quibus disserebant contra errorem Philosophorum, & Pelagianorum. Vel ergo Patres non disserebāt de eadem materia de qua aduersarij, quos impugnabant, vel certè si de eadem quæstione fuit concertatio, fundamentum statuendi alias infusas morales, non suppetit ex doctrina reuelata, sed hoc argumentum reseruo in sequentem partem huius quæstionis, vbi disserendum erit de pœnitentia an sit virtus infusa, & simul etiam de aliis infusis, ex communicatione eiusdem fundamenti? 75

Aduersarij maiorem difficultatē patiuntur in saluādis Patribus.

Superest tandem vt post hæc interualla, quæ nostris statuendis concessimus, aut respondeamus ad obiectionem suprà factam, & declaremus quid per illa verba *ex naturalibus cum influentia generali*, &c. intendat Doctor. In primis interpretatio Vegæ non subsistit, vt patet ex interpretatione literæ: agit enim hîc Doctor de peccatoris fidelis pœnitentia, ex qua iustificatur, tanquam ex dispositione præuia, etiam extra Sacramentum: quæ vocabulo communi ex vsu iam in scholis recepto dicitur contritio perfecta; deinde motiua detestandi peccatum, quæ intellectus considerat, sunt ordinis supernaturalis, vt probatum est: neque ergo motiua illa, neque ipsam dispositionem vt lege, & acceptatione diuina præscriptam per modum conuersionis, ex qua remittitur peccatum 76

Sensus Doctoris explicatur.
Reiicitur glossa Vegæ.

catum diuina indulgentia, & misericordia, potest intellectus ex viribus naturæ considerare: vt patet ex quæstione etiam sequenti, cuius illa est conclusio.

77 *Refellitur Delfinus.*

Reiicitur etiam sententia Delfini: quia licèt illa particula *cum influentia generali*, possit interpretari iuxta mentem Doctoris de donis gratiæ, vt videbimus: tamen nequit hîc præcisa importare dona actualis gratiæ tantùm, quasi nihil aliud supponatur ordinariè ex parte intellectus, & voluntatis, quàm vires naturæ, seu ipsarum potentiarum innatæ: quia, vt diximus, ex parte intellectus est habitus fidei supernaturalis, & in voluntate habitus spei supernaturalis ordinariè, & vt in plurimùm loquendo, nisi aliàs per oppositum peccatum fuerint destructi illi habitus. Ad hunc casum non debet reduci doctrina hæc generalis de conuersione peccatoris fidelis, & ordinario processu ad iustificationem in singulis, non spectato casu particulari, aut statu huius peccatoris in specie: oporteret ergo sic intelligendo vtramque clausulam, comprehendere sub influentia communi media etiam permanentia in peccatore, & non solùm actualia, & sic interpretatio cohærebit: sed *per influentiam communem* Doctor alibi intendit actualia, quæ de lege, & ex necessitate operis, & motiui sunt necessaria.

Fauentini interpretatio reijcitur.

Per idem patet ad interpretationem Fauentini: sed illud speciale est, quòd Doctor hîc non videatur tangere illam difficultatem de distinctione auxilij, aut modo concurrendi eius cum libero arbitrio, siue ipsum physicè subordinet, siue etiam moraliter, & infallibiliter, vel quocumque alio modo dicatur præuenire, excitare, & adiuuare, quæ est quæstio alterius loci.

78 *Vera interpretatio. Quid sit influentia generalis?*

Dico ergo sistendo in hac intelligentia literæ, & comprehendendo sub influentia generali omnia media operandi supernaturalia, siue permanentia, siue transeuntia, id est, tam habitualia, quàm actualia, calumniam omnem abesse: quia influentia generalis est illa, quæ secundùm legem ordinariam diuinæ sapientiæ datur secundùm exigentiam causæ, & operis, & naturam motiui. Dicitur autem generalis, non eo sensu, quo interpretantur quidam, quasi vel ipse concursus hîc, & nunc, seu influentia sit generalis, & indifferens ad omnes effectus; nec dicitur generalis eo sensu, quo influentia causæ primæ ad effectus naturalis ordinis dicitur generalis supposita completa potentia effectus in natura, quantùm est ex ratione proprij generis: & ad distinctionem concursus supernaturalis, quo Deus specialiter influens supplet defectum naturæ, quæ nequit in tales effectus. Neque dicitur etiam generalis eo modo, quo adiutoria communia extrinseca dicuntur generalia, sicut Pelagius dicebat de lege, & reuelatione, & exemplo Christi, & doctrina. Neque dicitur etiam generalis eo modo, quo gratia sufficiens, quæ tam iustis, quàm iniustis, seu conuersis, & non conuersis data secundùm aliquos dicitur: sed dicitur generalis denominatione desumpta à lege diuinæ sapientiæ, qua decernitur, & prouidentia secundùm eandem legem, quia lex non respicit casum particularem, aut personam, sed iudicium secundùm legem, vt optimè Doctor *in* 1. *distinct.* 44. *quæst. vnica, in corpore.*

Varij modi concipiēdi influentiam generalem.

Quid per generalem Doctor comprehendit?

Hæc autem lex diuinæ sapientiæ, & ordinaria, quæ dicitur etiam communis respectu baptizati, & fidelis peccatoris, de quo agit Doctor, est lex Euangelica, quæ includit Spiritum, & Authorem gratiæ, & reliqua media ordinata ad salutem hominis viatoris, vt fidem per dilectionem operantem, influxum capitis in membra, nempe Christi: in qua non distinguit Paulus, & Patres literam à Spiritu, sicut in lege veteri discernebant Iudæi: sed reipsa coniuncta sunt; de quo videri possunt Augustinus variis in locis, & speciatim *lib. de Spiritu & litera:* & communiter Doctores in Apostolum ad Roman. ad Galatas, ad Hebræos. *Non accepistis Spiritum seruitutis in timore: sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei*, &c. ad Roman. 8. De hoc *suprà* diximus aliquid *in materia de circumcisione, & legalibus:* sic ergo intelligit Doctor *influentiam generalem*, vt comprehendit dispositionem legis quoad omnia media requisita ad salutem, non discernendo inter media sufficientia, aut etiam efficacia: necessaria autem est gratia Christi, & auxilium ex dispositione vniuersali legis cuiuscumque ordinantis ad salutem, & maximè ex lege noua, vt patet ex locis Scripturæ *suprà* positis: non excluditur proinde à Doctore, vt fusiùs probauimus *hic.* 79

Generalē dicit influentiam à lege.

Idem modus loquendi est Augustini, qui aliquando sub nomine generico *prouidentiæ* comprehendit gratiam, & adiutoria etiam efficacia, vt patet *in lib. de perfectione iustitiæ contra Cœlestium ratiocinatione* 17. Cœlestius ex illo Apostoli, *quod vult faciat*, &c. probat aliquod bonum fieri posse sine gratia.

Idem est modus loquendi Augustini.

Respondet Augustinus, *quod vult faciat*, &c. ibi, *vt arbitror, vbi sequitur & dicit* (supple Apostolus) *non peccat, si nubat, quasi pro magno habendum sit velle nubere, vbi de adiutorio diuinæ gratiæ operosius disputatur: aut verò etiam prodest aliquid velle, nisi Deus prouidentia sua, qua gubernat omnia, marem, fœminámque coniungat*, &c. *quasi aliter sit voluntarium bonum, non cùm Deus operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate sua*, &c. loquitur Augustinus de auxilio, quod datur ad seruandum pudicitiam coniugalem, & refrenandam concupiscentiam, sub appellatione *prouidentiæ vniuersalis*, quâ Deus omnia gubernat, & comprehendit sub prouidentia sic generali, idem auxilium vt est speciale, seu efficax dans *velle*, & *operari*; de quo auxilio aliàs sæpè agit, & potissimùm contra Iulianum, *lib.* 4. *cap.* 2. similia obiicientem. 80

Generali appellatione prouidentiæ intelligitur gratia specialis.

Item, *lib.* 1. *Retractationum, cap.* 25. explicans quæ dixit in expositione epistolæ ad Roman. inchoata. *Vbi dixi*, inquit, *gratiam esse in remissione peccatorum, pacem verò in reconciliatione Dei; vbicumque hoc dixi, non sic accipiendom est, ac si pax ipsa, & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem, sed quòd specialiter nomine* gratiæ *remissionem significauerim peccatorum; sicut legem, & specialiter dicimus, secundùm quòd dictum est, lex & Prophetæ, & generaliter vt in ea sint, & Propheta*, &c. vbi sub appellatione *gratiæ generalis* venit reconciliatio, & alia dona diuersa à remissione

Gratia generalis. Fundamentum appellationis.

missione peccati: subinde adiungens fundamentum modi loquendi.

81 Sic autem in præsenti Doctor nomine *influentiæ generalis diuinæ prouidentiæ* comprehendit dona per se necessaria ad detestandum peccatum, vt oportet, in ordine ad iustificationem: quæ & generalia sunt, vt cadunt sub lege, & prouidentia ordinaria, ex qua sunt. Item, sunt generalia respectiuè ad supposita, quibus conceduntur vt sunt electi, vel alij, quibus Deus præbet iustificationem pro tempore, quam ipsi peccantes deserunt. Dicitur etiam generalis ex sua specie, quia non eodem modo contingit vocatio hominis, vt constat ex iis, quæ *& in litera*, & *suprà* docet Doctor: quia ex variis motiuis virtutum contingit detestatio peccati, &c. *Quis perspicere* (inquit Prosper c.14. contra Collatorem) *aut enarrare potest, per quot affectus visitatio Dei animum inducat humanum, vt quæ fugiebat, sequatur: quæ oderat, diligat: quæ fastidiebat, esuriat: ac subitò commutatione mirabili, quæ clausa fuerant, sint aperta: quæ onerosa, sint leuia: quæ amara, sint dulcia: quæ obscura, sint*, &c. *hæc omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult*, &c. idem habet *lib.2. de vocatione Gentium, cap.26.*

Quomodo generalis dicitur influentia, & quare?

Prosper.

Dici potest denique generalis tam denominatione à causa principali agente, quàm etiam meritoria, quæ sunt causæ vniuersalis salutis, à quibus communicatur: & dici potest generalis influentia ex concursu virtutum, quæ necessariæ sunt ad conuersionem perfectam peccatoris, vt sit debitè circumstantionata, & acceptabilis à Deo. Ex quibus patet ratio nominis, vel cur dicatur *influentia generalis*: quamuis respectu eius, cui conceditur, est specialis beneuolentia, & gratia, vt concedit Doctor in locis citatis *suprà*, asserens peccatorem incurrere debitum gratitudinis, cui Deus donat pœnitentiam.

Dicitur etiã specialis.

82 Hanc autem prouidentiam Dei supernaturalem non secus, ac alij, distribuit etiam Doctor, in suas species, quarum vna est communis; alia verò particularis *in quodlib. 21.* Generalem dicit illam, quæ est omnium rerum, & in specie etiam naturæ rationalis; specialem verò dicit eam, *quæ est ex electione quadam, secundùm quam prouidit vnicuique hominum secundùm merita præsentia, vel futura, & occulta nobis: tamen sibi præsentia*, &c. Secundùm vtramque dicit omnes casus fortuitos regi, & reducendos in Deum, vt causam per se intendentem ipsas, secundùm Theologos: non verò ad instinctum, aut naturam, prout Philosophi existimarunt. & *in 1. d.46.* vtramque insinuat, distinguens eas secundùm voluntatem signi, & voluntatem beneplaciti in Deo: seu voluntatem antecedentem, per quam dat effectum in causa sufficiente, & requisita ad *posse*; & in voluntatem consequentem, qua dat effectum ipsum in actu. Primo modo explicat illud Apostoli, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, &c. ad Timoth. 2. Primò quidem cum Augustino secundùm distributionem accommodam. Secundò, explicat etiam distribuendo pro omnibus vniuersaliter; sed quantùm est ex parte Dei, & secundùm voluntatem antecedentem: *Pro quanto*, inquit, *dedit eis dona naturalia*, & leges rectas, & adiutoria communia, &c. supple ad salutem: vbi distinguit naturam, legem, & adiutoria obseruandæ legis communia gratiæ. & infrà: *ita dico in proposito, quòd etsi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad istum saluandum, tamen vult isti adiutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste etiam potest benè viuere & saluari*, &c. *non habuit voluntatem beneplaciti*, inquit, id est, quâ donatur ex particulari prouidentia effectus.

Prouidentiæ communis diuisio in suas species.

Immeritò itaque aduersarij trahunt in calumniam illum modum loquendi: quasi voluerit Doctor per illum pœnitentiam haberi posse *ex naturalibus tantùm cum influentia communi*, &c. quæ scilicet datur ex dono creationis: nam *in primo d.17. q.2. art.2. in principio* dicit *actum ex puris naturalibus esse meritorium, appropinquat errori Pelagij*, &c. & *art.1. §. Contra istam conclusionem*, &c. nempe quæ dicitur Magistri, vers. *Ex secunda via*; *hoc autem quo meritoriè agit* (supple homo) *non potest esse pura natura: quia tunc ex solis naturalibus posset meritoriè agere, quod videtur error Pelagij*, &c. & licèt hic probet necessitatem charitatis habitualis, tamen ratio concludit actum non esse in potestate voluntatis ex naturæ potentia, nisi detur habitus eleuans ipsum: quia nihil est in potestate voluntatis, nisi principium eius sit formaliter in voluntate, vt ibidem probat loquendo de potestate ad eliciendum actum: ac proinde supponit actum meriti, & dilectionis non esse in potestate eius naturali, vel etiam simpliciter, nisi sit habitus charitatis in ipsa: actus ergo conuersionis non erit in potestate peccatoris, donec Deus ipsi det principium eius per concursum specialem, & supernaturalem, quo possit in actum. Vnde *infra in fine illius §.* dicit *gratiam se habere vt sessorem respectu voluntatis ex Augustino: & voluntatem esse pedisequam gratiæ.* & *infrà §. Ad primum, pro secunda via responsione ad secundum* dicit *concursum Spiritus sancti cum voluntate non habituata* (supple habitu charitatis) *esse miraculosum:* ex eo scilicet quòd non supponatur in voluntate potentia ad actum completa, aut sufficiens secluso habitu. Per *miraculosum* intelligit concursum specialem, non debitum causæ secundæ: *quia non ita*, inquit, *cooperatur non habenti formam ad agendum, sicut habenti*, &c. Præterea influẽtiam generalem quandoque etiam intelligit ipsam actionem causæ primæ, quæ est secundùm exigentiam effectus, & causæ secundæ, vt in articulo primo illius quæstionis, *§. Sed tunc est vlterius dubium*, &c. *Ad primum*, inquit, *dico quòd actus, qui est meritum, est in potestate mea suppositâ influentiâ generali, si habeo vsum liberi arbitrij, & gratiam*, &c. Et hæc sufficiant quoad illam interpretationem, quam communior nostrorum tradit. Comprehendit autem nomine *gratiæ* habitum, & alia necessaria ad actum: nam, vt patet *ex 4.d.6. q.10.* habitus sine his non est sufficiens. 83

Dici potest secundò, Doctorem intelligere per illam clausulam *ex naturalibus*, etiam dona supernaturalia, videlicet habitum fidei, & spei cum intellectu, & voluntate, per *influentiam verò generalem*, quidquid ponitur ex parte concursus diuini, secundùm exigentiam habitus, & actuum, & omnia hæc reduci ad ordinem naturalem, non vt natura opponitur supernaturali simpliciter: sed vt opponitur speciali acceptationi charitatis, quâ est forma virtutum, & mediante quâ deletur peccatum, & Spiritus sanctus 84

Alius modus interpretãdi.

Supernaturalitas specialis charitatis quæ non competit alijs donis.

ſanctus per modum inhabitantis eſt in anima iuſti, & ſecundùm quam Deus acceptat perſonam, & opera eius, & fiunt digna vita æterna, & coniungitur iuſtus ſuo fini. Hæc omnia eſſe ſpecialia charitatis, patet, & *hic*, & *ex locis ſuprà citatis*, & *in illa diſtinct.* 17. *primi*, vbi dicit charitatem eſſe perfectionem ſimpliciter, non ita fidem, & ſpem infuſas, quia habent limitationem perfectionis, neque ſunt in Deo formaliter, ſicut charitas.

85 Quamuis autem ſupernaturale, iuxta ſententiam Doctoris *in quæſtione prima prologi, & aliàs ſæpè*, conſiſtit in reſpectu ad agens, quod excedit virtutem actiuam, & diſpoſitiuam naturæ: tamen datur latitudo in genere ſupernaturalium per ipſum, ita vt actus ſupernaturalis virtutum infuſarum dicatur per ipſum naturalis, quia nimirum eſt ab habitu, & potentia, ſi comparetur ad ipſas virtutes, quæ à ſolo Deo infunduntur; licèt dici poſſit ſupernaturalis, vt eſt ex habitu, & gratia infuſa, qua diſtinguitur ab actu acquiſiti habitus, quæ eſt doctrina eius *in præfata diſtinctione* 17. §. *Ad argumenta pro opinione quæ imponitur Magiſtro*, &c. *in reſponſione ſecunda ad tertium.* Eodem modo etiam diceret, auxilium, ex quo habetur actus virtutis moralis, eſſe quidem donum; ſed non eiuſdem rationis ſupernaturalis, quam habet actus virtutis infuſæ; licèt reſpectiuè ad actum, qui poſſet eſſe ex viribus liberi arbitrij ſolius, eſſet ſupernaturalis.

Latitudo ſupernaturalitatis.

Varij eius gradus.

86 Cùm ergo charitas, vt comparatur ad alias virtutes, habeat diuerſum gradum ſupernaturalitatis in entitate, & acceptatione diuina, qua dignificat etiam alias virtutes, vt operantur ad finem, tanquam forma ipſarum; ita etiam hæ comparatæ ad charitatem, ſecundùm hunc eius exceſſum, ſpectant ad ordinem naturalem, ſecundùm *quid*, & reſpectiuè: quia medium vt componitur cum vno extremo, tanquam diuerſum, & oppoſitum, participat rationem, & oppoſitionem alterius extremi: ſicut color medius, vt comparatur cum albedine, habet rationem formæ contrariæ, ſcilicet nigredinis, vt cadit in comparationem: ſic ergo charitas, vt comparatur ad alias virtutes in gradu excedente ſupernaturalitatis, dicitur ſimpliciter ſupernaturalis hoc modo, & aliæ ordinis naturalis, quia & deficiunt ab hac perfectione, & permanent ſimul cum peccato mortali informes, ſicut & virtutes morales, tanquam principia permanentia, quibus homo fidelis diſponatur ad operandum ſuam ſalutem de congruo, & diſpoſitiuè ad gratiam recuperandam.

Supernaturale in ſubſtantia dici ſecũdùm quid naturale.

Medium vt opponitur extremo dici cõtrarium.

Applicatur exemplum.

87 Patet hoc ex ſimili doctrina, quam habet *in ſecundo d.* 3. *q.* 9. §. *Ad quæſtionem*: vbi dicit poſſe concedi fuiſſe in Angelo ſpeciem repræſentantem diuinam eſſentiam abſtractiuè, concreatam ipſi à Deo, quæ quidem eſſet ſupernaturalis: quia non poſſet eam habere viribus intellectus, aut alicuius per ſe naturalis motiui eius: tamen diceretur naturalis in comparatione principij actus gratuiti, & glorioſi: *Sicut perfectiones*, inquit, *datæ Angelo in ſua creatione, licèt non neceſſariò ſequerentur naturam eius, dicerentur naturales, diſtinguendo contra merè ſupernaturales, ſcilicet gratia, & gloria: ita iſta perfectio data intellectui Angelico, quæ eſſentia diuina eſſet ei præſens diſtinctè, licèt abſtractiuè, poteſt dici naturalis, & ad cognitionem naturalem Angeli pertinere: ita quòd quidquid Angelus de Deo virtute huius ſpeciei aliquo modo cognoſcit naturaliter, & aliquo modo non naturaliter: naturaliter inquantùm iſta non eſt principium gratuiti actus, nec glorioſi* (ſupple charitas, aut gratia ſanctificans) *non naturaliter autem inquantùm ad iſtam non poteſt pertinere* (fortè pertingere) *ex naturalibus, neque aliqua actione naturali*, &c.

Species diuina eſſentia cõcreata Angelo.

Reſpectiuè ad diuerſa eſt naturalis, & ſupernaturalis.

Ad propoſitum itaque eandem ſupernaturalitatem haberet illa ſpecies, quam habet fides, & ſpes infuſæ, ſiue vt excludant debitum naturæ in ſuo genere, ſiue vt reſpiciant obiectum, aut cauſam ſupernaturalem ſolam: & ſicut illa ſpecies infuſa eſſet Angelo ſimul cum dono creationis: ita habitus fidei, & ſpei dantur homini in regeneratione tanquam principia operandi, cum peccato mortali deperdita gratia, permanentia: quod perinde de dicta ſpecie dicendum eſt, quæ deperdita fuit cum peccato, vt ſupponit ibi Doctor in fine: imò illa ſpecies minùs compateretur cum peccato, quia per primum peccatum Angeli fuit deperdita: ſicut & ſtatus naturalis Beatitudinis, & ſupernaturalis rectitudinis, in quo fuit creatus: ſpes autem, & fides, non ita in nobis, niſi per peccata oppoſita. Sicut ergo dicit illam ſpeciem naturalem, vt comparatur ad charitatem, ſeu gratiam (quæ eadem eſt in re ſecundùm Doctorem) quia deficit à perfectione charitatis, & gratiæ, quæ eſt forma reliquarum: ita hîc appellatione naturalium poſſunt venire ex ſcopo huius quæſtionis fides, ſpes, actus dilectionis, & pœnitentiæ; quia hîc tantùm agit de ſupernaturalitate ex ſcopo quæſiti, qua denotat formationem tam actus, quàm habituum ex charitate, & gratia inhærente, ad quam illa particula *ex naturalibus* intelligitur reſpectiuè, & ſecundùm *quid*: vt comparatur ad ſupernaturalitatem eius, non verò ſimpliciter, vt eſt prima differentia ordinis, & entium ſupernaturalium in genere, à natura, ſeu ab iis, quæ virtute naturæ fieri poſſunt, vt natura diſtinguitur contra gratiam in genere, & primo. Hac etiam ſolutione datâ nihil vrgere poſſunt aduerſarij. Prima ſolutio, & interpretatio eſt ex principiis communibus, & aſſertis Doctoris: hæc autem ſatis congrua eſt ſcopo diſcurſus eius, in quo diſſerit tantùm de habitudine actus ad gratiam ſanctificantem, quæ ſimpliciter gratia dicitur, vt comparatur ad effectum iuſtificationis, remiſſionis peccati; & renouationis interioris hominis, ad quam remotè faciunt reliquæ virtutes tanquam radix, & fundamentum diſpoſitionis requiſitæ, vt etiam docet Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. quia *neque fides neque opera ipſam iuſtificationis gratiam promerentur*, &c. 88

Illa ſpecies eſſet in eodem gradu ſupernaturalis, in quo habitus ſpei, & fidei.

Deperdita cũ peccato.

Huic modo loquendi cõſonat Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 13. vbi charitatem ſuperexaltat reliquis donis, ſine qua nihil proſunt, per antonomaſiam appellatur in Scriptura gratia, & iuſtitia, & plenitudo legis tanquam finis eius, & reliquarum virtutum: & opera omnium virtutum ipſi tribuit Apoſtolus: *Charitas patiens eſt, benigna eſt*, &c. *omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*, &c. nec ſecus ſuperexaltant charitatem Auguſtinus de natura & gratia, c. 42. *Charitas*, inquit, *eſt veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimáque iuſtitia.* & *tractat.* 5. *in* 1. *Ioan. epiſtolam.* eam ſeparare filios Dei à filiis perditionis in 89

Defenditur modus loquẽdi.

Auguſtin.

in Psalm. 113. nihil eminentius in sacra Scriptura inueniri potest, quàm charitas. Gregor. *hom.* 27. *in Euangelia* dicit eam esse radicem omnium virtutum, & 38. esse vestem nuptialem, &c. in his ergo fundatur modus hic loquendi Doctoris, quo perfectionem supernaturalitatis antonomastice tribuat charitati, quæ secundùm plures gradus eminentiæ, & perfectionis excedit cæteras virtutes: ac proinde differens de dispositione ad ipsam, vt habet genus quoddam meriti secundùm *quid*, & satisfactionis lege præscriptæ, vt est præuia remissione peccati, & charitate, quæ est gratia sanctificans, & vt informis est, & comparatur ad seipsam vt informata est per charitatem, dicit respectiuè esse *ex naturalibus*: quia nequit attingere perfectionem supernaturalem & vltimam, per principia, ex quibus elicitur, donec charitate informetur: non tamen excludit quin sit actus per principia simpliciter supernaturalia, imò & secundùm ipsius charitatis inclinationem elicitus, aut imperatus, sed informis, adhuc sine charitate inhærente, neque adhuc discernens peccatorem à iusto, donec perueniat ad terminum, nisi tantùm in *esse* dispositionis præuiæ: est ergo supernaturalis, vt comparatur ad naturam propriè dictam: non tamen est supernaturalis in *esse* actus formati, donec insit charitas. Ex dictis manet declarata litera Doctoris, quæ præ omnibus aliis passibus suæ doctrinę maximè impugnatur, propter illam ambiguitatem modi loquendi prima apprehensione terminorum, & vulgari, occurrentem: deinceps resumemus textum.

90 *Principalia motiua ex quibus detestatio concipitur.* *Potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum*, &c. Superiùs dixit peccati detestationem posse concipi ex omni motiuo virtutis, cui opponitur: hîc autem enumerat principalia motiua, ex quibus concipitur contritio, seu dispositio perfecta, quæ extra sacramentum iustificat: non quòd contritio ex aliis motiuis haberi, & concipi non possit, vt insinuat in illa clausula, *& sub multis talibus motiuis*, &c. nempe virtutis oppositæ peccato commisso, gratitudinis, & aliarum virtutum, ex quibus haberi potest detestatio peccati: enumerat autem explicitè illa motiua supernaturalis ordinis, ex quibus perfectiùs ex ratione ipsius motiui conuertitur peccator in Deum, & auertitur à peccato: quia vt plurimùm ita contingit, & in moralibus eorum, quæ frequenter contingunt, potior ratio haberi debet ex Philosopho 5. *Eth.* 2. Hinc Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. exponit ordinem huius dispositionis procedendo à timore ad spē, à spe ad dilectionem, à dilectione ad pœnitentiam, & detestationem peccati: non quòd aliter contingere non possit, & aliquando contingat: sed quòd ordine generationis procedendo ab imperfecto ad perfectius, ita sæpiùs contingat. Doctor autem hîc enumerat motiua secundùm ordinem perfectionis, non tamen secundùm connexionem eorum ad inuicem; sed prout quodlibet seorsim mouere possit ad detestationem peccati.

Contritio circumstantionata. Secundò, dicit hanc attritionem debere esse perfectè circumstantionatam: quænam autem debeat esse circumstantiæ, declarabimus postea: in casu autem inaduertentiæ dicit fortè abesse posse aliquam circumstantiam, quamuis dubium sit, an tunc valeat. Tridentinum enumerat has circumstantias *sess.* 14. *cap.* 4. Addit præterea Doctor non esse validam, si sit vitiata aliqua circumstantia inordinata: quia tum potiùs offendit.

Tertiò dicit eam præcedere duratione aliqua temporis remissionem peccati, & infusionem gratiæ: quæ sunt in instanti vltimo completæ attritionis temporariæ, & hoc dicit aliquoties. Tandem resoluit, si in illo instanti ponat quis obicem peccati, quid dicendum.

Circa hæc asserta Doctoris plures occurrunt controuersiæ, quas suo ordine proponemus. 91

Controuersia de voce attritionis. Suarez. Primò de ipsa appellatione *attritionis*, quam Suarez improbat, vt sumitur pro dispositione iustificante extra Sacramentum *disp.* 4. *sect.* 7. ex ea ratione, qua putat talem actum semper esse formatum, ideóque reprehendit Doctorem, quà dicit actum illum esse informem: sed immeritò, quia communis illa acceptio est: hîc enim non agitur de contritione, vt distinguatur ab attritione imperfecta (quæ etiam attritio appellatur à Tridentino) sed agitur de ipsa, vt est dispositio præuia ad iustificationem; & quà est informis, & distinguitur à seipsa, quà informata est: *suprà* autem probauimus eam non elici ab habitu charitatis, sed præsupponi ad ipsum per modum dispositionis, & meriti de congruo. Vnde Trident *sess.* 6. *cap.* 6. docet hanc dispositionem esse præuiam ad iustificationem, & cap. 7. *hanc autem*, inquit, *dispositionem; seu præparationem iustificatio ipsa consequitur*, &c. ergo vt prior est iustificatione, est informis: quod & concedunt Doctores *suprà* citati pro conclusione Doctoris: quin etiam omnes concedunt aliquo modo dispositionem esse prius natura iustificatione, quod & idem ipse fatetur in hac ipsa sectione; in sequentibus negans eam ab habitu charitatis elici. Quid ergo appellari debet vt prior est sua formatione? non contritio, per ipsum: quia pro illo priori non est formata: ergo attritio secundùm hunc modum distinguendi actum informem, & formatum. Patet consequentia, quia omnis dolor, seu actus pœnitentiæ, qua est detestatio peccati, vel est contritio, vel attritio: in illo autem priori datur hic actus in *esse* productus à suis per se causis, & prioribus, ex quibus operatur voluntas se disponens, & detestans peccatum, quarum nulla est gratia quæ consequitur: ergo erit appellanda attritio sicut reuera talis est, ad differentiam suipsius, vt recipit appellationem, & effectum formationis à gratia subsequente.

Vocis acceptio. *Sustinetur illa acceptio.*

Contritio non de solo actu formato dicitur. Trident. Secundò, falsum est stylo Conciliorum, aut Patrum contritionem solùm dici actum informatum, vt patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. definit enim primò contritionem vt communis est ad perfectam, & imperfectam, mox in hæc diuidens contritionem tanquam in membra, dicens *infrà* aliquando contingere esse charitate perfectam, & postea subdit: *contritio*, inquit, *imperfecta, quæ & attritio dicitur*: ergo contritio non solùm comprehendit vnam, sed & alteram. Ex hoc soluitur fundamentum oppositæ sententiæ, quod falsum est.

92 *2 Controuersia de duratione contritionis. Duplex eius acceptio.* Circa secundum de duratione actus explicabo primùm sententiam Doctoris malè intellectam ab aliis. Actus ille contritionis, siue attritionis potest considerari dupliciter, in *esse* naturæ, scilicet, & in *esse* moris: in *esse* naturæ est ipse actus quoad substantiam, vt procedit à principiis elicitiuis; in *esse* moris est idem ipse actus, vt cit

circumstantionatus perfectè debitis circumstantiis, quæ sunt finis, intentio, & vltra has requirit alias, quas exponit Tridentinum *seß. 6. cap. 14. seß. 14. cap. 4.* nempe fiduciam diuinæ misericordiæ, propositum emendationis, & votum Sacramenti, de quo *infrà* dicit, quòd reconciliatio à peccato ipsi contritioni sine voto Sacramenti, quod in ipsa includitur, nullo modo sit adscribendum. De his circumstantiis agit Doctor *infrà quæstione 4. in fine*, & de voto Sacramenti explicato *d. 17. quæst. 1. §. ad argumenta, responsione ad authoritatem Augustini*, & *Cassiodori*: dicit autem Doctor, quòd actum illum in *esse* naturæ, & moris circumstantionatum in eodem instanti sequitur gratia. *Et si manet*, inquit, *idem motus contra peccatum in* esse *naturæ, & moris, qui priùs, idem motus, qui priùs fuit attritio, in illo instanti fit contritio: quia in illo instanti fit concomitans gratia, & ita formatus*, &c.

Circumstantiæ requisitæ. Trident.

Actum in instāti formari.

93 *Ordo naturæ in eodem instanti temporis.*

Deinde subdistinguit tria instantia naturæ in eodem instanti temporis. Primum quo actus in *esse* naturæ, & moris est completus. Secundum, in quo infunditur charitas. Tertium, in quo actus est formatus; quia secundùm ordinem dependentiæ, & suppositionis prior est in *esse* completo dispositionis, & quasi causa acceptata per modum meriti de congruo, quàm sequatur gratia ad ipsum: & sic consideratur primum instans. Deinde priùs infunditur gratia per modum effectus, inquantùm concipitur priùs poni in *esse*, quàm concipiatur per modum causæ dare effectum, quia priùs est in omni forma secundùm prioritatem naturæ, *esse*, quàm *causatio*; & sic habetur secundum instans. Tertium autem, instans naturæ habetur, vt comparatur charitas inexistens ad actum attritionis, per modum informantis ad informatum; vt hic loquimur de informatione.

Triplex instās naturæ.

Vera sentētia Doctorū.

Hæc tria signa naturæ habentur in eodem instanti temporis ex Doctoris sententia: supponit ergo perfectum actum contritionis in *esse* naturæ, & moris esse simul cum gratia, & non interuenire aliquam durationem inter actum sic perfectum, & gratiæ infusionem, vt ei quidam imponunt perperam: & in fine huius §. habet eandem doctrinam.

94

Quòd autem verbis intermediis discurrat in casu, quo desineret attritio antequam infunderetur gratia in instanti, est ex opinione aliorum, qui ita fieri posse existimant. Vt Richardus *dist. 17. art. 1. quæst. 3.* vbi dicit de hac attritione informi, quamuis possibile sit eam informari, nempe si manet: tamen non esse necessarium eam manere, sed desinere posse, priusquam Deus infundat gratiam, vt si voluntas diuertat se ad aliquem alium actum, qui non sit contritio formaliter: & tunc non informatur; quia non est adueniente gratia. Dato hoc casu, dicit Doctor talem etiam iustificari; quia non est maior ratio de eo, qui habet actum pro instanti infusionis, quàm de eo qui etiam habuit actum, qui non permanet tunc: quia in eo præcessit meritum de congruo, quod nequit separari à gratia simpliciter, quin ei concedatur ex pacto & promissione Dei, liberali licèt; quæ ratio est efficax.

Sententia Richardi.

Proponitur casus.

Desinēte etiā actu infundi gratiam.

Sed obiicit postea: quid fieret si ponat obicem. Respondet in eo casu, quo poneret obicem, non recepturam gratiam, quod etiam verum est ex suppositione quòd actus non continuatur vsque ad instans infusionis gratiæ, per hoc, quòd voluntas possit habere alium actum: quia nulla necessitate ille est bonus: potest ergo esse peccatum, & sic impedire infusionem gratiæ. In hoc etiam impugnat Richardum ibidem, qui dicit quòd necessitate suppositionis actus in tempore, Deus dat gratiam: supponit ergo quòd non possit poni obex, quantumuis actus ipse cesset, per alium superuenientem ante instans infusionis gratiæ.

Quid si ponat obicem.

Subdit proinde Doctor quòd prima via rationabilior sit, quàm ipse primùm declarauit, nempe quòd eodem instanti, quo actus est completus in *esse* naturæ, & moris, infundatur gratia: ideóque eam sequentibus verbis tenet: respondens ad argumentum quod *suprà* contra eam obiecit, ad quod primum respondit secundùm sententiam Richardi, & postea impugnans eandem sententiam, ex eo potissimùm, quòd posset separari gratia à contritione perfecta, quia nempe potest poni obex, quod est inconueniens, & contra veritatem: *& ideò*, inquit, *prima via videtur rationabilior*, &c. & respondet ad argumentum contra illam factum. 95

Sentētia communis præfertur à Doctore.

Argumentum autem est tale: si actus ille sit contritio in tertio signo naturæ: ergo per contritionem, inquit, non deletur peccatum: quia actus non est contritio ante tertium signum: peccatum autem deletur in secundo naturæ, in quo infunditur gratia. Ad hoc argumentum respondet his verbis: *Et cùm arguitur*; inquit, *contritio, vt contritio sequitur deletionem peccati. Respondeo, actus, qui est contritio in eodem instanti temporis, præcedit natura deletionem: licèt vt contritio, hoc est, vt formatus sequatur deletionem ordine naturæ, & sic debet concedi in sensu diuisionis, quòd per actum, qui est contritio, deletur peccatum, vt per dispositionem omnino proximam: nec est inconueniens, imò conueniens dispositionem proximam simul esse cum forma ad quam disponit*, &c.

Argumētum oppositum.

Soluitur.

Dispositio proxima est simul cū forma.

Vt ergo tollatur omnis tergiuersatio, & vmbra, subiicio per diuersa dicta argumentum litteræ, & processum Doctoris. Primò, dicit dispositionem ad gratiam esse actum in *esse* naturæ; & moris perfectum, completum quoad circumstantias, nisi in casu inaduertentiæ aliqua absit per emissionem, supple inculpabilem. 96

Summarium doctrinæ.

Secundò, dicit hanc dispositionem fieri in tempore.

Tertiò, dicit pro eodem instanti, quo actus est in *esse* naturæ, & moris completus, infundi gratiam.

Quartò, dicit in eodem instanti considerari tria signa naturæ. Primum, actus in vtroque *esse* completi. Secundum est infusionis gratiæ. Tertium est informationis actus.

Quintò, contra vltimò dictum obiicit, nempe sequi peccatum non deleri per contritionem.

Sexto loco respondet ex sententia Richardi, & confirmat eius solutionem, dato quòd actus præcederet tempore per digressionem ad alium, instans infusionis gratiæ, nihilominus esse efficacem, & gratiam infundendam.

Septimò, obiicit contra illum modum præcessionis actus in tempore, sequi posse poni obicem peccati: ac proinde inconueniens; nempe contritionem perfectam non iustificare semper, aut necessariò: & reiicit responsionem, quam insinuat Richardus, nempe non posse poni talem obicem.

Octauò,

Octauò, propter hoc inconueniens reiicit illum modum dicendi, & sequitur conclusionem in tertio dicto positam.

Nonò tandem, & vltimò respondet secundùm dictam conclusionem ad obiectionem *suprà* præmissam: ex quibus manifestè constat eum nunquam docuisse contritionem perfectam in *esse* moris, & naturæ præcedere tempore aliquo secundùm quod continuatur in *esse* completæ contritionis, infusionem gratiæ: proinde in vanum laborant, qui in hoc eum impugnant. Ad probationem itaque conclusionis Doctoris,

---

Quæritur vtrùm ad contritionem requiratur aliqua intensio & duratio?

97 *Sententia negans.* PArtem negatiuam communiter docent moderni discipuli D. Thomæ. Sotus *in quarto dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 4. ante eum Gabriel *in hac dist. quæst.* 1. *art.* 2. *conclusione* 5. Nauar. *in Manuali cap.* 1. *num.* 9. & 35. Vega *in Trident. lib.* 13. *cap.* 24. & 25. Suarez *disp.* 4. *sect.* 4.

Prima conclusio. *Prima Conclusio.* Requiritur aliqua intensio in attritione perfecta, seu contritione. hanc non docet hîc Doctor in terminis: sed intelligi debet inter cæteras circumstantias, quas dicit requiri ad *esse* morale huius actus. *Requiri intensionem.* Eam insinuat *hîc quæst.* 4. *in fine*, & *dist.* 17. *quæst.* 2. & sequitur ex iis quæ docet *in* 3. *dist.* 27. *art.* 3. & *dist.* 29. *quæst.* 1. 2. & 3. Alens. 4. *part. quæst.* 17. *in* 1. *art.* 3. D. Bonauent. *hîc d.* 16. *art.* 2. *quæst.* 1. Richardus *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 5. Durandus *quæst.* 4. Adrianus *in* 4. *quæst.* 2. *art.* 7. *quæst.* 3. vbi dicit aliquem dolorem esse quandoque adeò remissum, vt non sufficiat ad contritionem. quod explicat Suarez de intensione obiectiua, seu appretiatiua: sed hæc interpretatio est impropria, quia intensio, & remissio determinant gradum, & circumstantiam actus: non verò speciem, maximè in moralibus; quia penes hanc attenditur substantia & bonitas ex genere, seu obiecto.

Prima ratio. Probatur conclusio ex illo Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, &c. *Ex forma loquendi legis.* quæ est eadem forma loquendi, cum ea, qua exprimitur intensio charitatis diuinæ debita ex forma primi præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Scriptura ergo exigit vehementem conatum animi ad detestandum peccatum. Psalm. 50. *Asperges me*, &c. *ampliùs laua me*, &c. Ieremiæ secundo. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum*, &c. vbi glossa: *docet pœnitentem quid facere debeat*, &c. & alia: *nihil dolentius morte vnigeniti*, &c. Multa similia habentur ex Scriptura, vbi vehementia doloris intelligitur, & adhibere deberi conatum voluntatis respectiuè ad intensionem actus.

98 *Ratio ex Patribus.* *Augustin.* Secundò, eundem conatum exigunt Patres. Aug. *Epistola ad* 54. *ad Macedonium*, & habetur *dist.* 3. *de pœnitentia cap.* 33. docet modum pœnitendi contemnere blandimenta: *Si me*, inquit, *pœnitendo ampliùs, quàm antea excruciauero, si miserabiliùs ingemuero, si fleuero vberiùs, si charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, flagrauero ardentiùs*, &c. quæ exprimunt maiorem conatum voluntatis pœnitentis, quem supponit necessarium idem Sanctus, vt relapsi sperent veniam à Deo, quibus Ecclesia pœnitentiam non concedit, ad aliorum terrorem, & disciplinam. Item lib. 1. de pœnitentia cap. 2. *Qui exaggerauit culpam, exaggeret etiam pœnitentiam, maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus*, &c. habetur *dist.* 1. *de pœnitentia cap.* 78. Item, *hom. de pœnitentia*, & habetur *in eadem dist. cap.* 85. *Doloris mensura potiùs quàm temporis, in actione pœnitentiæ consideranda est.* Simile Hieron. *ibidem cap.* 86. *mensuram*, &c. *Hieron.*

Ambrosius ad virginem lapsam: *Cor*, inquit, *sit tanquam cera liquescens, & totum corpus maceret*, &c. Author de vera & falsa pœnitentia cap. 13. *Omnes fructus suæ pœnitentiæ paruos habent, nunquam credat sufficere, semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccauit, erubescat, dolorem cum vita finiat*, &c. *Liber de vera & falsa pœnitentia.*

Ad hæc omnia respondetur intelligenda esse de dolore appretiatiuo, & non intenso. Contrà, hæc distinctio non habet locum: quia prædicta non possunt intelligi de solo appretiatiuo, neque distinctio habet fundamentum aliquod ex Scriptura, aut Patribus. Deinde, dolor magnus secundùm intensionem infert effectum remissionis perfectiorem, vt patet ex dictis, & ex Tridentino *sess.* 6 *cap.* 7. vbi dicit iustitiam infundi nobis, secundùm mensuram dispositionis, & conuersionis à peccato. & sess. 14. cap. 2. in fine. *Per Baptismum*, inquit, *Christum induentes noua prorsus in illo efficimur creatura; plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen nouitatem, & integritatem, per Sacramentum pœnitentiæ, sine magnis fletibus, & laboribus, diuina id exigente iustitia, peruenire nequaquam possumus: vt meritò pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit*, &c. vbi Concilium ex mente Patrum intensionem doloris requiri interpretatur, & docet: quantum ergo illa distinctio facilitat pœnitentiam, in tantum eneruat solicitudinem peccatorum, quod non videtur adeò congruum modo loquendi Patrum, & Scripturæ: vnde meritò Alensis: *Qui non doleret*, inquit, *magis de peccato, quàm de amissione vnius oboli, non censeretur contritus, aut dispositus ad veniam*, &c. 99 *Trident.* *Alens.*

Confirmari etiam potest ex canonibus pœnitentialibus, in quibus satisfactio grauior pro peccatis præscribitur, & pœna: proportio autem debet esse inter pœnam interiorem, & exteriorem, secundùm medium iustitiæ, ex quo vtraque præscribitur: ergo etiam pœnæ interioris perfectio requisita debet attendi penes intensionem doloris, & detestationis peccati, ita vt non quicumque eius gradus, quantumlibet habeat perfectionem ex obiecto, sufficiat. *Proportio debita inter exteriorem & interiorē pœnitentiam.*

Vt ergo à fundamento ipsius distinctionis procedamus, in eo consistit, quòd quis præferat Deum in amore cuicumque amabili, in quo consistit appretiatio, & amor appretiatiuus sit firmior, & constantior; hinc etiam applicatur ad detestationem peccati, quòd magis velim peccatum abesse, quàm quodcumque aliud malum, & potiùs quis sit paratus sufferre quodcunque genus mali, quàm Deum offendere peccato lethali. In his consentimus, nec est dubium id requiri: sed controuersia est an possit saluari talis appretiatio in voluntate sine intensione actus: 100 *Quid sit appretiatio.*

actus: nam saluari in æstimatione, aut iudicio intellectus fidelis, ex regulis fidei iudicantis, non est dubium, nempe Deum præferendum esse omni bono, & fugiendum esse peccatum super omne malum: hoc autem non sufficit in voluntate, nisi amando ita electiuè adhærendo Deo & fugiendo peccatum appretietur: quod sine intensione actus non contingere probo.

101 *Detestatio peccati debet esse efficax.* Tertiò, arguendo ad conclusionem. Actus detestandi peccatum necessarius ad iustificationem extra Sacramentum debet esse efficax secundùm omnes: & ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. quia debet includere propositum efficax fugiendi tam peccatum, quàm etiam causas proximas eius: aliàs non esset vera conuersio ad Deum, & requisita. Item, votum suscipiendi Sacramentum, & præstandi reliqua: ergo non sufficit displicentia simplex ad hunc effectum, sicut neque complacentia simplex Dei ad implendum præceptum dilectionis, sine ordine ad media, quibus acquiritur finis: quia *qui diligit me, sermones meos seruat*, &c. Sed displicentia simplex peccati habet bonitatem eandem in specie ex obiecto, quam habet voluntas efficax: ergo ad formandam voluntatem, seu displicentiam de peccato efficacem, quà est offensa Dei, non sufficit sola bonitas ex obiecto. Probatur subsumptum, quia voluntas simplex est dilectio Dei propter se, & displicentia peccati propter Deum offensum: idem ipsum est obiectum sub eadem formali ratione displicentiæ efficacis: quia ordo ad media non est differentia formalis, sed materialis: & obiectum vt attingitur sub eadem ratione formali non est natum communicare voluntati diuersam in specie bonitatem, nisi mutatur saltem modus proponendi: cum eadem ergo bonitate formali secundùm speciem, stat vnum actum non esse sufficientem, alium verò sufficientem: ergo appretiationem, & firmitatem non habet detestatio efficax peccati supra simplicem complacentiam, ex ratione specifica bonitatis: ergo solùm ex ratione indiuiduali: sed nulla ratio indiuidualis actus potest tribuere illam firmitatem, & appretiationem, seu inhæsionem firmam potentiæ, præter solam intensionem actus: ergo ab intensione habet hunc effectum, & non ex ratione specifica. Probatur subsumptum: quia non habet à continuatione, seu duratione actus: quia perinde potest durare simplex displicentia ex libertate voluntatis: non habet ab alio: quia nihil aliud est ratio tendendi in obiectum voluntati præter solam substantiam, & intensionem actus, quæ integrat substantiam eius; ergo nihil aliud firmat voluntatem, quantùm ad illam adhæsionem proximè, & in exercitio, quàm ipsa intensio actus.

Simplex voluntas & efficax non differunt obiecto.

Differunt intensione.

Ex intensione est appretiatio.

Sicut enim motiuum extrinsecum, quod fortiùs mouet potentiam, fortiùs etiam subigit potentiam, in eo quod fortiùs & intensiùs moueat: ita etiam ipse actus intensior respectiuè ad actum remissum, perfectiùs determinat potentiam ad obiectum formaliter, quàm actus remissus: & consequenter differentia hæc firmitatis, seu maioris adhæsionis fundatur in eius perfectione intensiua, & non specifica, quod est intentum.

102 *Quarta ratio.* Quartò probatur conclusio: amor Dei, & displicentia peccati ex ratione sua specifica tam obiecti, quàm supernaturalitatis, non sunt nata ex his perfectionibus præcisè dare illam stabilitatem operandi, aut appretiationem, quam in constanti adhæsione obiecti statuunt aduersarij: quia nequeunt vincere cupiditatem, aut tollere omnia repugnantia operi: aliàs in quocumque gradu sic possint vincere cupiditatem, & retrahere voluntatem à malo, vincere tentationes, & determinare voluntatem in effectu ad legis impletionem: quod est falsum, quia neque in gradu remisso possunt vincere cupiditatem maiorem, & infirmitatem voluntatis, aut ipsam statuere: ergo hoc ipsis competit ex gradu perfectionis intensiuæ, & non aliunde. *Victoria cupiditatis ex intensione amoris, non ex speciei.*

Tota hæc distinctio volũtatis remissæ, & intẽsæ est Augustini, qui vbique reducit fundamentum efficaciæ ad intensionem actus, & non ad speciem, & intra eandem speciem charitatis admittit voluntatem remissam, & intensam, quarum hæc est efficax, & principium operis, illa autem nequaquam: igitur *de gratia & libero arbitrio, cap.* 17. statuit differentiam inter operantem, & non operantem bonum ex præmissa differentia voluntatis remissæ, & intensæ. *August.*

103 *Differentia inter volũtatem bonam, remissam, & intensam.* *Qui ergo vult*, inquit, *facere Dei mandatum, & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam & inualidam: poterit autem cùm magnam habuerit, & robustam: quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna charitate fecerunt: de qua charitate ipse Dominus: maiorem charitatem nemo habet*, &c. Et infrà: *ipsam charitatem Apostolus Petrus non habuit, quando timore Dominum ter negauit* (loquitur de magna & intensa, vt infrà patet.) *Timor enim non est in charitate: sicut ait Ioannes Euangelista in epistola sua; sed perfecta charitas foras mittit timorem: & tamen quamuis parua, & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam: putabat enim se posse, quod se velle sentiebat: & quis istam, etsi paruam, dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? quoniam ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*, &c.

Hîc Augustinus loquitur de charitate in actu, id est, actuali, & etiam supernaturali, qui distinguit voluntatem bonam, & donatam à Deo in paruam, & magnam; paruam appellat, quia est inefficax ad superandas tentationes, & difficultatem operis, omniaque retrahentia ab opere, ideóque fuit remissa & parua in Petro, quia non expulit foras timorem, sicut fuit magna illa charitas, & amor martyrum. Agit etiam de voluntate operis perficiendi hinc, inde: *putabat enim*, inquit, supple, Petrus, *se posse, quod se velle sentiebat*, &c. Fuit ergo in eo voluntas amans supernaturaliter: quamuis non habuerit illam firmitatem, & constantiam adhærendi Deo, quam habuit voluntas & charitas Martyrum, quæ solo gradu intensionis differebat à voluntate Petri, quæ affectu ferebatur ad subeundam mortem pro Christo.

104 *Confirmatio.* Confirmatur, quia non solùm respectiuè ad diuersos actus inducit Augustinus hanc comparationem magnæ & paruæ voluntatis; sed in ordine ad eundem actum ex verbis præmissis. *Et quis*, inquit, *istam, & si paruam, dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit, quoniam ipse, vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus*

cooperatur

cooperatur perficiens, &c. Hæc inceptio, & perfectio est respectu eiusdem actus, & non aliter quàm secundùm gradum remissum, & intensum; quia in gradu remisso nequit effectu superare impedimenta repugnantia, quæ superat in gradu intenso, per quem roboratur aduersùs cupiditatem, & dolorem detrectantem opus: sicut enim contrarium aliud contrarium superat non ex ratione specifica, quia in hoc sunt æqualia, & par vtrinque oppositio; sed secundùm excessum in gradu intensionis, quo vnum alio præstat: ita etiam contingit in contrariis actibus, & motiuis voluntatis, vt vna cupiditas superet aliam, & minorem vincat maior, ex Augustino *lib. 4. contra Iulianum*; cupiditas etiam maior & vehemens vincat affectum boni in voluntate, quæ non trahitur nisi amore, aut delectatione, vt idem habet *lib. 1. ad Simplicianum q. 2. lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 7. & 19. de spiritu, & littera cap. 2.* & aliàs sæpè: sic amor inordinatus & vehemens creaturæ vincit amorem Dei, repugnantia operibus pœnitentiæ, & delectatio vehemens de peccato vincit pœnitentiæ affectum; non ex alio capite, nisi quia vnus amor, vel delectatio in gradu intensionis superet alterum, quod fusiùs ex professo probatum est in materia de actibus humanis circa distinctionem amoris simplicis, & inefficacis, respectu eiusdem obiecti, declarando radicem efficaciæ in ipso actu intenso, qua determinat voluntatem in opus: remittendo ergo hanc quæstionem in illum locum, subiungam ex Augustino alteram confirmationem huius.

105 **2. Confirm.** *Datur ordo & causa operãdi ex parte voluntatis.* Confirmatur secundò ex eodem Augustino: quamuis voluntas non necessitate, sed libertate operetur: datur tamen ordo & causa, vnde operetur vnum potiùs quàm aliud, præter solam voluntatem: verbi gratiâ, cupiditas ad malum, excitatio, & gratia Dei ad bonum: quod patet ex decretis contra Pelagianos: vnde idem Sanctus lib. 2. ad Simplicianum: *Restat ergo*, inquit, *vt voluntates eligantur: sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurrat, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo potest*, &c. *Causa mouens.* Quomodo autem moueatur, docet locis præfatis, esse in excessu actus ad actum non secundùm speciem: *Excessus in actu intenso est causa operis.* quia sic affectus bonus semper vinceret, & moueret voluntatem: sed secundùm excessum in gradu intensionis: vnde lib. de Spiritu & littera cap. 29. *Sed timentibus*, inquit, *pœnam, absconditur gratia, sub quo timore anima laborans quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor ille quasi custos seuerus abscesserit, per fidem confugiat ad misericordiam, vt det quod iubet, atque inspirata gratiæ suauitate per Spiritum sanctum, faciat plus delectare, quod præcipit, quàm delectat quod impedit*, &c. vbi victoriam gratiæ, & bonæ voluntatis suprà concupiscentiam statuit, in maiori delectatione, seu amore præcepti, quàm sit amor retrahens ad concupiscibile: hic autem excessus nequit concipi vt radix efficaciæ, quantùm ad effectum operis, nisi in illa intensione.

106 *Conatus voluntatis infert excessum.* Item cap. 35. *Ecce*, inquit, *quemadmodum sine exemplo est in hominibus perfecta iustitia, & tamen impossibilis non est: fieret enim, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei*, &c. Quibus verbis docet conatum voluntatis maiorem necessarium esse, ad quem sequitur maior etiam intensio, & perfectio effectus, ad quem tantùm ordinatur. Quomodo autem habeatur tantus & sufficiens conatus voluntatis, subiicit: *Esset autem*, inquit, *tanta* (supple voluntas) *si & nihil eorum, quæ pertinent ad iustitiam, nos lateret, & ea sic delectarent animum, vt quid aliud siue delectatio, siue dolor impedit, delectatio illa superaret*, &c. Ex quibus patet radicem efficaciæ & firmitatis, seu appretiationis reduci vbique ab Augustino, ad excessum intensionis in actu, quæ est sententia nostri Doctoris, non autem ad speciem actus. Ex quibus euacuatur distinctio illa, in qua magis se fundant opponentes. Vnde currit argumentum primo loco factum, & subsequentia: nam omnes concedunt amorem Dei super omnia, & detestationem peccati super omnia esse necessaria, neque aliter consisteret forma præcepti vtriusque: dato ergo quòd ille conatus voluntatis, & excessus actus, fundetur in eius intentione, non verò in specie actus, sequitur propositum.

Quintò ad idem ex forma præcepti: quia illa verba *ex toto corde*, & similia, denotant materiam præcepti quantùm ad modum dilectionis, & etiam detestationis, vt patet ex tanta exaggeratione; deinde ex præcepto diligendi proximum sicut teipsum; non verò super omnia, neque ex toto corde, sicut debet diligi Deus. Sed nequit referri præceptum quoad modum actus & conatum, ad solam speciem actus: ergo ad aliquam eius qualitatem. Minor patet: quia species actus habetur ex illis verbis, *Diliges Dominum Deum tuum*, reliqua superfluerent, nisi determinarent aliquam circumstantiam, & modũ diligendi, qui nequit esse species actus ex motiuo, & obiecto, hoc est, perfectio specifica ex obiecto: quia illa perfectio, seu excessus supra alios talis perfectionis, nequit esse materia præcepti diuersi ab eo, quod est de ipso actu secundùm substantiam: quia non est in potestate voluntatis aliter, quàm ipse actus; cùm impossibile sit voluntatem diligere amore charitatis, nisi secundùm speciem, & motiuum charitatis etiam de potentia absoluta: omnes autem concedunt illis verbis determinari aliquid vltra substantiam actus, vt amor sit super omnia: ergo non erit substantia actus, sed qualitas eius, afficiens ipsum actum per modum circumstantiæ: sed, vt *suprà* tactum est, nequit esse alia circumstantia nota in moralibus, præter solam intensionem: quia non est finis extrinsecus, cùm Deus nequit amari propter se, & propter aliud, eodem actu: amatur autem propter se per charitatem, quæ nequit transcendere rationem sui obiecti primi, qui est Deus, propter se, & bonitatem propriam diligibilis, & non propter bonitatem participatam à fine extrinseco: non est persona; quia præceptum est commune, & adimpletur à qualibet creatura rationali, seu adimpleri debet, siue sit in gratia, siue non: & voluntate antecedente ex qua est lex, perinde ordinatur ad finem: non est tempus, neque locus, & sic de reliquis, excepta sola illa, quæ dicitur *quomodo*, denotat modum intrinsecum actionis, seu eius intensionem.

107 *Quinta ratio.* *Ex forma præcepti.* *Præceptum charitatis præter substantiã actus, extẽditur ad intensionem.* *Non potest forma præcepti ad alias circũstantias extendi.*

Si dicatur præcipi actum efficacem, vt distinguitur à voluntate simplici, non solùm numero, sed etiam specie; iam impugnatum est satis ex dictis, & hac ratione impugnatur: actus efficax charitatis ille est, qui ordinat media in finem, & ordinat 108 *Non præcipi actum charitatis vt extenditur ad media, seu ad alias virtutes.*

ordinat media virtutum ad Deum ex fine charitatis: verbi gratiâ, diligere proximum propter Deum, vel obseruare præceptum temperantiæ propter Deum: sed si quis obseruat præceptum temperantiæ ex motiuo intrinseco temperantiæ, non est transgressor: ergo non tenetur illud obseruare ex motiuo charitatis. Probatur consequentia, quia nullius virtutis præceptum, per se loquendo, obligat extra proprium motiuum, vt dixi, per se loquendo; quamuis aliquando per accidens: ergo præceptum charitatis diuinæ tantùm obligat ad actum, vt sistit in Deo. Vnde perfecti contemplatiui, qui adhærent Deo amore, vt dicunt, vnitiuo, non respiciendo creaturas, perfectè adimplent præceptum, quod respicit primò actum, vt sistit in suo motiuo intrinseco, sicut in præceptis aliarum virtutum apparet, loquendo secundùm prosecutionem, de solo affirmatiuo: ergo nequit actus efficax, quà efficax est, esse illud quod importatur per modum determinatum præcepti, sed intensio. Intelligo actum efficacem vt distinguitur ab intensione, quamuis in hac talis efficacia fundatur, & extenditur ad media per electionem, vt ad alias virtutes, ipsas ordinando ad finem; quæ extensio per accidens tantùm & materialiter comprehenditur hîc, & nunc sub præcepto ad cōseruandam, aut inducendam charitatem. Si vlteriùs dicas appretiationem actus præcipi: velim scire in quo fundetur illa qualiras actus, & ad quam circumstantiam reduci possit; vel qualem differentiam addat: vnde & hæc responsio ex Augustino impugnatur *suprà*.

109 *Idem gradus est fuga, qui & prosecutionis ex eodem motiuo.*

Ex hoc patet simili forma actum pœnitentiæ, quà detestatio ex Dei offensa, & propter ipsum fuga peccati, debere esse intensiuè super omnia: tum quia ita explicatur in Scriptura: tum quia perfectè determinatur voluntas ex amore ad fugam peccati in eodem gradu, quo amat: stante enim voluntate efficaci, nequit remissiùs agere voluntas, quàm determinatur per ipsam, quamdiu inest; & quantùm accedit, vel adhæret extremo vni, tantumdem, & simili conatu recedit ab altero: quantùm ergo voluntas determinatur ad amandum Deum, tantum etiam determinatur ad odium peccati.

Confirm.

Confirmatur ex inclinatione tam potentiæ, quàm habitus: quia potentia in nihil intensiùs inclinatur, quàm in suum finem, & habitus ad nihil intensiùs inclinat, quàm ad suum motiuum intrinsecum. Item, ordo charitatis idem exigit: ergo inordinatè amaret voluntas aliquid intensiùs, quàm suum finem. Probatur consequentia, hoc præceptum intelligi debet secundùm naturam finis, & motiui, secundùm inclinationem potentiæ, & habitus: sed hæc magis sunt ad Deum, quàm ad alia, & magis contra peccatum, quàm contra alia quæcumque mala. Regula etiam operandi, quod est præceptum, id ipsum sonat; ergo vt opus sit ordinatum, requiritur intensio in actu excedens amorem, & detestationem creaturarum: intensio enim secundùm iustitiam consideratur tam in merito, quàm demerito; tam in peccato, quàm in satisfactione, quàm pœna; sub quibus rationibus acceptatur, & exigitur à Deo detestatio, seu contritio peccati.

Excessus amoris ex natura potētia, habitus & motiui debitus.

110 *Secunda conclusio, fieri in tempore.*

Secunda conclusio. Actus pœnitentiæ regulariter, & extra casum fit in tempore, & hæc sola duratio est, quam Doctor supponit hîc, nempe actus in *fieri*, non verò in *facto esse* requiririt durationem temporariam, antequam infundatur habitus gratiæ. Hæc conclusio patet: quià actus pœnitentiæ in *esse* moris requirit præter propriam bonitatem ex motiuo intrinseco, aliam ex fine charitatis, quando ab ipsa charitate non elicitur, requirit votum Sacramenti explicatum, & emendationis: supponit actum fidei considerantis, timoris, spei, amoris, quos enumerat Tridentinum, vel aliquos, vel omnes regulariter, excepto timore: nullus enim mouetur ad pœnitentiam, nisi ex regula fidei, & dictamine: neque ad pœnitentiam inclinatur voluntas, nisi ex fiducia diuinæ misericordiæ, & remissionis peccati: neque pœnitentia acceptatur, nisi sit ex charitate. Hos omnes repugnat fieri à viatore pro eodem instanti, ergo in tempore fiunt.

Probatio ex circunstātiis concurrentibus.

Secundò patet conclusio hæc ex præcedente: quia eo ipso, quòd requiratur certa intensio in actu, requiritur vt voluntas applicet conatum idoneum, quem nequit, nisi in tempore ob difficultatem operis, & repugnantiam appetitus: vnde *cap. inter hac* 34. *dist.* 3. *de pœnitentia*, quod est Hesychij super Leuitico: *Velox*, inquit, *iniquitas, qua ad nocendum occasiones suggerit, lenta virtus, & cunctatrix ante iudicat, quàm incipit, quid decorum, quid honestum: iniquitas omnia pracipitat: pigra verò, & verecunda pœnitentia, qua præsentium pudore premitur*, &c. Hinc confessores præfigunt spatium examini conscientiæ, & procurando dolori idoneo peccatorum: potest tamen Deus in instanti infundere pœnitentiam fructuosam: ideò conclusio intelligitur regulariter.

Secūda ratio ex perfectione requisita de impedimētis.

Obiiciunt aduersarij nobis plura, speciatim Sotus, primò loca Patrum. Chrysostomus *libello de reparatione lapsi ad Theodorum*, & habetur *de pœnitentia dist.* 3. *cap. Talis quantulumcunque, & quolibet breui tempore non despicit pœnitentiam.* & infrà: *non patitur exigua etiam pœnitentia amitti mercedem*, &c. Ergo ad pœnitentiam non requiritur intensio, aut duratio. Respondetur consequentiam nullam esse: quia loquitur Chrysostomus respectiuè ad pœnitentiam, quæ ordine satisfactionis inducta est per Canones, *Etiamsi*, inquit, *non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulumcunque tamen*, &c. Probat exemplo Achab, & Iudæorum pœnitentium ad increpationem, & minas Prophetarum: data ergo prætensa duratione, quam imponunt ex sententia Doctoris exigi, non esset illa septennis, aut totius vitæ, quam ordo satisfactionis ex regulis Ecclesiasticis tum præscribebat, necessaria, vt venia daretur humiliato & contrito, sicut Niniuitis, Iudæis, Achab data est minore tempore pœnitentibus, disciplina autem Ecclesiastica id temporis exigebat ne medicina fieret in contemptum, vt docet Augustinus, *Epistola* 54. *ad Macedonium*, licèt coram Deo fiebat sincerè conuerso remissio.

111 *Prima obiectio.* Chrysost.

Responsio.

August.

Item, adducunt verba Leonis Papæ, *Epistola* 91. & habetur *dist.* 1. *de pœnitentia can.* multiplex. *Nec misericordia Dei mensuras possumus ponere, nec tempora definire apud quem nullas moras patitur vera conuersio.* Respondetur hunc textum truncatè etiam, & extra propositum Leonis citari. *His autem*, inquit, *qui in tempore necessitatis*,

Leo Papa.

necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordia Dei, &c. vt *suprà*. Docet ergo, quòd finaliter pœnitentibus non sit deneganda absolutio, & Sacramentum: quia non possunt Sacerdotes ponere terminum misericordiæ Dei; sic Ecclesia tollit reseruationem in articulo mortis. Sic Augustinus & Hieronymus *suprà* mensuram doloris, non temporis, pensandam docent. Ex his patet ad alium locum quem citant ex Cœlest. ad Gallos epistola, c. 2. vbi idem dicit, *Vera conuersio mente potiùs, quàm tempore metienda est*.

112 *Secunda obiectio.* Secundò obiiciunt Scripturas: *In quacumque die*, &c. *in quacumque hora ingemuerit peccator*, &c. Ezech. 18. Respondetur hæc nihil vrgere: quia neque Scriptura ibi determinat instans, seu indiuisibile aliquod tempus, neque nos illud durationis, quod Scoto impingunt.

Tertia obiectio. Tertiò obiiciunt, in sacra Scriptura requiritur tantùm conuersio, & promissio remissionis fit substantiæ pœnitentiæ, non conditioni, aut modo eius durationis, aut intensionis; ergo hæc non requiruntur. Respondetur conuersionem perfectam includere eiusmodi conditionem intensionis, quia aliàs non esset conuersio vera ad Deum, & auersio à peccato, vt patet ex forma præcepti, inclinatione habitus & potentiæ, & ordine debito operandi respectiuè ad finem.

Quarta obiectio. Quartò quòd, iuxta hanc Scoti doctrinam, sequeretur nedum requiri ad salutem contritionem, sed etiam attritionem, & si de contritione sit præceptum, esse etiam de attritione. Consequentiam probant, quia omnis contritio antequam intendatur ad certum, & præfixum gradum, & duret pro tempore determinato, fit necessariò priùs attritio, saltem in opinione Scoti. *Responsio.* Respondetur hanc consequentiam esse friuolam: nam si attritio non sufficit, & sit inefficax extra Sacramentum, quomodo esset medium necessarium ad salutem, cùm de ratione medij sit, vt sit efficax, & sufficiens causa. Deinde, vnde sequitur, si actus in perfecto gradu præcipiatur, præcipiatur etiā idem in gradu imperfecto, & inferiori. Vnde in opinione Scoti idem opponi potest, datur attritio necessaria ad Sacramentum in certo gradu, alia inefficax ad effectum Sacramenti: ergo ex præcepto Sacramenti requiritur hæc: quia est via ad illam.

Vltimò obiiciunt contra primam conclusionem, quòd sufficiat amor appretiatiuus, & dolor appretiatiuus, non requiri autem intensiuum; quia nos etiam experientia colligimus differentiam horum actuum, quia quis intensiùs dolet de re parua aliquando, quàm de re magna, sicut contingit magis intensiuè sensibiliter aliquem sentire dolorem dentium, quàm febrem acutam, & periculosam; tamen mallet pati magis dolorem dentium, quàm talem febrem. Respondetur ex dictis hàc distinctionem habere fundamentum in intensione actus, aut remissione: contingit autem voluntatem secundùm diuersas inclinationes operari, nunc ex affectu iustitiæ, nunc ex affectu commodi, conformando se appetitui, quando agit secundo modo magis delectabiliter operatur, & etiam ex hoc capite intensiùs, quàm aliàs, si repugnaret appetitus, prout repugnat, quando operatio est ex affectu iustitiæ: operando ergo secundùm diuersos hos affectus, contingit illa diuersitas, non autem operando secundùm eundem affectum, & in eadem dispositione: sic iustus præfert legem Dei cupiditati, & intensiùs operatur in hoc secundùm voluntatem, & affectum iustitiæ, quàm operatur appetitus retrahens voluntatem, minùs tamen delectabiliter propter repugnantiam præmissam: experientia itaque illa fundatur non in operatione elicita, quæ semper est intensior quando præualet, sed in passione consequente tristitiæ, aut delectationis propter inclinationem connaturalem ad vnum, quam non habet ad alterum: vnde contingit, vt dicit Doctor in fine paragraphi sequentis, posse inesse actum intensum imperij, quo vindicandum imperatur peccatum cum parua tristitia, & è contra, propter diuersam hanc dispositionem pœnitentis in operando.

113 *Vltima obiectio.* *Dolor intensior de re parua, quàm de magna.* *Responsio.* *Declaratur instantia, seu exemplum.* *Operatio voluntatis pensanda in opere, & non in passione.*

SCHOLIVM.

Comparando ad inuicem quatuor actus Pœnitentiæ, de quibus quæst. 1. resoluit eum esse perfectiorem, qui est à perfectiore virtute; & quo plurium virtutum actus concurrunt, eo pœnitentiam totalem esse perfectiorem. Admittit eundem actum imperari posse à charitate, & à iustitia, & ab vtraque accipere bonitatem: an loquatur de interno, vel externo, mihi non constat: ait etiam pœnitentiam tertio, & quarto modo sumptam non esse causam tristitiæ, quia hæc causatur à pœnitentia primo & secundo modo sumpta, quandoque ab hac, quandoque ab illa principaliùs.

SI [k] quæratur de illis quatuor actibus prædictis comparando inter se, quis eorum sit simpliciter dispositio magis conueniens ad deletionem peccati. Respondeo, quanto ex pluribus virtutibus, & perfectioribus actus elicitur, tanto est melior actus: ergo primus, si eliciatur à sola iustitia mediatè, vel immediatè, & secundus actus, vel tertius eliciatur ab alia virtute perfectiori, vtpote à charitate, patet quòd secundus, vel tertius erit excellentior primo. Eodem modo est intelligendum de quarto: ille enim est simpliciter imperfectissimus; & quia minus habet de ratione *voluntarij*: & qui à minùs perfecta virtute. 17

Loquitur fortè de actu externo, quia internus, ab actu imperante non accipit bonitatē, sed tātùm à suo obiecto, etsi oppositū sit probabile.

Sed si iustitia imperans actum in primo modo moueatur ad suum imperium ex actu charitatis, sicut dictum est *suprà*, possibile esse; tunc actus primus habet duplicem bonitatem: & ex iustitia proxima imperante, & ex charitate remota impe-

rante actum illum. Similiter, si iustitia imperet in primo modo vsum charitatis, vt causæ proximæ respectu tristitiæ inhærendæ, actus ille charitatis eo est perfectior, quia à duabus virtutibus, quàm si ab vna tantùm.

In pœnitentia deletiua peccati, an charitas sit potior causa, quàm iustitia.

Si autem quæritur, quis istorum actuum est efficacior respectu tristitiæ inhærendæ. Respondeo, duo vltimi supponunt tristitiam iam inhærentem: duorum autem aliorum potest esse mutua excellentia inducendo tristitiam: quandoque enim ex charitate, siue ex contemplatione Dei statim inest quasi quædam detestatio peccati, & sequitur tristitia maxima, nullo adhuc posito actu iustitiæ respectu illius tristitiæ: quandoque autem primò inest actus iustitiæ, & intensus in se: & tamen causæ proximæ, scilicet intellectus in considerando, & voluntas in detestando, non efficaciter mouentur ex illo imperio iustitiæ, fortè quia carent habitibus qui essent principia perfectionis in actibus suis.

18 Et licèt istæ moueantur quandoque, non tamen sequitur tristitia. Quod etsi posset esse propter multas causas; propter hoc est quandoque, quia sicut intellectus conformatur parti sensitiuæ in nobis: ita & appetitus intellectiuus appetitui sensitiuo, quantùm ad faciliter condelectari, & tristari. Cuius ergo appetitus sensitiuus non est natus tristari, vel dolere, eius voluntas non faciliter tristatur.

Qui in appetitu sensitiuo est hilaris, nō facilè in appetitu intellectiuo tristatur.

Ex hoc sequitur quòd aliquis habet maximum actum pœnitentiæ primo modo, & tamen nullum effectum, vel modicum: & aliqui sine omni actu pœnitentiæ primo modo, habent maximum effectum eiusdem rationis cum illo, qui natus est esse effectus pœnitentiæ. Et quòd ille effectus sit maior, vel minor, benè est aliqua excellentia in ordine ad deletionem peccati. Sed simpliciter maior est excellentia actus ad actum, ad quos actus sequitur hinc inde tristitia, quia plus delet meritoriè peccatum actus causatiuus tristitiæ, quàm ipsa tristitia.

COMMENTARIVS.

114 k *SI quæritur de illis quatuor actibus*, &c. Hîc comparat hos actus, quos *suprà* enumerauit acceptiones pœnitentiæ, secundùm perfectionem, & efficaciam respectiuè ad effectum pœnitentiæ, id est, deletionis peccati: & resoluit quo actus est ex pluribus, & perfectioribus motiuis, nempe intrinseco, & extrinseco, seu obiecti, & finis, esse perfectiorem: vnde sequitur doctrinam in initio §. præcedentis, & in aliis prioribus sæpiùs dictum, nempe pœnitentiam secundo modo acceptam esse posse actum huius, & illius virtutis, & non requiri determinatè vt sit vel charitatis elicitus, aut pœnitentiæ. Ex qua sequitur etiam contritionem perfectam non esse semper actum elicitum charitatis, aut etiam pœnitentiæ prima acceptione sumptæ: vt autē hæc doctrina sit manifestior, subiicitur sequens quæstio, in qua explicabitur distinctio attritionis, & contritionis perfectæ: & quid requiratur ad naturam vtriusque.

Actus excedit vt ex pluribus, & perfectioribus est motiuis.

Quomodo distinguatur contritio ab attritione imperfecta?

115 COntritio duobus modis sumitur; vno modo pro actu formato, & sic quilibet dolor antecedens infusionē gratiæ erit attritio, quantumlibet perfectus; idem autem continuatus, infusâ gratiâ, erit contritio, siue perfectus sit, siue imperfectus: & in hoc sensu frequens est vsus contritionis apud antiquos: & in eodem, nomen *contritionis & attritionis*, vsurpat noster Doctor *in hac distinct.* 14. *quæst.* 1. *&* 2. Hæc mutatio vnius, & eiusdem actus in contritionem inuariatâ eius substantiâ, potest vocari moralis: & sic moralis contritio erit actus formatus. De hoc nulla est controuersia, sicut neque de hoc, an attritus possit fieri contritus, etiam quando sumūtur pro diuersis actibus; nam dubium non est dari progressum de imperfecto ad perfectū.

Duplex acceptio vocis. Pro actu informi, & formato.

Aliter ergo sumitur attritio & contritio pro dolore perfecto, & imperfecto, quem loquendi modum tenent communiter moderni: & sequitur Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. & noster Doctor *d.* 16. *q.* 1. quamuis fortè magis intendat priorem distinctionem, clariùs *d.* 17. *q.* 1. *art.* 3. vers. *Nec aliquis tenetur*, &c. Nomen *contritionis*, & *attritionis* applicatur dolori per metaphoram à rebus, in quibus iuxta Philosophum 4. *Ethic.* quæ in maiusculas, & grossiores partes franguntur, dicuntur atteri, quæ verò minutim, conteri. Frequens in Scripturis hæc significatio contritionis. *Cor contritum & humiliatum*, Psalm. 50. & *curabant contritionem filiæ populi mei*, Ierem. 6. *Contritio & infœlitas in vijs eorum*, Psalm. 13. &c. Metaphoræ verò ratio potest reduci ad illud, quo in Scripturis dicitur peccator indurari, vt Exod. 7. vel coagulari per peccatum, vt Psalm. 118. vt necessum sit cor eius frangi per conuersionem.

Pro actu perfecto, & imperfecto.

Ratio nominis.

His positis, tota difficultas quæstionis reducitur ad vnum punctum; nempe an dolor perfectus, atque imperfectus, seu contritio, & attritio eo sensu accepta distinguantur specie, vel gradu perfectionis secundùm remissionem & intensionem eiusdem actus, qui in gradu perfecto sit contritio, in remisso attritio; qua in re difficilis est tanquam in obscura quæstione resolutio: assignabimus tamen varios Doctorum modos explicandi. 116

Difficultatis punctum.

Distingui specie contritionem ab attritione communis tenet Thomistarum cum suo Magistro *in* 4. *d.* 17. *q.* 1. vbi Soto *q.* 2. *art.* 5. Richardus *artic.* 1. Suarez *disp.* 5. *sect.* 1. Vasquez 3. *part. q.* 86. *art.* 2. *dub.* 7. Caietanus *in q.* 1. *de contritione*, quam

Sententia prima. Distingui specie hos actus.

quam adiunxit D.Thomæ, qui morte præuentus Summam imperfectam reliquit *quæst.89.* vt præmissam distinctionem probent, varias statuunt differentias, & genera attritionis. *Conuenientia, & distinctio actuū inter se.* Caietanus loco citato tot species constituit, vt confusionem pariat, inquit Sotus: primum ergo genus, & in quo conueniunt est quòd vtraque sit detestatio peccatorum. Secundum est, quando adiunctum est propositum euitandi peccati: hoc autem est duplex; aliud negatiuum, *Prima species attritionis.* vt quando non proponit peccare, neque absolutè proponit non peccare, aut deserere statum peccati, vt si est concubinarius, talis est attritio impœnitentium, velleitas tantùm, non voluntas efficax relinquendi peccati: si verò habeat relinquendi peccati voluntatem, etiam in confuso tantùm, est secunda species attritionis: *Duplex species cōtritionis.* duas autem species statuit contritionis. Prima est, quæ procedit à charitate, & hæc est, quæ delet peccatum, quia est actus informatus. Secunda species est contritionis naturalis, quæ viribus naturæ fit, & contritio acquisita, quæ fit de peccatis, vt offensa Dei sunt, & super omnia: vnde infert quòd homo postquam fecit totum, quod in ipso est, detestando peccatum super omnia, & vltimatè sit dispositus ad gratiam, eam non recipiat pro tunc, sed quando Deo placuerit, quia talis actus non est formatus: deinceps autem nullâ mutatione in eo factâ liberi arbitrij, neque etiam adhibito Sacramento, nunc habet gratiam, nunc non habet. Opinio, inquit Soto, nunquam audita ante Caietanum: hæc tamen est, quam *suprà* imponunt nostro Doctori.

117 *Reijciuntur præmissa.* Sed prima species non facit ad propositum: quia non est attritio Christiana, quæ ad iustificationem disponat in Sacramento: cùm non excludat voluntatem peccandi, quæ requiritur. Secunda item species non est attritio Christiana; quia neque propositum illud sufficit, neque dolor aliàs insufficiens, quæ est velleitas, vt ipse explicat, redditur absolutus, & efficax, & quia non est ex gratia, qualis debet esse pœnitentia ex Arausi.& Trident.*sess.14. cap.4. sess.6. cap.5.6.7. can.3.* & ex omnibus Patribus contra Pelagianos, & supponimus. Ex his manet impugnatum quod asserit de contritione naturali informi. Tertium verò genus contritionis, vt procedentis à charitate, *suprà* impugnauimus; in hoc autem Caietanus non est singularis.

Sotus. *Quinque differentia contritionis, & attritionis.* Sotus autem quinque differentias attritionis, & contritionis statuit. Prima est ex obiecto, quia attritio est dolor de peccatis ob pœnas inferni, aut aliquid nocumentum temporale. Contritio sub ratione offensæ diuinæ. Secunda, quòd illa sit ex timore seruili; hæc ex filiali. Tertia, quòd illa viribus naturæ; hæc semper ex auxilio gratiæ. Quarta, quòd illa se solâ non sanctificet; hæc verò sanctificet. Quinta, quòd illa possit esse informis: hæc *Triplex conuenientia.* nunquam; in tribus autem conueniunt, quia vtraque est detestatio peccati absoluta, & super omnia, & habeant annexum propositum illud de cætero cauendi absolutum, vt pro nulla re mundi velint ampliùs peccare. Quantùm ad differentias assignatas inutiliter multiplicantur, quæ ad tertiam reducuntur ex parte obiecti motiui, principij elicientis, & effectus, seu efficaciæ ad iustificationem.

Suarez præter differentiam ex motiuis assignatam addit alias quinque, quia contritio ex propria ratione includit formaliter, aut virtualiter dilectionem Dei: non ita attritio. Secunda illa à charitate elicita est, hæc à spe: quod tenet etiam Soto *lib. de natura & gratia, cap.14.* Tertia, illa detestatur peccatum simpliciter super omnia, attritio non ita semper, aut nunquam perfectè. Quarta, illa est semper ex voluntate formali, aut virtuali destruendi culpam, attritio non ita semper, aut saltem ex se non postulat talem voluntatem. Quinta, contritio semper ex vi motiui, est vniuersalis saltem virtualiter, attritio verò non semper. Vterque loquitur de attritione Christiana, quæ est sufficiens cum Sacramento: non autem de attritione vitiosa, & infructuosa. 118 *Suarez. Alias quinque assignat.*

Prima conclusio. Siue attritio, siue contritio requisita ad remissionem peccatorum debet elici ex motiuo charitatis siue proximo, siue remoto; hoc est elici, vel imperari à charitate, est Doctoris *suprà, & aliàs sæpè, & d.20.q.1. conclus.2. prob.2.* quam *ibid.* supponit ex August. & habetur *d.7. de pœnitentia.* Probatur, quia est dispositio proxima ad salutem, & sanctificationem, ac vitam æternam, seu finem vltimum: ergo debet esse ex charitate, saltem imperante. Antecedens est de fide. Probatur consequentia 1. ad Corinth.13. *Si charitatem non habeam, nihil mihi prodest*, &c. & ibi commemoratis præcipuarum virtutum actibus, ait, nihil sine charitate eos prodesse, & sermo præcipuus est de actuali, vt patet ex textu, *Charitas benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur*, &c. Item ad Galatas 5. *In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*, &c. Loquitur Apostolus de valore ad salutem, sed etiam attritio ad salutem valet, & à fortiori contritio: ergo est ex fide operante per charitatem, aliàs hæc non esset vnicum ad salutem medium, contra Apostolum. Vide Augustinum *de Spiritu & litera, cap.32. contra aduersar. legis & Prophet. lib.2. c.7.* Enchiridij *cap.117. in epistolam Ioannis tract.10. de fide & operibus, cap. 14. & 16. de verbis Apostoli, serm.16. de Ciuit. Dei, lib.21. cap.21. de grat. & lib. arb. c.7. lib.50. hom.17.* Hæc conclusio fusiùs probatur de merito; vbi ostenditur necessitas charitatis ordinantis actum bonum ad finem, vt necessaria circumstantia, quod iam suppono; quod æquè conuenit merito de condigno, ac merito de congruo, quod vltimatè disponit ad salutem: quia nullus actus ita ad salutem facit, sicut hic actus, qui disponit ad remissionem peccati, & infusionem gratiæ, vt videre est apud Patres citatos, Arausicanum *cap.4.6.7.8.* & Tridentinum *sess.6.* 119 *Prima cōclusio. Vtrāque elici, aut imperari à charitate. Prima ratio. Ex ordine ad finem. Secunda ratio ex Trid.*

Ex quo probo specialiter conclusionem *c.6.* vbi exponens actus necessarios ad conuersionem, vltimo loco ponit pœnitentiam, quæ supponit charitatem, & spem, & ex motiuo charitatis est: *Illum*, inquit, *tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduersus peccata*, &c. Sed Concilium ibi loquitur de dispositione in genere requisita, non tantùm de contritione perfecta: ergo, &c. Probatur minor, agit de dispositione necessaria ad Baptismum, ad quem sufficit sola attritio: ideò subiicit, *Propterea*, inquit, *mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est* per 120

per eam pœnitentiam quam ante Baptiſmum agi oportet, &c. vbi *aliquod* determinat quemcumque dolorem ſiue perfectum, ſiue imperfectum, qui ſit ſufficiens diſpoſitio ad Baptiſmum, qualis eſt attritio: deinde, *infrà, cap.* 7. dicit Baptiſmum eſſe cauſam inſtrumentalem iuſtificationis, quæ ad eam diſpoſitionem ſequitur: ſed idem iudicium eſt de Baptiſmo, ac pœnitentia, niſi fortè maior ad pœnitentiam propter circumſtantiam ingratitudinis exigatur: ergo ſicut illa eſt ex charitate ſaltem imperante, ita hæc: ideò *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. oſtendit neceſſitatem pœnitentiæ peccantibus poſt Baptiſmum, *Vt tantam*, inquit, *Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur*, &c. Pius autem dolor, eſt dolor ex charitate elicitus, aut imperatus. Item Auguſtinus, ſeu Author de vera & falſa pœnitentia, cap. 16. *Sed quoniam pœnitentia non omnis eſt bona: dicamus aliqua, quæ ſeparant veram à falſa, ſterilem à fructuoſa*, &c. Poſt id oſtendens ſubiicit: *Sine amore Dei conſequeretur indulgentiam, ſine quo nemo vnquam inuenit gratiam*, &c. & cap. 17. *Oportet enim vt pœnitentia fructificet ad hoc vt mortua vitam impetret: ſcriptum eſt enim ſine charitate neminem ſaluum eſſe*, &c.

Dices Conciliũ ibi loqui de dilectione, qui ſit actus ſpei. Contrà, ſupponit Concil. huic dilectioni actum ſpei, & timoris. Deinde *can.* 3. qui deſumptus eſt ex illo, *cap. Si quis ſine præueniente Spiritus ſancti gratia, atque eius adiutorio hominem dicat poſſe credere, ſperare, diligere, pœnitere, ſicut oportet; vt ei iuſtificationis gratia concedatur, anathema ſit*, &c.: *diligere* ibidem denotat actum charitatis, vt diſtinctum à ſpe.

121 Secundò probatur ratione: quia peccatum eſt auerſio à Deo, & offenſa eius: ergo vt verè retractetur, debet retractatio eius eſſe ex charitate. Conſequentia probatur, quia ſola charitas eſt, quæ refert ad finem vltimũ affectu iuſtitiæ, & abſolutè, non connotante commodum: ergo vera conúerſio ad finem vltimum debet eſſe ex charitate: aliàs non eſſet dolor de peccato ſub ratione offenſæ, & auerſionis. Deinde, illa virtus, cuius attritio eſſet actus, poſſet operari ad ſalutẽ independenter à charitate, & conſequenter hæc non eſſet plenitudo legis, aut forma reliquarum. Non magis verò requiritur ad augmentum gratiæ ex parte noſtra, quàm ad primam gratiam: ſed ad id requiritur meritum ex charitate; ergo ad hoc. Conſequẽtia patet, quia meritum iuſti eſt perfectius ex dignitate perſonæ, quàm peccatoris: ſed attritio, verbi gratiâ, in iuſto, quamuis haberet valorem à perſona, quem non habet à peccatore, non acceptaretur ad gratiam, aut gloriam, ſeclusâ charitate: ergo idem dicẽdum in peccatore. Sed hæc ſufficiant: totum hoc dependet ab acceptatione diuina, quæ probari nequit ratione; ac proinde veritas concluſionis quærenda eſt ex Scriptura, & Patribus iis locis, quibus præſcribitur neceſſitas charitatis ad ſalutem, & fructum boni operis in genere; ſpeciatim verò pœnitentiæ.

Sola charitas refert ad finem abſolutè.

122 *Secunda concluſio.* Contritio non requirit vt ſit actus elicitus à charitate; ſed ſufficit vt ſit imperatus. Hæc concluſio eſt Doctoris *in hac d.* 14. *q.* 2. *artic.* 1. §. *Et ex hoc patet ſecunda concluſio*, &c. vbi aſſerit quòd pœnitentia ſecundo modo ſumpta pro dolore, & deteſtatione poſſit eſſe cuiuſlibet virtutis, neque eſſe virtutem aliquam ſpecialem, quia cuiuſlibet eſt deteſtari peccatum ſibi oppoſitum. Vnde *art.* 2. §. *Ad huius intellectum ſciendum, quòd peccator in peccatis exiſtens*, &c. dicit, quòd intellectus poteſt conſiderare peccatum cõmiſſum, vt offenſiuum Dei, vt contra legem diuinam, vt auerſiuum à Deo, vt impeditiuum præmij, vt inductiuum ſupplicij, &c. & voluntas ſub aliqua illarum rationum, vel ſub multis peccatum ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ, &c. *Iſte autem*, inquit, *dicitur attritio, & eſt diſpoſitio, ſeu meritum de congruo ad deletionem peccati, quæ ſequitur in vltimo inſtanti alicuius temporis, quo tempore iſta attritio durauit*, &c. Ex quibus patet, ſicut & clariſſimè ex ſequentibus, eum loqui de attritione, quam nos contritionem vocamus, & extra Sacramentum ſanctificat. Hanc doctrinam ſæpè repetit Doctor *in hac diſt. hac quæſt. & præcedenti.*

Probatur concluſio, actus cuiuſcumque virtutis, ſeu ex obiecto bonus, ſi ſit perfectus, & imperatus à charitate, non poteſt dici imperfectus in genere moris, aut perfectionis: ergo dolor elicitus, verbi gratiâ, à virtute ſpei, & imperatus à charitate, non eſt dolor imperfectus, qualem vocat Tridentinum attritionem, vt diſtinguitur contra contritionem, quæ formatur & ſanctificat extra Sacramentum. Antecedens probatur: ille actus eſt perfectior, quàm actus elicitus à ſola charitate: ſed hic, ſecundùm aduerſarios, nequit dici attritio, quia in hoc ponunt primariam diſtinctionem inter attritionem, & contritionem: ergo, &c. Probatur maior; ille actus participat perfectè rectitudinem vtriuſque virtutis tam ſpei, verbi gratiâ, ſi eſt eius, quàm charitatis: quia bonitatem ſpei ex obiecto, charitatis ex fine, & motiuo principali, ex quo imperatur: ſed participans perfectionem duarum virtutum perfectè, eſt in ſe perfectior in genere diſpoſitionis, & meriti de congruo, aut condigno, & magis acceptatur ex lege diſponente ſalutem per opera, quàm is qui vnius virtutis participat bonitatem: ergo. Maior eſt euidens: quia in primis actum participare bonitatem ſui obiecti eſt primum notum in moralibus: quia ex hoc perfectio & diſtinctio virtutum, atque mutuus exceſſus colligitur: ſed nec minùs notum eſt actum participare perfectè, & magis propriè, ſpectata voluntatis inclinatione, bonitatem ſui finis: quia illud motiuum magis ſpecificat actum hoc modo in *eſſe* morali, quod magis determinat voluntatem ad eius productionem: finis autem magis determinat, quàm obiectum: quia propter finem ſolum, & amorem eius mouetur voluntas: vnde illud vulgare, quod eſt Philoſophi, *Qui furatur propter mœchari, magis eſt mœchus, quàm fur.* Ex quo ſic argumentor ad confirmationẽ prioris: ſi deteſtatio eliceretur à charitate, & imperatur à pœnitẽtia, eſſet perfecta contritio ſecundùm aduerſarios, ſi ſubſiſtat diſtinctio aſſignata: ergo à fortiori ſi imperaretur à charitate. Patet cõſequentia, quia ſic perfectiùs participaret perfectionem charitatis, quia hîc per modũ finis, ibi per modum obiecti tantùm.

123

Actus imperatus habet duplicem bonitatem.

Finis principaliùs mouet.

Ex his deſtruitur prima & ſecunda diſtinctio aſſignata à Suarez: quia differentia ex propriis aſſignatur: ſed tam contritio, quàm attritio debent includere charitatem, neque illa neceſſariò ſemper eſt elicita per charitatem: hæc 124

Differentia, quã aſſignat Suarez, reiicitur.

hæc patent ex vtraque conclusione: neque video quare idem in prima distinctione adiicit limitationem; nempe contritionem debere saltem virtualiter includere charitatem, cùm dicat in secunda eam semper elici à charitate; & consequenter nequit non includere formaliter rectitudinem sui obiecti, ac principij. Tertia ab eo posita distinctio seipsam destruit; vel non est distinctio propria, quia detestari super omnia, vel est proprium contritioni, vel non; si primum: ergo quando conuenit attritioni, facit eam contritionem. Si secundum: ergo neque neutram ab alia discernit. Deinde, talis detestatio super omnia oritur ex perfectione specifica contritionis, siue indiuiduali? Si primum: ergo nunquam conuenit attritioni, quæ specie diuersa est secundùm ipsum. Si secundum: ergo non magis propriè conuenit contritioni, quàm attritioni. Patet consequentia, quia non magis conuenit actui vnius virtutis intendi posse, quàm alterius, cùm totum dependeat à conatu voluntatis diuerso, qui in hac, vel illa materia intendi, & remitti potest. Accedit iuxta doctrinam aduersariorũ, ad contritionem, & amorem Dei super omnia non requiri excessum intentionis, sed appretiationis: si autem in proposito intelligatur *super omnia* hoc modo, talis etiam requiritur in attritione ad remissionem peccati, aliàs certè non esset sufficiens ad gratiam dispositio, neque conuersio ad Deum, auersio à peccato; si aliud malum præ peccato appretiaretur, aut aliud bonum præ Deo.

Tertia differentia impugnatur.

125 Quarta distinctio non videtur congruere veritati, aut doctrinæ Cõcilij Tridentini: quia dolor de peccato ex gratia, vt sufficiens dispositio ad sacramentum Baptismi, ac Pœnitentiæ, nequit non esse ex voluntate destruendi culpam, vel eam secum non habere; nam *sess. 6. c. 6.* Concilium loquitur de dispositione requisita ad sacramentum Baptismi, in quo comprehendit attritionem, quia hæc sufficit: actus autem, quos explicat, non possunt non habere voluntatem destruendi peccati, vt patet ex eius verbis citatis; & ex actibus spei, amoris, & detestationis, quos ibi assignat Concilium. Hoc patebit *infrà quæst. 4. huius in fine.* Sed specialiter argumentor ad hominem: spes veniæ includit voluntatem destruendi peccati, si sit actus absolutus: sed attritio est actus spei secundùm aduersarium: ergo cùm sit actus absolutus non conditionatus, includit voluntatem destruendi peccati. Dices, esse actum imperfectum inefficacem. Contrà, est actus spei Christianæ, & ex gratia: sed non esset spes Christiana, & ex regula fidei, quod idem est, nisi includeret, aut supponeret voluntatem delendi peccati: ergo, &c. Probatur minor: quia spes, quæ ad iustificationem disponit, est qua speratur venia, seu remissio peccati, & Deum nobis fore propitium propter Christum, vt dicit Trident. loco præfato: sed nunquam fit, aut promissa est propitiatio, nisi volenti absolutè remissionem peccati, & eius absentiam, vt fides docet: requiritur enim conuersio, imò repugnat stare odium absolutum peccati, quale est attritio, sine voluntate destruendi ipsum. Deinde, peto si actus ille attritionis intendatur, remanétne in specie attritionis, vel non? Si sic: ergo potest saltem ita intendi, vt determinet voluntatem ad effectum: imò semper id contingit, quia quæcumque attritio sufficit ad Sacramentum, est natura sua efficax ad inducendam voluntatem destruendi peccati. Quod probo, quia est efficax ad determinandum hominem ad Sacramentum suscipiendum, & relinquendum peccatum: ergo, &c. Patet antecedens, ideò quisque accedit ad Sacramentum bona fide, quia dolet de peccatis: ergo quicumque dolet sufficienter, habet voluntatem de se efficacem ad suscipiendum Sacramentum, & consequenter ad destruendum peccatum.

Quarta distinctio tollitur.

Voluntas destruendi peccatum.

Coniuncta est voluntas destruendi peccati cũ attritione fructuosa.

Quinta distinctio non videtur subsistere: 126
suppositâ enim opinione aduersariorum, demus attritionem esse ex pœnis inferni, tanquã motiuo formali specifico; hoc tam vniuersale est, quàm motiuum offensæ: ergo, &c. Probatur antecedens, quia peccatum mortale, & pœna inferni sunt correlatiua adæquata, & sicut offensa in quolibet mortali saluatur, ita etiam reatus pœnæ infernalis. Secundò, omnis dolor efficax tanquam dispositio ad remissionem culpæ debet includere spem veniæ: ergo debet esse auersio in genere ab omni peccato mortali, saltem virtualiter. Consequentia patet: quia sine tali auersione nequit esse dispositio: & impium esset dimidiatam veniam à Domino sperare, vel illius peccati de quo non doleret: vel loquitur ergo de attritione extra Sacramentum, vel in Sacramento, quà est dispositio de se sufficiens; si in Sacramento nequit absolui nisi à peccatis, de quibus dolet: ergo eius dolor extenditur ad omnia saltem virtualiter, etiam quæ obliuiscitur, quia hæc etiam in virtute præsentis dispositionis, & Sacramenti remittuntur: si autem loquatur de attritione extra Sacramẽtum, eodem modo dicendum est: quia non sufficit de se, neque per Sacramentum redditur perfectior in se, quantùm ad gradum entis, aut moris, cùm sit quid cõsequens ad talem dispositionem, quæ extra Sacramentum possit esse perfectior. Ratio, quàm subindicat, inefficax est, aut falsa: nempe attritionem ita se habere, qualem eam descripsit, quia compatitur nempe peccatum. Si enim de actuali loquatur, ac simul de peccato actuali, simpliciter falsum est attritionem compati tale: si loquatur de habituali peccato, neque contritio illud excludit, nisi quæ est dolor perfectus & formatus.

Quinta differentia impugnatur.

Attritio est dolor vniuersalis.

Ex his patet etiam differentias, quas Sotus adducit, non esse congruas; & prima quidem quòd sit attritionis motiuum pœnæ inferni, aut nocumentum aliquod temporale, quidquid sit de primo, falsum est secundum; quia attritio debet esse actus ex genere bonus: ergo nocumentum temporale nequit esse eius motiuum proximum, minùs autem remotum, seu finale & principale. Deinde sub neutro istorum comprehenditur turpitudo peccati. Hanc indicat Trident. *sess. 14. c. 4.* posse esse motiuum attritionis. Secunda differentia non subsistit: quia sicut contritio non necessariò semper est actus elicitus charitatis, ita neque ex timore filiali: neque timoris filialis meminit Trid. agens de peccatoris præparatione necessaria ad iustificationem *sess. 6. c. 6.* Tertiam differẽtiam impugnauimus in Caietano, sicut & quartã. Quinta non est alicuius momẽti, quia sequeretur quòd actus virtutis elicitus ante iustificationem, verbi gratia, fidei, distingueretur ab alio post iustificatio 127

Differentiæ adductæ à Soto reijciũtur.

Secunda differentia.

Quinta distinctio impugnatur.

cationem, licèt idem sit, & eiusdem perfectionis, & obiecti tam materialis, quàm formalis, si talis distinctio admitteretur pro sufficienti. Deinde falsum supponit, quia idem motus attritionis potest continuari post Sacramentum susceptum, & tunc esset formatus, & meritum de condigno. Falsa est etiam sententia illa, ad quā hîc videtur alludere, quæ negat attritionē sufficere cum Sacramento, vt postea videbitur.

128 *Tertia conclusio.* Sicut actus contritionis esse possit ex variis motiuis in specie, ita & attritionis. Hæc patet ex dictis, quia sicut perfectio debita actui quoad intensionem deficere potest, sine circumstantia aliqua vitiante, ita etiam potest ita remissus esse, vt sit attritio, non contritio perfecta.

129 *Quarta conclusio.* Inter attritionem, & contritionem ex eodem motiuo, seu obiecto proximo, nō est alia differentia intrinseca, quàm gradus perfectionis: ita colligitur ex Doctore, *loco citato*, & *quæst. 4. ad secundum*: vbique enim nomine *attritionis* imperfectæ, quæ se solà non sufficit iustificare, intelligit dolorem remissum. Probatur conclusio: actus, qui sunt ex eodem obiecto cum iisdem circumstantiis non variant speciem; sed attritio potest habere easdem circumstantias finis, voti, Sacramenti, propositi emendationis, & reliqua, exceptâ intentione, vt patet ex dictis: ergo quantùm ad hæc, non variat speciem: etiamsi variaret, non refert, quia loquimur in hac conclusione de specie entitatiua, non morali, quam haberet tantùm ex circumstantiis prædictis: quòd ergo motiuum esse possit idem in vtroque actu, probatur: quia dolor remissus & intensus motiuo non distinguuntur necessariò: ergo, &c. Deinde Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* præscribit motiua sufficientia, & requisita præparationis ad iustificationem habendam: ergo ex iisdem haberi potest tam contritio, quàm attritio: quia si sunt necessaria, aut sufficientia, ergo nullus actus iustificat, nisi ex illis motiuis, intra, vel extra Sacramentum, vel certè consequenter quilibet ex ipsis est sufficiens; sed attritio est sufficiens præparatio: ergo sufficit esse ex dictis motiuis.

Attritio, & contritio ex eodem motiuo differunt intentione.

Possunt esse ex eodē motiuo.

130 Dices, ibi agi tantùm de præparatione requisita ad iustificationem in Sacramento, non autem de contritione perfecta: contrà, siue sic, siue aliter, non curo, contritio perfecta, quæ ibi vltimò assignatur, necessariò est ex motiuo charitatis, seu dilectionis supernaturalis, vt aduersarij prætendunt: ergo in hoc non distinguitur ab attritione. Quòd etiam neuter distinguaguatur ex principio elicitiuo, patet: quia vterque est ex gratia, & inspiratione Spiritus sancti. Confirmatur ergo ex eodem Trident. *sess. 14. cap. 4.* vbi definit contritionem *esse dolorem, ac detestationem animi de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*, &c. Sub hac definitione, & reliquis, quæ *ibidem* declarat tanquam necessaria ad ipsam, comprehendit attritionem: ergo hæc potest esse ex eodem motiuo, ex quo contritio. Consequentia patet, quia nō possunt vnâ definitione comprehendi actus, qui ex genere, & obiecto nequeunt conuenire, cùm nihil proximè ipsis commune sit. Minor probatur ex verbis sequentibus: *Docet præterea Synodus, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*, &c. ergo huius contritionis appellatione, quam hactenus declarauit, & definiuit, comprehendit contritionē, quæ aliquando charitate perficitur, aliquando non: aliàs esset inutilis adiectio particulæ *aliquando*. Patet etiā idem ex partitione eius *ibidem* in perfectam, & imperfectam, & ex necessitate, quam dicit contritionis definitæ ad remissionem mortalis, quouis tempore: sufficit autem per ipsum Concilium, attritio: ergo comprehenditur.

Definitio contritionis in genere.

Secundò probatur ratione attritionē, & contritionem conuenire motiuo: quia nemo discernit inter attritionem, & contritionem: & communiter supponunt DD. aliquē accedere ad Sacramenta cum contritione æstimata, quæ sit attritio in re: ergo differentia ipsarum non debet sumi ab obiecto specifico, aliàs discerneretur.

Obiicies, Conciliū ibi dicit quòd contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, cōcipitur communiter ex pœnis inferni, vel turpitudine peccati: ergo hoc intelligitur tanquā motiuum. Patet consequentia: quia ex hoc dicit eam esse imperfectā. Deinde, quia ratione motiui distinguit eam à perfecta, quam superiùs dixit esse charitate perfectam, id est, actuali. Faber *in 4. disp. 16. cap. 3.* assignat differentiam inter hos actus, quòd attritio sit dolor proximè ex motiuo pœnarum, vel turpitudinis, remotè autem, virtualiter saltem, ex motiuo charitatis, quà peccata offensa Dei sunt: contritio verò proximè semper respicit motiuū charitatis. Aliam differentiam exponit: quia attritio aliquādo potest esse ex defectu voluntatis, seu debitæ considerationis, non circumstantionatæ: contritio autem semper habet omnes circumstantias necessarias ad peccati remissionem. Hæc vltima desumitur à Doctore *loco citato, q. 2.* sed ibi loquitur de attritione, quæ est contritio perfecta: dubitat autem si absque circumstantia aliqua remittere possit peccatum, quod nequit intelligi de circumstantia finis, vt patet ex dictis. 131

Obiectio.

Respōsio Fabri.

Duplex differentia horum actuum.

Primam differentiam ex motiuis non intelligo: quia in genere motiuorum duo tantùm ad actum virtutis concurrunt: vnum, quod vocant ex genere, ipsum obiectum specificum formale; aliud circumstantiæ principalis, & dicitur finis. Vide Doctorem *in 2. d. 40.* si de motiuo formali loquitur, ostendimus in præmissis non necessariò differre iuxta principia Doctoris; si autem de finali, dictum est ad vtramque tam attritionem, quàm contritionem ad effectum remissionis circumstantiam finis necessariam esse, vt patet *conclusione prima*.

Impugnatur prima differentia.

Respondetur ergo Concil. loqui tantùm de motiuo excitante, non autem specificante in genere entis, aut moris, id est, obiecti, vel finis; illud enim in genere entis, & moris, hoc in genere moris specificat. Pro intellectione huius, notandum sicut ad productionem vnius eiusdémque actus quandoque voluntas mouetur ex motiuis variis intrinseco, & extrinseco fine & obiecto; quia alliciunt ad actum obiectiuè proposita; ita etiam quando ad plures actus gradatim ex vno in alterum procedit, quamuis sequentem actum non eliciat ex motiuo prioris, tanquam propter ipsum, eo modo, quo amor medij est propter finem: tamen actus posterior dicitur esse ex motiuo prioris, non specificante ipsum vt finis; sed excitante voluntatem, quæ ita affecta est, vt hîc, & nunc non exiret in secundum actum, aut consequentes, nisi ex occasione 132

Motiuum excitans nō specificans.

Exemplum. sione prioris. Exemplum huius est in eo, qui nollet celebrare, nisi dato stipendio, quod ipsi est motiuum excitans, non specificans: quia nihil communicat in genere entis, aut moris voluntati ordinatæ celebrandi, quæ consequitur: non est ergo dependentia actus ad actum physicè, aut moraliter quoad bonitatem participatam, cùm actus idem quoad omnia staret sine priore; sed tantùm secundùm *quid*, considerata dispositione præsenti voluntatis, se habet, vt prior vnus ad alium, quia applicat, & excitat voluntatem ad agendum. Hac ratione gratia excitans dicitur illa, qua voluntas conuertitur ad operandum, vt distinguitur ab adiuuante.

133 *Concilij Doctrina cohærens.* Nihil ergo indicat hic Conc. nisi quòd fusiùs declarauit *sess. 6. cap. 6.* præparationem ad iustitiam incipere à timore seruili, deinceps procedere per spem, & dilectionem ad odium peccati, in quo processu timor gehennæ est primum excitans motiuum; non tamen specificans. Quod probatur ex ipso contextu, *communiter*, inquit, *concipitur*, &c. Si autem sermo esset de motiuo specificante; non diceret *communiter:* quod idem est ac *regulariter*, seu *vt in plurimum*; sed non semper; cùm aliàs repugnat actum non concipi ex motiuo tali formali & proprio: ratio autem motus voluntatis ex timore est; quia ex sympathia eius ad appetitum sensitiuum, magis excitatur via commodi, quàm affectu iustitiæ, licèt in ista motus non cesset, vt in vltimo termino. Adde vlteriùs quòd Concilium ibi definiat contra Lutherum, talem motum non esse hypocrisim, sed religiosum, & vtilem, & ex eo sequi perfectam, non fictam peccati detestationem. Confirmatur interpretatio ex sequentibus: *Declarat*, inquit, *non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem* (hoc calũniabatur Lutherus tanquam esset timor seruilis solius pœnæ, habens secum affectum peccati, esset coactus, & extortus, non liber) *verùm etiam donum Dei esse & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat*, &c. non est ergo status in ipso timore, sed pœnitens vlteriùs ipso adiuuante & excitante viam sibi ad iustitiam parat: nempe per pœnitentiam, quam oportet facere ante Sacramentum, quæ est ex iisdem motiuis, & eadem, quæ ante Baptismum exigitur: talis autem est, quam describit Trid. sess. *6.* c. *6. mouetur*, inquit, *aduersùs peccata*, &c. hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.

Nequit actus inesse nisi ex formali de proprio motiuo.

Confirmatio.

Ex his respondetur ad primam probationem, attritionem dici imperfectam respectiuè ad contritionem, quæ se sola est efficax ad delendum peccatum, non ita attritio. Hæc efficacia est ex perfectione actus supposita acceptatione diuina. Ad aliud, quod additur, iam ostensum est illam interpretationem falsam esse, quia *sess. 6. cap. 6.* docet Conc. attritionem debere esse perfectam dilectione actuali, quæ est actualis charitas: intelligit ergo per charitatem *sess. 14. cap. 4.* ipsam gratiam iustificantem, eo modo quo antiqui Theologi intelligunt formatam attritionem nomine *contritionis*, & ex attrito fieri contritum. 134 *Responsio ad obiectionem.*

Replica. Dices, Concilium ibi dicit, quòd attritio concepta ex turpitudine peccati, si habeat annexam spem veniæ, cum voluntate non peccandi, sufficere ad Sacramentum: ergo cùm exceptio firmet regulam, & limitatio determinet expressam significationem clausulæ, cui annectitur, intelligendum est Conc. de attritione, vt solùm est ex motiuis ab ipso expressis. Respondetur, Concilium in initio eiusdem capitis docere illa ipsa requiri ad contritionem in genere: *Ita*, inquit, *demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit*, &c. Supple cõtritionis motus; & postea, *Declarat igitur sancta Synodus hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & inchoationem* (hæc est voluntas non peccandi) *sed veteris etiam odium continere*, &c. Et *infrà* docet contritionem perfectam sine voto Sacramenti esse inefficacem: exprimit ergo Concilium *ibidem* circumstantias contritionis in genere, tanquam necessarias attritioni, vt sit dispositio ad Sacramentum. Quibus concordant ea, quæ docuit *sess. 6. cap. 14. de pœnitentia Christiana.* Hæc ergo in genere resolutio huius quæstionis est, ad attritionem, & contritionem requiri, vt sint à charitate vel elicitæ, vel imperatæ, quandoque ex diuersis motiuis in specie haberi, & inter vtramque dari distinctionem tantùm secundùm gradus, quando sunt ex eodem motiuo, seu obiecto. *Soluitur.*

SCHOLIVM.

Ad tertium quod ait in statu innocentiæ fuisse futuram pœnitentiam, & patientiam, tenent D. Bonauent. 2. dist. 29. art. 3. qu. 1. Alens. 2. part. qu. 91. m. 2. art. 2. D. Thom. 1. p. q. 95. a. 3. ad vlt. pœnitentiam non esse virtutem infusam. Ita Dur. hic qu. 2. Bassol. & Gabr. hic. Marsil. qu. 10. art. 2. D. Bonauent. d. 17. 1. p. a. 2. q. 3. Rich. hic a. 4. qu. 1.

AD [1] primum argumentum principale dico, quòd etsi tristitia sit passio, tamen imperare eam est actus, & sicut dictum est priùs, tristitia non est actus virtutis pœnitentiæ, etiam quomodocunque accipiendo pœnitentiam: sed pœnitentiæ virtutis primo modo acceptæ tristitia est effectus remotus: effectus autem proximus causæ immediatè ipsius tristitiæ. 19 *Ad argu. 1. Immediata causa, est nolitio mali, & eius consideratio.*

Ad secundum [m] dictum est in præcedenti quæstione quomodo tristitia potest esse voluntaria secundùm affectionem iustitiæ; & esto, quòd pœna esset inuoluntaria, non sequitur quin actus elicitus à voluntate sit voluntarius. *Ad 2.*

Ad tertium potest dici dupliciter. Vno modo, ex quo virtus est in nobis supplementum defectus naturalis (vnde non ponuntur virtutes morales à quibusdam, in Angelis) nec in statu innocentiæ fuissent tales in natura, quales nunc; nec ergo tunc fuisset *Ad 3. An pœnitẽtia vel patientia fuissent in statu innocentiæ.*

fuisset necessitas habendi virtutes omnes, quas & nunc. & hoc specialiter de virtutibus quæ non habent bonum pro obiecto, sed malum, vt pœnitentia; quia in statu illo non fuisset illud malum, sicut fortè nec tunc fuisset patientia, quia nec materia patientiæ.

An pœnitẽtia maneat in Beatitudine.

Aliter dici potest, quòd pœnitentia est habitus inclinans ad faciliter vindicandum in se reum: & quod in se, hoc est materiale, quia formalis ratio virtutis esset eadem, si committeretur sibi vindicare in alium reum. Beatus autem, & innocens possunt habere habitum promptè vindicandi in alium reum: ergo & in se, si tamen reatus inesset: & sic potest concedi quòd in statu innocentiæ, & in Beatitudine manet ista virtus: nec mirum, cùm in Deo maneat iustitia vindicatiua; licèt non in seipsum, quia non potest esse reus.

Ad Nō sufficere actum pœnitentiæ, id est, iustitiæ punitiuæ ad delẽdũ peccatum.

20 Ad vltimum [n] dico, quòd non est virtus Theologica: imò circa obiectum creatum: & cùm arguitur, quòd non potest esse informis; nego, imò ex multis actibus vindicandi in se iustè reum potest acquiri habitus, qui maneat cum peccato mortali, & posset acquiri ante deletionem peccati mortalis, nisi fortè, quia Deus iustificat antequam possint haberi actus sufficientes ad generationem pœnitentiæ.

Et cùm probatur primò, quòd delet peccatum, ergo non stat cum eo: Respondeo quòd virtus non delet etiam meritoriè: sed actus qui natus est esse actus virtutis, siue sit à virtute elicitus, siue non, sed virtutis generatiuus, & cum hoc benè potest stare, imò necessariò stat quòd sit informis, & per consequens habitus suus, si inest, erit informis.

August.

Et si arguitur contra hoc per auctoritates, quarum vna est Augustini de pœnitentia, *sine charitate in nobis esse non potest vera pœnitentia*: & alia Augustini de vera, & falsa pœnitentia, *Cùm sit opus Dei fructifera pœnitentia, inspirare eam potest quandocunque vult sua misericordia*, & ibidem de vera, & falsa pœnitentia, quòd sine amore Dei consequatur quis veniam, habet hoc pro inconuenienti, & eodem modo, quòd vera pœnitentia sit sine amore Dei.

Ad pœnitẽtiã fructuosum requirit gratiam & qu. 1. ad 3.

Istæ auctoritates omnes vnam habent responsionem, quia pœnitentia, siue actus, siue virtus non est vera, quantùm ad finem pœnitentiæ attingendum sine charitate, & hoc est, quod dicit secunda auctoritas de pœnitentia fructuosa: pœnitentia enim absolutè potest innasci ex naturalibus hominis, sed non fructifera, hoc est ferens fructum: imò vt fructuosa, est in vltimo instanti. Sed illa tertia, quòd sine amore Dei nullus consequitur veniam; potest ibi accipi *venia* non tantùm pro pœnitentia, sed pro fine pœnitentiæ, & ita communiter dicimus, quòd per pœnitentiam acquiritur venia: & illa venia est, quando quis per gratiam acceptatur ad amicitiam diuinam.

COMMENTARIVS.

135 *Ad argumẽta.*

1 **A**D *primum argumentum*, &c. Respondet ad argumenta principalia posita ad initium quæstionis præsentis. Ad primum & secundum patet responsio ex littera, & iam dictis.

Ad tertium. Necessitas virtutum & finis earum.

m *Ad tertium potest dici dupliciter: vno modo*, &c. Tertium argumentum fuit: virtutes fuisse in statu innocentiæ, & remanebunt in patria: sed neque in patria, neque in statu innocentiæ esset pœnitentia, quia nec peccatum: ergo non est virtus. Respondet primò virtutem esse in nobis (scilicet in statu naturæ lapsæ) supplementum defectus naturalis, supple incursi per peccatum, qui defectus consistit in ignorantia, & errore circa bonum in intellectu; difficultate operandi in voluntate ob corruptam inclinationem ad appetitum, & rebellionem eiusdem contra rationem, in qua consistit fomes, & concupiscentia, quæ ex peccato est, & in peccatum inclinat. Vide Tridentinum *sess. 5. de peccato originali can. primo, & can. 5. sess. 6 cap. 1. & 2.* hinc aliqui, vt inquit, negant virtutes morales fuisse in Angelis. Hinc vlterius dicit quòd *in statu innocentiæ non fuissent tales in natura, quales nunc sunt: nec ergo tunc fuisset necessitas habendi virtutes omnes, quas & nunc*, &c.

Hoc intelligitur tantùm de virtute morali quæ seruat medium in ordine ad se, & consistit in temperanda passione tam in voluntate, quàm in appetitu, quia hæc sola est, quæ connotat imperfectionem subiecti, ratione cuius fundatur necessitas virtutis talis supplentis imperfectionem, quæ imperfectio non esset in statu innocentiæ in quo appetitus ex toto erat subiectus voluntatis imperio sine vlla resistentia, siue hoc proueniebat ex dono iustitiæ originalis, vt erat in voluntate, & intellectu; siue etiam præterea fuerit aliquod donum in ipso appetitu, quo delectabiliter subesset voluntati, de quo vide ipsum *in 2. dist. 29.* sic ergo non fuit necessitas alterius moderantis appetitum, quod haberet rationem perfectionis supplentis defectum. 136 *Declaratur responsio.*

Nõ excluditur ergo hìc iustitia in genere à statu innocentiæ: quia ibi esset perfecta religio, obedientia, amicitia, veritas, seu veracitas: & huiusmodi, & quæcũque non supponerent defectum, vt *Virtutes cõpatibiles cum statu innocẽtia, alia repugnantes, sed nõ necessaria.*

vt humilitas, mansuetudo: quando ergo dicit Doctor non fuisse virtutes in eo statu, prout nūc sunt: intelligit quoad eas præcisè, quæ ponuntur ob defectum ad moderandum appetitum, & quibus correspondet in ipso appetitu habitus proprius, quo subordinatur voluntati acquisitus, vt abstinentiæ & huiusmodi.

Non esset pœnitentia. Ex his concludit specialiter in illo statu non fuisse virtutes, quæ ordinantur primò contra malum, vt pœnitentia, & fortè patientia.

137 *Secunda responsio.* *Secunda responsio* est, sumendo *pœnitentiam* pro iustitia vindicatiua: siue in se, siue in alium exerceatur vindicta, posse statui omni conuenire; quin etiam Deo, in quo est iustitia vindicatiua. Sic sumendo pœnitentiam, non differt à iustitia vindicatiua; quia vindicare in se, vel in alio malum, est differentia materialis, non formalis; & hoc modo pœnitentia non est species iustitiæ vindicatiuæ; sed eadem ipsa in exercitio. Huic doctrinæ, & responsioni plurimum fauet ratio Doctoris in hac quæstione *suprà articulo primo*, §. *Secunda inquisitio, conclusione prima.* vers. *dico ergo*, &c. vbi dicit, quòd actus vindicandi in se, vel in alio sit eiusdem rationis. Diuersa hæc responsio oritur ex diuersis placitis Doctorum, quantùm ad subiectum proximum, & remotum pœnitentiæ.

138 *Varia sententia de virtutū differentia & vnitate.* Fuit quorumdam apud Alensem 4. *part. q.* 12. *m.* 2. *art.* 3. opinio, in anima non distingui virtutes, sed sicut vnam ponebant potentiam animæ indistinctā à sua essentia, ita etiam vnū habitum virtutis efficacem in omnes operationes animæ *Prima sententia.* imaginabantur. Contra hos non est huius loci disputare: nunc ergo supponimus distinctionem habituum ex diuersitate obiectorum, ac etiam *Secunda sententia.* potentiarum. Alij apud eundem, & D. Bonauenturam *in* 4. *dist.* 14. *parte prima distinctionis*, asserebant pœnitentiam esse in omnibus animæ potentiis in quibus sedes est virtutum, & secundùm omnem affectum. Hæc fundatur in eo, quòd pœnitētia non sit specialis virtus, sed communis, indistincta à cæteris, quatenus conuenit cuique detestari peccatum sibi oppositum. Est sententia Altisiodorensis 4. *lib. tract.* 6. *quæst.* 3. sed hæc reiicitur ex iisdem fundamentis, quibus probatur pœnitentia specialis virtus. Et quoad actum supponunt Concilia, & Scriptura eam distinctionem. Alensis negat eam esse in irascibili, concupiscibili, & rationabili, sed in libero arbitrio: sed si intelligat per liberum arbitrium intellectum, & voluntatem, non potest stare: quia siue libero arbitrio includat intellectum, siue supponat: certum est pœnitentiam in intellectu non esse, cùm sit detestatio, seu, vt diximus, vindicta peccati, qui sunt actus appetitiuæ. Deinde, si intelligat per liberum arbitrium voluntatem, vt libera est, repugnat non subiectari pœnitentiam in voluntate secundùm affectum concupiscentiæ, aut vt est irrascibilis, cùm hi duo latè (sumpta concupiscentia quatenus est prosecutio, aut fuga boni in genere) exhauriant omnem modum operandi voluntatis: si autem loquatur de his, vt sunt in appetitu sensitiuo, rectè quidem: licèt Soto concedat aliquid in sensitiuo correspondens pœnitentiæ, de quo modò non disserimus.

139 *Subiectū pœnitentia.* *Prima conclusio.* Pœnitentia est in voluntate, prout irascibilis est. Ita Doctor *hac dist.* 14. *qu.* 2. *art. primo* §. *Alia est conclusio ista*: licèt enim irascibilis propriè spectet ad appetitum sensitiuum, cuius est repellere, & vindicare prohibens concupiscentiam: aliquid tamen simile reperitur in voluntate vindicante, secundùm quod dicitur subiectare & elicere actus vindicatiuæ. Pœnitentiam esse in voluntate docet D. Thomas *qu.* 85. *art.* 4. vbi Caiet. Soto *in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 4. Richard. *arg.* 3. *quæst prima.* Palud. *quæst.* 4. estque communis, vt patet ratione generali, quâ actus, & habitus ad eandem potentiam reducuntur; voluntas autem vindicat: ergo, &c.

Secunda conclusio. Pœnitentia nequit esse in iis, in quibus non est peccatum: si loquamur de pœnitentia, prout de ea loquuntur sacræ litteræ, Patres, & Concilia, & definita est *suprà* ex authore libri de vera & falsa pœnitentia. Hæc conclusio est Doctoris *in prima responsione*, quæ magis placet: quia nullibi in sacra pagina, aut aliàs in Conciliis, aut Patribus, inuenitur vsus pœnitentiæ in eo sensu, quo se extendit ad vindicandum in alio peccatum, sic enim nihil differret à iustitia vindicatiua, essetque in Deo: cùm ergo nomina extra proprietatem non debemus trahere, sic neque definitiones. Ex his patet quid dicendum sit ad varios modos opinandi aliorum, Alens. 4. *part. qu.* 12. *m.* 2. *art.* 1. docet Angelum non fuisse capacem pœnitentiæ, non ita hominem in statu innocentiæ; sed hoc non est verum: quia si loquatur de possibili, potuit Angelus post peccatum fuisse viator, & esse capax remedij, quod concedit hîc Doctor noster *quæst.* 4. status innocentiæ in homine, si perseueraret, non erat capax peccati, quia in eo non esset infirmitas, aut ignorantia, aut concupiscentia; ideò pœnitentia in eo statu superflueret, sicut spes, & fides in patria. Idem docet de Beatis, manere in eis pœnitentiam quoad habitum, non quoad actum displicentiæ, aut doloris, sed quantùm ad actum gratiarum actionis pro beneficio remissionis peccatorum. Verùm hic actus est religionis, seu gratitudinis, non pœnitentiæ. D. Thom. *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 3. idem docet de Angelis Beatis ac statu innocentiæ, nempe fuisse, & fore in ipsis pœnitentiam, quia ita erat dispositus primus parens, vt si peccaret, pœniteret: sed certè hoc etiam de quouis dici posset ordinatè operanti, nam sicut sequens regulam rectam fertur in bonum, prosecutione, ita etiam in malum, fugâ, & detestatione.

140 *In quibus nequit esse.* *Supponit peccatum personale.* *Potuit inesse Angelo viatori, si Deus vellet.* *Non esset in statu innocentia.* *Sententia aliorum. Impugnatur.*

Thomas Argentinensis *in* 4. *dist.* 14. *qu.* 1. *a.* 1. docet in Christo fuisse virtutem pœnitentiæ, non solùm quoad ornatum, sed etiam quoad actum displicentiæ conditionatæ, scilicet in hac forma, *si ego peccarem*, &c. Idem asserit de Beata Virgine, & cæteris, Paludanus *quæst.* 4. in Angelis Beatis, innocentibus, Beatissima Virgine adstruit idem. Negat Sotus in Virgine, & Christo fuisse pœnitentiam virtutem, quia neque peccatum ipsum veniale. Addit Vasquez *dub.* 2. *qu.* 85. *art.* 4. non sufficere ad tollendam virtutem, eam non posse habere actum, quia sic, inquit, virtutes Theologicæ tollerentur infantibus in Baptismo. Hæc ratio videtur fundare præmissas opiniones, vel saltem fulcire; sed non valet, quia infantes nascuntur viatores, & in Baptismate tribuuntur ipsis media necessaria talis status, licèt per impedimentum pro aliquo tempore iis vti non possent: non sic est in statu Beatitudinis, & innocentiæ ac impeccabilitatis, vbi non est defectus naturæ, aut impedimentum in operando, sed materia exercendæ virtutis tali 141

statui

statui, quando repugnat, superflua est omnino virtus. Qui admittunt veniale peccatum in statu innocentiæ consequenter ponerent pœnitentiam in eodem statu. Qui tenent virtutem pœnitentiæ esse infusam, non rectè statuunt eam quoad peccatum in eodem statu, cùm nunquam mortale peccatum compateretur innocentiæ, & per primum tale destrueretur tam status, quàm omnes infusæ præter spem & fidem: ergo planè virtus pœnitentiæ esset inutilis in innocentia: omnes autem qui ponunt infusas affirmant non manere infusas morales post charitatem. Alij excipiunt pœnitentiam voluntariè magis, quàm ex vlla vrgente ratione.

Otiosa pœnitentia in aliquibus superfluis.

142 Dices, in Beatis manent virtutes, quas habuerant in via: ergo pœnitentia. Respondent quidam manere in ratione ornatus, & formæ tantùm. Alij negant, res planè incerta est, neque a i vrgens aliquod rationis, aut authoritatis principium reduci potest. Qui asserunt remanere, secludunt imperfectionem: qui negant, dicunt non posse abstrahere ab imperfectione: & quisque iuxta principia à se posita explicat virtutem pœnitentiæ per extensionem eius, ac coarctationem ad hos, vel illos actus. Nos stamus in eo solùm, quod cognoscimus de hac virtute ex Scriptura & Conciliis, quòd sit medicina peccati commissi à viatore (in damnatis autem non datur) neque naturam eius ad alia principia reuocare, aut aliter interpretari cum stabili fundamento possumus: siue enim vindicare in se peccatum sit differentia formalis, aut materialis pœnitentiæ, ita importatur per nomen, vt nullo modo abstrahat: quia pœnitentia est pœnam tenere. Reprehenditur meritò Paludanus à Soto quòd asseruerit pœnitentiam fuisse in Beatissima Virgine, ex eo, quòd peccare potuerit venialiter: quia hoc est contra mentem Ecclesiæ, vt definit Trident. *sess.6.cap.23.*

An maneat in paterna.

143 n *Ad vltimum dico, quòd non est virtus Theologica*, &c. Per virtutem Theologicam intelligit Doctor genus virtutis infusæ: quia has solas putat esse infusas per se, & ex genere suo: reliquas verò acquisitas; vnde quando dixit *infrà, pœnitentiam absolutè posse innasci ex naturalibus hominis*, &c. Intelligit secundùm hanc differentiam eius à virtute infusa per se: non verò iuxta modum, quo alij eum interpretantur, quasi vellet excludere gratiam Dei præuenientem, & adiuuantem, per quam donatur, vt fusiùs *suprà* super hac quæstione, ex ipso probauimus: hinc ergo dicit in hac responsione: *ex multis actibus vindicandi in se iustè reum, potest acquiri habitus* (supple pœnitentiæ) *qui manet cum peccato mortali, & posset acquiri ante deletionem peccati mortalis, nisi fortè quia Deus iustificat, antequam possint haberi actus sufficientes ad generationem pœnitentiæ*, &c. quæ ratio eò tendit, vt probet pœnitentiam non esse infusam eo rigore, quo Theologi loquuntur de virtute per se infusa, non autem in sensu Patrum, qui infusam appellant quodcunque gratuitè donatum à Deo, & eius gratia, ad quod non pertingit natura propriis viribus. Perinde dicit Doctor de aliis virtutibus moralibus *in tertio d. 36.* Hanc sententiam Doctoris quoad virtutes in genere morales, & quoad pœnitentiam in specie rigidissimè censurant antiqui discipuli D. Thomæ. Cæterùm moderni magis moderatè discurrunt, asserentes morales infusas quoad habitum non probari necessaria ratione, aut authoritate: quamuis ergo perinde sit discurrere de infusione aliarum, & pœnitentiæ: quia fundamenta, & principia hinc, inde in eodem communicant: quæstionem tamen in genere præmittam de omnibus simul, comprehendendo tantùm quæ specialia sunt huius loci

Responsio ad vltimum.

Tertia conclusio. Pœnitentia est virtus acquisita quoad habitum: ita Doctor hic. Hanc tenent Henricus *quodl.6. qu.* 12. Durand. *in 3. dist. 36.* & quotquot negant morales per se infusas, vt nostra schola, & Nominales, & quos licet videre *in com. illius dist. 36. in 3.* Contrariam sententiam docuit S. Thomas 3. *part. quæst.* 85.*a.*5. quem *ibidem* sequitur Caiet. & reliqui commentatores eius, Vasquez *dubio vnico.* Suarez *tom.4.disp.3. sect.6.* Sotus *in hac distinctione qu.2. art. 5.* Cano *in relect. de pœnit. 2. part. concl. vlt.* & alij. Intelligitur de pœnitentia, vt est specialis virtus, & ab aliis distincta. 144

Conclusio Doctoris sustinetur.

Contraria sententia.

Primò probatur, quia nulla ratio, aut authoritas conuincit esse virtutem naturâ suâ infusam, vt patebit respondendo ad argumenta: & confirmatur, quia nulla est necessitas, aut fundamentum statuendi actum pœnitentiæ, nisi in ordine ad deletionem peccati, quod inest, & non remittitur nisi supposita pœnitentia, & per ipsam tanquam dispositionem præuiam, vt patet ex Trid. *sess.6. cap.5.* 6.7. & *cap.*14.§.14.*cap.*1. & 4. Patet ex Scriptura idem & ex aliis Conciliis, & Patribus, quæ videre licet in distinctionibus de Pœnitentia apud Gratianum; & in vniuersum nec Scriptura, nec Patres, nec Concilia tribuunt alium vsum pœnitentiæ, neque agnoscunt, sed pœnitentia infusa est inutilis ad hunc effectum; quia hic effectus est semper antecedens infusionem eius, neque post remissionem peccati vlla est necessitas pœnitentiæ, per se loquendo de illa necessitate, ob quam exigitur respectu peccati delendi siue necessitate medij, siue præcepti; & sub quacunque exigitur: quia licèt supersit aliqua pœna temporalis soluenda, ad hanc supersunt opera satisfactoria, & plura alia media, nec congruitas, ex qua adstruuntur aliæ virtutes infusæ, saluatur in proposito quoad pœnitentiam, nempe vt opus sit referibile ad finem vltimum, quia actus per se necessarius pœnitentiæ est dispositio ad deletionem culpæ, quæ nunquam est à pœnitentia infusa, vt dictum est. Accedit quod eadem ipsa media, ex quibus est dispositio ad remissionem peccati, sufficiant in ratione mediorum pœnitendi tam in re, quàm in acceptatione diuina, supposito quòd exigeretur pœnitentia post deletionem peccati, ergo neque ratio, neque authoritas sufficiens probat pœnitentiam per se iufusam per modum habitus.

Actus pœnitentiæ remittit peccatum.

Infusa non est necessaria ad remissionem.

Minus exigitur, quàm alia infusæ morales.

Secundò in peccatore pœnitente remanet facilitas ad actum pœnitentiæ, vt experientia constat. ergo habitus pœnitentiæ, cuius actus sufficit ad omnem effectum pœnitētiæ. Antecedens patet experientia. Consequentia probatur, quia ea facilitas non potest prouenire ab alio habitu, aliàs superflueret habitus pœnitentiæ, sed virtus infusa, ex principiis aduersariorum, non manet præter solam spem, & fidem in peccatore. 145

Secunda ratio.

Tertiò, obiectum pœnitentiæ est motiuum ordinis naturalis: ergo seclusâ infirmitate naturæ potest attingi per media eiudem ordinis; & consequenter non exigit eleuationem naturæ per principia alterius ordinis. Probatur antecedens;

Tertia ratio ex obiecto.

dens; quia obiectum pœnitentiæ est peccatum vt vindicabile per pœnam lege statutam; sed hoc attingi potest per iustitiam vindicatiuam, quæ est habitus naturalis; ergo, &c. Sublumptum patet ex definitione pœnitentiæ superiùs

Confirmatio. assignata. Confirmatur, quia opera satisfactoria, quibus vindicatur peccatum, verbi gratia, ieiunium, oratio, eleemosyna, exhiberi possunt per habitus acquisitos, & gratiam actualem excitantem, & adiuuantem, quæ ad singulos actus bonos exigitur ob infirmitatem naturæ ad bonum, & ex directione charitatis.

146 *Responsio.* Dices requiri dolorem de peccato, vt est offensa Dei; hoc autem esse motiuum supernaturale simpliciter. *Impugnatio.* Contrà, quia talis dolor non est actus elicitus pœnitentiæ, sed charitatis, imperatus autem à pœnitentia: ergo quantùm ad proprium motiuum intrinsecum, pœnitentia est virtus ordinis naturalis, & non infusa.

Responsio. Dices pœnitentiam præexigere fidem, spem, & charitatem, vt docet Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* *Impugnatio.* ac proinde esse infusam. Contrà, sic omnis virtus fructuosè operans ad salutem, & vitam æternam supponit fidem, spem, & charitatem, quoad actum: quia fides est initium salutis, vt definit Trid. *sess. 6. cap. 8.* & antiqua Concilia contra Pelagianos, & semipelagianos: ad meritum requiritur spes & fiducia præmij, & relatio operis per charitatem ad finem vltimum, vt suo loco docuimus; sed his non obstantibus temperantia, verbi gratia, operans fructuosè, vt principium actus meritorij, in vitam æternam, non transfertur extra genus acquisitæ, & naturalis virtutis: ergo idem dicendum de pœnitentia.

Confirm. Confirmari potest ad hominem: quia plures aduersariorum admittunt pœnitentiam naturalem vt attritionem distinctam ab infusa, hæc ex motiuo charitatis relata sufficienter disponit peccatorem ad gratiam: ergo superfluit infusa. Argumentum loquitur de acquisita, cuius actus esse potest meritorius ex relatione charitatis: quia hæc potest referre actum cuiusque virtutis in suum finem: & illa adimpletur lex, seruitur Deo, &c. Ponatur ergo casus (ne sit locus euasioni,) quòd Deus suspendat concursum infusæ: si detur, & concurrat cum sola acquisita Deinde quælibet virtus potest displicere in peccato sibi opposito, vt opponitur rectæ rationi, vt alij concedunt: hæc autem displicentia est sufficiens dolor, & dispositio cum Sacramento, vt ipsi concedunt.

147 Dices, fides aliter supponitur ad pœnitétiam, aliter ad virtutes acquisitas, quia sine fide nequit saluari pœnitentia, etiam in proprio genere, non sic aliæ virtutes. Hæc solutio non est omnium, neque consequens ad principia eorum, qui dicunt pœnitendum de peccato esse notum lumine naturali: & virtutis naturalis regula proxima est per ipsos prudentia infusa, in quo distinguitur à Theologica virtute, cuius regula est fides, sed contra eam virtutes euangelicæ, vt paupertas, obedientia, castitas, humilitas non sunt infusæ; habent tamen fidem & reuelationem pro regula sua in hoc statu: ergo idem est de pœnitentia, vel saltem fundamentum illud non est validum.

Prima obiectio. Soluitur. Ex his facilis est solutio ad fundamenta aliorum. Obiicit primò Caiet. & Soto, pœnitentia ordinat hominem ad gratiam & amicitiam Dei: ergo est infusa. Respondetur ex dictis pœnitentiam ordinare ad amicitiam Dei ex fine extrinseco, intrinsece & ex obiecto respicere tantum satisfactionem legis per pœnam. Negari etiam potest consequentia.

Secunda obiectio soluitur. Obiiciunt secundò, ad actum pœnitentiæ requiri gratiam. Respondetur hanc rationem nullius momenti esse: quia probat tantùm pœnitentiam esse supernaturalem, vt *supernaturale* distinguitur contra id, quod fit viribus solius naturæ sine adiutorio gratiæ specialis, non autem vt significat virtutem infusam supernaturalem quoad substantiam, in sensu, quo iam frequentiùs sumitur à Theologis, quatenus distinguitur contra acquisitam moralem.

Sed vrget Suarez *can.* 3. Trident. *sess. 6.* 148 *Tertia obiectio Suarez. Soluitur.* qua definitur vniformiter requiri gratiam ad actum fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, sine discrimine. Respondetur Concil. definire contra Pelagianos, & semipelagianos illos actus non fieri sine adiutorio Dei speciali, viribus liberi arbitrij solius, *Si quis dixerit*, inquit, *sine præuenientе Spiritus sancti gratia, atque eius adiutorio*, &c. Simile definiunt Patres, & Aug. post Conc. Diospolitanum *art.* 7. de aliarum virtutum actibus, quas non licet inde constituere infusas: hæc ergo distinctio supernatutalis quoad substantiam, & modum non fuit nota Patribus, aut antiquis, qui de gratia sine discrimine loquuntur, siue definiant eam requiri ad actus infusarum, siue ad actus acquisitarum. Fundatur tantùm in opinione Scholastica, qua hæc distinctio introducitur: infundi enim aliquos habitus, id tantùm post Trident. & Viennen. certum est: de reliquo nihil quod huc spectet. Alia plura adducit Suarez contra hanc distinctionem qua dicitur pœnitentia esse supernaturalis ex fine, quatenus refertur per charitatem; sed nihil ad nos, qui dicimus eam esse ex adiutorio speciali. Omnia etiam, quæ decernunt Patres in hac materia, concernunt actum, non habitum, ideò nihil faciunt ad propositum.

Vasquez, & alij vrgent rationem, quam in *Vltima obiectio soluitur.* corpore impugnauimus, nempe pœnitentiam ædificari in fide, & spe: ergo est supernaturalis, sicut illæ. Hæc ratio habet instantiam in virtutibus euangelicis, quin etiam in reliquis omnibus, quæ faciunt ad salutem. & sic tollit in vniuersum genus acquisitæ, si efficax est.

Ex his patet veritas responsionis Doctoris ad 149 *Summarium litteræ Doctoris in responsione ad vltimum argumentum.* vltimum argumentum, cuius hæc summa est. Pœnitentiam esse virtutem moralem acquisitam, & non per se infusam eo rigore, quo Theologi loquuntur de virtute per se infusa, non autem in eo sensu, quo differunt Patres de infusa, nempe quà à diuina gratia auxiliante, & excitante donatur mediante suo actu.

Posse eandem manere cum peccato mortali: quod est contra naturam moralis per se infusæ, vt astruitur, quæ inseparabilis est à charitate.

Quòd actus eius, non habitus, deleat peccatum mortale, meritoriè de congruo, & dispositiuè.

Quòd neque quoad habitum, neque quoad actum est fructuosa, aut vera sine charitate, id est, vel actuali, vel habituali: nam duplex est *Duplex status Pœnitentiæ.* status pœnitentiæ. Primus est, vt sit dispositio præuia ad remissionem peccati, & sic requiritur, vt sit actus perfectus perfectione finis, id est, elicitus, aut imperatus à charitate, vt patet ex dictis *suprà*: quod intelligitur de actuali charitate, &

non

non habituali. Hoc etiam intendit authoritas Augustini, quam declarat, & alia subiuncta. Alius est status eiusdem, vt iam informatur per charitatem,& habet annexam veniam,& remissionem peccati cum integra reconciliatione à culpæ reatu, & pœnæ æternæ, sic magis est propriè fructifera, quia habet coniunctum fructum, ad quem ordinatur, cùm antea habuerit illud solùm in virtute,& quasi in semine, vt erat actus, & habitus prior, natura, & informis, quò spectant vltima verba solutionis: agit enim ex proposito non tã de actu, quàm de habitu pœnitẽtiæ: doctrina autẽ ex supradictis in vtroque paragrapho præcedẽti accomodatur perinde actui.

QVÆSTIO III.

Vtrùm pœnitentia virtus sit tantùm vnius pœnæ inflictiua?

Alens. *4. part. quæst. 54. memb. 1. art. 3. 4.* D. Bonau. *hic 1. part. art. 1. quæst. 2. 3.* Richard. *2. quæst. 2.* D. Thom. *3. part. qu. 85. art. 3.* Suar. *tom. 4. disp. 6.*

1 *Argum. 1.* TErtiò quæro, [a] Vtrùm pœnitentia virtus sit tantùm vnius pœnæ inflictiua? Quòd sic arguitur, quia infligit pœnam, vt ordinatiuam culpæ: vnius autem culpæ est vna pœna ordinatiua, sicut vnius deordinationis est vna ordinatio: ergò, &c.

Argum. 2. Item, pœnitentia est quædam iustitia, vt dictum est *in quæst. præced.* iustitia autem reddit æquale pro æquali: vni autem culpæ potest esse vna pœna æqualis correspondens: ergo, &c.

Argum. 3. Item, vnius virtutis est vnus actus, & vnum obiectum: ergo pœnitentiæ; quæ est vna virtus, est vnus actus, scilicet infligere pœnam, & vnum obiectum, scilicet pœna inflicta.

Rat. opp. Iac. 5. Matth. 3. Contrà, Iohelis 3. *Scindite corda vestra*, &c. Et Iac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, & Matth. 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Ex his omnibus auctoritatibus arguitur sic secundùm August. Vera pœnitentia ad Baptismi innocentiam nititur reducere: sed non reducitur, nisi per ista tria. Vel meliùs sic: Pœnitentia est iustitia punitiua, secundùm legem diuinam: sed secundùm legem Dei oportet plures pœnas infligere, vt probatur istis auctoritatibus: ergo, &c.

Habetur de pœn. dist. 5. cap. 1. Item, *de vera, & falsa pœnitentia*, & ponuntur *in decret. per dist. 7.* auctoritates diuersæ de multis quæ requiruntur in vero pœnitente, & subditur: *isti sunt digni fructus pœnitentiæ*, ex Augustino.

COMMENTARIVS.

1 *De regula pœnitentiæ.* a TErtiò *quæritur: Vtrùm pœnitẽtia virtus*, &c. In hac quæstione agit de regula pœnitentiæ Christianæ: quia ex regula cuiuscunque virtutis procedit omne dictamen, cui debet virtus, conformando se in actibus, regulari: ideò quærit, an pœnitentia ex regula sua sit vnius pœnæ inflictiua, vel an plurium. Hæc quæstio æquiualet isti, qua quæritur; *qui sunt fructus pœnitentiæ*, id est, opera, vel actus procedentes secũdùm inclinationem pœnitẽtiæ, & præscriptionẽ regulæ, in qua fundatur: vt benè Doctor *a'gumento in oppositum §. contra, Iohelis* 3. &c. insinuat.

SCHOLIVM.

Pœnitentiæ punitiuæ correspondere duplicem regulam in intellectu. Prima est naturalis, scilicet hac; Displicendum est de peccato. *Secunda supernaturalis, vt hac:* Peccatum est detestandum vt offensiuum Dei auctoris supernaturalis, & impeditiuum Beatitudinis supernaturalis; *& huic regulæ correspondet alia iustitia, à prima in voluntate.*

2 *Opinio aliquorum quã tenet Doctor.* HIc [b] dicitur, quòd cuicunque virtuti in appetitu correspondet aliqua regula in intellectu, siue alia alij, siue eadem pluribus. De hoc *in tertio 36. dist. q. vnica, a 2.* Si pœnitentia secundùm quòd est virtus, & quædam particularis iustitia, ex solutione præcedente, habet actum proprium *pœnitere* secundùm primam illarum quatuor significationum priùs positarum: ergo oportet quærere regulam illius virtutis in intellectu, & secundùm illam, sequetur actus inflictiuus vnius pœnæ, vel plurium.

Cuilibet virtuti appetitus correspõdet regula in intellectu. Regula [c] autem eius dicitur esse duplex: quædam naturaliter cognoscibilis, vt scilicet quòd de peccato est displicendum, & ista esset nota intellectui Angelico, si fuisset Angelus viator post primum peccatum commissum, & per consequens, potuisset habere aliquid in voluntate correspondenter inclinans illi regulæ ad actum vindicandi,

vindicandi, vel displicendi: & ista pœnitentia, sicut & regula eius, posset esse in omni statu vniformis: quia si non deficeret cognitio naturalis conueniens naturæ humanæ, posset pro quocumque statu deuenire in cognitionem istius regulæ, & per consequens, æquè habere in voluntate aliquid inclinans proportionabiliter isti regulæ.

Pœnitentia naturalis, & eius regula conuenit Angelo, & homini, cuius intellectus nõ est deprauatus.

Alia[d] regula respiciens peccatum detestandum tantummodò est nota ex reuelatione, scilicet quòd peccatum est detestandum, inquantùm est Dei offensiuum, vel inquantùm auersiuum à Deo, vel impeditiuum acquisitionis Beatitudinis, vel inquantùm inductiuum finalis miseriæ: & sub istis rationibus correspondet huic regulæ aliqua iustitia in voluntate; alia quidem, sicut alia est eius regula.

Ad propositum, pœnitentia primo modo est tantùm vnius pœnæ inflictiua, sicut eius regula tantùm ostendit vnam pœnam infligendam, scilicet displicentiam; ad quam sequitur tristitia, quæ est vnica, & prima pœna. Secunda est inflictiua cuiuscumque, cuius sua regula est dictatiua; regula autem sua, id est, notitia habita ex diuina Scriptura, dictat plures pœnas esse infligendas, quas lator illius legis, cuius pœnitens est minister, voluit infligi ad hoc, vt sufficienter placaretur: & tales sunt multæ, vt colligitur ex Scriptura.

COMMENTARIVS.

2 *Prima suppositio explicatur.*

b HIc dicitur, &c. Ad resolutionem supponit cuilibet virtuti, quæ est in voluntate, correspondere regulam aliquam propriam, aut communem pluribus, in intellectu: vt patet ex *3.d.36.artic.2.* Dicit autem *regulam propriam*, aut *communem*, vt insinuet controuersiam, quam *ibidem* tractauit. Docet enim D. Thomas 1. 2. *q.6.artic.1.* & cum eo *ibidem* Caietanus, & alij, vt Vasquez *disp.85. cap.2.* vnam & communem esse prudentiam respectu omnium moralium acquisitarum. Ex isto Philosophi 6. Ethic. *Prudentia vni inexistenti omnes* (supple virtutes) *inerant:* quod intelligit Doctor §. *de alia parte citati articuli*, &c. de vnitate secundùm genus: ideò tenet tot esse prudentias, quot sunt virtutes in specie: propter diuersitatem obiecti formalis, tam quoad intellectum, quàm quoad voluntatem: nam dictamen primum, & practicum respectiuè ad virtutem, desumitur à fine, vt obiecto illius virtutis, atque adeò à principiis intrinsecis honestatis finis, & conuenientiæ obiecti, ad naturam rationalem mediante lege; quod obiectum est finis, vt comparatur ad media in particulari, quæ ad finem eliguntur. Sicut ergo obiectum in ratione boni est diuersum; ita etiam veritas eius obiectiua, & partiua est diuersa: ergo tam principia, quàm conclusiones inde desumptæ.

An prudẽtia sit communis, & vna omnium virtutum.

Esse vnã genere, non specie.

Primum dictamen virtutis sumitur à fine.

3 *Alius modus discernẽdi regulam virtutis. Regula communis est fides. Propria est prudentia.*

Alio modo potest intelligi illa distinctio regulæ communis & propriæ, respectiuè ad cognitionem naturalem huius status, & ad supernaturalem fidei. Hæc est communis regula, & radix virtutum, vt faciant ad finem supernaturalem salutis: illa verò est propria, sistens intra honestatem ex genere, seu obiecto ipsius virtutis, ideóque dicitur propria. Hic etiam vsus, & differentia regulæ facit ad scopum huius quæstionis, & ea, quæ mox dicit; distinguendo regulam naturalem, & supernaturalem pœnitentiæ, quà est inflictiua pœnæ.

4 *Regula propria.*

c *Regula autem est duplex*, &c. Hìc iuxta distinctionem positam, vel insinuatã propriæ, & communis regulæ, dicit duplicem esse regulam pœnitentiæ; vna est naturalis, seu naturaliter cognoscibilis: nempe *de peccato esse displicendum.* Dicit quòd hæc esset nota Angelo, si maneret viator post peccatum, & ei corresponderet habitus pœnitentiæ in voluntate: & ista pœnitentia, & regula esset vniformis in omni statu: quia si non deficeret cognitio naturalis conueniens naturæ humanæ, posset pro quocumque statu deuenire in cognitionem illius regulæ.

Defectus cognitionis pro hoc statu.

Modum cognoscendi huius status naturæ corruptæ dicit Doctor nõ esse modum cognoscendi ex natura potentiæ, *in 1.d.3.q.3.* neque ex natura obiecti primò motiui potentiæ. De hoc variis in locis agit, vt *q.1. Prologi*, differens contra Philosophos §. *Quantùm ad primum, licèt procedat de fine*, &c. vbi ostendit plura per se cognoscibilia ab intellectu humano ex natura potentiæ, & obiecti, non cognosci pro hoc statu, vt ostendat necessitatem cognitionis altioris, & supernaturalis, *in 2.d.3.q.9.* §. *Quia autem talis species. d.10.q.vnica*, §. *Ad quæstionem in 3.d.14.q.3. in fine. & suprà in 4.d.10.q.5. conclus.3.* idem supponit, & aliis in locis. vnde *suprà, in 1.d.illa 3. q.3.* dicit intellectum non esse signatum sensibus ex natura potentiæ. Quod sic intelligo, nempe intellectum habere duplicem modum operandi, loquendo de humano. Primus modus est, quà est radicatus in eadem anima, & recipit species à potentiis inferioribus, quia aliter non est ipsi obiectum applicatum proximè: & hic etiam est modus eius naturalis cognoscendi, quo vt potentia vniuersalis, & superior iudicat, & cognoscit de actibus, obiectis, modis operandi potentiarum inferiorum, non minùs, imò perfectiùs, quàm sensus internus iudicat de sensibus externi, & eorum actibus: & hic est modus naturalis cognoscendi pro hoc statu naturæ corruptæ, in quo est relicta.

Intellectũ ex natura potẽtiæ non esse ligatum sensibus, explicatur.

Duplex modus cognoscẽdi naturalis.

Alius est modus cognoscendi intellectus ex natura potentiæ, quæ vt suprema cognitiua versatur circa obiectum immediatè, & non dependenter ab alia potentia inferiori cognitiua, & hæc est cognitio naturalis, quæ fuit in primo homine, est in anima separata, erit in Beato in corpore glorioso, & fuit in Christo: & est illa, de qua loquitur Doctor, eam defuisse, & vt dicit loco *suprà citato*, in peccati pœnam. Quod probat ex Augustino, 15. de Trinitate, cap. vltimo. *Quæ causa* (inquit, alloquens animam) *cur lucem acie fixa videre non possis, nisi vtique infirmitas? & quis eam tibi fecit, nisi vtique iniquitas?* &c.

5 *Secundus modus cognoscẽdi ex natura potentiæ.*

Augustin.

Idem docet Gregorius lib. 5. Moralium, c. 25. super

Gregorius.

super illud: *Stetit quidam, cuius non agnoscebam vultum,* &c. in illa: *cuius non agnoscebat vultum. Humana quippe anima primorum hominum vitio à Paradisi gaudijs expulsa, lucem inuisibilium perdidit, & totam se in amorem visibilium fudit, tantóque ab interna speculatione cæcata est, quanto foras deformiter sparsa: vnde fit, vt nulla nouerit, nisi ea, quæ corporeis oculis, vt ita dixerim, palpando cognoscit; homo enim, qui, si præceptum seruare voluisset, etiam carne spiritalis futurus erat, peccando factus est etiam mente carnalis, vt sola cogitet, quæ ad animum per imagines corporum trahit,* &c.

6 *Patet quoad veritates practicas.* Quantùm autem ad veritates practicas, conclusio hæc Doctoris est verissima, nempe defecisse lumen intellectus in his per peccatum: vt omnes Patres contra Pelagianos vno consensu docent 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Deus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt,* &c. Psal. 93. & multa similia. De hoc egregius est locus *Ambrosius.* Ambrosij *de fuga sæculi, c.* 1. quem citat Augustinus *de prædestinatione Sanctorum, cap.* 8. vbi explicat primum locum citatum ex Apostolo. *Frequens,* inquit, *nobis de fugiendo sæculo iste est sermo, atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus, & solicitus affectus: sed quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum effusio mentem occupat, vt quod studeas euitare, hoc cogites, animóque voluas, quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis eam esse rem, quam effectus testatur Propheta, dicendo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam: non enim in potestate nostra est cor nostrum, & cogitationes nostræ, quæ improuisè offusæ mentem animúmque confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu proposueris, ad sæcularia reuocant, mundana inserunt, voluptaria ingerunt, illecebrosa intexunt,* &c. Non est quòd hîc plura loca ad probationem huius afferamus, cùm ignorantia, & error sequens sint pœna peccati, per quam via veritatis occluditur: benè ergo Doctor dicit cognitionem huius status defuisse ex peccato; consule commentarium *in* 1. *d.* 3. *q.* 3.

d *Alia regula respiciens peccatum,* &c. Hæc est fides, qua cognoscitur solum, vt fusè probat *q.* 1. *Prologi,* hominem ordinatum esse ad finem supernaturalem, à quo excluditur tantùm per peccatum: ex eadem ergo cognoscitur peccatum, vt est offensa Dei hoc modo, & auersiuum à Deo, & inductiuum miseriæ, & impeditiuum præmij. 7 *Regula fidei.*

SCHOLIVM.

Pœnitentia naturalis, id est, quæ habet regulam naturalem, vnam pœnam infligit, id est, tristitiam, quia ratio tantùm dictat peccatum odio habendum; ex quo sequitur tristitia. Sed pœnitentia habens regulam supernaturalem, plures pœnas infligit, vt constat ex Scriptura, verbi gratia, confessionem, contritionem, satisfactionem, lacrymas, ieiunium, eleemosynam, &c. *Explicat quomodo virtus moralis potest habere regulam supernaturalem.*

3 Dicitur [e] ergo ad quæstionem, quòd pœnitentia primo modo, vt habens regulam naturaliter notam, tantùm est vnius pœnæ inflictiua, & ex hoc, tristitiæ consequentis pœnitentiam: sed pœnitentia secundo modo, scilicet vt habens regulam ex sacra Scriptura acceptam, est plurium pœnarum inflictiua, tot scilicet, quot legislator ibidem, reuelauit sibi velle sufficere pro culpa totaliter expianda.

Sed [f] ex dictis instatur, quòd pœnitentia secundo modo non sit virtus acquisita: quia ad cuius cognitionem requiritur aliquid supernaturale, illud non est virtus acquisita: sed pœnitentia secundo modo est huiusmodi, quia notitia, quæ est eius regula, non est naturalis, cùm sit tantùm possibilis haberi ex reuelatione: ergo, &c.

In proœmio. Cap. 1. Respondeo, in omnibus doctrinis ordinatis tam speculatiuis, quàm practicis, & hoc tam actiuis, quàm factiuis, superior aliquid nouit eo modo, quo illud non potest esse notum inferiori. Patet 1. *Metaphysica,* 1. *Ethic.* & per exempla manifesta, quia in speculatiuis superior nouit *propter quid,* sed inferior tantùm *quia:* in practicis, vel actiuis superior nouit finem superiorem sub propria ratione, & illum intendit; inferior autem non, sed tantùm proprium finem. Consimiliter in artibus, loquendo de finibus artium subordinatarum.

4 *Concorda cum dictis q.4. prolog. vbi dicitur Theologiā esse practicam.*

Ad propositum, veritates supremas speculatiuas non possumus naturaliter nosse, sed tantùm ex reuelatione, vt Deum esse trinum: & vniuersaliter quascumque veritates immediatas de Deo; de hoc *lib.* 1. *quæst.* 1. *Prologi.* & *dist.* 42. *quæst.* 1.

Videtur quòd hæc, & similes veritates sunt practicæ tātùm ex Dei intētione, vt ibi dixi.

Consimiliter in practicis, non possumus scire Deum sub propria ratione esse finem creaturæ intellectualis, nisi per reuelationem. Consimiliter si posset inueniri aliqua ars ita excellens, cuius finis proprius non esset naturaliter cognoscibilis, oporteret de fine eius habere cognitionem per reuelationem.

Paupertas Euangelica, & Obe-

In virtutibus autem aliquæ sunt possibiles naturæ humanæ ordinabiles ad finem sub ratione superiori, quàm cognitio huius status se extendat; vtpote, quòd omnia sunt dimittenda propter Christū, & pro Christo Prælatis in omnibus licitis obediendum, & huiusmodi. In talibus ergo regulas directiuas oportet esse cognitas ex reuelatione:

latione: & tales sunt vniuersaliter omnes regulæ virtutum Euangelicarum, vt Paupertatis, Castitatis, & huiusmodi; quia principia, vel conclusiones practicæ, quibus innituntur istæ virtutes vt regulis, non possunt naturaliter esse nota.

dientia ex reuelatione habentur.

Nec propter hoc illæ minùs sunt virtutes, imò excellentiores virtutes: tum quia illa vera sunt excellentiora vera, pro quanto ad ea non attingit lumen naturale viatoris: tum quia illa vera sunt certiora, quàm multa alia, ad quæ attingit lumen naturale viatoris: quia vera ab illa veritate quæ nec fallere potest, nec falli. Vnde habenti fidem, quòd Deus inspirauit totam sacram Scripturam, & quòd ipse est veritas infallibilis; certius debet esse quicquid ab ipso in Scriptura est reuelatum, quàm illud ad quod quicumque intellectus potest naturali lumine attingere. 5

Nec ex hoc, quòd regula istius virtutis est tantùm ex reuelatione, vel fide nota, sequitur istam virtutem appetitiuam non esse moralem, quia secundùm Philosophum 2. *Ethicor.* virtus moralis dicitur esse ex hoc, quòd est ex more, vel ex consuetudine generabilis: quacumque autem notitia, siue ex lumine naturali habita, siue ex fide, potest secundùm illam appetitus inclinari, & ex frequenti actione generare in se habitum sic inclinantem, qui erit habitus electiuus, quia appetitiuus, & secundùm rectam rationem, licèt non naturalem, sed aliam rectiorem.

Cap. 1. Vnde virtus dicitur moralis?

Et hoc modo Paupertas, Humilitas, Castitas, & huiusmodi sunt virtutes morales, quia secundùm perfectam, & rectam rationem, licèt non purè naturalem ex more, id est, frequenter sic eligere generantur. Sic supposità istà regulà notà ex Euangelio, *Pœnitentiam agite:* potest voluntas ex frequenter elicere actum conformem isti regulæ, generare in se habitum inclinantem ad consimiles actus: & ille verè erit virtus, quia rectæ rationi, imò rectissimæ consonus: & tamen moralis, quia ex more & consuetudine generatus.

Matth. 3.

COMMENTARIVS.

8 *Regula naturalis, & pœna, quam præscribit.*

e D*Icitur ergo*, &c. Sequitur resolutionem præmissam, nempe pœnitentiam, vt sequitur regulam naturalem, esse inflictiuá vnius pœnæ tantùm, nempe tristitiæ de malo. Hæc patet: quia illa cognoscit tantùm peccatum, vt opponitur regulæ proximæ, & vt est fugiendum: ergo tantùm sub illa ratione fugiendum, & de eo dolendum: quia non datur motiuum aliud fugiendi peccati, nisi hoc ex parte regulæ naturalis.

Regula supernaturalis multiplicem pœnam indicit.

Dicit secundò; quòd pœnitentia, vt respicit regulam secundo modo, est tot pœnarum inflictiua, quot exigit legislator in ordine ad satisfactionem culpæ. Hoc probat argumento ad oppositum: cuius ratio subiuncta est optima: nempe pœnitentia vera ad innocentiam Baptismi nititur inducere: non inducitur autem, nisi per fructus pœnitentiæ, & iuxta acceptationem Dei exigentis opera satisfactoria ob ingratitudinem nostram, vt docet Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 2. *talis* enim debet esse satisfactio pro peccato, & pœna debita eius, qualis, & quanta ex voluntate Dei acceptantis est exhibenda: hæc autem satisfactio pro peccato est tantùm nota nobis per Scripturam, & reuelationem, in quibus Dei voluntas aliàs occulta exprimitur.

Satisfactio pro peccato qualis, & quanta sit?

9 f *Sed ex dictis instatur*, &c. Hîc obiicit contra ea quæ resoluta sunt in responsione ad vltimum argumentũ præcedentis quæstionis: nempe pœnitentiam non esse virtutem acquisitam, si supponat fidem tanquam regulam: & optimè resoluit asserens cognitionem superioris ordinis tam in speculatiuis, quàm in practicis attingere veritatem aliquam, quam non attingit cognitio ordinis inferioris: neque veritates supremas speculatiuas de Deo cognosci naturaliter, vt patet *ex quæstione prima Prologi*: neque etiam practicas; quæ hæ desumuntur à fine vltimo attingibili, qui est Deus sub ratione propria: quod cognoscibile excedit naturam creaturæ, & lumen creatum intellectus: vt ergo finis hic non est cognoscibilis naturaliter: ita etiam neque media, quæ media sunt ad talem finem, cognoscuntur: quia illa sunt opera, seu merita, quæ ex natura rei non inducunt finem: sed ex diuina ordinatione, & acceptatione constituuntur in *esse* medij: quamuis ergo peccatum esse detestandum, bonum rationis sectandum quis cognoscat lumine naturali intellectus: quia ad talem sufficit cognitio honesti, & oppositio peccati ad bonum honestum: quæ ex obiecto, & regula proxima cognoscuntur: non sequitur inde quòd illud, quod competit actui virtutis, non ex obiecto, aut causis proximis eius, sed per modum meriti, aut dispositionis per supernaturalem electionem, & eleuationem hominis per hæc tanquam media ad finem vltimùm, sint cognoscibilia naturaliter: quia ille ordo in operibus ad finem vltimum, inquantùm habent rationem formalem, & vltimam meriti, est omnino supernaturalis in *esse*, & *cognosci*, & ab illa sola causa, in cuius potestate est collatio finis, & ordinare media voluntaria ad ipsum, ad quem non datur aliquod medium ex natura rei, & virtute propria.

Cognitio superioris ordinis excedit illam, quæ est inferioris.

Finis vltimus, & media ad ipsum cognoscitur supernaturaliter tantùm.

10 Sub hac ergo ratione non solùm pœnitentia, sed omnium virtutum, quà faciunt ad salutem, & dicunt ordinem ad finem, regula & fundamentum est fides, vt benè instat in virtutibus Euangelicis: quæ instãtia perinde in omnibus virtutibus fieri posset: neque inde transcendunt suum obiectum, aut sunt virtutes infusæ: nam aliud est loqui de actu sub ratione meriti, satis

Fides est fundamentũ omnium, quæ faciunt ad salutem.

satisfactionis, aut dispositionis ad finem vltimum; aliud est loqui de actu, quà est ad proprium obiectum. Primo modo præter id, quod habet ex obiecto, & regula proxima, superadditur acceptatio diuina supernaturalis, quæ nequit sciri, aut cognosci, nisi ex sola Scriptura, & reuelatione, consequenter per fidem. Secundò modo non requiritur cognitio transcendens naturam obiecti ad cognitionem actus.

Ad propositum itaque pœnitentia, vt est displicentia peccati ex motiuo virtutis, cui opponitur, non requirit fidem diuinam, aut reuelationem: vt verò est satisfactio, aut punitio à Deo præscripta, & acceptata, & ordinatur ad deletionem peccati, & reconciliationem, ac denique, vt ordinat ad salutem, est ex regula fidei, per quam solam, vt talis cognoscitur.

SCHOLIVM.

Mouet quinque dubia, & soluit per hoc, quòd peccatum naturaliter scitur Deo displicere, ideóque esse detestandum, & hac ratione habet talem notitiam naturalem pro regula, vt verò est auersiuum à Deo fine supernaturali, & offensiuum eius, quà talis, habet pro regula reuelationem, seu notitiam supernaturalem.

6 *Quinque dubia.* Circa [g] istam, dubitatur primò, quomodo ratione naturali potest esse notum peccatum aliquod sub ratione peccati in actibus humanis? Secundò, quomodo possit esse notum peccatum esse Dei offensiuum? Tertiò, quomodo potest esse notum peccatum esse à Deo auersiuum? Quartò, quomodo potest esse notum peccatum esse impeditiuum æternæ Beatitudinis? Quintò, quomodo potest esse notum peccatum esse dispositiuum tanquam demeritum ad pœnam finalem? Omnia hæc dubia innituntur huic, quòd nullum istorum videtur ratione naturali cognoscibile.

Respondeo, quomodocumque sit naturaliter cognoscibile peccatum esse detestandum, & puniendum sub propria ratione, potest habere pro regula pœnitentiam primo modo dictam, scilicet, vt cognoscibile naturaliter: sed vt cognoscibile supernaturaliter, sic habet pro regula pœnitentiam secundo modo dictam.

7 *Ad arg. 1.* Ad [h] primum principale argumentum potest dici, quòd pœna ordinans peccatum secundùm se, potest esse vna vnius: sed ordinans in ordine ad illum, quem offendit culpa, multiplex est secundùm voluntatem illius, in comparatione ad quem ordinat. Patet in actibus humanis, vbi pœna satisfactoria alicui offenso tanta, & tam multiplex est, quanta, & quotuplex sufficit offenso pro emenda. Pœnitentia autem tanquam pœna subordinata iustitiæ Iudicis est virtus inflictiua pœnæ correspondentis voluntati ipsius offensi; & illa est multiplex, loquendo de pœnitentia secundo modo, vt patet ex Scriptura, vbi iustitia Iudicis principalis in vindicando culpam exprimitur.

Argum. 2. Ad secundum dicendum per idem, quòd æquale ex natura rei posset reddi: & tamen non esset sufficienter puniens: quia ista punitio respicit punitum in comparatione ad illum, ad cuius acceptationem fit ista punitio. Et si arguas; ergo crudelis est, si punitio in se sufficiens non sit sibi sufficiens. Responsionem quære.

Responsio aliorum. Dici potest, quòd omnes illæ pœnæ æquiualent vni perfectæ punitioni: sæpè enim attritio insufficiens est, ideò requiruntur alia, vt dictum est.

Ad 3. Vno actu pœnitentiæ imperari possunt variæ tristitiæ. Ad tertium patet in solutione præcedente, quia actus pœnitentiæ virtutis est *imperare*, & hoc tanquam de proximo actus causationis pœnæ, qui sunt respectu tristitiæ consideratio, & nolitio alicuius obiecti. Ipsa autem tristitia sequens est effectus remotus: & ista potest benè multiplicari stante actu vno ipsius pœnitentiæ virtutis: quia per vnum actum vindicandi, siue imperandi punitionem, potest quis imperare omnes punitiones correspondentes secundùm iustitiam huic culpæ.

COMMENTARIVS.

11 *Quinque dubia mouentur circa prædicta.* g Circa *istam dubitatur primò*, &c. Quinque dubia mouet. Primum, *quomodo peccatum sit notum in actibus humanis sub ratione peccati?* Secundum, *quomodo notum sub ratione offensa diuinæ?* Tertium, *quomodo potest esse notum, vt auersio à Deo?* Quartùm, *quomodo notum vt impeditiuum æternæ Beatitudinis?* Quintum, *quomodo notum vt inductiuũ supplicij?* *Quatuor vltima resoluũtur ex dictis.* Ad quatuor vltima iam patet responsio ex præmissis, peccatũ esse tantùm notũ, quà est offensio Dei, & sic de reliquis, solùm ex fide: ideóque non respondet. Ad primũ autem nõ respondet hîc: sed dicit quomodocumque sit notum peccatũ naturaliter habere pœnitentiam primo modo pro regula. Intelligit nomine *pœnitentiæ* illam cognitionẽ, quocũque modo fiat.

Vt ergo hanc difficultatem ampliùs explicemus, & respondeatur ad primum dubium; vrgetur difficultas primò, omnis virtus sufficienter regulatur per cognitionem sui generis; sed pœnitentia est virtus naturalis acquisita. ergo. Secundò, ratio naturalis dictat dolendum esse de peccato, quatenus est offensa Dei: quia hac ratione etiam Gentes, & Pagani instituerunt sacrificia, & varios cultus ad placandum Deos offensos: 12 *Circa primũ dubium proponuntur rationes pro parte affirmatiua.* *Esse cognitũ lumine naturali.*

offensos:ergo licèt ignorauerint Deum verum, nihilominus cognouerunt Deum, quicumque erat, non esse offendendum, sed de offensa placandum. Confirmari potest ex Paulo *ad Romanos primo*, qui hac ratione docet Gentes peccasse, qui cùm Deum ex creatura cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt. Tertiò, ratio dictat peccatum esse malum, & contra rectitudinem regulæ: ergo detestandum, siue per fugam, siue per tristitiam. Antecedens patet, aliàs nullum esset peccatum infidelium, quod est falsum. Consequentia probatur: quia hoc principium ex terminis notum est; malum esse fugiendum: ergo si præsens apprehenditur, ex eodem principio sequitur de eodem tristandum esse: quia tristitia causatur ex apprehensione obiecti præsentis noliti. Confirmari potest ex eo, quòd lumine naturali notum sit hominem natura sua ordinari ad honestatem, in quo distinguitur à brutis, quod cognouerunt etiam Gentiles Philosophi, qui plura de virtutibus, & vitiis vera scripserunt à Theologis, & Patribus recepta. Deinde notum est dari aliqua principia practica regulantia voluntatem, vt patet de prudentia, quæ est habitus acquisitus. Ex his demonstratur errandum non esse in opere: ergo etiam corrigendum id, in quo erratum est peccando: sed hoc nequit sine displicentia peccati. Hæc displicentia est pœnitentia: ergo. Patet subsumptum, quia displicentia, seu dolor de peccato ex turpitudine eius conceptus, est vera pœnitentia, vt tradit Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. *in fine*, & *can.* 5. Sed hæc turpitudo consistit in repugnantia, & oppositione eius ad honestatem: ergo displicentia eius habetur per regulam talis honestatis, quæ est merè naturalis. Patet consequentia etiam ex dictis superiùs, quia quælibet virtus nata est displicere in peccato sibi opposito.

13 *Prima cõclusio.* *Dico, peccatum cognoscitur ab homine quatenus est priuatio rectitudinis moralis virtutis, viribus naturæ, in propria & immediata regula talis virtutis.* Hæc videtur Doctoris in præmissis, atque in hac responsione: quia supponit peccatum hoc modo posse cognosci naturaliter: & eam probant argumenta iam facta. Conclusio respondet ad primum dubium: & confirmatur, quia aliàs nemo peccaret infidelium, quod est cõtra fidem, & Paulum *ad Roman.* 1. & vbique Scriptura ipsis improperat sua peccata. Probatur sequela, quia deficeret cognitio necessaria. Peccatum enim est actus voluntatis contra rectam rationem, siue illa rectitudo desumatur quandoque, aut semper ad extrinsecam legem, siue ad intrinsecum appetitum, & inclinationem rationis, de quo non curo modò: ergo supponit rationem rectam ex qua intellectus peccantis infidelis discernere potest defectum in actu; hæc autem est naturalis.

14 *Secunda conclusio. Principia in operabilibus ex disciplina, & traditione, vt plurimum nota.* *Dico secundò, incertum est quantum se extendat hæc regula naturalis cognoscendi peccatum, seu ex quibus principijs habuit initium*; nam si loquamur de sapientibus huius mundi, qui sine lumine fidei attigerunt plurima principia operabilium in practicis de virtutibus, & vitiis recepta à Patribus, & Theologis, disciplina & traditione, hæc dedisse putauerim, non propria inuentione: contra quos optimè differit Doctor *q.* 1. *prologi*: neque enim ipsi cognouerunt, neque homo ex puris naturalibus cognoscere potest distinctè rationem finis, à quo desumuntur proximè, vel remotè principia operandi secundùm rectitudinem hominis, quâ ordinatur in finem, vt patet ex iis, quæ tradiderunt Philosophi de felicitate: vt Aristoteles *ex primo Ethic. cap.* 9. vbi dubitat, an per disciplinam, sicut scientia; aut assuetudine, sicut virtus moralis; aut exercitatione, sicut ars, comparatur felicitas. Deinde, an humanam, aut diuinam, aut fortuitam, habeat causam felicitas: & *cap. sequenti*, an in operatione virtutum, an in vita, vel in morte, & post mortem: *lib.* 10. *Ethic.* dubius est etiam in quo consistat, vt patet in fine. Varias Philosophorum sectas enumerat Philosophus, quas impugnat 1. 2. 7. & 10. *Ethicor.* & 1. *lib. ad Eudemium*, & *lib.* 2. *in principio*, statuit suam opinionem. *Probatio ex Philosopho.*

Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 7. *Fecerunt*, inquit, *quidam sibi Philosophi, sicut eorum cuique placuit, vitas beatas suas, & quasi propriâ virtute possent, quod communi mortalium conditione non poterant*, &c. Idem *de Ciuitate, lib.* 19. *ex Marco Varrone de fine bonorum, & malorum*, ducentas octoginta octo Philosophorum sectas discrepantes commemorat. lib. 2. de Ciuitate, cap. 7. in triplici Philosophia naturali, rationali, morali, *Quidam eorum*, inquit, *quædam magna quantùm diuinitus adiuti sunt, inuenerunt, quantùm autem humanitus impediti sunt, errauerunt: maximè cùm eorum superbiæ iustè diuina prouidentia resisteret*, &c. *Augustin.* *Variæ sectæ Philosophorũ.*

15 Lactantius lib. 2. Instit. cap. 3. *Falsum*, inquit, *intelligere, est quidem sapientiæ, sed humanæ: vltra hunc gradum procedi ab homine non patet*, &c. *verum autem scire diuinæ est sapientiæ; homo autem per seipsum peruenire ad hanc scientiam non potest, nisi doceatur à Deo. Ita Philosophi quod summum fuit humanæ sapientiæ assecuti sunt, vt intelligerent quid non sit; illud assequi nequierunt, quid sit; nota Ciceronis vox est: vtinam tam facilè vera inuenire possem, quàm falsa conuincere*, &c. & *lib.* 3. *cap.* 8. enumerat varias sententias, & sectas eorum de natura summi boni, quas vniuersim impugnat Tertullianus *lib. de præscript. aduersus hæreses, c.* 7. vocat Philosophiam Græcorum *materiam sapientiæ secularis, temerariam interpretem diuinæ naturæ, & dispositionis affectatricem, & interpolatricem veritatis.* Vbi etiam originem hæresum ad eandem reducit Valentini Æonas ad Platonicos; Marcionis Deum meliorem de tranquillitate ad Stoicos; interitum animæ, & mortalitatem ad Epicuros; negatam resurrectionem ad omnium Phisophorum scholas, &c. videatur *lib. de resurrectione carnis, cap.* 1. & *lib. de anima, cap.* 1. vbi agens de Socrate iam damnato. *Omnis illa sapientia Socratis de industria venerat consulta æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis: cui enim veritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu sancto? cui Spiritus sanctus accommodatus sine fidei Sacramento?* *Lactantius.* *Tertullian.* *Philosophia Græcorũ hæresum mater.*

16 Cæterùm licèt plura tradiderunt Philosophi de virtutibus, & vitiis, quibus natura nostra in progressu ad finem suum instruitur, non ipsorum hæc inuentio primùm fuit, vt tradunt Patres: Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, *Philosophi*, inquit, *ante Domini aduentum à Prophetis Hebræis partem veritatis id minimè agnoscentes sumpserunt; sed sibi tanquam propria dogmata attribuerunt, & alia quædam adulterarunt, alia autem superuacanea diligentia indoctè,* tanquam *Clem. Alex.* *Philosophi ab Hebræis veritatem mutuarunt.*

Tertullian. *tanquam sapientes pronuntiarunt*, &c. Tertullianus iam citatus: *Planè*, inquit, *non negabimus aliquando Philosophos iuxta nostros sensisse, testimonium est veritatis etiam inuentus ipsius*, &c. Hanc inuenisse Philosophos aliquando docet, quamuis ea malè vsos, vt qui, per ipsum, *Nihil diuinæ licentiæ reseruant; legem naturæ opiniones suas faciunt*, &c. Didicisse autem veritatem ait, vel ex antiquis sapientibus, vt Mercurio, Sileno, Orpheo: vel ex Apocryphis, & Pseudoprophetis, vel ex malis, & familiaribus dæmonibus, vt habuisse Socratem docet, ex communi prouidentia, & natura, vel ex sacris literis.

17 *Plato legit libros legis.* Platonem legisse libros legis, & secutum fuisse in multis docet Iustinus *in paranesi ad Gentes*. Eusebius *in præparatione Euangelica*. Theodoretus *de Græcorum affectionibus*. Augustinus (Augustin.) *lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 28. de Ciuit. Dei, lib. 8. cap. 11.* eam mouet difficultatem, an ex libris Moysis eandem assecutus est, an per viam creaturæ, an ex collatione cum legisperitis: asserens versionem LXX. post eius mortem editam. Aristobolus (Aristobolus.) autem Iudæus ad Philometora apud Eusebium. *Legem*, inquit, *nostram in multis Plato est secutus*: hinc Numenius (Numenius.) Philosophus: *Quid Plato nisi Moïses Atticus?* Demus etiam Socratem Platone antiquiorem, qui primus inter Græcos naturalis Philosophiæ, vel tædio, vel obscuritate rerum victus, vel studio instituendæ vitæ ad moralem Philosophiam se contulit, pleraque tradidisse; id non conuincit eum primum fuisse Authorem, quia traditio (*Traditio conseruata.*) à primo homine, & sequentibus, in quibus viguit cultus Dei, & lex naturæ, non fuit omnino abolita, quæ per doctrinam ad Græcos emanauit ab Ægyptiis, Chaldæis, & Hebræis: quamuis origo traditionis ipsis fuerit ignota, quæ primùm referenda est in diuinam reuelationem (*Eius origo in diuinam reuelationē referenda.*), quæ principia instituendæ vitæ, & assequendi finis homini tradidit. Vnde dogmata Philosophorum de Beatitudine, & institutione vitæ assumpta sunt ex aliis, non per ipsos probata vt principia ex terminis nota, aut conclusiones euidenter deductæ.

18 *Præcepta primæ tabulæ in Græcis corrupta.* Nam si legem naturæ spectemus à qua principia virtutum circa finem, & media emanant: certum est præcepta primæ tabulæ in pluribus corrupta esse in Græcis, quod designant errores eorum circa prima rerum principia, de prouidentia Dei, de multitudine Deorum saltem tenenda, de fato, de æternitate Mundi, de omnipotentia Dei, de cultu idolorum. Quoad præcepta autem secundæ tabulæ (*Præcepta secundæ tabulæ quomodo nota.*) non esse nota lumine naturæ, tanquam principia ex terminis, aut conclusiones; sed vt consona tantùm, & habentia causam merè contingentem, nempe voluntatem Dei, docet Doctor *in 3. d. 37.* quem sequuntur Nominales; & hanc legem per doctrinam receperunt homines à Deo per reuelationem internam, aut externam, vt *ibidem* Doctor. Hinc non est admittendum, si quis ab infantia extra hominum consuetudinem viueret, eum posse ad notitiam horum præceptorum venire sine doctrina, aut speciali habitâ à Deo illuminatione, cùm neque in obiecto sui intellectus pro hoc statu includantur, & si includerentur, non paterentur sapientes tantum in iis discrepantiam, & errores (*Error in his contigit.*), quibus non solùm Philosophi, sed etiam ij, quibus adminiculum legis fuit, subiacebant, vt Iudæorum peritiores Pharisæi, & Scribæ, & Sadducæi, quibus Saluator id sæpiùs improperat.

Errauerunt ergo Philosophi, quique etiam in suis politiis, vt Doctor annotauit, & Patres; errauerunt etiam quòd suis viribus, ingenio, & inuentioni quidquid apprehenderunt, attribuebant. Errauerunt etiam tertiò, quòd felicitatem non nouerint, & vt dicit Lactantius (Lactantius.) *lib. 3. cap. 8.* quamuis in virtute felicitatem hominis statuerint, ignorarunt quid efficeret virtus, aut quò tenderet, honestius autem nihil reperirent: *Substiterunt in ipsius virtutis nomine, quam nullo proposito emolumento appetendam esse dixerunt, & bonum sibi constituerunt, quòd bono indigerent*, &c. Prosper (Prosper.) contra collatorem: *Neque enim ignotum est, quantùm Græcæ scholæ, quantùm Romana eloquentia, & totius Mundi inquisitio circa summum bonum acerrimis studijs, excellentissimis ingenijs laborando nihil egerunt.* 19 *Error Philosophorum.*

Accedunt ad hæc Canones Ecclesiæ, quibus ignorantia, & error sequens in intellectu, infirmitas in voluntate ex peccato primi hominis adstruitur, atque adeò necessitas diuinæ illustrationis (*Necessitas gratiæ.*), vt bonum videat, inspirationis, vt apprehendat, consulendus Cicero *in quinque libris de finibus bonorum & malorum.* Augustinus *locis citatis*, speciatim *lib. 18. cap. 41. lib. 19. per totum.* Eusebius *de præparatione Euangelica, lib. 2.* Theodoretus *de Græcorum affectionibus.* Lactantius *lib. 3. cap. 1.* asserens quamcumque veritatem, & præcepta instituendæ vitæ agnouerunt Philosophi ab Hebræis surripuisse. Tertullianus *suprà*, & *in Apolog. cap. 47.* dicit Philosophos *ex fonte Prophetarum sitim ingenij rigasse*, Nazianzenus *ad Nemesium, de Philosophis*, idem docet, & alij, ex quibus hæc veritas liquet.

Cur autem potissimùm apud Græcos traditio circa veritatem interiit (*Cur veritas apud Græcos exciderit?*), aliqui docent causam esse diluuium Deucaleonis, quod totam Thessaliam vastauit, & aliud anterius, quod contingit etiam in Græcia sub Ogigio Rege in Regione Attica, quam sic vastauit, vt per ducentos annos reddiderit incultam, & inhabitatam. Vide Pinedam *lib. 12. in Gen. cap. 7.* quæ diluuia ex Platone in Timæo Ægyptum non attigerunt, ac proinde non est mirum, si traditio, & rerum antiquarum memoria apud ipsos faciliùs conseruata, quæ apud Græcos deleta fuit, & quam mox Orphæus, ac Musæus fabulis obscurarunt.

20 *Principia generalia virtutū Cardinalium vnde nota.* Ex his ergo colligitur principia ista vniuersalia de quatuor virtutibus Cardinalibus traditione recepta esse, ex quibus procedebāt Philosophi, tanquam ex regulis generalibus suppositis discurrendo in hac, vel illa materia, in qua aliquid singulare alios præ aliis inuenisse non est negandum, vt Augustinus (Augustin.) *lib. 2. de Ciuit. cap. 7.* docet: *Quidam*, inquit, *eorum quædam magna quantum diuinitus adiuti sunt, inuenerunt; quantum autem humanitus impediti sunt, errauerunt, maximè cùm eorum superbiæ iustè diuina prouidentia resisteret, vt viam pietatis ab humilitate in superna surgentem etiam istorum cōparatione monstraret*, &c. Supponebantur itaque hæc principia traditione conseruata (*Ratio conseruatæ traditionis.*), tum quia ad pacificam ædificationem, & conseruationem ciuitatis terrenæ, erant necessaria dum per errorem ad altiora non consurgeret: quia in his materia laudis, & vituperij consiste

consistebat: tum etiam, vt Paulus *ad Rom.* 1. Quia gentes in naturam peccantes non haberent excusationem: tum etiam, vt imaginis primùm impressæ, aliqua in homine lineamenta manerent diuina prouidentia hæc conseruante; & ideò Philosophis concessa est specialis quædam assistentia in his principiis ad actiones humanas applicandis, & conseruandis, vt dicit Augustinus, sine quibus notitia Dei conseruari non potuit: tum etiam vt reuelata veritate, & fide, faciliùs ex ipsis eorum Magistris reduci possint, vt eam reciperent.

21 Hæc autem principia, seu regulæ quatuor virtutum spectant ad secundam tabulam, eiúsque præcepta, quæ, vt supposuimus ex Doctore nostro *in* 3. *d. illa* 37. per reuelationem diuinam emanarunt primùm homini factam, & vt *ibidem responsione ad tertium* asserit: vel interiorem, vel exteriorem, ad quam erant homines obligati ante legem scriptam, vt facilè colligitur ex iis, quæ Abrahæ cum Abimelecho, & Pharaone acciderunt circa Sarai vxorem suam: per interiorem quidem scriptam in cordibus: *Vel fortè,* inquit, *per aliquam doctrinam exteriorem datam à Deo, quam discebant parentes, & deriuabant in filios: nec oportuit ea scribi in libro; quia potuerunt ea faciliter memoria commendare, & retinere: quia populus illius temporis erat longioris vitæ, & fuit melioris dispositionis in naturalibus, quàm populus temporis posterioris, quo tempore infirmitas populi requirebat legem dari, & scribi,* &c. Nec dicendum est vllam legem à Deo datam fuisse, nisi in ordine ad salutem, pro quocunque statu viæ. Neque præterea dicendum est in statu naturæ corruptæ ipsum adimpleri posse sine diuina inspiratione, & illustratione: vt patet ex decretis cõtra Pelagianos, & Semipelagianos: vnde sanè intelligenda sunt, quæ sæpè in libris Philosophorum leguntur de adimpletione huius legis, qui in eodem errore fuerunt, quo Pelagiani, tribuentes omnia naturæ & potissimùm illud, quod sæpiùs dicunt: *Semina quædam, & igniculos quosdam virtutum nobis inesse naturaliter à Deo conditore naturæ,* &c. Quem loquendi modum secutus est Cassianus, & meritò reprehenditur à Prospero: si per hæc excludatur diuina gratia: nam vt Canon Ecclesiasticus definit, *Liberum arbitrium gratia Dei destitutum nihil valet nisi ad peccandum.* & articulus septimus Concilij Diospolitani. *Ad singulos actus bonos requirere auxilium gratiæ Dei.* Quem articulum tanquam fidei tenet vbique Augustinus, vt *suprà* insinuauimus: nam si intelligant solum liberum arbitrium, non est semen boni, quod sibi derelictum germinat peccatum.

Omnis lex à Deo ad salutem ordinata est.

Philosophi & Pelagiani in eodem errore.

Modus loquendi profanus, & corrigendus.

Canones fidei.

22 Vnde sicut in Iudæis tempore legis reuelatæ, & scriptæ exteriùs, discernit Paulus literam legis à spiritu, quem sequuntur Patres: ita etiam in gentibus præcepta, & documenta virtutum, discernenda sunt ab adiutorio Dei, sine quo non potuerunt adimpleri: cùm nec ipsi Iudæi, qui perfectiorem notitiam ex reuelatione scripta habuerunt de iisdem præceptis, nihil potuerunt, quantùm ad opus impletionis, sine adiutorio Dei, quod fuit ex meritis, & fide Redemptoris: non quòd necessitas fuerit peccandi, vt moderni Nouatores statuunt: sed quòd voluntas iustitiæ non ponatur in effectu neque apprehendatur, nisi liberum arbitrium excitetur ad bonum, & per amorem virtutis inspiratum, seu delectationem reddatur opus virtutis magis delectabile, quàm sit bonum sensibile, quantumlibet vtrumque liberè ametur, sicut vna cupiditas, verbi gratiâ, honoris, & gloriæ, vincit minorem aliam cupiditatem, vt intemperantiæ: quamuis liberè voluntas vni, vel alteri adhæreat; ad quæ principia sanctus Augustinus *lib.* 4. *contra Iulianum* refert apparentem virtutem Philosophorum, & quoscunque externos actus virtutis, quæ in fide non fundantur, quæ est radix virtutum, & fundamentum adimplendi legem, & operandi ad salutem.

Necessitas gratiæ.

Admitterem ego cum Augustino *lib.* 2. *de peccatorum meritis & rem. cap.* 7. voluntatem ideò peccare, quia vult, & ideò non esse sine peccato, quia nolit: nam nisi ex electione peccaret, peccatum non esset peccatum; sed actus necessarius, & quasi fatalis. Sed aliud est voluntatem esse liberam, & habere potestatem physicam non peccandi, vel faciendi aliquod opus bonum ex genere: & aliud est vti illa potestate: non vtitur, quia in operando semper sequitur inclinationem, vt fertur in magis delectabile, & afficit appetitum sensitiuum si sibi relinquatur, liberè tamen: vnde quando Patres negant potestatem libero arbitrio, excluso adiutorio diuinæ gratiæ, nisi tantùm ad peccandum, duo dicunt, nempe habere potestatem liberam non peccandi, si vellet ea vti, quia non necessitate, sed voluntate peccat: & alterum est, quòd non vtatur illa potestate, adhibendo conatum requisitum ex parte operis, nisi adiuuetur, & excitetur à gratia. Hinc dicunt liberum arbitrium non esse extinctum, sed eneruatum, & infirmum, loquor de bono in genere, non de actu supernaturali quoad substantiam, qui fuit Philosophis ignotus, & ad quem requiritur gratia alterius rationis. Quia non applicat, vt dixi, vires necessarias. Hæc autem potentia, cuius non fit vsus, magis reducitur ad remotam, quàm ad proximam, licèt non ex defectu virtutis, sed applicationis, & conatus. Hæc doctrina est Augustini variis in locis, vt *suprà* allegauimus: est etiam Doctoris *in secundo dist.* 29. ex qua pono sequentem conclusionem. 23

Origo peccati.

Inclinatio voluntatis.

Dico tertiò, regula naturalis pœnitentiæ ideò dicitur naturalis in nobis, quia cognitio, quæ habetur, est ex doctrina naturaliter tradita, & non proponitur nobis sub motiuo reuelationis, quamuis primùm ex reuelatione emanauit. Hæc patet ex dictis in præcedenti. 24

Tertia conclusio.

Dico quartò, ex hoc dici pœnitentiam naturalem, vt est in voluntate. Quia est ex motiuo naturaliter cognito, prout iam dictum est: non verò quòd illa habeatur sine gratia excitante, & adiuuante, aut auxilio speciali, si est pœnitentia propriè dicta, & detestatio peccati concepta ex motiuo honestatis, etiam in genere. Hæc etiam patet ex iis, quæ in fine secundæ conclusionis diximus contra Philosophos, & ex dictis aliàs quæstione præcedenti variis in locis. 25

Quarta conclusio.

Dico quintò, peccatum, vt est offensa Dei, non cognoscitur naturaliter, vt propriè offensa est dissoluens, scilicet amicitiam cum Deo, quæ fundatur in charitate supernaturali, secũdùm quam est amicitia inter iustum, & Deum, & communicatio bonorum secundùm aliquam proportionem amicitiæ. Vnde Iudith 8. *Abraham amicus Dei factus est.* Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus,* &c. Ioan. 15. *Iam non dico vos seruos,* 26

Quinta conclusio.

Peccatum vt est offensa Dei, propriè non cognoscitur naturaliter.

seruos, sed amicos, &c. Dixi *secundum aliquam proportionem*, &c. Propter inæqualitatem inter personas. Vnde Philosophus 7. *Eth. cap.* 7. & 12. negat esse amicitiam hominis ad Deum, sed aliquid excellentius: tamen inuenitur proportio aliqua (quæ fundatur in excellentia obiecti, & modo tendendi in ipsum) affectuum, actionum, beneficiorum, constantia, & firmitas. Et licèt serui ad dominum non sit amicitia: tamen beneuolentia domini potest contingere, si adoptetur in filium, & amicum: hanc autem amicitiam non agnouit Philosophus, neque sciri potest naturaliter. Vnde licèt posuerit amorem excellentiæ, tamen *cap.*7. & 2. *Magnorum moralium* eam negauit. Videatur Doctor *in* 3. *d.* 27. *ad primum principale*, & *articulo* 3. *ad vltimum*.

Philosoph.

27 *Sexta conclusio.*

Dico sextò eo modo quo extenditur amicitia ad amorem Dei, prout naturaliter cognosci potest per viam creaturæ, aut etiam disciplinæ, eiúsque prouidentia circa res humanas præmiando bonos, castigando malos, quod notum fuit etiam infidelibus, sic cognosci potest peccatum esse detestandum, vt offensam, sub communi ratione. Hæc conclusio patet, quia eadem regula, quæ dictat Deum amandum, dictat non esse offendendum. Patet secundò ex ratione cultus, quem cognouerunt infideles, exhibendum Deo, ad placandam eius iram, seu offensam. Ex hoc patet responsio ad secundum dubium: & ad tertium quomodo scilicet peccatum sit auersiuum à Deo, & qua via id notum sit, nempe vt Deus est finis vltimus, etiam Beatitudinis naturalis, vt docet Doctor *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 9. Si autem loquamur de illa auersione à fine supernaturali, de qua hîc per se agit Doctor, & in quæstione præcedenti, sic tantùm sub hac speciali ratione cognosci potest supernaturaliter: & perinde respondetur ad quartam, & quintam, esse nota tantùm supernaturaliter.

Peccatum vt est offensa Dei in genere

28 *Septima conclusio.*

Dico septimò peccatum esse vindicandum per pœnitentem in seipsum, non est cognitum nobis lumine naturali, neque vlli, nisi ex diuina reuelatione. Vnde quando Doctor dicit Angelo fuisse notam pœnitentiam naturaliter, vel fore notam naturaliter, intelligit de pœnitentia, quà est displicentia peccati, seu tristitia de peccato: non verò loquitur de ipsa, qua ex ordinatione diuina exigeretur ad remissionem peccati, & reconciliationem. Probatur, peccatum vindicandum hoc modo est tantum, ex diuina voluntate, & lege, in homine viatore tantùm; sed illa voluntas videtur sola reuelatione nota: ergo, &c. Antecedens patet ex dictis *suprà*. Consequentia probatur: quia pœnitentia hoc modo sumpta neque deduci potest ex principiis generalibus de virtutibus, neque ex particularibus eius, cui peccatum opponitur, neque Philosophis nota fuit. Dices, nouerunt Deum esse placandum, ergo per aliquam satisfactionem peccati. Respondetur eam placationem pertinuisse ad cultum, & religionem tantùm, & eò spectasse, vt auerteretur pœna peccati, non ipsum peccatum: nam & peccatum manere post actum, est tantùm creditum nobis: quamuis itaque posuerint gentiles Metanoeam Deam, quæ exigeret pœnas peccatorum: tamen non cognouerunt hominem in seipso debere commissum punire: loquendo ergo de pœnitentia, vt detestatio, seu dolor de peccato ex motiuo huius, aut illius virtutis, quando illud motiuum non est supernaturale, habet regulam naturalem; loquendo verò de pœnitentia, vt est talis detestatio ex motiuo credito tantùm, vel quatenus etiam est specialis, habet fidem pro regula. In priori sensu loquuntur multi Doctores, qui ponunt pœnitentiam naturalem, & regulam eiusdem ordinis distinctam ab infusa. Ex quo patet solutio quæstionis. Responsio etiam ad argumenta patet ex dictis iuxta variam acceptionem pœnitentiæ: solùm dicendum ad illud quod opponitur ex Tridentino, licèt peccatum sit ex motiuo virtutis, cui opponitur detestabile: eam detestationem reduci ad pœnitentiam, & disponere ad veniam quatenus imperatur à pœnitentia virtute in vindictam peccati: hoc autem non est notum lumine naturali.

Probatio.

Obiectio soluitur.

Explicatur Triden.

29 *Ad primum principale.*

h *Ad primum principale*, &c. Hæc responsio patet ex dictis; sicut enim quælibet virtus specificatur à motiuo suo, ita etiam inclinatur ex eodem motiuo ad detestandum peccatum, quà opponitur ipsi motiuo dumtaxat: & sic vnius virtutis est vna pœna, nempe in specie nolendo peccatum, & tristando de eius positione: quia aliter non respicit peccatum, nisi quà opponitur, & quia opponitur bono, circa quod versatur. Alterum membrum est, tot esse pœnas infligendas, quot statuit lex ordinantis, & acceptantis pœnas, & has omnes vna virtus in specie vt vindicatiua, seu pœnitentia, infligere potest, & imperare, tam causas proximas, quam ipsam tristitiam remotam iis applicatis.

Distinctio sustinetur.

30 *Ad secundũ.*

i *Ad secundum* similiter patet, in ratione actus & bonitatis dari posse æquale bonum, malo peccati, quà peccatum est transgressio huius, aut illius virtutis, de qua difficultate *infrà* differemus *quæst. prima seq. dist.* Sic tamen non esset sufficiens punitio, nisi sit lege præscripta, & acceptata: quia punitio illa respicit peccatum in ordine ad offensam, cui debet fieri satisfactio. Dices, ergo erit crudelis, si non acceptet æquiualentem satisfactionem. Responsionem, inquit, quære: sed eam obiter ipse subiicit, quòd omnes illæ pœnæ æquiualent vni perfectæ punitioni: sæpe enim attritio insufficiens est, vt dictum est, &c. nempe quæstione secunda.

Satisfactio æquiualens peccato.

Replica soluitur.

31 *Declaratio solutionis.*

Pro intelligentia huius aduertendum est, peccatum post Baptismum commissum præter priuationem rectitudinis virtutis, cui opponitur, esse offensam Dei, & priuare eius gratia, quod commune est omni peccato mortali. Vltra hoc dicit circumstantiam ingratitudinis, vt docet Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. & *cap.*8. & Doctor infrà dist. 22. *Sanè*, inquit, Concilium cap.8. *& diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt: aliter verò qui semel à peccati, & dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerint*, &c. Hæc ratio Concilij posita ex diuina iustitia respondet obiectioni: quia sicut peccatum ex notitia virtutis, & ingratitudine beneficij recepti crescit in libertate, & malitia: ita & exigit iustitia, vt pœna eius, seruata proportione, grauetur.

Trident.

Circũstantia ingratitudinis punita.

32 *Diuina clementia idem postulat.*

Alteram subiicit rationem Concilium ex diuina clementia, his verbis: *Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta peccata leniora putantes, volũtarij, & contumeliosi Spiritui sancto* in

in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ: proculdubio enim magnopere à peccatis reuocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, &c. Ex quibus patet responsio. Posset & alia dari, quia vera pœnitentia, seu quicumque actus antecedens, licèt à Deo exigatur, & acceptetur, non est æquiualens secundùm iustitiam; sed tantùm acceptatur misericorditer à Deo, quamuis non mereatur iustificationem, quæ fit gratis, & ex misericordia tam donantis actum, quàm condonantis peccatum: vt patet ex eodem Trid. *sess.6. c.*8. Benè ergo dicit Doctor omnes illas punitiones vni soli æquiualere, & non esse excessum secundùm iustitiam: quia contritio aliquando est insufficiens: quæ tamen esse talis potest, vt sui perfectione deleat etiam omnem pœnam, vt supponit Trident. *sess.14.c.2. in fine*, & huic vni perfectæ, & completæ, æquiualent plures aliæ inferioris gradus.

Remissio peccati ex misericordia.

Ad tertium patet ex dictis.

33 Hîc dubitari potest ex responsione ad argumenta, ex dictis etiam *suprà*, an requiratur actus proprius pœnitentiæ ad remissionem. Respondeo regulariter requiri, & interuenire hunc actum. Probatur ex locis citatis Trident. *sess.*14. vbi dicit diuina exigente iustitia sine magnis nostris fletibus non remitti peccatum, & sine satisfactione; sed satisfactio pro peccato debet esse secundùm præscriptum legis: ergo in vindicationem peccati. Secundò fides, quæ docet dolendum esse de peccato commisso, docet etiam pœnam interiorem, & exteriorem applicandam esse in vindicationem peccati. Tertiò non sufficit contritio, aut detestatio peccati sine voto Sacramenti, vel explicito, vel implicito: sed votum Sacramenti est propositum de subeundo iudicio Sacerdotum ad vindicandum peccatum in reum: ergo supponit actum vindicatiuæ in eo, qui habet votum recipiendi Sacramentum.

Dubium. An requiratur semper actus proprius pœnitētiæ ad remissionem. Requiri regulariter.

Conclusio intelligenda est regulariter: quia si casu daretur contritio adeò subitò ex motiuo charitatis, & impulsu absorbens mentem, vt non permitteret aliud motiuum considerare, iustificaret: sed fortè rarissimus est casus respectu peccati, qui cognoscitur inesse: quia fides, quæ docet dolēdum de peccato tali, docet etiam vindicandum. Alia quæ hîc consequenter tractari possint de circumstantiis contritionis, & proposito emendationis, de voto Sacramenti, & an extendi debeat dolor particulariter ad singula peccata, & an naturalis attritio sufficiat ad Sacramentum, & de præcepto pœnitentiæ, dicentur in sequentibus, prout littera Doctoris suggeret.

Quæstiones remissæ.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm per Sacramentum pœnitentiæ deleatur culpa?

Alens. 4. *part. quæst.* 80. *memb.* 1. D. Bonau. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. Richard. *art.* 2. *quæst.* 1. D.Thom. *quæst.*1. *art.*3. *&* 3. *part. qu.*86. *art.*6. Suar. *tom.*4. *disp.*16. *sect.* 2. Bellarm. 2. *de pœn. c.*13. Magister *dist.*16. *&* 18. *latè* Coccius 2. *tom. lib.*7. *art.*1.

QVARTO quæro,[a] Vtrùm per Sacramentum Pœnitentiæ deleatur culpa? 1
Videtur quòd non, quia dicit Psalm. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* vbi Cassiodorus: *Magna pietas Dei, quòd ad solam promissionem peccatum dimittit. Votum enim pro operatione iudicatur.* & August. ibidem: *nondum pronuntiat, sed promittit se pronuntiaturum, & Deus dimittit*: sed sine pronuntiatione non est Pœnitentiæ Sacramentum.

Argum. 1. Psalm. 31.

Item, Augustinus super illud Io. 11. de suscitatione Lazari, *nemo potest confiteri, nisi suscitatus.* Probat tripliciter. Primò, per suscitationem Lazari, qui priùs suscitatus est, quàm de monumento eductus. Secundò per illud Ecclesiastici 17. *A mortuo velut, qui non est, perit confessio.* Tertiò per illud Psalm. 87. *Nunquid medici suscitabant, & confitebuntur tibi.*

Argum. 2.

A mortuo quasi nihil perit confessio.

Item, si per Sacramentum Pœnitentiæ dimittitur peccatum, cùm sacerdos ministret Sacramentum, ergo sacerdos dimitteret peccatum. Consequens est falsum per illud Hieronymi super Matth. decimo sexto, *Tibi dabo claues, &c. Hunc*, inquit, *locum non intelligentes quidam, aliquid sumunt de* * *superbia Pharisæorum, vt damnare innoxios, vel soluere putent noxios, cùm apud Dominum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur*: & huiusmodi probationem innuit subdens: *In Leuitico se ostendere sacerdotibus iubentur leprosi; quos illi non faciunt leprosos, vel mundos; sed discernunt, qui mundi, vel immundi sunt.* ita hîc.

Argum. 3.

* *aliàs de supercilio.*

Contrà, Matth. decimo sexto: *Quodcunque ligaueris super terram*, &c. Item Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. 2

Hîc sunt tria videnda. Primò, ratio huius nominis *Sacramentum Pœnitentiæ*. Secundò, quòd illi rationi nominis aliquid subest. Tertiò solutio quæstionis.

De primo, pono hanc rationem nominis: *Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à sacerdote, iurisdictionem habente ex institutione diuina, efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato.*

Pœnitentiæ definitio.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1 *Scopus quæstionis.*

a QVarto quæro, vtrùm per Sacramentum, &c. Postquam Doctor tractauit de dispositione præuia ad Sacramētum, nempe de ipsa virtute pœnitētię: hîc tandem aggreditur declarare in quo cōsistat hoc Sacramētum, quę eius definitio, & quā exerceat efficaciam circa peccatū remittendū. Et postquàm pro vtraque parte subiecit rationes, tandē subiicit hanc definitionē pœnitentiæ, quæ est prima conclusio huius quæstionis, *Pœnitētia est absolutio hominis pœniētis*, &c.

Ordo quæstionis.

Definitio Pœnitentiæ.

SCHOLIVM.

Posita definitione nominis Sacramenti Pœnitentiæ, ostendit tali nomini posse aliquid subesse, de quo actum est sup. d.2. & 4. & d. 2. qu.1. & ponit congruentias institutionis Pœnitentiæ, dicens doctrinam de hoc Sacramento similem esse doctrinæ de Sententiis & Iudiciis. Docet etiam Pœnitentiam supponere pro absolutione, & idem habet infrà dist. 16. qu. 1. sequuntur Maior hîc qu.2. Gabr. qu.2. art.1. Dionys. Cister. dist.23. qu 2. Occam 4. quæst.8. & 9. Bassol. hîc qu.2. Alm. qu.4. & omnes Scotistæ. D. Thom. 3. part. qu.84. art.1. & ibi Caiet. aiunt supponere pro actibus pœnitentis. Dur. hîc qu. 3. & Suar. tom. 4. dist. 18. sect. 2. pro actibus pœnitentis & absolutione simul, supponere volunt. Trid. sess. 13. cap. 3. fauet Scoto, dum ait præcipuam vim esse in verbis ministri.

3 *Dist.1. q.2. & 4. & d. 2. quæst.1. qu. 2. & 4. Congruētia pro Sacramento pœnitentiæ. Pœnitentia est absolutio, seu definitiua sententia iudicis commissarij: de quo infr. d. 16. q. 1. De reg. iur. in 6. & C. si à non cōpet. l. 1. 2. & vltima.*

QVod [b] ad secundum ostendo primò, quòd possibile est huic positioni nominis aliquid subesse. Secundò, quòd congruit aliquid subesse. & Tertiò, quòd aliquid subest. Primum ostenditur per hoc, quòd possibile est Deo animam absoluere à peccato, iuxta illud symboli; *Remissionem peccatorum*: & per consequens possibile est instituere aliquod signum illius absolutionis, & hoc signum efficax, vt priùs expositum est efficax, in materia de Sacramentis in vniuersali; & pari ratione verba quæcunque à quocunque ministro prolata, & tunc patet tota possibilitas illius rationis.

Congruitas probatur quantùm ad singulas particulas. Primò, quia congruum est aliquod esse signum sensibile istius absolutionis à peccato, propter easdem rationes, propter quas dictum est *dist.* 1. de congruitate Sacramenti in communi. Et propter easdem congruum est illud esse signum institutum à Deo, quia & magis mouebit, & ducet intellectum in certitudinem, & magis inclinabit affectum ad promptitudinem suscipiendi illud signum. Congruit etiam in proposito istud signum absolutionis interioris institui in verbis significantibus absolutionem, vt signum repræsentet signatum.

Et hoc est, quod dictum est in ratione Pœnitentiæ, quòd *pœnitentia est absolutio*, id est, quædam sententia diffinitiua absoluens reum: non tamen sententia Iudicis principalis, sed Iudicis secundarij, vel commissarij. Potest enim quis ex commissione cognoscere in causa, & ita ex commissione sententiare; vel pro condemnatione rei, si indignus est, vel pro eius absolutione, si dignus sit. Congruit etiam, quòd ista absolutio exterior fiat à sacerdote, quia congruit extrema per medium reduci in extremum, & ita in Hierarchia Ecclesiastica, extremos, scilicet peccatores, reduci in Deum per Hierarcham, idest, sacerdotem, sicut est in Ecclesia triumphante. Congruit etiam, quòd à iurisdictionem habente, quia sententia à non suo Iudice lata nulla est.

4 *Doctrina de Pœnitentia subalternatur doctrinæ de Iudiciis & Sētētiis. Quare in pœnitentia nō requirūtur verba, ita præcisa sicut in Baptismo, & Eucharist. Forma apta pœnitentiæ; Ego te absoluo ex Trid. sess. 14. c. 3. & Flor. decret. Eug. dist. 6. qu. 5.*

Ex hoc [c] sequitur corollarium, quòd doctrina de Sacramento Pœnitentiæ subalternatur doctrinæ de Iudiciis, & etiam doctrinæ de Sententiis. Pro quanto enim est in Ecclesia duplex forus, scilicet publicus, & priuatus, pro tanto est duplex iudicium: & quantùm ad aliquas regulas iustitiæ oportet esse conuenientiam hîc, & ibi, sicut vtraque diffinitio hîc, & ibi est actus iustitiæ. Et pro tanto potest Sacramentum Pœnitentiæ dici Sacramentum iudiciale, vel iudicium sacramentale. & ex hoc, quòd sacramentale est firmius, quia rationabilius quàm aliquod iudicium publicum.

Et [d] ex hoc patet ratio, quare non est necesse esse ita præcisa verba in isto Sacramento, sicut in Baptismo, vel Eucharistia, quia sufficit, [e] quòd exprimatur actus sententiæ absoluentis: sicut & in iudicio publico non oportet esse limitata verba. Ait enim vnus de Theodoro martyre, *Iubeo ignibus tradi.* Alter de Cypriano sancto, *gladio animaduerti placet.* Communiter [f] tamen ista verba sunt apta: *Ego te absoluo*; quæcunque alia præmittantur, vel consequantur secundùm diuersam consuetudinem in diuersis Ecclesiis.

Congruit

Congruit etiam, quòd requiratur intentio debita, vt *suprà* expositum est in aliis Sacramentis. Congruit etiam ex parte susceptiui, quòd sit pœnitens, id est, habens aliquam displicentiam de peccato commisso: hoc enim videmus etiam in Iudicibus temporalibus, quòd proteruum sententialiter condemnant: pœnitentem verò suo modo absoluunt, id est, tanquam non reum, vel non puniendum sententiant.

COMMENTARIVS.

2 *Possibilitas ostenditur rei definitæ.*

b QVoad secundum, &c. Explicat primò possibilitatem huius: quia possibile est Deo remittere peccata sicut de facto remittit per illud Symboli, *remissionem peccatorum*, &c. Et hanc remissionem, possibile est, vt tribuat per signum sensibile, & ita congruit, vt patet *ex dictis dist. 1. huius qu. 2. & 4. & dist. 2. quæst. prima.* Quod perinde etiam patet *ex dist. 7. quæst. prima & dist. 8.* Quòd consistat hoc signum in absolutione, probat. Quia est actus iudicialis, & sententia definitiua ministri, vt habet potestatem à Deo, & Ecclesia: vnde infert corollariè doctrinam hanc de Sacramento Pœnitentiæ subalternari doctrinæ de Iudiciis, & Sententiis. Infert inde, non requiri ita determinata verba in hoc Sacramento, sicut in Baptismo, & Eucharistia: illa tamen est congrua forma, *Ego te absoluo*, &c. qua vtitur Ecclesia. Vltimò subdit, necessariam esse intentionem in Ministris, & displicentiam peccati in pœnitente.

Sũmaria huius litteræ.

3 *Controuersia de eo quod dicit Pœn. Sacrament. in recto.*

Circa hanc litteram Doctoris plura se offerũt differenda; & primò non modica est controuersia circa illud, quod in recto statuit, pro definitione, & definito, nempe quòd Sacramentum in recto consistat in absolutione: quam sententiam impugnat Caiet. *3. part. qu. 84. art. primo.* asserens contrarium definiri in Florentino *in decreto vnionis Armenorum.* Sotus *in hac dist. quæst. 1. art. 1.* dicit à Canonico dicendi more alienam: Vasquez autem reprehendit modum loquendi exorbitantem à communi, asserens esse quæstionem de nomine. Ita *in dictum articulum D. Thomæ dubio 2.* Secunda sententia est essentiam Pœnitentiæ consistere in actibus pœnitentis tantùm, & absolutionem spectare in obliquo, seu vt complementum ad essentiam Sacramenti. Hanc tenent quidam Thomistæ, vt Sotus *suprà* citatus; ita enim de omnibus Sacramentis disserit, vt visum est *suprà dist. prima qu. secunda.*

Sententia aduersa.

Censura in Doctorem.

Secunda sent. Consistere in actibus pœnitentis.

Tertia sent. Consistere in actibus pœnitentis & absolutione.

Tertia sententia est, Sacramentum constitui essentialiter tam ex absolutione, quàm aliis actibus pœnitentis. Est D. Thomæ *loco citato*, & communior inter modernos eius discipulos: quam sequuntur antiquiores etiam, vt D. Bonauentura, Richardus, locis citatis à scholiaste.

4 *Conclusio. Consistit in ipsa absolutione in recto.*

Conclusio Doctoris tam *hic*, quàm *d. 16. q. 1.* est, consistere in absolutione in recto, requiri autem actus pœnitentis in obliquo. Eandem tenet Maior, & alij, quos citat præfatus scholiastes: apud Catholicos autem nulla est controuersia, quin requirantur omnia necessitate Sacramenti, & ex diuina institutione: solùm controuertitur quod est fundamentum significationis Sacramentalis. Eandem sententiam etiam docuit S. Thomas *in 4. d. 22. q. 2. art. 1.*

Probatio conclusionis.

Probatur conclusio tanquam Catholica, canonica & vt magis tenens proprietatem significationis Sacramentalis, & specificæ huius Sacramenti contra censuras præmissas. In eius efficacia tribuitur gratia Sacramentalis, in quo remittuntur peccata: sed horum remissio solùm fundatur essentialiter in potestate clauium, seu iurisdictione data Sacerdotibus dimittendi, aut retinendi peccata, cuius exercitium est absolutio pœnitentis: ergo in absolutione consistit efficacia remissionis. Maior vera est sine controuersia & ex Trid. *sess. 6. cap. 7.* vbi definitur iustificationem includere tam remissionem à peccato, quàm renouationem, & sanctificationem interiorem per susceptionem gratiæ, & donorum. Patet etiam *ex Canone 6. sess. 7. de Sacramentis in genere*, vbi definitur Sacramenta nouæ legis causare gratiam. Item ex definitione Sacramenti, quod est signum practicum gratiæ. Patet ratione Theologica, quia eatenus remittitur peccatum mortale, quatenus confertur gratia, per locum à contrariis: ergo in eius efficacia datur gratia, & significatur practicè, in cuius efficacia dimittuntur peccata.

Remissionem spectare ad claues.

Probatur itaque minor, ex institutione Sacramenti. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, &c. Ioan. 20. quibus verbis conceduntur claues, seu potestas Ministris Ecclesiæ, quæ promissa est, Matthæi 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in Cœlo*, &c. Quibus verbis dimissio aut retentio peccatorum tribuitur Ministris, vt patet ex communi Ecclesiæ, Patrum, & Doctorum, expositione in ea loca. Et probatur ratione, pœnitentia instituta est per modum iudicij, & tribunalis; sed actus iudicialis essentialiter in recto tantùm includitur in sententia iudicis, in reliquis autem tanquam requisitis tantùm vt iustè, & legitimè formetur sententia, per quam solam absoluitur, aut condemnatur reus; & si non sit criminalis, dirimitur lis ex cognitione causæ, quæ si alioquin cognita est, non requiruntur, vt accusatio testis, probatio, & huiusmodi, & in periculis, aut iubente principe reliquæ solemnitates reliquuntur, quibus euidentia facti æquiualet. Absolutio autem sola est actus iudicialis in proposito. Maior patet ex Trid. *sess. 14. cap. 2.* ostendit distinctionem Baptismi, & Sacramenti pœnitentiæ; quibus remittuntur peccata: quia illud non est institutum per modum iudicij, hoc autem ita institutum est: *constat*, inquit, *Baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus*, &c. *Secus est de domesticis fidei*, &c. *Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam Baptismo ablui*, &c. *Sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, vt per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari*, vbi liberationem à peccatis tribuit Concilium sententiæ Sacerdotum in hoc tribunali, in quo distinguitur ab alia, quæ fit in Baptismo per modum ablutionis, & non sententiæ: idémque patet *cap. 5. & can. 3.* Quòd verò

5 *Institutio Sacramenti.*

Institutio eius per modũ Iudicij.

Absolutio actus iudicialis.

Differentia Baptismi, & Pœnitentiæ.

Remissio peccati ex sententia Sacerdotum.

verò absolutio sit actus iudicialis, definitur his verbis cap. 6. *Quamuis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficij sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à iudice sententia pronuntiatur*: can. nono. *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium*, &c. *Anathema sit*, & cap. 7. ostenditur idem quatenus ad absolutionem validam definitur requiri iurisdictionem ordinariam, aut delegatam.

Trident.

Esse actum iudicialem.

6 Secundò probatur conclusio: actus pœnitentis eatenus requiruntur ad pœnitentiam, quatenus necessarij sunt ad actum iudicialem; ergo essentia Sacramenti non in ipsis, sed in ipso actu iudiciali consistit: & quamuis sine illis perfici non possit, non in virtute tamen ipsorum ligat, aut absoluit, sed authoritatis, cuius est merum exercitium. Probatur antecedens: in primis, contritio non requiritur aliter ad pœnitentiam, quàm ad Baptismum peccatoris adulti, sed in hoc requiritur vt dispositio tantùm, vt patet ex Trid. *sess. 6. cap. 5. 6. 7.* non vt aliquid pertinens ad Sacramentum Baptismi essentialiter: sed in gradu tantùm dispositionis requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ, quatenus scilicet includit cõuersionem à peccato, eiúsque retractationem interiorem: vnde Trid. sess. 14. cap. 4. *Contritio, quæ primum locum inter prædictos pœnitentis actus habet*, &c. *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius: & in homine post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem*, &c. (*præparare*, & *disponere* idem sunt apud Concilium locis suprà citatis, vt clarum est.) *peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur*, &c. Ex quibus verbis sic argumentor: Contritio est præparatio ad dimissionem peccatorum; si coniuncta sit cum voto præstandi reliqua necessaria ad ritè suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ: ergo condistinguit Concilium verum Sacramentum essentiale, vt ita dicam, pœnitentiæ à contritione; ac proinde hæc eius essentiam non ingreditur.

Secunda probatio.

Contritio perinde ad pœnitentiam, & Bapt. requiritur.

Esse dispositionem ad Sacramentum.

Trident.

Distinguit Conc. Sacramentũ à contritione.

7 Confirmatur ex sequentibus, postquam diuisit mox contritionem in perfectam, & imperfectam, dicens perfectam reconciliare peccatorem Deo: *Docet*, inquit, *præterea, & si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur non esse adscribendam*, &c. In quibus condistinguit Sacramentum à contritione (*priusquam Sacramentum actu suscipiatur*, &c. *& in voto Sacramenti*, &c.) Dices hæc vera esse de contritione seorsim sumpta distingui à Sacramento, non verò vt subest formæ, seu absolutioni: quia sic includitur vt pars essentialis, non tantùm dispositio. Contrà, hæc euasio verbis sequentibus non quadrat; loquens enim de contritione imperfecta, dicit esse *motum Spiritus sancti, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat, & quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*, &c. Et infrà: *Quamobrem falsò quidam calumniatur Catholicos scriptores quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre*, &c. In quibus clarissimè distinguit Sacramentum à contritione, prout subest formæ, in ipso Sacramento, tribuens ei rationem solam præparationis, ad obtinendam in Sacramento pœnitentiæ veniam peccatorum: & Sacramentum aliud facit à bono motu suscipiẽtium. Confirmari potest in opinione eorum, qui admittunt Sacramentum pœnitentiæ validum informe ex defectu doloris.

Confirmatio.

Idem antecedens principale probatur quantùm ad confessionem, eam tantùm requiri ad formam actus iudicialis, & ad informandum iudicem pœnitentialem, ex eodem Trid. cap. 5. *Ex institutione*, inquit; *Sacramenti pœnitentiæ, iam explicata, vniuersa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem*, &c. *ex institutione*, inquit, *explicata*, &c. explicuit nempe *suprà capite primo* institutionem in eo præcisè, quòd data sit potestas remittendi, & retinendi peccata Apostolis, & successoribus. & *cap. 2.* pœnitentiam ait institutam esse per modum tribunalis, & iudicij. Ex hac ergo colligitur iuxta Concilium confessionem necessariam esse, vt mox subiungit, reddens causam, & fundamentum dictæ consecutionis: *Quia Dominus noster Iesus Christus*, &c. *Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides, & indices, ad quos omnia mortalia crimina deferuntur*, &c. *quo pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent*, &c. Si ergo ex forma institutionis sacramentalis pœnitentiæ per modum iudicij colligat Ecclesia institutionem confessionis pecatorum, sequitur ad pœnitentiam requiri confessionem, quatenus necessaria est ad informationem iudicij, ac proinde non aliter, quàm vt dicit præcisum ordinem ad actum iudicialem: quod est intentum. 8

Confessio requiritur ad formam actus iudicialis.

Trident.

Idem.

Confirmatur aliquando, & in casu sine completa confessione, aliquando sine vlla perficitur Sacramentum pœnitentiæ; ergo non spectat ad essentiam eius, quamuis ordinariè requiritur. Probatur consequentia, quia alioquin non consisteret sine ipsa, sicut nec alia Sacramenta, vt Baptismus sine aqua, & ablutione. Antecedens patet: quia tunc præcisè vrget præceptum, & necessitas confessionis, quando vrget informatio petenda, aut habenda de statu rei, & eius dispositione: verbi gratia, in casu extremæ necessitatis non exigitur completa, & integra confessio, quando non suppetit tempus, aut est periculum, ne mors præueniat, vel si in media confessione cadit apoplecticus, vel quando iam incipere vult confessionem, absoluendus est, vt *infrà* dicemus: & in casu Conc. Carthaginensis III. & IV. ac Arausicani primi: & Leonis Papæ, quando moribundo amisso vsu rationis superuenit Sacerdos, modò qui antea præsentes fuerunt, testimonium perhibeant eum petiisse pœnitentiam, est absoluendus: in quo casu completur Sacramentum sine confessione: ergo etiam Concilia agnoscunt eam non esse de essentia Sacramenti. Quod ratione ampliùs probatur, quia dispositus viator per veram attritionẽ omissa loquela, & vsu rationis, relinqueretur 9

Confirm. Confessio integra, & aliquando nulla requiritur.

Præceptum confessionis vt obligat.

Absoluendus agonizãs qui petiit confessorem.

sine

sine remedio necessariò, quod non videtur congruum: quamuis aliàs contingere possit pœnam peccati: tamen apud aduersarios pro inconuenienti ducitur.

10 *Satisfactio vt requiritur.* Tertiò, probatur antecedens quoad satisfactionem, quæ est tertius actus pœnitentis: quia antequam ipsa compleatur, perficitur Sacramentum pœnitentiæ, vt est consuetudo Ecclesiæ; imò non debet absoluenda fortè imponi persoluenda, antequam detur absolutio, quia non haberet effectum ex clauium efficacia, seu ex opere operato: gratia autem sacramentalis, sicut & remissio peccati, datur ante satisfactionem, imò si nulla imponeretur, quamuis peccaret Sacerdos eam negligens. *Non esse partem essentialem.* Ex hoc argumento patet antecedens vniuersim quoad tres actus pœnitentiæ; non magis Concilia definiunt confessionem, & contritionem esse materiam pœnitentiæ, quàm satisfactionem, quia vniformiter, & sine discrimine illos tres actus statuunt materiam: sed certum est quòd satisfactio non spectet ad essentiam Sacramenti: ergo neque aliæ. Dices, quòd etiam probaret hoc, quòd neque alij requirerentur ad Sacramentum pœnitentiæ aliter, quàm satisfactio, quod est falsum. Respondetur, id verum esse ex hoc capite, sed alij magis necessarij sunt ad ordinem iudicialem, & cognitionem status rei, & in hoc magis ab iis dependet Sacramentum, sicut contingit inter conditiones alias magis per se requiri, quàm alias.

11 *Vltima probatio conclusionis.* Vltimò probatur conclusio: Tridentinum, & Florentinum assignando illos tres actus esse materiam pœnitentiæ, loquuntur cum particula diminuente, & distrahente; *sunt autem quasi materia*, inquit Tridentinum *cap.* 2. Eadem sunt Florentini. *Ex modo loquendi Florentini, & Tridentini.* Loquendo de materiis aliorum Sacramentorum simpliciter, & sine distractione, aut diminutione loquuntur: ergo aliter se habent actus pœnitentis ad pœnitentiam, aliter aqua ad Baptismum, panis & vinum ad Eucharistiam, etiam ex intẽto Conciliorum; ac proinde tantum abest vt hinc, quod præcipuum est fundamentũ aduersariorum, quidpiam conuincatur, vt potiùs nostra sententia confirmetur. *Responsio.* Respondet Soto dici *quasi materia*, non quòd non sit talis absolutè, sed quia non est extrinsecus apposita, sicut aqua, verbi gratiâ, in Baptismo, oleum in chrismate. Aliter Vasquez ait, quia nempe non esse substantias, sicut in aliis Sacramentis contingit, ideò dici quasi materiam actus pœnitentis. *Impugnatur.* Contrà; hæc est libera interpretatio: quia in aliis Sacramentis, verbi gratiâ, Baptismo, ablutio, non aqua, est proxima materia; in chrismate vnctio, in matrimonio consensus mutuus coniugum. Respondent alij, matrimonium perfici in contractu, cuius materia est consensus mutuus: sed hoc nihil est, quia pœnitentia instituta est per modum iudicij, quod perfici debet in actibus humanis requisitis ad ipsum, quamuis eius essentiam non ingrediuntur quidam; sed probatur dicta esse contra intentionem Concil. ex Trident. *loco citato, cap.* 3. posita est distractio ad materiam respectiuè ad ea, quæ priùs dixit de forma, & institutione Sacramenti *cap.* 1. institutionem eius præcisè statuit in concessione potestatis absoluendi, & retinendi, quæ in solis ministris est. *In secundo* verò asserit esse tribunal, & dari per modum sententiæ. *In tertio* autem, vbi explicat ea, quæ ad ipsum requiruntur, ita habet: *Docet præterea sancta Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè vis ipsius sita est in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absoluo*, &c. Deinde *infrà* subiungit: *sunt autem quasi materia*, &c. vis Sacramenti est virtus eius practica, in qua essentialiter consistit ratio signi practici, si sit hæc: ergo præcipuè in forma, & actus sint quasi materia, sequitur Scotum magis canonicè loqui, quàm Sotum; atque actus pœnitentis non esse materiam simpliciter in recto.

Obiicit Sotus primò definitionem illam esse longam, quam assignat Scotus. Sed ad hoc facilis est responsio nullam particulam otiosam esse: quia in ea explicantur necessariæ habitudines, sine quibus Sacramentum nequit esse, vt ad pœnitentem, ad formam, ad Ministrum, ad principalem causam, quæ est Deus, ad effectum: deficiente aliquo horum, Absolutio non esset sacramentalis: sicut ergo definitio est oratio rei *esse* explicans, & Sacramentum secundùm *esse*, ad omnia ista dicit habitudinem, ita ad ea definiendum erat, ad quæ naturam eius explicant Concilia. 12 *Prima obiectio. Soluitur. Definitio sustinetur.*

Secundò obiicit Florentinum in Decreto vnionis Armenorum. *Hæc*, inquit, *omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia*, &c. ergo Sacramentum pœnitentiæ includit actus pœnitentis tanquam materiam essentialem. Respondetur negando consequentiam: quia Concilium dicit tantùm, *perficiuntur*, non verò quòd essentialiter includant iam enumerata, vt partes: aliàs Minister etiam esset de essentia Sacramenti. Deinde, quando Concilium loquitur de materia pœnitentiæ, dicit actus pœnitentis esse *quasi materiam*. Tertiò, materia non potest vniformiter in Sacramentis sumi: nam quædam habent materiam tantùm circa quam, quæ ad essentiam non spectat, vt Eucharistia panem, & vinum, circa quæ contingit transmutatio. Alia etiam materia, in qua actio ipsa sacramentalis perficitur, vt vnctio in chrismate, ablutio in aqua: neque ex modo ergo se habendi huius materiæ ad Sacramentum rectè philosophandum est materiam Eucharistiæ esse partem essentialem, quam certum est non esse Sacramentum, neque in eo includi: vnde non video quid ad propositum conuincat illud argumentum: certum est materiam pœnitentiæ esse peccatum actuale post Baptismum, actus autem pœnitentis ea proportione dicuntur materia, vel *quasi materia*, quatenus requisita ex parte rei eleuantur virtute clauium ad habendum in eo aliquem effectum, quem ex se non haberent, & quatenus sunt materia subiecta inquisitioni iudicis, eiúsque sententiæ, ea proprietate, qua examen testium, confessio rei, punitio requisita legibus, subiiciuntur discussioni, & sententiæ iudicis in aliis causis. 13 *Secunda obiectio. Florent. Responsio. Materiã non sumi vniformiter.*

Vnde aduersarij desumunt argumentum non ex Concilio, sed ex proportione materiæ baptismalis, quæ æquè concludit in Eucharistia; sed falsò, materiam esse partem eius: quis enim dicit panem, & vinum significare corpus Christi ex institutione diuina? aut in matrimonio inueniri materiam distinctam à personis, quæ est materia circa quam contractus, & commu- 14

rationis, vel à consensu mutuo verbis expresso; quem pro causa efficiente explicat Concilium Florentinum; neque aliam assignat ab eo distinctam materiam eius Sacramenti, neque vllam, sicut nec Tridentinum; quod argumento est, non requiri in sensu aduersariorum materiam ad quoduis Sacramentum. *Aliæ rationes Soti soluuntur.* Illud quod adducit præterea Sotus de artificiali, quasi supponeret in recto pro materia, est omnino falsum: quia neque materia talis in recto prædicatur de ente artificiali, quod formaliter supponit pro forma, quæ est effectus artis introductus per incisionem, aut iuxtapositionem. Adducit præterea Sotus illud Augustini tractatu 80. in Ioannem, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; quod non est ad propositum: nam spectat ad Baptismum. *Verbo*, inquit, *Baptisma consecratur: detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; &c. quam authoritatem adducit etiam Magister in litera *dist.* 3.

15 *Secunda conclusio.*

Secunda conclusio: Actus pœnitentis sunt materia in obliquo huius Sacramenti, & sic requiruntur ad eius integritatem, sine quibus forma non haberet suum effectum, neque esset actus iudicialis. Est Doctoris, & quamuis non vtatur illis terminis *in obliquo*. Patet tamen ex definitione *absolutio pœnitentis*, &c. Pœnitens est, quia dolet de peccatis, ea confitetur, in seipso punit voluntariè per cōgruam satisfactionem.

16 *Vltima conclusio. Materia circa quā Pœnitentiæ.*

Vltima conclusio: Materia remota circa quam huius Sacramenti est peccatum actuale post Baptismum commissum. Hæc est communis: de ea fusiùs actum est *suprà*.

17 *Corollarium.*

c *Ex hoc sequitur corollarium*, &c. Veritas huius corollarij sequitur ex dictis, & patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 2. *c.* 5. 6. & 8. in quibus explicat naturam huius Sacramenti per subordinationem, quam hîc assignat Doctor, & iuxta naturam iudicij, & processus iudicialis.

18 *An verba requirantur ad formam. Sententia negatiua aliorum.*

d *Ex hoc patet ratio quare non est necesse ita præcisa verba*, &c. Hîc supponit Doctor verba propriè dicta necessaria esse ad hoc Sacramentum eiúsque formam. Partem negatiuam tuentur Medina *C. de pœnitentia tract.* 2. *q.* 15. Petrus de Soto *lect.* 11. *de confessione*: & probatur, quia Sacramentum institutum est per modum iudicij; sed sententia in iudicio potest scripto dari: ergo, &c. Secundò, non magis requirunt Concilia verba propriè dicta ad absolutionē, quàm ad confessionem; sed confessio scripta valet: ergo, & absolutio. Tertiò, regulæ generales Conciliorum non comprehendunt casus particulares, sed modum regularem ministrandi Sacramenti: ergo, &c.

Contraria sententia est communis.

Conclusio tamen Doctoris tenenda est, quæ est communis Theologorum. Aliqui eam probant ex Tridentino, & Florentino, quæ hanc formam, *Ego te absoluo*, &c. dicunt esse Sacramenti: ergo supponunt non aliter posse absolui pœnitentem, quàm per verba. Sed responderi potest huic argumento ex fundamentis præmissis, nempe formando casum, si vnicus Sacerdos offerretur, & mutus; *An mutus in casu necessitatis absoluat?* pœnitens alioquin in necessitate constitutus in eo casu posset absolui per signa, quæ æquiualerent verbis, & id probari ex natura actus iudicialis, secundùm quam institutum est Sacramentum; & ex congruentia, quia ob necessitatem talem, congruum est Sacramentum sic fuisse institutum.

Cæterùm hæc solutio non videtur subsistens, quia vel regulariter etiam sine verbis absolueretur validè, vel certè in casu nequit absolui. Et probatur, quia vel institutio Sacramenti comprehendit casum, vel non comprehendit; sed primum nequit dici: quia nec praxis, neque vsus Ecclesiæ præstat fundamentum vllum talis interpretationis, quoad Sacramenti institutionem: neque consequenter reputaretur valida absolutio sic data. Quod probo sic, quia aliàs non prolatis formæ verbis sensibiliter valeret absolutio: quia signa exprimunt sufficienter intentionem Ministri, & naturam actus iudicialis: nemo autem docet, aut iudicat talem absolutum esse; aliàs nunquam forma verbalis haberet efficaciam respectu peccati, quia signa illa æquiualentia per prius ponuntur in *esse*, quàm proferatur integrè forma: ergo habent suum effectum antequam compleatur forma, nisi dicas intentionem Ministri esse alligatam formæ, ita vt non aliter velit absoluere pœnitentem: sed hoc non est necesse, vt ita Minister etiam regulariter concipiat intentionem: quia sufficit simpliciter vt concipiat intentionem absoluendi secundùm naturam, & institutionem Sacramenti, & quà est Minister Christi, & Ecclesiæ: si autem intentio absoluendi exteriùs sensibiliter significata quacumque ratione, est efficax ex natura Sacramenti, sequitur propositum, rarissimè scilicet eum absoluere per formam verbalem, cuius oppositum docent Concilia præfata.

19 *Reijcitur solutio præmissa.*

Requiri verba, nec sufficere signa.

20 *Secūda ratio. Reijcitur instantia allata.*

Secundò, instantia allata de Baptismo non facit ad propositum: quia & Ecclesia ita declarauit, & ita congruum fuit non ligare institutionem, & necessitatem illius Sacramenti sexui, aut professioni: quia quoad subiecta, quæ etiam comprehendit, vt infantes, & amentes, & eiusmodi, incapaces salutis per aliud medium, quàm per Baptismum, qui regulariter, & non solùm in casu ministrari debet prædictis, exigebat ita institutionem eius extendere ad quoscumque Ministros, non respiciendo sexum, aut fidem, aut bonitatem eorum. Sed in proposito non est declaratio Ecclesiæ, aut talis necessitas, quia pœnitentes habent aliud medium salutis, vt contritionem perfectam cum voto Sacramenti, & media, quibus eam impetrent à Deo cum remissione peccati: non ergo est necessitas talis, qualis est infantum quoad Baptismum, & ita etiam institutio huius Sacramenti, sicut alligata est certo Ministro: ita etiam modus perficiendi Sacramentum est limitatus, ita vt aliter nequeat validè perfici. Quem modum Ecclesia declarat, & praxis, & vsus.

21 *Soluuntur rationes prioris sententiæ.*

Nequit applicari huic Sacramento quicumque modus iudicij.

Ad rationes itaque in oppositum respondetur. Ad primam, concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam: quia hoc habet propriam rationem, & modum ex institutione diuersum: non ergo licet applicare eidem quodcumque argumentum, aut modum actus iudicialis, nisi subsit fundamentum ex vsu, doctrina, & interpretatione Ecclesiæ, quod non suppetit in proposito: nam iudicia, quæ lege humana, & potestate regulantur, possunt habere motiua própria ex bono publico, vt fraus, & dolus magis excludatur; vnde hæc, aut illa

illa limitatio, ampliatio, forma, solemnitas expediat, quia lege naturali non præscribuntur, aut etiam lege diuina: in hoc autem iudicio secreto congruit omnia fuisse præscripta ex diuina institutione, ac proinde ad certam formam absoluendi reum ligari Ministrum, per quam certiùs constat pœnitenti se manere absolutum, & hæc forma est verbalis, vt patet ex dictis.

22 *Ad secundum. Disparitas inter confessionē, & verba.* Ad secundum, negatur maior, & paritas inter confessionem & absolutionem, quantùm ad propositum casum: quia confessio requiritur ad informationem Iudicis, & regulariter quidem verbalis; in casu autem æquiualens prout status peccatoris permittit. Hanc interpretationem diuinæ institutionis habemus ex Canonibus, & praxi Ecclesiæ, vt suo loco mox videbitur: non ita verò extendendi similem modum ad absolutionem. *Confessio per signa valet.* Secundò, est & alia congruentia, quia confessio se habet ex parte materiæ, quæ non necessariò requirit tantam in significando limitationem, sicut & forma Sacramenti. *Casus ordinarius lege comprehenditur.* Tertiò, casus ille pœnitentis quoad confessionem per signa æquiualentia, est ordinarius, & frequenter currens: vnde congruebat diuinæ bonitati, & fini institutionis huius Sacramenti talem comprehendere, non ita casum de Sacerdote muto, qui est magis speculatiuus, quàm practicus. Vnde sumi potest argumentum ad oppositum: quia si pœnitens formare potest verba hîc, & nunc, & informare in specie confessarium, tenetur confiteri verbaliter, & integrè, secluso alio impedimento, quod frequenter accidere potest: sed ex parte Sacerdotis, quantùm ad ministerium Sacramenti per formam verbalem, nullum est regulare impedimentum: ergo tenetur.

23 *Ad tertium.* Ad tertium quamuis regulæ generales non comprehendunt casus particulares quandoque: tamen non patiuntur etiam exceptionem, nisi subsit fundamentum excipiendi: quod in proposito non suppetit, neque ex natura actus iudicialis, neque ex interpretatione, aut vsu Ecclesiæ; neque ex necessitate aliqua institutionis quæ comprehendi debuit: non enim omnis solemnitas lege humana inducta ad actum iudicialem trahi potest ad hoc Sacramentum: sed illa sola, quæ requiritur essentialiter ad actum iudicialem in genere, & quòd sit potestas, & scientia in iudice, quòd sit reus, & informatio, seu accusatio præuia ad sententiam; quòd sit etiam dolor de peccato, quæ pœna præscripta est, & ordinata pro congrua satisfactione à principali iudice, & legislatore independenter à voluntate commissarij, aut delegati inferioris, de qua cognoscere tantùm potest, tanquam de cautione lege præmittenda ad reconciliationem dandam, & soluendum reum. *Requisita ad iudicium pœnitentiale.*

Accedit præterea hoc iudicium esse sacramentale, in quo debet saluari communis modus institutionis Sacramenti nouæ legis in forma verbali, cui non derogat quòd sit in forma iudiciali institutum. *Excluditur instantia de matrimonio.* Neque valet instantia de matrimonio, quod contrahi potest sine verbis per sola signa æquiualentia, & exprimentia consensum mutuum, verbi gratiâ, inter mutos: quia matrimonium primum institutum est in forma contractus legitimi, ad quem talis modus contrahendi sufficit, cui non derogat quòd fuerit eleuatus ad naturam Sacramenti. Deinde iniri potuit, & potest inter mutos, vt dixi, qui nequeunt formare verba, cùm institutum sit ad propagationem naturæ, & generandos filios legitimè: ideóque comprehendit omnes ex natura sua capaces contractus, & obligationis mutuæ, quæ fit per ipsos contrahentes, ideóque non expediebat restringi ad verba: non ita pœnitentia.

Ex quibus patet oppositam sententiam in praxi saltem non esse tolerabilem: sed quid? esset condemnandus, qui ad Sacerdotem mutum recurreret in eo casu, eique confiteretur? Respondetur non esse condemnandum si causa confusionis sui, instructionis, & reuerentiæ potestatis, quam is habet absoluendi, licèt sit ligata ex defectu, id faciat, & ad excitandam in se maiorem confusionem de peccatis commissis, ac dolorem: quamuis putem ad effectum absolutionis, & sacramentalis confessionis recursum esse nullum: aut certè valdè dubium. Cæterùm, quia graues Theologi docent contrarium, in eo casu iudicarem tentandum esse quod fieri posset. Cætera committenda diuinæ misericordiæ: quia in causa salutis præstare expedit, quidquid fieri potest, & quamuis regulariter absolutio per signa non valet: tamen in eo casu præsumendum est de diuina misericordia: quæ facienti quod in se est, inclinatur: ita tamen approbandus esset talis recursus, vt etiam peccator conetur, quantùm potest, habere contritionem perfectam: quia medium certum pro incerta non est deserendum in vltima necessitate salutis. Sæpè etiam Theologi in similibus quoad necessitatem Baptismi, consulunt faciendum quod pro opportunitate, & necessitate baptizati fieri potest, cætera committendo diuinæ misericordiæ: vt patet in casu de infante moribundo in partu, quando aliqua pars principalis eius non apparet, baptizandam docent illam, quæ apparet qualiscumque sit: ita in iis quæ sunt salutis, secluso periculo erroris, etiam media incerta applicanda sunt diuinam misericordiam sollicitando, non derelinquenda. Sæpissimè enim fides obtinet, quod aliàs facultati subtrahitur, & Deus supra regulas ordinarias subuenit indigentibus. Cæterùm confessio ex integro iteranda esset habitâ copiâ alterius. 24 *Recursus ad Sacerdotem mutum licitus.* *In necessitate salutis dubia etiam remedia non sunt contemnenda.*

Sed quid, an ex illa confessione facta muto oriretur sigillum? Respondetur affirmatiuè: quamuis enim absolutio data fortè non esset valida: tamen non ex absolutione oritur sigillum, sed ex ipsa confessione facta, maximè ministro habenti potestatem, & qui cognouit de causa, & ex impedimento tantùm, nequit formare sententiam: vnde non in hoc sensu negaui *suprà* confessionem hanc esse sacramentalem? Sed quia non informaretur forma debita: confessio namque facta Sacerdoti etiam non habenti potestatem, vel non valenti absoluere, perinde inducit obligationem sigilli. 25 *Ex confessione facta muto oritur sigillum.*

e *Sufficit quòd exprimatur actus sententiæ absoluentis*, &c. Quidam apud S. Thom. *opusc.* 22. *cap.* 1. dicunt sufficere deprecatiuam formam, neque multum abhorrere D. Bonau. ab ea sen- 26

tentia *in d.18.1.p.d.art.2.q.1.* Alensem *4.p.q.21. membr.1.* censet Vasquez. S. Thomas autem *q.84. artic.3.ad 1.& 2.* dicit debere esse indicatiuam, non deprecatiuam.

Prima conclusio. Deprecatiuus modus non sufficit.

Prima conclusio. Modus deprecatiuus non sufficit ad hoc Sacramentum: probatur, quia si modus deprecatiuus sufficeret, iam sufficiens forma essent preces, quas præmittit Sacerdos ante absolutionem, *Misereatur tui*, &c. Trident. autem *sess.14.cap.3.* definit absolutionem consistere in illis Ministri verbis, *Absoluo te*, &c. præfatas autem preces non spectare ad essentiam formæ: ergo, &c. Obiicies, in Sacramento extremæ Vnctionis data est potestas remittendi peccata, cuius forma perficitur per modum deprecatiuum: ergo simile in proposito. Item, Apostoli habebant potestatem sanandi infirmos, & faciendi miracula, qua aliquando deprecatiuè, aliquando per modum imperij vtebantur, vt Act.3. *Surge, & ambula.* Respondent ad hoc quidam Thomistæ, in Sacramentis fuisse collatam potestatem Physicam, non ita Apostolis ad sanandum: sed hoc nihil est, quia non soluit argumentum de extrema Vnctione, quod est Sacramentum: neque doctrina illa vera est. Respondetur ergo traditionem Ecclesiæ sufficere ad interpretandam institutionem Christi: talis autem est efficacia, & forma signi practici sacramentalis, qualem Christus instituit; quia neque Ecclesia errare potest, neque Sacramentorum substãtiam mutare, vt supponit Trident. *sess.21. cap. 2.* & definit omnia à Christo instituta *sess. 7. can. 1.* de Sacramentis in genere: & simpliciter est de fide: quia iuxta Paulum, *Fundamentum aliud nemo ponere potest*, &c. quod sicut de fide ita de Sacramentis intelligendum est, quibus Christus merita suæ passionis applicuit.

27 *Secunda ratio. Forma debet exprimere potestatem iudiciariam.*

Secundò probatur ex præmissis: hoc Sacramentum est per modum iudicij, & tribunalis, quod exerceri debet per potestatem iudiciariam concessam Ministris, quæ supponit necessaria ad actum iudicialem, vt accusationem, & informationem rei, ac cognitionem integram causæ, in qua Sacerdos est arbiter inter Deum & peccatorem: & ideò definit Concilium absolutionem debere esse actum iudicialem, id est, per modum sententiæ datam: sed hoc repugnat fieri in forma deprecatiua, quæ non est manifestatio potestatis iudiciariæ deprecantis, sed postulatio & supplicatio: ergo, &c.

Ad confirmationem facit, quòd in Ministro huius Sacramenti debeat esse iurisdictio ordinaria, vel delegata quoad reum, vt definiunt Florent. & Trident. vnde sicut non omnis potestas conficiendi Sacramentum, aut conferendi effectum eius est iudiciaria, ideò non necessariò exerceri debet vniformiter, aut vna in forma alterius.

28 *Secunda conclusio. Non requiri vt sit indicatiua.*

Secunda conclusio: non est de necessitate huius formæ, vt sit indicatiua: sed sufficit quicumque modus exprimendi actum iudicialem, & exercitium potestatis remittendi peccata authoritatiuè: ita Doctor in litera, quem sequitur Gabriel *q.2.art.1.not.1.* Rosella, verb. *Absolutio.* Vasquez *3.part.quæst.84.art.3.dub.3.* Reprehendunt hanc sententiam, Sotus *d.14.art.3.q.1.* Caietan. *in Diuum Thomam:* sed nihil proferunt responsione dignum: nam quòd Tridentin. & Florent. definiant formam cõsistere in illis verbis, *Ego te absoluo*, &c. id intelligendum est quantùm ad sufficientiam, non autem indiuisibiliter tanquam si æquiualens non sufficeret, vt *remittantur tibi peccata*, &c. *absolueris, impendo tibi Sacramentum absolutionis*, quas formas ipsi aduersarij admittunt æquiualentes: quare ergo à simili aliæ formæ non essent æquiualentes, quæ sufficiunt ad actum iudicialem exprimendum, & perficiendum, prout à iudice in reum fertur sententia, vt, *iubeo te absolutum*, &c. *do tibi reconciliationem, placet te esse absolutum, vade liber, & in pace; dimittantur tibi peccata.*

Probatur itaque conclusio ex dictis: quia neque ex doctrina tradita de hoc Sacramento, neque aliunde colligi potest quidquam ad ipsum requiri, nisi quod sufficit ad actum iudicialem, & formam iudicij in foro secreto; vnde rectè Doctor loco citato, asserit doctrinam de Sacramento pœnitentiæ subordinari doctrinæ de iudiciis, & sententiis: & Tridentinum argumẽto petito ex eadem doctrina probat differentiam Baptismi, & Pœnitentiæ, necessitatem confessionis, formámque absolutionis esse actum iudicialem. Quòd verò petatur retractatio peccati, seu dispositio in reo, non variat formam iudicij: quia talis requiritur in genere ad remissionem peccati personalis, etiam in Baptismo, & in aliis Sacramentis, quæ per accidens faciunt de attrito contritum: vel quando etiam extra Sacramentum fit remissio per charitatem, aut contritionem perfectam: iuxta illud Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*; & declarat Trident. *sess.6. cap. 5.* exordium iustificationis esse ab ea vocatione, qua peccatores nullis eorum existentibus meritis ad conuertendum se vocantur: quod vniuersaliter verum est sine pœnitentia, siue in alio Sacramento, siue extra omne Sacramentum fiat iustificatio: talis ergo vocatio, seu præparatio, non est speciale quid sacramento pœnitentiæ proprium: vnde idem Trident. *sess.14.cap.1.* dicit pœnitentiam ad impetrandam peccatorum veniam fuisse quouis tempore necessariam: reliqua autem, quæ includuntur, spectant ad tribunal pœnitentiæ tanquam omnino propria. 29 *Probatio conclusionis.*

Hinc ergo sic argumentor: argumentum à forma iudicij sumptum valet in foro pœnitentiæ, vel non? si primum: ergo modus exercendi formam iudicialem verbis expressus, quicumque sufficit. Patet consequentia, quia per illum exercetur sufficienter potestas iudiciaria in quantùm requiritur ex parte iudicis, ex parte Ecclesiæ, ex parte rei: ex parte iudicis, quia sufficienter exprimitur sententia, & voluntas definitiua eius per talem formam: ex parte rei, quia ligatur, vel absoluitur sufficienter: ex parte Ecclesiæ, quia aliud non postulat: vnde qui dicunt hanc formam non esse declaratiuam, vel Sacerdotes Euangelicos non declarare, sed iudicare ligatum, vel absolutum reum, non videntur rationabiliter repugnare prædictæ conclusioni. Si autem dicatur alterum, quod superiùs assumptum est; nempe non valere argumentum à forma iudicij sumptum in hoc foro, condemnat hũc processum doctrinalem Tridentinum, tam de absolutione, quàm de confessione, Ministro, & satisfactione: ipsis ergo incumbit ostendendum ex qua ratione 30

peculiari

peculiari huius Sacramenti repugnet proposita conclusio institutioni Christi.

31 f *Communiter tamen ista verba sunt apta:* Ego te absoluo: *quæcumque alia præmittantur, vel consequantur*, &c.

Forma sufficiens. Hîc tradit formam, quæ est in vsu Ecclesiæ Latinæ, indicans perfici formam essentialiter in illis: *Ego te absoluo.* *Sentẽtia Paludani, de verbis essentialibus formæ.* Paludanus *in* 4. *d.* 22. *quæst.* 3. docet illa verba *à peccatis* esse de essentia formæ: & probari potest ex Florentino: dum enim assignat formam huius Sacramenti, dicit; *Ego te absoluo, & cætera*, esse formam: cùm ergo addatur, *& cætera*, insinuatur sequentia, quoad aliqua saltem, esse de essentia formæ. Idem habet Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *Sentẽtia Durandi.* Durandus *in* 4. *d.* 22. dicit debere exprimi in forma antè, vel pòst authoritas principalis absoluentis, per inuocationem Trinitatis, sicut in Baptismo; in Baptismo autem id pertinet ad essentiam formæ: ergo & in pœnitentia à paritate. *Tertia sententia.* Tertiò, quidam apud Vasquez dicunt dicta verba *à peccatis* spectare ad substantiam tantùm, non verò ad essentiam formæ. Ratio est, quia per talia determinatur sensus essentialis formæ: qui immutari potest à Ministro per additionem alicuius particulæ repugnantis: ipse autem *Sentẽtia Vasquez.* Vasquez asserit *dub.* 4. quando eiusmodi verba adduntur, esse de essentia formæ: quando autem subtrahuntur, manere formam sufficientem.

32 *Sentẽtia Doctoris probatur.* Conclusio Doctoris tenenda, ad veritatem huius formæ sufficiunt illa verba, *te absoluo*, &c. quam tenet Vasquez, Syluest. Caiet. verb. *Absoluo* in Summa. Sot. *loco citato in præcedenti quæstione d.* 14. *quæst.* 1. *art.* 3. Ratio patet ex præcedentibus. Sufficiunt verba ad hanc formam, quæ faciunt ad actum iudicialem, seu ipsum exprimunt; talia sunt præfata: ergo, &c. *Responsio.* Dices absolutionem simpliciter his verbis, *Absoluo te*, prolatam esse indifferentem quoad materiam: quia non determinat hoc, aut illud vinculum, à quo cum proprietate absolui possit: ergo vt significet sacrmentalem, oportet alia addere. *Impugnatio.* Contrà, absolutio, aut verba eam exprimentia, ex natura materiæ subiectæ habent sufficientem determinationem: nam referenda sunt præcisè ad actus pœnitentis, quibus se accusat de peccatis, petens eorum remissionem, & in quæ *Replica.* habet Minister potestatem. Dices, quid si quis ab Episcopo, verbi gratiâ, petat remissionem peccatorum, & simul alterius vinculi, tunc verba illa, *Absoluo te*, &c. non magis significant *Soluitur.* vnum, quàm aliud? Respondetur verba illa ex natura fori, in quo proferuntur, intelligenda esse secundùm materiam illi foro subiectam, vt dictum est.

33 *Responsio ad argumẽta opposita sententia.* Ad rationes in oppositum. Ad primam respondetur, Concilia expressisse formam quoad essentialia, particulam *& cætera* insinuare reliqua verba, quæ ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ maioris expressionis gratiâ adduntur: verbum enim *absoluo* sufficienter exprimit personam Iudicis, potestatem eius, materiam circa quam, *te* personam rei: *à peccatis* ergo additur maioris expressionis gratiâ, sicut & inuocatio Trinitatis, quæ non est necessaria, vt communiter tenetur: quia non est requisitum ad actum iudicialem, vt quis exprimat causam, à qua participat authoritatem iudex, siue à se, siue ab alio in ipsa sententia lata. Aliud est de Baptismo, in quo profitemur fidem Trinitatis, & hac ratione vocatur à Patribus Sacramentum fidei.

Ad tertium similiter, si quid valeret, concluderet nulla verba, quæ transferri possunt ex adiectione in alium sensum, neque illa ipsa præscripta terminare formam: quia addi possunt ex intentione Ministri, verbi gratiâ, *à peccatis futuris*, & eiusmodi. *Ad tertiam rationem.*

Vltimò tandem, neque sententia Vasquez cohæret: quia tanquam superfluum, rescindimus ab essentia, omne illud, sine quo potest stare: neque refert quòd particula *à peccatis*, nihil extraneum addat formæ, quoad significatum, quia extraneum est quoad necessitatem: sicut in consecratione calicis verba, quæ sequuntur hanc formam, *Hic est enim calix sanguinis mei*, &c. quamuis determinent eundem sanguinem, superflua sunt: neque spectant ad formam, vt communis tenet: si ergo formalis expressio peccatorum, seu materiæ pœnitentiæ non requiritur in forma, superflua erit. Simile exemplum adhiberi posset in forma corporis: *Hoc est corpus meum*, &c. *quod pro vobis tradetur, quod traxi ex virgine, quod in cruce futurum est*, &c. quamuis enim verba non distrahunt formam à proprio sensu, superflua sunt. 34 *Sentẽtia Vasquez.*

Petes, an possit absolutio dari sub conditione? Ratio dubitandi, quia Sacerdos possit dubitare de aliquibus per se necessariis ad Sacramentum, vt de dispositione rei, de proposito emendationis, si habet vsum rationis, si soluerit debita, &c. ergo potest sub conditione horum, aut alicuius dare absolutionem. Patet consequentia: quia neque hoc est contra specialem finem, aut institutionem huius Sacramenti, & aliquando Baptismus sub conditione datur. Deinde, quæcumque dictorum absolutè cognosceret, posset, & deberet negare simpliciter absolutionem: ergo sub dubio debet conditionem adhibere, vel potest. 35 *Dubiũ de absolutione sub conditione.*

Dico primò, si conditio est de præsenti, aut præterito subsistens, non tollit efficaciam formæ. ita communiter authores Caietan. *in summa.* Rosella, verb. *Absolutio.* Armilla, Henricus *quodlib.* 1. *quæst.* 30. *&* 31. Vasquez *artic.* 3. *dub.* 5. Si autem non subsistat, tollit efficaciam formæ. Ratio est, quia talis conditio non suspendit actum, ad quem voluntas absoluendi, & dispositio ex parte rei necessaria, concurrunt, nisi inquantùm ab ea dependet intentio absoluentis conditionata: sed positâ veritate conditionis talis intentio absoluta est, & efficax: ergo. *Conditio de præsenti, & præterito subsistens non irritat.* *Ratio.*

Dico secundò, conditio de futuro suspendit effectum Sacramenti: ita communiter præfati. Rationem eius variè assignant: sed hæc præcipua videtur, nempe dependentia Sacramenti ab intentione ministri, vt definit Trident. & Florent. quæ intentio debet ipsum constituere, vt causam ministerialem sufficienter applicatam ad actionem sacramentalem: ac debet esse simpliciter absoluta, vel si dependens à conditione, fit absoluta, quando perficitur, seu adimpletur conditio: ergo, &c. Sed conditio de futuro non adimpletur de præsenti, neque pro tempore adimpletæ conditionis adest materia, & forma Sacramenti, aut ipse minister, aut reus necessariò: ergo neque tunc potest dari effectus Sacramenti. 36

Aduertendum est aliud esse absolutionē pendere à conditione futura, donec euenerit, & aliud esse dependere à veritate eius: quia hæc potest esse pro præsenti, verbi gratia, *iudicium, aut Antichristus erit*, nunc est vera; vnde si absolutio dependeat à conditione, suspenditur donec conditio euenerit; vt si dicatur: *Absoluo te, quando Antichristus veniet, aut pro illo tempore, quo erit*, est inualida; sicut & hæc: *Absoluo te, quando solues, & sub conditione vt soluas in reipsa debitum.* Tamen si dependeat absolutio solùm à veritate conditionis, quæ est de præsenti in determinatione certa, & infallibili causarum, valet absolutio; vt si dicat: *Absoluo te, si Antichristus erit:* quia in hoc casu non dependet à conditione, vt futura est, sed à veritate eius, quæ est ipsi certa, & pro præsenti: debet tamen ipsi esse vera, vt determinatè intendat. Ad rationem dubitandi respondet prima conclusio, neque expedit conditiones de præsenti, & præterito adiicere Sacramento huic, sed potiùs differenda est absolutio in dubio, nisi incommodum aliquod graue subsit.

37 Petes secundò, Vtrùm absolui possit absens, seu per literas, seu viua voce? Paludanus *in* 4. *d.*17.*quæst.*2. tenet partem affirmatiuam. Anton. 3.*p.tit.*17.*c.*12. *&* 21. asserit in Concilio Basiliensi determinatum fuisse à pluribus Doctoribus per absentem absolui posse. Petrus de Soto *lect.* 11. *de confessione*, vbi docet plurimos sui Ordinis eandem sententiam tenere. Ioan. de Medina *C. de pœnitentia tract.* 2. *quæst.*15. tuetur probabile, & alij, quando aliter non potest adiri Sacerdos. Quam sententiam damnauit Clemens VIII. *vt falsam, temerariam, scandalosam, & sub pœna excommunicationis prohibuit ne quis eam vt probabilem publicè, aut priuatim ampliùs doceat.*

38 *Conclusio. Non posse absolui absentem.* Conclusio est negatiua, quam deinceps tradiderunt Doctores. Probatur ex illa Decretali, & hac ratione: quia absens nequit cognoscere statum rei sufficienter per literas, qui variari potest, & peccare, post eas scriptas: ergo nequit absolui ab ipso. Deinde inter materiam, & formam Sacramentorum requiritur vt plurimùm præsentia: neque argumentum, quod sumi potest à forma iudicij, hîc valet: quia licèt in aliis absoluatur absens, hîc non ita. Tertiò, tandem hoc forum ordinariè est secretum; talis modus ministrandi Sacramentum non est secretus: ergo, &c. Licèt enim cum licentia rei liceat quandoque, vt quidam docent, reuelare aliquid huius fori; non tamen hoc licet nisi in casu: & licèt absolui possit confitens publicè, tamen non licet, quæ occulta sunt, publicè confiteri: de quo infrà dist. 17. agetur.

Petes tertiò, quantùm ad ritum absoluendi, vtrùm requiratur manus impositio? videtur quòd sic: quia Patres hoc Sacramentum designant per manus impositionem Sacerdotum, vt Augustinus, & refertur *in* 1.*q.*1. *can. Manus.* Carthag. III. eiusdem meminit *cap.* 32. & refertur *cap. Presbyter.* Nicenum *can.*9. Cyprianus *epist.* 10. 71. *&* 74. & Apostoli per manus impositionem dabant Spiritum sanctum, *Act.* 8. VViclefus irridet hanc manuum impositionem, vt est apud VValdensem *cap.* 147. *De ritu absoluendi.*

Conclusio, *hæc cæremonia non est de necessitate huius Sacramenti:* est communis omnium, & patet ex praxi, quia nunc aboleuit illa compositio penè vbique. Fiebat antiquitus, maximè in confessione in atrio Ecclesiæ. Rationes in oppositum demonstrant ritum antiquum conferendi Sacramenti, qui nunc aboleuit: sicut & multi alij similes pro tempore omittuntur. Ecclesia autem habet potestatem variandi ritus, vt definit Trident. *sess.*7.*can.*13.*de Sacram. in genere*, & *sess.*21.*cap.*3. Fundatur hæc cæremonia in alia veteris legis Leuit. 16. qua Sacerdos confitens peccata populi mittebat manum super capite hirci emissarij, qui fuit symbolum peccatoris pœnitentis. Significatio autem cæremoniæ in eo consistit, vt significetur potestas ministerialis Sacerdotis ad remittenda peccata; per manum enim designatur operatio. 39 *Manus impositio non est de necessitate Sacramenti. Vsus eius antiquus.* *Significatio eius.*

Congruit etiam, &c. Ex dictis *quæst.*1.*&* 2. patet requiri displicentiam peccati in pœnitente: quod & definiunt Concilia. Idem etiam patet de intentione requisita ex parte Ministri: hæc ergo conclusio textus est de fide, quoad vtramque partem.

SCHOLIVM.

*De facto institutum esse Pœnitentiæ Sacramentum. Quod probat ex locis Matth. & Ioan. citatis in ratione ad oppositum, quæ etiam ad idem citat Trid. sess.*14.*cap.*6. *Docent etiam PP. Hieron. lib.*1.*contra Pelagian. Aug. epist.*180. *Chrysost. lib.*3.*de Sacerdotio. Ambros.*1. *de pœn. cap.*7. *vide Bellarm.*1.*de pœn. cap.*10. *Item solos Sacerdotes posse hoc Sacramentum dispensare, cap. Firmiter, de sum. Trinit. & Trident. supr. de quo Coccius & Bellarm. citati.*

5 TErtiò [g] dico, quòd hoc factum est. Cuius fundamentum accipitur ex auctoritatibus adductis ad oppositum, & quòd à Sacerdote solo possit dispensari, habetur *Extrà de summa Trinit. & fide Cathol. cap. firmiter.* Et congruum est, vt idem habeat potestatem super corpus Christi verum, & mysticum.

Quia posset nocere, licèt discretè facta prodesse posset. Et ex hoc sequitur corollarium, quòd nihil pertinens ad Sacramentum Pœnitentiæ, potest à laico dispensari, sicut nec confectio Eucharistiæ, & ideò confessio, quæ est dispositio præuia ad Sacramentum Pœnitentiæ, vt dicetur postea, facta laico, nihil valet virtute operis operati. Et adhuc dubium est, an sit in detrimentum salutis, quia illa reuelatio non potest esse confessionalis.

COMMEN

COMMENTARIVS.

40 *Sacramentũ institutum à Christo.*

g Tertiò dico, &c. Hoc Sacramentum institutum esse probat ex promissione à Christo facta Matthæi 16. & adimpleta. Ioann. 20. quibus addit vt in re fidei nota, & sine controuersia, definitionem Concilij Lateranensis cap. *Firmiter*.

Hæresis Nouatianorum. & aliorum.

Nouatiani antiqui hæretici videntur negare hoc Sacramentum ex Hieronymo *epistola ad Marcellam*, & Cypriano *libro 2. de pœnitentia c.9.* Variant huius temporis hæretici, nam quidam admittunt esse Sacramentum, sed lato modo sumptum: alij non esse distinctum à Baptismo. Videatur Bell. *lib. primo de pœnitentia cap. 9.* Fidem autem variis calumniis oppugnant, vt videre est apud eundem, in prioribus capitibus. Alij negabant potestatem absoluendi peccata in Ecclesia esse: vt Euchitæ, Massiliani, quos secutus est VVicleph. *apud VValden. lib. 2. cap.* 144. Lutherus etiã negauit efficaciam absolutionis, nisi crederetur à pœnitente se esse absolutum, siue seriò, siue loco Sacerdos formam proferret. Dependet hic error eius ab alio de iustificatione, quam statuit in sola fide, per quam occultantur peccata, non delentur. Præfatum errorem tribuunt Luthero noster Castro verb. *Absolutio.* Roffensis *art.* 10. 11. & 12. contra eundem eum sequitur Confessio Augustana, & Apologia Melancthonis, vt refert Ruardus *art.* 3. Alij etiam negabant confessionem. de quibus suo loco.

41 *Veritas fidei.*

Conclusio definitur in Constant. *art. nono.* Trident. & Florent. citatis. Probatur ex definitione sacramenti: quia est signum causans efficaciter gratiam, nam quòd sit signum sensibile, & Sacramentum, facilè admitterent hæretici: quia efficaciam Sacramentorum dicunt consistere in sola excitatione fidei, eiúsque rememoratione, quatenus hæc remittit peccata, vel certè occultet, vt dictum est: quod itaque remittat peccata, probatur Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo est in Ecclesia authoritas remittendi peccata: sed hoc exerceri debet per signum aliquod sensibile, per quod innotescat, si dimissa, si retenta sunt peccata: ergo tale erit Sacramentum.

Pœnitentiam remittere peccata.

Responsiones hæreticorum.

Respondent hæretici ex fundamento posito, hanc potestatem non distinctam esse à potestate annunciandi Euangelium, quo excitatur fides: sed hoc falsum esse probabitur, quia officium euangelizandi non est officium remittendi peccata, aut retinendi. Alij respondent non aliud esse Sacramentum, quàm ipsum Baptisma: nam qui excidit ex naui, nõ potest, neque debet aliam tabulam quærere, præter ipsam nauim. Baptisma est prima nauis, quæ semper manet infracta, indelebilis. Sed hoc facilè impugnatur ex Paulo ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel illuminati, postea lapsi sunt, renouari ad pœnitentiã*, &c.

Impugnatio.

Quem locum omnes Patres contra Nouatianos intelligunt de renouatione per Baptismum: nam communis Ecclesiæ, & Patrum sententia est, non posse peccata post Baptismum commissa per ipsum denuò remitti. Prætereà, aliàs quæreretur, si per Baptismum reuocatum in memoriam, vt ipsi fingunt, remitterentur peccata post ipsum commissa, quòd Christus non dedisset Apostolis potestatem in peccata baptizatorum retinenda, quia non possunt facere, quin ipsis occurrat in memoriam, si volunt baptizari, aut quin per talem excitent in se fidem eius ac remissionis peccatorum, aut facere, quin ipsi fuerint baptizati. Præterea Ecclesia, & Patres petunt pœnitentiam ad remissionem post Baptismum; sed talis excitatio nequit vocari pœnitentia, aut dolor de peccato. ergo.

Secundò probatur esse in Ministris Ecclesiæ potestatem absoluendi à peccatis ex Patribus: authore veræ & falsæ pœnitentiæ *cap.* 10. *tom.* 4. August. *tract.* 49. *in Ioan. c.* 11. *tom.* 8. *in Psal.* 101. *concione 2. tract.* 12. *cap.* 5. *lib.* 50. *hom.* 50. *tom.* 10. *de doctrina Christiana lib.* 1. *cap.* 27. *tom.* 3. Cyrillo Alexand. *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 56. Gregor. *hom.* 26. *in Euangelia.* Chrysostom. *hom.* 85. *in Ioan.* Ambrosio *lib.* 18. *de pœnitentia cap.* 2. & *lib.* 2. *cap.* 2. latè contra Nouatianos. Trid. & Florent. *locis citatis.* Videri potest Bellarm. & citati. Coccius *lib.* 7. *tom.* 2. & alij. 42 *Authoritas remittẽdi peccata probatur ex Patribus.*

Obiiciunt hæretici, Baptismus delet peccatum & semper manet: ergo non fuit instituendum aliud Sacramentum remissionis peccati. Respondetur neque antecedens concedi ab ipsis Hæreticis: quia in peccatore non manet secundùm essentiam suam, quæ consistit in actu transeunte; neque causat gratiam secundùm ipsos, ratione cuius maneret, neque habitum aliquem fidei, aut alterius virtutis, neque characterem: quæ omnia ab ipsis negantur. Respondetur ergo delere Baptismum peccata præterita, non futura, sicut neque alia Sacramenta delent quę nondum incursa sunt: non manet Baptismus quoad gratiam in peccante, licèt maneat quoad characterem, qui non delet peccatum subsequens. 43 *Obiectio hæreticorum. Soluitur.* *Baptismus nõ delet peccata post ipsũ commissa.*

Obiiciunt tertiò, eandem potestatem remittendi peccata dedit Christus Apostolis, Ioan. 20. & Marci, ac Matthæi *vlt.* sed hic dedit potestatem mediante institutione Baptismi: ergo. Respondetur negando maiorem, vt patet ex contextu, & communi Patrum, & Ecclesiæ definitione. 44 *Secunda obiectio. Soluitur.*

Obiicies tertiò, quia Baptismus Ioannis erat Baptismus pœnitentiæ. Similiter Patres Baptismum Christi vocant aliquando pœnitentiæ: ergo non differunt. Respondetur negando consequentiam, in primis Baptismus dicitur pœnitentiæ: quia ipse præiuit ante Dominum parare vias eius, & prædicans pœnitentiam; in aqua autem baptizabat, non in Spiritu sancto, iuxta illud: *Ioannes quidem baptizauit aqua*, &c. Baptismus Christi aliquando à Patribus dicitur pœnitentia, ratione dispositionis prærequisitæ in adultis, qui mortaliter peccauerunt. *Tertia obiectio. Soluitur.*

Et ex hoc sequitur corollarium, &c. De hoc *infrà distinct.* 17. agetur. veritas patet ex dictis.

SCHOLIVM.

Sententia Magistri, Sacerdotem non tollere culpam per absolutionem. Hanc reiicit Doctor, quia sic pœnitentia non esset secunda tabula, contra Patres. Resoluit ergo contritionem perfectam ante realem absolutionem, tollere culpam, si tamen dolor non sit perfectus, seu (vt loquitur Scot.) meritum de congruo remissionis, requiritur realis absolutio, & sic est duplex via salutis pro adultis quoad remissionem peccatorum. Ita Trid. sess. 14. cap. 4. 6. & can. 3. & sess. 13. cap. 7. & PP. quos citat Bellarm. 2. de pœn. cap. 13. & Coccius sup.

6 QVantùm [h] ad tertium articulum videtur esse opinio Magistri distinct. 18. cap. 6. *In soluendis culpis*, inquit, *& retinendis, ita operatur Sacerdos Euangelicus, & indicat, sicut olim legalis in illis, qui erant contaminati leprâ, qua peccatum significat*: & probatur per illud Hieronymi, quod iam adductum est.

Sed istud videtur nimis derogare Sacramento Pœnitentiæ. Nam secundùm hoc, per Sacramentum Pœnitentiæ nunquam deleretur peccatum, sed necesse esset priùs deleri per contritionem, ad hoc, quòd dignè susciperetur Sacramentum pœnitentiæ: quia nullus dignè ostenditur mundus à peccato, nisi priùs sit immunis ab eo. Et sequeretur vlteriùs inconueniens, quòd nunquam Sacramentum Pœnitentiæ posset esse secunda tabula, quia nunquam liberaret naufragum à periculo submersionis.

Opinio Alens. quam tenet Doctor.

Dicitur [i] ergo, quòd ita Deus requirit dispositionem de congruo, ad hoc, vt peccatori conferat gratiam per Sacramentum: & hoc non, quòd alliget potentiam suam Sacramentis, quin tamen sine dispositione illa præuia, & congrua, quæ sufficeret, conferat per Sacramentum gratiam, & hæc est maioris misericordiæ, scilicet duplicem viam instituere, per quam iustificetur peccator, quàm ipsum ad vnam viam arctare. Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici via: vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Baptismi; ita & in proposito.

7 *Sine fictione, id est, sine peccato mortali. ex d. 4. q. 5. num. 2.*

Hoc declaratur sic, quia ad primam susceptionem gratiæ requiritur aliquis motus meritorius de congruo: ad secundam autem non requiritur, nisi voluntaria susceptio Baptismi, & sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis; ita quòd in primo requiritur aliquod opus intrinsecum aliquo modo acceptum tanquam meritum de congruo: in secundo solùm requiritur opus exterius, cum amotione interioris impedimenti.

Quarit attritionem vt absolutio teneat, quicquid alij fingant.

Peccatum post Baptismũ commissum dupliciter remittitur, per Sacramẽtũ, & sine eo.

Non solùm ergo attritus per aliquod tempus vsque ad certum instans, in vltimo instanti recipit gratiam delentem peccatum, tanquam per virtutem meriti de congruo, vt declaratum est in solutione præcedente: sed non habens talem actum, qui sufficiat ad meritum de congruo, sed tantùm habens voluntatem suscipiendi Sacramentum Ecclesiæ, & sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto, vel in voluntate inhærentis, recipit non ex merito, sed ex pacto diuino, effectum istius Sacramenti; vt sic parum attritus, etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati: volens tamen recipere Sacramentum Pœnitentiæ, sicut dispensatur in Ecclesia, & sine obice in voluntate peccati mortalis in actu in vltimo instanti illius prolationis verborum, in quo scilicet est vis Sacramenti istius, recipiat effectum Sacramenti, scilicet gratiam pœnitentialem: non quidem ex merito, quia dispositio interior non erat sufficiens per modum meriti: sed ex pacto Dei assistentis Sacramento suo ad effectum illum, ad quem instituit Sacramentum, alioquin non appareret quomodo Sacramentum Pœnitentiæ esset secunda tabula, si nunquam per ipsum, vt Sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantùm per attritionem tanquam per præuiam dispositionem, & per contritionem tanquam per dispositionem completiuam.

8 *An pœnitẽtia sit Sacramentum.*

Si quæras, an Pœnitentia sit Sacramentum? Respondeo, vis fit in vocabulo, si *pœnitentia* accipiatur vt in duabus quæstionibus præcedentibus, scilicet pro actuali pœnæ tenentia, secundùm quamcunque illarum significationum: vel etiam pro habituali tenentia, quæ est virtus quædam specialis, cuius actus est tenentia actualis. Iuxta primam significationem non est pœnitentia Sacramentum: quia non est signum sensibile, sed istis modis posset dici Sacramentum Pœnitentiæ, intelligendo constructionem transitiuam, non autem intransitiuam, sicut hîc, creatura salis, nisi hîc æquiuocetur nomen *pœnitentia*.

Ad

Ad primum argumentum, concedo iuxta illas auctoritates Psalm. Augustini, & Cassiodori, quòd frequenter dimittitur peccatum per aliquem motum * attritionis tanquam per meritum de congruo, ante susceptionem Sacramenti pœnitentiæ: sicut in adulto frequenter dimittitur originale ante susceptionem Baptismi. Nec tamen sequitur quòd per Sacramentum non dimittatur, quia si illa alia dimissio quandoque non adsit, ista non deficit: & illa minus requirit, scilicet intentionem suscipiendi Baptismum, siue Sacramentum Pœnitentiæ sine obice contra effectum eius. 9

Ad arg. 1. Id est per cõtritionem perfectam, quia sæpe pro eodem sumit contritionẽ, & attritionem. Cũ attritione tamen imperfecta, vt dictũ est num. 7.

Ad secundum dico, quòd duplex est confessio, laudis, & fraudis. Confessione laudis nullus dignè confitetur, nisi priùs suscitatus: quia secundùm Hieronymum *in illa epistola*, Cogitis me, *Non est speciosa laus in ore peccatoris:* sed confessio fraudis accepta est Deo in ore peccatoris, hoc est, eius qui adhuc est peccator, eo modo quo expositum est *in prima quæst. istius distinct.* peccatum manere post actum; dum tamen non sit peccator in voto, seu actu interiore, vel exteriore.

Cõfessio duplex, laudis & fraudis.

Concedo ergo quòd ante perceptionem dignam Pœnitentiæ, oportet suscitari, vel simpliciter; & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur: vel suscitari secundùm *quid*, scilicet, vt habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cauendi de cætero, & velit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio, & tunc suscitatur simpliciter per Sacramentum: & quidem est necessarium, vt dicetur *distinct.* 17. sicut etiam dictum est *suprà*, quòd iustificato per Baptismum flaminis, necessarius est Baptismus fluminis.

Requiri attritionẽ imperfectã cũ absolution: Distinct. 4. qu. 7.

Cùm obiicitur de Lazaro, qui priùs fuit suscitatus, quàm solutus à vinculis. Respondeo, reus obligatur debito pœnæ æternæ, quo vinculo soluto obligandus est ad pœnam temporalem. Priùs autem suscitatur, quàm obligatio prima mutetur in secundam: vel, quod verius est, priùs suscitatur, quàm soluatur à secunda obligatione. Et hoc modo ad Sacerdotes pertinet soluere, non simpliciter, sed pro parte pœnæ, quam possunt relaxare virtute clauium, de qua inferiùs dicetur: & sic Lazarus viuificatus à Christo, id est, peccator à morte culpæ per gratiam resuscitatus, & solutus à carcere sepulchri, id est, peccator solutus à debito pœnæ inferni, relinquitur discipulis soluendus ab institis, id est, à pœnis temporalibus, in quas commutatur pœna æterna, quas pœnas temporales potest Sacerdos relaxare, vel intendere, claue non errante. 10

Dist. 18. & 19.

Ad[1] vltimum concedo, quòd Sacerdos ita dimittit peccatum in Pœnitentia, sicut in Baptismo, & ita absoluit sicut baptizat: quia vtrobique simpliciter verum est quòd ministrat Sacramentum: effectum autem Sacramenti ministerialiter causat, quia aliquid causat, ad quod secundùm dispositionem, seu pactionem Dei, regulariter sequitur effectus Sacramenti. 11

Ad illud Hieronymi respondeo, affirmatiua illa vera est, scilicet, quòd sicut Sacerdos legalis ostendebat leprosos mundatos, sic Sacerdos Euangelicus ostendit peccatores iustificatos; sed negatiua, scilicet, quòd non aliter Sacerdos Euangelicus se habeat ad leprosos spiritualiter, quàm Sacerdos legalis ad leprosos corporaliter, scilicet præcisè ostendendo munditiam hinc inde, falsa est. Et ratio est, quia non dedit Deus in veteri lege aliquam ceremoniam, vel purificationem, cui ministratæ à ministro idoneo assistat regulariter ad mundandum lepram corporalem: dedit autem in lege noua aliquod Sacramentum, cui ex pacto regulariter assistit ad mundandum spiritualiter, nisi impediat obex contrariæ voluntatis.

Et intendit Hier. quòd neuter propriis viribus mũdat, sed quòd mundatio virtute Dei fit, & sic nõ est quòd superbiat Sacerdos.

COMMENTARIVS.

45 *Sẽtẽtia Magistri.*

h QVantùm ad tertium articulum, &c. Hîc declarat, & impugnat opinionem Magistri *infrà dist.* 18. 1. *part. dist. cap.* 6. Quem plures alij in hoc sunt sequuti. D. Bonauentura *ibidem art.* 2. *quæst.* 1. Gab. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 1. Mars. *in* 4. *quæst.* 12. *art.* 2. Ocham *quæst.* 9. *in responsf. ad primam quæst.* quæ est *art.* 4. *ad primum Scoti.* Altisiod. 4. *lib. sum. tract.* 6. *cap.* 8. *qu.* 1. & 2. Alensis 4. *part. sum. q.* 21. *art.* 1. Abulensis *in defensorio* 1. *part. cap.* 6. Hi omnes, quamuis concedant efficaciam aliquam clauibus, in quo distinguuntur ab hæreticis, illam negant respectu culpæ, & pœnæ æternæ, sed tantùm respectu pœnæ temporalis, quam laxare, vel retinere possunt Ministri: culpam autem, & pœnam ipsi correspondentem, quæ est æterna, ostendunt remissam, sicut Sacerdotes leuitici non mundabant ipsi lepram, sed supponebant mundatum, ipsi verò ostendebant mundatum, & curatum.

46 *Vera sententia de potestate clauium.*

Oppositum huius tenet Doctor in littera, & *infrà dist.* 18. *qu.* 1. idem docet D. Thomas *qu.* 84. *art.* 5. & omnes, qui admittunt cum sola attritione sufficere Sacramentum ad deletionem peccati,

cati, & est iam de fide, maximè post Tridentinum, & Floret. Hanc probat Doctor, quia aliàs, si necessaria esset contritio perfecta ante susceptionem Sacramenti, quæ iustificat à peccatis, sequitur quòd peccatum nunquam dimitteretur virtute clauium, & quòd pœnitentia non esset secunda post naufragium tabula. Prima enim tabula est Baptismus. 1. Petri 3. *Quod & vos similis formæ saluos fecit Baptisma*, &c. de quo videri potest Origenes *hom.2. in 6. Gen.* August. *lib. 12. contra Faustum cap.* 14. 15. 38. & 39. & *lib. 19. cap. 12.* Gregorius *hom. 12. in Ezechielem.* Hieronymus 1. *contra Iouinianum Epistola* 57. & *in dialogis contra Luciferianos*. Sic etiam eadem Metaphora Pœnitentia dicta est à Patribus secunda post naufragium tabula, ad quam deperdita iustitia fidelis baptizatus recurrit saluandus: vt Trident. *sess.6. cap.* 14. adstruit. Tribuitur Hieronymo tanquam primo authori *dist.* 1. *de pen. can.* 2. qui desumptus est ex epistola eius ad Demetriadem. Eadem vtitur *in Epistola ad Sabinianum*, & *lib. 2. super Isaiam in cap.* 2. Antiquior tamen Tertullianus eadem vtitur *in lib. de pœnitentia*. Proprietas metaphoræ facilè colligi potest: nam Baptismus est prima tabula, seu ipsa nauis, qua primum naufragium euitatur, & ideò comparatur arcæ Noë 1. *Petri* 3. Quidam ergo secundùm varias naufragantium, & nostrarum passionum proprietates quærunt rationem translationis, seu metaphoræ, comparantes pœnitentiam scaphæ, qua fracta naui quis saluatur; alij tabulæ, quæ ex fracta naui decidit. Sed hoc non multum refert, sufficit contra nouatores, pœnitentiam rectè vocari à Patribus secundam tabulam: & metaphoræ rationem posse reduci ad ea, quæ Petrus loco citato de Baptismo asserit per comparationem eius ad arcam, qua saluatus est Noë in diluuio vniuersali.

Clauis extendi ad culpam & pœnã æternam.

Baptismus 1. tabula.

Pœnitentia secunda tabula.

Ratio metaphoræ.

47 Secundò, probatur, seu confirmatur ratio Doctoris ex Florentino, asserente effectum huius Sacramenti esse absolutionem animæ à peccato. Dices intelligi quoad pœnam, vel declarando mundatam animam. Contrà, in superioribus explicans in genere efficaciam Sacramentorum, dicit ea differre à Sacramentis veteris legis: quia causant quod significant: *quorum quinque prima*, inquit, *ad spiritualem vni cuiusque hominis in seipso perfectionem, duo vltima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt*, &c. Per spiritualem autem perfectionem intelligit gratiam: de pœnitentia autem speciatim loquens ait, *quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur*, &c. Ægritudo autem animæ non est alia, nisi peccatum: ergo sanitas, quam affert Sacramentum, est absolutio ab eo peccato per gratiam, quam confert. Sicut idem de Baptismo præmisit, per illum spiritualiter hominem renasci: ergo & sanari spiritualiter ex intento Concilij est dare gratiã, qua tollitur peccatum originale, aut actuale post Baptismum commissum virtute Sacramenti. Si datur virtute Sacramenti talis gratia: ergo per Ministrum: ergo mediante absolutione, quæ est forma Sacramenti.

Secunda ratio.

Responsio impugnatur

Differentia Sacramẽtorũ ex fine.

Sanitas spiritualis quid denotat.

48 Probatur eadem veritas ex Trident. in primis *sess.7. can.6.7.* & 8. definitur per Sacramenta nouæ legis causare gratiam sanctificantem in suscipientibus. Sed causans gratiam tollit peccatum: ergo. & *can.6.* specialiter damnantur asserentes Sacramenta esse tantùm signa externa gratiæ acceptæ, non eam ipsam conferre: sed si in Sacramento pœnitentiæ monstraret Minister iam absolutum, & non absolueret, absolutio esset signum tantùm externum significans gratiam collatam, & non eam conferret, quod videtur damnatum. Sed hanc difficultatem euaderet asserens pœnitentiam causare remissionem peccati mediante contritione, quam supponit absolutio. Sed contrà. Vis præcipua Sacramenti, vt ex Tridentino *suprà* citato constat, est in absolutione; hæc saltem efficaciùs significat effectum Sacramenti, quàm aliud. Præterea, de fide est contritionem imperfectam non sufficere ad sanctificandum hominem, licèt sufficienter disponat accedente Sacramento: vt definit Trident. *sess.14. cap.* 4. & *can.* 5. ergo tunc absolutio non potest demonstrare absolutum à culpa, aut pœna æterna, sed verè absoluit, aut nihil fit. Item *sess. 6. cap.* 14. definit peccantes post Baptismum iustificationem recuperare posse per pœnitentiæ Sacramentum: vbi particula *per* dicit notam causalitatis, & efficaciæ, vbi vocat pœnitentiam *secundam post naufragium tabulam, lapsi reparationem*, & *ibidem* asserens satisfactionem non imponi pro æterna pœna debita peccato, *quæ quidem*, inquit, *vel Sacramento, vel Sacramenti voto, vnà cum culpa remittitur*, &c.

Trident.

Sacramenta causant gratiam, quam significant.

Responsio

Impugnatio.

Attritionis inefficacia.

Pœna æterna per Sacramẽtum remittitur.

49 Sess. autem 14. cap. 1. *Dominus*, inquit, *Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflauit in discipulos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam vniuersorum Patrum cõsensus semper intellexit*, &c. Quis ergo dicat per peccatum hìc aliud intelligi, quàm culpam, seu lapsum; aliàs certè Conc. nimis æquiuocè procederet, doctrinando quod est absurdum. Vnde *cap.* 2. dicit necessariò debere sisti huic tribunali, in quo Minister est Iudex, peccantes post Baptismum tanquam reos, vt *per Sacerdotum*, inquit, *sententiam non semel, sed quoties ab admissis ad ipsum pœnitentes confugerint, possint liberari*, &c. à quo? nempe à peccato cuius sunt rei. Vnde infrà cap. 6. *Quamuis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficij sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à Iudice sententia pronunciatur*: atque *adeò non debet pœnitens sibi de sua ipsius fide blandiri, vt etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absoluendi, putet tamen*, &c. *se verè & coram Deo esse absolutum*, &c. Quæ verba clarissima sunt, & demõstrant Concilium nomine peccatorum, à quibus absoluit Sacerdos, non intelligere pœnam temporalem. Quod confirmari potest ex *cap.* 5. vbi ostendit necessitatem confessionis. *Dominus noster Iesus Christus*, &c. *Sacerdotes sui vicarios reliquit tanquam Præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur*, &c. *Quo pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient*, &c. Et *infrà* ostendens integritatem cõfessionis peccatorum mortalium necessariam esse, addit: *Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt*, &c. Ergo diuina bonitas per Sacerdotem remittit peccata quoad maculã.

Potestas clauium ad remissionẽ peccati.

Absolutio respicit peccatum.

Necessitas cõfessionis integræ.

Et

Et confirmatur, quia *cap.*8. & 9. *cap.* 12. 13. 14. 15. pœnam temporalem, quam remittere aut retinere potest Sacerdos, exprimit nomine satisfactionis, & non peccati: alia verò pœna temporalis, quæ remanet soluenda hic, vel in purgatorio, non delet Sacramentum, in quo distinguitur à Baptismo, neque Sacerdotes, nisi mediante satisfactione, quæ ideò imponitur.

50 *Sententiæ aliorum impugnantur.*

Ex his sequitur non solam pœnam sensus, aut damni remitti à Ministro virtute clauium. est contra Hugonem à S. Victore quoad primam partem; quoad secundam verò contra Ioannem de Medina *codice de confessione quæst. de effectu absolutionis.* Probatur quoad primam; quia in terminis contrarium docet Trident. *sess.* 6. *cap.* 14. & facilè patet: quia pœna æterna ratione peccati debetur: ergo remisso peccato non manet. Probatur consequentia, quia aliàs sequeretur quod esset dignus simul pœna æterna, & gloria æterna, quod est absurdum: posset enim non remitti pœna à Sacerdote, & ille nihilominùs esset à peccato liberatus per gratiam, & consequenter iustificatus; ergo filius regni, & hæres per gratiam sanctificantem. Ex hoc manet secunda opinio impugnata, quia sic Sacerdotes non habent potestatem aperiendi cœlum; nisi deleant pœnam æternam sensus simul cum culpa.

Pœnā æternā semper remitti cum culpa.

51 *Abulēsis impugnatur.*

Neque modus loquendi Abulensis est probabilis, qui dicit pœnam æternam & peccatum non posse remitti etiam à Deo secundùm rigorem sermonis, quem meritò reprehendit Soto *in* 4. *dist.* 14. Fundatur in hoc, quòd absolutio debeat intelligi respectu alicuius vinculi, vel se habentis vt vinculum, & metaphoricè transferatur ad spiritualia, vt in proposito: peccatum ergo, quod iam transit cum actu, cùm sit priuatio, non propriè dicitur ligamen, aut vinculum, aut ligare conscientiam: sic etiam pœna æterna, quæ nondum est, propriè ligare non potest: tamen reatus pœnæ est, seu obligatio ad pœnam, quod idem est, à qua absoluit tam Deus, quàm Minister. Hic modus loquendi neque Patribus, neque locutionibus præmissis Cōciliorum, quæ in proprietate interpretandæ sunt, quadrat, neque etiam Scripturis, quibus dicimur mundari à Deo per pœnitentiam; manet ergo reatus, seu macula culpæ in ipsa voluntate, distincta à macula peccati actualis, à quo liberatur, & absoluitur pœnitens, atque manet etiam ipsum peccatum præteritum moraliter, licèt non physicè, vt *in art. primo prima huius* declaratum est: nam, vt rectè Psalm. *funes peccatorum circumplexi sunt me:* ideò monet Propheta, *solue vinculum colli tui captiua filia Sion,* Isaiæ 52. aliàs certè neque etiam in Baptismo dicerentur dimitti peccata, aut deleri, quia eadem proprietate quis diceret non dimitti saluari, mundari, nisi quod est, si ad physicam locutionem referretur loquendi rigor: neque obligationes morales contractus, & eiusmodi, dicerentur manere: & quod amplius est, non benè moralizat; nam ille ipse reatus pœnæ, qui est inductus per peccatum tanquam effectus consequens, sufficit, vt propriè dicatur manere peccatum secundùm *esse* morale, eo modo quo actus charitatis præteritus imperans actum iustitiæ dicitur manere in suo effectu, communicans ei speciem meriti: sic manet intentio in executione, & electione.

Vinculum pœnæ.

Manet illud vinculū donec soluatur.

Peccatū dici vinculum.

52 Obiiciunt Scholastici citati quædam loca Patrum, vt Greg. *hom.* 26. *super Euangelia.* Hieronymi *super illud Matth.* 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum,* & aliorum, qui dicunt peccatorem vel priùs viuificari per Deum, sicut Lazarus, per Christum resuscitatus fuit, antequam accedat sententia Sacerdotum, vel apud Deum, *reorum vitam quære, non sententiam Sacerdotum,* vt inquit Hieronymus. Respondetur hæc omnia referri ad dispositionem præuiam, qua viuificatur per pœnitentiam, excitando ipsum à peccato, in quo mortuus iacebat, ad pœnitentiam: respectu huius Sacerdotes Euangelici non ligant, aut absoluunt; sed merè declarant, in quo comparari possunt ad Leuiticos: vnde neque absoluere possunt, nisi quem Deus primum excitauit per gratiam præuenientem ad pœnitentiam: neque ad nutum, vti possunt clauibus, vt ligent innocentes, aut nocentes, & indispositos absoluant, quod intendebat Hieronymus: nisi fortè verba illius meliùs referri possint ad ligamen fori externi. Interpretari etiam possunt de excitatione per contritionem perfectam, quia sic excitatus non manet ligatus pœna temporali, quam soluere possunt Sacerdotes in Sacramento. Hæc responsio summariè ex Doctore desumitur, quæ ad priorem expositionem confirmari potest ex Aug. *tract.* 49. *in Ioan.* vbi agens de Lazaro, *Processit,* inquit, *& adhuc ligatus est, adhuc inuolutus, tamen iam foras processit; quid significat? Quando confiteris, procedis. quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo te manifestare? Sed vt confitearis Deus facit voce magna clamando, id est, magna gratia vocando: ideò cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus vt soluerentur peccata eius, Ministris hoc dicit Dominus, Soluite illum, & sinite abire.*

Obiectio ex Patribus.

Quid sit excitare mortuum.

August.

Dico igitur quòd ita Deus requirit dispositionem de congruo, &c. Resoluit hîc, & in sequentibus, quomodo remittatur peccatum per Sacramentum, quomodo verò extra Sacramentum per contritionem perfectam, de qua egit *quæst.* 2. *huius:* dicit autem sufficere, & requiri attritionem imperfectam saltem cum Sacramento, & propositum cauendi de cætero, & realem susceptionem Sacramenti, quæ est doctrina Tridentini *sess.* 14. *cap.*4. Quia prædicta attritio imperfecta extra Sacramentum non sufficit se sola iustificare: in Sacramento verò fit contritio, & actus formatus: ita in corpore supponit, & speciatim exponit responsione ad secundum, versu *concedo ergo,* &c. vbi etiam affirmat hanc contritionem imperfectam esse ex gratia vocationis, prout aliàs explicuimus ex mente ipsius *suprà quæst. secunda.* Hinc patet resolutio quæstionis subiectæ 53

Duplex modus remissionis.

Vtrùm ad Sacramentum sufficienter disponat attritio æstimata, & pro tali?

NEgatiuam partem videtur tenere Sotus *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 5. *conc.* 2. asserens attritionem, quæ ex obiecto est contritio, fieri extrinsecè, suscepto Sacramento, contritionem, quatenus nunc extrinsecè per gratiam informatur: & hac ratione admittit contritionem acquisitam posse informari: attritionem verò, quæ ex obiecto est talis, nunquam fieri contritionem, etiam 54

Sententia negatiua.

etiam extrinsecè. Intelligit attritionem ex obiecto talem, illam, quæ cognita est pro tali, & æstimatur tantùm vt attritio. Rationem assignat, quia viribus naturæ elicitur: & motiuo differt à contritione: videtur ergo supponere contritionem saltem æstimatam esse necessariam ad Sacramentum. Hæc opinio videtur sequi ad ea, quæ S. Thom. *dist.* 17. docet: negat enim attritionem manere, aut informari; sed priùs concedit attritiones de singulis peccatis viribus naturæ elicitas, quæ pereunt adueniente contritione, quæ est vltima dispositio ad gratiam, & respicit peccata sub generali ratione offensæ elicita à virtute infusa: communicat etiam hæc sententia cum opinione Magistri impugnata, quatenus exigit contritionem ad Sacramentum necessariam.

55 *Initium pœnitentiæ ex gratia excitante est.*

Conclusio. Initium pœnitentiæ est ex gratia excitante, non autem viribus naturæ; ita supponit Doctor; *Concedo*, inquit, *ergo, quòd ante perceptionem dignam pœnitentiæ oportet suscitari, vel simpliciter*, &c. *Vel suscitari secundùm* quid, *scilicet vt habeat aliquam displicentiam de peccatis*, &c. & infrà *dist.* 19. *in responsione ad quæstionem, motam in dist.* 18. vbi impugnat Magistrum §. *contra primum*, &c. versu *concedo ista*, &c. vbi determinat Sacramentum pœnitentiæ posse dignè recipi ab attrito, ea attritione, quæ non sufficeret extra Sacramentum ad iustificationem. Patet ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 5. *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum gratia sumendum esse*, &c. Ergo illæ attritiones naturales faciunt ad iustificationem. Patet idem capite sequenti: & ex omnibus locis, ex quibus impugnatur pœnitentiam non esse ex gratia. Præterea, facerent ad iustificationem, vel vt meritum? hoc non; quia illud est ex gratia; vel vt excitantia voluntatem: hoc etiam non: quia excitatio voluntatis est à vocatione diuina: & in genere daretur initium bonæ voluntatis absque gratia. Vide Arauſ. *can.* 4.

Probatio conclusionis ex Trident.

Initium bonæ voluntatis est ex gratia.

56 *Secunda conclusio.* Trident.

Secunda conclusio. Attritio æstimata, & cognita pro tali est sufficiens dispositio ad Sacramentum. Hæc patet ex dictis Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. & 14. *sess.* 14. *cap.* 4. quia *contritio imperfecta, quæ attritio dicitur*, inquit, *sufficit ad pœnitentiæ Sacramentum, & sufficienter disponit ad veniam peccatorum in Sacramento obtinendam.* Dices, ibi loqui Concilium de contritione æstimata. Contrà, loquitur Concilium de ea, quæ concipitur ex pœnis inferni: hæc autem est æstimata attritio secundùm Aduersarium. Præterea æstimatio non facit ad veritatem dispositionis, quæ solùm dependet ab acceptatione diuina, circumstantiis honestis, & gratia, maximè quando est erronea, sicut illa, quæ putat attritionem, quæ in re non est contritio, esse contritionem. Dices, facit bonam fidem. Contrà, bona fides non iuuat nisi vt excusat à peccato, quando lex ignoratur, quæ est in oppositum, hoc est, quando inducit ignorantiam facti, vt dicunt, aut iuris: hîc nullum est præceptum de attritione æstimata, vel de sola contritione. Minor patet, quia neque ex natura Sacramenti colligitur, cùm ad ipsum sufficiat attritio, vt explicat Trident. neque ex necessitate remissionis peccati, cùm hæc virtute Sacramenti & simul cum ipso sufficiat: neque in specie datur tale præceptum: ergo fundamentum oppositæ sententiæ est, quòd attritio sit viribus naturæ tantùm, ac deinde non sufficiat ad Sacramentum, aut ad remissionem peccati non sufficienter disponat. Sed hoc repugnat Tridentino, quoad vtrũque assertum, vt patet ex dictis.

Attritio cognita sufficit. *Responsio.* *Impugnatio.*

Bona fides quid efficiat.

Non esse præceptum cōtritionis, quādo suscipitur Sacramentum.

Rationes aduersæ reiiciuntur.

Si quæras an pœnitentia sit Sacramentum, &c. Responsio huius patet ex commento primo huius quæstionis, & patet etiam ex littera posse dici transitiuè Sacramentum, quà nempè ad ipsum spectat. 57

Ad primum argumentum concedo, &c. Patet responsio ad primum, & secundum ex dictis.

k *Cùm obiicitur de Lazaro*, &c. Quando dicit priùs suscitari peccatorem à reatu pœnæ æternæ, quàm obligetur ad pœnam temporalem, mutat modum loquendi, & agit de pœna temporali, quæ diuina lege imponitur peccatori in commutatione pœnæ æternæ in illam, non autem de pœna temporali, quam Sacerdos imponit per modum satisfactionis, pro prædicta pœna temporali: neque intendit hanc suscitationem, seu relaxationem pœnæ æternæ non fieri per Ministros: quia contrarium docuit in præmissis, & in responsione ad vltimum docet: sed vt occurrat fundamento oppositæ sententiæ, qua dicit pœnam æternam non remitti à clauibus, & declaret loca Patrum, & suscitari simpliciter virtute Sacramenti per Christum à peccato, & carcere, & pœna æterna, sed per ministros suos, nempe Sacerdotes virtute clauium, vt explicat declarando locum Hieronymi in fine. Præterea verò quod superest, nempe soluere ab institis, fieri etiam per Sacerdotes, imponendo opera satisfactionis pro pœna temporali debita, quæ relaxant ipsum, vel in toto, claue non errante, vel in parte.

Declaratio textus Doctoris & solutio argumenti.

l *Ad vltimum concedo*, &c. Docet Sacerdotem dimittere peccatum in pœnitentia, & in Baptismo ministerialiter. Ad Hieronymum concedit affirmatiuam illam, nempe Sacerdotem euangelicum monstrare mundatum, sicut Leuiticus; sed negat eum non mundare à lepra spirituali, quod non potuit Leuiticus præstare quoad lepram corporalem.

Ad vltimum argumentum Magistri.

DISTIN

DISTINCTIO XV.

ET sicut prædictis auctoritatibus illorum error conuincitur, qui pœnitentiam sæpius agendam non putant, & per eam à lapsu peccantes frequenter surgere diffitentur, ita eisdem istorum opinio eliditur, qui pluribus irretitum peccatis asserunt de vno verè pœnitere, eiusdémque veniam à Domino consequi posse, sine alterius pœnitentia. Quod etiam auctoritatibus astruere conantur. Ait enim Propheta, Non iudicabit Deus bis in idipsum: vel, vt alij transtulerunt, Non consurget duplex tribulatio. Si ergo, inquiunt illi, aliquis Sacerdoti fuerit confessus vnum de duobus, vel pluribus peccatis, & de illo iniunctam sibi pœnitentiam à Sacerdote satisfactione expleuerit, cæteris tacitis, non pro illo peccato ampliùs iudicandus est, de quo satisfecit ad arbitrium Sacerdotis, qui vicem Christi in Ecclesia gerit. Ideóque, si de eo iterum iudicetur, bis in idipsum iudicat Deus, & consurget duplex tribulatio. Sed de his oportet illud tantùm intelligi, qui præsentibus suppliciis commutantur in bonum, & sic perseuerant: super quos non consurget duplex tribulatio. Qui verò inter flagella duriores, & deteriores fiunt, vt Pharao præsentibus æterna connectunt: vt temporale supplicium sit eis æternæ pœnæ initium. Vnde Augustinus, [Ignis succensus est, &c. id est, vindicta Dei hîc incipiet, & ardebit vsque ad extremam damnationem.] Hoc contra illos notandum est, qui dicunt illud, scilicet, Non iudicabit Deus bis in idipsum: ad omnia pertinere flagella, quia quidam hîc flagellis emendantur; alij hîc, & in æternum puniuntur. Quinque enim modis flagella contingunt, vel vt iustis per patientiam merita augeantur, vt Iob: vel ad custodiam virtutum, ne superbia tentet, vt Paulo: vel ad corrigenda peccata, vt Mariæ lepra: vel ad gloriam Dei, vt de cæco nato: vel ad initium pœnæ, vt Herodi quatenus hîc videatur quid in inferno sequatur: secundùm illud, Duplici contritione contere eos Domine. Illa ergo auctoritas Nahum, non cogit nos sentire, omnia, quæ temporaliter puniuntur non vlteriùs à Deo punienda. Nam etsi super eundem locum Hieronymus dicat Ægyptios, & Israëlitas à Deo temporaliter punitos, ne in æternum punirentur: non est tamen de omnibus generaliter intelligendum. Ait enim sic, [Quod genus humanum diluuio, Sodomitas igne, Ægyptios mari, & Israëlitas in eremo perdidit; scitote, ideò temporaliter pro peccatis punisse, ne in æternum puniret: quia non iudicabit Deus bis in idipsum. Qui ergo puniti sunt, postea non punientur: alioquin mentitur Scriptura, quod nefas est dicere. A

Nahum 1. Et habetur de pœn. dist. 3. sunt plures parag. Auctoritas 8. d. c. Presbyteri. Super Can. Deut. 27. d Sententialiter apud Gregor. lib. 18. moral. c. 12. & alleg. de pœn. d. 3. c. Ignis. Gloss. Beda sup. Matth. 9. Iob 1. d 2. Cor. 12. c Num. 12. b Ioan. 9. d Act. 12. Hier. 17. c Commen. ad eũ locum 1. c. Nahum Prophetæ, Quid cogitatis cõtra Dominum, &c. tom. 6. Gen. 9. b Gen. 17. c Exod. 14. g Num. 1. a

Quæ sit intelligentia præmissorum?

ATtende lector his verbis, & caue ne de omnibus generaliter intelligas: sed de his tantùm, qui inter ipsa flagella pœnitentiam egerunt, credentes in Deum Hebræorum, quam etsi breuem, & momentaneam, tamen non respuit Deus. Quòd autem qui per temporale flagellum non corriguntur, pòst æternaliter puniantur, ibidem ostendit, agens de fideli deprehenso in adulterio, qui decollatur. Vbi ostendit leuia peccata breui, B

& temporali supplicio purgari, magna verò diuturnis, æternísque suppliciis reseruari: ita inquiens, [Quærat hîc aliquis, Si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat? Aut enim punietur, & falsum est, quod dicitur; Non iudicabit Deus bis in idipsum: aut non punietur, & optandum est adulteris, vt hîc breui pœnâ puniantur, vt frustrentur cruciatus æternos. Ad quod respondemus, Deum vt omnium rerum, ita suppliciorum quoque scire mensuras, & non præueniri sententiam Iudicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferri potestatem: & magnum peccatum magnis diuturnísque lui cruciatibus. Si quis verò punitus sit temporaliter, vt ille qui Israëlitæ maledixerat, & qui in Sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri: quia culpa leuis præsenti supplicio compensata sit. Leuis enim culpa leui supplicio compensatur.] His satis innuit Hieronymus, grauia peccata, & hîc puniri graui supplicio, & in futuro punienda æternaliter, de quibus pœnitentia non agitur inter flagella. Leuia verò quæ hîc puniuntur, leui pœna compensationem recipere: quod in bonis fieri non ambigimus, & in malis fortè etiam fit ita. Satis iam apparet quod illi de prophetia induxerunt, non facere pro eis, qui dicunt, ei qui crimen sibi reseruat, de alio veniam præstari per pœnitentiam. Alias quoque auctoritates inducunt. Ait enim Gregorius, [Pluit Dominus super vnam ciuitatem, & super alteram non pluit: & eandem ciuitatem ex parte compluit, & ex parte aridam relinquit. Cùm ille, qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, vna eadémque ciuitas ex parte compluitur, & ex parte arida remanet: quia sunt quidam, qui cùm quædam vitia resecent, in aliis grauiter perdurant.] Item Ambrosius, [Prima consolatio est, quia non obliuiscitur misereri Deus. Secunda, per punitionem: vbi etsi fides desit, pœna satisfacit, & releuat. [Ratione quoque vtuntur, dicentes; Si is, qui vnum peccatum confitetur, altero tacito, satisfactionem à Sacerdote iniunctam expleuerit: nunquid etsi peccatum tacitum conuersus fuerit confessus, pro vtroque ei pœnitentia imponetur? Longè hoc videtur à ratione, & Ecclesiæ consuetudine: quæ pro eodem peccato, nisi reiteretur, nulli bis pœnitentiam imponit. Fuit ergo illa peccati condigna satisfactio: vnde & peccatum deletum videtur.

Hier. eodem comment. ad 1. cap. Nahũ, paulò inferiùs ad superiora. Hier. in forma ibid.

Leuit. 24. b Num. 15. d

Super Ezechiel. lib. 1. hom. 10. & habetur de consecr. dist. 3. c. Pluit.

Super Psal. 118. in princip. ser. 18. tom. 4. & habetur de consecr. dist. 3. c. Prima cõsolatio.

Quomodo accipienda sunt præmissa?

C

HIs responderi potest sic, illud Gregorij, *Pluit Dominus*, &c. non ad criminis veniam, sed ad operis praui desertionem referendum est: vt ideò pars ciuitatis dicatur complui: quia ab actu, & delectatione peccati, cui antè seruiebat, modò cessat: non quòd eius veniam habeat. Vocatúrque pluuia illa talis continentia, quâ ab opere peccati reuocatur: quia ex fonte gratiæ Dei id cordi instillatur: vt vel sic paulatim ad pœnitentiam veniat: vel eò minùs à Deo puniatur, qui diuturniori delectatione, & actu peccati maius sibi accumulasset tormentum. Si verò ad indulgentiam reatus pluuia referatur, Euangelicæ sententiæ contraire videbitur. Si enim propter immisericordiam, quâ quis proximo suo non miseretur, etiam quæ dimissa sunt, replicantur ad pœnam: multò magis quæ nondum sunt dimissa propter odium fraternum, ad pœnam reseruari probantur. [Et si ille, qui arbiter suæ voluntatis constitutus est, non potest inchoare nouam vitam, vt ait Augustinus, nisi pœniteat eum veteris vitæ:] quomodo

De pœnit. d. 3. c. Quærat hîc aliquis, par. illuc etiam Gregor. vsque ad finẽ cap.

Matt. 18. d

Lib. de pœnit. medicina, cap. 1.

quomodo ad nouitatem indulgentiæ perueniet, qui odij vetustatem non deposuit? Illud etiam quod ait Ambrosius, Et si fides desit, pœna satisfacit, &c. non de fide intelligitur, qua creditur in Deum, sed de conscientia delicti. Deest enim fides, cùm conscientia peccati non subest. Nam cùm delicta omnia nemo intelligat, est aliquando in homine peccatum, *Psalm.18.* cuius non habet conscientiam. Vnde Apostolus, Nihil mihi conscius *1.Cor.4.a* sum: sed non in hoc iustificatus sum. Cùm ergo quis flagellatur pro peccato, cuius non est conscius, si patienter fert pœnam: & humiliter amplectitur, cogitans se fortè peccatum habere, quod non intelligit, & pro eo puniri à Deo, pœna illa satisfacit, & releuat grauatum. Ad hoc autem quod obiicitur de satisfactione illa, si satisfactio non fuit, iterum imponenda est. Si verò iterum imponenda non est, satisfactio fuit: & si satisfactio fuit, veniam impetrauit. Responderi potest, satisfactionem non ideò fuisse, quia ille dignos fructus pœnitentiæ non fecit. [Est enim satisfactio pœnitentiæ, vt ait Augustinus, peccatorum causas excidere, nec suggestionibus earum aditum indulgere.] Item, [Sanè qui scelerate viuunt, nec curant talem vitam, morésque corrigere, & inter ipsa facinora sua, eleemosynas frequentare non cessant: frustrà ideò sibi blandiuntur, quia Dominus ait, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Hoc enim quàm latè pateat non intelligunt.] [Multa enim sunt genera eleemosynarum, quæ cùm facimus, adiuuamur.] [Non solùm qui dat esurienti cibum, sitienti potum, & huiusmodi: sed etiam qui dat veniam petenti, eleemosynam dat: & qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina, vel orat vt ei peccatum dimittatur, eleemosynam dat: quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, & non voluntati:] [Sed ea maior est, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Minùs enim magnum est erga eum esse beneuolum, qui tibi nihil mali fecit. Illud multò grandius, vt tuum etiam inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, & si potest, facit, semper bonum velis, faciásque quod possis.] Quod ergo Dominus ait, Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis: [Itane intellecturi sumus, vt non credentibus in Christum munda sint omnia, si eleemosynas istas dederint?] [Qui enim vult ordinatè eleemosynam dare, à se debet incipere, & eam primum sibi dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissiméque dictum est, Miserere animæ tuæ placens Deo.] [Non ergo se fallant, qui per eleemosynas largissimas fructuum suorum, vel pecuniæ, impunitatem se emere æstimant in peccatis permanentes: quæ ita diligunt, vt in eis optent versari. Qui verò diligit iniquitatem, odit animam suam, & qui odit animam suam, non est misericors ei, sed crudelis. Diligendo quippe eam secundùm sæculum, odit eam secundùm Deum. Si ergo vult ei dare eleemosynam, per quam fit munda, odiat eam secundùm sæculum, & diligit eam secundùm Deum.] [Hac eleemosyna, quam sibi homo primitus debet, mundantur interiora. Ad quod hortans Christus ait, Mundate quæ intus sunt. Immundis enim nihil est mundum: sed polluta sunt eorum mens, & conscientia, vt ait Apostolus. Immundi verò sunt omnes, quos non mundat fides, quâ creditur in Christum: de qua scriptum est: Mundans fide corda eorum. Sed ne istas eleemosynas, quæ fiunt de fructibus terræ, respuere Christus videretur, Hæc, inquit, oportuit facere, scilicet iudicium, & charitatem

August. lib. de Eccles. dogm. c. 54. August. in Ench. c. 75. in princ. Luc. 11. August. sup. c. 72. in fine. Ibid. in init. eiusdem. Ibid. c. 73 in princ. Ibid. c. 75 Ibid. c. 76 Eccles. 30. a Ibid. c. 77. Psalm. 10. August. sup. sparsim, cap. 76. Matt. 24. c Tit. 1. d Ibid. c. 75. 76. Act. 15. e Matt. 23. c

Dei; & illa non omittere, id eſt, eleemoſynas fructuum terrenorum.] Ex his datur intelligi, quòd in peccato mortali permanentes, etſi eleemoſynas largas faciant, non tamen per eas ſatisfaciunt: quia inordinatè agunt, dum à ſe non incipiunt. Nec propriè dicitur eleemoſyna tale opus. dum ſibiipſis crudeles exiſtunt, non placentes Deo. Non ergo dicenda eſt illa peccati ſatisfactio, quam quis agit pro vno peccato, dum perdurat in altero. Quia nihil prodeſt ieiunare, & orare, & alia bona agere, niſi mens reuocetur à peccato: & ſi aliquando conuerſus tacitum peccatum Sacerdoti fuerit confeſſus, de vtroque imponenda eſt ei ſatisfactio; quia de primo condignè non ſatisfecit.

De pœnit. diſt. 3. Nihil prodeſt. Pius Papa.

Secundùm quoſdam ſatisfactio.

D QVibuſdam tamen videtur fuiſſe ſatisfactio, ſed infructuoſa, dum in peccato altero perſiſtit: percipietur tamen fructus eius, incipietque proficere, cùm peccati alterius pœnituerit. Tunc enim vtrumque dimittitur peccatum, & ſatisfactio præcedens viuificatur, quæ fuerat mortua: ſicut Baptiſmus illi, qui fictè accedit, tunc primitus valet, cùm fictio à mente recedit per pœnitentiam. Et in huius opinionis munimentum auctoritates inducunt. Ait enim Auguſtinus, [Pium eſt credere, & noſtra fides expoſtulat, vt cùm gratia Chriſti in homine deſtruxerit mala priora, etiam remuneret bona: & cùm deſtruxerit quod ſuum non inuenit, diligit bonum, quod in peccante plantauit.] Item Hieronymus. [Si quando videris inter multa peccata quemquam facere aliqua iuſta opera, non eſt tam iniuſtus Deus, vt propter multa mala obliuiſcatur paucorum bonorum, ſed faciet ea metere, & in horrea congregare, quæ bona in terra ſeminauit.] Sed hæc dicta intelligimus de illo, qui in charitate quodam tempore bona facit, & bonus eſt, alio verò tempore malus eſt, & multa peccata facit. Non ergo intelligendum eſt, eum inter multa peccata iuſta opera feciſſe, quaſi ſimul eodémque tempore peccata fecerit, & iuſta opera, ſed diuerſis temporibus vtraque feciſſe. Niſi enim bonus foret, quando bona fecit, non ſeminaſſe diceretur in terra bona. Deſtructis ergo malis poſt opera bona commiſſis, priora bona, in charitate ſcilicet facta, quæ ſequentia mala mortificauerant, pœnitentia de illis malis habita, viuificantur & remunerantur. Vnde Apoſtolus, Iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. opera mortua nominans, priora bona ſignificat, quæ per ſequens peccatum erant mortua: quia hi peccando priora bona irrita fecerunt. Hæc ſicut peccando irrita fiunt, ita per pœnitentiam reuiuiſcunt, & ad meritum æternitatis prodeſſe incipiunt. Similiter & illud bonum amat Deus quod plantauit in peccante, in illo ſcilicet, qui poſt illud bonum peccauit, non ſimul peccans, & bonum operans extitit: quia talis hominis opus non diligeret Deus ad remunerationem. Poteſt etiam accipi de operibus bonis, quæ ab aliquo fiunt dum malus eſt, & in peccato mortali perſiſtit, vel ad tempus, vel vſque in finem, quæ dicuntur à Deo remunerari, & non dari obliuioni, non quia proficiant ad vitam æternam obtinendam, ſed ad tolerabilius extremi iudicij ſupplicium ſentiendum: ſicut de fide & cæteris, quæ ſine charitate habentur, Auguſtinus ait, [Si quis non habens charitatem, quæ pertinet ad vnitatem ſpiritus, & vinculum pacis, quo Eccleſia connectitur, in aliquo ſchiſmate

Lib. de vera, & falſa pœnit. c. 14. in fin. tom. 4.

Commen. ad illud Aggæi 1. Seminaſtis multum, &c. *tom. 6. & de pœn. diſt. 3.* Si quando.

In epiſt. ad Hebr. c. 6. a

De operibus bonis. De pœnitẽtia, diſt. 3.

schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, famem, persecutionem, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem, timore gehennæ: nullo modo ista culpanda sunt, imò & hæc laudanda est patientia. Non enim dicere poterimus melius ei fuisse, vt Christum negando nihil horum pateretur, quæ passus est confitendo: sed æstimandum est fortasse tolerabilius ei esse futurum iudicium, quàm si Christum negando nihil horum pateretur: vt illud quod ait Apostolus, Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (nihil prodesse intelligatur ad regnum obtinendum) nisi ad extremi iudicij tolerabilius subeundum.] Item, [Hæc propter charitatem dicta sunt: sine qua in nobis non potest esse vera * pœnitentia: quoniam in bonis charitas Dei est, quæ tolerat omnia.]

*Quid ergo, para. Potest etiã. Lib. de patientia vnico, cap. 26. tom. 4. Et de pœn. dist. 3. Potest etiam, vel si quis autem. 1. Cor. 13. b Aug. ibid. c. 23. 1. Cor. 13. c * Alias, patientia.*

Perstringit dictorum summam, vt alia addat.

E

EX his ostenditur bona, quæ sine charitate fiunt prodesse quidem ad tolerabiliorem pœnam sentiendam, sed non ad vitam obtinendam. Illa etiam quæ in charitate quis facit, si postea prolapsus fuerit, nec exsurrexerit, non esse in memoria Dei Ezechiel dicit, Si auerterit se iustus à iustitia, & fecerit iniquitatem, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ, quas fecit. In cuius loci expositione Gregorius ait, [Hoc nobis maximè considerandum est, quia cùm mala committimus, sine causa ad memoriam transacta bona reuocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum.] Intelligendum est hoc, ad vitam percipiendam bona præterita non dare fiduciam, etsi ad mitiorem pœnam, alioquin præmissæ auctoritati Augustini obuiaret. Et bona ergo sine charitate facta, & bona in charitate facta: quæ concomitatur mortalis culpa, quam non delet sequens pœnitentia, ad sensum mitioris pœnæ proficiunt, non ad vitæ fructum.

Ezech. 33. c Hom. 11. super Ezech. lib. 1. Et de pœnit. dist. 3. Illa sentẽtia.

Auctoritates alias inducit contra eos qui dicunt de vno peccato pœnitentiam agi, altero tacito.

F

SAtis arbitror illis esse responsum, qui asserunt de vno crimine pœnitentiam agi, & veniam præstari alio in delectatione retento, vel per confessionem non exposito, qui non modò præmissis auctoritatibus confutantur, sed etiam subditis. Ait enim Augustinus, [Sunt plures, quos pœnitet peccasse, sed non omnino, reseruantes sibi quædam in quibus delectentur, non animaduertentes Dominum simul mutum & surdum à dæmonio liberasse, per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reseruari, habenti septem dæmonia manente vno proficere potuerat sex expulsis: expulit autem septem, vt omnia crimina simul eiicienda doceret. Legionem verò dæmonum ab alio eiiciens, nullum reliquit de omnibus, qui liberatum possideret: ostendens, quòd etsi peccata sint mille, oportet de omnibus pœnitere. Nunquam aliquem sanauit Dominus, quem non omnino liberauit. Totum enim hominem sanauit in Sabbato: quia & corpus ab omni infirmitate, & animam ab omni contagione liberauit: indicans pœnitentem

Lib. de vera, & falsa pœn. cap. 9. tom. 4. Marc. 7. c Luca 8. f Marc. 5. b Ioan. 7. d

oportere simul dolere de omni crimine. Scio enim dominum inimicum omni criminoso. Quomodo ergo qui crimen seruat, de alio recipiet veniam? sine amore Dei consequeretur veniam, sine quo nemo vnquam inuenit gratiam. Hostis enim Dei est, dum offendit perseueranter. Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam. Iam enim sine vera pœnitentia inueniret gratiam. Pœnitentia enim vera ad Baptismi puritatem confitentem conatur ducere. Rectè enim pœnitens quicquid sordis post purificationem Baptismi contraxit, oportet vt abluat, saltem lacrymis mentis: sed satis durus est, cuius mentis dolorem oculi non declarant. Sed sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, &
Ibid.c.10. dolorem peccati non ostendit in lacrymis.] Quem ergo pœnitet, omni-
August.lib. 50.hom.10. hom.41. & de pœn.d.3. Pœnitẽtes. *De pœnit. dist. 5. cap.* Fratres nostros.
no pœniteat.] Idem, [Pœnitentes, si verè estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo. Pœnitentiam agis, genua figis, & rides: subsannas Dei patientiam. Si pœnitentiam agis, pœnitet te: si non pœnitet te, non es pœnitens. Si ergo pœnitet, cur facis quæ malè fecisti? Si fecisse pœnitet, noli facere: si adhuc facis, certè non es pœnitens.] Item, Innocentius II. Admonemus fratres nostros, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur: vel cùm sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio.

Repetit de vera pœnitentia, vt addat quædam.

G

EX præmissis perspicua fit notitia veræ pœnitentiæ, vel satisfactionis. Illa enim vera est pœnitentia, quæ peccatum abolet, quod illa sola facit, quæ scelus corrigit. Illa verò scelus corrigit, quæ odium commissi criminis, & committendi cum desiderio satisfaciendi affert. Iudas enim
Matt 27.a pœnituisse legitur, sine assecutione veniæ, quia tali pœnitentia non cor-
Circa illud Matth.27. Quid ad nos, *tom.9. & de pœn. dist. 3.* Nihil Iudæ. *Psal.108.* *August. in epist. 2. ad Macedonium, quæ est 54. post medium. Et 14. q.1. cap.* Si res. *Quinque quæstiones resoluuntur de satisfactione latè sumpta.*
rexit crimen. Vnde Hieronymus, [Nihil Iudæ profuit sera pœnitentia, per quam scelus corrigere non potuit: si quando frater peccat in fratrem, vt emendare valeat quod peccauit, potest ei dimitti: sin autem permanent opera, frustrà voce assumitur pœnitentia, hoc est quod de eo infœlicissimo dicitur, Et oratio eius fiat in peccatum, vt non solùm emendare nequiuerit proditionis nefas, sed proprij homicidij scelus addiderit.] Caue qualiter intelligas illud. Vt emendare valeat quod peccauit, &c. Non enim emendatio hîc intelligenda est, rei demptæ recompensatio, sed delicti exprobratio, & abominatio, cum satisfactionis desiderio. Demit enim iniustè quis alicui, quod restituere non valet, vt oculum, vel vitam, & huiusmodi: & tamen si pœnituerit peccati, cum amore condignæ satisfactionis, veniam habet. Nec ideò quisquam putet, qui rem alienam iniustè abstulerit, quam reddere potest, de illo peccato pœnitere, ac veniam consequi, nisi restituat ablatum. [Quamdiu enim res, propter quam peccatum est, non redditur, si reddi potest, non agitur pœnitentia, sed fingitur.]

QVÆSTIO I.

Vtrùm cuilibet peccato actuali mortali correspondeat satisfactio propria?

Alens. 4. *part. quæst.* 84. *per totum.* D. Bonau. *hîc art.* 1. *quæst.* 1. *&* 3. D. Thom. *quæst.* 1. *& in suppl. quæst.* 5. *art.* 2. Richard. *art.* 1. *quæst.* 2. *&* 5. Vega *lib.* 14. *in Trid. cap.* 36. Castr. *de hær. verb.* Pœnitentia *hæres.* 1. Bellarm. *lib.* 4. *de pœn.* Suar. *tom.* 4. *disp.* 28. *per totum. Vide* Coccium 2. *tom. lib.* 7. *art.* 4. *&* Scot. *in Theorem.* §. *non potest probari nullum.*

CIRCA istam [a] distinctionem quæro, Vtrùm cuilibet peccato actuali mortali correspondeat satisfactio propria? Videtur quòd non, quia tunc posset satisfieri de vno, non satisfaciendo de alio: ista enim propria vni posset solui sine propria alteri; sed consequens est falsum, quia satisfaciens de vno, reconciliaretur ad amicitiam pristinam, & non satisfaciens de alio, remaneret inimicus: simul ergo esset amicus, & inimicus, quod est impossibile. 1 *Argum.* 1.

Item, tunc posset satisfactio fieri de vno, remanente alio peccato: quia illud, quod est proprium isti posset solui, licèt remaneret voluntas alterius peccati. *Argum.* 2.

Item, si cuilibet propria; ergo vni debetur oratio tantùm, alteri ieiunium, alteri eleemosyna; consequens est falsum, quia tunc non posset pro quocunque peccato indifferenter imponi quodlibet istorum: & tunc in aliquo casu nulla posset imponi satisfactio pro peccato, quia possibile est pauperem peccare illo peccato, cui correspondeat eleemosyna, & non posset facere eam: consimiliter tunc nunquam imponerentur omnia talia simul pro vno peccato. *Argum.* 3.

2 Item, secundùm Magistrum *distinct.* 20. & sumitur ab Augustino, quandoque tanta est contritio, quòd totam pœnam delet: ergo contritio potest esse communis satisfactio sufficiens pro quocunque. Requiritur etiam pro quocunque, quia sine illa non deletur aliquod peccatum. *Argum.* 4.

Contrà, satisfactio pro culpa est solutio pœnæ, quia satisfactio est redditio eius, quod est reddendum secundùm iustitiam: sed secundùm iustitiam pœna ordinat culpam: sed determinatæ culpæ correspondet propria pœna, sicut deordinationis ordinatiua: ergo, &c. *Ratio opp.*

Item, Apocal. 18. dicitur de illa Babylone: *Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum.* Et, *Iuxta mensuram delicti erit, & plagarum modus.* *Deut.* 25.

COMMENTARIVS.

Ordo & diuisio.

IN hac distinctione agit Magister de satisfactione, vt comprehendit etiam internam. Eam quatuor quæstionibus absoluit Doctor: nam est satisfactio quæ fieri debet in ordine ad Deum; alia quæ in ordine ad proximum. In prima quæstione agit de satisfactione in ordine ad Deum, in sequentibus de satisfactione in ordine ad proximum, quantùm ad bona externæ vitæ, & famæ. *Satisfactio duplex.*

a *Circa istam distinctionem quæro*, &c. Hanc quæstionem partitur in quatuor articulos principales: quorum primus est de satisfactione, vt consideratur in proportione æqualitatis ad peccatum; & sic sumitur latè peccatum, vt continet iniuriam. Secundus est de satisfactione strictè sumpta, prout est operatio exterior laboriosa. In tertio articulo de eius diuisione, & quomodo correspondet peccatis. In quarto tandem resoluit satisfactionem in peccato factam pro alio, quod remissum est, valere. *Partitio quæstionis in quatuor articulos.*

SCHOLIVM.

Prænotando quinque examinanda de satisfactione latè & generaliter sumpta, definit eam, & partes definitionis exactissimè explicat.

REspondeò, [b] satisfactio vno modo accipitur generaliter: alio modo strictè, & propriè. De prima sunt quinque videnda. Primò, quæ ratio nominis. Secundò, an sit homini possibilis satisfactio isto modo pro culpa. Tertiò, in quibus consistit. & ex hoc quarto ad quæstionem, an cuilibet peccato propria correspondeat pœna. Quintò, iuxta difficultatem tactam in tribus primis argumentis, an vna possit ab alia separari. 3

De primo sciendum, quòd satisfactionis generaliter sumptæ hæc est ratio. *Satisfactio est redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti.* Primum, scilicet *redditio* patet. quia non est absoluta datio: nam hoc, quod est *satis*, dicit commensurationem ad aliquid præcedens correspondentem. Quòd dicitur *voluntaria*, patet, quia si esset inuoluntaria, non esset satisfactio, sed satispassio, & hoc modo ille, à quo exigitur in inferno pœna debita, culpæ commissæ satis patitur, & non satisfacit. Quòd etiam sit *æquiualentis*, patet, quia hoc importat illa particula *satis.* Hoc etiam requirit iustitia reddens satisfactionem pro illo, cui correspondet. Quartum, scilicet *aliàs indebiti*, patet, quia si esset aliàs debitum, non satisfaceret pro isto: nam non esset correspondens isti secundùm iustitiam, sed alij.

Satisfactionis definitio.

Particulæ definitionis explicatur.

Et ista ratio satisfactionis communis est ad contractus, & obligationes quascunque: hoc enim modo recipiens beneficium potest beneficianti benè facere; & hoc modo dilectus diligenti recompensando dilectionem æqualem: & ita tam in actibus liberalibus voluntatis, quàm in actibus quodammodo necessariis, scilicet contractibus, vbi est quædam obligatio, quasi necessitans ad reddendum, potest inueniri ista ratio consimiliter, cùm culpa faciat delinquentem debitorem ei, in quem peccat, potest ibi ista ratio satisfactionis inueniri, vt scilicet reddat sibi æquiualens, & aliàs indebitum, quantum sibi abstulit per peccatum.

Culpa facit peccātē debitorē eius, cōtra quem peccatur.

COMMENTARIVS.

2 *Articul.* 1. *Partitio articuli.*

b RESpondeo satisfactio, &c. Supposita partitione satisfactionis in eam, quæ latè, & aliam, quæ strictè sumitur. Circa satisfactionem primò sumptam quærit primò *quid nominis.* Secundò, an sit possibilis. Tertiò, in quo consistit. Quartò an cuilibet peccato sua propria correspondeat. Quintò denique; an vna satisfactio ab alia separari possit. Deinde definit satisfactionem iuxta illud, quod primo loco proponit de satisfactione. Quantùm ad *quid nominis*: *satisfactio latè sumpta est redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti*, &c. Dicitur *redditio*, id est, reciproca datio, quia non est merè liberalis, & absoluta, non supponens debitum, sed est datio quædam onerosa ex parte satisfacientis, supponens ius alterius acquisitum ex aliquo præuio, quod datum est, vel ablatum, & cui satisfactio correspondet secundùm medium iustitiæ latè sumptæ, quo ponatur æqualitas inter dantem, & reddentem secundùm mensuram operis, quod importatur per particulam *satis*, quæ talem commensurationem, & æqualitatem rei exigit: dicit ergo satisfactio præter respectum, quem dicit ad personam creditoris, latè sumpti, etiam respectum ad rem ipsam ex qua redundat debitum satisfaciendi: & hoc secundùm illam commensurationem, quæ ex natura operis, vel legis attenditur, id est, secundùm proportionem Geometricam, vel certè Arithmeticam. Geometricam quidem, si est æqualitas rei ad rem: Arithmeticam verò, seruando proportionem lege præscriptam, vt licèt satisfactio data sit inferioris ordinis: ea tamen tanta, & talis exhibeatur, quanta, & qualis exhiberi lege præscribitur, & conuentione, siue talis explicita interueniat, siue implicitè per ipsam legem importetur, quæ medium statuit inter personas.

Definitio satisfactionis latè sumpta. Explicatur.

Redditio quid dicat.

Duplex respectus fundatus in satisfactione.

Proportio Geometrica, & Arithmetica.

3 *Voluntaria & quare.*

Dicitur præterea *voluntaria*, quia si sit inuoluntaria, non erit satisfactio: sed satispassio, qualis est pœna damnatorum. Quod ita intelligendum est: quia aliud est acceptio æquiualentis pro debito, aliud verò redditio, quia illa potest fieri inuito, & licèt seruetur medium iustitiæ, quantùm ad commensurationem debitam rei, & retributionem iuris creditori, non tamen seruatur à debitore, qui inuitus est, & consequenter iniustus quoad affectum, & effectum, quantùm est ex parte sui, & patitur, non agit: patitur quidem, quia non concurrit ad ordinem iustitiæ seruandum, sed compellitur per potestatem superiorem, cui inuitus, & repugnanter subiicitur, quantùm ad effectum iustitiæ seruandæ, & licèt id sufficiat ad tollendam inæqualitatem inter partes; deficiente tamen concursu debitoris dicitur patiens, & opus extortum passio eius, non actio. Dicitur autem *satispassio*, quia per illam eius passionem ponitur æqualitas rei, licèt non per ipsum: è contra satisfactio fit per concursum voluntarium debitoris ad seruandum medium iustitiæ, reddendo debitum spontaneè tantum, quantum potest, & debet.

Dicitur *æquiualentis* iuxta commensurationem iam dictam: quam importat particula *satis*: nam si deficiat talis commensuratio, non tollitur inæqualitas, neque extinguitur ius creditoris in toto, nisi ipse cedat per condonationem liberalem debiti, non verò per iustam mensuram rei. 4 *Dicitur æquiualētis.*

Dicitur *aliàs indebiti*: quia si aliàs esset debitum alio titulo, non satisfaceret vtrique debito. 5 *Dicitur aliàs indebiti.* Non intelligitur hîc *indebitum*, vt excludit omne ius diuersum iuxta varios titulos in genere; aliàs non posset esse satisfactio etiam latè sumpta respectiuè ad peccatum, tribuendo Deo aliquid aliàs indebitum, quod est contra Doctorem, & scopum huius definitionis, sub qua comprehenditur etiam satisfactio pro peccato, ad quam declarandam definit, & explicat rationem genericam satisfactionis: intelligitur ergo *aliàs indebitum* aliter spectare ad iustitiam rigorosè sumptam, quà diuiditur in distributiuam, & commutatiuam: de qua Philosophus 5. *Ethic.* Hæc enim requirit, vt satisfactio non sit ex aliàs *debitis* quocunque titulo; neque fiat ex bonis creditoris; sed ex bonis propriis, in quibus non communicat. Quam conditionem exigit Anselmus *lib.* 2. *Cur Deus Homo cap.* 19. & Guilielmus Pariensis *cap.* 7. Richardus *in* 3. *dist.* 20. Capreolus *in hac dist. qu.* 1. *art.* 2. *Ad primum*: & videtur supponere Apostolus per illud: *Quid habes,*

Quid intelligitur per aliàs indebitum.

Requisitū ad satisfactionē rigorosam.

Non est iustitia strictè sumpta ad Deum.

habes, quod non accepisti? Ex qua potissimùm ratione in nostra schola negatur iustitia rigorosè sumpta in Deo, vel ad Deum *infrà dist.*46. aut interuenire potuisse in satisfactione, aut meritis Christi, & iustorum, sed illam solam, quæ fundatur in fidelitate, & promissione Dei sub exhibitione operis boni: hic ergo intelligitur particula illa *aliàs indebitum* non absolutè, sed illo speciali titulo, per quem fundatur ius, aut debitum satisfaciendi, & sic verum est obligationem satisfaciendi Deo pro peccato esse ex aliàs indebitis, scilicet hoc titulo fundato secundùm iustitiam vindicatiuam peccati, quæ non inducit debitum satisfaciendi, nisi ex suppositione peccati, neque inducere posset: quia per peccatum solum ponitur inæqualitas, quam vindicatiua ordinat: & licèt aliàs hæc satisfactio fiat ex bonis, & gratia Dei, quæ aliàs non fieret: tamen ex speciali eius acceptatione, & lege, habet vim satisfactionis, & aliàs indebitæ, hoc speciali titulo, quòd sufficit ad seruandum medium iustitiæ secundùm satisfactionem latè sumptam, quæ magis fundatur in ordine ad Deum ex ipsius liberalitate, & acceptatione, quàm in redditione alicuius, quod aliàs non deberetur Deo vocanti, & adiuuanti.

Intelligitur aliàs indebitum ex titulo speciali iustitiæ vindicatiuæ.

Satisfactio nostra fundatur in liberalitate Dei, & acceptatione.

6 Ad satisfactionem ergo latè sumptam sufficit vt seruetur medium iustitiæ aliquo modo, & secundùm proportionem sit ad alteram ex debito peculiari, quod debitum non subsisteret, nisi ex peccato, quod ponit inæqualitatem, & sufficit vt opus satisfactorium sit aliquo modo ipsius satisfacientis per potestatem liberi arbitrij, quamuis alioquin sit sub dominio Dei, atque ex bonis eius. Hinc concludit Doctor, quòd hæc ratio satisfactionis latè sumptæ possit inueniri, non solùm in contractibus, & obligationibus, sed in actibus liberalibus voluntatis, vt redamando amantem, quantum ipse amat, benefaciendo pro beneficio recepto, ac tandem etiam inuenitur respectiuè ad Deum pro peccato. *Consimiliter,* inquit, *cùm culpa faciat delinquentem debitorem ei, in quem peccat, potest ibi recta ratio satisfactionis inueniri, vt scilicet reddat sibi æquiualens, & aliàs indebitum, quantum sibi abstulit per peccatum,* &c. Vnde colligitur non rectè quosdam nostræ Scholæ Doctores explicare præmissam definitionem de sola satisfactione rigorosa: nam licèt ad eam magis per se spectare possit, sumendo vltimam particulam, vt excludit omne ius creditoris diuersum, & in communicatione, aut dominio bonorum debitoris, aut alio titulo fundatum: seruata tamen proportione quadam, satisfactionem in genere potest accomodatè comprehendere, explicando illam particulam, vt iam explicuimus. Vnde Doctor infrà §. *Quantùm ad istum articulum*, &c. per *aliàs indebitum* respectiuè ad Deum creditorem intelligit opus supererogationis, quod non est ex debito præcepti.

SCHOLIVM.

Sententia Anselmi, non posse hominem satisfacere pro peccato, sine dependentia ad passionem Christi. Hanc intellectam de potentia absoluta, (vt videtur sensisse Anselmus, quia Incarnationem putat simpliciter necessariam ad redemptionem) clarè, & solidè refutat Doctor.

De secundo [c] dicitur, quòd non est possibile homini satisfacere de peccato Deo, quem offendit. Primò, quia per peccatum aufertur honor Deo debitus: nihil autem æquiualens honori eius potest à nobis sibi reddi. Secundò, quia peccatum mortale est infinitum malum: tantum enim malum est, quantus ille, in quem peccatur; nihil autem à nobis potest sibi reddi, nisi bonum finitum: ergo non æquiualens: ergo, &c. 4

Anselm. li. Cur Deus homo c.20
An possit homo pro culpa satisfacere.

Item, ex alio medio, scilicet *aliàs indebito*, arguitur sic: quia quicquid possumus Deo impendere obsequij, & honoris, totum debitum est ratione creationis, gubernationis, & redemptionis: ergo nihil possumus sibi impendere, quod sit indebitum sibi, etiam ab innocente, & per consequens aliàs debitum, quàm pro peccato.

Nihil habemus, quod non sit debitum Deo, aliquo modo.

Quid ergo? Dicitur quòd in virtute passionis Christi potest peccator satisfacere: quia illa passio intantum acceptatur à Deo trino, vt virtute eius acceptetur satisfactio illa, quæ secundùm se accepta non posset esse satisfactio.

Sed, [d] si illa opinio intelligat de potentia absoluta diuina, quòd non possit actum aliquem acceptare pœnitentis, tanquam satisfactionem istam pro peccato, nisi inquantùm coniungitur merito passionis Christi, improbatur primò, quia possibile fuit Filium Dei non fuisse incarnatum, nec per consequens, passum: & cùm hoc possibile fuisset, Deum produxisse prædestinatum ad Beatitudinem, & iustè, non tamen excludendo misericordiam: ergo possibile fuisset tunc pœnitentem sibi satisfecisse, quia non potest iustè peccatorem sine satisfactione beatificare.

August.

Confirmatur istud per Augustinum 13. Trin. cap. 10. *Fuit quidem & alius modus nostræ redemptionis possibilis, scilicet quàm per incarnationem, & passionem: sed nullus nostræ miseriæ sanandæ conuenientior*, ergo lapsus videtur posse sanari alia via, quàm per incarnationem, & passionem Christi. 5

Item, passio Christi non delet culpam nostram, nisi vt causa meritoria, & per consequens

Passio Christi, merito-

ne delet culpas. sequens vt causa secunda, quæ non est de essentia rei, imò reducitur ad genus causæ efficientis: sed quicquid potest Deus per causam secundam efficientem, potest immediatè: ergo sine illa posset iustè, & ordinatè remittere culpam.

6 Si dicatur [e] ad ista duo, quòd Deus posset sine Christo mediatore deleuisse culpam viatoris, & ita produxisse eum ad Beatitudinem iuxta primum argumentum, & immediatè iustificasse iuxta secundum argumentum: tamen non per viam satisfactionis, quia non fuisset aliquid æquiualens redditum tunc: nunc autem est totum æquiualens per passionem Christi, cum ista tamen tali quali satisfactione istius. Contrà, satisfactio est redditio æquiualentis pro æquiualente: sed quantum malum fuit peccatum auertens à Deo, tantum bonum est conuersio ad Deum ex charitate: quantum etiam bonum natum fuit inesse actui meo, tantum bonum & non plus abstulit peccatum meum, & tantum bonum potest inesse actui meo: sic ergo per illum omnino æquiualens redditur.

Satisfactionẽ hominis posse esse æqualem peccato, secluso Christo, de potẽtia Dei absoluta.

Si dicas, actus meus non sit æquiualens in bono illi malo in displicentia, nisi actus iste eliciatur ex gratia: sed prima gratia non daretur peccatori, nisi ex passione Christi. Contra hoc, quia de potentia absoluta benè posset dari prima gratia sine merito passionis Christi. Quod probatur, quia summa gratia data creaturæ, data est animæ Christi, & sine omni merito, nullo enim modo passio eius nec exhibita, nec præuisa erat meritum respectu gratiæ sibi conferendæ: imò priùs præuidebatur gratiam habiturus, quàm eius passio acceptanda.

Christus nõ meruit suã gratiam.

Item, passio Christi fuit bonum finitum, etiam accepta secundùm totam rationem meriti in ea: quia non erat bonum increatum, nec per consequens acceptatur à Deo infinitè ex parte obiecti: quia non fuit Deus beatus volendo illam passionem, sicut amando suam essentiam: si ergo infinitas in peccato prohiberet satisfactionem possibilem, etiam prohiberet eam posita passione Christi.

Passio Christi non est simpliciter infinita.

COMMENTARIVS.

7 c DE *secundo dicitur*, &c. Secundum, hoc est: an satisfactio sit possibilis pro culpa mortali ipsi homini? Proponit sententiam Anselmi *lib. primo & secundo*, *Cur Deus homo*: qui videtur sensisse non potuisse inueniri aliud medium redimendi hominem lapsum, præter Incarnationem. Videatur *lib.* 1. *cap.* 16. 17. & 20. *lib.* autem 1. *cap.* 12. & *lib.* 2. *cap.* 4. indecens fuisse aliud quodcunque medium ad hunc finem. Ex hoc autem deducitur nullam posse esse satisfactionem hominis pro suo peccato: quod ad præsentem disputationem spectat. Quod confirmat Doctor primò, quia per peccatum aufertur honor Deo debitus: cui nihil æquiualens à nobis reddi potest. Secundò, quia peccatum mortale est infinitum malum: & nihil reddi à nobis potest pro peccato nisi finitum. Tertiò, quia satisfactio, seu opus quodcunque nostrum non est ex aliàs indebitis; quia Deo debetur titulo creationis, gubernationis, & redemptionis: ergo ne quidem ab innocente potest sibi reddi aliquid indebitum. Hinc concluditur, quòd in virtute passionis Christi acceptatur nostra satisfactio aliàs de se insufficiens.

An sit possibilis peccatori pro sua culpa mortali. Sententia Anselmi. Probatur negatiua.

8 d *Sed si illa opinio intelligat*, &c. Hanc sententiam optimè impugnat Doctor. Primò, quia de potentia absoluta potuit Deus aliter, quàm per Christum reconciliare hominem per viam iustitiæ, cooperante tamen misericordia. Quod confirmat ex Augustino: *Fuit quidem & alius modus redemptionis nostræ possibilis*, &c. Quæ verba denotant liberari potuisse hominem per viam iustitiæ, & redemptionis: quia si Adam peccando per viam iustitiæ condemnauit posteros, ita vt voluntas nostra, vt fuit in Adamo, sufficiebat, vt titulo iustitiæ omnes in mortem condemnaremur, quantò magis ipsa voluntas creaturæ in se subsistens est capax, vt secundùm potentiam absolutam Dei reddatur efficax ad satisfactionem eo modo, quo possit esse ad Deum.

Impugnatio prioris sententiæ. Potuisse redimi hominem sine Incarnatione Christi.

Secundò probat, quia Christus tantùm vt causa meritoria deleuit culpam: ergo Deus posset etiam sine illa tollere culpam, quia causa meritoria neque est essentialis, & sine qua nequit poni effectus, cùm sit tantùm causa moralis: Deus enim siue liberaliter, siue ex pacto alicuius obsequij posset infundere gratiam, & remittere peccatum, quæ tantùm ex ordinatione Dei posita est in passione, & meritis Christi, non ex necessitate ineuitabilitatis. Hinc plures Theologi docent hanc satisfactionem fieri potuisse per puram creaturam quantùm ad æqualitatem, si constitueretur caput generis humani cum gratia proportionata: imò & Adam, si perseuerasset transfudisset iustitiam originalem in posteros, sicut transfudit peccatum: sed hoc remitto in materiam de Incarnatione. Videantur Theologi *in* 3. *dist.* 20. & *tertia p. quæst.* 1.

Causa meritoria non est essentialiter necessaria.

e *Si dicas ad ista duo*, &c. Adducit responsionem contra argumenta præmissa: nempe potuisse Deum iustificasse hominem sine Christo mediatore, non tamen per viam satisfactionis. 9
Contrà vrget, quòd per actum perfectæ charitatis posset reddi tantum bonum, quantum malum fuit peccatum: ergo æquiualens satisfactio. Dices actum non fieri dignam satisfactionem, nisi eliciatur à gratia, quæ non daretur peccatori, nisi dependenter à passione Christi. Contrà, quia posset dari prima gratia independenter à Christo, & eius passione de potentia absoluta: sicut eadem data fuit ipsi Christo liberaliter, & non ex meritis propriis, aut alterius: vt communiter Theologi docent 3. *part. quæst.* 1. *artic.* 11. cum Augustino *de dono perseuerantiæ cap.* 1. & *vlt.* *de*

Responsio. Impugnatur. Posse dari gratiam de potentia absoluta sine ordine ad meritũ Christi. August.

de corrept. & Gratia.cap. 11. lib. 2. de Peccatorum meritis, & remissione cap. 17.& lib. 13. de Trinitate cap. 17. serm. 9. in Euangelium Matth. serm. 8. de verbis Apostoli in Enchiridio cap. 38. & 40. Contrarium imponit D. Thomas Photino. Enumeratur etiam inter errores Origenis *lib. 2. Periarchon.* Cassianus eundem errorem imponit Pelagio *lib. 2. & 6. de Incarnatione*, asserens eum docuisse primò Christum fuisse purum hominem, & meruisse liberi arbitrij Deificationem:

Gratia data Christo sine meritis.

Error contrarius. Pelagij.

quod fuit mox causa erroris Nestorio, ad quod fortè lusisse videtur Prosper *in Epitaphio vtriusque hæresis.*

Vltimò tandem arguit Doctor, occurrendo solutioni, seu fundamento sententiæ oppositæ (qua ex infinitate offensæ negat possibilitatem satisfactionis in homine, etiam de potentia absoluta;) Passio Christi infinita non fuit, sed finita: ergo sic non satisfaceret ad æqualitatem, quod nemo admittit.

SCHOLIVM.

De potentia absoluta hominem posse satisfacere pro peccato, independenter à Passione Christi, pro opera supererogationis, non tamen de potentia ordinata, & reddit vtriusque rationem solidam.

QVantùm [f] ad istum ergo articulum, potest dici, quòd Deus de potentia absoluta posset dedisse peccatori post attritionem, tanquam post dispositionem congruam, & meritum de congruo, gratiam, per quam motus eius fieret contritio, & sic per satisfactionem deleuisse peccatum: quia per actum illum reddentem Deo æquiualens illi bono quod abstulit peccatum. 7

Posset etiam ille actus esse aliàs indebitus: quia licèt Deus posset velle nos obligare sibi, vt quicquid sumus, & possumus teneamur Deo: tamen ex maxima misericordia sua considerans nostram fragilitatem, & difficultatem ad bonum, noluit nos regulariter obligare, nisi ad Decalogum: & ita potuisset tunc ordinasse obligare hominem ad Decalogum, scilicet Christo non incarnato. Posset ergo tunc homo aliqua opera supererogationis exercere, quæ aliàs sibi essent indebita: & tunc saluaretur tota ratio satisfactionis.

Opera supererogationis nō sūt Deo debita in rigore, seu de iustitia.

De [g] potentia tamen ordinata Deus non disposuit alicui peccatori dare primam gratiam nisi in virtute meriti illius, qui erat sine peccato, scilicet Christi: quia sicut tactum est suprà, non disposuit sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quàm offensa eius erat sibi displicens: & tale obsequium eius est passio Christi, vel meritum eius, & sicut non disposuit dare gratiam peccatori sine passione, sine qua gratia nulla potest esse satisfactio omnino, quia nec æquiualens modo, nec simpliciter, nec in diuina acceptione: [h] ideò multò magis de potentia ordinata non est possibile satisfieri Deo de peccato, nisi in virtute passionis Christi.

Nulla datur nobis gratia sine passione Christi concurrente.

COMMENTARIVS.

10 [f] QVantum ad istum ergo articulum, &c. In hoc articulo proponit duas conclusiones; quarum prima est. *De potentia Dei absoluta potuisse Deum dedisse post attritionem, seu contritionem perfectam peccatori gratiam, per quam motus eius fieret contritio, & sic per satisfactionem deleuisse peccatum*, &c. Quia ille actus esset æquiualens, & in re, & in acceptatione diuina, & esset *alias indebitus* lato modo, idest, supererogationis, & non præcepti: quod sufficit ad satisfactionem latè sumptam.

Conclusio affirmatiua.

Hæc conclusio Doctoris patet ex principiis positis in §. præcedenti: impugnatur tamen acriter à multis Doctoribus, potissimùm à modernis. Tota controuersia versatur circa excessum peccati mortalis in ratione malitiæ, quà offensam Dei includit, supra omnem satisfactionem exhibitam à pura creatura, etiam iusta, quia dignitas personæ requiritur in satisfactione talis, vt persona satisfaciens sit æqualis personæ offensæ: cùm Deus ergo sit infinitus, & offensa attendatur penes dignitatem personæ offensæ, creatura verò finita, nequit satisfactio esse æqualis. Accedit & aliud fundamentum propter indignitatem, & statum peccatoris, quo redditur inhabilis ad satisfaciendum Deo, cùm sit distans per peccatum, & inimicus. Prima ratio, quam impugnat potissimùm Doctor in præmissis, tribuitur Alensi *in 3. part. quæst. 11. memb. 6. art. 2. ad primum.* & D. Bonauenturæ *in 3. dist. 20. q. 3.* & 4. Sed hi non concedunt infinitatem simpliciter in peccato; sed obiectiuam tantùm, licèt asserant eam excedere satisfactionem quamcunque prouenientem à creatura pura. Eodémque modo D. Thomas *3. part. quæst. 1. art. 2. ad 2.* & Caiet. Suarez. *sect. 7.* Paludanus *in 3. dist. 20. qu. 2.* Sotus *in 4. dist. 19.* Hi tamen omnes asserunt grauitatem illam secundùm *quid* infinitam excedere omnem satisfactionem possibilem à pura creatura. Medina autem *3. part. quæst. 1. art. 2.* docet peccatum esse infinitæ malitiæ simpliciter, quem sequuntur aliqui moderni apud Suarez *loco citato.*

Sententia cōtraria & eius fundamentū.

Requirit æqualitatem personæ inter satisfacientē & offensum.

Sententia Alensis, & D. Bonauent.

Sentētia aliorum de grauitate offēsæ, & improportione satisfactionis vt esse posset à pura creatura.

Sententia Medinæ.

Doctor autem *dist. 20. in 3.* asserit per actum charitatis perfectæ poni æqualitatem peccato: quem sequitur Vasquez *3. part. dist. 2. cap. 3.* reiiciens illam infinitatem, siue secundùm *quid*, siue simpliciter à peccato.

Infinitatem simpliciter reiiciunt communiter authores præfati, & discipuli Sancti Thomæ. 11

Sed

Consequẽtia doctrina. Sed non videntur consequenter loqui, quia si offensa crescit ex dignitate personæ offensæ, ita vt ex infinita dignitate Dei offensi per peccatum colligant ipsum esse simpliciter incompensabile per satisfactionem puræ creaturæ, & requiri, vt persona satisfaciens peccato sit infinita, vt seruetur perfecta æqualitas crescente valore satisfactionis in infinitum, sicut crescit offensa in peccato; sequitur vtrinque tam peccatum, quàm satisfactionem esse infinitam simpliciter. *Patet illa sequela, seu cõsequẽtia opinandi.* Probatur sequela, quia quæcunque causa per se requisita ad effectum propter excessum ejus agit, vt excedit totum genus causæ inferioris, cui improportionatus est ille effectus propter excessum eius, & defectum virtutis in causa inferiori. *Excessus in causa requiritur ob excessum in effectu.* Exemplum sit, calor vt sex, ad producendum calorem intensum vt sex requiritur, in quem nequit calor vt tria, aut vt quatuor: ac proinde agit vt calor excedens, nempe vt sex, non autem vt quinque, vel vt æquiualẽs calori vt quinque (quia sic agens non attingeret excessum in effectu tantum, quantum debet) non autem propter speciem, quia multi effectus sunt, qui ex specie sua non possunt produci à causa creata, quia in eius virtute non includuntur, vt patet in anima rationali, Angelo, & similibus; quæ produci solùm possunt à causa prima, ex ratione peculiari suæ speciei; quia nempe sunt incorruptibiles, & independentes à materia, à qua dependet tam actio, quàm effectus causæ creatæ, & ideò est corruptibilis.

12 *Cur excessus in causa requiritur ad excessum in effectu.* Loquor ergo de excessu formali, & secundùm intensionem, vt patet in exemplo allato, & etiam in proposito de satisfactione, quia potest creatura satisfacere, iuxta illos, secundùm æqualitatem: & si per impossibile non esset Deus, & homo peccaret mortaliter, non haberet illam grauitatem infinitam peccatum eius, licèt peccatum esset eiusdem speciei, & graue in malitia. Ad propositum, secundùm aduersarios, propter excessum offensæ, & satisfactionis exiguntur personæ infinitæ: ergo vt sub hac ratione, causantes excessum proportionatum, qui excedit virtutem totius causæ creatæ, & qui sit consequenter infinitus: quia excessus in causa est propter excessum in effectu: & secundùm ipsos persona creata potest simpliciter satisfacere Deo, licèt non quoad æqualitatem propter excessum offensæ, cui vt reddatur æqualis satisfactio, exigitur vt à persona infinita procedat, & ipsa fiat infinita: quidquid ergo sit de sequela opinandi, ne hæc quæstio semper recurrat de infinitate peccati, vt probemus seruari æqualitatem in proposita satisfactione puræ creaturæ, sit

13 *Conclusio.* *Prima conclusio.* Peccatum mortale in grauitate non excedit satisfactionem finitam, quæ exhiberi potest à pura creatura. Est Doctoris *in 3. dist. 20.* & in hac littera tam in conclusione, quàm etiam in secundo argumento. *Peccatũ posse æquari satisfactioni puræ creaturæ.* Probatur primò ratione Doctoris: quia in peccato mortali non est maior malitia quàm sit bonitas, qua priuat: sed hæc finita est secundùm aduersarios, & vt in actibus puræ creaturæ inueniri potest: ergo & satisfactio condigna peccato.

Respõsio Suarez. Respondet Suarez distinguendo maiorem quoad malitiam, quæ opponitur bonitati morali virtutis oppositæ peccato, concedit maiorem, quoad malitiam offensæ negat. Hæc offensa, inquit, est iniuria facta Deo, & nocumentum, quod nullam habet proportionem cum vlla bonitate, quæ inesset, aut inesse posset actui puræ creaturæ: vnde, inquit, vel non se habet vt priuatio, sed vt aliquod positiuum per modum nocumenti, quod infert quantùm est de se, voluntas peccatoris Deo, sicut meritum pœnæ est aliquid positiuum. Vel declarando illam rationem iniuriæ per modum priuationis, dicendum eam priuare iustitia, non quæ possit inesse actui honesto elicito à pura creatura, sed longè altiori, nempe illa rectitudine, quæ diuinæ maiestati secundùm se debetur, etiamsi à pura creatura exhiberi pro dignitate non posset: neque est inconueniens dari priuationem bonitatis, quæ inesse non potest: nam hæ priuationes non habent rationem priuationis, sed magna ex parte negationis; imputantur autem subiecto propter debitum fugiendi actum habentem tales negationes adiunctas.

Hæc doctrina Suaris repugnat principiis receptis; éstque obscura, & libera. In primis dari priuationẽ formæ, quam repugnat inesse siue secundùm rationem genericam, vt est visus in talpa, quà animal est; aut specificam, vt cæcitas in Petro, est contra priuationis definitionem; & hactenus inter Philosophos ignotum. 14 *Impugnatur.* *Priuatio quid sit.*

Si ergo illa altior rectitudo repugnat simpliciter creaturæ tam in actu primo, quàm secundo, nequit eius negatio esse priuatio: nec euasio illa quidpiam saluat de debito in homine fugiẽdi actus, cui annexa est illa negatio: quia quod est negatio respectu subiecti proximi, & non priuatio, etiam respectu subiecti remoti, habet eundem effectum, & denominationem, vt patet in omnibus formis, quæ eundem effectum, & denominationem habent respectu vtriusque subiecti, vt albedo respectu superficiei, & parietis: & quamuis sit in aqua debitum inclinationis naturalis repugnans frigori, negatio tamen Angeli in frigore non erit in aqua priuatio: est debitum in homine fugiendi prodigalitatem, quæ repugnat auaritiæ: non inde tamen negatio auaritiæ in ipso fundata mediante actu prodigalitatis erit priuatio moralis, aut physica: ergo quamuis sit debitum fugiendi actus peccati, non ideò quæcumque negatio fundata in actu transibit in priuationem nisi actus tollat formam oppositam. Antecedens illud patet ratione, quia sicut forma non mutat modum essendi ad subiectum proximum, sic etiam neque ad remotum; consequenter si est priuatio; aut negatio respectu proximi, erit respectu remoti. Deinde quidquid sit de peccato commissionis, quod versatur in actu, non sufficienter explicat illam iniuriam in peccato omissionis, siue sit pura sine omni actu, siue cum actu: quia actus non habet aliam malitiam, quàm solius omissionis actus debiti, hic actus debitus & omissus non haberet illam rectitudinem altioris ordinis, cuius omissio proinde non est negatio, neque priuatio talis. Quòd item statuat illud in positiuo vacillatio est: & peto quid positiuum illud sit, & quomodo explicari potest? oportet enim vt dicatur per oppositionem ad bonum: sed quantum crescit vnum, tantum & aliud oppositorum, quia eorum eadem est ratio, atque disciplina: ergo quantum erit malum, tantum erit ipsi bonum oppositum. Patet consequentia, quia si malum dicitur per oppositionem ad bonum, peto in gradu excedenti an malum sit malum? si malum: ergo habet bonum sibi peculiariter oppositum in *Forma eandẽ habet denominationẽ in subiecto proximo & remoto.* *Instantia ex peccatis extremis.* *Forma non mutat modũ essendi.* *Malitia omissionis.*

in eodem gradu: aliàs sequeretur non esse malum: omissa ergo hac doctrina Suarez

15 *Secunda probatio maioris.* *Oppositio peccati, quà priuat homo, & quà est offensa.*

Probatur maior principalis, & speciatim impugnando illam radicem infinitatis; offensa quæ est in peccato mortali, vel est oppositio peccati ad charitatem, quatenus dirimit amicitiam cũ Deo, priuátque vita spirituali: vel consistit in aliqua iniuria facta Deo: quidquid horum dicatur, erit finitum per oppositionem ad aliquam virtutem: ergo, &c. Maior patet, quia hæc ratio offensæ debet consistere in macula peccaminosa; aliàs non aggrauaret peccatum intra genus peccati: sic peccatum ergo est oppositum legi ex definitione Augustini, quòd *sit dictum factum*, &c. & consequenter alicui rectitudini virtutis, quam determinat lex; quæ rectitudo debet inesse actui: quia aliàs obligaret ad impossibile, quod est contra Trid. *sess.6.can.*18. Minor probatur, nulla virtus perfectiùs attingit Deum, quàm charitas, cuius rectitudo tamen est finita; & cõsequenter priuatio eius, vel quidquid ei opponitur: & idem dicendum de reliquis virtutibus, vt in confesso est aduersariis: ergo, &c. Confirmatur, repugnat aliquid inesse voluntati, nisi mediante ratione recta per oppositionem, aut conformitatẽ ad ipsam, ita vt tanta sit in ea bonitas, quanta conformitas, tanta malitia, quanta difformitas, vtraque tamen finita: ergo, &c. Maior patet ex definitione boni moralis, & mali moralis ad idem, nempe per ordinem ad rationem, seu regulam, in quo consistunt, quomodocumque explicentur. Minor patet, quia regula operandi dictat (siue sit lex, siue prudentia, siue fides) operandum secundùm vires, & modum conuenientem voluntati, quæ neque in obiectum, neque in finem, neque in reliquas circumstantias tendere potest, nisi per actum finitum, & finito modo: ergo nullam rectitudinem determinat inesse actui, quæ non sit finita: ergo nulla obliquitas siue dicatur priuatio, siue aliud, de quo ad præsens non refert, potest inesse voluntati per oppositionem ad regulam, quàm finita. Probatur consequentia: hæc oppositio est præcisè ad regulam, qua regula determinat rectitudinem oppositam: sed determinat eam debere esse finitam quoad substantiam, & modum; & repugnat rectitudinem aliter cadere sub obligatione, aut determinatione regulæ: ergo mensura vtriusque tam bonitatis, quàm malitiæ est finita, quæ est ipsa regula.

Charitas perfectior est cæteris in operando circa Deum.

Bonitas & malitia inest actui per rectã rationem.

Modus quo influit regula in actum humanum.

Responsio. *Impugnatur.*

Dices, peccatum esse contra Deum infinitum in ratione offensæ. Contrà, hæc euasio est merè verbalis. Non est contra Deum in actu primo consideratum, quia cùm Deus sit necesse esse, non datur priuatio, aut negatio sui *esse*, neque aliquid contrarium suo *esse*: quia omne aliud à Deo inquantùm ens, est creatum, & participatio diuini *esse*; ac proinde repugnat vt inferat, aut fundet priuationem, aut negationem diuini *esse*, sicut neque effectus fundat *non esse* causæ, à qua essentialiter dependet: sed magis includit, supponit, & exigit causam esse: neque est priuatio diuini *esse*, aut negatio ex affectu peccatoris, alias quilibet peccans vellet Deũ non esse, quod est falsum: quia sic supponeret errorem, & hæresim, si, quantùm est ex se, intenderet efficaciter Deum non esse: si inefficaciter omne peccatum esset contra charitatem si explicitè id vellet.

Peccato repugnat includere priuationẽ diuini esse.

Neque ex affectu peccatoris est priuatio diuini esse.

Dices, virtualiter & implicitè id velle. Contrà, ex natura rei non est connexum hoc cum suo actu; imò magis contrarium: quia operans virtualiter, & implicitè, vult omnia sine quibus repugnat actum esse; & cõsequenter Deum esse, sine quo nequit operari: qui vult enim finem, vult omnia necessaria ad finem: ergo implicitè saltem Deum vult esse, sicut seipsum vult, & operationem cum omnibus per se requisitis & connexis, vt est causa prima: ergo repugnat eum velle Deum non esse virtualiter, & implicitè, aliàs eadem voluntate vellet contradictoria. Deinde, si vult tantùm implicitè virtualiter: ergo non imputatur ei ad peccatum: ergo neque aggrauat eius peccatum in *esse* peccati. Probatur prima consequentia, quia omne peccatum est voluntarium explicitè præsupposità cognitione explicità prohibitionis, & peccati, à quo excusat ignorantia, & inconsiderantia inuincibilis. Deinde peccare potest Paganus cum inconsideratione Dei, quem ignorat, quin etiam Christianus, quia sufficit ad peccatum cognoscere regulam proximam, nempe esse contra legem iustam, & politicam; in quo tamen peccato esset offensa Dei, quæ in omni mortali reperitur: ergo circumstantia offensæ non esset in eo casu explicitè volita, aut cognita; & consequenter non haberet rationem aliquam malitiæ formalis in eo actu, quæ imputari possit ad peccatum. 16

Responsio. *Impugnatur.* *Voluntas finis efficax est virtualiter mediorum.*

Ad peccatum mortale sufficit cognitio regulæ proximæ.

Dices, peccatorem statuere rationem vltimi finis in creatura, peccando mortaliter. Contrà, non statuit positiuè, aliàs committeret hęresim: & peccaret semper in specie contra charitatem. Si negatiuè tantùm, hoc nihil aliud est, quam peccatorem non tendere in vltimum finem per opera virtutum, & prout voluntas Dei ipsum ordinauit; ex hoc tamen non sequitur eum velle Deum non esse, etiam implicitè, vt per se patet, sed tantùm non velle se peruenire ad vltimum finem, aut eum assequi sibi: nam si quis non velit applicare media necessaria ad finem, non quispiam interpretatur eum velle talem finem in *esse* rei non esse; sed non velle illum assequi sibi: aliàs nolens sumere Ordines, aut ingredi Religionem, semper peccaret: quia vellet hos status non esse: quod falsum est, & alienum à prudentia æstimare. Ex quibus colligitur peccatum non esse contra Deum in actu primo. 17

Responsio.

Aliud est velle finẽ non esse, & non velle finẽ existentem prosequi.

Probatur etiam non esse contra Deum in actu secundo, nisi finito modo, per argumentum iam factum de oppositione ad regulam: eatenus est contra Deum in actu secundo, quà est contra voluntatem eius: ergo vt est aliquo actu, cui opponitur peccatum, aliàs repugnat esse contra voluntatem eius, quà indifferens est in actu primo: quia sic vniformiter respicit opposita, seu contrarios actus voluntatis creatæ. Neque vt est contra quamcumque voluntatem Dei ipsi opponitur, nempe simplicis complacentiæ: quia etiam omissio actus supererogationis esset sic peccatũ: quia ille est secundùm complacentiam Dei, & simplicem eius voluntatem. Neque est contra voluntatem Dei, vt determinat de aliis rebus disparatis: ergo tantùm est contra voluntatẽ diuinam, quà determinatè respicit contrariam rectitudinẽ, eam præcipiẽdo: ergo ideò præcisè opponitur Deo, quia opponitur eius præcepto, quod determinat rectitudi- 18

Peccatum esse contra Deum finito modo, & cõtra eius voluntatem.

Quomodo peccatũ est contra Dei voluntatem.

ctitudinem contrariæ virtutis, & inquantùm eam determinat:sed oppositio peccati ad rectitudinem est finita,vt Suarez,& alij concedunt: ergo & oppositio peccati ad Deum, quod non aliter opponitur, nisi quia opponitur rectitudini, quæ est ratio principalis Doctoris à primo ad vltimum deducta: quamuis hæc ratio sufficiat.

19 *Secunda probatio principalis.* Probatur secundò illa maior:quia malitia in specie est finita, & limitata: ergo etiam ex circumstantia. Patet consequentia, quia accidens non excedit mensurã formæ, ad quam sequitur. Deinde malitia ex circumstantia non continet malitiam in specie:ergo non est infinita simpliciter,aliàs includeret omnem malitiam. Dices, in æstimatione morali esse infinitam. Contrà, hæc vt sit vera debet ipsi rei adæquari: ergo sicut in re non est infinita,sic neque in æstimatione. Concurrunt etiam rationes,quibus probatur satisfactionem Christi esse finitam; quarum vna est,quòd Deus non posset condignè,& ad æqualitatem punire peccatum, sicut nec meritum præmiare infinitum; quia omnis pœna, & meritum possibilia sunt finita.

20 *Tertia ratio. Peccatũ mortale non esse in genere cõtra iustitiam in specie.* Tertiò, patet conclusio:quia iniuria,quæ dicitur esse in peccato mortali, non opponitur iustitiæ in specie,& rigorosè sumptæ,sed in genere sumptæ; verbi gratiâ, inobedientiæ mandatorũ, aliàs esset in quolibet peccato, vt verbi gratia,intemperantiæ iniuria in specie,& malitia huius vitij, quod est falsum. Secundò,nullam infert iniuriam peccator Deo,loquendo de iniuria rigorosa: quia transgrediendo non lædit bonum Dei in fama, vita, aut quidpiam aufert ab ipso, quod resarciri deberet per restitutionem,aut auferri potest:quia Deus ex creaturis non crescit,neque decrescit: vnde nulla potest esse iustitia nostra propriè dicta ad Deum. Sic etiam nemo dicit seruum, non faciendo præceptum domini, facere contra iustitiam, licèt mereatur pœnam propter inobedientiam factam. *Satisfactio potest esse inter inferiorẽ, & superiores, & inequales.* Deinde,personæ inferioris ad superiorem potest esse condigna satisfactio;verbi gratiâ,plebei ad Regem,soluendo in pecunia,quod debet,& restituendo famam in integrum,quam abstulit; licèt aliis etiam pœnis puniantur hæc peccata ad exemplum populi, non ad satisfaciendum iustitiæ; sicut fures, quamuis satisfaciant per restitutionem in solidum, puniuntur laqueo ad terrorẽ aliorum;quæ punitio extrinseca est satisfactioni rigorosæ:ergo principium illud, in quo potissimùm fundantur authores cõtrariæ sententiæ,nempe quòd crescat satisfactio ex persona offerente, & peccatum ex persona offensa, licèt ex parte verum sit, non concludit intentum,vt manifestius erit respondendo ad argumenta. *Offensa includitur in peccato veniali.* Et pro confirmatione horum suppetit argumentum desumptum ex peccato veniali,quod est offensa Dei, & transgressio legis secundùm aduersarios,& dignum pœna:sed hoc, non obstante quòd sit contra Deum, non habet malitiam infinitam: ergo neque mortale eodem modo. Dices, esse offensam leuem in veniali,non ita in mortali. Contrà,grauitas & leuitas eorum non potest deduci ex persona offensa,quæ eadẽ est,neque aliunde, quàm ex oppositione ad legem, & virtutem, quæ consideratio eorum finita: vt concedunt aduersarij.

21 *Notabile.* Pro solutione ergo argumentorũ aduertendum peccatum mortale dicere offensam, iniuriam, inobedientiam, non tanquam circumstantias, sed tanquam essentialia;sic etiam dicitur mors, inimicitia ab effectu: quia est contra legem Dei: dicitur iniuria facta Deo per modum generalis inobedientiæ, quæ non dat malitiã actui in specie,eo modo,quo omnes transgressores dicuntur violare legem, & iniuriam facere per hoc Principi,aut Superiori. *Peccatum dicitur iniuria.* Dicitur offensa, quia tollit charitatem,& amicitiam;sic etiam dicitur inimicitia: quæ omnes denominationes sunt generales,nec spectãt ad speciem, & indiuiduum peccati mortalis; conueniunt enim omnibus mortalibus. *Dicitur offensa.* Ex quo colligitur non conuenire per modum circumstantiæ:quia hæc sequitur ad actum in indiuiduo,& per modum accidentis;quod in hoc rectè distinguitur à proprietate quòd hæc sequatur ad speciem,illud verò ad indiuiduum. *Non sunt circumstantiæ actus.* Ergo non intendit actum, neque aggrauat aliqua macula à specie actus distincta: quia ideò ista conueniunt mortali,quia est peccatum graue contra bonum virtutis,legis, & regulæ;quæ causalis intelligi debet formaliter. Sic etiam ideò auertit à Deo, quia auertit ab istis, quæ ordinant ad Deum, & consequenter à charitate.

22 *Prima obiectio. Ex inaequalitate personæ.* Obiiciunt ergo primò illud vulgare, quòd crescat offensa ex persona Dei læsa, contra quam est;satisfactio autem à finita persona non est ei proportionata: ergo. *Responsio.* Respondeo, in iis quæ sunt propriæ & rigorosæ iustitiæ, crescere offensam ex dignitate personæ offensæ, in aliis autem negatur; *Quando persona circumstãtia aggrauat actum.* quia in prioribus peccatis persona offensa aggrauat peccatum, quandoquidem lædatur ipsa eius dignitas, vt si percutiatur, interficiatur, aut derogetur eius famæ, sin minùs, negatur:quia tum dignitas personæ extranea est malitiæ peccati, neque vitiat actum. Vnde, quando quis transgreditur præceptum Principis, aut alicuius inferioris ab ipso delegati,committit idem in specie peccatum,si præcepta sint eiusdem speciei, licèt dignitas personarum sit dispar,quando non fit transgressio in personæ contemptum.In proposito,quando aliquis facit irreuerentiam Deo per blasphemiam, tunc committit diuersum in specie peccatum ab eo, quod faceret contra dignitatem Principis politici: quia personæ dignitas se habet vt circumstantia actus tribuens ei speciem; quando verò non læditur dignitas, erit circumstantia generalis, quæ non tribuit speciem actui, nisi per se intendatur. Offensa Dei in genere est circumstantia generalis inclusa in peccato mortali,quando etiam committitur cum ignorantia, aut inaduertentia Dei, ideò non aggrauat peccatum, nisi inquantùm opponitur legi Dei, & rectitudini oppositæ virtutis. Negatur ergo minor. *Secunda responsio.* Responderi etiam potest, admittendo maiorẽ,& negando minorem:quia etiam offensio personæ est finita,& compensabilis per actum contrarium, & perfectiorem, quantùm ad æqualitatem rei, modò cætera adsint, vt lex, & acceptatio,quæ requiruntur vt satisfactio sit formaliter legitima: quæ in operibus puræ creaturæ de possibili, & in casu quæstionis inuenirentur.

23 *Secunda obiectio.* Obiiciunt secundò, peccatum mortale propter nihil fieri potest: ideò autem quia incompensabile, vel quia infinitum: ergo. *Responsio.* Respondetur, negando minorem, quia peccatum veniale propter nihil committi potest,in quo ces- *Quare peccatum præ reliquis fugiẽdũ.*

sat

sat ratio assignata: causa ergo est, quia non sunt facienda mala vt inde eueniant bona: quia malum nequit esse medium ad finem bonum, cùm talis sit naturæ, vt nequeat ab intrinseco, aut ab extrinseco honestari: opus autem vt sit bonum, debet esse ex integra causa, quia malum ex quocumque defectu, ex Dionysio: non sufficit ergo finis bonus, sed requiritur medium bonum, & reliqua, vt patet in eo qui furatur propter eleemosynam.

24 *Tertia obiectio.* Obiicit Medina, peccatum destruit Deum quantùm est ex se, ex eo quòd sit causa tristitiæ in Deo, quantùm est ex se. Respondetur, negando suppositum, quia licèt dicat Scriptura Deum iratum, tristem, &c. propter peccata, vt ibi: *Pœnitet me fecisse hominem*, Genes. 6. vbi etiam dicitur tactus dolore cordis ob peccata hominum, loquitur modo accommodato affectui hominum, in quibus illæ passiones sunt: in Deo autem esse non possunt, in quo est iustitia, & misericordia, quæ supponunt peccatum, quod vindicetur, aut remittatur: alioquin si haberet peccatum ex se repugnantiam ad Deum, non posset Deus illud permittere. Dices, constituit peccator vltimum finem in creatura: ergo destruit Deum quantùm est ex se. Respondetur, ex dictis in probatione conclusionis negando assumptum. Aliæ sunt rationes aliorum, quibus probant satisfactionem puræ creaturæ non esse æquiualentem, sed probant tantùm non esse de rigore iustitiæ specialiter dictæ.

Scriptura loquitur quandoque accommodatè ad captum nostrum.

25 *Obiectio quarta ex Patribus. Responsio. Explicatio Patrum.* Obiiciunt vltimò Suarez, & Vasquez magnam turbam Patrum, quorum authoritates ad verbum scribere prolixum esset. Respondetur, Patres loqui in sententia Scripturæ, & prout status præsens exigebat, supposito peccato hominis, qui vniuersus cecidit, & fuit in massa perditionis, ac proinde impotens, vt satisfaceret supposita etiam Dei prouidentia, & congruentia, seu conuenientia ex ea desumpta. Sic loquitur Athanasius in Euangel. de passione, & cruce Domini. *Sed cùm videret*, supple Deus, *malitiam, neque mortale genus idoneum esse quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persoluere posset*, &c. *misertus nostra imbecillitatis*, supple Christus, *illam ipsam pœnam in se transtulit*, &c. Sic Basilius in Psalm. 28. negat vllum alium hominem nudum suffecisse persoluere pretium, supple de facto, stante præsente prouidentiâ. Sic etiam Cyrillus negat communem hominem potuisse pretium soluere *in prima epistola, seu Exegesi ad Valerianum de Incarnatione Verbi*, quæ est in Concil. Ephes. *c.* 17. & *lib.* 1. *ad Reginas: Sed siquidem*, inquit, *vt homo communis intelligeretur Christus, quomodo corpus eius ad rependendam omnium vitam sufficeret?* Item Proclus Episcopus Cycizenus *homil. de Natiuitate Christi*, negat hominem purum suffecisse in redemptionem, quia peccati debito subiacebat. Angelus non sufficit, quia pretium ei non suppetebat: loquitur ergo secundùm præsentem statum. Habetur in Concil. Ephes. *cap.* 7. Photius Patriarcha ex eadem ratione negat Christum suffecisse, si homo purus fuisset, contra Nestorium *in epistola de septem Concilijs ad Michaëlem; Nec illud*, inquit, *animaduertebat, quòd si naturam humanam à Verbi persona separaret, eam proprijs morbis laborantem reliquisset*, &c. Leo Papa serm. 1. de Natiuit. *Quia ergo primi hominis vniuersa posteritas vno simul vulnere sauciata corruerat, nec vlla Sanctorum merita conditionem poterant illata mortis euincere, venit è cœlo medicus singularis*, &c. & serm. de Passione: *Nam si pro peccatoribus sola se opponeret Deïtas, non tam ratio Diabolum vinceret, quàm potestas: & rursum, si causam lapsorum sola ageret natura mortalium, non erueret à conditione, qua libera non esset à genere*, &c. nempe hominis, qui obnoxius erat. Irenæus *lib.* 3. *aduersus hæreses, cap.* 20. sumit congruentiam ex eo, quòd filij adoptionis reduci deberent per filium naturalem. *Qua enim ratione filiorum adoptionis eius participes esse possemus, nisi per filium, qua est ad ipsum, recepissemus ab eo communionem, nisi Verbum eius communicasset nobis caro factum.*

Athanasius.

Basilius.

Cyrillus.

Proclus.

Photius.

Leo Papa.

Irenæus.

26 *Altera pars cõtrouersia de possibilitate satisfactionis à peccatore. Sententia negatiua.* Quantùm ad alteram partem controuersiæ, nempe an peccator de potentia absoluta possit pro suo peccato mortali satisfacere: prima sententia docet purum hominem non posse quoad æqualitatem satisfacere pro suo peccato mortali. Hanc sententiam tuentur quotquot reducunt impossibilitatem satisfactionis ad inæqualitatem ob infinitatem peccati, vel secundùm *quid*, vel simpliciter. D. Bonauentura *in* 3. *d.* 20. *q.* 3. & alij suprà citati, quos sequitur Suarez 3. *part. tom.* 1. *disput.* 4. *sect.* 7. citans alios; & Vasquez *disput.* 2. *cap.* 2. licèt ex aduersis rationibus; & hæc sententia est satis communis, licèt in eam adducantur plures, qui non de possibili, sed de facto loquuntur: citatur pro ea noster Doctor infrà hac quæst. §. *De secundo dico*: vbi asserit satisfactionem eiusmodi esse ex Dei misericordia acceptantis: non autem ex valore operis.

Secunda sententia Doctoris, & alioru affirmatiua. Secunda sententia est, licèt de potentia ordinaria nequeat fieri hæc satisfactio, de potentia tamen absoluta fieri posset, quantùm ad æqualitatem operis exhibiti. Hanc tenet Doctor *in præsenti litera*; vbi asserit quòd Deus de potentia absoluta potuit dedisse peccatori post contritionem, tanquam post dispositionem de congruo, gratiam, per quam motus eius fieret contritio; & sic per satisfactionem delere peccatum: quia per actum illum redderet Deo æquiualens bono isti, quod abstulit. Idem docet Alens. 3. *part. quæst.* 1. *memb.* 5. *art.* 2. *in corpore*, & *resp. ad* 1. & 2. quam satisfactionem fieri posse docet per contritionis motum ex gratia habituali. Paludan. *in* 3. *dist.* 20. *quæst.* 2. Richardus *in* 4. *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 7. vbi ait, si contritionis motus antecederet remissionem peccati, esse satisfactionem condignam. In hanc etiam inclinat Ruardus Taperius *art.* 6. §. *Sed hæc satisfactio.* Fauet etiam Caietanus 3. *p. quæst.* 1. *art.* & Vasquez, quatenus asserunt fieri quidem condignam satisfactionem per contritionem, si haberi possit ex propriis. Eam tuetur Medina reipsâ, quamuis impugnet Doctorem, quia admittit per contritionem perfectam dari æquiualens peccato.

27 *Secunda conclusio.* *Secunda conclusio.* De potentia absoluta posset satisfacere peccator per actum contritionis perfectæ pro suo peccato mortali quoad æqualitatem, prout docet secunda sententia. Probatur hæc *ex quæst. præcedenti*, quia nihil obstat: ergo, &c. Probatur antecedens, quia comparando actum ad actum tantum reddit, quantum abstulit per peccatum: quia esset æquè perfecta eius conuersio ad Deum in actu contritionis, *Probatio.*

quanta

Reſponſio. Impugnatur.

quanta fuit eius auerſio per peccatum : accederet Dei ordinatio, & acceptatio : ergo. Dices, non ſatisfacere ex propriis. Contrà, hæc conditio nō reperitur in ſatisfactione, etiam Chriſti Domini, vt aliàs probatur *d.*20.3. neque poteſt inueniri ad Deum: ſed illa fuit æquiualens, & perfecta; licèt non de rigore iuſtitiæ : ergo neque in propoſito obſtat. Dices, peccatum eſſe infinitæ malitiæ. Hæc reſponſio iam eſt reiecta in præcedenti.

Reſponſio. Impugnatur.

Dices, obſtare ſtatum peccatoris. Contrà, ſtatus peccatoris non repugnat, quin in eo fieri poteſt ſatisfactio de facto pro pœna temporali, peccato remiſſo, vt infrà probabitur : ergo de potentia abſoluta poteſt etiam contingere ſatisfactio pro peccato quantùm ad æquiualentiam. Probatur conſequentia, quia ſtatus peccatoris non inficit actum contritionis: ſed ſi hic actus fieret à iuſto, eſſet æquiualens: ergo etiam elicitus à peccatore erit æquiualens, comparando opus ad opus, contritionem ad peccatum.

28 *Reſponſio. Differentia inter meritum, & ſatiſfactionem.*

Dices, ſtatum peccatoris excludere meritum de condigno, & conſequenter ſatisfactionem de condigno. Contrà, meritum de condigno ſupponit ſtatum adoptionis, & filij, ac proinde reconciliationem peccatoris, quia regnum de facto promiſſum eſt filiis, & non extraneis, iuxta illud, *Non eſt bonum panem filiorum mittere canibus:* & ad Roman. 8. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti:* vbi loquitur de Sanctis, & prædeſtinatis: ſed ſatisfactioni extranea eſt reconciliatio, qua ſatisfactio attenditur ſecundùm iuſtitiam *redditio æquiualentis pro æquiualente.* Et contingere poteſt in politicis, etiam inter inimicos, ſecluſa reconciliatione, quæ eſt actus amicitiæ, & non iuſtitiæ commutatiuæ : ergo de potentia abſoluta contingere poſſet in peccatore pro ſua culpa, vt ſi aliquis ſtatueretur in pura natura ſine deſtinatione eius ad finem ſupernaturalem, ſeu adoptione ad gloriam, poſſet Deus pro peccato eius acceptare ſatisfactionem, qua accepta, extingueretur debitum peccati: non acquireretur ius ad regnum. Quòd autem de facto hoc non contingat, prouenit ex eo, quòd non ſit ſtatus medius inter filium Regni, & gehennæ, quamuis reconciliatio, qua reſtauratur ius filiationis, & adoptionis ad Regnum, ſit extranea ſatisfactioni, ſiue in eodem actu, ſiue in diuerſis conſiſtant: quia medium vtriuſque attenditur ſecundùm diuerſas virtutes.

Sine reconciliatione poteſt eſſe ſatisfactio.

29 *Suppoſitio caſus excludit ſolutionē datam. Reſpōſio Suarez.*

Deinde, illa ſolutio non currit in propoſito: quia ſupponimus hominem in propoſito reconciliari per gratiam, antequam contritio eius fiat ſatisfactio per modum meriti. Dices, cum Suarez, peccatum remitti infuſâ gratiâ, quæ infunditur antequam contritio ſit formata, & habeat vim ſatisfactionis : ac proinde non poſſe contritionem, ſeu ſatisfactionem ſubſequentem habere virtutem extinguendi debiti, & maximè per modum alicuius meriti : quia principium meriti non cadit ſub merito. Contrà, non eſt contra ſatisfactionem, quæ eſt talis, vt eam anticipet extinctio debiti, ſicut & meritum poteſt anticipari per præmium : ergo remiſſio peccati facta per anticipationem, non derogat ipſi, modò fiat in virtute, & acceptatione eius. Probatur conſequentia, quia paſſio Chriſti præuiſa, & nondum exhibita hoc modo in ſanctos Patres influxit per modum ſatisfactionis, & meriti : vnde illud axioma, quòd principium meriti non cadat ſub merito, licèt de facto verum ſit; non repugnat tamen quin de poſſibili cadat in diuerſo genere ſaltem, nempe vt intentione præcedat meritum, executione autem principium meriti eo modo, quo finis & medium ſunt ſibi inuicem cauſæ.

Præmiū anticipatum poteſt eſſe ex merito.

Confirmatio. 30

Confirmatur, iuſtitiæ non derogat, vt præmium ex conuentione promiſſum antecedat meritum, ſicut in operariis ſæpè contingit, qui per anticipationem ſui laboris ſtipendium recipiunt, & milites ſimiliter, vt arma, quibus pugnare debeant neceſſariò, ſi ſub merito cadere debeant, per anticipationem recipiunt, quia alioquin mereri ſine his non poſſint : eodem ergo modo, ſicut contritio nequit eſſe perfecta ſatisfactio, niſi ſit formata per gratiam; hinc anticipari debet per gratiam : neque inde minuitur ius, & debitum iuſtitiæ: nam ſicut per exhibitionem meriti acquiritur ius ad præmium mox reddendum, ſic etiam per anticipatum præmium acquiritur ius ad præſtandum ſuo tempore meritum.

Secunda ratio. 31

Secundò probatur concluſio : ſuppoſita ſententia illa, quòd gratia ex natura rei non ſanctificet, ſed ex voluntate Dei : ergo de potentia abſoluta poteſt eſſe ſimul cum peccato habituali : ac proinde fieri remiſſionem peccati aliter, quàm per ipſam : in eo caſu licèt neceſſaria eſſet gratia ad dignificandum actum, quo referretur in finem, remiſſio peccati fieret ſuppoſita contritione formata per modum condignæ ſatisfactionis : ſed quidquid ſit de hoc,

Tertia ratio. Non obſtare ſtatum peccatoris.

Tertiò probatur concluſio : non obſtat ſtatus peccatoris, quin illa ſit vera ſatisfactio, qui ſolùm obſtare poteſt : ergo de poſſibili contingere poſſet per ipſam extinctio debiti. Antecedens patet, quia ſatisfactio oritur ex debito, ſine quo non eſſet obligatio aliqua ſatisfaciendi : ergo ſatisfactio pro peccato ſupponit debitum peccati, vel certè peccatum non eſt natum fundare ius, & obligationem ad ſatisfactionem : & conſequenter non eſt contra naturam ſatisfactionis ſupponere ſtatum peccati, aut exhiberi in peccato, vt habeat vim extinguendi debitum : quia ſemper manet debitum ſatisfaciendi, donec exhibeatur ſatisfactio; & conſequenter peccatum: exhibeatur, inquam, ſatisfactio in intentione, vel in ipſo opere.

Satisfactio ſupponit debitū, cui non repugnat.

Reſponſio. Impugnatur. 32

Dices, peccatum tollere poteſtatem ſatisfaciendi. Contrà : ergo nequit fundare debitum ſatisfaciēdi in perſona peccatoris. Conſequentia patet, quia ad id, quod in omni caſu, & ſimpliciter eſt impoſſibile, nemo iure obligari poteſt : ſed hoc eſt contra ſuppoſitionem, quæ admittit poſſibilem eſſe ſatisfactionē, etiam condignam pro peccato, & eam deberi : ergo hoc debitum reſpicit peccatorem ipſum, quia ex operibus eius aliàs nequit obligari : ſed ius ad ſatisfactionem non extenditur vltra æquiualens : ergo hoc datum à peccatore erit ſatisfactio : poteſt autem peccator ex gratia præſtare æquiualens : ergo & ſatisfacere etiam in ſtatu peccati, de potentia abſoluta, eo modo, quo ſatisfactio poteſt eſſe in operibus noſtris ad Deum.

Confirma

33 *Confirmatio.* Confirmatur, virtus pœnitentia est pars iustitiæ, vt communiter docent Theologi *in* 4. *d.*14.15.16.17. sed eatenus est pars iustitiæ, quatenus ordinatur ad vindicandum peccatum, & satisfaciendum pro iniuria illata Deo per peccatum. Sed pœnitentia supponit statum peccati; ideò nequit esse in Christo, aut Beatissima Virgine: ergo satisfactio exhibita pro peccato non excludit statum peccati de facto. Concedunt autem communiter Theologi satisfieri pro peccato à pœnitente secundùm iustitiam quoad proportionem, licèt non quoad æqualitatem quantitatis: ergo si æqualis satisfactio esset in potestate peccatoris, non derogaret ipsi status. Ex dictis autem patet posse dari à peccatore æqualem satisfactionem, vt pertinet ad iustitiam per actum contritionis: ergo status peccati non obstat satisfactioni, aliàs nequiret ex parte etiam fieri satisfactio secundùm iustitiam.

Pœnitentia supponit peccatum, estque quadam satisfactio.

34 *Secunda confirmatio.* Confirmatur secundò, peccator, saltem vt membrum Christi, satisfacit pro suo peccato secundùm iustitiam, vt plerique admittunt aduersariorum cum Caiet. *tom.*1. *opusc. tract.*1.*c.*9. Soto *in* 4.*d.*19.*q.*1.*art.*2.*concl.*3.Ledesm.*in* 4.2.*p. q.*11. Hos.*in Confess.c.*73.& probatur, quia Christus secundùm iustitiam pro nobis satisfecit: ergo quatenus opera nostra innituntur satisfactioni Christi, sunt secundùm iustitiam: vnde quādo dicimur gratis iustificari, intelligitur ex parte, quatenus non sumus sufficiētes ad disponendum nos ex viribus propriis, sed per gratiam, & fidem, quæ donum Dei est, ex meritis tamen Christi debitum, disponimur: ergo satisfactio nostra, siue ex se, siue ex meritis Christi valeat, non repugnat statui peccatoris.

Satisfactio vt innititur meritis Christi, non repugnat statui peccatoris, & æquiualet.

35 *Obiectio.* Obiicies primò Scripturam, quæ dicit remissionem peccati fieri gratis, & non ex operibus, *ad Ephes.*2.*ad Titum* 3.*ad Rom.*3.&c. *Responsio.* Respondetur, de facto verum est: quia satisfactio de facto includit reconciliationem; & ideò fit gratis, & ex misericordia. Deinde fit ex gratia misericorditer data, & nō viribus naturæ, aut ex meritis; in quo sensu loquitur Scriptura. Vnde Trident. sess.6.c.5.*In sacris literis*, inquit, *cùm dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur: cùm respondemus, conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*; *Dei nos gratia præueniri confitemur.*

Satisfactio reconciliatiua.

Trident.

36 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò, remissio peccati fit per infusionem gratiæ: ergo non est contritio satisfactio æqualis. Patet consequentia, quia si loquamur de ea, vt antecedit, non est satisfactio: aliàs posset esse meritum respectu gratiæ, quæ gratis, & non ex meritis datu.; si autem loquamur de ipsa vt sequitur, supponit iam gratiam, & remissionem peccati: er^o non causat eam. *Responsio.* Respondetur, negando consequentiam: ad cuius probationem respondetur esse satisfactionē, vt subsequitur; supponeret autem remissionem peccati in eo casu per anticipationem in executione, & non in intentione. *Replica.* Dices: ergo de facto etiam contritio peccatoris est satisfactio condigna. *Soluitur.* Patet consequentia, quia est eiusdem valoris. Respondetur, quantùm ad æqualitatem, & valorem actus, conceditur; quantùm ad acceptationem diuinam, negatur; quia prima gratia, licèt in adultis cadat sub merito de congruo, aut impetratiuo, quod vocat meritum fidei Augustinus *epist.* 105. Cæterùm, quia est prima natiuitas hominis in Deo per Christum, non cadit sub merito personali: sed est principium meriti, sicut neque Incarnatio. Cæterùm de potentia absoluta non repugnaret cadere sub merito personali, sicut de facto datur ex meritis Christi. Aliter respondendo, negari potest consequentia: quia deficit ipsi bonitas ex circumstantia personæ iusti, quam habet de facto meritum de condigno. Aliæ obiectiones iam tactæ sunt in argumento. *Secunda responsio.*

Satisfactionē anticiparet remissio peccati.

37 *De potentia ordinaria non est possibilis talis satisfactio.* g *De potentia tamen ordinata*, &c. Hæc est secunda conclusio Doctoris, quæ est communis, & de fide, *ad Roman.*5. *ad Ephes.*2. *ad Galatas* 3. & aliis in locis. Id verum esse patet, & probatur fusiùs à Magistris in materia de merito. Probatur ex Trident.*sess.*6.*cap.*8.vbi docet; *Neque fidem, neque opera, quæ iustificationis gratiam antecedunt, ipsam iustificationis gratiam promereri*: & ideò dici ab Apostolo nos iustificari per fidem gratis. & cap.9. *Necessarium est credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum*, &c. c.16. & can.32. asserit *iustificatum per bona opera mereri vitam æternam, augmentum gratiæ*, &c. ergo quando intelligit remissionem peccati fieri in nobis gratis, & propter Christum, excludit meritum ex parte ipsius peccatoris, quod sit condignum respectu eius: & ita docet Doctor loco citato: *De potentia tamen ordinata*, inquit, *Deus non disposuit alicui peccatori dare primam gratiam, nisi in virtute meriti illius, qui erat sine peccato, scilicet Christi*, &c. Hæc conclusio fusiùs tractari solet in materia de Merito & Gratia, ex Scriptura, & Patribus, maximè ex Paulo *ad Roman.*5.*ad ad Ephes.*2.*ad Galatas* 3. & alibi sæpè.

Trident. *Probatio.*

Doctor.

38 *Contritio de facto est meritum de congruo.* Superest vt occurramus quibusdam modernis, qui etiam modum loquendi Doctoris reprehendunt, quòd vocet contritionem, seu attritionem perfectam meritum de congruo; quæ sæpè aliàs *suprà in præcedenti distinct.quæst.*2.& 4. nunc dispositionem præuiam, nunc congruam, nunc meritum de congruo appellat vtroque modo. & *in* 1.*d.*17.*q.*1.*art.*1. appellat meritum secundùm *quid*. Sotus *in lib.*2.*de Natura & Gratia, cap.*4. cui accedit Vasquez 1.*part. disput.*91. *cap.* 10. Omnino volunt Doctorem asseruisse hanc dispositionem, & meritum congruum esse ex puris naturalibus sine vlla gratia præueniente: & potissimùm vrgent locum, quem *suprà in q.*2. *præced. dist.* fusiùs explicuimus. Ex dictis ibi habent responsionem, & veram intelligentiā Doctoris. Vlteriùs contendunt voluisse intuitu illius meriti dari iustificationē; & sic eam esse ex operibus naturæ. Hæc calumnia euertitur ex præmisso textu Doctoris, qui nō indiget ponderatione, sed sola lectione. Scribam tantùm, seu exscribam textū per suas clausulas. *Reiicitur calumnia.*

39 *Explicatur textus.* *De potentia tamen*, inquit, *ordinata Deus non disposuit alicui peccatori dare primam gratiam, nisi in virtute meriti illius, qui erat sine peccato, scilicet Christi*, &c. Hæc vniuersalis negatiua cum limitatione posita ex parte prædicati, exprimit causam præcisam, & motiuum voluntatis diuinæ dantis primam gratiam iustificantem; siue intelligatur de sanctificante, quod magis intendit scopus discursus; siue etiam intelligatur de gratia præueniente, quam necessariam esse ex Doctore *suprà* demonstrauimus, quantùm ad effectum pœnitentiæ, quæ est medium à Deo concessum ad finem iustificatio-

nis ex ipsa voluntate iustificandi, & ideò sæpè à Patribus contra Pelagianos dicitur iustificans, quia ad ipsam iustitiam disponit. Hoc autem motiuum dicit præcisè esse merita Christi, non peccatoris: ergo intuitu meritorum Christi tantùm intendit hanc gratiam dari, tanquam ex motiuo iustitiæ, qua ipsam nobis meruit Christus, *qui factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur*, &c. Hanc conclusionem sic probat.

Passio Christi causa iustificandi peccatorem.

Quia, inquit, *non disposuit sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quàm offensa eius erat sibi displicens, & tale obsequium eius est passio Christi, vel meritum eius*, &c. Hæc probatio ostendit causam diuinæ voluntatis, seu motiuum præmissum iustificandi esse passionem, & meritum Christi. Deinde subsumit: *Et sicut non disposuit dare gratiam peccatori sine passione, sine qua gratia nulla potest esse satisfactio omnino, quia nec æquiualens aliquo modo, nec simpliciter, nec in diuina acceptatione*, &c.

Satisfactio sine gratia Christi est nulla.

40 Hîc repetit idem, & superaddit necessitatem gratiæ ad satisfactionem, sine qua neque est omnino æquiualens aliquo modo, secundùm *quid*, neque simpliciter, neque in acceptatione diuina, quæ non cohærent cum eo, quod est gratiam iustificantem intuitu meriti peccatoris dari à Deo. Quartò tamen concludit sic:

Fit satisfactio in virtute passionis Christi.

h *Ideò multò magis de potentia ordinata non est possibile satisfieri Deo de peccato, nisi in virtute passionis Christi:* ergo satisfactio congrua, seu meritum de congruo peccatoris per ipsum non est satisfactio, neque secundùm *quid*, neque simpliciter, neque in acceptatione diuina, nisi in virtute meritorum Christi.

Scopus Doctoris.

Aduertendum est hîc loqui Doctorem de satisfactione reconciliatiua, quæ nequit esse sine gratia sanctificante: vnde in prima conclusione dicit satisfactionem illam, quæ esset puri hominis pro suo peccato, habere rationem satisfactionis, vt informatur gratia, & redditur de attrito contritus. Hinc non euacuatur difficultas argumenti positi ad probationem satisfactionis, qua præcisè est actus iustitiæ, & ordinari possit de potentia absoluta Dei ad remissionem peccati hominis existentis in pura natura, absque reconciliatione sui ad Deum. De quo genere satisfactionis agit *infrà in hac quæst. & dist. 16. quæst. 2. §. Respondeo*, &c. *argumento secundo pro conclusione, in fine:* vbi ait Deum potuisse constituere hominem in statu puræ naturæ, & lapsum reparare sine infusione gratiæ: hîc ergo agit tantùm de satisfactione reconciliatiua: quando dicit sine gratia sanctificante non posse esse satisfactionem, neque aliquo modo, neque simpliciter, neque in diuina acceptatione.

41 *Reprehensio Soti diluitur.*

Sotus præfato loco reprehendit modum loquendi tam Doctoris, quàm aliorum Scholasticorum, diuidentium meritum in id, quod est de condigno, & id quod est de congruo: negat enim dari aliquod meritum de cógruo, pro quo substituit meritum impetratorium. In duobus tamen errat. Primò, quòd modum communem loquendi scholæ despiciat: secundò, quòd putet meritum impetratorium differre à merito de congruo.

Appellatio meriti de cógruo antiquior in Schola.

Dari porrò meritum de congruo est communis sententia Scholasticorum: vnde reiiciendi sunt quidam, qui authorem primum huius appellationis faciunt nostrum Doctorem. Guliel. Parisiensis *in tract. de meritis in principio* dicit iam præmissam esse partitionem magistrorum: & *tract. de virtutibus in principio* ait, esse aliquod meritum, quod non est de condigno, & vsualiter de congruo appellatur. Altisiodoren. *lib. 3. sum. tract.* 8. Alensis *3. p. quæst. 69. num. 5. art. 2.* D. Bonauentura *in hac dist. 1. part. dist. quæst. 5. art. 1.* & *in 1. art. 1.* Vbi ait dari causam meritoriam de congruo iustificationis. Idem reipsa admittant hinc deinceps Scholast. *in 1. dist. 17.* & *in 2. dist. 27. in 4. dist. 14.* D. Thomas 1. 2. *quæst. 114.* & *in 2. dist. 27. art. 4.* & fortè ex Augustino *lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2.* transumptum est primò hoc nomen congruitatis, quam ipsi vocationi attribuit: vocatus enim congruè, & cum effectu disponitur congruè, quæ dispositio vt ab ipso est, est meritum de congruo.

Reducitur ad Augustinum.

Quidquid sit, reipsa est sententia sancti Augustini, qui nomen meriti actibus fidei applicat, 42
vt ab iis cætera proueniant: nam Semipelagiani non contendebant initium bonæ voluntatis esse meritum de condigno gratiæ: sed sufficiebat illis qualiscunque gradus meriti, vnde solùm moueretur Deus ad dandam bonam voluntatem, & gratiam, quam appellationem meriti in ipsis non improbat Augustinus, sed confirmat eo ipso, supponens gratiam non esse gratiam, si intuitu actus solius liberi arbitrij daretur: de prædest. Sanct. c. 2. *Quis dicat*, inquit, *eum, qui iam cœpit credere, ab eo in quem credidit, nihil mereri*, &c. Et Epistola 105. *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides eam impetrat, neque enim nullum fuit meritum illius, qui dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori*, & Epistola 106. *Si quis dicat quòd gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imò gratissimè confitemur.* Augustinus tract. 44. in Ioannem. *Peccatores*, inquit, *exaudit Deus: si enim peccatores Deus non exaudiret, frustrà illi publicanus oculos in terram deiiciens, & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori & ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste cæcus illuminationem*, &c. Et in Psalm. 50. loquens de Niniuitis: *De incerto*, inquit, *pœnitentiam egerunt, certam misericordiam meruerunt.* Deinde communis Patrum vox est fidem esse impetratoriam: patet, *fides tua te saluam fecit*, &c.

Error Semipelagianorũ.

Meritum fidei.

Obiicies primò, neque Patres, neque Augustinus cognouerunt illam distinctionem meriti: 43 *Obiectio.*
vnde *de prædest. Sanctorum à principio* Augustinus torquens definitionem Concilij Palæstini contra Pelagium gratiam non esse ex meritis, ait etiam Semipelagianos ibidem esse damnatos: sed Pelagius loquebatur de merito de condigno tantùm: ergo idem dicẽdum de Semipelagianis aliàs malè dicerentur comprehendi in illa definitione. Respondetur Augustinum declarare definitionem Patrum iuxta fundamenta Scripturæ, & loquutiones Pauli Apostoli, qui negat aliquod opus bonum præcedere gratiam, neque dari ob opera quæcunque ante ipsam facta, etiam ex lege: aliàs gratia iam non esset gratia: ergo negant supponere meritum etiam inchoatum, aut imperfectum.

Responsio.

Meritum est ex gratia.

Obiicies, in peccatore nullum potest esse meritum ex August. de corrept. & Gratia, cap. 1. 44 *Secunda obiectio. August.*
In bono liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Loquitur autem de liberatione à peccato, nam

nam subdit: *Neque vt cùm vnusquisque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat sui liberatoris auxilio*, &c. Et epistola 106. negat ad gratiam esse meritum. Et author Hypognostici *lib. 3. cap. 5.* Dicitur homo præueniri a gratia vt sanetur. Respondetur iam sensum Augustini ex præallegatis esse indubium. Vnde epistola 106. *Cum fides*, inquit, *impetrat iustificationem, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici*, &c. Loquitur autem de augmento extensiuo, non intensiuo: ergo sensus illorum locorum est sine gratia auxiliante, nihil peccatorem mereri: nã author Hypognostici loquitur de gratia, quâ præparatur voluntas, quæ adiuuat nos vt declinemus à malo & faciamus bonum, & non loquuntur præcisè de iustificante.

Responsio.

45 *Tertia obiectio.* *Soluitur.*

Obiicies tertiò, peccatori nihil potest à Deo deberi, neque acquirit aliquod ius ad gratiam, sine his non potest stare meritum: ergo, &c. Respondetur id verum esse de condigno, non autem de congruo: nam S. Augustinus simpliciter appellat opera fidei meritum, & tale meritum vt si esset ex natura, iam gratia non esset gratia. ergo saluatur hîc aliqua ratio meriti, & verus titulus fundans ius. Obiicies ex altera parte Tridentinum *sess. 6. cap. 8.* negans opera, & fidem, quæ antecedunt iustificationem, ipsam iustificationis gratiam promereri, & ideò nos dici à Paulo gratis iustificari. Respondetur primò igitur acceptari ad præmium aliquando opus ex perfectione operis, aliquando ex operantis dignitate. Primi generis sunt opera fidei iustificantis in peccatore, quæ habent annexam promissionem diuinam, & acceptationem, si sunt perfecta, vt contritio, & amor Dei in gradu perfecto: & de his tantùm loquitur Augustinus, in quibus fundatur ius, vt subsunt acceptationi, & promissioni diuinæ; licèt à persona adhuc indigna proueniant. Concilium autem loquitur de iisdem operibus propter indignitatem peccati, cum quo consistunt antequam informantur: vnde cùm omne meritum includat personam, à qua fit, seu ordinem ad personam, quæ in proposito est peccator, hinc fit vt illis operibus sub hac ratione nihil debeatur, ac proinde præmium gratis detur. Quatenus verò proueniunt à fide iustificante, cuius intuitu acceptantur præcisè à Deo sub ratione meriti, quia sic habent annexam promissionem, & pactum, intuitu fidei, sunt meritum: non tamen in eo rigore, quo opera iustificati sunt meritum, quæ acceptantur etiam ex dignitate operantis.

Duplex acceptatio operis contingit.

46 Dices, Concilium loquitur absolutè de ipsis operibus, *quia neque fides*, inquit, *neque opera*, &c. Augustinus loquitur de iisdem, vt comparantur ad personam aliquando, vt loco citato epistola 105. *Neque enim nullum fuit meritum illius, qui dicebat: Deus propitius*, &c. ergo non cohærent. Responsum est, opera non abstrahere à persona eliciente, licèt ab ipso non participent dignitatem, sed à fide: meritum enim fundat titulum, seu ius ad alterum, quod nequit esse nisi inter diuersos, sicut & omnis iustitia ad alterum est, & fundamentum omnis honestatis est libertas in actu, quâ est ab eliciente: & hac ratione Augustinus dicit meritum fuisse illius Publicani, ratione tamen fidei acceptatæ præcisè, vt præcedentia verba significant: *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides eam impetrat*, &c. vbi in fidem refert rationem meriti. Neque hoc meritum negauit Concilium, cùm dicat fidem iustificare, quia radix, & initium eius est: conuenit ipsi moraliter iustificare, vt habet scilicet annexam promissionem diuinam, & inuoluit reliquos actus disponentes, vt per dilectionem operatur. *ad Rom.* 14. *ad Ephes.* 5. Non tamen physicè, quatenus ostensiua est. Admittunt etiam Patres, & Augustinus remissionem peccatorum gratis fieri, & consequenter iustificationem, cum Paulo *ad Rom.* 3.

Meritũ fidei secundùm acceptationem operis.

Respondetur secundò, Concilium excludere meritum rigorosum, & de condigno, quale statuit in iustis *eadem sess. cap.* 16. Vnde *cap.* 7. causam meritoriam nostræ iustificationis statuit solum Christum, vbi loquitur etiam de causa meritoria in rigore, & simpliciter. Cæterùm admittit necessariam esse dispositionem nostram, & præuiam, vt patet ex capitibus præcedentibus, ex cooperatione liberi arbitrij ad gratiam Dei vocantem, & adiuuantem: quod perinde definit *can.* 3. & 4. Hanc autem dispositionem ita nos præparare docet *prædicto cap.* 7. vt effectus gratiæ maiores ex perfectione, & mensura excedente dispositionis admittat concedi, & *secundùm propriam cuiusque cooperationem*: ergo admittit perfectionem gratiæ, & iustificationis correspondere conuersioni peccatoris, & dari intuitu eius: cooperatio autem hæc, & dispositio non inducit perfectionem in effectu, nisi quâ habet aliquam rationem meriti: quidquid enim datur intuitu operis, & cooperationis peccatoris, datur tanquam aliqua merces; licèt ergo Concilium negat meritum de condigno ex parte nostri: quia soli Christo competit esse causam meritoriam de condigno nostræ iustificationis: non tollit meritum de congruo, quod declarat sub appellatione dispositionis, & cooperationis iustificati. 47

Secunda responsio.

Vtrũque meritum admittit Conciliũ.

Atque hinc patet quomodo concordet doctrina præmissa Doctoris in conclusione secunda, per omnia Concilio, negans posse peccatorem pro suo mortali satisfacere, nisi in virtute meritorum Christi. Quod etiam capite nono docet Concilium: *Quamuis autem*, inquit, *necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum*, &c.

Remissio peccatorum in Christo.

Vt ergo magis hoc declaretur, supponendum est, licèt Christus pro omnibus mortuus sit, vt docet Concilium, *cap.* 3. non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt: sed ij duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur. Hoc idem definit *sess.* 5. *can.* 3. vbi definit originale non tolli per vires naturæ, aut aliud remedium, quàm per meritum Christi: vbi ait applicari nobis illud meritum sufficienter per Baptismum. Potest & idem meritum applicari per fidem iustificantem, eam scilicet, quæ per dilectionem operatur. ad Galatas 3. ad Romanos 14. *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris*, & Trident. *sess.* 6. *cap.* 2. & 4. & *sess.* 14. *cap.* 4. docens cum voto tantùm Sacramenti contingere iustificationem peccatoris per fidem, vt ei coniuncta est pœnitentia perfecta, & amor Dei. Sacramentum quidem ex opere operato, & sui institutione iustificat habens efficaciam ex voluntate instituentis, & meritis Christi. Fides ex opere operantis, prout scilicet habet annexam Dei accepta- 48

Declaratio prædictæ responsionis.

Applicatur meritũ passionis duobus modis.

Fides applicat & quomodo.

 tionem,

tionem, quæ facta est intuitu operum Christi, atque ex ipsis Christi meritis, & morte, quibus innititur, habet illam acceptationem, non solùm, vt quidam volunt, quatenus est ex gratia Christi præueniente, sed quatenus in meritis Christi acceptatur tanquam ex ratione formali *ob quam* acceptationis: sicut autem operatur Sacramentum instrumentaliter iustificationem, applicando merita Christi, & hæc principaliter iustificant in genere causæ meritoriæ, & vterque modus causandi discernitur ex ordine, & modo causandi ipsarum causarum, ita & in fide vtrunque similiter discernitur, & saluatur, vt fides inquantùm applicans, acceptetur, & inquantùm applicata merita Christi continet, acceptetur aliter; & hoc secundo modo acceptatur eadem acceptatione, qua ipsa Christi merita acceptantur in ordine ad effectum iustificationis, & hæc est acceptatio eius secundùm iustitiam, ita vt ipsa opera Christi applicata acceptentur. Altera acceptatio est ipsius fidei, & gratuita, seu ex motiuo misericordiæ, quia & donatur peccatori; neque eam potest habere ex propriis, scilicet natura, & lege; sed ex gratia & dono Dei.

Coniũctio causarum in iustificatione.

Duplex acceptatio fidei.

49 Sicut ergo ex gratia, & dono Dei datur indigno, sic etiam ex gratia, & dono Dei misericorditer acceptatur, nam eadem est voluntas, quæ respicit finem, & medium: sicut ergo iustificatio ipsa, quæ est finis fidei iustificantis, vt comparatur ad peccatorem, est merè gratuita, ita etiam quà acceptat conuersionem eius, & dispositionem ex fide, quæ habet rationem medij, est gratuita, & hoc est, quod intendit Concilium, & Paulus quem sequitur, quo excludatur omne medium, siue naturæ, siue legis, efficax ad iustificationem, atque independens à meritis Christi: quia ergo non ex debito datur conuersio, sed ex gratia, ideò gratis iustificamur, quia tamen datur iustificatio ipsa cum conditione operis ex motiuo non solùm misericordiæ, sed iustitiæ etiam vindicatiuæ, ideò seruat medium huius iustitiæ, ita vt per modum pœnæ, & satisfactionis acceptetur à Deo, non verò per modum meriti de condigno, quod procedit secundùm iustitiæ commutatiuæ medium, & non vindicatiuæ: & sic acceptantur merita iustorum.

Quomodo gratis iustificamur.

Dari iustificationem ex motiuo, & secundùm medium iustitiæ vindicatiuæ.

50 Dices, satisfactio ipsa fundat ius ad extinctionem debiti: ergo perinde est impossibilis peccatori, sicut & meritum. Respondetur, admittendo consequentiam, sicut eam admittit Doctor: quia hìc totum operatur misericordia Dei subuenientis peccatori, cui admiscet modum explicatum iustitiæ vindicatiuæ vt donatio ipsa, & mediante dono acceptatio, licèt sit simpliciter misericordia, non tamen omnino liberalis, & sine onere: sicut ergo talis conuersio peccatoris per pœnitentiam, vt omnes docent, saluat aliquale medium satisfactionis, ita etiam inquantùm habetur à Deo dante iustificationem, & gratiam sanctificantem ratio ipsius operis, & eius perfectionis, vt perfectiori perfectiorem etiam effectum gratiæ, & condonationis tribuat (ex Concilio, *loco citato*, & *in sess.* 14. *cap.* 2. & frequentissimè in exercitio contingit non solùm condonari culpam, sed totam etiam pœnam ex perfectione conuersionis) ita etiam seruatur in eadem conuersione proportio meriti quædam, vt crescat effectus, & acceptatio eius ex perfectione operis, quod sufficit vt meritum dicatur secundùm *quid*, vel de congruo. Congruit enim diuinæ bonitati supposito quòd exigat cooperationem, & conuersionem peccatoris adulti ad remissionem peccati, & reconciliationem, vt quò perfectiùs cooperaretur, eo etiam perfectiùs iustificaretur: tum quia perfectiùs applicat merita passionis, quia opus conuersionis sequitur gradum vocationis, quæ perfectior est in vno, quàm altero.

Replica.

Soluitur.

Congruitas meriti fũdatur in acceptatione & ordinatione liberali Dei.

Vnde Augustinus in Psalm. 50. *Veritatem dilexisti, hoc est, impunita peccata eorum, quibus ignoscis, non dimisisti: sic prærogasti misericordiam, vt seruares veritatem: ignoscis confitenti, sed seipsum punienti; ita seruatur misericordia, & veritas:* (idest iustitia) *misericordia, quia homo liberatur, veritas quia peccatum punitur,* &c. Et antea dicit, *veritatem dilexisti, impunita peccata eorum, quibus ignoscis, non reliquisti,* &c. Nazianz. *Orat.* 14. inquit, *vltionum est Dominus, qui licèt ob clementiam à seueritate ad remissionem inclinare consueuerit, non tamen in omnibus parcit peccantibus, ne illi bonitate sua fiant deteriores.* Origenes hom. 3 in Iudic. *Vide benignum Dominum, misericordiam cum seueritate miscentem, & ipsius pœnæ modum iusta & clementi libratione pensantem,* &c. Gregor. lib. 9. Moralium cap. 27. *Delinquenti*, inquit, *Dominus nequaquam parcit, aut enim ipse homo in se hoc pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit,* &c. Et hoc tandem est iudicium quod in nos ipsos exercere debemus ex Apostolo 1. *ad Cor.* 11. *Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur:* nam sic in diuinis Scripturis misericordia & veritas coniunguntur, vt optimè notauit Augustinus *lib.* 2. *de Peccatorum meritis & remissione, cap.* 19. *Misericordiam, & veritatem diligit Deus.* Psalm. 83. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi.* Psalm. 84. *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.* Psalm. 24. ita etiam concurrunt in peccatoris iustificatione. Vide Doctorem *suprà dist.* 2. *quæst.* 1. §. *Hic sequitur corollarium.*

51 *Conuersio sequitur gradũ vocationis.* Augustinus.

Nazianz.

Origenes.

Gregor.

Concursus misericordiæ & iustitiæ in operibus Dei.

Ad confirmationem huius solutionis facit ipsum Concilium *sess.* 14. *cap.* 8. *de satisfactione.* Vbi clementiam, & iustitiam Dei admixta huic operi docet. *Sanè & diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante Baptismum, per ignorantiam deliquerint, aliter verò, qui semel à peccati, & Dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono scienter templum Dei violare, & spiritum contristare non formidauerint: & diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta peccata leuiora putantes velut iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto in grauiora labamur,* &c. Et *cap.* 2. *in fine* dicit ad integritatem Baptismi peruenire non posse sine magnis fletibus nostris, diuina id exigente iustitia.

52 Trident.

Ex quibus constat ad remissionem peccati per pœnitentiam operari diuinam voluntatem, etiam ex motiuo iustitiæ, quæ non qualemcunque displicentiam nostram acceptat per modum satisfactionis, & ipsam veram conuersionem per modum satisfactionis acceptare, & exigere, quod & probant quæ distinctione præcedenti adducta sunt de pœnitentia virtute, eiúsque definitione, & ratione. Sicut ergo admittitur in eadem medium iustitiæ vindicatiuæ, ita non repugnat eam appellari meritum de congruo, & secundùm *quid*, non autem simpliciter, seu condignum, quod præter acceptationem operis exigit aliam acceptationem ipsius personæ operantis

tantis secundum gratiam adoptionis: nam filiis promissum est Regnum, & hæreditas, peccatoribus non ita: qui ad pœnitentiam vocantur in Scriptura, vt peruersitate abiecta filiorum adoptionem acquirant, vt dignos fructus pœnitentiæ faciant, iusti verò ad iustitiæ fructus inuitantur vt euntes de virtute in virtutem, thesaurum meritorum congerant.

53 *An satisfactio nostra seclusa acceptatione Dei valeat.* Petes an opus nostrum sit satisfactorium pro pœna temporali, seclusa Dei acceptatione. Respondet Vasquez *3. part. quæst. 94. art. primo dub. 3.* affirmatiuè; qui asserit satisfactionem, quæ fit extra Sacramentum, seclusa omni Dei acceptatione, esse satisfactoriam ex natura operis; & sequitur ad ea, quæ docuit de merito 1. 2. *disp.* 214. *cap.* 11. asserens meritum non requirere Dei acceptationem. *Sententia Vasquez.*

Conclusio Trident. Probatur specialiter conclusio negatiua ex Trid. sess. 14. cap. 8. *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre*, &c. Hæc verba clara sunt: si ergo opera nostra sunt satisfactoria in Christo, id est, accipiunt ab eo valorem, & ex eius meritis: sequitur quòd non sunt satisfactoria ex natura sua intrinseca tantùm: sed omnis satisfactio, quæ est in Christo, inuoluit Dei acceptationem, qua voluit illius opera pro nobis acceptare: ergo, &c. *Satisfactio nostra in Christo est.* Dices, hic loqui Concilium de satisfactione sacramentali. Contrà, hoc in primis falsum est, vt patet ex tractatu: quia agit de satisfactione in genere, quamuis in ordine ad sacramentalem; & quidquid sit de hoc cap. 9. *Responsio impugnatur.* *Docet præterea tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem. Et non solum pœnis sponte à nobis susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.* Trident.

SCHOLIVM.

Satisfactionem magis consistere in actibus pœnalibus, & passionibus voluntariis, & reducuntur ad internam displicentiam, id est, detestationem peccati, & tristitiam, confessionem, verecundiam, orationem, ieiunium, & eleemosynam.

DE tertio [1] dico, quòd satisfactio in isto intellectu magis consistit in actibus pœnalibus, vel passionibus voluntariis, quàm in aliis actibus bonis non pœnalibus, licèt quandoque posse per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri: quia benè potest Deus actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita vni culpæ: licèt enim non sit propria punitio, est tamen maius bonum, & magis Deo reddens honorem, quàm illa quæ esset propria illius punitio. Sed regulariter, sicut culpa ordinatur per pœnam, & non per aliquod aliud magis bonum, quàm sit culpa: ita satisfactio isto modo dicta consistit in actionibus, vel passionibus habentibus rationem pœnæ. 8 *Satisfactio in quo consistat.*

Et hoc est quod dicit Augustinus *de vera, & falsa pœnitentia*; & ponitur distinct. decima sexta, cap. primo. *Sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus: pœnitentia enim grauiores fructus postulat, vt dolore & gemitibus mortuus impetret vitam.*

Isti autem actus pœnales, vel passiones voluntariæ, in genere, reducuntur ad actum interiorem displicentiæ, vel passionem tristitiæ, & ad actum exteriorem confitendi proprium peccatum, quod est valde pœnale. Vel passionem concomitantem, scilicet verecundiam, & ad actum simpliciter exteriorem, vel passionem, scilicet macerando carnem: & omnis talis maceratio dicitur contineri, vel reduci ad ieiunium: vel eleuando mentem in Deum, & hoc fit per orationem: vel sua temporalia erogando, quod fit per eleemosynam. *'Aduerte an rectè Suar. tom. 4. d. 37. s. 5. perceperit sententiã Scoti de actibus internis.*

COMMENTARIVS.

54 *Satisfactio in pœnalibus regulariter cõsistit.* 1 DE *tertio dico*, &c. Sententia Doctoris est, regulariter loquẽdo satisfactionem consistere magis in actibus, & passionibus voluntariis pœnalibus. *Regulariter* dicit, quia etiam secundùm æquiualentiam actus bonus charitatis posset acceptari à Deo: quia ipsi gratius esse posset, quàm satisfactio pœnalis debita tali peccato. Quia tamen peccatum secundùm iustitiam vindicatiuam, ex lege ordinatur per pœnam, & non per aliquod magis gratum; ideò regulariter requiritur pœnalis. In hac conclusione fortè non est magna controuersia inter Doctores. S. Thomas *in hac dist. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 1.* dicit satisfactionem debere esse pœnalem, ita vt opus bonum, nisi sit pœnale, non sit satisfactorium. Similè D. Bonauentura. *2. par. distinct. art. 1. quæst. 3. ad 4.* Richard. *art. 1. quæst. 3.* Palud. *quæst. 3.* Durand. *quæst. 5.* Alens. *4. quæst. 84. mem. 2. art. 2.* Henric. *quodlib. 8. quæst. 18.* Intelligendo hanc sententiam regulariter idem dicit Doctor: intelligendo eam tamen rigorosè, vt sonat; non omnino consentit, quin actus charitatis, & perfecti meriti possit esse satisfactorius. *Actus charitatis satisfactio æquiualens.* Alij docent quemcumque actum meritorium esse etiam satisfactorium. Pro hac citat Vasquez *3. par. quæst. 49. art. 1. dub. 5.* nostrum Doctorem; eamque ipse sequitur: sicut & Victoria *in sum.* Sotus *dist. 19. quæst. 2. art. 1.* Ioannes de Medina *cod. de satisfactione quæst. 4.* neque discedit ab hac sententia Suarez *disp. 37. sect. 6.* asserens omne opus honestum virtutis esse pœnale aliquo modo, quia arduum, & difficile. Cæterùm D. Thomas *Sententia docens omnem actum meritorium esse satisfactorium.* D. Thomas.

mas aliter sentit, quia distinguit opus bonum ab opere pœnali, & ita reliqui; quia opus pœnale est istud per Antonomasiam, quod reducitur ad tria illa genera, quæ communiter enumerantur.

55 *Requiri ut sit regulariter pœnale. Probatio.* Probatur ergo conclusio, requiri opus satisfactorium regulariter esse pœnale. Patet ex Scripturis, Ioelis 2. *In ieiunio, & fletu, & planctu*, &c. Matth. 3. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*, Psal. 50. per totum. Et nullibi fit mentio pœnitentiæ in Scriptura, quin exaggeret modum eius, quantùm ad pœnam, & punitionem debitam. Secundò, Patres eodem modo pœnitentiam commendant, quà est pœnalis: vt patet ex Canonibus pœnitētialibus antiquis. Hinc Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. dicit pœnitentiam à Patribus dici laboriosum Baptismum. Tertiò, idem confirmat praxis Ecclesiæ: quæ grauioribus delictis aggrauat etiam pœnas satisfactorias: vt patet in toto titulo *de pœnitent. & remiss.* Quartò, ipsa pœnitentia, quæ in vindictam peccati concipitur, id ipsum dictat, vt secundùm mensuram delicti fiat eius castigatio: nam vt *suprà* diximus ex Authore *lib. de vera & falsa pœnitentia*, pœnitentia dicitur ab hoc, quod est *pœnam tenere*.

Confirm. Trident. Vltimò tandem confirmatur ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. vbi dicit id exigere diuinam iustitiam. Deinde diuinam clementiam, ne facilis venia peccatores incurios faceret, & contemptores, seu pronos ad lapsum. Deinde hæc opera pœnalia frænum iniiciunt peccantibus; quâ non est inuenta in Ecclesia securior via ad amouendam iram Dei, quàm frequentatio illorum; si ergo Deus vindex principalis, & legislator ordinat peccatum per flagella, & pœnas etiam temporales, & hunc modum exigit eius iustitia, sequitur quòd vindex ministerialis eadem debet adhibere, vt conformis sit legi, & legislatori. *Minister debet conformare se iudici.* Accedit & alia congruentia ex conformitate ad Christum, in quo fuerunt plura merita, quorum quodlibet ex valore operis sufficiebat ad redemptionem, pro plena tamen satisfactione diuinæ iustitiæ, passionem & mortem sustinuit pro peccatoribus: ergo hi, vt passionum eius sint participes debent similiter satisfacere pro peccato in pœnalibus, & non adblandiri sibi in quibuscunque operibus, quasi aliter non curent satisfactionem Deo præstandam: nam, vt *suprà* ostensum est, regulariter, & ex præcepto tenetur quis etiam raptus ad martyrium, si recordatur peccati, de eo pœnitentiam formalem habere: ergo seruari debet etiam eadem proportio in aliis operibus satisfactoriis, vt sint pœnalia formaliter, sicut est pœnitentia interior. Hinc rectè monet Concilium confessarios, ne ex indulgētia fiant participes peccati alieni, minima quædam pro peccatis grauibus imponentes, & curent vt pœnitentia iniuncta non solùm sit ad custodiam, & medicinam nouæ vitæ: sed etiam ad vindictam, & castigationem peccatorum præteritorum. Deinde non agnoscit Concilium aliud genus satisfactionis quod per modum satisfactionis correspondeat culpæ, nisi hoc opus pœnale voluntariè assumptum, vel impositum, vel certè à Deo inflictum, & patienter acceptum, & toleratum. vide Concilium *cap.* 7. & 9. *Regula præscripta confessariis.*

Hinc itaque rectè Doctor reducit satisfactionem ad actus pœnales interiores, & passiones, ad actum confitendi, & verecundiam inde redundantem, & ad actus voluntarios exteriores, & passiones, quæ sunt ieiunium, oratio, & eleemosyna: & hoc loquendo regulariter, & attenta facultate pœnitentis, & statu, vt *infrà* videbimus. Cæterùm hæc non derogant charitati, eiúsque acceptationi, & operibus fidei, quæ impettatoria sunt: maximè quando in finem satisfactionis eliciuntur, & offeruntur; neque video quo fundamento aliqui asserunt omnem actum meritorium esse satisfactorium ex natura operis, & acceptationis diuinæ ad remissionem pœnæ debitæ peccato, ita vt neque in hoc minuatur præmium gratiæ, aut gloriæ, inquantùm simul valet ad extinctionem pœnæ: nam extinctio debiti secundùm iustitiam, exigit valorem in actu conformem huic debito; si ergo actus est ordinatus secundùm iustitiam retributiuam per gratiam, & gloriam in ratione meriti, quoad omnem gradum sui valoris, qua consistit in bono, non videtur fundare alium titulum extinguendi debitum pœnæ temporalis, quod est alterius generis, aut ex natura operis, aut ex acceptatione diuina, quæ est secundum medium iustitiæ. 56 *Priuilegium charitatis, & fidei.*

SCHOLIVM.

Specialia peccata non exigere speciales satisfactiones, sed indifferenter quascunque, quibuscunque peccatis applicari posse.

9 EX hoc [k] patet de quarto articulo, scilicet de solutione quæstionis: siue enim intelligatur satisfactio propria, id est, determinata secundùm speciem, siue propria, id est, determinata secundùm numerum, non necessariò correspondet propria satisfactio cuicunque peccato: quia & eadem satisfactio secundùm speciem, & eadem secundùm numerum potest correspondere huic peccato & illi.

Non requiritur satisfactio specialis secundùm speciē, vel numerum, ad speciale peccatum. Quod secundùm speciem, patet, quia contritio potest correspondere huic, & illi: & illa est eadem secundùm speciem, maximè si obiecta sunt eadem secundùm speciem. Quòd secundùm numerum, patet, quia contritio de pluribus simul in generali, potest vnà correspondere pluribus illis: sed tunc [l] oportet ad hoc quòd sit satisfactio totalis, non diminuta, quod aliquid eius sufficiat pro vno peccato, & aliquid pro alio, aliquid, inquam, & aliquid, non de partibus integralibus in actu: sed de gradibus intensionis, ita scilicet, quòd sit in tanto gradu intensionis, quòd in longè minori sufficeret pro vno, & in gradu quem supperaddit vltrà, sufficeret pro alio.

Possunt

Possunt [m] etiam plures satisfactiones vel totales, vel partiales correspondere vni peccato. Totales quidem, quia non est peccatum, quod non possit remitti per solam contritionem, & tunc illa sola est totalis satisfactio. Potest etiam idem remitti per contritionem remissam, & alias pœnas supplentes imperfectionem contritionis. Contritio [n] autem intensa ex vna parte, & ipsamet remissa cum aliis pœnis ex alia parte, differunt etiam specie, licèt sint æquiualentes in acceptatione diuina.

Breuiter [o] ergo, non correspondet cuicunque peccato propria satisfactio, quæ scilicet nulli alij correspondeat, nec aliqua alia isti correspondet: sed cuilibet correspondet satisfactio pro tunc propria, licèt alia posset esse propria. Intelligo pro tunc propria, vel vt in se distincta, vel vt aliquid virtualiter inclusum in satisfactione. *Cuilibet peccato non correspōdet propria satisfactio.*

COMMENTARIVS.

57 *Artic. 4. Conclusio.* k EX *hoc patet de quarto articulo*, &c. Hic articulus correspondet quæstioni titulari, eámque soluit. Conclusio eius est, non necessariò correspondere cuilibet peccato satisfactionem interiorem, seu pœnitentiam, & dolorem distinctum, neque secundùm speciem, neque secundùm indiuiduum, sed per vnam in specie & numero satisfieri posse omnibus simul, quæ sit vnius explicitè, virtute autem, affectu, & habitu de reliquis. Hanc eandem conclusionem docet articulo sequenti.

Cōtrouersia. An de singulis peccatis exigatur dolor diuersus. Prima sententia. Variæ autem referuntur in hac re sententiæ. Prima est, de singulis peccatis debere esse singulas pœnitentias, hoc est, de quolibet in specie saltem dolendum esse. Imponitur Lodulpho 1. *part. vitæ Christi cap.* 20. Pro eadem citat Nau. *in sum. cap.* 1. *num.* 22. Angelum, & Raymundum *in sum.* verb. *Contritio ibid.* Sylu. *qu.* 3. S. Thomas *in* 4. *dist.* 17. *qu.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 6. asserere videtur de peccatis nondum remissis necessarium esse dolorem, seu attritionem singulam, sufficere autem generalem circa iam remissa. Vasquez 3. *part. quæst.* 86. *art.* 2. *dub.* 7. interpretatur omnes intelligi debere non voluisse dolorem in specie ad singula extendi, sed in genere tantùm, seu communem esse debere circa omnia in specie cogitata: & in eandem sententiam Soto *in* 4. *dist.* 17. *qu. art.* 3. refert antiquos, Alens. 4. *qu.* 69. *memb.* 8. *art.* 2. Richard. *in* 4. *dist.* 16. *art.* 4. *qu.* 2. Durand. *dist.* 17. *qu.* 2. Palud. *ibid. quæst.* 2. Alij autem negant eam sententiam doceri expresse à dictis authoribus quoad hoc, quòd ad singula peccata exigerentur singulæ attritiones, seu dolores. *Sententia D. Thomæ, & aliorum.* Hæc ergo est vera sententia ipsorum, quòd vna, licèt sit contritio in specie, ad singula extendatur: & hæc est opinio D. Thomæ *loco citato, &* 3. *part. qu.* 77. *art.* 1. *in corpore* 1. 2. *qu.* 113. *art.* 5. *de veritate qu.* 28. *art.* 5. Ita etiam Soto *in* 4. *dist.* 17. *loco citato* adducit hanc moderationem. *Cōtritionem in specie extendi ad singula. Limitatur.* Primò, in lege naturæ ante institutam confessionem ex natura rei, secluso impedimento necessariam fuisse contritionem specialem de singulis, & singularem: quando autem tempus non suppeteret, sufficere contritionem in confuso, quatenus offensa Dei sunt: & hanc modificationem admittere videtur Adrian. *in* 4. *qu.* 3. *de Baptism.* Ioann. de Medina *tract. de pœnitentia qu.* 1. Si quæras autem, qua necessitate talis contritio exigitur? Canus videtur ponere necessitatem medij, alij præcepti: sed, si explicetur sententia ex fundamentis, videtur necessitas medij magis induci, quàm præcepti.

58 *Cōclusio Doctoris.* Conclusio. Ad veram contritionem, quæ sit sufficiens dispositio siue intra, siue extra Sacramentum, non requiritur specialis cogitatio, aut detestatio singulorum peccatorum, siue per vnum, siue per diuersos actus. Est nostri Doctoris *in littera.* Dicit quòd vna contritio in specie potest competere pluribus in specie peccatis, & quòd vna in numero sit sufficiens sub vna generali ratione de pluribus numero: idémque patet *ex articulo* 5. vbi asserit sufficere contritionem expressam de vno, quæ habitualiter, seu virtualiter extendatur ad reliqua. Hæc eadem sententia est magis recepta nunc in scholis, quam sequuntur communiter moderni. Suarez *disp.* 4. *de pœnitentia sect.* 6. Vasquez *loco citato*, & alij.

Probatur primò, quia nullum est fundamentum tanti oneris, vt de singulis in specie habeatur specialis contritio. *Probatio ex inconuenieti.* Secundò, priuaret aliquos spe salutis, qui non possunt etiam singula peccata recordari: ergo saltem per hoc destruitur necessitas talis contritionis per modum medij requisiti ad salutem. Ad fugam huius argumenti inuenit Sotus limitationem præfatam: ideò requirit necessitatem præcepti. *Responsio impugnatur.* Contrà, illa necessitas non colligitur ex fine, aut natura actus: ergo, &c. Probatur antecedens: quia contritio de peccato ex motiuo charitatis sub ratione offensæ perfectiùs auertit à peccato, *Contritio ex motiuo charitatis.* quia ex motiuo & fine superiori, & eminentiori tollit omnem in ipso complacentiam, & perfectiùs conuertit ad Deum: quia est in se perfectior: ergo siue in ordine ad Deum, siue ad voluntatem peccatoris, tribuit omnem effectum, quem tribueret displicentia in specie, &c. *Eius efficacia.* Si dicas necessitatem esse ex virtute opposita peccato tantùm, falsum est; quia sic pœnitentia non esset necessaria vt specialis.

59 *Casus.* Tertiò, videtur repugnare sibi: ponamus casum, sicut contingit hominem reuocare in memoriam peccata sua, discurrendo per singula præcepta, & sic successiuè, de quolibet autem provt occurrit, dolere perfectè, vel habere veram contritionem ex gratia: ergo habet vltimam dispositionem ad iustificationem, quando dolet de peccatis contra præcepta primæ tabulæ, & iustificatur: quia illa dispositio non redditur inefficax per aliquid subsequens. *Repugnantia suppositi.* Si dicas tunc non dolere: ergo de istis aliàs non dolet, quia impossibile est vt simul intellectus feratur in omnia peccata, & consequenter neque voluntas: quia neque vno actu intelligi possunt; neque simul occurrunt, vel occurrere possunt; si ergo voluntas successiuè feratur in singula, necessum est vt successiuè de singulis doleat: dolor autem quamprimùm habetur, est sufficiens dispositio ad Sacramentum, vel iustificationem: ergo accedente Sacramento iustificat, vel extra

Sacra

Sacramentum, quando est contritio est perfecta.
Confirm. Confirmari potest ad hominem, quia vt communiter contra nostrum Doctorem opponunt, non requiritur determinata aliqua duratio ad contritionem, sicut neque intensio: sed nequit extendi ad singula peccata nisi successiuè, & in tempore: ergo antequam ad hæc, vel illa extenditur, est perfecta contritio, & consequenter id non exigitur.

60 *Sufficere dolorem sub ratione offensæ.* Quartò, dolere de singulis in specie est dolere de quolibet quo ad malitiam in specie, quam includit vt distinctum est à cæteris, & opponitur tali in specie virtuti, hoc non: quia, vt definit Trident. sufficit dolere de ipsis ex motiuo charitatis, quà offensa Dei sunt, & opponuntur eius amicitiæ. Deinde, cùm repugnet ita de ipsis dolere, nisi ex motiuo oppositarum virtutum, quæ specie & genere variantur, sequeretur hominem teneri ad tot actus doloris in specie, quot sunt peccata in specie: quæ est prima opinio, quam communiter omnes reiiciunt, & meritò, quia neque Conciliis quadrat, cùm dicant sufficere dolere de peccatis sub ratione offensæ; neque rationi, cùm per talem actum sufficienter conuertatur peccator ad Deum, quod tantùm exigit sacra Scriptura, vt patet ex locis, quibus probatur necessitas pœnitentiæ pro peccatis.

Responsio impugnatur. Dices, debere extendi dolorem explicitè ad singula peccata saltem sub ratione offensæ. Contrà, saltem hoc non quadrat assertioni D. Thomæ, qui dicit ad peccata remissa non requiri nisi dolorem generalem; vt supponimus autem, potest quis habere contritionem perfectam, antequam hoc, vel illud in specie peccatum occurrat, quo casu remittuntur per gratiam, qua informatur talis actus, antequam recurrant vlteriora peccata, & potest non continuari, & sufficit pro dispositione Sacramenti, si quis accedat statim ad confessionem: ergo neque requiritur dolor de singulis, neque ex necessitate actus, qui stare potest concepta ratione offensæ, in vno & altero peccato, qui affectu, & virtute ad cætera extenditur: neque etiam præcepti, quia aliàs nulla esset confessio eius, qui actu non dolet de singulis, dum confitetur: quamuis aliàs doluerit de quibusdam in ordine ad confessionem, ex cuius virtute accedit ad ipsam confessionem: sufficit ergo in genere summè dolere de peccatis, quibus offenderit Deum; neque est necesse, vt voluntas dolentis ad singula, dum dolet, reflectat: sufficit enim vt dolor virtute extendatur ad omnia, & habeat propositum firmum non offendendi Deum de cætero, imò quædam peccata sunt, in quibus non expedit ob periculum diu inhærere meditando: ob necessitatem tamen confessionis adhibendum est examen conscientiæ, & recogitanda singula peccata: de quibus sub vna generali ratione sufficit dolor, iuxta ea, quæ tradit Trident. *sess. 6. cap. 6.*

Sufficit vt dolor virtute ad singula extendatur.

61 *Obiectio prima.* Ad rationes aduersariorum facilis est solutio. Obiiciunt primò, omne peccatum mortale includere auersionem à Deo: ergo requiritur conuersio per contritionem in Deum, vt dimittatur.

Soluitur. Respondetur perfectionem contritionis esse ex motiuo charitatis, cuius est perfecta in Deum conuersio, ideò sufficienter, & perfectè conuertitur quis ad Deum ab omni mortali per talem actum, qui in genere, & virtute ad omnes offensas eius extenditur.

Secunda obiectio. Obiiciunt secundò pro prima sententia: pœnitentia est medicina: ergo pro singulis peccatis requiruntur singulæ pœnitentiæ.

Soluitur. Respondetur, sufficere vnam medicinam efficacem, qualis in proposito ex institutione diuina est contritio de omnibus in genere sub ratione offensæ. Frustrà enim per plura fit, quod per vnum fieri potest.

62 *Satisfactio totalis quandò dicitur.* I *Sed tunc oportet ad hoc, vt sit satisfactio totalis*, &c. Hìc exigit ad satisfactionem totalem, vt sit correspondentia eius ad peccata, non secundùm partes integrantes in actu, sed secundùm gradus intensionis: ita vt in gradu minori sufficeret pro vno, & in gradu maiori pro alio. Requirit ergo intensionem in actu contritionis perfectæ, quam vocat satisfactionem totalem: de quo *suprà* egimus *dist. præced. qu. 2.*

Obiectio. Hic modus loquendi obscurus est: vel enim intelligit in contritione in eo gradu, & perfectione, quæ vt dispositio extra Sacramentum necessitat, seu disponit ad gratiam & remissionem peccati adhibitis circunstantiis voti Sacramenti, & proposito emendationis, dari debere latitudinem graduum intensionis secundùm multitudinem peccatorum, & excessum, ita vt infrà intensionem proportionatam numero, & grauitati offensarum, non esset satisfactio sufficiens, neque iustificaret, hoc est contra ipsum variis in locis, & infert incertitudinem magnam, & anxietatem, quæ magis excludenda sunt: imò magis videtur difficile attingere remissionem per vnum actum ita intensum secundùm gradum, vt singulis peccatis singuli gradus intensionis correspondeant, quam habere seorsim plures contritiones in specie de singulis peccatis extensiuè in gradu inferiori: magis enim est in potestate nostra multiplicare actus, & conatus voluntatis, quàm exercere talem simul vno actu, qui æquiualeret pluribus, secundùm intensionem graduum, qui modus satisfaciendi neque fragilitati nostræ congruit, neque etiam diuinæ misericordiæ, per quam gratis fit iustificatio, nos ad talem gradum perfectionis in actu obligare: vnde ipse Doctor *in qu. 2. præced. dist.* sufficere asserit actum intensum, & perfectè circunstantionatum ad remissionem peccati extra Sacramentum.

63 *Responsio. Explicatur textus.* Respondetur ergo, licèt congruum sit ita conari dolere de peccatis ad effectum remissionis, id non esse necessarium, sed actum perfectum, & perfectè circumstantionatum in eo gradu, quo ad remissionem vnius peccati mortalis extra Sacramentum valeret, etiam sufficere ad remissionem omnium peccatorum: quia & perfectè applicat merita passionis Christi ad hunc effectum, & acceptatur à Deo, & est perfecta auersio à peccato, & conuersio ad Deum, quæ sunt rationes ex parte actus, in quibus consistit eius efficacia respectu gratiæ, cum qua gratia nequit vllum peccatum consistere mortale.

Scopus Doctoris. Vel ergo loquitur de satisfactione totali, vt est deletiua culpæ, & pœnæ simul eo modo quo Tridentinum loquitur *sess. 14. cap. 2.* de pœnitentia, vt perducit hominem ad integritatem, & renouationem, quæ fit virtute Sacramenti Baptismi, & sic verum est: quia id non contingit sine magnis nostris fletibus, vt dicit Concilium. Sic autem Doctor intelligi potest, quia agit de satisfactione quà pœnalis est, & consistit in interno, & externo, vt patet ex præcedenti articulo, & paragrapho. Vel loquitur secundùm congruentiam.

Cōtritio perfecta est satisfactio totalis. Vel denique tertiò, & meliùs, loquitur de contritione, quà est satisfactio totalis, id est, quà

quà ex sua perfectione delet peccatum extra Sacramentum, vt etiam de ipsa agit *in quæst.* 4. *præced. distinct.* contra sententiam Magistri; & distinguit eam à contritione imperfecta, & diminuta,& partiali; quæ se sola non sufficit sine adiectione alterius causæ,vt confessionis,& absolutionis: quod magis puto secundùm mentem eius; & ostendit excessum debere esse in gradu intensionis, vt possit iustificare extra Sacramentum,& sic dicitur esse totalis satisfactio: ipse enim non admittit distinctionem inter hos actus aliam, quàm intensionis, quando sunt ex eodem motiuo,vt *suprà* visum est. Si ergo actus contritionis diuideretur in suos gradus intensionis,æquiualeret pluribus attritionibus, quas in se complectitur eo modo, quo remissum includitur in intenso:quamuis non extensiuè,sed intensiuè, & perfectiori modo essendi: quod congruit iis, quæ in sequenti cōclusione habet.

Quare dicitur totalis?

64 m *Possunt etiam plures satisfactiones, vel totales, vel partiales*,&c. Hæc est secunda conclusio huius articuli: nempe respectu eiusdem peccati posse esse plures satisfactiones totales, vel partiales: totales, vt contritio, quæ multiplex esse potest,iuxta aliàs dicta *suprà*,ex motiuo huius, aut illius virtutis, cum debitis circumstantiis: vel possunt esse plures partiales,nempe attritiones,quæ similiter ex motiuis multiplicantur. *Potest*,inquit,*idem remitti per contritionem remissam, & alias pœnas, supplentes imperfectionem contritionis*,&c. nempe confessionem,& reliqua, quæ requiruntur ad remissionem peccati in Sacramento. & subdit:

Secunda conclusio articuli.

Contritio potest esse ex varijs motiuis elicita.

Doctor. n *Contritio autem intensa ex vna parte, & ipsamet remissa cum alijs pœnis ex alia parte: differunt etiam specie, licèt sint æquiualentes in acceptatione diuina*, &c. Vbi aduertendum est eum insinuare quod dictum est, hos actus non distingui in specie necessariò ex motiuo intrinseco, quod & *suprà* probatum est ex Tridentino. Hìc autem dicit distingui specie in genere satisfactionis, quia vna est totalis,& extra Sacramentum iustificans, alia non ita, licèt cum Sacramento, & aliis pœnis æquiualeat contritioni perfectæ in acceptatione diuina, quantùm ad vim satisfaciendi pro peccato, eiúsque remissionem. Attritionem disponere voluntatem ad impetrandam remissionem, & iustificationem in Sacramento,docet Trident. *sess.* 14.*c.*4.*in fine*, adeóque esse impulsum Spiritus sancti, & donum Dei.

Satisfactio pro peccato totalis, aut partialis.

65 o *Breuiter ergo non correspondet*,&c. Aduertendum est hìc agere de satisfactione pro peccato; negat vlli peccato correspondere propriam satifactionem, ita vt alteri non correspondeat, licèt correspondet satisfactio pro tunc propria, id est, hìc & nunc, per quam remittitur,siue sit implicita eius, & virtualis,siue distincta, & explicita. Negat propriam necessitate remissionis, & denotando ordinem explicitum actus ad ipsum peccatum sub ratione propria, quasi aliter nequeat pro eo satisfieri. Admittit tamen propriam, quantùm ad efficaciam hìc, & nunc, satisfactionis, qua remittitur determinatè. Dices, detestatio peccati ex motiuo proprio,& specifico virtutis,cui opponitur, ita est propria huius peccati, vt nequeat non esse eius, & nequeat esse alterius: ergo habet propriam satisfactionem,ita vt non sit alterius. Respondetur,habere propriam in ratione actus, si ex tali motiuo concipiatur: non est tamen propria in ratione satisfactionis, quia illa etiam non solùm disponit ad remissionem illius peccati, sed etiam cuiuscumque mortalis, etiam in specie diuersi à tali peccato, si inest; & hoc tantùm intendit Doctor, vt excludat opinionem, quam in præcedenti conclusione impugnauimus: non autem intendit hanc satisfactionem conceptam ex motiuo peculiari virtutis, cui opponitur peccatum in omni casu valere ad remissionem cuiuscumque peccati: verbi gratiâ, quando non sunt simul: quia dolor de peccato debet concipi,vel ex ratione aliqua communi,vel ex peculiari motiuo virtutis oppositæ; dolor enim de peccato intemperantiæ nequit esse dolor de blasphemia, quando hæc sola inest, quia blasphemia nullum ordinem dicit ad virtutem temperantiæ in specie, neque proinde ex illa habetur motiuum subsistens ad dolendum de blasphemia:propter connexionem tamen peccatorum, ita vt vnum sine alio remitti non possit;inde est vt dolor ex motiuo vnius sit virtualis respectu alterius, non ex natura sui motiui specifici, & particularis virtutis, cui peccatum opponitur, & ex quo concipitur; sed quia sufficienter disponit ad remissionem huius, etiam disponit ad remissionem alterius, sine qua illa esse nequit. Accedit & alia virtualitas ex circumstantia finis,& charitatis imperantis, quæ virtute includit auersionem à quocumque peccato mortali, & conuersionem voluntatis ad Deum: & hac virtute includit etiam dolorem de quocumque mortali, quod inest conuerso. Quod autem hìc dicit virtualiter includi satisfactionem peccati inexistentis in contritione,quamuis ad ipsum explicitè non extendatur, vt sistit in determinato motiuo, ex quo concipitur, declarat ea,quæ dicta sunt de intensione requisita graduum in satisfactione totali non intelligi formaliter, sed æquiualenter,& secundùm eminentiam,& perfectionem. Conuersio enim perfecta ad Deum includit virtute,& perfectione omnem auersionem à peccato in specie.

Obiectio.

Soluitur.

Satisfactio dicitur propria duobus modis.

Cōnexio peccatorū quoad remissionem.

Duplex extēsio virtualis in actu ad omnia mortalia.

Satisfactio dicitur totalis virtute, & efficatia.

SCHOLIVM.

Satisfactionem totalem (id est, contritionem, seu pœnitentiam sumptam, illis quatuor modis dist. præced. q. 1. *n.* 13. *explicatis, de peccatis omnibus mortalibus) reconciliare satisfacientem offenso. Item, satisfactionem huiusmodi, id est, pœnitentiam, esse posse actu, & formaliter de vno peccato, non de alijs, de quibus tamen necessariò est habitualiter.*

10

An quis pro vno peccato sine satisfactione alterius possit Deo satisfacere.

DE [p] quinto articulo dico, quòd satisfactio isto modo accipiendo (quæ tamen totalis est,& non diminuta) reconciliat satisfacientem ipsi, quem offendit; quia vel implacabilis est offensus, quod est contra misericordiam: vel si placabilis, per nihil magis, quàm per satisfactionem isto modo dictam. Impossibile est autem aliquem Deo reconciliari, & tamen remanere in aliquo peccato. Vnde Augustinus de vera, &

August.

& falsa pœnitentia: *Scio Dominum inimicum omni criminoso: quomodo ergo qui crimen reseruat, de alio recipiet veniam, sine amore Dei consequeretur veniam, sine quo nemo vnquam inuenit gratiam? Hostis enim est, dum offendit perseueranter, & quædam impietas infidelitatis est ab eo, qui iustitia est, dimidiam sperare veniam.* Sequitur ergo, quòd impossibile est satisfacere Deo de vno peccato, remanente actualiter impœnitente de alio peccato mortali.

Cõtritio potest esse actu tantùm de vno mortali, sed habitu necessariò est de omnibus mortalibus: idem est de pœnitentia alijs tribus modis sumpta.

Sed si intelligatur separatio huius satisfactionis ab illa, ita quòd dum actu reddit homo Deo per contritionem, vel satisfactionem quamcumque de hoc peccato, & sufficientem pro hoc peccato, non actu reddit satisfactionem sufficientem pro alio peccato. Dico quòd separari potest satisfactio propria huic à satisfactione propria illi, & hoc quantùm ad effectum: licèt non quantùm ad affectum saltem in habitu.

Patet enim quoad effectum, quia sicut non est necesse intellectum simul considerare hoc peccatum, & illud, & ita non est necesse voluntatem simul pœnitere de hoc, & illo; & hoc accipiendo *pœnitere*, pro quocumque illorum quatuor significatorum positorum *distinct. praced. quæst.* 1. sed tamen dum considerat vnum, & pœnitet de illo, saltem habitualiter satisfacit de alio, hoc est, animo promptus est, si cogitaret aliud, ad satisfaciendum de eo.

COMMENTARIVS.

66 p DE *quinto articulo dico*, &c. Dicit satisfactionem sic sumptam reconciliare Deo. Quod probat ex Augustino, seu Authore de vera, & falsa pœnitentia; reliqua quæ dicit in duabus præcedentibus conclusionibus sunt declarata.

SCHOLIVM.

Alia quatuor examinat de satisfactione strictè sumpta, & condistincta ab alijs pœnitentiæ partibus. Primò, describit quid sit. Secundò, ait consistere in oratione, eleemosyna & ieiunio, & comitantibus ista. Non negat actus internos imperatiuos horum esse satisfactorios; imò ab his ratio satisfactionis, sicut & bonitatis deriuatur in externos. Solùm ergo excludit actus internos spectantes ad primam, & secundam partem, id est, ad contritionem, & confessionem.

11 DE [q] secundo principali, scilicet satisfactione strictè sumpta proportionabiliter dictis, quatuor sunt videnda. Primò, ratio nominis sicut priùs. Secundum de possibilitate non habet hìc difficultatem: ideò erit hìc secundum, quod fuit tertium priùs, scilicet in quibus consistit illa satisfactio. Et ex hoc tertio solutio quæstionis, si cuilibet peccato respondet propria satisfactio. Quartò, si vna propria satisfactio est separabilis ab alia.

Quid satisfactio strictè dicta.

De [r] primo dico, quòd satisfactio est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis, voluntariè assumpta, ad puniendum peccatum commissum à se, & hoc ad placandum diuinam offensam: vel est passio, seu pœna voluntariè tolerata in ordine prædicto. Isto modo accipitur satisfactio multò strictiùs, & particulariùs, quàm satisfactio primo modo: quia illa potuit consistere in actu pœnalis passionis voluntariæ interiori, vel exteriori.

In quibus consistit satisfactio vt distincta à contritione, & confessione.

Secundum patet, quia vt opus exterius, vel passio distinguitur contra actum, vel passionem interiorem mentis, & contra actum oris, vel passionem concomitantem; non consistit satisfactio, nisi in illis tribus operibus difficilibus, scilicet ieiunio, oratione, & eleemosyna; de quibus dictum est tertio articulo præcedenti: vel in passionibus voluntariis concomitantibus ista tria opera difficillima.

COMMENTARIVS.

67 *De satisfactione strictè sumpta.*

q DE *secundo principali*, &c. Hìc agit de secundo articulo principali, nempe de satisfactione strictè sumpta; & egregiè, & secundùm methodum eodem modo procedit. Primò de ratione eius. Secundò, supponit possibilitatem eius; de qua non est difficultas vlla: quia ex Scripturis, & Patribus est notissima. Tandem in quibus consistit: & vltimò respondet quæstioni titulari, prout in hac verificatur.

r *De primo dico*, &c. Dicit quòd *satisfactio est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis, voluntariè assumpta, ad puniendum peccatum commissum à se, & hoc ad placandum diuinam offensam: vel est passio, vel pœna voluntariè tolerata in ordine prædicto*, &c. Dicit satisfactionem, hoc modo sumptam distingui ab ea, quam hactenus declarauit, 68

Definitio eius.

Distinctio eius à satisfactione primo modo sumpta. uit, in eo quòd satisfactio primo modo sumpta comprehendatur in actu interno contritionis, & pœnitentiæ, seu tristitiæ, quæ est passio ex ipso; & in actu externo confessionis, & erubescentiæ: hæc autem in actu externo voluntario, aut passione voluntariè tolerata, & sit opus in quo tertia pars pœnitentiæ, quæ appellatur communiter à Doctoribus, & Conciliis *satisfactio pro pœna temporali*, tantùm consistit, quà satisfactio, vt postea subiicit, exercetur communiter in tribus operationibus difficilibus orationis, ieiunij, & eleemosynæ, & passionibus consequentibus, prout declarat in sequenti paragrapho. De satisfactione hoc modo sumpta agit Tridentinum *cap.8.& 9. sess.*14. *& sess. 6. cap.* 14. Hic modus satisfactionis debet esse voluntarius, éstque actus procedens à virtute pœnitentiæ in vindictam peccati, quantùm ad reatum pœnæ temporalis debitæ. Minister qui est reus exequitur in seipso pœnam à iudice impositam, vel etiam voluntariè assumptam ex eodem motiuo, vel certè tolerat passiones pœnales in pœnam peccati inflictas: *Quomodo actus externus sortiatur honestatē in specie.* nam ieiunium, vt imperatur à virtute religionis, habet honestatem illius virtutis, & non alterius, vt quando imponitur ab Ecclesia vigilia in honorem alicuius Sancti ieiunanda, est actus religionis: ieiunium, quod quis assumit ad vincendam concupiscentiam carnis, habet honestatem temperantiæ. Quod assumitur, vt subtracto cibo reficiatur pauper, est actus misericordiæ. Eodem ergo modo quod assumitur, & impletur ad vindicandum peccatum, & pœnam debitam, est actus pœnitentiæ. Et ratio huius vniuersalis est, quia actus exterior, vt subest voluntati, & regulæ, participat honestatem talem, qualis est regulæ, & motiui voluntatis imperantis.

69 *Falsa interpretatio reijcitur.* Nescio quid in mentem venit Soto *in 4. distinct.*19.*q.*2.*art.*1. quem sequitur Suarez *disp.*37. *sect.* 5. vt dixerint Doctorem ex præmissa definitione satisfactionis strictè sumptæ, negare satisfactionem vllo modo consistere in actu interno, sed in solo actu externo, ita vt si quis dederit eleemosynam ex intenso conatu voluntatis; & alius tantumdem elargiatur ex conatu remisso, æqualiter satisfacerent. Miror tam perfunctoriè eos legisse Doctorem: nam ipsi eum interpretantur, quasi in actu interiori nihil esset satisfactionis, cùm contrarium probet manifestè tota quæstione in præcedentibus, & potissimùm in articulo tertio præcedente, vbi docet satisfactionem latè sumptam consistere tam in interno, quàm in externo. Superiùs etiam docuit actum perfectum charitatis valere ad satisfactionem: quod ipsi obiicit Soto, quasi inconstans esset, & contradicens. Meliùs profectò Doctor, & clariùs tractat naturam satisfactionis tam in genere, quàm in specie, & magis conformiter ad Scripturas, & Concilia.

Obiectio. Soluitur. Illud, quod obiicitur de eleemosyna eadem in mensura, sed ex diuerso conatu voluntatis, seu actu collata, Doctor nihil tale asserit: est argumentum potiùs ipsorum, & negatur assumptum: quia operatio exterior voluntaria requiritur à Doctore ad satisfactionem, ideóque expressit in definitione *voluntariè assumpta*, quò intensior autem est actus à voluntate procedens, *Actus intensior influit honestatem.* eò perfectiùs participat honestatem tam intrinsecam obiecti, quàm extrinsecam finis: ideóque satisfactio exterior imperata ab actu pœnitentiæ interiori magis intenso est perfectior, quàm imperata ab actu remisso: sit ergo

Conclusio: satisfactio hoc modo sumpta consistit in operatione ipsa externa, & voluntaria, seu in passione voluntaria in recto, & non in actu interiori. Est contra præfatos, qui statuunt eam consistere in actu interno, & perfici accidentaliter ab actu externo, quà est pœnalis; neque in reipsa differunt ab opinione Henrici, quam impugnant in eo, quòd dixerit totam vim satisfaciendi esse in actu interno, & non in externo: nam si totus valor consistit in actu interno formaliter, & actus externus pœnalis non facit ad valorem, nisi inquantùm perficit internum, non per valorem, qui est in ipso, sed tanquam causa perfectionis in actu interno per modum effectus coniuncti, aut quouis alio modo eam communicet, sequitur satisfactionem formaliter compleri in actu interno, qui tantùm ordinat peccatum, & pœnam eius, licèt per ordinem ad suas causas, à quibus actus ipse recipit hunc valorem, vt sit satisfactiuus. Aliud non dicit Henricus *quæst.* 8. *q.* 18. totam enim radicem satisfactionis, & meriti refundit in charitatem, neque per hoc excludit actum externum satisfactionis; imò illum requirit, distinguens in liberale, pœnitentiale, & indulgentiale; ex conatu maiori voluntatis asserens augeri in eo rationem satisfactionis. 70 *Conclusio. Satisfactio in recto consistit in actu externo voluntario, &c.* *Sententia Henrici.*

His positis, probatur conclusio. Augustinus homil. 5. *Iudicet ergo seipsum homo in istis* (supple peccatis mortalibus) *voluntate, dum potest*, &c. *& cùm in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur*, &c. *& à Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis contribulati, deuotus, & supplex, id tamen agat, quòd non solùm illi prosit ad recipiendam salutem; sed etiam cæteris ad exemplum, vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethalis, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem*, &c. Hîc Augustinus sumit satisfactionem, vt distinguitur à corde contrito, & humiliato, pro opere externo, quod iniungitur ab Antistite, siue publicè, siue priuatè peragendum. Habetur *dist.*1. *de pœnitentia, cap.*75. Ex capitulo etiam præcedenti idem patet. *Rectè*, inquit, *constituantur ab his, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, vt satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata*, &c. 71 *Probatio. Augustin.*

Item cap. *Si peccatum*, &c. *eadem distinctione*, c.72. quod integrum legitur apud Eucherium, seu in commentariis eius nomine editis *in lib.* 2. *Reg.c.*8. & maiori ex parte apud Gregorium lib.9. Moralium, cap.27. *Si peccatum Dauid tam detestabile transtulit, quid est, quod post omnia, quæ de eodem peccato per Prophetam ei à Domino dicta sunt, postmodùm tanta tolerauit? Sed proculdubio Dominus delictum sine vltione non deserit: aut enim ipse in se pœnitens punit: aut hoc Deus cum homine vindicans percutit: nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur: sic enim audire post confessionem meruit* (*Dominus transtulit peccatum tuum*) *& tamen pòst, multis cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit.* Et in fine; *Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere,* 72 *Gregorius.*

quas in perpetuum non vult in eis videre, &c. ergo satisfactio peccati Dauid, quod Deus per confessionem transtulit, & dimisit, mox in afflictione, & laboribus constitit, sicut & electi per afflictionem temporalem satisfaciunt pro peccatis suis; ac proinde ratio specialissima satisfactionis in his consistit in recto, quà tamen voluntariæ sunt, & tolerantur.

73 *Audi*, inquit Chrysostomus homil. 42. in Matth. *Si nos ipsos iudicaremus, non vtique indicaremur: & quonam modo inquies, à me ipso rationem viuendi, & supplicium exigam? Largos lacrymarum effunde fluuios, laboribus, ac vigilijs teipsum afflige*, &c. vbi ostendit præter lacrymas, labores, & vigilias requiri ad iudicium peccati, tanquam distincta satisfactio à lacrymis. Hæc ipsa est omnium Patrum sententia, quos videre licet longa serie apud Bellarm. *lib. 4. de pœnitentia, c. 9.* Hoc ipsum patet ex Canonibus pœnitentialibus, qui modum, & regulam satisfactionis huius præscribunt: & consistebat in operibus pœnalibus externis. Patet etiam ex praxi Ecclesiæ, & confessorum. Patet denique ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. quod perinde satisfactionem in recto appellat hanc partem pœnitentiæ, & pro ea intelligit communiter loqui Patres, quando agunt de satisfactione: vt meritò etiam Marginator citauerit *d. 3. de pœnitentia.*

74 Trident. *Demum*, inquit Conciliū, *quoad satisfactionem, quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita vna maximè nostra ætate summo pietatis prætextu impugnatur ab ijs, qui speciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt*, &c. Concilium *cap.* 3. præmisit formam, & materiam huius Sacramenti, dicens formam in *Satisfactio pœnitentialis.* absolutione cōsistere, materiam in actibus pœnitentis, contritione, confessione, & satisfactione. De forma, & aliis actibus pœnitentis, vt contritione, & confessione egit in præcedentibus. Hîc primùm agit de tertia parte pœnitentiæ, quæ est satisfactio. Hanc dicit Patres prædicasse populo Christiano; eandem impugnari ab hæreticis. Patres autem docuerunt satisfactionem consistere in operibus externis, quæ Scriptura, & Canones præscribunt peccatori- *Errores damnati.* bus conuersis. Hæc item ipsa impugnant hæretici, vt Luther. *in Assert. art. 5.* Melanct. *in Apologia confessionis Augustanæ, art. de Confess. & satisfact.* Caluin. *lib. 3. Instit. cap. 4.* & Kemnitius *in secunda parte Examinis Trident.* Vel enim docent nullam superesse pœnam temporalem, pro qua est satisfaciendum; vel certè pœnas im- *Processus Cōcilij.* missas esse à Deo ad profectum virtutis, non ad castigationem peccati præteriti: ideò Concilium primùm declarat remanere pœnā temporalem, pro qua debet satisfieri: id exigere diuinam iustitiam, idémque exigere diuinam clementiam ad profectum peccatoris, vt hoc fræno coërceatur à peccato. Neque vllam viam securiorem existimatam fuisse in Ecclesia ad amouendam iram Dei, quàm vt fideles hæc opera pœnitentiæ cum vero animi dolore frequentarent: vbi hæc opera distinguit ab ipso dolore.

75 *Satisfactio Christi.* Deinde subiungit sic nos conformari Christo, qui satisfecit pro peccatis nostris. Satisfactio autem Christi consistit potissimùm in passione, & morte, per quæ pro nobis satisfecit, quæ in operibus externis, & passionibus consistebant, in quibus Scriptura, & Patres pretium nostræ redemptionis constituunt: ergo etiam in his debet esse satisfactio nostra, vt in eodem genere satisfactionis redimamus debitum, in quo Christus satisfecit; vt patet ex Paulo ad Romanos 8. *Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur: existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, &c. cap. 6. monet vt exhibeamus membra nostra, quæ seruierunt peccato, in arma iustitiæ Deo.

Concludit tandē Concilium Sacerdotes debere pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere: & præ oculis habere, nisi alienis peccatis communicare velint, vt satisfactio, quam imponunt, sit in præteritorum peccatorum vindictam, & satisfactionem.

Tandem *cap.* 9. docet temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum nos satisfacere valere; quibus in locis sumit in recto *satisfactionem* pro ipsis operibus externis, & pœnis assumptis, & impositis, vel toleratis: sicut & eodem modo pro iisdem sumitur, & supponit *satisfactio* apud Concilium *can.* 12. 13. 14. & 15. qui ex prædicto capite, & doctrina eius assumuntur; ex quibus patet conclusio præmissa Doctoris: nempe satisfactionem strictè sumptam consistere in opere externo laborioso, & pœnali voluntariè elicito.

Secundò probatur ratione, supposita doctrina Patrum, & authoritate Scripturæ: illa operatio, in qua consistit medium requisitæ iustitiæ vindicatiuæ est satisfactio in recto, quia per eam ponitur æqualitas, & solutio debiti: sed per opus externum ponitur tale medium: ergo in eo consistit satisfactio in recto, loquendo de satisfactione strictè sumpta, vt ordinat pœnam temporalem. Probatur maior, siue sumatur medium vindicatiuæ, quà æquale pro æquali in reipsa ponitur; siue æquale, prout lege præscribitur, & exigitur à diuina iustitia, seruatā proportione ad debitum, in illo consistit medium per quod tollitur debitum, & acceptatur pro debito; sicut è contrario, ipsum debitum, pro quo satisfit, consistit in pœna temporali. Et patet, quia satisfactio interna per contritionem, & detestationem peccati, consistit in iis actibus, in quibus regulariter consistit eius remissio, vel quibus est annexa. Patet idem ex proportione iustitiæ politicæ, qua ordinat debitum, suum ius cuique tribuens, & vniuersaliter in omni specie iustitiæ. 76 *Secunda probatio à ratione.* *Satisfactio ex præscripto iustitiæ est in opere externo.* *A simili.*

His positis, probatur minor: debitum pœnæ temporalis est alterius rationis à debito culpæ: ergo diuersam satisfactionem, & proportionatam ex lege inducit, diuersam, inquam, à satisfactione culpæ; sicut ergo culpa, quæ est auersio à Deo, ordinatur per pœnam, in qua consistit conuersio perfecta ad Deum, ita etiam pœna temporalis, sicut consistit in pœna sensus, ita etiam exigit, seruatā proportione iustitiæ, pœnam sensus, vt fiat satisfactio proportionata debito. Probatur vltima consequentia; sicut peccatum, vt est auersio à Deo, ordinari debuit per iustitiam, quæ exigeret conuersionem ad Deum; ita etiam, vt includit conuersionem ad creaturam per appetitum, & inordinatam delectationem, requirit vt ordinetur per auersionem tam ab appetitu, quàm à creatura: hæc autem auersio consistit in pœna sensus affligente; *Satisfactio pro pœna alia est à satisfactione pro peccato.* *Conuersio ad creaturā ordinatur per pœnam sensus.*

affligente; & illa est, quæ manet post remissionem peccati, aut hîc, aut in altera vita soluenda: ergo vt rectè ordinetur secundùm iustitiam, & regulariter hæc pœna, seu debitum eius, debet satisfactio pro ipsa consistere etiam in pœna simili, vt debitus ordo iustitiæ seruetur; & hi sunt digni fructus pœnitentiæ, quos indixit Ioan. Baptist. *Lucæ* 3. digni, inquam, id est, debiti.

77 *Confirmatur.* *Pacianus.* Confirmatur: Pacianus *in epist. 3. ad Symphronianum: Vides in sarmentis fructum requiri, id est, bona opera pœnitentiæ, sicut Ioannes ait: Facite fructum dignum pœnitentiæ. Vide sarmenta purgari, quæ sunt detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonij, vitæ labores; qui actus propriè pœnitentium sunt*, &c. quibus comprehendit opera pœnitentiæ, & asperitatem subeundam in vindictam peccati per detrimenta, & castigationem carnis, per damna lætitiæ, per afflictiones, per damna patrimonij, elargiendo patrimonium, eleemosynas frequentando, vitæ denique labores, quibus vindicatur concupiscentia inordinata peccati commissi.

Chrysost. Chrysostomus hom. 10. in Matthæum: *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ: quo autem modo fructificare poterimus? Si vtique peccatis aduersa faciamus: verbi gratiâ, aliena rapuisti? incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Iniuriam, vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conuicijs: & percutientes te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende: neque enim vulnerato sufficiet ad salutem tantummodò spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Delicijs ante & temulentia diffluebas? ieiunio, & aqua potu vtrumque compensa.* *Gregorius.* Similia habet Gregorius *hom. 20. in Euangelia*: vbi hanc differentiam inter iustum, & peccatorem pœnitentem statuit; licere nempe iusto licitis vti, non ita peccatori, qui *tantò à se licita debet abscindere, quantò se meminit, & illicita perpetrasse*, &c. *Theodoret.* Theodoretus *in epitome diuinorum Decretorum*, cap. de Pœnitentia: *Sunt*, inquit, *medicabilia etiam quæ post Baptismum fiunt vulnera: medicabilia autem non vt olim per solam fidem data remissione, sed per multas lacrymas fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati contemperatam*, &c.

78 *Secunda confirmatio.* Confirmatur secundò: in illo consistit primariò satisfactio, quod exigit, & acceptat Deus pro tali pœna: sed talia sunt opera, de quibus agimus, vt patet ex Scriptura Ioëlis 2. & aliàs passim. Iob vlt. Talis fuit eius pœnitentia in cinere, & fauilla. Talis fuit pœnitentia Dauid, 2. *Reg.* 12. Psalm. 68. *Et posui vestimentum meum cilicium.* & Psalm. 101. *Panem sicut cinerem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Talis pœnitentia Achab 3. *Regum* 21. Talem deinceps *Vsus Ecclesiæ.* Ecclesia post Christum imperauit lapsis, vt dictum est. Et patet ex Tertulliano *lib. de Pœnitentia*. Cyprian. *serm. de lapsis*. Paciano *in parænesi de pœnitentia*, & vbique ex Patribus; ac tandem quarta pars pœnitentiæ Sacramenti in his operibus versatur, quæ propriè satisfactio dicitur, & de qua nunc agimus, vt distinguitur à dolore interno, seu contritione, quæ exigitur ante remissionem peccati. Ergo ordinatio pœnæ temporalis regulariter in his consistit. Proba- *Pœnalitas in solo actu externo cõsistit.* tur consequentia: quæ pœna æquiualens, quæ exigitur, consistit in actu externo, & non in interno, quia internus nullam pœnalitatem includit, quia ad implendam, & assumendam hanc satisfactionem per pœnam externam, non requiritur tristitia, seu dolor antecedens, sed sufficit voluntas efficax, & imperans opera externa, in quibus tantùm consistit difficultas propter repugnantiam appetitus, & inclinationem voluntatis ad suum delectabile: si autem est aliqua difficultas in actu interno imperij, oritur ex opere externo, ad quod solum est repugnantia interna, & externa.

Dices præcedere dolorem de peccato. Contrà, satisfactio, quæ est tertius actus pœnitentis, distinguitur à contritione de peccatis ex dictis; & patet ex Concilio: ergo in eo non consistit vis satisfactionis, aut valor, vt putant prædicti authores, quos impugnamus; tum quia exigitur vt pars distincta pœnitentiæ ante absolutionem, & à fortiori ante satisfactionem, vt post pœnitentiam iniunctam proponitur perficienda; tum quia non necessariò durat, quando satisfactio in reipsa est adhibenda; tum etiam quia ipsum peccatum respicit, vt est offensa Dei, vel ex aliquo motiuo, quo fiat detestabile, & secundùm alium ordinem iustitiæ, nempe vt dispositio requisita antecedens ad iustificationem à peccato, antequam fundetur obligatio vlla ad pœnam temporalem, manente adhuc peccato, & debito pœnæ æternæ; ex cuius cõmutatione in pœnam temporalem, in ipsa eius remissione simul cum peccato resultat debitum pœnæ temporalis. Præterea, quod amplius est, nequit haberi contritio ex motiuo solius pœnæ temporalis; sed ex motiuo peccati, quà detestabile est, quia in ordine tantùm ad peccatum subsistit: ergo præter contritionem de peccato requiritur alius actus, qui respiciat ipsam pœnam temporalem debitam, vt tollenda est: hæc autem voluntas est illa, qua immediatè imperatur operatio exterior pœnalis in finé satisfactionis per ipsam, & tollendæ pœnæ remanentis post peccatum remissum: sed in hac voluntate nulla est pœnalitas, aut dolor, nisi ille qui deriuatur ex obiecto suo, nempe ex actu externo, inquantùm repugnat inclinationi tam appetitus, quàm voluntatis: ergo in ipso actu externo, vt subest voluntati, consistit primariò satisfactio, vt habet rationem pœnæ: hæc autem satisfactio adimpletur regulariter in multis, vel adimpleri potest sine contritione tum actuali de peccato remisso. Accedit, quòd satisfactio hæc potest esse in tolerantia passionum temporalium, quæ Deus immittit, vt fuit satisfactio Dauid ob adulterium ipsi remissum, quando Deus ipsum castigauit per filium Absalon. Et patet ex Trident. id ipsum, *cap. 9. sess.* 14. voluntas ergo ieiunandi, & sic de cæteris, est solùm pœnalis ratione ieiunij, & non sui ipsius, & satisfactio primariò consistit in ieiunio imperato, sicut & pœna, quæ ordinat secundùm iustitiam in *esse* rei, & commutationis, pœnam temporalem remanentem ex peccato.

Responsio. 79
Impugnatur.

Remissio peccati fit antequam oritur debitũ satisfactionis strictè sumptæ.

Est diuersa à cõtritione, & dolore interno.

Conclusio, & cætera quæ hactenus in probationem eius adducta sunt; ita intelligi debent, vt nõ excludatur modus satisfaciendi per alia opera pietatis æquiualentia, in diuina acceptatione, vt posse satisfieri insinuat Trident. can. 13. in illa clausula: *Vel alijs etiam pietatis operibus*, &c. Sed intelligenda sunt iuxta sensum controuersiæ, nempe satisfactionem ipsam in recto consistere in opere externo pœnali voluntario. 80 *Moderatio, & sensus dictorum.*

luntario, quando exhibetur: & regulariter satisfactionem esse per talia opera: quamuis hoc non derogat aliis mediis, quæ Deus acceptat in satisfactionem illius pœnæ.

Fundamentum oppositæ sententiæ videtur ad illam controuersiam reduci, an scilicet in actu externo sit bonitas distincta à bonitate actus interni, & valor similiter distinctus ad satisfactionem: dato enim quòd nulla bonitas, aut valor, sit in actu externo distincta, sed solùm esse in actu interno, in quo tantùm est fundamétum libertatis, quamuis per appositionem actus externi augeatur per accidens, vt dicit Sotus, bonitas, & valor actus interni, sequitur rectè quòd satisfactio, & meritum sint in actu interno primario, & in recto, quamuis vt causam eius requirat externam. Videantur Doctores 1.2.*q.*20.*art.*4. *& in* 2.*d.*42. vbi de hac controuersia agitur: vbi noster Doctor *q.*4.§.*Quantùm ad secundum, & quodlib.* 19.*art.*3. contrarium docet cum Alensi 4.*p.q.*77.*m.*3. *art.*3. *&* 2.*part. q.*107.*m.*8.*art.*2. Hanc sententiam Doctoris hîc supponimus, quæ magis fundatur in Scriptura, & lege, siue diuina, siue humana, quæ opera externa præcipit, & consulit & punit, & præmiat. Quidquid sit, satis probatum est valorem satisfactionis tam Christi, quàm nostræ, consistere in opere externo assumpto, aut tolerato: vt ergo hoc etiam fundamentum tollatur, sit

Controuersia de bonitate actus externi diuersa ab interno.

Sententia affirmatiua.

81 Secunda conclusio. Actus externus satisfactionis est liber libertate propria, & non solùm libertate actus interni. Eã supponit Doctor hîc, dicens satisfactionem esse voluntariam, & in recto consistere in actu externo. Probatur conclusio. Actus elicitus voluntatis nequit dare libertatem suo obiecto, si tamen obiectum non sit in potestate voluntatis, ipsique subiectum: quia, verbi gratia, actus nutritiuæ nō fit liberæ, quantumcumque velit, aut ipsum voluntas nolit: quia non est in potestate voluntatis, non sic actus potétiæ motiuæ: ergo aliud esse volitum, seu obiectum voluntatis, & volitionis, aliud verum esse effectum liberum eius: quia illud solùm statuit volitum, hoc verò voluntarium. Prima denominatio est obiecti, secunda effectus ad causam. Illud non supponit potestatem voluntatis super obiecto: hoc verò supponit potestatem in effectum. Consequentia cum suo antecedente probatur: quia hæc separari possunt, nempe libertas ad effectum imperatum à libertate ad actum internum & elicitum: ergo hæc non est causalis; ideò actus externus est liber, quia actus internus est liber. Antecedens probatur: quia in Deo omnis volitio est necessaria, quantùm ad actum immanentem, qui est improducibilis. Sed quantùm ad obiecta secundaria, & effectus extra, voluntas Dei est liberrima: ergo actum elicitum voluntatis esse liberum non est formaliter actum imperatum eius esse liberum; sed diuersa potestas, & libertas, quamuis subordinatè agentis.

Secunda conclusio. Actus externus habet propriam libertatem.

Aliud est obiectũ esse volitum, aliud effectus voluntarius.

Libertas ad effectum, sine libertate ad volitionẽ elicitam.

Quòd verò voluntas nostra nequeat agere, nisi per actum etiam liberè elicitum, & per sui mutationem, est imperfectionis in ipsa, non autem ex eo quòd actus eius externus, & imperatus, vt ab ipsa procedit, non sit liber propria libertate in ordine ad ipsam voluntatem, quamuis supponat actum imperantem, qui natus est fieri immediatiùs, & liberè.

82 Confirmatur: actus externus dicitur liber respectiuè ad illud, in cuius potestate est cum indifferentia ad eius oppositum: hoc autem solùm cõpetit ipsi respectiuè ad voluntatem præcisè, non verò ad actum eius internum: ergo perinde habet libertatem sui respectiuè ad voluntatem, sicut & actus internus. Maior patet: quia omne *secundùm quid* reducitur ad suum *simpliciter:* libertas autem vt est in actu, est *secundùm quid*, & denominatio extrinseca: ergo in ordine ad illud, quod simpliciter est liberum. Minor probatur: quia actus internus voluntatis creatæ, quando est in sua entitate, agit vt causa merè naturalis, & non vt causa libera, vt patet de eodem, vt producit habitum. Item, quia voluntas ipsa, vt est sub actu, necessitatur simpliciter in sensu composito ad omne per se consequens ad actum, siue sit actus externus, siue internus, vt patet de intentione respectu electionis in genere alicuius medij. De intentione finis quoad electioné vnius medij determinati, à quo solùm est, vel poni potest; vel quia in re est vnicum, & determinatum respectu finis: vel quia si datur in re, non in potestate voluntatis hîc, & nunc operantis ad finem, quia ignoratur; vel quia non suppetit aliud, quàm hoc determinatum: ergo repugnat actum externum dici liberum actu interno, qui & tollit indifferentiam voluntatis ad ipsum, & necessariò, & non indifferenter est ad ipsum: principium autem determinans voluntatem ad alteram parté, qualis est, vt dixi, actus internus respectiuè ad externum, repugnat esse ratio indifferentiæ eiusdem voluntatis respectiuè ad idem: sed per actum internum, & imperantem habet voluntas determinationem respectiuè ad actum externum: ergo ab eo non habet indifferentiam: ergo neque actus externus habet libertatem suam ab actu interno: sed à sola volũtate, vt antecedit vtrumque. Probatur hæc vltima consequentia ex dictis: quia actus internus imperans, de quo semper loquor, nequit esse principium actus externi, nisi vt priùs naturâ inest voluntati: sed pro omni instanti rationis, aut naturæ, quo inest, tollitur omnis indifferentia voluntatis in sensu composito: quia neque ipse actus inest, nisi vt est talis determinati obiecti, nempe actus externi, ad obiectum autem nequit actus esse indifferens in creatis: neque voluntas determinata per actum potest esse indifferens ad negationem oppositam actui externo: ergo, quod est intentum, libertas actus externi non est ab actu interno. Cuius consequentiæ veritas patet, replicando idem principium: quia actus internus dat determinationem necessariam in sensu composito, vel etiam quantùm est ex natura actus tam voluntati, quàm actui externo; ac proinde neque externus erit indifferens, neque voluntas ratione actus interni.

Confirmatio.

Libertas actus externi est à voluntate.

Instantia.

Actus internus est principium determinationis, & non indifferentia.

Ratio cur indifferentia actus externi non sit ab interno.

Dices, actum externum dici liberum, & indifferentem respectiuè ad voluntatem, vt prior est actu interno, ac proinde eadem ipsa indifferentia voluntatis ad actum internum est ad actum externum, & non alia. Contrà, hoc ipsum sufficit nobis: quia sic mediat actus internus inter voluntatem, & externum, non in ratione indifferentiæ, sed vt forma, vel effectus prior, qui nullam dat indifferentiam formæ, seu effectui posteriori, sed potiùs oppositam determinationem: ergo actus externus, quà liber est, est indifferens, vt procedit à voluntate ipsa, vt causa immediata suæ indifferentiæ, licet vt effectus mediatus quantùm ad *esse*: ergo sicut

83 *Responsio.*

Retorquetur.

Ordo inter formas non constituit libertatem.

actus internus est liber, & fundamentum meriti, & satisfactionis per denominationem ad voluntatem, ita etiam erit liber actus externus per similem denominationem: ac proinde habet fundamentum meriti, & satisfactionis.

Impugnatur responsio præmissa. Præterea excluditur prædicta responsio quatùm ad indifferentiam specificationis: quia licèt voluntas nequeat in actum externum, nisi mediante interno, per quem determinatur, quia nequit imperare nisi operando: tamen loquendo de actu determinato, potest sine illo in actum externum: nam potest ieiunium imperare ex vana gloria, aut hypocrisi, aut ex motiuo religionis, aut temperantiæ, aut etiam iustitiæ, & satisfactionis, aut salutis corporalis: qui actus omnes sunt distincti specie, sicut & motiua ipsorum: ergo actus externus ieiunij potest esse in potestate voluntatis sine actu elicito, & imperante determinato huius, aut illius motiui. Quod sufficit ad saluandam indifferentiam tam voluntatis ad ieiunium distinctam, ab ea quæ est ad hunc, aut illum elicitum imperantem, quàm etiam ipsius ieiunij, indifferentiam ad voluntatem independenter ab hoc determinato actu interno: quod sufficit ad libertatem propriam ieiunij.

Libertas specificationis in actu externo.

84 *A simili. Libertas ad electionē medij indifferentis.* Probatur consequentia à simili: ad libertatem propriam electionis, etiam supposita intentione, sufficit media esse plura, quorum quodlibet est indifferens, & in potestate voluntatis, ad hoc vt electio sit libera, vt est huius medij determinati, & hoc libertate propria, & immediata, & distincta à libertate, quam habet in intentione, tanquam in causa. Item, ad indifferentiam medij respectiuè ad voluntatem eligentem, sufficit vt medium de se sit proportionatum ad diuersos fines, quorum quilibet seorsim potest intendi à voluntate; talis libertas, seu indifferentia inuenitur in voluntate respectu actus externi, & è contra: ergo sufficit vt fundamentum bonitatis, & malitiæ in ipso, sicut electio medij praui, aut boni habet propriam bonitatem, aut malitiam distinctam ab ea, quæ est intentionis. Ex quibus patet ad fundamentum oppositæ sententiæ. Suarez quidem admittit actum externum facere ad satisfactionem, quia per se est pœnalis. Soto dicit per accidens tantùm requiri, vt auget bonitatem actus interni per accidens. Sed contrarium huius apparet ex dictis, quia non per accidens, sed per se requiritur ex Dei acceptatione, & lege: quod autem per se requiritur, per se etiam est satisfactio, & distincta quidem ab actu interno: & per se etiam primariò intenditur à voluntate; actus verò internus propter externum, in quo consistit satisfactio per se, & lege præscripta.

Indifferentia ipsius medij ex pluribus cōcurrentibus.

Soluitur fundamentū oppositum.

85 *Alia solutio.* Ad præfatum fundamentum aliorum respondent quidam aliter, nempe dato antecedente, nempe actum externum esse tantùm liberum libertate actus interni; & negant consequentiam inde illatam, videlicet non esse meritum, aut satisfactionem distinctam: quia libertas est tantùm conditio fundamentalis meriti, & satisfactionis, & quocunque modo afficit actum, non refert, qua actus est bonus, aut malus, meritorius, aut satisfactorius: quia liberè procedit à voluntate: valor autem meriti, & satisfactionis, supposita libertate actus, est per ordinem ad regulam rectæ rationis, quæ est varia respectu actus interni, & externi, & respectu huius est alia, sicut & lex, & dictamen ex ipsa lege sumptum. Quamuis hæc responsio sufficiat, alia mihi magis placet, quæ ex præmissis deducitur, nempe vtrumque actum participare propriam libertatem à voluntate, quamuis dicant ordinem in *esse*, vt procedunt à voluntate; qui ordo fundatur non in eo, quòd actus externus participet libertatem per actum internum, sed determinationem, & motiuum specificans extrinsecum finis: ex eo quòd voluntas nequeat dare determinationem actui externo, nisi vt ipsa priùs determinata est perfectè per actum internum: quia non subordinantur potentiæ reliquæ voluntati, nisi vt ipsa est in operatione applicans illas: respectu autem actus eliciti ab ipsa voluntate, voluntas media sua libertate determinatur eliciendo, & eligendo, & seipsam ex libertate applicando ad extremum affirmationis, aut negationis quod immediatè exit à virtute eius libera.

Libertas est fundamētum bonitatis: hæc autē est à recta ratione.

Prima solutio præfertur.

SCHOLIVM.

Peccatis carnis correspondere satisfactionem ieiunij, & aliorum, quæ carnem affligunt, peccato superbiæ orationem, peccatis auaritiæ eleemosynam. Confessarius tamen pro discretione potest, & quandoque tenetur non seruare istam correspondentiam generalem, sed tenetur eam iniungere pœnitentiam, quæ, omnibus consideratis, magis videbitur salutaris. Docet etiam hîc & dist.19. num. 25. & dist.17. num.22. pœnitentem negantem acceptare satisfactionem, non dimittendum absque absolutione. Quod tenent Gabr.4. dist.18. quæst.1. art.3. dub.1. & dist.16. qu.2. art.3. dub.5. Med. tract. 2. qu. 45. Sylu. verb. Confessio *qu.25. Nau. cap.26. num.20. Hostien. Panorm. & alij cap.* Significauit *de pœn. & rem. Trid. sess.14. cap.8. & alia quæ fauent opposito, exponi possunt de satisfactione præseruatiua, vel medicinali, non de merè solutiua: de qua hoc verificatur. Suarez 4. tom. disp.38. sect. 7. excedit, dum ait hoc non posse sine temeritate teneri, cùm à tot grauissimis Doctoribus asseratur, & bona ratione Theologica fundetur, nec Trid. quidquam definit in contrarium, vt Victoria ab ipso citatus, sine victoria asserit.*

EX hoc dico de tertio articulo, quòd peccatis in genere distinctis in tria membra, scilicet in peccatum carnis, in peccatum concupiscentiæ oculorum, & superbiam vitæ. 1. Ioan. 2. correspondent de congruo propriæ satisfactiones in genere, scilicet peccato carnis ieiunium, vel vniuersaliter quæcunque maceratio carnis magis ordinata 12

Peccatorum tria genera. Quæ satisfactio correspondens

peccato carnis. ordinata ad reprimendum tale peccatum carnis, & sub isto comprehendo vigilias, peregrinationes, asperitates vestium, nuditatem, vel discalceationem, imò generaliter quemcunque laborem fatigantem. Peccato autem superbiæ, & cæteris spiritualibus, magis appropriatè correspondet oratio, quæ & humiliat spiritum Deo, & roborat contra peccata spiritualia. Peccatis autem circa temporalia, vt auaritiæ, vel cupiditati cuicunque, vt rapinæ, furti, vel ablationis iniustæ, magis appropriatè correspondet erogatio eleemosynarum. Et ratio istorum est, propter maiorem correspondentiam pœnæ ad culpam: *quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Satisfactio pro superbia.

Sapient. 11.

13 Sic dictum [t] est de correspondentia ista in generali, & de congruo. Sed de necessario, vel congruo in casibus specialibus non sic: nam alicui potest non competere vnum istorum operum pœnalium, qui tamen peccauit peccato, cui de congruo correspondet talis pœna, vel satisfactio: vt pauperi qui furatus est, non competit dare eleemosynas, & sic in aliis casibus: & tunc, si contritio non sufficiat, non debet peccatum omnino manere inultum. Et possibile est, ergo & congruum pro tunc, imponere pro satisfactione propria huic peccato, aliquid; quod tamen non est sibi proprium secundùm vniuersalem correspondentiam de congruo, & hîc requiritur discretio Sacerdotis, vt non imponat alicui pœnam nimis sibi disconuenientem, sed aliam, quæ magis sibi conuenit, & quam fortè meliùs adimplebit: vt pote pauper, nec eleemosynas potest dare, nec orare, sed oportet eum continuè laborare pro victu suo necessario: nec ieiunare, quia tunc non sufficeret ad laborem necessarium pro victu necessario continuè acquirendo.

Cõfessarius debet dare eã pœnitentiam, quæ omnibus cõsideratis, magis congruit.

14 Quia ergo ipse labor continuus est sibi ieiunium continuum, quia continua maceratio carnis, tantummodò inducendus est, vt illum laborem subeat in remissionem peccatorum, intendens illum ad hunc finem referre, saltem quousque occurrat sibi opportunitas soluendi aliquam aliam satisfactionem, & aliqua alia possunt ei ita temperatè, & diminutè imponi, vt sint sibi possibilia. Consimiliter, diues qui lapsus est ad peccatum carnis, si est adeò delicatus, quòd non velit ieiunare, nec aliam macerationem notabilem subire, vel præsumitur quòd si sibi imponeretur, citò abiiceret, & sic peccaret nouo peccato, inducendus est ad orationem, & eleemosynam, & illud sibi imponendum est quod libentiùs recipit, & quod creditur perseuerantiùs adimplere.

Actus præcepti, si ad hoc referantur, esse satisfactorios, de quo n. 7. vbi Scot. videtur oppositũ innuere cum D. Th. hîc q. 1. a. 2.

Vel si omnino nullam pœnitentiam velit recipere à Sacerdote impositam, dicit tamen se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidiuandi, absoluendus est, & non est respuendus, ne cadat in desperationem: & nuntianda est sibi pœna, quæ esset pro peccatis facienda, & quòd eam in se, vel in æquiualenti absque impositione studeat adimplere, alioquin soluet ad plenum in Purgatorio.

Negãs pœnitentiã an absoluẽdus.

Hæc misericordia satis consonat illi Prophetiæ Isa. 42. de Christo, quam Matth. 12. cap. recitat, *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Arundo quassata est peccator quassatus tentationibus, & peccatis; linum fumigans est linum nimis humidum ex peccatis, tamen aliquid habens de igne charitatis: & hic extinguitur, si per duritiam Sacerdotis ad nimis difficile obligetur: sed non extinguitur, si prædicatur sibi quòd oportet eum hîc, vel alibi, pœnam soluere: & quòd studeat hîc tantam pœnam soluere, quanta peccatis debetur, ne alibi acrior exigatur.

Arundo quassata est peccator variè tentatus.

COMMENTARIVS.

86 *Satisfactio de congruo correspõdẽs peccatis.*

[f] EX *hoc de tertio articulo*, &c. Articulus 3. fuit: *An cuilibet peccato correspondeat propria satisfactio? Conclusio prima est:* sicut peccata in genere distinguũtur in illa, quæ fiunt ex concupiscentia carnis, ex concupiscentia oculorum, ex superbia vitæ 1. Ioann. 2. ita in genere, & de congruo his correspondere proprias satisfactiones; peccato carnis ieiunium, & vniuersim omne illud, quod repugnat huic concupiscentiæ per macerationem carnis, vt vigiliæ, labores, asperitates, & huiusmodi. Hæc probatur ex Patribus *suprà* citatis: quia pars fructus pœnitentiæ in hoc completur. Patet ex ieiunio Dauid, Niniuitarum, Achab. ex Ioel. 2. *In ieiunio & fletu & planctu*, &c. Clemens *lib. 2. Constit. Apostolicarum cap. 16. Castiga illum* (supple pœnitentem) *ieiuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut septem hebdomadarum, vt delicti genus, & ratio poposcerit*, &c. Clemens Alexand. in lib. qui inscribitur, *Quis sit ille diues, qui saluetur*, &c. Narrans conuersionem cuiusdam iuuenis per Apostolum Ioannem: *Crebris item precibus Deũ pro illo inuocat, continuis ieiuniis vnà cum eo se macerat*, &c. Petrus Alexandrinus Can. XI. pœnitentiali. *Memores itaque multorum laborum, & miseriarum, quas pro Christi nomine sustinuerunt, cùm ipsi etiam pœnitentiam egerint, & quod à se factum est per proditionem in corporis afflictione, & mortifica*

Peccato carnis ieiunium, &c.

Clemens Romanus

Clemens Alexand.

Petrus Alexand.

mortificatione defleuerint, &c. *Simul oremus, & postulemus pro eorum reconciliatione*, &c. Origenes homil. 2. in Leuiticum. *Est autem septima, licèt dura, & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator lachrymis stratum suum*, &c. *Et cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam*, &c. *Si in amaritudine fletus, luctu, lachrymis, & lamentationibus confectus fueris; si carnem tuam maceraueris, & ieiuniis, ac multa abstinentia aridam feceris, & dixeris: sicut frixorium confrixa sunt ossa mea, tunc sacrificium similam à sartagine, vel à craticula obtulisse te noueris*, &c. Cyrillus Ierosol. Catechesi 2. plura eiusmodi habet, exemplo Dauid ieiunantis septem diebus. Basilius magnus in homilia 3. in illud Moysi: *Attende tibi ipsi*, &c. *Pro delicti proportione, huic quoque mutuaueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est, & graue peccatum? multa opus habes confessione, lachrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiuulso, & continente ieiunio*, &c. vide Chrysostomum *hom.* 10. *&* 42. *in Matthæum, & concione* 4. *de Lazaro*. Et passim Patres, qui in regulis pœnitendi, vigilias, & ieiunia, & reliqua opera macerationis præscribũt. De aliis asperitatibus, cilicio, cinere, flagellis, &c. habetur variis in locis Ionæ 3. 1. Paralip. 21. Ierem. 4. Matth. 11. 1. *ad Corinth.* 9. Luc. 18.

Origen. — *Cyrillus Ierosol.* — *Basilius.*

87 Peccato autem superbiæ, & cæteris spiritualibus, magis appropriatur oratio, quæ humiliat spiritum Deo, & roborat contra peccata spiritualia. Patet hoc: *Quacunque die inuocauero te, exaudies me*, &c. Psalm. 50. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum*, &c. Psalm. 90. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te*, &c. *Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos*, &c. Psalm. 98. & multa similia 2. Paralip. 33. Sic legitur de Manasse: *qui postquam coangustatus est, orauit Dominum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo Patrum suorum, deprecatusque est eum, & exorauit intentè, & exaudiuit orationem eius, reduxit eum Ierusalem in regnum suum*, &c.

Satisfactio pro peccato superbiæ oratio appropriatur.

Peccatis autem circa temporalia, vt auaritiæ, cupiditati, rapinæ, furto, & huiusmodi, appropriatur eleemosyna. Luc. 11. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*, &c. Et multa similia de virtute eleemosynæ ad satisfaciendum pro peccato. *Misericordia & veritate redimitur peccatum*, Prouerb. 16. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*, &c. Daniel. 4. Patet exemplo Zacchæi.

Eleemosyna satisfactio contra cupiditatem rerum.

88 Hanc tandem conclusionem probat Doctor propter maiorem correspondentiam pœnæ ad culpam. Vnde Sapientiæ 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*, &c. Ideò Clemens Romanus lib. 2. Constitutionum Apostolicarum c. 48. *Ne de omni peccato*, inquit, *idem iudicium pronuntietis, sed de vnoquoque suum*, &c. *Siquidem lex non omne delictum eodem supplicio puniebat.* Basilius homil. 14. contra ebrietatem, & luxum, hanc proportionem seruandam docet: *Medicina magna delicta sedabit: ieiunium ebrietatem curet, Psalmus turpes cantus, lachryma risum, pro saltatione genu flectatur, pro tripudio pectus pulsetur, pro vestium sumptu, & ornatu humilitas: in omnibus verò eleemosyna peccata diluat: redemptio animæ viri diuitiæ*, &c. Idem Chrysostomus hom. 10. in Matthæum. Ratio etiam postulat, vt sicut dicit Gregorius, *Qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur*, &c. Vt ipsi exequentes aduersùs nos ipsos iustitiam Dei, vindicemus peccata in illo genere, in quo sunt commissa; & sicut in bonis corporis, animæ, & fortunæ fit peccatum, ita etiam vindicetur in corpus per ieiunium, & macerationem dignam eius: in animam per orationem, dolorem, & contemplationem diuinorum: in patrimonium per opera misericordiæ, subueniendo pauperibus, quod in cœlestes thesauros per manus pauperum deportatur: vt inquit gloriosus martyr Laurentius. Hæc omnia complentur prædictis operibus in genere, & communi Patrum, & Theologorum consensu: quod definit etiam Trident. *sess.* 14. *can.* 13. vnde Chrysost. concione 4. de Lazaro. *Supplicium*, inquit, *à se ipso exigat pro peccatis per condemnationem, per diligenter exactam pœnitentiam, per lachrymas, per confessionem* (per quam intelligitur etiam oratio) *per ieiunium, per eleemosynam, per continentiam, ac charitatem, vt possimus omnes omni modo hîc depositis peccatis, multa cum fiducia illuc proficisci*, &c. Hæc etiam tria opera suadet Angelus Tobiæ *cap.* 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna.* Videatur Gregorius Nyssenus oratione in eos, qui acerbiùs alios iudicant.

Ratio Doctoris. — *Clemens Roman.* — *Basilius.* — *Chrysost.* — *Trident.* — *Chrysost.*

89 † *Sic dictum est de correspondentia ista*, &c. Supposita correspondentia generali, quæ de congruo adhiberi debet, & etiam consuli, ac imponi à confessario, quando non subest impedimentum: statuit Doctor secundam conclusionem: nempe quantùm ad necessitatem, & fructum satisfactionis non exigi talem correspondentiam, vt quis puniatur in eo genere, in quo peccauit: sed sufficere vt ei iniungatur satisfactio in alio genere, quæ sit æquiualens, aut certè proportionata facultati, & viribus pœnitentis. In quo discretio confessarij est spectanda, ne ex vna parte peccata non dimittat impunita, ne particeps fiat peccati alieni, & ex nimia indulgentia conniuens, vilem faciat medicinam necessariam infirmo: neve ex altera parte omittat etiam eius fragilitati consulere, vt illud imponat per modum satisfactionis, quod implere sine periculo desperationis, aut noui peccati commodè possit. Hæc doctrina communis est. Et quantùm ad primarium assertum, conclusio patet ex Canonibus pœnitentialibus, in quibus etiam propter spiritualia idololatriæ iniungebatur afflictio corporis, & ieiunium, propter peccatum carnis, pœnæ spirituales: vt patet *ex Can.* 1. Petri Alexandrini, & *can.* 11. *can.* 4. Ancyran. *can.* 12. Conc. Neocæsariensis *can.* 12. Nicæni *can.* 4. Gregorij Nysseni, & *can.* 58. & 59. Basilij, ad Amphilochium. Ratio autem est manifesta: quia omne illud, quod acceptum est Deo in satisfactionem pœnæ temporalis, est congruum medium satisfaciendi: ergo quando facultas non suppetit ad aliud persoluendum, iudex inferior, & ministerialis debet se conformare legi, & voluntati Dei, & ordinare satisfaciendum in æquiualenti: vnde Trident. *sess.* 14. *can.* 13. vbi quatuor genera satisfactionis enumerat, vt pœnas à Deo inflictas, vel impositas à Sacerdote, vel voluntariè assumptas, vel alia pietatis opera, vt distinguuntur ab his tribus enumeratis, nempe *ieiunio, oratione, & eleemosyna*: ergo hæc pœna sufficit.

Secunda conclusio Doctoris. — *Hæc proportio satisfactionis non est necessaria simpliciter.* — *Satisfactio æquiualens.* — *Trident.*

Duos autem casus format Doctor. Primus est de paupere, qui nec ieiunare potest, neque eleemosynas elargiri, neque etiam orare, saltem pro men

mensura peccati, quia toto tempore circuit quærens panem quotidianum: quid ergo? Respondet,

Quid iniungendum pauperi. *Quia ipse labor continuus est sibi ieiunium continuum: quia continua maceratio carnis, tantummodo inducendus est vt illum laborem habeat in remissionem peccatorum, intendens illum ad hunc finem referre, saltem quousque occurrat sibi opportunitas soluendi aliquam aliam satisfactionem, & aliqua alia possunt ei ita temperatè, & diminutè imponi, vt sint sibi possibilia*, &c. Loquitur autem de paupere, qui est furatus: ideò addit illam limitationem *saltem quousque occurrat sibi alia opportunitas soluendi*, &c. nempe restituendi ablatum. Occasione huius quæro,

Vtrùm satisfactio fieri possit in operibus præcepti?

91 *Sententia negatiua.* FAuentinus *dist.* 19. *huius disput.* 35. *cap.* 7. citat Doctorem pro sententia negatiua ex eo quòd *suprà* asseruit *in hac quæst.* satisfactionem latè sumptam esse ex aliàs indebitis, id est, vt *ibidem* explicat, ex operibus supererogationis, quæ non sunt in præcepto. Similiter eundem citat Suarez in hanc sententiam ex illo loco, & *ex qu. seq. argum. in oppositum cum sua solutione.* D.Thomas. Hanc sententiam videtur etiam tenere diuus Thomas in hac dist. qu. 1. art. 2. ad 3. *Quædam*, inquit, *mensura est homini adhibita, quæ ab eo requiritur, scilicet impletio mandatorum, & super ea potest homo aliquid erogare, vt satisfaciat.* Similia D. Bonauentura 2. *part. dist. art.* 1. *quæst.* 3. Richardus *ead. dist. art.* 1. *quæst.* 2. Paludanus *ibid.* Capreolus *quæst.* 1. *art.* 3. Maior *q.* 2. *dub.* 1. Almainus *quæst.* 1. Gab. *d.* 16. *quæst.* 2. *notab.* 1.

Secunda sententia negat satisfieri per opera præcepti naturalis. Secunda opinio, neque satisfieri per opera iure naturæ præcepta; secus esse de operibus præceptis iure humano. Archidiaconus apud Syluestrum, verb. *Satisfactio qu.* 8. Et Antoninus citatur pro eadem *titulo* 14. 3. *part. cap.* 20. §. 1. Quia hoc discrimen affert inter illa præcepta, quia nempe Ecclesia non intendit auferre vim satisfactionis, quia ad idem ordinari potest eius præceptum.

Tertia sententia affirmatiua. Tertia sententia docet etiam in operibus præceptis satisfactionem posse iniungi, & consistere; quæ est satis frequens apud modernos. Ita Caiet. *tom.* 1. *Opusculorum, tract.* 6. *q.* 1. Sotus hîc *dist.* 19. *qu.* 2. *art.* 1. Ledesma *quæst.* 14. *art.* 1. *dub.* 5. Petrus de Soto *lectione de satisfactione.* Medina *tract.* 3. *part.* 4. *dub.* 3. Adrian. *de satisfact. quæst.* 3. Suarez *disp.* 37. *sect.* 4. Vasquez *qu.* 94. *art.* 1. *dub.* 6. quæ sententia est satis frequens.

92 *Prima sententia approbatur.* Dico primò primam sententiam esse magis congruam praxi primitiuæ Ecclesiæ, loquendo de satisfactione pro pœna temporali, & regulariter, vt patet ex Patribus, quos *suprà* citauimus, & aliis passim, quia illa præscribebatur in operibus pœnalibus, & aliàs supererogationis, non autem præcepti: & simpliciter est tenenda in praxi, nisi status, aut infirmitas pœnitentis aliud suadeat.

Probatio. Probatur conclusio, quia in his operibus fieri pœnitentiam Scriptura docet, vt patet ex dictis, & exemplis pœnitentum quæ proponit, & hic est sensus etiam Ecclesiæ, vt patet ex dictis, & specialiter ex Trident. sess. 14. cap. 8. *Habeant præ oculis*, inquit, *vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad noua vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem*, &c. Triden. Ad nouæ vitæ custodiam, & remedium infirmitatis satisfactio est, quæ præscribitur contra tentationes, *Satisfactio debet esse in castigationē.* & qua exscinduntur causæ, etiam remotæ peccatorum, & quæ ad robur interius animæ ordinatur. Vltra hæc exigit Concilium satisfactionem, quæ sit in castigationem præteritorum peccatorum: & *cap.* 4. *eiusdem sess.* & *sess.* 6. *c.* 14. docet pœnitentiam Christiani debere esse non in sola cessatione à peccatis, & vitæ nouæ inchoatione: sed etiam in odio veteris, confessione, & satisfactione per ieiunium, orationem, & eleemosynam, & alia pietatis opera.

Ex quibus sic argumentor: Ex præscripto diuinæ iustitiæ vindicatiuæ peccati, & ex motiuo etiam ipsius pœnitentiæ, quæ est iustitia vindicatiua, & præcepto pœnitentiæ veræ, & requisitæ, debet pœnitens exhibere satisfactionem interiorem, quæ non solùm sit vindicta, & odium vitæ veteris, sed vt ei coniuncta est inchoatio vitæ nouæ, quantùm ad effectum, propositum emendationis, & propositum non peccandi ampliùs, seu obseruandi legem: ergo obseruatio præcepti, quantùm ad affectum, & propositum spectat ex diuina iustitia ad conuersionem à peccato: & ad satisfactionem, quam Deus acceptat pro ipso, & præexigit ad confessionem, & absolutionem. Sed alia secundùm ordinem iustitiæ, & institutionem Sacramenti est satisfactio pro peccato; alia pro pœna temporali: ergo illa, quæ spectant ad nouam vitam inchoandam, quę est obseruatio præceptorum, & spectat ad satisfactionem pro peccato, non est materia, in qua debet exerceri à ministro diuinæ iustitiæ (qui tenetur legislatori se conformare in ligando, & soluendo iustitia vindicatiua pro pœna temporali) sed in aliis operibus debet iniungi satisfactio, regulariter loquendo. 93 *Præscriptum iustitiæ vindicatiuæ.* *Satisfactio pro peccato.* *Differt à satisfactione pro pœna tēporali.*

Confirmatur: quia oppositum plurimùm relaxaret vigorem, & rigorem pœnitentiæ. Vnde Trident. *præfato cap.* 8. hanc rationem adducit, vnde diuina clementia voluit remanere pœnam temporalem, peccato dimisso, ne facilitas veniæ, & indulgentiæ esset occasio contemptus diuinæ legis, & lapsus, peccatori: ideóque hanc pœnam voluit esse frænum, quo retraheretur à peccato: faciliùs enim peccator affectu commodi mouetur, quàm iustitiæ, propter inclinationem ad sensum *pronum ad malum ab adolescentia sua.* Ergo vt dignè fiat hæc satisfactio, debet in aliquo constitui ex diuina iustitia, & clementia, quæ absterrent à peccato: quod nullo modo fieret iniungendo sola opera præcepti: ergo non in illis Deus ordinauit satisfactionem pro pœna temporali. 94 *Confirm.* Trident. *Inconueniens ex opposito.*

Probatur prima consequentia: obligatio ad opus præcepti per modum satisfactionis non inducit magis frænum non labendi, quàm ipsa comminatio pœnæ æternæ, & supplicij, ac pœnæ temporalis acrioris in hoc mundo, quàm Deus sua lege sanciuit. *Multa* enim *flagella peccatoris*, ergo vt pœna temporalis pro peccato habeat aliquam rationem impedimenti lapsus diuersam, & efficacem, non in opere præcepti statuenda est, sed in opere supererogationis, & pœnali. *Opus præcepti non est efficax ad finē castigationis.*

Deinde,

Castigatio vitæ veteris consistit in pœna. Deinde, non esset aliàs castigatio vitæ veteris ordinando pœnam pro pœna, & vlciscendo peccatum, distincta, ab ea satisfactione, quam Concilium statuit in remedium fragilitatis, & per modum præseruatiuæ: quia hæc ordinantur ad præcepta seruanda, & nouam vitam conseruandam. Castigatio autem vitæ præteritæ ampliùs dicit: ergo debet esse in aliquo, quod aliàs liberum esset homini omittere, si non peccasset, vt patet manifestè ex Gregorio *suprà* citato, & Chrysostomo.

95 *Responsio.* Dices opus præcepti esse laboriosum, & habere posse rationem pœnæ. *Impugnatur.* Contrà, non habet laborem diuersum, aut pœnam distinctam ab iis, quæ requiruntur ad nouam vitam, & ad satisfactionem de ipso peccato requisitam ex diuina iustitia intra, & extra Sacramentum ad remissionem, & satisfactionem peccati, quà peccatum est, & inducit debitum pœnæ æternæ: sed labor, & pœna, quæ est pro satisfactione temporalis pœnæ, in quam commutatur æterna præscripta, exigit aliud genus laboris, & pœnæ nouæ superadditæ etiam in ratione operis pœnalis, vt sit castigatio diuersa, & satisfactio: ergo nequit consistere in priori. *Responsio.* Dices saltem ex opere operato habere posse vim satisfaciendi, vt subest clauibus. *Impugnatur.* Contrà: Aliqui eorum, qui in prædicta sententia sunt, id negant: de quo in sequentibus agitur. Sed dato etiam quòd satisfactio imposita à Sacerdote haberet vim ex clauibus, non soluitur difficultas: quia claues applicari debent ad materiam præscriptam lege, & acceptatione diuina ad hoc, vt validè ligent, & soluant: talem non esse materiam præcepti, neque etiam proportionem debitam habere ad hoc genus satisfactionis probatum est: ergo non est capax talis eleuationis per claues. Ex his patet fundamentum oppositæ sententiæ non concludere.

96 *Obiectio.* Obiiciunt primò, quod habet virtutem augendi gratiam, habet virtutem satisfaciendi: sed opus præcepti habet talem virtutem in iusto: ergo, &c. *Soluitur.* Respondetur negando maiorem cum consequentia: quia diuersa sunt, secundùm iustitiam, meritum, & satisfactio in nobis, sicut diuersi sunt fructus pœnitentiæ, & fructus iustitiæ: *Differentia inter meritũ, & satisfactionem.* quamuis ergo opera pietatis habeant rationem æquiualentis satisfactionis: tamen intelligitur id de operibus, quæ non sunt aliàs in præcepto; an autem opus pietatis relatum in finem satisfactionis pro peccatis, & acceptatum à Deo, habeat etiam vim merendi gratiam, & gloriam eandem, quam aliàs mereretur, postea videbitur: saltem illa opera debent esse libera, vt sint satisfactoria, & non præcepti.

Secunda obiectio. Secundò obiicit Sotus: Ecclesia instituit ieiunium quadragesimale, & quatuor temporum pro satisfactione peccatorum; vt patet ex præfatione: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia*: ergo in his ieiuniis potest esse satisfactio propter peccatum, imposita à Sacerdote. *Respondetur.* Respondetur negando consequentiam: quia licèt illa iam habeant vim satisfaciendi ex se, & sint opera proportionata aliàs: tamen quia sunt in præcepto Ecclesiæ, sunt debita & determinata: vnde si committatur peccatum contra hoc præceptum, aut aliud, vt illa opera sint idonea satisfactio, *Satisfactio debet esse libera à præcepto.* debet eis adiungi modus maioris abstinentiæ, quàm vt præcepto Ecclesiæ determinatur, vel certè ponenda est alia impœnitentia diuersa iuxta modum peccati, & facultatem pœnitentis.

Tertiò obiicit: martyrium ex præcepto, nempe fidei, aut alterius virtutis conseruandæ, delet culpam, & pœnam. 97 *Tertia obiectio.* Item, dilectio Dei, & contritio perfecta, licèt sint etiam in præcepto, habent vim satisfaciendi, ita vt aliquando deleant omnem culpam, & pœnam: ergo opus esse in præcepto non diminuit vim satisfactionis: sed potiùs auget, quia etiam redditur magis bonum. Respondet Fauentinus aliud esse actum meritorium esse remissiuum alicuius partis pœnæ temporalis, & totius, si actus est perfectissimus, & aliud esse an opera præcepti sint satisfactoria pro pœna temporali. *Responsio Fauentini.* Primum concedit; secundum negat. Sed contra hoc est, quòd in casu præcepti pœnalis, etiam cæteris paribus, est magis meritum, & ratione pœnæ est magis proportionatus ad satisfaciendum, quàm sit actus præcepti non pœnalis: ergo ille magis potest habere vim satisfaciendi, quàm hic: *Impugnatio.* *Opus præcepti habet vim satisfaciendi.* & si actus meritorius præcepti ex se habet vim satisfaciendi ex lege, nihil repugnat, quin imponi possit, vt satisfactio pœnitentialis: quia non requiritur ad hanc, vt semper sit opus pœnale, quod imponitur, sed sufficit æquiualens: vt dicit Tridentinum, per alia etiam opera pietatis satisfieri posse pro peccati pœna temporali: si ergo omne meritum aliquid pœnæ remittit, & præceptum non derogat merito, sequitur quòd non deroget satisfactioni, & à fortiori, si opus pœnale sit. Vel ergo dicere oportet consequenter, quòd opus præcepti meritorium, vniuersaliter loquendo, non sit satisfactorium, vel certè restringere conclusionem positam ad opus præcepti, quod non est meritorium: quia aliqua ei cõditio deest requisita ad meritum; vt quia non fit in gratia, vel si fiat, non refertur in finem charitatis. Vel denique tertiò, quòd opus meritorium in ratione meriti, & non in ratione satisfactionis remittit pœnam, aut partem eius: quia sicut est ordinans hominem ad gloriam; ita etiam natum est amouere impedimentum eius vel ex toto, vel ex parte, iuxta perfectionem meriti: quia pœna temporalis debita peccato variis modis remittitur, siue per Sacramentum, vt quando quis accedit contritus, vel aliàs confessus, vel etiam per opus meritorium, etiam ex præcepto: quia præceptum non tollit rationem meriti: vel per satisfactionem strictè sumptam, quæ requirit, vt sit in materia libera, & non aliàs præcepta.

98 *Responsio.* Dices hoc liberè dici, quia meritum ad præmium & quodcunque datum intuitu meriti seruat proportionem iustitiæ, si ergo non derogat merito opus esse in præcepto, neque etiam satisfactioni, vt sit in opere præcepti. Probatur consequentia: *Bonitas ex præcepto dignificat opus.* quia eadem seruatur vtrobique proportio iustitiæ, & bonitas accedens ex præcepto dignificat magis actum, & in *esse* operis, & in acceptatione diuina: ergo in *esse* satisfactionis. *Satisfactio Christi in opere præcepti.* Præterea, satisfactio Christi Domini, quæ fuit perfectissima per mortem, & passionem, probabile est fuisse in præcepto obedientiæ (saltem supposita eius acceptatione) ex debita conformitate cum diuina voluntate, quæ ordinauit hoc remedium in redemptionem hominis; & ideò dicitur ad Philippen. 2. *Factus est obediens vsque ad mortem*, &c. & ipse in horto orat: *Non mea, sed tua voluntas fiat*: ergo præceptum

Satisfactio pœnitentialis est in præcepto.

ceptum non tollit valorem satisfactionis. Præterea, ipsa satisfactio imposita à Sacerdote, vt dicit *infra* Doctor, habet concomitans præceptũ in exercitio, ita vt si omittatur, peccet de nouo pœnitens: ergo opus esse in præcepto non tollit vim satisfaciendi.

99 *Satisfactio per flagella æquiualet operi præcepti.*

Præterea, per flagella à Deo missa, ea acceptando satisfacimus ex Tridentino *cap. 9. can. 13.* ergo etiam per opera præcepti similiter valet satisfactio. Probatur consequentia: quia vel ideò derogat præceptum, quia inducit necessitatem operis: sed maior est necessitas in præmissis; quia naturalis: in opere præcepti tantùm obligationis, & moralis: vel ideò quia ipsa obligatio præcepti inducit debitum, cum quo non est compatibilis satisfactio; sed perinde etiam illa flagella supponunt debitum ex peccato, ac proinde etiam obligationem ea ferendi patienter: quia voluntas inferioris contra ordinem iustitiæ, & debitum murmurans, non est ordinata voluntas: ergo.

Ex authoritate Doctoris idem probatur.

Præterea quintò facit textus præmissus Doctoris, qui admittit pauperem, si ferat patienter labores necessarios conquirẽdæ vitæ, eósque offerat pro peccato commissi furti, Deo esse satisfactorios, dum aliud medium non suppetat: sed illi labores sunt in præcepto, cùm sint necessarij conseruandæ vitæ, ad quam tenetur: ergo neque in sententia Doctoris requiritur vt opus satisfactionis non sit aliàs in præcepto. Accedit quòd *suprà* doceat idem, quòd Tridentinum, nempe passionem patienter toleratam esse satisfactionem etiam pro peccato, & *infrà dist. 21. quæst. 1. ad vltimum* docet per mortem naturalem Deo oblatam satisfieri posse pro peccati pœna: quamuis ipsam mortem tenetur patienter ferre: quia est pœna debita peccato, & in ea ferenda conformare voluntatem suam iustitiæ diuinæ.

100 *Satisfactio pro peccato est in præcepti opere.*

Sextò denique, non magis satisfactio pro pœna temporali exigit opus aliàs indebitum esse, id est, non præceptum, quàm satisfactio pro ipso peccato, quia perinde definitio satisfactionis latè sumptæ applicatur vtrique ex prima parte huius quæstionis: in qua definitur satisfactio illo modo, vt comprehendit vtramque tam pro peccato, quàm pro pœna debita. Sed supposito peccato mortali, pœnitentia vt satisfactio pro ipso est in præcepto, vt *infrà* dicetur: ergo perinde potest esse satisfactio imponenda pro pœna temporali. Quod confirmari potest ex argumento iam citato: quia per ieiunium quadragesimale, & similia, quæ sunt in præcepto, potest quis satisfacere pro pœna temporali peccatorum aliàs remissorum: ergo non vetat præceptum opus esse satisfactorium, quamuis sit in præcepto.

101 *Limitatio cõclusionis præmissæ.*

Propter hæc argumenta dixi superiùs regulariter satisfactionem imponendam à Sacerdote non debere esse opus præcepti, omissa illa probatione, quam adducit Fauentinus ex communi ratione satisfactionis per illam particulam *aliàs indebiti*, &c. quæ desumpta est ex Anselmo, & definitione, quam adducit Doctor.

Soluũtur rationes præmissæ.

Ad has autem rationes, inquantùm militant contra conclusionem positam; respondetur, supponendo rationem, in qua fundatur ipsa conclusio, nempe satisfactionem strictè sumptã, vt imponitur à confessario, debere esse secundùm ordinem diuinæ iustitiæ, & acceptationem: talis ergo debet esse, qualis est præscripta, vt sit veteris vitæ castigatio, vt declaratum est ex Tridentino; & debere exhiberi in materia lege præscripta. Vnde si Sacerdotes minima quædam opera pro grauissimis peccatis imponentes non seruant ordinem præscriptum ligandi, & soluendi secundùm iustitiam, & communicant peccatis alienis, vt dicit Concilium: à fortiori peccant, si nihil imponunt, nisi id ad quod peccatores aliàs fortiori vinculo tenentur; & quod tam in proposito, quàm in exercitio spectat ad alium ordinem iustitiæ vindicatiuæ, in quo præscribitur satisfactio distincta, & propria, pro ipsa culpa, scilicet interior cum præscriptis circumstantiis à Tridentino.

Ad primum ergo respondetur, quòd lex generalis comprehendit media ordinaria; dispositionémque, & statum commuuem respicit, non autem casus particulares priuilegij: lex autem communis de satisfactione imponenda pro peccato determinat, vt seruetur medium iustitiæ, ne peccator ex indulgentia transeat in contemptum, & ex facilitate veniæ: vt etiam satisfactioni Christi communicet, in qua eius satisfactio acceptatur, ac proinde in proportione operis pœnalis, non quomodocumque: sed quæ sit noua pœna ordinans debitum pœnæ temporalis. Martyrium verò, excellens charitas, & contritio ex speciali ratione habent tollere tam culpam, quàm pœnam vniuersam: martyrium, quia, vt dixi *suprà dist. præced. q. 2.* vltima est dispositio necessitans ad gloriam, & sic tollit omne eius impedimentum ex acceptatione sua speciali, non per modum satisfactionis, sed ex prærogatiua eximiæ charitatis, & fidei. Eandem acceptationem habet ipsa charitas perfecta, quia illa perfectè coniungit vltimo fini, & est satisfactio virtualis pro peccato. Contritio autem (perfectissima scilicet) perinde acceptatur specialiter à Deo in remissionem peccati; & quando est superabundans etiã omnis pœnæ, quæ etiam aliàs maneret cum contritione in gradu inferiori: hæc autem opera sicut ex motiuo suo non ordinantur ad satisfactionem pœnæ temporalis proximè; sed ad aliud, nempe ad perfectam coniunctionem cum fine, & contritio vlteriùs ad peccati satisfactionem, vt *suprà* diximus, sic non sunt satisfactio, de qua nunc loquimur, & quæ ex dispositione communi legis exigitur ab omnibus, quia etiam de lege tales actus in omnibus non reperiuntur, neque eis conceduntur, quæ sunt Dei dona specialissima aliquibus communicata: ideò lex disponens de satisfactione communiter exhibenda, & imponenda, non respicit tales actus.

102 *Lex generalis non comprehendit casum, aut priuilegium.*

Martyrium, charitas, & cõtritio, quomodo extinguunt debitum?

Imò, neque respicere potest, quia hæc lex supponit debitum pœnæ temporalis manere, pro qua exigit satisfactionem faciendam; illi autem actus non relinquunt talem pœnam, si sunt perfectissimi; contritio autem, & dilectio Dei in eo gradu, in quo non sunt proportionati, vt deleant peccatum cum omni suo debito, relinquunt pœnam aliquam temporalem supplendam per satisfactionem de lege præscriptam: ac proinde lex præscripta satisfactionis exhibendæ supponit debitum pœnæ manere: argumentum ergo à paritate non concludit: quia hæc satisfactio est alterius rationis, vt dictum est, & imponi debet in aliquo opere, quod sit onus nouum, & labor peccatori ad castigationem peccati, 103

& non proinde in aliquo, ad quod aliàs vinculo strictiori legis tenetur, vel certè æquè stricto regulariter loquendo: quia neque sic satisfieret diuinæ iustitiæ, & ordinationi, quam *suprà* habemus ex Concilio; neque esset frænum peccatori, neque vindicta idonea ad castigandum eius peccatum, cùm nihil noui in ratione operis exhibendum pro peccato decerneret, quod induceret pœnam, & laborem diuersum ab eo, ad quod aliàs tenetur, & venia facilis induceret per hoc ad contemptum: ideò tenenda est solutio vltimo loco data, quam fortè intendit Fauentinus.

104 *Dispar ratio meriti, & satisfactionis pro pœna tẽporali.*

Ad primam obiectionem contra eam factam. Respondetur meritum in ratione boni operis dicere proportionem secundùm medium iustitiæ ad præmium: satisfactio verò, vt distinguitur à merito, & fundat debitum solutionis, magis fundatur in opere pœnali de lege, siue interior sit satisfactio, siue exterior, quia est actus iustitiæ vindicatiuæ. Ad hæc vlteriùs, sicut Sacerdos imponens satisfactionem est iudex delegatus, qui secundùm legem iudicare debet, & castigare peccatum, & ligare peccatorem ad aliquod genus satisfactionis, quod ipsi sit onus nouum, & superadditum, & distinctum ab eo, ad quod aliàs tenetur ex satisfactione pro peccato requisita, quæ inuoluit propositum seruandæ legis, & seruandæ iustitiæ, saltem titulo gratitudinis: nam propter ingratitudinem etiam Deus induxit hanc obligationem specialem pœnæ temporalis, vt dicit Concilium Tridentinum *cap.* 1. *&* 8. quæ ingratitudo, quando non compensatur ex perfectione superabundanti conuersionis à peccato, restat compensanda per satisfactionem, tanquam per nouum onus iniunctum: ideò eam castigare debet confessarius etiam per diuersam pœnam ab ea, quæ correspondet satisfactioni pro peccato.

Trident.

105 *Discrimẽ inter actum satisfactoriũ, & obligationem imponẽda satisfactionis.*

Aliud ergo est opus satisfactionis esse in præcepto, ex quo obligetur pœnitens ad opus ipsius satisfactionis exhibendum; & hoc nos concedimus ita teneri posse, ideóque potest satisfacere per ieiunia præcepto Ecclesiæ, per eleemosynas, etiam vt sunt in præcepto, & satisfactionem iniunctam à Sacerdote adimplere ex præcepto. Aliud verò an satisfactio, quam imponere debet confessarius, possit præscribi in solo opere præcepti, ad quod aliàs tenetur pœnitens, & hoc negamus: quia præter hoc, quòd opus ipsum sit satisfactorium ex natura sua, quod competit aliàs operibus etiam præcepti (quando satisfaciendum sit ex voluntate peccatoris offerentis illa extra Sacramentum) & quamcumque obligationem specialem virtute clauium inductam; præter hoc, inquam, quòd opus sit satisfactorium, requiritur vt authoritas clauis ligantis debitè exerceatur, & secundùm præceptum, vt opus illud inducatur per modum noui oneris, & laboris, ad quem aliàs non tenebatur; aliàs non rectè ligaret, aut conformiter ad institutionem huius Sacramenti, & finem authoritatis concessæ; neque materiam idoneam applicaret, in qua hæc specialis vindicta exerceri de lege debet: sicut si lex præcipiat aliquid specialiter; vt furem suspendendum: licèt hæc pœna aliàs redimi possit per alia obsequia gratuita legislatori, tamen iudex inferior nequit illa præscribere, aut in ea commutare pœnam lege inductam: sic neque confessarius potest aliam pœnam præscribere præter eam, quam institutio Sacramenti, & Deus præscripsit. Si quæras, vnde id colligatur? Respondetur colligi ex dictis: nam facilitas veniæ, & remissio iudicis in castigando reos culpatur ab omnibus Patribus, & à Tridentino. *Quàm porrò ineptum*, (inquit Tertullianus lib. de Pœnitentia, cap. 6.) *quàm pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum non sustinere? hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere: hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit: hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem*, &c. Ex his patet ad reliquas omnes obiectiones, admittendo satisfactionem fieri posse in operibus præcepti: sed negando talia imponi posse regulariter à Sacerdote per modum pœnitentiæ in hoc foro.

Exemplum.

Confessarius præscriptũ legis sequi tenetur.

Dico secundò. Quando pœnitens est talis, vt non subsit facultas adimplendi aliam pœnitentiam, vt in casu Doctoris expressò liquet; 106 *Secunda conclusio.*
vel etiam quando est tam fragilis, vt verisimiliter non sit adimpleturus pœnitentiam delicto proportionatam, & quæ aliàs imponi deberet, vt patet in secundo casu, non esse iniiciendum ei laqueum, & occludendam viam salutis, ideóque rectè imponi; vel ipsa opera præcepti, vel pœnitentiam præseruatiuam, vel aliud, quod magis expedire videbitur, iuxta discretionem confessarij prudentis: & nisi sit periculum desperationis, aut necessitas præsens absoluendi, ad terrorem expedit quandoque differendam esse absolutionem: & in hac amplectenda est tertia sententia; nempe in casu, & particulari necessitate pœnitentis licere vti tali indulgentia: non tamen regulariter. Ratio autem huius conclusionis petenda est ex eo, quòd Deus non dereliquit peccatorem in statu viæ sine remedio salutis: ergo per pœnitentiam potest saluari etiam in casu, quo non esset ei possibilis alia satisfactio, vel certè quo iudicaretur esse periculosa; hæc enim pars pœnitentiæ, cùm ordinetur ad remissionem pœnæ temporalis, & non peccati, non exigitur essentialiter ad remissionem peccati, sicut confessio, & contritio: ideò sine illa contingit Sacramentum ministrari in certis casibus, in quibus nequit adimpleri, aut non expedit eam imponi. Vnde Deus acceptat satisfactionem, quam præstare potest peccator, siue sit opus præcepti, aut aliud in simili casu. Reliquum ipse suppleat, vt potest, vel per indulgentias, vel alia via, per tolerantiam laborum, vel passionum, vt dicit Doctor. *Consimiliter diues, qui lapsus est*, &c. Hîc dicit non esse imponendam satisfactionem renuenti. De hoc dubio agetur *infrà d.* 18. illic perquiratur vlterior eius resolutio.

In casu absoluendus est reus sine satisfactione, aliàs proportionata.

Ratio secundæ conclusionis.

SCHOLIVM.

Sententia D. Thom. Richardi, & aliorum, quòd opera facta in peccato nihil conducunt ad satisfactionem. Hanc reijcit Doct. & tenet probabiliter, per pœnitentiam expletam in peccato satisfieri præcepto, & solui pœnam. Quod præter Scoti discipulos, tenent Gabr. 4. d. 16. quæst. 2. art. 3. dub. 3. Medin. tract. 3. quæst. 5. dub. vlt. Nauar. cap. 1. de pœnit. d. 6. n. 47. Maior hîc. Adrian. 4. q. an vnum peccatum sine alio, &c. Almain. hîc quæst. 1. Gerson. de Reg. moral. tit. de pœn. & de orat. p. 2. Rubion hîc quæst. 3. art. 2. Cord. lib. 5. quæst. 23. Angel. v. Pœn. §. 14. Hinc patet quàm audax in falso Sotus d. 19. q. 1. art. 4. dum ait solum Gabr. sequi Scotum in hoc, & Valen. d. 7. q. 14. de satisfact. part. 3. dum ait hanc opin. ab omnibus explosam. Vide Bassol. quæst. 1. Tartaret. hîc; hæc tamen est satisfactio, tantùm secundùm quid, *quia non reconcilians, nec placans. Trident. sess. 14. c. 8. vbi videtur fauere opposito: exponitur de satisfactione meritoria. Addit Doct. ad solutionem pœnæ sufficere satispassionem; ad quam non requiritur voluntarium.*

15 *D. Thom. hîc artic. 1. quæst. 3. Rich. art. 1. quæst. 5. Henricus quodl. 8. q. 18.*

DE * quarto dicitur, quòd etsi satisfactio exterior pro vno peccato possit separari à satisfactione pro alio, vt quando orat, tunc non dat eleemosynam: tamen non potest satisfactio exterior fieri de vno, ita quòd remaneat iste in alio peccato. Et probatur, quia placaret Deum, & tamen esset inimicus eius: & quoad hoc oportet satisfactiones esse coniunctas saltem in voluntate, ad minùs habitualiter, licèt non in effectu, nec in voluntate tunc actualiter.

Sed ista sententia videtur nimis dura contra peccatores, & occasio maioris obstinationis. Si enim iste hodie verè pœnitens, & humiliter recipiens satisfactionem, esto ieiunium trium dierum, cras recidiuat in peccatum mortale, & de illo non pœnitens, secundo die ieiunat, quia sibi fuit impositum. Si dicas quòd illud ieiunium secundæ diei non est aliqua satisfactio exterior, magis occasio est inducendi istum iam lapsum, vt tertio die non ieiunet. & per consequens ad nouum peccatum mortale: quia transgrediendo istam pœnam iniunctam à Sacerdote, & receptam, videtur esse peccatum mortale, cùm sit transgressio præcepti Ecclesiæ, & Vicarij Dei in illo actu.

Ex isto potest formari talis ratio. Si post lapsum, & ante pœnitentiam nouam non exequatur quis satisfactionem pristinam sibi impositam, peccat mortaliter nouo peccato: ergo si exequatur, benè facit, quia actum obedientiæ facit: sed non facit actum obedientiæ, nisi inquantùm illud est sibi impositum tanquam pars satisfactionis.

16 *Valere satisfactionẽ factam in peccato mortali.*

Dico ergo sine præiudicio, quòd qui semel verè pœnitet, & recipit satisfactionem, vel pœnitentiam condignam sibi impositam ab Ecclesia, claue non errante, quantumcumque postea recidiuet, nunquam tenebitur, nisi ad illam vnicam satisfactionem adimplendam: & si eam impleat in charitate, melius est: quia non tantùm soluit pœnam, sed meretur. Sed si adimpleat eam voluntariè extra charitatem, soluit quidem pœnam, sed non meretur gratiam. Si autem ipsa ab eo extra charitatem exigitur, soluitur pœna, licèt ipse non soluat. Et in primo est satisfactio simpliciter, quia reconcilians, & placans: in secundo est quidem satisfactio, quia voluntaria redditio, &c. sed nec reconcilians, nec placans. In tertio autem est satisfactio, vltra quam non exigetur pœna vlterior.

Explenti magnã pœnitẽtiam in peccato, resurgẽti non est imponenda noua pœnitentia.

Ex secundo membro sequitur, quòd si magnam partem satisfactionis sibi impositæ expleuit in peccato mortali, & pòst iterum pœnitet de peccato nouo, non est sibi iteratò pœnitentia imponenda pro peccato, de quo satisfecit, licèt extra charitatem: sed tantùm de nouis peccatis, quæ fuerunt causa, quare illa satisfactio fuit mortua.

17 *Sufficere satispassionẽ, ad solutionem pœnæ.*

Et si arguas, mortua est: ergo non est satisfactio. Non sequitur, nisi quòd non est satisfactio placans, nec reconcilians in amicitiam. Et si dicitur: ergo non est satisfactio. Non sequitur: quia sufficit Deo, quòd quis voluntariè soluat pœnam debitam ad punitionem peccati commissi: quia etiam quod minus apparet, sufficit satispassio. Patet in actibus humanis: si enim alicui offensæ in Regem correspondeat præcisè secundùm legem abscissio manus, si isti etiam inuito abscinditur manus, satis patitur, & intantum sufficit Regi, quòd secundùm legem, & iustitiam, non debet ab eo pœnam vlteriorem exigere; & tamen non recipit eum in gratiam, vel amicitiam: multò magis

magis ergo posset sufficere pro punitione culpæ, si aliquis sibi pœnam debitam infligeret, licèt non esset in gratia, vel amicitia ipsius iudicis offensi.

Ex tertio membro potest elici, quòd talis, si propter nouum peccatum, in quod recidiuat, damnaretur, antequam complesset totam pœnam sibi impositam, puniretur in inferno temporaliter pœna correspondente illi, quæ non fuit hîc soluta: & illa soluta post tempus aliquod non puniretur ampliùs illa pœna, sicut & de veniali, quia moriens in peccato veniali simul cum mortali, non puniretur æternaliter pro veniali, vt dicetur inferiùs. Et eodem modo in proposito: ex quo enim secundùm plenam iustitiam punitiuam semel imposita est pœna temporalis isti pro peccato, de quo verè pœnituit, nunquam isti pro illo debebitur nisi pœna temporalis, & illa soluta, nulla alia.

Pœna peccati venialis, & temporalis pro mortali remisso, finiũtur in Inferno.

Ad argumenta. Ad duo prima patet ex quinto articulo primi membri, & quarto secundi. Ad tertium patet ex tertio articulo secundi membri. Ad quartum patet ex quarto articulo primi membri. Sed si arguas; contritio potest delere quodcunque peccatum: ergo pro nullo correspondet aliqua alia propria satisfactio, non sequitur: tum quia contritio includit aliquam satisfactionem, in voto saltem, vt dicetur *dist.*17. & licèt quandoque contritio sit tam intensa, quòd sufficiat pro tota pœna, vel satisfaciat: tamen præceptum de aliqua pœna infligenda non est irrationale: quia regulariter contritio non est, nisi satisfactio partialis, & præcepta generalia dantur propter remedium generale, & secundùm illas conditiones, quæ inueniuntur in hominibus, vt in pluribus. 18

Ad arg. 1. Contritio virtualiter includit satisfactionẽ. Contritio quandoque tollit totam pœnam.

Ad primum in oppositum, concedo quòd aliqua pœna correspondeat æqualiter isti culpæ, vel pœna distincta in se, vel pars virtualiter contenta in alia pœna: & ita est satisfactio propria isti, vel actualis, vel virtualis, & sic propria, quòd nulla alia nunc correspondet, loquendo de satisfactione totali, licèt alia posset correspondere. Ista etiam nunc non correspondet alij culpæ, licèt posset alij correspondere. Ad auctoritatem Apostoli dico, quòd loquitur de pœna damnatorum. Patet ex littera, *Cecidit, cecidit, illa Babylon*, &c. Et ibi verum est, quòd præcisè valdè, & propriè commensuratur pœna culpæ: sed nec tanta præcisio, nec commensuratio est in pœna pœnitentiali, nec requiritur.

Ad rationẽ in opposit.

In pœna pœnitentiali nõ requiritur commensuratio Mathematica ad culpam.

COMMENTARIVS.

107 *An satisfactio adimpleta in mortali valeat ad remissionẽ pœnæ.*

x DE *quarto dicitur, quòd etsi satisfactio*, &c. Hîc tractat illam quæstionem, an scilicet satisfactio impleta in peccato mortali aliquid valeat, pro temporali pœna: verbi gratia, ieiunium impositum per modum pœnitentiæ, supposito lapsu pœnitentis antequàm tempus præscriptum ieiunij transeat, aut aduenerit, an ieiunans satisfaciat pœnæ temporali per ieiunium præscriptum.

Sententia negatiua.

Negatiuam partem tenet D. Thomas *dist. præsenti quæst.* 1. *art.* 3. D. Bonauent. 1. *part. dist. q.* 3. Richardus *art.* 1. *quæst.* 5. Palud. *quæst.* 1. *art.* 3. Henricus *quodlib.* 8. *quæst.* 18. Alens. 4. *part. quæst.* 24. *memb.* 4. *art.* 1. Sotus *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 4. Caiet. *tom.* 1. *Opusculorum tract.* 6. *quæst.* 1. *art.* 4. Vasquez 3. *part. quæst.* 94. *art.* 1. *dubio* 4. Suarez *disp.* 37. *sect.* 2. & *disp.* 38. *sect.* 8. Valentia *disp.* 7. *quæst.* 14. *de satisfact. punct.* 3. Sotus ait contrariam sententiam, quæ est Doctoris, non habere alium sequacem, nisi Gabrielem. Valentia ait ex scholis explosam. Suarez post Trident. non esse probabilem, sed falsam.

Censura.

Sententia affirmat.

Affirmatiuam docet Doctor hîc, vbi tantùm loquitur de satisfactione sacramentali; & à confessore imposita, non autem de satisfactione ab ipso voluntariè assumpta. Quod aduertere volui, quia multi trahentes quæstionem ad vtramque, eum citant, quasi perinde de vtraque determinaret hîc.

108 *Prima conclusio.*

Prima conclusio: satisfactio à Sacerdote imposita, & adimpleta etiam in peccato mortali habet suum effectum. Hæc est Doctoris §. *Dico ergo*, &c. quam modestè asserit, & sine præiudicio, quia vidit antiquos fuisse in sententia opposita. Hanc conclusionem non solus Gabriel sequitur: sed ante eum Durandus probabilem censet, licèt priorem magis tutam, quia nempe in dubio tutior pars sequenda. Eam sequitur Gabriel *dist.* 16. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 3. Medina *tract.* 3. *quæst.* 5. & cæteri, vt breuior sim, quos citat Scholiastes in præmisso Scholio; & præter antiquos moderni etiam Doctores nostræ Scholæ. Præterea, Gab. Vasq. *loco præfato art.* 2. *dub.* 5. eandem tenet; citans Marsilium *in* 4. *qu.* 13. *art.* 1. & videtur etiam D. Thomæ *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 5. *in* 2. *responsione*; vbi præfert modum dicendi aliorum, qui negant pœnam temporalem ob peccatum iam remissum manentem puniri in æternum; neque hoc esse inconueniens, quia pœna, quæ soluitur, non redimitur. Saltem admittit per satisfactionem deleri: ergo à fortiori id in viatore contingit, qui est in statu satisfaciendi magis, quàm damnatus, licèt sic peccator, ac proinde persoluens pœnitentiam iniunctam, redimit proportionatè pœnam debitam, vel potiùs soluit. Si dicas quòd viator in peccato nequeat redimere, neque alioquin satisfacit, nisi redimendo. Contrà, non est peior peccatoris in via conditio, quàm in termino: ergo si in termino pœna temporalis exacta completè cessat, quia vltra debitam mensuram non extenditur, neque diuinæ iustitiæ congruit vltra debitum vindicare: sequitur à fortiori satisfactionem

nem pœnitentialem, ad quam tenetur peccator, quando exhibetur, delere pœnam temporalem proportionatam sibi: quia voluntariè exhibetur, & est actus ex fide factus, & reliquis circunstantiis bonus, & ad quem tenetur ex præcepto, quæ non conueniunt pœnæ, quam sustinet damnatus.

109 *Fundamentũ Doctoris.*

Probatur conclusio à Doctore, primò, quia hæc sententia est nimis dura. Secundò, causat obstinationem in peccatore. Tertiò, quia dat ansam peccandi: quia pœnitentiam iniunctam, si nihil ei prodest, non persoluet, quod est peccatum. Quæ rationes omnes in re morali vrgentissimæ sunt.

Prima ratio Doctoris reducitur.

Prosequendo itaque primam rationem, sic argumentor: Non debet sine fundamento aggrauari onus peccatoris, aut excludi ab eo beneficium Sacramenti, & mortis Christi: sed nullum apparet in proposito negandi pœnitentiam sacramentalem impositam non valere, etiam in peccato exhibitam: ergo, &c. Maior est in confesso, quia saluti viatoris non est ingerendum obstaculum, aut difficultas noua, quam lex, aut fides non præscribit. Minor probatur: quia locutiones generales, quibus reprobantur opera peccatoris, commodissimè intelliguntur quoad meritum vitæ æternæ, ad quod requiritur gratia sanctificans, & non de satisfactione pœnitentiali, aut alia etiam, quæ est mera satispassio, & non reconciliatio, ad quam non extenduntur. Prima pars minoris patebit ex responsione ad argumenta.

Non esse viã salutis sine fundamento aggrauandã.

110 *Satisfactio in peccato pro pœna.*

Secunda pars probatur: ideò præcisè non valeret talis satisfactio, quia non acceptatur à Deo, vel non innititur meritis, & satisfactioni Christi: alia enim ratio in contrarium non suppetit, sed vtrumque horum est falsum: ergo satisfactio illa est acceptata, & fit in virtute satisfactionis Christi: & consequenter valet. Probatur minor quoad primam partem, ex qua etiam sequitur secunda: satisfactio pro peccato exhibita à peccatore, acceptatur à Deo in ordine ad remissionem peccati, & etiam pœnæ temporalis, aut partis eius iuxta modum satisfactionis, in qua acceptatione, vt *suprà* probatum est, contra Sotum, seruatur medium iustitiæ vindicatiuæ, simul cum misericordia & clementia: sed minorem habet proportionem prædicta satisfactio ad remissionem peccati, & pœnæ æternæ, vt præuia est, & exhibita à peccatore, quàm habet satisfactio pœnitentialis: ergo & sic etiam acceptatur à Deo, seruando medium tam misericordiæ, quàm iustitiæ. Minor probatur, quia satisfactio pro peccato per contritionem perfectam: verbi gratia, comparata ad debitum, minorem dicit proportionem æqualitatis in ratione operis, ad debitum; tum quia remissio peccati, licèt habeat aliquam proportionem iustitiæ vindicatiuæ, tamen est omnino liberalis; tum quia remissio peccati fit etiam per infusionem gratiæ iustificantis: quod est diuersum beneficium, & longè excedens opus satisfactionis; tum denique tertiò, quia vnica illa satisfactio delet omnia peccata simul mortalia, quibus nequit, aut extensiuè, aut intensiuè coæquari in gradu entitatiuo; tum quartò, quia illa delet pœnam æternam, & partem pœnæ temporalis, vel etiam totum; vt autem habet hos effectus, exhibetur à peccatore, quia illos habet, vt est dispositio præuia ad remissionem peccati.

Acceptatur à Deo.

Satisfactio pro peccato vt contritio etiam in peccato facta acceptatur. Minùs æquiualens est in ratione operis peccato, quã satisfactio pro pœna temporali.

Sed satisfactio pœnitentialis dicit proportionem æqualitatis, quia non totam pœnam remittit, sed partem illam, cui est proportionata, si ipsa est minor: ergo dicit maiorem æqualitatem in ratione operis, quia est pœna temporalis pro pœna temporali, seruata proportione debita tam gradus, quàm speciei, vt spectatur commensuratio hinc, inde, ac proinde magis seruatur in ea medium iustitiæ in mensura dati, & accepti. Præterea, licèt satisfactio, si fiat in gratia, tribuat augmentum gratiæ, hoc ipsi non competit in ratione satisfactionis, quà satisfactio est exhibitio pœnæ, pro pœna temporali: sed ex communi ratione actus meritorij, si fiat cum debitis circunstantiis: & separabiles sunt hæ duæ intentiones in actu, & spectantur in ordine ad diuersa, & secundùm diuersas rationes, etiam secundùm communem Theologorum: quia meritum ordinatur ad præmium, & secundùm commutationem operis boni tantùm, satisfactio autem quà pœnalis est actus, in eo fundatur, vt *suprà* probatum, & admittunt communiter Theologi, qui etiam tenent in operibus bonis, tam præcepti, quàm consilij exhiberi satisfactionem per modum satisfactionis in specie, & non solùm satisfactionis virtualis, aut æquiualentis. Docent consequenter in tali opere inuenire laborem, & pœnam, in quibus fundatur satisfactio. Vnde statuunt has rationes diuersas esse, & spectari aliter, & aliter secundùm medium iustitiæ, sicut & effectus, quos inducunt, est diuersus, & titulus, & debitum.

111 *Maior æquiualentia satisfactionis pro pœna temporali in ratione operis.*

Per accidens dat augmẽtũ gratiæ, vt satisfactio.

Superest ergo, hoc supposito, probemus intentum: quod competit satisfactioni ex communi ratione sibi, & aliis operibus bonis, non competit sibi sub ratione propria satisfactionis: sed augere iustitiam conuenit tantùm satisfactioni, quà est præcisè actus meritorius, quod sibi, & aliis est commune: ergo illud est extraneum satisfactioni, quà satisfactio est. Minor probatur: quia satisfactio, vt talis est, respicit præcisè illud, ad quod lege ordinatur, & ex debito, ipsa satisfactio in specie: hæc autem est pœna temporalis, eiúsque solutio: ergo ad aliud non extenditur ex propria ratione; sed separari potest à satisfactione ratio meriti: ergo remanere potest acceptatio satisfactionis, licèt nõ maneat acceptatio eius communis in ratione meriti. Probatur subsumptum, quia satisfactio, quæ fit per flagella à Deo missa propter peccatum, voluntariè tolerata, habet rationem satisfactionis pœnalis, & pœnitentia peracta in peccato mortali habet eandem rationem actus pœnalis.

112 *Satisfactio quà talis ordinatur per se ad extinguendum debitum.*

Separari potest à ratione meriti.

Dices requiri, vt hæc fiant in gratia. Contrà, hoc gratis dicitur: quia quamdiu manet pœna voluntariè assumpta, manet totum, quod requiritur ad satisfactionem, vt distinguitur à merito, & vt ex propria ratione specifica exigitur secundùm diuinam iustitiam: ergo etiam manet acceptatio specifica eius, vt distinguitur ab acceptatione communi meriti. Confirmatur, satisfactio exhibita à iusto eadem secundùm aduersarios valet, & acceptatur, quia nihil impedit acceptationem in peccatore, nisi peccatum, in quo est habituale: sed etiam à tali satisfactione potest abesse ratio meriti, & conse

Responsio. Impugnatur.

Acceptatio specifica satisfactionis.

In iusto quandoque nō auget gratiam, neque est meritum. consequenter non correspondere ei augmentum gratiæ habitualis: ergo non est de ratione satisfactionis, etiam secundùm acceptationem diuinam eius, vt sit actus meritorius vitæ æternæ, aut etiam gratiæ sanctificantis.

113 *Probatio.* Probatur minor, quia actus remissus secundùm plures oppositæ sententiæ, aut etiam æqualis gratiæ habituali, non meretur augmentum eius. Et tenet D. Thomas *in* 1. *d.* 17. *quæst.* 2. *art.* 3. D. Bonauentura *in* 2. *d.* 40. *art.* 2. *quæst.* 3. Capreolus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 3. Conradus 1. 2. *quæst.* 114. *artic.* 8. Vel si meretur, nunquam conceditur, donec eliciat actum intensiorem: vt videre licet ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 114. *artic.* 8. *ad* 3. *&* 2. 2. *quæst.* 24. *artic.* 6. *in corpore.* Effectus autem satisfactionis habetur per vtrumque actum, & nunquam suspenditur.
Altera probatio. Præterea, actus bonus iusti non est meritorius, nisi referatur in finem charitatis virtualiter, aut formaliter, ita vt imperetur, vel eliciatur à charitate: sed actus satisfactionis pœnitentialis potest elici à iusto sine vtraque relatione, & solùm referri ad solutionem pœnæ, & complendam obligationem. In eo autem casu nemo dicit quin sit valida satisfactio: ergo separari potest in re satisfactio à merito, quæ etiam sit valida: ergo etiam exhibita à peccatore erit valida: quia in ea inueniuntur omnia ad meram satisfactionem requisita: ac proinde ad hoc non requiritur vt fiat in augmentum iustitiæ habitualis, sed solùm seruare proportionem illam requisitam ad pœnam temporalem, quæ maior est in ipsa, quàm in satisfactione pro peccato.

114 *Responsio.* Dices, requiri saltem vt exhibeatur à persona digna; & consequenter à persona iusti: quia ad rationem satisfactionis magis attenditur dignitas personæ, quàm valor operis.
Impugnatur. Non requiri dignitatem personæ. Contrà, in satisfactione pro ipso peccato non requiritur dignitas personæ, sed voluntas, & opus lege præscriptum, nempe pœnitentia perfecta, quæ acceptatur in ordine ad iustificationem, vt præuia est gratia sanctificante, & dignificante personam: ergo etiam, si in beneficio maiori non attenditur ad indignitatem personæ, sic etiam neque in beneficio minori attenditur eadem indignitas, quod tam iustitiæ diuinæ, quàm clementiæ perinde congruit, quàm etiam fragilitati nostræ.
Confirmatio. Non requiri æqualitatem personæ in satisfactione, quæ est secundùm æqualitatem rei. Confirmatur, dignitas personæ non attenditur in actu, qui exhiberi debet, seruatâ æqualitate rei, & in rigore iustitiæ; sed satisfactio pœnitentialis exigitur secundùm æqualitatem rei, vt tollit pœnam temporalem: ergo non respicit personam, aut dignitatem eius; alioquin quò dignior esset persona, eò actus eius esset magis satisfactio: sed hoc non videtur verum, quia eodem conatu, & actu minùs dignus perinde satisfacit pro pœna temporali, sicut magis dignus.

115 *Non obstante statu peccati contritio remittit pœnā temporalem.* Præterea secundò, contritio peccatoris non solùm delet peccatum, sed partem etiam pœnæ temporalis; imò etiam quandoque totam pœnam, vt patet ex Tridentin. *sess.* 14. *c.* 2. quod hoc supponit: ergo ad satisfactionem pro pœna temporali Deus non requirit, neque respicit dignitatem personæ: sed vt tantum soluat, quantum debet: quod perinde etiam verum est in satisfactione, seu solutione eiusdem pœnæ in Purgatorio. Præterea tertiò, dignitas personæ consistit in amicitia Dei, & filiatione in ordine ad hæreditatem, & ea quæ proximè ordinant ad ipsam, vt sunt merita; sed solutio pœnæ temporalis potest consistere absque his: ergo non semper crescit ex dignitate personæ. *Dignitas personæ quid efficiat?* Patet minor, quia non augetur ius ad hæreditatem præcisè ex tali solutione, quando fit in operibus non meritoriis, vt fieri posse probauimus, quamuis tollatur impedimentum remotum ad assecutionem eius; neque consequenter augetur amicitia, vt fundatur in gratia sanctificante, ex qua est dignitas personæ: neque datur per se gloria maior essentialis ex tali satisfactione iusti, quæ non est meritoria: ergo non crescit satisfactio ex dignitate personæ, nisi præcisè inquantùm satisfactioni adiunctum est meritum. Probatur consequentia, quia dignitas personæ iusti non influit in actum, nisi quando actus elicitur ex inclinatione ipsius iustitiæ, quæ secundùm nos est charitas, vel quid aliud sit non refert; sed actus boni indifferentes in ratione meriti non fundant meritum, neque eliciuntur secundùm prædictam inclinationem, neque ad vitam hoc modo magis in homine iusto, quàm in peccatore: ergo etiam neque satisfactio indifferens in ratione meriti, id est, quæ non est meritoria gratiæ, aut gloriæ, licèt soluat debitum pœnæ, quando non elicitur à iusto secundùm inclinationem charitatis recipit valorem à iustitia, aut dignitate personæ. *Satisfactio non recipit vim à dignitate personæ necessariò.*

Præterea quartò ad idem, debitum pœnæ temporalis hîc, aut alibi soluendæ non inducitur ex medio amicitiæ, sed iustitiæ vindicatiuæ propter ingratitudinem peccatoris, ex motiuo etiam clementiæ, vt sit frænum peccatori. Item, ex motiuo conformitatis ad causam principalem meritoriam, & satisfactionis ab eo exhibitæ, vt sit proportio satisfactionis nostræ ad satisfactionem Christi, quæ maximè secundùm Doctores oppositæ sententiæ erat iustitiæ strictè sumptæ. Hæc omnia patent ex Trident. *sess.* 14. *c.* 8. sed omnia hæc motiua, ex quibus fundatur titulus, seu debitum soluendæ huius pœnæ, sunt diuersa à motiuo amicitiæ: & ex parte Dei voluntas inducens debitum eadem ipsa est, quâ ordinatur pœna, & quæ ex eodem motiuo illam acceptat: ergo solutio pœnæ respicit medium determinatum à diuina voluntate, vt extinguit debitum, ponendo æqualitatem requisitam: ergo non respicit medium amicitiæ; sed iustitiæ vindicatiuæ. 116 *Debitum pœnæ temporalis titulo iustitiæ, nō amicitiæ fundatur.* *Acceptari ex eodem motiuo, quo fundatur.* Patet consequentia, quia voluntas diuina ordinans pœnam ex motiuo iustitiæ, non acceptat eam ex motiuo amicitiæ, sed ex eodem motiuo: nam omnis lex inducens debitum, perinde inducit debitum, ac satisfactionem habentem vim debiti extinguendi, & cessionem debiti per solutionem præfixam lege: si ergo volūtas diuina vindicatiua, vt distinguitur ab amicitia, inducit debitum pœnæ, & modum redimendi debitum, seclusâ aliâ ordinatione ex diuerso motiuo, ipsa solutio pœnæ acceptatur secundùm eandem voluntatem, & non per aliam: ac proinde peccator, vt soluit pœnam, habet rationem partis, & non amici, sed delinquentis; in quem pœna legis exercetur, & hæc solutio non est ex communione bonorum, vt fit inter amicos, sed ex mediocritate partium, quà *Solutio ex ordine, & motiuo iustitiæ acceptatur.*

partes sunt, & suo modo distant secundùm ordinem iustitiæ ad alterum. Neque refert si dicas quòd nostri ad Deum non est iustitia propriè sumpta, quia non refert: argumentum enim intendit iustitiam illam, quæ potest interuenire, vt distinguitur à mera beneuolentia, & talem, qualem ipsi statuunt esse iustorum ratione operum ad præmium, vel in satisfactione exhibita à iusto pro pœna temporali, in qua non attenditur amicitia, sed iusta proportio operis exhibiti ad debitum, vt probat argumentum.

117 *Confirmatio ex ordinatione legis.*

Et confirmatur, quia lex diuina vindicatiua remissi peccati per pœnam temporalem, perinde determinat pœnam hìc, aut in termino, seu altera vita soluendam; sed in altera vita solutio extorta, id est, ipsa pœna inflicta acceptatur ex medio, & motiuo iustitiæ vindicatiuæ, non autem ex speciali motiuo amicitiæ: ergo etiam in hac vita perinde exhibita satisfactio etiam à iusto, vel iniusto acceptatur ex eodem motiuo. Ex quo patet non attendi dignitatem personæ in hac solutione, sed meram exhibitionem operis satisfactorij, quod vim habet extinguendi debiti secundùm iustitiam, & non secundùm speciale motiuum amicitiæ, quæ fundatur in iustitia habituali, vel acceptatione, quæ est personæ secundùm hanc iustitiam, & amicitiam in ea fundatam; quamuis liberalitas, & misericordia, atque clementia Dei in omnibus nostris operibus, siue satisfactoriis, siue meritoriis de congruo, & de condigno principaliter attendatur: quia ipsius sunt dona tam meritum, quàm satisfactio nostra quæcunque, sicut & bona voluntas, in qua fundatur. Excluditur itaque illa specialis beneuolentia, quam inducunt aduersarij, fundata in dignitate personæ satisfacientis tantùm, non autem illa, qua donatur ipsum opus, in quo exhibetur satisfactio, quæ habet ex diuina lege annexam acceptationem independenter à statu personæ, & hoc ex motiuo ipsius legis, quod est secundùm iustitiam vindicatiuam peccati. Meritò itaque Doctor asserit priorem sententiam esse duram, & rigorosam peccatoribus: quia fundamentum eius ex defectu acceptationis prætensum non videtur subsistere.

Pœna temporalis in altera vita acceptatur ex motiuo iustitiæ.

Misericordia admixta iustitiæ.

118 Tertia autem, & quarta proportio satisfactionis pro peccato, quam *suprà* præmisimus, & fit a peccatore, & acceptatur à Deo, magis seruatur in proposito, æqualitas, inquam, operis in satisfactione temporali pro pœna, quam in contritione, vt per se patet, atque etiam ex dictis satis probatur; ergò etiam minùs requiritur status iustitiæ ad acceptationem, & valorem huius, quàm illius, vt fundatur hæc acceptatio in proportione operis ad debitum. Consequenter æquè congruit diuinæ etiam clementiæ (ex cuius motiuo statuitur pœna temporalis) acceptare satisfactionem aliàs idoneam in redemptionem pœnæ temporalis peccato remisso debitam, etiam à peccatore, quàm priorem in remissionem peccati, pœnæ æternæ, ac partis pœnæ temporalis, aut totius, vt exhibetur à peccatore. Sit illa acceptatio ex motiuo iustitiæ, aut misericordiæ, vt voluerint aduersarij, modò valeat ad suum effectum; peccatum enim magis elongat à Deo, quàm debitum pœnæ temporalis, quæ consistere potest cum iustitia perfecta habituali; ac proinde magis indignus est peccator, vt prior ab eo satisfactio exhibita acceptetur, quàm debitor solius pœnæ temporalis, vt consideratur præcisè, quà ex peccato remisso est debitor eius. Vnde si decedat in iustitia, & peracta satisfactione de reliquis omnibus peccatis, videtur non congruere diuinæ iustitiæ, aut clementiæ, vt exigat ab eo pro rata pœnitentiæ iam factæ, licèt in statu peccati, qui non inficit opus satisfactorium eius, cæteris in reipsa positis: minùs etiam congruit, vt puniat bis in idipsum, tam iustitiæ, quàm clementiæ diuinæ.

Quintò principaliter probatur: Acceptatio diuina respectu talis satisfactionis eo ipso, quo Deus acceptat contritionem perfectam peccatoris in ordine ad remissionem peccati (vel quidquid æquiualet contritioni) & commutationem pœnæ æternæ in temporalem hìc, aut in altera vita, eo ipso, inquam, & eadem acceptatione acceptatur satisfactio exhibita pro pœna temporali: ergo perinde manet acceptata, siue à iusto, siue ab iniusto fiat, modò opus ipsum exhibeatur. Antecedens patet: quia remissio peccati intuitu contritionis acceptatæ, & meritorum Christi Domini, quæ semper vt causa principalis importantur, primariò fit: eadem ipsa accessoriè extenditur per commutationem pœnæ æternæ in temporalem pœnam, vel hìc, vel in altera vita luendam: non proinde est noua, & distincta acceptatio, quæ sit ipsius satisfactionis temporalis, sed eadem antiqua, quæ intuitu contritionis, vt innititur meritis Christi, & exhibebatur in opere acceptatur, & pœna æterna in ipsam commutatur. Consequentia probatur, quia acceptatio non est personæ, sed solius operis: ergo abstrahit à statu personæ, vt ipsa satisfactio in re ponitur. 119

Quinta ratio. Acceptatio satisfactionis in virtute contritionis acceptata.

Non esse distinctam, aut nouam acceptationem satisfactionis.

Probatur antecedens: Acceptatio vt respicit satisfactionem primariam, talis est, vt si crescat opus in perfectione proportionata, tollatur omne debitum tam peccati, quàm pœnæ temporalis, vt patet ex dictis, & eatenus exigitur pœna temporalis, aut satisfactio pro ipsa, quatenus suppleat, quod deficit perfectioni contritionis, quoad vindicationem peccati adæquatam, & commensuratam ex iustitia vindicatiua; sed contritio, cui substituitur satisfactio pro pœna, quam non delet, est actus peccatoris, & adhuc existentis in peccato, quà exigitur præuiè ad remissionem culpæ, & pœnæ: ergo etiam acceptatio eius supponit peccatum, vel supponere potest: ergo eadem vt extenditur ad satisfactionem temporalem non exigit statum gratiæ in satisfaciente: quia vt dicitur: *Accessorium sapit naturam principalis, & quod alteri substituitur, sapit naturam eius,* ex regulis moralibus in materia iustitiæ: & secundarium obiectum non est natum terminare actum, nisi ex conditione primarij, ita vt nullo modo sit secundarij sub aliqua conditione extrinseca, & diuersa specificante, quæ non includitur in primario: si ergo acceptatio diuina, vt respicit contritionem, qua deletur pœna æterna, & commutatur in temporalem, non respicit statum peccatoris, vel exigit iusti; ita etiam neque satisfactio pro pœna temporali, vt subest eidem acceptationi, respicit iustitiam satisfacientis, aut exigit. 120

Acceptatio contritionis.

Cur exigitur satisfactio.

Regulæ morales.

Quod ampliùs probatur confirmando dicta: Satisfactio in virtute eius, quod commutat pœnam 121

Confirmatio.

nam æternam in temporalem per remissionem peccati inducitur, sicut & debitum pœnæ temporalis, sine quo non subsisteret satisfactio in *esse* satisfactionis, neque in re, neque in ordine ad diuinam acceptationem: & ex dictis contritio in certo gradu excessus,& perfectionis,æquiualet satisfactioni temporali,imò de facto extinguit aliquam partem pœnæ temporalis, & in ea proportione, qua crescit, extinguit magis, & magis, ita vt extinguat totam pœnam, si sit in gradu proportionatæ perfectionis, vt satisfaciat ex toto iustitiæ vindicatiuæ, & ita tamquam eminentior satisfactio æquiualet temporali,quæ ei substituitur, quo iustitiæ vindicatiuæ perfectè satisfaciat pro peccato: sed ad satisfactionem inferioris ordinis non requiritur conditio simpliciter excedens totum genus perfectionis, quæ reperitur in satisfactione superioris ordinis, & quæ primariò acceptatur, & in cuius virtute valet, & subsistit satisfactio inferioris ordinis: talis autem perfectio est iustitia habitualis, & status gratiæ, quæ excedunt omnem gradum perfectionis, quæ reperitur in contritione quacumque ratione perfecta: quia contritio ordinatur ad iustitiam habitualem, & remissionem peccati, tamquam ad finem tam operis, quàm acceptationis, quàm etiam satisfacientis: ergo non requiritur iustitia habitualis ex diuina etiam ordinatione ad satisfactionem pro pœna temporali, aliàs excederet contritionem in quocumque suo gradu: quia acceptatio eius ex intuitu personæ iusti excederet contritionem, eiúsque acceptationem, sicut & motiuum, & id quod primariò acceptaretur, nempe persona excederet prædictam acceptationem contritionis, & reliquas eius conditiones.

Pœna & debitum eius in virtute contritionis inducitur.

Perfectio exclusa à satisfactione superioris ordinis, non requiritur in ea quæ est inferioris.

122 Confirmatur secundò ratio præmissa. Contritio, vt innititur meritis Christi, acceptatur de rigore iustitiæ; & similiter eadem acceptatio contritionis hoc modo sumptæ,vt inuoluit merita, & satisfactionem Christi, extenditur ad satisfactionem temporalem, seu pro pœna temporali: ergo nihil deficit huic satisfactioni,etiam vt exhibetur à peccatore in ratione acceptationis, vel etiam vt innititur meritis Christi, quæ applicantur perfectè mediante contritione, quâ remittitur peccatum, & commutatur pœna æterna in temporalem hîc, aut in alia vita soluendam. Ex quo corruit fundamentum contrariæ sententiæ, sicut & censura vana eorum, qui obiiciunt Tridentinum, quod magis vrgebitur in argumento sequenti. Si autem quis dixerit contritionem esse satisfactionem latè sumptam, & potiùs habere rationem dispositionis, aut meriti de congruo, quàm veræ satisfactionis, nihil refert: intentum argumenti est probare subsistere acceptationem diuinam, & applicationem meritorum Christi respectu satisfactionis pro pœna temporali exhibitæ etiam à peccatore pro pœna peccati remissi per contritionem. Sit illa satisfactio de congruo, aut de condigno, aut quacumque alia via, modò valeat peccatori ad remissionem pœnæ proportionatæ, quod est primarium intentum. Adde quòd Patres contritionem, dolorem, & lamenta enumerent inter opera satisfactoria pro peccato.

Acceptatio contritionis vt innititur meritis Christi.

Extenditur ad satisfactionem.

123 Sextò principaliter probatur eadem acceptatio, & ordo huius satisfactionis ad meritum, & satisfactionem Christi, ex institutione sacramenti Pœnitentiæ in forma iudicij. Institutio sacramenti habet annexam voluntatem, & acceptationem instituentis respectiue ad omnia, quæ requiruntur ad materiam, & formam sacramenti, & effectum. Sed satisfactio imposita virtute clauium est pars materialis sacramenti, ex Tridentino, & Florentino, & habet effectum secundùm plerosque aduersæ sententiæ ex opere operato: ergo independenter à statu pœnitentis: ergo hæc satisfactio exhibita etiam in peccato habet omnem effectum ex opere operato ipsi conuenientem iniusto. Probatur consequentia, quia hic effectus conuenit ei ex meritis Christi, & institutione sacramenti præcisè, quod applicat eadem merita, vt opus satisfactorium ex eis valeat.

Sexta ratio eadem acceptatio ex institutione sacramenti.

Satisfactio pars pœnitentiæ.

Confirmatur: Potestas clauium non cognoscit de reo, neque iudicat soluendo, aut ligando, nisi præcisè secundùm præsentem rei statum, & ratione peccati commissi, & confessi, per se loquendo; indirectè autem remittit alia mortalia, si quæ sunt, modò adsit bona fides in pœnitente, & dispositio sufficiens: non cognoscit autem de eius statu futuro,secundùm quem nullo modo subest clauibus, quæ solùm extenduntur ad ipsum ratione peccati commissi; vt vindicetur in eum: sicut nulla iustitia se extendit ad subiectum,nisi ratione debiti, & inæqualitatis, aut iuris acquisiti; ergo nequit virtute clauium obligari ad persoluendam pœnitentiam per se, & directè in statu gratiæ: sed obligatur ad pœnitentiam persoluendam in pœnam peccati remissi; & illa, ad quam obligatur, habet effectum proprium virtute clauium: ergo etiam in statu peccati, & iustitiæ perinde habet illum effectum. Dices requiri ad satisfactionem ex natura generica eius, vt fiat in gratia, & à persona grata iusti, vt acceptetur. Contrà, hæc solutio impugnata est in superioribus, & quidquid sit de satisfactione ex opere operantis, & de condigno, non requiritur ad satisfactionem ex opere operato validam: quia illa ex institutione sacramenti, &,vt ipsi dicunt, per modum sacramenti operatur, & ex meritis Christi, quæ acceptantur, & quibus innititur, habet effectum: dicunt enim præfati Doctores, vt *suprà* visum est, sacramentum Pœnitentiæ consistere in recto, vel in ipsis actibus pœnitentis, connotando absolutionem, vel certè consistere in tribus actibus pœnitentis,& in absolutione simul: quia omnia hæc ex diuina institutione requiruntur vt materia, vel quasi materia, & forma. Quidquid autem dicatur, tam actus pœnitentis,quàm absolutio respiciant præcisè peccatum commissum, & debitum ex illo redundans, nihil aliud directè, aut indirectè cadit sub pœnitentia, aut sub iudicio, & satisfactione: ergo omnia hæc complentur in iudicio de peccato præterito, & omnis effectus ipsorum, qui eis competit ex opere operato; sicut ergo clauis remittit peccatum directè, sic etiam obligat ad satisfactionem pro pœna temporali directè: & illa satisfactio, vt virtute clauium, & institutione sacramenti,& applicatione meritorum Christi exhibita, habet effectum ex opere operato. Clauis autem,vt dixi,nequit obligare; vt fiat in statu gratiæ, neque vt sic præcisè factæ, vel faciendæ, & non aliter, potest applicare merita Christi, sed præcisè sistit in medio iustitiæ vindicatiuæ, vt extenditur ad satisfactionem.

124 *Confirmatio.*

Ex potestate clauium, vt extenditur ad reum.

Responsio.

Impugnatur.

Satisfactio per modum sacramenti operatur.

125 *Secunda confirmatio. Trident.* *Satisfactio vindicatiua.*

Confirmatur secundò ex Tridentino sess. 14. cap. 8. *Habent autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad noua vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem*, &c. Ex his verbis nihil colligitur, vnde probetur satisfactionem fieri debere in gratia, vt vim habeat satisfaciendi, sicut neque ex verbis anterioribus tale quidpiam sequitur, aut declaratur: sed magis contrarium: quia dicit satisfactionem nostram esse in Christo: *Omnis*, inquit, *gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre: debent ergo Sacerdotes*, &c. Vnde colligitur, quòd satisfactio virtute clauis iniuncta sit in Christo, offeratur Patri, & per Christum acceptetur à Patre. Quod perinde ipsi competit, si fiat etiam à peccatore: & sic argumentor.

Innititur Christo.

Concilium non agnoscit aliud genus satisfactionis imponendæ in sacramento, quàm illam, quæ præseruatiua est ab eodem peccato, & medicinalis; ac demum, quæ est punitio & castigatio peccati, pro debito pœnæ temporalis; vt patet ex initio capitis, & Canone 13. Sed neque præseruatiua, & medicinalis exigit, vt in gratia persoluatur, cùm tantùm amoueat causas proximas, aut remotas recidendi in idem peccatum, non autem in alia peccata, & adimpletur fructuosè ab eo, qui labitur in alia peccata diuersa, quantùm ad effectum cauendi prioris peccati, & quantùm ad effectum ex opere operato, si quod ipsi competit. Pœnitentia etiam per modum punitionis non exigit eodem modo, vt fiat in gratia: & vtrumque probatur: quia sacramentum Pœnitentiæ non habet pro effectu conseruare iustitiam, aut dare perseuerantiam, sed remittere peccatum, & pœnam debitam: ergo quidquid operatur ex opere operato non determinatur virtute sacramenti, aut ex efficacia eius, vel ex natura effectus sacramentalis, vt fiat in gratia. Probatur consequentia, quia aliàs virtute sacramenti daretur auxilium ad perseuerantiam in iustitia, si effectus aliquis eius necessitaretur ad statum iustitiæ: & obligatio faciendæ satisfactionis cessaret in statu peccati, vel certè obligaretur pœnitens eadem obligatione, qua tenetur ad satisfactionem, ad pœnitendum de peccato nouo, antequam persolueret pœnitentiam: quod nemo hactenus dixit, neque praxis interpretatur talem obligationem; sed non cessat obligatio pœnitentiæ persoluendæ in statu peccati, neque obligatur persoluere eam in gratia; ergo.

Duplex satisfactio.

126 *Pœnitentia suscitat mortuum, non conseruat vitam ex fine suo.*

127 *Non obligari ad satisfactionem, quæ non imputatur ad solutionem exhibita.*

Probatur itaque sequela: nullus ex iustitia obligatur ad vllam satisfactionem, quæ non imputatur ei ad solutionem debiti, neque lege acceptatur ad talem effectum: quia iustitia obligat, vt suum ius alteri tribuatur, non autem vt ei tribuatur aliquid vltra iustum, omnibus consideratis, quia sic non poneret æqualitatem, & grauaret vltra debitum: sed obligatio, quæ inducitur virtute clauium per sententiam iudicis, est, vt per satisfactionem iniunctam solutio exhibeatur pro pœna temporali debita peccato remisso: ergo in quocumque statu desinit illud opus esse vera satisfactio, in eodem statu desinit esse materia iustitiæ; & consequenter obligationis, quæ est secundùm iustitiam; sed hoc falsum est, nempe desinere obligationem ad satisfaciendum in peccatore per adimpletionem pœnitentiæ iniunctæ, aut eum non satisfacere eidem obligationi, exhibendo opus iniunctum: ergo falsum est illud opus iniunctum, & exhibitum etiam in illo statu peccati, non habere vim extinguendi debiti, ex virtute clauium, & sententia lata.

Ex hoc probatur altera sequela, nempe obligationem pœnitentiæ iniunctæ non determinare statum iustitiæ, aut gratiæ sanctificantis. Probatur autem sic: aliàs si non adimpleretur obligatio in statu peccati, esset opus nullum in genere satisfactionis, quia desineret sic esse materia iustitiæ obligantis ad medium rei, quo ponitur æqualitas inter creditorem, & debitorem: si ergo lege nullum est medium satisfaciendi, nisi fiat opus in iustitia, & gratia sanctificante, sequitur obligari pœnitentem ad exhibendam satisfactionem, saltem bona fide, in statu iustitiæ: ergo consequenter, cùm cognoscit se esse in peccato mortali, & obligari hîc, & nunc ex præcepto, & sententia iudicis, vt ponat satisfactionem præscriptam: sequitur eum teneri per accidens ad resurgendam, & procurandam gratiam sanctificantem, vt medium requisitum, & necessarium ad finem, ad quem obligatur ex præcepto, non secus ac obligatus ad Eucharistiam tenetur, si est in peccato, hîc, & nunc, agere pœnitentiam ex præcepto Eucharistiæ: hoc autem durum est, & simpliciter falsum; neque conueniebat institutioni huius sacramenti, quod est accomodatum nostræ fragilitati, quantùm ad sui institutionem: *Quoniam*, vt dicit Trid. sess. 14. c.... *Deus diues in misericordia cognouit figmentum nostrum, ac proinde hoc remedium relapsis contulit vitæ*. Et cap. 9. *Docet præterea tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis: sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus*, &c.

128 *Satisfactio in statu gratiæ, si lege præscripta, in peccato facta, non satisfacit legi.*

Obligatio per accidens ad pœnitentiam ex præcepto.

Trident.

Satisfactio per flagella.

Intelligit hoc Concilium de satisfactione pro pœna temporali, vt patet ex initio capitis præcedentis: quia de hoc tantùm loquitur, non autem de satisfactione pro peccato: & patet *ex Can.* 13. vbi hoc ipsum expressit. Concilium autem non omitteret conditionem substantialem requisitam ad hanc satisfactionem, si illa necessitate satisfactionis exigeretur, nempe status gratiæ. Cùm ergo solùm exponat pœnam esse assumptam voluntariè, aut à sacerdote secundùm mensuram delicti iniunctam, aut à Deo inflictam, & patienter à nobis toleratam, ad effectum satisfactionis, hoc sufficit ex mente Concilij, vt satisfactio ex diuina munificentia per Christum habeat suum effectum, & acceptetur.

129

Conditiones satisfactionis à Concilio præscriptæ.

Confirmatur hæc interpretatio ex forma concedendi indulgentias limitatas intuitu alicuius operis pij, vt quadragenas, quinquagenas, & huiusmodi; quæ concessio ad lucrandum huiusmodi indulgentias promiscuè ab vtroque sexu ex forma sua non præscribit confessionem, & communionem, sicut contingit exigi in forma indulgentiæ plenariæ, sed tantùm exhibitionem operis. Vnde, sicut forma concedendi plenarias indulgentias omnibus ritè confessis, & com

Confirmatio ex forma indulgentiarum.

& communicatis, exigit hanc dispositionem præter opera præscripta; ita etiam à sensu contrario, quando in aliis indulgentiis non exprimitur confessio, habetur pro non requisita ad effectum indulgentiarum: ergo supponit Ecclesia valere indulgentias etiam per modum satisfactionis in peccato existentibus.

Secunda ratio Doctoris, & tertia patet ex iam dictis, & manent probatæ. Superest, vt respondeamus fundamentis aduersæ partis.

130 *Obiectio prima. Requiri statum gratiæ ad satisfactionem.* Obiiciunt primò, requiri gratiam ad satisfactionem, & diuinam acceptationem, & vt innitatur meritis Christi; vt patet ex verbis Concilij Tridentini quæ vrget Suarez. Deinde probatur 1. *ad Corinth.* 13. vbi attenditur necessitas charitatis; tum quia charitatis fructus est satisfactio. Patet etiam ex aliis locis Scripturæ, in quibus reprobatur satisfactio peccatoris, &c. Isaiæ 58. Prouerb. 15. Deinde, requiri ad valorem satisfactionis, vt sit ex gratia Christi. *Responsio. Acceptatio diuina satisfactionis.* Respondetur ex dictis opera illa satisfactoria iniuncta à Sacerdote habere acceptationem diuinam, & inniti meritis Christi, & satisfactioni eius: quod satis probatum est ex dictis, quamuis fiat in peccato. *In acceptatione contritionis, & Sacramenti.* Hæc acceptatio fundatur in contritione, vel Sacramento, vel dilectione; quibus remittitur peccatum mortale ex meritis Christi acceptatis à Deo, & confertur gratia, & commutatur pœna æterna in temporalem hîc, aut in altera vita soluendam: & præterea specialiter in virtute clauium, *Ex virtute clauium.* quibus iniungitur satisfactio ad redemptionem pœnæ præfatæ, quæ, vt aduersarij admittunt, operatur ex opere operato, & meritis Christi.

131 *Replica.* Dices cum Caietano, & Paludano, operari recedente fictione, & impedimento peccati; & *Soluitur.* tunc reuiuiscere. Contrà, si ad valorem satisfactionis exigitur essentialiter, & ad acceptationem eius, vt fiat in gratia, non magis reuiuiscit, quàm opus bonum factum in peccato reuiuiscit in ordine ad præmium: quia perinde status gratiæ requiritur ad vtrumque: sed hoc non conceditur: ergo nullum est fundamentum asserendi illud: non est ergo ratio eadem ex parte meriti, & satisfactionis pro pœna temporali, vt vtrumque fit in statu peccati: quia meritum ordinat ad præmium, quod solis filiis est promissum; ac proinde supponit statum gratiæ, vt patet ex Tridentino *sess. 6. cap.* 16. *Trident.* non ita satisfactio sumpta in *esse* satisfactionis, vt est mera solutio pœnæ debitæ, non ponit ius aliquod ad præmium, sed reddit debitum incursum ex peccato remisso, ad cuius debiti solutionem non requiritur gratia sanctificans, quia extinctio huius debiti attenditur ex proportione operis, & non ex statu personæ: vnde ex D. Thoma *suprà* citato in principio tollitur debitum hoc etiam in inferno per satisfactionem, & in purgatorio non attento statu personæ.

132 *Satisfactio dicit ordinem ad gratiã ex qua remissum fuit peccatũ.* Vnde colligitur acceptationem huius satisfactionis pœnitentialis dicere tantùm ordinem ad gratiam, cui annexa fuit remissio peccati, & commutatio pœnæ æternæ in temporalem hîc, aut in alia vita soluendam; non verò dicit ordinem ad statum præsentem personæ. Ex quo patet ad locum Tridentini: quia ibi Concilium determinat influxum Christi in omnia nostra opera tam meriti, quàm satisfactionis; distinguens etiam satisfactionem à merito, tanquam diuersa. Vnde locus est ad oppositum: quia *sess. 6. c. 5. & 6.* negat meritum peccatoris in ordine ad iustificationem: & *cap.* 16. illud solùm concedit iustis. *Explicatur Tridentinum.* At hic loquens de satisfactione, nihil tale exigit, aut exprimit toto *cap.* 8. *& 9.* imò supponit contrarium, eo ipso quòd non exigat statum gratiæ in satisfaciente, & exprimat alia, quæ ad satisfactionem requiruntur, vt est acceptatio diuina, valor ex Christi satisfactione, in quo satisfacimus; virtus clauium ad ligandum, operatio ipsa voluntariè assumpta aut imposita ex sententia Sacerdotis ligante, aut inflicta pœna à Deo, & tolerata patienter.

Consequentia autem Suarez nulla est: quia 133 neque in sola gratia iustificante consistit gratia *Consequentia negatur.* Christi, aut in remissione peccati, sed etiam in auxilio, quod tam iustis, quam peccatoribus misericorditer datur ad operandum; quod nos admittimus necessarium ad opus satisfactionis, *Gratia auxilians necessaria ad satisfactionem.* quatenus ipsum opus satisfactionis nostræ includit valorem ex satisfactione Christi. Et demus vlteriùs satisfactionem dicere ordinem ad gratiam sanctificantem. Dicimus intelligi gratiam, non quæ nunc inest personæ satisfacienti, *Requirit gratiam fuisse, & remissum peccatum.* etiam iusti, sed eam per quam remissum est peccatum, & commutata pœna æterna in temporalem, & in virtute illius remissionis, & gratiæ etiamnum valere satisfactionem peccatoris impositam à confessario, quia vt est pars Sacramenti remittentis culpam, & pœnam, vt ad hunc effectum concurrat satisfactio, debet respicere alias compartes, & efficaciam ipsarum maximè absolutionis: *Efficax est in ordine ad alias compartes, ex quibus cõstat Sacramentum.* in cuius virtute inducitur eius obligatio, & operatur vt ipsi subest: nihil ergo habetur ex Concilio, vnde reddatur hæc sententia improbabilis: & consequentia præfati authoris est diminuta, quasi gratia Christi, merita, & satisfactio operarentur tantùm media gratia sanctificante. *Discursus mancus.* Immeritò autem interpretatur nostram sententiam, quasi gratiam operantem excluderemus, aut influxum satisfactionis Christi à peccatore, & eius operibus, & satisfactione: hoc enim neque sequitur, neque asserit noster Doctor, vt patet *artic. 2. huius quæst. §. Quantùm ad istum articulum, &c. conclus.* 2. *Suppositio nõ admissa.* vt ibi vidimus. Et si referre licet quæstionem ad Canones antiquos pœnitentiales, & regulas Patrum, quibus præscribitur modus pœnitendi peccatoribus; & ex quibus colligitur, & probatur etiam necessitas satisfactionis temporalis, *Ritus impendendi satisfactionem publicam.* opera satisfactoria iniungebantur peragenda, antequam admittebatur pœnitẽs ad impositionem manus, & reconciliationem, & communionem. Quo tempore donec absoluerint modum satisfaciendi in facie Ecclesiæ, reputabantur peccatores; & pro talibus habebantur, neque aliter ad reconciliationem admittebantur, nisi in articulo mortis: ergo nunquam Ecclesia spreuit satisfactionem peccatoris, aut præsumpsit eam non acceptari à Deo, quia hic modus pœnitendi ad placandum Deum indicebatur. *Ecclesia non spernit satisfactionẽ peccatoris.*

Ad loca Scripturæ de necessitate charitatis; 134 quamuis non solùm de habituali, sed etiam de *Exponuntur loca Scripturæ.* actuali loquatur Paulus: matyrium enim sine habituali valet, vt in infantibus, & in eo, qui bona fide moritur pro Christo, quamuis non occurrat ei peccatum, quod habet; tamen loquitur de charitate, vt est principium meriti in ordine ad vitam, non aliter. Ad alia loca, in

in quibus opera peccatorum reprobantur, vt sacrificia, ieiunia: quia in eis reperiebatur voluntas propria eorum; intelliguntur de talibus operibus factis ex praua voluntate, & non secundùm regulam legis: quia voluntas propria peccatoris intelligitur illa, quæ contraria est Deo, & peccaminosa. *Replicat.* Sed dicit Sotus, illa ieiunia fuisse peccata, non inuenitur ibi, vel non fuisse satisfactoria. *Soluitur.* Respondetur nihil expressiùs inueniri, quàm illa ieiunia fuisse mala: *Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè*, &c. *Ieiunia reprobata.* *Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor*, &c. Deinde agitur ibi de ieiunio, vt disponit ad remissionem peccati, & habet adiuncta opera legis, & charitatis, vt patet in sequentibus. Et perinde sic intelliguntur similia loca Scripturæ.

135 *Secunda obiectio.* Obiicit Suarez rationem: quia pœnæ huius vitæ per se, ac inde sumptæ, non sunt comparabiles, nec proportionem habent cum pœna vitæ futuræ: ergo per se non habent valorem, vt remittant illam pœnam: *Ex defectu valoris in opere satisfactorio.* ergo necessaria est gratia, à qua hunc valorem recipiant. Hæc gratia non solùm est auxilians, sed sanctificans, à qua satisfactio dignificatur, & proportionem moralem habet ad pœnam alterius vitæ: ergo. *Confirmatio.* Confirmatur, quia vel illa satisfactio esset de condigno, vel de congruo. Non primum: quia peccator in eo statu dignus est vt priuetur omni bono, *Indignitas peccatoris.* & ideò incapax, vt satisfaciat, aut mereatur de condigno, & ideò gratia est principium omnis iustitiæ apud Deum; & promissio diuina, in qua fundatur iustitia, non fit peccatori. Secundum dici non potest, nisi merè gratis: quia non est reuelatum Deum vti hac liberalitate cum aliis, quàm cum amicis, non cum inimicis, qui verè non satisfaciunt: cùm lex generalis sit, vt quantum quis glorificauit se in deliciis, tantum detur ei & tormentorum: & lex generalis sit, sine charitate nihil prodesse.

136 *Responsio.* Respondetur, hoc argumentum magis nudum esse, quàm satisfactionem, quam ipse format, esse assertam à nobis. In primis ergo, si sumat nudam satisfactionem, quasi nihil haberet ex dono Dei & acceptatione, & meritis Christi, & satisfactione, argumentum est liberum, & non contra sententiam, quam impugnat: si sumat satisfactionem nudam in eo præcisè, quòd non sit personæ iusti, & non vt præscindit à reliquis, negatur antecedens ex ratione supposita pro conclusione: nam vt talis sit *Gratia sanctificans non facit nisi ad actum qui est secundùm inclinationem charitatis.* æquiualens etiam in iusto ad solutionem debiti, nisi eliciatur ex fine iustitiæ, & charitatis, nihil facit ad eam iustitia, sicut non facit ad meritum operis boni, quod non fit ex fine charitatis, neque illud dignificat. Quamuis autem satisfactio facta in iustitia non referatur ad finem charitatis, sed ad finem tantùm solutionis debiti, & implendi præcepti valet: vnde sequitur habere ex propria ratione, non attento statu personæ, proportionem, acceptationem, & vim ex virtute sacramenti, & applicatione meritorum Christi: & negatur subsumptum, quod indiget probatione.

137 *Ad Confir.* Ad confirmationem: Respondetur nihil referre quantùm ad solutionem, modò extinguat debitum, siue de condigno fit, siue de congruo, & siue acceptetur à Deo, siue liberaliter ex misericordia, siue ex iustitia. *Satisfactio potest dici de condigno.* Dico tamen esse de condigno quantùm ad effectum sibi proportionatum extinguendi debiti pœnæ temporalis: non autem de condigno, in eo sensu, quo disponeret satisfacientem ad vitam æternam, tollendo impedimentum: quia non tollit peccatum, aut alia impedimenta, quibus non proportionatur: sed hoc tantùm peccati remissi, & in parte, quandoque iuxta mensuram operis: quod non tollit, quin in hoc sit condigna; quia & meritum iusti est de condigno, licèt non tollat omne impedimentum vitæ æternæ, vt venalia, & debitum pœnæ temporalis: est ergo condigna, si subest virtuti clauium; est condigna ex acceptatione diuina, quæ remisit peccatum, & *Vnde desumatur hæc condignitas?* commutauit pœnam æternam in temporalem ex motiuo iustitiæ, accedente Christi satisfactione: nam & contritio peccatoris habet certam promissionem adiunctam, & acceptationem in ordine ad iustificationem: cuius tamen non est meritum de condigno, eademmet informata, & continuata fit meritum de condigno. Vnde hæc differentia? Dices ex gratia sanctificante: sed hæc non est causa adæquata: quia iustus pro alio quamuis operetur ex perfectissima charitate, nihil meretur de condigno, sed solùm de congruo, & impetratoriè. Causa ergo est quatenus acceptatio meriti talis est ex motiuo iustitiæ, quo Deus statuit mercedem operibus vitam æternam: acceptatio autem contritionis, seu operum iusti pro alio est ex motiuo misericordiæ. Ita similiter in proposito opera satisfactoria exhibita pro peccato nondum remisso, & mortali, habent rationem dispositionis & meriti de congruo in ordine ad remissionem *Satisfactio aliquando congrua, aliquando condigna.* peccati, & obtinendam à Deo conuersionem: sed remisso peccato, & mutata pœna æterna in temporalem ex motiuo iustitiæ vindicatiuæ, habent rationem satisfactionis acceptæ ex eodem motiuo in ordine ad extinctionem pœnæ; & consequenter erit satisfactio de condigno respectiuè ad pœnam sibi proportionatam.

Ex hoc negatur assumptum pro prima parte dilemmatis. Ad cuius probationem respondetur, propositionem esse ambiguam: nempe, *peccatorem vt est in mortali esse dignum, vt priuetur omni bono*, &c. 138 *Negatur assumptum. Propositio ambigua.* Si *dignus* dicat exclusionem omnis debiti ex parte peccatoris seclusa gratia, & voluntate, & lege, ac debito fundato in his, concedo: si *dignus* coniungat illa cum statu peccati, & determinet debitum in his fundatum de lege, negatur: quia peccatum mortale de lege non priuat peccatorem omni bono Dei, sed rectitudine opposita, cuius est priuatio, gratia, & gloria, & iis, quæ per se ad hæc consequuntur, *Quibus donis priuat peccatum?* priuat per modum demeriti. Non priuat fidei, aut spei habitibus supernaturalibus, qui de lege in eo manent; non priuat gratia actuali *Quibus donis non priuat?* ad facienda opera legis, & præcepti, & ad conuersionem ordinata. Non priuat ista conuersione, quæ præcisè est peccatoris. Similiter non priuat eum potestate satisfaciendi per Dei donum quando satisfacit pro peccato aliàs remisso virtute clauium, aut aliter; sicut neque priuat, aut excusat eum à debito satisfactionis impositæ, & acceptatæ eadem acceptatione antiqua qua remissum est peccatum, & fundatur debitum satisfaciendi, & negatur consequentia, nempe fieri incapacem ad satisfaciendum hoc modo etiã de condigno, sicut & hanc condignitatẽ satisfactionis fũdari in gratia sãctificante diuersa ab ea, qua remissum est peccatũ, pro quo satisfit.

Ad

139 *Ad secũdum membrum dilemmatis.* *Responsio Medinæ.* Ad probationem secundæ partis illius dilemmatis, nempe *hanc satisfactionem neque de congruo delere posse pœnam.* Respondetur qui vellet dicere cum Ioanne de Medina, non inueniri satisfactionem de condigno extra statum iustitiæ, & determinando hoc genus satisfactionis ad statum illum, quatenus debeat saltem esse iusti, licèt non requiratur vt fiat secundùm inclinationem iustitiæ, seu charitatis, eam referendo in finem vltimum formaliter, aut virtualiter; sed tantùm ad motiuum ex obiecto intrinseco, quod est solutionis pœnæ debitæ, & iniunctæ: *Sustinetur.* hoc enim dicens negaret consequentiam: quia licèt ex impedimento peccati non esset condigna: tamen ex acceptatione diuina, quæ coniuncta est remissioni peccati, & institutioni Sacramenti, & meritis Christi applicatis vtrique, satisfactio valeret ad solutionem: *suprà* enim probatum est contritionem perfectam esse satisfactionem hoc modo de congruo ad remissionem peccati, & aliquando totius pœnæ temporalis, & semper alicuius partis eius, & hoc de lege diuina, & acceptatione, & satisfactione Christi. Quanto magis eadem acceptatio, vt est ligata Sacramento, & confert virtutem remittendi peccati & pœnæ, afficit satisfactionem impositam in hunc finem ex intrinseco motiuo, & hoc est reuelatum in doctrina de conuersione *Fundamentũ reuelationis.* peccatoris in specie: *Quotiescumque ingemuerit peccator.* Isaiæ 18. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, &c. & in doctrina de Sacramento in specie, & virtute clauium. Probatio autem contraria neque ex reuelatione, neque ratione sufficienter astruitur, sed hæret in ambigua, & non fundata interpretatione generalium regularum, quæ reduci debent ad regulas in specie, & limitari.

140 *Tertia obiectio.* *Responsio.* Obiicies ex eodem authore *disp.* 38. *sect.* 8. Sacramentum Baptismi & Eucharistiæ nullum effectum tribuit existenti in peccato mortali: ergo neque satisfactio sacramentalis. Respondetur, quando Sacramentum non tribuit effectum primarium remissionis peccati, & gratiæ, seu augmenti eius, non habere effectum remissionis pœnæ: illa autem Sacramenta indignè accepta carent tali effectu. Sic confessio inualida, & absolutio nullum tribuit effectum remissionis peccatori: sicut tamen Baptismus tribuit peccatori characterem, qui effectus eius non dependet à statu peccatoris, neque peccatum statuit ei obicem: ita similiter pœnitentia habet suum effectum proprium, ad quem immediatè ordinatur, vt est remissio pœnæ, ad quam Sacramenta reliqua non ordinantur, nisi mediante primario effectu, cui hæc annexa est. Negatur ergo paritas, & consequentia.

141 *Secunda conclusio.* *Opera satisfactoria valere peccatori ad remissionẽ pœna temporalis.* *Secunda conclusio.* Opera etiam satisfactoria in peccato ad redimendam pœnam temporalem, valent in statu peccati. Hæc sequitur ex dictis, & est Doctoris hic satisfactionem valere ait vt fit à peccatore: & *infrà* eam in terminis tradit vers. *Et si arguas*, &c. in fine, vbi dicit pœnam inflictam per modum satisfactionis si voluntariè assumeretur, valere per modum satisfactionis pro peccato remisso. Exemplum affert in *Exemplum.* humanis: nam alicui offensæ in Regem correspondeat præcisè abscissio manus, si isti etiam inuito abscindatur manus, satis patitur, & in tantum sufficit Regi, quod secundùm legem, & iustitiam non debet ab eo pœnam vlteriorem exigere: & tamen non recipit eum in gratiam: ergo multò magis satisfaceret pœnæ ex iustitia, si ipsam voluntariè offerret.

Conclusio hæc iisdem rationibus probatur, 142 *Probatio conclusionis.* quibus conclusio antecedens: nihil enim obstat, nisi status peccati, hoc non obstare probatum est; ergo valent illa opera ei, qui ea offert pro redimenda pœna debita peccati remissi: Deus enim misericors, & iustus permisit hoc peccatoribus, vt possint per talia opera redimere pœnas debitas peccatis remissis, quia & hoc plurimùm facit ad auersionem à peccatis iisdem, & conuersionem à peccato, in quo sunt, & sollicitat peccatores non solùm ad obseruantiam mandatorum, sed etiam ad plura opera supererogationis exhibenda in hunc finem: alioquin *Deus acceptat opera bona peccatorũ.* certè, si opera bona eorum, quoad omnia essent mortua, & nullius apud Deum valoris, quamuis facta ex gratia auxiliante, & sine macula: multùm ipsos seduceret, à benè operando: ergo congruum fuit vt Deus illa opera non sineret sine aliqua numeratione, saltem temporali, vt communiter conceditur: sed non est maior ratio vt præmientur per modum meriti per præmium temporale, & sic acceptentur in ordine ad illud facta in statu peccati, quàm quòd valeant ad solutionem meram pœnæ temporalis debita ex peccato remisso: ergo ita dicendum est: sicut ex iam dictis constat factum: quia in hoc magis seruatur ordo iustitiæ, & misericordiæ, vt valeant ad extinctionem debiti temporalis, cum quo habent eandem proportionem in ratione pœnæ, quam habent in iusto, quantùm est ex ratione operis, quàm vt retribuantur aliquo bono temporali. Hæc congruentia adiunctis iis, quæ dicta sunt tam in probatione prioris conclusionis, quàm in responsione ad fundamenta oppositæ sententiæ, sufficit. Quòd *Responsio.* si dicas aliud esse de satisfactione, vt acceptetur lege humana, aliud de satisfactione in ordine ad reum, quia illa est puræ iustitiæ: hæc autem non ita, sed misericordiæ, quæ reseruatur tantùm amicis.

Contrà, oppositum magis sequitur: quia mi- 143 *Impugnatur.* sericordia admixta iustitiæ magis temperat rigorem eius, quàm quando ipsa iustitia strictè sumpta, & seorsim operatur: ergo cùm in operibus diuinis respectiuè ad hominem semper admisceatur misericordia, vt aliàs dictum est; sequitur à fortiori, si debito iustitiæ humanæ satisfiat per exhibitionem debiti, ita etiam fieri diuinæ iustitiæ satisfactionem per exhibitionem operis debiti. Et patet ex Tridentino *cap.* 9. ita satisfieri, vbi, vt dictum est, non restringitur satisfactio ad statum iusti tantùm, & ipsa præscribitur ex motiuo tam iustitiæ, quàm clemẽtiæ, vt docet Concilium. Accedit, quòd misericordia extendatur ad peccatores, in quibus maior est eius indigentia. *Non veni*, inquit Christus, *vocare iustos, sed peccatores*, &c. Non ergo ad solos iustos restringitur misericordia, & acceptatio diuina, sed maximè ad peccatores, vt aliàs contra Sotum probatum est *suprà*. 144

Secundò, non est maior repugnantia ex parte *Secunda probatio.* *Acceptatio satisfactionis pro pœnis, quas Deus comminatur peccatoribus.* operis, & diuinæ acceptationis vt redimi posset per opera satisfactoria pœna temporalis, quam Deus comminatur in hac vita peccatoribus, quàm vt redimatur pœna debita peccato remisso; sed peccatores etiam manentes redimere possunt

possunt illas pœnas: ergo & has. Maior patet, quia opera satisfactoria maiorem proportionem habent cum pœna peccati remissi, quàm ad pœnam debitam peccato non remisso, & magis acceptantur de lege pro illa, etiam secundùm iustitiam, & misericordiam. Minor probatur 3. *Regum, cap.* 21. Achab reus homicidij, calumniæ, & rei alienæ, nempe vineæ Naboth, audiens *Pœnitentia Achab.* comminationem Domini per Eliam: *Scidit vestimenta sua, operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco,* &c. Cuius pœnitentia acceptata est à Deo, vt patet in sequentibus. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius,* &c. Hæc pœnitentia Achab non *Non fuit remissiua peccati, aut iustificans.* fuit remissiua peccati, quia non fuit vera conuersio à malo, quod patrauit: aliàs restitueret ablatam vineam, & famam Naboth, & satisfaceret pro homicidio commisso, tolleret idola, & scandala, &c. Nihil fecit: vnde Hugo, Caiet. Carthusianus, Lyranus meritò negant fuisse pœnitentiam iustificantem à peccatis: sed procedentem à timore seruili. Quod expresse tenet *Gregorius.* Gregorius Magnus *Homil.* 10. *in Ezechielem*: vbi facta mentione Achab, & humiliationis eius coram Domino, subdit: *In quibus,* inquit, *Domini verbis pensandum est, quomodo & in electis suis mæror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum, si sic ei, & reprobi pœnitentia placuit, quia timebat perdere præsens sæculum? aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis, qui placent; si hæc ad tempus placuit, & in eis qui displicebant?* &c. Quamuis autem aliqui Patres dicant fuisse iustificatum à peccato, rationes adductæ magis facient Gregorio, qui nostram sententiam in hoc tenet. Eodem modo Danielis 4. suadet Propheta Regi, vt peccata, & imminentem pœnam eleemosynis redimeret. De Niniuitis idem patet, & aliis, qui pœnas temporales per eiusmodi opera auerterunt: ergo valent etiam peccatoribus quoad remissionem pœnæ temporalis incursæ ex peccato remisso.

145 *Tertia ratio.* Tertiò: quod est satisfactio de congruo impetratoria remissionis peccatorum, potest esse satisfactio etiam remissionis pœnæ temporalis: sed illa opera facta pro peccatis ita satisfaciunt: *Satisfactio peccatoris disponit ad iustitiam.* Actorum 10. *Eleemosynæ tuæ, & fides ascenderunt in conspectum Domini.* Eleemosyna, & oratio, & fides habent hanc acceptationem, vt patet ex pluribus locis Scripturæ, & admittunt *Et à fortiori pro pœna peccati remissi.* omnes: ergo à fortiori facta illa opera habent vim satisfaciendi pro pœna temporali, siue de congruo, siue de condigno, non refert. Hiero- *Hieron.* nymus in Aggæi primum, *Seminastis,* &c. *Si quando videris,* inquit, *inter multa mala opera facere peccatorem quemquam aliqua, quæ iusta sunt, non est tam iniustus Deus, vt propter multa mala obliuiscatur paucorum bonorum,* &c. Augustinus *August.* lib. 4. contra Iulianum cap. 3. eum impugnat in eo, quòd dixerit virtutes fuisse in Paganis: sed steriles, asserens virtutem in nemine sterilem esse posse; quin producat suos fructus: ergo opera pœnitentiæ facta à peccatore, & oblata pro pœna debita peccati remissi, non erunt in- *Responsio.* fructuosa ex mente Augustini. Dices, imputari ei ad præmium temporale. Contrà, præ- *Impugnatur.* mium temporale non est illud, quod promittitur operibus pœnitentiæ in Scriptura: sed remissio peccati, & pœnæ: ergo in ordine ad hæc sunt fructuosa: quod & intelligit Augustinus, quia ibi agit de fructu, qui conducit ad vitam aliquo modo. Quòd si dicas disponere de congruo ad remissionem peccati. Contrà à fortiori sequitur disponere proximè ad remissio- *Promissio facta pœnitentia.* nem pœnæ peccati præteriti: quia ad hoc magis est dispositus peccator, & minus est beneficium: & his operibus immediatè correspondet, non ita remissio peccati, sed tantùm remotè, in quantùm his impetratur compunctionis gratia, & vera conuersio, &c.

Quartò, non magis requiritur gratia sanctifi- 146 *Quarta ratio.* cans ad satisfactionem, quàm ad meritum: sed status peccatoris non destruit omne genus meriti: ergo neque satisfactionis. Minor probatur ex aliis dictis. Nam Patres concedunt ali- *In peccatore esse meritum de congruo.* quod meritum fidei orationi, lachrymis, & pœnitentiæ. Ambrosius *lib.* 2. *de pœn. cap.* 3. lo- *Ambros.* quens de filio prodigo. *Pœnitentiam agendo meruit stolam, annulum, calceamentum.* Sic etiam Patres de pœnitentia Magdalenæ, Petri, Dauid. Tertull. *contra Marcionem, lib.* 4. *cap.* 18. Origenes *hom.* 3. *in Leuiticum.* August. *in Psal.* 50. *epistola* 105. & aliàs sæpè. Confirmatur, si quis *Confirmatio.* bona fide oblitus peccati, in quo est, conteratur de præteritis offerendo illa opera satisfactoria in remissionem pœnæ temporalis, ita vt illis exhi- *Valere satisfactionem cum contritione de præteritis.* bitis ad maiorem satisfactionem coniungat subsequenter contritionem de præteritis, in eo casu saltem valerent ad remissionem pœnæ: ergo vt exhibita à peccatore valent etiam in diuina acceptatione ex natura operis: dicere autem nihil valere, nimis durum est, & sine fundamento asseritur: quia pœnitentiæ ordinem non inuertunt, vt opera illa satisfactoria exhibeantur ante contritionem perfectam. Neque dicendum est nihil valere contra peccata, pro quibus offertur: quia neque iustitiæ diuinæ, neque misericordiæ id congruit, neque legi ordinariæ, qua statuitur vt peccata redimantur per pœnitentiam: ergo valet ad finem remissionis eorum, pro quibus offertur: quia acceptatio respicit opera, vt procedunt à voluntate offerentis directa, & regulata per fidem.

Confirmatur secundò, opera peccatoris ac- 147 *Secunda confirmatio.* ceptantur, vt dictum est, ad præmium temporale: vt patet ex Gregorio *lib.* 18. *Moralium cap.* 2. aliàs 4. vbi dicit redditum fuisse præ- *Acceptari opera peccatoris ad præmium temporale* mium obstetricibus, & Rahab occultantibus per mendacium liberos, & exploratores Iudæorum: quod videtur D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 10. Augustini etiam *lib. de Mendacio, cap.* 15. & *q.* 2. *in Exodum.* & *lib.* 5. *de Ciuit. cap.* 12. & 15. vbi dicit Deum non reliquisse Romanos sine præmio, quamuis omnia agerent ex fine vanæ gloriæ. Videatur etiam author de Regimine Principium inter opera D. Thomæ *cap.* 4. 5. & 6. si ergo opera vitiata peccatorum acceptantur à Deo in ordine ad præmium temporale, & hoc superabundanti misericordia, & bonitate, qua non vult bona, quæ ipse plantauit, manere infructuosa; à fortiori etiam videtur acceptare opera pœnitentiæ, quæ plantauit, & donauit peccatori, ne sint infructuosa: sed satisfactioni huic non est proportionatum aliud debitum, pro quo satisfaceret, nisi debitum pœnæ temporalis: ergo pro illo acceptatur. Probatur sequela: illa opera nequeunt fieri sine gratia, & *Opera facta ex fide, & vocationis gratia sunt fructuosa.* vocatione Dei speciali; sunt enim ex genere bona, & facta ex fide cum reliquis circumstantiis, & aliqua displicentia peccati, quia ad vindicandum

dicandum peccatum exercentur. Sit illa attritio supernaturalis, quæ extra Sacramentum non iustificat, & accedat bona fides peccatoris, quâ ignorat suum statum, vel obliuiscatur peccati: sed gratia Dei specialis non est otiosa, neque datur nisi ad finem salutis: ergo opera illa ex tali gratia facta valent ad salutem, non ad præmium vitæ æternæ, neque ad gratiam ex statu peccatoris, & insufficientia dispositionis: ergo ad soluẽdam pœnam debitam peccatis remissis.

148 *Responsio.* Dices dari illam gratiam, & opera in ordine ad iustificationem, vt dispositionem congruam, & remotam. *Impugnatur.* Contrà, finis proximus vocationis est ipsum opus; & remotus est ille, ad quem inclinat voluntatem mediante opere: sicut enim voluntas sequitur gratiam, ita finis gratiæ intrinsecus est ille ipse, qui est voluntatis: sed finis voluntatis imperantis hæc opera est vindicare peccatum aliàs remissum, & satisfacere pro pœna temporali: quæ voluntas efficax nequit haberi viribus naturæ, sed per gratiam, & ex regula fidei, quæ dictat peccata etiam remissa esse vindicanda, & facienda opera satisfactoria pro pœna temporali. Opera etiam ipsa, vt sunt ex gratia præueniente, & adiuuante ad hoc ipsum, sequendo dictamen fidei, eliciuntur: ergo illa opera ad hunc finem faciunt, & tam vocatio, quàm gratia adiuuans, quàm ipsa regula fidei hunc solum finem respiciunt: ergo quod est intentum, valent opera ad istum finem, ne dicamus otiosè, & sine fructu vllo salutis vocationem Dei, & gratiam specialem dari peccatori, imò, quod absit dicere, illusoriè: quia nisi acceptarentur opera ad eum finem ad quem inclinat gratia voluntatem ex regula fidei, illa gratia non esset gratia, neque apparet vnde Deus misereatur peccatoris, si nihil valent opera ad finem vocationis, nempe redimendæ pœnæ.

149 *Responsio.* Dices illa opera reuiuiscere ad suum effectum remissionis pœnæ, sicut satisfactio pœnitentialis, vt quidam asserunt, & imposita à Sacerdote valet recedente fictione. *Impugnatur.* Contrà, non omnes oppositæ sententiæ admittunt hoc de satisfactione pœnitentiali, seu sacramentali. *Nisi satisfactio valeat peccatori, non reuiuiscit.* Deinde, qui asserunt, fundantur in eo quòd talis satisfactio ex opere operato habeat hunc effectum, quod non conuenit operibus liberè oblatis: quæ si non valent quando offeruntur, non est fundamentum, vnde asserantur valere recedente fictione, sicut neque alia opera præcepti facta in statu peccati admittuntur reuiuiscere ad præmium. Deinde nõ reuiuiscit hæc satisfactio, nisi quatenus habet annexam acceptationem: ergo tunc fundat debitum extinguendi pœnam, quando exhibetur, licèt remotum ratione impedimenti peccati: sed non magis repugnat ex fundamentis oppositæ sententiæ opus peccatoris fundare debitum proximum magis, quàm remotum, & vtrumque ex eodem fundamento asseritur. Probatur subsumptum; nequit fundare debitum remotum, nisi ex acceptatione diuina: *Ius remotum extinguendi debitum.* loquor enim de debito remoto, quà consistit in aliquo iure, & promissione Dei eo modo, quo dicitur peccatorem habere debitum, licèt impeditum ratione meritorum aliàs in gratia factorum in ordine ad gloriam, & quando reuiuiscit hoc meritum, & debitum in eo fundatum, non reuiuiscit per nouam acceptationem, sed per antiquam, quæ manet, & sublato tantùm impedimento peccati fit proximum: ergo similiter in proposito idem erit dicendum, nisi quis abuti velit terminis, dicendo illa opera ideò fundare debitum remotum, quia si fierent in gratia, haberent effectum: quod destruit solutionem datam, quia per hoc non reuiuiscunt, sicut neque opera, quæ aliàs facta in gratia essent meritum, reuiuiscunt in *esse* meriti: oportet ergo opera satisfactoria, ad hoc vt reuiuiscant, esse acceptata specialiter in ratione operis. *Ius proximũ ex acceptatione.*

Sed hoc destruit fundamẽtum oppositæ sententiæ, quæ negat opera peccatoris acceptari, vel ad meritum, vel ad satisfactionem. Item, negant illa opera posse habere completam rationem satisfactionis, vt proportionantur pœnæ alterius vitæ, quia hæc proportio competit eis in *esse* morali, & vt offeruntur à persona grata, & iusta: ergo solutio data non cohæret suis fundamentis, neque soluit argumentum, quia si peccator ratione operis acquirit ius extinguendi debitum, sequitur esse proximum, quia extinctio debiti non fit per gratiam sanctificantem, quæ non repugnat debito, aliàs in prima iustificatione peccatoris remitteretur tota pœna: neque remitti pœnã ex iure acquisito per solutionem operis repugnat peccatori: ergo à primo ad vltimum, illa opera valent, etiam vt fiũt in peccato. 150 *Fundamẽtũ oppositum destruitur.*

Ad rationes contra hanc conclusionem iam respondimus: quia eædem sunt, quas opposuimus priori. Vasquez vrget à ratione: quia si sufficit pati, impertinens est scienter, aut patienter pati, quantùm ad solutionem pœnæ antiquæ debitæ; qua ratione probatur in inferno non posse satisfieri pro pœna temporali peccati remissi: cùm ergo à pœna non liberentur, nisi per satisfactionem, quæ nequit esse sine gratia iustificante, quia aliàs esset meritum de condigno in peccatore: ergo nequit satisfacere. *Obiectio Vasquez.*

Respondetur negando consequentiam, vel sequelam, quæ reuera est impertinẽs ad nostram conclusionem: quia nos distinguimus satisfactionem à satispassione, & ad illam requiri dicimus, vt sit voluntariè exhibita, aut voluntariè tolerata; requiritur enim vt peccator concurrat alterutro modo: vt patet ex pluribus locis Doctoris in distinctione præcedẽti; sed sufficiat textus præsens, in quo illas distinguit. Ad aliud, quod dicit de necessitate gratiæ sanctificantis ad satisfactionem pro pœna temporali, est petitio principij, quod iam impugnatum est: & respondeat ipse, qui dicit satisfactionem sacramẽtalem valere in peccato, vt exhibetur à peccatore ad illud inconueniens de merito de condigno. Respõdetur lõgè diuersam esse apud DD. rationem meriti, & satisfactionis: negatur ergo antecedẽs. Si dicas esse satisfactionem de condigno, concedo, vel trãseat; modò admittatur habere vim extinguendi debiti pœnæ tẽporalis, siue de cõgruo, siue de cõdigno: de condigno autem erit satisfactio, inquãtùm operatur ex acceptatione diuina in ratione operis, & ex iustitiæ motiuo, qua sic voluit Deus vindicari peccatũ: quæ acceptatio respicit præcisè opus, & non personam peccatoris, quà peccator est, hîc & nunc: sed quà debitor manet exhibẽdæ satisfactionis ex remissione obtenta peccati præteriti, & cõmutatione pœnæ æternæ in temporalem soluendam hîc, aut in altera vita. Vnde sicut in solutione huius pœnæ non respicitur ad personam iusti, quà iustus est, neque acceptatur, sed requiritur vt satisfaciat adæquatè, 151

adæquatè, siue per opera satisfactoria, siue per alia æquiualentia: sic etiam quoad eandem solutionem non respicitur persona peccatoris: sed hinc inde attenditur ad medium iustitiæ: & æqualitatem seruandam in ipsa re oblata, non respiciendo personas: tantum enim valet, quantum offert, & condignitas eius consequenter consistit in appretiatione rei, non personæ.

152 *Pœna inflicta à Deo, & tolerata valet peccatori.*

Tertia conclusio. Pœna temporalis inflicta à Deo, & patienter tolerata in finem remissionis pœnæ debitæ, satisfacit pro pœna temporali, etiam in peccato. Conclusio quoad primam partem est communis: quoad secundam partem est Doctoris, vt patet in textu; & sequitur ex dictis: éstque, vt videtur, Tridentini *sess.* 14. *cap.* 9. *& can.* 13. Cæterùm Sotus *in* 4. *dist.* 19. *quæst.* 2. *artic.* 2. Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 14. *artic.* 2. distinguunt inter flagella, quæ quis patitur in hac vita: nam quædam sunt, quæ ex naturali ordine causarum oriuntur, vt infirmitates, siue culpa sua illas patiatur, siue influxu cœlesti. Ad quas reuocantur pœnæ, quas quis patitur, etiam ex culpa sua; & dicit hæc esse satisfactoria, si patienter ferantur. Alia autem flagella, quibus Deus ex speciali prouidentia castigat aliquos, vt fuit tentatio Iob, & mors filij Dauid ex Bersabee, & eiusmodi directè inflicta propter peccatum, & hæc satisfactoria esse, si voluntas negatiuè se habeat. Hæc doctrina satis quadrat principiis Doctoris, si sumatur satisfactio latè, vt comprehendit solutionem pœnæ per satisfactionem oblatam suo modo à peccatore etiam tolerando, & satispassionem. Potest etiam Deus vindicare pœnam temporalem debitam peccato, etiam in hac vita per flagella temporalia. Quod si ita fiat, erit satispassio, quantumlibet peccator non concurrat propriâ voluntate, non ex bonitate operis, sed ex æqualitate pœnæ, & acceptatione legis, aut voluntatis diuinæ secundùm ordinem iustitiæ: quia non punit bis in idipsum.

Trident.

Distinctio quorumdam.

Satisfactio per flagella patienter tolerata.

Satispassio negatiuè se habente voluntate.

Suppletur per legem cōcursus voluntatis satispatiētis.

153

Cæterùm, vt patet ex Doctore *distinct. superiori quæst.* 1. *art.* 3. requiritur, vt satisfactio sit voluntariè saltem tolerata pœna; & hìc licèt dicat satispassionem sufficere pro pœna temporali: tamen in viatore non videtur admittere satispassionem respectiuè ad Deum: quod regulariter verum est: quia illud non esset pœnam tenere, vt *suprà* explicui cum Authore de vera, & falsa pœnitentia, quam tenet tantùm per concursum propriæ voluntatis, seu consensum. Proinde Concilium *suprà* adiicit illam limitationem, vt sint *flagella tolerata patienter:* quia in via, regulariter loquendo, Deus constituit salutem hominis, quantùm ad meritum, & redemptionem tam peccati, quàm pœnæ, in manu liberi arbitrij, vt concurrentis cum gratia sua. Vnde, sicut lege satisfactio pro peccato consistit in vera conuersione peccatoris per pœnitentiam, ita eadem lege constituitur redemptio pœnæ debitæ peccato remisso in operibus satisfactoriis, qui sunt fructus pœnitentiæ voluntariæ: quando autem peruenit ad terminum, tunc subiacet satispassioni, vt qui contempsit tempus pœnitentiæ, & indulgentiæ, soluat in carcere vsque ad vltimum quadrantem. De satispassione ergo *infrà* agemus.

Requiritur in viatore concursus voluntatis ad satisfactionem.

Ratio præmissorum.

154 *Quarta conclusio.* *Pœna temporalis ex Dei volūtate, non ex natura rei inducitur.*

Quarta conclusio. Pœna temporalis, quæ remanet purganda post iustificationem non ex natura rei, sed ex gratuita Dei voluntate commutantis pœnam æternam in temporalem remanet. Hæc conclusio non solùm est Doctoris, sed etiam videtur mihi esse Tridentini; est tamen contra Vasquez, qui 3. *p.q.* 94. *art.* 1. *dub.* 2. mouet contra Scotum illud dubium, quòd is dixerit *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 2. hanc commutationem esse ex voluntate Dei. Vasquez nititur probare ex natura iustificationis remanere soluendam pœnam temporalem, id est, deberi pœnam temporalem peccato: quod debitum non tollit iustificatio, quæ ex natura rei opponitur dumtaxat pœnæ æternæ, & reatui culpæ. Fundatur in eo, quòd Deus non puniat peccatum, nisi pœna sibi debita; nec iustificatio tribuat vllum effectum, nisi qui conueniat ei ex natura formæ; sed de facto non tollit pœnam temporalem: ergo, &c. Duo quædam principia doctrinæ supponit, & explicat tanquam de mente Doctoris de modo remissionis peccati; quorum primum spectat ad distinctionem sequentem quæstione prima: secundum verò *suprà* in quæstione prima præcedentis explicuimus.

Sententia cōtraria Vasquez.

155 *Probatio cōclusionis.*

Probatur conclusio. Quidquid conuenit iustificationi ex natura formæ, æqualiter, & semper ipsi cōuenit, seruata eadem perfectione formæ: sed baptismali competit remissio integra omnis pœnæ: ergo idem conueniret pœnitentiali, si esset effectus ex nátura formæ conueniens. Maior est certa. Minor de fide, ex Tridentino *sess.* 6. *c.* 14. *sect.* 14. *c.* 2. *&* 8. Consequentia probatur, quia pœnitentialis, quantùm ad gratiam, potest esse intensior; sed remittere pœnam temporalem totam non conuenit pœnitentiali, vt patet ex locis citatis Tridentini: ergo non est effectus conueniens ex natura iustificationis. Dices, remissionem omnis pœnæ in Baptismo non prouenire ex natura iustificationis, sed ex benignitate Dei. Contrà, quod conuenit Baptismo ex opere operato, conuenit ei ex natura rei, id est, ex institutione diuina: sed de fide est virtute Baptismi tolli omnē culpam, & pœnam: ergo iustificatio baptismalis habet ex natura rei talem effectum, id est, de facto semper connexum. Si autem intelligatur ex natura rei rigorosè, & physicè, sic etiā neque gratiæ id competit.

Remissio in Baptismo est totalis.

Remissio pœnitentialis.

Responsio.

Impugnatur.

156 *Responsio.* *Impugnatur.*

Dices peccato deberi ex natura rei pœnam temporalem præter pœnam æternam: hanc tolli; illam remanere. Contrà, sic non staret commune axioma Theologorum, pœnam æternam commutari in temporalem: nulla est enim commutatio, vbi debitum nō succedit nouum priore abolito. Præterea probatur: omnis pœna per se debita peccato mortali, siue sensus, siue damni, est pœna æterna, sicut omnis auersio eius est auersio simpliciter à fine vltimo: ergo omnis pœna ipsi per se debita est æterna, quia hæc sola de facto habet per se proportionem ad ipsum ex lege, aliàs cuicumque competit pœna temporalis, & terminabilis per se, est veniale; quod nequit conuenire peccato mortali. Dixi per se æternam conuenire mortali, ad excludendam pœnam huius vitæ, quâ Deus quædam peccata ad terrorem reproborum, & ædificationem electorum punit: hoc enim per accidens est.

Pœna æterna per se est debita mortali per legem, non temporalis.

Vlteriùs sequeretur, si illa pœna esset per se debita, quòd in inferno infligeretur, quod nemo hactenus dixit, pœnam aliquam peccati mortalis in inferno esse temporalem. Sequela patet: quia omnis pœna per se debita peccato secundùm iustitiam Dei vindicatiuam infligitur:

tut: quia in inferno erit mensura plagarum secundùm mensuram delicti.

157 *Obiectio.* Obiicit Vasquez: Ex natura gratiæ remittitur peccatum mortale, & debitum pœnæ æternæ: ergo si per voluntatem Dei maneat talis pœna, iam homo non erit iustificatus: Deus enim non punit nisi dignum; dignus non est nisi habeat peccatum. *Responsio. Temporalis debetur ex cõmutatione.* Respondetur, peccatorem ratione peccati præteriti incurrisse hoc debitum pœnæ temporalis, non per se, sed ex commutatione æternæ, quæ per se debebatur in aliam leuiorem, & temporalem quod partim ex diuina iustitia ob ingratitudinem, partem ex clementia *Trident.* factam astruit Tridentinum sess. 14. cap. 8. *Diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta peccata leuiora putantes*, &c. *in grauiora labamur*, &c. Sed quod diuina clementia, & iustitia statutum est, id Dei voluntate contingit: ergo. His *Debitum pœnæ est ex lege.* accedit, quòd omne debitum formale pœnæ est ex voluntate diuina, statuente legem. Vnde peccata damnatorum non puniuntur, neque habent tale debitum formale, quia Deus tale non statuit.

158 *Quinta conclusio. Valere satisfactionem pro aliis factam.* *Quinta conclusio.* Vnus pro alio satisfacit quantùm ad pœnam temporalem: est commmnis. Patet in animabus purgatorij, pro quibus satisfaciunt viatores. Patet ex veritate de indulgentiis, & thesauro spirituali Ecclesiæ. Hanc docent D. Thomas *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. q. 3.* D. Bonauentura *ibidem*. Richardus, Sotus *dist. 19.* De modo autem huius satisfactionis, si in sola *Qualiter valeat.* liberalitate Dei, an etiam de condigno fiat, an etiam infallibili lege, vel quandoque, disceptatur: quod spectat ad materiam de Indulgentiis, & Purgatorio. Quòd per modum satisfactionis, id est, de condigno pro aliis satisfacete quis possit quantùm ad pœnam peccati remissi, videtur sensus communis Ecclesiæ, maximè pro animabus purgatorij: quia cùm simus eiusdem corporis membra, debet inter nos esse communicatio operum, vt alter alterius onera portet, iuxta Apostolum *ad Galat. 6.* & ideò Ecclesia opera maximè satisfactoria ordinat pro defunctis fieri, vt sacrificium Missæ, ieiunia, eleemosynas. Posse etiam iisdem suffragari per impetrationem, est æquè certum. Ita Caiet. 1. *tom. Opusc. tract. 1. quæst. 5.* Durandus *in 4. dist. 45.* Bellarm. *de Purgatorio lib. 2. cap. 16.* & patet ex orationibus, quas Ecclesia ordinat pro iisdem fieri. Vnde sensus communis fidelium est, quando hæ fiunt à malis etiam ministris, prodesse. Hæc doctrina potest ad viuos suo modo accommodari. Quando suffragium fit per modum impetrationis, debet persona esse in statu gratiæ, quia inimicus non meretur exaudiri. Excipe, si sit minister orans nomine Ecclesiæ, non autem priuato. Quando verò per modum satisfactionis, puto non exigi id, sed applicationem operis cum debitis eius circunstantiis. Vnde quando per Iubilæum conceditur, vt quis pro alio mereatur indulgentias, vel pro se, communiter imponitur ieiunium, quod est opus satisfactorium, primis diebus ante confessionem, & communionem faciendam, quibus non est dubium, quin multi sint in statu peccati mortalis: tamen ieiunium illis, & aliis, respectiuè prodest, aliàs Ecclesia ordinaret postponendum.

159 *Cõclusio sexta.* *Sexta conclusio.* In casu potest etiam imponi satisfactio sacramentalis vni pro altero, loquendo de punitiua. Hæc est grauium Doctorum, *Pœnitentialis potest imponi vni pro altero.* Alensis *4. part. quæst. 24. memb. 4. art. 4.* D. Bonauenturæ *dist. 20. art. 1. quæst. 1.* Richardi *art. 1. q. 3.* Durandi *quæst. 2.* Gabr. *dist. 16. quæst. 2. art. 3.* Soti *quæst. 2. art. 4.* Ioannis de Medina C. de satisfactione: imò communis est Theologorum, vt rectè aduertit Suarez *disp. 38. sect. 9.* Intelligitur *Limitatio.* conclusio, quando pœnitens est inhabilis, vt per se satisfaciat. Alij addunt, vt persona, quæ satisfacit, sit sanctior. Additur præterea, vt satisfactio illa grauior sit, quàm quæ ipsi pœnitenti imponeretur personalis. Probatur hæc conclusio ex præcedenti: quia membra Ecclesiæ communicant sibi inuicem in suffragiis, & operibus satisfactoriis: ergo vnus pro altero satisfacere potest.

Difficultas est, quo modo hæc satisfactio possit esse sacramentalis, & maximè si satisfactio sacramentalis operetur effectum suum ex opere *An valeat ex opere operato.* operato: quia clauis tantùm potest ligare ipsum pœnitentem, vt est reus: ergo non potest ligare alium à pœnitente, etiamsi se voluntariè offerat; quia ille non videtur modus castigandi, aut puniẽdi peccatum accomodatus huic Sacramento. Propter hanc rationem negat Vasquez *quæst. 94. art. 2. dub. 1. in secunda illatione.*

Respondent quidam, quòd quis possit alteri applicare satisfactionem, non solùm quæ valet 160 per modũ operis, sed etiam quæ est ex opere operato. *Responsio quorundam.* Sed hæc ratio, quamuis habeat locum in *Impugnatur.* satisfactione, quæ fit in sacrificio Missæ, non videtur in aliis locum habere, vt aduertit Suarez. Deinde, vt satisfactio hæc per modum partis Sacramentum integret, debet aliquo modo esse opus ipsius pœnitentis, & dicere ordinem ad alias compartes materiales, vel quasi materiales: nam Concilia definiunt materiam huius Sacramenti consistere in actibus pœnitentis; satisfactio alterius, vt est alterius, tam in ratione operis operantis, quàm etiam operis operati nequit dici per solam applicationem illius esse hoc modo pœnitentis, tanquam actus eius, vt integret materiam Sacramenti: oportet ergo vt procedat ab ipso pœnitente tanquam propria eius, vt satisfactio sit ipsius per modum operis, & non tantùm per applicationem eius, à quo fit. Deinde, virtus clauium nequit extendi ad satisfactionem alterius, quà alterius est præcisè: quia nequit ligare nisi reum, & ratione peccati & debiti incursi: oportet ergo vt prædicta satisfactio reputetur in propriis ipsius pœnitentis, vt cadat sub claue.

Respondet ergo Suarez eo ipso quòd interuentu pœnitentis fiat illa satisfactio esse eius ali- 161 quo modo proprium. *Responsio Suarez.* Quod intelligitur ex eo, quòd sit causa moralis eius: vnde sicut actus bo- *Reputatur pœnitentis.* nus, aut malus alterius reputatur moraliter eius, qui suadet, aut inducit, ita illa satisfactio erit personalis moraliter, licèt non physicè. Declaratur ergo ampliùs, vnum membrum compa- *Declaratur prædicta solutio.* ratum ad aliud in eodem corpore mystico, vt communicant inter se, esse vnum, non diuersas personas secundùm iustitiam. Vnde pater & filius non reputantur in bonis communibus tanquam diuersæ personæ secundùm iura; *Reputatur satisfaciens vna persona moralis cum pœnitẽte, cui se substituit.* sed tanquam vna; sicut & maritus & vxor, dominus & seruus, monasterium & monachus: sic ergo in satisfactione, quæ ex iustitia determinatur, & secundùm acceptationem diuinam est communis, ita vt vnius membr

membri opus satisfactorium acceptetur pro altero, sufficit vt sit personæ mysticæ; & sicut pœnitens punitur sufficienter in bonis extrinsecis fortunæ, quia sunt sui iuris, etiam sufficit vt puniatur pater in filio, vxor in marito, & è contra: quia illa sunt sui iuris: ita etiam sufficit vt pœnitens puniatur in altero, qui fit sui iuris ex mutua acceptatione, quantùm ad opus satisfactorium: & ita clauis ligat alterum quoad illud opus, non quà alter est, sed quà subit personam pœnitentis, & se substituit voluntariè. Vnde si non complet pœnitentiam acceptatam, peccat non secus ac ipse pœnitens peccaret, si illud opus sibi iniunctum non adimpleret: & debitum pœnæ temporalis proportionatum tali pœnitentiæ ita transfertur in alterum, vt ipse illud luat, & non pœnitens, nisi satisfaciat, quia illud debitum in ipsum transfertur virtute clauis, supposita propria acceptatione, qua se ipsum substituit.

Tenetur adimplere satisfactionem.

162 Ex hoc patet ad rationem dubitandi, quæ est fundamentum Vasquez: nam & illa pœnitentia sic iniuncta fit propria pœnitentis: sicut peccata parentum, quantùm ad pœnam temporalem, fiunt propria filiorum vsque in tertiam, & quartam generationem. Peccata Reipublicæ fiunt propria Regis, & è contra secundùm diuinam iustitiam, qua transfertur vindicta non solùm in personam peccatoris, sed etiam in ea, quæ ad ipsum spectant, tanquam sui iuris. Quod perinde dicendum est in proposito, quatenus alia persona transit in ius pœnitentis per propriam voluntatem quoad opus præscriptum satisfactionis. Quantùm autem ad illam conditionem, vt persona satisfaciens sit sanctior, non puto eam exigi; quia vt *suprà* dictum est, non est de ratione satisfactionis, vt supponat sanctitatem personæ satisfacientis, quando est merè punitiua: & satisfactio sacramentalis minùs id requirit, quatenus applicat satisfactionem Christi, & virtutem Sacramenti. Quantùm ad primam conditionem etiam intantùm videtur requiri, inquantùm non relaxetur frænum pœnitenti ad relapsum: ideò si habilis est, debet in persona propria castigari. Tertia conditio est satis rationabilis, qua compensetur virtus satisfactionis, vt procederet à persona pœnitentis, & in ipsa exhiberetur, quia sic grauior esset, & magis pœnalis, & magis proportionata peccato.

Fundamentũ Vasquez soluitur.

Limitatio cõclusionis præmissa reijcitur.

163 Petes vtrùm satisfactio sacramentalis, aut alia exhibita ad finem peccati venialis, esset valida? Respondet Vasquez *dubio* 5. se non dubitare, quin Scotus, & Medina, & alij, qui dicerent per solam satispassionem satisfieri posse pro pœna temporali, etiam admitterent satisfactionem, ex fine venialis sacramentalem esse validam. Ego nescio ex quo principio Doctoris hanc interpretationem sumat: nam neque hîc, neque alibi confundit Doctor satisfactionem cum satispassione, quin imò hæc distinguit in textu, dicens satisfactionem debere procedere à volunrate pœnitentis per modum actionis elicitæ, aut passionis toleratæ patienter: satispassionem verò consistere in mera inflictione pœnæ commmensuratæ reo, quæ vltra mensuram debiti iure non extenditur.

Dubium. An exhibita ex fine venialis valeat. Vasquez.

Respondetur ergo negatiuè. Quod probatur ex definitione, quam *suprà* præmisit Doctor §. *De secundo principali*, &c. in qua expressit requisita ad satisfactionem strictè sumptam. *Satisfactio*, inquit, *est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis, voluntarie assumpta ad puniendum peccatum commissum à se, & hoc ad placandum diuinam offensam*; vel est *passio, seu pœna voluntariè tolerata in ordine præmisso*, &c. In hac definitione exponit finem intrinsecum, & extrinsecum satisfactionis. Intrinsecum quidem per illa verba: *Ad puniendum peccatum commissum à se*, &c. nam hæc satisfactio est actus iustitiæ vindicatiuæ, & punitiuæ peccati. Extrinsecum verò finem exprimit in illis verbis: *Et hoc ad placandum diuinam offensam*, &c. Doctor autem non solet suffarcire definitionem particulis non necessariis: ergo per ipsum non esset vera satisfactio illa, quæ neque esset ad puniendum peccatum, neque ad placandam Dei offensam; talis non est satisfactio exhibita ex fine peccati venialis: quia idem actus nequit in principiis Doctoris esse ad duos fines non subordinatos, neque finis venialis subordinat prædictos fines requisitos à Doctore ad satisfactionem, neque illi subordinant finem venialem. 164

Responsio negatiua.

Definitio satisfactionis.

Finis intrinsecus, & extrinsecus satisfactionis.

Distinguendum est ergo de fine: nam aliàs dicitur finis secundùm *quid*, vel occasionatus, inquantùm excitat aliquo modo voluntatem ad operandum, & ille non dat speciem operi; vt si quis oblata occasione, verbi gratia, eleemosynæ recipiendæ, excitetur ad voluntatem dicendi Missam, quam opere complet pro intentione offerentis eleemosynam, quæ non est finis specificans voluntatem offerendi sacrificium, si ordinata est: & sicut timor diuinæ iustitiæ excitat peccatorem ad pœnitentiam, vt dicit Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 6. vel metus gehennæ ad attritionem, & auersionem à peccato, & suscipiendum Sacrametum *sess.* 14. *c.* 4. Alius autem est finis *propter quem*, vel *cuius gratia*, qui est finis simpliciter operis, & specificans. Si ergo de fine hoc modo sumpto, loquatur, vt loqui videtur præfatus author, vel malè negat satisfactionem non esse validam, vt videbitur, vel nullo modo assequitur sententiam Doctoris. 165

Finis duplex.

Loquendo ergo de fine propriè dicto, non solùm satisfactio exhibita ex tali fine veniali non esset vera satisfactio: sed neque esset veniale peccatum: quia esset grauis contemptus, & hypocrisis contra reuerentiam Sacramenti, & naturam operis, & contra diuinam iustitiam insignis illusio. Licèt enim obiectum, in quo statuitur finis venialis, aliàs posset appeti sine peccato mortali: tamen nequit appeti, vel acquiri per hoc medium sine peccato mortali, tanquam finis satisfactionis: sicut aliqua vana gloria non semper est mortalis; tamen si acquiritur per homicidium, erit mortalis; ita in proposito opus Sacramenti, aut ipsum Sacramentum sumere non ex affectu, aut fine Sacramenti, sed tantùm ad finem hypocrisis, aut vanæ gloriæ, est contemptus grauis religionis: ac proinde non sumitur Sacramentum cum debita dispositione, quæ nequit consistere cum tali fine, in quo solùm sistit voluntas, & non in aliquo fructu, aut effectu, aut cultu, aut reuerentia Sacramenti, aut odio peccati, aut eius 166

Satisfactio ex fine veniali propter quẽ esset peccatũ graue.

Probatio

Esset hypocrisis, & contemptus Sacramenti, & religionis.

eius vindicta, aut vniuersim in aliquo fine satisfactionis sacramentalis: quia ipsum opus satisfactionis non habet rationem satisfactionis, nisi vt ordinatur à voluntate ex motiuo requisito satisfaciendi; quod non habet in tali casu, in quo tantùm respiceret finem operantis, & solam apparentiam, & non veritatem virtutis. Hinc apud Prophetam reprobatur ieiunium Hebræorum, quod tantùm fiebat, *vt audiretur clamor in excelsis*, non ad placandum Deum.

167 *Respōsio Vasquez impugnatur.* Malè ergo asserit præfatus author Sacramenta alia non vitiari, si sumantur ex fine veniali hoc modo sumpto, sed vitiari tantùm receptionem eorum, quia veniale, inquit, non repugnat effectui Sacramenti, quia, vt dictum est, talis finis tollit dispositionem requisitam, & voluntatem recipiendi Sacramentum, vt Sacramentum est, à quibus dependet effectus eius: nam si quis Eucharistiam non ad finem Sacramenti, sed ad nutritionem corporalem, tanquam cibum profanum sumit, non sumit eam sacramentaliter: qui ergo sumit ex fine vanæ gloriæ, verbi gratia, tantùm, non sumit similiter sacramentaliter, aut per modum Sacramenti, prout sumi debet in ordine ad effectum Sacramenti; quia non intenditur alius effectus eius, quàm vanæ gloriæ, qui est finis, ob quem sumitur, & *cuius gratia*.

Si autem præfatus author intelligit finem venialem primo modo, aut concomitantem maculam venialem, quæ non derogat voluntati per se intendentis opus satisfactorium ex fine tam intrinseco, quàm extrinseco requisito; hoc non derogat operi, aut effectui, satisfactionis, quin acceptetur à Deo: nam si peccatum veniale non derogat effectui Sacramenti, cui perinde opponitur, ac effectui satisfactionis; ita etiam non derogat quoad diuinam acceptationem.

168 *Diuisio satisfactionis.* z *Dico ergo sine praiudicio*, &c. Hîc subiungit conclusionem, quam hactenus tractauimus: vbi distinguit satisfactionem in eam, quæ est reconciliatiua amicitiæ diuinæ, & in eam, quæ est voluntaria pœnæ debitæ, & in eam quæ dicitur satispassio, id est, vltra quam non exigitur alia secundùm legem. Primam dicit esse recon- *Reconciliatiua.* ciliatiuam, & placantem, & consequenter similiter satisfactionem. Hoc intelligi potest de contritione, quæ vt *dist. praced. quæst. 2. de secundo principali. §. Ad huius intellectum*, &c. *in fine*, remittit peccatum, vt habet charitatem concomitantem, & gratiam. Intelligi etiam potest suo modo de satisfactione, quæ fit à iusto, vt mereatur augmentum gratiæ, & remissionem pœnæ temporalis. De secundo genere satisfactionis iam dictum est. De tertio verò dicetur *infrà*. Reliqua clara sunt in littera.

z *Ad argumenta*; *ad duo prima*, &c. Hîc nihil est notandum, præter illud, quod dicit in responsione ad quartum, nempe contritionem includere satisfactionem in voto. Quod quadrat iis, quæ dicta sunt in initio huius commenti: nempe satisfactionem accepturi pro pœna temporali eadem acceptatione, qua acceptatur contritio perfecta, aut attritio cum Sacramento ad remissionem peccati. 169 *Contritio includit satisfactionem in voto.*

Secundò, admittit contritionem aliquando esse tam intensam, vt remittat totam pœnam. Tertiò, dicit nihilominus præceptum de aliqua pœna infligenda esse rationabile; cuius optimam rationem assignat: quia nempe de lege contritio est satisfactio partialis, id est, pro peccato, pœna æterna, & aliqua parte pœnæ temporalis; non autem completa, & totalis pro tota pœna regulariter: præcepta autem generalia dantur secundùm conditiones, quæ reperiuntur in hominibus regulariter, & vt in pluribus. Admittit ergo Doctor hîc teneri Sacerdotes ad imponendam pœnitentiam. Quod sufficiat notasse ad explicationem doctrinæ eius *infrà*, qua dicit pœnitentem hîc, & nunc respuere posse pœnitentiam iniunctam. *Summarium textus.* *Praceptum de satisfactione.*

Respondet præterea argumentis in oppositum iuxta doctrinam traditam de satisfactione generaliter sumpta in articulo quinto, & in articulo quarto, intelligens locum Apostoli de pœna damnatorum; vbi propriè seruatur propria satispassio, id est, punitio respectu cuiuslibet peccati, & commensuratio secundùm legem vindicatiuæ, non tamen in satisfactione pœnitentiali requiritur tam præcisa commensuratio. Reliqua de satisfactione require *infrà dist. 19. in resolutione dist. 18.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm qui iniustè abstulit, vel detinet rem alienam, teneatur illam restituere, ita quòd non poßit verè pœnitere absque tali restitutione?

De restitutione, quam Doct. hac, & duabus seqq. quæst. tractat, agunt Alens. *4. part. quæst. 24. aliàs 86.* D. Thom. *2. 2. quæst. 62.* Canonistæ *in cap.* Si res *14. qu. 6. & in reg.* Peccatum *de reg. Iur. 6. vbi* Couar. Sententiarij *hîc.* Petr. Nauar. *de Restit.* Medina *C. de Restit.* *Molina latè tract. 2. à dist. 7. 14. vsque ad fin. tom. 4. & 5.* Sayrus *lib. 10. & 11. sua Clauis regia.* Summistæ *verb.* Restitutio. *Soto 4. de Iustit. quæst. 6. & 7.*

SECVNDÒ quæro,[a] vtrùm qui iniustè abstulit, vel detinet rem alienam, teneatur illam restituere, ita quòd non possit verè pœnitere absque tali restitutione? Quòd non arguitur. Restitutio nihil est pœnitentiæ: ergo sine ea pœnitentia potest esse vera. Antecedens probatur, quia non est contritio, nec confessio, manifestum est: nec satisfactio, quia illa est redditio alicuius 1 *Argum. 1.*

aliàs indebiti, ex præcedenti quæstione: sed ista redditio est aliàs debiti, quia si homo non peccasset, & haberet rem alienam, teneretur illam restituere: ergo, &c. Item, posset hoc probari per partes satisfactionis, sub quarum nulla continetur restitutio.

Argum. 2. In epistola de explanatione fidei Catholicæ ad Damasũ Papam. Item, nullus tenetur ad impossibile: quia qui dicit Deum præcepisse impossibile, anathema sit, secundùm Hieronymum: sed quandoque impossibile est alienum restituere illi, cuius est, vt quando nescitur cuius sit. Quod potest contingere, siue quia nescit de illo, à quo habuit, vbi sit; nec de aliquo sibi propinquo, cui vice eius restituat: siue in alio casu, vt si inueniat alienum, & nesciat cuius sit.

Argum. 3. Item, nullus tenetur ad restitutionem sibi magis damnosam, quàm sit vtilis ei, cui sit restitutio: sed quandoque, vt pote si ille cui est restitutio facienda, degat in remotis, nec potest sibi restitui, nisi maiores sumptus ponantur in mittendo sibi, quàm sit illud totum, quod restituendum est: ergo in illo casu non tenetur.

Argum. 4. In principio. Item, *primo Ethicorum* dicitur, quòd bonum commune diuinius est, & præferendum bono particulari: sed possibile est restitutionem faciendam Petro esse damnosam Paulo restituenti, & in hoc magis damnosam Reipublicæ; quia scilicet Paulus est magis necessarius Reipublicæ, quàm Petrus: ergo in illo casu non tenetur restituere.

2 *Argum. 5. Cantic. 2.* Item, quilibet tenetur magis diligere se, quàm proximum, secundùm illud Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*: ergo quando restitutio est sibi ipsi damnosa, vt si est in extrema necessitate, tenetur magis illud sibi retinere, quàm ex dilectione alterius alij restituere.

Argum. 6. Item, restitutio facienda est in fauorem illius, cui fit: ergo non est facienda, quando cederet in damnum eius: nec etiam quando cederet in damnum Reipublicæ: sed gladius redditus furioso esset in eius, cui restituitur, damnum, quia malè vteretur eo, & in damnum Reipublicæ, quia læderet pacem ciuitatis: ergo, &c. Et consimiliter potest argui, quandocunque restitutio habet vel damnum annexum illi, cui fit, vel damnum Reipublicæ annexum.

Argum. 7. Item adultera concipiens filium ex adulterio, filius putatiuus mariti defraudat verum hæredem hæreditate: & tamen non tenetur mulier sibi hæreditatem restituere: ergo, &c. Minor probatur, quia non posset illud sine sui diffamatione, ad quam nullus tenetur, imò ad eius oppositum: & sequeretur maius malum, scilicet vxoricidium, si maritus sciret crimen.

Argum. 8. Item, aliquis potest beneficium Ecclesiasticum sibi procurare auferendo per procurationem suam alteri: sed non tenetur alteri illud restituere: ergo, &c.

Ratio ad opp. Contrà Augustinus *in Epistola ad Macedonium*, & ponitur in littera: *Quamdiu res, propter quam peccatum est, non redditur, si reddi potest, non agitur pœnitentia, sed fingitur.* Et 14. quæst. 6. Si res. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Item, *Exod. 22.* vbi præcipitur reddi iniustè ablata, & addi pœnam.

COMMENTARIVS.

1 *De restitutione, & rerũ dominio.* a *SEcũdò quæro, vtrùm qui iniustè abstulit, &c.* Hîc ingreditur Doctor materiam de Restitutione; quam absoluit tribus quæstionibus. Prima est de bonis fortunæ. Secunda de bonis animæ, & corporis. Tertia de bonis famæ. In tribus his quæstionibus comprehẽdit materiam de iustitia, & Iure, eiúsque principia: quia autem instituto nostro prolixum esset commentarium adaptare omnibus his principiis, & exactè examinare omnes modos dicendi tam Iuristarum, quàm Theologorum, & Canonistarum, in specie tractando singulos casus, & controuersias, eliciendo ex principiis generalibus, quæ tradit Doctor, conclusiones magis consentaneas: ideò remittemus hunc tractatum ad eos auctores, qui de eo in specie agunt; & quos Scholiastes in limine huius quæstionis proponit, & persistemus in ipsis regulis generalibus, & iis tantùm casibus, quod Doctor in littera exprimit.

SCHOLIVM.

Diuisionem rerum non fuisse factam Iure naturali, vel diuino, sed humano; nec futuram fuisse in statu innocentiæ, si perseuerasset. Habetur cap. 1. *dist.* 8. *ibi*, Iure naturæ omnia sunt communia. *Habetur ex Aug. tract. 6. in Ioan. & ex Clem. Epist. 3.*

3 *Distinctio dominiorũ vnde orta.* HIc sunt[b] quatuor videnda. Primò, vnde rerum dominia sint distincta, vt hoc dicatur meum, & illud tuum: quia istud est fundamentum omnis iniustitiæ in contrectando

contrectando rem alienam: & per consequens omnis iustitiæ in restituendo eam. Secundò, quomodo dominia primò distincta iustè transferuntur. Tertiò, ex hoc patebit quæ sit iniusta rerum occupatio alienarum, seu alterius damnificatio in re temporali. Quartò, quomodo talis ad restitutionem teneatur.

De primo [c] sit hæc prima conclusio; quòd lege naturæ, vel diuina, non sunt rerum distincta dominia pro statu innocentiæ: immò tunc omnia sunt communia. Probatur per illud Decretorum distinct. 8. cap. primo. *Iure naturæ sunt omnia communia omnibus.* & ad hoc adducit Augustinum super Ioann. capitulo secundo, *Quo iure*, dicentem: *Quo Iure defendis villas Ecclesiæ, diuino an humano? Vnde quisquam possidet, quod possidet, nónne humana voluntate? nam Iure diuino, Domini est terra, & plenitudo eius. Iure ergo humano dicitur, hæc domus mea est, hæc villa mea est, hic seruus meus est.* Item ibidem: *Tolle iura Imperatorum, quis audet dicere, Hæc villa mea est?* Et pòst ibidem. *Per iura Regia possidentur possessiones.* & 12. q. 1. *Dilectissimis: Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit.*

Conclus. 1. Iure naturæ omnia communia negatiuè, i. non diuisa. Nec diuisio facta Iure naturali, aut diuino Aug. tract. 6. in Ioan. Psalm. 23. Clement. epist. 4.

Ratio ad hoc duplex est. Prima, quia vsus rerum secundùm rectam rationem ita debet competere hominibus, sicut congruit ad congruam & pacificam conuersationem, & necessariam sustentationem: in statu autem innocentiæ communis vsus sine distinctione dominiorum ad vtrumque istorum plus valuit, quàm distinctio dominiorum: quia nullus tunc occupasset quod fuisset alij necessarium; nec oportuisset illud ab ipso per violentiã extorqueri; sed quilibet hoc quod primò occurrisset necessariũ occupasset ad necessarium vsum. Sic etiam magis fuisset sufficiẽtia ad sustentationẽ, quàm si alicui præcluderetur vsus alicuius per appropriationẽ illius factam alteri.

4 *In statu innocentiæ omnia fuissent communia omnibus.*

COMMENTARIVS.

2 *Ordo & diuisio quæstionis.*

b *Hic sunt quatuor videnda*, &c. Diuidit quæstionem in quatuor articulos principales. Primus est de diuisione rerum, & dominiorum. Secundus de translatione rerum secundùm dominia. Tertius, quæ sit occupatio, aut retentio iniusta rei. Quartus, quæ sit obligatio ad restitutionem.

3 *Prima conclusio. Neque diuina lege, neque naturali in statu innocentiæ fuit rerum diuisio. Aug. Probatio conclusionis ex varijs rationibus.*

c *Dico primò, sit hæc prima conclusio*, &c. Dicit quòd neque diuina lege, neque naturæ, in statu naturæ institutæ, seu innocentiæ, fuerit distinctio dominiorum in rebus. Hanc rectè probat ex locis citatis *dist. 8. cap. 1.* quod est Augustini, & c. *Dilectissimis*, 12. *q.* 1. quod est Clementis *epistola* 4. Quam probat primò, ex eo quòd per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales facta est diuisio. Secundò, authoritate Platonis, qui in sua politia dixit omnia debere esse communia. Tertiò, ex illo Psal. 132. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Quartò, exemplo Apostolorum, & suorum discipulorum Hierosolymis, *Act.* 4. qui ad perfectionem illam innocentiæ tendebant: quando multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, & omnia habebant communia; sed nec vllus egens erat inter eos, & pretia agrorum, & reliqua, quæ habebant, statuerunt ante pedes Apostolorum, & communiter distribuenda. Quartò, ex iustitia & vindicta exercita in Ananiam, & Sapphiram, qui hanc normã transgressi sunt mentientes Spiritui sancto, vt dicit Petrus. In capitibus sequentibus plura habentur de communi vita Clericorum, qui in sortem Domini electi non potuerunt habere proprium, & primitiuæ Ecclesiæ Hierosolymis mores, & exempla secuti sunt. Talis fuit vita Christi, & Apostolorum, vt omnia eis fierent communia.

Exemplum Apostolorum.

Exemplo Ananiæ & Sapphiræ.

Hoc ipsum patet ex Isidoro ex lib. 5. Etymolog. cap. 4. *Ius naturale*, inquit, *est commune omnium nationum, eò quòd instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur*; cuius octo actus ibidem enumerat, & habetur *distinct.* 1. *cap.* 7. Quartus autem actus est communis omnium possessio. Hinc etiam oritur indigenti iure naturæ esse subueniendum, & omnia fieri communia in extrema necessitate quantùm casus vrget.

4 Isidorus.

Ratio autem Doctoris est optima, quæ desumitur ex vsu rerum, & fine huius vsus; quæ est pax, & charitas in societate humana, quæ fuit summa in statu innocentiæ, vbi nulla passio, aut appetitus inordinatus inerat; natura perfectè instituta per iustitiæ originalis donum: neque etiam tum fuit vlla indigentia rerum, nisi quantum ad sustentationem requirebatur, quæ ex fructibus Paradisi sponte & diuina beneficentia oblatis suppetebat: secluso autem appetitu inordinato, & necessitate, cessat appropriatio rerum, quia nullus esset eius finis.

Ratio Doctoris.

SCHOLIVM.

Præceptum de rerum communione post lapsum peccati cessasse. Vult tantùm fuisse præceptum permissiuum, vel consultiuum, & per reuocatum esse, *intelligit* cessasse, *quia mutatis circunstantiis status per peccatum, ratio naturalis dictauit communionem non expedire ad pacem, & debitam sustentationem hominum. Si dicatur cum Alens. 3. p. q. 27. m. 4. a. 1. & Conrad. de Contract. tract. 1. q. 5. & 9. fuisse præceptum positiuum naturale de rerum communione: dicitur reuocatum, quia mutatis circunstantiis, cessat eius obligatio. Vnde leuiter quidam reprehendunt Scotum, quia non est vsus vocabulo* reuocandi *in propria significatione: quia cùm constet de re, non est facienda vis in verbo.*

5 *Concl. 2.* SEcunda [d] conclusio est, quòd illud præceptum legis naturæ, de habendo omnia communia, reuocatum est post lapsum: & rationabiliter propter eadem duo. Primò, quia communitas omnium rerum esset contra pacificam conuersationem, cùm malus, & cupidus occuparet vltra ea, quæ essent sibi necessaria. Et hoc etiam inferendo violentiam aliis, qui vellent secum eisdem omnibus ad necessitatem vti, sicut legi- *Gen. 10.* tur de Nembrod, quòd *erat robustus venator coram Domino*, id est, hominum oppressor. Item, esset contra necessariam sustentationem, propter illud, quia fortiores bellatores priuarent alios necessariis. Et ideò politia Aristotelis 2. *Politic.* quòd non sint omnia communia, multò melior est, quàm politia Socratis, quem reprehendit de omnibus communibus, secundùm illum statum, quem Philosophus inuenit in hominibus.

COMMENTARIVS.

5 *Secunda conclusio. Præceptum de communi vsu reuocatum.*

d SEcunda conclusio est, &c. Hæc docet præceptum illud de communi rerum vsu, quòd vocat legis naturæ, reuocatum esse post lapsum: idque rationabiliter, quia communis vsus ex corruptela naturæ per peccatum induceret lites, & discordias contra pacificam conuersationem, & societatem; & fortiores, aliàs priuarent alios necessariis: vt patet exemplo Nembrod, *Genesis* 10.

Qui negant tale præceptum fuisse in statu innocentiæ reprehendunt Doctorem.

Sotus *de Iust. & Iure lib.* 4. *q.* 3. *art.* 1. *in fine.* Azorius *parte* 3. *Instit. moralium lib.* 1. *cap.* 3. Lessius *de Iust. & Iure lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 2. Molina *de Iust. & Iure, tract.* 2. *disp.* 20. & alij reprehendunt Doctorem in eo, quòd dicat tale præceptum iuris naturalis fuisse in statu innocentiæ, aut reuocari potuisse, propriè loquendo. *Fundamenta eorum. Non fuit inhibita diuisio.* Primò, quia lex naturalis non inhibuit diuisionem rerum pro statu innocentiæ, quamuis communis vsus rerum fuerit magis congruus illi statui: illa enim diuisio, si fieret, non repugnaret statui, aut ejus perfectioni. Secundò, vel illud præceptum erat naturale pro omni statu: & hoc non, quia sic duraret in statu naturæ corruptæ, cùm ius naturale sit immobile, perpetuum, & indispensabile *d.* 6. *can.* 3. *Non est peccatum*, &c. *Ius naturale immobile.*

6 *Proprietas rerum non est prohibita.*

Deinde, sine errore dici nequit in statu naturæ corruptæ non licere possidere proprium, vt patet ex pluribus locis Scripturæ, & contrarium est hæresis antiqua Apostolicorum: vt patet ex Epiphan. *hæres.* 61. Aug. *hær.* 40. ex eodem *epistola* 106. Vel illud præceptum comprehendebat statum innocentiæ tantùm, neque extendebatur ad alium statum naturæ corruptæ. Sed sic non rectè dicitur reuocari, quia præceptum, quod in determinata circumstantia tantùm obligat, deficiente tali circumstantia, non rectè dicitur reuocari: verbi gratia, præceptum subueniendi extremè indigenti semper manet, quamuis non occurrat circumstantia, in qua obligat. Ius ideò dicitur reuocari, quia manentibus iisdem circumstantiis, in quibus aliàs obligat, ex sola voluntate legislatoris cessat, per quam reuocatur. *Præceptum in determinata circumstantia obligans, si illa deficiat, non reuocatur.*

Resolutio prædictorum.

Respondent ergo, vel illud præceptum non fuisse de lege naturæ in statu innocentiæ; vel si fuit, intelligi debere partim negatiuè, quia non fuit tum facta talis diuisio: partim positiuè, quia vsus communis fuit concessus omnibus, vt qualibet re quis vteretur, quam alius non præoccuparet; & ille vsus fieret cum dispositione animi, qua cederet alterius necessitati, & sic, inquit Lessius, etiamnum manet illa lex.

7 Cæterùm Scholiastes aduertit Doctorem hîc non docere contrarium: quia in prima conclusione dicit tantùm, neque lege diuina, neque naturali fuisse distinctionem dominiorum pro statu innocentiæ; sed quòd datus sit vsus communis, qui illi statui congruebat. In secunda autem conclusione dicit reuocatum fuisse præceptum illud iuris naturalis, ex eodem fine pacificæ societatis, intelligens præceptum latè pro dictamine recto, consideratis circumstantiis secundùm exigentiam naturæ: & ius naturale sic sumptum distinguitur à præceptis iuris naturalis in rigore sumptis; vt patet ex glossa *in c. Ius naturale dist.* 1. *cap.* 7. & vocatur *æquitas naturalis*: quam interpretationem ipsi aduersarij admittunt, ita exponentes locum iam citatum Clementis; eámque ibi tradit glossa v. *Per iniquitatem*, &c. Sic etiam intelligit D. Thomas 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. *ad primum*; illum actum Iuris naturalis, & quæ præmisimus ex Isidoro, Augustino, & Clemente, nempe omnia esse communia debere ex iure naturæ: quia nempe non dictat ius naturæ diuisionem rerum, quæ facta est ex condicto hominum. *Scholiastes. Eadem resolutio explicatur de mente Doctoris. Præceptum latè sumptum.*

Hanc ergo esse intentionem Doctoris, & sumi ab eo præceptum pro solo dictamine iuris naturalis, patet *ex conclus.* 3. vbi dicit quòd illa propositio *lib.* 2. *Institut. De rerum diuisione*, §. *Feræ bestiæ: Quod nullius est, occupanti conceditur*, &c. probabiliter sit de lege naturæ, quia illa statim supposita apprehensione de rerum diuisione, occurrit tanquam probabilis, & manifesta. Et eodem modo sæpiùs sumit pro lege naturali illud, quod congruum est legi naturali: vt *in* 3. *d.* 37. *quæst. vnica.* Vnde *eadem conclus.* 3. & *conclus.* 4. dicit diuisionem rerum esse factam iure positiuo (supposito nempe illo dictamine, res esse diuidendas propter cupiditatem, ad finem societatis pacificæ) non iure naturali, neque diuino. Et quòd non naturali, probat, quia natura non dictat opposita, ipsa autem magis determinauit omnia esse communia, nempe per iudicium consentaneum naturæ: quia sic magis euacuatur solicitudo, & omnibus esset prouisum. Iudicium enim, quod formatur secundùm inclinationem naturæ, & rectæ rationis absolutè, abstrahit ab eo, quod formatur secundùm inclinationem cupiditatis, & imperfectionis, quæ inducta est per peccatum: & hoc est quod vocat Doctor Ius naturale, aut præceptum lato modo. 8 *Declaratur. Rerum diuisio iure positiuo facta.*

Hoc verò dictamen fuit mutatum, quia finis, in quo fundabatur, vel ex quo desumebatur, quæ est pacifica societas, superueniente cupiditate ex peccato, fuit mutatus, vt dicit ordinem ad 9 *Dictamen iuris naturalis in diuersis circumstantiis diuersum.*

ad tale medium, nempe ad rerum vsum necessarium, & communem: quia hoc medium iam desinit esse efficax ex vitio cupiditatis; & sic, vt habet secunda conclusio, non potuit conseruari societas in solo vsu communi, in hominum collectione, sine dominio, & proprietate; quod est dictamen illud fuisse mutatum, quod intendit per reuocationem præcepti, latè sumendo præceptum, sicut & reuocationem: vt insinuat mutationem dictaminis naturalis, vt respicit medium, seu conclusionem ex fine, iu hoc statu naturæ corruptæ; & hoc modo intelligendo Doctorem, cessat controuersia.

10 *Fuisse præceptum sustinetur.* Tenendo contrarium huius, nempe Doctorem loqui de præcepto propriè dicto, & non tantùm de congruo dictamine; satis patet conclusio ex authoritatibus allatis, & ratione subiuncta Doctoris. Et confirmatur, quia in statu innocentiæ non licuit agere contra dictamen rectæ rationis, & perfectionem illius status, qui ne quidem cum veniali peccato consistere posset, iuxta sententiam communem assertam in Schola D. Thomæ; sed ex Patribus citatis habere omnia in communi sine proprietate, spectat ad perfectionem illius status, vel spectabat, & spectabat ad perfectionem Collegij Apostolorum, & Societatis fidelium in primitiua Ecclesia Ierosolymitana, spectat ad perfectionem etiam status vitæ regularis; vt patet ex multis decretis Patrum, & Ecclesiæ: ergo etiam spectabat ad statum perfectionis naturæ institutæ in sua prima innocentia, & integritate, ad quam tendit eius restauratio per Christum: ac proinde fuit præcepti omnia in illo statu fuisse communia.

Non licuit agere cõtra dictamẽ rectum in statu innocentia.

Habere vsum communẽ spectat ad perfectionem status.

11 *Secunda probatio.* Secundò, vsus rerum fuit communis pro illo statu, vt in confesso est, neque subest aliquod fundamentum interpretandi non fuisse in præcepto, aut habuisse tum homines perseuerante statu innocentiæ potestatem diuidendi res, aut appropriandi; sed oppositum huius interpretandi: ergo, &c. Minor probatur variis rationibus; primò, quia quod spectat ad perfectionem status, & substantiam, est in præcepto: talis autem vsus communis spectabat ad perfectionem substantialem status innocentiæ: ergo, &c. Minor patet, quia dominium, & diuisio rerum inductum est propter cupiditatem, & peccatum: sed quod ex peccato originem habet, repugnabat statui innocentiæ: ergo, &c. Secundò, quia dominium inducit curam, & sollicitudinem, & amorem proprium rei possessæ, & diuisionem societatis perfectæ, & voluntatum, quatenus excluditur omnis superfluitas: diuisio autem rerum, & proprietas esset omnino superflua in eo statu, in quo non potuit esse vsus dominij: hic autem vsus dominij nequit consistere cum vsu libero, & communi rerum pro illo statu, in quo quisque posset vti re obuia independenter à voluntate alterius: quod nequit fieri sine iniustitia, si res est propria alterius.

Talis vsus sine proprietate spectabat ad perfectionẽ status innocentia.

Diuisio rerũ processit in remediũ cupiditatis.

Dominiũ particulare cum communi vsu libero nõ consistit.

12 *Responsio.* Dices, dominium in eo casu ita esse dispositum, vt res sua fieret alterius quoad vsum, quando ea indigeret.

Impugnatur. Contrà, etiam de facto, dominus, qui ordinatè, & secundùm legem diuinam, & naturalem possidet, debet esse ita dispositus, vt per superflua succurrat indigenti; vt patet ex præcepto eleemosynæ, & charitatis proximi; & expressè docet Ambrosius *comm. in Luca* 12. & habetur *dist.* 47. *cap.* 8. *Sicut ij*, &c. *Sed ais*, inquit, *quid iniustum est, si cùm aliena non inuadam, propria diligentiùs seruo? O impudens dictum! propria dicis? qua? Ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? quando in hanc ingressus es lucem? Quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibus subsidijs stipulatus ingressus es?* &c. *Proprium nemo dicat, quod est commune, quod plusquam sufficeret sumptum, etiam violenter obtentum est.* Et infrà: *Neque enim minùs est criminis habenti tollere, quàm cum possis, & abundes, indigentibus denegare; esurientium panis est, quem tu detines*, &c.

Vsus rei non debet subtrahi indigenti.

Ambrosius.

Quartò, ille status fuit libertatis, & non seruitutis: quia seruitus est inducta per peccatum; dominatus autem nequit consistere sine seruitute, neque administrari: ergo non expediebat illi statui. 13 *Quarta ratio. Seruitus inducta per peccatum.*

Dices, dominationem quoad possessiones tantùm inducere seruitutem. *Responsio.*

Contrà seruitutis genus est non posse vti re aliena, nisi secundùm voluntatem, & dispositionem domini; & infert subiectionem talis dependentia. Deinde, neque societas perfecta illius status potuit sic conseruari, quia vel quilibet haberet proprias res, & non dependeret à voluntate alterius, neque cum aliis in rerum vsu communicaret, neque agnosceret alium superiorem, aut legem inter homines respectiuè ad possessa, quæ singuli per se curarent: & hoc tolleret communionem politicam in vsu rerum, vel certè ita possideret, vt per alios curaret, & dependeret à voluntate superiori, aut communitatis, aut Principis; quæ posset disponere de re possessa independenter à voluntate eius: vtrumque horum infert subiectionem illi statui incongruum, qui fuit perfectæ libertatis: quia quisque ita est constitutus in iustitia originali, vt eam sibi solus amitteret, aut amittere posset, aut conseruare; quæ iustitia non compatiebatur cum vlla indigentia, aut vera subiectione, nisi tantum potestatis paternæ, quantum ad teneræ ætatis saltem curationem. Vnde in prima creatione hominis datur ipsi potestas, & præsidentia in pisces maris, in bestias terræ, &c. & non in alios homines; & propter peccatum prima seruitus inducta est, vt patet *Genesis* 3. vbi Deus dixit mulieri: sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui, &c.

Impugnatur.

Societas innocentia non admittebat proprium.

Status innocentia erat perfecta libertatis.

Prima seruitus ex peccato fuit.

Quintò, vsus rerum magis accommodatus charitati, & paci fuit de substantia illius status, hic autem est vsus communis, vt excludit proprietatem singularem, & dominium: ergo. Minor probatur, quia ille vsus sufficiebat in tanta affluentia, vbi nulla erat indigentia; neque necessitas appropriationis, quæ ad subuentionem indigentiæ inducta videtur; & possessio inducit occasionem separationis, & discordiæ, & amorem rerum possessarum; ex quibus tum homines possint inordinatè agere: quia non erant in statu confirmationis in gratia, sed possibilitatis ad lapsum. Vnde, sicut primus parens lapsus est ex amore vxoris, vt dicit Augustinus *lib.* 11. *de Gen. ad literam, cap.* 5. & appetentia quædam inordinata fuit pomi vetiti, vt ibidem dicit, in muliere, antequam transgressa est præceptum, comedendo pomum: ita etiam ex possessione rerum potuit oriri amor inordinatus, & appetentia rei alterius: ergo non fuit expediens talis vsus rerum in illo statu ad finem eius conseruandum: talis autem vsus rerum, qui est concessus à Deo, erat

14 *Quinta ratio. Vsus rerũ accommodatus charitati, & paci.*

Proprietas rerũ causa discordia.

Ex ea amor inordinatus nascitur.

Vsus à Deo praescriptus est in primo statu.

erat in praecepto: quia non licuit vlli aliter res vsurpare, quàm vt concessae fuerunt liberè, & sine praeiudicio alterius.

15 Ex quibus patet ibi probabilius esse fuisse praeceptum de vsu communi, seclusa proprietate, & diuisione particulari, quae sunt impedimenta perfectae societatis, quae fit in communione rerum: vnde commune axioma est, quòd *amicorum omnia sunt communia*; & hanc communitatem induxit Christus reformans naturam in suo Collegio Apostolorum, quam secuti sunt deinceps fideles Hierosolymis, & professores status regularis: & ad hanc communionem rerum inclinat natura absolutè, vt abstrahit à statu cupiditatis, & peccati; in quo etiam hoc praeceptum ex parte manet, respectiuè ad casum necessitatis obligans, quia alioquin neque societas fundata in charitate inter membra seruari posset; neque Deus, aut natura approbauit diuisionem rerum cum laesione huius charitatis, & societatis, quia vnus alteri sic indigenti non subueniret; quia lex inducta diuisionis rerum, aut consuetudo humana ex fine pacis conseruandae, & charitatis, quo excluduntur lites, & discrimina, non praeiudicant fini, ad quem inducta est talis diuisio; neque vsum rerum ex prima concessione Dei communem omnibus abolere potuit respectu indigentis hoc modo, vt dicit Ambrosius, & alij Patres; neque appropriata res ita transit in ius possessoris, vt indigenti eam subtrahere possit, aut ea vti ei non liceret inscio, aut etiam inuito domino, qui eam iniquè subtrahit, aut non est consensurus petenti, & in extrema necessitate constituto. Vnde indigens eam accipiens secundùm mensuram extremae necessitatis, non est fur, aut vsurpator rei alienae ex eo praecisè, quòd ex voluntate domini possessoris ea non vtitur, quando est repugnans, si caetera absint, quae debent excludi, vt violentia in personam, & huiusmodi.

Vsus sine proprietate particulari praescriptus à Christo.

Proprietas rerum praiudicat indigenti.

Ratio.

Indigens inuito domino vti potest re eius, si est extreme indigens.

16 Dato ergo praecepto de communi rerum vsu in statu innocentiae, dicit Doctor fuisse reuocatum illud in statu naturae lapsae. Vocat autem illud praeceptum Iuris naturalis, quia consonum fuit naturae, tam in statu innocentiae, quàm etiam absolutae, vt secundùm eam supposita ineunt societatem, & vnionem tanquam membra eiusdem corporis politici, inter se communicantia: non quòd illud sit praeceptum necessarium ex terminis, aut principium immediatum, sed merè contingens ex diuina voluntate, qualia sunt praecepta quaedam secundae tabulae per ipsum *in* 3. *dist*. 37. quae sunt dispensabilia, quia non continet in se bonitatem finis, aut medij simpliciter necessarij, sine quo nequit haberi finis: tamen sunt remedia magis congrua, & sic non sunt de lege naturae strictè sumptae, quae respicit finem, aut medium necessarium ad finem, hoc est, principia per se nota ex terminis, quae ex fine ipso sumuntur, aut conclusiones ex his necessariò deductas: tamen suppositis principiis primis, quae sunt ex bonitate finis, & conclusionibus, quae respiciunt media necessaria ad finem, illa quae his sunt consona dicuntur de lege naturae latè sumptae, vt est diuisio bonorum, supposità infirmitate, & cupiditate, tanquam medium ad pacificam societatem in communitate: quamuis hic finis haberi possit etiam sine tali diuisione in natura lapsa, vt patet. Vnde haec diuisio, vt postea videbimus, inducta est lege positiua, aut Iure Gentium: quod aliquando etiam lex naturae dicitur, non verò ex determinatione Iuris naturalis, aut diuini. Sic eodem modo in statu innocentiae potest saluari pax simpliciter inter homines sine tali communi vsu rerum inter ipsos, & cum diuisione, & proprietate: tamen magis consonus fuit naturae in tali statu vsus communis, quem diximus fuisse in praecepto, quod dicitur naturale modo dicto, licèt reuocatum esse dicat Doctor in hac secunda conclusione.

Fuisse reuocatum praeceptum de communi vsu.

Quae ratione dicitur naturale praeceptum.

Praeceptum naturale latè sumptum.

Vnde facilis est responsio ad fundamenta oppositae sententiae, quae procedunt ex eo, quòd hoc praeceptum, de quo Doctor, putant esse iuris naturalis strictè sumpti, quod non est verum, quia dominium, quod recipit homo in alias res terrenas, non fuit ex natura sua, aut fundatum in lege naturali strictè sumpta, sed in voluntate Dei, qui eum praeposuit caeteris rebus, quae ad vsum eius creatae sunt à Deo; quamuis ad alium finem sine tali potestate hominis creari possint bestiae terrae, volatilia, & pisces. Sic etiam modus vtendi tali potestate fuit à Deo limitatus: vt patet *Genes*. 1. vbi legumina, & fructus tantùm dedit eis in victum, & 3. *cap*. vbi etiam praeceptum est, ne vterentur fructu ligni scientiae boni, & mali, & *Genes*. 9. tandem dedit eis in esum, vsum omnium animalium, volucrum, & pisciũ, praecipiens ne carnem cum sanguine manducarét. Vnde constat non licuisse eis vti rebus creatis, aliter quàm ex voluntate expressa, & reuelata Dei eis liceret, & secundùm modum determinatum concessionis. Vnde Augustinus de Genesi ad literam, docens mulierem in diuersitate sexus factam esse in adiutorium prolis procreandae: subiungit *cap*. 4. quaerens cur non fuerint congressi in paradiso ante peccatum. Respondet primò, quia transgressi sunt mox creata muliere, antequam coirent. Respondet secundò. *Potest etiam dici, quia nondum iusserat vt coirent. Cur enim non ad rem diuina expectaretur authoritas, vbi nulla concupiscentia tanquam stimulis inobedientis carnis vrgebat*, &c. 17

Soluuntur fundamenta opposita.

Dominium in res ex voluntate Dei.

Modus vtendi dominio fuit à Deo limitatus.

August.

Quòd si quispiam secundum moneat contra dictum Augustini, vrgendo praeceptum iam datum: *Crescite, & multiplicamini*, &c. in quo concessio ex vi mandati vniuersalis exprimitur. Respondetur praeceptum illud secundùm prouidentiam diuinam interpretari debuisse quoad statum naturae stabilem, & permanentem, qui dependebat ex pacto constituto; à quo statu dependebat modus propagationis prolis, & status eius futurus in iustitia originis, aut peccato. Vnde sicut in statu innocentiae nihil esset superfluum, aut infructuosum, si copula antecederet peccatum, sequeretur conceptio prolis, quae non esset caro peccati, quae tantùm ex libidine, quae secuta est peccatum, nascitur: ex alia autem parte qua status prolis secuturae dependebat à statu parentum & obseruantia mandati: quod etiam ad posteros in parentibus extendebatur. Sic congruè vsus matrimonij, & adimpletio praecepti in opere supponebant, vel perseuerantiam in statu innocentiae deuicta prima tentatione; aut lapsum, ex quibus status naturae, & modus propagationis fixam haberet legem, & terminum. Vnde rectè Augustinus ad tantam rem docet expectari debuisse diuinum mandatum, maximè cùm nulla ibi fuerit 18

Vsus matrimonij dependebat à voluntate Dei in primis parentibus.

concu

concupiscentia, in cuius remedium vsus matrimonij in natura lapsa ordinatur: & sic præceptum illud hasce circumstantias respiciebat. Quamuis ergo vsus matrimonij etiam in statu innocentiæ secundùm legem naturalem foret, & præcessit *Genes.* 1. præceptum diuinum: *Crescite, & multiplicamini*; tamen secundùm Augustinum expectanda erat Dei iussio, & authoritas: vnde constat præcepta illa fuisse diuinæ voluntatis explicita, & declarata in eo statu, siue quoad vsum matrimonij pro tum non concessũ, siue quoad vsum rerum, quamuis dicantur modo iam explicato fuisse præcepta naturalia, quæ præcepta secundùm alium statum naturæ reuocata sunt, vt iam declaratum est, quoad vsum rerum: nam concessio Dei quoad vsum sustentationis limitata ad fructus, & herbas continebat illam negatiuam inhibitionem vescendi aut carnibus, aut piscibus, quorum nullus alius vsus ad fructum in eo statu esset homini simpliciter necessarius, & vsus matrimonij, qui fuit in singulis etiam necessarius ad multiplicationem hominum, & præcepti, deinceps multiplicato genere humano est reuocatum tale præceptum, quoad singulas personas in particulari, & prælata est virginitas, vt patet ex Augustino eodem lib. 9. cap. 7. *Non itaque video ad quod aliud adiutorium mulier facta sit viro, si generandi causa subtrahitur, quæ nihilominus quare subtrahatur ignoro. Vnde enim magnum, magnique honoris meritum apud Deum fidelis, & pia virginitas habet, nisi quia isto iam tempore continendi ab amplexu, cùm ex omnibus gentibus ad implendum Sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido non sibi vindicat, quod iam sufficiendæ prolis necessitudo non postulat*, &c. Eodem modo vsus rerum communis, qui in præcepto fuit in statu innocentiæ, & libertati talis status in societate perfecta hominum congruebat, superinducta iam per peccatum cupiditate, reuocatus est, ex motiuo etiam societatis conseruandæ.

Præceptum propagationis quomodo cessauit quoad particulares?

19 Ad primam ergo rationem: Respondeo negando antecedens cum sua probatione, quæ *suprà* impugnatur.

Ad primam rationem.

Ad secundam: Respondeo illud præceptum fuisse naturale, non stricti iuris, vt principium, aut conclusio naturalis necessaria, sed vt consonum, & sic etiam esse præceptum naturale secundùm inclinationem absolutam naturæ, non verò secundùm inclinationem naturæ vitiatæ, & sequentis cupiditatem extra casum necessitatis: in quo casu manet illud præceptum non reuocatum, quia finis societatis perfectæ, & charitatis nequit conseruari aliter, ad quem finem inducta est diuisio rerum, quæ non tenet quoad separationem vsus respectiuè ad indigentem, quia sic nullam habet proportionem ad finem, & fit perniciosum medium retentio vsus rei respectiuè ad indigentem, cùm sit vsurpatio, & non proprij iuris exercitium.

Ad secundam.

Vsus rerum communis, & præceptum de hoc naturale lato modo.

Manet respectu indigentis extremè.

Ad probationem primæ partis illius dilemmatis: Respondetur Ius naturale strictè sumptum esse immobile, & sic se extendit ad principia necessaria, & conclusiones necessariò elicitas, quorum illa, nempe principia respiciunt finem præcisè: conclusiones verò media necessaria ad finem, sine quibus nequit haberi. Ius verò naturale, quod respicit medium contingens, licèt consonum, non est immutabile.

Ius naturæ strictè sumptum est immobile.

Respondetur secundò Canonem citatum non esse Isidori, sed Gratiani; malè ergo citatur à Soto. Deinde Gratianus loquitur ibi de lege, seu præceptis Decalogi, quæ non fuerunt mutata in lege noua ad distinctionem Cæremonialium, quæ fuerunt mutata in superficie: vt ipse dicit, non verò in moralitate. Vnde neque ad propositum inducitur Canon. Videantur ipsa verba cum glossa. Aliud est ergo manere immobilem legem naturalem, vt continetur in Decalogo: aliud verò an in aliquo præcepto eius, possit dispensari à Deo. Ad quam hanc vltimam controuersiam respiciunt, & supponunt partem negantem præfati Doctores. Affirmatiuam tenet Doctor *in* 3. *dist.* 37. *quæst. vnica*: quæ dissertatio fortè aliàs recurret, & pro nunc ei supersedemus.

Secunda responsio.

Falsa allegatio Isidori.

Ad alteram partem disiuncti: Respondetur illud præceptum ex natura præcepti comprehendere naturã absolutè, non ratione status huius, aut illius, videlicet innocentiæ, aut peccati, & perinde obligaret in statu peccati, nisi fuisset reuocatum; & quamdiu non fuit reuocatum, obligauit: quia fortè non statim fuit reuocatum, sed quando homines multiplicari cœperunt: & ipsa diuisio actualis inducta. In statu autem innocentiæ fuit illud præceptum, quia nulla fuit necessitas, aut congruitas eius reuocandi, in statu naturæ lapsæ reuocatum fuit propter contrarium: nam licèt obseruari potuerit in aliqua familia particulari, & sic obseruari facit ad perfectiorem communionem societatis: tamen in tota congregatione hominum, quæ vt plurimùm sectatur inclinationem cupiditatis, non potuit commodè obseruari in effectu, vel non obseruaretur; ideò est reuocatum, quia non expediebat filios Dei, seu bonos, cohabitare cum filiis Cain, neque communicare in bonis, & societate, ne subuerterentur, sicut contigit eorum subuersio, vt patet ex *Genes. cap.* 6. Ex his patet ad reliquum illius argumenti. Quod denique subdit de politia Aristotelis, & Platonis, patet esse verum: præferendam nempe illam Aristotelis secundùm præsentem statum, quem agnouit tantùm, & respectiuè ad totam communitatem, non autem ad particulares familias. Præferendam verò simpliciter, spectando inclinationem naturæ, politiam Platonis, vt præfert Clemens cap. *Dilectissimis* citato, excepta turpitudine vxorum, quamuis glossa *ibid.* id intelligat tantùm, quantùm ad subsidia vitæ communia, non quantùm ad propagationem.

20

Præceptum vsus communis respicit naturam absolutè.

Fuit reuocatum in natura lapsa.

Quando contigit.

Causa reuocationis congrua.

De politia Aristotelis, & Platonis.

SCHOLIVM.

Cessante illo præcepto naturæ de communione rerum, siue fuerit permisiuum, siue positiuum, diuisionem actualem non esse factam, eodem iure naturæ; alioquin nulla communitas posset habere communionem bonorum. Resoluit ergo iure positiuo factam; & explicat benè authoritatem paternam, & politicam, & vtriusque originem.

Tertia

6 *Conclus. 3. Si vniuersaliter respectu omnium natura aliquid dictat, nūquā vniuersaliter dictat oppositum. Secus de dictamine particulari, vel respectu huius, aut illius.*

TErtia [e] conclusio, quòd reuocato isto præcepto legis naturæ, de habendo omnia communia, & per consequens, concessa licentia appropriandi, & distinguendi communia, non fiebat actualis distinctio per legem naturæ, nec per diuinam. Per diuinam non, vt probatur per illud Augustini superiùs adductum: *Quo iure*, &c. Per legem naturæ non, vt videtur probabile, quia non apparet quòd illa determinet ad opposita: ipsa autem determinauit in natura humana hoc quòd omnia essent communia. Nisi dicatur, quòd illa propositio *lib. 2. Institut. de rerum diuisione*, §. Feræ bestiæ; *Quod nullius est, occupanti conceditur*, sit de lege naturæ. Et licèt quasi statim post naturalem apprehensionem de hoc, quod est res esse diuidendas, occurrat illa tanquam probabilis, & manifesta: tamen rationabilius est dicere, quòd ipsa non sit de lege naturæ, sed positiua. Ex hoc sequitur quòd aliqua lege positiua fiebat prima distinctio dominiorum. Ergo vt videatur an illa distinctio sit iusta, oportet videre quomodo lex positiua talis sit lex iusta.

Conclus. 4. Lex positiua petit prudentiam, & auctoritatē in ferente.

Sit ergo [f] conclusio quarta: quòd lex positiua iustè requirit in legislatore prudentiam, & auctoritatem. Prudentiam, vt secundùm rectam rationem practicam, dictet quid faciendum pro communitate. Auctoritatem, quia dicitur lex à ligando: sed non quæcunque sententia prudentis ligat communitatem, nec aliquem, si nulli præsideat. Quomodo autem prudentia poterit haberi ad cogitandum leges iustas, satis patet.

7 *Conclus. 5. Duplex auctoritas, paterna, & politica. Auctoritas politica est ab hominibus, paterna per descensum naturalē habetur. Cōmunitas nulli subiecta, potest se submittere vni vel pluribus; & his pro se tantùm, vel etiā, pro successoribus.*

Quomodo autem auctoritas iusta habetur, quæ cum hoc requiritur ad legem iustam: sequitur quinta conclusio: quòd est duplex principatus, vel auctoritas, scilicet paterna, & politica: & politica duplex, scilicet in vna persona, vel in communitate. Prima, scilicet paterna, iusta est ex lege naturæ, qua omnes filij tenentur parentibus obedire. Nec ista per legem aliquam Mosaïcam, vel Euangelicam est reuocata, sed magis confirmata. Auctoritas verò politica, quæ est supra extraneos, siue in vna persona resideat, siue in communitate, potest esse iusta ex communi consensu, & electione ipsius communitatis. Et prima auctoritas respicit descensum naturalem, quanquam non cohabitantes ciuiliter. Secunda respicit cohabitantes, quantumcunque nulla consanguinitate, vel propinquitate coniunctos: vt pote si ad ciuitatem aliquam ædificandam vel habitandam occurrerent extranei aliqui videntes se non posse benè regi sine aliqua auctoritate, poterant concorditer consentire, vt vel vni personæ, vel communitati committerent illam communitatem: & vni, vel pro se tantùm, & successor eligeretur sicut ipse: vel pro se, & tota sua posteritate. Et ista auctoritas politica, vt patet, iusta est, quia iustè potest quis se submittere vni personæ, vel communitati, in his, quæ non sunt contra legem Dei; in quibus meliùs potest dirigi per illum, cui se submittit, quàm per seipsum. Ergo habemus completè quomodo poterat condi lex positiua iusta: quia ab habente prudentiam in se, vel in Consiliariis suis, & cum hoc habente auctoritatem iustam aliquo dictorū modorum in ista conclusione.

COMMENTARIVS.

21 *Tertia concl. Diuisio rerū facta lege humana.*

e TErtia conclusio, quòd reuocato præcepto legis naturæ, &c. Hæc conclusio docet ipsam diuisionem actualem non fuisse factam lege naturæ, aut diuina; sed lege humana; & patet ex locis citatis, estque communis omnium, quos citauimus, & aliorum. Videatur D. Thomas 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 2. Patet ex Isidoro: & habetur *dist.* 1. *c. Lex gentium est sedium occupatio*, &c. Hanc conclusionem probat Doctor ex ratione subiuncta, quam etiam *suprà* insinuaui in prima interpretatione conclusionis præcedentis.

22 *Quarta conclusio. Requisita ad legem iustā.*

f *Sit ergo cōclusio quarta, quòd lex positiua*, &c. Vt doceat diuisionem bonorum iustè inductam esse; docet in quo consistat lex iusta, dicens ad eam requiri prudentiam, vt regulam directiuam; authoritatem, vt vim habeat ligandi: quia lex à ligando dicitur. Diuidit autem authoritatem in paternam, & politicam *in* 5. *conclus.* Paternam extendit ad omnes descendentes naturaliter, & dicit hanc esse ex iure naturæ, quam diuina lex confirmauit tam in veteri, quàm in nouo Testamento. Politica duplex est, vt patet ex littera: & originem habet à consensu, &

Conclusio 5. Diuisio potestatis in paternam, & politicam.

Politica vnde oritur?

electione ciuium, iuxta modum, & limitationem, qua reseruant sibi authoritatem, vel eam transferunt in plures, aut vnum. Hæc autem habere potest plures sui species, vt Aristocratiæ, quod est regimen optimatum: vel Democratiæ, quod est populi, vel certè Monarchiæ, quæ est in vno, vt in principe. Varia genera, & deriuatio nominum legi possunt apud Isidorum loco citato; ex quo ea congerit Gratianus *dist. prima Decreti*, ex quibus constat vnde habeat lex quòd sit iusta. *Species eius.*

Contra hanc doctrinam Sotus *lib.* 4. *de Iustitia & Iure quæst.* 4. *art.* 1. docet potestatem ciuilem iure naturæ esse inductam, quem sequitur Molina *cap.* 2. *tract.* 2. *de Iustitia & Iure cap.* 22. Quin etiam plures moderni docent hanc potestatem dominandi fore in statu innocentiæ cum D. Thoma 1. *p. q.* 96. *art.* 4. Contrarium videtur supponere Doctor in hac conclusione: quia solùm paternam potestatem agnoscit simpliciter de iure naturæ: ciuilem verò, vel politicam habuisse orginem de iure Gentium, & ex electione, quia quilibet, inquit, potest seipsum submittere 23

Sententia asserēs potestatē ciuilem esse lege naturæ inductam.

Esse de iure gentium.

tere communitati, aut vni in his, quæ non sunt contra legem Dei, in quibus meliùs potest dirigi per illum, cui se submittit, quàm per seipsum, &c.

24 *Non esset dominatiua diuersa à paterna in statu innocētiæ.* Augustin.

Cæterùm in statu innocentiæ non fore potestatem dominatiuam distinctam à paterna, est sententia Augustini *lib.*19.*de Ciuit.cap.*14.*&* 15. nam *cap.* 14. ita habet: *Sed in domo iusti viuentis ex fide, & adhuc ab illa cœlesti ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant seruiunt eis, quibus videntur imperare: neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia.* Et subiungit cap. 15. *Hoc naturalis ordo præscribit; ita Deus hominem condidit: nam dominetur,* inquit, *piscium maris, & volatilium cœli, & omnium reptilium, quæ reptant super terram. Rationalem ad imaginem suam factum noluit, nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori,* &c. Ibidem etiam docet in Scriptura nomen *serui* primùm haberi, quando Noë filio ob peccatum maledixit; *Nomen itaque istud culpa meruit,* inquit, *non natura.* Idem patet ex Gregorio lib.21. Moralium,c.10. *Nam vt præfati sumus,* inquit, *omnes homines natura æquales genuit: sed variante meritorum ordine, alios alijs dispensatio occulta postponit; ipsa autem diuersitas, quæ accessit ex vitio, rectè est diuinis iudicijs ordinata; vt quia omnis homo iter vitæ æquè non graditur, alter ab altero regatur.* & infrà: *Et cùm Noë Dominus, filiisque eius diceret:* Crescite, & multiplicamini, & implete terram; *subdit:* & terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ: *Homo quippe animalibus irrationabilibus, non autem cæteris hominibus natura prælatus est: & idcirco ei dicitur, vt ab animalibus, non ab hominibus timeatur,* &c.

Nomen serui primò accommodatum.

Gregorius.

25 *Probatio à ratione. Non esset dominium proprietatis.*

Probari potest ratione, quia in illo statu omnes concedunt, non fore dominium proprietatis in subditos; quod ex peccato originem habuit, quia & esset contra libertatem illius status, cui non potuit præiudicari sine pœna inferiorum seruorum; quæ in illo statu esse non potuit, sicut neque tristitia; sed pax interior, & exterior. Neque ex alia parte fuit necessitas talis dominij in iis, quæ spectarent ad victum, & vestitum, quia ibi nullus esset indigens; neque ibi essent bella, defensio, aut propulsatio iniuriæ, quæ nulla esset, maximè perseuerante ipso statu: non essent commercia, aut transactiones bonorum, & huiusmodi in profectum domini; quod omnes concedunt. Sed eodem modo dicendum est de dominio iurisdictionis, & directionis, quod cederet in profectum, & commodum subiectorum, non ipsius dominantis: in eo enim statu, loquendo de potestate diuersa politica à paterna, non esset aliqua necessitas: quia parentes, aui, proaui, respectu descendentium, si quid est dirigendum, præstare possint, sicut & exempla aliorum in perfecta societate, & pacifica, vbi charitas proximi maximè adimpleretur: tunc enim esset vita prolixa sine tædio, aut infirmitate; & perfecta communicatio inter homines, & maior, quàm inter amicos, qui sine potestate dominationis communicant, quam amicitia inter æquales excludit. Præterea, si qui essent sapientiores, honestatem sapientiæ non abscondcrent; iuxta illud: *Et honestatem illius non abscondo.* Vnde dona gratis data, sicut ad perfectionem aliorum communicarentur, ita etiam fierent participes eorum alij sicut nunc, verbi gratia, prædicatores communicant sapientiam sine dominatione politica: & ex alia parte omnes essent dociles Dei, vt necessarium non fieret vti aliqua iurisdictione politica ad compulsionem recti sequendi, aut addiscendi. Nulla etiam in eo statu esset doctrina falsa, aut eius periculum; nulla seductio per mendacium inter ipsos homines; quantùm ad obseruantiam mandatorum nulla difficultas, quia vt pauca essent, & omnibus nota, & perfecta in homine inclinatio iustitiæ. Hinc etiam quantùm ad fidem reuelatam, & religionem talis iurisdictio non requiritur, quia in iis ex ipsa ratione status esset perfectissima communicatio, vt patet ex dictis. Non est ergo differendum de eo statu ex principiis, quæ desumuntur ex statu naturæ lapsæ, quæ fundantur in ignorantia, & infirmitate; ac proinde necessitas directionis, & etiam compulsionis per iurisdictionem adest.

Neque iurisdictionis, aut directionis.

Quia nulla eius esset necessitas.

Sapiētiæ communicatio sine dominatione politica.

Nulla seductio.

Fides perfecta, & religio.

Confirmatur ex iis, quæ de hoc statu disserunt Patres, specialiter Augustinus variis in locis contra Pelagianos, & post eum Theologi: quia in statu innocentiæ non fuisset ignorantia, aut ex ignorantia error; neque fuisset concupiscentia, aut ex concupiscentia rebellio, aut difficultas operandi: hæc enim, vt fides docet, sunt pœnæ peccati: ergo neque ibi esset necessitas directionis fundatæ in aliqua authoritate dominatiua, sicut nulla esset indigentia, aut passio interna, aut externa, aut repugnantia ad bonum. Vnde si quæ esset ibi directio perfecta, fundaretur in charitate, non in potestate, aut iurisdictione: charitas autem magis inclinat ex natura sua ad æqualitatem, quàm ad segregationem, aut disparitatem inter membra. Augustinus autem gratiam Christi ex iisdem principiis reducit vbique ad scientiam faciendorum ex parte intellectus, per quam excluditur ignorantia, & error (in quibus ex parte consistit vulnus naturæ) & ad amorem, seu delectationem boni vincentem concupiscentiam contrariam, & inde emanantem difficultatem sequendi rationem rectam, & bonū honestum; in quo est alterum eius vulnus. Sicut ergo perfectionem status hominis instituti in iustitia originali, & innocentia, colligere licet ex imperfectione, quam induxit peccatum: ex quo est vulnus naturæ. Videatur Augustinus *de Corrept. & Grat. cap.*10. 11. *&* 12. & *de Peccat. merit. & remiss. & de Spir. & lit.* Canones Mileuitani, & Arausicani: ex quibus copia huius argumenti fusiùs deducendi suppetit; quod insinuasse tantùm sufficit, & tractatur fusiùs in materia de Auxiliis, & Iustitia originali: de quibus ex causa oblata aliàs dictum est aliquid obiter. Excludendo itaque ignorantiam, & quæ ad eam sequuntur; exclusa rebellione, & fomite cum suis excessibus; exclusa denique omni indigentia, & miseria à statu innocentiæ, non suppetit fundamentum dominationis, quæ ex indigentia subditi oriretur, & quæ esset distincta à potestate parentum, quæ non in indigentia, sed in naturali descendentia per communicationem *esse*, & naturæ fundaretur; & in amore ad hoc consequente.

26 *Confirmatio.*

In statu innocentiæ non fuisset ignorantia, aut cōcupiscentia mala.

Necessitas gratiæ Christi, & in quo consistat?

Duplex vulnus naturæ.

Argumentū à sensu contrario.

Fundamentum dominatus politici.

Ex quibus patet ad rationes in oppositum: qua omnes reducuntur ad indigentiam subditorum: nam quod aliqui dicunt in eo statu fore, vt docerentur artes liberales, & huiusmodi, non quadrat

27 *Soluūtur rationes in oppositum*

Dispositio status innocentiæ. quadrat, quia homo ipse, vel per species infusas, vel acquisitas eas possideret, & secundùm communem habitus ob difficultatem operandi statuitur, quæ in eo statu non esset, ideóque à multis excluduntur ab Angelis, qui non patiuntur eiusmodi difficultatem: superiùs autem diximus cum Doctore, intellectum hominis perfectè in eo statu moueri potuisse immediatè ab ipsis rebus, & non solùm mediante sensu. *Authoritas Philosophi reiicitur.* Neque Philosophus eum statum agnouit; ideò nihil vrget eius authoritas, quæ in præsentis status experientia fundatur: causam autem infirmitatis nesciuit. Sic respondet Augustinus ad authoritatem Ciceronis, quam obiecit Iulianus *lib.*4. *contra eundem cap.*12.

28 *Obiectio de potestate Principum. Soluitur.* Alij obiiciunt potestatem Principum esse de iure naturæ, ac proinde fore in statu innocentiæ, quantùm ad directionem.

Respondetur, argumentum esse contra ipsos, nam potestas Principum respicit perfectam subiectionem, etiam in commodum Principis, & seruitutem. Peto ergo an hoc modo sit de iure naturæ. Si sic: ergo etiam esset in statu innocentiæ hoc modo, quod ipsi negant; potestas autem, quam directionis vocant, in profectum subditorum, supponit indigentiam, & defectum in voluntate, vel in intellectu, quod non fuisse in illo statu, iam probatum est. Et confirmari *Damascen.* potest ex Damasceno lib.2. cap.30. *Deus in Paradiso tam spirituali, quàm corporeo hominem collocarat; siquidem in corporeo, qui in terra erat, quantùm ad corpus degens, spiritualiter versabatur cum Angelis, diuinas cogitationes excolens, iisque sese alens, nudus ob simplicitatem, vitámque arte, ac fuco carentem; atque ita comparatus, vt ad solum creatorem per res ab ipso creatas assurgeret, ipsiúsque contemplatione, quàm circundissimè frueretur*, &c. Et quamuis loquatur de Adamo, idem refertur ad statum, in quo cæteri essent pares. Vnde Augustinus lib. 14. de Ciuitate cap. 10. *Quàm felices erant primi homines*, inquit; *& nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum turbabantur incommodis, tam felix vniuersa societas esset humana: si nec illi malum etiam quod in homines traiicerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret*, &c.

29 *Secùda responsio. Quo sensu sit legis naturæ potestas politica.* Respondetur secundò, iurisdictionem politicam Principum, & aliorum Magistratuum ita esse de lege naturæ, sicut diuisio rerum, spectato statu præsente naturæ post peccatum, eiúsque necessitate, tam quoad animam, quàm quoad corpus, & hoc ad finem societatis pacificæ, quæ aliter in hoc statu inter vniuersitatem conseruari non potest quoad communicationem. Neque inde sequitur hanc potestatem non habuisse originem ab electione hominum; quia plura etiam alia, quæ ex electione voluntatis ortum habent, etiam dicuntur de iure naturæ; vt votum, promissio, iuramentum, imò & matrimonium, vt fundatur in contractu. *Orta ex electione, & variyeius modi.* Potestas autem præfata politica tanta est, & talis, quanta, & qualis per electionem confertur; ideò in aliquibus est maior, in aliquibus minor: & diuiditur, vt *suprà* vidimus, secundùm varios modos electionis, & institutionis ipsius potestatis; & in Monarchis aliquando est personalis, aliquando transit ad posteros, & ad finem naturæ refertur, non absolutè, sed pro statu præsenti: nam quod ex principiis naturæ absolutè sequitur, præscindendo ab omni statu perinde refertur ad omnia supposita naturæ: verbi gratia, non mentiri, non habere Deum odio, ipsum colere, &c. *Est consona legi naturæ in statu præsenti.* potestas autem principatus sicut ad ipsum Principem non refertur, quia sibi ipsi nemo subditus est, ita etiam neque est ex principiis, aut lege naturæ absolutè, sed eis consentanea, vt natura est infirma. Vt ergo est per electionem, est iuris Gentium, vt potestas eligendi facta est homini, vt se submittat Deo, est legis diuinæ, atque etiam vt approbatur in Scriptura sacra passim, & confirmatur per legem scriptam, & sic electionem Regis Deus remisit populo, vt Saulis, quamuis ipse eum priùs elegerit: *Electio Saulis.* vt autem eadem potestas necessaria est in natura lapsa ad defensionem bonorum, & vindictam malorum, sic est legis naturæ. Quando ergo Doctor dixit hanc potestatem esse iuris gentium, & non legis diuinæ, aut naturalis, intelligit de causa proxima, & institutionis, à qua oritur principatus per electionem, & non aliter: & distinguit eam hoc modo ab iis, quæ immediatè insunt vel à natura ipsa, vel à Deo, qualis est potestas, verbi gratia, paterna, quæ est independens à voluntate filiorum, & immediatè consequens ad ipsam naturam ex voluntate Dei, vt author est eius. Sic etiam est potestas iurisdictionis spiritualis immediatè à Deo collata Pontifici: & quamuis per electionem applicatur supposito, non tamen ab eligentibus communicatur, sicut potestas iurisdictionis politicæ: quæ ampliatur, & limitatur pro voluntate primò consentientium: de qua agit Scriptura quæ solum statum præsentem & potestatem in eo exercitam respicit, quam præfati Doctores negant fore in statu innocentiæ. Argumentum ergo quod ex Scriptura petitur est nullum, ad probandam potestatem dominatiuam in statu innocentiæ. Iam etiam responsum est ad aliud quod adducunt ex societate ad quam inclinat homo: quia hæc perfectè seruaretur sine potestate prætensa.

Alij obiiciunt inter Angelos fuisse talem potestatem. Respondetur eam spectasse ad diuersas Hierarchias, quia Angeli sunt saltem in sententia ipsorum diuersæ naturæ, nec mirum si requirant etiam diuersum statum: non ita homo. 30 *Obiectio. Respondetur.*

Qui voluerit Doctorem aliter interpretari, & excludere controuersiam, potest dicere eum loqui hîc de potestate politica, vt est in vsu præsentis status, quæ secundùm omnes non fuit in statu innocentiæ, & sic interpretari possunt Patres: sed prior sententia videtur magis conformis & Doctori, & Patribus: & cauendum est, ne principia Philosophi, quæ sunt secundùm conditionem præsentem, applicentur ad statum innocentiæ in iis, quæ habuit oppositæ conditionis: nam ille conficiendus est, non ex politia Aristotelis, sed ex iis, quæ Patres dicunt esse præcisè inducta per peccatum, vt contrarium eorum statuatur in statu innocentiæ. *Interpretatio Doctoris & reconciliatio sententiarū.* *Cauenda principia Philosophi.*

SCHO

SCHOLIVM.

Primam rerum diuisionem factam fuisse per legem latam, auctoritate paterna, vel politica vnius, vel plurium: & fortè Noë diuisit possessiones filijs post diluuium, vel ipsi communi consensu id fecerunt, sicut Abraham, & Loth, Genes. 13. Non negat factam diuisionem ante diluuium; imò id constat ex Genes. 4. Abel obtulit de primogenitis gregis sui, *& verisimile est Adamum primò inter filios diuisisse possessiones.*

EX his est sexta conclusio [g], quòd prima distinctio dominiorum potuit esse iusta à lege positiua iusta, siue lata à patre, siue Principe, siue communitate iustè regnante, vel regente; & hoc modo probabile est factum fuisse. Nam vel post diluuium Noë filiis suis distinxit terras, quas singuli occuparent pro se, vel filiis suis, & posteris: vel ipsi de communi concordia inter se diuiserunt, sicut legitur *Genes.* 13. de Abraham, & Loth: quia Abraham dedit electionem ipsi Loth, quam partem vellet eligere, & ipse reliquam acciperet. Vel lex aliqua promulgata est à patre, vel ab aliquo electo ab eis in Principem: vel à communitate, cui ipsamet communitas commisit istam auctoritatem: quæ, inquam, lex fuit, vel potuit esse, quòd res tunc non occupata esset primò occupantis: & tunc postea diuiserunt se super faciem orbis terrarum, & vnus occupauit vnam plagam, & alius aliam. 8 *Conclus. 6.*

COMMENTARIVS.

31 *Sexta conclusio. Quando primùm facta rerum diuisio. Facta inter filios Seth, & Cain.*

g EX *his est sexta conclusio*, &c. Patet hæc conclusio ex dictis; dubium autem relinquit, quando hæc diuisio rerum inducta sit. Fuisse probabilius est ante diluuium; & insinuant aliqui id, quod asserit Scholiastes, colligi *ex Genes. 4.* Probabilius fortè primùm inductam fuisse per ipsum Adamum inter filios Seth, & Cain, inter quos aliqui secundùm antiquam traditionem dicunt interdictam fuisse communionem, & societatem propter periculum subuersionis, ab ipso Adamo: & videtur hoc insinuatum Genes. 6. *Videntes filij Dei filias hominum*, &c. quod commentum reprobatur. Hanc diuisionem factam fuisse à Cain, & filiis eius propter maledictionem, docent Iosephus *lib. 1. Antiquitatum*, & Theodoretus *quæst. 47. in Genes.* Tunc ergo secuta est diuisio rerum; mox autem vt procreati sunt gigantes inter filios Seth, & filias Cain, cœperunt multiplicari mala super terram, & iniquitas, & tyrannis, & rapina, & cædes. Extincta autem illa generatione in diluuio, rediit possessio communis ad Noë, & filios eius, quam mox ipse Noë diuisit inter filios.

Iosephus. Theodoret. *Altera diuisio per Noë facta.*

SCHOLIVM.

Rerum dominia per iustam legem rectè transferri, sicut per eandem primò distincta sunt. Ex quo infert præscriptione quoad immobilia, & vsucapione quoad mobilia, iustè res transferri. Probat primò, quia id expedit paci Reipub. Secundò, quia lex potest punire negligentes, vel transgredientes pœna corporali: ergo & priuatione rerum. Tertiò, potest particularis homo transferre res suas: ergo & communitas per legem.

DE secundo articulo dico [h] quòd translatio rerum potest esse, vel quantùm ad dominium, vt si res à dominio vnius transeat ad dominium alterius: vel quantùm ad vsum, siue ius vtendi, manente tamen dominio apud eundem: & iustitia, vel iniustitia in translatione vsus, difformes habet regulas iustæ translationi dominij. Hæc ergo translatio dominij potest fieri, vel auctoritate publica, vel Principis, vel auctoritate legis, vel auctoritate priuata ipsius domini immediatè possidentis. 9

De prima translatione [i] sit hæc conclusio prima in isto articulo. Translatio dominij auctoritate legis iustæ iusta est. Probatur, quia si lex iusta potuit iustè determinare prima dominia, & non minor est auctoritas legis, vel Principis, quod habeo hîc pro eodem post diuisionem dominiorum, quàm antè: ergo propter eandem causam, & eundem finem, potest iustè transferri dominium, postquam fuerat alicui appropriatum. *Conclus. 1. Lege iusta transferri dominium.*

Ex hoc dico [k] quòd præscriptio in immobilibus, & vsucapio in mobilibus, est iusta translatio. Probatur primò auctoritate *Extrà de Præscriptionibus, Vigilanti. gloss. super illud: Aliena.* Probatur etiam per rationem dupliciter; primò sic, iustè potest illud statui à legislatore, quod est necessarium ad pacificam conuersationem subditorum: sed dominium rei neglectæ, sicut negligitur in præscriptione, & vsucapione, *Præscriptione, & vsucapione dominia acquiri.*

Præscriptio inuenta est, ad lites finiendas.

ne, transferri in occupantem est necessarium ad pacificam conuersationem ciuium: quia si non transferretur dominium in illum occupantem, sed remaneret apud primum post quantumcumque tempus, essent lites immortales: nam post quantumcumque tempus, ille qui neglexit, vel hæres eius, repeteret illam rem neglectam ab alio, vel aliis quantocúmque tempore occupatam: & essent tales lites, quòd impossibile esset eas decidere, quia nec probationem sufficientem habere, & ex talibus litibus perpetuis essent contentiones, & forsitan odia inter litigantes, & sic tota pax Reipublicæ perturbata.

10 Secunda ratio est, quia legislator potest iustè per legem punire transgredientem, cuius transgressio vergit in detrimentum Reipublicæ, etiam pœna corporali: ergo multò magis pecuniaria, & hoc applicando eam fisco: ergo pari ratione potest eum punire pœna tali, applicando illud, in quo punitur alicui, qui in hoc est minister legis; sed negligens rem suam tanto tempore, transgreditur, ita quòd eius transgressio est in detrimentum Reipublicæ, quia impedimentum pacis: ergo iustè potest lex, sicut rem illam neglectam applicare fisco, ita ad maiorem pacem transferre illam in illum, qui tanto tempore occupauit tanquam in ministrum legis.

Res quæ præscribitur, habetur pro derelicta.

Quilibet consentit in legẽ iustam suæ communitatis.

Et ex hoc patet, quomodo debet intelligi illa præsumptio Iuris, & de Iure; contra quam non admittitur probatio, quòd scilicet sic negligens rem suam habuit eam pro derelicta. Etsi enim hoc non sit verum in re, tamen legislator punit istum, ac si habuisset eam pro derelicta: quia in aliquo assimilatur habenti pro derelicta, & illud in quo assimilatur derelinquenti iustè requirit similem pœnam. Istud etiam apparet probabile per hoc, quòd si quilibet posset suum dominium transferre in alium, tota communitas posset cuiuslibet de communitate transferre dominium in quemlibet (quia in facto communitatis suppono includi consensum cuiuslibet:) ergo illa communitas habens istum consensum, quasi iam oblatum, in hoc quòd quilibet consensit in leges iustas condendas à communitate, vel Principe, potest per legem iustam cuiuslibet dominium transferre in quemlibet.

COMMENTARIVS.

32 *Articulus secundus. De translatione dominij.*

h DE *secundo articulo dico*, &c. In hoc articulo docet, supposita diuisione rerum per legem iustam, quomodo per eandem transferri possit dominium ab vno in alium per legem communem iustam, & latam à Principe, aut ab eo, qui habet authoritatem in communitatem. Hæc translatio fieri potest, vel quoad dominium, vel quoad vsum manente proprietate dominij apud alium. Hæc duo sicut diuersa sunt iure, ita diuersas habent regulas, & fieri possunt authoritate publica, vel priuata. De translatione, quæ fit authoritate publica primùm agit; deinde de translatione per priuatam authoritatem.

Ordo, & diuisio.

33 *Prima cõclusio. Trãslatio authoritate legũ iusta est.*

i *De prima translatione sit hac conclusio*, &c. Est communis, & per se nota, quia lex iusta potuit primò inferre diuisionem, & proprietatem rerum: ergo etiam transferre; nam per easdem causas, per quas primò inductum est dominium, potest etiam reuocari.

34 *Corollariũ de præscriptione, & vsucapione.*

k *Ex hoc dico, quòd præscriptio in immobilibus, & vsucapio in mobilibus est iusta translatio*, &c. hoc corollarium sequitur ex dictis: quod benè probat triplici ratione in litera.

Eorũ distinctio. Præscriptio ex vsucapione oritur.

Aduertendum hæc duo rectè coniungi *præscriptionem*, & *vsucapionem*; quia secundùm aliquos idem sunt in re, & *præscriptio* ex *vsucapione* nascitur. Distinguit ea Doctor in eo quòd *præscriptio* sit immobilium, *vsucapio* mobilium, quæ distinctio sumitur à Iuris interpretibus; éstque materialis, non formalis; ideò communiter pro eodem sumuntur: quamuis, vt dixi, *præscriptio* ex *vsucapione* oriatur, vt habetur *l. Emptor. 7. C. de Præscriptione longi temporis.* De hac materia videantur tituli integri in Iure tam ciuili, quàm Canonico. Præterea Doctores Canonici in *Reg. Possessor, de Reg. Iuris in 6.* vbi fusè Couarruuias, & *16. quæst. 3.* Scholastici *in hac distinct.* Alij *in tractatibus proprijs de Iustitia & Iure.* Noster Castro *lib. 2. de lege pœnali.* Summistæ verb. *Præscriptio.*

Præscriptio ergo hîc sumitur à Doctore pro vt est *elisio iuris alieni per possessionem legitimam, iuxta conditiones Iure definitas*: & sic formaliter non distinguitur ab *vsucapione*. 35 *Præscriptionis cum vsucapione conuenientia.*

Propriè tamen, & secundùm primam vocis impositionem, *præscriptio* significat *exceptionem factam contra actorem, qui rem ipsam repetit tanquam suam ex antiqua possessione, vel tanquam non alterius.* Duplex autem est hæc exceptio, quia alia dilatoria, alia peremptoria litis. Dilatoria est, quando opponitur iudicem non esse competentem, aut actorem esse excommunicatum, vel eiusmodi alia, quæ litem differunt, donec cum suo iudice tractetur; & actionem submouent tanquam non legitimam, aut seruato Iuris ordine, & norma præscriptam. *Discrimen. Est exceptio. Exceptio duplex Dilatoria.*

Peremptoria est, quæ ex toto litem interimit: vt quia ostendit se possidere rem quoad omnia requisita ad eius dominium acquirendum, secundùm leges, & tractum temporis requisitum; ita vt propriam eam fecerit. Distinguitur hæc exceptio, seu præscriptio à defensione: quòd *Peremptoria. Distinctio præscriptionis, & defensionis.*

quod constet, vel admittatur fundamentum legis, verbi gratia, actor dicit rem fuisse suam, possessor autem id negat: tunc non excipit, sed defendit. Si tamen admittat fuisse aliquando actoris, sed se fuisse in possessione bona fide, tempore ad acquirendum eius dominium lege præscripto, tunc excipit.

36 *Probatio conclusionis. Duas opiniones exprimit glossa. Prima opinio. Secunda opinio. Non teneri in conscietia ad restitutionem rei præscriptæ. Probatur secunda opinio. Translatio Iure facta tenet in conscietia.*

His positis probat Doctor conclusionem, primò *ex c. Vigilanti*, &c. *de præscriptionibus*, &c. cum glossa, quæ duas opiniones citat, vnam, quæ dicit in conscientia teneri rem alienam restituere, quando iam scit esse alienam, licèt præcesserit & possessio, & bona fides, & tempus requisitum ad præscriptionem. Alia dicit non teneri, quia iam his suppositis fecit rem esse suam, & ampliùs non est aliena. Hanc sententiam sequitur Doctor: cuius rationes à glossa expressas adducit, vt quod secundùm Iura præscripserit, vt patet *ex c. Placuit, cap. De quarta decima, cap. Quoniam*, &c. quia quod necessarium est ad pacificam societatem, Iure præscribi potest, & conditor Canonis potest transferre in alium rem alienam, *cap. De triennali præscript.* Ergo talem præscriptionem potuit inducere, iustè autem possidetur id, quod iure possidetur 14. *quæst. cap. Quid dicam*, &c. & *ff. de acquir. possess. l. iustè*. Præterea, vt dicit ibi Doctor, & habet glossa, éstque communis, præscriptio inducta est contra negligentes, & desides, qui curant sua negligenter: rectè ergo in hoc castigari possunt.

Præscriptio in pœnam est.

37 *Molina non rectè interpretatur Doctorem. Præscriptio etiam ex fine pacificæ societatis inducta est.*

Ex hac vltima ratione, quam adducit Doctor, cum interpretatur Molina fuisse in ea opinione, quæ negat præscriptionem in foro conscientiæ valere, nisi quando interuenit negligentia eius, contra quem præscribitur. Errat tamen, quia non solùm propter negligentiam domini prioris, sed etiam ad pacificam societatem hæc lex inducta est secundùm Doctorem, vt finis statuatur litibus, quæ alioquin non possent sedari, sed fierent immortales: vt benè Doctor notauit in prima ratione, in qua hunc finem exprimit, quo iustè hæc lex inducitur. In secunda ratione adducit alterum finem, quo etiam negligens puniatur, *& quamuis in re ipsa non sit negligens*, inquit, *tamen ex præsumptione Iuris, & de Iure, quæ non admittit probationem contrariam* (vt patet *ex glossa c. Is qui, de sponsal.* vbi Panormitanus:) *Legislator eum habet vt negligentem: vnde eum punit, ac si res illa esset derelicta, quia in aliquo est similis negligenti, & illud in quo est similis negligenti, rectè requirit similem pœnam.* Ex qua ratione Doctoris apertissimè sequitur eum non inclinare in sententiam contrariam, vt malè interpretatur Molina, qui ita intelligit hanc causam præscriptionis (quam Panormitanus, & glossa in præfatum Capitulum *Vigilanti* adducunt, & communis) vt putet negligentiam culpabilem tantùm dare causam præscriptioni: sed meliùs Doctor comprehendit etiam negligentiam præsumptam Iuris, & de Iure, quæ non admittit probationem contrariam, loquendo ordinariè, cùm ipsa sit instar Iuris: quidquid sit in casu, vt si causa est euidens, aut restituatur res in integrum, aut ex benignitate iudicis.

Præscriptio Iuris, & de Iure, non admittit probationem contrariam.

Reiicitur sententia Molinæ.

38 *Ignorãtia inculpata Iuris clari non præscribit.*

Ex hac etiam ratione, ignorantia inculpata Iuris clari non inducit præscriptionem, neque fundat bonam fidem, quia qui contra

Iura facit, semper præsumitur mala fide agere: præsumptione, inquam, quæ est Iuris, & de Iure, quæ est communis Doctorum sententia, quando Ius non est dubium, aut obscurum, nisi sit persona in qua error Iuris toleratur, vt in milite, muliere, minore, rustico, &c. Optimam rationem subiungit Doctor, quare etiam præscribatur, in casu quo quis, licèt in re non sit negligens, præsumitur tamen talis: quia lex illa sic transferens est iusta, ex eo, quòd sit communis, & habeat annexum consensum, communitatis proximè, vel remotè: sicut ergo priuatus ex propria voluntate potest transferre dominium eius rei in alium, à fortiori communitas, vel legislator ratione iurisdictionis habens in se consensum subditorum, rectè transfert idem dominium.

Ratio. *Limitatio.* *Lex communis includit cõsensum communitatis.*

39 *Requisita ad præscriptionẽ, & vsucapionem. Possessio.*

Ad præscriptionem, seu *vsucapionem* communiter requiruntur quatuor; scilicet possessio, titulus præsumptus probabiliter, bona fides in possessore, & spatium temporis lege præscripti. Primum patet ex *Reg. Iuris in 6. Sine possessione*, & *Reg. Possessor* &c. Patet *ex titulo de Præscriptionibus per totum. Possessio* dicitur *à pedum positione. L. 1. ff. de acquirenda, vel amittenda possess.* &c. Sic enim possessio immobilium, vt fundi, solebat acquiri. Sumitur etiam pro iure possidendi, vnde à Doctoribus diuiditur in possessionem Iuris, & facti. *Possessio facti est ipsa rei detentio adminiculo corporis, & animi, & iuris*, &c. Sumitur *res* in genere, etiam vt extenditur ad incorporeas, vt est beneficium, census, quæ à Theologis possessio dicitur, à Iuristis quasi possideri, &c. Nomine *detentionis*, &c. Intelligitur apprehensio rei prima, &c. Per *adminiculo corporis*, &c. intelligitur apprehensio rei per manus, pedes, oculos, vel in se, vel in contento. Per *adminiculum animi* intelligitur animus possidendi, sine quo non potest iniri ipsa rei possessio. Per *Iuris adminiculum*, &c. intelligitur quòd ipsa apprehensio facti non sit Iure prohibita, ideò fur, aut raptor non possidet propriè Iure, aut facto rem alienam: quia non possidet rem suam, aut bona fide. Possessio Iuris secundùm Bartol. in prædicta L. prima citata, *Est ius insistendi alicui rei tanquam suæ, non prohibita possideri*, &c. Oritur ex possessione facti, si iusta fuerit: aliquando autem iusta esse potest in foro externo, quia non prohibita, & defendi potest ab extraneo inuasore, imò etiam ab ipso domino aliquando, donec interueniat authoritas publica; si tamen iniusta in conscientia non potest Iure possideri in foro poli; neque dat ipsa possessio facti vllum ius. Dicitur insistentia rei: quia non dat facultatem disponendi, quæ competit vero, & indubitato dominio, sed etiam iustè detinendi, & defendendi Iuris remediis, & quandoque armis. Dicitur *tanquam suæ*, &c. vt excludatur insistentia nomine alterius quod competit tutori; filio nomine patris, seruo nomine domini, &c. *Non prohibita possideri*, quia Iure reclamante nemo iustè possidet: vt nec laicus res sacras, quia talis possessio Iure ipso reprobatur: ideò nullum ius tribuit.

Vnde dicitur. *Possessio duplex.* *Possessio facti describitur.* *Declaratur.* *Possessio Iuris describitur.* *Oritur ex possessione facti.* *Declaratur descriptio.* *Possessio contra legem non tribuit ius.*

40 *Possessio ciuilis, & naturalis. Ciuilis.*

Hæc possessio vt continuatur, diuiditur in ciuilem & naturalem. Ciuilis, quæ solo animo continuat possessionem, vt inter absentes; & parit effectus Iuris ciuilis, per quod insistit rei; vt

vt præscriptionem, vsum fructuum. Naturalis est, qua quis corpore, & animo continuat per se possessionem. Alio modo dicitur ciuiliter possidere, qui habet dominium rei directum: naturaliter verò possidere, qui habet vsumfructum. Videatur Couarruuias *in Reg. Possessor.* Syluester vers. *Dominium quæst. secunda.* Non sufficit naturalis possessio ad vsucapionem, vt præscriptionem. Sufficit ciuilis tantùm; de qua magis Doctores in præsenti materia: vtraque simul est commodissima præscriptioni.

Naturalis possessio.

Quænam ad præscriptionē valeat.

Hæc autem regula generalis est circa hanc conditionem: *vt quando quis est incapax ipso iure ad possessionem ciuilem rei, nunquam præscribit*, quia ciuiliter nunquam eam possedit; neque etiam potuit possidere, cùm lex eidem repugnet. Ex qua regula neque laicus res sacras, neque decimarum ius acquirere potest proprium, neque incapax dominij, & proprietatis, vt religiosus, potest vllam rem præscribere, sicut nequidem priuilegium contra obedientiam debitam superiori, neque aliquod aliud contra sua vota solemnia, & approbata ab Ecclesia. *Extra cap. Cùm non liceat*, &c.

Prima regula.
Incapax possessionis ciuilis nunquam præscribit.
Laicus nequit res sacras, neque religiosus contra vota præscribere.

41 Secunda regula est. *Tunc induci possessionem ciuilem rei vsucaptæ, quando desinit prior dominus eam ciuiliter possidere.* Hinc sequitur, quòd quamdiu tenetur res nomine alterius non induci possessionem ciuilem, vt patet in conductore, fructuario, emphyteuta, commodatario, feudatario, colono, &c. Hi enim nomine alterius possident: *& quæ precariò possidentur, in ius proprium præscriptione temporis non reuocentur*, &c. *Dummodò patet Ecclesia rem fuisse*, &c. *16. quæst. 3. c. Clerici*: & *ex cap. sequenti. Si Episcopus*, &c. *cum duobus sequentibus.* Videatur glossa *in c. Clerici*, &c. Vbi determinat, quæ res præscribi possint, & quæ possessio requiratur, citans Iura ciuilia, & canonica.

Secunda regula.
Nomine alterius possidens non præscribit.

Glossa.

42 Secundò, requiritur titulus probabiliter præsumptus, ordinariè loquendo, nisi diuturnitate temporis obliuio tituli succedat, cùm nesciat an emptione, an dono, an testamento, vel alia via iusta iniuit possessionem rei, possessio tamen currente tempore præscriptionis præsumit pro præscribente, nisi fiat contra Iura; præscriptio quomodo dicitur malæ fidei, quia lex dicit præsumi ignorantiam, nisi probetur scientia. *ff. de probat. l. Verius.* Sic etiam si dubium est, an possessio ipsa cum ignorantia Iuris, aut facti fuerit: præsumitur quòd facti in fauorem possidentis, non requiritur titulus, verus, & validus, quia ille solus sufficeret sine præscriptione; sed sufficit titulus probabilis, quamuis reuera inualidus sit. Dixi suprà: *Nisi fiat contra Iura*, &c. Quia, vt dicit glossa *in c. Si diligenti*, &c. Si Iure communi nequeat res possideri ab eo, qui obiicit præscriptionem, quantumcunque habeat bonam fidem, compellitur ostendere titulum. Aliqui excipiunt tempus immemorabile, quod præscribit sine titulo.

Titulus ad præscriptionē requiritur.
In casu ignorantiæ præsumitur pro possidente.
Sufficit probabilis titulus.
Exceptio.

Tertiò, requiritur bona fides. Patet ex cap. *Si diligenti*, &c. *cap. finali de præscriptionibus*: quod est Concilij Lateranen. *Regula, possessor malæ fidei*, &c. *de Regulis Iuris in 6.* & hoc generaliter exigunt Canones *tota titulo de præscript.* & *16. quæst. 3. & 4.* & 34. cap. *Si virgo*, &c. Bona fides intelligitur *assensus prudens credulitatis, qua credit rem esse suam, vel nesciat esse alterius.* 43

Bona fides requiritur ad præscriptionē.
Definitur.

Quartò, requiritur tempus lege præscriptum: in aliquibus tamen casibus tempus non computatur, quòd aliàs sufficeret ad præscriptionem, quando impedimentum vel ætatis, vel status, vel captiuitatis, vel bellorum, vel aliud iustum impedimentum subest, quod actionem impedit, vt patet *ex glossa in cap. Prima actione 16. quæst. 3.*

Tempus præscriptum.
Obstante impedimento tēpus non computatur.

Hoc tempus variè definitur à legibus iuxta naturam rerum; vt in mobilibus trium annorum. In aliis decem, inter præsentes, inter absentes 20. 30. & 40. In rebus sanctæ Romanæ Ecclesiæ 100. anni requiruntur. De his videantur Doctores, & speciatim Couarr. loco citato. Tempus immemorabile in iis, quæ præscribi possunt, sufficit sine titulo, vt patet *cap. 1. de præscriptionibus in 6.* tam diuturna enim possessio habet vim tituli: nam facit iusti tituli præsumptionem, excludit præsumptionem malæ fidei. Videatur *cap. Cùm personæ s. primo de Priuilegiis.*

Tempus idoneū præscriptioni.
Tempus immemorabile inducit titulum.

Aduertendum prætereà, præscriptionem dici aliquando non procedere, aliquando dormire, aliquando etiam interrumpi, quæ diuersa sunt. Dicitur non procedere, quando nequit incipere ex defectu alicuius requisiti, vel quia lex in fauorem domini, & actoris prohibet, stante impedimento, præscriptionem, vt contra Ecclesiam, quando vacat Pastore, vel si eum habet, est inutilis, vt excommunicatus, suspensus, vel iniustè alienans, vel negligens, & sic plures alij casus excipiuntur à Iure, vt belli, inhabilitatis ad agendum, vt si est filius familias sub potestate patris. 44

Præscriptionē non procedere quid sit, & quādo contingit?

Secundò dicitur dormire, quando iam inchoata pro aliquo tempore cessat, quo mox exacto, incipit currere, & tempori priori continuatur sequens. Patet in casibus superuenientibus, belli, pestis, &c.

Præscriptio dormit.

Interrumpitur, quando ita cessat, vt prius tempus reuiuiscenti denuò non currat, neque continuetur cum sequenti, sed de nouo incipiat, & hoc contingit vel naturaliter, vt si aliquid substantiale requisitum deficiat; vel ciuiliter per litis contestationem, citationem, proclamationem synodalem, & huiusmodi. Vide Syluestr. *in summa*, Verb. *Præscriptio 1. quæst. 10. 11. & 12.* Remedium generale contra præscriptionem est restitutio in integrum, quod aliquando conceditur à iudice minoribus ætate, & Ecclesiis, quæ eorum priuilegio gaudent. Debet peti intra quadriennium completa præscriptione. Hæc breuiter iuxta institutum nostrum dicta sufficiant, magis pro declaratione terminorum, quàm ad resolutionem particularium quæstionum, & casuum, quæ legi possunt apud authores passim in hac materia. 45

Interrūpitur, & quando.
Remedium generale contra præscriptionem.

SCHO

SCHOLIVM.

Quemlibet non iustè prohibitum, posse rem suam in alium transferre; quia sicut voluntate fit quis dominus, eadem desinit esse, & alius ei succedit, modò nulla lex, vel superior impediat: easdem conditiones requiri ad commodandum, id est, liberam dationem ad vsum, receptionem, & carentiam prohibitionis.

SEcundò. Potest fieri [l] translatio per actum personæ priuatæ immediatè habentis dominium rei Hoc autem potest esse, vel per actum merè liberalem, vel per actum secundùm *quid* liberalem. Primus est, quando transferens nullam expectat redditionem. Secundus est, quando pro eo, quod transfert, expectat aliquid sibi reddi. II *Translatio dominij à particulari persona dupliciter fit.*

De primo, sit hæc conclusio, quæ est secunda huius articuli. Dominus alicuius rei non prohibitus à lege, seu superiore, à cuius voluntate dependeat in dando, vel transferendo, vel donando, potest donare rem suam alij volenti recipere. Hoc probatur, quia ex quo per actum voluntatis suæ fuit dominus, pro voluntate potest cessare esse dominus: & alius vult recipere: ergo potest incipere esse dominus: & non prohibet aliqua causa superior istum desinere, & illum incipere esse dominum: ergo per donationem istam fit verè & iustè translatio dominij. *Conclusio secunda.*

Ex hoc [m] patet quid requiritur ad iustam donationem, quia liberalis translatio ex parte donantis, & voluntas recipiendi ex parte illius, cui fit donatio: & libertas ex parte amborum, huius donandi, & illius recipiendi, hoc est, quòd nulla lege superiori prohibeatur iste, vel ille; nec per actum alterius à quo dependeant in ista translatione. Et propter defectum secundi non potest donare pecuniam fratri Minori: quia ille non vult esse dominus. Propter defectum tertij non potest Monachus dare sine licētia Abbatis, nec filius familias sine voluntate parentis; nec etiam [c] clericus in aliquo casu, sine voluntate, vel saltem contra voluntatem Papæ, vt habetur *Extra de Censi. c. Romana.* Ad cuius capituli obseruationem pœnam posuit Gregor. X. cuius capitulum est hodie *in 6. lib. Decret. c. Exigit.* Quòd scilicet visitantes à visitatis nulla recipiant munuscula: & si receperint, teneantur duplum restituere, vel non absoluantur à maledictione, quam ipso facto incurrunt, vt dicit Innocentius IV. *in nouis constitutionibus.* *Ad donationem requiritur liberalis datio, & receptio, & non impeditio superioris.* *Possunt tamen accipere procurationem; i. victum. c. Cùm sit, de Simon.*

Huic autem correspondet in translatione vsus liberalis accommodatio, & habet similes leges ad hoc quòd sit iusta, quia requirit in accomodante liberam voluntatem, & in recipiente, quòd velit recipere rem accommodatam ad vsum, & quòd non sit aliqua voluntas legis, vel Principis obsistens illi accommodationi. *Quid requiritur ad accommodandum?*

COMMENTARIVS.

46 *Translatio authoritate priuata facta. Donatio. Tres conditiones requirit.*

l SEcundò potest fieri translatio, &c. In hoc paragrapho statuit conclusionem secundam huius articuli, quæ est de translatione, authoritate priuata facta per donationem, quæ est translatio liberalis. Ad eam requirit tres conditiones. Prima, vt sit liberalis donatio ex parte dantis. Secunda, vt sit acceptatio ex parte recipientis. Tertia, vt vterque sit liber, id est, capax lege nulla prohibente: & res ipsa possit transferri, quod supponitur; neque dependeant ab actu alterius, vt fiat illa translatio. Hæc doctrina est communis & peruia. Variæ sunt species donationis, & talis est, qualis est voluntas donantis, eiúsque motiuum, vt dicit glossa *ff. de don. l. 1.*

Diuisio eius. Donatio inter viuos. Alia donatio inter viuos; alia causa mortis. Illa, quæ est inter viuos fit secundùm Azor. quando rem, quam dono, malo habere eum, cui dono, quàm me ipsum. Inter mortuos intelligitur, quando quis magis velit se habere rem donatam, quàm eum, cui donat; sed illum magis vult habere, quàm hæredem. *Donatio inter mortuos.*

Species donationis inter viuos. Donatio inter viuos, quædam fit ob causam interpositam, & dicitur donatio sub modo: causa verò interposita intelligitur subsequens, & non antecedens, quia sic esset remuneratio, non donatio. Alia dicitur donatio simplex & mera, quæ non respicit causam, & hæc vel est absoluta, vt quando res ipsa transfertur; aliquando conditionata, vt quando suspenditur translatio rei, donec impleatur conditio. *Donatio sub modo. Simplex & mera. Diuiditur in absolutam, & conditionatam.*

47 *Prima conditio, vt sit liberalis translatio. Excludit debitum. Differt à promissione.*

m *Ex hoc patet quid requiratur,* &c. Hîc statuit quid requiratur ad donationem. Dicitur primò, quòd debeat esse *liberalis translatio ex parte donantis,* &c. vt excludatur debitum: quia si est solutio debiti, vel interueniat permutatio, non est liberalis: excluditur debitum iustitiæ, non verò gratitudinis secundùm aliquos. Quòd sit *translatio,* excludit promissionem, quæ est de futura donatione, & secluso Iure positiuo, non inducit ipsam translationem ex natura sua, sicut donatio; tamen quando donatio est tantùm verbalis sine traditione rei, ius positiuum non impedit translationem rei, vt quando donetur per traditionem alteri, aut vendatur: tunc enim acquiritur actio tantùm in donatorem personalis, non autem in rem ipsam, & sic parùm differt à promissione, nisi tantùm ex motiuo.

Secunda conditio est Acceptatio. Donatio fit respectiuè ad alterum.

Secunda conditio est, *voluntas recipiendi ex parte eius, cui fit donatio.* Hinc si quis donauit internè aliquid alteri, non obligatur, vt communiter Doctores: quia donatio requirit mutuum consensum, vt effectum inducat; consensus autem internus non est natus sic nudè sumptus inducere consensum alterius, aut cum eo concurrere: quia sic nequit esse notus nisi soli Deo. Vnde votum internè factum obligat: *Interna non sufficit.* quia Deus est inspector cordium:non ita homo; vnde neque iurisdictio per solum actum internum confertur; neque lex, aut præceptum internum, & mentale obligat, neque vllus consensus internus respectiuè ad alterum natus est inducere obligationem, nisi vt externè aliquo modo significatus.

48 *Dubium quo iure sit nulla?* Dubitant autem Doctores, an nullitas donationis internæ factæ homini proueniat Iure positiuo tantùm, an verò naturali. Primum docet Molina *disp.* 266. quem sequitur Ledesma *Sententia Molinæ, & aliorum.* *in* 2. *p.*4.*q.*18.*art.*1.*dub.*13. quia promissio interna, seu donatio addit supra propositum,aliquid; ac proinde magis obligat: tum quia actu merè interno potest quis abdicare dominium rei;tum quia vis obligandi donationis est per actum internum.

Responsio. Esse nullam iure naturæ. Respondeo etiam iure naturæ non inducere obligationem respectiuè ad hominem, cui fit donatio; vt tenet D. Thomas *q.*68. *art.*1. dicens promissionem vnius hominis alteri non posse fieri,nisi per signa externa; non sic verò de promissione facta Deo. Quod perinde de donatione verum est:& hoc magis conforme est Doctori *suprà in hac quæst.* quatenus dicit appropriationem rerum non tenere iure naturæ absolutè, sed ex iure Gentium: ergo etiam translatio rerum secundùm obligationem non acquiritur alteri iure naturæ, nisi vt respicit voluntatem alterius in eo statu, quo ipsi possit applicari: hoc autem contingit per signa practica, quibus notificatur actus internus, vt natus est fundare obligationem respectiuè ad alterum. *Requiritur vt sit respectiuè ad alterum per signa externa.* Præterea, vt dicit hîc, requiritur voluntas alterius acceptans donationem: sed donatio interna, quà sic manet, non est applicabilis acceptationi, neque dicit ad eam ordinem causæ proximæ concurrentis ad effectum obligationis, ergo,&c.Ex quo patet ad tertiam rationem in oppositum. *Vt sit acceptationi applicata.*

49 *Responsio. Ad fundamenta opposita. Ad primam rationem.* Ad primam, respondetur actum illum internum, vt aliqui dicunt superaddere inchoationem promissionis, aut donationis proposito. Vel dici potest non differre à proposito in vltima, & perfecta determinatione voluntatis ad effectum, quantùm est ex parte elicientis;& negatur consequentia.

Ad secundam. Ad secundam, rectè quidem aliquem sine præiudicio alterius per actum internum desinere posse esse dominum alicuius rei: sed non transferre dominium in alterum, nisi exteriùs exprimatur.

50 *Non inducit obligationem ante acceptationem.* Ex eadem conditione sequitur nullam obligationem naturalem, aut ciuilem inducere donationem ante acceptationem donatarij: quæ est sententia communis Doctorum, vt testatur Gomez *tom.*2.*cap.*4. colligitur *ex L. Absenti*, 1. *ff. de donat.* & *l. Nec ambigi.*6. *C. eodem*; & patet ex ratione dicta, nempe quia requiritur consensus duarum voluntatum, neque res transit in dominium alterius, nisi volentis per se, aut alium. Excipitur donatio facta ciuitati, vel vniuersitati, ob honorem receptum, aut recipiendum, aut ob expensas publicas. *Exceptio.* Eadem exceptio extenditur ad causas pias, quæ eodem priuilegio gaudent, vt patet *l. Illud* 19. & *l. Vt inter* 23. *C. de Sacrosanctis Ecclesiis.* Vide Felin. *in cap.*1. *de Pactis n.*7. vbi citat Baldum, Bartolum, & Panormitanum. Deinde patet prædicta conditio, quia sicut ad donationem requiritur potestas, ita etiam non extenditur ad conditionem impossibilem: ergo imbibit in se,quà vult rem fieri alterius,vt alter acceptet; sine qua acceptatione nequit fieri eius. Deinde; in aliis contractibus onerosis licet iure Gentium reuocare contractum, antequàm alter consentiat, vt emptionis, matrimonij, sponsalium: ergo similiter idem licet in donatione gratuita, nisi obstet lex positiua adimens talem potestatem reuocandi prohibito, vt fit in iis, quæ iam præmisimus. Præterea, alter dans consensum potest reuocare: ergo similiter & donans, antequam accedat consensus alterius, potest pœnitere. Ex quibus patet illa conditio secunda.

Tertia conditio est, vt donans, & donatarius sint liberi; id est, nulla lege superiori prohibiti; nec dependeant à voluntate alterius. 51 *Tertia conditio. Vt partes sint liberæ ad contractum.* Hæc conditio est iure statuta; & patet in exemplis, quæ subiicit Doctor: nemo potest donare pecuniam fratri Minori: quia nequit ille habere dominium vllius rei, vt patet *cap. Exiit.* & *Clementina, Exiui de paradiso*, & pluribus aliis *Exempla.* expositionibus Sedis Apostolicæ, & Doctorum in Regulam nostram; quæ videre licet in Nitela Franciscana, in controuersia de paupertate Christi, & fratrum Minorum. Non potest Monachus donare sine licentia Abbatis: & idem de quocumque alio Religioso, sine consensu tacito, vel expresso superioris. Videatur Syluester v. *Donatio* 1.*q.*1. qui omnes hos casus exprimit, & alios adiungit de prodigo, cui datur curator, de minore, filio familias, vxore. Vndecim casus ibidem exprimit, quibus nunc non insistimus. Videantur Doctores in titulo de donatione.

n *Nec etiam clericus in aliquo casu sine voluntate*,&c. Hunc casum trahit Fauentinus in hanc quæstionem, quam doctè, & diffusè tractat, ad illam quæstionem controuersam, *An clerici sint proprietarij fructuum suorum beneficiorum*: & idem de aliis Ecclesiasticis, ita vt possint de superfluis sustentationi congruæ donare, & pro libito diponere. 52 *Expositio Fauentini.* quam controuersiam *disp.* 45. abundè transigit; sed immeritò ad eam reuocat hunc casum,quia nihil tale intendit hîc Doctor,quod omninò ad illam quæstionem spectet; vnde illa propositio eius: *nec clericus in aliquo casu*, &c. non habet vim vniuersalis, & indefinitæ: sed particularis, & determinatæ, nempe non posse clericum aliquid donare causa visitationis, præter solas expensas necessarias, quæ procurationes dicuntur in constitutionibus ab eodem citatis: *Non facit casus Doctoris ad controuersiam prætensam. Non posse donari in causa visitationis.* casus ergo vniuersales primùm proposuit Doctor, in quibus quis redditur iure incapax donationis faciendæ, hîc verò voluit etiam exprimere casum particularem, in quo idem non *Scopus Doctoris.* liceat,subiiciens ipsam prohibitionem *ex* 6.*cap. Romana*,&c.*de Censibus*,quod est Innocentij IV. in Concilio Lugdunensi;& aliud sequens,quod est Gregorij X. in quibus directè prohibetur visitatoribus recipere vltra procurationes, aliqua munera *Constitutiones Apostolicæ.*

munera

munera. Casus ergo ad has constitutiones spectat, quæ extraneæ sunt illi controuersiæ: etsi hinc aliquid de mente Doctoris in prætensa controuersia liceret interpretari: magis insinuatur ipsos posse alias donare seclusa prohibitione legis, quæ particularem casum duntaxat com-

Extenditur cõstitutio ad quæcũque bona, etiam patrimonialia.

prehendit; ac proinde esse dominos: neque prohibitio hæc particularis restringitur tantùm ad donationem ex fructu beneficiorum, sed ad donationem ex quibuscunque bonis, etiam patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, simpliciter enim prohibet donationem in eo casu, ex quibuscunque bonis fieret.

53 *Accommodatio.*

o *Huic autem correspondet in translatione, &c.* Subiungit hîc breuiter translationem liberalem quoad vsum, quæ fit per accommodationem, quæ iisdem legibus, & conditionibus regulatur, quibus donatio, seruata differentia inter vtrumque contractum.

Definitur.

Definitur, quòd sit *concessio gratuita alicuius rei solùm quoad vsum. Instit. Quibus modis fit obligatio. §. Item iis*, addit glossa in cap. vnico *de commodato* quòd sit ad certum vsum. Quod tenet etiam Hostiensis.

Explicatur.

Dicitur *concessio gratuita*, aliàs si mercedem paciscitur, dicitur locatio, non commodatum, vel contractus innominatus, quod explicatur per *do vt des*.

Distinguitur ab aliis.

Distinguitur à mutuo, quia in mutuo transfertur dominium rei in numero, sed exigitur eadem, aut æquiualens in specie. Deinde, quia commodatio est tam rei mobilis, quàm immobilis, vt si domum quis commodet, non ita mutuum. Distinguitur à precario, quòd fiat ad certum vsum, & tempus; precarium non ita, sed liberè, donec reuocetur. Item, quòd commodatum nequeat reuocari ante præscriptum tempus, commodari nequit res vsu consumptibilis, nisi ad vsum, in quo non consumitur: verbi gratia, nequit accommodari aurum, vt expendatur, aut panis vt sumatur, quia eadem numero res debet à commodatario restitui: tamen ad alios vsus, cum quibus rei substantia non destruitur, possunt commodari.

54 *Prima conditio.*

Prima conditio, quæ exigitur ad donationem hîc etiam petitur, vt nempe commodator habeat voluntatem commodandi, sine qua nequit subsistere obligatio, quæ interuenit; neque etiam vsus iustus.

Secunda conditio.

Secunda, eodem modo de commodatario dicendum quantum ad acceptationem.

Tertia conditio.

Tertia etiam conditio requiritur, quia is, qui nequit contrahere, nequit commodare. arg. *l. Iulianus ff. de actionib. empti & venditi*, ideò pupillus nequit commodare. *ibidem*, & sic de aliis personis, quibus interdicitur contrahere.

Fur nequit commodare.

Dubium est, si fur possit commodare, aut possessor malæ fidei.

Respondetur negatiuè, quia nequeunt de re aliena iure disponere.

Dices, potest eis competere actio accommodati: ergo possunt accommodare.

Respondetur negando antecedens, nisi in quantùm præsumuntur domini, aut administratores. Vnde, si occurrat verus rei dominus cum legitimis probationibus, ei debet fieri restitutio, aut certè iudici.

55 *Dubium. Regula 1.*

Petes, quale est peccatum vti re alterius sine voluntate vera, aut præsumpta eius? Respondetur esse furti. Commodatarius, quando res in commodum eius cedit, tenetur de culpa non solùm lata, & leui, sed etiam leuissima.

Dubium.

Quid si commodator commodet rem vitiosam, quam talem nouit, ex qua sequitur damnum commodatarij? Respondetur teneri ad damnum: vt communiter Doctores.

Secunda regula.

Res commodata ad certum vsum, ad alium nequit trahi sine consensu commodantis, siue voluntate præsumpta eius saltem.

Perit, & vitiatur commodanti.

Si vitietur verò, aut pereat in eo vsu, ad quem fuit concessa, vitiatur, aut perit commodanti, modò absit culpa commodatarij.

Nequit reuocari.

Nequit reuocari ante tempus præscriptum, nisi interueniat aliquod maius damnum, aut par commodantis, illi damno, quod eueniret commodatario.

Exceptio in casu damni.

In his autem dubium est si reuocari possit. Sed verior est affirmatiua: quia neque ex voluntate gratuita, neque ex lege videtur teneri commodans, ad subeundum damnum, quod extraneum est primæ concessioni, neque damno suo maiori, aut æquali impedire damnum minus, aut æquale alterius: quia neque fieret prima commodatio, si præuidisset damnum sequens; & hæc conditio videtur implicari in ipsa concessione prima, vt scilicet repetere posset in casu damni proprij: quam præuidere debet commodatarius, vt sibi prospiciat. Videatur glossa in caput vnicum *de Commodato*. Syluester verb. *Commodatum*, & alij Summistæ.

56 *Precarium.*

Huc reuocari potest alia translatio liberalis quoad vsum, quæ dicitur precaria, aut precarium; quod precibus datur ad vsum petenti: conceditur quamdiu is, qui concessit, patitur *ff. de Preca. L. 1.*

Est ad quinquennium.

Dicitur contractus ad quinquennium; *cap. 1. de Precario.* Dicitur etiam precaria ad preces facta donatio vsus vsque ad mortem accipientis. *12. qu. 2. cap. sæpe, 16. quæst. 3. cap. Clerici.*

Quando renouatur.

debet renouari expirato quinquennio. *cap. 1. de Precariis.* Quòd si taciturnitate prætereantur, intelligitur renouatus contractus. *ff. de precar. in reb. §. vltim.*

Regula.

Irrationabiliter factum potest à successore reuocari, *cap. fin. de Precariis.* Tenet culpa lata in precario tantùm, & dolus: leuissima in commodato. *l. Quæsitum. §. Et illud ff. de Precario, & l. contractus. ff. de reg. Iuris.*

Quomodo reuocatur.

Reuocatur precarium, seu soluitur voluntate concedentis. *l. 1. ff. eodem.* Quod tenet Panormit. *in cap. final. eodem*; etiamsi fuisset ad certum tempus concessum. Secundò, morte eius, cui est concessum, *cap. finali. eodem*, quia concessio personalis extinguitur cum persona, vt *in regula Priuilegium, &c. de reg. Iuris in 6.* Tertiò, si res precaria alienatur, modò is, cui alienatur, eam velit possidere independenter à voluntate concedentis domini. *cap. finali. eod.* Quartò, finito tempore, ad quod fuerat concessum, non tamen morte concedentis, nisi ita primùm fuerit expressum in contractu: quia moriens præsumitur manere in voluntate, quam non mutauit. *cap. Maiores, de Baptismo.* Vide glossam *in cap. finali, de precario*: & Panormitanum.

SCHO

SCHOLIVM.

Diuidit contractum dominij translatiuum in tres species, permutationem, mutationem, & emptionem; quorum duobus, quoad vsum, correspondent, permutata accommodatio, & conductio. Ait etiam ad permutationem requiri tres conditiones dictas donationis. Item absentiam fraudis, quoad substantiam, quantitatem, & qualitatem rei permutandæ, & æqualitatem commutandorum secundùm rectam rationem. Ait etiam pretium præscribi lege, vel consuetudine.

12 Alia translatio, [p] vel accommodatio non est merè liberalis,, sed vbi transferens expectat aliquid æquiualens ei, quod transfert, dicitur propriè contractus: quia ibi simul trahuntur voluntates partium: trahitur enim iste ad transferendum in illum, à commodo, quod expectat transferendum in se. Huiusmodi contractus, in quibus dominia transferuntur, quidam sunt rei vtilis pro re vtili immediatè, sicut vini pro blado, & huiusmodi, & dicitur rerum permutatio *do vt des*, vel *do si des.* Quidam rei vtilis pro numismate, vel è conuerso: quia enim difficile erat res vsuales immediatè commutare, ideò inuentum est medium, per quod talis commutatio faciliter fieret, quod vocatur numisma: & dicitur commutatio numismatis pro re vsuali emptio: è conuerso verò venditio. Quidam tertiò, numismatis pro numismate, & dicitur mutui datio, & mutui acceptio.

Quid sit permutatio, & quid emptio.

Sunt ergo tres contractus, in quibus transfertur dominium: quibus correspondent alij contractus, in quibus transfertur vsus, vel ius vtendi, retento dominio. Nam rerum permutationi correspondet mutua, vel permutata accommodatio: emptioni correspondet conductio: & venditioni locatio. Mutationi non correspondet aliquid propriè in translatione vsus rei.

Tres cõtractus trãslatiui dominij, permutatio, mutuatio, emptio.

13 De prima [q] translatione, scilicet rerum permutatione, si hæc conclusio, quæ est tertia huius articuli. Quòd domini rerum iustè eas permutant, si sine fraude seruent æqualitatem valoris in commutatis secundùm rectam rationem. Intelligendo hîc conditiones priùs expositas ad donationem iustam requisitas. Explicantur etiam aliæ, quæ sunt propriæ ad iustam permutationem. Quod primò additur *sine fraude*, excludit fraudem in substantia, quantitate, & qualitate. *In substantia*, vt non commutetur aurichalcum pro auro, nec aqua pro vino. *In quantitate*, vt siue quantitas mensuretur per pondus, siue per aliam mensuram, scilicet virgam, vel huiusmodi, quantùm ad longitudinem, vel mensuram aliam corporalem, vt scilicet modium, sextarium, vel huiusmodi; siue in liquidis, siue in aridis, iustum pondus, & vniuersaliter iusta mensura seruetur. Consimiliter de qualitate, quòd non commutetur vinum corruptum, quod accipit ab alio commutante tanquam vinum purum.

Conditiones dicta ad donationẽ requisita, requirũtur ad permutationem, cum absẽtia fraudis in substãtia, quãtitate, qualitate rei permutandæ.

14 Et hæc omnia probantur, *Extra de Iniuriis, & damno dato c. Si culpam. Qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse.* Sed defraudans illum in substantia, qui putat permutando accipere aliam substantiam: vel in quantitate, qui putat accipere aliud quantum, dat occasionem damni, quia ille non permutaret, nisi crederet aliam substantiam, vel quantitatem, & qualitatem recipere: ergo videtur non tantùm fallacia de libro Elenchorum, sed præsumptione Iuris, & secundùm veritatem damnum dedisse. Sequitur in illa regula, quòd æqualitas valoris est seruanda. Hoc probatur per Augustinum 13. Trin. cap. 3. *Vili velle emere, & carè velle vendere, reuera vitium est.* Et hoc intelligendo de re vili, & cara, quantùm ad vsum, quia frequenter res, quæ in se est nobilior in *esse* naturali, minùs est vtilis vsui hominum: & per hoc minùs preciosa, sicut secundùm Augustinum de Ciuit. libr. 2. cap. 16. *Melior est in domo panis, quàm mus*: cùm tamen omne viuum nobilius sit simpliciter non viuo in *esse* naturæ. Et propter hoc additur, *secundùm rectam rationem*, attendentem scilicet naturam rei in comparatione ad vsum humanum, propter quem fit commutatio ista.

Res melior in esse natura, sæpe est vilioris pretij.

15 Ista autem [y] æqualitas secundùm rectam rationem non consistit in indiuisibili, sicut dicit quidam Doctor, motus ex hoc, quia iustitia habet tantùm medium rei, sed cæteræ virtutes medium rationis. Hoc enim falsum est, vt declaratur *lib. 3. dist. 34. quæst. 1.* imò in isto medio, quod iustitia commutatiua respicit, est magna latitudo, & intra illam latitudinem non attingendo indiuisibilem punctum æquiualentiæ rei, & rei: quia quoad hoc, quasi impossibile, esset commutantem attingere: & in quocunque gradu circa extrema fiat, iustè fit.

Ric. lib. 3. d. 33 a. 3. q. 4. Her. quodl. 6.

Dari latitudinẽ pretij in medium, infimum, & summum.

Quæ

Quæ autem sit ista latitudo, & ad quantum se extendat, quandoque ex lege positiua, quandoque ex consuetudine innotescit: lex enim rescindit contractum, vbi contrahens decipitur vltra medietatem iusti pretij: tamen infra illud, si ex alio apparet iniustitia, debet restitutio fieri correspondens. Quandoque autem relinquitur ipsis commutantibus, vt pensata mutua necessitate reputant sibi mutuo dare æquiualens hinc, inde, & accipere: durum est enim inter homines esse contractus, in quibus contrahentes non intendant aliquid de illa indiuisibili iustitia remittere sibi mutuò, vt pro tanto omnem contractum concomitetur aliqua donatio. Et si iste est modus commutantium, quasi fundatus super illud legis naturæ: *Hoc facias alij, quod tibi vis fieri*, satis probabile est, quòd quando sunt mutuò contenti, mutuò volunt sibi remittere, si secundùm aliquid deficiunt ab illa iustitia requisita.

Iustum pretiū, aut lege, aut consuetudine determinatur. Omnē contractum comitatur aliqua donatio, saltem seclusa fraude, si nō excedatur latitudo pretij iusti.

COMMENTARIVS.

57 *De contractu.* ALia translatio, vel accommodatio non est merè liberalis, &c. Hic Doctor aggreditur explicare translationem, quæ non est liberalis, sed quando transferens exspectat æquiualens, & cum obligatione: & dicitur propriè contractus, (*Vnde dicitur.*) quia ibi simul trahuntur voluntates partium, inquit: quia scilicet à commodo reciprocè trahuntur ad se inuicem, vt se alter alteri obligat, & iura commutant. Ideóque *l. 19. Labeo. ff. de verborum significatione* definitur: (*Definitur.*) *vltrò, citróque obligatio*: vbi autem non est talis mutua obligatio, non est propriè contractus, vt donatio, promissio, commodatio, precarium, quæ tamen lato modo dicuntur contractus, (*Latè sūptus.*) vt patet *l. Contractus. C. de fide instrumentorum. l. Aristo. ff. de donat. caus. mort.* & sic sumitur pro duarum voluntatum in idem conuenientium ex mutuo consensu, licet obligatio non sit reciproca.

58 *Diuisio eius. Prima diuisio in explicitum & implicitū.* In genere diuiditur contractus multipliciter à Doctoribus; vt videre licet apud Syluestrum verb. *Contractus*, & verb. *Pactum* 1. Diuiditur in explicitum, & implicitum. Explicitus dicitur, quando conueniunt cum expressione mutuæ obligationis, aut alterius. Et hoc propriè dicitur contractus latè sumptus. Virtualis, quando conueniunt sine expressione obligationis, ita secundùm Theologos. (*Implicitus.*) Iuristæ verò vocant, *quasi contractum*. Et hic contractus, aut quasi contractus contingit, quando officium aliquod sumitur, cui secundùm se, & consuetudinem, annexa est obligatio: verbi gratia, tutela, curator, mandatum, & huiusmodi: de quibus habetur *in Institut. de obligat. per totum*, & *in tit. Cod.* dicitur tacitus contractus: quia sicut omnes consentiunt in legem, & consuetudinem, ita etiam in effectum eius, quoniam, vt *supra* dictum est cum Doctore, lex habet consensum communitatis annexum, vel in se, vel in sua causa.

59 *Secunda diuisio. Contractus nominatus.* Secundò diuiditur contractus in nominatum, & innominatum. Ille est, qui habet nomen proprium, quod aliis non competit, vt *emptio, venditio, mutuum, depositum, societas, locatio, commodatum, pignus, & hypotheca, depositum*, &c. (*Innominatus.*) Innominatus est, qui habet nomen genericum tantùm, quod conuenit speciebus; & talis explicatur per hoc; *vt do, vt des*. de quo Doctor in littera: quod sub se comprehendit etiam alia, quæ addunt Iuristæ, vt *do vt facias. Facio vt facias; facio vt des*. (*Sequitur naturam nominati.*) Sequuntur hi contractus naturam contractuum nominatorum, quibus assimulantur. *l. Naturalis. §. Sed si facio. ff. de præscriptis verbis*.

60 *Contractus absolutè sūptus comprehendit vtrūque.* Aduertendum, quòd nomine contractus absolutè veniant tam nominati, quàm innominati: glossa super verb. *In suo nomine, l. Iuris. ff. de Pactis*, & omne pactum, ex quo nascitur obligatio, *l. Si ab eo. ff. de leg. 2.* Si tamen in statuto fiat mentio contractus, intelligitur de propriè dicto tantùm, nisi amplietur per aliquid adiunctum, vt supponat generaliter: vt si dicatur omnis contractus, vel simile: (*Exceptio.*) quia verba statutorum strictè sunt sumenda in propria significatione. *l. 1. ff. de exerc. act.* nam contractus, vt in lege vocatus, debet sumi pro illo, quod habet firmamentum ex lege ciuili, & in foro externo. Contractus autem innominatus, licèt pariat obligationem naturalem, non tamen ciuilem, hoc est quæ tribuat actionem in foro externo, nisi ex altera parte sit impletus, vel nisi vestiatur forma stipulationis, iuramento, aut alia ratione: de qua dicemus in sequenti.

61 *Tertia diuisio in nudum, & vestitum. Nudus.* Tertiò, diuiditur in nudum, & vestitum. Nudus dicitur, qui hæret in ipsa naturali conuentione, sine alia solemnitate, aut firmamento per legem requisito, quo tribuat actionem in foro externo, & secundùm iura; & talis est omnis contractus innominatus, antequam ex altera saltem parte sit impletus, & sic contractus, qui re perficitur ante rei traditionem, vt *mutuum, donatio, commodatio*, &c. de quibus superiùs, nisi accedat stipulatio, aut iuramentum. Excipe causam priuilegij, vt *suprà* dictum est de donatione in causa pia, vel publica.

Vestitus. Sex modis fit. Vestitus est ille contractus, cui adest solemnitas, aut firmamentum Iure requisitum, vt det actionem in foro externo, quod sex modis contingit. (*Primus modus.*) Primò, reipsa, vt si ex altera, vel vtraque parte sit impletus. (*Secundus modus. Stipulatio.*) Secundò, verbis, vt si accedat stipulatio. Hæc fit per certam formam verborum, quæ constat interrogatione præuia, & subsequente responsione. Vt *spondes dare tantum? spondeo. Dabis centum pro equo meo? dabo. Facies? faciam. Fide iubes? fide iubeo*: & similia; de quibus plura Gomez *tom. 2. cap. 9.* Debet actus interrogantis, aut stipulantis, & compromittentis esse continuus, & non interruptus. *l. Continuus. ff. de Verbor. obligat.* (*Tertius modus. Acceptilatio.*) Tertiò, per litteras, vt si fatearis tibi esse satisfactum; siue id verum sit, siue non: & hæc vocatur acceptilatio. (*Quartus modus.*) Quartò, specifico nomine contractus, & sic omnes contractus nominati sunt vestiti, si in suo genere sint completi, vt *emptio, venditio, locatio*. (*Quintus modus. Adhærentia.*) Quintò, per cohærentiam ad pactum vestitum: vt si vendam domum 100. cum pacto, vt ipse eam inhabitem per mensem, & tibi pro inhabitatione

tatione dem hanc vestem. Pactum de inhabitatione est nudum: sed vt inhæret alteri de venditione, subit naturam eius, sicut accessorium sequitur naturam principalis. Sextò, quando contractus firmatur iuramento.

Sextus modus per iuramentum.

62 *Pactum nudum obligat Iure Gentium.*

Pactum nudum, seu contractus obligat Iure Gentium, & in conscientia, atque etiam Iure canonico, nisi aliàs Iure sit irritus. Patet *cap. 1. de pactis. & cap. Iuramenti 22. q. 5.* Panormitan. in caput *Prudentiam*, &c. *de donat.* & in cap. *Si cautio*, &c. *de fide instrumentorum*, &c. quod limitatur ab eo, si interueniat causa vera, aut præsumpta, vt si quis promittat 100. præsumitur liberalitas, vt causa; aut si promittat in causa pia, præsumitur pietas, & fauor eius. Hoc intelligitur, quando personæ contrahentes sunt habiles, vt *suprà* dictum est: & consequenter quando contractus ipso Iure non sit nullus, vt impuberis, alienatio fundi dotalis, &c. In foro ciuili dictum est pactum nudum non dare actionem, nisi habeat priuilegium illiùs fori; vt promissio acceptata. Vide glossam in §. *De constituto, Institut. de actionibus.* Quosdam præterea effectus patiunt *l. Iuris Gentium. 7. de pactis.*

63 *Quarta diuisio. Bonæ fidei. Stricti Iuris.*

Quarta diuisio est in contractum bonæ fidei, & in contractum stricti Iuris. Dicitur bonæ fidei non ea ratione, qua excluditur dolus, & error, sed quia eueniunt vsuræ ex mora, & iudex ex æquo, & bono æstimat resarciendum damnum, aut recompensandum. Contractus stricti Iuris strictè interpretantur, & in iis proceditur secundùm medium legis, vt propriè sonat. *l. Quidquid adstringendæ. ff. de verbor. obligat.* vnde verba dubia in fauorem legis interpretanda sunt contra proferentem. *l. Veteribus ff. de pactis*; debuit enim apertiùs legem dicere.

64 *Quinta diuisio. Lucratiuus. Onerosus.*

Quinta diuisio est contractus in lucratiuum, & onerosum. Lucratiuus est, quando aliquid transfertur sine onere, & cedit in lucrum recipientis: vt donatio liberalis, & huiusmodi. Onerosus, quando datur cum onere retributionis, aut exspectatione æquiualentis. Plures aliæ diuisiones assignantur, sed hæc quam tradit Doctor magis est ex vsu Theologorum, nempe contractus proprij & improprij. Diuisio verò proprij secundùm naturam rerum fit in quibus contingit translatio rerum, rectè eum diuidit in tria genera. Primum est contractus permutationis rei vtilis pro alia vtili, vt *do vt des, vel do si des*, & sub hac comprehenditur contractus innominatus quem sub illis quatuor modis intelligunt Iuristæ, *do vt des: do vt facias; facio vt des: facio vt facias*, est enim translatio permutando res ipsas & iura, & voluntates seu consensum, in quibus tantùm est differentia secundùm naturam rerum, & quæ à Philosopho morali, & Theologo materialis dicitur, à Iuristis autem qua respiciunt varias leges, & solemnitates, quæ ad excludendum dolum, & errorem, & seruandam æqualitatem inductæ sunt, distringuntur in varias species.

Diuisio in proprium, & improprium.

Contractus proprius Prima eius species permutatio rei vtilis pro vtili.

Secunda species rei pro pecunia emptio, venditio.

Secundum genus est permutatio rei vtilis pro pecunia; & dicitur proprio nomine venditio, & emptio. Commutans pecuniam est emptor; rem verò commutans est venditor.

Tertia species mutatio.

Tertium genus est, quando commutatur numisma pro numismate, & dicitur mutuatio, nempe per translationem dominij.

Permutatio vsus triplex.

His correspondent tres alij contractus, in quibus transfertur vsus, & non dominium: nam rerum permutationi correspondet mutua accommodatio, emptioni conductio, venditioni locatio: mutuationi nihil propriè correspondet in translatione vsus rei. In his non est controuersia realis inter Doctores, quamuis differant in modo loquendi, & explicandi.

q *De prima translatione, scilicet rerum*, &c. Conclusio Doctoris, quæ est tertia huius articuli, est quòd *domini rerũ iustè eas permutant*, &c. Ad iustam permutationem exigit tres conditiones *suprà* allatas, & declaratas *in præced.* conclus. & §. *Præterea ad hanc permutationem*, &c. adiicit duas alias, nempe vt absit fraus, & dolus: & seruetur medium, seu æqualitas secundùm rectam rationem, aut prudentem æstimationem. In tribus consistit fraus, & error, seu deceptio; in substantia, quantitate, & qualitate. In substantia, vt si pro vino permutetur aqua. In quantitate, quando non seruatur iustum pondus, & mensura. In qualitate, vt permutetur res vitiosa, vt vinum corruptum, aut dilutum pro vino mero, & non corrupto. Hæc doctrina est communis, & recepta ab omnibus, quam optimè probat Doctor per *Extrà de iniuriis & damno dato. cap. Si culpam. Qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse*, &c. & ex Augustino: vbi rectè adiicit æqualitatem rei ad rem spectandam esse non ex natura rerum, sed prout accommodantur vsui humano; & ideò additur ab eo, quòd hæc æqualitas pensanda est secundùm rectam rationem.

65 *De permutatione rerum.*

Eius conditiones vt absit dolus.

In tribus fit deceptio. In substantia. In quantitate. In qualitate.

Quomodo spectandum medium.

66 *Error in substãtia annullat. In cæteris suppletur.*

Aduertendum errorem, & dolum in substantia secundùm omnes reddere contractum irritum. Si error sit in quantitate, & qualitate, non est irritus, sed debet suppleri, si deceptio, aut error in re sit notabilis; v. g. vltra dimidium iusti pretij. Gloss. in cap. *Cùm dilecti 3. de empt. & vendit.* Quod patet etiam ex textu: si contractui non interuenerit dolus, qui causam dedit contractui. Si autem dolus dedit causam, non est irritus lege naturæ: sed irritare potest, si est solubilis. Quantùm ad Ius positiuum distinguunt Doctores contractum bonæ fidei, & stricti Iuris. Si dolus dedit causam priori, est irritus, posteriori verò dans causam, non facit irritum, sed posse elidi exceptione doli. Couarruuias *ad reg. Possessor.* Sed quidam distinguunt de contractu stricti Iuris, intelligendo Ius ciuile primarium, quod distinguitur à prætorio; & sic intelligendo non dari actionem Iure ciuili, sed dari per Ius prætorium. Vide Couarruuiam citatum.

Quid si dolus dedit causam contractui.

Bonæ fidei irritatur. Si stricti Iuris exceptioni patet.

Dari actionem per Ius prætorium & non ciuile.

67 *Excipitur matrimonium*

Dixi *suprà* irritari posse contractum, cui dolus dedit causam, si est solubilis: aliquando enim non est solubilis, vt contractus matrimonij, qui non soluitur, si contingat dolus, qui non est in substantia. Item, si contractus iuramento firmatur, quando iuramentum est validum, vt quando contractus non est de re prohibita, quæ sit peccatum, quia tenetur non adimplere iuramentum, neque stare promisso ante executionem; si tamen exequatur promissum, probabile est teneri ad id, quod promisit, quia in hoc non est peccatum, sed in opere, vt qui promisit mulieri 100. vt sui copiam faceret, non tenetur adimplere, sed magis resilire: si tamen sequatur peccatum, tunc tenetur ad solutionem non ratione contractus, quia erat nullus, sed fidei, & iuramenti: hoc tamen iuramentum non obligat ad incognita: quia iuramentum non excedit

Et contractus iuramento firmatus.

Iuramentum non firmat incognitum.

dit intentionem, neque hæc cognitionem iurantis. Vnde si dolo extortum sit, ita vt dolus dederit causam contractui, cui opponitur, vel accedit iuramentum per modum firmamenti (quod competit tantùm iuramento promissorio de stando contractui, & non assertorio, quod respicit præsens, & non futurum) nihil confirmat, nisi bona fide cognitum, & non refertur ad illa, quæ si cognoscerentur, non fieret contractus; cùm sequatur naturam actus, cui apponitur. Vnde sicut contractus habet vim ex intentione contrahentis, quæ implicat, seu inuoluit semper illam conditionem, maximè si sit onerosus, & non merè liberalis, vt non consentiat in proprium damnum: sic non extenditur iuramentum, nec confirmat contractum, nisi quoad ea, quæ subsunt cognitioni iurantis: etiamsi error proueniat non solùm ex dolo, sed etiam ex ignorantia inuincibili, quia secundùm præsumptionem Iuris, & facti semper censetur excepta, tam dolus, aut fraus ignota, quàm damnum, & iniuria notabilis.

Sequitur naturam actus cui apponitur.
Ratio huius.
Præsumptio fundata.

68 Idem dicendum est, quando tam contractus, quàm iuramentum sint ipsa lege prohibita; & quando iuramentum fit in fauorem tertij, sicut & contractus, dum ipse non acceptauit; quia hæc conditio etiam implicatur tam in actu, quàm in iuramento: sic hoc sequitur naturam, & qualitatem actus sicut accessorium naturam principalis: neque confirmatio adiecta rei excedit naturam eius, vt patet in aliis conditionibus, quibus contractus vestitur, qui ab initio fuit nullus, quia lege prohibitus; non autem quia lege non fuit probatus, aut dabat actionem: vnde neque traditio rei, neque stipulatio, neque aliæ conditiones *supra* explicatæ vestiunt contractum ipsa lege prohibitum, hoc est irritum; nam aliud est contractum, aut pactum non esse lege approbatum, quæ concedat actionem fori; & aliud est esse contra legem irritantem. Vnde, quando iuramentum obligat; quod apponitur contractui prohibito, & irrito, si quando habet effectum obligationis, vt in casu *suprà* expresso, quidam dicunt habere illum effectum non ex vi contractus, vt apponitur vt confirmatio, sed ex natura absoluta iuramenti, vt executio eius caret peccato, iam adimpleta conditione peccaminosa; & respectu cuius subsistit iuramentum.

Cōtractus lege nullus non firmatur.
Controuersia.
Prima sententia.

69 Aliqui dicunt quòd quando lex irritat pactum, quæ nititur præsumptione, si illa non subest, obligat contractus in conscientia, & consequenter iuramentum confirmans, quia iuxta commune axioma lex innitens præsumptioni non obligat in foro conscientiæ, quando non subsistit, quod lex præsumit. Sed distinguendum est, quia si præsumptio non subsistat vt in plurimùm, id verum est, quia desinente fine intrinseco legis, & ipsa lex desinit obligare: lex enim respicit bonum, & periculum commune: quamuis enim quis non sentiat rebellionem carnis, non ideò lex ieiunandi respectu ipsius desinit obligare: quando verò desinit in singulari veritas præsumptionis, lex non deobligat, quia non respicit casus particulares, sed statum communem: quia enim aliquos contractus non contingit vtplurimùm celebrari sine detrimento, & peccato; ideò lex vt obuiet periculis talibus, inhibet simpliciter tales contractus, & annullat; ideò repugnante lege nequeunt iuramento confirmari.

Secunda sententia.
Resoluitur cū distinctione.

Aduertendum tamen est, si contractus complicet in se plura, in quibusdam autem non inualidetur, sed in aliis; iuramentum appositum confirmare contractum respectu illorum quæ possunt trahi in contractum, sicut & ipse contractus in his subsistit, licèt sit irritus quoad alia, nisi lex ipsa annullans cumulatiuè in odium fraudis, & transgressionis prohibeat totum, quod accedit, & concurrit.

Valet iuramentū quoad ea, quæ in cōtractu nō vitiantur.

r *Ista autem æqualitas secundùm rectam*, &c. Hîc definit æqualitatem rerum, quæ permutantur, attendi secundùm rectam rationem; neque consistere in indiuisibili, vt benè probat contra Richardum & Henricum, quos impugnauit *in 3. dist.* 37. concludens magnam latitudinem esse in medio iustitiæ commutatiuæ, & eam seruari in quocumque gradu intra summum, & infimum pretium, quæ hîc vocat extrema. Hoc dicit cognosci posse ex lege, aut consuetudine; lex autē quando taxat medium, quandoque illud est in indiuisibili, quandoque in quadam latitudine; & hoc vocatur à Doctoribus pretiū legitimum; frequentiùs autem consistit in indiuisibili. 70

Medium secundùm rectā rationem attenditur.

Item, ex consuetudine imponitur pretium, & cognoscitur. *l. Pretia 63. ff. ad l. Falcidiam.* Hoc vocatur vulgare; & diuiditur in illa tria *summū, infimū, & medium.* In summo, & infimo est etiam latitudo in omni gradu, quo exceditur medium maius, aut minus. Hoc etiam pretium dicitur naturale, quia secundùm dictamen naturale prudentiæ taxatur. Est doctrina communis.

Addit præterea posse commutantes, spectatâ vtriusque necessitate hîc, & nūc, taxare pretium rei, vt æquiualens commutatio æstimetur, licèt non seruetur pretium vulgare; ita vt quod deficit pretio, in donationem transeat. Hæc regula intelligitur, quando non subest ignorantia iusti pretij; neque interuenit dolus, sed bona fide fiat commutatio. Ratio limitationis est, quia aliter præsumitur inuoluntarium esse, & non liberum contractum absque commixtione fraudis, aut coactionis. Idem tenet Conradus *q. 57. & 58. de Contractibus.* Medina *q. 32.* Nauar. *cap. Nouit, de iudiciis, notab. 6,* Molina *disp. 351.* Lessius *lib. 2. cap. 21. num. 37.* 71

SCHOLIVM.

De venditione eodem modo philosophandum est, ac de permutatione iam dictum est, à num. 12. potest res vendi cariùs ob damnum euitandum, sed non ob lucrum, quod ea accipiet emptor.

CONsimilis [s] conclusio omnino est de iusta venditione, & emptione; quia ibi ita oportet ex vna parte considerare numisma, sicut hîc rem permutatam. Addo, quòd in istis vtrisque contractibus licet permutantem, vel vendentem, pen- 16

Potest res carius vēdi, ad euitādū damnum. *Non potest res carius vendi ob lucrum, quod ex ea accipiet emptor.* *De cōmodatione, & locatione eadem tene, quæ dicta sunt de permutatione.*

sare damnum suum, non autem commodum ipsius ementis, siue cum quo permutat. Hoc dico in cariùs vendendo, vel permutando: & intelligo sic, si quis multùm indiget re sua, & per magnam instantiam inducatur ab alio, vt vendat, vel permutet pro re alia, cùm possit se præseruare indemnem, & ex venditione, vel permutatione ista multùm damnificatur, potest cariùs vendere, quàm si aliàs sine tali damnificatione venderet, vel permutaret. Sed si emens magnum commodum consequatur ex illa re sibi vendita, vel permutata, non potest cariùs vendi, vel permutari: nam propter maius commodum eius, quod consequitur, nec res mea est in se preciosior, nec mihi melior: & ideò non debet mihi maius precium apportare. Secus autem est, quando damnificor, quia tunc mihi est preciosior, licèt non in se.

Cum istis contractibus (vt dictum est, conueniunt mutua accommodatio, conductio, & locatio: & consimiliter quantùm ad positas iam conditiones, est seruanda iustitia, considerando ibi ad vsum, sicut hìc ad dominium.

COMMENTARIVS.

72 *De emptione, & vēditione.*

CONsimilis conclusio omnino est, &c. Hìc agit de secundo genere contractus, vt res permutatur pro numismate per venditionem, & emptionem, in qua commutatione assignat regulas generales, quas *suprà* ad permutationem rerum iustum præscripsit, tam quoad personas, vt sint habiles, quàm quoad contractum, vt non sit contra legem. Deinde, vt absit fraus, & dolus, tam realis, quàm præsumptus Iure. Realem voco, quando est intentus; & causam dedit contractui. Præsumptus est, quando Iure præsumitur, & in re ipsa contingit deceptio, licèt ex bona fide, seu ignorantia: & prior est ex mala fide, & intentione decipiendi ex altera parte; & sic opponitur dolus realis, idest, intentus, præsumpto, vt cadunt sub voluntate: quamuis termini aliter sumi possunt ex stylo Iuris.

Regulæ huius contractus. *Dolus realis, & præsūptus.*

Duæ regulæ propriæ. Prima commoditas, & damnū supra rem æstimantur.

Addit prætcrea duas regulas, quarum vna est affirmatiua, altera negatiua. Prima, vt quis siue emens, siue vendens, suum damnum æstimare possit suprà naturam rei, & ratione damni cariùs vendere, & similiter minori pretio emere, considerando præcisè medium iustitiæ, secundùm quam res appretiatur, non solùm ex natura sua, sed etiam vt vestitur; quæ est pretio æstimabilis: quia transferendo rem in alium, secundùm dominium, & vsum, non solùm transfero rem ipsam, sed commodum meum, ex re, hìc & nunc, quod ex illa secundùm circunstantias redundabat præsentes, & necessitatem, qua me priuo, transferendo rem, vel è contra, & emendo illam non necessariam mihi per illud, quod magis est necessarium. Vnde, ex iustitia damnum illud, vt dicit Doctor, est æstimabile, ita vt in translatione rei possem me ipsum indemnem seruare: quia secundùm consuetudinem, & prudentiam, & aliquando ipsam legem, pretia rerum, & valor numismatis ex circumstantiis mutantur, vt secludatur damnum, & æqualitas seruetur respectiuè ad currentem necessitatem.

73 *Secunda regula. Commodum, aut damnum alterius non transit in lucrum.*

Secunda regula est, vt nemo vendat mercem ex commodo alterius ex illa: quia illud commodum neque rem ipsam in se facit pretiosiorem, neque vendenti. Contrà emptor non debet emere rem iuxta necessitatem vendentis: quia tam commodum, quàm necessitas alterius non sunt circumstantiæ afficientes rem absolutè, sed solùm personam, cuius necessitas, aut cōmodum nihil iuris tribuit alteri, neque afficiunt rem, vt permutatur, & cadit sub contractu secūdùm iustitiam, ex cōmoditate enim alterius, aut necessitate nemo debet lucrari, sed præcisè ex proprio.

Ex his regulis generalibus deducuntur reliquæ in particulari, quibus hi contractus legem habent, & regulariter: quidquid enim ex suo remittit vendens, aut emens, per se, & non per accidens, supra naturam rei æstimari potest, seruata debita mensura, in lucrum eius, vt necessitatem illius rei, affectum, expensas in ea aduehenda, seruanda per se, & non fortuitas, aut ex culpa sua distractas, affectum, copiam, aut raritatem mercium, vel pecuniæ lucrum cessans, damnum emergens, laborem, gratiam, vt si vendat, vel emat in commodum, & gratiam partis, aliàs non empturus, vel venditurus. Ac denique ex donatione, quoad superfluum excedens pretium vulgare, & bona fide interueniente. Deinde, si magnam copiam simul quis emat mercium, quia hoc valde commodum est vendenti: hic tamen casus spectat magis ad donationem. In his ergo casibus licet non seruare pretium rei ex natura sua, sed excedere, aut deficere. Accedit & aliud genus contractus ex natura fori particularis; vt contingit in venditione sub hasta, vel in auctione, quia in primo contractu minùs æstimatur res, quàm si quando in vulgari contractu venditur. In secundo contractus est fortuitus, & quandoque minùs ex raritate emptorum; aliquando magis ex ipsorum concursu, & feruore emitur. Ex hoc vsu probatum est, ex contralicitatione emptorum. 74

Casus ad superiora spectantes deciduntur.

De venditione sub hasta, & auctione.

Hæ regulæ sunt communiter receptæ, & seruandæ sunt in contractibus accommodationis, conductionis, & locationis: in quibus vsus rei transfertur. Et perinde dicendum est de aliis speciebus, quæ sub his continentur. De quibus plura in specie apud Doctores sub propriis titulis legi possunt: & ad has regulas generales reduci debent; quibus seruetur æqualitas, & contrahentium nemo patiatur; quicunque enim casus ad has regulas reduci nequit, non est regulatus secundùm iustitiam: & licèt quandoque in foro externo non detur actio, vt contingit, quando quis non grauatur vltra dimidium iusti pretij, nihilominus in conscientia manet obligatio restitutionis: leges enim fori non solùm respiciunt iustitiam, sed pacem ad elidendas lites, & ideò non concedunt actionem, quia aliàs non esset finis litium. 75

Extensio prædictorum ad alios contractus.

Hi contractus reducuntur ad emptionem, & venditionem; vel eis similes sunt, appellationibus propriis gaudentes, pactis etiam, & legibus. *Locatio est contractus, quo persona, aut res aliqua ad vsum, vel fructum pretio conceditur, retento dominio,* 76

Locatio, Conductio.

minio,& proprietate eius. Transferens sicut dicitur locator, ita emens vsum dicitur conductor; qui rem, vel personam in vsum, aut fructū comparat. Conductor prædij rusticani dicitur colonus; vrbani inquilinus; rei mobilis conductor. Conductio rei immobilis, vt prædij, dicitur emphyteusis, feudū, liuellus. Emphyteusis est concessio rei immobilis cum translatione dominij vtilis sub onere soluendæ certæ pensionis, vel in perpetuū, vel ad certum tēpus; quod nequit esse minus decennio. Feudum est translatio similis rei immobilis sub onere fidelitatis, & obsequij personalis. In quo differt à priori, in quo est onus pēsionis; in feudo non ita, licèt quandoque soluitur aliqua pensio in recognitionem dominij recti.

Nomina, & species. *Emphyteusis.* *Feudum.*

Liuellus. Liuellus generaliter idē est cum duobus prioribus; propriè verò est subemphyteusis, & subfeudatio; quando emphyteuta, & feudatarius similem contractum init cum tertio.

77 In his requiruntur regulæ illæ generales contractuum, & speciales venditionis, & emptionis: ex quarum æquitate præscriptæ sunt leges particulares in fauorem vtriusque partis, ne succumbant, & in pœnam non obseruantis contractum.

Leges emphyteusis. Emphyteusis conditiones sunt, vt ineatur contractus in re immobili, & fructifera: quia si non fructifera grauatur emphyteuta, neque cadit in contractum quoad fructus, quos nequit facere res locata. Hinc sequitur, si res sine culpa emphyteutæ omnino pereat; vt si terra occupetur à mari, aut hoste, eum non teneri ad pensionem (nisi aliàs se subiecerit casibus fortuitis) quia sic perit proprietario, *l.1.C.de iure emphyteu.* Intellige si pereat absque spe recuperandi; & nisi aliqua pars rei supersit, quia sic tenetur ad integram pensionem, quæ non solùm est ex fructibus, & vtilitate pensanda, sed etiam ex recognitione dominij: quod est proprietarij, sed ex æquitate pensio si magna esset, aut æqualis fructibus, esset minuenda pro rata dispendij. Imò etiam si soluenda esset ad mensuram fructuum. Idem dicendum, si sterilitas superueniens infructuosam reddit, minuenda est pensio ex æquitate, licèt non de iure. Item, sequitur rem illam posse emphyteutam aliis locare, vendere in emphyteusim, & etiam donare, & legare. Quòd pensio non sit maior ordinariè, quàm sit fructus detractis expensis, & industria.

Res perditur locanti.

78 In fauorem proprietarij est, quòd nequeat emphyteuta præscribere, vt *supra* dictum. Secundò, tributum, quod rei vtili imponitur, recidere in emphyteutam, non in proprietarium. Tertiò, quòd nisi pensionem quotannis soluat, amittat rem emphyteuta cum omnibus melioramentis, Emponematibus, seu operibus, quæ in ea fecit, & dominium vtile consolidetur cum decreto, redeunte re ad proprietariū ex integro. Requiritur vt emphyteuta per triennium non soluat, si est communis: si autem teneat rem emphyteuticam ab Ecclesia, biennium tantùm datur, & locus purgationi moræ cum celeri satisfactione; non requiritur vt sit interpellatus pro solutione, quia ipsa dies interpellat, seu tempus solutioni constitutum, & ipso Iure cadit commissum ante sententiam iudicis: non tenetur se spoliare, nisi proprietarius declaret suam voluntatem; qua declarata tenetur cedere ex vi conuentionis, seu contractus. Item, si rem notabiliter euertat, aut deteriorem reddat, posse etiam ab eo auferri: in venditione rei, & melioramentorum proprietarius præfertur aliis, si ea comparare velit; quem tenetur primum ante rei traditionem admonere, aliàs cadit commissum. Donare potest non consulto proprietario, sed non inuestire donatarium nisi alter consentiat. Emptor autem tenetur domino proprietario pro inuestitura ad laudemium, hoc est, partem pretij quinquagesimam Iure communi, trigesimam ex consuetudine.

Emphyteuta non præscribit. *Soluit tributum.* *Reliqua eius onera.*

Hæc omnia particularia reducuntur ad regulas illas generales præmissas secundùm æquitatem, quam præscribunt, vt partes seruentur indemnes: nam quæ fauent proprietario, seu domino directo, fundantur tam in dominio rei, quæ apud ipsum est; ac proinde sine voluntate eius non permittitur dispositio libera rei emphyteuticæ conductori; & conueniunt etiam ratione Iuris in pensionem soluendam ex fructibus; & in pœnam adduntur contra partem, quæ non stat contractui, aut excedit ius, quod habet in rem tantùm ratione fructuum, & non substantiæ; vt patet in casibus, in quibus cadit commissum. Ea verò, quæ competūt emphyteutæ in fauorem eius statuuntur ratione iuris, quod habet in fructus, quorū est dominus directus, salua substantia rei, & iure, quod habet proprietarius. 79

Reducuntur ad regulas communes.

Feudorum autem Iura feudalia, exceptâ pensione, similia sunt, in quo proprietas rei manet in domino. Ius vtile in feudatario cum debito fidelitatis, & obsequij, quādo interpellatur; quòd si interpellatus non præstiterit, cadit feudo. Item, si sine voluntate domini illud alienauerit, inuestituram à domino recipit, cui tum iuramentum fidelitatis præstat, non potest donare, oppignorare, vel feudare alteri feudum sine prædicta voluntate domini, vt communiter Doctores, quia hi actus à voluntate proprietarij dependent.

Leges feudorum.

SCHOLIVM.

Ad mutuum requiri æqualitatem in pondere, & numero, probat, reiecta ratione Richardi, quia mutuum transfert dominium, & sic si mutuans vltra sortem accipiat, ex alieno recipit. Excipit primò, si ponatur pactum aliquid soluendi vltra sortem, nisi certo die soluatur. Quod tenet D. Thom.2.2.q.62. art.4. ad 2. Secundò, si ponatur pactum de reddendo interesse, *si damnetur mutuans ratione non solutionis. Tertiò ex pacto, ratione periculi sortis, licet aliquid accipere vltra sortem. Addit Doct. solum animum accipiendi vltra sortem non obligare ad restitutionem sic accepti; quod intellige verum, si gratis detur. De quo Couar. in reg.* Peccatum, *part.2. princ.n.5. Nauar.c.17.n.19. Si verò detur timore incommodi à mutuante inferendi, secus est, ex cap.* Consuluit, de vsur. *Addit secundò, pecuniam ad ornatum, vel similem finem posse locari. est contra Nauar. c.17.n.2. negantem torquem aureum esse locabilem. Sed tenent Molina d.719. Azor. tom.3. lib.4.c.4.q.3.& communis*

17 *Ric. hic a. 5. q. 5.*

DE [t] vltimo contractu, scilicet de mutui datione, sit hæc conclusio quarta istius articuli. Ad iustè contrahendum mutuum, oportet seruare æqualitatem simpliciter in numero, & pondere, exceptis quibusdam casibus: de quibus dicetur in fine. Ratio huius à quodam assignatur talis, quia vsus pecuniæ est eius consumptio: ergo concedens eam mutuò per consequens, consumit eam.

Contra hoc obiicitur per illud *Extrà de significationibus verborum: Exijt qui seminat*, & est hodie *in 6. lib.* quòd quarumdam rerum vsus perpetuò separatur à dominio. Potest ergo talis ratio assignari, quia in mutui datione transfertur dominium: hoc enim sonat vocabulum, *mutuo do tibi meum:* ergo qui concedit mutuò, non manet dominus pecuniæ mutuatæ; & per consequens, si pro illa pecunia recipiat aliquid vltra sortem, pro non suo recipit, siue vendit non suum.

Quare in mutuo nihil vltra sortē recipi potest?

Alia ratio est, esto quòd pecunia maneret sua, tamen illa pecunia non habet ex natura sua aliquem fructum, sicut habent aliqua alia ex se germinantia, sed tantùm prouenit aliquis fructus ex industria alterius, scilicet vtentis: industria autem huius non est eius, cui concedit pecuniam: ergo ille volens recipere fructum de pecunia, vult habere fructum de industria aliena, quam tamen non dedit ille alius sibi, ex hoc quòd accepit mutuum ab alio. Et hæc est ratio, quare per oppositum fructus lignorum germinantium computatur in sortem.

Pecunia nō est res fructifera.

18 Excipiuntur [u] in ista mutatione duo casus in genere. Quandoque enim licet accipere vltra capitale ex pacto: quandoque autem non ex pacto. Primum tripliciter: vel ratione pœnæ conuentionalis, dum tamen non fiat in fraudem vsurarum: verbi gratia, ego indigeo pecunia mea ad mercandum, concedo tamen tibi ad certum diem, adiiciens pœnam conditionalem, quòd nisi tali die soluas, quia multùm damnificabor, solues postea tantum vltra. Hæc pœna adiecta licita est: quia licet me seruare indemnem, sic præmonendo illum, cum quo contraho. Signum autem, quando non est in fraudem vsurarum, manifestum est illud, quando mercator magis vellet pecuniam sibi solui die præfixo, quàm in crastino cum pœna adiecta sibi. Et per oppositum est in fraudem, quando vult diem transiri potiùs, quàm pecuniam ipso die solui.

Ex pacto ratione pœnæ aliquid vltra sortē accipi potest.

Secundum est ratione *interesse:* debitor enim, ex cuius non solutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de iustitia satisfacere creditori de *interesse.* Et licèt ille creditor non posset habere contra eum actionem in foro exteriori, vtpote quia non sunt pacta, vel iuramenta: tamen in foro conscientiæ debitor tenetur vltra sortem ad *interesse.* Tertia conditio est, quando vtrumque, scilicet capitale, & illud superfluum ponitur sub incerto. Quod probatur *Extra de Vsuris, c. Nauiganti. §. Ratione*; arguendo per locum à simili, quia sicut hîc incertitudo excusat, ita ibi.

Ratione dāni ex non solutione aliquid accipi potest vltra sortē ex pacto.

19 Sine pacto etiam licet [x]: solus enim animus sine omni pacto verbali, vel alio signo æquiualenti ostendente debitori, quòd mutuans non mutuaret sine spe lucri, non facit illum recipientem vltra sortem sine pacto, habere alienum, & ideò non teneri ad restitutionem.

Intellige si gratuitò sibi datum iudicet.

Intelligendum etiam, quòd pecunia [y] habet aliquem vsum vtilem ex propria natura, vtpote ad videndum, ornandum, vel ostendendum possibilitatem tanquam diuitem: & ad illum finem potest locari, sicut equus, vel aliud locabile; & pro vsu isto, retento dominio pecunia recipi; & tunc ex toto est contractus locationis, vel conductionis, non autem mutuatio, seu mutui datio: & deberet idem pondus restitui, nisi fortè sufficiat locati æquale in pondere, & valore.

Pecunia ad ornatum potest locari.

Hæ regulæ prædictæ ostendunt quid iustum, & quid iniustum in commutationibus statim factis, id est, quando vterque commutans statim dat, vel recipit illud, pro quo commutat.

COMMENTARIVS.

80 *De mutuo.*

[t] DE *vltimo contractu, scilicet de mutui datione*, &c. Conclusio huius, quæ est quarta in ordine huius articuli, est: *Ad iustè contrahendum mutuum, seruandam esse æqualitatem simpliciter in pondere, & mensura*, &c. Vnde, *mutuum est contractus, in quo numisma pro numismate commutatur, seruato numero, & pondere æquali:* in qua definitione veniunt etiam illæ mutuationes, quæ fiunt in rebus vsu consumptibilibus, seruatis iisdem conditionibus: sed quia frequentior materia est numisma, ideò definitur respectiuè ad ipsum: pondus enim in pecunia ordinariè non seruatur, sed numerus. Vnde, si quis massam non cusam mutet pro pecunia numerata, non est propriè mutuum, sed venditio. Sicut ergo in aliis rebus vsu consumptibilibus pondus, & mensura seruatur, ita veniunt hac definitione, vt si mutetur granum, oleum, & similia, transferendo dominium, & vsum cum pacto recipiendi eadem in specie, seruata eadem mensura.

Definitur.

In

81 In hoc contractu seruantur regulæ generales requisitæ ad translationem,& contractũ iustum. Ad quas etiam reducuntur speciales regulæ huius contractus: quia æqualitas seruanda reducitur ad medium rei, vt seruatur æqualitas in numero, pondere, & mensura. Rationem reiicit, quæ est D. Thomæ, & Richardi ex iis, quæ dicuntur *in cap. exiit, de verborum significatione*, quantùm ad distinctionem vsus, & dominij in rebus vsu consumptibilibus: negat ergo consequentiã, quia dominium,& vsus possunt separari in pecunia,vt pote in eo, qui vtitur pecunia ex voluntate domini,non ex propria dispositione.

Reiicitur ratio quorundã.

Probatio conclusionis.

Probat ipse aliter cõclusionem,quia mutuans transfert dominium pecuniæ, hoc enim sonat vocabulum *mutuò do tibi meum: mutuum* enim dicitur quasi de meo facio tuum. *ff. Si cert. pet. l.* 2. Vnde stat periculo tuo,postquam accepisti,etiãsi pereat casu fortuito *C. Si certum pet.l. Incendium. Instit. quibus mod. re cont. oblig.*ergo qui concedit mutuò, non manet dominus pecuniæ mutuatæ, & consequenter,si recipiat aliquid vltra sortem, pro non suo recipit, & vendit non suum.

Secunda probatio.

Secundò,quia pecunia manens mutuanti non est nata fructificare:sicut aliæ res,vt ager, & huiusmodi, quia ex natura sua non habet fructum distinctum ab vsu & industria vtentis: ex quibus nihil debetur mutuanti à mutuatario vtente pecunia vltra sortem: in aliis autem rebus fructiferis computatur fructus in sortem, quia est aliud à substantia rei, & per se vtile.

Quid sit vsura.

Ex his duabus rationibus colligitur, in quo consistat vsura, nempe in recipiendo aliquid vltra sortem intuitu solius mutui ex pacto iustitiæ, & obligationis, quod est ex natura rei peccatum contra iustitiam, & præceptum naturale eius, non solùm positiuum diuinum,vt malè Abulensis *in cap.*25.Matthæi.*quæst.* 171.*&* 172.Est prohibita etiam iure diuino,Psalm.14.*Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*,&c.Ezechielis 18.Luc. 6. est prohibita. Iure canonico, *Clement de vsuris*, &c. *in Decretalibus toto titulo de Vsuris. in Decreto* 4. *quæst*.3. *&* 4.

Eius prohibitio.

82 u *Excipiuntur in ista mutuatione duo*, &c. Hic excipit Doctor quosdam casus, in quibus mutuãs iustè vltra sortem aliquid exigere possit. Primus est ex pœna conuentionali,nisi ante certũ diem soluat, vt addiiciat ex obligatione tantũ vltra sortem;& hoc eo casu,quo mutuans incurreret damnum ex dilatione solutionis vltra illũ diem,& absit fraus vsuraria.Hic casus licitus est: quia quis potest se indemnem seruare: quod intelligendum est, quando subsistit damnum ex dilatione solutionis, & præuidetur. Est doctrina communis, vt autem sciatur quando conditionalis pœna adiicitur sine fraude, vel quando cõtrarium, assignat regulam à posteriori vnde colligatur ex dispositione mutuantis; qui si præfert solutionem in diem statutum pœnæ currenti, ex eius dilatione rectè colligitur conuentionem de pœna non dedisse speciem contractui ex parte eius, aut intentioni: si tamen mauult pœnam decurrere, quàm solutionem anticipari, signum est intuitu lucri ex pœna eum fuisse motum, & consequenter animo vsurario: dispositio enim voluntatis, & intentio recipit speciem à motiuo principali,quod dat speciem contractui: ac proinde fit in fraudem, vt subest contractus intentioni ex tali motiuo: neque licet recipere pœnã. Si autem talis voluntas est solùm concomitans, & non dat speciem contractui, non tenetur restituere pœnam, de qua conuentum est iustè ex voluntate, qua se indemnem seruare potest:modò damnum ipsum, seu conditio, ex qua iustificatur conuentio ex parte mutuantis, subsistat, & non sit prætextus, aut fictio intuitu lucri. Adde præterea, eum potuisse habere duplicem intentionem mutui,ex vtroque illo fine: quamuis intẽtionem ex motiuo lucri non expressit in pacto: tunc autem eum quidem peccare,sed non teneri ad restitutionem, quia conuentio iusta saluatur ex damno emergente, quam non vitiat altera concomitans,quæ non est expressa in contractu. Hæc duplex intentio explicatur: verbi gratia, si ita erat animo paratus,vt etiam mutuò concederet, etiamsi damnum non interueniret, aut subsisteret cum onere lucri,intuitu lucri: nam sicut lucrum ex vtroque motiuo petendi posset esse iusto, & iniusto, ita etiam conuentio intendi ex vtroque tanquam medium,& ex altera intẽtione desinente adhuc altera subsisteret, sicut & conuentio per eam tanquã causam sufficientẽ:quòd si partialis esset,iam tota conuẽtio esset vsuraria.

Excipitur casus pœna conuentionalis.

Requisita ad paciscendum sub tali pœna.

Regula à posteriori, vnde colligatur esse iniusta, aut iusta.

Nauarrus in *Manuali c.*17.*n.*215. Conradus, & alij limitant casum ad eum,qui potest,& præuidetur posse soluere tempore præstituto: alioquin conuentio esset vsuraria,& cum obligatione restitutionis. In qua sententia putat esse Doctorem Nauarrus, sed malè, quia id non dicit Doctor, vt patet ex textu. Limitatio autem non subsistit, vt patet ex ratione Doctoris, quia in eo etiam casu non tenetur cõmodum alterius præferre mutuans suo damno, nisi in casu,quo charitas,& necessitas alterius, & impotentia ad soluendum obligaret mutuandum esse.Quòd si tamen apponatur pœna conuentionalis, non erit contra iustitiam, sed contra charitatem; pœna enim illa apponitur partim ad summouendum damnum, partim etiam ad solicitationem solutionis suo tempore: debet autem hæc pœna esse tolerabilis, & non excessiua. Quòd si mutuatarius non fuit in culpa, quin solutio fieret ex æquo, debet mutuans saltem mitigare pœnam, quòd si partem dedit pecuniæ mutuatæ,similiter pro rata debet temperari, nisi in casu, quo damnum mutuantis redundaret ex carentia summæ integræ: verbi gratia, si ipse alteri creditori sub pœna conuentionali ciuili, aut iudiciali tenetur reddere creditum præstituto die, quod nequit, nisi recuperet mutuum,tũc potest se indemnem seruare ex regula sequenti. Idem dicendum erit, quando mutuatarius tenetur ex lege,aut sententia iudicis sub pœna soluere mutuum die præstituto. prior pœnæ dicitur legalis,& ciuilis,quia ipsa lege statuta: secunda verò dicitur iudicialis, aut ex sententia iudicis. 83

Limitatio resolutionis præmissa.

Finis imponendi pœnam ex conuentione.

Mitiganda est in casu.

Secunda regula est: ratione lucri cessantis, & damni emergentis potest recipere mutuatarius vltra sortem. Hæc est communis, & patet, quia iustitia non permittit, vt mutuatarius recipiat commodum ex mutuo cum damno mutuantis: debitor enim in conscientia tenetur,inquit Doctor,ad interesse creditoris, licèt sine pacto, aut conuentione de lucro, non detur actio in foro externo. Soto *lib.6.de Iustitia & Iure. qu.*1.*art.*3. oppositum docet,& Molina *disp.*314.& alij dicẽtes, si dãnum emergens non trahatur in pactum, ad illud non teneri mutuatarium, quando non est in mora solutionis. Contrarium huius docet Maior in 4. *in hac dist. quæst.* 30. Fauentinus 84

Secunda regula.

De damno emergente,& lucro cessãte. Ad hæc teneri mutuatariam.

Requiritur se stlũm aliques interuẽtio pacti.

Alij docent non requiri pactum. *hîc disp. 47. quæst. 6.* Hanc sententiam sequitur in casu, quo mutuans viderit periculum damni ante diem statutum, & potest aduertere, & cõuenire mutuatariũ de solutione; & hic tenetur soluere, si potest, ante tempus præstitutum, aliàs tenetur ad damnum.

85 *Præfertur secunda sententia.* Hæc sententia est satis consona æquitati: & videtur hoc pactum implicari tacitè in ipso contractu, quia si non statueret diem solutioni, posset in tali casu damni emergentis interpellare mutuatarium etiam coram iudice, & hic posset iustè eum compellere ad solutionem sub pœna damni emergentis mutuanti soluenda: quia ex re gratuita concessa, & sine onere, non potest trahi damnum mutuantis; neque alter habet ius eam retinendi cum damno concedentis. Vnde *Conditio importata per ipsum contractum.* sicut se habet commodatarius, & precarius respectu domini, quantùm ad vsum rei concessæ, sic etiam mutuatarius quantùm ad dominiũ rei mutuatæ: sed in prioribus non transit vsus in commodatarium, aut precarium in casu emergentis damni commodantis, aut concedentis, quin rem ipsam possint reuocare: ergo etiam mutuans gratuitè non censetur transferre dominium rei mutuatæ sine conditione, & pacto implicito se seruandi indemnem, neque mutuatarius aliter rem accipit, nisi cum onere eodem, quando aliàs de hoc non est facta conuentio, vt mutuans etiam cum suo damno rem transferat.

86 *Qui in mora est, tenetur ad damnum.* Præterea, quando statuitur terminus solutioni, si mutuatarius est in mora, tenetur ad damnũ emergens mutuanti, quod ex dilata solutione venit, quamuis de damno tali non præcesserit pactum, aut conuentio explicita, vt colligitur *l. 2. §. Non vtique*, & *§. Nunc de officio.* & *l. 4. ff. de eo quod certo loco dari oportet*, &c. & hoc ideò, quia contractus ipse implicat talem conditionem implicitè, quamuis non interueniat conuentio, & ex culpa alterius eueniat damnum: sed siue ex culpa, siue ex commodo proprio det causam damno mutuatarius, perinde est eius causa, quia tenetur ad solutionem: & quamuis aliàs ante diem præstitutum non sit acceleranda: tamen in hac circunstantia non habet ius sui commodi cum damno alterius inuoluntario ipsi: ergo, &c.

Confirmatio. Concessio gratuita includit conditionem, qua præuisa impediret ipsam. Confirmatur, quia concessio gratuita non implicat conditionem, quæ si præuideretur, aut exprimeretur, non fieret ipsa concessio, ac proinde ad eam non extenditur, vt patet *ex materia de Priuilegiis.* Sed mutuatio est concessio gratuita, cùm sit translatio rei sine vllo fructu, aut commodo concedentis in gratiam petentis: ergo etiam implicat illam conditionem damni, etiam non præuisam, cum qua mutuans non mutuaret, si ei esset cognita, aut præuisa sine pacto saltem explicito de damno: ergo neque mutuatarius fit dominus mutui liberè, & sine tali conditione, si in re euenerit, nisi ex voluntate mutuantis.

87 *Æqua conditio vtriusque* Tertiò, debet esse æqua conditio vtriusque, tam mutuãtis, quàm mutuatarij, sed mutuatarius obligans se ex pacto ad soluendum damnum, aut lucrum, in casu, quo sine culpa sua redditur impotens: vt si omnia sua perierint incendio, aut redactus sit in captiuitatem, non tenetur soluere pactum lucri, aut damni: quia pactum ordinarium explicitum, aut implicitum non videtur ad hos casus se extendere, neque habuisse voluntatem se sic obligandi: ergo similiter dicendum est de mutuante, non habuisse voluntatem mutuandi cum damno fortuito, & non præuiso; si ergo ex casu incendij, aut simili, in quo excusatur mutuatarius à solũedo lucro, aut damno vltra sortem eximitur à pacto, explicito etiam, eodem modo mutuans debet liberari à mutui pacto, superueniente tali damno, & habet ius repetẽdi mutuum ante tempus præstitutum, vt seipsum seruet indemnem. Patet consequentia, quia minùs grauari debet, quàm mutuatarius, secundùm leges iustitiæ, cùm gratuitè, & sine obligatione vlla mutuet in commodum alterius: quamuis enim contractus sit onerosus ea parte, qua mutuatarius obligatur ad solutionem, tamen est gratuitus ratione mutui sine vllo commodo mutuantis, aut obligatione mutuandi, ac proinde nulla æquitas suadet, vt ex beneficio damnum reportet. *Minus grauari debet mutuans.* Confirmatur, si mutuans per vim, aut metum cogatur mutuare, mutuatarius tenetur ad damnum, vt plures concedunt, etiamsi non transeant in pactum: quia mutuatio est causa damni: sed eo modo si ex mutuatione sequatur per se damnum non præuisum, cui posset occurrere mutuans, si habeat, & haberet pecuniam mutuatam ad manum, vt si interpellatur à suo creditore hîc, & nunc, cui non potest nisi soluta sorte mutuata satisfacere, damnetur ad carcerem, aut alias pœnas iudiciales, vel bona ipsius supponantur hastæ vendenda minori pretio iuxta naturam huius fori particularis, mutuatio dedit causam tali damno: ergo mutuatarius ab ipso interpellatus tenetur ei soluere, vel certè reparare damnum in conscientia: quamuis in foro externo non habeat actionem ante tempus præstitutum; hæc autem intelligenda sunt cum duabus conditionibus. *Confirmatur. Cogens ad mutuandum obnoxius est dãno secuto.*

Prima est, vt ipse interpellet mutuatarium: aliàs præsumitur volens damnum, & non repetens solutionem. Secunda est, vt mutuatarius possit soluere.

Vltimò tandem hæc sententia probatur, ex titulo gratitudinis eum teneri soluere, & charitatis: vel enim nunquam charitas obligat, vel in hoc casu obligat. Hi tituli accedunt ad titulum iustitiæ, ex quibus patet ad fundamenta Molinæ, & Soti. 88 *Obligatio gratitudinis & charitatis.*

Primò obiiciunt, quòd si mutuatarius fuisset admonitus, fortè non reciperet, aut peteret mutuum. *Obiectio.*

Respondetur, ipsa iustitia admoneri ex ratione huius contractus, & ex damno alterius inuoluntario ipsi, quod causatur ex mutuo non subeat commodum cum tali damno mutuantis. Deinde, ipse mutuans, si præuidisset tale damnum, etiamsi fortè non mutuaret, non plus iuris accedit mutuatario ex voluntate præsumpta, quàm mutuanti. *Responsio. Interpellatur mutuarius ex vi contractus.*

Obiicit Molina, quia sibi imputare debet, quòd non duxerit in pactum, quodcunque damnum emergens, neque mutuatarius eo ipso paciscitur cum eo de tempore, tenetur solutionem anticipare, aliàs autem non tenetur de mora. *Secunda obiectio.*

Respondetur ex dictis verum esse in foro externo per legem non obligari: sed ex lege naturali ipsius contractus, qui initur cum hac conditione implicita, maximè quando est damnum notabile non præuisum, sequens ex mutuo, præsumitur non voluntarium, neque dominium transferre rei, nisi cum conditione implicita, qua possit repetere solutionem in causa talis damni ante *Responsio. Mutuarium teneri lege naturali contractus.*

ante tempus: neque aliud præsumi potest consuetudine, aut vsu communi inter homines.

89 Vnde, sicut in aliis contractibus initis bona fide, quando pars notabiliter grauatur in qualitate, aut quantitate rei, debet ipsi resarciri in conscientia, aut restitui pretium: quia conditio ignota non includitur in pacto, neque ad eum extenditur quæcunque superueniens confirmatio, vt stipulationis, aut iuramenti: vt patet ex supradictis: ita etiam hæc conditio damni notabilis non præuisa nequit transferri in pactum mutui, aut in ipsum pactum. Sicut ergo res non transit in dominium alterius, nisi ex pacto mutui, quod nullo modo comprehendit talem conditionem, vt etiam cum damno tali transferatur in detrimentum tam notabile mutuantis res mutuata; ita ex vi ipsius contractus venit talis conditio exclusa à mutuante, & intentionis, quam habet mutuando. Si damnum autem non sit notabile, præsumi potest contemni à mutuante, neque de minimis curare. Vnde sicut ipsum lucrum intuitu mutui præcisè, & non alicuius rei vltra sortem pretio æstimabile, est in fraudem: quia grauatur mutuatarius vltra debitum, contra naturam contractus, & regulas contractus, quibus innititur: ita etiam damnum mutuantis eodem modo, quando ipse est inuitus, perinde est contra eandem iustitiam: quia pecunia illa, vt habet annexum damnum ex mutuo incursum, pluris æstimanda est mutuanti, quàm ipsa in se valeat; aut etiam mutuatario, quando eam soluit: & mutuanti, si differatur solutio vsque ad tempus præstitutum, quando damnum incursum nequit resarciri: ideò mutuans non consentit in contractum mutui cum tali suo onere, & incommodo, neque præsumi potest consensisse.

Conditio excepta implicitè.

Vsura prohibita, & obnoxia restitutioni.

Simile in proposito.

90 Alia difficultas est de lucro cessante. Aliqui negant lucrum cessans deduci posse in pactum. D.Thom. 2.2.q.78.art.2. ad 1. Innocentius cap. *Nauigant, finali, de Vsuris.* Sotus *lib.6. de Iustitia & Iure quæst.1.art.3. conclus.4.*

An lucrum cessans possit in pactum deduci.

Negatiua sententia.

Contrarium tenet Doctor in hac regula sub nomine *interesse* comprehendens non solùm damnum, sed etiam lucrum cessans: quem sequitur communis modernorum. Couarruuias *lib.3. Variarum resolutionum cap.4.* Caietanus in D. Thomam. Molina *disput.* 315. Azor. *3.p. lib.5. cap.5.* Conradus *de contractibus q.* 30. & Maior *in hac dist. q.3.* Gabr. *quæst.2.* Nauarrus *in Manuali cap.* 17. Lessius *de Iustit. & Iure lib. cap.20. dub.11.* Est etiam antiquorum. Hostiensis in cap. *Salubriter, &c. de vsuris,* vbi Abbas. Archidiaconus, cap. *Vsura est.* 14. q. 3. Ratio huius est, quia lucrum cessans ratione mutui est pretio æstimabile, & est quoddam damnum mutuantis: & reipsa commodum saltem in spe, quod æstimabile est, & facit sortem magis valere mutuanti vltra eius pretium substantiale.

Sententia Doctoris affirmatiua.

Est communior.

Fundamentum.

Lucrum est æstimabile.

91 Ex qua ratione soluitur fundamentum oppositæ sententiæ, vt quòd mutuum debeat gratis fieri; quòd non possit vendi quod adhuc non habes, & impediri possit; quale est lucrũ cessans: quod lucrũ cessans non sit impediri à lucro; atque preces non impediunt, maximè si te offeras.

Respondetur ad primum, ipsum mutuum gratis fieri, lucrum tamen cessans, & spes eius vltra sortem aliquid valent mutuanti, quod æstimari potest; ac proinde deduci in pactum vltra sortem.

Ad primam rationem.

Lucrum in spe est æstimabile.

Ad secundum, patet per idem, quia lucrum in spe possidet, & ea certitudine, qua negotiatores lucrum sperant, quando pecuniam exponendam subtrahit negotiationi, vt eam mutuet.

Ad secundam rationem solutio.

Ad tertium respondet Conradus, & alij, requiri vt se mutuans non offerat ad mutuum: sed neque hoc necessarium est: quia potest aliquis res suas venales exponere, habita etiam ratione commodi particularis, vt expensarum, &c. quando saltem id emptori exponit, ideò se vendere pluris, quàm alias res ipsa per se valeat. Vnde licèt non inuitus faciat, vel ad preces alterius, non ideò tenetur commodo suo cedere; debet tamen lucro detrahere propriam industriam, labores, & expensas, quæ in lucrando impenduntur.

Tertia ratio soluitur.

Reiicitur solutio.

Quid debeat lucro detrahere.

Tertia regula est, aliquid recipi posse vltra sortem, quando vtrumque, scilicet capitale, & superfluum ponitur sub incerto, id est, sub periculo. Hæc communior est Doctorum: quam probat benè Doctor in textu, argumento cap. *Nauiganti, &c. Extra de Vsuris, casu tertio,* qui est, quando quis vendit pannos, & alias merces, vt ampliùs recipiat tempore constituto, quàm valebant tempore venditionis, & id licitum esse ratione dubij, quod perinde in proposito concludit. Hanc conclusionem tenet Corduba *q.* 78. Angelus verb. *Vsura* 1. Syluester *ibidem q.35.* Azorius *3. p. lib.5. cap.6.* Lessius *lib.2. de Iustit. & Iure cap.20. dub.13.* Ratio est, quia hoc pretio æstimabile est, vt si mutuatarius est dubiæ fidei, aut decoctor, aut obstrictus rationibus reddendis, timentur expensæ, & molestiæ in recuperando mutuo, & huiusmodi. Deinde, potest fideiussorem exigere, quo ipsi caueatur; aut pignus deponi. Ergo similiter, si in se assumat periculum, aliquid proportionatum recipere, & in pacta transferre. Ipse fideiussor potest etiam ratione periculi aliquid exigere, quamuis fideiussio sit gratuitus contractus. Idem patet in contractu accommodationis, quia si timeatur res accommodata perire, aut deteriorari ex negligentia commodatarij satis perspecta, potest ratione periculi commodans aliquid exigere.

92 Tertia regula.

Periculi ratio potest in sortem computari.

Exponitur casus periculi.

Probatio.

Obiicitur caput citatum in primo casu; vbi dicitur mutuans pecuniam ad nundinas, & suscipiens in se periculum, cuius ratione aliquid vltra sortem exigit, esse vsurarium.

93 Obiectio.

Respondetur communiter illum ita mutuasse, vt alteri imposuerit necessitatem ineundi secum alium contractum, quo pretio dato vltra sortem lucraretur ampliùs ob periculum in se assumptum: quod non licet, quia illa necessitas imposita mutuatario est aliquid æstimabile, cùm periculum aliàs resarcire posset datâ cautione per pignus, aut fideiussorem, & hoc minore detrimento. Contrarium huius tenet Sotus *suprà* citatus ex eadem ratione, quæ ibidem soluta est.

Soluitur.

x *Sine pacto etiam licet, &c.* Hæc quarta regula, in qua Doctor determinat: quamuis mutuans recipiat aliquid à mutuatario sine pacto aliquo externo verbis, aut signo expresso, non teneri ad restitutionem: quia in eo casu animus vsurarius non expressus, neque exteriùs manifestatus, non sufficit ad vsuram. Hanc conclusionem tenent multi alij sequentes Doctorem. Est etiam Richardi *in hac distinct. art.5. q.5.*

94 Quarta regula.

Si non includatur pactum, recipi posse vltra sortem.

Aduertendum, intentionem reciprocam, quæ

 spectat

spectat ad vsuram mentalem variis modis contingere posse. *Explicatur.* Primò, prout fit reciproca intentio mutuandi propter lucrum, & recipiendi, & dandi aliquid supra sortem ex eodem motiuo; & sic committitur vsura mentalis ex parte mutuantis, tam mutuando, quàm recipiendo vltra sortem, quamuis non interueniat pactum externum, quia non solùm dat, & recipit intentione vsuraria; sed etiam mutuatarius tanquam ex contractu implicito ei soluit lucrum, & non liberaliter, aut gratis; aliàs non soluturus.

Vsura mentalis. Triplex modus intentionis.

Secundus modus. Secundò, potest compleri hæc intentio in solo mutuatario; quia in eo potest esse error, vt putet alterum non gratis, sed cum tali onere solutionis vltra sortem ei mutuasse: quamuis hæc præsumptio in re ipsa non subsistat; sed mutuans concesserit gratis, & liberaliter.

95 *Tertius modus.* Tertiò, potest subsistere intentio, & mala fides in solo mutuante, vt verè mentaliter intendat spem lucri, & recipiat vltra sortem datum à mutuatario; quamuis hic bona fide, & sine præsumptione intentionis prauæ alteri concesserit vltra sortem merè liberaliter. In primo casu est vsurarius intentione, & receptione, & tenetur ad restitutionem. In secundo verò tenetur ad restitutionem in re ipsa, quando resciuerit alium non dedisse vltra sortem, nisi ex præsumptione contractus impliciti, & voluntatis prauæ alterius.

In primo, & secundo casu teneri ad restitutionem.

Tertius casus est ad propositum, & resoluitur. Tertius casus spectat ad regulam præsentem, & licèt mutuans peccet dando, & recipiendo, in re ipsa tamen non tenetur ad restitutionem lucri; quia, vt benè Doctor, non recipit aliam rem alienam, sed donatam liberaliter, ab eo, qui potuit in eum transferre illam: quamuis ex conscientia erronea teneatur ad eius restitutionem, quia putat eam esse alienam, si deponat conscientiam, vbi resciuerit liberaliter datam fuisse, non tenetur eam restituere. Hanc tenet Doctor, quia ratio subiecta eius eam solùm probat. Gabriel *in hac dist. q.* 2. Syluester *v. Vsura 6. q.* 3. Caiet. *in opusculo de vsura cap.* 3. Medina *q.* 3. Azorius 3. *p. Sum. lib.* 5. *cap.* 16. Couarr. *ad reg. p. prim.* 2. *n.* 4. Cardinalis *in Clement. vnica. de vsuris. q.* 14. & plures alij Iuris interpretes. Quos etiam citat Lessius *suprà* citatus *dub.* 6. *conc.* 2.

96 *Probatio concluf.* Probatur ratione Doctoris, quam sic formo: Animus vsurarius non expressus vllo modo non dat speciem translationi gratuitæ factæ à mutuatario pecuniæ, aut rei superfluæ supra sortè, quia non est causa eius vllo modo, neque ad eam concurrit secundùm pactum, signum, aut præsumptionem, cùm sit omnino ignota mutuatario, & circumstantia ignota non det speciem actui eius. Sed illa translatio solùm, vt procedit à mutuatario facit rem esse mutuantis, & tollit omne debitum restitutionis, cùm per meram donationem, vt potuit, rem fecit esse alterius: ergo, &c.

Intentio maligna non expressa, ea parte non facit ad contractum.

Confirmatio. Confirmatur, quia si non interueniret mutuum, donatio rei valeret ex natura sua, neque eam ampliùs posset repetere donator; sed quòd fiat titulo remunerationis gratuitæ, seu gratitudinis, non minuit vim eius, aut effectum, quo res transeat iure in alterum secundùm proprietatem. In proposito etiam casu sic donatur ratione mutui, non ex debito, sed animo regratiandi beneficium receptum.

Donatio remuneratoria.

97 *Responsio.* Dices, vt transferatur dominium rei per donationem, requiri vt res ipsa acceptetur; mutuans autem non acceptat rem titulo gratitudinis: ideò non facit suam.

Contrà: ad acceptationem rei sufficit vt rem tanquam suam recipiat, & ea vtatur tanquam sua, quamuis iniquo animo, & eam amplius inter sua connumeret; & hoc in re ipsa, ita vt vsum, aut dispositionem eius non permittat alteri. *Impugnatur.* Quod verum est quantùm ad realem acceptionem requisitam ad donationem, qua transfert dominium, modò non constet eam acceptare titulo debiti, & non donationis. *Sequitur acceptatio realis.*

Imò hæc ipsa acceptatio & vsus rei tanquam suæ implicita est acceptatio eius omni titulo, quo in eum transfertur à primo domino, quia acceptatio rei complicat in se voluntatem transferentis, licèt ex errore putetur talis, aut talis; quia ad complendam actionem transferentis in genere contractus requiritur, vt ipse finis acceptationis, qui est facere rem suam, importet titulum, ex quo facta est sua. *Includit translationem.* Præterea, ipsa acceptatio rei, est tantùm conditio requisita, ne translatio maneat suspensa, & imbibitur tacitè, vt conditio in ipsa donatione, quæ exigit consensum alterius, vt rem tanquam suam accipiat.

Secundò, quando in re ipsa nulla est læsio iustitiæ, & rei alienæ vsurpatio, non fundatur obligatio restitutionis. 98 *Secunda ratio.* In hoc casu non læditur, qui pecuniam transtulit in alium, eámque abdicauit in illum: ergo nullum ei manet ius expetendi eandem pecuniam, neque consequenter obligatio mutuanti eam restituendi, *Desinit res esse donantis.* quia prima translatio neque in re ipsa manet suspensa: & si maneret, in potestate mutuantis est eam acceptare semper titulo congruo, vt donatio ex parte eius recipiat complementum: ex quo sequitur eum in re ipsa non teneri ad restitutionem. *Donatio non manet suspensa.*

Tertiò, patet in aliis. Qui recipit rem alienam, si condonetur, non tenetur ad restitutionem, quantumuis aliàs citra donationem non haberet voluntatem eam restituendi. *Tertia probatio.* Sic creditor condonans debitori, liberat eum ab obligatione restituendi: siue aliàs habuerit animum restituendi, aut facultatem, siue non. *Condonatio tollit debitum etiam non valenti restituere.*

Quartò; qui ex errore rem propriam possideret, & teneret vt non suam, sed alienam, ille in re ipsa non tenetur ad restitutionem, quia error eius nullum ius acquirit alteri, cui fieret restitutio, cùm res illa nullo titulo Iuris, aut facti ad ipsum spectat; aut recipere posset titulum debiti, nisi ex ignorantia simili laboraret. *Quarta probatio. Restitutio debita supponit ius creditoris.* Ergo similiter in proposito cessat obligatio in re ipsa restituendi præfatum lucrum, quando recipiens ex illa spe vsuraria, & errore concomitante illud receperit.

Vltimò tandem *ex cap. finali, de Simonia,* &c. 99 *Vltima probatio.* Dantes aliquid secluso pacto in Monasterio, vt gradum, aut locum obtinuerint, animo tamen simoniaco, secluso pacto, recipientes non tenentur restituere obtentum, & bona fide ab aliis concessum, sed per pœnitentiam purgare peccatum: ergo simili modo de vsura dicendum est, vt benè notauit Couarruuias. *Bona fide datum simoniacus non restituit.* Sic etiam in aliis contractibus contingit ex solo animo non fundari obligationem restitutionis, si medium iustitiæ in re ipsa non lædatur; vt si emptor ex errore putet se subtraxisse debitum pretium vltra medietatem iusti, si in ipsa re non subtraxerit, re ipsa non est obnoxius restitutioni, quamuis *Solus animus non fundat restitutionem, si aliàs medium re. soluatur.*

uis iniquus animus ei ad peccatum sit. Sic qui ex proposito diffamat alterum, si ei nihil nocuit: quamuis animum habuerit nocendi, non tenetur restituere famam: verbi gratia, si ei non creditur, vel diffamatus iam antea famam apud audientes perdidit notorietate facti, aut sententia iudicis: ergo similiter, licèt mutuans acceperit iniquo animo, & vsurario lucrum, putans ex debito intuitu mutui concessum, cùm in re ipsa id non subsistat, sed in erronea præsumptione animi; in reipsa etiam non tenebitur ad restitutionem. Et habetur expresè, *l. Inter omnes 46. ff. de furtis*, &c. *Contrectans*, inquit, *rem, credens inuitum dominum, committit furtum; sed furto non est obligatus, si dominus erat volens*, &c.

100 *Opposita sententia.* *Obiicies.* Contrariam sententiam tenet Soto *lib. 6. de Iustit. & Iure, q. 1. art.* 4. Molina *disput.* 306.

Obiiciunt cap. *Consuluit*, &c. *de vsuris*, vbi Pontifex dicit eum, qui ex proposito mutuam pecuniam crédit, vt plus sorte recipiat, tanquam debitam ex mutuo inducendum efficaciter ad restitutionem: quamuis sine omni conuentione receperit vltra sortem.

Solutio. Respondetur, in illo capite agi de lucro concesso ratione, aut intuitu mutui, & non liberè: quia non fuit fundamentum præsumendi aliter fuisse concessum.

Secunda obiectio. Obiiciunt secundò, illam acceptionem esse iniustam; ergo fundat obligationem restituendi.

Solutio. Respondetur ex dictis acceptionem in re non esse iniustam, sed animum; obligatio autem restitutionis oritur ex acceptatione iniusta in re, non intentione.

Replica. Dices, saltem non acquirit dominium rei, quia non acceptat titulo iusto.

Soluitur. Respondetur eodem modo acceptare in re ipsa iusto titulo, quo acceptat eam inquantùm transfertur, tanquam rem propriam sibi, licèt ex errore putet non donari. Vnde acceptatio, *Acceptatio respicit vsũ, & translationem rei.* vt respicit vsum rei tanquam propriæ, seu appropriationem eius, includit titulum, quo transfertur, qui est iustus. In mutuante enim illa acceptatio est respectiuè ad translationem rei in ipsum, quocumque titulo transfertur, licèt ex errore particulari putet transferri titulo oneroso debiti, & non liberali.

101 *Tertia obiectio* Obiiciunt tertiò, ex hac sententia Doctoris sequi nunquam vsurarium mentalem teneri ad restitutionem.

Soluitur Respondetur negando sequelam: quia si mutuatarius non dederit vltra sortem, nisi ex titulo oneroso debiti; tunc enim in re ipsa non transfertur id, quod vltra sortem datur: quia non subsistit ex alterutra parte titulus iustus.

Obiiciunt quartò, irrationabile esse dare regulam generalem, quasi semper, quando non exprimit vsurarius intentionem suam, aut mutuans, non committeretur vsura, neque teneretur ad restitutionem: ergo hæc regula vniuersaliter fallit. *Quarta obiectio.*

Respondetur, regulam non dari vniuersaliter in eo sensu ex sola taciturnitate pacti, aut intentionis mutuantis, sed ea supposita, ex intentione dantis vltra sortem liberaliter, & non ex debito. Et sic regula est vniuersalis, vt probatum est ex fundamentis allatis: vsura enim attenditur ex sola mente dantis, quando non exprimitur pactum: vnde si mutuans habeat animum recipiendi: quia liberaliter putat dari sibi vltra sortem, & ex altera parte non eo titulo mutuatarius dederit, tenetur ad restitutionem, quia non acquirit iusto titulo rem alienam; quæ non transfertur in ipsum à domino, nisi ex titulo non subsistente, & iniusto, ex quo acceptans nequit facere suam ex vi huiusmodi translationis præcisè. Quando verò datur liberaliter contrarium contingit, quia talis est rei translatio, qualis est titulus, ex quo transfertur; si persona in quam transfertur, sit capax rei ex tali titulo, & non impeditus lege ne tali titulo acquirat dominium. *Soluitur, & explicatur regula.*

y *Intelligendum etiam, quòd pecunia*, &c. Hîc determinat, quod aliàs *suprà* dictum est, nempe dari vsum vtilem pecuniæ, vt ad ostentationem, ornatum, & huiusmodi: & sic locatur, non mutuatur: & pro vsu eius hoc modo recipi pretium, sicut pro vsu equi. Aliqui hoc negant: sed ex natura rei patet, & vsu, & æstimatione hominum: quia pecunia sic locata facit ad commodum conducentis: quod commodum est æstimabile pretio; pecunia autem, vt est materia mutui, transfertur quoad dominium in mutuantem, non sic quando commodatur. Pecunia etiam consideratur dupliciter. Primò vt est mensura rerum venalium, & solutionis debitorum, & hic vsus est primarius eius. Alio modo consideratur materialiter, vt habet alios vsus ratione materiæ, commoditatis, &c. & sic potest esse vsus eius pretio æstimabilis, & locari potest. Hactenus Doctor assignauit regulas seruandas in commutationibus, in quibus de præsenti transfertur res; in sequenti verò adiungit duas regulas respectiuè ad dilationem solutionis, seu lucri. 102 *Pecunia potest locari.* *Duplex vsus pecuniæ.*

SCHOLIVM.

Præter regulas positas pro commutationibus de præsenti, ponit alias duas obseruandas, quando differtur receptio illius, pro quo alter commutat. Prima, quòd non vendatur tempus. Secunda, quòd alter non ponat se in tuto de lucro altero posito in periculo damni. Iuxta hos varios casus facile est soluere. Quod ait commutantem pro pretio maiore indeterminatè currente vsque ad tempus B, *esse vsurarium, intelligit, si erat aliquo die intra illud tempus rem expositurus commutationi: quia si in omnem euentum, erat eo vsque seruaturus, non est vsurarius, quia fortè post illum terminum venderet æquè carè, vel cariùs.*

SEd [z] quando commutans non statim recipit illud, pro quo commutat, sed differtur huiusmodi receptio, quæritur quid iuris? Respondeo, præter regulas prædictas pertinentes ad iustum, vel iniustum in singulis contractibus pro præsenti, addo hîc istas duas. Prima est, quòd commutans non commutet, vel vendat tempus: quia tempus *Duæ regulæ, quando non datur statim, quod alteri com-*

mutantium debetur. tempus non est suum. Secunda, quòd non ponat se in tuto de lucrando, & illum cum quo commutat de damno: intelligo in tuto semper, vel vt in pluribus.

Casus optimi de commutante dilata solutione. Ex istis regulis patent multi casus in speciali: verbi gratia, dicatur festum Natiuitatis Domini *A*, & festum sancti Ioannis Baptistæ *B*. iste commutans tradit alij rem suam in *A*: aut ergo tunc eam erat venditurus, aut non, sed in *B*. Si sic, vel determinat nunc pretium secundùm quòd currit tempus pro *A*, & tunc facit misericordiam, quia supplet indigentiam proximi antequam teneatur illam supplere, quando scilicet expectat solutionem huius vsque in *B*. Aut determinat pretium maius, quàm sit iustum pro *A*, & tunc est vsurarius, quia vendit tempus contra primam regulam, quod probatur *Extrà de Vsur. Consuluit.*

Si autem non esset modò venditurus, sed aliàs, quando videretur quòd secundùm cursum temporis plus posset lucrari; aut ergo nunc ponit certum pretium, aut non, sed dimittit certificationem pretij pendentem ex aliquo futuro. Si primo modo, scilicet si ponit pretium secundùm quòd res nunc valet, non est dubium, quin faciat misericordiam magnam. Si verò maius, quàm nunc valet, tamen non ita immoderatum pretium, quin tempore solutionis verisimiliter quandoque plus, quandoque minùs valeat res vendita, ratione dubij excusatur, quia contra nullam regulam suprà dictam facit, quod probatur per illud capitulum *Nauiganti.§.Ratione.*

21 Et si obiicitur contra hoc per illud ibidem, *In tua.* Respondeo, ibi continetur monitio vtilis, non præceptum necessarium.

Si autem determinationem pretij ex valore futuro illius rei, pendere relinquat; aut ergo pro tempore determinato illius solutionis, vel alio, in quo non consueuit regulariter res plus valere, quàm quando dat rem suam: & tunc misericordiam facit: vtpote concedo tibi istud pro tanto pretio, pro quanto valebit in *B*, vel aliquo tempore citra *B*: cùm tamen illa res consueuit communiter carior esse in *B*, quàm in aliquo tempore præcedente.

Quia talis si retineret rem, ante illum terminum, eam venderet, timens in ipso termino vilius vendendum, quod si omnino vsque ad terminum erat seruaturus, non est vsurarius, ex ratione Doctoris. Si autem [a] velit pretium determinari pro tempore indeterminato hoc modo, vt ponat se in tuto lucri, vt in pluribus, & alium in damno, vtpote, volo quòd tantum soluas mihi pro isto, quantum valebit, in quocunque tempore vsque ad *B*, quando cariùs vendetur; vsura est, quia ponit se, vel partem suam quoad lucrum, vt in pluribus in tuto, & illum, cum quo contrahit, ad damnum: & tunc habet pro se illud, quod euenit, vt in pluribus, & contra se illud, quod euenit, vt in paucioribus.

Est etiam ibi alia iniustitia, quia aliquo die determinato oporteret eum exponere rem suam venditioni, & non in tempore particulari vago; & in illo contingeret, quòd minùs carè venderetur, quàm in die carissimo inter *A*, & *B*: & per consequens in tali pacto facit se certum de lucro vltrà quàm humana industria pertingere posset.

Hæc ergo [b] regulæ dictæ sunt de iusto, & iniusto in venditione, & commutatione quacunque pro nunc, vel futuro, & hîc loquendo de commutatione œconomica, quæ est, quando commutans intendit rem accipere, pro qua commutat, vt non mercetur ea, sed vt ea vtatur.

COMMENTARIVS.

103 *Aliæ duæ regulæ circa lucrum. Prima regula. Secunda regula. Vendere tempus.* x SEd quando commutans non statim recipit illud pro quo commutat, &c. Statuit duas regulas obseruandas. Prima est *ne commutans vendat tempus, quod non est suum.* Secunda: *quòd non se ponat in tuto de lucrando, & illum cum quo commutat de damno.* Vendere tempus est, quando quis exigit lucrum ratione temporis, quod prohibitum est, *de Vsuris. cap. Consuluit*, &c. Venditur autem tempus, quando venditurus erat rem suam, de præsenti exigit pretium, quod pro tempore currat futuro, quando res illa cariùs vendi potest. Si autem rem suam erat seruaturus vsque ad tempus, quo magis valebit, tunc ex moderata auctione pretij, quod aliàs currit, vel maius, vel minus; non committit vsuram, vt patet *cap. Nauiganti*, de vsuris, & *cap. In ciuitate.*

104 *Casus.* Dubitatur an aliquis possit obligare alium vt eandem mensuram quis restituat tempore futuro, quando constat pretium rei crescere?

Responsio aliorum. Respondet Molina *disp.* 311. cum Soto *lib.6. de Iustitia & Iure. q.* 1. *art.* 2. si quis mutat frumentum pro frumento in tanta mensura soluendo, quòd potest exigere eandem mensuram, modò non obliget alterum ne ante illud tempus soluat.

Resoluitur. Res de præsenti distrahenda non debet carius vendi pro futuro. Respondetur tamen iuxta principia præmissa, si constat valiturum magis tempore solutionis constituto, & mutuans non determinauit seruare frumentum in illud tempus exponendum, sed de præsenti consumere, vel alienare, committi vsuram, quia ratione rei, recipit pretium, & temporis quod nondum habet in sua potestate, etiam in spe, cùm rem suam non erat seruaturus vsque ad illud tempus.

a *Si autem velit pretium*, &c. Exponit casum, in quo quis ponendo seipsum in tuto, quantùm ad lucrum, mutuatarium autem in incerto, committat vsuram: vt si dicat, Volo vt soluas pro merce pretiũ summum, quod valebit pro omni tempore, 105 *Transactio vsuraria.*

tempore, vel quocunque, vsque ad tempus constitutum solutioni. Patet hæc resolutio, quia seipsum reddit securum de pretio summo, quod neque res apud ipsum manens certo pareret, neque etiam apud mutuatarium, hanc autem in incerto. Ratio autem harum regularum est: quia debet seruari æqualitas; neque quis aliquid lucri potest exspectare vltra id, quod valet tam res in se, quàm lucranti, vel mutuanti, ita vt aliquid pretio æstimabile vltra sortem mutuatam debeat semper remittere mutuans, vt aliquid supra sortem paciscatur iustè, aut recipiat ex debito contractus: alioquin non seruatur æqualitas rei: & quidquid vltra sortem (vt in re valet, & mutuanti ratione præsentis incommodi, quod ex mutuatione eius incurrit) recipitur à mutuante, recipitur præcisè ex causa, & motiuo mutui, estque vsura; quia nihil aliud subsistit, quod esset causa, aut motiuum eius recipiendi tanquam ex debito.

Nō licet certū lucrum cū incerto alterius pacisci.

Ratio prædictarum regularum.

Regula generalis ex qua dignoscatur vsura.

106 b *Hæ ergo regulæ dictæ sunt*, &c. Hactenus assignauit Doctor regulas communes, & particulares, quibus regulari debet medium seruandum in emptione, & commutatione rerum in quocunque contractu, vt seruetur æqualitas rei: quæ regulæ sunt principia, ad quæ redeuntur quicunque casus in particulari spectantes ad contractus, ita vt ex alio fundamento nequeat resolui, nisi vt reducitur ad has regulas, & conditiones illas præscriptas; ac proinde eas breuiter subiungam suo ordine.

Regulæ generales à Doctore præscriptæ applicari debent ad cōtractus singulos in specie.

Subiiciūtur.

Prima regula est, *vt personæ sint capaces translationis, neque impeditæ voluntate alterius, à qua dependent, vel ipsa lege.* Adde præterea, vt nulla sit prohibitio contractus in se, quæ reducitur ad eandem regulam.

Prima regula.

Secunda regula, *vt absit fraus in commutatione, vt quando æquale datur pro æquali, secundum medium rectæ rationis, quod determinari debet lege, aut consuetudine.*

Secunda regula.

107 Tertia regula, *quòd vendens, aut transferens possit damnum proprium ex rei translatione redundans, & pretio æstimabile, vltra valorem naturalem sortis, aut rei permutatæ, in pactum trahere, & appretiari, & rationem eius habere, non tamen commodum alterius ex re mutuata, aut translata:* quia ad rectam, & iustam æqualitatem requiritur, vt transferens non grauetur, & commodum, & damnum, quod ex re translata ipsi contingit secundùm æstimationem fundatam in valore rei, vt ipsi valet, reputetur inter fructus rei vltra naturam eius.

Tertia regula.

Eius ratio.

Quarta regula, *quòd nihil potest accipere intuitu mutui vltra sortem*: quia per mutuum nihil, quod suum est, aut æstimabile pretio remittit in contractum, aut transfert in alium præter nudam, & meram sortem, ad quam alter tenetur ex vi contractus: vnde esset inæqualitas, si mutuans acquireret commodum, ex eo, quod non remittit de suo.

Quarta reg. Ratio eius.

108 Quinta regula, & sequitur ex tertia, est, quòd *mutuans possit damnum suum per se sequens ratione mutui tanquam ex causa, trahere in pactum, & quodcunque aliud pretio æstimabile, vt cessationem lucri, quod spe tenet; vel damnum, quod ex mora solutionis vltra præstitutum tempus incurrit, traheret in pactum, vt seruetur æqualitas: & ratione horum aliquid exigere, quo se indemnem seruet.* Hæc regula non comprehendit aliud lucrum, aut damnum, nisi illud præcisum, quod intuitu mutui euenit, non verò ratione expensarum, laborum, industriæ, aut negligentiæ ipsius mutuantis. Vt quando ex culpa sua incurrit necessitatem solutionis anticipandæ. Ratio huius regulæ est eadem, quæ superioris.

Quinta regula.

Ad quid extenditur.

Sexta regula, *quòd animus vsurarius, non expressus exterius, non vitiet quantùm ad obligationem restituendi in re ipsa id quod vltra sortem mutuatarius concedit, non intuitu debiti, sed liberaliter.* Est probata superiùs.

Sexta regula.

Septima regula, *vt non vendat tempus quod non est suum, neque seipsum de lucro in mutuatione rerum constituat certum, mutuatarium verò in incerto*: quia sic etiam tollitur æqualitas.

Septima reg.

Ex his regulis satis perspectè constat, quid iustum sit in commutationibus in genere, & in specie: ad quas prædictæ regulæ extenduntur, vt ad census, cambia, societates: de quibus hîc suo ordine agendum esset: sed quia neque textus Doctoris in specie tangit hos contractus, & Doctores satis fusè suo loco de illis agunt, ita non est expediēs vt eis immoremur: nisi breuiter tantùm, applicando regulas generales præmissas.

DE CENSIBVS.

Census definitur *ius percipiendi annuam pensionem super re, aut persona alterius.* Hoc autem ius pretio est æstimabile, ac proinde emi potest. Non dicitur ergo emi ipsa pensio, sed ius ad pensionem, quod tale debet esse; qualis est spes, quæ fundatur in iure, ipsum ius cōparatur, vt fructificat per pensionem, quæ sequitur: & seruandæ sunt conditiones, ad æqualitatem requisitæ. Diuiditur census primò in resignatiuum, & consignatiuum. Resignatiuus est, quando dominium directum, & vtile rei transfertur in censarium, cum reseruatione iuris percipiendi pensionem annuam super eadem re. Distinguitur ab emphyteusi: quia in hac tantùm transfertur dominium vtile, & non directum; hîc verò vtrumque. Ibi, nisi soluatur biennio, aut triennio, vt *suprà* dictum est, cadit in commissum, & coalescit dominium vtile directo. non ita in censu. Ibi nequit emphyteuta rem vendere non consulto domino directo; non ita in censu. Couarr. *lib. 3. Variarum Res. cap. 7.* 109

Definitur census.

Ius emitur, non pensio.

Diuisio census prima.

Resignatiuus census.

Differt ab Emphyteusi.

Consignatiuus est, quando aliquis constituit ius pensionis super bonis suis, non translato dominio vtili, aut directo ipsorum, aut etiam super persona. Diuiditur in realem, personalem, & mixtum. Realis est, quando in reipsa constituitur pensio, seu ius, quod ipsi semper adhæret, etiamsi vendatur, aut alienetur, donec pensio, & ius redimatur, quæ obligatio redundat in personam, cuius est ratione rei, quia onus rei est etiam eius cuius illa est. 110

Consignatiuus census.

Diuiditur in realem & personalē, & mixtum.

Realis quis: Semper manet.

Personalis, quando constituitur ius in ipsam personā, quæ se immediatè obligat, & consignat ad solutionem pensionis. Hîc aliquando interuenit hypotheca, ratione securitatis factæ pro solutione pēsionis, quæ cadit in ipsam hypothecam; quando persona, pro qua deponitur non soluit: hoc tamen per accidens est, & commune aliis contractibus, quibus securitas per hypothecam interuenit.

Personalis.

Securitas per hypothecam.

Mixtus est, quando obligatio cadit immediatè tam in rem, quàm in personā; ita vt si res pereat, maneat obnoxia persona pensioni soluendæ: quod non contingit in censu reali, qui perit cum

Mixtus.

Diuisio hæc est materialis. cum re ipsa. Diuisio in hæc membra est materialis, & ratione subiecti, cui annexum est debitum soluendæ pensionis.

111 *Alia diuisio census in genere. Certus census. Incertus census.* Alio modo diuiditur in certum, & incertum, ratione taxæ, hoc est, quando certa pensio soluenda est quotannis, dicitur census certus. Quando verò tertia, aut quarta pars fructuum qui incerti sunt ratione copiæ, aut sterilitatis; dicitur census incertus. *Alia diuisio in fructuarium & pecuniarium.* Item diuiditur in fructuarium, & pecuniarium, ratione rei quæ soluitur, vt fructus, aut pecuniarum.

Diuiditur in perpetuum, & temporalem. Diuiditur etiam in perpetuum, & temporalem, ratione termini constituti, vt decem annorum, vel ad vitam vnius, aut plurium: qui dicitur inde vitalitius. Perpetuus census est, qui non statuitur quoad terminum durationis; aliquando est redimibilis, aliquando non. Ex quo in hæc duo etiam diuiditur.

112 *Applicantur regulæ generales præmissæ.* Huc reducitur prima regula generalis, quantùm ad censum resignatiuum: ille solus potest illum creare, aut fundare, qui potest alienare dominium directum, & vtile rei in censuarium; quantùm ad censum consignatiuum ille potest, qui habet rei dominium directum, nisi ipsa sit impedita per alium contractum; vt quando dominium vtile ex integro sit penes alium directè, tunc autem ius, quod manet domino directo in fructus, aut pensionem, vendi potest. Vnde in quacunque re censum potest imponere, qui habet ius in illam: nisi sit persona, cui impeditur contractus. *Instit. de vsufr.* Ratio est, quia qui habet dominium, & non impeditum rei, potest eam vendere, vel in toto, vel in parte: constituere autem censum est vendere, aut donare in parte, & patet *ex Constitut.* Martini V. & Calixti III. Nicolai V. & Pij II.

113 *Quid de censu nouo diccendum? Sententia negans.* De censu nouo creato dubitarunt plures, an liceret illum vendere: vt Innocentius, Ioannes Andreas *in cap. 6. In ciuitate tua, de vsuris.* Henricus *quodlib. 1. q. 39, quodlib. 8. q. 24.* negant: quia talis creatio census, & statim venditio est mutatio vsuraria palliata pecuniæ pro pecunia, quia si quis mutuet centum, & recipiat pro hypotheca feudum cum fructibus, committit vsuram, quia recipit vltra sortem ratione mutui.

Sententia contraria præfertur. Contrarium tenent communiter Doctores; & patet ex *Extrauagantibus* Martini, & Nicolai; qui habētur inter cōmunes, *titulo de Emptione, & venditione*; & patet ex ratione præmissa. Deinde potest quis constituere ius pensionis de nouo ex titulo donationis: ergo & titulo venditionis potest emi, & vendi vsusfructus rei in toto, vel in parte: ergo similiter & ius constitui ad aliquam partem fructuum, & illud vendi. Sic etiam potest quis constituere, & vendere ius seruitutis in suo agro, quod est pars quædam iuris integri, quod competit domino. *Soluitur fundamentum oppositum.* Fundamentum etiam prioris sententiæ non subsistit, quia non interuenit hîc mutuatio: quia neque constituens censum nouum tenetur soluere pretium emptori, sicut mutuatarius mutuanti, neque rem ipsam, quæ subiecta est pensioni, tenetur perpetuare, aut stabilem facere; sed tantùm pensionem ex ea soluere. *Constituere pensionem non est pecuniam pro pecunia vendere, sed pro iure pecuniam dare.* Quòd si pereat, perit pensionario: neque hîc est mutuatio pecuniæ pro pecunia; sed pecuniæ pro iure ad pensionem. Vnde casus ille de hypotheca propositus non infert consequentiam intentam, neque refert quòd dicatur ius non extare, ac proinde de eo non posse fieri conuentionem, quia & illud falsum est, quia extat in vendente ius percipiendi fructus ex re sua: & quamuis non extaret, statim extabit, & sufficit quòd in spe certa possideatur, vt contingit in aliis contractibus. Ex quibus patet census reales redimibiles esse licitos; vt patet ex illis Extrauagantibus, quæ de his loquuntur.

Dubitatur de censu personali, an licitus sit Iure naturæ? Negat Nauarr. *com. de Vsuris* post plures antiquos *in cap. In ciuitate, de vsuris.* Vbi Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Cardinalis Zabarella, Panormitanus. Contrarium docent Sotus *de Iustitia & Iure lib. 6. q. 5. art. 1. conclus. 4.* Couarr. loco *suprà* citato, & alij plures. Fortè non est controuersia realis, quia priores authores iuxta rationes, in quibus fundantur, excludunt censum personalem, quoad conditiones oppositas libertati humanæ, quæ conueniunt censui reali, vt quòd censuarius possit vendere, aut vindicare rem ipsam in dominium proprium, quod non conuenit respectu hominis, vt possit vendi, aut trahi in seruitutem propter pensionem, quando non est soluendo. Alia ab hac est conditio pensionis, aut census personalis; de quo posterioris sententiæ Doctores, per quam manet tantùm obligatio census annui in persona vendente, cui accedit quandoque obligatio hypothecaria in bona eius aliqua, aut omnia; quæ transit ad hæredes, ita vt non obliget illos nisi secundùm vires hæreditatis; ideóque sæpe perit talis obligatio. Requiritur autem ad hunc censum, vt persona sit fructifera, id est, vt persona sit talis, quæ ex propria industria, & opera pariat fructum, seu lucrum, quo soluatur pensio; aut alia bona habeat in re, aut spe: verbi gratia hæreditatem, ex qua talis pensio solui possit: quod perinde requiritur ad censum realem, vt res ipsa, cui annexa est, sit fructifera, & portet onus pensionis, & census: aliàs ius, quod emitur, esset nullum, & fictum: quod nullum pareret commodum: cùm non ematur dominium directum, aut vtile, sed ius ad pensionem ex fructu rei, aut personæ. Hoc totum patet ex regula secunda superiùs assignata: quia in contractu emptionis, & venditionis, atque permutationis debet hinc inde interuenire res pretio æstimabilis, vt seruetur æqualitas, & translatio rerum mutua; ius autem ad fructum impossibilem, & nullum, non est pretio æstimabile, cùm nulli pariat, aut parere possit commodum.

114 *De censu personali dubium an sit licitus? Sententia negatiua. Affirmatiua. Reconciliatur. Requisita ad hunc censum. Vt persona sit fructifera. Patet ex regula secunda generali suprà data. Debet res pretio æstimabilis subiici permutationi.*

Ad hunc censum rectè exigitur hypotheca generalis in omnia bona, aut specialis in aliqua, pro securitate censuarij: quia sicut in aliis hæc conditio iustè exigi potest, ita in proposito, cùm sit contractus licitus, & cēsuarius iure possit cauere propriæ securitati, quando aliquod periculum rationabiliter præsumitur. Et huc reuocari potest regula septima iam præmissa, vt venditor census non constituat se in securo, & certo, constituendo personam censuarij in incerto: ille enim recipit pretium numeratâ pecuniâ, res autem, & persona eius, si obnoxia est aliis oneribus, quibus detractis redderetur incerta solutio census, rectè censuarius exigit securitatem per contractum hypothecarium, vt similiter ipse reddatur certus, & securus. 115 *Requiri hypothecam. Patet ex regula septima generali.*

Hinc patet censum mixtum posse etiam fundari, & emi; ita vt si res, quæ constituta est solutioni, sit incerti fructus, vt obligatio transeat in 116 *Mixtus census est licitus.*

in personam, quia hic contractus nihil includit ex natura rei, quod importat inæqualitatem, modò censuarius in emptione comprehendat pactum, & pretium census in augmento correspondeat iis, quæ venditor de suo exponit in contractu quantùm ad iuris sui renuntiationem, & maioris obligationis cumulum. Quamquam etiam hic contractus reduci posset ad contractum hypothecarium necessarium ad venditionem census.

Obiectio contra personalem.

Contra censum personalem primæ sententiæ Doctores obiiciunt primò, quòd sit contra libertatem.

Responsio. Non esse contra Ius naturæ.

Ad hoc responsum est de tali personali non agi: & si ageretur, non esse contra Ius naturæ simpliciter, vt si quis se in seruitutem vendat, aut operas suas alteri locet spectato statu præsenti: quia est sui iuris in iis, quæ Deus sibi, & dispositioni fixæ per legem non reseruauit, quale est illud, de quo agitur.

117 Contra ius naturæ dico, ita vt hoc non sit licitum: ergo etiam potest quis emere censum spectato tantùm iure naturæ, cum hac conditione, vt venditorem, si non soluat, vendicare possit in proprium dominium, aut operas eius in iis, quæ alimento supersunt, & sustentationi: Iure tamen positiuo cauetur, ne propter debita in seruitutem redigatur, aut pignori detur, *cap. 2. de Pignor.* si non sit soluendo.

Iure positiuo cauetur.

Secunda obiectio.

Alia etiam obiiciuntur; vt quòd pecunia nequeat vendi, & qui emit ius ad pecuniam, seu possessionem, emit ipsam possessionem.

Soluitur.

Respondetur non emi pecuniam, sed ius ad pecuniam. Et idem de possessione dicendum, vt patet in eo, qui vendit ius litigiosum in possessionem. Sic non emitur vsus domus, quamuis propter vsum ematur domus; sed ipsa domus emitur. finis enim extrinsecus rei, quæ cadit in contractum, non est materia commutationis; sed res ipsa, quæ in talem finem emitur.

Emi ius, non pecuniam.

118 *Tertia obiectio.*

Præterea obiiciunt: qui emunt aliquid, vt prædium ab iis, qui non habent prædium, neque ius ad prædium, & eadem pro annua pensione fictis venditoribus locant, sunt vsurarij: sed hoc est falsum; si ius ad censum personalem possint emere: ergo, &c.

Responsio.

Respondetur negando minorem, vt optimè Lessius *lib. 2. cap. 22. dubit. 4.* qui benè, & clarè hanc difficultatem tractat: quia similitudo non benè adæquatur; tunc enim esset proportio, si venditor nihil in re constitueret, quod fructuaret censum; vt si neque persona esset fructifera, aut res obligata censui, quia nihil in re exponeret pretio vendibile, sicut neque locans prædium, quod non habet in re; aut iure aliquid exponit, quod facit ad contractum locationis, aut emphyteuseos, qui sine re fructifera nequit consistere: sequitur nulla ratione titulum requisitum ad talem contractum ex parte locantis subsistere; ideò committitur inæqualitas secundùm speciem huius contractus, quia fictè, & non verè hoc modo initur.

Requiri materiã ad contractum quæ subsistat.

119 *Hoc seruari in censu personali.*

In censu autem personali non ita contingit, quia requiritur vt res obligata censui, aut persona sit fructifera, & par oneri, quod ex contractu sequitur, vt *suprà* visum est. Prior autem contractus quem exprimit argumentum, sicut est fictus quantùm ad titulum ex parte vendentis prædium quod non habet, neque ex parte ementis idem prædium, quod in re non subsistit, comparatur, quia sic fictè locatur. Sic etiam sequitur contractum hunc ex vtraque parte esse fictum. Vnde in re ipsa sors ab emptore repetitur in parte; quod nequit fieri in tali contractu. Contrarium contingit in censu personali, quia ius percipiendi censum commutatur pro sorte; & illud ius subsistit: quia persona vel in se ex propria industria, vel in aliis bonis, quæ possidet in re, vel in spe, accedente hypotheca, est fructifera, & census supponit titulum verum, non fictum. Instant etiam in quibusdam aliis contractibus mutui, qui sunt vsurarij. Sed vnica responsione soluuntur in genere, considerandam esse particularem naturam contractus, & leges seruandas in commutatione, quia per vnum contractum fieri potest rei translatio, quæ per alium contractum esset iniusta: vt in mutuo, si detur aliquid vltra sortem titulo donationis, valet: si autem ex debito, & titulo mutui, fit vsura, qui mutuat centum, nequit recipere nisi centum ex vi mutui. Si verò emat aliquid, quod successiuè valeat ipsi vltra centum, modò pretium illud sit lege, aut æstimatione sufficiens, validè contrahit.

Contractus fictus.

Personalis nõ est fictus.

Spectãda natura contractus.

Qui sub vno titulo est inualidus, sub alio est legitimus.

Hæc autem æstimatio, vt seruetur æqualitas in contractu, dependet etiam à circunstantiis concurrentibus in venditione, & emptione, sicut dictum est in contractu mutui: quæ circunstantiæ aliquid valoris superaddant ipsi rei naturæ, aut certè detrahunt: vnde pretium augeri, aut minui debet: vt in nundinis, quando est copia mercium, & raritas pecuniæ, aut emptorum: è contra quando est copia emptorum, raritas mercis, & sic de cæteris circumstantiis. 120

Circumstantia perpẽdenda.

Ex ijs pretiũ crescit, aut decrescit.

In proposito autem est ex parte vendentis considerandus census; vt per solutiones annuas, & successiuas, excedit sortem, quam commutat emens. Ex parte ementis considerandum est, quòd sortem simul numerata pecunia exponit; vnde quamuis pensiones speratæ ex censu simul collectæ excedunt summam ipsius sortis, qua emitur census: tamen non excedunt illam, quæ simul præstatur summa, quæ exposita alteri negotiationi potest tantum fructum parere emptori, quantum ex successiua pensionis solutione speratur. Considerandum præterea ex parte ementis periculum, & incertitudo recipiendæ pensionis, cui subest, vt si res ipsa, cui annexa est pensio, & censuris, sit subiecta periculo, vt seruetur æqualitas in contractu, etiam pretio subtrahendum est, quod periculo imminet.

Æqualitas in cõtractu census quomodo pensatur?

Æqualitas materia.

Periculum censuarij.

Item, si vltra rem ipsam, quæ omnino fructifera est pensionis, addatur à venditore alia securitas, vt personalis, aut hypothecæ: hoc etiam pretio æstimabile est. Vnde hinc inde seruandum est medium rectæ rationis, prout lex, aut consuetudo præscribit, quæ fit secundùm rectam æstimationem. Quòd si in casu particulari deficiat aliqua harum conditionum, non ideò contractus aliter iniri debet, aut regulari, quàm vt lex, aut consuetudo habet, quæ non respiciunt casus particulares. In hoc ergo regulam determinatam non est assignare. Aliquæ enim circumstantiæ in aliquibus locis sunt appretiabiles, & re ipsa æstimantur, quarum aliis in locis non habetur ratio, quia neque damnum, neque commodum inferunt, quod alibi habent 121

Securitas data à vendente censum.

Lex non comprehendit casus.

Diuersorũ locorum constitutio variat circumstãtias concurrentes.

habent annexum: ideóque in variis prouinciis, & regnis iuxta statum temporum, & conditiones rerum mutantur. Bulla Martini V. & Calixti III. approbant consuetudinem receptam in Germania, & Polonia vt decem, aut vndecim, aut tredecim aurei cōstituantur in singulos census. In Hispania, vt Nauarrus ait, & Medina 28. 29. & 30. In Sicilia decem, ex Bulla Gregorij XIII. & Nicolai V. in aliis alia sunt constituta pretia. Considerandum est, quantum emi possit res fructifera, quæ tot fructus annuos parit: quia eodem pretio potest census irredimibilis realis; imò etiam minoris emi, quia minùs æstimatur ius ad pensionem, quàm ipsum rei dominium; & census redimibilis minori pretio emi potest. Si negotiatio vigeat in prouincia, quæ expositione pecuniæ plus lucrari facit, quàm ferat census, facit pecuniam paratam, & præsentem pluris æstimari, quàm censum: sic etiam inopia pecuniæ facit censum viliorem; è contra cariorem copia pecuniæ. Hinc in Hispania cariùs æstimatur census ob copiam prædictam.

Varia cōsuetudines locorum.

Quomodo pēsanda æqualitas, & ex quibus?

122 Summi autem Pontifices contractui censuali adiecerunt conditiones; ne fraus irrepat vsuraria. Martinus, & Calixtus, vt colligit Nauarrus *com. de Vsuris, cap.* 27. octo apposuerunt; quamuis non necessarias declarauerint; sed quibus obseruatis docent censum rectè fundari in Polonia, & Germania. Postea, Pius V. anno 1569. edita constitutione plures apposuit conditiones necessariò obseruandas, quas enumerat Nauarrus *loco citato, num.* 84. Thomas Boninsigniùs *tract. de Vsuris, cap.* 4. Sunt autem quatuordecim; quarum vna tollit census personales. De his conditionibus illud statuendum est, eas seruandas, vbi Bulla vsu fuerit recepta; in aliis autem locis non ita; sed seruandam esse consuetudinem, & æqualitatem legis naturalis, & positiuæ receptæ, ac diuinæ. Prædictas conditiones explicat benè Nauarrus *ibidem*; quem sequuntur moderni, qui de his legi possunt. In genere dicta sufficiant: nam conditiones illæ eò spectant, vt natura contractus seruetur, & æqualitas rei inter contrahentes, ne aliqua pars grauetur vltra debitum, singulis proinde regulæ positæ applicantur: ex quibus discernitur iustitia in dato, & accepto, sed quia variæ sunt locorum cōstitutiones, quæ variant circumstantias, & æstimationem ex commodo rerum, & pecuniæ. Regulæ etiam æquitatis diuersimodè applicantur.

Constitutiones Pōtificia.

Octo cōditiones fundandi census.

Quatuordecim conditiones præscriptæ à Pio V.

DE CAMBIIS.

123 Hic contractus est licitus, & vtilis Reipub. quando seruatur æqualitas inter datum, & acceptum, deductis deducendis. Potest reduci ad varias species, vt emptionis, & venditionis ex vsu mercatorum, qui pecuniam absentem computant inter merces; eámque pecunia præsenti, tanquam mercem emunt, & vendunt, quia pecunia non solùm est mensura venalium, sed etiam ex adiunctis potest esse res venalis, vt ratione materiæ, quæ melior, vel deterior esse potest, vel commoditatis, vel distantiæ, & loci; vel ratione periculi, conseruationis, translationis, numerationis, & huiusmodi.

Cambium licitum.

Pecuniæ æstimatio vnde consurgat?

Potest etiam reduci ad permutationem, vt cùm commutatur pecunia absens pro præsente, aut diuersi generis. Reducitur etiam ad locationem, & conductionem ratione translationis, quæ est opera conducibilis, & locabilis, pretio æstimanda. Aliquando etiam ad contractum innominatum; vt *do vt des.* Definitur quòd *sit contractus, in quo pecunia permutatur pro pecunia*, &c. Vt sit contractus, requiritur consensus, & commutatio Iuris. Vt sit permutatio, requiritur saltem, vt inchoatiuè tradatur ex vna parte, & pecunia, quæ recipienda est, existat.

Cambium ad varios cōtractus reducitur.

Eius definitio.

Requisita.

Diuiditur in reale, & siccum. *Siccum est, quando fingitur cambium:* vt quando ratione temporis aliquid exigitur. Qui titulus est vsurarius; & ideò hoc genus vocatur siccum, quia caret iustitia, & titulo lucrandi, éstque in re ipsa vsura, verbis præferens cambium, non reipsa: vt quando fingitur pecunia præsens permutari pro absente, quæ neque in re, neque in spe existit, & lucrum accipitur, quasi existeret; & alio loco facienda solutio, in eodem ipso fit. *Reale cambium est permutatio pecuniarum in re facta, ex qua aliquid lucri iustè accipitur.* Diuiditur in minutum, & locale. Illud contingit, quando pecunia diuersæ speciei pro alia permutatur. Locale dicitur, quando præsens pro absente, quod vocatur cambium per literas. 124

Eius diuisio.

Cambiū siccum.

Est vsurarium.

Cambiū reale.

Eius diuisio.

Minutum.

Locale.

Huc spectant regulæ superiùs assignatæ, & potissimùm, quæ decernunt iustitiam in mutuo, quantùm ad damnum, & lucrum. Tituli ergo cambij, in quibus fundatur iusta acceptio vltra sortem, sunt imprimis lucrum cessans, & damnum emergens pretio æstimabilia, & intuitu cambij redundantia. Secundò est officium campsoris à Republica, & Principe impositum ad vtilitatem publicam, & commoditatem negotiandi, vt habeat pecuniam paratam ad cambium, cum aliis oneribus, & periculis, quibus subiacet, & operis, quas in communem vtilitatem confert: ex quibus viuere potest, quia in vtilitatem aliorum, & Reipubl. cedunt. In his computatur labor numerandi pecuniam, cōmoditas, quæ ex custodia, translatione, numeratione, & vbique per eam negotiatione facienda. Tertiò præstantia materiæ, ad quam reducitur etiam raritas, & antiquitas monetæ, & quidquid ad æstimationem eius materialem spectat; in quo excedit aliam, ob quam commutatur, quia hæc omnia in pretium veniunt secundùm æstimationem. Huc etiam aduocari potest commoditas negotiandi per vnam, magis quàm per alteram, & vsus, & distractionis, seu expensibilitatis eius. 125

Regula de mutuo seruanda.

Titulus, lucrū, & damnum.

Onera campsorū, & vtilitas ex ipsis.

Opera eorum æstimanda.

Labor, custodia, commoditas.

Excessus materiæ, raritas, antiquitas.

Quartus titulus est translatio pecuniæ, siue absentem faciat præsentem in æstimatione, siue præsentem faciat transferri in alium locum. Primum fit, quando absentem pro absente. Secundum, quando è contra præsentem pro absente permutat. Hæc translatio est virtualis, aut secundùm æquiualentiam, & pretio æstimabilis est; & currit in cambio locali. Quintus titulus est assecurationis. Sextus, si pecunia est minoris valoris, vbi eam campsor recipit, quam vbi eam restituit. Septimus ex copia, aut inopia pecuniæ potest valor eius crescere, aut decrescere; sicut aliarum mercium. Hi sunt tituli, vt plurimùm, in quibus lucrum cambij vltra sortem iustificatur. 126

Quartus titulus translatio.

Quintus titulus assecurationis.

Sextus titulus æstimatio minor.

Septimus copia, & inopia.

Ad

Ad casus particulares facilis est ex his resolutio, suppositis regulis generalibus præmissis de æqualitate dati, & accepti; nam quidquid pretio æstimabile est, potest in lucrum venire campsori, iuxta æstimationem, & mensuram rei, seruata proportione. De praxi cambiorum videantur auctores, & Lessius *lib. 2. cap. 23. dubio 5. & sequentibus.* Videatur Bulla Pij V. *de Cambijs*, apud Nauarrum *cap. 17. num.300.*

DE SOCIETATE.

127 *Societas quid sit?* HIc contractus est duorum, vel plurium ad conferendum aliquid in questum,& vsum communem; in quo contractu vnus, vel plures deponunt sortem pro rata conuentionis; alius instrumenta lucrandi,vt equos, nauem, & huiusmodi; alius industriam;alius etiam securationem sortis, aut lucri. *Modus eius ineunda.* Potest iniri, vel quoad solum lucrum, manente sorte salua ipsi deponenti: vel potest conuentio fieri, etiam vt totum transeat quoad sortem,industriam, & reliqua in commune dominium, & fiat communio in capitali, & lucro. *Lucrum, & damnum debet esse commune pro vita.* Vt seruetur æqualitas iuxta regulas positas, debet lucrum, & damnum esse commune pro rata eius, quod quisque deponit. *Æstimatio qualiter facienda?* Et omnia reducenda sunt ad æstimationem pecuniariam, quò certiùs attingatur medium iustitiæ seruandum in distributione.Ex parte deponentis sortem æstimatur fructus eius, vt si in aliam negotiationem expenderetur, valeret tantum. Sic etiam operas deponens, æstimandum est quantum valeant communi æstimatione; & sic de reliquis, vt secundùm ratam fiat distributio, tam sortis, quàm lucri, vel solius lucri; si de eo facta est conuentio: vel etiam solius sortis,si lucrum obuenerit, quando omnia in cõmune dominium, & vsum trãseant.

128 *Seruanda regula superius assignata.* Ideóque præter regulam secundam, tertiam, & quintam superiùs assignatas ad æqualitatem requisitas, seruanda est specialiter regula septima, vt ne quis seipsum in lucro certum constituat, socium verò in incerto. *Si initur quoad lucrũ tantùm, manet sors deponenti, etiam cessante lucro.* Si autem societas inita est tantùm quoad lucrum saluâ sorte, quæ non confertur in dominium commune, si nihil est lucri, sors integra manet domino: neque refert quòd socius operas perdidit, quia etiam cessatio lucri domino sortis reputatur, sicut si tota sors sine culpa socij perderetur,ei perderetur. *Titulus lucrãdi iustus.* Titulus lucrandi in hoc contractu est, quòd quisque è re sua, aut operis iustè commodum exspectet, eaque ad lucrum exponat. Potest à deponente sortem paruum lucrum certum ob magnum incertum pacisci, sicut & de securitate sortis cum socio pacisci. Varios modos ineundi hanc societatem tradunt DD.apud quos videri possunt.Hæc de societate in genere dicta sufficiant;ex quibus omnis contractus eius in specie regulari debet, vt iustè ineatur, & iusto titulo quis per eam lucretur.

DE MONTIBVS.

129 *Montes,& eorum origo. Inuenti à Franciscanis in cõmodum pauperum.* OLim in Italia soli Iudæi vsuras exercebant, & Christianorum opes, & potissimùm pauperum res emungebant. His incommodis maximè pauperum, quidam viri nostræ religionis remedium hoc Montis Pietatis inuenerunt,cõsultis Doctoribus Vniuersitatum,potissimùm Perusinæ,& Bononiensis; qui suo calculo hanc institutionem licitam esse comprobarunt;& magna suborta est de iis altercatio, vt docet Matthæus Villanus, & alij. Mons autem Pietatis est appellatus ex cumulo pecuniæ à viris piis deposito,ex quo pauperibus possit mutuari. *Mons Pietatis vnde dictus?* Variæ sunt eius leges.

Prima, vt ex eo mutuetur paupetibus loci, non diuitibus,neque externis. *Leges eius.* Secunda,vt certum tempus præscribatur,vt anni,aut paululùm vltrà. Tertia,vt deponatur pignus idoneũ à mutuatario, ne multis non soluentibus, Mons exhauriretur. Quarta,vt singulis mensibus aliquid minutum soluatur in expensas ministrorum,qui custodiunt Montem, & administrant in expensas.Quinta,si tempore præstituto non soluatur, liceat pignus vendere,& detracta sorte,& menstruis detrimentis quod superfluum est,restituere. Medina *de Vsuris,q.10.* Nauarrus, & alij.

Hunc modum mutuandi illicitum esse docet Caietan. *tom.2. Opusculo 6.* Sotus *lib.6.de Iustitia & Iure,quæst.1.art.6.* Inclinat Syluester *verb. Vsura,5.quæst.4.* 130 *Negãtes contractum esse licitum.*

Contrarium est certissimum, atque ad fidem spectans,quod definitum est à Leone X.in Concilio Lateranensi; *Contrarium definitur in Lateranensi.* qui definit hos Montes esse licitos, & ad pietatem spectantes; & suadet variis in locis erigendos per Italiam, concessis indulgentiis iis, qui aliquid conferunt ad erectionem Montium sub conditionibus præscriptis *supra*; *Indulgentiæ concessæ.* & vltrà fulminat pœnam excommunicationis in docentes,aut prædicantes contrarium: *Pœna in impugnantes.* incipit, *Inter multiplices*,facta est *in sess.10.*Concilij: in qua præterea citantur Decretales Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. Iulij II. super eadem materia. Accedit Tridentinum *sess.22.c.8.9.11.* *Trident.* decernit visitationem Ordinarij comprehendere hos Montes,sicut & alia pia loca, vt Xenodochia, vbi supponit esse opera pia.

Respondet Sotus ad Bullam Leonis, Caietanum,qui Concilio adfuit,docere contrarium in præfato opusculo, non obstante illa determinatione. *Responsio Soti.* Sed hæc responsio non valet;quia Caiet. ante Concilium scripsit præfatum Opusculum *anno 1498.* Concilium autem definiuit contrarium *anno 1515.* *Reijcitur. Falsa suppositio temporis.*

Respondet secundò, Concilium non fuisse receptum in iis, quæ de talibus Montibus determinauit. 131 *Secunda responsio.*

Contrà, quia oppositum constat ex praxi, & ex Tridentino.Neque hæc responsio valet,quia decreta fidei, & morum non indigent receptione populorum. *Impugnatur. Hoc decretum fuit receptum.* Vnde illa responsio locum tantùm habet in obseruatione legum.

Respondet tertiò, Concilium approbasse solùm illos Montes, quatenus non obstant sacris Canonibus; *Tertia responsio.* atqui conditiones positæ obstant sacris Canonibus. Sed hæc responsio minùs valet, quia Concilium definit non obstare sacris Canonibus,& exprimit ipsas conditiones. *Reijcitur.*

Declaramus, inquit, *& definimus Montes pietatis antedictos per res publicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ approbatos, & confirmatos; in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid moderatum, ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum, ad illorum conseruationem (vt præfertur) pertinentium; pro eorum indemnitate, dum-* *Declaratio Concilij.*

taxat vltra sortem, absque lucro eorumdem Montium recipitur: neque speciem mali praeferre, nec peccandi incentiuum praestare, neque vllo pacto improbari: quinimò meritorium esse, ac laudari, & probari debere: tale mutuum minimè esse vsurarium putari; licereque illorum pietatem, & misericordiam populis praedicare, &c. Ex quibus patet responsionem Soti nihil facere ad mentem Concilij, imò esse violentam.

132 *Quarta responsio. Impugnatur.* Respondet quartò nō spectare ad Concilium has quaestiones; quae magis ad Philosophiam spectant, quàm ad sacras literas determinare. Haec responsio est satis temeraria, & includit reprehensionem Concilij; quia Cōcilium in hac quaestione versatur tanquam in ea, quae spectat ad salutem animae; quid sit peccatum; quid demeritum; quid meritum; in quibus Ecclesia consulenda est; cuius est statuere differentiam inter virtutem, & vitium in operibus humanis.

Titulus iustus expensatum. Conclusio posita satis clara est ex dictis, quia expensae, & conseruatio montis debet fieri expensis eorum, quibus mons seruit, & quorum lucro conseruatur, & ministratur. Sed hoc commodum cedit omnibus qui lucrum ex monte capiunt, vt sunt pauperes. Ergo. videantur Authores citati, & Fauentinus disput. 47. qui fusè hanc quaestionem tractat cap. 11. impugnans Sotum.

Alij Montes. Alij sunt Montes, qui sunt in vsu ad commodum Reipublicae; & quibus emitur census: verbi gratia, pro centum quinque, plus, vel minùs. *Diuisio.* Alij sunt vacabiles, alij non vacabiles. In his habenda ratio aequalitatis, quae requiritur ad censum. De quibus videri possunt Summistae, & alij in materia de Contractibus. Emitur census super hoc Monte fundatus, cuius plures commoditates explicat Lessius *cap. 20. dub. 23. in fine.*

133 *Alij contractus.* Sunt & alij contractus, vt promissio, ludus, sponsio, depositum. De promissione aliquid diximus superiùs, & infrà agetur dist. 28. *Ludus. Definitur.* *Ludus est certamen duorum, vt sors deposita aequaliter cedat victori.* *Fortuitus prohibitus iure ciuili.* Ludus fortuitus Iure ciuili est prohibitus, qui communi nomine alearum est dictus; vt patet *l. 1. & 3. C. de Aleatoribus.* Dicitur fortuitus, quia fortunâ magis, quàm arte regitur. *Prohibetur Ecclesiasticis.* Quod magis lege Canonica est prohibitum Ecclesiasticis *can. 41. Apostolorum, cap. Clerici 15. de vita & honestate Clericorum. c. Ad aleas, & cap. Inter dilectos, 11. de excessibus Praelatorum.* Videatur Tridentinum *sess. 22. cap. 1. de Reformatione.* *Aequalitas vt absit fraus.* Aequalitas hìc seruanda est primò, ne minis, aut fraude inducatur quis ad ludum, quia sic datur causa damni, si perdat, quia est contractus per iniuriam extortus. Secundò, vt seruentur leges ludi, nec fraudes ingerantur. *Leges eius seruandae.* Quando etiam error, aut dolus dedit causam contractui, potest repeti deperditum ab eo, qui deceptus est: sicut contingit in aliis contractibus; vt si quis lusit animo tantùm lucrandi, & non soluendi alteri, si vinceret. Item, si sit tantus excessus in peritia vnius supra alterum, quem si hic sciret, non luderet, est similiter error, qui non venit in contractum, quia non fuit praeuisus; & si fuisset, non iniretur: vel si is, qui deponit rem ludo, non possit eam alienare, vt religiosus, filiusfamilias, & huiusmodi.

134 *Sponsio. Definitur.* *Sponsio est depositio alicuius, quod cedit ei, qui veritatem alicuius, de qua inter duos, aut plures certatur, estque incerta.* Excludit similiter fraudem, vt si alter, qui vicit, iam certus erat de veritate, nequit lucrari sponsionem. *Excludit fraudem.* Varia autem sunt genera sponsionum: vt do tibi tantum ea conditione, vt si vixero post annum, restituas duplum, aut triplum; si rediero ante tale tempus, &c. *Diuisio eius.* Rectitudo harum reducitur ad hoc, quòd quisque potest transferre dominium rei liberè, vel cum conditione; & exponatur sors lucro incerto, seu euentui. *Titulus iurandi iustus.* Hi duo contractus, si sunt lege prohibiti, nemo potest lucrari, quia contractus ipsa lege est irritus.

Depositum. Depositum fit traditione rei, vt custodiatur. *Ad quae extenditur?* Est plerumque rei mobilis: aliquando contingit in re immobili, & litigiosa inter partes, quarum neutra est in possessione, vel altera contra Iuris ordinem iniuit possessionem; vel subest periculum de re alienanda, aut deterioranda, vel suspicio de fuga. *Eius iura.* Depositarius nequit vti re deposita sine concessione deponentis expressa, vel tacita; aut sit vsu consumptibilis, vt pecunia, cuius aequalem habet paratam, quando deponens repetit; *Obligatio depositarij.* depositarius tenetur ex culpa lata tantùm, quando res in commodum proprium deponentis cedit: quia tenetur adhibere diligentiam, quae à diligentibus, & sollicitis adhibetur; ex leuissima verò, si in commodum proprium eius deponitur. *Sequitur cōmodati contractum.* Ad similes leges reducitur, ad quas commodatum. De quo *suprà* diximus, nisi quòd commodatarius teneatur de leuissima culpa.

135 *Accessorij cōtractus.* Contractibus accedunt fideiussio, assecuratio, pignus, hypotheca ad confirmationem, & assecurationem.

Fideiussio definitur. *Fideiussio est alienae obligationis in seipsum translatio.* Vnde nequit fideiubere, nisi qui potest contrahere, & habet vnde satisfaciat pro principali, illo deficiente. *Eius iura, & obligatio.* Debet esse valida obligatio principalis debitoris, vt fideiussio teneat; quia est accessorius contractus, sequens naturam principalis: ideò nequit obligari fideiussor plus quàm principalis contrahens, pro quo fideiubet: arctiùs tamen obligari potest ad idem, vt iuramento, vel instrumento publico, vel hypotheca: quibus positis manet obligatus ciuiliter, in casu quo principalis ex defectu alicuius conditionis requisitae ad actionem fori, solùm maneat obligatus naturaliter, vt si fideiubeat pro religioso, aut Minore, quorum contractus à Superiore, aut Curatore redduntur irriti, aut exceptione Iuris eliduntur; *Quomodo cōueniri debeat?* vt quia inhabiles erant, non potest conueniri principaliter in iudicio donec facta excussione inueniatur principalis contrahens inhabilis ad soluendum.

136 *Fideiussor indemnitatis.* Dari etiam potest fideiussor indemnitatis, vt qui se obligat pro aliis fideiussoribus in casu, quo hi inuenirentur inhabiles ad obligationis assumptae solutionem, deficiente principali. Vide Syluestrum *verb. Fideiussor.* tenetur debitor fideiussori ad damna incursa ex fideiussione. *Soluens succedit in iura creditoris quoad alios.* Et si sunt plures fideiussores in solidum, quisque etiam conueniri potest seorsim, nisi excipiat ante sententiam definitiuam, postulans vt alij etiam conueniantur, & creditor, cui soluit, debet cedere suam actionem, quam habebat in reliquos fideiussores ei, qui soluit; qua cessione facta potest ille eos conuenire pro parte virili, vt si debitum fuerit trecentorum aureorum,

aureorum, potest à quolibet centum exigere, si sunt alij duo; & à principali aliud centum cum damno incurso. In quibus casibus, vt patet, currunt regulæ generales assignatæ, quia & ipse se substituit creditori pro principali debitore: ideò ipsi tenetur. Alij similiter tenebantur creditori, & ideò actio ipsi competens translata in eum, qui soluit debitum in solidum, parit eundem effectum, quem habuit in creditore. Ex altera parte, quia debitor principalis per se dedit causam damno, tenetur ad reficiendum damnum. Qui gaudet priuilegio Iuris, potest elidere actionem exceptione priuilegij; & restitui in integrum, nisi renuntiauerit priuilegio expresse; quisque enim fauori proprio renuntiare potest, nisi illud sit priuilegium commune, & fideiussio fiat in damnum commune; vt Ecclesiæ à Prælato, aut monasterij, si quis fideiubeat sine consensu superioris, & maioris partis Capituli: aut si sit Prælatus, sine consensu maioris partis Conuentus. Potest clericus in damnum proprium, & non Ecclesiæ, fideiubere, vt si habet patrimonium, aut fructus beneficij, nisi his priuatus nequeat seruire curæ, qua tenetur Ecclesiæ, & sic redundaret in damnum Ecclesiæ.

Actio creditoris parit eúdem effectum soluenti fideiussori.

Exceptio priuilegij elidit actionem, nisi renuncietur.

Non renútiari commune, sed tantũ personale, sine consensu.

Potest clericus in damnũ proprium fideiubere.

137 *Assecuratio est contractus, quo quis rei alienæ periculum in se assumit, obligando se ad recompensationem.* Si fiat pretio, debet seruari æqualitas inter periculum, & pretium. Debet periculum subsistere, aliàs non est venale. Vnde si quis sciens rem esse in tuto, vt nauem, verbi gratia, in portu, antequam securationem assumit, non potest lucrari, sicut in simili dictum est de sponsione. Et idem ex opposito sequitur, vt si mercator certò sciat rem suam periisse.

Assecuratio definitur.

Eius iura & titulus.

Pignus & hypotheca idem sunt vsu Iuris; quia pignus dicitur, quòd pugno traditur. Hypotheca, quod conuentione tantùm subiicitur creditori ratione debiti, quantùm ad obligationem. Alia est vniuersalis: alia est particularis. Vniuersalis est, quando omnia bona obligantur tam præsentia, quàm futura. Particularis, quando res certa obligatur. Alia item est explicita, vt quæ conuentione, aut decreto iudicis inducitur, & hæc dicitur pignus prætorium. Alia dicitur tacita, vt quæ ex natura contractus ex dispositione legis inducitur absque conuentione, aut decreto. Hæc autem hypotheca secundùm varias consuetudines locorum fit: iure autem variis modis contingit, vt fisco, vel Principi omnia bona debitoris ex contractu, aut tributo constituta sunt hypothecata, excepto minori, cuius res empta à fisco hypothecatur pro debito, & non alia bona. Bona mariti omnia sunt hypothecata vxori pro dote, sic promittentis dotem bona, donec soluatur. Item bona tutoris, & curatoris, & administratoris, seu Prælati Ecclesiæ, aut ciuitatis, aut patris administrantis aduentitia filij, &c. Plura alia lege apud Molinam *disp.* 438. & 536.

Pignus & Hypotheca.

Diuisio eius. Vniuersalis. Particularis.

Pignus prætorium.

Hypotheca tacita.

Variis modis contingit tacita.

Cõmunis hypotheca Principi constituitur.

Bona mariti vxori, &c.

Hypotheca vniuersalis non impedit quin res aliqua vendi possit, quia pretium succedit rei; particularis semper manet affixa rei ad quemcunque deueniat, donec extinguatur præscriptione, aut solutione debiti. Illæ res possunt hypothecari, quæ possunt debitum pecuniarum compensare, non ita res, quibus id non competit, vt ius patronatus. Vnde si res, cui est annexa, oppignoratur, hoc ius manet saluum oppignoranti, licèt si vendatur transeat ad emptorem, quia sequitur materiam principalis. cap. *Bartolus, de sententia & re iudicata,* nec homo liber. c. 2. *de pignor.* neque suppellex pretiosa cultui diuino dicata, nisi cum debita solemnitate, & accedente necessitate, vt quia aliter nequit solutio haberi, vel vt redimantur captiui Ecclesiæ, vel subueniatur pauperibus in necessitate famis: census, vectigalia, iurisdictio, iura, actiones possunt oppignari, perit obligatio hypothecaria cum ipsa re, sicut & omnis obligatio realis, nisi sit aliter conuentum, vt dictum est suprà de censibus. 138

In vniuersali pretium succedit rei, non in particulari.

Quænam hypothecantur.

Perit cum re.

Hactenus de quibusdam contractibus in specie egimus, qui continentur sub emptione & venditione, vel ad eas reducuntur, vt praxis generalium regularum, quas assignat Doctor, in iis de facili habeatur, earúmque applicatio ad casus tam expressos, quàm non expressos, & ad conditiones requisitas ad æqualitatem in contractibus. Quod superest legi potest apud Doctores; qui rem ex professo agunt; nam quæ dicta sunt, instituto nostro sufficiunt, & ad declarandas regulas generales propositas de æqualitate permutationis rei pro numismate, aut numismatis pro numismate, vel rei pro re. de quibus in genere tantùm agit Doctor.

SCHOLIUM.

Vltra regulas assignatas pro permutatione, mutuatione, & venditione, assignat duas obseruandas in commutatione negotiatiua. Prima, quòd sit vtilis Reipub. Secunda, quòd lucrum correspondeat labori, industriæ, & periculis, & explicat, ac probat vtramque.

SEquitur [c] de commutatione negotiatiua, vbi commutans intendit mercari de re, quam acquirit, quia emit non vt vtatur, sed vt vendat, & hoc cariùs: & hæc negotiatiua dicitur pecuniaria, vel lucratiua. De hac vltra regulas prædictas quid iustum, & quid iniustum, addo duo. Primum est, quòd talis commutatio sit vtilis Reipublicæ. Secundum est, quòd talis iuxta diligentiam suam, & prudentiam, & sollicitudinem, & pericula accipiat in commutatione pretium correspondens. 22

Duæ regulæ pro commutatione mercatoria.

Prima conditio exponitur, quia Reipublicæ est vtile habere conseruatores rerum venalium, vt promptè possint inueniri ab indigentibus, volentibus illas emere. In vlteriori etiam gradu vtile est Reipublicæ habere afferentes res necessarias, quibus illa patria non abundat; & tamen vsus earum ibi est vtilis, & necessarius. Ex hoc sequitur, quòd mercator, qui affert rem de patria, vbi abundat, ad patriam vbi deficit, vel qui illam emptam conseruat, vt promptè inueniatur venalis à volente eam emere, habet actum vtilem Reipublicæ. Hoc quoad expositionem primæ conditionis.

Mercatores sunt vtiles reipub.

Mercator carius vendere potest, quàm emit, ratione laboris, industriæ & periculorum.

Sequitur secunda, quia vnumquemque in opere honesto Reipublicæ seruientem oportet de suo labore viuere. Honesto dixi, propter meretrices, & histriones inhonestè viuentes: sed afferens iste vel conseruans, honestè, & vtiliter seruit Reipublicæ: ergo oportet eum de suo labore viuere. Nec hoc solùm, sed vnusquisque potest industriam suam, & sollicitudinem iustè vendere: industria illius transferentis res de patria ad patriam requiritur magna, vt consideret quibus patria abundat, & indigeat: ergo potest iustè vltra sustentationem necessariam pro se, & familia sua ad istam necessitatem deputata recipere pretium correspondens industriæ suæ: & vltra hoc tertiò aliquid correspondens periculis suis. Ex quo enim in periculo suo transfert, si est translator, vel custodit, si est custos. Propter huiusmodi periculum potest securè aliquid accipere correspondens, & maximè si quandoque sine culpa sua in tali seruitio communitatis damnificatus est; vt pote mercator transferens quandoque amisit nauem onustam maximis bonis; & alius quandoque ex incendio casuali amittit pretiosissima, quæ custodit pro Republica.

23 *Locare pro cõducere.* *Mercator an vltra suam, & familiæ sustẽtationẽ potest lucrari?*

Hæc omnia confirmantur, quia quantum deberet alicui ministro Reipublicæ legislator iustus, & bonus retribuere, tantum potest ipse; si non adsit legislator de Republica, non extorquendo, recipere. Sed si esset bonus legislator in patria indigente, deberet locare pro pretio magno huiusmodi mercatores, qui res necessarias afferrent, & qui eas allatas seruarent: & non tantùm eis, & familiæ sustentationem necessariam inuenire: sed etiam industriam, peritiam, & pericula omnia locare: ergo etiam hoc possunt ipsi in vendendo.

Ex istis duabus [d] conditionibus requisitis in negotiatiua iusta, patet quomodo aliqui sunt vituperabiliter negotiatores, vt scilicet illi, qui nec transferunt, nec conseruant, nec eorum industria melioratur res venalis, nec certificatur aliquis alius simplex de valore rei emendæ, sed modò emit, vt statim sine omnibus istis conditionibus vendat; iste esset exterminandus à Republica, & exulandus: & vocantur tales gallicè *regratiers*; quia prohibent immediatam commutationem volentium emere, vel commutare œconomicè: & per consequens faciunt quodlibet venale, vel vsuale carius ementi, quàm deberet esse, & vilius vendenti; & sic damnificant vtramque partem.

COMMENTARIVS.

139 *Negotiatiua commutatio. Vt est politica, & non œconomica tantùm.*

c SEquitur de commutatione negotiatiua, &c. In superioribus egit de permutatione œconomica, quæ cõsistit inter priuatos, qua quis sibi, & familiæ contrahit, & prouidet in commodum priuatum. Hîc breuiter agit de negotiatiua, qua etiam intenditur lucrum; & spectat ad bonum commune politicum. Assignat autem duas regulas: quarum prima exprimit iustitiam huius negotiationis ex vtilitate Reipublicæ. Primò, quia *vtile est reipublicæ habere conseruatores rerum venalium, apud quos promptè inueniantur omnia venalia, quibus quis indiget, & vult ea emere*, &c.

Prima regula esse iustam, & vtilem.

Patet ex regulis cambij.

Hæc regula patet ex iis, quibus iustificatur cambium, ad vtilitatem publicam institutum à Principe, aut Republicâ, in quo pecunia habeatur semper parata ad necessitatem tam publicam, quàm priuatam.

140 *Secunda regula.*

Secunda regula decernit iustitiam ex parte negotiatorum; quia *in pretium reuocare possunt labores, pericula, translationem mercium, expensas: qui est honestus labor, ex quo viuere possunt, & valde vtilis Reipublicæ.* Deinde computanda sunt pericula, expensæ, industria, custodia, & reliqua pretio æstimabilia, vltra necessariam sustentationem; & confirmat, quia quantum deberet alicui ministro legislator iustus, & bonus retribuere, tantum potest ipse, si non adest legislator, de Republica, non extorquendo, recipere: legislator autem iustus deberet conducere operas transferentium res, quibus indiget Respublica: ergo & ipsi possunt suos labores, industriam, pericula, & reliqua pretio æstimabilia vendere.

Titulus lucrandi iustus, & æstimabilis.

Probatur.

Contra secundam hanc regulam Sotus *lib. 6. de Iustit. & Iure q. 2. art. 3.* Molina *disp. 348.* obiiciunt, quòd iustum pretium non sit ponendum in manu mercatorum: neque ex lucro, vel damno eorum attendi debere: sed ex communi mercium æstimatione. *Impugnant alij secundam regulam.*

Sed frustrà hæc obiiciunt, quia Doctor assignat iustitiam, & causas ex natura rei, ex quibus pretium debet æstimari secundùm rectam rationem: nam *suprà* ostendit medium rectæ rationis, quod lege, aut consuetudine determinatur, seruandum esse: & in hac æstimatione venire non solùm res ipsas, sed pericula, expensas, ex quibus valor rei crescit; vt patet ex dictis de emptione, venditione, mutuo, cambiis, & reliquis contractibus, quos *suprà* attigimus, & patet ex regulis promissis, generaliter de æqualitate seruanda in permutationibus œconomicis. Vbi ergo Respublica, vel Princeps statuit pretium, horum debet haberi ratio, ne mercatores vltra iustum grauentur, & nocumentum inferatur Reipublicæ, si cesset negotiatio: ac proinde ad eam conseruandam tenetur Princeps ex iustitia taxare pretium cum indemnitate mercatorum, sine qua nequit conseruari; & patet in campsoribus, qui ratione damni, laboris, & obligationis habendi pecuniam paratam, & à petentibus per cambium aliquid lucri cedit. Patet etiam in mutuante, qui lucrum cessans, & damnum emergens potest in pactum ducere. Patet ex communi Doctorum: quando Princeps, vel

141 *Reiicitur impugnatio.*

Contractus lucratiui, & corũ tituli.

Obligatio debita in æstimandis mercibus.

Varijs exẽplis probatur.

vel Magistratus ex malitia ad damnum mercatorum constituunt pretium non proportionatum mercibus, & infra infimum, quod communi æstimatione, & spectato valore mercium, est inæquale: tunc mercatores possunt vendere maiori pretio, quàm sit taxatum: quia illa taxa facta hoc modo est iniqua. Benè ergo Doctor dicit, vel per Principem, vel vbi non est alia æstimatio rei, quàm illa, quæ fit à mercatore, appretiari debere non solùm rem ipsam, sed labores, industriam, & reliqua, quæ valorem rei augent, & in lucrum iustè computantur, quæ est doctrina communis. Aliud autem non intendit Doctor: sed tantùm illa exponere, ex quibus lucrum licet, & acquiri potest, & debet, seruatis seruandis.

Scopus Doctoris.

142 *Casus quem adducit Doctor.*

Doctor inter alia adducit exemplum; vt quando nauis onusta mercibus, quas aduehit mercator in obsequium Reipublicæ, perit naufragio, vel incendio pereat domus eius, in qua merces pretiosas conseruat in vsum Reipublicæ, & commodum, & vtrumque fortuito, & sine propria culpa. Fortè hunc casum impugnant præfati Doctores: qui merces crescere dicant, vel decrescere in pretio ipsis mercatoribus, non Reipublicæ; vnde, inquit Sotus, si mercator Siculus conuehat tres naues frumenti in Hispaniam, ibi vigente penuria, & vna submergatur, non inde sequitur quòd mercator ille possit aliter vendere frumentum, quàm pretio currente. Quidquid sit de casu; Resolutio Doctoris est, quando damnificatur mercator seruiens Reipublicæ sine culpa sua deberi ei aliquam compensationem dari: verbi gratia, si in necessitate communi indicetur mercatoribus, vt conuehant suis, aut communibus expensis aliunde merces necessarias, vt frumenti in penuria famis: si citra eorum culpam aliquid pereat, non solùm ipsis perit, sed Reipublicæ, ac proinde sicut negotiorum gestores debet labor, & industria ipsorum secundùm iustitiam recompensari. Præterea damnum incursũ quoad ipsam sortẽ resarciri saltẽ in parte.

Explicatur casus.

Mercatores quasi rerum gestores.

143

Propterea addit ad casum Doctor illam circumstantiam *pro seruitio Reipublicæ*: nam aliud est, quòd ipsi lucri priuati causa tantùm conuehant merces: aliud verò quòd ex præscripta vtilitate communis boni Reipublicæ. Vnde in priori casu damna incursa debent etiam in æstimatione mercium, saltem conuectarum, transferri, cùm ipsi causam dedit vtilitas publica, ad quam sunt electi, & ordinati in casu præscripto à Doctore, & ex mandato particulari adacti. Vel dici potest hæc etiam pericula fortuita, quibus se mercatores exponunt in communem vtilitatem, considerari debere à Republica & legislatore in communi æstimatione mercium, quamuis res pereat conuehenti, aut conseruanti tantùm in particulari: tamen illa damna, quibus se subiiciunt mercatores in vtilitatem Reipublicæ, quamuis in specie non teneatur Respublica compensare; debet tamen rationem eorum in communi æstimatione mercium conuectarum habere, ne pereat mercatura; & sic taxare pretium, ex cuius lucro cætera damna incursa tolerari possunt.

Labor in commune bonum redundans æstimari debet.

Vnde ad rationem in oppositum respondetur, merces crescere, vel decrescere in pretio ipsis mercatoribus, quando accrementum, vel decrementum est per accidens, concedo; quando verò per se, nego. Per se autem se habet respectiuè ad æstimationem valoris rei hìc, & nũc, concurrentibus circumstantiis, quæ pensari debent, vt vtilitate publica, indemnitate mercatorum, & conseruatione negotiationis, & hoc quantùm ad pretium ordinarium, & lege statutum: quia iniustum esset mercatores subiicere damno in publicam vtilitatem, & non sentire aliquod commodum æquiualens ex lucro, seu pretio mercium, ideóque in æstimatione ordinarij pretij debent pensari etiam pericula, & damna imminentia, & communia.

144 *Soluitur ratio opposita.*

Damnum per se æstimari debet.

Per accidens crescit, vel decrescit pretium ipsis mercatoribus; vt quando est copia mercium, & raritas emptorum, aut pecuniæ: vel ex casu fortuito hìc & nunc, cuius haberi mox debet ratio quoad communem æstimationem ordinariam, quia particularis est, vt si ex sterilitate & penuria augeatur pretium mercium, vt frumenti, aut olei, & similium. Transeat ergo totum argumentum, & casus Soti, quia talis mercator sibi amisit nauem: tamen quoad frumentum aduectum, nisi pretium sit lege taxatum, aliquid ratione transuectionis exigere potest, quia illa est pretio æstimabilis.

Damnum per accidens non ita.

d *Ex istis duabus conditionibus*, &c. Deducit ex dictis, damnabiles esse negotiatores, qui nec ad commodum publicum faciunt transferendo, conseruando, aut meliorando merces, neque rationem pretij habent. Hinc quædam monopolia etiam damnabilia sunt, in quibus vltra debitum, vsus mercium subtrahitur communitati, & necessitatibus eius, vt mox vendantur non ex valore, aut æstimatione rerum; sed ex necessitate ementium, quam ipsi subtrahentes copiam mercium causant. Hi tenentur ad restitutionem, quia damnum inferunt Reipublicæ, & merces, quæ ab externis connehuntur in copia, & tolerabili pretio distraherentur, faciunt cariores nulla in ipsis facta melioratione. Quædam tamen monopolia licita sunt; vt quando auctoritate Reipublicæ instituuntur, & seruatur æqualitas in distrahendis mercibus.

145 *Damnantur quædam monopolia.*

SCHOLIVM.

In donatione committi iniustitiam, quando non liberaliter donatur; vt quando quis deceptus renitente superiore, vel necessitate tractus, dat aliàs non dandum. Exemplum, si petens fingeret se cognatum, vel pauperem; vel nollet mutuare nisi sub vsuris. Idem dicendum in accommodatione, quæ est donatio vsus rei ad tempus. Item, in permutatione, de iniustitia in venditione dictum est num. 14. *& conformiter dicendum de iniustitia locationis, & mutui.*

DE tertio [e] articulo, satis patet ex prædictis; quia *rectum est index sui, & obliqui*, 24
primo de Anima; & ideò ex iustitia determinata in præcedenti articulo in *Tex. 85.*

 transla

Scilicet, de visitatis dãtibus pecunias visitatori, quod prohibet Papa. Cap. 1. & inde.

Vis & ignorantia faciunt inuoluntarium.

Qui ficta paupertate aliquid accipit, tenetur restituere.

translationibus dominij, vel vsus rerum, apparet iniustitia, quæ accidit in talibus; quòd breuiter potest exponi discurrendo. Nam in donatione non est iustitia, si donans non merè liberaliter donat, vel si contra voluntatem alicuius, à quo dependet in donando, donat; sicut patet in illo casu, de quo allegatum est ibi, *Extrà de Censibus, c. Exigit, lib. 6.* Non autem merè liberaliter donat, si vel deceptus, vel quasi necessitate tractus donat: quia ignorantia, & aliqualis coactio excludunt voluntarium simpliciter, *ex 3. Ethic.*

Et ex hoc sequitur, quòd deceptus de eo, cui donat quantùm ad illam rationem propter quam donat, non simpliciter donat. Et ideò, si alicui tanquam propinquo donet, qui tamen non est propinquus, non simpliciter donat.

Consimiliter, si alicui, vt egeno, qui non est egenus: & ideò videant illi trutani, scilicet qui diuites existentes recipiunt, tamen tanquam egentes eleemosynas, ne iniustè omnia huius recipiant, quia non est in dante voluntarium propter conditionis ignorantiam, quam respicit in donando. Consimiliter, si attractus, vt in vsuris dandis, non est merè donatio liberalis.

Consimiliter dicendum est de accommodante, licèt ibi non sit defectus æqualis propter æquale iustum; quia translatio vsus ad tempus non requirit tantam liberalitatem, quantam translatio dominij.

25 *Iniustitia permutationis oritur ex deceptione, inuoluntario, vel prohibitione superioris.*

In permutatione est iniustitia ex eisdem causis, scilicet ex deceptione, & inuoluntario, & prohibitione superioris, cui commutans subest in commutando. Et ex hoc potest dici iniusta commutatio, quæ fit in ludis alearum, & huiusmodi, iuxta illud, *ff. de Aleatoribus, l. vlt.* & *Extrà de vita & honest. cleric. c. Clerici.* super illud *Officia*, in Gloss. tamen ista lex non ligat, nisi illos, qui viuendo politicè subsunt legi imperiali, qui fortè nulli sunt hodie: quia vbi præcipuè illa lex locum habere consueuit, municipalia præiudicant imperialibus, vt patet in Italia. Iniustitiæ in emptione, & venditione tactæ sunt priùs, tangendo de iustitia in eis. Et iuxta hoc de locatione, & conductione [f]. Per idem patet de mutui datione, & solutione; iniustitia præcipua est vsura, cuius vituperatio habetur *Extrà de Vsuris, c. Super eo.*

COMMENTARIVS.

146 *Articulus tertius.*

e DE *tertio articulo satis patet ex dictis*, &c. In hoc articulo determinat ex dictis breuiter de iniustitia, quæ fit in translatione rei, vel quoad vsum, vel quoad dominium: quia *rectum est iudex sui ipsius, & obliqui.* Reducit autem iniustitiam ad duas causas generales, vt quando aliquid transfertur sine voluntate eius, à quo dependet sic transferens; vel quando inuoluntariè transfert: hoc inuoluntarium procedit ex necessitate coactionis, aut ex ignorantia. Patet in donatione, qui est contractus merè liberalis, si coactus quis donat, non liberaliter donat. Si ignorans etiam donat, non liberaliter donat; vt quando donat aliquid ei, quem putauit esse propinquum, aut pauperem; & non subsistat conditio, non donat, & accipiens peccat, quia decipitur donans non subsistente causa legitima, & ex qua fit donatio, & cuius defectu cognito non fieret donatio. Ratio est, quia non habet donatio vim, nisi ex voluntate, & intentione donantis, quæ omnino comprehendit conditionem, & causam; ex qua fit, & excludit contrarium: sicut enim lex non extenditur ad casus, quos voluit excipere legislator, vel tacitè, vel expresè; quia recipit speciem, & extensionem à voluntate legislatoris, quæ causam, & rationem legis comprehendit.

Causa generales iniustitia in donatione.

Coactio.

Ignorantia.

Conditio exclusa vitiat contractum, si adsit.

Lex non comprehendit ca sus expressos.

147 *Causa & cõditio per se exclusa.*

Ita in proposito donans implicat illam conditionem in suo cõsensu, cuius error dedit causam donationi, vt aliàs non fieret, neque bona fide res donata acceptatur à donatario. Hoc intelligitur de conditione, & causa per se donationis; quam donans suo consensu tacitè, vel explicitè comprehendit principaliter, ita vt aliàs non donaret, neque cognito errore eam ratificaret, sed intenderet repetere: quo casu ipsi est restituenda. Quidam tamen Doctores dicunt donationem factam pauperi ficto dandam esse pauperibus veris, quia præsumitur voluntas donantis iam abdicasse dominium in Christum. Alij dicunt restituendam esse ipsi donanti, si est res notabilis; de qua non potest fieri talis præsumptio, quantùm ad voluntatem domini: si minuta, præsumendum esse eam alienasse, neque plurimùm intendere restitutionem. Si autem conditio illa sit tantùm accidentaria, & accessoria, completo iam consensu, & animo donationis, valet donatio: quia licèt impellat ad donationem, tamen animus donantis, seu consensus, à quo dependet donatio, completur independenter à tali donatione.

Cui facienda restitutio rei donata inualidè.

Conditio per accidens non annullat trãslationem donatiuam.

Hæc resolutio Doctoris patet ex multis textibus, *ff. de condictione causa data non secuta. & C. de condict.* & tenet Bart. *l. 11. §. final. ff. de donat.* & patet, quia contractus nominatus non impleto modo, quod perinde est, reuocari potest, quando fuit causa principalis, *l. cum lege, C. de Pactis inter vendit. & empt. & l. ea conditione, C. de Rescinden. Vend.* Ad idem facit, quòd donatio facta in persona liberti, aut extranei, reuocetur ex præsumpta voluntate donatoris in totum ipso iure, quia talem conditionem tacitè excepit donator; vt donatio facta illis non fiat in præiudicium superuenientis prolis, vt *in l. Si vnquam, &c. cum glossa, C. de Reuoc. donat.* Videatur Bartol. *in l. Titia, in §. Imperator. ff. De leg. ij.* & Panormitanus, *cap. Si quis irascitur 13. quæst. 2.* 148 *Probatio.*

In

149 In commodato eædem regulæ seruantur, nisi, vt dicit Doctor, quòd hîc non sit tanta liberalitas, sicut in donatione, quia hîc tantùm fit donatio quoad vsum tantùm; neque proinde tantum præsumi debet de repugnante voluntate commodantis, quantum de voluntate donantis, quia res ipsa manet salua domino. Sequuntur eædem regulæ in permutatione, nempe ex iisdem causis ex deceptione, siue oriatur ex dolo, siue ex errore conditionis, quam excludit contrahentis voluntas, & ex inuoluntario per metum, & coactionem, quæ dedit causam contractui, siue ex prohibitione superioris, oritur iniustitia contractus.

Eadem regulæ sunt cōmodati.
Non est æqualis præsūptio.
In permutatione seruantur eædem regulæ doli, & erroris annullantis.

Et sic de reliquis contractibus, vt de locatione, conductione, donatione, & solutione, & reliquis, qui ad hos reducuntur; de quibus *suprà* dictum est. Iniustitia in his ex prædictis capitibus desumenda est in genere, vt probant tam regulæ generales, quàm speciales, quæ ex iisdem desumuntur. In his omnibus non requiritur aliud, quàm applicare hæc principia, considerando naturam contractus, vt lege præscribitur, causam, modum, & conditiones, & voluntatem contrahentium, vt in his versatur, & vltrà, vt cognoscatur æqualitas secundùm medium rectæ rationis, quæ desumitur à lege, consideratis iis circunstantiis, quas lex ipsa comprehendit, aut excipit. Vel debet sumi ab æstimatione communi, cuius praxim debet inquirere, qui casus occurrentes resoluere nititur, & ea petenda est à viris in æstimatione rerum versatis, & integris; alioquin procedens ex solis generalibus regulis iustitiæ, speculatiuè loquendo, non poterit eas commodè applicare, nisi omnia sciat, quæ hîc, & nunc ad excessum valoris rerum, aut decrementum spectat, singulis circunstantiis pensatis, ex quibus lucrum exspectari debet, vel decrescere. Ad quod facit communis sententia Doctorum, & casus similes decisi lege, aut à legis peritis, quia ad Theologum tantùm spectat regulas generales applicare; ad Iuristas verò particulares leges, & receptam consuetudinem illis legibus conformem, quia lex non fouet peccatum: & quando in specie lex non datur, consuetudo probata à viris prudentibus succedat: in casibus autem extraordinariis æstimatio rebus, aut circunstantiis accommodata ius dicit, cui cætera adminicula accedunt ex variis locis: ex quibus argumenta desumi possunt à lege, & æstimatione communi, & iis contractibus in specie, quibus magis ipsi casus concordant, & quorum naturam induunt.

Idem dicendū in reliquis contractibus.
Quomodo applicandæ sunt regulæ generales.
Officiū Theologi.

150 Vnde distinguendi sunt varij tituli concurrentes in contractibus innominatis, & secundùm eos reducendus est casus ad contractus nominatos; quorum naturam imitatur, & considerandum an rectè titulus fundatur, & aliis cohæret. Nam sæpe tituli ipsi repugnant, vt si quis aliquid dicat esse suum titulo donationis, & permutationis, tituli non cohærent. Si quis rem sibi vendicat priuilegij, & præscriptionis titulo, non cohærent. Si quis mutuatione, & emptione dicitur acquisiuisse, &c. nam aliter nequit regula generalis dari, quæ ad omnes casus applicari in specie possit secundùm diuersas circumstantias. Et sicut in moralibus quæ in iis ad alias virtutes spectant, procedi debet, quoad circunstantias diuersas ex regulis particularibus virtutum, ad quas rectitudo, aut obliquitas reducitur. Sic in contractibus, quando varij concurrunt in eadem permutatione, debet coniici natura singulorum, vt reducuntur ad contractus nominatos, quos imitantur, & secundùm hos considerari iustitia, aut iniustitia. Cæterùm quod hîc docet Doctor de vsu alearum iam *supra* resolutum; & spectandæ sunt leges, prout consuetudo non improbata eas trahit in vsum.

Distinguendi tituli.
Contractus innominatus sequitur nominatum.
Tituli repugnantes.
Exemplum in materia concurrentiu virtutum.

f *Per idem patet de mutui donatione*, &c. Hoc patet ex dictis *suprà*: hîc autem dicit præcipuam iniustitiam contra hunc contractum esse vsuram, quæ reprobatur *extrà de Vsuris. c. Super eo.* Vide quæ in hoc dicta sunt contra Abulensem *suprà* de hoc contractu. Hoc idem patet ex pœnis Iuris, quas incurrunt vsurarij manifesti, id est, qui facto, vel Iure, manifestè sunt tales, quæ legi possunt apud Couarr. *lib. 3. Variar. cap. 3.* 151

Iniustitia quæ sit in mutuo.
Pœna vsurariorum.

Illi sunt manifesti facto, qui nulla tergiuersatione hoc lucrum faciunt. Iure verò, qui sententia iudicis sunt damnati, aut in iudicio crimen ipsum sunt fassi, aut contra quos adductis testibus est plenè in iudicio probatū. Prima pœna est infamia Iuris. *L. Improbum 20. C. Ex quibus causis irrogatur infam.* Requiritur plena probatio in iudicio, non verò infamia, aut semiplena probatio, aut confessio extraiudicialis facta: verbi gratia, coram Parocho & testibus, vt infamiam Iuris incurrant.

Vsurarij manifesti.
Prima pœna infamia.

Secunda est, vt si sit clericus, sit incapax beneficij, & irregularis, de qua pœna dictum est cum Doctore *suprà dist.* 13.

Secunda incapacitas beneficiorum.

Tertia pœna est, excludendos à communione *cap. In omnibus. 3. de Vsuris.* non intelligitur eos esse excommunicatos per hoc.

Tertia priuatio communionis.

Quarta ibidem adiicitur, vt excludantur ab oblatione facienda, & admittens manet suspensus, donec satisfecerit ad arbitrium Episcopi.

Quarta exclusio ab oblatione.

Quinta, neque ad confessionem peccatorum admittitur, donec satisfecerit. Hæc fieri debet reipsa pro sua facultate, aut per idoneam cautionem, nempe pignoris, aut fideiussorem, & hoc ipsis creditoribus, si sunt præsentes, vel coram Episcopo, aut eius Vicario, vel coram Parocho cum testibus idoneis, vel coram Notario publico habente mandatum ab Episcopo. *cap. Quanquam, de Vsuris in 6.* si cautionem præstare non possunt, debent iurare se non posse, & facturos quod possunt; & tunc absoluendi sunt, si periculum est in mora. 152

Quinta exclusio à confessione, nisi satisfecerint, aut cautione præmissa.

Sexta, carent Ecclesiastica sepultura. *cap. Quia in omnibus, &c. de Vsuris*, & sepeliens in loco sacro incurrit excommunicationem ex *Clementina de Sepulturis*, quæ magis comprehendit Parochum, & alios principales, quorum mandato fit, quàm vespillonem.

Sexta priuatio sepulturæ in loco sacro.

Septima. Testamenta ipsorum sunt irrita, nisi ante mortem soluerint, aut cautionem sufficientem dederint.

Septima nullitas testamēti.

Octaua. Non possunt Ecclesiastici locare domos exteris vsurariis: tenentur eos expellere ex suis terris intra tres menses: alioquin ipso facto incurrunt suspensionem, si Episcopi: si Minores, excommunicationem, interdictum verò si sit collegium, aut vniuersitas. *c. 1. de Vsuris. in 6.*

Octaua priuatio locutionis, & expulsio.

SCHO

SCHOLIVM.

Vsuram esse prohibitam nouo, & veteri Testamento. Quod ait ratione damni nihil vltra sortem deducendum in pactum, fortè cum D. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1. vult non esse constituendum pretium pro tali periculo; quia speciem habet mali, & vix sine scandalo fieri potest: non ergo negat quin posset mutuans pacisci de indemnitate, quia suprà num. 18. dixit (& notat benè Med. C. de Vsur. quæst. 3. §. Non obstat) aliquid vltra sortem recipi posse ratione pœnæ conuentionalis, interesse, & periculi sortis. Tribuitur hìc ad secundum Scoto, quòd teneat dominium vsuræ transire in vsurarium: sed tantùm ait, si transeat, non inde sequi, non teneri vsurarium ad restitutionem: probabile tamen est sic transferri dominium. Ita Alens. 4. part. qu. 33. memb. 2. art. 2. Henr. 4. quodl. qu. 27. Nau. cap. 17. num. 265. Palud. hìc qu. 5. Bald. l. 1. num. 3. C. de Pignor. act. gloss. cap. Si quis vsuram 14. qu. 4. & c. Si Episcopum 16. quæst. 6. & alii. Nec obstat factum esse prohibitum, quia ad dominij translationem sufficit eam non esse iure cassatam.

26 *Cap. 18. Psalm. 14.* Qui pecuniam suam nó dedit ad vsuram. *An liceat mutuãti ex pacto seruare se indemnem. An dominium vsuræ transeat in vsurarium?*

VSuræ [g] crimen vtraque Pagina detestatur. Quòd vetus, patet per Ezech. *Ad vsuram non accommodabis*, &c. Quòd noua, Luc. 6. *Date mutuum nihil inde sperantes.* Et si arguetur contra hoc, quòd licet vnicuique in contractibus se seruare indemnem, vt dictum est priùs, quòd vendens potest cariùs vendere, attendens damnum suum in vendendo, maximè si inducatur ab illo, cui vendit: ergo eodem modo, si inducatur ab alio quis, vt sibi mutuet, licet sibi se seruare indemnem: quod non potest, nisi accipiendo aliquid vltra sortem, & hoc ex pacto, aliàs est incertum. Similiter dans vsuram, voluntariè dat, quia nullus cogit eum ad hoc, sed voluntate sua accipit pecuniam, & reddit vltra sortem: & sic potest dominium transferre in alium. Si autem transfert dominium: ergo alius, scilicet vsurarius, non habet alienum.

Ad primum respondeo, si non vult damnificari, pecuniam sibi necessariam reseruet, quia nullus eum necessitat ad faciendam misericordiam proximo: sed si vult misericordiam facere, necessitatur ex lege diuina, vt non faciat eam vitiatam. Ad secundum, & si transferat dominium, tamen recipiens tenetur restituere: sicut in mutui datione transfertur, & tamen debitor tenetur tandem restituere creditori.

27 *Quando est iniustitia in cõmutatione, vbi differtur solutio. Iniustitia in negotiatione quando contingit. In furto, rapina, & huiusmodi non transfertur dominium.*

Consimiliter patet de iniustitiis in commutationibus, vbi fit dilatio recipiendi. Est enim iniustitia vendendo tempus, vel ponendo se in certo de lucrando, vel simpliciter, vel vt in pluribus. Consimiliter, in negotiatiua est iniustitia, si officit Reipublicæ actus eius, vel si immoderatè recipit à Republica vltra industriam, diligentiam, solicitudinem, & pericula. [h]

Item, præter iniustitias [h] istas partiales in istis contractibus, vel commutationibus, est vna generalis; quando aliquis vsurpat rem alienam domino simpliciter inuito; & hoc tam domino proximo, quàm remoto, scilicet legislatore, qui non vult imò prohibet illam rem occupari inuito domino, nisi in casibus præscriptionis, & vsucapionis. In istis autem non est translatio dominij, scilicet in furto, rapina, & huiusmodi, licèt sit violenta occupatio rei, cuius est dominium: & ista iniustitia est manifestior quacunque alia; vbi propter solam defectuosam conditionem est iniustitia in translatione, vel commutatione, vt est in casibus supradictis.

COMMENTARIVS.

153 *Prohibita vsura in Scriptura. Duæ obiectiones.*

g VSura crimen vtraque Pagina detestatur, &c. Docet tam veteri, quàm nouo Testamẽto vsuras esse prohibitas. Deinde resoluit duo in fauorem vsuræ obiecta. Primum est, quòd licet cuique se indemnem seruare: ergo & vsurario: quod fit, quando vltra sortem aliquid recipit. Secundò, quia volenti non fit iniuria: recipiens autem vsuras soluit liberè vsuram: ergo transfert dominium eius, quod vltra sortem concedit in vsurarium: ergo ille iure accipit.

Ad primum respondetur.

Respondet ad primum; si non vult damnificari pecuniam sibi necessariam teneat, quia nullus eum necessitat, ea scilicet necessitate, qua campsores ordinati à Republica necessitantur ad cambium: quamuis enim vsuræ tolerentur ob aliquod bonum Reipublicæ, tamen non approbantur, sicut neque prostibula non necessitatur coactione, aut metu: si enim interueniunt, est sufficiens titulus aliquid vltra sortem exigi: eo ergò quo velit mutuare proximo, tenetur cum hoc damno mutuare, & nihil exigere.

Vsura tolerata non approbata.

Contrà, quia vt *suprà* dictum est, cum ipso in hac materia damnum, quod intuitu mutui incurritur, est æstimabile: & labor numerandi, & conseruandi pecunias sunt tituli iusti recipiendi aliquid vltra sortem: ergo responsio illa non cohæret dictis *in artic. 2.* 154 *Replica.*

Respondetur non improbari hos titulos à Doctore, neque alios pretio æstimabiles hìc: sed damnum prætextum ab vsurario, quo exigat *Soluitur.*

aliquid

Intuitu mutui nihil recipi potest. aliquid intuitu ipsius mutui, quo pecuniam in alterum transfert, hoc autem damnum sufficienter resarcitur per solutionem mutui: ac proinde non debet bis solui in toto, vel in parte, dando aliquid vltra sortem. Vnde si alio titulo iusto recipiat mutuans, modò non excedat, non est vsurarius.

Ad secundam obiectionē solutio. Ad secundū respondet: etsi mutuatarius trāsferat dominium pecuniæ in vsurarium, non ideò non teneri eum ad restitutionem: nam & ipse vsurarius transfert dominium pecuniæ mutuatæ in mutuatarium, quamuis teneatur ad restitutionem eius.

155 *Dubium. Ad quem spectat dominiū pecunia vsuraria.* Dubitatur circa hanc doctrinam huius respōsionis, quam supponit Doctor, vtrùm scilicet vsuræ dominium transeat in vsurarium. Multi enim docent contrarium: vt Alensis 3. *part. qu.* 36. *num.* 4. *art.* 2. Altisiodorensis 3. *part. tract.* 31. *quæst.* 1. D. Bonauentura *in hac distinct. part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. Richardus idem supponere videtur *quæst.* 5. docet Gabr. *quæst.* 11. & citatur D. Thomas 2.2. *quæst.* 78. *art.* 3. quamuis *in præsenti dist. quæst.* 2. *art.* 4. *quæstiunc.* 1. videatur inclinare in affirmatiuam, quam non impugnat. Hanc eandem tenet Caiet. *tom.* 2. *Opusc.* 8. *cap.* 1. Medina *quæst.* 4. *de Vsur.* Couar. *lib.* 3. *Variarum. cap.* 3. Sotus *lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 4. éstque frequentior modernorum. *Non esse penes vsurariū plures tenent.*

Sententia affirmatiua. Partem affirmatiuam imponunt Doctori in textu; sed neque vnam, neque alteram *ibidem* assertiuè tenet, sed respondet ex suppositione antecedentis, negando consequentiam, & dat instantiam commodam, de qua nulla est difficultas. Hanc tamen partem sequitur Henricus *quodlib.* 4. *quæst.* 27. Glossa *in cap. Si quis vsuram* 14. *quæst.* 4. Paludanus *in hac dist. quæst.* 2. *art.* 5. Nauarr. *in Manuali cap.* 17. Baldus *L.* 1. *num.* 3. *C. de Pignor.* *Eam expressè non tenet Doctor. Alij authores cōsequuntur.*

156 *Probatur.* Hæc sententia fundatur in argumento, ad quod respondet Doctor, quia mutuatarius dans pro vsura, voluntariè tradit rem ipsam, quod sufficit ad translationem dominij, sicut tradens ex metu, & coactione transfert dominium rei, acquisitæ sufficit traditio voluntaria proprietarij, licèt non transferat ius, quod habet in rem; ac ratione eius alter tenetur ad restitutionem, latiùs enim patet dominium, quàm ius in rem: vt patet in multis casibus. Vsurarius autem ex quasi contractu acquirit dominium per traditionem illam voluntariam mutuatarij; & est quasi indebiti solutio, per quam rem facit suam, quamuis restituere teneatur, eique insistit tanquam rei propriæ, ita vt perturbari non possit ab alieno: vnde si rem loco vsuræ accipiat, & eam vendat, acquirit dominium pretij, vt patet *l.* 46. *Qui vas,* & *in fine, ff. de Furtis*: vbi dicitur, quòd nummus, qui reductus est ex pretio rei furtiuæ non fit furtiuus. Vnde quamuis emptor rei furtiuæ possit contractum rescindere, & pretium repetere; tamen quamdiu id non facit, manet dominium pretij apud furem venditorem; vt patet ex decisione illius legis; quamuis teneatur ad restitutionem pretij. Eodem modo, si vsurarius emat ex pecunia vsuraria aliquid, res empta transit in eius dominium. *Ius in rem, & dominiū differunt. Per trāslationem vsurarius acquirit dominium. Nequit perturbari ab alieno. Pretium rei vsurariæ facit suum.*

157 *Responsio.* Dices hic celebrari contractum, quia bona fide emens, aut vendens, nescit rem esse alienam: si autem sciret, contractus esset irritus.

Impugnatio. Contrà, nisi contractus esset in re etiam irritus ratione conditionis exceptæ, & ignotæ, non sequeretur obligatio restitutionis; ac proinde quantùm est ex natura contractus perinde est irritus, siue sciatur, siue non. Vnde, quamuis mala fide contrahens sciuit illam conditionem, irritantem, & rem obnoxiam esse restitutioni; facit tamen pretium suum, quantùm ad dominium, licèt maneat obligatus ad restitutionem; ita recipiens rem à vero domino per traditionem, quasi ex contractu, recipit eam in proprium dominium, licèt sit obnoxius restitutioni eius. Præterea, vt prior sententia admittit, si pecunia vsuraria permisceatur propriæ pecuniæ vsurarij, ita vt discerni non possint, (eodem modo de oleo, grano, & huiusmodi,) dominium eorum transit in vsurarium: sed ex nulla actione, ad quam non accedit consensus veri domini, potest facere rem esse suam, quamdiu subsistit: vel ergo hoc non est dicendum: vel dicendum est rem simpliciter manere in dominio eius post traditionem, etiam impermixta. *Obligatio restitutionis ex contractu irrito. Dominium transfertur in cōtractu malæ fidei. Argumētum ex concessis.*

Responsio. Si dicas rem illam in specie determinatam non manere, & quasi perire; ideò dominium eius amitti mutuatario.

158 *Pecuniam in cumulo manere.* Contrà manet in cumulo, licèt non separata: ergo non perit in specie, quia subsistit, & sic maneret dominium eius mutuatario, sicut eius cumuli possunt concurrere plures, tanquam domini. Deinde, si res illa periret sine culpa vsurarij, maneret adhuc vsurarius obnoxius restitutioni, quod non est verum, si dominium rei maneret apud mutuatarium, quia res, quæ sine culpa alterius perit, perit proprio domino: vt patet in commodato, & precario: vt patet etiam in emptione, & venditione rei certæ, quæ transit in dominium emptoris cum omnibus suis commoditatibus, & fructibus, & ei perit etiam ante traditionem, vt si domum aut vineam emerit, quæ casu fortuito pereunt ante traditionem. *Pereunte re obligatur vsurarius. Exemplum.*

Fructus ex pecunia vsuraria legitimus est vsurarij. Præterea, si dominium pecuniæ vsurariæ non transit in dominium vsurarij, sequitur quòd neque vsus, qui consequitur, quia hic sequitur ad dominium, cùm non per modum mutui, sed debiti transferatur pecunia à mutuatario: ergo neque fructus consequens ex pecunia per alium contractum legitimum facit suos, detracta propria industria, quod est falsum. Probatur tamen consequentia, quia in deposito non potest contra voluntatem deponentis depositarius ex vsu eius lucrari; neque vti commodato, nisi ad vsum determinatum, ad quem fuit res commodata repugnante domino: & tenetur ad restitutionem fructus rei ex tali vsu sequentis: ergo similiter tenetur vsurarius ad restitutionem eius, in quo factus est locupletior, ex pecunia alterius (si dominium eius manet apud mutuatarium) detracta propria industria. *Depositarius nequit lucrari ex deposito.*

159 *Responsio.* Si dicas pecuniam ex se esse sterilem, ac proinde illos esse propriæ industriæ vsurarij, non verò pecuniæ.

Impugnatio. Contrà, non habet ius vllum lucrandi per pecuniam non suam, siue quoad vsum, siue quoad dominium. Deinde, quamuis pecunia, vt est mensura venalium, non habeat fructum: tamen vt *suprà* dictum est, potest habere rationem rei venalis: ergo saltem, ad hos fructus tenetur, quia tenetur ad lucrum cessans, & damnum emergens mutuatario. *Fructus pecuniæ venalis.*

Accedit

Accedit ad hæc, quòd mutuatarius transferat vſuras in mutuantem, vt fidem ſuam liberet; & quamuis vſurarius intuitu mutui eſſet incapax illius dominii, aut effectus translationis, tamen licèt ex titulo iniuſto ex parte mutuantis, iuſto tamen ex parte mutuatarij ratione promiſſionis, res transfertur, quod ſufficit ad translationem dominij rei traditæ: vt patet in eo, qui bona fide emit rem furtiuam à fure, licèt ſit iniuſtus titulus ex parte furis; tamen, vt admittunt aduerſarij, ex iuſto titulo ex parte ementis bona fide transfertur dominium pretii in furem: & eodem modo de vſurario emente per legitimum contractum aliquid per pecuniam vſurariam, quam accepit à mutuatario, acquirit dominium rei emptæ, quamuis pecunia non ſit ſua; neque de iuſtitia per eam inire contractum potuit, neque de ipſa diſponere; quia hæc de voluntate domini fieri tantùm iuſtè poſſunt. Simili ergo modo, licèt non poſſit vſurarius acquirere dominium vſuræ intuitu mutui, aut debiti, quia hic titulus non eſt fundatus, aut ſufficiens ad acquirendum dominium, cùm ſit iniuſtus, quod eſt fundamentum alterius ſententiæ: tamen quia iuſto titulo ad liberandam fidem, & promiſſionem mutuatarius tradit, & transfert, & ne impedimento imponat ſubueniendi per mutuum aliis neceſſitatibus ſuis maioribus, ſufficit iſte titulus, vt transferat dominium pecuniæ traditæ in vſurarium, quamuis ex parte eius deficiat titulus fundatus præter ſolam acceptationem naturalem rei tranſlatæ.

Ex ipſa trãſlatione titulo promiſſionis acquirit dominium vſurarius.

Non verò titulo mutui.

Ex his patet ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ, quæ confundunt dominium rei cum obligatione reſtituendi, & iure, quod habet mutuatarius in pecuniam traditam, quæ diuerſa ſunt: quia tamen hoc dominium nullam tribuit actionem vſurario reſpectiuè ad mutuatarium, ideò præfati Doctores primæ ſententiæ negant in eum transferri dominium rei vſurariæ, quia tenetur ante ſententiam reſtituere mutuatario. Secunda ſententia dicit dominium quidem rei transferri per ſolam traditionem voluntariam mutuatarii, quæ traditio, quia innititur titulo iniuſto debiti propter mutuum, non extinguit ius in rem, quod habet mutuatarius, obligationem reſtituendi in mutuante; & ratione huius nunquam res ſit mutuantis iuſto titulo, quin obnoxius ſit, ſiue maneat res ipſa in ſpecie, ſiue non. Et vt *ſuprà* dictum eſt, bona ipſius manent omnia hypothecata pro vſuris. 160

Reconciliatio vtriuſque ſẽtentiæ.

Dominium non tribuit actionẽ vſurario.

h *Item, præter iniuſtitias iſtas partiales,* &c. Hic inſinuat iniuſtitiam generalem, ad quam nullus accedit conſenſus domini, ſed eſt vſurpatio rei alienæ, domino ſimpliciter inuito, vt eſt furtum, rapina, damnum datum: in his enim eſt generalis iniuſtitia, atque omni ex parte, in prioribus tantùm eſt ex parte, & ex defectu alicuius conditionis requiſitæ.

Iniuſtitia generalis in quibuſdam.

SCHOLIVM.

Reſtitutionem eſſe faciendam ex vi illius præcepti negatiui, Non furtum facies; *includi tamen affirmatiuum de actu, vt medio ad eius impletionem. Ita Canus Relect. de Pœn. part.4. Adrian. de Reſtit. quæſt.1. & alij. Ponit Doctor quaſdam differentias inter reſtitutionem, & ſatisfactionem; & alias poſuit d præced. quæſt.2.*

28 DE quarto [i] ſunt quinque videnda: Primò, propter quam rationem ſit reſtitutio facienda. Secundò, quis teneatur reſtituere. Tertiò, quid. Quartò, cui. Quintò, quando.

De primo, [k] dico quòd ſicut auferre alienum eſt peccatum mortale contra præceptum diuinum negatiuum, *Non furtum facies*: ita & tenere alienum: & ideò ſicut neceſſarium eſt ſeruare præcepta negatiua, ita neceſſarium eſt non tenere alienum domino inuito: & per conſequens, vel actu ſtatim reddere, vel ſaltem velle reddere, cùm fuerit opportunitas. Vnde non eſt reſtitutio facienda neceſſariò, vt pars quædam ſatisfactionis, neque generaliter accipiendo ſatisfactionem, neque ſpecialiter: generaliter enim accepta reddit pro peccato æquiualens ei, in quem peccatur: non ſic iſta reſtitutio, quia abſque omni redditione pro peccato poſſet reddi proximo, quod ſuum eſt; ſicut in mutuis redditur creditori abſque omni ſatisfactione pertinente ad reconciliationem peccatoris.

Exod.20. Deut.5. & Leu.19. & alibi.

Reſtitutio nõ eſt ſatisfactio generalis, nec ſpecialis: de quibus præced. q.

29 Conſimiliter, non eſt ſatisfactio ſpecialis, quæ eſt tertia pars Pœnitentiæ, quia de congruo requiritur reſtitutio in re, vel in voto, ante omnem partem Pœnitentiæ; ſicut ceſſatio, voluntate, vel facto à peccato; ſed ſatisfactio, quæ eſt tertia pars Pœnitentiæ, non requiritur ante alias duas partes Pœnitentiæ, imò ſequitur contritionem, & confeſſionem, vt iniuncta à Sacerdote: reſtitutio autem non iniungitur à Sacerdote, ſed à lege diuina, & eſt ſimile in aliis peccatis, ſi quis teneret fornicariam, vel magis adulteram, reſtituere eam viro ſuo, non eſt niſi ceſſare à peccato, vel à transgreſſione huius præcepti, *Non mœchaberis*: & iſtud præcedit omnem partem Pœnitentiæ acceptæ: & ideò ſicut tenens adulteram non eſt capax pœnitentiæ, ſed irriſor, & ſi talis veniat ad pœnitentiam, addit peccatum peccato: ita detinens alienum, & voluntate, & facto, dum talis eſt, non eſt capax alicuius partis Pœnitentiæ.

Reſtitutio requiritur ante partes pœnitentiæ.

COMMEN

COMMENTARIVS.

161 *Articulus quartus.* *Quinque quæsita.* *Primũ quæsitũ soluitur.*

i DE *quarto sunt quinque videnda*,&c. Hic quartus articulus respondet quæsito principali huius quæstionis; & agit de restitutione,comprehendit quinque quæsita. Primum est, quare tenetur quis restituere? Secundò, quis tenetur restituere? Tertiò,quid tenetur restituere? Quartò, cui? Quintò, quando?

k *De primo dico*,&c.Quantùm ad primum, docet restitutionem esse faciendam ex vi præcepti negatiui: *Non furtum facies*,&c. quia nemo potest tenere alienum domino inuito, ac proinde tenetur, vel actu reddere, vel proposito cùm fuerit opportunitas. Distinguit eam à satisfactione in genere, & in specie: de qua distinctione *suprà* egit *de satisfactione strictè sumpta, quæst.*1. *Præceptũ restitutionis.*

SCHOLIVM.

Resoluit, quis teneatur restituere; scilicet quicumque abstulit, vel detinet alienum, id est, qui quocumque modo est causa, quòd alter iniustè patiatur damnum; & ponit versum de 9. cooperatoribus ad restitutionem obligatis. Per consensum *intelligit licentiam eius, à quo dependet.* Palpo *est, qui laudibus ad damna incitat.* Recursus *est, quando ex tua protectione similiter quis incitatur ad damna inferenda.* Participans, *id est, comitans, dans instrumenta, & similes, quia hìc non agitur de participante rem alienam. Alij tres modi sunt negatiui, & intelliguntur de eo, qui ex officio tenetur clamare, obstare, vel manifestare, vt euitetur damnum. Probabile est participantem, id est, cooperantem ad damnum diuiduum, non teneri nisi ad restitutionem eius, quod accepit: cæteri verò omnes tenentur in solidum. Vno cooperatorum restituente, cæteri ei tenentur ad ratam: si tamen imperans, vel exequens restituant; alij eis ad nihil tenentur. Ratio est, quia inter hos, & cooperantes est ordo, inter ipsos cooperantes non est. Ita communis.*

DE secundo [l] ponuntur versus, scilicet quis; 30

Quilibet in solidum reddat priùs iniuriato:
Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus:
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quorum stat sententia in hac maxima. *Quicumque abstulit, vel detinet alienum, tenetur restituere.* Auferre autem potest, vt causa superior, scilicet præcipiendo; vel vt proxima immediatè auferendo; vel vt causa coadiuuans, vt socius in auferendo; vel vt inducens, si consuluit, vel fauet, vel adulatur tali consilio, fauore, vel adulatione, propter quam fit ablatio, & sine qua non fieret. *Restitutio oritur ex iniusta ablatione, vel detentione.*

Consimiliter de detinente, qui immediatè detinet positiuè, vel priuatiuè, siue interpretatiuè, vt scilicet, quia non facit restitui, cùm ei ex officio hoc competeret, vel auxilium, vel fauorem præbendo; vt si tacet requisitus in iudicio, vbi posset sententialiter restitui res domino suo; & tamen dicendo veritatem, non imminet ei periculum status, vel personæ. Vnde breuiter omnis obligatio ad restitutionem reducitur ad *auferre*, vel *detinere:* & hoc, vel vt causa principalis, vel proxima, vel coadiuuans, vel inducens, vel non impediens; quando eius esset ad bonum Reipublicæ, & sine periculo personæ impedire: & hęc omnia, ex quo reducuntur ad consensum efficacem, verum, vel interpretatiuum, probantur per illud 2.*q.*1. *Notum sit*; vbi dicitur, *quòd facientem, & consentientem par pœna constringit:* & hoc accipitur ex dicto Pauli, Rom. 2. *Non solum, qui talia agunt, sed qui consentiunt facientibus.* Istorum omnium quilibet tenetur ad restitutionem in solidum: sed vno restituente omnes alij liberantur à debito in comparatione ad illum damnificatum; tamen alij tenentur pro rata portionis, quæ eos contingit, illi qui pro omnibus satisfecit. *Omnis restitutio oritur ex vno è duobus capitibus.* *Vno cooperantium restituenti cæteri ei obligantur.*

COMMENTARIVS.

162 *Secundũ quæsitum. Quis tenetur restituere? Nouem modi, quibus fundatur obligatio restituendi. Limitatio. Requiritur, vt in reipsa fiat concursus ad damnum.*

h DE *secundo ponuntur versus*,&c. Exponit nouem modos, quibus peccatũ alienum participatur; & quilibet istorum modorum fundat obligationem in solidum, quando esset causa auferendi, aut retinendi rem alienam inuito domino. Requiritur tamẽ, vt consilium, atque aliæ causæ morales sint propriæ causæ, vt effectus ex ipsis sequatur, tanquam causis, sine quibus non fieret; alioquin si accedant, effectu iam determinato in aliis causis, non habent rationem causæ, neque ex ipsis sequitur vlla obligatio restituendi, sicut non concurrerunt ad effectum auferendi, aut retinendi rem alienam: ex quo titulo præcisè oritur obligatio restituendi. Quòd verò in eo casu, quo effectus determinatus sit, antequam accedat cõsilium, consensus, & huiusmodi, non concurrant vt causæ, patet; quia efficacia consilij, verbi gratia, est persuadere; consensus autem voluntate cõcurrere, quando suspendetur ad huc effectus, donec accesserit consilium, aut consensus; sine quibus non habet plenam determinationem sui in causis: sed si iam effectus est simpliciter determinatus, & omnia disposita sunt ad eius executionem, consilium, & consensus nullam determinationem inducunt effectui; ac proinde virtute ipsorum non fit; sed consequenter se habent, aut concomitanter: & hoc modo sicut non dant causam, sic etiam neque fundant obligationem restitutionis. Vnde hæc regula in singulis locum habet, *Consilium, & consensus quando operantur?* *Aliquãdo non operantur effectum.*

bet, & respondet ad varios casus; qui proponuntur à Doctoribus: nam sicut restitutio, & eius obligatio præcisè incurritur ratione rei iniustè ablatæ, aut iniustè detentæ inuito domino, ille solùm qui dat causam ablationi, aut retentioni, concurrit ad ipsam, & tenetur præcepto, non alius. Nec sufficit quòd alius quantùm est ex parte voluntatis, & affectus, concurrat quantùm est ex se: nisi etiam influat proximè in ipsum effectũ aliquam determinationem, ex qua sequatur effectus: aliàs enim sine tali determinatione esset quidẽ inordinatus, & peccaret contra iustitiam; sed non teneretur ad restitutionem, quia non fuit causa ablationis, aut retentionis.

Dant solùm causam obnoxius est restitutioni.

163 Hinc quærunt Doctores, si quis, vt placeat domino suo, aut alteri, auferat, aut retineat rem alienam, aut damnum det absque omni consensu tacito, aut expresso domini, aut eius, in cuius gratiam operetur, an dominus teneatur ad restitutionem? Quidam admittunt teneri, modò ratum habeat factum, quia ratihabitio secundùm Ius Ciuile, & Canonicum æquiparatur mandato: si ablatio autem fieret ex mandato, obligationem incurreret tam mandans, quàm mandatarius: ergo, &c.

Dubium. An obligetur quis per ratihabitionẽ?

Sententia affirmans.

Æquiualere mandato.

Alij negant ratihabitionem æquiualere mandato, nisi in contractibus. Videatur *in reg. Iuris, reg. ratihabitionem*, &c. in iis, inquam, contractibus, qui nomine alterius absque mandato expresso celebrantur: quia si contractui deficiat voluntas vnius, sine qua suspensus manet, per ratihabitionem accedens completur contractus, ac si primò ex mandato celebraretur.

Sententia negatiua.

Resolutio casus est ex regula data, nunquam recidere obligationem restitutionis in eum, qui non est causa per se influens in ablationem, retentionem, aut damnum illatum: neque sufficit ad causalitatem moralem, ex qua redundat hæc obligatio, vt quis habitualiter sit dispositus, ita vt ipse etiam influeret, si peteretur eius consilium, aut consensus; sed requiritur vt virtualiter, aut formaliter concurrat, id est, vt ipse auferat, vel causam det per se ablationi: ideò ratihabitio præsumpta, vel realis consequens non dat causam ablationi; licèt possit dare retentioni; & sic non erit consequens, sed antecedens retentionem.

Resolutio.

Qui non dedit damnum, non tenetur restituere.

164 Sed quid esset, si damnificans in gratiam alterius cognoscitur ab hoc, in cuius gratiam facturus est damnum, an teneatur hic eum impedire aliàs incursurus obligationẽ restitutionis? Quantùm ad obligationem charitatis non est dubium, eum teneri præcauere damnum proximi, si potest. Quantùm autem ad iustitiam, tenet Molina, nisi impediat, ad restitutionem obligari: quod limito, si est seruus, aut persona subiecta, vt filius: quia hi tenentur in eo casu non permittere hos rem alienam tenere, vel auferre, vel damnum inferre. Deinde sufficit voluntas interpretatiua in hoc casu, vt saluetur influxus causæ moralis, quia illa quæ interior est non influit, sed quæ exteriùs significatur. Dum ergo cognoscit dominus seruum ablaturum rem alienam, aut damnum illaturum, vt satisfaciat voluntati præsumptæ, & interpretatiuæ domini, quam putat esse eius de præsenti, tenetur dominus illud impedire, alioquin verè dat occasionem damni per voluntatem interpretatiuam, & quæ exteriùs apparet esse vera domini, & ex qua ipse principaliter mouetur ad operandum, quia respectiuè ad alterum: non qualis quisque interiùs est, pensatur; sed qualis exteriùs apparet, maximè nisi ipse contrarium manifestando, aut significando elidat præsumptionem de se; neque consensus internus eius aliter influere potest in alium, nisi vt exteriùs apparet.

Quid de eo, qui sciẽs non impedit?

Teneri ex charitate.

Etiam ex iustitia si auferens est seruus, aut filius.

Sufficit voluntas interpretatiua.

Hinc vlteriùs dicendum est, si mandans aliquem ad damnum inferẽdum proximo, aut alia agenda, ex quibus oritur obligatio restitutionis, si primùm reuocauerit consensum, iussionem, antequam res habuit effectum, & reuocationem proximo damnificatori insinuauerit, non teneri eum ad obligationem; quia non est causa damni, ablationis, aut retentionis rei alienæ: neque per se, neque per alium in eo casu.

Reuocãs mãdatum non obligatur restituere.

Dubitatur quando consilium influit? Respondetur, quando est causa per se mali illati tunc influere. Hinc si quis est paratus animo, vt faciat malum graue alteri, si suadeas minus malum, non es causa damni, sed vtiliter rem eius geris. Si suadeas minus malum faciendum Petro, quando quis intendit malum graue inferre Paulo, das causam: quia alter non cogitauit de Petro: si tamẽ cogitasset de vtroque, minus malum esset ei suadendum. Ad consilium etiam pertinẽt preces, & promissiones, adhortationes. Si consilium est falsum, sufficit vt retractes, dicendo contrarium esse verum, & te fuisse deceptum, vel errasse, & respondeas rationibus, quæ pro priori attulisti. Si consilium dedisti ad maleficium, ostendendo viam occultam nocendi, vel suggerendo motiuũ, ex quo alter plenè motus est ad maleficium; non solùm debes consilium reuocare, sed etiam persuadere contrarium, quia causam das maleficio, quam alter in virtute consilij tui persistens in motiuo, quod aliàs ipse non cognouit, prosequitur. In quo consilium distinguitur à iussione, quia reuocato mandato, desinit omnis causa, quam mandans dat; non ita aliquando in consilio, quando suggerit ignota, ex quibus alter ex toto determinatur ad maleficium. 165

Qualiter influit consiliũ?

Suadens minus malum non grauat.

Preces, & alia spectantia ad consilium.

Ostendens viam maleficij.

De consensu nihil occurrit, nisi tunc esse causam damni, quando damnum ex eo sequitur. Vnde aliter dicendum, si sequatur ex alia causa, & non ex consensu. Hinc excusat Nauarrus *in Manuali, c. 17. n. 21.* Caiet. *de Restitutione*, & alij. Si quis suffragando concurrat hoc modo ad maleficium, vt numerus suffragiorum requisitus sit determinatus antequam Titius, verbi gratia, det suffragium, tunc Titius non tenetur ad restitutionem, quia causa damni fuit completa antequam suffragium dederit. Limitatur responsio, quando à maleficio ipse per suffragium, aut alia via eos non speraret auertere. 166

Consensus.

Suffragiũ ad maleficium.

Respondetur tamen, si suffragium præcesserit maleficij executionem, eum teneri ad damnum; quia integrat damnum, ex qua procedit executio maleficij; neque refert quòd aliàs sine suffragio eius datur causa completa maleficij per anteriora suffragia, quia licèt detur causa sufficiens, non tamen abundans, & excedens; sicut si plures concurrerent simul ad damnum dandum, vt furti, cum ea animi determinatione; vt si quilibet solus esset, furaretur, verè quilibet furtum facit, & tenetur ad restitutionem; ita in causa præmissa possumus distinguere causam sufficientem à causa in effectu concurrente, & ex abundanti; quæ licèt in actu primo sit sufficiens, si sola esset; in actu secundo

Si integrat damni causam tenetur.

Causa concurrẽs in executione.

secundo tamen non est sola influens, sed admittit concursum alterius. Ita est in suffragantibus, quia licèt numerus prior suffragiorum sufficiat seorsim, tamen reliqua accedentia ante executionem, concurrunt in actu secundo ad eundem effectum.

167 Palpo. *Palpo* comprehendit non solùm laudem, adulationem, sed irrisiones, improperia, quibus quis ad maleficium inducitur, & reduci potest ad consilium.

Recursus. *Recursus* etiam quandoque est causa damni, vt quando fouet malefactorem; vnde magis ea confidentia excitatur ad malum, vt inde sumat occasionem, & causam maleficij; aliàs verò non est causa, si per accidens præbeat recursum.

Participans. *Participans* dupliciter dicitur, vt qui participat in re ablata, & retenta; vel participat in mala operatione, vt ablatione, aut retentione rei. *Tenetur ad restitutionem.* Si primo modo, tenetur pro rata ad restitutionem; si secundo modo, similiter tenetur, quia auxilium, instrumenta, & alia ferunt: nisi ex metu, vel coactione, & necessitate excusentur, quando adiutorium aliàs ex se non est ab intrinseco illicitum. Hinc excusantur Christiani captiui in triremibus Turcarum, & Infidelium remigantes contra Christianos.

Alij tres modi sunt *mutus, non obstans, non manifestans*: & hi negatiuè causant damna, quia omittunt ponere, quod tenebantur ex officio ad impediendum damnum. Vnde si ex officio non tenebantur, cessat obligatio. 168 *Alij tres modi.* *Mutus*, vt custodes positi, & vigiles. Mutus. *Non obstans* comprehendit Magistratus, & reliquos ministros habentes auctoritatem ad impediẽdum damnum, ne sequatur, & tenentur ex officio impedire. Non obstás. *Non manifestans* intelligitur is, qui tenetur denunciare in iudicio, aut certè iuridicè interrogatus, vt testis, nõ dicit veritatem; hi obligantur ad restitutionem. Non manifestans. Ordo autem restitutionis in his est, vt principalis author respectiuè ad alios, qui ex impulsu eius, aut authoritate aguntur ad maleficium, veniat principaliter; illo autem soluente, reliqui nihil tenentur, quia ipse eis necessitatem imposuit maleficij: verbi gratia, mandans, cõsulens, &c. *Ordo restitutionis quantùm ad personas, qui tenentur.* Quòd si ipsi etiam remittatur à credito, reliquis, qui accessoriè se habẽt, remittitur. Quòd si vni ex his remittitur, non ideò censetur remissum principali. In his nõn est aliqua controuersia magni momenti apud authores.

SCHOLIVM.

Omne alienum restituendum esse cum interesse, *& fructu naturali, non industriali.* Interesse *est respectu lucri cessantis, vel damni emergentis. Industrialis fructus est, quando res ex se non est ferax, vt pecunia: de quo Sylu. v.* Fructus. *Colligitur ex cap.* Grauis, de Restit. spol. & ex l. Ex diuerso, ff. De rei vend.

DE [m] tertio, scilicet *quid*, dico quòd non solùm tenetur quis ad restituendum rem ablatam, vel vsum rei; sed etiam ad *interesse*, & fructum conceptum de re, 31
si res erat fructifera: sed non fructum, qui prouenit ex industria eius, qui vtitur illa re. Ex quo sequitur, quòd lucrum acquisitum ex pecunia fœnebri nõ tenetur fœnerator reddere; alioquin ille, qui reciperet, posset esse iustè vsurarius, quia recipere fructum de sua pecunia prouenientem per industriam alterius, est facere vsuram; & hoc est fortè, quod magis posset homines inducere ad vsuram, quia de vsuris lucrantes, illud quod lucrantur, non tenentur restituere: imò illud suum est, quia per suam industriam acquisitum erat: alienum autem restituendum est. *Lucrum ex pecunia vsuraria non tenetur vsurarius restituere.*

COMMENTARIVS.

169 m DE *tertio, scilicet quid?* Hic distinguit inter fructus naturales, & industriales: & regula tradita est certissima, & communis, nempe teneri ad restitutionem tam rei, quàm fructuum, quos ex se facit, detractis expensis, si aliqua adhibita est industria, vel melioramentum. *Qui fructus restituendi sunt?* Alterum etiam membrum regulæ est, quòd nulla sit obligatio restituendi fructus ex propria industria acquisitos, vt quando res non est ferax fructuũ ex natura sua: verbi gratia, pecunia fœnebris, quam vsurarius per negotiationem iustam expẽdit, & lucratus est sua industria aliquid vltra sortem. Vide probationem huius in litera.

Dubium de possessore bonæ fidei. Dubitatur de possessore bonæ fidei, vt qui emit bona fide ab eo, quem nesciuit esse latronem, quid teneatur, siue quoad fructus, siue quoad rem ipsam?

170 *Responsio.* Respondetur primò; si rem alienauit bona fide, non teneri ad restitutionem eius, nisi quoad id, quo factus est locupletior. Est communis Doctorum, quia actio nõ datur domino, nisi in rem ipsam; & eum, qui mala fide eam possidet, vel abstulit. Secundum patet, quia ex re aliena nequit fructum facere, si est fructus rei, qui sequitur ad rẽ ipsam, éstque eius, cuius est dominium rei. *Quoad fructus rei tenetur.* Vnde, si eam dono accepit, & postea vendidit, tenetur ad pretium; si tamẽ emerit, & postea eodem pretio vendidit, ad nihil tenetur. Si eam etiam consumpsit, rebus suis parcens, tenetur etiam ad id, quod pepercit, si dono rem ipsam accepit; si eã donauit, ad nihil tenetur, quia non est factus locupletior. Si eam perdidit durante bona fide, etiam ad nihil tenetur, quacumque ex culpa perdidit, quia eam vt suã perdidit, quamdiu mansit in eo bona fides. Eodẽ modo respondendum est quoad fructus rei, teneri tantùm ad illud, ex quo factus est locupletior: è contra possessor malæ fidei tenetur ad restitutionem rei, & damni, & fructus, etiamsi negligentia sua eas perdiderit; vel etiam casu fortuito, & hoc ratione iniustæ ablationis, aut detentionis rei alienæ. *Et quoad ea quibus factus est locupletior.* *Possessor mala fidei ad quid tenetur?*

Sed quid dicendum, si cognouerit rem esse alienam, postquam eam emit bona fide? Distinguunt aliqui de eo, qui dono accepit, & de eo, qui rem emit. Dicunt quoad primum, si certò sciat moraliter furem restituturum, eum posse dare 171 *Dubium. Quid faciendum emptori bona fide, & postea scienti errorem?*

dare furi. Si verò eam emerit, duplex est sententia. *Prima sententia.* Prima asserit eum teneri proprio domino, non furi restituere. Ita Caietan. 2.2.*q.*62. *art.*6. Sotus *lib.*4.*q.*7.*art.*2. Couarr. *ad regulam primam*, 3.*p. in initio*, & *lib.*1. *Variarum*, *cap.*3.

Secunda sententia. Secunda sententia est Alensis 4. *p. q.*86.*m.*3. *art.*5. asserens eam posse tradi furi, vt recuperetur pretium, quia sic nullam iniuriam facit domino ratione ablationis, aut retentionis; & *Rescindere potest contractum.* quia contractus erat nullus ex errore, & dolo vendentis, potest rescindi, & peti restitutio in integrum. Hanc sequitur Nauarr. *cap.*17. Syluester *verb. Restit.* 3. *quæst.*7. Angelus *verb.* Restit. 1. *num.*1. Gabriel *hac distinct. quæst.*3. *art.*3. *dub.*5.

172 *Confirmatur.* Et confirmatur, ex iustitia tantum tenetur, quantum est ex præcepto restitutionis non auferre rem alienam, aut eam retinere, aut ex ea *Potest se indemnem facere.* inuito domino lucrari, aut de ea disponere; non autem tenetur rem proprio domino seruare cum damno proprio: licèt ergo non possit retinere, aut alienare; tamen ratione contractus potest conuenire furem de pretio ei restituendo quod accepit in ordine ad recuperationem proprij, quia rescissio contractus inter priuatos exigit communiter restitutionem hinc, inde in integrum, vt vulgò fit ex priuato cõsensu. Deinde, *Non tenetur subire actionem furti.* non tenetur emptor subire coram iudice actionem furti: quia iudex ordinariè intentat actionem ei, qui rem alienam possidet: vt ergo hac nota, & molestiis fori se eximat, non tenetur rem proprio domino restituere, etiam sibi donatam; siue dominus eam recuperaturus sit, vel non: quia cùm ipse non sit in culpa rei *Neque rem alterius curare.* ablatæ, aut retentæ; non tenetur domino procurare, aut negotium eius gerere ex iustitia (nisi aliàs ex alio titulo præter illum solum emptionis bona fide tenetur) maximè cum propriis molestiis, & subire actionem furis non tenetur, vt si probare non possit se rem ab alio accepisse.

Vnde sequitur limitandũ esse primum casum: 173
nempe tunc eum teneri domino dare rem sibi donatam, quando alioquin ipse periculo careat: quod vix caueri potest, nisi quando coram testibus eam accepit. Quod ampliùs patet, si in gratiam domini illam rem, vt eam saluaret domino, minoris emit, tenetur dominus ei soluere pretium tanquam negotij benè gesti. Imò etiam, vt tenet Couarr. si mala fide eam emerit, *Rem peiori loco non statuit rescindẽs contractum.* potest incontinenti rescindere contractum, & se indemnem seruare: quia rem non constituit peiori loco, quàm fuit ante contractum: meliori autem loco statuere non tenetur: licèt ergo dominus rei ablatæ habeat actionem naturalem, & ciuilem in propriam rem, vbicumque eam inuenerit: non tamen habet actionem in personam ementis bona fide, aut recipientis, si rem non teneat, neque alioquin ex iustitia tenetur curam eius gerere, vt eam conseruet domino cum proprio damno, aut periculo. Verùm si talem rem mala fide quis apud se retineat, licèt bona fide eam receperit, tenetur de *Retinens mala fide, tenetur de culpa, & mora.* culpa, & mora, quia iniusta retentio æquiparatur iniustæ acceptioni. Sunt & multi alij casus huc spectantes; de quibus consuli possunt authores: & seruanda regula generalis tradita, in *Regulæ generales.* qua fundatur obligatio restitutionis, ratione iniustæ acceptionis, & retentionis, & concurrentium causarum. Item, regula de damno & lucro per se sequentibus, non autem per accidens. Item, alia regula de culpa lata, leui, leuissima, quæ est frequens apud Legisperitos, & Morales; ex qua resoluuntur plures casus, qui spectant ad Aduocatos, Medicos, tutores, curatores, & reliquos officiales; qui diligentiam requisitam debent adhibere in suis ministeriis, & damnum ex culpa eorum veniens, eis quibus operas suas lege, aut contractu obligant, resarcire. Lex commentarij non permittit in singulis versari: sufficiat regulas generales cum suis exceptionibus assignasse cum Doctore.

SCHOLIVM.

Restitutionem faciendam esse damnificato, vel eius propinquis, si ipsi fieri non potest. Quòd si nec propinquis, fiat pauperibus. De incertis bonis malè acquisitis, id habetur cap. Cùm tu, de Vsur. *De alijs incertis pia bonorum omnium consuetudo docet; probabile tamen incerta non malè acquisita, facta inquisitione, posse retineri, licèt retentor non sit pauper. Sotus* 5. *de Iustit. quæst.*3. *art.*3. *Salon.*2.2. *quæst.*66. *art.*5. *contr. prima. Bannes, & Aragon. ibi: & alij. Restitutio pauperibus non necessariò fit per Episcopum, vel confessarium, quia id nullo Iure cauetur.*

32 DE [n] quarto, scilicet *cui*, dico quòd damnificato, si tamen sit possibile, possibile inquam, vt si nouit eum, & si habeat eum præsentem, vel habere potest, vt sibi mittatur sine maiori incommodo, quàm illud, quod mittendum est, esset vtile ei, cui mittitur. Et intelligo de ipso, vel aliquibus eius propinquis, si mortuus est, vel si absens est, quia præsumitur lege naturæ, quòd ille magis velit restitutionem fieri suis *In duobus casibus non fit restitutio damnificato.* propinquis. Et ideò in duobus casibus, nec illi, nec suis: vtpote si cui, nescitur, vel scito, cui tamen mortuo nesciuntur propinqui. In alio si maiores sumptus essent ponendi in mittendo, quàm illud valeat illi, cui mittitur. Et in istis, si quæras cui? dico quòd pauperibus vice illius: quia cui non potest temporaliter reddi, redditur spiritualiter: redditio spiritualis fit maximè reddendo pauperibus pro illo.

Si [o] quæras per manus cuius debet reddi pauperibus? Respondeo, non inueni quis necessariò determinatus sit mediator in distribuendo ista pauperibus. Dicit vnus Doctor, quòd confessor, vel aliquis, de cuius fidelitate credat.

*D. Th. hîc a.*5. *& Ric. art.*4. *q.*4. Videtur mihi, quòd per seipsum: consilio tamen alicuius boni viri potest illud distribuere pauperibus, quia tali mediatori posset dare, vt restitueret; de cuius fidelitate

tate præsumeret, & tamen iste sibiipsi applicaret, vel aliis vsibus, quàm deberet. Vnde, vbi lex diuina, vel Ecclesiastica non ligat personam, sequenda est ratio naturalis: illa autem dictat magis, quòd persona, quæ tenetur, restituat pauperibus per seipsam, quàm per aliam, licèt non excludendo consilium alterius boni viri, sed includendo.

COMMENTARIVS.

174 *Cui facienda restitutio? Restitutio fit domino.*

n DE *quarto scilicet cui*, &c. Prima regula est, quòd restitutio debeat fieri domino, qui accepit damnum. Hæc est communis, & patet ex lege iustitiæ, quæ docet suum cuique tribuendum; soli autem domino competit actio in rem, & personam, eo inuito, retinentem, aut auferentem.

Limitatio, si est possibilis.

Limitat primò ad casum possibilitatis: quia ad impossibile nemo tenetur. Possibilis est restitutio, si cognoscatur, & habeatur præsens, aut haberi possit, aut ad eum absentem mitti.

Secūda limitatio ne fiat cū nocumento domini.

Secundò, limitat ad casum, in quo missio eius ad absentem dominum plus noceret ei, quàm proficeret. Ratio huius est, quia ex commodo propriæ iustitiæ non debet ferre damnum maius, aut grauari. Et quia restitutio non solùm fundatur in ablatione, & restitutione rei alienæ; sed supponitur inuitus dominus, & velle rem suam recuperare. In tali casu non potest præsumi inuitus, aut velle restitutionem rei cum maiori suo damno.

Tertia regula vt fiat propinquis.

Tertia regula est, vt suis propinquis fiat restitutio, quando ipsi nequit fieri. Ratio est, quia lege naturæ præsumitur velle magis fieri restitutionem illis, quàm rem teneri à possessore, aut tradi alienis. Hæc communiter recepta est, & ratio præmissa eam probat.

Qui sint propinqui?

Intelligendi sunt propinqui, qui sunt hæredes, aut certè de aliis, qui, hæredibus deficientibus, succedunt in bona eius; & sic in casu præsenti absente domino, aut hæredibus, illi succedunt, qui præsentes sunt.

175 *Succedit pauper, Princeps, Respub. creditores.*

Quòd si nulli sunt tales, succedunt pauperes, vel Respublica, & Princeps, ad quos hæreditas deuoluitur, aut alij creditores absentes; quibus primùm debet fieri restitutio præ aliis in absentia tali domini, & hæredum, in qua non speratur rediturus, neque alij nomine eius comparent: quia sic præsumitur velle;

Præsumpta voluntas domini sequenda.

& ratione debiti manet ipse obligatus, & bona eius, quæ apparent hypothecata, vel quasi hypothecata creditoribus. Et hoc etiam spectat ad ordinem debitum, & bonum Reipublicæ, vt restitutio illa fiat, prout magis expedit vero domino, quando ipsi, vel defuncto, vel absenti nequit fieri personaliter: vnde creditores possunt conuenire retinentem rem eius, & coram iudice eam repetere, vt fiat satis debito, quo obligatur.

Quarta regula.

Addit quartam regulam, vt quando verus dominus scitur, sed mortuus est, & nulli eius propinqui apparent, dicit dandam esse pauperibus: quia sic in vtilitatem eius spiritualem cedit. Item, si nequit res sine maiori incommodo, & expensis, quàm ipsa res valeat, ad eum mitti.

176 *Dubiū de veritate quarta regula. Prima sentētia distinguit inter possessorem bonæ, & malæ fidei.*

Circa hanc vltimam non ita conueniunt Doctores. Eam tenet D. Thomas 2. 2. *quæst. 62. a. 2.* Richardus, & Gabriel *in dist. præsenti.* Hæc regula intelligenda est de eo, qui rem alienam bona fide accepit: quia licèt teneatur restituere, non tamen tenetur restituere verum dominum in statum pristinum, in quo fuit, antequam res iniustè ei ablata est, quia ipse eam non abstulit; sed si mala fide accepit, tenetur etiam suis expensis eam mittere ad dominum; vel si fuit in mora restituendi eam mala fide.

Hunc teneri suis expensis eam rem domino remittere.

Ita tenent communiter moderni, cum Caietano, Nauarr. Cou. citatis.

Veritas illius regulæ defenditur sine hac exceptione.

Cæterùm hæc sententia est dura, quia hæc obligatio non est satis fundata, quia possessor malæ fidei, aut auferens rem alienam non tenetur secundùm iustitiam, nisi ratione damni, aut fructus, aut lucri, aut ipsius rei. Casus intelligitur de lucro cessante, aut damno, quibus causam dedit, quia resarcire debet: tenetur ergo solùm ratione rei: sed non plus tenetur ex iustitia ratione rei, quàm res ipsa valeat: quia nec alter acquirit aliquod ius in ipsum, nisi ratione rei, & ablationis eius. Vnde si reciperet vltra substantiam, & fructus, si qui sunt rei, seclusis aliis titulis præmissis, peccatet contra iustitiam; ergo etiam neque debitor ei tenetur cum proprio damno notabili, quod excedit rem ipsam in decuplo, verbi gratia, ad restitutionem rei, quia perinde lucrum proprium, & damnum alterius æstimari debent secundùm leges iustitiæ.

Nō teneri possessorem malæ fidei rem remittere cum notabili damno, excedente valorem eius.

Vnde neque cum periculo vitæ, aut famæ dispendio tenetur rem restituere, quia obligatio restitutionis in his casibus sopitur, sicut & durante maxima necessitate: ergo similiter sopitur obligatio restitutionis cum notabili, ex excessiuo damno debitoris faciendæ, quando nulla inde commoditas creditori, aut vero domino accedit: imò præsumi debet de voluntate rationabili domini, non velle restitutionem sic onerosam, ex qua notabiliter grauatur debitor, sine vtilitate sua correspondente.

Dices debitorem obligari simpliciter ad restitutionem: expensæ autem faciendæ sunt medium necessarium ad hoc. 177 *Responsio.*

Obligatio ad finem non se extendit ad medium improportionatum.

Contrà. Ex obligatione finis nemo tenetur ad medium improportionatum fini, sed censetur obligatio finis hîc, & nunc suspendi, donec medium commodum suppetat, aut proportionatum; sed in eo casu restitutio cum excessiuo, & notabili damno non est medium proportionatum ex iustitia, iuri, quod habet alius in rem ipsam: ergo non tenetur debitor per tale medium se grauare: ac proinde restituere debet prout potest, & expedit: quia necessitas illo modo statuit impossibilitatem moralem, qua sopitur obligatio sic restituendi.

Exemplum.

Patet exemplo: si alia via restituendi non datur, nisi vt ipse debitor ferat rem oblatam creditori degenti in aliis regionibus, ad quas alia via commercij non inuenitur, tunc nemo dicet eum teneri ad hunc modum restitutionis: quia iustitia nequit obligare cum præiudicio charitatis; creditor autem cōtra charitatem exigeret talem modum restitutionis: ergo neque secundùm iustitiam ei debetur:

Restitutio in hoc casu facienda.

ergo sicut impedimentum hoc restituendi imponit necessitatē, qua impossibilitatur debitor moraliter, sequitur eum debere tantùm restituere secundùm vtilitatem creditoris præsentem, quæ offerri potest, vt si aliud deficiat, restituat in causam piam, aut pauperibus, aut

Ecclesiæ; quia creditor, cui nequit aliter restitutio fieri, nisi cum damno notabilissimo debitoris, quod ipsi non cedit in aliud commodum, quàm sit solius rei, aut pretij iusti, censetur cedere, & acceptare restitutionem congruam debito: quia secundùm iustitiam non potest exigere aliud. Hoc etiam cedit in bonum Reipublicæ, vt debitor non grauetur vltra delictum in bonis propriis notabiliter: quia secundùm mensuram iustitiæ id solùm sufficit in talibus circumstantiis, ad vindictam delicti.

178 *Restitutio bonorum incerti domini qualiter facienda?*

Hæc regula à fortiori idem decernit faciendum; quando quis bona fide inuenit aliqua incerta; quæ licèt sua non sunt, nouit esse alterius, licèt ignoret cuius sint. Aliqui dicunt hæc posse retineri ab ipso inuentore, sicut bona vacantia domino, si facta diligenti inquisitione non compareat dominus: quamuis ius naturale non dictat ea danda esse pauperibus. Ponamus esse Turcam, aut infidelem, aut mortuum in peccato mortali, sine vltima voluntate disponente de rebus suis, neque habeat hæredem, Ius naturale non dictat succedere pauperes intestato. Ita Sotus *de Iustit. & Iure, lib.* 5. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 2. Ledesma 2. *part.* 4. *q.* 1. *art.* 5. Petrus Nauarrus *lib.* 4. *de Restitut. c.* 2. & alij.

Prima sententia docet teneri posse ab inuentore.

Contraria sententia supponitur communiter: quam præter Doctorem docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 3. Gabriel *in hac distinct. quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 3. Couarr. *in reg. Peccatum.* Nauarrus *in Manuali, cap.* 17. *num.* 92. & alij quos citant. Et supponitur *cap. Cùm tu, de vsuris.* Vbi decernitur, quod superest de vsuris dandum esse pauperibus; vbi glossa idem docet, sicut superiorem sententiam Doctoris, *arg. cap. Anteriorum,* 2. *quæst.* 6. In præsenti autem casu fortè non est controuersia realis: quia illud dare pauperibus non est præceptum rigorosum Iuris naturalis: ita vt aliter non posset disponi in lege positiua Principis, aut Reipublicæ, aut lege Canonica ex dispositione Pontificis; & hoc intendit Sotus: tamen secundùm æquitatem Iuris naturalis succedunt pauperes; & hoc intendit opinio communis: & probatur, quia hoc magis consonum est legi positiuæ; quæ æquitatem legis naturalis respicit.

Sententia Doctoris, & communis.

Restitutionē fieri pauperibus.

Reconciliatio vtriusque sententiæ.

179 *Probatur secūda sententia.*

Secundò, quia reperiens talia incerta non fit dominus ipsorum, quia non sunt bona vacantia, quæ sint primò occupantis, quando lex positiua aliter non disponit ad bonum publicum; vt quòd talia inferantur in ærarium commune ad supportanda onera Reipublicæ. Vnde si dominus compareat, ei restituendæ sunt, modò supersint res ipsæ, aut eorum fructus; quando autem non comparet, disponi de ipsis debet iuxta voluntatem præsumptam eius, & ordinatam: hæc autem esse debet, vt indigentibus cedant, & in vtilitatem eorum, & propriam, si capax est vtilitatis ex orationibus pauperum, etiamsi etiam non sit; vt si sit mortuus in peccato: hoc idem præsumendum de ipso, quia illa debet esse voluntas eius, quæ magis est conformis charitati: hæc autem est magis conformis, vt pauperibus distribuatur, quod in commodum proprium nō cedit; quamuis autem non attendatur æquitas iustitiæ commutatiuæ secundùm medium charitatis; attenditur tamen secundùm dispositionem voluntatis domini non comparentis, etiam præsumptam: ex qua attenditur medium iustitiæ; neque huic repugnat, quòd lex positiua aliquando aliter disponat de incertis in bonum publicum, quia quando accedit talis dispositio, secundùm eam debet præsumi de voluntate domini, cùm nequeat aliter de re disponere, quàm lex permittit. Neque in hoc iuri pauperum derogatur, quibus Respublica subuenit aliter; & quia ius, quod habere possunt ex voluntate præsumpta domini, per hoc extinguitur: quia illa præsumptio contra dispositionem legis non subsistit.

Volūtas præsumpta, & ordinata domini.

Conformis est charitati.

Medium in iustitia secundùm eandem voluntatem seruatur.

Dispositio legis sequenda in tali restitutione.

Per idem patet ad rationem adductam à Soto, sicut & ad alteram eius rationem; nempe si illa bona deberent pauperibus ex lege naturali distribui, non posse Pontificem, aut Principem aliter de iis disponere. 180

Respondetur deberi pauperibus in casu, quo subsistat præsumpta voluntas domini: quando autem accedit dispositio ciuilis, aut Pontificia circa illas res, præsumenda est voluntas domini, vt his conformis esse debet, tanquam regulæ superiori: & ideò eliditur prior præsumptio, & dispositio, aut ius in ea fundatum. Quod præterea dicitur de infideli, non præsumi hanc voluntatem, neque de mortuo in peccato, quia nihil vtilitatis possunt ex tali distributione lucrari.

Soluitur ratio opposita.

Voluntas domini præsumitur ea, quæ est conformis legi.

Respondetur, quantùm ad viuos, posse vtilitatem personalem etiam, vel quoad conuersionem, vel quoad aliquid temporale præmium ex tali voluntate lucrari. Quoad mortuos in peccato, quamuis non lucrantur refrigerium pœnæ: tamen non refert, quia voluntas ipsorum in eo statu, quo transferuntur ex ciuitate terrena, non attenditur, quia iam desierunt habere dominium bonorum temporalium, vt in eo statu sunt; præsumptio autem respicit voluntatem quam habuerunt viui, aut habere debuerunt, & lex semper præsumit rectum; quando aliud non constat. Præterea, non refert quòd commodum personale ex re amissa non capiant, quia sufficit vt recipiant commodum in aliis, vt sunt membra eiusdem corporis, & conciues Reipublicæ, cuius bonum velle debent ex lege; præsumptio autem fundatur in hac voluntate, quam non est necesse vt eam actu habeant, sed quòd debeant habere; neque alia dispositio appareat, aut voluntas contraria, quæ probari possit. Ex quibus patet, quo titulo debeantur bona incerti domini inuenta pauperibus. Si autem inuentor sit pauper, ipse eadem sibi potest tenere: vbi aliud non est ordinatum: nempe vt cedant determinato vsui pauperum, vt redemptioni captiuorum, vel eiusmodi. Si autem sint bona derelicta, aut vacantia possessore, & domino, qui saltem ea voluntate teneat; & si non possessione ciuili, aut naturali Iure Gentium, sunt inuenientis; lege autem positiua deuoluuntur ad eum, cui lex ipsa, aut statutum ea addicauit.

Quæ volūtas debet præsumi in infideli viuo, aut mortuo?

Attenditur voluntas defuncti, quam habere debuit viator.

Commodū ex ea redūdans.

Requisita ad præsumptionē.

Pauper sibi retineat inuenta in hoc casu.

o *Sed si quæras per manus cuius debeant reddi,* &c. D. Thomas *in præsenti distinct. art.* 5. *quæstiunc.* 4. *ad* 5. dicit debere fieri per confessarium, aut ministros Reipublicæ. Quod tenent interpretes Iuris Ciuilis & Canonici. Doctor autem dicit, vbi ciuilis lex, vel Canonica, non obstat, sequēdam esse rationem naturalem, quæ magis dictat, vt ipsa persona, quæ debet, restituat pauperibus. Hîc nomine pauperum non soli 181

Per quem fit restitutio?

Sententia aliorum, fieri debere per alios.

soli intelliguntur mendicantes ostiatim: sed omnes indigentes, etiam qui secundùm sui status decentiam patiuntur inopiam, vt benè notauit Nauarr. *in manuali cap.* 17. *num.* 93. Sententia Doctoris est magis communis apud modernos, quia neque ratione rei, neque actionis, quæ competit domino vero rei, qui non comparet, deuoluitur potestas dispésandi illa bona ad alios, seu restituendi, cui restitutioni solus ille, qui rem alienam habet, est obnoxius. Vnde sicut si restitutio facienda esset ipsi domino, deberet fieri per debitorem, ita etiam per eundem fieri debet iis, qui vero domino succedunt, & ad quos ius domini in re ipsa deuoluitur.

Per inuentorem & possessorem fieri posse. Probatio.

SCHOLIVM.

Statim faciendam esse restitutionem, posita tamen voluntate restituendi. Exterior restitutio differri potest, quando est damnosa notabiliter Reipub. vel ipsi damnificato, (adde vel tertio.) Item quando esset diffamatiua restituentis, vel nimis ei damnosa, respectiuè scilicet ad commodum recipientis, quia his casibus dominus non est rationabiliter inuitus. Hanc regulam Scoti, inquit Petr. Nau. lib. 4. cap. 4. num. 32. vt clauem, & maximam in hac materia sibi statuunt Sylu. v. Restit. 5. quæst. 3. Couar. reg. Peccatum 1. *part. num.* 2. *Med. de Rest. quæst. 2. Gabr. 4. hîc quæst. 2. & cæteri Doctores. Lopez 1. part. cap. 117. con. 3. dicit eandem Scoti regulam multùm laudari à Sylu. citante multos Doctores, qui eam amplectuntur.*

De quinto, [p] scilicet *quando*, dico quòd non licet aliquo tempore detinere alienum inuito domino, id est, nolente, & secundùm rectam rationem nolle debente: & per consequens, regulariter restitutio est statim facienda, sicut statim cessandum est ab actu cuiuscunque peccati mortalis, non tantùm exteriori, sed interiori. 33

Sed [q] in casibus quandoque licet differre restitutionem exteriorem; posita tamen iam interiori, scilicet voluntate restituendi, cùm occurrerent circunstantiæ opportunæ. Illi autem casus vniuersaliter continentur sub hac maxima; *Licet detinere rem alienam, quando ille, cuius est, debet velle eam rationabiliter detineri.* Sed in quibusdam casibus hoc debet velle aliquis, etiam rationabiliter, scilicet rem suam detineri ab alio de facto, posita iam restituendi voluntate cum circunstantiis opportunis: ergo. Debet enim velle quilibet restitutionem sibi non fieri tunc, quando est in præiudicium communitatis, vel ipsius recipientis restitutionem: quia debet velle bonum suum, bonum commune, & ita dilationem aliqualem illius restitutionis boni vtilis, vt seruetur maius bonum. Debet etiam velle non fieri restitutionem tunc, quando esset in diffamationem restituentis, quia debet magis velle famam proximi, quàm illud modicum commodum suum statim. Consimiliter debet magis velle, quòd vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quàm modicum incommodum suum, vel nullum in illa modica dilatione restituentis.

Posita volũtate restituendi, potest sæpè externa restitutio differri.

Regula quãdo differri potest restitutio.

Ex his sequitur, quòd quando esset restitutio damnosa Reipublicæ, vel ei cui fit, vel diffamatiua restituentis, vel nimis notabiliter damnosa, non tenetur ad statim restituendum, sed sufficit, quòd statim ex affectu restituat, & actu restituat cessantibus inconuenientibus hinc, inde.

Et si obiicitur: restituere est actus præcepti negatiui, quia non tenere alienum: ad obseruationem autem præcepti negatiui tenetur quilibet semper, & pro semper; Respondeo, tenere alienum iniustè, idest, inuito domino, est semper prohibitum: & ideò semper, & pro semper oportet non tenere isto modo. Sed quando aliquis habet voluntatem restituendi pro tempore opportuno, ex tunc tenet domino volente; etsi non actu elicito, tamen actu debito, quia dominus debet velle, quòd qui suum habeat, teneat quousque possit reddere opportunè. 34

Licet tenere alienum domino irrationabiliter inuito.

Quòd si dicas; dominus hic est inuitus, quia non vult quòd per quantumcunque tempus teneatur suum. Respondeo, quòd domino malè, & inordinatè volente statim rehabere suum; & per consequens, inordinatè non volente proximum suum illud tenere, non est tenens iniustus: quia etiam depositum, de cuius redditione est lex strictissima, potest teneri licitè domino inuito voluntate inordinata.

Et ad istam particulam *quando*, possunt reduci etiam multi alij casus à prædictis. Vnus specialis est, qui etiam potest reduci ad particulam, *quis*, scilicet quando ablatio fuit occulta, tunc non tenetur ablator se prodere; nec per consequens per seipsum restituere, sed per aliam personam secretam, & fidelem; & expedit quòd per confessorem, quia sibi est crimen detectum in confessione: & de eius fidelitate, quòd restituat fidei suæ commissum, satis debet credi: potest ergo hîc differri restitutio, quousque voluntas talis personæ, & opportunitas habeatur.

Inopia debitoris suspenditur, obligatio nō extinguitur.

Alius etiam est casus, quando quis non potest reddere, qui etiam posset reduci ad *quis*: quando enim est impotens, pro tunc non tenetur: tenetur tamen pòst, cùm peruenerit ad pinguiorem fortunam, sicut probatur, *Extrà de Solutionibus.c.Odoardus.* Sicut etiam *in Gloss.* notatur, quòd illa actio non expirat per inopiam debitoris, sed sopitur. Vnde est illud, *Inanis est actio, quam inopia debitoris excludit.* Sed ius agendi manet, sicut obligatio in debitorem, licèt sopita.

35 *Ad arg. 1.*

Ad argumenta. [r] Ad primum patet in prima particula articuli vltimi, propter quam rationem quis non tenetur ad restitutionem, vt ad satisfactionem propriè dictam, quæ est tertia pars Pœnitentiæ; sed tenetur ad eam, vt ad cessationem à peccato; & hoc actu, & effectu cum circunstantiis debitis, vel opportunis.

Ad 2. & 3. Quid de inuentis, quorū nō extat dominus?

Ad secundum, & tertium, patet ex dictis in quarto articulo, quia nesciens tenetur reddere pauperibus. Sed quod adducitur ibi de nescientia domini rei inuentæ: dico quòd res inuenta debet tradi alicui personæ publicæ custodienda, & in locis publicis proclamari, vt sic dominus, qui amisit, possit ad eam pertingere. Sed si post talem clamationem nullus appareat dominus, faciendum est. sicut de restitutione vaga.

Ad 4.

Ad aliud patet, quòd non est maior sumptus ponendus in missione, quàm valeat illud, quod mittitur: sed expectanda est præsentia personæ, si quandoque credatur haberi. Si tamen non credatur haberi, nec nuntius interueniat sine nimiis sumptibus, tradendum est parentibus, qui si non adsint, dandum est pauperibus: vniuersaliter enim dando eleemosynam pauperibus pro aliquo, datur ei bonum spirituale, & in hoc fit sibi restitutio possibilis, quando non potest sibi reddi bonum temporale.

Ad 5.

Ad aliud, si persona præoccupans rem alienam sit multum necessaria Reipublicæ, & esset in necessitate arcta; & illa alia persona, cui debetur, similiter, argumentum haberet aliquam euidentiam. Sed de hoc dicetur statim in responsione ad sequens argumentum. [s] Sed si illud iniustè detentum à persona multùm necessaria Reipublicæ, non sit sibi necessarium simpliciter, sed tantùm ad saluandum statum suum solemnem, dico quòd non licet alicui statum solemnem tenere de bonis alienis, nec tantum valet Reipublicæ istius status solemnis, quem tenet per non restitutionem, quantum valet fidelitas eius, & iustitia communis.

COMMENTARIVS.

182 *Quando fieri debet restitutio.*

[p] De *quinto: scilicet* quando, &c. Assignat hîc duas regulas verè insignes, quas maximè Doctores laudant in hac materia: vt patet ex citatis apud Scholiasten, & conciliant iustitiam debitis circunstantiis.

Prima regula. Fundata in præcepto negatiuo.

Prima est, ex natura præcepti negatiui, quod obligat semper, & pro semper: scilicet, *Nullo tempore licere cuiquam retinere rem alienam inuito domino, id est, nolente, & secundùm rectam rationem nolle debente.* Vnde regulariter quis debet statim restituere alienum, sicut debet cessare à peccato. Hæc regula est ex primis principiis iustitiæ nota, & communis.

Probatur.

Videatur D. Thomas *loco suprà cit. art. 8.* detinens enim alienum iniustè, priuat dominum verum dispositione illius, & pro quanto tempore priuat, pro tanto magis peccat contra iustitiam, quia omnis mora est in culpa.

Propositum restituēdi sēper & pro semper insit.

[q] *Sed in casibus quandoque licet*, &c. Dicit nunquam licere differre restitutionem, quantùm ad propositum, sed in quibusdam licere differre quantùm ad effectum; & statuunt secundam maximam, seu regulam, ex quibus hi casus resoluuntur, quam aliqui cum Syluestro appellant clauem huius materiæ, & est talis.

183 *Secunda regula. Fundata in præcepto affirmatiuo.*

Licet detinere rem alienam, quando ille, cuius est, debet velle eam rationabiliter detineri, &c. Sed debet is cuius est hoc, in quibusdam casibus velle, posita voluntate restituendi vt fiat cum circunstantiis opportunis: ergo, &c.

Hos casus reducit ad quatuor in genere; vt quando sequeretur ex anticipatione solutionis damnum maius Reipublicæ, aut proprium domini, aut damnum famæ restituentis, aut aliud eius damnum graue, vt vitæ, aut bonorum, &c.

Circunstantia. in quibus differenda restitutio.

Resolutionem reducit ad duo principia. Primum est, præceptum negatiuum restitutionis non obligare, nisi quando inuito domino res tenetur, quia volenti, & consentienti non fit iniuria.

Restitutio obligat, quādo est inuitus dominus.

Secundum principium est, tunc dominum esse inuitum, quando secundùm rectam rationem est inuitus: ac proinde non sufficere vt sit inuitus actu elicito, nisi ille actus sit ordinatus, & regulatus secundùm iustitiam, & charitatem: vnde restitutio facienda in eo casu non regulatur à tali voluntate inordinata: sed à voluntate, quam debet habere, & quæ conformis est titulo, quem habet ad rem detentam: nullum autem ius habet ad restitutionem rei in effectu, quamdiu manent illæ circunstantiæ: quia titulus ex iustitia non lædit charitatem, aut iustitiam in genere, qua ipse proximo tenetur; neque in specie iustitiam commutatiuam cum damno notabili proximi sine commodo proprio proportionato.

Debet esse inuitus ordinatè.

In his circunstantiis non læditur iustitia per detentionem rei.

Sufficit ergo quòd res maneat sua, aut habeat ius in personam debitoris, & hic cessante impedimento sit paratus ad restitutionem. Huc reuocatur etiam casus periculi famæ, & casus inopiæ, aut impotentiæ: vt benè probat Doctor in litera.

Et

184 *Exemplum.* Et hæc omnia confirmat per exemplum de deposito, quod tenetur depositarius stricto iure restituere, *C. de Depos. l. final.* quod tamen in casu non tenetur depositarius reddere, vt si sit gladius, quo deponẽs se, vel alium velit iugulare. *Impotentia restituẽdi, & varij eius gradus.* Impotentia autem ad restituendum reducitur ad inopiam; vt quia vel nihil habet, quod secundùm omnes excusat, vel non habet nisi necessaria sibi, & familiæ sustentandæ; vel etiam suo statui conseruando sine excessu vllo, vel quia notabiliter grauaret restitutio in bonis sine commodo creditoris: ille enim dicitur non posse, qui commodè non potest. Secundò, impotentia est, quando sine periculo vitæ, famæ, membrorum, pœnæ ciuilis, vt carceris, exilij, confiscationis bonorum, nequit restituere. Item, si sine scandalo, aut peccato, aut infamia aliorum, aut eiusmodi periculis nequeat. Item, si sine detrimento, aut Reipublicæ, aut graui aliorum nequeat. Item, si sine periculo honestatis nequeat; vt si exponat se periculo prostitutionis, vt si sit mulier, aut filia; & eiusmodi, quia in his omnibus circunstantiis, in quibus nequit fieri restitutio sine peccato lethali, aut periculo proximo eius, & sine damno aliorum notabili censetur lege diuina & naturali impotens. *Ratio præmissorum.* Et ratio est manifesta, quia quando concurrunt diuersarum virtutum præcepta, aut etiam eiusdem virtutis præcepta diuersa ex circunstantiis, saltem in eadem materia, præceptum fortius ligans tenet, & minùs ligans pro tum cedit. *Præceptum fortiùs ligans obtinet.* Præceptum autem restitutionis rei temporalis suo domino simpliciter minùs ligat, quàm aliud quodcunque, ex quo sine peccato nequiret fieri restitutio, aut sine periculo peccati.

185 *Damnum præualens.* Deinde, damnum debitoris notabile, & excedens valorem rei alienæ, non lucrum veri domini, aut eius damnum emergens præponderat: ac proinde ipsi non debetur res cum tali damno debitoris: quia restitutio respicit æquitatem, & nihil vltrà; ex parte autem creditoris, neque actio in rem, aut personam debitoris, neque res ipsa, aut commodum ex re æquat simile damnum. *Exemplum.* Nam sicut vsurarius non potest recipere aliquid ratione mutui, quia bis eidem solueretur idem, quod est contra iustitiam; ita etiam in proposito debitor, si obligaretur ad tales expensas excessiuas ex vi præcepti negatiui restitutionis, sequeretur quòd idem quasi bis teneretur soluere: *Solutio iniqua non obligat.* quia & rem ipsam restituere, & simul excessiuas expensas facere, quæ licèt non cedunt in diuersum commodum creditoris à commodo rei in se, tamen cedunt in idem commodum, quod perinde est ac bis idem soluere hoc modo, quia intuitu commodi creditoris ex re ipsa fiunt: quod non obligat præceptum iustitiæ, sed tantum soluere, aut restituere quantum potest; & secundùm quòd cedit in vtilitatem creditoris consideratis circunstantiis præsentibus, & æquitate, vt dicit *infrà* Doctor *in responsione ad secundum.*

186 *Primũ argumentũ principale.* r *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Hîc respondet ad argumenta principalia. Primum, quòd restitutio non sit pars pœnitentiæ: ergo potest esse vera pœnitentia sine ipsa.

Responsio. *Restitutio est circunstantia debita pœnitentiæ.* Respondet concedendo antecedens, & negando consequentiam: quia licèt non sit pars pœnitentiæ, est tamen circunstantia requisitæ ad veram conuersionem, sicut requiritur cessatio à peccato: quamdiu enim tenetur res aliena inuito domino, eo modo quo dictum est, iniustè tenetur contra præceptum negatiuum iustitiæ.

Ad secundum, in quo vrgetur casus, quando nescitur dominus rei, aut propinqui, aut hæredes eius. *Secundum.*

Tertium argumentum est, ex casu, quo restitutio esset notabiliter damnosa. *Tertium.*

Responsio patet ex dictis *in articulo* 4. nempe ex proximè dictis. Assignat autem regulã, quam quis obseruare debet circa inuenta incerti domini, nempe vt consignata re in manus Officialis publici, qui proclamare in locis publicis faciat eius inuentionem, vt compareat dominus. Quòd si non compareat, tunc inuentor fecit diligentiam requisitam ad restitutionem eius. Et hoc est quod *suprà* docuit D. Thomas, & Iuris interpretes, quia aliàs non videtur inuentor adhibuisse sufficientem diligentiam inquirendi dominum, & requisitam ad restitutionem inuenti. Quòd si facta hac diligentia non compareat dominus, fiat restitutio pauperibus, sicut de bonis incertis, & vagis contingit. *Responsio.* *Diligentia perquirẽdi dominum incertum rerum.*

Ad tertium patet similiter ex dictis in casu quo dominus, aut hæredes eius, aut propinqui inueniantur; vel si dominus sit absens, neque speratur venturus, neque res ad eum remitti possit sine magno damno debitoris excedente rei ipsius valorem, tunc restitutionem fieri debere spiritualiter, id est, dando rem illam pauperibus, quando in alium vsum domini seruari non possit, vt qui est absens, neque ea temporaliter vti potest, nisi sic mittatur cum damno excedente valorem rei: restitutio autem spiritualis, id est, in commodum spirituale domini, æquiualet debito temporali, neque secundùm leges iustitiæ tenetur ad restitutionem rei ipsius cum tanto excessu proprij damni, verbi gratia, si consumpsit fur rem alienam, in casu quo non valeret domino vltra valorem ipsius rei, vt cùm ipsam tum dominus esset consumpturus, quando ablata est, sit oleum aut granum repositum in vsum ordinarium familiæ, tunc restituens sufficienter restituit pretium, dando illud quod tunc currebat, quando abstulit, licèt quando restituit debitum tum res illa pluris valeat. 187 *Ad tertium respondetur.* *Pretium rei qualiter æstimatur.*

Item, contingit in contractibus quod æstimari licet, & possit, non solùm quantum valeat ex se, sed etiam quantum valeat domino, vt in contractu mutui suprà dictum est, & ratione illius commodi potest dominus pacisci de damno etiam secundùm iustitiam: eodem modo secundùm eandem iustitiam restituens rem alienam cum excessiuo damno, quod non cedit in commodum creditoris, absoluitur ab obligatione restitutionis cum tali damno, & solùm sufficit restitutio æquiualens, & proportionata debito. *Exemplum ex contractibus.*

Si dicas dominum esse inuitum, & rem suam velle recuperare, neque debitorem posse de ea disponere aliter, quàm ipse vult: quia neque mandatum ad hoc habet, neque alioquin ex propria auctoritate potest rem alterius distrahere. 188 *Replica.*

Respondetur vt *suprà*, voluntatem domini eam esse, quam debet habere; ea autem, quam debet habere, est vt res restituatur secluso tanto grauamine debitoris, & secundùm æquiualentiam, quando in specie restitui nequit: habet *Soluitur.* *Voluntas regulata æquiualet mandato.*

habet ergo mandatum debitor tum ex voluntate interpretatiua domini; tum ex præcepto legis, quo tenetur restituere, vt potest: & in talibus circunstantiis obligatur. Vnde authores tenentes contrariam sententiam, dicunt quòd non tenetur ad tempus restituere rem alienam cum tanto damno suo; sed possit expectare sine peccato opportunitatem minoris incommodi: sed hæc ipsa ratio optimè confirmat sententiam Doctoris: quia quæcunque circunstantia suspēdit obligationem præcepti negatiui obligantis semper & pro semper aliàs; hæc eadem circunstantia, si semper manet, semper etiam suspendet obligationem quātùm ad effectum restitutionis in re ipsa; vt patet in omnibus aliis circunstantiis, vt inopiæ, vel periculi famæ, & vitæ, vel peccati, vel damni publici, vel notabili, ipsius creditoris; sed circunstantia, de qua loquimur respectu absentis, qui semper cognoscitur absēs mansurus, & impossibilitatis mittendi rē sine excessiuo dāno mittentis, semper manet: ergo suspēdet obligationē restituēdi rem cum tali dāno, pro semper; sicut extinguit eādem pro tempore. Ex alia parte tenetur debitor reddere vt potest; si non absenti, iis, qui lege & cōsuetudine recepta ei succedunt, vt sunt propinqui, & alij hæredes; & his deficientibus pauperes: ergo sic restituens non est detentor rei alienæ, & ille verè secundùm legem restituit. Patet consequentia, quia restituens eam hæredi, vel creditori præsenti deobligatur domino; neque tenetur eam mittere absenti cum expensis præfatis, sed etiam lex substituit pauperes: ergo restitutio ipsis facta in eo casu est valida, & æquiualens quantùm ad restitutionem debiti.

Retorquetur argumentum aduersa sententia.

Circunstātia suspēdēs obligationem ad tempus, si semper manet, etiam semper suspendit.

Ad quartum, quod est ex eo, quòd bonum commune ex Philosopho præferendum sit bono particulari, quia illud est diuinius. Sed in casu, quo Petrus esset persona necessaria magis Reipublicæ, quàm Paulus, & restitutio facienda Paulo esset consequenter damnosa Reipublicæ; sequitur non teneri. 189

Ad quartū.

Respondet Doctor ad casum: vel vtramque personam esse æquè necessariam: & ad hoc respondet in sequenti. Vel Petrus debitor tantùm esset necessaria persona, tunc dicit quòd non licet ei ex alienis tenere statum solemnem: intelligit per *solemnem* illum, qui ex abundanti, & superfluis tenetur: quia neque hoc necessarium est Reipublicæ; imò magis ei conducit, vt seruet fidelitatem, si sit officialis, & minister Reipublicæ, & iustitiam communem, quàm vt ex superfluis viuat in præiudicium creditorum. Supponit autem hæc exceptio alterum membrum, quod includit, nempe si nequeat simpliciter statum necessarium Reipublicæ conseruare, restituendo, quod pro tum non tenetur, quia talis restitutio esset damnosa Reipublicæ. Debet ergo subtrahere superflua, & quæ ad pompam faciunt, conseruando necessaria ad authoritatem; quæ Reipublicæ est opportuna, & necessaria; & sic soluere quod potest in effectu cum dispositione voluntatis, vt soluat quod reliquum erit tempore opportuno.

Responsio.

Status superfluus.

Exceptio implicita.

SCHOLIVM.

Si simul incidant creditor, & debitor in extremam necessitatem rei, cuius creditor est dominus, ipsi debetur. quia præter æqualem necessitatem cum debitore, est dominus rei. Ita Rich. hîc art. 5. quæst. 4. Gabr. quæst. 2. art. 2. Ang. v. Restit. *num. 3. Ros. num. 1. Sylu.* v. Rest. 5. *quæst. 2. Arm. num. 27. Nau. cap. 17. num. 60. Occupantem rem in extrema necessitate non teneri ad æquiualens (& idem videtur de rebus antea iustè acceptis, & in illa necessitate consumptis) Richard. Gab. Sylu. Ang. citati, & communis: secus de rebus malè acceptis, & sic consumptis, Man. 1. tom. cap. 151. citans Sotum, & Aragon. & est communis cum Scoto hîc,*

36 *Ad 6.* AD aliud, aut detinens est in extrema necessitate, & ille cuius est res, non; sed habet aliquam citra extremam necessitatem; & tunc dicendum, quòd ista res fit istius detinentis iure poli, quo in extremæ necessitatis articulo, ad prouidendum sustentationi naturæ, via omnibus extrema necessitate detentis est concessa. *Extrà de Verb. sig. Exiit qui seminat*; & est hodie *in 6. Decret.* Si autem ambo, detinens scilicet, & cuius res detinetur, sunt in extrema necessitate, si priùs deuenit dominus ad illam extremam necessitatem; debet reddi domino duplici iure: tum quia priùs suum, tum quia iam ex ista necessitate factum est suum. Si verò priùs deuenit detinens, factum esse suum: & tunc domino pòst deuenienti ad istam necessitatem, non debet reddi: quia cessauit dominium eius in re ista; & factum est alterius iure poli. Si autem ambo simul deueniant, dico quòd debet reddi domino, quia nunquam cecidit à dominio.

Et si arguas, quòd magis debet quilibet se diligere, quàm proximum; & per consequens, magis vitam suam corporalem, quàm vitam proximi: & per consequens, istam rem simpliciter necessariam sibi, magis retinere, quàm dare proximo. Respondeo, magis debet diligere vitam suam ordinatè, vt est diligibilis ad vitam æternam; & ita magis conseruationem iustam vitæ suæ, quàm conseruationem iustam vitæ proximi: sed non magis conseruationem iniustam vitæ suæ, quàm conseruationem iustam vitæ proximi. Sic enim magis debet latro sustinere suspendium, quàm occidere suspendentem, vt euadat. Cuius ratio est, quia dilectio vitæ corporalis iniustè custoditæ, non est dilectio ordinata, quia non est ad dilectionē animæ, nec Dei. Istius

Istius autem detinentis in casu vltimo, custoditio vitæ de re aliena est iniusta: & cum hoc est etiam homicida, quia iniustè occidit alium, qui subtrahit sibi necessarium, quod sibi debetur.

Sed nunquid [t] si post extremam necessitatem deueniat detentor, in primo, vel secundo casu ad pinguiorem fortunam, túncne tenetur restituere? Regula videtur quòd sic, quia illa est de possibilitate soluendi, vt allegatum est *suprà de solutionibus. Odoardus.* 37

Contrà, res illa facta est istius detinentis, per hoc, quòd fuit in extrema necessitate, & per consequens desiit esse domini primi: ergo non est sibi reddenda. Posset dici, quòd res talis necessaria simpliciter non posset esse, nisi aliquid pertinens ad victum, & tunc consumeretur, & iustè, quia iustè consumens fit dominus: tenetur tamen pòst deueniens ad pinguiorem fortunam reddere æquiualens: quia obligatio ad æquiualens videtur ortum habuisse per comparationem ad illam occupationem primam rei alienæ, quæ fuit iniusta ante extremam necessitatem: & illa obligatio per extremam necessitatem, non est extincta, sed sopita. Sed si nunquam ante extremam necessitatem occupasset, tunc iustè simpliciter occupasset rem suam, nec ad aliquam tenetur restitutionem. Ad aliud de gladio patet ex *quando in 5. argum. 4. articuli.*

COMMENTARIVS.

190 *Ad quintum argumentum.* [f] AD *aliud*, &c. Hoc est quintum argumentum in ordine: nempe quòd quis debeat magis diligere se, quàm alium: ergo quando restitutio est sibi damnosa, vt si sit in extrema necessitate, tenetur magis illud sibi retinere, quàm dare proximo, &c. *Suppositio argumenti.* Supponit hoc argumentum omnia in necessitate extrema esse communia, ac proinde, quando quis est hac necessitate indigens, potest vti re aliàs aliena suo iure, neque tenetur reddere alteri quod in tali casu ipsius est Iure naturæ.

Responsio. Varij casus. Primus casus. Respondet discernendo casum in varias circunstantias. Primò, si creditor, aut dominus verus rei non sit in extrema necessitate, sed solus retinens rem alienam: & sic manet detinentis, vt benè probat in litera *cap. Exiit*, &c. *de verborum signific.*

Secundus casus. Necessitatis domini. Secundus casus est, si vterque sit in extrema necessitate, ad quam deuenit prius dominus rei, quam alter retinens, debet reddi domino duplici iure, nempe illo, quod prius habuit in rem suam, & illo quod superuenit necessitatis antequam alter in eandem incidit.

Tertius casus. Necessitatis propria. Tertius casus est, si priùs deuenit retinens rem alienam in necessitatem, quàm dominus, tunc non debet eam reddere: quia ex articulo necessitatis illa res facta est sua.

Quartus casus. Necessitatis extrema in vtroque. Quartus casus est, si simul deuenerunt in necessitatem extremam, debet reddi domino, quia nunc cecidit dominio illius rei.

191 *Obiectio.* Si obiicias, quòd magis quis debeat diligere se ipsum, & vitam suam, quàm vitam alterius: ergo non tenetur alterum seruare cum dispendio propriæ vitæ.

Restitutio facienda domino extremè indigenti. Respondet, quòd licèt aliàs possit iustè suam vitam conseruare, non tamen iniustè: iniustè autem tunc conseruaret, & esset homicida, subtrahendo alteri extremè indigenti quod suum est, & necessarium ad vitam eius seruandam.

Controuersia huius casus. Quoad hanc resolutionem non omnes conueniunt, nisi in hoc quòd si incidente pari necessitate vtriusque, si qui auferat alteri, quod tunc titulo dominij, & necessitatis peccet; neque faciat rem esse suam, quia in pari causa melior est conditio possidentis, saltem domini, & ablatio illius rei dat causam morti alterius. Si tamen non ex illa retentione, aut ablatione, quando iniustè primùm facta est, non sequatur casus necessitatis in altero, sed ex alia causa diuersa, tunc non tenetur restituere, qui eam tenet: ita quoad vltimam partem docet Caietan. 2.2. *quæst.* 62. *art.* 5. Sotus *lib.* 6. *de Iustitia & Iure q.* 7. *articulo* 1. Toletus *in Summa cap.* 39. Quod approbat Lessius *de Iustitia & Iure lib.* 2. *dub.* 16. imò quod amplius est cum Soto docet id licere in necessitate extrema parentis, vxoris, filiorum, fratris, qui possunt præferri creditori in eadem necessitate constituto. Alij tenent vtramque probabilem esse. *Prima sententia præferri possessorem eadem necessitate extrema laborantem. Authores.*

192 *Præfertur sententia Doctoris.* Conclusio Doctoris est præferenda: quam tenent Richardus hìc *art.* 5. *quæst.* 4. Gabr. *qu.* 2. *art.* 2. Angelus *verb. Restitutio* 1. Rosella *ibidem*, Sylu. *v. rest.* 5. *qu.* 2. Armilla *num.* 27. & Nauar. *cap.* 17. *num.* 6. maximè si debeatur re ipsa in specie creditori; vt contingit, si quis habeat panem alterius, aut equum in fuga, aut tabulam in naufragio, & similia: à quibus dependet vita domini, à quo iniustè accepta sunt. *Explicatur casus.* Formatur ergo casus, quo dominus habeat ius in re ipsam in specie. Tota difficultas est in hoc, ad quem scilicet spectet de iure illa res? *Eius difficultas.* Pro debitore stat possessio, & necessitas, quæ aliàs tribuit titulum. Pro domino stat ius primum, quod habuit in rem, & ei accidit eadem necessitas. *Probatio conclusionis.* Probatur conclusio ratione Doctoris: nunquam cecidit dominus iure suo in illam rem: ergo nunquam deuolutum est eius dominium ad alterum: ergo vtitur re non sua, & inuito domino rationabiliter, & secundùm rectam rationem, qua debet consulere vitæ; vel potest eam præferre vitæ alterius, & consequenter vsus ille & detentio rei alienæ est contra iustitiam. *Ius domini præfertur, & semper manet.* Antecedens probatur, quia possessio non facit rem esse alterius, nisi quà fundatur in iusto titulo: sed non fundatur illa possessio nisi in ablatione iniusta per furtum, aut volentiam: ergo.

Responsio. Dices eam fundari in necessitate, quæ facit rem esse possidentis.

Impugnatio. Contrà. Possessio naturalis rei fundatur in ablatione, quæ fuit iniusta.

Responsio. Dices, quantùm ad inchoationem ita fundari,

dari, & fuisse iniustam; non tamen quantùm ad continuationem superueniente necessitate.

193 *Impugnatio.* *Necessitas domini confirmat ius eius.*

Contrà. Necessitas illa non magis tribuit ius ad rem, quàm par necessitas, quæ est domini: quia similes causæ similem habent effectum, & parem titulum fundant: ergo necessitas possidentis non magis iustificat possessionem, quàm necessitas domini similis iustificet ius, quod habet in rem ipsam: sed comparando possessionem ad ius domini præcisè potior est dominus iure, imò possessio, & retentio nullo iure fundantur: ergo necessitas possidentis concurrente pari necessitate domini non iustificat possessionem in præiudicium domini existentis in eadem necessitate. Probatur consequentia; quando concurrunt pares tituli, & causæ, non ex iis debet desumi decisio rei integræ, quæ indiuisibilis est, neque dictamen ex principiis naturæ, aut lege quoad hæc magis adiudicat rem vni, quàm alteri: ergo inæqualitas inter partes debet reduci ad alios titulos, & causas, in quibus vnus excedit alterum; & non sunt pares. Sicut, verbi gratia, primogenitura non debebatur Esaü vltra Iacob, quòd vno partu sunt editi, & concepti: quia in hoc erant pares: sed ex eo quòd Esaü prior egressus est prior ex vtero materno: ergo similiter hic titulus necessitatis paris non sustinet dispar ius inter dominum, & possessorem, sed possessio ipsa auferentis, & ius quod est domini, hic titulus ex parte domini est potior, & alter nullus est.

Præfertur possessioni.

Pares tituli in rem indiuisibilē non pariunt decisionem.

Exemplum.

Par necessitas non sustinet ius in casu.

194 *Confirm.*

Confirmatur; necessitas quæ confirmat possessionem iniustam aliàs factam, vt ipsa necessitate fiat iusta, si antecederet possessionem, à fortiori eam iustificaret, vt possessio non acquireretur iniustè. Patet, qui aufert rem alienam ex casu necessitatis, non aufert iniustè; aut qui acquirit possessionem rei, quæ aliàs fuit alterius ex sententia iudicis iusta, qua priuat alterum dominio eius, & transfert in Titium, hîc iustè possidet, naturaliter & ciuiliter, seu in re, & facto: & vniuersaliter eadem causa inducit eundem effectum, siue antecedat, siue subsequatur: ergo necessitas in proposito, si confirmat iure possessionem iniustam antecedentem, etiam induceret eundem effectum, si sequeretur possessio: ergo ratione necessitatis posset ille furari rem illam domino etiam in necessitate existenti: quod negant omnes; & patet vltima consequentia, ius quod natum fundat in necessitate, per quam communis rerum vsus conceditur, perinde extenditur ad ablationem, & retentionem, absolutè loquendo, & tam ablatio, quàm retentio rei alienæ per se comprehenduntur sub præcepto negatiuo iustitiæ: quod prohibet vtramque actionem æquè primò, siue in eadem persona coniungantur, siue in diuersis exerceantur: ergo si necessitas iustificat retentionem, idem erit de ablatione.

Sequi aliàs si iustè retinet, iustè etiam auferre.

Necessitas extrema ad vtrũque extenditur.

Præceptum negatiuũ iustitiæ vtramque actionem comprehēdit.

195 *Responsio.*

Dices diuersam esse rationem, quia dominus in eo casu ratione necessitatis confirmatur nouo titulo in possessione rei suæ, quæ nequit ipsi auferri: sed non ita est, quando iam est in possessione alterius necessitatis.

Impugnatio. *Possessio iuris præualet possessioni facti.*

Contrà, vt *suprà* dictum est, possessio iuris est penes dominum, quæ præfertur possessioni iniustæ facti: ergo accedens necessitas domini eum confirmat in illa possessione, & consequẽter necessitas alterius non priuat eum sine culpa sua tali iure; sed stante hoc iure nequit alter vti, aut retinere rem alterius sine iniustitia manifesta, & maximè in sententia illa satis frequenti, quæ est D. Thomæ; nempe præcepta Decalogi esse stricti Iuris naturalis & indispensabilis.

Neque ad hoc valet retrudere aut in genere necessitatem occupantis, aut retinentis rem alterius, quia etsi necessitas tollat absolutè materiam præcepti: quia censetur Iure gentium, ex quo facta est diuisio rerum, non appropriari res in casu necessitatis; aut certè dominus rei aliàs non esset repugnans secundùm voluntatem ordinatam, quam debet habere: hoc, inquam, non valet, quia par necessitas domini spectata, & simultanea non permittit eum priuari iure suo in rem, quæ est vnicum medium conseruandæ suæ vitæ; & iure censetur repugnare, quia & par necessitati alterius, & ius quod habet in rem, præfertur possessioni iniustæ, & vsurpatæ alterius sine vllo titulo fundatæ. Vnde titulus naturalis accedens ex necessitate præfata dominio, à fortiori confirmat ei ius, quod habet ex lege Gentium, quod est medium necessarium in effectu conseruandi Iuris naturalis prouenientis ex necessitate.

Præterea, si illa sententia esset vera, seu respõsio data, quæ in ipsa fundatur, sequeretur saltem, quòd etsi ablatio rei à domino in prædicta necessitate constituto esset iniusta, non obstante necessitate auferentis, saltem retentio, & vsus rei ablatæ esset iusta ex necessitate. Consequentia est omnino falsa, quia tam ipsa retentio & vsus rei magis esset causa mortis alterius, quàm eius ablatio: cùm per vsum, & retentionem priuetur dominus re sua, in quantùm est ei necessaria ad salutem ipsa vtenda. Sequela tamen probatur ex fundamentis oppositæ sententiæ, quia melior est conditio possidentis in pari necessitate, & res illa fit occupantis ex possessione cum tali necessitate. 196

Inconueniens aliud deductum ex priori sent.

Dices legem naturalem non fauere occupanti, aut retinenti in eo casu, quia contra Ius naturale alterius in rem, quam possedit, non potest occupare, aut retinere rem alterius, quæ fit eius, tam Iure naturali ex necessitate, quàm possessione facti.

Responsio.

Contrà. Necessitas non magis confirmat titulum domini ex possessione facti, quàm titulum eius ex possessione Iuris: ergo etiam in casu cõtrouerso manet etiam dominus illius rei: & consequenter non fit res occupantis stante necessitate pari vtriusque. Vel si possessio facti sufficiat cum necessitate in possidente, etiam retentio & vsus rei, quamuis tollatur domino in casu necessitatis existenti, valebit tollenti existenti similiter in necessitate.

Necessitas nõ magis confirmat possessionem facti, quàm iuris.

Ex his patet ad fundamenta oppositæ sententiæ: supponit enim falsum, nempe rem illam fieri alterius occupantis iniustè aliàs, quando simul concurrunt dominus, & retentor in eadem necessitate, quia necessitas illa possidentis non præiudicat necessitati alterius, & iuri quod habet in rem ipsam. Quamuis aliàs solius possidentis necessitas præiudicaret. Ratio est, quia ius domini confirmatur ex propria necessitate. Exemplum esse potest in casu *suprà* disputato; si creditor incurrat damnum ex mora solutionis, aut restitutionis, tenetur debitor restituere rem illam cum damno excedente valorem rei, si tantum dãnum incurrit creditor ex eius priuatione, 197

Soluuntur fundamenta opposita sent.

Falsa suppositio sententiæ contrariæ tollitur per exceptionem.

quamuis

quamuis aliàs non teneretur rem ipsam restituere cum tanto damno, aut remittere creditori: quia causam dat ex retentione rei tali damno creditoris; ita in proposito, quia dat causam mortis creditori, aut domino, qui nunquam cecidit dominio illius rei, tenetur ad restitutionem eius existente pari necessitate: quamuis enim habet ius ad saluandam vitam propriam, non potest eam saluare cum damno vitæ alterius, quod ex retentione causaret; ideò distinctio, quam adducunt, non subsistit, nempe retentorem non dare causam morti alterius, quando non aufert rem eius tempore necessitatis: quia ablatio, & retentio perinde causant damnum domini, & eum priuant iniustè re sua, quæ ipsi est medium vnicum hîc, & nunc saluandi vitam; necessitas enim auferentis, non tribuit ius ad rem, quam non potuit facere propriam eius, cum priuatione iuris proprietarij; licèt aliàs quoad superflua, & non necessaria tribuat ius vtendi, & proprietatem.

Distinctio allegata reijcitur.

198 *An cessante necessitate teneatur restituere? Responsio.*

t *Sed nunquid si post extremã necessitatem, &c.* Hîc quærit Doctor, vtrùm extremè indigens, quando peruenit ad pinguiorem fortunam, debeat restituere æquiualens rei, quam consumpsit. Distinguit Doctor, & dicit si rem iniustè accepit antequam curreret necessitas, tunc ratione iniustæ acceptionis prioris eum teneri ad restitutionem, quando potest, nempe æquiualentis; quia supponitur res ipsa periisse. Ordinariè contingit hæc necessitas in cibariis magis quàm in aliis. Quòd si autem res post vsum manet, deficiente necessitate redit ad primum dominum. Patet ex illo capite, quod citat Doctor, in quo dicitur quòd sopitur, non extinguitur ius creditoris, quando inopia solutionis premit debitorem. Et patet etiam ratione, quia extrema necessitas non plus iuris in rem alterius tribuit, quàm necessarium est subuentioni vitæ. Non videtur ad hanc facere extinctio aliàs debiti, quando cessat necessitas, quia iura creditoris, & domini reuiuiscunt, quæ tantùm sopiuntur.

Iniustè auferens cessante necessitate tenetur restituere.

Respondet secundò, quando iustè occupat rem in casu necessitatis, facere eam propriam, neque teneri restituere, quia vtitur iure suo, & res ex lege naturali fit sua. Hanc tenet communis. Priorem partem huius resolutionis negant quidam, putantes rem aliàs non suam fieri propriam eius in necessitate, quia iusto titulo eam consumpsit. Sed ratio posita probat contrarium, quia ius, quod habet creditor in debitorem inopem, reuiuiscit, quando tollitur inopia; non alia ratione, quàm quòd iusto titulo fundatur primò, & impedimentum superueniens desiuit. Videatur Panormitanus *in cap. Si quis, &c. de furtis.* Couarr. *in reg. Peccatum.* Azor. *lib. 4. c. 39.* & alij, qui hoc dubium fusiùs tractant.

Secunda responsio. Iustè occupãs non tenetur.

Ad sextum patet ex dictis, nempe restitutionem non posse fieri cum damno Reipublicæ, aut ipsius creditoris.

Ad Sextum. Responsio.

SCHOLIVM.

Adulteram non teneri se prodere, vt filius legitimus succedat, sed omnem diligentiam adhibere sine vita, & famæ dispendio, vt spurius dimittat hæreditatem. Quòd si sciat spurium ei fidem adhibiturum, & dimissurum hæreditatem eius suasione, innuit Doctor eam teneri patefacere illi crimen. De quo Gabr. hîc quæst. 2. Castro 2. de leg. Pœn. cap. 11. Nauar. cap. 18. num. 89. & cap. 16. num. 44. Couar. reg. Peccatum 1. part. num. 7. Molin. tract. 3. d. 102. Si tamen fama adulteræ sit longè minoris momenti, quàm hæreditas, puto cum eius dispendio legitimum restituendum. Ita Couar. Molin. & alij.

AD[u] illud de adultera dicitur multipliciter. Vno modo, quòd ipsa debet reuelare suum crimen filio spurio, & inducere eum ad dimittendum hæreditatem vero hæredi propter hoc, quòd iniustè occupat, cùm non sit hæres. Aliter dicitur, & minùs valet, quòd debet reuelare culpam suam marito, vt assignet hæreditatem vero hæredi; quod licitum est secundùm Iura imperialia, vbi testans primò in testamento instituit hæredem. 38

De adultera. *Richardus q. 4. art. 5.* *Hostiens. in sum. lib. 5. tit. de pœnit. & remiss.*

Contra primam responsionem, quia aut filius credet matri, aut non: si credet, non est probabile, quòd propter hoc dimittere velit hæreditatem, quia pauci inueniuntur ita perfecti, vt propter iustitiam seruandam in foro Dei, dimittant magnas possessiones, quas possunt tenere iure exteriori: nec hoc potest mater præsumere, nisi multùm priùs experta fuisset voluntatem filij sui: non autem debet se exponere certo periculo diffamationis apud filium suum, propter incertam correctionem filij. Si verò non crederet, tunc essent duo mala: quia & ipsa esset diffamata, & ipse teneret hæreditatem, vt priùs.

Contra secundam responsionem arguitur; quia & mulier se diffamat, & exponit se periculo mortis, & maritum periculo vxoricidij: quia talis posset esse zelator, vt sunt multi, quòd illam occideret, vel perpetuo haberet odio, & à se, & ab actu coniugij expelleret. Ad ista mala diffamationis, mortis, vel saltem odij, vel discordiæ, quæ sunt valde probabilia, & videntur vt in pluribus euentura, non debet se mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis restituendæ. Et præter hoc in terris, vbi primogenitus est hæres, pater si crederet vxori, non posset à spurio auferre hæreditatem, nisi in foro publico probaret eum talem: & tunc oporteret mulierem diffamari, non tantùm apud maritum, sed apud totam patriam.

39 *Quid adulteræ agendum circa spurium?*

Dico [x] ergo quòd mulier debet laborare, quantum potest ad hoc, quòd hæreditas reddatur vero hæredi, quantùm in se est. Dico autem quantùm in se est, quia non debet se diffamationi exponere: sed ex aliis causis honestis filium spurium quantùm potest inducere, vt dimittat hæreditatem. Vnus modus honestus est, vt intret Religionem: alius vt sit clericus, & recipiat beneficia Ecclesiastica, & his quasi sufficientibus contentus, hæreditatem dimittat alij fratri laico remanenti. Sed si per nullam honestam persuasionem potest mater flectere cor filij spurij, vt dimittat hæreditatem, non videtur quòd debeat se prodere illi spurio: quia non est certa, quòd talis impersuasibilis ab ipsa in aliis honestis, propter hoc flecteretur: imò fortè tenaciùs teneret concipiens diffamationem sui, quia per illam dimissionem notaretur spurius, & talem notam multum cauent malè nati: & tunc debet mulier laborare aliunde restitutionem fieri vero hæredi, quantum potest, & secundùm correspondentiam iustitiæ: *Multùm differũt habere, & propè esse.* quia non dico quòd teneatur ad restituendum æquiualens toti hæreditati: nam multùm differt inter habere, & propè esse: iste autem nunquam habuit hæreditatem, licèt fuerit propè secundùm iustitiam: & ideò minus, quàm æquiualens hæreditati, sufficit sibi pro restitutione: & illud minus determinetur secundùm arbitrium boni viri. Videtur tamen ad minùs, quòd debeat sibi prouidere de victu honesto, & vestitu, si fuit hæreditas pinguis, vt possit sufficere hæredi ad duplum, vel ad triplum istius. Quòd si hoc non possit, faciat quod dicitur *in illo cap. Odoardus.*

COMMENTARIVS.

199 *Casus de adultera concipiente ex adulterio ad quid tenetur?*

u AD *istud de adultera*, &c. Hìc respondet ad septimum argumentum principale; quod est de adultera secuto partu ex adulterio, qui adibit hæreditatem in præiudicium legitimorum; vel certè legitimam. Ad quid tenetur adultera? *Prima sententia.* Doctor citat duas opiniones; quarum prima tribuitur Richardo *in præsenti dist. art. 5. quæst.* 4. eam teneri, vt reuelet hoc filio, ne adeat hæreditatem. *Secunda sententia.* Secunda sententia est Hostiensis, *in Summa lib. 5 tit. de Pœnit. & Remiss.* eam teneri reuelare marito, vt consignet testamento hæreditatem alteri. Maior *hìc q.* 17. Adrianus *q.* 1. *de Restitut. ad* 5. docent cum periculo vitæ, & famæ teneri ad reuelationem. *Tertia sententia.* Quod limitat Sotus *de Iustit. & Iure lib. 4. q. 7. art. 2. ad* 2. Couarruuias *reg. Peccatum part.* 1. & alij.

Resolutio Doctoris. Doctor primò dicit, quòd si filius vel non sit crediturus matri, vel si est crediturus, non inde dimittet hæreditatem; mater non tenetur reuelare filio peccatum: quia vel non credet; & tunc inutiliter acciuit sibi damnum famæ; vel si credet, & non putet mater eum posse per hoc corrigi, non potest dispendium famæ certum incurrere ob incertam emendationem filij. *Non debet incurrere damnũ famæ, nisi subsit certa emendatio, & securitas à periculo.* Si tamen experta fuisset voluntatem filij, & quòd sit crediturus, & dimissurus hæreditatem, tunc videtur Doctor insinuare eam debere se ipsam prodere suo filio, modò non sequatur apud alios maior diffamatio, aut periculum aliquod vitæ matris à filio, aut marito, si esset periculum, vt filius id reuelaret patri putatiuo, aut aliud periculum matris, & hinc spes certa sit auertendi damni; hæc tamen rarissima sunt, vt vix sperari cum prudentia possint.

Idem dicere quando iam diffamata est publicè, aut priuatim apud maritum, & filium de adulterio: quia non est in eo casu in possessione suæ famæ. *Debet supponi certitudo rei.* Debet præterea ipsi certò constare filium esse ex adulterio, quia si tantùm ex coniecturis suspicatur, aut probabiliter etiam censet, non potest nocere filio, cuius melior est conditio vt possidentis, tam ius ad hæreditatem, quàm æstimationem sui, ideóque non tenetur credere matri, dicenti contrarium, nisi conuincat, aut cedere iuri suo, vt patet *cap. Officij 9. cum glossa*; & docent omnes Canonistæ *in cap. Per tuas*, 10. & Iurisperiti *in l. Si Posthumus, ff. de Liber. & Posthum.* alleganti enim suam turpitudinem nulla debetur fides in alterius præiudicium; & filius, qui sua & publica opinione est legitimus, & educatione, non tenetur cedere iuri suo, nisi conuincatur. *Allegatio turpitudinis propria caret fide in præiudicium alterius.* Vnde vix fundari potest certa regula auertendi damni in adultera, aut fundamentum se diffamandi sine commodo.

200 *Secunda conclusio. Non teneri adulterã cum periculo vitæ, &c. se prodere.*

Secunda resolutio Doctoris est contra secundam opinionem cum suis assertoribus, non teneri mulierem se prodere marito cum periculo vitæ, & famæ propriæ, vxoricidij, & aliorum plurium peccatorum in marito, & filio, & maximæ discordiæ in familia. Quantùm ad primam partem conclusio est communis. *Probatio.* Hæc patet ex casu præcedenti, quia bonum vitæ est superioris ordinis, ac proinde in necessitate eius extrema potest quis vti re aliena: vel non restituere alteri, quod aliàs ipsi debetur: ergo quantùm ad obligationem iustitiæ commutatiuæ non tenetur adultera conseruare hæreditatem in filio legitimo; & hoc loquendo in circumstantiis communibus. *Limitatio.* Vnde illam limitationem Scholiastis, & Doctorum, quos citat, hoc sensu admittendam sentio, scilicet ex aliis circumstantiis, *Ex quibusdam circumstãtijs teneri.* nempe pietatis in patriam, in familiam, si est amplissima, teneretur exponere se morti; tunc etiam teneretur se prodere cum periculo mortis. Hæ circumstantiæ sunt, vt si ex improbis moribus spurij præuideat certò administrationem hæreditatis ad eum non posse peruenire sine periculo euersionis, & subuersionis Reipublicæ, familiæ, aliorum legitimorum, in quibus tale periculum non subsistit; vt qui sint melioris indolis, & bonis moribus instructi, & prudentia requisita ad administrationem. Sed hic casus extraneus est præsenti, in quo tantùm quæritur de restitutione secundùm iustitiam commutatiuam.

Secũda limitatio. Præterea, si sciat post mortem suam fore, vt diffamatio sequatur, & præuideat pericula, & cædem inter filios legitimos, & spurium, de recuperanda hæreditate, fore certò, tunc etiam tenetur se prodere, ne talia damna, quibus ipsa cum

cum periculo vitæ suæ tenetur occurrere, succedant.

201 *Secunda pars conclusionis probatur.* Eadem conclusio quoad secundam partem est communis Doctorum, & Canonistarum *in cap. Officij cit.* vbi Innocentius, Panormitanus, Couarr. *loco cit.* Nauarrus *in Manuali, cap.* 16. *num.* 44. Castro *de potestate legis pœnalis lib.* 2. *cap.* 11. Syluester, Angelus, & alij Summistæ, *v. Adultera.* Medina *C. de Restitut. quæst.* 3. Azorius *lib.* 5. *Institut. cap.* 6. *quæst.* 2. Gabriel *in præsenti d. q.* 2. Caietan. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. & *Opuscul.* 31. *respons.* 41. *Bonum famæ est superioris ordinis.* Rectè probatur, quia fama est superioris ordinis, neque est pecunia æstimabilis. Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Renuntiatio pecuniæ potest fieri ad conseruandam perfectionem, vel acquirendam, non ita famæ. Præterea, patet ex ratione prima contra Richardum facta, & maximè *ex cap. Officij cit.* Conclusio supponitur, vbi dicit Pontifex quòd *mulieri ex adulterio concipienti, quamuis id confiteri timeat, non sit deneganda pœnitentia*, &c. denegari tamen deberet, si teneretur confiteri, aut se prodere: ergo.

202 x *Dico ergo quòd mulier debet*, &c. Hìc docet adulteram teneri aliis viis commodis resarcire damnum, aut præuenire, ne spurius adeat hæreditatem; vt persuadendo per alios prætextus, vt fiat Religiosus, aut clericus, & cedat aliis. *Ad quid tenetur adultera?* Si autem id nequeat persuadere, inquit, non tenetur se prodere, & tunc conetur quantum potest siue per bona Paraphernalia, siue ex aliis acquisitis, vt restituat damnum legitimo, & inducat patrem, vt bonis non solùm acquisitis ex fructu hæreditatis, sed etiam cum grauamine hæreditatis eidem prouideat, & in eum finem sustentationi propriæ, quod potest, detrahat. Si autem hoc modo non adæquet debitum, faciat, inquit Doctor, quod dicitur *cap. cit. Odoardus*; habeat scilicet animum restituendi quod non potest, cùm opportunitas, aut facultas non suppetat. Ita communis Doctorum. Et idem dicendum de adultero, modò constet ei filium esse suum: quia est causa damni illati, & tenetur in solidum ex regulis suprà præscriptis, deficiente adultera; si tamen non constat, non tenetur quidpiam restituere, quia in solo dubio non tenetur seipsum priuare re sua.

SCHOLIVM.

Litera sequens est obscura. Vult per directè intendere damnum alterius, esse fraude eum impedire à beneficio sine alio fine; indirectè verò, quando primò intendis tuum commodum, sed cum hoc alterum fraude impedire: & iuxta hanc explicationem cessant quæ alij obijciunt contra Doctor. cum quo concordant D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 4. *Rich. hìc art.* 5. *quæst.* 4. *ad* 7. *Paludan. quæst.* 2. *art.* 2. *dicentes, impedientem ex odio à beneficio, teneri ad restitutionem. Patet sic Doctorem sentire, quia dicit, si primariò intendis commodum, & ex consequenti alius damnetur, quòd ad nihil teneris: sed hìc indirectè intendis damnum alterius: ergo fraus est, quæ obligat, & non talis intentio. Secundò, lex quam affert Scotus, tantùm dat actionem de dolo (vt ostendit Molin. d.* 704. & 709. *contra Nauar. cap.* 17. *num.* 71.) *contra præscindentem venas in suo fundo, quo impedit alterius bonum: ergo loquitur Scotus in casu doli. Tertiò, quæst. seq. fin. ait retrahentem aliquem à Religione sine fraude non teneri ad restitutionem. Sic Azor.* 3. *tom. lib.* 4. *cap.* 19. *intelligit D. Thom. & Scotum; & quod secundùm eos scindens venas animo nocendi, tenetur ad restit. (de quo Molin. supr.) sed sibi contradicit* 2. *tom. lib.* 6. *cap.* 15. *quæst.* 16.

AD y vltimum dico similiter, quòd iste tenetur restituere beneficium, non totum, quia multum interest inter habere, & prope esse: sed aliquam portionem correspondentem alicui parti valoris beneficij: & hoc si directè abstulit sibi beneficium intentione damnificandi eum. Si autem indirectè, scilicet procurando sibi ipsi, & cum hoc etiam damnificare alium intendebat, tenetur, vt dixi. Sed si tantummodò propriæ vtilitati intendebat prouidere, & sic procurat sibi, & ex consequenti alius præter intentionem illius damnificatur; iste ad nihil tenetur illi: quia licet vnicuique sibi ipsi prouidere, alio neglecto. 40 *Ad* 8. *Intellige si iniusto modo intendis damnũ alterius.*

Confirmatur hoc per illud, *l.* 1. §. *Idem aiunt, ff. De aqua pluuia arcen.* si præscindo venas in fundo meo, per quas deriuabatur aqua ad puteum alterius, intentione nocendi sibi, teneor ad restitutionem damni: sed si hoc facio sine fraude, intendens consulere vtilitati propriæ, vt quia mihi est vtile facere murum, qui non potest conuenienter fundari sine præcisione illarum venarum: non damnifico alium, quia ius habeo faciendi vtilitatem meam in fundo meo. Et *ff. de regul. Iur. Nemo damnum facit, nisi qui illud facit, quod facere ius non habet:* iste autem habet ius procurandi sibi beneficium seruatis circumstantiis iustis, & honestis.

COMMENTARIVS.

203 *Ad vltimum.* *Qui procurat beneficiũ impediendo alterum.*

AD vltimum dico similiter,&c. Respondet ad octauum argumentum, quod est de eo, qui procurando sibi beneficium Ecclesiasticum, impedit alterum ab eius consecutione. Tria dicit. Primò, quòd si abstulit beneficium intentione directa damnificandi proximum, teneri ad restitutionem; non totius beneficij, sed partis fructuum: quia differunt plurimùm habere beneficium, seu possidere, & propè esse, id est, possidere in spe, & possidere in reipsa: tantum ergo tenetur, quantum æstimabilis est spes, & ius ex illa datum ad beneficium, aut in illa fundatum. Si autem auferret iam beneficium possessum, tunc non impediret collationem, sed priuaret beneficio collato, & teneretur ex toto.

Possidere in re, & in spe differunt.

Indirectè intendens damnum. Intẽdens vtilitatem, & non damnum non tenetur.

Secundò dicit, si propriæ vtilitati consulit primariò, indirectè verò intendat damnum proximi, etiam teneri. Tertiò dicit, si non intendat damnum proximi, sed propriam vtilitatem, illo neglecto, ad nihil teneri. Per intentionem directam intelligit Doctor illam, quæ sola est causa operandi. Per indirectam intelligit illam, quæ, etsi sit causa sufficiens operandi, non tamen sola, aut primaria: sed vtilitas propria, cui accedit etiam secundariò intentio damnificandi alterum. Vtramque intẽtionem intelligit Dominus Scholiastes esse fundamentum obligationis restituendi, quando coniuncta est fraus & dolus, per quæ impeditur iniustè ius alterius, siue in re, siue in spe ad beneficium. Et sic intelligendo textum, resolutio est communis Doctorum: quia qui ex fraude, & dolo damno causam dedit, tenetur resarcire damnum illatum, intelligendo fraudem in re ipsa factam per minas, vel alia media æquiualentia; quibus excluditur alter iniustè à beneficio; & tum obligatio redundat ex mediis illicitis, non ex sola intentione maligna, aut iniusta, quæ non est causa iniustitiæ, nisi etiam reducatur in opus per media iniqua.

Intentio indirecta.

Glossa Scholiastis.

Fraus obnoxium facit.

204 Cæterùm Doctor videtur in solam intentionem iniustam refundere damnum, tanquam in causam, ex qua sequitur obligatio, & damnũ. Et ita alij etiam eum intelligunt: videndum ergo erit an sola illa intentio per media aliàs licita sufficiat ad fundandam obligationem? Videtur quòd non; quia vt *suprà* visum est, & tenet Doctor, animus vsurarius mutuantis, nisi trahatur in pactum, verbis aut signis manifestatus, non recipit rem alienam, quamuis vltra sortem recipiat: neque tenetur ad restitutionem: ergo idem in proposito dicendum. Quæ ratio benè sustinet interpretationem Scholiastis: & confirmatur, quia intentio illa iniusta non est causa damni, nisi vt effectum habet in re ipsa, & executione per media accommodata intentioni, quà iniusta est, aliàs nihil ponit in opere ipso, quà iniusta est; sed tantùm erit speculatiua, & non practica, id est, causatiua operis: ergo intelligẽdus est Doctor de intentione iniusta, vt exerit vires in opus ipsum, quà iniusta est; & consequenter adhibendo fraudem, & media illicita in re. Et confirmari potest, quia obligatio restitutionis non oritur nisi ex eo, quòd tollatur in re ipsa res, aut ius alterius per media, & contractum illicitum: ergo intentio, quæ non exercitur per media iniusta, licèt ipsa sit iniusta, non fundat obligationem.

An sola intẽtio per media aliàs licita inducat obligationẽ? Pars negatiua suadetur.

Intentio non est efficax, nisi per media accommodata.

Confirmatio.

Patet consequentia, quia licèt illa respectiuè ad finem sit iniusta, non tamen respectiuè ad media, aliàs licita erit iniusta; & consequenter non tollit per hæc media rem alienam; nam si intentio illa sola esset absque eo, quòd sequeretur effectus, ad nihil obligaret intendentem alteri: quia sic non esset efficax, neque tolleret ius alterius. Ergo si exeratur similiter per media licita, non est causa damni, quia talis tantùm vtitur iure suo. Videantur rationes Scholiastis, quæ ad hanc interpretationem faciunt: estque satis probabilis, & conformis Doctori, & iis, quæ superiùs dicta sunt circa modum, quo quis ex concursu participat peccatum alienum, & causat damnum, ad quod tenetur; non autem quando non sit causa damni.

Intentio iniusta respectiuè ad finem, iusta respectiuè ad media.

Pro altera etiam parte facit, vt dixi, quòd Doctor in duobus primis casibus refundat obligationem restitutionis in solam intentionem iniustam. Et in tertio casu dicit, supposita intentione iusta, quamuis damnum occasionatè fiat alteri, non oriri obligationem. In tertio autem casu non est necesse aliud variari, nisi solam intentionem, applicatis iisdem mediis. Probari potest interpretatio, quæ etiam est satis fundata, quia in multis casibus intentio praua inficit totum opus, quod aliàs licitum esset, si subesset alteri intentioni: verbi gratia, mulier prægnans sumens medicinam in infirmitate periculosa, in qua & ipsa, & partus aliàs occumberet, si sumat medicinam ex sola causa, & motiuo suæ salutis, non est homicida; si tamen directè intendat occisionem prolis, est homicida: & similiter medicus sic intendens, quando certa est mors prolis. Item, in bello iusto exhortantes ad defensionem iustitiæ, vt Sacerdotes, si non intendant occisionem hostium inuadentium, non sunt homicidæ; quamuis defensio sine illa occisione non fiat: si tamen directè intendunt occisionem hostium, fiunt irregulares ex homicidio. Item, dans gladium alteri, quem habet depositum, vt se, vel alios occidat, si intendit occisionem, est particeps criminis; si tamen intendat solùm restitutionem depositi, quod aliàs non potest sine suo periculo saltem retinere, non fit particeps criminis.

205 *Solam intentionẽ per media aliàs licita inducere obligationẽ.*

Intentio inficit opus.

Exemplum de prægnante, & medico.

Exemplum de irregularitate ex homicidio.

Restituẽs gladium depositum ex differenti intẽtione.

Item, dans mutuum cum intentione recipiendi vltra sortem intuitu mutui, est vsurarius, & tenetur ad restitutionem, si illud recipiat ex pacto: si tamen intendat rationem damni, quod in reipsa incurrit ex causa mutui, non tenetur ad restitutionem. Vel, vt clariùs formetur, recipiens vltra sortem ex debito mutui, & quando alius dat intuitu debiti, tenetur ad restitutionem; si tamen dat titulo donationis, & hac intentione non sequitur obligatio restitutionis. Similiter, si quis det equum suum alteri intentione tantùm accommodationis, tenetur restituere; si intentione donationis, non oritur restitutio: quamuis datio in ratione actionis, & acceptio non variantur, nisi vt subsunt intentioni, & consensui voluntatum. Et sic in aliis casibus actio eadem variat speciem iuxta naturam intentionis.

206 *Dãs mutuum animo vsurario.*

De cõmodante, & donante.

Actio variat speciẽ ex intentione.

207 Item, si quis procuret Parochiam, habens intentionem non se ordinandi; sed tantùm percipiendi

Procurãs Parochiã, ne[c] intendens ordinari.

piendi fructus, tenetur ad restitutionem: quamuis aliàs sit idoneus, & per media licita procurauerit beneficium. Sic etiam qui dat munera Episcopo intuitu recipiendi beneficij est simoniacus, & recepto beneficio tenetur restituere: si autem titulo donationis non tenetur ad beneficium resignandum, neque ad fructus eius. In his omnibus media sunt eadem, sed ex diuersa intentione sortiuntur speciem suam, vt transeunt in effectum, & inducunt obligationem restitutionis, quando intentione iniusta applicantur, & sortiuntur effectum.

Dans munus ex diuersa intentione.

Probatio à priori. Intentio efficax requirit tantùm media sufficientia per quæ transit in effectum.

Ex quibus sic argumentor à priori: intentio vt fiat efficax, non exigit alia media, quàm quæ sunt sufficientia, & re ipsa inducunt finem: ergo etiam vt exeratur intentio iniusta, quà talis, nihil aliud requirit, quàm vt media, & eorum electio ex ea tantùm procedant, & attingant effectum: ergo tota actio est iniusta: quod admittunt omnes. Sed per hanc actionem in re ipsa priuatur alius suo iure, & iniustè, aliàs actio non esset iniusta: ergo sufficit talis actio vt hîc, & nunc procedit, vt medium priuandi alium suo iure, à tali intentione, & vt in re ipsa, tanquam vera causa priuat, vt fundet obligationem restitutionis illius iuris, seu æquiualentis.

208 *Responsio. Impugnatio.*

Dices non inferri fraudem, quia non adhibetur fraus, sed alius iure suo vtitur.

Contrà, illa actio, vt fit per modum executionis iniustæ intentionis, non est vsus proprij iuris, sed executio, & exercitium dolosæ intentionis defraudandi alium suo iure: quia vsus proprij iuris debet esse ex consensu, & intentione, quæ concordat iustitiæ, & titulo fundato iuris proprij: verbi gratia, si quis ficta intentione celebret contractum matrimonij in foro externo, vel alium quemcumque contractum, quamuis fictè, non tenet contractus in foro poli ex defectu intentionis requisitæ ad translationem sui, aut rei propriæ in alterum; quamuis teneatur ad restitutionem damni, quodcumque intulit: neque dicitur vti iure suo, quia nullum habet in fraudem alterius: ergo si ex intentione iniusta per medium efficax intulit alteri damnum, non vtitur iure suo; sed exequitur fraudem conceptam in damnum alterius.

Intentio iniusta habens effectũ priuat alterum iure suo.

Non est vsus iuris proprij.

Confirmatur ex lege, quam citat Doctor in litera, & confirmatione argumenti.

209 *Responsio. Impugnatio.*

Respondent Molina, & alij per illam legem dari tantùm actionem de dolo, si probetur.

Contrà, non datur actio de dolo, nisi quia dolus in re ipsa committitur, & contra iustitiam alterius: sed hic dolus, vt patet ex lege ipsa redundat, quatenus actio illa aliàs iusta, si intentio requisita subesset, fit solùm dolosa ratione intentionis iniustæ; ex qua fit actio: ergo sola iniusta intentio causat dolum in opere, quod ex ea duntaxat prouenit, & fundat obligationem restituendi rem in integrum: quia non datur actio, nisi ratione iuris læsi. Vnde vt in illa lege supponitur alterum habere quidem ius exscindendi venam aquæ, si ex vtilitate propria operatur; si verò tantùm ex damno alterius, non habet tale ius, & ideò datur actio ad restitutionem rei in integrum: quia alter iam acquisiuit ius aquæ fluentis, quod non impeditur, nisi vt potiori iuri alterius cedit, quando illud reducitur in vsum: vsus autem eius est vtilitas quæ ex impedimento, aut interiecto muro euenit, non verò damnum alterius tantùm.

Ex quibus patet ad fundamenta modernorum, qui hanc sententiam impugnant; quam etiam tenent citati à Scholiaste, vt D. Thomas, Richardus, Paludanus: vt visum enim est, supponunt falsum, nempe actionem illam, vt subest intentioni iniustæ, non includere fraudem. 210 *Ad fundamenta opposita.*

Ad aliud quod opponitur ex Doctore de vsurario.

Respondetur, rectè non fundari obligationem; quia titulus, quo restitutio fundatur, est, quando inuito domino res aliena, aut ius tenetur, vel occupatur: dans autem vltra sortem titulo donationis non est inuitus; ideò non fundatur obligatio. Non ita autem hîc contingit, quia alius inuitus suo iure priuatur. Ex dictis patet solutio ad reliqua. *Ad obiectionem illam ex Doctore responsio.*

Petes quódnam sit illud ius, quo defraudatur procurans beneficium? *Quo iure priuatur quis in casu?*

Respondetur, loquendo de beneficio tam Ecclesiastico, quàm temporali, duplex ius assignari. Aliud proximum; aliud remotum. Proximum est, quod ei ex titulo iustitiæ competit ratione promissionis, stipulationis, venditionis, præsentationis, exspectatiuæ, oppositionis, regressus, accessus, coadiutoriæ, primogenituræ, & aliorum huiusmodi; quibus datur ius in re, vel ad ipsam rem. Et de his magis claret responsio data. Remotum autem ius est, quod habet idoneus, & benè meritus; quod non tribuit actionem in iudicio, sed secundùm æquitatem iustitiæ ei debetur: sicut & aliis concurrentibus, & de hoc maximè intelligitur casus propositus à Doctore: & hoc ius impedire est iniustum, quia licèt non sit proximum, tamen habet ius suspensum remotè in voluntate libera collatoris ad beneficium; & ratione illius iuris, quo potest esse competitor, nec lege, nec demerito excluditur à sollicitatione, & procuratione sui commodi; habet ius proximum, vt non statuatur ei impedimentum per se, & ex intentione illum priuandi hoc iure: potest enim quilibet quærere suam vtilitatem, quando non prohibet lex, & aliàs est dignus: & supposito quòd beneficia sint libera, & nulli ex titulo speciali debita, sed communiter benè meritis, & idoneis exposita, quilibet habet ius concurrendi, quo nequit priuari per fraudem, statuendo ei impedimentum: & hinc oritur obligatio restitutionis, non ex iure, quod habet proximè in rem ipsam, sed ex iure proximo concurrendi cum cæteris æquè, & sine impedimento. Si tamen persona non sit idonea, tunc neque hoc ius habet, & statuendo ei impedimentum, non incurritur obligatio restituendi: quia ipsa lege excluditur, quando non est idoneus ad ministerium in beneficio. Multi alij sunt casus circa hanc materiam, quos hîc omitto, quia legi possunt passim apud Summistas; & fortè commentum huius quæstionis erit graue lectori: quamuis tantùm versetur in regulis generalibus iustitiæ, & restitutionis, prout eas tradit, vel insinuat Doctor; & in casibus particularibus ab eodem expressis.

211 *Responsio. Duplex ius. Proximum. Eius tituli.*

Ius remotum.

In quo fundatur.

Nequit iure impediri.

QVÆSTIO III.

Vtrùm damnificans alium in bonis personæ, scilicet corporis, vel animæ, teneatur restituere ad hoc, quòd possit verè pœnitere?

D.Thom.*hîc q.1.art.5.* Richard.*art.5.q.2.* Palud.*q.2.art.2.* Maior *q.17.dub.vlt.* Gabr.*ibi art.2.concl.1.* S.Anton.*2.p.tit.2.c.2.§.1.*Sylu.*v.*Rest.*3.q.1.&* §.5. Soto *4.de Iust.q.6.art.3.*Petr.Nauar.*2.de Restit.c.2.n.50.* Aragon.*2.2.q.62.art.2.* Salon.*ibi controu.2.* Valentia *d.5.q.6.p.5.qui agunt de restitutione damni spiritualis. De restitutione damni in corpore, agitur 2.2.q.62.art.2. vbi* Salon. *controuer.4.& 7.* Aragon.*ibi*, Valentia *d.5.q.6.p.5.* Petr. Nauar.*lib.4.c.1.dub.10.n.76.* Gabr.*hîc q.15.art.2* Scotum *sequuntur*, Astens.*2.part.lib.5.tit.29.art.2.*Adrian.*4.de Restit.quæst.vlt.* Richard.Palud.Gabr.Maior. Syluest. Anton.

1 TERTIÒ [a] quæro, Vtrùm damnificans alium in bonis personæ, scilicet corporis, vel animæ, teneatur restituere ad hoc, quòd possit verè pœnitere? Videtur quòd non: nullus tenetur ad impossibile; sed in tali damno quandoque est impossibilis restitutio: ergo, &c. Minor patet, quia damnificans non potest reddere bonum spirituale æquiualens ei, quem damnificauit in bonis animæ. Similiter, si damnificauit auferendo membrum, vel occidendo, non potest reddere, nec illud, nec æquiualens: quia nullum bonum exterius, quod est bonum minimum, quia bonum fortunæ potest esse æquiualens bono naturæ, quod est bonum medium, secundùm Augustinum *primo Retractationum*.

Argum.1.

Cap. 9.

Argum.2.

Item retrahens hominem à religionis ingressu, damnificat illum in bonis animæ, quæ esset habiturus in religione, & damnificat religionem, subtrahendo illi talem personam: nec tamen tenetur ad restitutionem illorum bonorum illi, quia non potest, nec ad restituendum religioni personam illam, vel æquiualentem illi personæ: quia tunc teneretur ipse intrare religionem pro eo, si non posset inducere alium æquiualentem.

2 *Ratio 1. ad opp.* Contrà, 6. quæst.1. cap. Ex merito. *Deteriores sunt, qui vitam bonorum prauis moribus corrumpunt, quàm qui substantias aliorum, prædiáque diripiunt.*

Ratio 2. Exod. 22. Item Exodi 22. *Qui seducit virginem, & dormit cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem: aut reddet ei pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines solent accipere:* ergo ista damnificatio illata virgini contra castitatem, requirit restitutionem castitatis coniugalis reddendæ pro ea.

Ratio 3. Item de damnificante in corpore, habetur *Extrà de Iniurijs, & damno dato, cap.1. Si rixanti.* & sumitur ab Exod.21. cap. *Si percusserit alter proximum suum, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lecto: qui percusserit, operas eius, & impensas in medicos restituet.*

COMMENTARIVS.

1 *Ordo quæstionis.* a TErtiò quæro, vtrùm damnificans alium, &c. In superiore egit Doctor de restitutione, vt versatur iustitia in bonis fortunæ. Hîc agit de restitutione, vt versatur in bonis animæ, & corporis. Et primò de restitutione in bonis animæ. Secundò in bonis corporis.

SCHOLIVM.

Inducentem alium ad vitia, & corruptionem virtutum, teneri ad restitutionem modo sibi possibili. Quod etiam tenent Rich.hîc art.5.quæst.2.Paludan.quæst.2.art.2.Gabr.d.17.q.2. Maior ibi dub.vlt. Anton.p.2.tit.2.c.2.§.1. Ang.v. Restit.1. *& alij. Sed puto obligationem esse tantùm charitatis, strictiorem tamen obligatione aliorum. Vel si velis Scotum loquutum de obligatione iustitiæ, intellige, id locum habere, si per fraudem quis inductus est ad peccatum ex ijs quæ notaui præced.quæst.fin. Tunc enim tenetur inductor ex iustitia tollere illa, quibus induxit, ne in posterum per ea peccetur: vt si doceret falsas doctrinas, vel modos extraordinarios peccandi.*

3 *Intelligit de ipsis poten-* REspondeo [b], hîc primò videndum est de damnificante alium in bonis animæ. Secundò, in bonis corporis. De primo, non intelligitur de bonis naturalibus animæ; quia nullus potest sic alium damnificare, cùm illa naturalia bona, sint bona

incorrupti

incorruptibilia : sed de bonis morum intelligitur, vel acquisitis, quæ corrumpuntur; vel acquirendis, quorum acquisitio impeditur, vt scilicet de peccatis, & vitiis, quibus virtutes acquisitæ corrumpuntur, vel tandem vitia generantur, & quæ deberent generari ex actibus bonis, impediuntur. In istis non potest quis alium directè damnificare, quia peccatum, & omnis actus vitiosus adeò est peccatum, quo voluntarium; quòd si non est voluntarium, non est peccatum, secundùm Augustinum *de vera religione* : ergo sola voluntate propria potest aliquis sic damnificari. Sed aliquis potest alium indirectè damnificare, inducendo eum ad peccatum, & actus vitiosos, quibus virtutes corrumpuntur, & vitia generantur; & ista inductio potest esse multiplex, scilicet consulendo, persuadendo, rogando, &c.

tus vt ja quæ sunt incorruptibiles.

Directè, id est quod alius nolens patiatur hoc dãnũ, sicut alia dãna, si enim sic pateretur nõ peccaret.

De isto dico, quòd tenetur modo sibi possibili, restituere sibi damnum, scilicet inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam, & ad actus virtuosos; & si sola inductio non sufficiat, quia faciliùs est peruertere, quàm conuertere : tenetur & per se orando, & per orationes aliorum procuratas, impetrare sibi conuersionem, & per alios persuasores efficaces : dum tamen illis non prodat peccatum occultum illius alterius.

De inducẽte ad peccatũ quãtum ad restitutionem.

Et ex hoc patet,[c] quantum periculum est alium sollicitare, & inducere ad peccatum : quia vix potest dignè restituere, cùm voluntatem illam allectam ad peccata vix possit persuasionibus, & aliis multis viis reducere ad virtutem. Ratio huius satis patet, quia cùm virtutum bona sint maxima, secundùm Augustinum *primo Retractationum*, plus damnificat qui in istis damnificat, quàm qui in quibuscunque aliis : & per consequens plus secundùm iustitiam tenetur ad restituendum proximo tale bonum, quantùm sibi possibile est.

Cap. 9

COMMENTARIVS.

Restitutio in bonis animæ.

b RESpondeo, *hic primò videndum est*, &c. Hîc agit de eo, qui damnum infert in bonis animæ. An teneatur ad restituendum, quod in se est? Excludit bona substantialia animæ, quia in his lædi non potest, cùm sint incorruptibilia; sed de bonis acquisitis virtutum naturalium, aut moralium : & in his nequit quis directè alium damnificare, sed indirectè, vt docendo errorem contra fidem, bonos mores, artem aliquam necessariam & vtilem, & suadendo opus, ex quo corrumpitur bonum animæ, vt virtutis, & hoc indirectè, quia nemo sine propria voluntate potest in his damnificari, quæ dependet à libertate eius.

Damnũ indirectum spirituale.

2 *Conclusio teneri ad restitutionem.*

Conclusio Doctoris est affirmatiua : nempe eum teneri inducere alium efficaciter, vt potest per se, vel alios ad resipiscentiam, & pœnitentiam. Quem sequitur Paludanus *in hac distinct. quæst.* 2. *art.* 2. Gabr. *quæst.* 17. *art.* 2. *conclus.* 1. & 2. Maior *ibidem dub. vlt.* Adrian. *q. de Restitut. bonorum animæ.* & quidam alij : & intelligendo conclusionem de obligatione charitatis tantùm, & non iustitiæ, potest dici sententia communis: quia communiter tenetur talis maiori vinculo charitatis eum reducere, quàm alij. Quantùm ad obligationem iustitiæ distinguunt moderni, si per fraudem, aut vim induxit, quæ adhuc perseuerant, tenetur, dicunt, tollere causam, ne ampliùs perseueret in peccato; aliter verò non tenetur ei ex iustitia. Ita Sotus *lib.* 4. *de Iust. & Iure, quæst.* 6. *art.* 3. Quem sequitur Molina *tract.* 3. *disput.* 50. Azorius 3. *part. lib.* 5. *cap.* 1. Idem docet Syluester *verb.* Restit. 9. Lessius *lib.* 2. *de Iustit. & Iure cap.* 8. *dub.* 2. *conclus.* 2.

Sententia aliorum.

3 *Probatio conclusionis.*

Probatur conclusio : secundùm hos Doctores, & communem, si per fraudem, aut compulsionem, aut falsam doctrinam quis seducat alium ad errorem, aut peccatum, tenetur ex iustitia summouere causam erroris, & peccati, ne continuetur : ergo similiter tenetur ad damnum resarciendum. Consequentia patet : quia ideò tenetur ex iustitia summouere causam damni à se datam, quia reuera contra iustitiam ratione damni sequentis nocet proximo; alioquin si nullum ex tali causa sequeretur damnum proximo, non teneretur ad remotionem causæ; ex qua non sequeretur damnum; non teneretur, inquam, secundùm obligationem iustitiæ; ergo præcisè ratione sequentis damni ex fraude, & aliis causis prædictis exurgit hæc obligatio.

Tenetur ad tollendã causam damni, & ad resarciendũ ipsum damnum, vt potest.

4 *Omnis per se causa damni fundat obligationem.*

Sed non est maior ratio, vnde obligetur ad damnum ex fraude, quàm ex alia quacunque per se causa damni : quia priuat iniustè alium bono suo, ad quod habet ius in re ipsa, ne ei tollatur iniustè; & quo pretiosius est bonum, eo potiori iure priuatur : quia bona fortunæ secundùm rectam rationem debent exponi pro bono famæ, & vitæ; & vitam pro bono spirituali animæ conseruando tenetur contemnere : ergo læsio proximi in bonis salutis excedit læsionem eius in bono fortunæ, sed ex hac læsione oritur restitutio : ergo ex illa. Patet consequentia, quia dictamen iustitiæ non magis respicit vnum, quàm alterum; imò plus respicit illud, in quo magis nocetur. Vnde si alterum horum, aut vita, aut pecunia esset perdenda, potest consuli, vt potiùs pecuniæ fiat detrimentum, & vitæ pro salute animæ.

Bonum spirituale praeferendum aliis.

Regula iustitia cõmunis.

Responsio. Dices, volenti, & consentienti non fieri iniustitiam : sed qui inducitur ad peccatum voluntariè, peccat : ergo, &c.

Impugnatio. Contrà, qui alium inducit vt damnum inferat proximo iniustè, peccat contra iustitiam, & causat damnum : quamuis executor liberè, & volens id faciat.

Responsio. Dices patientem damnum non esse volentem.

Impugnatio. Contrà, qui per fraudem inducit alium, vt peccet, peccat contra iustitiam, & tenetur summouere causam, secundùm illos, quia est causa

posita contra iustitiam, & ius, quod habet alius in bonum virtutis, quod possidet, quamuis volens, & consentiens eo priuetur: ergo idem sequitur ex alia quacunque causa per se, quà inducitur ad peccatum, vt suadendo, instruendo, donando, rogãdo importunè, & solicitando, &c. quæ æquiualent fraudi, & dolo ad extorquendum consensum ex efficacia morali, quam habent ad inclinandum voluntatem alterius, quæ alioquin sine tali impulsione non faceret damnum iustitiæ. Item, qui precibus, & muneribus & huiusmodi induceret aliquem, vt se occideret, aut mutilaret, aut incurreret aliquod detrimentum salutis corporalis, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem, quæ possibilis esset, quamuis alter volens & consentiens incurreret damnum: ergo similiter in proposito.

Fraus, & reliqua, per se causa damni æquiualent.

Inducens ad malum tenetur de dãno.

Confirmatio. Impulsio & fraus æquiparantur.

Confirmatur, quia secundùm omnes, & veritatem, hoc modo impellentes sunt causa per se peccati, & inducunt necessitatem moralem peccandi: ergo æquiualet dolo, quantùm ad efficaciam, talis impulsio, & dat causam per se damni.

6 *Nihil obstat quin teneatur.*

Secundò, præterea nihil impedit hîc solicitantem, aut præcipitantem in peccatum, obligari ex iustitia ad damnum datum, vt potest, resarciendum: ergo non est eximendus. Probatur antecedens, quia tenetur specialiter ex obligatione iustitiæ in genere, quæ est secundùm charitatem, quæ est virtus ad alterum: sed materia est etiam capax obligationis iustitiæ in specie: ergo comprehenditur sub naturali præcepto talis iustitiæ, prout interuenit inter proximos: secundùm communionem, & distinctionem bonorum. Minor probatur, quia damnum, quod infert, est æstimabile, & bonum, quo priuat, quia est vltimum commodum, & supremum bonum hominis, & ipsi debitum secundùm rectam rationem, cuius habet possessionem, & ratione operum, seu titulo iustitiæ; quo acquisiuit illud bonum, loquendo de donis; & gratia, qui titulus fundatur tam in merito Christi, quàm etiam operibus propriis, vt habent rationem meriti, aut dispositionis præuiæ, & in liberalitate Dei, aut iustitia correspondentem operibus iusti, secundùm medium distributiuæ, aut commutatiuæ iustitiæ, provt volueris. Adde etiam ex frequenti opinione debitum esse secundùm rigorem iustitiæ fundatum, saltem vt innititur operibus Christi. Demus vlteriùs tantùm fundari debitum in liberalitate Dei donantis; non refert, quia quod acquiritur titulo liberali donationis, perinde transit in ius, & proprietatem donatarij, & in bonis eius computatur, & ei fructificat ad cumulum maioris meriti, & gloriæ: ergo qui eum priuat tali bono, quod est eius secundùm iustitiam, verè priuat iniustè, & peccat consequenter contra præceptum naturale negatiuum iustitiæ: ergo sequitur obligatio restitutionis in damno dato, prout facultas suppetit, sed hæc facultas suppetit ex mediis assignatis à Doctore.

Teneri ex iustitia.

Ius acquisitũ damnificat.

Debitum ex merito, est iustitiæ.

Donatio trãsfert ius rei in donatarium.

7 *Requisita ad obligationem restituendi.*

Prima consequentia probatur, quia vniuersaliter ad obligationem strictè iustitiæ, ex qua redundat etiam obligatio restitutionis, nihil exigitur, nisi quòd quis priuetur iniustè re sua, quam ex fundato titulo, & iusto possidet, & priuans possit, si non in toto, saltem in aliquo per se, aut alia media, quæ in facultate eius sunt restituere: saltem in æquiualenti; vel aliquali, & in parte, à qua satisfactione non excusat eum periculum aliquod, aut necessitas propria, & præponderans restitutioni in reipsa faciendæ.

Sed in proposito priora concurrunt, & nullum impedimentum, aut necessitas propria damnificantis vrget, aut præponderat, & media, quæ in facultate habet, sunt tam efficacia ad damnum recuperandum, quàm fuerint ad idem inferendum, quantùm est ex parte mediorum: ergo illa tenetur applicare ex iustitia, si commodè potest, vt patet ex suppositione casus, de quo disseritur absolutè, seclusis circunstantiis, in quibus damnificans ex periculo proprio, aut aliunde impediretur.

Concurrũt in proposito.

8 *Tertia ratio. Obligatio pastorum ex iustitia.*

Tertiò, ad eandem minorem principalem; habens curam spiritualem animarum tenetur ex iustitia, & non solùm ex charitate ministrare, corripere, & cætera necessaria ad salutem subditorum ex pacto officij, & onere, quod assumsit, & ratione beneficij quod recipit in Ecclesia, cui præsidet. Et hoc ideò, quia talis obligatio est annexa suæ curæ, in qua constituitur, non solùm vt prælatus, & pastor spiritualis obnoxius rationi reddendæ Deo, & Ecclesiæ pro ouibus; sed etiam vt iudex: ergo secundùm iustitiam ratione huius muneris tenetur populo, quoad ea, quæ sunt salutis, & hoc ex præcepto, vel affirmatiuo; si quod est tale: aut negatiuo iustitiæ, quo operas debitas populo non potest subtrahere, aut retinere. Vnde consurgit etiam obligatio residemiæ, & prouidendi media necessaria, & ministros quoad ea, quæ ipse per se nequit obire.

Sed sicut prælatus ex iustitia tenetur non subtrahere debitum ministerij populo, & eo subtracto, peccata populi ipsi imputantur secundùm charitatem, & dictamen iustitiæ tanquam reo, quamuis populus volens, & consentiens peccet: inde sequitur quòd bonum iustitiæ in populo, quantùm ad sui conseruationem, & propagationem cadat sub iustitia strictè sumpta, in quantùm prælatus obligatur ad hoc conseruandum, & promouendum ex debito sui muneris; & per media debita: vt patet *d.86. c. Inferiorum:* quod est Leonis Papæ *epist. 3. &* 84. seu 86. *& c. Facientis.* quod est Ioannis VIII.

Hæc obligatio est iustitiæ strictæ.

9 *Subtractio debiti, & actio positiua inferẽs damnum comparantur.*

Sed non est aliquod fundamentum, vnde prælatus obligetur ex iustitia ad resarciendum damnum spirituale populi ex eius culpa emergens, quin perinde concludat quemcunque alium positiuè causantem simile damnum, in alio similiter obligari: quia obligatio prælati ex subtracto debito officij sufficienter fundatur, & ex sola omissione, debitum verò in causante damnum positiuè exurgit ex positiua actione, qua committendo, & impellendo committit damnum, & non solùm interpretatiuè. Et quòd prælatus omittendo contra iustitiam peccat, aliter committendo peccat. Sicut si custos rei alienæ dissimulet, & permittat furem illam auferre: vterque obligatur, ille ex debito fidelitatis, & custodiæ: hic verò ex debito acceptionis rei alienæ inuito domino.

Exemplum.

10 *Confirmat. Anacletus.*

Confirmatur ratio ex argumento Doctoris, &c. *vers. Sed contra*, &c. ad oppositum huius quæstionis, ex verbis Anacleti, epistola 3. & habetur 6. quæst. 1. *Deteriores sunt, qui bonorum vitam, moresque corrumpunt, his, qui substantias aliorum,*

rum, prædiaque diripiunt: ipsi enim ea quæ extra nos, licèt nostra sint, auferunt: nostri autem detractores, & morum corruptores nostrorum, siue qui aduersus nos armantur, propriè nos ipsos diripiunt: & ideo iustè infames sunt, & meritò ab Ecclesia extorres fiunt, &c. Item patet ex illo Exodi 22. *Qui seducit virginem*, &c. vt patet ex littera Doctoris, & habetur ad verbum *cap. 1. de Adulteriis.* Hæc pœna imponitur lege seducenti, quamuis ipsa virgo consenserit in stuprum: ergo ratione iniuriæ illatæ, quam lex sic iubet compensari, neque refert, vt quidam volunt, ante sententiam iudicis non teneri stupratorem ad hanc pœnam: quia hoc non tollit, quin pœna ratione damni illati iustitia ordinante per sententiam infligatur: vnde *ibidem* additur reluctantem intrudendum esse in monasterium, corporaliter castigatum, & excommunicatum, vt patet *cap. 2. illo cap. Primò condemnatur præterea ad dotem.* Et intelligitur textus de seductione sine vi, aut violentia. Vnde *Deuteronom. 22. & 29.* seducens virginem per vim, damnatur in quinquaginta cyclis, quos parenti virginis ratione iniuriæ debet: & præterea eam tenetur ducere vxorem; vt benè notat *ibidem* Abulensis & Cornelius à Lapide. Excluditur per hoc responsio modernorum, qui dicunt teneri tantùm arctiori vinculo charitatis ad resarciendum damnum: & non secundùm iustitiam: quia, inquiunt, *volenti & consentienti non fit iniuria.*

Seductor virginis tenetur ad damnum.

Responsio. Reiicitur.

11 Quartò, qui decipitur in pretio vltra medietatem iusti pretij de lege naturæ, habet actionem in personam, vt restituat superfluum; & de lege fori datur ei actio, vt rescindat contractum, vel certè petat restitutionem damni accepti, quamuis volens, sciens, & consentiens, illud sit passus. Item, dans vsuras pro mutuo, quamuis sciens, & consentiens dat, habet ius in vsurarium ratione damni accepti: ergo similiter patiens damnum spirituale ex alterius importuna solicitatione, & persuasione, etiam habet simile ius restitutionis, quantùm potest restitutio fieri, peius est enim persuadere, quàm facere, *ff. de ser. cor. l. 1. §. Persuadere*, & *l. vt tantum*, & *d. 86. cap. Tanta puniuntur consulentes parcendo facienti.*

Quarta ratio. Deceptor, & vsurarius obligantur.

Confirmatur, secundùm aduersarios, suadens peccatum contra iustitiam tenetur ad damnum incursum: ergo ratio data non eximit, quin etiam suadens quodcunque peccatum, & vt causa per se inducens sicut reipsa infert damnum, non teneatur similiter ad restitutionem, non quòd illud possit restitui, sed quòd damnum illatum, quantum potest, teneatur amouere ex iustitia. Patet consequentia, quia si ex fraude, & vi inferat damnum spirituale, tenetur secundùm aduersarios tollere causam, si adhuc subsistat, & hoc ex iustitia, vt conceditur: ergo similiter à fortiori ipsum damnum illatum debet ex iustitia tollere, cuius fuit causa; tollere, inquam, modo dicto secundùùm æquiualentiam. Patet vltima consequentia, quia per effectum magis priuatur proximus suo iure, & bono, quàm per causam: causa enim ad nihil obligat ex iustitia, nisi sequatur effectus; ac proinde vt est effectui coniuncta fundat hanc obligationem.

Confirmat. Inferēs damnū tenetur.

Inferēs damnū magis obligatur quàm dās causam.

12 Confirmatur secundò, strictiori obligatione secundùm aduersarios tenetur restituere damnum illatum, inducendo peccatorem ad pœnitentiam, qui fuit ei causa lapsus, quàm alius; sed hæc obligatio non est charitatis præcisè, qua strictior est obligatio, sed solius iustitiæ: ergo, &c. ex iustitia sola prouenit hæc obligatio strictior. Probatur minor: quia charitas ex materia sua obligat ad procurandum bonum proximi, & salutem: & hæc est communis obligatio; specialis autem fundatur ex commodiori facultate, & ex ordine charitatis, vt sunt parentes, superiores, & aliis, quibus ex officio, aut munere id competit; vel sunt magis coniuncti, & non alienos eodem vinculo comprehendit; quales sunt plerumque qui peruersè suadent, & inducunt alios ad ruinam: ergo arctior obligatio ex his non consurgit ex vinculo charitatis; sed ex damno dato, cuius ipsi erant causa per se; quod est intentum, & conclusio Doctoris.

Secunda confirmatio.

Non esse obligationē solius charitatis tollere causā.

Obligatio charitatis ex ordine suo.

Obiicit Sotus primò *quòd scienti & volenti nulla fit iniuria, de reg. Iur. in 6.* 13

Obiectio.

Respondetur hanc regulam intelligi, quando nulla imponitur necessitas volendi, sed ex libera sua voluntate operatur: inducens autem aliū ad malum (quod aliàs non vellet, imò est repugnans ex se) sicut est ei causa mali, ita etiam est causa inuoluntarij. Vnde magis voluntarius est inducens, quàm inductus, quia hic magis agitur, quàm agit, & quàm agat, agit vt compulsus necessitate inducta per compulsionem inducentis, quæ est vis moralis illata, licèt non corporalis; & ex qua parte sequitur damnum tanquam ad causam magis principalem. Vnde in contractibus etiam scienti, & volenti sæpe datur actio elidenda per exceptionem: & patet in exemplis *suprà* allatis, verbi gratia in virgine seducta; in vsurario, quibus datur actio ratione damni recepti, quamuis scienter, & volenter.

Responsio. Explicatur regula.

Disparitas in casu.

Secundò obiicitur, quòd nemo ex consilio dato sine dolo tenetur ad restitutionem, ex *cap. Nullus, de reg. Iuris in 6.* ergo seducens alium per consilium, modò non interueniat fraus, non tenetur ad damnum. 14

Secunda obiectio.

Respondetur negando suppositum: quia, vt dictum est *suprà* in casu de beneficio, consulens malum directè, vel indirectè, quod aliàs non fieret nisi ex consilio, ex intentione committit fraudem, quia alium repugnantem aliàs inducit in malum, & in damnum per se sequens. Vnde consulens alicui, & per hoc eum inducens, vt occidat, aut furetur, tenetur ad restitutionem. Regula autem illa intelligitur de consilio in contractu, aut quasi contractu, quando abest dolus, quando adest, datur actio de dolo contra consulentem, vt si consulat alicui dare vsuras suis debitoribus, quibus consulenti ab eis satisfiat, & ampliùs non sunt soluenda mutuatario: tunc hic potest intentare actionem de dolo contra consulentem, quia in commodum proprium, & non consiliati consuluit, vt mutuum daret iis, qui non erant idonei: excluditur ergo actio de dolo, quando consilium non fit cum dolo à consulente. Consilium de maleficio, non ratione doli, sed maleficij, cuius est causa, obligat ad restitutionem, vt patet ex dictis.

Respondetur.

Interpretatio regulæ.

Tertiò, non est in potestate inducentis ad peccatum restituere damnum: ergo non tenetur. 15

Tertia obiect.

Respondetur ex dictis posse restituere modo dicto à Doctore.

Responsio.

Dices,

Replica. Dices, auferens rem alienam, modò constituat eam in potestate eius, à quo eam abstulit, ad nihil aliud tenetur, sed in potestate peccantis est cum Dei adiutorio resurgere: ergo & recuperare quod amisit, & consequenter inducens ad nihil tenetur.

Responsio. Respondetur auferentem teneri, vt res ablata restituatur siue per se, siue per alium, & tollere tenetur impedimenta, si quæ sunt, & potest. Sic inducens ad peccatum tenetur restituere quantùm potest, damnum, & procurare vt impedimenta à se iniecta tollantur, prout ipsi etiam concedunt. Si quis per falsam doctrinam seduxit alios, tenetur verum eis præiudicare: si quis ergo malè suadendo, aut consulendo induxit aliquem ad peccatum, similiter tenetur dissuadere peccatum, & obstare impedimentis eius, quantum potest.

16 *Quarta obiectio.* Quartò, ex sententia Doctoris sequeretur quòd qui inducit mulierem sordidam, aut publicam ad peccatum, tenetur ei procurare conuersionem.

Responsio. Respondetur negando sequelam, quia est iam exposita actu, & voluntate ad peccatum, & alter occasionatè tantùm se habet, non tanquam causa impellens, & inducens, sed, vt concurrens, vel potiùs sine qua non, & consequens determinationem voluntatis, non verò causans.

Quinta obiectio. Quintò, obiiciunt sequi scandalizantem publicè sic teneri, vt omnes quos scandalizauit, reducere.

Responsio. Differentia inter scandalizantem, & consulentem. Respondetur negando consequentiam, quia scandalizans est causa remota ruinæ aliorum, & occasionatiua tantùm, vt comparatur ad suasionem huiusmodi, quæ est causa proxima; quamuis etiam quandoque legibus, maximè Ecclesiasticis, compellatur talis ad satisfactionem publicam, quæ ex natura operis deuenire sufficienter possit in notitiam aliorum; quæ satisfactio compensat damnum eo modo, quo ad illud concurrit, vel ipsum causauit, & saltem tenetur ad emendationem publicam ex charitate, vt ipsi dicunt, & ad petendam veniam, si suo malo exemplo alios in ruinam traxit, & dissuadere imitationem, reprobando factum. Vt si sit prælatus, qui suo malo exemplo nocuit, & hic tenetur ex iustitia compensare damnum. Imò & priuatus, vt patet ex verbis Anacleti: quibus comparatur raptori, & furi.

Sextò, sequeretur, quando nequit reuocare corruptum, teneri saltem pecunia compensare maleficium. 17 *Sexta obiect.*

Respondetur negando consequentiam, nisi in casu, quo ex maleficio sequeretur per se damnum aliquod temporale famæ, aut bonorum, quia salus eius spiritualis non est æstimabilis pecunia, sicut neque vita: aliud est de fama, vt quidam volunt, & de damno in bonis fortunæ. *Responsio.*

Septimò: *Exodi loco cit.* non præcipitur, vt qui seduxit virginem, eam procuret emendare. *Septima obiectio.*

Respondetur, argumentum esse ab auctoritate negatiua. Deinde sufficienter emendat quando eam sibi copulat vxorem, & sic tollitur perseuerantia in peccato, aut periculum eius, & ex natura rei inducitur emendatio. *Responsio.*

c *Ex hoc patet quantum periculum est*, &c. Ex hoc corollario piè insinuat Doctor sua pericula inducentibus ad peccatum, confirmans conclusionem positam ex Augustino 1. *Retract. cap.9.* qui dicit plus damnificare eos, qui in spirituali vita damnificant, quàm qui in aliis.

SCHOLIVM.

Posset iustè modo lex talionis condi pro mutilatione, & vulneratione, aliáque multa legis Moysi possent accipi, vt leges obligantes, non quà Moysi, sed quà instituuntur à legislatore alio ciuili, vel Ecclesiastico.

4 De secundo, [d] damnificans in corpore, aut intulit vltimum damnum, scilicet mortem: aut aliquod aliud damnum, citra mortem: & hoc dupliciter; vel irremediabile. Exemplum de primo, mutilatio: exemplum de secundo, vulneratio, vel alia læsio curabilis. Et si in mutilatione, dupliciter: quia vel est enormis, quæ impedit ex toto actum humanum aliquem, qui competeret homini secundùm illam partem amputatam, vt in manus dextræ amputatione, vbi aufertur omnino actus humanus, natus competere secundùm illam manum: vel non enormis, id est, non impediens actum humanum, vt amputatio digiti, vel alicuius partis digiti. De istis omnibus damnis videndum est primò quid possit omnibus iustè restitui. Secundò, quid statutum est. *Mutilatio enormisque censetur.*

De primo dico, quòd si lex talionis in omnibus his statueretur, iusta esset, quia non est facile, vt pro damno tali illato, homini fiat recompensatio æqualis per bona aliqua fortunæ, quia non æquiualent. Si obiicitur, ergo lex Mosaica iudicialis remaneret, & tunc in lege noua liceret iudaizare, quantùm ad Iudicialia. Respondeo, lex aliqua potest habere robur, vt à legislatore in communitate, vbi statuitur: & tunc vndecunque accipiatur ratio statuendi, non habet robur, vt statuta ab alio, sed vt ab isto. Et hoc modo Iudicialia multa legis Mosaicæ possent à Papa, & ab Imperatore statui à Christianis obseruanda: nec obseruarentur, vt à Moyse statuta, sed vt à legislatore Euangelico; nec hoc esset iudaizare, quia non seruatur lex iudicialis, quia Mosaica; sed quia eadem statuitur à Principe, qui potest statuere leges in lege Christiana. Istud probatur primò de facto, quia multa talia in Decretalibus sumuntur ex Iudicialibus legis Mosaicæ, vt patet *Extrà de Iniuriis, & damno dato, c.1. & sequentibus*; quæ

quæ omnia ſumuntur *de Exodo 21. & 23*. & ſeruanda ſunt hodie, vt Iura Canonica, non vt in lege Moſaica.

Hoc patet etiam per quatuor exempla. Nam communitas aliqua videns aliam benè legibus ordinatam, poteſt illas leges, quas iudicat rationales, vt vtiles ſibi aſſumere: vt ille qui habet auctoritatem condendi leges in iſta communitate ſtatuat iſtas hic obſeruari; & tunc obſeruabuntur hîc, non quia leges illius communitatis, ſed quia ſtatutæ à legiſlatore in iſta communitate. Patet etiam hoc in ciuitatibus vbi eſt regimen per poteſtatem, & intrinſecum præſidentem, vbi vna accipit leges alterius, & ordinat eas in ciuitate iſta ſeruandas. Patet etiam in regnis, ſicut leges Franciæ poſſet alius Rex accipere, & ſtatuere eas in ſuo regno ſeruandas. Patet etiam in Religionibus, quia conſtitutiones, & ordinationes vnius Religionis, alia videns eſſe honeſtas & benè conuenientes ad obſeruationem vitæ regularis, poſſet ſtatuere, vt illæ in iſta Religione obſeruarentur. Nec obligarent tunc Prædicatores, quia ſunt ordinationes Fratrum Minorum; ſed quia à Capitulo generali Prædicatorum approbatæ. 5

Sic in propoſito de iudiciis legis Moyſi: nec mirum, quia Deus non fuit fatuus, vt daret illa iudicia contra rationem: imò legendo leges imperiales Codicis multa inueniuntur ſatis conſona multis iudiciis legis Moſaicæ, & licèt dederit aliqua valde dura, quæ non oportet in Euangelio ſeruare; tamen multa dedit rationabilia valde, etiam pro ſtatu quocunque in hac vita mortali; & ideò ſi iſta ſtatuantur à legiſlatore obſeruanda pro quocunque tempore, iuſtè ſtatuuntur.

Et hoc modo ſi ſtatueretur ab aliquo, blaſphemum, adulterum, idololatram, debere occidi: multò iuſtiùs ordinaretur, quàm quòd fur ſuſpendatur, vt pòſt patebit. Sed patet ad quid aſpiciunt plus Principes, quia magis ad commodum temporale, quàm ad honorem Dei, & per hoc plus puniunt & reprimere volunt peccata in proximum, quàm in Deum, vt patet.

COMMENTARIVS.

18 *De restitutione in bonis corporis.*

d DE *ſecundo, damnificans in corpore*, &c. Hic primò ſupponit damnum corporis conſiſtere in occiſione, mutilatione, vulneratione, & iis quæ ad hæc reduci poſſunt; vt verberatio, & alia eiuſmodi, quæ ad præceptum *Non occides* reduci poſſunt, quia ſunt iniuriæ, quæ circa vitam corporalem perficiuntur. Plura de his tractari hic poſſunt, vt ſi quando liceat occidere, &c. quæ nunc omittimus, quia Doctor agit præciſè de occiſione in ordine ad reſtitutionem. Et primò in hoc paragrapho quærit quid ſecundùm iuſtitiam ſtatui poſſit per modum punitionis, quæ æquiualeret reſtitutioni, ſaltem ſecundùm iuſtitiam vendicatiuam. In ſequenti verò quid ſit ſtatutum.

Concluſio eſt, quòd ſi lex talionis in omnibus his ſtatueretur, eſſet iuſta: & idem dicit, ſi ſtatueretur contra blaſphemum, adulterum, idololatram, fore iuſtam: quia illa lex eſſet conformis rectæ rationi. Cætera huius paragraphi ſunt clara, & infrà paragrapho finali tractabuntur. *Concluſio de lege talionis.*

Et reſolutio patet ex eo, quòd pœna mortis legibus inducta ſit in aliis multis caſibus, in quibus minor offenſa, & damnum continetur, verbi gratia pro furto ſimplici. *Probatio.*

SCHOLIVM.

Iuſtè ſtatutum eſſe in communitatibus regulariter, vt iniuſtus homicida occidatur, quia id conforme eſt legi, Euangelio, & Iuri naturali. Ait etiam homicidam teneri ad alendos parentes, & propinquos, quos occiſus alebat. Quod tenet communis, ſi intelligatur de iis, qui ſunt hæredes neceſſarii, quia tales læduntur in bonis propriis. Probabile eſt locum etiam habere, quoad omnes qui erat alimenta accepturi ab occiſo. Ita Adrian. 4. de Reſt. quæſt. vlt. Ang. v. Reſtit.1. *& v.* Homicida. *Gab. hic quæſt. 15. art. 2. Nau. & Pet. Nau. citati, Panor. cap. 1. de iniuriis num. 6. Azor. 3. tom. l. 5. c. 3. q. 11. Molina tr. 3. diſp. 83. Ratio eſt, quia actione iniuſta impediuntur omnes iſtæ perſonæ à ſuo commodo: nec requiritur quòd eis debeatur ex iuſtitia, quia nec filiis, nec parentibus ſic debetur, quibus tamen ſecundùm omnes tenetur occiſor. Videtur dicere occiſorem teneri ex iuſtitia orare pro defuncto, lucrari ei indulgentias: quod etiam tenebant conſequenter citati Scholio primo pro reſtitutione in ſpiritualibus.*

DE ſecundo, e quid ſcilicet ſtatutum eſt. Reſpondeo pro primo damno, & maximo, ſcilicet vitæ ablatione regulariter in multis communitatibus, ſtatuta eſt lex talionis, ſcilicet vt homicida moriatur: & rationabiliter, quia ſcilicet non ſolùm hoc competit legi Moſaïcæ, ſed etiam legi naturali: & approbatum, & confirmatum eſt in lege Euangelica à Chriſto. Matth. 26. *Omnis qui gladio occidit, gladio peribit*: & per 6 *Vnde virgo, vt virginitatē ſeruet, nō debet ſibi mortē infligere.*

Est tantum consiliū sic exponere vitam: frustrà ergo Salon supr. & alij impugnant Doct. ac si diceret teneri ad hoc. per consequens vbicunque lex talis de vita pro vita reddenda, statuta est, iustè debet homo patienter soluere istam pœnam, quæ si alicubi non sit statuta, nullus debet eam sibi inferre, quia nullus debet esse homicida sui, sine speciali præcepto Dei: sed expedit sibi, quòd exponat vitam suam in causa iusta, vtpote contra inimicos Ecclesiæ, pro restitutione facienda illi, cuius vitam abstulit. [f] Qui si nec tantam restitutionem velit facere, non potest omnino esse immunis à restitutione: sicut quidam fatui faciunt, qui absoluunt homicidas, non eis ostendentes restitutionem necessariò incumbentem, quasi faciliùs possit transire homicida, quam (vt ita dicam) canicida, vel bouicida: quia si occidisset quis bouem proximi sui, vel canem, non absolueretur sine restitutione: tenetur ergo ad restitutionem spiritualem æquiualentem vitæ, quam abstulit, sicut potest esse æquiualentia in talibus. *De restitutione spirituali, intellige, vt sup. num. 2.* Nec hoc solum, sed [g] si interfectus sustentabat aliquos, patrem, vel matrem, vel propinquos, tenetur interfector omnibus illis ad tantam restitutionem, quantam illis abstulit per interfectionem illius.

Intelligit de propinquis, qui sūt hæredes necessarij, & hoc tenet communis. Nau. c. 15. num. 24. Pet. Nau. l. 4. c. 1. dub. 10. Et quia [h] vix posset aliquis dignè recompēsare per actiones, illud quod abstulit homicida, expediret simpliciter animæ talis, quòd solueret per passiones voluntarias, vel patienter susceptas, vt scilicet occideretur pro homicidio: & ideò optimè prouisum est communitati, vbi statuta est lex ralionis in causa homicidij. Patet enim quantum Deus detestatur homicidium, quando Dauid (qui tamen iustè occiderat) voluit ædificare sibi domum: sed quia fuit effusor multi sanguinis humani, prohibitus est à Deo: si ergo iustus occisor non acceptatur ad cultum Dei, iniustus occisor vbi apparebit? Hoc ergo quod dictum est ibi, est dictum de iniustè occidente.

COMMENTARIVS.

19 *Legis talionis iustitia.* c DE secundo, *quid scilicet statutum est*, &c. Primò docet legem talionis in multis Rebuspublicis iustè statutam esse pro homicidio iniusto. Primò, quia id statutum est in lege Mosaica, quæ fuit lata à Deo, & consequenter rationabilis, & iusta. Et confirmauit lex Euangelica *Matth. 26.* Vnde concludit vbicunque ista lex iustè statuta est, debere homicidam patienter ferre pœnam. Et hæc est sententia communis. *Pœnam talionis non debet sibi inferre reus.* Deinde dicit, quòd non potest eam ipse pœnam sibi inferre, quia nullus debet esse homicida sui ipsius sine speciali mandato Dei, verbi gratia, si Deus reuelaret, & præciperet alicui homicidæ, vt ipse sibi esset vindex illius sceleris, inferendo pœnam lege statutam. *Quid faciendū homicida vbi non plectitur neque pœna est statuta.* Tertiò dicit vbi illa lex talionis non est posita, expedire vt homicida vitam suam exponat pro defensione Ecclesiæ. Antiquitus quando prædicabatur crux contra infideles, eam homicidæ, & alij peccatores non solùm in zelum fidei, sed etiam pro satisfactione & pœnitentia suorum peccatorum assumebant, & talis etiam satisfactio eis ab Ecclesia imponebatur, quando seipsos offerebant. Hoc autem consilij est, non præcepti, vt patet ex littera. *Sed expedit*, inquit, *quòd exponat vitam in causa iusta, vt pote contra inimicos Ecclesiæ*, &c. *Expedit*, inquit, quod inducit congruitatem, & non præceptum, & postea subiungit: *Quòd si nec tantam restitutionem velit facere*, &c. supponens non obligari ad eam: licèt esset congrua, quia sic ad æqualitatem satisfaceret iustitiæ.

20 *Reiicitur falsa interpretatio litteræ.* Hinc patet primò non rectè dici à Soto sententiam Doctoris esse duram, sicut neque alij etiam eam rectè interpretantur, putantes eum intendere ex iustitia, & stricta obligatione restitutionis, homicidam obligari, vt se offerat curiæ: hoc enim non dicit Doctor, imò contrarium asserit dicens *suprà* neminem se posse occidere. *Declaratur sententia Doctoris.* Deinde hîc dicit tantùm expedire, vt pro causa publica, vt defensione Ecclesiæ contra inimicos exponat vitam suam, non intelligens ex hoc id esse præcepti, sed tantùm consilij, & secundùm æquitatem iustitiæ, quam transgressus est; vt hoc modo ponat æqualitatem secundùm æquiualentiam iustitiæ læsæ; & quamuis talis restitutio non cedat in particulare commodum occisi, tamen cedit in commune bonum Reipublicæ, & Ecclesiæ; quibus occidendo nocuit, atque etiam in debitam æqualitatem iustitiæ læsæ; & ipsius occisi, in quantùm fuit membrum corporis communis: nam, vt *suprà* diximus in bonis fortunæ, quando debitor non potest reddere debitum personaliter ipsi creditori: restituit secundùm æquiualentiam, quando reddit pauperibus, aut hæredibus, aut Reipublicæ, si indigeat, aut Ecclesiæ, & hoc est strictè iuris. *Restitutio qua fit absenti.* Ad eundem ergo modum licèt hîc non sit necessitas præcepti, & strictè iuris, tamen est congruitas, vt quis exponat vitam suam pro causa iusta Reipublicæ, aut Ecclesiæ defendēda, non solùm quia membrum eius est, & debet, & potest ita se exponere, quando necessitas vrget: sed etiam quia nocuit Reipublicæ, & Ecclesiæ, priuando iniustè vita membrum eius, congruit vt ipse suam vitam etiam exponat propter nocumentum datum, & vt ponat æquiualenter æqualitatem iustitiæ læsæ respectiuè ad Deum, Rempublicam, & Ecclesiam: quæ sententia, neque dura, neque seuera est: nam si lex talionis iusta est in hoc casu, supponit necesse esse æquitatem, & congruitatem rei, in qua medium iustitiæ seruatur. *Æquitas satisfactionis.* *Expungitur censura aduersarij.* Et quod potest Princeps secundùm legem iustè decernere, potest politicus, & priuatus ex eodem motiuo id facere, quando lex non vetat. Sed neque diuina, naturalis, aut positiua, neque humana impedit, vt quis suam vitam pro causa iusta Reipublicæ exponat, aut sic etiam exponat se ad satisfaciendum nocumento dato, quod alias suæ vitæ æquiualet: ergo hoc ipsi expedit secundùm rectam rationem, quia iustitia in hoc

facto

facto non solùm attenditur ex commodo Reipublicæ quod aliàs licitè procurat; sed etiam ex recompensatione hoc modo damni dati: praxis enim tenet in rebus publicis benè ordinatis, vt pœna mortis, & vitæ commutetur in mortem ciuilem, vt quando quis dignus morte aliàs corporali damnetur ad triremes, aut operas publicas per vitam.

21 *Solutio obiectionis.* Obiectiones aduersariorum contra Doctorem procedunt ex defectu intelligentiæ; imponunt ei sententiam, quam non tenet.

Limitatio cõclusionis. Hanc assertionem Doctoris intellige absolutè, & seclusis circumstantiis: nempe inter pares, non autẽ quando eminentia, aut status occidentis, & necessitas eius in Republica, aut periculũ spirituale ipsius, aut aliorum ex tali expositione vitæ non obstant; & vniuersaliter quando restitutio in effectu ex legitimo impedimento cessat: vt cùm non sit idoneus ad operas, quas assumit, & ad defensionem Reipublicæ, ex defectu ætatis, virium, aut expensarum, & huiusmodi. Ratio est, quia tum potest alia obligatio præponderare, vt necessitas prolis, iura matrimonij, & charitatis, vel ipsa inhabilitas, ex qua nulla Reipublicæ commoditas, aut defensio sequeretur, vt si sit mulier, quia homicida, vt exponat vitam pro defensione Reipublicæ ex fine satisfaciendi, debet esse medium aliquod proportionatum, & consequenter commodum Reipublicæ, & ex natura operis proficuum, aut vtile; alioquin, vt *suprà* dictum est, sicut non potest se occidere; sic etiam neque exponere vitam ad defensionem Reipublicæ, quæ non est medium idoneum, aut habens proportionem ad finem proximum, qui est defensio Reipublicæ.

Circũstantia, in quibus talis satisfactio non sit legitima.

22 *Reyciuntur obiectiones.* Ex quibus cessant aliæ obiectiones Soti, & Molinæ, qui dicunt non expedire quandoque vt se exponat, aut hoc ei suadere: quia Doctor non limitat conclusionem ad circumstantias, quibus inæqualitas inducatur, & pars grauetur vltra debitum, & æqualitatem: nam sicut in bonis fortunæ attenditur res non solùm secundùm valorem naturalem, sed etiam iuxta valorem æstimabilem, hoc est, quantùm valeat ei, qui eam possidet; & ratione huius oritur pactum de damno ex bono, quo se priuat: ita etiam in hoc casu æstimatio vitæ vnius præ altero ex multis rationibus fundata cadit in æstimationem secundùm æqualitatem iustitiæ, & restitutionis secundùm æquitatem faciendæ. Pensanda prætera obligatio strictior, quæ est præcepti, & præferenda obligationi, quæ est tantùm de congruo, sicut inhabilitas, & pericula maioris incommodi, & damni spiritualis sui, aut aliorum.

Plura quæ cadunt in æstimationem pensanda.

23 *Hæc satisfactio respicit mediũ etiam vindicatiua.* Expositio nempe vitæ pro compensanda vita alterius non attenditur secundùm medium iustitiæ commutatiuæ tantùm, sed etiam secundùm medium vindicatiuæ: nam vt refertur ad compensationem personæ occisæ non habet proportionem, aut æqualitatem iustitiæ commutatiuæ, cùm occisio homicidæ non sit reparatio vlla damni in altero; quod damnum in se irreparabile est, quantùm ad vitam; neque fortunarum, neque famæ, nisi ex circumstantia id competat. Loquimur autem hîc de eo, quod per se congruum est ad restitutionem æquiualentem pro vita alterius præcisè, de recompensatione fortunarum, & famæ mox agetur. Pœna autem talionis potiùs spectat ad iustitiam vindicatiuam, quæ seruat in pœna æqualitatem ad culpam, & secundùm medium vindicatiuæ expositio illa dicitur compensatio æqualis respectiuè ad culpam commissam in personam occisi. Seruatur tamen medium commutatiuæ respectiuè ad Rempublicam, quæ priuatur iniustè vita alterius, quod est membrum eius; huic damno secundùm commutatiuam, vt respicit commodum Reipublicæ digna compensatio, seu congrua, & æqualis expediens, est expositio vitæ homicidæ: si tamen illa non esset commoda Reipublicæ, iam cessat congruitas talis restitutionis. Loquitur autem Doctor de restitutione æquali vtroque modo in prima conclusione, quatenus per pœnam talionis fit satis legi. In hoc casu quatenus etiam Reipublicæ, & ex priuata, & voluntaria vindicatione, qua procedit secundùm æqualitatem prædictam, vt sibi eam imponit homicida, vel assumit pro iustitia læsa, talis expositio vitæ seruat medium vindicatiuæ. Et sumit Doctor restitutionem, vt respicit medium vendicatiuæ per modum satisfactionis congruæ, & æqualis, quando per legem talionis infertur pœna; & sic loquitur, vt dixi, prima conclusio: vbi autem non est talis lex, vt hîc loquitur, agit de restitutione, vt ex ea oritur commodum æquale, aut maius Reipublicæ secundùm iustitiam commutatiuam, cuius æquitas, vt est congrui, cessat quando talis expositio vitæ vel est perniciosa, vel inutilis, vt patet in prædictis circumstantiis: vt autem vlteriùs talis expositio respicit compensationem pro culpa in alterum, & damnum commissum ex fine exponentis, potiùs videtur respicere modum vindicatiuæ iustitiæ.

Pœna talionis quid respicit.

Satisfactio illa vt respicit medium commutatiuæ.

Proportio talis satisfactionis ad diuersas iustitias, & fines.

f *Qui si nec tantam restitutionem velit facere*, &c. Dicit quòd nequit homicida esse omnino immunis à restitutione damnans vt fatuos, eos qui absoluunt homicidam, non exponendo ei hanc obligationem. Pro eadem citantur Caietanus *in summa verb. Restit. cap. 2.* Syluester *verb. eodem 3. quæst. 3.* Soto *lib. 4. de Iustitia & Iure quæst. 6. art. 3. ad 3.* Molina *tract. 3. disput. 84.* Azorius *3. part. lib. 5. cap. 1.* quamuis hi non eodem sensu, quo Doctor, loquãtur, nempe intuitu ipsius homicidij debere aliquid restituere occiso, atque in eius emolumentum. Doctorem tamen sequuntur authores, quos *suprà* citauimus de obligatione, quam habet restituendi is, qui alium spiritualiter occidit. Contrariam autem sententiam videntur sequi consequenter iam citati post Sotum ex eodem fundamento: quia nempe vita hominis liberi non est pretio æstimabilis secundùm varias leges; quas citat Nauarrus *in Manuali cap. 15. num. 22. & ex cap. 1. de iniuriis & damno dato, &c. cum glossis.* & patet *ex l. 1. ff. de his, qui effud. & deiec.* Vbi dicitur, quòd pro cicatrice, & huiusmodi in corpore libero factis, nihil iudex decernat; sed propter expensas in curatione factas: quia corpus hominis liberi non est pretio æstimabile: & idem de vita dicendum erit; & hæc est communis modernorum. 24

Homicida debet aliquã satisfactionẽ dare.

Contraria sententia.

Contraria sententia est Doctoris, & probatur, quia secundùm legem naturalem iustitia inferẽs damnum alteri, tenetur, si potest, æquiualenter resarcire, vel in eo quod potest: ergo & pro vita, & membro tenetur quis, vt potest, resarcire. Antecedens patet, quia qui offendit iustitiam, non eximitur per ipsam ab obligatione damni illati, neque per charitatem, aut vllam aliam virtutem, 25

Probatur sententia Doctoris.

Violans iustitiam non eximitur per ipsam.

per se loquendo: ergo quantùm ad dictamen,& legem iustitiæ tenetur. Absurdum enim videtur, vt benè Doctor in litera, vt quis teneatur ex iustitia,si occidat canem,bouem,aut seruũ alterius, ad recompensationem;quę sunt minoris iniuriæ; & non teneatur pro recõpensanda vita hominis.

Responsio.

Dices,non esse æstimabilem pretio secundùm illas leges. Contrà, leges fori externi respiciunt actionem illius fori,quæ datur secundùm æqualitatẽ in rebus fortunæ,& pecunia, quæ est pretium & mensura venalium, aut aliquid æstimabile pecunia, & sic verũ est vitam hominis non habere pretium:nunquam enim licuit vitam hominis liberi exponere venalẽ pro pecunia: quia est res superioris ordinis, loquẽdo de vita corporali: sed alia æstimatione est æstimabilis, vt per legem talionis, & iustitiam vendicatiuam dando vitam propriam,vel oculum pro oculo,aut dentem pro dente,vt in lege veteri sancitum est; & hæc æstimatio est iusta,& æquiualens:ergo licèt non sit æstimabilis pretio inferioris ordinis, de quo loquuntur leges præfatæ, quæ decernunt restitutionẽ in bonis fortunæ, quorum damnum mors alterius induxit; est tamen æstimabilis vita hominis per aliquid eiusdem ordinis, vel certè superioris ordinis,vt sunt bona spiritualia: ergo supposito quòd non detur vita pro vita ablata, saltem præcepto iustitię naturali tenetur recompensare damnum illatum per bona spiritualia,vt potest, in quibus potest esse recompensatio in commodum occisi per æquiualentiam.

Vita hominis non est æstimabilis pecunia.

Est æstimabilis per bonum eiusdem, aut superioris ordinis.

Recompensatio eius per bona spiritualia.

26 *Fama non est pecunia æstimabilis.*

Confirmatur, fama non est pretio æstimabilis, tamen damnificans in fama tenetur ex præcepto naturali eam restituere,reuocando calumniam,aut alio modo æquiualenti;& consequenter quando negantur hæc esse pretio æstimabilia, non intelligitur ea esse absoluta à præcepto restitutionis; sed tantùm non haberi in re inferioris ordinis, vt est pecunia pretium proportionatum æstimationi, quæ est secundùm æqualitatem, non verò de re æquali eiusdem ordinis, aut superioris ordinis: nam & æquiualentia in his dari potest, & iustitia semper obligat ad restitutionem secundùm æquiualentiam, quando res ipsa in specie nequit restitui. Vnde & pœnitentia,quæ est species iustitiæ,sic obligat ad satisfactionem pro peccato,quamuis non sit proportio æqualitatis inter peccatum mortale, & satisfactionem nostram, sed solius æquiualentiæ, per legem & acceptationem diuinam,tamen iustitia obligat ad eam satisfactionem, quam potest homo dare spectatã eius facultate: ergo similiter obligat proximo.

Restitutio ad quam obligat iustitia.

Confirmatur, quia iudex spiritualis, vt confessarius, potest æquissimè imponere satisfactionem congruam in foro pœnitentiæ homicidæ in bonis spiritualibus faciendam pro occiso, vt sic satisfiat iniuriæ, & damno in vita accepto:ergo in his bonis datur proportio æqualitatis secundùm æquiualentiam, quæ fundet obligationem,& cadat sub præcepto restitutionis. Probatur consequentia:quia ideò tantùm aduersarij ex tenore illarum legum eximunt homicidam à restitutione, quia est impotens soluere per bona fortunæ, bona vitæ, ob improportionem pretij ad rem, sed hæc improportio tollitur in bonis spiritualibus: ergo ad illa tenetur homicida, quando vitam propriam non exponit.

27 *Responsio.*

Dices incertum esse an illa bona prosint occiso.

Impugnatio.

Contrà, casus supponit eum in statu iustitiæ innocẽter obiisse, & eum esse capacem,aut non constare de contrario: sufficit enim vt sit mortuus, pro quo possint applicari bona spiritualia, & sit in opinione,& æstimatione hominum,suffragiorum capax, quæ pro eo applicantur.

Responsio.

Dices non posse seruari medium iustum, aut taxari quod lege iustitiæ debeatur.

Impugnatur.

Contrà: licèt non possit attingi medium indiuisibile; tamen potest attingi medium in latitudine, quod sufficit ad fundandum obligationem iustitiæ,quia confessarius rectè imponit illam satisfactionem,quamuis nesciat punctum indiuisibile talis medij; quod nescit sciri nisi Deo reuelante:& in aliis satisfactionibus pœnitentialibus non requiritur vt attingatur medium æquale, quamuis ex iustitia vindicatiua, & per modum sententiæ ligantis pœnitentem imponatur, & confessor tenetur imponere pœnitentiam proportionatam culpæ, vt *suprà* diximus *q. 1. huius dist.* agendo de satisfactione pœnitẽtiali:quamuis cõfessor nequeat certa regula attingere medium indiuisibile: ergo hoc non requiritur ad iustitiæ obligationem. Deinde, qui non potest in toto satisfacere,non ideò eximitur ab obligatione satisfaciendi in parte, & eo quod potest:ergo quãuis nesciatur medium iustum;tamen scitur quòd debeatur satisfactio, & recompensatio, quæ eo maior debet esse, quo maius damnum est illatum: & hæc regula satisfaciendi sufficit vt quis præcepto comprehendatur.

Medium in latitudine attingi posse.

Qui nequit in toto, tenetur satisfacere in parte.

28 *Obiectio soluitur.*

Obiiciunt Doctores contrarię sententiæ prędictas leges; ad quas iam responsum est.

Replica.

Dices,si esset compensabilis vita,nõ esset ratio quare non ordinaretur talis restitutio per legẽ,& iudicem,quia nullus meliùs eam ordinare posset.

Responsio.

Respondetur, quòd lex diuina, & humana, vbi habetur lex talionis,eam ordinat, diuina,inquam,loquendo de veteri lege.

Replica. *Responsio.*

Dices, mors homicidæ non est recompensatio pro vita occisi. Respondetur esse recompensationem adæquatam secundùm medium iustitiæ vendicatiuæ;quin etiam cõmutatiuæ, vt fuit membrum,aut pars Reipublicæ; éstque recompẽsatio eius in suis hęredibus,qui iustè eius mortem coram iudice exposcunt recompensari per mortem alterius. Comparãdo ergo æqualitatem rei,& modi,quo violatur iustitia, non solùm publica,sed particularis,quæ debetur occiso,æqualitas seruatur:quamuis autem hinc,inde non seruetur aliquod lucrũ rei: quia neque mors vnius potest esse lucrum alterius, considerando tamen actionem iniustam inuasionis, & ius defensionis iustæ,& restitutionẽ secundùm hanc fundatam, seruatur vera æqualitas: quia potestas publica succedẽs occiso ius læsæ defensionis per inuasionem iniustã restituit læso,quantũ restitui potest.

Seruari æqualitatem per ius restitutum defensionis læsæ.

29 *2. Responsio.*

Respondetur secundò, quòd ad iudicem fori externi non spectet decernere restitutionem in spiritualibus pro vita; ideò hoc relictum est iudici fori interni, & Ecclesiæ, & arbitrio ipsius homicidæ, vt restitutionem hanc in æquiualenti faciat, quantum potest: neque enim in omnibus præceptis naturalibus iustitiæ est taxatum medium satisfactionis per legem positiuàm; neque etiam in contractibus, aut quasi contractibus, quæ lege naturali tenent, ita est taxatum: sed boni & prudentis viri arbitrio decernere relinquitur, quantum sit restituendum,aut commutandum: quod in proposito contingit potissimum,

Decernere spiritualẽ satisfactionem spectat ad sacerdotes.

Leges non decernunt medium in omnibus taxatum.

simúm, quia passim lex talionis decreuit restitutionem hanc fieri per mortem homicidæ: quæ si non sequatur in effectu, remanet satisfactio facienda per bona spiritualia, vt patet. Hanc sententiam Doctoris sequitur Gabriel *in hac distinct. quæst.* 15. *art.* 2. Adrianus *quæst. vlt. de Restit.* Angelus *verbo Restit.* §. *Homicida*: quin etiam aliquam restitutionem deberi etiam ex lege naturali in bonis fortunæ docet D. Thomas *quæst.* 62. *art.* 2. *ad primum.* Sotus *lib.* 4. *de Iustit. & Iure quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 3. quamuis *in hac quæst.* non sit admodum constans sibi. Syluest. *verbo restit.* 3. & alij; quia licèt debitor non possit in toto restituere, debet saltem in aliquo recompensare: quæ sententia satis æquitati naturali videtur conformis. Doctor autem hanc compensationem ad illa duo iam explicata limitat.

30 *Restitutio quæ fieri debet aliis.*

g *Sed si interfectus sustentabat aliquos*, &c. Est quarta conclusio huius paragraphi, nempe teneri ad restitutionem patri, matri, propinquis, qui per occisum sustentabantur, & filiis; tantum autem debet soluere, quantum sustentatio horum ab eo dependebat, & eius operis. De patre, matre, filiis non est dubium: de propinquis autem aliqui negant, dicentes solùm obligari patri, matri, vxori, & parentibus; quos ex iustitia tenebatur alere, non autem iis, quos alebat ex liberalitate. Item, tenetur ad expensas factas in eius curatione: &, vt cómuniùs Doctores, tenetur etiam creditoribus, si occisus ex industria sua erat soluendo. Ratio est in his omnibus, quia homicida causam per se dedit damno istorum, quibus ex iustitia tenebatur occisus, & sua industria erat satisfacturus.

Teneri creditoribus.

Dubium. Si occisus remisit offensã, an sit liber occisor?

Sed est dubium si occisus ante mortem remisit occisori omnia, an ipse teneatur filiis, aut aliis, quibus ex iustitia is tenebatur?

Respondent plures moderni, ad nihil teneri, vt Soto, Salon, Bannes, Lessius eos citans *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 26. *in fine.*

31 *Obligari filiis & aliis.*

Respondetur tamen negatiuè, quia licèt sic remittere possit damnũ proprium, nullo tamen modo remittere potest damnum aliorũ, ad quod ex iustitia ipse tenetur: quia sicut non potest ei remittere damnum Reipublicæ, & legis violatę; sic etiam neque iura filiorum, quibus ipse subest; aut parentum, aut creditorum, verbi gratiá, aliquis operas eius anticipato pretio conduxit, non potest ipse, si ad mortem vulneretur lethaliter, remittere ius creditoris ad operas subtractas. Si filij sunt egentes, tenetur eis ex iustitia de sustentatione: & eodem modo de aliis, quibus sic tenetur, non potest ipse, sicut neque se ipsum absoluere ab hoc iure, sic etiam neque condonare hoc ius occisori. Si sit seruus, nequit similiter condonare ius domini, cui lucratur. Et hæc responsio patet ex regulis iustitiæ, & damni dati ratione iuris aliorum, & commoditatis, quam ex vita ipsius de iure proprio suo expectare ex titulo iustitiæ possunt. Iura tamen quæ sunt propria ipsius primò, & per ipsum ad alios descendunt, vt ad filios, remitttere potest, quando lex positiua aliud non decernat; neque hoc potest remittere, ita vt licèt ipse cedat actioni, ex hoc ipsa actio cessare debeat, vt patet: vbi tamen est lex talionis, quamuis occisus vitam suam remittat, vel mortem condonet homicidæ: tamen iustè secundùm leges punitur.

Quia hæc iura ad ipsum non spectant.

Iura propria, non aliorum remittere potest.

Præterea, aliud dubium est, si occisor plectatur lege talionis, an etiam parentibus ex bonis eius debeat resarciri damnum, aut filiis, aut creditoribus? Pro negatiua citant aliqui Doctorem in hoc textu. Sed immeritò, quia expressè dicit, præter restitutionem, quam debet pro vita occisi, vlteriùs teneri eum ad restitutionem alimentorum parentibus, & propinquis; qui per alium sustentabantur, & ad tantum, quantum abstulit per mortem illius. Hæc restitutio non fit pro vita, sed pro damno illis facto in alimentis, quod est pecunia æstimabile; & satis probatur hoc ex regulis restitutionis ratione damni dati. Ita Nauarr. *in Manual. cap.* 17. *n.* 25. Couarr. *lib.* 2. *variarum cap.* 10. *num.* 7. & alij. 32

Subiectus pænæ talionis manet aliis obligatus ratione damni.

h *Et quia vix posset aliquis dignè*, &c. Hîc subdit modos præmissos satisfaciendi pro vita occisi, & approbat legem talionis in hoc casu. Præterea, quantum displiceat Deo homicidium: & tandem dicit omnia intelligenda esse de homicidio iniusto. Plures casus in hac materia occurrunt. & tractant Doctores, quæ ex prædictis resolui possunt: pensanda enim iniuria, damnum datum, & facultas, & obligatio restituendi.

Modus satisfaciendi pro occisis.

SCHOLIUM.

Litera hac difficillima est, & ideò occasione eius à Caiet. 2. 2. q. 62. art. 2. aliisque Thomistis ibi, multa absurda Doctori impinguntur. Sed non vult Doctor, vt ei imponitur, exceptiones legales modò habere vim, vt constat ex eo suprà, d. 3. q. 4. quia Legalia cessarunt. Docet etiam quæst. præced. ad 5. licere accipere rem alienam in extrema necessitate; quod tamen in lege non reperitur exceptum ab illo præcepto, Non furtum facies; *& idem habet de occisione infrà, d. 25. q. 1. quando quis non potest aliter euadere. Sed nec hoc excepit lex. Per exceptionem ergo ab illo* Non occides, *intelligit rectam naturalem explicationem, quo sensu aduersarij exponunt Augustin. citatum à Doct. quia cùm secundùm Doct. 3. d. 37. ad 2. præcepta Decalogi sint naturalia, lumine naturæ constare debet quando ligant, vel non. Videtur Doct. ex August. d. c.* Si non licet, *tripliciter limitare illud,* Non occides. *Primò, per exceptionem lege datam, vt passim habuere Iudæi. Secundò, iussione speciali: qualem habuit Abraham de necando Isaac. Tertiò, quando recta ratio dictat mortem esse pœnam proportionatam culpæ; & supponendo mortem non esse æquam pœnam pro furto solo, seu simplici, putat quòd deberet constare de exceptione, lege, vel iussione data ab illo* Non occides; *vt simplex fur licitè occideretur. Tenet ergo resolutiuè simplicem furem, (id est, inermem, cuius furtum non comitantur enormes circumstantiæ) non licitè occidi. Ita Alens. 3. part. quæst. 47. memb. 4. art. 3. & æquiualenter D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6 ad 2. Sylu. v.* Furtum, *quæst. 3. §. 4. Castro 1. de lege pæn. cap. 6. col. 8. dicens oppositum esse nimis crudele. Soto 5. de iustit. q. 3. art. 3. §. in 4.*

argum. vbi reprehendit Baldum, tanquam auctorem occisionis furum, & dicit quòd tempore D. Thom. simplices fures non occidebantur, cui Doctor ferè fuit contemporaneus. Habetur etiam intentum expressè auth. vt nulli iud. lic. c. vlt. coll. 9. tit. 17. vbi eti..m pro furto mutilatio prohibetur. Quòd si pax publica nullo modo conseruari potest sine furum occisione, proculdubio licita erit. Nec Doctor vnquam oppositum dixit, sed quòd furtum solum, id est, secundùm se consideratum, non est dignum morte. Si tamen hìc & nunc, salus Reipubl. ex tali occisione dependet, non est simplex furtum, sed compositum cum ruina Reipubl. Sic quandoque in militia, altiùs loqui verbum, egredi ordinem vnum passum, furari vnam gallinam, iustè morte puniuntur; quia ex his pendet salus exercitus. Item statui potest lex, vt sub pœna capitis innocens se offerat, vel se offerri permittat Tyranno pro salute Reip. ergo & vt fur occidatur pro eadem salute, si aliter haberi nequit. Tamen Doctor non videtur excusare magistratus ciuiles, qui non statuunt alias pœnas proportionatas furtis, sicut olim factum est; & nunc in multis regnis fit, in quibus fures non occiduntur. Per hæc euanescunt censuræ, & impugnationes aduersariorum contra Doctorem in hac litera.

7. *c. 21. & 22. Quis sit iniustus occisor. Quæ lex cēseatur iusta?*

SEd [i] quis est iustus occidens? Responsio habetur 23. *quæstione quinta: Si non licet*; & intitulatur ibi Augustinus primo de ciuit. Dei. *His*, inquit, *exceptis, quos lex iusta generaliter, vel Deus specialiter iubet occidi; quisquis hominem occidit, criminis reus erit.* Quæ autem sit lex iusta, ipse determinat de libero arbitrio, libro primo breuiter: *Nulla nisi quæ vel descendit à lege diuina, sicut conclusiones practicæ à principiis practicis, vel quæ concedat legi diuinæ, ad minùs quæ non discordat.*

Ad propositum, lex diuina absolutè prohibuit *non permittas hominem occidi*: & nulli licet inferiori in lege superioris dispensare: ergo nulla lex positiua constituens hominem occidendum, iusta est, si in illis casibus statuat, quos Deus non excipit.

Exod. c. 21. Leuit. 24. Deut. 21. & 22.

Excepit autem multos, vt patet in Exodo, scilicet blasphemum, homicidam, adulterum, & multos alios: nullus ergo secundùm iustam legem occidit, nec lex positiua iustè infligit homicidium, si non excipitur ille casus à Deo prohibente homicidium.

8. Et si obiicias; ergo lex est iniusta, quæ præcipit furem occidi, quia non excepit ab illo præcepto negatiuo *Non occides*, peccatum furti; imò manifestè ostendit se nolle excipere furem, nec velle eum plecti morte; quia infligit furi aliam pœnam. Respondeo, quòd Deus in lege Moysi, vel Euangelica explicitè non excepit peccatum furti ab illo præcepto *Non occides*, vt scilicet propter hoc peccatū liceat hominem occidere: & ideò nisi reuocauerit aliqua reuocatione speciali, quod non habetur ex Scriptura; nec de bulla super hoc descendente de Cœlo audiuimus; non video quòd lex aliqua iusta possit statuere hominem occidi pro furto solo: dico autem *solo*, quia si est fur, & cum hoc inuasor, præsumitur homicida, quia vult occidere, & ad hoc paratus est, si aliquis sibi resistat. Hoc patet per illud Exodi vigesimosecundo capite de fure nocturno, & diurno: fur nocturnus impugnè occiditur: qui autem intrantem de die ad furandum occidit, homicidij reus est. Causa diuersitatis est hæc, quia præsumitur, quòd qui de nocte furatur, occideret sibi resistentem, si posset: non autem, qui de die intrat.

Vide Lyranum.

Exod. 22.

9. *Prou. 6. 1. Insinuauit, quòd illa pœna nō esset in lege noua, quia tunc non abrogauit, imò nec in passione legalia, sed in Pētecoste secūdum Scot. sup. d. 3. q. 4.*

Esto etiam, quòd aliquo modo licuisset Iudæis pro furto occidere; magis videtur per misericordiam Euangelicam iste rigor reuocatus, quàm rigor contra adulterium, quia peccatum furti est multò minus, quàm adulterium: iuxta illud Prouerb. 6. *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum.* Sequitur, *Qui autem adulter est propter inopiam cordis, perdet animam suam.* Sed pœna de adulterio est reuocata in illo Ioan. octauo, *Nemo te condemnauit mulier, nec ego te condemnabo: vade, iam ampliùs noli peccare.* Multò magis ergo reuocatus esset rigor contra furtum, si fuisset statutus in lege Mosaïca.

Quid reddendum est pro mutilatione. Præter dāna in bonis fortunæ, etiā reddendum est aliquid pro ipsa carētia membri, vel vita. D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2. Cou. 2. var. c. 10. n. 7.

De [k] alia autem damnificatione in corpore, scilicet mutilatione enormi, vel non enormi, communiter non est statuta in Ecclesia restitutio nisi pecuniaria, & illa debet respondere, non solùm damno, quod incurrit quis per mutilationem pro toto tempore futuro, quo vsurus esset quis membro abscisso: sed etiam expensis appositis in curatione; & hoc dicit capitulum allegatum *Extrà de iniuriis, & damno dato*: & vltra placationi ipsius læsi, quæ requireretur, etiamsi non esset talis mutilatio, & consolationi ipsius afflicti: quia perpetua est sibi desolatio de tali mutilatione. Plus etiam est ponderanda mutilatio pauperis, quàm diuitis; si magis egebat parte abscissa ad victum necessarium, quia vsus fuisset parte illa ad procuranda necessaria; licèt ex alia parte sit quædam conditio præponderans, scilicet dignitas personæ, sed hoc parum est respectu primæ conditionis.

Ad

Ad argumenta [l]: ad primum, patet quomodo possibile est restituere bonum animæ in primo articulo, & bonum corporis in secundo, restituendo bona exteriora correspondentia, vel pro occisione, bona spiritualia ipsi occiso. 10

Ad arg. 1

Ad [m] secundum dico, quòd si extraxit de religione aliquem iam obligatum ad religionem obligatione professionis, tenetur agere ad restitutionem, vt scilicet ille redeat ad religionem: sed si aliquem dispositum ad intrandum retraxit ne intraret, quia interest inter habere, & prope esse; non tenetur ad tantam restitutionem religioni, ad quantam si fuisset in religione: sed tenetur ad aliquam restitutionem, puta ad aliqualem inductionem alterius aliqualiter æquiualentis ad ingressum illius religionis: & hoc intelligendum est, si illum retraxit intentione damnificandi religionem. Si autem intentione consulendi vtilitati propriæ sine fraude, non tenetur religioni: sed in primo casu, & in secundo tenetur personæ, quam retraxit, vt in persuasionibus, & aliis bonis spiritualibus ad æquiualentiam bonis illis, in quibus illum retrahendo damnificauit.

Ad 2.

Non tenetur quis ad restitutionē, nisi adsit fraus, & iuxta hec intellige sol. ad vlt. q. praced. & hac q. n. 2.

COMMENTARIVS.

33 *Ad iustā occisionem requiritur dispositio legis iustæ.*

i SEd *quis est iustus occidens*, &c. Superiùs egit de occisione iniusta; hic autem agit de iusta occisione. Locum hunc optimè declarat Scholiastes, quia tamen multi Doctores impugnant conclusionem, & fundamenta Doctoris, dicemus breuiter quid Doctor habeat. Deinde respondebimus impugnatoribus; primò ad occisionem iustam requiri, vt lex iusta generaliter id disponat, vel Deus specialiter iubeat. Habetur *cap. Si non licet, 23. q. 5.* éstque Augustini *de ciuit. Dei, lib. 1. cap. 21. & 22.*

Lex iusta quæ sit?

Secundò, dicit quòd lex iusta est illa solùm, quæ descendit à lege æterna, sicut principia, aut cōclusiones necessariæ ex his, vel quæ sunt consonæ, vel certè quæ non discordant. Quod deducit ex August. *lib. 1. de lib. arbit. c. 6.* Item, *q. 67. in Exodum, tract. 6. in Ioannem, de vera religione, c. 31.* Quem sequitur communis Theologorum. Alens. *3. q. 26. m. 7.* D. Thomas *1. 2. q. 93. art. 3.* & reliqui. *Per me Reges regnant*, &c. *& legum conditores iusta decernunt*, &c. Prouerb. 8.

Diuina lex hominem occidi prohibet.

Tertiò subsumit diuinam legem absolutè prohibuisse hominem occidi per illud, *Non occides:* in qua lege nullus inferior dispensare potest. Inde colligens quòd nulla lex, quæ statuat hominem occidi, sit iusta, nisi in iis casibus, in quibus Deus excepit à lege illa vniuersali, vt patet ex Scriptura.

Excipitur casus.

34 *Non licere furem simplicem occidi.*

Quartò obiicit sic, non licere statuere pœnam mortis furi.

Respondet concedendo consequentiam, si est simplex fur, id est, qui aliud damnum non infert, nisi solius furti; nam componendo damna alia, ex quibus liceret diuina lege eum occidi, vt si sit inuasor, & huiusmodi, non esse legem iustam, quæ sic ordinaret furem occidi ob simplex furtum, etiam tenent alij citati à Scholiaste; & ipse probat, primò, quia lex diuina est vniuersalis, nisi in casibus à Deo exceptis: in Scriptura autem non inuenitur hic casus exceptus, neque ex aliqua speciali reuelatione, de qua constat: ergo. Deinde, si Iudæis liceret, magis esset mitigandus in lege Euangelica iste rigor, quàm rigor exceptionis de occisione adulteri, qui tamen est mitigatus, *Ioan.* 8. quia furtum est lenior culpa, vt patet ex litera, *Prouerb. 6.* Hæc summariè Doctor, quem præterea sequuntur scholæ nostræ Doctores.

Probatio Doctoris.

Lex vniuersalis diuina.

35 *Controuersia reducta hinc inde ad fundamenta, non est realis.*

Quamuis hæc controuersia tanquam realis sustineatur à pluribus; si tamē fundamenta hinc inde solidiùs expendantur, fortè non inueniretur tanta differētia. Impugnatores enim Doctoris recurrunt ad leges municipales, quibus fulcitur praxis; sed neque hæc impugnat Doctor, quia pax Reipublicæ, damna, & pericula eius, ex quibus cædes, rixæ, inuasiones, violentiæ, & propriæ possessionis causa, & defensio locū ex vna parte dat cædibus, & discordiis; ex alia verò parte cupiditas aliquibus in locis prædominans, & rei alienæ vsurpatio frequens, quod paci publicæ obstat, & pauperibus innocentibus, & iniuriam passis præiudicat; neque securitatem vllam ex propriis viribus habentibus quoad retinendam possessionem, à qua eorum vita, & sustentatio dependet; quibus debet Princeps defensionem necessariam. Hæc, inquam, furto adiecta cōponunt circumstantias, quibus licet fures occidere: ac proinde ferre legem, qua decernatur eorum occisio. Hoc affirmat Doctor tam in limitatione adiecta in cōclusione, quàm etiam ex probationibus eius, quia complicant casus, in quibus ex legis exceptione à Deo facta liceat furem occidere; & consequenter hanc pœnam decernere: si enim in causa inuasionis, defensionis vitæ, & bonorum, in periculo Reipublicæ liceat occidere, & eodem modo, quando furtum talia damna infert, licet illud ordinare tali pœna ratione damni per se consequentis, vel periculi certi talis damni, & vt in pluribus euenientis.

Circumstātiæ cōpositæ furto, in quibus licet occisio eius.

Considerando autem furtum præcisè, secluso omni periculo, aut damno adiuncto præter solius rei ablatæ damnum, sic dicit Doctor non esse iustam legem, quæ decernat furem occidere. Hanc conclusionem non impugnant commodè aduersarij, sed procedunt ex circumstantiis, quas *suprà* allegauimus, quæ faciunt casum diuersissimum. Et Doctor ex lege diuina, & Cæsarea reformata, procedit in casu solius furti, quibus non conceditur mors furi inferenda. Vnde Soto *lib. 5. de Instit. & Iure, q. 3. art. 3.* consentit, putans mortē non mereri furem, & damnat vsum, quo Principes simplex furtum morte damnant: quāuis putet eos habere potestatē ad hoc de lege naturæ. Vnde meritò confutat Baldum, quē putat fuisse authorem, vt pro simplici furto pœna mortis inferatur: quem benè *ibidem*, & meritò, impugnat. Ratio autem Baldi est, quia furtum geminatum putat æquiualere latrocinio. Hæc ratio, licèt falsa sit, vt benè probat Sotus: fauet conclusioni Doctoris, quia latrocinium est furtum cum violentia, rapina, & inuasio; latro enim dicitur, qui insidiatur in viis publicis, seu fur, quem lex iubet occidi; vt Doctor *suprà* allegat. Idem dicit Baldus de furto

36 *Consideratio furti simplex seclusis circūstantiis.*

Lex diuina, & Cæsarea fauet Doctori.

Sentētia Baldi.

rei notabilis nempe æquiualere latrocinio. Sentit ergo Baldus ex hac ratione furtum simplex non mulctandū esse morte: sed furtum, vt æquiualet, vel est latrocinium, quæ est sententia Doctoris: quamuis Baldus erret in discernendo furtum simplex à latrocinio. Meliùs Panormitan. *in cap.2. de Furtis*, dicit furtum esse, quandò quis clanculo sine armis, & aggressura rem alienam aufert inuito domino. Latrociniū verò est, quando palam cum armis, vel aggressura. Vnde fur propriè dicitur, qui nocte furatur, nempe sine armis, & aggressura. *Authent. Sed nouo iure, C. de fur. & ser. cor. & l.1. ff. eodem*, dicitur *fur* à *furuo*, id est, *nigro*; eo quòd in tenebris, & de nocte plerumque furatur. Eandem distinctionem tradit Bartolus *in Auth. Sed nouo iure, C. de ser. fugit.*

Quid sit furtum simplex? Differt à latrocinio.

Etymologia.

37 Panormitanus *in cap.1. de rapin.* similiter ait ex opinione Bartoli plures fuisse suspensos fures, qui cum furto in territorium alienū transierunt, & ante ipsum non fuisse datam actionem contra furem ex continua attrectatione furti, & communem sententiam modernorum dicit tenere illam actionem non esse stricti Iuris: hanc tamē consuetudinem rationabilem fecit necessitas pacis cōmunis, & incorrigibilitas hominum, & alia pericula, quæ ex impunitate nascuntur, vt inuasionis, & cædis. Hæ autem circumstantiæ coniunctæ furto rationabilem, & iustam faciunt legem, qua decernitur mors furibus inferri posse. Nec repugnat Doctor, & patet ex dictis; quem sequitur Syluest. *verb. Furtum, q.4.* & plures interpretes *C. de seruis fugit. Authent. Sed nouo iure, & in l. Capitalium, ff. de pœnis, §. Grassatores, & §. Famosus.* Vbi decernitur fures cedendos esse fustibus, non tamen occidendos, aut mutilandos. In aliis etiam locis plerumque talis consuetudo seruatur, vt fures pro simplici furto non iterato, non puniantur morte, sed cedantur, vel aliis pœnis afficiantur.

Actio contra fures vnde data? Non esse stricti Iuris.

Pœna in fures.

38 Quòd si puniantur morte, præsumuntur saltem inuasores, quod sufficit ad inferendum, & statuendum hanc pœnam: quia fur, vt inquit Doctor, præsumitur inuasor, & impunè occiditur; vt statuit *l. De nocturno.* Ex quibus patet controuersiam fortè non esse realem, quantùm ad praxim, & vsum, sed diuersis principiis inniti; nam concedimus nos fures occidi iustè, & statutum sic ordinans esse iustum, non ratione furti simplicis: sed ex circumstantiis aliis, ex quibus inuasio, & cædes, & pacis publicæ perturbatio periclitatur; quæ tamen non in omnibus locis contingunt, sed ex peculiari conditione diuersorum locorum, & statuum. Alij volunt legem esse iustam, quia Principes eam potestatem habent; vel quia ipsum damnū furti simplicis id postulat, vel certè quia prædictas circumstantias vbique præsumunt coniungi. In hoc vltimo, subsistente hypothesi, nobiscum sentiunt. In primis duobus discordant. Sed pro opinione Doctoris stat lex diuina, & Ius Canonicum, quod nullo modo concedit pœnam mortis inferendam esse pro furto simplici. Habes Ius Cæsareum *suprà* allegatum, & quod magis est, omnes interpretes, qui non decernunt pœnam mortis pro furto, nisi vt est latrocinium, aut æquiualet latrocinio, & pacis publicæ periculum, & perturbationem infert; quibus casibus furtum non est simplex: sed compositum his circumstantiis, quæ concurrunt. His dictis de controuersia,

Sentētia Doctoris lege diuinā Canonica, & Cæsarea fulcitur. Interpretes.

39 Probatur prima ratio Doctoris, quæ est Augustini, & habetur loco citato. Lex diuina de non occidendo est generalis; & sub hac lege contineri docet omnem occisionem, quam diuina authoritas non excepit. *Non occideris; non alterum, ergo nec te, neque enim qui se occidit, alium quàm hominem occidit. Quasdam verò exceptiones eadem ipsa diuina fecit authoritas, vt liceat hominem occidi: sed his exceptis, quos Deus occidi iubet, siue data lege, siue ad personā pro tempore expressa iussione, &c. & ideò nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm eius leges, hoc est, iustissimæ rationis imperium sceleratos morte punierunt, &c.* & infrà: *His ergo exceptis, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi iubet, quisquis hominē, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur, &c.* Ex quibus verbis manifestè apparet, & hanc legem esse generalem de mente Augustini, & solùm pati exceptionem in iis, quæ Deus ipse excepit, siue per legem, siue per iussionem, & præceptum particulare, & instinctum; vt fuit iussio facta Abrahæ de occidendo filio, & instinctus, quo Iephthe, Sampson, & alij excusantur ab eo ibidem. Confirmatur ex tenore legis: *quia indefinitè prolatum generaliter intelligendū est, 31. q.1. c. Quòd si dormierit.* Item, *qui non excipitur, intelligitur in lege, d.55. c. Si Euangelica, & Extra de iurepatron. c. Ex literis.* Item, *quod de vno dicitur, de omnibus alijs intelligendum est*, vt *2. q.1. c. Multi d.4. c. Denique, & d.5. cap. Ad eius.* Item, *non licet alicui excipere, quod Canon non excepit 19. d. Si Romanorum 17. q.2. Lex diuina 16. q.1. Sunt nonnulli, &c.* Ergo lex hæc generalis est.

Ratio Doctoris cōfirmatur.

Augustin.

Non debere occidere, nisi in casibus à Deo exceptis à lege.

Confirmatio.

Lex generalis, quomodo intelligenda?

Respondent aduersarij intelligi hoc præceptum de occisione hominis iniusta, non verò iusta: ac proinde non patere legem exceptioni, quia non comprehendit occisionem iustam. 40

Responsio.

Contra hoc patet manifestè intentum Augustini *suprà*, quia dicit occisionem factam ex lege, aut iussione Dei esse exceptiones à lege vniuersali non occidendi. Vnde dicit, quòd eo ipso, quòd lex non excipiat occisionem propriam, quòd nemo potest seipsum occidere, Lex communem statum respicit, exceptio verò singulares casus, & personas, quales sunt illi, in quibus lex permittit occidere. Et patet præterea hanc legem esse vniuersalem, *Genes.9.* vbi Deus dicit, quòd *sanguinem hominis exquiret de manu bestiarum, de manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris, &c.* Sic vniuersaliter intelligi debere probatur.

Impugnatio.

Secundò, omnis potestas à Deo facta homini in vniuersum recipit limitationem ex Dei voluntate, in ordine ad illa, quæ non sunt ei concessa: sed nulli data est potestas in vitam, & mortem alterius directa, quam sibi soli Deus reseruauit, qui est dominus directus vitæ, & mortis, & quidem solus: ergo sine voluntate Dei cognita, atque eius concessione non licet priuare aliquem vita sua: quia sine voluntate directi domini nullus, saltem inferior, potest vti directè re sua, sine iniustitia: sed ob furtum simplex seclusa inuasione, & huiusmodi aliis circumstantiis, Deus non dedit potestatem Principi Politico: ergo nequit ille priuare vita hominem ob tale furtum. Patet subsumptum, non est data maior potestas Principi Politico per electionem, aut quacumque via accipit potestatem etiam à Deo mediatè, quàm fuerit potestas politica 41

Secunda ratio.

Potestas reseruata, & limitata à Deo.

Solus Deus est dominus vitæ.

Sine eius concessione nō licet occidere.

Æqualis potestas data Iudæis, & Principi politico.

litica instituta à Deo, & data iudicibus in Republica Iudæorum: sed in illa Republica reseruatur potestas occidendi furem simplicem, qualis præsumitur diurnus; ita vt quicunque occideret, esset reus mortis: ergo similiter est reseruata talis potestas principi politico in Republica ciuili. Probatur consequentia: quia eius potestas non excedit illam, quam per legem habuerunt à Deo iudices in populo Iudæorum: illis enim data est potestas per se requisita ad bonum commune, & obseruantiam legis naturalis, sed ex alio capite nequit vlla ratione fundati potestas legitima nisi in ordine ad hæc: quia lex in tantum est iusta, in quantum respicit bonum commune, & debitum Reipublicæ, estque conformis legi diuinæ; alioquin nequit deriuari à lege diuina, aut esse iusta.

Habuerunt requisitã ad bonum cõmune, & obseruantiam legis naturæ.

42 Tertiò, *Non occides*, est legis naturalis etiam (vt volunt aduersarij) stricti Iuris, nos autem dicimus esse consonum, & ex diuina voluntate: & adde aliud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, nempe quod rationabiliter non vis tibi fieri. Sic argumentor, qui occidit furem, qui non est inuasor, est homicida, & quamuis ex lege naturali permittitur homini defensio vitæ, & bonorum, non licet ei occidere furem, vel alium directè, sed titulo defensionis necessariæ, vltra quam, si adhibeat maiorem vim, regulariter loquendo, est homicida, & peccat, & incurrit pœnam Canonicam irregularitatis, vt patet *ex titulis de homicidio in variis capitibus*, & consequenter transgreditur præceptum non occidendi: & aliud vniuersale præmissum *suprà*, quia rationabiliter quilibet eligit detrimentum boni fortunæ, vel alterius, magis quàm vitæ, & animæ: lex autem Canonica optimè interpretatur legem naturalem, & diuinam: ergo sequitur, quòd præceptum non occidendi etiam comprehendat furem simplicem non esse occidendum, aliàs quilibet priuatus posset eum occidere, non peccando contra legem diuinam, & naturalem homicidij, cùm nulla alia sit, quàm illud præceptum, *Non occides*. Quibus suppositis patet (sicut ex aliis casibus, vt si maritus occidat vxorem deprehensam in adulterio, quamuis lex ciuilis id permittat, canonica tamen & diuina prohibet in lege Euangelica) non omnem iniustitiam inferre pœnam mortis, neque ratione iniuriæ acceptæ licere mortem inferre, si aliter propulsari potest. Sequitur præterea præceptum *Non occides* etiam obligare in his casibus.

Tertia ratio. Lex non occidendi est naturalis stricti Iuris. Titulo defensionis nõ licet occidere furẽ, si id non requiritur ad defensionem.

Lex Canonica optima interpres legis naturalis, & diuinæ.

Dices, licere potestate publica inferre mortem furi simplici, non autem priuata.

Responsio.

43 Contra hanc responsionem. Quartò sic argumentor, si fur simplex posset occidi auctoritate publica, posset etiam occidi auctoritate priuata ab eo, quem offendit. Loquor autem de Iure simplici, vt excluduntur aliæ circunstantiæ. Probatur illud antecedens: præceptum illud est vniuersale, & legis naturæ, nempe, *Non occides*, sed comprehendit, vt probatum est in argumento præcedenti, furem non esse occidendum, dico simplicem à persona priuata, quam in bonis offendit, vel offendere nititur, secluso iure defensionis necessariæ: ergo etiam comprehendit potestatem publicam, quando aliæ circunstantiæ non concurrunt; sed sicut quilibet particularis tenetur lege naturali, ita etiam potestas publica, quæ nequit in eo dispensare: & idem de lege diuina vniuersaliter data; potestas autem publica ex titulo suo nullum acquirit ius in vitam furis, nisi ratione delicti: hoc autem delictum, vt nunc de eo agimus, ratione sui non tribuit hanc potestatem, aliàs quilibet priuatus sicut potest furem cædere, sic etiam interficere posset: quia hoc ius habet eum cædendi ratione iniuriæ illatæ: ergo etiam eum occidendi, si ratione delicti excluditur à præcepto *Non occides*, sed non excludi iam probatum est: ergo ratione delicti nullum ius in vitam eius acquirit magistratus, cùm Deus id vetet, vt *suprà* visum est.

Quarta ratio. Si potestati publicæ liceret occidere furem, liceret etiã priuatæ personæ offensæ.

Potestas publica subest legi naturali, & diuinæ.

Requirit ius in personam furis ratione solius delicti.

Confirmatur, potestas publica non acquirit ius in vitam furis ratione delicti, nisi illud sit tale vt inferat damnum æquiualens vitæ eius, communi bono, & paci Reipublicæ, ad cuius defensionem, & iniuriam propulsandam tenetur, & seruare medium iustitiæ, nè vltra debitum grauetur reus, hoc est, vltra iniuriam illatam, & vltra damnum, quod emanare posset Reipublicæ; sed sistendo in natura furti simplicis pœna mortis est excessiua, quia vita non est pretio æstimabilis, neque damnum Reipublicæ, aliàs seclusis circunstantiis non æquiualet vitæ furis, aliàs non esset furtum simplex, sed vlteriùs compositum ex damno communi adhærente, quod præponderat vitæ, in quo casu iam non loquimur: sed de furto simplici, quod nullum aliud damnum infert Reipublicæ præter illud, quod patitur is, cuius res aufertur; & supponendo hoc ipsum esse solum damnum rei ablatæ. Vel si inferatur præterea aliquod damnum, vt illud sit minoris æstimationis, quàm vita furis, & posset commodè resarciri per alias pœnas: ergo videtur neque secundùm diuinam legem, neque secundùm rectam administrationem iustitiæ, aut leges eius, tunc posse damnari talem ad mortem, vel magistratum acquirere ius talem legem statuendi, nisi aliàs status Reipublicæ sit talis, vt furtum non sit simplex propter consequens: imò in damnum Reipublicæ & rectæ administrationis cederet, quòd pœnæ maximæ, quæ reseruari debent ad atrocia delicta passim, & sine delectu pro leuioribus statuuntur, & inducit contemptum disciplinæ, neque natura, neque prudentia id dictat, neque conseruatio Reipublicæ.

44 *Pœna non iuste excedit culpam.*

Furtum non æquiualet morti & vitæ.

Talis pœna non est in cõmodum Reipublicæ.

Dices cum aduersariis, quòd sequeretur etiam quòd fur non posset puniri in duplo, aut in quadruplo, quæ est pœna ciuilis. *Replica.*

Respondetur negando consequentiam, quia licèt ratione rei ablatæ in conscientia satisfaciat per eius restitutionem, actio tamen iniuriæ illatæ alteri, vsurpando rem eius eo inuito, meretur propriam pœnam, non tamen quamcunque pœnam improportionatam, qualis est mors, nisi aliud accedat, quo id mereatur. Ex quibus patet ad fundamenta opposita. *Soluitur.*

Obiiciunt primò leges municipales, quibus statuitur suspendium pro simplici furto. 45 *Obiectio.*

Respondetur ex dictis statum ciuitatis, & Reipublicæ id quãdoque postulare: sed negatur suppositum, nempè pro simplici furto id statui, sed ex necessitate defensionis Reipublicæ à latrociniis, & inuasionibus; tunc autem furtum non est simplex, vt comparatur ad publicum statum, licèt possit esse simplex, vt comparatur ad personam offensam, & priuatam, cuius res aufertur. Negatur ergo consequentia, quam inde

Responsio. Suppositio falsa.

inde inferunt, nempe furtum simplex esse morte mulctandum.

Secunda obiectio. Obiiciunt secundò præceptum *Non occides* non comprehendere nisi occisionem iniustam, & præter casus expressos in lege scripta dari iure naturæ potestatem occidendi inuasorem vitæ, quæ tamen in lege scripta non reperitur concessa: ergo falsum est fundamentum Doctoris.

Responsio. Occisio inuasoris lege æquiualenter expressa. Respondetur legem esse vniuersalem, & omnem occisionem factam contra ipsam esse iniustam, neque vllam esse iustam, quæ non sit expressa, & excepta æquiualenter in simili, aut in seipsa per legem scriptam: nam furem, qui præsumitur inuasor, concedit lex scripta posse occidere, à fortiori inuasorem directum vitæ. Patet idem *Exodi* 21. & 22. & quamuis titulo defensionis liceat interficere inuasorem; non tamen licet directè hoc intendere per modum finis; sed quantum necessarium est medium defendendæ vitæ propriæ: alioquin si non sit periculum vitæ, non licet inuasorem interficere, *Defensio in quo sistit.* quia defensio iusta sistit in mediis necessariis, aliàs non esset defensio, sed inuasio, & homicidium, vt patet cap. 18. *Significasti*, &c. *de homicidio*, ad hanc exceptionem nequit reduci lex, qua simplex fur decerneretur occidi, qui non sit inuasor re, aut præsumptione, quæ forum idem sortitur: quia illa directè præciperet mortem furis; & inferret solùm ratione illius delicti, non inuasionis, aut alterius æquiualentis; & sic esset iniusta, quia contra diuinam legem, & iustitiam, & bonum etiam publicum, quod vetat grauari *Lex canonica ciuilem correxit in pluribus.* quempiam vltra debitum iustitiæ. Vnde lex Canonica, quæ procedit meliùs secundùm principia naturæ, & scriptæ in multis correxit legem ciuilem, quantùm ad hanc materiam.

46 In hoc autem errant aduersarij, quòd leges municipales interpretantur de occisione furis simplicis, quia præsumi debet (vt latè Panormitanus *in cap. Cùm Ecclesiarum*, & Felinus *de Constitut.* Turrecremata *in cap. Sententia* 11. *q.* 3. *Lex municipalis non respicit furtum simplex.* *conclus.* 6. & 7. & *in cap. Si dominus, eod.*) pro iustitia legis ex motiuo debito, & necessitate Reipublicæ ordinatum esse, vt fures pereant, quia degenerabant in latrocinia, statuta autem lex ratione huius periculi, & damni erat iusta: per accidens autem est, vt furtum simplex puniatur hac pœna ratione adiuncti. Quòd si dicas tunc non posse decernere secundùm eandem iustè contra eum, qui tantùm esset simplex fur. Admittunt multi consequentiam: sed etiam negari potest, quia sufficit, vt periculum ex natura rei in tali Republica sit coniunctum, vt in plurimum, & particulares casus lex non excludit. Sicut præceptum de ieiunio ad macerationem carnis, & domandam libidinem, ligat etiam eos, qui non sentiunt talem rebellionem; finis enim extrinsecus legis non cadit sub lege: sufficit autem vt periculum vt plurimùm subsistat: vnde talis non iudicatur secundùm naturam furti simplicis; sed secundùm furti, vt damnum & periculum Reipublicæ vt in pluribus habet coniunctum.

47 *Tertia obiectio.* Obiiciunt tertiò: si præceptum *Non occides* fuisset ita generale, Deus non excepisset tot casus. Deinde esset indispensabile, quia esset præceptum negatiuum Iuris naturalis.

Responsio. Quos casus, & quo titulo excepit Deus. Respondetur Deum excepisse eos casus, in quibus sequitur damnum æquiualens, aut excedens vitam alterius, quantum ad materiam iustitiæ; aliquos autem excepit, quia est dominus vitæ, & mortis; de quibus potest liberè disponere; vt quando præcepit interficere Isaac: hoc autem casu nullo modo potest Princeps, aut Respublica interficere per se innocentem, & directè, licèt possit in defensionem Reipublicæ, & redemptionem vitæ, & fortunarum populi præcipere, vt innocens suam vitam exponat, vel tradere innocentem Tyranno: in quibus casibus non occidit, sed defendit Rempublicam; quia & membrum Reipublicæ tenetur ad eius defensionem, eam proinde iustè imperat Princeps: & non tenetur in secundo casu defende- *Aliud est occidere, aliud non defendere.* re innocentem quoad vitam corporalem cum tanto Reipublicæ damno: sicut neque persona particularis tenetur defendere vitam propriam cum occisione inuasoris, si aliter eam saluare nequit, quamuis possit etiam sic saluare, neque infirmus tenetur per exquisita medicamenta, quæ exhauriret totam substantiam eius, saluare vitam propriam, relinquens post se vxorem, & liberos in mendicitate. Sic ergo Princeps non *Exempla.* tenetur per damnum vniuersum Reipublicæ saluare personam priuatam innocentis, quamuis ipse mortem inferre non potest, sed permittere vt Tyrannus inferat. Ex quo sequitur, quod superiùs dictum est, quòd Princeps non habeat potestatem directam in vitam subditi, sed tantùm ratione delicti, cui ex diuina exceptione inferenda est mors, quando scilicet delictum alioquin æquiualet in re, aut modo, vitæ alterius. In re æquiualet, quando decernitur mors homicidæ: in modo verò æquiualet, quando decernitur mors latronis, qui concitat cædes, & perturbationem pacis in Republica. Vnde Raynerius ex hoc capite apud Syluestrum licitam asserit pœnam mortis in furem simplicem, sicut & Baldus *suprà*, quando æquiualet latrocinio; tunc autem, vt dictum est, non est furtum simplex.

Obiiciunt quartò, præcepta veteris legis de occidendis malefactoribus, quas Doctor vocat exceptiones, vel erant legalia, vel naturalia. 48 *Quarta obiectio.* Non legalia, quia illa cessarunt, ac proinde non potest vllo modo in lege noua fieri occisio eorum: quia lex vetus quoad iudicialia cessauit. Si erant naturalia, vt reuera erant, quia erant interpretatio Iuris naturalis, sequitur contra Doctorem non fuisse exceptiones à lege *Non occides*: quia sub illo non comprehendebantur: si enim comprehenderentur, essent indispensabiles, cùm lex sit Decalogi, & negatiua: ergo præceptum illud *Non occides*, non erit vniuersale.

Sicut præceptum non occidendi transiuit ad legē nouam, ita exceptiones legis. Respondetur sicut præceptum Decalogi *Non occides* spectat ad omnem statum naturæ, & confirmatum est in lege noua, ita etiam exceptiones ab eo factæ diuina voluntate, quoad eas, quæ spectant ad ordinationem iustitiæ, & communitatis hominum, quoad pacificam cohabitationem, transierunt ad legem nouam, vt interpretatur Apostolus, qui dicit Principes & potestatem superiorem portare *gladium Dei in vindictam malorum, defensionem autem bonorum.* Non ex eo ergo Doctor dicit illas exceptiones modò vigere, quia fuerunt in lege veteri: nam *suprà* §. *De secundo damnificans, in corpore*, &c. docet

docet legem Iudaicam, aut eius iudicialia non

Sunt moralia & non ceremonialia obseruatio.

non obligare aliquam Rempublicam Christianam ea ratione, qua ex vi legis Mosaicæ obligabat Iudæos; sed tantùm quando aliqua Respublica illa præcepta iudicialia, tanquam consona æquitati naturali,& conducentia ad bonum politicum eius, assumeret, & propria auctoritate sanciret, eo modo, quo lex canonica aliqua eorum retinuit,vt ibidem dicit.Retinuit etiam Ecclesia multos ritus Ecclesiæ veteris in paramentis sacerdotalibus, & aliis exercitiis, vt per se patet, quæ ex ordinatione Ecclesiæ Euangelicæ vim habent,& obligationem. Sicut regnum aliquod, quod potest leges alterius sumere,& præcipere, ciuitas statuta alterius municipalia; vt ibi Doctor. Non benè ergo assumunt principium Doctoris: nam non dicit illas exceptiones valere, quia erant legis veteris: sed hoc est eius principium, quòd nempe Deus præcepit absolutè, & sine limitatione hominem non esse occidendum per illud *Non occides*: in qua lege nemo potest dispensare, neque excipere, nisi solus Deus, qui eam condidit, & qui est dominus directus vitæ, & mortis. Sed licèt in lege veteri habeantur aliquæ exceptiones, neque in veteri, neque in noua lege, aut aliqua speciali concessione cognoscitur Deus excepisse ab illa lege simplicem furem; imò contrarium habetur in lege veteri, nempe eum comprehendi in illo præcepto. Supponit ergo Doctor, vt exceptio fiat per diuinam voluntatem, vt cognoscatur per reuelationem Dei, quæ ex Scriptura haberi debet, aut traditione, ad hoc vt quis licitè occidat.

Verus scopus & discursus Doctoris.

49 Ad argumentum in forma respondetur, sicut & præceptum non occidendi non fuit proprium legis veteris,licèt in eo promulgatum; sed etiam præcessit in lege non scripta; vt patet *Genes.* 4. vbi Cain ob cædem fratris punitur: & *Genes.* 10. vbi Nemrod damnatur ob cædem hominum, & *Genes.* 9. vt iam diximus: ita etiam exceptiones illæ factæ, & promulgatæ à Deo, vt respiciunt communitatem politicam, manent cum ipsa lege; quia finis & necessitas ipsorum perinde eam stabilitatem requirit: non sunt autem præcepta, sed exemptio, & exceptio à præcepto, vt eas vocat Augustinus. Vnde Respublica potest etiam dignum morte alio modo castigare, si id expediat bono communi; & hoc sine iniuria condonando vitam, & commutando pœnam mortis in aliam. Quòd si essent præcepta naturalia, vt ea quidam vocant, non possent ex principiis aduersariorum id facere; & quando condonat Princeps vitam, eatenus condonat, quatenus est supra legem positiuam iustam; & vtitur potentia absoluta, absoluendo à pœna legis. Quando autem infligit pœnam legis, non procedit ex lege naturali, aut diuina immediatè, sed ex lege politica iusta, quæ conformis est legi diuinæ, aut æquitati naturali, & vtitur sua potestate in ea materia, quam Deus permisit, & vtilitas publica requirit saltem iuxta dispositionem legis ordinariæ, vel de congruitate iustitiæ, & secundùm eandem congruitatem Deus excepit illos casus, in quibus licet occidere,& hoc consonum erat priuilegiis legis naturalis in statu peccati, quia alioquin non posset conseruari pax sine tali pœna. Sic ergo manet legem quidem vniuersalem esse, sed exceptiones factas esse à legis latore, nempe Deo. Supposita autem ex vna parte hac exceptione à lege, & supposito ex altera principatu politico legitimè instituto in communitate, & vt procedit à Deo ad gubernationem iustam, Princeps habet obligationem promouendi, & conseruandi, boni communis, & statuendi pœnas necessarias, etiam mortis, quando alioquin nequeat salus Reipublicæ conseruari: quia per exceptionem iam factam à lege, subiicitur ratione talis delicti reus potestati Principis. In his ergo duobus illæ exceptiones, seu effectus illarum dicuntur esse legis naturalis, quia consonæ: tum quia potestas legis latiua est consona legi naturæ, & exceptio facta à lege vniuersali ratione delicti similiter est consona eidem. Ex his negatur assumptum illius argumenti,quod fit in probatione antecedētis, quod fit in probatione antecedentis, quoad alterum disiunctum, nempe exceptiones illas esse interpretationes legis naturalis, & negatur similiter consequentia.

Illæ exceptiones ante legē fuerunt.

Earum necessitas.

Quomodo exceptiones spectent ad legē naturalem.

50 Ad illud de indispensibilitate præceptorum Decalogi requiritur longior concertatio, quàm videre licet apud Doctorem *in 3. dist.37.* vbi dicit præcepta secundæ tabulæ plerumque esse dispensabilia,imò de facto dispensata; & quoad præsens patet de præcepto occidendi filium, dato Abrahæ. Hoc enim præceptum est consonum naturæ; non tamen oritur ex necessitate simpliciter ipsius naturæ, aut suppositionis in diuina voluntate: sed merè contingenter: sicut enim Deus est dominus vitæ, sic etiam disponere de ea potest prout vult, & tradere dominium directum vitæ vnius alteri, sicut potest dare dominium alterius rei, vel ipsius vitæ indirectum ratione delicti per exceptionem factam. Doctores autem contrariæ sententiæ putant hoc præceptum esse stricti Iuris naturalis, & & necessarium,& non contingens; ideóque has exceptiones factas à Deo in lege Decalogi negant esse dispensationes,aut exemptiones à lege, quæ inuariabilis est; sed dicunt mutari materiam præcepti aduenientibus his, aut illis circunstantiis:& consequenter in proposito volunt non comprehendi causam delicti sub præcepto, *Non occides*: neque datam fuisse exceptionem vllam; sed ex natura rei id licere. Sed quamuis id eis concederemus gratis, adhuc nihil concludunt quoad præsentem casum, quia si lex vetus prohibens furem simplicem occidi, erat iusta; si lex Cæsarea citata etiam erat iusta (de quarum æquitate magis præsumere licet, quàm de æquitate legum municipalium alicuius loci particularis, quæ in aliis non obseruantur communiter;) ita etiam sequitur in fure simplici non concurrere circunstantias, quibus desineret obligare præceptum non occidendi, quod magis declarant Canones.

Præceptum occidendi dispensabile à Deo.

Exemplum dispēsationis.

Fundamentū dispensandi.

Fundamentū oppositæ sententiæ.

Retorquetur quoad casum præsentem.

Circūstantiæ, in quibus deobligat præceptum, non concurrunt in simplici fure.

51 Obiiciunt quintò,Gentiles occidebant furem iustè ante legem scriptam: ergo non ex lege scripta emanat.

Quinta obiectio.

Respondetur potestatem occidendi ex causa iusta fuisse etiam ante legem scriptam: sed probandum esset iustè potuisse occidi furem simplicem, vel id fuisse in praxi ante legem scriptam, quæ esset iusta. Ius Romanorum fuit post legem scriptam sicut & Græcorum. Aulus Gellius *Noctium Atticarum lib.11. cap.vltimo* dicit apud Romanos,& apud Ægyptios quòd fur efficiebatur seruus eius, à quo furabatur rem. Vt quidam colligunt *Genes.* 44. In aliis locis primùm cæditur,

Responsio.

Lex Romanorum & Ægyptiorum de simplici fure.

cæditur, pro furto iterato alias pœnas soluit. Sed quidquid sit, exemplum Gentilium non probat æquitatem facti. Olim apud Romanos, vt docet Appius Alexand. *lib. 3. belli ciuilis* dupli persoluendi tantummodo pœna fuit. Plato *sexto de legibus* ita præcipit: *Si vltra sortem quidpiam vel duplum reddat, vel vinciatur, donec persuaserit ei, cui debet, aut reddiderit,* &c.

Plato.

Sexta obiect. Ex potestate Principum.

Obiiciunt sextò, & est fundamentum principale, quod de lege naturæ datur potestas Principibus, & Reipublicæ occidendi malefactores, & defendendi innocentes, & hoc æquali modo: ergo licet occidere ob furtum simplex.

Potestas coërcẽdi emanat ex potestate defensionis.

Respondetur consequentiam nullam esse, imò absurdam: quidquid sit de consequente, quia defensio innocentum est finis potestatis coërcendi malefactores: quando ergo defensio innocentum non exigit mortem malefactoris, neque bonum publicum, non data est talis potestas, quæ esset in destructionem iustitiæ, & boni communis: & falsum est proinde æquali modo datam esse potestatem defendẽdi, & occidendi alios, aut pro quauis iniuria licere occidere, sicut & defendere. Plures autem iniuriæ fiunt in Republica, quæ grauiores sunt omnium æstimatione, quàm & intentione rationabili eius, qui patitur, quàm sit furtum simplex, quæ tamen non subiacent pœnæ mortis, vt patet de adulterio, & stupro. Ad argumentum hoc responsum est *suprà*.

Hæc non extenditur ad mortem sine causa legitima.

52 *Praua interpretatio in litteram Doctoris reiicitur.*

Adducuntur præterea aliæ quædam rationes, quæ inuoluunt calumniam ex praua intelligentia litteræ Doctoris, quasi voluerit Respublicas teneri ad legem Moisis, quæ nullius sunt momenti, & magis inuenta sunt ad reconciliandum assensum suis ratiunculis, quàm ad veram conclusionem casus, de quo disputatur, ideò eas omitto. Falsum etiam est in Republica, vt vult Molina, esse potestatem statuendi pœnam, quam vult in malefactores, nisi intelligatur secundùm mensuram delicti, non solùm in se, sed etiam vt redundat pœna in bonum Reipublicæ, & caueatur eius damnum. Nam sicut Deus ipse non potuit secundùm iustitiam statuere pœnam peccato veniali, eandem quam statuit mortali, ita etiam non dedit potestatem Reipublicæ, vt excedat omnem mensuram in statuenda pœna pro delicto leui: ex quo non redundat damnum Reipublicæ proportionatum. Si autem damnum Reipublicæ proportionatum sequatur, tunc admittimus licere statuere pœnam mortis pro delicto leui, vt contingit in legibus militaribus, quia ex damno, & periculo censatur graue: hoc tamen non fundatur in libertate Reipublicæ statuendi pœnas, sed in potestate statuendi pœnas condignas, quæ debent commensurari delicto: nam sicut materia leuis quoad moralem malitiam non est capax grauis maculæ, aut pœnæ consequentis: sic etiam in materia politica res leuis non est capax delicti politici, aut læsionis iustitiæ grauis, aut pœnæ, quæ secundùm iustitiam nequit imponi, nisi ob graue delictum politicum: talem materiam leuem dicimus nos esse furtum simplex respectu mortis. Contrarium non probant aduersarij, sed complicant damnum notabile Reipublicæ, aut pacis quasi ex natura furti simplicis oriretur, quod negamus. Vel arguunt ex potestate Reipublicæ, qua decernit pœnas mortis ob delicta æquiualentia tali pœnæ; & ita in omnibus rationibus adductis non arguunt directè ad conclusionem prætensam, vel certè contradicunt verbis, & non reipsa: quia talem potestatem esse in Republica non negat Doctor: neque negat furtum compositum circunstantiis inuasionis, aut publicæ perturbationis sic posse ordinari: sed tantùm negat furtum simplex esse materiam idoneam, & capacem talis pœnæ secundùm iustitiam, vt constat Prouerbiorum 6. *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum,* &c. loquitur autem respectiuè ad adulterium, quod grauius est, & excusationem non habet, sicut fur famem, aut inopiam.

Non esse potestatem in Republica statuendi pœnas aliter, quàm ex mensura delicti.

Deus nequit secundùm iustitiam punire veniale eadem pœna, qua mortale.

Lex militaris.

Peccant aduersarij secũdùm fallaciã accidẽtis, aut consequentis.

53 *Mediocritas in pœnis seruanda.*

Hinc rectè Iurisconsultus *in l. Respiciendum. ff. de pœnis,* &c. admonet: *Respiciendum est,* inquit, *iudicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcat: nec enim seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est; sed perpenso iudicio, prout quaque res expostulat, statuendum est. Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent: in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi,* &c. Hinc omnes authores pœnam mortis negant esse statuendam, nisi pro valde grauibus delictis; & quæ plurimùm Reipublicæ nocent. Vide Castro *lib. 2. de potestate legis pœnalis cap. 13.* Archidiacon. *in cap. penultimo dist. 84. & in cap. Innocens 2. qu. 4.* Felinum *in cap. Qualiter, & Quando,* &c. *de accusationibus.*

Pœna mortis requirit graue delictum.

Pœnã adulterij esse reuocatam in lege noua.

Sed pœna de adulterio est reuocata, &c. Hanc minorem subsumit Doctor in vltima probatione conclusionis præmissæ. Procedit enim ex illa proprietate, & excessu Legis nouæ supra veterem, quòd hæc lex timoris fuit, & seruitutis, ad *Hebr.* 1. & ad *Roman.* 8. vt videre licet apud August. contra *Adimantum c. 16. & 17. & lib. de moribus Ecclesiæ cap. 26.* lex autem noua sit iugum suaue, & onus leue. Si ergo in lege noua sublata est pœna adulterij, quæ fuit in lege veteri, etiam ex hac conuenientia videretur pœnam furti auferendam fuisse, si fuisset, quæ tamen non est ablata; adulterium enim grauius peccatum fuit, quàm furtum, *ex illo prouerbiorum cit. cap. 6.*

Lex timoris. Lex charitatis.

54 *Sententia contraria.*

Contra hoc Sotus *lib. 5. de Iustitia & Iure, q. 1. art. 2.* vbi fusiùs hanc quæstionem tractat, arbitratur non fuisse eam legem reuocatam, tunc à Christo, quia reuocatio legis diuinæ requirit officium iudicis: Christus autem non sumpsit officium iudicis sæcularis, neque ibi se gessit vt iudex.

Probatur sententia Doctoris. Ex circunstãtia littera.

Contrarium verius est ex tenore textus, quia iam ex *cap.* 7. multi ex populo crediderunt in illum, vt in verum Messiam, & ipse prædicauit se missum à Patre, & per alia, quæ præmittuntur *in illo cap.* patet ortum fuisse schisma aliis asserentibus, aliis verò negantibus illum esse Messiam. Quin etiam ministri à Pontificibus, & Pharisæis, referentes de Christo reprehensi sunt; quare non adduxerunt eum, & responderunt: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo,* &c. Patet etiam ex responsione eorum ad ministros, & ad Nicodemum, qualis fuerit opinio de Christo in populo. In *cap.* autem 8. dicitur quomodo manè veniens in templum totus populus eum auditurus conueniebat. Tandem subiungitur historia adulteræ, qua sermo eius interrumpitur; indicant ministri primò pœnam statutam

Schisma inter Iudæos de Christo.

statutam

statutam in lege, & interrogant, licèt tentantes, quid ipse decerneret, aut diceret. Ad quid ergo accusatio hæc coram Christo, nisi vt fictè auctoritas, quæ Messiæ ex Scripturis attribuitur, in Christo tentarunt. Vnde postquam omnibus responso Christi confusi recesserint, interrogat mulierem. *Mulier vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit*, &c. accusabant autem coram Christo, sed tentantes, ac tandem accedit sententia per illa verba, *Neque ego te condemno: vade, iam ampliùs noli peccare*, &c. Vbi non abdicauit Dominus potestatem iudicis: sed absoluit ream, admonens ne ampliùs peccaret: sic aliàs dixit Magdalenæ, & multis aliis, (quos absoluebat à peccato, aut pœna eius) auctoritatiuè, *Noli ampliùs peccare*, &c. *neque ego te condemno*, inquit. Hæc verba nequeunt referri ad condemnationem peccati, aliàs non diceret, *vade*, quod significat absolutionem, & pœnam remissam, pro qua interpellabatur: *iam ampliùs noli peccare*, significat admonitionem de fugiendo peccato. Ergo illa verba, *neque ego te condemno*, &c. referenda sunt ad sententiam & pœnam legis.

Christus vt iudex absoluit adulteram.

Verba Christi non respiciũt peccatum, sed pœnam legis.

55 Augustinus. Vnde Augustinus tractat. 33. in Ioannem. *Neque ego te condemnabo*, &c. *à quo fortè te condemnatam timuisti, quia in me peccatum non inuenisti*, &c. *quid Domine? faues ergo peccatis? non planè. Ita attende quod sequitur: vade deinceps, iam ampliùs noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, sed peccatum, non hominem*, &c. Vide quæ sequuntur, in quibus Augustinus declarat Christum exercuisse potestatem iudiciariam, condemnando peccatum, & non personam: quin etiam sententia Christi ad Pharisæos sonat potestatem iudiciariam, qui iustitiam eius voluerunt hîc tentare, aliàs scientes eum veracem, & mansuetum, vt ibidem Augustinus in verbis præcedentibus. Vnde rectè Doctor hinc colligit pœnam legis reuocatam esse ex sententia Christi in adulteram, sicut ex aliis factis eius & dictis, vt ex præsentia ad nuptias in Cana Galilææ colligitur eum confirmasse matrimonium, rectè, inquam, colligitur ex hoc loco eum sustulisse pœnam legis: quia hæc sententia non ad illam solam referenda est, sed ad alias in eadem culpa: quia non solùm ad præsentem referenda est illa sententia, sed ad alias eiusdem culpæ.

Sententia Christi sonat potestatẽ iudiciariam.

56 Præterea, constat communi sententia Doctorum leges ciuiles, quæ hanc marito facultatem dabant, reprobari ab Ecclesia; vt insinuatur 32. *quæst.* 2. *cap. Inter hæc*, &c. vbi consultus Nicolaus Papa, an liceret marito vxorem adulteram occidere iuxta leges Longobardorum tum in Italia regnantium? Respondet tacitè Ecclesiam non cognoscere, aut recipere tales leges mundanas: quæ est sententia Augustini *lib.* 2. *de adulterinis coniugiis cap.* 15.

Nicolaus Papa.

August. *Postremò*, inquit, *quæro abs te, an marito Christiano liceat, vel secundùm veterem Dei legem, vel Romanas adulteram occidere* (vt correctior textus habet. Alia lectio dicit *abiicere*: sed hoc non cohæret textui, & responsioni Augustini: quia id certum est ex Euangelio licere. Respondet autem Augustinus negatiuè: quæ responsio esset falsa, si intelligeretur de repudio; nam & ipse infrà docet licere repudiare.) *Si licet, melius est, vt ab vtroque se temperet, & à licito, illa peccante; supplicio, & ab illicito, illa viuente, coniugio*, &c. & infrà: *Si autem quod verius dicitur, non licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantùm dimittere. Quis dicat tibi, fac quod non licet, vt tibi liceat quod non licet? cùm enim vtrumque secundùm legem Christi illicitum sit, siue adulteram occidere, siue, illa viuente, alteram ducere, ab vtroque abstinendum est*, &c.

Non licere adulterã occidere.

Dicit ergo Augustinus non licere marito adulteram occidere secundùm legem Christi, quænam autem alia lex id prohibet præter iam præmissam? Vnde idem Augustinus ad eam remittit Zelotypos maritos qui vindicare volunt adulterium morte vxoris. c. 14. & cap. 16. *Nunc autem postquam Christus ait adulteræ: neque ego te condemnabo; vade, deinceps noli peccare: quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignouisse dominum amborum; nec iam se debere adulteram dicere, cuius pœnitentis crimen diuina credit miseratione deletum? Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita vt nonnulli modicæ, vel potiùs inimici veræ fidei, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulteræ indulgẽtia Dominus fecit, auferrent de cordibus suis, quasi permissionem peccandi tribuerit, qui dixit, deinceps noli peccare; aut ideò non debuerit mulier à medico illius peccati remissione sanari, ne offenderentur insani*, &c. Ex quibus patet ad fundamentum Soti. 57

August.

Quantùm ad ipsum casum, an liceat auctoritate politica, vt adulter, vel adultera conuicta in iudicio per auctoritatem publicam possit morti destinari, cuius executio ipsi marito remitteretur; non disputo hîc: quia Doctor *suprà* §. *De secundo dico*, &c. *in fine* videtur approbare licitè id statui posse, vt blasphemia, adulteriũ, & idololatria plectantur morte magis quàm fures. Quod docet etiam communis. Leges ciuiles plures permittebant adulteram occidi à marito, & dant ius, & potestatem in hoc: sed id non licet ex dictis, vt in flagranti delicto occidatur: quia est contra salutem animæ eius. Sotus *art.* 3. dicit occidi posse adulterum, non tamen adulteram, nisi lata sententia à iudice: sed vtrumque perinde obstat charitati, & periculo animæ, quæ absque vlla necessitate exponitur hoc modo contra debitum ordinem iustitiæ; cùm sententia lata posset remedium Iuris adhiberi cum salute animæ, quæ sententia tenenda est in praxi iuxta Canones, & legem Dei. Vide Couarr. *in Clement. Si furiosus.* Quòd si obiicias Christum reuocasse legẽ, & præterea Augustinum citatum. Respondetur sicut *suprà* responsum est de furto non simplici, posse plecti morte per legem iustã; ita & adulterium ob damna sequentia similia. 58

Licere illam pœnam lege politica.

Reiicitur sententia Soti.

k *De alia autem damnificatione in corpore*, &c. Hæc resolutio patet ex hactenus dictis, & iure allegato: damna autem per se incursa sunt expensæ curationis: & reliqua, quæ ibi Doctor in littera habet: circa quæ non occurrit noua cõtrouersia, præter ea quæ dicta sunt in superioribus. Quòd enim tenetur placare mutilatum patet iisdem rationibus, quibus probatur teneri pro morte illata homicida: quia tamen non occurrit alia satisfactio æstimabilis præter solam placationem, ad eam tenetur, non solùm ex charitate, verùm etiam ex iustitia. Quòd si fuerit mutilatus pauper, verbi gratia, qui labore manuum se sustentabat, & familiam, tenetur ad sustentationem, si omnino factus est inutilis ex mutilatione ad sui sustentationem, quia pari modo se habet, sicut & homicida quoad hoc, quia per se causam dedit huic damno. 59

Ad quid tenetur mutilans.

l *Ad*

60 *Ad argumenta.* l *Ad argumenta,*&c. Responsionem primi argumenti habes ex dictis de restitutione, quæ facienda est in bonis vitæ, & corporis.

Ad primum respondetur. Ad secundum responsio. m *Ad secundum dico,*&c. Hic respondet ad secundum argumentum *suprà* propositum; & explicat ad quid teneatur, qui retrahit aliquem à religione. Casus autem patet controuersiæ,& resolutio eius petenda est ex aliàs dictis *quæst.* 2. de eo, qui impedit alterum, ne consequatur beneficium; & de restitutione damni spiritualis. *Seducens religiosum obligatur ad restitutionem.* Seductio alicuius à religione fieri potest, vel precibus,& suasione;vel vi,& fraudibus. Restitutio facienda est in damno temporali, aut spirituali,vel personæ seductæ,vel monasterio.Damnum temporale est hæreditas legata intuitu talis personæ monasterio; spiritualia, vt existimatio, doctrina, instructio, & similia, quæ ex tali persona prouenire possint.

Sententia contraria. Sotus *lib.*4. *de Iustitia & Iure,q.*6.*art.*3. tenet partem negantem quoad obligationem fundatam in iustitia,licèt ipsi retracto teneatur ex fraterna correctione, tenetur etiam ex iustitia submouere vim, & fraudem, & permittere retractum in sua libertate. Hanc sententiam limitat Azorius 3.*part.lib.*5.*cap.*2. & Molina *in tract.*4. *Limitatio quoad professum.* *de Iustit.& Iure,disp.*51.quando retraheretur professus, quia sic teneretur ad restitutionem damni incursi, quia religio habet ius in emolumenta, quæ ipsi obuenirent à tali religioso, vel eius industria; & ideò alter priuans religionem tali vtilitate tenetur per se ad damnum.Alij addunt, si religiosus non vi, vel fraude, sed iam laxata vi, vel detecta fraude factus est suæ libertatis, quod damna vlteriora non teneatur retrahens.

61 Hic casus habet similem decisionem, sicut & priores casus suprà expressi.

Cõclusio Doctoris sustinetur. Conclusio Doctoris est eadem hîc cum illa, quam *suprà* posuit de impediente beneficium dandum alteri ex intentione ei nocendi, & per fraudem teneri ad restitutionem iuxta arbitrium boni viri, non in toto, sed quanti valebat ius quod habuit in spe ad beneficium. Ita similiter in proposito tenetur seducens ingredientem religionem ad similem restitutionem monasterio, *Ius in spe non debet impediri.* quod iam habuit ius in spe ad rem ipsam; & ius ne excluderetur ab illo iure,quod habuit in voluntate, & proposito alterius,ne,inquam,excluderetur iniustè per fraudem,& intentionem nocendi monasterio, siue hæc fraus adhibeatur in ipso opere per iniqua media decipiendo, vel impedimentum statuendo per vim;siue etiam fraus fuerit in sola intentione vt respicit media aliàs non illicita, de quo suprà diximus, quòd si nouitium seduxit, magis tenetur, quia licèt adhuc *Ius possessoriũ in nouitium.* non sit incorporatus religioni; tamen per possessionem eius, & oblationem acquiritur propinquius ius ad rem ipsam, & personam, quàm fuit in personam nondum ingressam; quod potest reduci ad ius ex possessione, vel quasi possessione naturali Et in hanc sententiam conueniunt omnes antiqui Doctores, vt videre licet apud Sayrum *lib.*11.*cap.*1.*dub.*4.*in prima opinione.*

62 *Soluitur ratio opposita sententia.* Per hoc excluditur fundamentum oppositæ sententiæ: quæ in eo fundatur,quòd nouitij ante professionem non acquirat religio vllum ius. Respondetur enim acquisiuisse ius per receptionem nouitij non completum ante professionem,inchoatum tamen, & cum certa spe, & exspectatione complendum, quo nequit iniustè priuari,sicut neque prætendens beneficium debet impediri iniustè; sic etiam neque hoc ius impediri iniustè, quod iam ponitur in exercitio, & in *fieri* donec per professionem compleatur. Ex mutuo nempe consensu nouitij ingredientis, & recipientis monasterij, iam ponitur contractus in dispositione requisita, qua completa per professionem maturescit ex lege, quæ impedimentum statuit ne ante certum tempus,vnius anni probationis fiat professio, & quamuis nouitius in eo statu est in sua libertate, & spes ipsa monasterij suspendatur: tamen nequit impedimentum statui vtilitati monasterij.

Si autem seducat professum à monasterio,non video qua lege possit absolui ab obligatione damni incursi monasterio; nam monachus monasterio acquirit; & monasterium, si est capax proprietatis, & dominij, nequit priuari emolumento; quod ei prouenit ex monacho: si ergo monachus aliquid propria industria acquirit, & qui illud vi, aut furto auferret, peccaret contra iustitiam, & teneretur monasterio, nescio quare seducens religiosum à monasterio, non teneretur ad vtilitatem qua priuauit monasterium.Aliqui respondent monachum non teneri ex iustitia, sed ex obedientia procurare emolumentum sui monasterij. 63 *Seducens professum tenetur ad damnum monasterio.* *Responsio.*

Contrà, siue ex iustitia, siue ex obedientia tenebatur non refert, modò emolumentum fuit certum, & re ipsa futurum, quia illud Monasterio debetur ex iustitia, ita vt non possit eo priuari. Et sicut monasterium acquirit ex iustitia per monachum, sic etiam habet ius, ne priuetur iniustè potestate, & effectu acquirendi per ipsum. Præterea, licèt religiosus ex obedientia applicetur Curæ,& rebus monasterij, tenetur, supposita applicatione, ex iustitia ad fidelitatem, & diligentiam, ne ex culpa eius inferatur damnum monasterio;& si haberet vnde resarciret, teneretur ad restitutionem. *Impugnatio. Licèt ex obedientia tenetur monachus ad operas, Iure tamen sunt monasterij.*

Quantùm ad damna spiritualia iam diximus *suprà*, obligationem oriri ex iustitia ad restitutionem, prout in potestate damnificantis est restituere: tenetur ergo seducens quantùm potest, in re, aut æquiualentia ad illa restituenda seducto. *Obligatio restituendi dãnum spirituale.*

Vltima conclusio Doctoris est;si auertat quis alium non ingressum à religione absque fraude, & animo nocendi monasterio, aut personæ, sed ex alio fine licito propriæ vtilitatis, non teneri talem monasterio, quia non per se causat damnum monasterij, sed propriam vtilitatem præfert vtilitati monasterij; tenetur tamen personæ, quam auertit ad æquiualens, vt potest, in bonis spiritualibus ei damno, quod auertendo à monasterio ipse incurrit. 64 *Qui auertit eum qui intendit religionem ex causa, non tenetur monasterio.*

Et si dicas non licere alicui procurare propriam vtilitatem cum damno proximi. *Obiectio.*

Respondetur negatiuè, quando voluntariè proximus incurrit damnum, vt si quis petat aliquid sibi donari, vel accommodari, non facit iniuriam proximo. Limitandum tamen est, vt quando aliquis auertatur à religione, de cuius salute in sæculo esset periculum, tunc non liceret eum auertere, etiam ex intentione non nocendi. Supponit autem Doctor auertentem posse æquiualenter resarcire damnum incursum per alia media, & facultatem suppetere similiter personæ auersæ seruandi se indemnem, & spem *Responsio.* *Nam licet auertere ab ingressu eum, de cuius salute in sæculo esset dubium.*

& ſpem profectus in religione ſaltem probabilem eſſe; quæ omnia penſanda ſunt ex circumſtantiis perſonæ, religionis, cauſis, ex quibus retrahitur, & neceſſitate perſonæ: quæ benè penſanda ſunt, quia non eſt extinguendus ſpiritus Dei, & vocatio concepta, cuius rationem Deus exigit: *Vocaui, & renuiſti*: & patet ex parabola de inuitatis. Hæc res non eſt temerè attendanda; neque vocatio Dei contemnenda: videmus enim eos, qui ſpe aliqua lactati vocationem ſuam contemnunt, etiam à Deo contemni, & vix peruenire ad exitum ſuæ expectationis, vt in multis experientiâ probat.

Penſanda circumſtātia.

Res non temerè attendanda.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm damnificans aliquem in bono famæ, teneatur ad reſtitutionem, ita quòd pœnitere verè non poßit, niſi famam reſtituat?

D.Thom.2.2.*quæſt.*61.*art.*2.*vbi* Caiet. Salon, Aragon. Richard. *hîc art.*5.*quæſt.*3.Gabr.*quæſt.*16.*art.*2. Soto 4.*iuſt.quæſt.*6.*art.*3.Emanuel 2.*part.cap.*45. Nauarr.*cap.*18.*lib.*2.*cap.*4. Syluest. *ver. Detractio.* Ang.*ibi.* Sayr.*lib.*11.*cap.*3. Leſſius *lib.*2.*cap.*11.*dub.*20.

QVartò [a] quæritur, Vtrùm damnificans aliquem in bono famæ, teneatur ad reſtitutionem, ita quòd pœnitere verè non poſſit, niſi famam reſtituat? Videtur quòd non: *Extrà de Calum. cap.* 1. *&* 2. Infamis eſt denuntiator, vel accuſator falſi criminis: ergo negans verum crimen ſibi impoſitum, iniuſtè infamat accuſantem; quia oſtendit eum accuſatorem falſi criminis; & tamen iſte negans tale crimen ſibi impoſitum non tenetur famam reſtituere accuſanti: quia magis videtur accuſans debere reſtituere famam accuſato, cùm non poſſit probare crimen ſibi impoſitum. 1 *Argum.* 1.

Item tenetur quilibet magis zelare pro fama propria, quàm pro aliena, ſicut magis diligere ſeipſum, quàm proximum: ſed accuſatus in publico de crimine occulto non poteſt famam ſuam cuſtodire illæſam, niſi directè alterum diffamando, negando ſcilicet crimen ſibi impoſitum, & ita denotando eum delatorem falſi criminis: ergo iſte ſecundùm rectam rationem tenetur eum diffamare, licèt indirectè,& per conſequens non reſtituere; quia in primo actu non egit iniuſtè. *Argum.* 2.

Contrà, Auguſtinus ad Macedonium epiſtola 2.& ponitur 14.quæſt,6.cap.1.Si res. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi reſtitui poteſt.* *Rat.ad opp.*

Item Prouerb.22. *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*: ergo plus lædit proximum, qui aufert ei nomen bonum, quàm qui aufert diuitias: ſi ergo ibi tenetur ſecundùm iuſtitiam reſtituere, multò magis hîc.

COMMENTARIVS.

1 *De bono famæ, & eius reſtitutione debita.* *Definitio.*

a QVartò *quæritur vtrùm damnificans aliquem in bono famæ*, &c. In hac quæſtione agitur de tertio genere bonorum, quæ hominis dicuntur,vt famæ; agitur de bona fama.Definitur à gloſſa *in cap.Veſtra,de cohabitatione cleric.& mulier. Fama eſt illæſæ dignitatis ſtatus, lege, & moribus comprobatus.* Hanc amplectuntur Iuriſperiti; & habetur *l. Cognitionum* 5.*ff. de extraordinar. cognit.* Conſiſtit autem in bona opinione virtutis, & ſapientiæ alterius, & in iis omnibus, ex quibus laudari poteſt quoad corpus, animam, affectiones, dotes, opera, & facultates tam naturæ, quàm fortunæ. Diſtinguitur ab honore, quòd illa in opinione conſiſtat; hic verò atteſtatione excellentiæ alterius verbis, vel ſignis exhibita; quæ excellentia ſimiliter conſiſtit in ſapientia, & virtute, & aliis: ex quibus laudari, & honorari poteſt; vt dignitate, munere, ſanctitate, & his ſimilibus exhibetur honor per verba, per ceſſionem loci dignioris, inclinationem, genuflexionem, & eiuſmodi, prout in vſu ſunt. Diſtinguit Doctor quæſtionem in tria membra, quæ ſuo ordine explicabuntur.

In quibus conſiſtit?

Diſtinctio eius ab honore.

Exhibitio honoris.

Ordo quæſtionis.

SCHOLIVM.

Hîc duo dicit. Primum, imponentem falſum crimen debere ſe retractare ita publicè, ſicut dixit. Ita D.Thom.2.2. quæſt.62. art.2.ad 2. Richard. hîc art.5. quæſt. 3. Gabr. quæſt. 16. art.2. Soto 4. iuſt. quæſt.6. art.3.ad 4. Secundum, dicens tantùm ſe audiuiſſe talia crimina de aliquo, non tenetur ad reſtitutionem, quia verè famam non abſtulit, ſi tamen præuidit auditores leui rumori credituros in grauem infamiam proximi, peccat mortaliter contra charitatem. Adde extra literam, ſi falsò dixit ſe illa accepiſſe ex talibus fide dignis, quòd peccat contra iuſtitiam, quia tunc lædit verè famam proximi. Adde ſecundò teneri infamatorem ad damna ſequuta ex infamia, vt ſi propterea perdidit infamatus beneficia, ex

quæst. 2. fin. Adde tertiò, quandoque adducendos esse testes, vt probes te falsum dixisse, quia teneris efficaciter te reuocare.

2 *Richar. hic art. 5. q. 3. Tripliciter potest quis alium diffamare.*

RESpondeo [b], in genere potest aliquis alium tripliciter diffamare; vno modo falsum crimen imponendo: secundo modo verum crimen, tamen occultum, non seruato ordine Iuris in publico proponendo: tertio modo verum crimen, sed occultum, in publico tamen sibi impositum negando, quia in hoc negans notat imponentem de calumnia.

In [c] primo dico, quòd oportet restituere famam, retractando verbum suum, vel quod sibi imposuit; & hoc ita publicè, sicut sibi imposuit: quia aliàs non seruat iustitiam in reddendo proximo, quod suum est.

Imponens falsum crimen retractet. *al. ad 5.*

Et si obiicitur, quòd magis tenetur zelare pro fama sua, quàm aliena, non autem posset illi reddere suam famam, retractando verbum suum, nisi seipsum diffamaret. Respondeo, sicut dixi in prima quæstione de restitutione, responsione ad sextum argumentum, quòd bona corporis, vel exteriora, non sunt diligenda, nisi in ordine ad bonum animæ, & ad Deum; hoc autem non est, nisi vt possint iustè competere illi, qui diligit: & ideò sicut ibi de dilectione vitæ propriæ corporalis dixi, ita dico hîc de dilectione famæ propriæ, quòd quilibet, cui potest iustè competere in se fama, debet magis diligere illam, quàm alteri, cui non potest iustè competere. Sed si sibi non potest competere, nisi iniustè; alteri autem iustè, magis debet diligere alteri, cui iustè conuenit, quàm sibi cui iniustè; & ita est hîc, accusato enim de falso crimine, iustè conuenit fama: accusanti autem post talem accusationem, iniustè; non solùm, quia mentitus est in accusando, sed quia publicè mentitus est, in quo sufficienter, & iudicabiliter se diffamauit. Et ideò postea directè ostendens innocentiam alterius, cui tenetur in hoc, & indirectè nocentiam sui, non tunc propriè diffamat se, sed tunc amouet falsam laudem, qua iste post accusationem mendacem, indignus est.

Publicum vocat, quod probari potest sine tergiuersatione,

Exemplum, aliquis fornicatur tribus videntibus; illi postea accusantes non diffamant illum, sed ipsemet se diffamauit in facto illo publico: quia breuiter, committendo quodcunque crimen publicè, incurrit læsionem dignitatis, & sic amittit famam, quantùm est in se: nec publicatio illa postea, per quam notificatur illa læsio, aufert sibi famam; sed tantummodò facit deuenire magis in publicum illud, quod ex natura actus commissi priùs simpliciter erat publicum.

3 *An referēs delictum teneatur ad restitutionē.*

Et si quæratur, aliquis non imponit in publico tale crimen alij, sed mutat, vel indiscretè loquitur, vel alicui coram multis narrat: tamen non tanquam sibi certum, sed sic se audiuisse, nunquid tenetur restituere? Respondeo, *rara fides ideò est, quia multi multa loquuntur:* & ideò dicens se tantùm audiuisse, nisi ex modo dicendi ostendat aliquam maiorem certitudinem quàm ex communi relatione, non aufert ex natura actus in opinione aliorum famam ipsi: quia si illi firmiter concipiant illum, de quo est sermo, criminosum esse, leues sunt; quia *qui citò credit, leuis est corde.* Ecclesiastici 19.

1. Cor. 8.

Veruntamen, quia à scandalo pusillorum oportet cauere, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Et multi sunt tales pusilli leues ad credendum mala, ideò est periculosum eis talia audita ex relatu eis referre: & si fiat hoc animo malo, lædendi scilicet illum, de quo est sermo, non est facile excusare, quin sit contra charitatem, & per cōsequens mortale peccatū. Si autem fiat coram talibus ex inconsideratione, durum est quòd exeat genus peccati venialis, quia lingua in lubrico posita est: & *qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir,* Iacobi 3.

Iac. 3.

COMMENTARIVS.

2 *Sex modi infamandi.*

b RE*spondeo in genere, potest aliquis, &c.* Alensis *2. par. quæst. 129. membr. 1. in fine* ponit sex modos detractionis, seu priuandi aliquem fama debita iniustè. Primus, negando bonum, quod scimus ab aliquo factum. Secundus, cùm ad laudem debitam alteri tacemus. Tertius, cùm affingimus mala intentione factum esse bonum, quod negare non possumus. Quartus, cùm occultum malum reuelatur modo, quo non debetur. Quintus, cùm malum augetur. Sextus, est adinuenire malum.

1. Modus. *2. Modus.* *3. Modus.* *4. Modus.* *5. Modus.* *6. Modus.*

Octo modos detractionis assignat D. Thomas, quatuor directos, & quatuor indirectos. Primò, imponendo crimen falsum. Secundò, amplificando crimen verum. Tertiò, reuelando crimen occultum. Quartò, sinistrè interpretando bonum factum alterius. Intelligendus est hic modus, quatenus in animo alterius, cui maligna interpretatione significasti verbis, aut signis læsisti famam alterius; aliàs quamdiu tacita est interpretatio in mente, spectat ad iudicium temerarium. Quintus, est negando rectè facta alterius, aut bona, ex quibus conciliata fama est. Sextò, ea extenuando. Septimò, frigidè laudan

Octo modi assignati à D. Thoma.

laudando, & simulatè. Octauò, tacendo bona alterius eo tempore, & loco, quo silentium tuum nocet alteri apud præsentes.

Tres modos assignat Doctor. Doctor autem omnes modos detrahendi reducit ad tres in genere. Primus modus est per impositionem falsi criminis. Ad hunc modum reuocari possunt omnes modi, quibus detrahitur alteri per significationem vitij, aut criminis in ipso, siue verbis, siue alio modo contingat talis detractio, ita vt per se sit causa infamiæ ex natura actus. *2. Modus.* Secundus modus est, quando crimen verum alicuius in publicum producit, non seruato Iuris ordine. *3. Modus.* Tertius modus est, quando crimen verum alicuius in publicum ab alio productum negat, ex quo sequitur infamatio accusantis.

3 *1. Conclusio communis. Fama restituenda.* c *In primo dico quòd oportet restituere*, &c. Hæc est prima conclusio huius quæstionis, est communis omnium. Patet per se ex regulis iustitiæ, quia damnum per se causatum tenetur restituere, seruando suum ius proximo.

Replica. Dices, magis tenetur zelare famam propriam, quàm alterius in eo casu, si retractet dicta apud alios fiet infamis: ergo non tenetur.

Responsio. Velle debet quu suum ius alteri ex iustitia. Respondet Doctor ex dictis *suprà quæst. 2. respons. ad 6.* quòd diligens bonum ex iustitia teneatur diligere illud ei, cui ex iustitia debetur, & cuius est; fama autem proximo debetur ex iustitia, quam ipse læsit, imponendo falsum crimen, fama autem propria in hoc casu, quo amittitur, restituendo alteri famam ablatam, per detrimentum propriæ famæ, quod incurrit reuocando dicta, ipsi non debetur, quia iniustè eam possidet: tenetur magis diligere famam proximo, resarciendo damnum, quàm sibi ipsi, cuius detrimentum tenetur facere. *Infamãs possidet iniustè propriam famam.* Et hoc ex duobus capitibus; tum quia mentitus est publicè, ex quo casu ipse ex natura operis se diffamauit, nempe vt mendacem, quia de tali mendacio notorietate facti, & in iudicio potest conueniri, & damnari. Ex secundo capite, quia per mendacium intulit calumniam, & dispendium famæ proximo; quod tenetur restituere per hoc medium, reuocando dicta coram eis, in quorum præsentia diffamauit; ideò non possidet famam iustè, neque potest præferre famæ iustæ alterius, quem iniustè læsit. *Exemplum.* Probat exemplo eius, qui publicè est fornicatus coram tribus, illi eum accusantes de illo crimine, non eum diffamant iniustè, quia ex natura actus iam quantùm est in se, incurrit læsionem dignitatis, & seruato Iuris ordine eum accusando coram iudice non incurrit damnum iniustè datum, sed quod debetur crimini. Sic in proposito casu, accusando se ipsum de mendacio coram iis, apud quos infamauit, ad restituendum alteri famam, non facit damnum famæ, nisi illud quod aliàs incurrit ex facto, aut infamatione alterius per tale factum, tenetur autem reuocare quod dixit, se ipsum accusando, quia aliter nequit restituere quod abstulit.

4 *Dubium. An sufficiat simplex reuocatio?* Dubium est si sufficiat ei simplex reuocatio cum assertione mendacij facti, dicendo se esse mentitum, & an ampliùs teneatur ad tollendam falsam opinionem de alterius dignitate adhibere testes, aut iuramentum. *Sententia quorundam.* Sotus *de Iustit. & Iur. lib. 4. quæst. 6. art.* 3. affirmat de hoc requiri. Nauarr. loco citato à Scholiaste, & Azorius 3. *part. lib. 5. cap. 6.* admittunt illam limitationem, quantùm ad iuramentum, non verò quantùm ad testes: quia hoc videtur istis durum: sed par est ratio: si enim ad vnum, ita ad alterum tenetur. *Resolutio.* Et ratio est, quia debet adhibere causam efficacem restituendi famam. Antiqui Doctores non descendunt ad has limitationes: sed dicunt eum obligari ad reuocationem mendacij coram iis, coram quibus diffamauit; loquuntur enim de casu, seclusis circumstantiis: nam infamia, quæ in opinione sola consistit, & innititur auctoritati, & veracitati infamantis per mendacium, nihil aliud ex natura rei exigit secundùm regulam prudentiæ, & iustitiæ, quàm vt dicendo sincerè contrarium eo modo, quo alij intelligunt, aut intelligere debent seriò retractari dictum ex affectu iustitiæ, & veritatis. *Retractatio simplex sufficit.* Quòd si opinionem aliorum nequeat in hoc mutare ex natura rei ampliùs non inhæret dictis eius, sed propriæ pertinaciæ, & leuitati aliorum. Cæterùm si iuramentum & testes necessarij sunt ad hoc vt credatur infamator seriò retractare, tunc vera est opinio modernorum; quamuis etiam hoc fortè non requiratur: quia secundùm prudentiam debent auditores iudicare, sicut in retractatione posset esse mendax, & fictus, sic etiam in prima assertione fuisse. Non est ergo ratio vnde magis credant infamationi, quàm retractationi; & quæcunque causa præsumi posset non credendi, eadem etiam adhibitis testibus posset in opinione eorum durare, si irrationabiliter sint increduli. Verum est ex natura confirmationis adhibitæ per iuramentum, & testes eos magis obligari ad dandam fidem retractationi; quia hæc in iudicio adiecto maiorem fidem faciunt, & exiguntur sæpè per modum confirmationis, & ex iis oritur obligatio maior credendi.

5 *Spectãda circumstantia.* Spectandæ tamen sunt circumstantiæ facti: si enim ille in prima assertione diffamatiua adhibuit iuramentum, & alia motiua credendi, ex quibus aliàs opinio, aut vehemens suspicio oriri possit, tunc tenetur ad retractationem congruam: nec sufficit ex natura rei sola retractatio, dicendo se falsum dixisse: quia etiam alias causas adhibuit de se sufficientes, ex quibus fama proximi læsa est, vel saltem reuocata in dubium. *Adhibere debet causam efficacem respectiuè.* Quid ergo faciendum? tenetur adhibere media tam efficacia tollendi damnum, quàm fuerunt illa, quibus illud causauit, & quibus adhibitis alij teneantur credere secundùm prudentiam, & æquitatem. Exempli gratia, si quis alium seduxit per falsam doctrinam, & apparentibus argutiis, tenetur non solùm retractare errorem, sed etiam destruere imposturam factam per media fallacia, & hoc secundùm iustitiam, vt omnes concedunt; ita & sufficit hìc ex natura rei adhibere illam satisfactionem læsæ famæ, quam iudex, & tribunalia imponunt: verum quidem est quòd retractatio facta ex sententia iudicis habeat maiorem auctoritatem, non solùm quia procedit ex potestate publica: sed quia seruato Iuris ordine censetur legitimè conuictus reus de calumnia, & mendacio. Adhibeat ergo media ex natura rei sufficientia, siue ex assertione, siue alio modo, & sufficit quòd media sint de se efficacia ad tollendum opinionem falsam de alio causatam, vt asserit Doctor in simili in litera proxima.

Dubium. Sed adhuc manet dubium, quia potest fieri vt quam

Quid sit quădo alij, & si credant non cõcipiunt opinionem pristinam de infamato?

quamuis ille retractando mutet opinionem falsam, quam ex priore assertione mendaci conceperunt alij, tamen possunt non concipere opinionem bonam, quam priùs habuerunt, & ille destruxit; sed manere suspensi: quia sicut illum aliàs, quem iudicarunt fide dignum, iam deprehenderunt ex propria assertione indignum fide, sic ex occasione huius deceptionis possunt dubitare de fide aliorum, à quibus bona opinio fuit impressa: ergo talis non abstulit per solam retractationem damnum, quod intulit proximo.

Responsio.

Respondetur eos teneri ad restaurandam priorem opinionem, sublato impedimento: nam imprudentis est, & temerarij iudicare omnes esse mendaces, si vnus mendax est: aliàs destrueretur fides humana, & debita consuetudo inter homines: neque possunt sine iniuria præiudicare alteri, de quo aliàs habuerunt bonam ex debita fide, & motiuo fundatam opinionem, iam sublato impedimento, & opinione contraria per sufficientem retractionem eius, & ablato fundamento erroneo.

Teneri auditores credere, & retinere priorem opinionem retractato mēdacio.

6 *Dubium. Ad quid tenetur infamia propagata apud alios.*

Dubitatur secundò ad quid tenetur quoad alios, ad quos talis calumnia diffamata peruenit, & bona fide relata fuit à primis auditoribus, apud quos diffamauit.

Responsio.

Respondetur; si ea intentione dixit, vt diffamaretur apud absentes, teneri ad restitutionem. Si etiam præuiderit ita fore, tenetur similiter. Si tamen sub secreto aliis id dixerit, & illi cum hac stipulatione exceperunt dictum, non tenetur ipse, sed alij tenentur: quia contra iustitiam alium diffamauerunt. Alij tenent in primo, & secundo casu eum non teneri: quia non fuit causa diffamationis apud alios, fortè inde, quia alij non poterant illud reuelare sine iusta causa; quamuis apud iudicem possint accusare, vel certè denunciare crimen. Dicendum fortè est attenta hac causa, & etiam in tertio casu omnes teneri in solidum, sicut omnes concurrunt ad damnum; auditores tamen non tenentur ad aliud, quàm vt calumniatorem, & reuocationem dicti factam dicant tertiis, quibus crimen impositum reuelauerunt; quod ipsis nihil nocet. Et in casu, quo calumniator aliis non indicaret veritatem, sed solùm primis auditoribus, hi possunt, & debent reuocationem eius aliis indicare, quibus ipsi crimen detexerunt, ea ratione qua ipsi non debebant contra Iuris ordinem crimen proximi ab vno auditum propalare, nisi in casu, quo crimen is imponeret, publicè, & coram multis in frequentia populi, ita vt iam ampliùs non posset esse secretum; tunc autem eadem publicitate facta sufficienter reuocatio de facili ad alios peruenit. Hæc omnia intelligenda sunt de eo, qui crimen imposuit cum damno famæ secuto: quia aliàs si ei non creditur, nihil abstulit, cuius restitutio obligaret, neque retractatione sui alium effectum induceret diuersum ab eo, quem priùs est operatus, quo ab aliis reputatur mendax.

Auditor infamans ad quid tenetur?

Limitatio.

Non nocēs ad nihil tenetur.

7 Hæc resolutio est communis modernorum, quamuis Adrianus *de restitutione famæ quæst.* 1. contrarium doceat, & Nauarr. in *repet. capituli Inter verba.* In *Manuali* tamen *cap.* 18. *num.* 43. sequitur communem: quam tenet Soto *loco citato ad* 4. Ledesma *in* 2. *part.* 4. *quæst.* 18. *art.* 2. *dub.* 3. *conclus.* 3. Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de Restitut. cap.* 4. *part.* 3. *dub.* 3. Salonius 2.2. *quæst.* 62. *art.* 2. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst. puncto* 4. & alij: Patet ex regulis generalibus, ex quibus quis tenetur ad restitutionem ex damno illato, non aliter. Peccauit tamen contra iustitiam mortaliter: quia quantùm est ex parte detrahentis, abstulit famam. Limitanda est hæc sententia quando aliàs non infert aliud damnum suspicionis, quia sic minuit famam, & bonam opinionem alterius; vel certè si periculum sit cum tempore talem detractionem nocituram, vt frequenter contingit, quia dat causam maleuolis, & æmulis, vt ex ea deducant æstimationem alterius in dubium, ideóque sanum consilium est, vt se retractet. *1. Limitatio.*

8 *Dubium. In casu obliti criminis.*

Sed quid dicendum sit in casu, quo alij iam obliti sint infamiæ causatæ?

Resolutio.

Respondetur, si ex toto exciderit, ita vt non sit periculum ne reuiuiscat (quod admodùm rarum est, nisi in casu mortis eorum, qui audierunt, & aliis non diffamarunt) eum non teneri ad restitutionem; tenetur autem quandocunque periculum timetur, cum tempore fore, ne inferat damnum.

Causa damni probabilis auferenda est.

Aliqui tenent contrarium, sed resolutio data est verior: quamdiu enim causa damni efficax subsistit, & cum tempore ipsum damnum prudenter timetur reuiuiscente causa tenetur qui causam dedit, & applicat, ex qua speratur damnum, vt eandem tollat.

Corollarium.

Ex his patet quid dicendum sit, quando diffamatus alia via per legitimam purgationem, aut probationem innocentiæ recuperauit famam.

Recuperata fama expensas soluat.

Respondetur non teneri detractorem, nisi præcisè ad damnum incursum ex detractione, vt si quæ factæ sunt expensæ, aut alia grauamina incursa ex priuatione famæ quamdiu viguit.

9 *De murmuratione.*

d *Et si quæratur: aliquis non imponit in publico,* &c. Hîc resoluit de eo, qui murmurat, vel indiscretè loquitur, vel tanquam ex aliis auditu sibi tamen incertum deponit de proximo ea, quæ detrahunt famæ eius. Dicit in primis, si consideratè hæc fecerit, & animo nocendi alteri, peccare mortaliter contra charitatem. Si inconsideratè, durum esse eum damnari peccati mortalis: nam licèt materia sit grauis, inaduertentia tamen minuit peccatum, & voluntarium in opere: nam *qui verbo non offendit, hic perfectus est vir,* &c. Non peccat contra iustitiam, quia non posuit causam sufficiētem infamandi alium ex natura operis, licèt contrarium acciderit ex leuitate audientium, aut praua dispositione, & alienatione animi ab eo, de quo loquitur, aut certè prona inclinatione ad iudicia temeraria, & suspiciones. Doctorem sequitur Caietanus 2.2. *quæst.* 73. *art.* 3. Nauarr. *in Manuali cap.* 18. *num.* 48. Adrianus *de restitut. famæ in fine.* Syluester *ver. Detractio.* Lessius *de Iustitia & Iure lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 5.

Peccatum cōtra charitatem.

Inaduertentia excusat.

Non peccare contra iustitiam.

Limitatio.

Limitat Doctor casum, vt quando ex modo dicendi adhibetur maior certitudo; vt si dicat se audiuisse ex fide dignis, & huiusmodi, afferendo alia motiua, ex quibus præsumptio oriri potest: quia tunc tenetur ex iustitia restituere: quem sequuntur præfati. Sed Sotus reprobat resolutionem priorem: quia fama crescit eundo, & nimia libertas datur nocendi ex tali resolutione.

Obiectio.

Soluitur.

Respondetur crescere non ex causa data, quæ ineffi

inefficax fuit ad causandam fidem, sed ex vitio aliorum; neque libertas datur murmurandi: quia est peccatum contra charitatem, dando aliis sine necessitate vlla causam lapsus: quamuis contra iustitiam non peccetur, aut auferatur fama ex natura actus, nam radix restitutionis est ablatio iniusta alienæ famæ per causam in re sufficientem ex natura causæ.

10 Sed quid si animo nocendi hæc faciat?

Quid si animo nocendi murmuratur. Responsio. Teneri ex iustitia ad dãnum.

Respondetur iuxta ea, quæ superiùs resoluta sunt de impediente beneficium, eum peccare contra iustitiam, & teneri ad damnum, licèt non ad restitutionem famæ, nisi inquantùm est necessarium medium resarciendi damni, quod ex dictis suis præuidit secuturum, & intendit: verbi gratia, apud tumidos, & temerarios retulit se audiuisse Titium in ipsos aliquid subdolè machinari, præuidens hinc ipsos excitandos, vt Titium concipiunt inimicum, ac proinde aliquid in ipsum machinaturos, in eo casu intendit per se malum Titij, & applicauit causam sufficientem ex intentione effectus: quòd sufficit ad iniustitiam ratione damni accepti, & intenti per se. Sic dicerem etiam de ipsa infamia causata, quia licèt simpliciter taliter relata non sunt ex se causæ sufficientes, tamen vt subsunt intentioni iniustæ, quæ per illa hîc, & nunc tanquam media electa ad finem reducitur in effectum, ipsa intentio completur causa proxima iniustæ infamationis. Videantur quæ ibi dicta sunt *quæst.* 2. Dixi eum non obligari ad resarciendam famam: quia non intendit infamiam per se, sed damnum præsensum, quod adhibita fraude causauit, in re autem non intendit infamiam, neque per se sufficientem causam applicuit: sed intendit commouere animos aliorum in alterum per illud remedium. Exemplo declaratur: si quis dicat furi pecuniam alterius seruari in tali loco absque diligentia, cum intentione nocendi, præuidens furem ablaturum illam pecuniam, est proditor rei alienæ, & tenetur ad restitutionem: si tamen hoc dicat non præuidens damnum, neque intendens, neque debens præuidere, non tenetur ad damnum: ita in proposito; nam licèt tale dictum aliàs non sit sufficiens causa ablationis rei alienæ, aut nocumenti ex se, tamen vt applicatur ad furem cum intentione nocendi, est causa proxima, & efficax, ex qua damno secuto tenetur tanquam proditor rei alienæ. Sic qui refert hostibus ciuitatem in aliquo loco negligenter custodiri, est proditor ciuitatis: casus autem vt explicatur à Doctore, intelligitur absolutè, & sine his circumstantiis, vt communiter contingit in praxi. Aliud exemplum potest adduci de eo, qui consilium dat maleficij, instruendo simul de modo, quem malefactor nesciuit, quamuis reuocet postea consilium, & aliter renuat morem gerere, sed applicando modum operatur damnum alterius, quod aliàs ignorato tali modo non fecisset. Tenetur prior ad restitutionem, non obstante reuocatione consilij, & dissuasione facti: quia ratione instructionis dedit per se causam maleficij licèt captatam ex propria malitia malefactoris. Eodem ergo modo in casu nostro præuidens damnum secuturum, & illud intendens per medium efficax in his circumstantiis, & dispositione aliorum, per se causat damnum, quia sermones operantur iuxta naturam, & capacitatem auditorum.

Intẽtio damni cum causa sufficienti in re.

Non tenetur ad resarciendam famam, sed ad damnum.

Prodens rem alienam furi cũ animo nocendi tenetur.

Instruens de maleficio perpetrando.

Sed quid dicendum si aliquis bona fide diffamauit alium, putans crimen esse verum, & publicum, an resciens suum errorem, teneatur ad restitutionem? Aliqui negant eum ex iustitia teneri; teneri tamen ex charitate. 11

Infamans bona fide ad quid tenetur?

Respondeo tamen veriùs teneri ex iustitia, quia licèt bona fide infamauerit; tamen cùm resciuit errorem, tenetur restituere quod abstulit, aliàs in retentione erit iniustus, licèt acceptio fuerit non iniusta, excusante bona fide: sicut qui rem alienam bona fide occupauit, postea sciens esse alienam, tenetur eam restituere; sed quid de damno inde secuto? Respondetur, si damnum fuit illatum, quamdiu ipse possedit bonam fidem, eum non teneri ad restitutionem: si tamen fuerit illata ex causa infamationis: si, verbi gratia, infamatus priuatus beneficio, aut officio, & huiusmodi, & infamans in mala fide perseuerauit ante damnum illatum, tenetur ad restitutionem: quia fuit in mora contra iustitiam. Dicerem eum teneri cum suo incommodo ad damnum, quia simpliciter in re, & intentione tenebatur restituere famam, & præuenire damnum alterius; licèt quidam doceant contrarium: qui putant in hoc distingui auferentem famam iniustè, ab eo, qui non iniustè eam abstulit, quòd ille etiam grauissimo incommodo teneatur restituere: hic verò non. Sed distinguendus est casus, quia si damnum incursum, fit ratione ablationis, tunc vera est differentia adducta inter vtrumque: sed si damnum fit incursum ratione moræ, & iniustæ retentionis, tunc retinens est per se causa damni, & tenetur de damno. In proposito autem casu sic supponitur: imò nequit non inferre damnum alteri priuato: verbi gratia, beneficio, donec restituatur saltem ei fama, quia infamia continuata perinde ei nocet, ac causata, cùm eumdem semper effectum inducat, quantùm ad iacturam famæ, & fama læsi semper sit penes ipsum, quantùm ad damnum datum, & potestatem restituendi.

Responsio. Ex iustitia teneri.

Quando tenetur ad damnum?

Iniusta retẽtio æquiparatur ablationi iniustæ.

SCHOLIVM.

Qui imposuit publicè verum crimen occultum, non debet dicere se fuisse mentitum, sed quod malè dixit, vel fatuè, vel quid simile, quo satisfaciat. D. Thom. 2. 2. quæst. 62. artic. 2. ad 2. Gabr. hîc quæst. 15. art. 2. Angel. v. Detractio, *num. 3. Syluest. quæst. 4. Sotus 4. de iust. quæst. 6. art. 3. ad 4. Nauar. cap. 18. num. 45. Si dicas quòd ingeniosi statim capient æquiuocationem, idem etiam dici posset, si secundùm aliam sententiam, oporteret infamantem dicendo verum, se retractare. Adde sic infamantem teneri ad damna infamati. Petr. Nauar. lib. 2. c. 4. num. 443. Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 20.*

4 *Referés verum crimen occultũ non tenetur retractare, ad quid ergo?*

DE [e] secundo dico, quòd non tenetur retractare verbum suum, quod proposuit in publico, quia hoc faciendo mentiretur, cùm sciat illud, quod proposuit, esse verum: & non tenetur mentiri propter quodcumque bonum reddendum alij: sed tenetur alio modo licito reddere sibi famam, vtpote per huiusmodi verba: non credatis eum esse talem: malè enim dixi, & fatuè dixi: & hæc quidem vera sunt; malè dixi, fatuè dixi, quia non seruato ordine Iuris: proposui etiam in publico, quod non est verum publicum: & persuasio ista, *non reputetis istum malum*, bona est; quia quilibet præsumendus est bonus, donec probetur contrarium, iuxta illud Extrà de scrutinio in ordine faciendo cap. vnico, *Humana fragilitas illum, quem indignum esse non nouit, dignum debeat æstimare:* sed iste non est probatus malus coram istis: ergo bonum est persuadere eis, quod ipsi non reputent eum indignum, nec malum.

COMMENTARIVS.

12 *Secũdus modus infamandi in genere. Imponens crimen verum non potest mẽtiri retractando.*

e DE *secundo dico, quòd non tenetur retractare*, &c. Secundus modus est infamare alium per impositionem criminis veri, sed occulti. Dicit ergo Doctor eum non teneri mentiri, cùm sciat esse verum, quod dixit, quia peccaret, & nemo ad restitutionem cum damno animæ tenetur: tenetur tamen alio modo licito persuadere, ne ipsi credant: verbi gratia, dicendo malè dixi, fatuè dixi, huiusmodi enim vera sunt: quia contra Iuris ordinem dixit, & proposuit in publico, quod non erat verum publicum. Hæc est sententia communis antiquorum. S. Thomæ *quæst.62. art.2. ad 2.* Alensis *suprà.* Gabriel. *in hac dist. quæ.16. art.2. concl.3.* Ledesma *art.2. dub.3. vbi suprà.* Nauarr. *cap.18. num.45.* Aragonij *in 2.2. quæst. præfata, art.2. in solut.2. notab.4.* Bartholomæi Medinæ *lib.1. Instruct. Sacerdotum, cap.14.* Angeli *verb. Detractio, num.3.* Syluestri *quæst.4.*

Modus restituendi famã, ad quem tenetur.

Secũdus modus restituendi laudando.

Aliis hic modus restituendi non censetur efficax, ita Caietan. Sotus, & alij, vt Nauarr. & Petrus de Nauarr. *lib.2. de restitut. c.4. part.3. dub.5.* Salon. quia apud eruditos magis confirmat veritatem dicti, nempe scientibus crimen falsum deberi retractari cum infamatione suiipsius, dicendo se mentitum fuisse, licèt apud rudes, & simplices fortè sufficeret. Addunt debere eum non mentiri; sed nihil aliàs de tali crimine dicere, & personam apud omnes laudare.

Reijcitur vt inefficax.

Hic etiam modus minùs efficax est, quia perinde prima infamia incursa apud omnes, & potiùs censebunt hominem vanum esse, & imprudentem, quia laudat eum, quem criminosè diffamauit apud eosdem, nulla facta retractatione: laudare tamen, adminiculum est retractationis factæ priori modo.

13 *Tertius modus obligari vt se dicat mendacem.*

Tertius modus est, debere se retractare, dicendo se mentitum fuisse, quia dixit in publico crimen de alio, quod non fuit publicum, licèt in re ipsa verum erat veritate rei. Hunc modum tenet Salon. citatus, & Petrus de Nauarr. Ille citat pro eo Canum, & Magistrum Mansium. sequitur Valentia *suprà* citatus. Molina *tractat.4. disput.44.* Probabiliorem censet Lessius *cap.20.* Quod patet etiam ex Doctore in litera, vbi dicit, quòd is proposuit in publico, quod non est verum publicum, quia neque euidentia Iuris facti, vel famæ, fuit publicum: tum quia sic potest respondere confessor interrogatus: sic etiam reus respondere potest se non fecisse crimen interrogatus in iudicio, si aliàs fuit occultum: & probari nequit. Sic etiam iudex damnans innocentem, qui ex allegatis, & probatis conuincitur, dicit eum esse criminosum; quamuis scientia priuata nouit eum esse insontem: ergo hoc sine mendacio dici potest per æquiuocationem. Hoc dato, est efficax medium & optimum: ergo ad illud tenetur, cùm sine mendacio id affirmare possit.

Exempla de alijs.

Respondetur tamen primum modum esse seruandum, quia est communis sententia, & probatur ratione Doctoris: quia siue apud prudentes, siue apud rudes per talem modum sufficienter satisfacit, & retractat dictum, quia ipsi tenentur habere bonam opinionem de alio, donec ex sufficienti fundamento constet de opposito, & probetur: eo autem ipso, quo alter non inhæret dictis, sed ea damnat tanquam indiscretè dicta, nullum est fundamentum conseruandæ opinionis primæ, iuxta illud *Extra de iudicio in ordine faciendo, cap. vnico: Quem indignum esse non nouit, dignum debeat æstimare*, &c. Si ergo dicenti malè de aliquo fides adhibeatur ex authoritate sola illius, ita etiam seriò dicenti non esse credendum malum de eo, & se inconsideratè locutum, vel fuisse deceptum, similiter adhibenda est, maximè cùm iustitia, & charitas ad hoc obliget; ad illud autem non ita: quia sicut vnus testis non facit fidem in iudicio, aut sufficientem probationem, nisi sit omni exceptione maior, ita etiam neque accusator, nisi probet quod deponit. Ergo etiam neque in iudicio priuato ex relatione vnius debet formari iudicium in detrimentum bonæ opinionis (quæ ex pluribus aliis probationibus, & motiuis subsistit,) saltem ex vlla obligatione, qua tenentur audientes credere dicenti, & quod amplius est retractanti suum dictum: nam cùm videant eum imponere alteri contra iustitiam peccatum occultum, & in hoc peccare grauiter contra iustitiam: sic etiam secundùm iustitiam præsumere magis debent eum ex passione mentitum, quàm verum dixisse. Præsumere etiam possunt, & prudenter, eum hoc modo retractare ex quadam modestia, aut pudore, quo famæ propriæ magis parcat, ne dicat expresè se mentitũ fuisse, quàm ex conscientia criminis alieni non velle mentiri. Præsumere etiam possunt, quòd ea sit opinio eius de probitate ipsorum, vt putet illam retractationem sufficientem esse, ex qua ipsi tenentur reuera opinionem prauam de alio deponere, si quam conceperunt ex ipsius solius relatione priori, cui vident eum non constare.

14 *Primus modus restituendi, sine mendacio sustinetur.*

Auditores teneri acceptare talem satisfactionem.

Obligat iustitia, & charitas.

Retractanti debetur fides.

Præsumptio stat pro retractione tali.

Secundò

15 Secundò probatur sufficientia huius retractationis. Crimen occultum alicuius reuelare vni, aut alteri, quibus perinde est dicere quantùm ad publicam infamiam ac si nulli diceretur, non infert notabile detrimentum famæ alteri, neque dicens tenetur ad restitutionem, cùm non transit inde in publicum, neque sequitur aliud detrimentum. Hoc tenet Caietanus *qu.73.art.2.* Nauarr. *cap.* 18. *n.* 33. Corduba *tract. de detract. qu.2. conclus.* 5. Lessius *cap.* 11. & alij, quos alij sequuntur, vt Petrus de Nauarr. *lib.2.cap.*4. quia neque confitens peccata Sacerdoti, aut explicans personam complicis ex necessitate integræ confessionis ob circunstantiam, censetur detrimentum famæ facere sibi, aut alteri, quod sit notabile.

Secunda ratio. Crimen reuelare vni, aut alteri non infert notabile detrimentum secũdùm aliquos.

Confessio personæ cõplicis non grauat notabiliter famam.

Responsio.

Si dicas obligari ex præcepto particulari confessionis, vt se infamet apud sacerdotem, & etiam complicem, quæ sicut consensit in peccatum, ita etiam renunciat iuri suo.

Impugnatio.

Contrà, eodem modo sicut peccans publicè ex natura actus de se notorij, etiam iuri suo cessit, quantùm ad famam in publico, ita vt diffamàs eum de tali, non teneatur ad restitutionem; sic etiam peccans in occulto renuntiat suæ famæ in occulto, quando peccat alio conscio: si ergo is seruet quidem peccatum in occulto, vt non publicetur, si illud communicat modo, quo non possit, neque timetur venturum in publicam notitiam, non violat ius alterius, ita vt teneretur ad restitutionem ei faciendam: quia eo ipso videtur renunciare famæ in occulto, quo peccauit alio conscio, & maximè si sit ratio sufficiens communicandi illud peccatum aliis, qui secretum tenebunt, vt si inde commodum aliquod notabile sequatur ipsi, aut aliis, aut submoueatur occasio relapsus.

Peccans alio conscio renũciet famæ in occulto.

16 Confirmatur, quia hoc ordine procedit correctio fraterna, vt quis inter se, & alterum eum corripiat de peccato. Deinde adducendo testes, quibus necessariò cũmunicatur peccatum eius, & adhuc manet occultum, & censetur manere, neque committi iniuriam alteri, quamuis communicetur sic peccatum eius: neque communicans tenetur ei restituere famam, cuius ius perdidit peccando occultè, quantùm ad famam in occulto.

Ordo correctionis fraternæ.

Hoc ergo supposito sic argumentor: retractatio facta modo *suprà* expresso reducit peccatum alterius ad statum peccati occulti: quia auditores tenentur ex iustitia, & charitate non deducere illud ampliùs in publicum; quia non subsistit fundamentum deducendi in publicum peccati, nisi dictum alterius, quod sufficienter est reuocatum illo modo: vnde si peccatum ab audientibus deducatur in notitiam aliorum, tenentur ad restitutionem famæ alterius, & peccat contra iustitiam, & omne damnum est ex ipsis: ergo ille modus est sufficiens, quia alter non tenetur de infamatione, nisi solùm de publica, quam sufficienter reuocauit.

Retractatio facto modo dicta reducit peccatum ad statũ occultũ.

17 Præterea tertiò. Hæc infamatio de crimine vero est contra iustitiam tantum, inquantum est contra Iuris ordinem; sed peccatum contra iustitiam ex hoc capite duntaxat, non inducit obligationem tantam, quantam inducit peccatum contra substantiam iustitiæ, auferendo iniustè quod est alterius, vel damnificando ipsum contra iustitiam: ergo alia est satisfactio per se requisita, & correspondens iustitiæ in substantia læsæ, & læsæ tantùm in modo, aut contra Iuris ordinem: quia potest illud peccatum denunciare superiori tanquam patri, seruato ordine charitatis, vel eidem tanquam iudici, seruato ordine iustitiæ, modò probari possit; & in eo casu non obligatur alteri ad restituendam famam: ergo eatenus præcisè tenetur, quatenus iniuriam, aut damnum intulit contra Iuris ordinem: ergo restitutio debita est diuersæ rationis, & æstimationis, quàm sit restitutio facienda ex impositione falsi criminis: sed hæc restitutio rigorosa, & vltima, quæ debet in hoc casu dari, est reuocare dictum, asserendo se esse mentitum, infamando seipsum ex qualitate delicti, seu iniuriæ, & damni dati: ergo hæc non debetur infamato solùm contra Iuris ordinem: sed alia minoris æstimationis: hæc autem minoris æstimationis, proportionata tamen iniuriæ factæ, est reuocatio dicti, vt erat contra Iuris ordinem, prout completè fit eo modo, quem præscribit Doctor, & antiqui: ergo ad illum tenetur solùm de stricto Iure.

Tertia ratio. Infamatio de crimine vero est tantùm contra Iuris ordinem.

Alia satisfactio debita iustitiæ in substãtia læsæ, & læsæ tãtùm contra Iuris ordinẽ.

Denunciari potest peccatũ occultum, & quomodo?

18 Ex his patet ad fundamenta secundi modi, & etiam ad fundamenta tertiæ opinionis: quia quidquid sit, an ipse tum mentiatur in re cum tali æquiuocatione, mentitur in opinione aliorum, ad quod non tenetur, & sine necessitate est prodigus suæ famæ: imò hæc libertas æquiuocandi, & decipiendi alios, non temerè debet admitti, neque trahi in praxim, quia destruit societatem humanam, & multum detrahit fidei, & sinceritati hominum, & etiam securitati in contractibus, in iudiciis, & aliis commerciis, & in reipsa plurimùm posita in vsum, eadem penè damna infert, quæ inducit mendacium, quantùm ad deceptionem: quia perinde inducit mendacium apparens errorem in audiente, ac mendacium reale, quia eundem conceptum in audiente vtrumque causat, & perinde tollit securitatem audientis, & authoritatem dicentis apud alium, si ei expertum sit talem per verba æquiuoca, ex mera intentione fallendi, solere illudere, & decipere: quamuis enim quis non semper dicat veritatem, neque expediat dicere, alia via tentanda est, quàm vt verbis contra communem sensum, & vsum sermonis abutamur. Quod videtur contra iustitiam, quia per fraudem alius seducitur in errorem, cuius causa per se est instrumentorum communium, aut signorum, quæ necessaria sunt, & à Deo data ad conseruationem societatis inter homines, & communicationem fallax assumptio contra illud, quod per se, & in rigore significant ex communi sensu; & quod peius est ex animo decipiendi, & seducendi alium in errorem.

Solutio ad fundamentũ secundi modi dicendi.

Æquiuocatio sine necessitate damnanda.

Eius incommoda.

Æquiparatur mendacio.

Non tenetur quis semper dicere veritatem.

Tenetur per se non decipere.

19 Quoad me pertinet non minùs crederem mendaci, quàm assueto æquiuocationibus, non damno tamen in causa necessitatis, vt plures docent, quandoque vti his: sed damno abusum, & consuetudinem. Et quamuis non sit peccatum non dicere alteri veritatem quandoque, quia nec habet ius inquirendi eam, neque tu dicendi obligationem, videtur tamen habere ius, vt per te non decipiatur per se per impressionem erroris applicando verba, & ita coniungendo, vt ex rigore sermonis faciat sensum erroneum, quem loquens videt concipiendum ab audiente. Quòd si casus necessitatis, nocumenti grauis, aut præcepti vrgeat, ità vt alter ex taciturnitate grauius aliquod incurrat peccatum, tunc potest

Causa per se, errorũ.

Aequiuocatio tanquam minus malum in casu permittitur.

quis æquiuocare, non ea ratione, qua hoc semper liceat, sed quia inter extrema mala, in quæ alter est lapsurus in tali dispositione animi, quæ aliter nequit, aut aliis mediis emendari, minus malum potest consuli, & permitti. Hæc dixerim sub correctione meliùs sentientis, ne quis ex frequenti vsu, & libertate reseruationis mentalis, & deceptione vocali fidem suam, & authoritatem prostituat, aut fallaciis, & fraudibus contra Iura Gentium, & naturæ locum præbeat: quia puto graue esse delictum, & contra iustitiam. Adde quòd difficulter saluari posset mendacium, quin committatur in opere, quia signi vsus secundùm communem acceptionem, & institutionem est naturalis, & solùm permissus. Vnde si quis vteretur signo in re contra communem significationem, sicut Ioab, & Iudas osculo, quod est signum amicitiæ ad circumueniendum alios, cõmittet deceptionem in opere. Ergo similiter committit deceptionem in voce, qui vtitur verbis contra eorum significationem, seclusis aliis circunstantiis: ex quibus fallacia deprehendi posset; committit, inquam, non solùm deceptionem, sed etiam mendacium; quod est contra mentem ire, quæ supponitur significari per sermonem, quod passim non licet: neque valet consequentia illa in speculatione, aut praxi: aliquando licet æquiuocare: ergo semper.

Committere mendacium aliquo modo in opere.

Excluditur instantia de reo interrogato à iudice, quando crimen non probatur.

Neque contrà facit casus de reo, & iudice: quia ille respondet prout interrogatur in foro externo: & hoc ex circunstantiis patet: quia respondet in iudicio, & tenetur iudici tantùm, quantùm ad id, ad quod sua potestas extenditur in ordine ad crimẽ, quod publicè probari potest. Iudex etiam, cùm iudicet secundùm datam potestatem, vt persona publica, respicit veritatem legis, cuius materia est crimen secundùm allegata, & probata; vt deducitur ad forum, in quo cognoscit de crimine.

20

Excluditur etiam casus, quo interrogatus confessarius negat crimen confessum sibi.

Alius casus de confessore sic interrogato ob naturam Sacramenti, & secreti sacramentalis; aut sigilli illicitè & iniustè interrogatur, si videt damnum secuturum ex sua taciturnitate, nisi neget crimen sibi confessum, tunc minus malum, nempe deceptionem alterius eligere potest, qui sua culpa decipitur: & ex circunstantiis, aut natura materiæ, debet alter prudenter iudicare confessarium non dicere ei veritatem rei, neque posse dicere. Vnde dicendo crimen se non audiuisse in confessione, debet præsumere etiam eum vti reseruatione, & signo cum tali reseruatione, & sibi imputanda est deceptio: non inde sequitur fundari talem præsumptionem in quibuscunque occasionibus, in quibus interrogatus non velit dicere veritatem, quia hoc modo omnes mendaces se excusarent, prætendendo reseruationem mentalem. Sed hoc ad aliam materiam spectat examinare: nunc quo ad casum, de quo disputatur, sufficit quòd infamator criminis occulti nulla in re obligetur ad præfatam retractationem, dicendo se mentitum fuisse, imò meo videri, si ad aliud tenetur, meliùs diceret se fuisse æquiuocatum ad deceptionem aliorum ex ludo & artificio: & quandoque ex natura rei admonetur sufficienter audiens non intendi dici veritatem, neque debere dici: ergo licet semper, & passim æquiuocare, non valet consequentia, sicut non valet hæc: potest quis cum defensione inculpatæ tutelæ occidere: ergo semper, & passim occidere, non in defensionem.

Petes vtrùm qui de vno, aut altero crimine est infamatus in publico, possit infamari publicè de alio crimine. 21

Dubium. An alias infamatus de vno, posset etiam de alio infamari.

Respondetur à quibusdam, si crimen est per se connexum aliis, de quibus est infamatus, posse infamari sine peccato: si tamen est aliud diuersum, non licet. Quantùm ad secundum, resolutio est communis Doctorum, & patet ex dictis. Quantùm ad primum, dicendum est simpliciter, si augeatur infamia delicti commissi peculiari ordine, & modo, vel ex alio crimine etiam connexo, non licere eum infamare: verbi gratia: si quis est infamatus de homicidio tantùm, non licet eum infamare de proditione facta, qua incautum occidit, aut de nimia crudelitate, neque etiam de nimia continuatione criminis, aut frequentatione; si tamen media sunt ordinaria, aut circunstantiæ communes, verbi gratia: litteræ, & munera inter solicitandum mulierem ad lapsum, hoc licet dicere secuta infamia ad effectum.

Resolutio negatiua.

Circunstãtia extraordinaria non sunt prodenda.

Petes secundò vtrùm qui infamatur in vna ciuitate, aut loco, adhuc retinens in altero famam suam liceat eum ibi infamare? 22

Dubium an liceat infamare infamatum vbi non est nota eius infamia.

Respondetur: si est infamatus publicè notorietate facti, aut Iuris, non videtur contra iustitiam eum alibi diffamare, quia in primo casu videtur suæ famæ renuntiasse; in secundo per sentẽtiam ea priuatus. Videtur id sentire Doctor in primo membro huius quæstionis, quando, verbi gratia, quis publicè commisit peccatum fornicationis, ex natura actus se priuasse sua fama. Sequitur Caietanus *Opusc. 31. responsione 9.* Nauar. 18. *n. 26.* quantùm ad infamiam ex sententia iudicis, hoc est clarius, quia illa pœna est, quam lex inducit.

Responsio. Non esse cõtra iustitiam.

Cæterùm intelligẽdum est hoc, quando aliud damnum diuersum non sequeretur ex tali infamia alibi, & quando alius non recuperauit famam suam, seipsum emendando: quia putarem peccatum esse contra iustitiam, & charitatem eum diffamare, vbi acquisiuit nomen bonum. Sicut si quis furatus rem alienam, & mox restituens, si eandem emerit, denuò non potest ea priuari iniustè, quia facta est sua per contractum, quam aliàs illicitè contrectauit. Deinde ille rationabiliter est nolens famam, quam recuperauit, amittere: ergo nequit ipsi auferri: debetur enim ei, & habet possessionem facti fundatam in Iure, quod emendatus acquisiuit.

Limitatio.

Non licet, si recuperauit famam.

Exemplum.

Sic etiam potest quis reuelare peccatum occultum alicuius, inquantùm est necessarium ad impediendum notabile damnum proximi: vt verbi gratia, si aliquem scio furem, possum admonere eos apud quos habitat, vt rebus suis caueant. Sic etiam de medico imperito, ne eius imperitia noceat aliis, qui putent eum peritum. De aduocato, & aliis. Sotus libro 5. *de Iustitia & Iure quæst. 7. art. 7. art. 1.* Nauar. *loco citato.* Ratio est, quia alter non habet ius famæ suæ cum detrimento, & notabili damno innocentis. Si alia via impediri posset damnum, tum parcendum est famæ alterius. 23

Potest defectus occultus reuelari, si ex taciturnitate timeatur dãnum notabile proximi.

Infamia Iuris incursa per delictum, cui hæc pœna in specie annexa est, quid sit, & quid operatur ante sententiam.

De infamia Iuris quid operatur ante sẽtentiam.

Respondetur illam esse, quando lex dicit authorem talis, vel talis sceleris esse ipso facta infamem. Vt si quis simul contrahat cum duabus, & si

Responsio.

Si occultum est crimen, nõ debet publicari.

Si notorium, potest ante sententiã expelli.

Senẽtia lata infamia retrotrahitur ad tempus cõmissi criminis.

& si exigat vsuras vsurarum: si quis filias, aut neptes prostituit, & huiusmodi. In hac infamia cognito crimine tantùm in occulto non licet eum propalare, aut ipsum infamare in publico: quando tamen notum fit, potest ante sententiam declaratoriam iudicis expelli, & lata sententia retrotrahi infamia ad tempus sceleris commissi: quia ipso facto iure incurritur, & ab eo tempore censetur inhabilis ad officia, & beneficia. Si tamen sit periculum maioris damni, & notabilis, potest etiam crimen eius in publicum trahi, quãuis aliàs fuerit occultum. Et idem dicendum de eo, qui acquisiuit famam fictis virtutibus, & simulatione, quando periculum subest inde damni: nempe deceptionis notabilis in aliis, quæ inferret eis damnum, aut certe periculum æstimationis bonorum, ne in dubium vocetur, vt sæpe contingit, deprehensa simulatione alterius. Plures alij casus ex his soluuntur, in quibus licet crimen occultum alterius publicare, quando damnum notabile sequeretur sibi, aut aliis ex eius occultatione: quia & charitas, & iustitia non fauent maleficio in damnum innocentis: neque tollunt potestatem eum defendendi ei, qui damnum eius præuidet, & potest impedire, ad quod nullum ius habet criminosus.

Limitatur ad casum damni ex taciturnitate.

Crimẽ occultum in casu damni reuelandum.

Iustitia non fauet criminoso in præiudicium innocentis.

SCHOLIVM.

Negantem crimen verum occultum, in publico sibi impositum, non teneri se retractare, quia ius suum tuetur, donec iuridicè interrogetur, id est, à legitimo iudice, præcedente semiplena probatione: de quibus constare debet reo, ex D. Thom. 2. 2. quæst. 69. art. 1. & 2. Quod ait Doct. teneri talem ad aliqualem restitutionem accusanti, est tantùm consilium charitatis, quia pòst docet eum non peccare contra iustitiam, vel veritatem, negando in publico, quod commisit in occulto: in quo admittit licere æquiuocare, quando iniustè interrogaris, & cogeris ad respondendum. Quod docet D. Thom. 4. dist. 21. quæst. 3. Sancius citans multos 3. in Decal. cap. 6. Molin. tract. 4. disp. 44. Suar. tom. 2. de relig. l. 3. de iurament. cap. 10. & communis. Vide 3. dist. 38. Schol. vlt. Si tamen interrogatus iuridicè neget crimen, tenetur restituere famam, & damna accusatori, D. Thom. 2. 2. quæst. 69. art. 1. vbi Salon. art. 2. Controu. 10. colligitur ex Scot. hîc ad 2. Sotus de teg. secreto m. 2. qu. 7. Nau. c. 25. n. 36.

IN tertio [f] membro dico similiter, quòd non tenetur retractare negationem suam, qua negauit in publico verum crimen sibi impositum: quia non tenetur quicunque statim in iudicio confiteri se reum nondum conuictus: tenetur tamen per quædam verba sobria, vt dictum est in proximo articulo, restituere famam illi accusanti quem indirectè notauit de calumnia; dicendo non habeatis eum pro calumniatore, quia credo quòd habuit bonam intentionem proponendo, vel fortè se credidit probare intentum suum, & deceptus fuit. 5

Sed de illo, qui negat tale crimen verum, sed priuatum, in publico sibi oppositum, nunquid peccat mortaliter? Videtur quòd sic, quia mentitur, & quidem mendacio pernicioso, & Reipublicæ, quia Respublica propter eius mendacium publicum impeditur à punitione eius iusta; & personæ accusanti, quia per hoc notatur de calumnia. Respondeo, *iustè, quod iustum est, exequeris*, Deuteron. 16. non ergo Respublica omnia mala debet punire: sed quæ cum hoc, quòd sunt punienda, potest ista potestas iustè punire: talia autem sunt, quæ coram iudice sæculari sufficienter possunt probari: & ideò non læditur Respublica, si diuinum iudicium excedat iudicium eius, vt aliqua reseruentur diuino iudicio, super quæ non potest esse iustum iudicium Reipublicæ: quia *homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16.

Potestas humana nõ potest punire nisi quæ probari possunt.

Per hoc patet ad obiectionem, cùm dicitur, quod est contra Rempublicam: & cùm dicitur, quòd est perniciosum contra accusantem. Dico quòd non est verum, sed ipsemet est sibi perniciosus, qui eo modo proponit, quo non deberet proponere: imò deberet non proponere; & ideò imputet sibi, si aliqua infamia sequitur, quia ipse est causa; non autem ille negans, quia defendit innocentiam suam in publico, vbi non est nocens, nec habendus est pro nocente, donec fuerit conuictus.

Accusator non potens probare, est sibi perniciosus, quia causa suæ infamiæ.

Sed remanet difficultas, si peccat mentiendo pro se? Durum videretur, quòd quilibet accusatus in publico ab vno statim teneretur de necessitate salutis in publico cõfiteri illud, & sic statim exponere se patibulo in iudicio sanguinis. Sed habendo oculum non tantùm ad pœnam, sed ad honestum, & inhonestum, non apparet, quòd iste honestè, & secundùm rectam rationem debeat confiteri coram tali iudice: quia ipse plusquam quicunque alius accusans singularis auferret sibi famam, quia confitenti contra se in iudicio creditur. 6

Quid ergo? Cauta est responsio Iuristarum, nego proposita vt proponuntur: & hæc quidem sine mendacio possunt dici in proposito, quia proponuntur in publico, & vt publica, & publicè probanda: sic autem negare ea potest quis, si scit ea non posse probari in publico. Quòd si iudex vrgeat eum, vt confiteatur propositum, vel vt

Cauta responsio Iuristarũ nego proposita, vt proponuntur.

vt publicè neget? Respondere posset, quòd ipse respondit sufficienter ad accusationem, & sicut est modus Iurisperitis respondere; nec ab illa responsione vult declinare, faciat iudex erga accusantem, quod Iuris est.

7 Sed [g] nunquid si neget, intendens tamen negare illud vt propositum est, scilicet vt publicum, sicut Sacerdos facit de confesso, dicens nihil mali scio istum fecisse, quia loquitur vt in publico, audiuit autem in alio foro, nunquid tenetur iste qui negauit de illa negatione pœnitere? Respondeo, *bonarum mentium est culpam agnoscere, vbi culpa non est*, dist. 5. *Ad eius*: & intitulatur Gregor. & ideò multò magis vbi dubitatur, an sit culpa, & qualis culpa, bonæ mentis est culpam agnoscere: & ideò in tali casu tutum est post talem negationem pœnitere indistinctè de hoc, tanquam de tali quale est, vtpote sub tali indistinctione, si mortale tanquam de mortali, si veniale tanquam de veniali.

Sotus 4. de iustit. q. 6. a. 3. ad 4. ait esse veniale. Doctor non putat esse, tamē ait in omnē euentum tutum esse pœnitere, quia res non est omnino certa.

Ad [h] argumenta. Ad primum patet ex isto tertio articulo.

Ad argum. Negans in publico quod commisit in occulto ad nihil tenetur accusanti.

Ad secundum, si arguitur de illo, qui non seruato ordine iustitiæ in publico accusatus negauerit, concedo quòd ille non tenetur restituere famam accusanti, imò accusans accusato: & imputet accusans diffamationem sibi ipsi, quia & impudenter, & iniustè egit in publico accusando priuatum.

Si autem [i] illud argumentum fiat de mendaciter accusante innocentem, qui non potest accusato reddere famam, nisi seipsum infamet, patet responsio ex primo articulo quæstionis: quia non est dignus fama post tale mendacium publicum: alius autem dignus est fama, ideò debet secundùm iustitiam sibi reddi.

COMMENTARIVS.

24 f IN *tertio membro dico similiter*, &c. In hoc membro agitur de infamia, quæ ex negatione criminis à reo inuritur accusatori, nempe quòd deficiens in probatione habetur pro calumniatore. Casus est, si crimen sit aliàs occultum, licèt verum, an possit reus illud negare? crimen autem occultum est, quod nequit in iudicio probari. Si tamen est publicum, & notorium crimen, author verò in occulto, tunc per accusationem deducitur ad forum publicum author, contra quem secundùm ordinem Iuris potest procedi per testes, & alia adminicula.

An possit reus crimen suum occultum negare in iudicio: & an teneatur accusatori?

Conclusio Doctoris est *reum non teneri retractare negationem criminis occulti impositi sibi in iudicio, quia non tenetur se reum confiteri, nondum conuictus*, &c. Conclusio intelligitur itaque de crimine occulto, & non probato sufficienter. Illa particula conclusionis *nondum conuictus*, &c, seu potiùs, quæ additur in conclusione ad probationem, potest intelligi dupliciter: nempe quando supponitur plena probatio criminis, vel semiplena probatio eius; tantùm in hoc secundo casu intelligi videtur à Doctote, vt patet ex sequentibus, nempe quamdiu deficit semiplena probatio, quæ tribuit ius interrogandi iudici publico secundùm ordinem Iuris; & consequenter obligationem reo respondendi statuit. Vnde in responsione ad obiectionem dicit, quòd accusatori ad nihil tenetur reus, quantùm ad restitutionem famæ, si deficiat in probatione criminis; sed ipse accusator sibi ipsi officit, qui eo modo proponit crimen alterius, quo non deberet proponere, imò tenetur non proponere, quia proponit crimen merè occultum alterius in publico probandum, quod perinde se habet, ac si innocentem accusaret, quia alter, licèt in occulto sit criminosus, tamen in foro externo est innocens, & habet ius se defendendi. Loquitur Doctor de crimine occulto, de quo neque fama, neque indicia, neque testes suppetunt, ad plenam, aut semiplenam probationem requisiti, præter solam personam accusatoris.

Conclusio. Non teneri reū retractare negationē criminis.

Sensus cōclusionis. Supponit non præcedere semiplenā probationem.

Accusator deficiens in probatione si sibi dāni causa est, & non reus.

Item postea dicit, §. *Sed manet difficultas*, &c. *Durum*, inquit, *videtur, quòd quilibet accusatus in publico ab vno, statim teneretur de necessitate salutis, in publico confiteri illud, & sic statim exponere se patibulo in iudicio sanguinis*, &c. Hæc ergo est sententia Doctoris: & patet ex natura casus, quem determinat, quia vt in casu præcedenti determinauit, agit de eo, qui famam alterius læsit extraiudicialiter: hîc agit pro reo, qui famam accusatoris negando crimen verum, sed occultum, lædit in iudicio: ex eo verò præcisè quòd ratione criminis commissi conueniatur coram iudice, datur maius ius contra ipsum, quàm contra eum, qui extraiudicialiter accusatur coram priuatis, ad quos non spectat de Iure cognoscere de reo, aut crimine. Non descendit Doctor ad alias circumstantias, ex quibus crimen illud redditur iam notorium quoad authorem, de quo semiplena probatio habetur, aut ipsum probabile sit in iudicio, quod requiritur, & sufficit ad accusandum, seruato Iuris ordine, nempe vt accusatio fiat de crimine probabili per testes, aut alia adminicula, vt confessione rei. Ex his enim sententia fertur, alioquin erit iniusta, nisi quando in flagranti deprehenderetur à iudice cum aliis tribus, aut quatuor: requiruntur autem testes, per quos debet probare accusator, quia ex his cognitio, & certitudo criminis commissi haberi debet; vnde Iure Ciuili, & Canonico requiruntur, quando per viam accusationis conuenitur reus. Plures etiam personæ in causa criminali Iure Canonico repelluntur à testimonio ferendo, sicut & Iure Ciuili; inter quos est accusator, sicut & eius collaterales, & ascendentes, & descendentes. Iura enim magis fauent reo in dubio, ideóque, vt vsus habet, parentes & consanguinei eius admittuntur ad probationem suæ innocentiæ, vt patet ex Gomezio *cap.* 12. & Claro *quæst.* 14 Vnde sequitur, si accusator producat 25

Scopus Doctoris.

Requisita ad iudicium, & ordinem eius.

Qui repelluntur à testimonio ferendo?

Iura fauent reo.

Testes innocentiæ eius possunt esse parentes.

ducat crimen, quod nequit per alium probare, neque per rei confessionem censeri plenè occultum, & suo periculo intentare actionem.

26 *Alij aliter sententiam Doctoris interpretantur.*

Hanc puto esse sententiam Doctoris, non verò illam, quam intelligunt alij esse eius: vt Caiet. 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 2. *ad secundum.* Soto *de Iustit. & Iure lib.*4. *quæst.* 6. *art.* 3. Azorius *lib.* 5. *cap.* 9. *quæst.* 8. Molina *tractatu* 8. *disputat.* 43. *de Iustit. & Iure*; quibus consentit Fauent. *disp.* 53. *cap.* 2. *num.* 56. Melius tamen Scholiastes excipit casum semiplenæ probationis, in quo tenetur interrogatus iuxta communem sententiam respondere veritatem: quia semiplena probatio dat ius contra ipsum, vt interrogetur, sicut & infamia probata de crimine, vel indicia manifesta: & hæc debent esse coniuncta accusationi veræ, de qua loquimur, vel fictæ in causa inquisitionis particularis, quando licet sic procedere. Non potest iudex reum interrogare iuridicè, aut obligare ad dicendum veritatem, nisi aliquo ex his tribus præsupposito. Ratio est, quia sicut iurisdictio ipsius est respectiuè ad forum externum, sic etiam debet esse scientia, qua regulatur, & procedit ad cognitionem de causa, quæ est scientia publica aliquo istorum modorum. Vnde si interroget aliter, non seruat Iuris ordinem, neque tenetur respondere reus, aut dicere veritatem etiam præstito iuramento, modò sibi reseruet mentem: quia in quocunque casu potest negare crimen, potest etiam iurare, quia iuramentum non extenditur vltra naturam eius, cui additur vt confirmatio. Quòd si alius intendat aliud, nempe exigens iuramentum, non refert, quia potestas eius non extenditur ad aliud, quàm sit illud, quod de Iure debet interrogare. Quid autem continuat iuramentum de calumnia, docet glossa *in cap.* 1. *de iuramento calumniæ*.

Semiplena probatio dat ius interrogandi reum.

Requisita ad accusationem veram, aut fictam.

Iudex fori externi sequitur scientiã publicam.

Quando reus non interrogatur iuridicè, non tenetur dicere veritatem.

27 *Status causæ declarandus est reo.*

Aduerte vlteriùs teneri iudicem exhibere primum reo, vel declarare statum causæ, probationes, indicia, vt sciat iuridicè contra se procedi, quando interrogatur, & vt possit opponere, & excipere, si necessum sit, quia nemo tenetur parere cum graui suo, aut alterius detrimento, nisi ei constet se legitimè interrogari: hoc autem nescit incognito statu causæ. Addendum præterea, si crimen in re ipsa commissum est sine culpa lethali, licèt procedatur ex crimine iuxta præsumptionem falsam, quam sufficienti probatione non potes elidere, si admittas crimen, non teneri respondere, verbi gratia, si quod tibi debetur, abstuli secretò, quia non fuit via recuperandi; & agatur contra te actione furti, nisi probare posses tibi deberi, neque alia via potuisse recuperare, si interroget iudex an commiseris furtum, aut abstuleris rem alterius, potes negare: quia ipse intendit ablationem, quæ in foro externo habet annexam præsumptionem falsam, quam elidere non potes, verbi gratia furti, sic etiam non teneris fateri te occidisse quem in defensionem inculpatam tui ipsius occidisti, quam nequis probare. Item, si non es author criminis, non teneris confiteri aliquas eius circunstantias, ex quibus orietur vehemens suspicio te esse authorem, verbi gratia, te fuisse in loco; requiritur etiam vt iuramentum reo adhibeatur præcedere indicia, quæ sufficiant ad torturam.

Crimen negari potest, quãdo annexa est falsa præsumptio, quæ nequit elidi.

28 *Eadem sententia sustinetur secundùm interpretationem posteriorem.*

Intelligendo præterea Doctorem, iuxta alteram sententiam, scilicet de interrogatione, quæ supponat semiplenam probationem: dico eam esse probabilem, & satis ex rationibus eius deduci. Vnde si plectendus est pœna temporali, docet Panormitanus eum non teneri respondere, *cap. Cum super, de confessis.* Syluester *verbo Confessio delicti, quæst.* 1. Fumus, & Angelus *eodem.* Petrus de Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 4. Emanuel Saa *verb. Reus.* Probatur hæc sententia ratione Doctoris, quia illud præceptum esset durum, vt quis in iudicio sanguinis concurreret ad sui necem, & infamiam, vel teneatur concurrere: quia rarus est, qui illud adimpleret, quin peieraret. Præcepta autem debent accommodari humanæ conditioni, sicut & lex, ne difficilia adeò sint, vt censeantur impossibilia, & maximè quando necessitas communis non præponderat, vel aliud, quod vitæ rei Iure diuino præferri debeat, aut naturali: ergo iudex non habet ius obligandi reum sub pœna salutis æternæ, & peccati ad confitendum delictum: quod alia via probare contra ipsum plenè non possit. Confirmatur, non habet iudex maius ius in reum ex semiplena probatione, quàm ex plena probatione: sed non tenetur conuictus de crimine capitali obedire iudici, vt executio sententiæ fiat per ipsum reum, vt communior, & sanior doctrina tenet: ergo neque etiam præceptum iudicis eum obligat, vt concurrat ad propriam mortem: concurrit autem, si confiteatur crimen morte dignum per leges: ergo non tenetur ad hoc. Probatur prima consequentia, quia ius tuendæ vitæ, donec conuincatur reus, ipsi manet integrum, sicut & famæ, & hoc est Iuris naturalis: sed præceptum iudicis est Iuris positiui: ergo nequit præiudicare iuri, quod alter habet defendendæ vitæ, quod solùm amittit probato crimine. Probatur consequentia prima, quia ex sua confessione conuincitur, & non aliter. Secunda consequentia etiam probatur, quia dum crimen est omnino occultum, si iudex interroget, non tenetur respondere; & hoc ideò, quia est innocens in foro externo, in quo tantùm iudex habet auctoritatem interrogandi, sed per semiplenam probationem non fit nocens: ergo adhuc est in possessione suæ innocentiæ: ergo habet ius defendendi illam; sed stante hoc iure, non tenetur ipse cedere: ergo neque confiteri crimen, donec conuincatur cum tanto suo damno.

Probatio. Quia oppositũ est durum.

Lex accommodata nostræ conditioni.

Confirmatio. Non tenetur reus exequi in seipsum sententiã latam, & capitalem.

Ius tuendæ vitæ manet saluando donec conuincatur.

Non tenetur iure suo.

Est in possessione innocẽtiæ donec cõuincatur.

29 *Maior authoritas legis quàm iudicis. Non obligat cum periculo mortis.*

Item, non magis obligat præceptum iudicis, quàm ipsa lex positiua, quia hæc à maiori authoritate procedit: sed lex positiua humana non potest obligare cum periculo mortis ad sui obseruantiam, si pondus rei, aut materiæ ob necessitatem specialem rei publicæ non contingat: ergo minùs potest præceptum iudicis inducere obligationem confitendi crimen, quod maius est, quàm periculum mortis, quæ est certa, supposita confessione.

Alij casus, in quibus quis non tenetur interrogatus respondere.

Item vt docet Corduba *lib.* 1. *quæstiunc. qu.* 43. *dub.* 3. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 46. Petrus de Nau. *loco citato*, si consilij, aut auxilij petendi causa tibi sub secreto crimen reuelet, non potes denunciare, aut testificari crimen, etiam interrogatus, quamuis præcesserit semiplena probatio, quando proceditur ad punitionem criminis, & non ad obstandum alicui damno publico, aut priuato alterius. Item, neque contra sanguinem coniunctum, neque si damnum notabile tibi ipsi succederet ex testimonio lato seclusa necessitate publica, pro qua debes etiam te exponere dãno;

vt

vt docet Nauar. *suprà, n.* 50. & Couar. *in quæstiunc. practicis, cap.* 18. ergo à fortiori minùs tenetur reus contra se testimonium facere, confitendo crimen etiam interrogatus iuridicè.

30 *Potest reus ex carcere fugere, etiam sententia lata.*

Item, potest reus ante sententiam latam carceri mancipatus fugere, si potest, vt dicit Couar. *lib.* 1. *Variarum, cap.* 2. quin etiam post sententiam latam, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. Couar. *suprà*, si sententia est mortis, & mutilationis; & hoc ex iure conseruandæ vitæ, quam ita natura concessit, vt nullo Iure humano possit reus tali iure priuari, quando potest non inferendo violentiam, & abest periculum Reipublicæ: ergo etiam manet Ius defensionis vitæ eidem, quamdiu nondum est conuinctus de crimine, quamuis præcesserit probatio semiplena: & consequenter non tenetur fateri crimen interrogatus, nisi aliunde plenè probetur, vel probandum sit, quia in hoc casu non prodest criminis negatio; si aliunde cōprobetur.

31 *Non tenetur obedire sententia in re iniusta.*

Item, ex communi Doctorum reus, qui conuincitur, seruato Iuris ordine, vel ex falsa præsumptione criminis, aut certè ex falsis testibus, & probationibus, non tenetur obedire, secluso scandalo, & detrimento notabili Reipublicæ tali sententiæ, si in re sit iniusta, vel crimen non commisit, quamuis iusta sit secundùm Iuris ordinem: quin etiam aliqui tenent, si pœna sit mortis secluso scandalo se posse defendere contra iudicem, & ministros: vt citat Couar. *suprà n.* 3. sed fortè vix in praxi secludi potest scandalum: ergo etiam quamuis in re crimen commisit, si nequit probari plenè in foro, in quo iudex habet suam potestatem, potest etiam non obedire interrogationi iudicis ad saluandam innocentiam suam publicam, quia minus in hoc est scandalum, aut periculum Reipublicæ, quàm vt is qui seruato Iuris ordine est subiectus sententiæ, non obediat iudici, quia, vt benè Doctor, non est contra bonum Reipublicæ, vt crimina, quæ non probantur, aut probari possunt seruato Iuris ordine remittantur solius Dei iudicio, qui est solus iudex occultorum, vt tradunt Canones, *cap. Erubescant, dist.* 32. *c. Consuluisti*, 2. *q.* 4. *cap. Tua nos*, & *c. de simonia.* Quibus in locis agitur de iis, quæ testibus probari non poterant, aut alia via sufficiēti, & si opus exterius prodiit. Et *Clementina Pastoralis in fine*, ita habet: *De crimine graui delato facultas defensionis, quæ à Iure naturali prouenit, adimi non valet, eam illa tollere Imperatori non licuit, quæ Iuris naturalis existunt*, &c. Si ergo alter nondum conuictus manet in possessione huius Iuris naturalis, non tenetur ipse arma defensionis necessariæ deponere, sicut nemini auferri possunt arma materialia iustæ defensionis contra inuasorem iniustum, qualis est accusator, qui crimen occultum non probabile opponit reo.

Quædam crimina remittenda Dei iudicio.

Ius defensionis iustæ nemini auferetur.

32 *Vltima ratio.*

Vltimò tandem probatur: quia non magis tenetur reus iudici interroganti, suppositis iis, quæ ad semiplenam probationem faciunt, quàm ipse iudex ad præceptum legis, & executionem ratione officij, quando reus conuictus est secundùm ordinem Iuris, licèt in reipsa sit innocens, & id iudici constet ex scientia priuata: sed nullo modo licere ipsi condemnare quem sic scit esse innocentem, quamuis publicè falsis probationibus conuictum, docent plures Doctores, vt Hostiensis, Calderinus, Panormitanus *in cap. Pastoralis* 28. *de officio delegati*; & multi Theologi, & Canonistæ, quos citat Couarruuias *suprà*, quamuis alij contrarium doceant, quos ipse sequitur cum D. Thom. *quæst.* 64. *art.* 6. ergo neque semiplena probatio, & præceptum iudicis inducit reo obligationem seipsum condemnandi, & accusandi, cùm adhuc maneat in foro externo innocens.

Sententia negans posse iudicem cōdemnare reum, quem scientia priuata nouit innocentem.

Confirmatur, nullus iudex, inferior saltem, potest condemnare reum nondum conuictum: ergo neque inducere ei obligationem, vt propriam deserat defensionem. *Confirmatio.*

Ex his patet interrogationem iudicis eò tendere vt sufficientem diligentiam adhibeat ratione muneris, & satisfaciat Reipublicæ: vel vt alij dicunt, ad terrorem malefactorum, non autem vt obligationem inferat reo, qui alioquin nequit conuinci, nisi ex propria confessione, & sicut interrogatio eius mensuratur per notitiam publicam, ita etiam responsio rei ad cōfessionem criminis debet respicere eandem scientiam, ex qua procedit iudex: quamuis enim sciat scientia priuata ipsum esse reum, nisi conuincatur in foro externo, non permittunt leges vt eum condemnet; neque etiam ex quacumque cōfessione eius potest eum punire: verbi gratia, si confiteatur vi torturæ, nisi aliàs confirmet eandem confessionem post torturam, quia confessio debet esse libera, & spontanea, vt sufficienter probet, nisi aliunde ex atrocitate criminis, & periculo Reipublicæ, & aliis indiciis fulciatur processus.

33 *Quis est finis interrogationis.*

Confessio requisita ad sententiā debet esse libera.

Secunda conclusio Doctoris est, non licere reo accusatorem directè notare de calumnia, aut mendacio: quia ius defensionis propriæ non debet excedere defensionem iustam, aut fieri per media illicita: vnde sobriè agendum est, & secundùm ordinem Iuris adhibendo media licita. Hæc patet ex dictis; éstque communiter modernorum.

34 *Secunda conclusio. Reus non debet excedere Iura defensionis.*

Dices reum etiam hoc modo facere iniuriam Reipublicæ, quæ habet ius puniendi crimina.

Respondetur non habere ius puniendi crimen, nisi quòd scientia publica est probatum contra reum; iudicare enim occulta spectat ad Deum, & ad forum pœnitentiæ, quod scientiæ priuatæ innititur habitæ per confessionem secretam ipsius rei.

Quid ergo agendum est reo, aut quomodo se debet defendere vtendo suo iure?

35 *Modus quo se gerere debet reus respōdendo.*

Respondet Doctor eum debere vti responsione accommodata, qua Iuristæ vtuntur, nempe negando proposita eo modo, quo proponuntur, & hoc sine mēdacio dici potest: quia proponuntur publicè, & negantur vt publica. Quod si iudex vrgeat respondere, potest dicere se respondere sufficienter ad accusationem, sicut moris est Iuristarum; nec ab illa responsione vult declinare: quia nempe Iura dant ius defensionis reo, quo nequit priuare eum, quantùm ad defensionem seruato Iuris ordine ei debitam, imò hoc ipsum supponit forma iudicij, & interrogatio proposita à iudice, aliàs non teneretur audire reū, si quid habeat in sui defensionem, ad excipiendum contra testes accusatorē, & alia obiecta, neque appellationi eius iustæ à sententia, aut exceptioni fundatæ contra ipsum iudicem obstare.

Quòd si ex negatione reus saluatur, contra quem nequit probari delictū, & damnetur, accusator pœna talionis, aut nota calumniæ incurrat infamiam: hic non tenetur auertere, quia neque illa intendit, sed propriam defensionem, neque

Reus non tenetur damno accusatoris. neque per se causat. Dicit tamen Doctor debere excusare accusatorem non obligatione iustitiæ, aut veritatis dicendæ, sed de congruo charitatis: sed hoc est consilij, vt benè Scholiastes: quia si tali excusatione etiam vrgeret aliqua suspicio de admisso crimine, neque ad hoc tenetur etiam de consilio.

36 *Quid de ipsa negatione?* g Sed nunquid si neget, &c. Hìc agit de negatione absoluta criminis, antea enim dixit de negatione modificata iuxta modum seruari solitum à Iuristis: & dicit, si habeat intentionem negandi tantùm in publico, vt proponitur, supponit eum non mentiri: tamen ad cautelam *Non est mendacium.* satius esse confiteri, & securius quàm omittere pœnitentiam: quia ex Gregorio, & habetur *dist. 5. c. Ad eius: Bonarum mentium est culpam agnoscere, vbi culpa non est*, &c. In hoc casu diximus *suprà* licere respondere non ad mentem interrogantis, quam habet de facto; sed ad illam, quam debet habere, licèt sit superior, quia vt procedit secundùm ordinem Iuris ad punitionem, debet interrogatio eius regulari per scientiam publicam, in qua fundantur iudicia. *Responsio respicit mētem, quam habere debet interrogans.* Quòd si decipiatur, vel inducatur in errorem circa veritatem rei, sibi ipsi debet imputare: quia nequit imponere reo necessitatem aliter respondendi de crimine non probato: & præsumere debet eum non confessurum crimen; quod non tenetur reuelare, & consequenter responsionem eius fundari in reseruatione; quam ius defensionis concedit. Ideò diximus *suprà*, quando ex natura rei, de qua interrogatur, & damno secuto ex dicenda veritate, in iis quæ ius tacendi veritatem tribuunt interrogato, colligi debet eum non dicturum veritatem, quam non tenetur alius dicere, eum non mentiri, neque decipere, sed alium interrogantem si decipiatur sua negligentia, & temeritate decipi, qui fidem tribuit dictis, quæ ex intentione recta dicentis ad alium sensum referri possunt in iis circumstantiis. Cum hoc stat non licere æquiuocare, vbi talis, aut similis necessitas propria, vel alterius excusat à dicenda veritate, esto non habeat alter ius interrogandi: quia licèt non tenetur dicere veritatem: tamen tenetur non inducere alium in deceptionem, aut errorem: quia infert ei damnū iniustè; quod nullo Iure ipsi licet, taceat vel non respondeat, vel alio modo vtatur, qui nō officit alteri: & sic intelligenda sunt, quæ Scholiastes docet cum aliis de æquiuocatione. *Æquiuocatio quomodo non liceat.*

37 h *Ad argumēta. Ad primum*, &c. patet ex litera.

i *Si autem illud argumentum fiat*, &c. Hìc respondet iuxta determinata in primo articulo: excipiuntur tamen ab hac doctrina generali, & communi, plures casus, qui ex circumstantiis excusant à restitutione famæ. Primò, quando infamatus condonat famæ damnum incursum. Secundò, iusta compensatio famæ, vt si iam infamia facta est mutua: quamuis aliqui de hoc non immeritò dubitent. Tertiò, si non nocuit, quia fides ei non fuit adhibita. Quartò, si infamans, verbi gratia, accusator, sententia iudicis declaratus est calumniator, aut imposita est ei pœna talionis: quia per hoc ablatum est damnum famæ incursum, quamuis etiam ille de calumnia conuictus, si mendaciter accusauit, teneatur confiteri veritatem. Quintò, si non possit fieri sine periculo vitæ: quia bonum inferioris ordinis, vt fama, non obligat ad compensationem superioris ordinis. Aliqui excipiunt, quando aliqua persona illustris patitur ex calumnia falsa, teneri calumniatorem ad compensandum etiam cum periculo vitæ, quod alij negant; sed prima opinio videtur valdè rationabilis: quia non solùm illa familia patitur, sed etiam Respublica, quæ plurimùm dependet à familia illustri, eiúsque salus, & magis quàm à vita calumniatoris. Vnde meritò etiā deprehensus, & conuictus de calumnia tali, posset pœna mortis iustè puniri: ergo etiam cum periculo mortis tenetur famam restituere. *Casus in quibus excusatur infamans à restitutione. Casus condonationis recōpensationis. Defectus iuramenti. Declaratio calumniæ per sententiam. Periculum vitæ. Excipitur casus. Cum periculo vitæ fama illustris personæ resarcienda.*

Sextò, si fama est recuperata. Septimò, si fama infamantis, & accusantis sine proportione excedat famam infamati, quia nullo Iure ipsi debetur maior satisfactio in re excedente. Tunc modus restituendi famam est eum laudare, & per dona, & alia, quæ hominis statu considerato, arbitrio prudentum satisfacere possunt. 38 *Fama recuperata. Excessus inter personas.*

Plura omittimus hìc de infamia, & eius restitutione, quæ à Doctoribus in particulari traduntur, quos consulere potest lector: sunt enim obuij. Quæri etiam solet num homo sit suæ famæ dominus: sed fortè si per tempus licebit, hanc quæstionem tractabimus *infrà dist. 21. quæst. 2.* Hìc etiam agendum erat de restitutione, & læsione honoris proximi: sed quia facilis est quæstio, eam omittimus, quia harum quæstionum tractatus fortè legem commenti excesserit: quamuis ansam præbeant tractandi in specie quidquid alij de iustitia & iure, ea ratione tractare solent, quæ diximus necessitate declarandi principia vniuersalia Doctoris, eaque defendendi dicta sint, &c.

DISTINCTIO XVI.

De tribus in perfectione Pœnitentiæ obseruandis.

A

IN perfectione autem pœnitentiæ tria obseruanda sunt, scilicet compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Vnde Ioannes os aureum, [Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre, in corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est fructifera pœnitentia,] vt sicut tribus modis Deum offendimus, scilicet corde, ore & opere, ita tribus modis satisfaciamus. [Sunt enim tres peccati differen- *De pœnit. dist. 1. cap. perfecta pœnitentia. Chrysost. ser. de pœn. qui est 29.*

inter serm. eius de ser. hab. in mõte lib. 1. c. 23. circa finem. Tom. 4. tiæ; vt ait Augustinus, & in corde, & in facto, & in consuetudine, vel verbo tanquam tres mortes. Vna quasi in domo, scilicet cùm in corde consentitur libidini. Altera quasi prolata iam extra portam, cùm in factum procedit libidinis assensio. Tertia cùm vi malæ consuetudinis tanquam mole premitur animus, vel noxiæ defensionis clypeo armatur, quasi in sepulchro iam fœtens. Hæc sunt tria genera mortuorum, quæ Deus legitur suscitasse.] Huic ergo triplici morti triplici remedio occurritur: contritione, confessione, satisfactione. Compunctio nobis commẽdatur ibi, *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Confessio ibi, *Iustus in principio sermonis accusator est sui.* Verè enim confitetur, qui accusat, qui se execrando malum sibi imputat. Et ibi, *Effundite coram illo corda vestra.* Et iterum, *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Satisfactio à Ioanne præcipitur, vbi ait, *Facite dignos fructus pœnitentiæ*, scilicet vt secundùm qualitatem, & quantitatem culpæ sit qualitas & quantitas pœnæ. Non enim par debet esse fructus boni operis eius, qui nihil vel minùs peccauit, & eius qui grauiùs cecidit. Ideò discretio pœnitenti valde necessaria est, vt illa gerat quæ tradit Augustinus, dicens: [Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitij multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundùm excellentiam sui status vel officij, vel secundùm modum meretricis, & in modum operis sui: & qualiter turpitudinem egerit, si in loco sacro, si in tempore orationi constituto, vt sunt festiuitates, & tempora ieiunij. Consideret quantum perseuerauerit, & defleat quòd perseueranter peccauerit, & quanta victus fuerit impugnatione. Sunt enim qui non solùm non vincuntur, sed vltrò se peccato offerunt: nec expectant tentationem, sed præueniunt voluptatem. Et pertractet secum, quàm multiplici actione vitij delectabiliter peccauit. Omnis ista varietas confitenda est, & deflenda, vt cùm cognouerit quod peccatum est, citò inueniat Deum sibi propicium. In cognoscendo augmentum peccati, inueniat cuius ætatis fuerit, cuius sapientiæ, & ordinis. Immoretur in singulis istis, & sentiat modum criminis, purgans lachrymis omnem qualitatem vitij: defleat virtutem, qua interim caruit. Dolendum est enim non solùm quòd peccauit, sed quia virtute se priuauit. Defleat etiam, quoniam offendens in vno, factus est omnium reus. Ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideò enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit. Alio etiam modo offendens in vno, factus est omnium reus: quia omnis virtus patitur detrimentum ab vno vitio.] [Ponat se omnino in iudicio & potestate sacerdotis, nihil sui reseruans sibi: vt omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæ faceret pro vitanda corporis morte: & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam. Cum gaudio enim facere debet immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus: semper deprecetur Deum, offerat Deo mentem, & cordis contritionem. Deinde & quod potest det de possessione: & tunc quod offert, securus offerat. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Priùs dicit ad Abel, quàm ad munera eius. In iudicio ergo cordis conferenda est eleemosyna tribuentis. Nec considerandum est quantum, sed qua mente, qua affectione dat quod potest. Qui ergo sua peccata redimere vult temporalium oblatione, priùs offerat mentem.

Marginal notes: *Iöelis 2. c.* — *Prou. 18. c.* — *Psal. 6.* — *Iacob. 5. d.* — *Mat. 3. b.* — *Lucæ 3. c.* — *Beda.* — *De vera, & falsa pœn. c. 14. in princip. tom. 4.* — *Iacob. 2. b.* — *Gen. 3. c.* — *Ibid. c. 15.* — *Gen. 4. b.*

mentem. Caueat etiam ne ductus verecundia, diuidat apud se confessionem, vt diuersa diuersis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim vni celant, quod alteri manifestandum conseruant: quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere: ad quam per frusta putat peruenire. Caueat etiam ne priùs ad dominicum corpus accedat, quàm confortetur bona conscientia, & doleat quòd nondum audeat sumere, quem multùm desiderat cibum salutarem. Cohibeat etiam se à ludis, à spectaculis sæculi, qui perfectam vult consequi remissionis gratiam. Isti sunt digni fructus pœnitentiæ, animam captiuam elaqueantes, & in libertate seruantes.] Et infrà. [Quærat anima dignos fructus, etsi non dignos pœnitentiæ. Sunt enim digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim grauiores postulat, vt dolore, & gemitibus mortuus impetret vitam.] Ex his ostenditur, qui sint digni fructus pœnitentiæ, quibus vera satisfactio expletur: & quòd non omnes digni fructus pœnitentiæ, sunt digni fructus: quod de illa pœnitentia intelligitur, quæ maiorum est criminum. Non enim sufficiunt grauiter delinquentibus, quæ sufficiunt minùs, vel parùm peccantibus. *Aug. ibid. 15.*

Quæ sit falsa satisfactio?

ET sicut sunt digni fructus pœnitentiæ, ac vera satisfactio, ita & indigni fructus, & falsa satisfactio, id est, falsa pœnitentia. Vnde Gregorius. [Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundùm auctoritates Sanctorum pro qualitate criminum imponuntur. Ideóque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccatò exerceri non possit, si culpis grauioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius iniustè detinet, vel qui odium in corde gerit: recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi negotium relinquat, vel officium deserat, & odium ex corde dimittat, & bona quæ iniustè abstulit, restituat. Nec tamen desperet, interim quicquid boni facere potest, hortamur vt faciat, vt Deus cor eius illustret ad pœnitentiam.] Cùm sit pœnitentia interior, & exterior, de vtraque per præmissa satis apparet, quæ sit vera, & quæ sit falsa. *B.* *Greg. 7. de pœn. dist. 5. cap.* Falsas.

De tribus actionibus pœnitentiæ.

PRædictis verò adiiciendum est, quòd tribus modis agitur pœnitentia ante Baptismum, scilicet de prioribus peccatis, post Baptismum de grauioribus, quæ pòst committuntur. Est etiam pœnitentia venialium quotidiana, quæ etiam humilium est, & perfectorum. Vnde Augustinus [Tres sunt actiones pœnitentiæ, quas mecum eruditio vestra recognoscit. Vna est quæ nouum hominem parturit, donec per Baptismum omnium præteritorum ablutio fiat peccatorum: quia nullus suæ voluntatis arbiter, nisi pœniteat eum veteris vitæ, nouam inchoare potest: à qua paruuli sunt immunes, cum baptizantur, quia nondum possunt vti libero arbitrio, quibus tamen ad remissionem originalis peccati prodest eorum fides, à quibus offeruntur. Altera est actio pœnitentiæ post Baptismum, quæ fit pro illis peccatis, quæ legis Decalogus continet. Agunt ergo homines pœnitentiam ante Baptismum de peccatis prioribus, ita tamen vt etiam baptizentur: sicut Petrus ait, *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrûm* *C.* *Hom. de vtilitate, & necessitate pœn. quæ est 50. cap. 3. & 4. in to. 10. & lib. de medicina pœnitentiæ cap. 2. in tom. 9.*

Eadē hab. epist. 108. quæ est ad Seleucianū. *Exod.20.a.* *Act.2.f.* *Mat.6.b.* *Quod multitudo venialium ita aggrauat, sicut vnum grande peccatum.* *Mat.6.b.*

in nomine Domini, &c. Agunt etiam pœnitentiam, si post Baptismum ita peccauerunt, vt excommunicari, & reconciliari posteà mereantur. Est etiam pœnitentia bonorum, & humilium fidelium penè quotidiana: in qua pectora tundimus, dicentes, *Dimitte nobis debita nostra*, &c. Neque ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa nobis in Baptismo non dubitamus: sed illa quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra surrepunt: quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & oppriment, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, an vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur, an paulatim surrepens aqua in sentinam per negligentium culpam impleat nauem, & submergatur? Ideò ieiunium, & eleemosynæ, & orationes inuigilent: in quibus cùm dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, &c. manifestamus nos habere, quod nobis dimittatur, & in his verbis humiliantes animas nostras, quotidianam agere pœnitentiam non cessamus.

De satisfactione venialium.

D *Cap.71.to.3.& de pœ. dist.3. Sed verba.*

QVæ autem pro venialibus sit satisfactio sufficiens, Augustinus insinuat, ita inquiens *in Ench.* [De quotidianis, & breuibus, leuibúsque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum enim est dicere, *Pater noster qui es in cœlis*, &c. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata. Delet & illa à quibus vita fidelium etiam sceleratè gesta, sed pœnitendo in melius commutata discedit. Sicut veraciter dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*, ita & veraciter dicatur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, id est, sic fiat quod dicitur, quia & ipsa eleemosyna est veniam petentibus omnino ignoscere.] Ex his, aliísque præmissis iam facile est intelligere, quæ pro venialibus sit exhibenda satisfactio. Sufficit enim Dominica oratio cum ieiunio, & eleemosynis: sic tamen, vt præcedat contritio aliquantula, & addatur confessio, si adsit facultas: de qua confessione pòst tractabitur. Pro grauioribus verò peccatis hæc etiam in satisfactione adhibenda sunt, sed multò vehementiùs, atque districtiùs: quia, vt ait Augustinus, ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in meliùs commutare, & à malis factis recedere, nisi de his quæ facta sunt, satisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

Mat.6.b. *Lib. de pœ. medicina. cap.5. to.9. & hom. 50. quæ est de vtilit. ac necessit. pœn. c. 15. tom. 10.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm ista tria, contritio, confessio, & satisfactio sint partes Pœnitentiæ?

Alens.4. *par. quæst.66. per totum.* D.Thom.3.*par. quæst.*84.*art.*2.& 3. & *quæst.*90.*art.* 2. & *per totum.* D. Bonauent. *hic dub.*1. Richard.*art.*1.*quæst.*1. Marsil.4.*quæst.*10. Durand.4.*dist.* 14. *quæst.*3. Suar. *tom.* 4. *disp.*18.*sect.*2.

1 *Argum. 1.* CIRCA istam distinctionem quæro, Vtrùm ista tria, contritio, confessio, & satisfactio sint partes pœnitentiæ? Probo quòd non. Peccatum est simplex defectus, ergo potest competere sibi simplex remedium, pœnitentia est tale remedium: ergo, &c.

Argum. 2. Item, si essent partes pœnitentiæ, aut ergo integrales, aut subiectiuæ, & accipio *integrales* communiter ad partes essentiales, & quantitatiuas non integrales, quia totum non prædicatur de tali parte: conteri autem est pœnitere, & confiteri est pœnitere,

tere, & satisfacere est pœnitere: ergo, &c. nec sunt partes subiectiuæ, quia in qualibet parte subiectiua perfectè saluatur ratio totius sine alia parte: Socrates enim est perfectè homo, dato quòd plures non essent in specie humana: sed in contritione sine aliis non saluatur perfectè ratio pœnitentiæ: ergo, &c.

Item, si essent partes Pœnitentiæ, aut pœnitentiæ virtutis, aut Pœnitentiæ Sacramenti. Non primum, quia pœnitentia virtus est simplex forma in anima, quia spiritualis; & per consequens indiuisibilis. Consimiliter confessio, & satisfactio non sunt spiritualia, sed sensibilia extra mentem. Nec secundum, quia omne Sacramentum est signum sensibile, vel consistit in signo sensibili; contritio non est aliquid sensibile, sed spirituale quid in anima: ergo non est pars Sacramenti. *Argum. 3.*

Item, nulla pars est posterior naturali ordine suo toto: sed Pœnitentiam Sacramentum sequitur naturali ordine satisfactio: ergo, &c. 2 *Argum. 4.*

Item, fructus non est pars eius, cuius est fructus. Patet exemplo, vt pomum non est pars arboris: & ratione, quia fructus est vltimum, quod expectatur de eo, cuius est fructus: nulla autem pars eius est tale vltimum; sed satisfactio est fructus pœnitentiæ, secundùm gloss. super illud Matth. 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ:* & secundùm sententiam Augustini de vera & falsa pœnitentia: & ponitur *in ista dist. cap. 2.* *Argum. 5.* *Matth. 3.*

Contrà, Magister in litera, qui dicit, quòd ad perfectionem pœnitentiæ ista tria requiruntur: non autem requiruntur ad perfectionem alicuius, intrinsecè loquendo, plura, nisi sint aliquo modo partes eius. *Ratio ad opp.*

SCHOLIVM.

Exponit latiùs quatuor: de quibus actum est d. 14. q. 2. scilicet, imperare pœnam, detestari malum, tristari de eo, hoc acceptare, & de eodem gaudere: & quomodo omnia ista possunt oriri ab habitu pœnitendi: de quo ibi non egit.

Hic [a] intelligendum est, quòd præter istum modum, quo accipitur Pœnitentia pro Sacramento Pœnitentiæ; pœnitentia, vel magis *pœnitere* potest multipliciter aliter accipi. Sicut enim habetur ex dictis *dist.* 14. *q.* 2. *&* 3. contingit habere iustitiam quamdam vindicatiuam peccati proprij: & proximum ei est actus proprius eius elicitus, qui est quoddam *velle* imperatiuum pœnæ, vt culpam vindicantis. In tertio gradu est effectus proximus istius actus eliciti, qui effectus est aliquis, vel actus aliqui, ad quem, vel ad quos sequitur pœna vindicatiua. Non enim potest voluntas per actum volendi imperare pœnam, nisi priùs imperando causam pœnæ, quia passiones non sunt in potestate voluntatis, nisi mediantibus actibus. Quartò, & vltimò sequitur pœna consequens istum actum imperatum ab actu elicito ipsius pœnitentiæ virtutis, & ista pœna est effectus remotus illius actus eliciti. 3

Patet autem distinctio istorũ omnium per se posse separari ab inuicem. Potest enim virtus illa esse sine actu suo elicito. Patet de se: & è conuerso, quia, vt dictum est, primus actus conformis rectæ rationi, natus generare virtutem, potest haberi antequam aliquid virtutis habeatur, quia est generatiuus primi gradus virtutis. Cõsimiliter actus ille elicitus, qui est secundus, potest esse sine tertio, id est, sine actu imperato: quia non statim ad actum imperij in voluntate, sequitur actus, qui imperatur, quia voluntas imperans non est omnipotens. Et è conuerso. Tertium illud potest esse sine secundo, scilicet actus aliquis causatiuus pœnæ sine actu voluntatis imperante actum istum, sicut potest habere quis detestationem peccati à se commissi, immediatè ex contemplatione Dei, licèt non imperet talem actum elici, vindicatiuum culpæ. *d. 14. q. 2. num. 13.* *Quomodo differũt acceptiones pœnitentiæ.*

Potest etiam esse tertium sine quarto, quia non semper ad actus illos, qui essent nati generare pœnam, sequitur pœna propter aliquam indispositionem fortè in ipsa potentia susceptiua pœnæ: sicut non semper ad volitionem, vel odium peccati commissi sequitur tristitia, vt priùs dictum est. 4 *d. 14. q. 2. num. 18.*

Potest etiam quartum separari à tertio, quia illa pœna potest esse sine actu illo ordinato, qui natus esset pœnam illam causare: quia ille actus, vt ordinatus, non est causa præcisa generationis pœnæ illius: ergo istorum quodlibet sine quolibet esse potest, & quælibet duo, vel tria, sine quolibet, vel quibuslibet aliis.

Ad propositum de hoc vocabulo *pœnitere*, propriè, vt dictum est priùs, *est pœnam tenere*; *tenere* autem includit & actionem tenentis, scilicet quod voluntariè teneat, & applicationem pœnæ sibi, quod in se teneat. Potest ergo habitus ille dici pœnitentia; quia quædam habitualis tenentia pœnæ, sicut principium habitualiter incli- *Pœnitentia dicitur de*

habitu, & de varijs actibus. nans ad infligendam sibi pœnam voluntariè; & actus eius potest dici pœnitentia actualis, vel *pœnitere,* quia quoddam *velle* inflictiuum pœnæ sibiipsi: & actus ille proximus imperatus ab actu elicito istius, potest dici *pœnitere*, quia est voluntariè habere in se pœnam, saltem in causa sua, nec aliter potest æquè principaliter voluntariè haberi, sicut in causa.

Tristitia nō est pœnitentia actiua. Quartum, scilicet puniri pœna sequente actum illum, non est propriè *pœnitere*, sed magis (vt ita dicam) *pœniteri*, id est, pœna teneri, vel vsitatiùs, *puniri.*

COMMENTARIVS.

HAc distinctione agit de actibus peccatoris, vt partes sunt pœnitentiæ in prima quæstione. In secunda de mutatione peccatoris, quæ contingit quando iustificatur.

1 a *Hîc intelligendum est*, &c. In hoc paragrapho distinguit pœnitentiam virtutem aliter quàm in quæstione prima, & secunda distinctionis decimæquartæ: quia ibi egit potissimùm de pœnitentia actuali secundùm diuersos gradus voluntarij, & vt dicit in recto ipsos actus voluntarios, & secundùm naturam, & distinctionem eorum ab inuicem, & cuius virtutis esse possint. Primus actus est *velle* imperatiuum vindicandi peccatum. Secundus, detestatio peccati. Tertius, est acceptare libenter, & cum gaudio punitionem, seu pœnam peccati. Quartus, ferre patienter pœnam. Hîc autem agit de pœnitentia virtute, vt distinguitur à Sacramento, & non secundùm naturam suam specificam, aut alia concurrentia ad actum circumstantionatum eius: sed agit de ipsa, vt comprehendit tres actus, de quibus quærit, & ordinatur ad Sacramentum per modum materiæ, vel quasi materiæ, vt loquuntur Trident. & Florent. vt visum est *quæst.* 4. *d.* 14. explicando id, pro quo Sacramentum in recto supponit. Prima itaque acceptio pœnitentiæ est pro ipso habitu specialis virtutis, & vindicatiuæ peccati. Secunda, pro actu illius habitus. Tertia, pro causa proxima pœnæ, seu punitionis. Quarta, verò pro ipsa pœna, & punitione. Rectè declarat hæc in litera: de quibus etiam sufficienter dictum est *in distinct. præmissa* 14. *quæst.* 1. *&* 2.

Diuersa consideratio pœnitentiæ.

Prima, secundùm speciem virtutis.

Secūda, in ordine ad Sacramentum.

Quatuor acceptiones pœnitentiæ.

Vide suprà dicta.

SCHOLIVM.

Contritio, confessio, satisfactio non sunt partes habitus pœnitentiæ, nec actus imperatiui pœnæ: sunt tamen partes pœnitentiæ, sumptæ pro ea causa proxima pœnæ infligendæ: & etiam sumptæ pro ipsa punitione, quia contritio, seu nolitio peccati, est causalis tentio tristitiæ: confessio, verecundiæ: satisfactio, afflictionis, & laboris.

5 AD [b] propositum, tria prædicta nullo modo sunt partes pœnitentiæ virtutis, vt argutum est ad principale: quia illud est quædam forma simplex in voluntate, vt charitas, vel quæcumque alia iustitia. Et per aliud patet, quia illud est permanens, sicut permanentia pertinet ad virtutem. Contritio autem, confessio, & satisfactio sunt quædam habentia *esse* in *fieri*: permanens autem non constat ex partibus habentibus *esse* in *fieri*. Item, ista duo vltima non sunt in voluntate, vt in subiecto, sed sunt quædam exteriora.

Consimiliter dico, quòd non sunt partes pœnitentiæ secundo modo dictæ: quia & actus ille est quidam actus simplex, sicut est actus virtutis simplicis. Patet etiam ex alio, quia ille actus est immediatè voluntatis, vt elicitus à voluntate: sed confessio, & satisfactio non sunt actus immediatè eliciti à voluntate, sed imperati. Sed loquendo de pœnitentia tertio modo, scilicet prout est causa proxima ipsius pœnæ infligendæ, quæ causa est actus imperatus ab actu pœnitentiæ virtutis, istius partes possunt poni ista tria.

Quomodo contritio, confessio, satisfactio sūt partes pœnitentiæ? Pœnitentiā ad commutatiuā spectare.

Et consimiliter istius quarti, quod est *puniri*, partes possunt poni tres pœnæ, quæ concomitantur istos tres actus: & hoc modo iustitia commutatiua vniuersaliter respicit æqualitatem in commutatione, non rei, sed magis secundùm rectam rationem: ergo hoc modo iustitia punitiua, quæ est quædam commutatiua in punitione, respicit pœnam æqualem, siue cōmensuratam illi culpæ: & hoc, secundùm rectam rationem illius legis, secundùm quam ipsa est vindicatiua: lex autem illa, secundùm quam pœnitētia virtus est vindicatiua, dictat culpam debere ordinari, & per pœnam intrinsecam tristitiæ, & per pœnam extrinsecam duplicem, verecundiæ scilicet, & afflictionis, siue laboris corporalis; sicut colligitur ex diuersis Scripturis, quæ continent legem illam: ergo illa pœna, siue *puniri,* quod respondet culpæ, integratur ex tribus pœnis.

6 Et consimiliter causa proxima istius pœnæ oportet quòd integretur ex causis propriis istarum pœnarum. Causa autem propria tristitiæ interioris est detestatio peccati commissi à se, siue displicentia de peccato. Et hæc includit duas causas partiales, scilicet considerationem peccati commissi, & nolitionem eius: & inter istas principalior est causa nolitio: ipsa etiam posita necessariò ponit aliam, non è conuerso.

Iste

Iste ergo actus qui est propria causa proxima tristitiæ, dicitur contritio: secundus actus, qui est causa proxima erubescentiæ, vel verecundiæ, dicitur confessio, vbi peccatum occultum propalatur homini. Tertia causa proxima, vel propria tertiæ pœnæ, est opus aliquod laboriosum, vel pœnale. Sicut ergo pœna perfecta correspondens culpæ secundùm iustitiam vindicatiuam, habet tres pœnas partiales, quæ sunt partes vnius punitionis perfectæ, eo modo quo tres restitutiones essent partes vnius restitutionis perfectæ illi, qui fuisset tripliciter damnificatus: ita tres actus, ad quos sequuntur istæ tres pœnæ, sunt partes vnius causæ sufficientis proximè respectu pœnæ condignæ. *Confessio causa verecundiæ.*

COMMENTARIVS.

2 b *AD propositum tria prædicta*, &c. Negat hos actus esse partes pœnitentiæ primo, & secundo modo hîc sumptæ: cuius ratio nota est ex littera. Sed aduertendum est actum vindicandi peccati posse dupliciter considerari: vno modo, quando pœnitentia imperat actum nolitionis peccati, quo causatur proximè ipsa pœna, seu tristitia; & sic hîc intelligitur non integrare pœnitentiam, id est, pœnæ tenentiam per actum elicitum voluntatis. Alio modo sumitur vt est nolitio peccati, seu detestatio perfecta ex motiuo vindicationis, vt imperatur à charitate: quia sic habet se vt causa proxima pœnæ. Hoc modo integrat pœnitentiam tertio modo per modum contritionis (vt esse potest ex dictis *suprà qu.* 2. *dist.* 14.) prout in hac diuisione sumitur pœnitentia. *Actus pœnitentiæ imperatus.* *Actus elicitus.*

Tertiò dicit tres illos actus esse partes integrantes pœnitentiæ tertio modo, vt sumitur pro causa proxima, ad quam sequitur pœna ipsa. Et quartò dicit pœnas concomitantes ipsos actus integrare vnam punitionem totalem, quæ correspondet peccato secundùm medium iustitiæ vindicatiuæ, sicut restitutiones partiales faciunt vnam totalem, ad quam restituens obligatur ex triplici damno illato, aut triplici contractu: iustitia enim vindicatiua respicit medium æqualitatis secundùm rectam rationem voluntariæ punitionis correspondentis peccato. Hîc nihil offertur dicendum præter ea, quæ aliàs dicta sunt ex hac integritate, qua actus conueniunt in vnam pœnitentiam, vocantur quasi materia à Conciliis suprà citatis. *Punitio totalis.*

SCHOLIVM.

Contritionem, confessionem, & satisfactionem esse essentialiter requisitas ad Sacramentum Pœnitentiæ, non tamen esse propriè partes eius. D. Thom. 3. part. quæst. 84. art. 2. & quæst. 90. & ibi eius expos. Suar. disp. 18. sect. 2. & 3. multum sudant, vt probent esse propriè partes. Sed non est facienda vis in verbo, cùm de re constet: tantùm enim controuertitur de voce, an debeant vocari partes propriè, & Scotus in rigore putat quòd non. Cui fauet Trid. sess. 14. cap. 3. dicens tria prædicta esse quasi materiam, & ponens præcipuam vim in absolutione; & similiter loquitur Concil. Colon. cap. 3. dum ergo aliquando vocantur partes à Patribus, intelligunt per hoc, esse requisita necessaria ad Sacramentum. Scotum sequuntur Gab. hîc qu. 2. Maior qu. 2. Cistercien dist. 23. qu. 2. art. 1. Bassol. Tartaret. Alm. Angles hîc, & omnes Scotistæ. Idem tenent omnes asserentes pœnitentiam supponere pro absolutione; quos citaui d. præced. qu. 4. schol. 1. Caiet. 3. part. qu. 90. art. 1. ait sent. D. Thom. definitam in Flor. decret. Eug. sed magis fauet Scoto, quia ait actus pœnitentis esse quasi materiam, quam leuiter Caiet. & ex suo capite definitionem conciliarem obtrudit.

DE pœnitentia [c] Sacramento dico, quòd ista tria nullo modo sunt partes eius, quia, vt dictum est *dist.* 14. Pœnitentia Sacramentum est illa absolutio Sacramentalis facta certis verbis, &c. huius autem nulla pars est contritio, quæ est quoddam spirituale in anima: neque confessio, quia nihil est ipsius sententiæ Sacerdotis, sed actus rei accusantis se: neque satisfactio, sed sequitur illam absolutionem sacramentalem. 7 *quæst.* 4. *Contritio, cõfessio, satisfactio requiruntur ad Sacramẽtũ Pœnitentiæ, non tamen sunt eius partes propriè loquendo.*

Hæc tamen tria ad Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc, vt dignè recipiatur, requiruntur, vel præuia, vel sequentia. Simpliciter enim requiritur confessio, quia Sacerdos non absoluit reum arbitrariè, nisi priùs reus sibi fuerit accusatus in foro illo: non est etiam vtilis illa absolutio, nisi præcedat in confitente aliqua contritio, vel attritio. Partes istius distinctionis patent ex dictis suprà; sufficit enim quòd aliqua displicentia, licèt informis, præcedat, & tunc ille capax est absolutionis sacramentalis: & per illam fit contritio. *Dist.* 14. q. 2. & 4.

Satisfactio [d] autem debet sequi Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc, vt habeat efficaciam, & hoc in re, vel in voto, nisi iudex posset perpendere illas pœnas alias præcedentes sufficere ad totalis pœnæ solutionem. Ista enim sententia Sacerdotis sic absoluit, quod tamen ligat. Absoluit quidem à debito pœnæ æternæ; sed ligat ad solutio- *Quomodo sacerdos absoluit, & ligat.*

 nem

nem pœnæ temporalis, nisi sit sufficienter iam soluta. Ipsa etiam vel nullo modo absoluit, vel saltem non efficaciter, nisi ille reus sit in se debito modo dispositus: quia Sacramentum est signum absolutionis interioris, quæ interior non concomitatur, nisi sit debita dispositio in mente interiùs absoluendi.

8 *Ad arg. 1.* Ad argumenta, [c] ad primum, non sequitur si peccatum sit simplex: ergo remedium vindicatiuum, vel vindicta pœnæ debet esse simplex. Iustè enim potest legislator statuere multas pœnas partiales correspondere, tanquam vnam vindictam integram, vni peccato.

Ad 2. Ad secundum dico, quòd pœnitentia tertio modo dicta, vel pœna pro quarto modo correspondens alicui peccato, potest accipi dupliciter. Vno modo pro tali adæquatè correspondente; & sic vnica pœnitentia, & vna pœna correspondent vni culpæ: & illud, si habet partes, se habet ad illas sicut ad partes integrales. Alio modo potest accipi pœnitentia tertio modo dicta, vel pœna quarto modo pro generali ratione eius, quod est tenere pœnam, vel puniri pro culpa, licèt non adæquatè: & hoc modo est totum vniuersale ad illas, quæ sunt partes integrales primo modo.

Hoc patet in exemplo: esto enim quòd aliquis occidat alium: iusta potest esse lex, quòd pœna corporali puniatur, & pœna pecuniaria tradenda amicis occisi: & vtrumque istorum est pœna, & pœna pro homicidio: & hoc modo pœna pro homicidio potest dici vniuersalis respectu pœnæ corporalis, & pœnæ pecuniariæ, quia vtrunque istorum est pœna, & pro isto peccato. Alio autem modo accipiendo pœnam pro homicidio, pro pœna totali correspondente illi culpæ; sic nec punitio corporalis tantùm, nec pecuniaria tantùm, est pœna illa, sed quodlibet istorum est pars integralis illius pœnæ.

Et secundùm hoc patet quomodo pœnitentia prædicatur de quolibet istorum trium diuisim, accipiendo pro tenentia alicuius pœnæ correspondentis culpæ, sed non totaliter adæquatè: & quomodo ex alia parte, nullum istorum sine alio integrat pœnitentiam vt est adæquata culpæ.

9 *Ad 3.* *Actus imperatiuus pœnitentiæ quodammodo habet partes.* Ad tertium patet, quòd neque sunt partes Sacramenti Pœnitentiæ, neque pœnitentiæ virtutis, nec etiam actus illius virtutis: sed actus imperati ab illa virtute, qui est actus proximus punitiuus: & pœnæ concomitantes eos sunt partes effectus remoti actus pœnitentiæ: tamen actus elicitus pœnitentiæ posset aliquo modo dici habere partes istas, non formaliter, sed quasi causaliter, pro quanto ipse est aliquo modo distinctus, vt imperat istam partem, & illam: & hoc modo, remotissimè possent dici partes ipsius virtutis pœnitentiæ, vt inclinat ad omnes istas infligendas.

Ad 5. *Solutio 4. patet ex dictis.* *Opera externa quomodo partes pœnitētiæ.* Ad quintum dico, quòd pœnitentiæ virtutis, & actus eius eliciti, & actus eius imperati opus exterius laboriosum est fructus: & hoc modo debet intelligi de opere exteriori operato, & concedo quòd illud opus exterius non est pars pœnitentiæ aliquo istorum trium modorum dictæ: tamen est pars eius, quod est *puniri*, quod est quartum inter illa priùs numerata: & non est inconueniens idem esse partem posterioris, & fructum prioris.

COMMENTARIVS.

3 *Prima conclusio.* c DE *pœnitentia Sacramento dico*, &c. Conclusio Doctoris est, hos actus non esse partes pœnitentiæ Sacramenti, quod supponit in recto pro absolutione, quæ est sententia iudicialis, quæ procedit à potestate ligandi, & soluendi, quæ in solo sacerdote est, non in pœnitente, aut reo, cuius illi sunt actus. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, hos actus requiri essentialiter ad Sacramentum. De hac controuersia actum est *suprà d. 14. quæst. 4.*

4 *Tertia conclusio.* d *Satisfactio autem debet sequi Sacramentū*, &c. Rationem assignat, quia alioquin non esset efficax. *Obiectio.* Intelligit de satisfactione in re, vel in voto: sed dubium est in eo, quòd dicat in voto subsequi Sacramentum: quia videtur votum satisfactionis implendæ debere præmitti vt dispositio prior. *Soluitur.* Respondetur, eo ipso, quo quis subiicit se Sacerdoti quoad peccata, regulariter habere votum adimplendi satisfactionem, quam iniungit; nisi excipiatur casus, de quo suo loco dicetur, in quo non debet obligari ad satisfactionem: hîc autem intendit Doctor teneri pœnitentem in re satisfactionem iniunctam adimplere, si potest: sæpè enim contingit casus, in quo nequit ex impedimento eam adimplere. In quo casu debet habere voluntatem adimplendi, ipso cessante impedimento: & hanc voluntatem intendit Doctor per votum. *Votum satisfaciendi.*

Sed ex ratione illius dicti posset quis hîc interpretari, Doctorem velle efficaciam satisfactionis esse ex opere operato, & deducere argumentum ex hac contra conclusionem principalem: quia si satisfactio habeat efficaciam ex opere operato, sic etiam contritio, & confessio: sed requiruntur essentialiter ad sacramentum ex secunda conclusione Doctoris: ergo sunt partes essentiales Sacramenti, etiam in recto. Probatur consequentia, quia nullus effectus competit ex opere operato ipsis in Sacramento, nisi quatenus sunt signum sacramentale, saltem partiale; *Obiectio contra conclusionem.*

ex

ex dictis autem *suprà distinct.* 1. & 2. 4. de essentia Sacramenti, eiúsque efficacia; quidquid fundat rationem signi practici spectat ad Sacramentum in recto: quidquid autem non fundat, licèt requiratur, habet tantùm rationem conditionis, & circunstantiæ requisitæ, & non signi sacramentalis: ergo si actus pœnitentis requisiti ex diuina institutione ad Sacramentum Pœnitentiæ habent propriam efficaciam, & effectum diuersum ab eo, qui correspondet absolutioni Sacerdotis: sequitur eos esse de integritate Sacramenti, quà Sacramentum est.

Differentia signi sacramentalis ab aliis concurrentibus.

5 Respondetur intentum Doctoris non fundari in efficacia satisfactionis ex opere operato ipsi immediatè, & ex se conuenienti: sed de efficacia quacunque, & simpliciter. Loquitur regulariter, quando quis est in reipsa peccator, & virtute clauium remittitur ei peccatum, quod habet, neque aliàs fuit dimissum: excipit enim casum, in quo censeatur prudenter à iudice, seu à sacerdote, peccatum aliàs, & pœnam debitam fuisse remissum anteriùs, vel ex perfectione contritionis, & operum satisfactionis præmissorum ante confessionem: vel certè ex frequenti confessione; & satisfactione applicata pro tali peccato. Dato ergo quòd peccatum in reipsa absoluatur, quod est, satisfactio non habet efficaciam respectu pœnæ debitæ illi peccato, nisi priùs per Sacramentum deleatur peccatum, non habet, inquam, efficaciam per modum satisfactionis: quia correspondet pœnæ temporali remanenti post peccatum dimissum, & non ipsi peccato, cuius remissio per confessionem, & absolutionem cum dispositione debita obtinetur, & non per satisfactionem. Ex quo patet ad obiectionem, qua deducitur ex littera; qua verò aliàs, impugnat conclusionem.

Responsio. Declaratur Scopus Doctoris.

Satisfactio pro pœna supponit remissionem peccati.

6 Respondetur secundò efficaciam consistere in ipsa absolutione, & potestate clauium, loquendo de efficacia ex opere operato: actus autem pœnitentis requiri præuiè, vt contritio & confessio; satisfactio verò vt aliquid consequens, & sic habent rationem circunstantiæ, & dispositionis requisitæ. Quod autem dicitur à Doctoribus antiquis virtute clauium illos actus habere effectum, vt quando de attrito fit contritus: illud ita intelligendum est (statuendo rationem Sacramenti in sola absolutione, vt Doctor statuit) quà subsunt clauibus, habere effectum perfectiorem, quàm si seorsim ponantur, nempe eo sensu, quo dispositio præuia aliquo modo dicitur causa respectu effectus, qui sequitur virtute causæ applicatæ ad subiectum dispositum; non verò quòd efficacia illa excedat genus dispositionis. Sic etiam in aliis Sacramentis, & in hoc ipso perfectiorem dispositionem sequitur perfectior effectus ex opere operato virtute Sacramenti, quod applicatur vt causa; ex dispositione tamen in suo genere prouenit ille effectus, tanquam à causa, sine qua non applicaretur virtus causæ in ea perfectione causandi. Sicut ergo idem manens idem semper natum est causare idem, non solùm in substantia; sed etiam in modo causandi perfectiore, excessus in dispositione causat per modum dispositionis tantùm excessum in effectu, non per modum causæ per se, & principalis; ita etiam quando aliquid requiritur vt dispositio ad effectum causæ per se, & principalis, sine quo non sequeretur effectus quoad substantiam, quia est conditio essentialis, non accidentalis, hinc sequitur quòd ad substantiam effectus comparetur etiam vt conditio, non vt causa per se & principalis; talis est actus præuius pœnitentis per se requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ, vt attritio, & confessio, quæ virtute Sacramenti coniungantur formæ, ad quam disponunt, vnde nihil significat virtute clauium habere effectum nisi hoc, id est, effectum produci virtute clauium, non verò ex virtute propria, quæ eis ex se competit; neque virtute aliqua influxa, & deriuata in ipsos ex claue, seu potestate eius: quia potestas clauis exercetur per absolutionem, quæ ex significatione directè refertur ad remissionem peccati per se, & personam pœnitentis, non verò ad actus eius, aut virtutem influxam in actus.

Responsio saluat cōclusionem præmissam.

Actus pœnitentis ex clauibus sortiūtur perfectiorem effectum.

Perfectio hæc reducitur in Sacramentū, vt causam per se.

In dispositionem verò vt conditionem.

Absolutio respicit directè peccatum.

Dices, secundùm te, requiruntur ex diuina institutione actus pœnitentis, neque repugnat eis habere illam efficaciam ex eadem institutione: vnde ergo colligis non habere talem efficaciam? Respondetur dubium non esse, quin Deus illam efficaciam eis conferre potuerit. Quòd autem non contulerit, colligitur ex dictis *in quæst.* 4. *dist.* 14. ex fundamentis pro conclusione Doctoris allatis: quia remissio peccati, vt effectus debet correspondere potestati remittendi, & ligandi, quæ est in Præpositis & sacerdotibus solis. Sicut potestas ordinaria est in iudice, non autem in reo: quamuis requirat alia, quæ ordinatur ad ordinem iudicialem: exercitium autem talis potestatis est absolutio, in qua ex Trid. *præcipua vis huius Sacramenti est sita.* Hinc colligo quòd illa virtus non sit per se in pœnitente, aut actibus eius ex opere operato. Præterea in eodem gradu requiritur dolor de pecato commisso in ordine ad Baptismum & Pœnitentiam: respectu autem Baptismi se habet vt dispositio, vt patet ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 6. 7. & 8. non autem vt pars Sacramenti est: quia virtus sanctificandi tribuitur aquæ à Scriptura, & Patribus: eodémque modo potestas absoluendi, & ligandi solis sacerdotibus. Dolor autem de peccato ex lege ordinaria se habet vt dispositio in ordine ad remissionem peccati, de lege particulari, & institutione huius Sacramenti per modum tribunalis, & iudicij, non sequitur habere aliam rationem causandi, sed magis oppositum, cùm ex natura rei omnis efficacia eius debet fundari in potestate iudiciaria. Hinc colligo sicut contritioni non competit causare ex opere operato per modum Sacramenti, sic etiam neque confessioni, quæ ex natura sua ordinatur ad informationem præuiam iudicis, & cognitionem causæ. Idem de satisfactione, quæ tantùm ordinatur pro pœna remanente post Sacramentum, & ad quam eius efficacia non extenditur.

7 Replica.

Soluitur.

Virtus absolutionis.

Attritio in ordine ad Baptismum, & Pœnitentiam eodem modo requiritur.

Obiicies Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. vbi postquam ostendit necessitatem doloris de peccato ad effectum remissionis etiam ante Baptismum, subdit: *Porro nec ante aduentum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec est post aduentum illius cuiquam ante Baptismum*, &c. Vbi loquitur de pœnitentia virtute, & appellat Sacramentum, post Baptismum peccanti. Respondetur obuiam locum malè à quibusdam obiici: quia in his verbis non agit de pœnitentia virtute; sed de pœnitentia Sacramento; caput enim illud est de necessitate, & institutione Sacramenti. Necessitatem pœnitentiæ virtutis ostendit in verbis præce

8 Obiectio ex Tridentino.

Responsio.

Processus Cōcilij.

præcedentibus ex Ezechiele *cap.* 18. & 13. Ioël 2. & *Act.* 2. tandem in verbis allegatis ostendit materiam eius esse peccatum commissum post Baptismum, & subdit eius institutionem factam fuisse *Ioannis* 20. cùm data est potestas ligandi, & soluendi Apostolis: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflauit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittantur eis,* &c. *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit,* &c. Sicut ergo institutio Sacramenti fuit per collatam potestatem ligandi, & soluendi, ita etiam eius significatio & virtus consistit in eadem potestate exercita, quod fit per sententiam absolutionis. Vnde idem Tridentinum *cap.* 4. dicit dolorem illum in genere, vt comprehendit perfectum, & imperfectum, præparare ad remissionem peccatorum, quod perinde est, ac disponere: & distinguit ipsum à Sacramento, vt est circunstantionatus; & necessariò requiri asserit cum talibus circunstantiis, vt ritè Sacramentum suscipiatur, in initio capitis: & in fine loquens de attritione, dicit: *Quamuis*, inquit, *sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit,* &c. & *Canone* 5. Similiter dicit dolorem esse præparationem ad gratiam: præparatio autem, & dispositio idem sunt ex stylo Concilij in capite iam citato, & ex sess. 6. cap. 5. 6. 7. *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur,* &c. Ex his ergo patet veritas huius conclusionis, quam præmisit Doctor.

9 *Ad primum respondetur.*

e *Ad argumenta,* &c. Ad primum respondet, vni peccato rectè correspondere posse plures pœnas partiales. Quod declarat in responsione ad secundum.

Ad secūdum.

Ad secundum, respondetur ex pluribus partialibus pœnis abstrahi conceptum pœnæ, quæ correspondeat peccato. Alio modo, plures pœnæ per modum adæquatæ, & totius integralis correspondent eidem, secundùm æqualitatem rectæ rationis, cuius medium sequitur pœnitentia, sicut & iustitiæ commutatiuæ. Exemplum, si puniatur morte, & pœna pecuniaria, vtraque simul integrant adæquatam, & ab vtraque etiam quatenus diuersæ sunt, & in diuersis materiis, vt in vita, & bonis fortunæ, potest abstrahi conceptus communis: sic ergo pœnitentia vt sumitur pro pœnæ tenentia, potest prædicari de contritione, confessione, & satisfactione, vt includunt tenentiam voluntariam pœnæ adiunctæ: quamuis neutra sine alia integret totalem pœnam debitam peccato.

Pœna integraliter sumpta.

Ad tertium.

Ad tertium, respondet hos actus non esse partes formaliter inclusas in pœnitentia virtute, aut Sacramento: sed eos posse dici virtualiter, & remotè includi in actu pœnitentiæ virtutis, quà imperantur ab ipsa.

Ad quartum.

Ad quartum, respondet quòd actus eliciti, & imperati virtutis pœnitentiæ sint fructus pœnitentiæ: quamuis opus laboriosum externum non sit fructus pœnitentiæ, vt sumitur pro *puniri* quarto modo.

10 *An requiratur actus pœnitentiæ specialis.*

Petes, an ad deletionem peccati requiratur actus proprius huius virtutis pœnitentiæ, vt est specialis virtus? Ratio difficultatis est, quia contritio elicita de peccato ex fine, aut motiuo intrinseco charitatis est efficax ad deletionem peccati, secluso actu alterius virtutis. Item, quia Doctor *supra* docet *qu.* 1. & 2. *dist.* 14. variis in locis, quatuor modos pœnitentiæ efficacis, quorum quilibet sufficit ad deletionem peccati, adhibitis circunstantiis.

Responsio, requiri regulariter.

Respondetur, regulariter requiri actum pœnitentiæ virtutis ad deletionem peccati: quod supponit Doctor in responsione ad vltimum, & penultimum, qua sunt tertium, & quintum ad oppositum: ad quartum enim & quintum simul respondet. Patet ex §. primo, & secundo huius quæstionis: & idem supponit *dist.* 14. *quæst.* 2. *in fine.* §. *Si quæratur de illis quatuor,* &c. vbi supponit iustitiam, & charitatem se inuicem imperare, in responsione ad quæsitum. Probatur, quia pœnitentia vt est specialis virtus, nullam alioquin haberet efficaciam circa peccatum, ac proinde non esset ponenda virtus specialis. Secundò, Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. dicit exigente diuina iustitia non remitti per Pœnitentiam Sacramentum totam pœnam temporalem sine magnis nostris fletibus, & laboribus, id exigente diuina iustitia: ergo exigitur talis pœna in vindictam peccati, ac proinde in sic vindicante exigitur actus virtutis pœnitentiæ. Dices hoc tantùm probare necessarium esse quoad remissionem pœnæ temporalis, non verò quoad remissionem peccati. Contrà, hoc non refert: quia ista coniunguntur, quia saltem ex diuina iustitia vindicatiua peccati exigitur de facto dolor, & tristitia de peccato commisso, neque aliter sine tali afflictione, & pœna dimittitur peccatum: ergo fides docet in pœnam peccati personalis mortalis requiri à Deo talem pœnam: ergo quæ docet dolendum esse de peccato, docet de eo dolendum esse in pœnam, & vindictam; ac proinde Concilium *loco citato* dicit pœnitentiam à Patribus vocari laboriosum quendam Baptismum: talis ergo labor, & dolor imperatur à pœnitentia per modum necessariæ satisfactionis, quam Deus exigit.

Probatio.

Responsio.

Impugnatur.

Fides docet vindicandum peccatum.

Tertiò non sufficit, vt rectè Doctor *d. illa* 14. *qu.* 2. contritio, aut detestatio peccati sine voto Sacramenti: sed votum Sacramenti est propositum subeundi iudicium sacerdotum in satisfactionem peccati, & faciendi quidquid præscripserint in eius vindictam: ergo nequit abstrahere à pœnitentia virtute, cuius est exigere talem satisfactionem. Hoc patet in voto confitendi, quod est accusandi, & diffamandi se coram iudice in pœnam sceleris commissi, qui est actus iustitiæ vindicatiuæ: accusatio enim ordinatur ex se ad punitionem sceleris. Dixi in conclusione *regulariter*, quia si casu daretur contritio, adeò absorbens mentem, vt non permitteret eam considerare motiuum vindictæ, talis videtur sufficere, sicut & votum implicitum Sacramenti; sed raró fortè euenire contingit casus: quia fides, quæ docet de peccato pœnitendum, docet etiam vindicandum commissum. Conclusionem tenere debent omnes, qui constituunt actum proprium huius virtutis in detestatione peccati, quatenus offensa Dei est; quia sine hoc non contingit contritio secundùm Tridentinum; quidquid ipsi dixerint postea. 11

12 *Reiicitur explicatio Faventini.*

Philippus Faber admittit casum oppositum conclusioni: sed meo iudicio non rectè scotizat: Doctor

Doctor enim actum doloris, seu detestationis peccati ponit effectum remotum, seu actum imperatum pœnitentiæ virtutis, ostendens quomodo volũtas seipsa circulariter vtitur ad finem diuersarum virtutum: sed actus imperatus, quà talis, supponit imperantem.

Ad rationem dubitandi respondetur.

Ad rationem dubitandi patet ex dictis, nempe actum contritionis illo modo sufficere, modò adsint aliæ circunstantiæ, de quibus agit Concilium tanquam necessariis ad veram pœnitentiam, & Christianam, *sess.6. c.14. & sess.14. cap.4.* de quibus est votum confitendi, quod non habetur regulariter sine actu pœnitentiæ vindicante peccatum. Ad Doctorem respondetur pœnitentiam quocunque modo ex dictis sufficere in ratione doloris disponentis ad remissionem, de quo ipse agit: sed regulariter etiam supponit illum dolorem imperari à pœnitentia, vt patet ex locis citatis: & semper habetur in virtute in omni casu, quo dolor est efficax, & sufficiens.

QVÆSTIO II.

Vtrùm remissio, vel expulsio culpæ, & infusio gratiæ sit vna simpliciter mutatio?

Alens. 4. *part. qu.* 17. *m.* 4. *art.* 6. §. 2. *aliàs qu.* 72. *m.* 1. D.Thom. 1. 2. *qu.* 113. *art.* 1. D.Bonau. 4. *dist.* 17. 1. *p. art.* 1. *qu.* 1. Richard. *d.* 15. *a.* 1. *q.* 7. *&* *d.* 17. *art.* 4. *q.* 2.

SEcundò quærò, Vtrùm remissio, vel expulsio culpæ, & infusio gratiæ sint 1
vna simpliciter mutatio? Videtur quòd non: Augustinus de vera & falsa *Arg.* 1.
pœnitentia, & ponitur in littera huius distin. cap. 2. *Dolendum est peccatori, non solùm quòd peccauit: sed quia se virtute priuauit.* Ex quo sequitur, quòd peccare non est se formaliter priuare virtute, nec peccatum formaliter est priuatio virtutis, sed infusio gratiæ, quæ est virtus, si est formaliter expulsio alicuius priuationis, non est nisi priuationis propriæ: ergo non est ipsa expulsio culpæ: ergo est alia materia doloris priuatio virtutis, & ipsa culpa: ergo per oppositum expulsio culpæ, virtutísque restitutio, est alia, & alia materia gaudij.

Argum. 2. *Vitia non sunt priuationes, sed habitus.*

Item, in moralibus corruptio vitij est alia mutatio ab inductione virtutis: ergo similiter hîc. Probatio antecedentis, vitium est quædam qualitas positiua, vt timiditas, vel parcitas: non enim omnis carens fortitudine est timidus, sed habens habitum inclinantem ad timendum: nec omnis carens liberalitate est parcus, sed qui acquisiuit habitum ex frequenter parcè agere. Patet etiam inducendo in vitiis, quia extrema inclinant potentias virtualiter ad habitus sibi conformes, sicut media ad actus sibi conformes: & ista inclinatio non est per solam priuationem, sed quando sunt formæ positiuæ oppositæ, quarum vna succedit alij, sunt aliæ mutationes, quia quatuor termini, vt patet in alterationibus à contrario in contrarium.

Item, generatio & corruptio sunt duæ mutationes propter quatuor terminos, scilicet duas priuationes, & duas formas: sed hîc est corruptio peccati, quod infuit, & 2 *Argum.* 3.
quædam generatio in *esse* gratuito, quando gratia infunditur: ergo duæ mutationes.

Item, dispositio, & illud ad quod disponit, non sunt idem: expulsio culpæ disponit *Argum.* 4.
ad infusionem gratiæ. Probatio, quia per expulsionem culpæ est non inimicus, per infusionem verò gratiæ est amicus: sed non esse inimicum disponit ad esse amicum, & posset ex hoc formari ratio principalis, quia non est idem desinere esse inimicum, & incipere esse amicum: sed per expulsionem culpæ desinit esse inimicus, per infusionem gratiæ incipit esse amicus: ergo, &c.

Contrà, si expulsio culpæ sit alia mutatio ab infusione gratiæ, aut ergo erit muta- 3
tio positiua, vel priuatiua; vel (vt alij loquuntur) deperditiua, vel acquisitiua. Non *Ratio* 1. *ad opp.*
acquisitiua, quia mutationis positiuæ terminus *ad quem* est aliquid positiuum: illius autem expulsionis terminus *ad quem* positiuus non est alius à gratia. Nec priuatiua, quia tunc terminus *à quo* esset positiuus: sed culpa non est aliquid positiuum: ergo, &c.

Item, si sit alia mutatio hæc, & illa, aliquem ordinem habebunt inter se prioris, & *Ratio* 2.
posterioris, quia ordinantur ad eundem finem, & non ex æquo, quia non æquè immediatè attingunt illum: sed non est ibi dare ordinem: ergo, &c. Probatio minoris, quia si expulsio esset prior natura: ergo in illo priori esset ille amicus, & tamen non amicus: quia non habens gratiam sine qua nullus est amicus. Si etiam infusio gratiæ esset prior in illo priori, esset amicus, quia habens gratiam; & tamen inimicus, quia habens adhuc culpam.

SCHO

SCHOLIVM.

Remissionem culpæ, & infusionem gratiæ non esse vnam mutationem. Primò, quia primum plurificari potest cum vnitate secundi. Secundò, potest primum esse sine secundo, & è contra. Tertiò, formaliter non repugnant culpa, & gratia, aliàs posset creatura annihilare gratiam; sed vnica mutatio tantùm est inter formaliter repugnantia. Quartò, vna priuatio non est nisi à propria priuatione ad propriam formam. Vide Scot. suprà, d.1.q.6. §. Contra istam, & d.14.q.1.art.2.& 2.d.28.q.1.

4 *Conclus. 1. Vide Var. in 4 q. præsenti.* RESpondeo [a], hæc sit prima conclusio, quòd infusio gratiæ, & expulsio culpæ, seu magis, propriè loquendo, remissio culpæ, non sunt simpliciter vna mutatio. Hoc probatur quadrupliciter, Primò sic, idem simpliciter non potest plurificari, & non plurificari simul, & hoc accipiendo vniformiter identitatem, & plurificationem, puta si realiter, realiter, & si ratione, ratione: hoc enim includit oppositum primi principij; quia idem, vt est idem, esset vnum, & non vnum; sed remissiones culparum sunt multæ, quando non est nisi vna infusio gratiæ: eo enim modo, quo quis dicitur peccator post actum peccati transeuntem, dicitur peccator à multis culpis postquam multas commisit: & illarum quælibet habet propriam remissionem, quia quælibet remissio posset esse sine alia, si tantùm illam culpam commisisset, & non aliam. *Remissio culpæ, & infusio gratiæ nō sunt vna mutatio.*

Item secundò sic, idem non separatur ab eodem, accipiendo vniformiter identitatem, & separationem, puta si realiter, realiter, & si ratione, ratione (quia etiam hoc includit oppositum primi principij, scilicet quòd idem, vt est idem, simul sit, & non sit) sed remissio culpæ, & infusio gratiæ possunt ab inuicem separari. Probatur tam comparando primum ad secundum, quàm è conuerso: posset enim in statu innocentiæ in genere humano, (& ita factum est in Angelis, qui non peccauerunt) gratia infundi absque culpæ remissione, quia nulla culpa infuit. Similiter potest culpa remitti absque hoc, quòd gratia infundatur: potest enim Deus de potentia absoluta hominem creare in puris naturalibus sine culpa, & sine gratia: ergo & post lapsum talem reparare, & ita remittere culpam sine infusione gratiæ. Euidentia istiùs rationis patet *suprà in quæstione de Circumcisione, dist. 1.* *Remissio culpæ potest esse sine gratiæ infusione, & è contra.* *quæst. 6.*

5 *Culpa non opponitur formaliter gratiæ.* Tertiò sic; culpa, & gratia non sunt formaliter opposita, nec formaliter repugnantia. Probatio, quia tunc agens effectiuè, vel defectiuè potens super *esse* vnius, posset effectiuè, vel defectiuè super *non esse* alterius; vt patet vniuersaliter in incompossibilibus: voluntas autem creata potest effectiuè, vel defectiuè super *esse* culpæ, quia ab ipsa est culpa: ergo ipsa posset effectiuè, vel defectiuè super *non esse* gratiæ, quod est falsum, quia gratia non destruitur nisi annihiletur; sed creatura non potest aliquid annihilare. Patet ergo prima propositio, scilicet quòd non est formaliter repugnantia inter culpam, & gratiam: sed non est vnica mutatio ab aliquo, vt à termino *à quo*, ad aliud vt ad terminum *ad quem*, nisi illa sint formaliter repugnantia: ergo, &c. *Vnica mutatio est tātùm inter formaliter repugnantia.*

Quartò sic; vna mutatio non est ad formam positiuam, nisi à propria priuatione ejus: culpa vt ab ea post actum dicitur aliquis peccator, non est propria priuatio gratiæ, quia vnica gratia non habet, nisi vnicam priuationem: multæ autem sunt culpæ hoc modo, vt dictum est in prima ratione. Nec valet instantia contra maiorem, quòd aliqua mutatio habet vtrumque terminum positiuum: quia istius mutationis, quæ est ad gratiam, per se terminus *à quo* est priuatio; & per consequens propria priuatio termini *ad quem*.

COMMENTARIVS.

1 *Cōclusio prima. Iustificationē non esse simplicem mutationem.* a RESpondeo, hæc sit prima conclusio, &c. In hac conclusione negat Doctor infusionem gratiæ, & remissionem culpæ esse simpliciter vnam mutationem. Per vnam mutationem simplicem intelligit transitum de priuatione, aut negatione ad formam, aut contrà, de forma in priuationem, & negationem *ex 5. Phys. text. 30.* Probationem subiungit primò, quia culpa est multiplex, vel esse potest, sicut & eius remissio; infusio autem gratiæ est simplex: idem autem, vt est idem, semper est idem, & vnum, quod est primum principium: ergo remissio, quæ est multiplex, nequit esse vna cum infusione gratiæ. Secundò probat, quia infusio gratiæ, & remissio culpæ separari possunt ab inuicem, vt patet in Angelis, quibus infusa est gratia sine remissione culpæ, ita in Christo, & Virgine. Item, de potentia absoluta potest peccatum remitti sine infusione gratiæ, vt patet, si Deus crearet aliquem in statu puræ naturæ sine culpa, & gratia, & lapso remitteret peccatum non infusa gratia, vt posset. Quin etiam id posse de facto *Probatio prima. Peccatū multiplex, gratia est vna.* *Secunda probatio. Infusio gratiæ, & remissio peccati separari possunt. Remitti potest culpa sine gratia.*

facto *suprà* ostendimus. Ad has rationes Doctoris, quibus probat distinctionem, seu non identitatem harum mutationum, per viam contradictionis, quæ est sola ratio colligendi distinctionem inter quæcumque extrema, & quocumque modo distincta. Respondet Caietanus 1. *part. quæst.* 113. *art.* 6. quòd idem secundùm idem non multiplicatur: culpæ autem in substantia sunt eædem, quia conueniunt in ratione culpæ, & offensæ, seu auersionis à Deo; multiplicantur verò per accidens: vnde remissio culpæ secundùm substantiam non multiplicatur, sed secundùm rationem, vel secundùm accidens; ita respondet ad primum. Ad secundum respondet, quòd ea, quæ sunt idem conuertibiliter, non separantur, sed quæ sunt idem non conuertibiliter possunt separari, verbi gratiâ, animal, & homo.

Responsio Caietani.

Culpas non multiplicari secũdùm substantiã: sed per accidens.

Conuertibilia non posse separari.

2 *Impugnatio.*

Contrà, culpa non solùm remittitur secundùm rationem generalem offensæ, & auersionis; sed etiam secundùm rationem specificam, & indiuidualem, verbi gratiâ, homicidium, furtum, infamia: neque sola ratio generalis est substantialis culpæ: sed magis, vel æquè ratio specifica, & indiuidualis. Hinc debet in specie, & numero confiteri peccator sua peccata de necessitate remissionis; vt docet Trid. *cap.* 5. loquendo de mortalibus: & hæc confessio eorum per se ordinatur ad remissionem, & absolutionem peccatorum, quibus sub hac ratione correspondet propria macula, & pœna tam damni, quàm sensus æterna; eis autem remissis satisfactio propria, & pœna temporalis: ergo culpæ in ordine ad remissionem etiam multiplicantur quoad substantiam, & non quoad accidens tantùm: ergo si non sunt eædem, remissio eorum erit diuersa quoad rationes particulares, & ab infusione gratiæ, vt benè argumentatur Doctor. Neque refert, si dicas non requiri dolorem specialem de singulis peccatis, sed sufficere generalem, qui sit de ipsis sub ratione offensæ: quia aliud dicendum est de remissione, aliud verò de dolore: dolor enim requiritur tantùm vt dispositio, & sufficit quicumque, per quem voluntas est correcta ab impietate ad pietatem, & quo auertitur à peccato cum firmo proposito non peccandi ampliùs, & voto Sacramenti: sed remissio exigitur respectiuè ad maculam delẽdam, etiam in specie, & in indiuiduo. Vnde Trident. *loco citato* ostendens necessitatem confessionis integræ peccatorum iure diuino, subiungit rationem: *Quia Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes suipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderant, quo pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam promerent,* &c. Vnde colligitur Sacerdotes sententiam promere remissionis directè super peccata proposita in specie, & numero, quà talia sunt, & non sub ratione generica offensæ. Imò cùm omnia sint æqualia in ratione illa generica, sequeretur non esse necessariam confessionem eorum in specie, aut numero: quod planè est contra omnem rationem recti iudicij, in quo de crimine hîc, & nunc cognoscitur in specie, & in indiuiduo: alioquin sententia esset nulla in quocumque foro. Quod etiam patet ex sequentibus verbis Concilij.

Substantia culpæ etiam à specie est.

Confessio in specie peccati requiritur ad remissionem.

Pœna peccati in specie.

Responsio. Impugnatur.

Aliter se habet dolor, aliter remissio. Dolor ad conuersionem, remissio ad delenda culpã.

Trident.

Cur integra confessio ad remissionem exigitur.

Sententia per se respicit directè speciem, & numerum culparum.

3 *Constat enim Sacerdotes*, inquit, *iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent*, &c. Vnde sequitur necessitate sententiæ remissiuæ, & retentiuæ confessionem integram induci: ergo remissio, quæ procedit ex sententia, & regula, qua cognoscit iudex crimen, debet referri ad peccata in specie, & numero ex Concilio, & non tantùm ad peccata sub ratione generica.

Trident. *Supponit confessionem, vt valida sit.*

Confirmatur, tam iustitia vindicatiua, quàm iudex, quàm lex particularis, quæ procedunt ex dictamine prudentiæ, respiciunt transgressionem in specie, & numero, & non sub ratione generali præcisè sumpta: ipsa etiam peccata, vt opponuntur virtuti huic, aut illi in particulari, cadunt sub cognitione, & inquisitione, & vindicatione: & aliter non competit eis ratio offensæ in praxi, aut iudiciis, aut sententiis, aut in oppositione ad legem, aut rectitudinem oppositam, quamuis speculatiuè loquendo possit ab eis abstrahi aliqua ratio communis, quæ sicut non habet rationem operis in particulari, quod seorsim cadit sub potestate liberi arbitrij, aut prohibitione legis, nihil facit ad praxim: ergo ratio peccati in particulari est quod spectat ad legem, & sententiam, & consequenter ad remissionem, aut condemnationem: ergo in hac sola attenditur substantia peccati, vt cadit sub remissionem. Quod magis declaratur ex Physicis: nam nihil est producibile primò, aut corruptibile, nisi quod in specie, & in indiuiduo existit, nisi fingere vellemus ideas: ergo similiter cùm remissio primò respiciat peccatum, qua potest deleri, & corrumpi (vt abusiuè loquar) ita etiam respicit peccatum in specie, & in indiuiduo primò, & per se, & non secundùm rationem genericam, aut transcendentalem. Patet consequentia, quia nulla gratia infunditur, aut iustificat peccatorem, nisi in indiuiduo communicetur, ita vt infusio, quæ est actio productiua gratiæ, respiciat primò gratiam in indiuiduo, & non in gradu generico, aut transcendenti: ergo similiter remissio peccati respicit peccatum in indiuiduo, & non in genere.

Confirmatio.

Processus necessarius iudicialis quoad crimen in specie.

Ratio offensæ in praxi est specifica, & indiuidualis.

Ratio generica per se nõ cadit in opus.

Declaratur ex Physicis.

Gratia datur in indiuiduo vt iustificat.

Patet ex interrogatione Christi ad Pharisæum, & responsione ipsius data Christo, & approbata: vt quando creditor dimisit vni quingentos denarios, alteri quinquaginta; & interrogat Christus, *Vter horum magis diligit* creditorem. Respondet Simon quòd *ille qui plus dimisit*, &c. Hæc responsio approbata à Christo, supponit dimissionem spectari secundùm numerum debiti, & augmentum: ergo in specie, & in indiuiduo tot erant remissiones peculiares, quot erant debita pecularia: hoc non esset verum, si debitum tantùm consideraretur, vt remissum secundùm rationem genericam: ergo tot sunt remissiones peccatorum, quot sunt peccata remissa: nam Christus hanc parabolam refert ad remissionem peccatorum. Vnde rectè procedit primum argumentum Doctoris tam in Moralibus, quàm Physicis: nam si essent plures formæ in subiecto, quibus aliqua alia inducta repugnaret, tot fierent corruptiones, quot formæ deperderentur, & tot mutationes subiecti secundùm corruptionem. Ita similiter, quamuis peccata mortalia sint connexa remissione, quia non datur status medius inter filium Regni,

4

Parabola debitoris.

Responsio Christi.

Refertur ad debita multiplicata peccatorum.

Tot sunt corruptiones quot formæ corruptæ.

Cur mortalia remissione connexa

gni, & gehennæ: tamen remiſſiones tot eſſe conſtat, quot ſunt peccata: ergo nequit eſſe ſimplex mutatio infuſio gratiæ, & remiſſio plurium peccatorum: ſicut neque generatio, & corruptio ſunt vna ſimplex mutatio.

5 *2. Reſponſio Caietani, & exempplum reijcitur.*

Per hoc manet impugnata ſecunda reſponſio Caietani: exemplum autem, quod adducit, non eſt commodum; quia non ita ſe habet infuſio gratiæ ad expulſionem peccatorum, ſicut animal ad hominem, quod eſt prædicatum genericum: ſed ſe habent gratia, & peccatum ſicut termini eiuſdem mutationis, ſi mutatio eſt ſimplex: quia iuſtificatio inuoluit mutationem ſubiecti propriè dictam, vt de ea hîc loquimur, quod eſt aliter ſe habere reſpectiuè ad prædicata contradictoria, ſeu priuatiua, id eſt, ad formam, & negationem: ergo ſi gratia dicit habitum, & peccatum dicit priuationem, mutari nequit ſubiectum ad habitum, niſi etiam aliter ſe habeat ad priuationem, & conſequenter ſe habent conuertibiliter adæquatè, ſi ſit ſimplex mutatio, quia nequit priuatio in eodem ſubiecto multiplicari, non multiplicato habitu: ergo neque mutatio ad expulſionem priuationis multiplicari, niſi etiam multiplicetur mutatio in ordine ad habitum: ſed multiplicatur mutatio in ordine ad peccatū, quod in ſubiecto multiplex eſt: ergo hæc mutatio nequit eſſe eadem cum infuſione gratiæ.

Iuſtificatio eſt mutatio.

Reſponſio. Dices, de facto ſecundùm omnium opinionem per infuſionem gratiæ tolluntur omnia mortalia: quamuis illa infuſio ſit ſimplex mutatio. *Impugnatio.* Contrà, de hoc non diſputatur: id enim ſupponitur tamquam de fide: ſed diſputatur, *An illa infuſio gratiæ reſpectiuè ad remiſſionem peccatorum ſit eadem ſimplex mutatio?* *Scopus quæſtionis.* Negat Doctor, quamuis admittat gratiæ infuſæ annexam eſſe remiſſionem cuiuſcumque culpæ ex diuina ordinatione, qua acceptat ad hæreditatem hominem mediante gratiâ, & remittit debita propter Chriſtum: & hanc remiſſionem diuerſum eſſe beneficium ab infuſione gratiæ, vt *infrà* patebit, & tot eſſe remiſſiones peccatorum, quot peccata remittuntur, quamuis ſimplex ſit infuſio gratiæ. *Diuerſa beneficia ſunt gratia, & remiſſio.* Vnde rectè colligit non eſſe eandem mutationem: ſicut neque peccatum eſſe priuationem Phyſicam gratiæ, ſed tantùm demeritoriam, & inferre priuationem propriam gratiæ.

6 *2. Ratio Doctoris prol atur, & declaratur.*

Non eſſe eandem mutationem probat Doctor, quia ſeparari poſſunt: quia infuſio gratiæ poteſt eſſe, loquendo etiam de prima gratia, abſque remiſſione culpæ, vt fuit in Angelis, in primo homine, in Chriſto, in Beata Virgine. Inſtantia autem Caietani, aut diſtinctio non ſoluit hoc argumentum, vt patet ex dictis; *Inſtantia reijcitur.* quia animal, vt eſt in bruto, non eſt idem animal quod eſt in homine, maximè in ordine ad mutationem: ſed mutatio ſimplex, vt ſaluetur, debet eſſe in terminis per ſe eius, vt inter negationem & formam; aut habitum, & priuationem. *Reſponſio.* Dices gratiam primam, quæ data eſt Angelo, & homini, ſupponere tantùm ſui negationem extra genus, & ſic ſaluatur mutatio ſimplex inter prædicta contradictoria, verbi gratiâ, calor in aqua ſupponit negationem, & calefactio aquæ eſt mutatio ſimplex inter illam negatiuam, & formam; in igne autem, qui exigit naturali inclinatione illum calorem, mutatio eſt inter priuationem, & formam. Aut ponatur exemplum clarius in corpore, quod eſt indifferens quantùm ad inclinationem ad albedinem, & nigredinem ſeorſim, productio alterutrius eſt mutatio inter negationem & formam; at in cygno & Æthiope eſt inter priuationem & formam. *Exemplum* Eodem modo eſt in Angelo, & homine: quia productio primæ gratiæ in vtroque fuit mutatio inter negationem, & formam, ſi vera eſt ſententia Angelum primum productum fuiſſe in *eſſe* naturæ, & ſe diſpoſuiſſe ad gratiam, & ita de homine: vel certè illud non repugnat; ſed quando infunditur gratia peccatori, eſt inter priuationem, & formam mutatio: *Infuſio gratiæ in primo homine, & Angelo fuit mutatio ſimplex.* ergo exemplum Doctoris non vrget: quamuis enim infuſio gratiæ poſſit eſſe non ſuppoſito peccato, inde non ſequitur, quin infuſio eius, ſuppoſito peccato, ſit mutatio eadem, & ſimplex cum remiſſione peccati.

7 *Impugnatur præmiſſa reſponſio.*

Contrà, priuatio gratiæ ſupponit debitum gratiæ, ſiue Phyſicum ex inclinatione naturæ, ſiue morale, & ex diuina inſtitutione. Primum negant aduerſarij, quia gratia ſupponit in ſubiecto potentiam tantùm obedientialem ante, & poſt gratiam collatam, quam peccatum, aut quicumque alius ſtatus naturæ non variat: *Potentia obedientialis ad gratiam.* ergo loquendo de priuatione Phyſica, & naturali gratiæ, nulla talis datur, cùm in natura non ſit inclinatio naturalis ex principiis ipſorum: ergo etiam peccatum non eſt priuatio Phyſica, & naturalis gratiæ, vt benè probant rationes ſequentes Doctoris: ergo neque infuſio gratiæ, & remiſſio peccati eſt in conſideratione Phyſica, vna mutatio ſimplex inter formam, & priuationem eiuſdem generis: *Peccatum nō eſſe priuationem naturalem gratiæ.* ergo neque ex infuſione & effectu formæ, quæ eſt gratia, loquendo phyſicè, & ſecundùm naturalem conſiderationem, ſequitur remiſſio peccati, ſed ex cauſa aliqua extrinſeca, nempe diuina voluntate remittente peccatum ex infuſione gratiæ, ſicut cauſat effectum, verbi gratia, Sacramenti ex applicatione Sacramenti, vt *ſuprà diſt.* 1. *quæſt.* 1. eſt dictum. Hæ conſequentiæ ſuo ordine ſequuntur ad antecedens, quod eſt aduerſariorum: ſed repugnat dari mutationem ſimplicem, niſi inter formam, & negationem, aut priuationem eius; neutra horum eſt peccatum reſpectu gratiæ: ergo repugnat infuſionem gratiæ eſſe eandem ſimplicem mutationem cum remiſſione peccati. *Mutatio ſimplex.* Subſumptum probatur, quia mutatio ſimplex eſt à *non eſſe* formæ ad eius *eſſe* tanquam inter extrema priuatiua, aut negatiua, vt dictum eſt, & ſupponimus ex Phyſicis. Conſequentia probatur, quia hæc mutatio ita ſaluatur, vt expoſitione formæ ſequatur expoſitio ſui *non eſſe*: quod ſupponitur.

8 *Confirmatio. Ex diuerſa determinatione diuinæ voluntatis ad remiſſionem, & infuſionem.*

Confirmatur, quia diuerſa determinatio eiuſdem cauſæ requirit etiam diuerſam rationem effectus, & mutationem diuerſam ſubiecti, vt reducitur in actum à cauſa efficiente, alioquin varietas determinationis in cauſa eſſet ſuperflua in ordine ad effectum, & ſubiectum: ſed remiſſio peccati requirit diuerſam determinationem in diuina voluntate ab ea, qua determinatur ad infuſionem gratiæ; ergo & aliam mutationem, & effectum in ſubiecto, vel realem, vel rationis: quia tam infuſio gratiæ, quàm remiſſio peccati à Deo ſolo fit, loquendo de cauſa principali, & non inſtrumentali, aut meritoria. Probatur minor, quia ex infuſione gratiæ non tollitur

tollitur aliquid à subiecto, nisi quòd in se priuatio est Physica gratiæ, aut negatio, aut certè forma contraria, & incompatibilis: sed neque peccatum est priuatio gratiæ Physica, neque etiam negatio in hoc genere, si autem est forma contraria (quod repugnat, physicè loquendo, & patet ex aliàs dictis) ad ipsam est diuersa mutatio ab infusione gratiæ: ergo ex infusione præcisa gratiæ non sequitur remissio peccati: ergo requirit diuersam determinationem diuinæ voluntatis hæc remissio, ab ea, quæ est solius infusionis gratiæ, aut hæc physicè considerantur, & in proprio conceptu.

9 *Responsio peccatū esse priuationē moralem. Impugnatur.* Quòd si dicatur alterum membrum disiuncti præmissi, nempe peccatum esse priuationem moralem gratiæ, sic argumentor: priuatio, quæ fundatur in solo debito morali naturæ non tollitur ex infusione alicuius formæ alterius generis, sed ex voluntate statuentis debitum in natura, nempe Dei: ergo non ex præcisa voluntate, qua infundit gratiam, tollitur illa priuatio; sed ex voluntate extrinseca, qua statuitur repugnantia inter peccatum, & formam gratiæ; de qua hîc loquimur secundùm rationem realem ipsius formæ: ergo neque productio formæ in *esse* entis, aut ipsa forma sic considerata, tollit peccatum, sed forma, vt subest diuinæ institutioni ordinantis talem repugnantiam: sic autem considerata non infert vnam, & simplicem mutationem, sed diuersas, sicut diuersa sunt in ipsa *esse* naturale, & *esse* institutum, sicut in aqua *lauare* & *sanctificare*; in *esse* autem morali sumpta æquiualet tot formis, quot priuant peccata, & sic sequitur tot esse remissiones, quot peccata, sicut & tot esse repugnantias morales in forma, quot sunt peccata, & tot esse effectus remissionis formæ, quot remissiones ex vnica Dei voluntate instituentis cum infusione gratiæ remittere peccata in specie, & in indiuiduo.

Priuatio moralis tollitur per formam oppositam in hoc genere.

Repugnantia gratia ad peccatum inest secūdùm esse morale eius.

Sic æquiualet pluribus formis.

10 Dando ergo peccatum esse priuationem moralem gratiæ, quamuis hoc impropriè dicitur, cùm sit tantùm demeritoria, & quasi efficienter tollens gratiam: sic argumentor, saluando instantiam Doctoris, quamuis ipse in sensu Physico, & naturali loquatur. Debitum habendi gratiam non oritur ex peccato: quia supponitur inclinatio ad priuationem, quæ est debitum habendi formam: ergo illud debitum fuit in Angelo, & in homine primo ante gratiam collatam, vel certè esse potuit: ergo distinctio illa in responsione data non subsistit. Antecedens probatur, quia debitum morale habendi gratiam non est, nisi à Deo, qua Angelum & hominem determinauit creare in ordine ad finem supernaturalem mediante gratiâ adoptionis; sed hæc voluntas præcessit generaliter in Deo ante creationem, & ad illam ordinata est creatio sicut & gratia: ergo quodcumque debitum morale gratiæ, quod fuit in homine, & Angelo ex diuina misericordia, & bonitate sic eos ordinante, fuit etiam in illis ante gratiam receptam: ergo negatio gratiæ supposita ante eius infusionem fuit etiam priuatio gratiæ hoc modo: sed non fuit peccatum: ergo peccatum est alterius rationis à priuatione morali gratiæ hoc modo sumptæ: ergo sicut infusio gratiæ prima Angelo non fuit remissio culpæ, ita etiam neque infusio eius peccatori est remissio culpæ in formali, & præcisa acceptione remissionis; sed alia, vel non eadem, quæ est consequentia Doctoris.

Debitū gratia non oritur ex peccato.

Fuisse in Angelo, & primo homine.

In quo fundatur illud debitum.

Est ex electione generali.

Negatio in hoc debito fundata est alterius rationis à peccato.

Fuit priuatio in Angelo.

Si dicas aliud esse debitum, quod supponit priuatio peccaminosa ex parte subiecti præter debitum finis, nempe debitum, quod determinatur mediante diuina voluntate, vt decernit legem. Contrà, non inducit lex debitum aliquod in natura rationali, nisi operandi secundùm legem; hoc debitum non determinat gratiam habitualem, sed ipsum opus in specie, seu actum secundum, & non primum; media conseruandi gratiam, & non ipsum finem, quæ est gratia; ergo peccatum ratione huius inclinationis, seu debiti moralis nequit esse priuatio gratiæ, sed solius rectitudinis in actu secundo, quem solùm respicit ipsa lex, & est priuatio medij, & non finis: sed alia est mutatio, quæ attenditur quoad secundum actum, & medium à priuatione gratiæ, & finis: vnde neque positio finis est positio medij, neque positio actus secundi est positio actus primi: ergo neque priuationes his oppositæ sunt termini eiusdem mutationis simplicis, & consequenter neque peccatum, quod consistit in priuatione rectitudinis actus secundi, est priuatio actus primi, aut habitualis; ex quo sequitur remissionem peccati non esse infusionem habitus gratiæ, licèt sit connexa. 11

Responsio. Peccatū fundari in debito legis. Impugnatur.

Lex respicit actum secundum, & non primum, medium, & non finem.

Ex his patet tertia ratio Doctoris, quæ est ex communi suppositione Theologorum antiquorum, quam *suprà* aliàs *dist. prima* probauimus, nempe gratiam creari. Quo supposito, probat Doctor tertiò conclusionem: gratia, & peccatum non opponuntur formaliter, aliàs quod posset supra vnum, posset etiam ad destructionem alterius: sed liberum arbitrium potest super peccato: ergo ad destructionem formæ oppositæ, si gratia esset forma opposita: sed hoc non, quia non desinit per mutationem in subiecto, sed per annihilationem; quia creatur. Quotquot negant gratiam creari, sed educi de potentia subiecti, negant suppositum huius argumenti. Vasquez etiam 1. 2. *disput.* 91. *cap.* 3. respondet; dato etiam quòd gratia creatur, non sequitur quin corrumpatur per peccatum, quod est oppositum formaliter eius: quia talis oppositio sufficit ad destruendam gratiam. 12

Tertia ratio Doctoris.

Responsio duplex.

Contrà, superiùs ostendimus non esse oppositionem priuatiuam naturalem, de qua est quæstio: neque etiam oppositio contraria, quæ inuenitur in qualitatibus, tanquam inter formas contrarias hîc inueniri potest: nam forma, quæ producitur natura sua id exigente, à solo Deo, & conseruatur; nequit opponi contrariæ formæ, quæ est in potestate causæ naturalis: quia præterquam quòd naturale, & supernaturale in forma iuxta principia aduersariorum, determinant prædicatum intrinsecum formæ, per quod est talis in suo genere: ac proinde sub eodem genere proximo non continentur, data hac hypothesi, neque ex definitione contrariorum sic consequenter opponuntur contrariè. Vlteriùs probatur idipsum ex principio dato: quia ideò per se essentialiter requiritur agens toto genere diuersum ad formam; quæ in sua entitate est talis, & excedit virtutem agentis creati, & omnem eius actionem: ergo non potest talis forma habere oppositionem contrariam ad aliam, quæ 13

Impugnatur. Non esse oppositionem naturalem gratia ad peccatum.

Gratia à solo Deo produci potest ex perfectione sua, quam attingit causa secunda.

quæ includitur in virtute agentis creati : ſed gratia ſiue creetur, ſiue educatur ex potentia ſubiecti, nequit fieri, aut conſeruari, niſi à ſolo Deo; peccatum autem fit viribus liberi arbitrij: ergo non poteſt eſſe oppoſitio formalis contraria ex natura rei inter gratiam, & peccatum: rectè ergo deducit Doctor ex creatione, & annihilatione gratiæ, vel certè ex actione propria Dei, & particulari, non eſſe oppoſitionem formalem inter gratiam, & peccatum: nam ex eo quòd neque eminenter, neque virtualiter includitur gratia ſecundùm gradum vllum ſui in poteſtate agentis creati, ſequitur genere eſſe diuerſam à forma, quam includit in ſua virtute; quando enim agens ſuperioris ordinis requiritur ad effectum ex perfectione effectus, benè probatur perfectio eius, & exceſſus ſuper alio, qui includitur in poteſtate agentis inferioris, & tanta perfectio ſeruata proportione, quanta ex tali agente colligitur ineſſe effectui.

Ex perfectione agentis per ſe requiſiti eſſentialiter colligitur perfectio formæ.

Reſponſio.

Dices hoc probare quidem diſtinctionem ſpecificam, non autem generis proximi. Contrà, gratia magis conuenit cum aliis formis ſupernaturalibus, quæ eodem modo producuntur à Deo, quàm cum formis naturalibus: ſed illa conuenientia eſt ſolius generis, & non ſpecifica: ergo à formis naturalibus differt magis quàm ſpecie, quod ex aliis rationibus Doctoris probari poſſet, ſed hîc tantùm expenditur vis argumenti contra reſponſionem datam.

Differre genere à formis naturalibus.

14 *Alia probatio Doctoris.*

Altera propoſitio Doctoris eſt, quòd ex oppoſitione contraria formarum ſequitur quòd potens in productionem vnius, poſſit in deſtructionem alterius; liberum autem arbitrium poteſt in peccatum: ergo etiam in deſtructionem gratiæ, ſi eſſet oppoſita formaliter, ſed hoc eſt falſum; quia gratia deſinit per annihilationem, quod concedunt omnes antiqui. Hoc ergo dato à Vaſquez, neſcio vnde neget conſequentiam, nempe non opponi formaliter contrariè gratiam, & peccatum; quia contraria ſe mutuò tollunt per corruptionem: ergo agens non poteſt effectiuè corrumpere formam contrariam, niſi illa nata ſit eſſe terminus corruptionis: forma autem creata, & quæ annihilatur, non eſt terminus corruptionis: ergo in eam non poteſt agens creatum. Patet conſequentia primò, quia nequit agens dependens à ſubiecto, & materia in ſua actione, ex vi ſuæ actionis in formam, quæ nullo modo dependet à ſubiecto: talis eſt forma creata, quæ neque à ſubiecto, neque ab vlla per ſe diſpoſitione naturali, quæ ſubeſſet actioni agentis naturalis dependet in ſubiecto, qualiter gratia non dependet: ergo in eius corruptionem non poteſt phyſicè agens naturale: poſſet autem, ſi gratia eſſet forma oppoſita contrariè peccato, quia neceſſariò dependeret à ſubiecto, ſicut & peccatum dependet, cùm oppoſitio ſaluetur tantùm inter formas reſpectiuè ad ſubiectum, à quo dependent, & inquantùm dependent à ſubiecto. Hæc dependentia nequit eſſe in termino per ſe creationis, quia eadem actio manens eſt conſeruatio formæ, vnde ſicut in *fieri* non dependet, ita etiam neque in *conſeruari*: quando ergo deſinit, non aliter deſinit, quàm per ſuſpenſionem illius actionis conſeruatiuæ, & ſic per annihilationem.

Reſpōſio Vaſquez reÿcitur.

Forma creata nequit eſſe terminus corruptionis.

Dependens à ſubiecto, & non dependēs non opponuntur contrariè.

Sicut creatio gratiæ nō dependet à ſubiecto, ita neque conſeruatio.

Secundò patet eadem conſequentia, quia actio prouenit à proportione maioris inæqualitatis, ſeu ab exceſſu, & victoria agentis producentis contrariam formam in ſubiecto habente oppoſitum; ſed Deus agens actionẽ ſpeciali incomparabiliter excedit virtutem agentis creati, & manente actione Dei, ſemper manet terminus eius, vt gratia: ergo agens creatum non habet in ſe & natura ſua potentiam deſtructiuam gratiæ per corruptionem. Confirmatur exemplo, Cœlum non eſt corruptibile ab agente creato quantùm ad effectum, vt dicit Doctor *in 2. diſt.* 14. *quæſt.* 1. quia illa forma ita determinat materiam, vt licèt ipſa ſit capax formæ incompatibilis, tamen ſuperet reſiſtentia formæ omnem virtutem agentis creati, & ne controuerſia fiat de exemplo, ſaltem in aliis paſſim ſuppetunt exempla, in quibus reſiſtentia ex parte ſubiecti tollit actionem corruptiuam agentis: ſed quamdiu gratia manet in ſubiecto ſecundùm aduerſarios, nequit ineſſe peccatum; ſed gratia ſemper manet ex natura ſuæ productionis, & cauſæ, à qua perticulari influxu producitur & conſeruatur, loquendo de permanentia Phyſica, cui improportionata eſt virtus agentis creati ad oppoſitum, phyſicè loquendo: ergo non ſubeſt phyſicè loquendo, corruptioni agentis naturalis: ergo quòd deſinat, eſt ex voluntate Dei, & non ea potentia agentis creati, niſi tantùm moraliter, & demeritoriè, quatenus Deus ſaluat ei libertatem agendi, & gratiam vult conſeruare dependenter à ſuo merito, vel demerito.

15 *Actio eſt à proportione maioris inæqualitatis.*

Cœlum incorruptibile eſt, & quomodo?

Improportionata eſt virtus agentis creati virtuti diuinæ agēti ad oppoſitum.

Confirmatur, in iuſtificatione peccatoris diſpoſitio ipſius non inducit aliquid per ſe phyſicè habens connexionem cum infuſione gratiæ, & cum forma infuſa, neque etiam repugnans phyſicè peccato habituali, quidquid alias dixerit Vaſquez; ſed ex ordinatione diuina, & liberaliter infunditur gratia peccatori ſuppoſita pœnitentia: ergo ſimiliter deletio gratiæ non ratione alicuius Phyſici cauſatur, quaſi ex contrarietate peccati, ſed ex voluntate Dei, quæ ſubtrahit gratiam indigno. Vnde ſicut non obſtante peccato infundit gratiam pœnitenti, ſic etiam poſſet eam ſemper conſeruare, ſi vellet: quòd autem non velit, eſt demeritum peccati, non autem ex poteſtate Phyſica, & contraria, quam habet liberum arbitrium ſuper eius deſtructione, quæ non dependet à ſubiecto in *fieri* & *conſeruari*, ſed à ſolo Deo. Ex quo ſequitur concluſio principalis, nempe infuſionem gratiæ, & remiſſionem peccati non eſſe eandem, & vnam mutationem.

16 *Diſpoſitio ad gratiam non neceſſitat phyſicè.*

Compatitur phyſicè cum peccato habituali.

Quarta ratio Doctoris pro concluſione, eſt, quòd vna mutatio non eſt ad formam poſitiuam, niſi à propria priuatione, culpa habitualis non eſt priuatio gratiæ; quia vnica gratia non habet in ſubiecto, niſi vnicam priuationem. Excludit præterea inſtantiam, ſi quis reſponderet, quòd contingat produci, formam ex termino poſitiuo, verbi gratia, quando ſupponit formam contrariam in eodem ſubiecto, dicit autem gratiam non habere formam contrariam. Hæc ratio tacta eſt *ſuprà* in impugnatione aduerſariorum in confirmatione prima argumenti: & probat præterea gratiam, & peccatum non opponi poſitiuè, quamuis

17 *4. Ratio Doctoris.*

quamuis peccatum inducat priuationem gratiæ in subiecto.

Hactenus Doctoris probatio pro hac conclusione satis manet declarata. Confirmatur ratione Theologica ex Conciliis, quæ in iustificatione peccatoris agnoscunt duas mutationes, vel quasi duas; aliam remissionis peccati, aliam renouationis hominis interioris per infusionem gratiæ, & donorum: & hæc recolunt tanquam diuersa beneficia à Deo collata.

18 *Quinta probatio conclusionis ex Conciliis. Dogma Pelagij.*

Quintò itaque probatur conclusio: Pelagius, vt patet ex Concilio Diospolitano, admittebat gratiam remissionis peccatorum: non tamen renouationem interiorem hominis, aut gratiam, quæ dat vt non committerentur de cætero; ad quam etiam spectat habitualis, quâ eleuantur potentiæ, vt possint perficere opera legis, & fructus iustitiæ. Idem patet ex Augustino *lib. de gratia Christi, cap. 2.* vbi dogma hoc Pelagij optimè ex libris eius declarat. *Quia*, inquit, *etsi gratiam Dei, quâ Christus venit in mundum, peccatores saluos facere, in sola remissione peccatorum constituat, potest huic sensui ista verba coaptare dicens* (supple Pelagius) *ideò eam per singulas horas, per singula momenta, & per actus singulos necessariam, vt semper in memoria retinentes, & reminiscentes dimissa nobis esse peccata; non peccemus vlterius, adiuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, quod sibi remissione peccatorum præstitum fuerit per actus singulos recordantes*, &c. Nunquam in hoc Pelagius reprehensus est, quòd dixerit remissionem peccatorum esse gratiam specialem Christi, & diuersam à gratia auxiliante, & renouante, vt hæc comprehendit tam actualem, quàm habitualem; sed tantùm reprehenditur quòd aliam gratiam auxiliantem non admiserit, quæ est propria Christi; in quo etiam passim impugnatur, & ibi & alibi sæpè ab Augustino: neque video vllum argumentum in eum torqueri ex eo, quòd ipse sibi contradiceret negans gratiam interiorem, & admittens remissionem peccatorum, quasi eadem simplex esset mutatio remissio peccati, & renouatio ad vitam per infusionem gratiæ, vel idem beneficium ex natura rei, vel etiam repugnaret remitti peccatum sine infusione gratiæ: imò contrarium huius supponunt Patres, & hæc tanquam diuersa beneficia numerant, vt patebit ex decretis, quibus error eius conuincitur: rectè ergo Doctor negat esse vnam, & eandem mutationem.

Augustin.

Pelagius admittebat remissionẽ peccatorum, & negabat gratiã renouantem.

Nõ reprehenditur, quòd dixerit remissionem esse speciale beneficium, & diuersum.

Reprehensio eius ex eo tãtùm, quòd negauerit diuersum beneficium gratiæ.

19 *Mileuitani Concil.*

In primis id constat ex Mileuitano canone 3. *Item placuit, vt quicumque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, & non etiam ad adiutorium, vt nõ committantur, anathema sit*, &c. Hic Canon factus est præsente Augustino, vt patet ex epistola quinque Patrum ad Innocentium I. quæ est 92. inter epistolas Augustini: & in eo non damnatur prædictus error Pelagij, vt discernit remissionem peccatorum à gratiæ adiutorio tanquam diuersam gratiam Christi, & beneficium, vt patet ex illa exclusiua *in sola peccatorum remissione*, & ex copulatiua illa, *& non etiam ad adiutorium*: ergo prout Doctor in conclusione docet, non est eadem simplex mutatio remissio peccati, & renouatio interior, seu gratia adiutorij. Dices, fortè per gratiam remissionis peccatorum significari gratiam sanctificantem, per quam remittitur peccatum, & hanc non negasse Pelagium: sed solam gratiam auxiliantem, in quo damnatur à Concilio. Contrà, vt *suprà dictum est*, gratia sanctificans etiam spectat ad adiutorium, maximè si sit charitas, (vt esse patebit:) ergo illa expositio non facit ad intentum Concilij: quia sub nomine adiuuantis gratiæ etiam illa venit, neque aliter Patres contra Pelagium ad probãdum dona, & gratiam inhærentem procedũt, quàm probando necessitatem adiutorij ex Scriptura: sed quia huius probatio esset prolixa, remitto eam ad lectionem Patrum.

Responsio. Per remissionem intelligi sanctificantem gratiam.

Impugnatur.

Probatur aliter intentum: quia, vt ait Augustinus *in libro de gratia Christi iam citato*, nullam gratiam admittebat Pelagius superadditam naturæ, nisi doctrinam, & legem, & remissionem peccatorum cõmissorum, & exemplum Christi: hanc autem remissionem peccatorum eatenus conferre dicebat ex Augustino *cap. 2.* ad fugiendum peccatum, quatenus memoria remissionis acceptæ retraheret à peccato: & *cap. 3. Nam gratiam Dei, & adiutorium*, inquit Augustinus, *quo adiuuamur ad non peccandum, aut in natura, & libero ponit arbitrio, aut in lege, & doctrina*; & infrà; *Nam cùm tria constituat, atque distinguat* (supple Pelagius) *quibus diuina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, & actionem: possibilitatem scilicet, quâ possit homo esse iustus; voluntatem, quâ vult esse iustus; actionem, quâ iustus est: horum trium primum, id est, possibilitatem datam confitetur à creatore naturæ, nec esse in nostra potestate: sed eam nos habere, etiamsi nolumus: duo verò reliqua, id est, voluntatem, & actionem nostra esse asserit*, &c. *Denique gratiam Dei, non ista duo, quæ nostra omnino vult esse, id est, voluntatem, & actionem; sed illam, quæ in voluntate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est, possibilitatem dicit adiuuari*, &c. Possibilitatem itaque, quam cum natura à Deo sine nostris meritis accepimus, intelligebat esse gratiam: vt constat etiam *ex cap. 4. & seq.* quam adiuuari intelligebat non per dona intrinseca, sed per reuelationem doctrinæ, & mandatorum. Ex quibus colligitur sensus verus Canonis, nempe remissionem peccatorũ esse quidem gratiam Dei per Christũ, sed non in ea sola consistere gratiam Christi, sed etiam in adiutorio, sub quo comprehendit dona, quæ in renouatione hominis interioris infunduntur per Spiritum sanctum, seu virtutes, & quam gratiam negauit Pelagius.

20 *Nullam gratiam infusam admisit Pelagius.*

Augustin.

Sensus Canonis.

Confirmatur hæc intellectio Canonis ex Tridentino sess. 6. cap. 7. *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*, &c. Sanctificatio ergo & renouatio interioris hominis non est ipsa remissio peccatorum; sed alia mutatio diuersa, vt indicat particula aduersatiua, quæ partes iustificationis discernit adiuncta copulatiua, per quam ipsam sanctificationem, & renouationem aggregat remissioni peccatorum, tanquam diuersum beneficium gratiæ Christi receptã in iustificatione impij: nam ex sola peccatorum remissione non fieret peccator iustus, aut hæres secundùm spem vitæ æternæ, vt improbè dicebat Pelagius fieri ex sola possibilitate naturæ, adiuncta doctrina, & lege: ideóque ad faciendum iustum non sufficit peccatorum remissio; sed præterea requiritur ipsa iustitiæ infusio.

21 *Confirmatio ex Trident.*

Diuersitas remissionis, & sanctificationis.

22 *Trident.* Et infrà: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur; fidem spem, & charitatem*, &c. In verbis præcedentibus dixit merita passionis Christi communicari homini, vt fiat iustus, quando charitas per Spiritum sanctum infunditur iustificatis. *Eadē diuersitas patet.* In verbis autem citatis clarè distinguit infusionem donorum, seu gratiæ à remissione peccatorum, tanquam diuersas mutationes, & membra iustificationis, seu beneficia tum collata peccatori; *cum remissione*, inquit, *peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo*, &c. quæ particulæ, verbi gratia, *cum* & *simul* segregant remissionem peccatorum, & infusionem donorum, vt diuersam gratiam per Christum collatam, & adiungit remissioni peccatorum, tanquam differenti ab infusione donorum.

Vnde *Canone* conformiter ad doctrinam huius capitis, comprehendit etiam Canonem antiquum Mileuitani, quo damnatur Pelagius; simul etiam damnans alios ejus sequaces. *Si quis*, inquit, *dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæret, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei, anathema sit*, &c. In secunda clausula tangitur error Pelagij: damnatus in antiquis Conciliis Africanis, vt patet ex Canone Mileuitani, qui receptus est à posterioribus.

23 *Obiectio. Trident. Descriptio iustificationis.* Ad maiorem euidentiam huius veritatis obiicies Concilium *cap. 4. in descriptione iustificationis*, ita habere, vt iustificatio sit *translatio ab eo statu, in quo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum Saluatorem nostrum*, &c. vbi videtur denotari vna, & simplex mutatio inter illos duos terminos, nempe peccati originalis tanquam termino *à quo*, & gratiam adoptionis tanquam terminum *ad quem*. Item *cap. 7.* post verba primò citata subdit: *Vnde homo ex iniusto fit iustus, ex inimico amicus, vt sit hæres secundùm spem vitæ æternæ*, &c. Quibus verbis denotat similiter vnam mutationem inter iustitiam, & iniustitiam, inimicitiam, & amicitiam. Item *infrà* assignans causam formalem iustificationis esse iustitiam inhærentem *qua iusti nominamur, & sumus*: ergo non est alia iustitia præter hanc; ac proinde remissio peccatorum non est diuersa ab hac, aliàs esset etiam enumeranda, & adiungenda causæ formali: quia etiam iustitia dicitur ex Scriptura variis in locis.

24 *Responsio.* Respondetur Concilium agere de iustificatione, quâ impius fiat iustus per translationem à statu filiationis Adam, ad statum filiationis Dei per gratiam adoptionis. Vnde sicut status dicit terminum diuinæ sapientiæ legibus præfixum, & oppositio fiat inter primum Adam, vt fuit causa damnationis, & peccati, & Christum, vt est causa gratiæ, & adoptio-
Diuersi status, & oppositi. nis; item inter filium Adam, & filium Regni, seu filiationem vtramque, vt suas leges ratione status inuoluant: sic etiam translatio denotat oppositionem positiuam in *esse* status, & conditionis, & mutationem, quâ quis desinit esse filius Adam per remissionem peccati, & mutationem, qua fit filius per gratiam, vt diserte Concilium verbis citatis docet. Translatio autem de rigore sonat vtramque mutationem, seu quasi mutationem, quia moraliter, & secundùm differentiam status considerata remissio peccati denotat ex parte Dei actum peculiarem, qua remittit peccatum; & ex parte peccatoris desitionem peccati, quæ licèt physicè considerata non sit ad terminum positiuum physicum, loquendo de formali ipsius peccati: est tamen ad terminum positiuum, vt ratione eius fundatur status secundùm regulas iustitiæ, & damnationis, qui est positiuus moraliter, & discernens iniustum non solùm à iusto, sed etiam ab eo, qui constitueretur in pura natura: sicut seruitus non solùm ratione status discernitur à filio, & hærede; sed etiam à libero, qui non est hæres: mutatio autem inter contraria, aut opposita positiuè, rectè sumit denominationem à termino *ad quem*: & dicitur vna mutatio ex fine agentis primariò, licèt respectiuè ad subiectum non sit simplex: sic mutatio inter substantias dicitur generatio, conuersio, & huiusmodi inter qualitates alteratio: ex appellatione ergo vna plurium, vt connexa sunt, non sequitur ipsa connexa esse vnum, & idem in propriis rationibus, maximè cùm ipsa appellatio denotet eorum differentiam, vt in proposito particula *translatio* importat differentiam status, ex quo transfertur impius ad statum oppositum: inter oppositos autem status non est mutatio simplex. Hinc Concilium *suprà sess. 5. can. vlt.* non solùm differentiam status, sed etiam mutationis in baptizatis exprimit cum Apostolo dicens: *Nihil damnationis esse in ijs, qui renati sunt, quia veterem hominem exuentes* (quod denotat peccati remissionem) *& induentes nouum, qui secundùm Deum creatus est, innocentes*, &c. *Deo dilecti effecti sunt.*

Translatio significat mutationes oppositas.

Sumit denominationē à termino ad quem, mutatio inter contraria.

Trident.

Exuere, & induere diuersa sunt.

Ex his patet ad secundum locum ex ipso Concilio. loquitur ex verbis præmissis, nempe per remissionem peccatorum, & infusionem donorum, seu renouationem fieri ex iniusto iustum, & ex inimico amicum, quæ non sunt vna mutatio ex Concilio: sed diuersæ, connexæ tamen ad finem iustificationis, ad quem ordinatur: *vt sit hæres*, inquit, *secundùm spem vitæ æternæ*, &c. Hic enim est finis remissionis peccatorum, vt quis acquirat vitam æternam, cuius impedimentum est peccatum: *renouatur autem in spem vitæ æternæ*, per gratiam infusam, & dona; quia non datur status medius de facto inter peccatorem, & iustum, inter membrum Christi, & diaboli; ideóque necessariò connexa sunt remissio peccati, & gratiæ infusio, quæ datur, vt quis fiat hæres: quod ipsi non competit in statu peccati mortalis, qui est oppositus, vt dictum est, oppositione positiua: ea ergo voluntate, qua Deus infundit gratiam, eáque mediante in spem vitæ fit hæres iustus, eadem ipsa voluntate est annexa gratiæ remissio peccatorum mortalium, quæ peccatorem reum damnationis, & ciuem Babylonis, & inferni inscribunt. Breuiter ergo Concilium loquitur de iustificatione impij, qua fit de iniusto iustus in hoc capite, quæ non sunt vna mutatio; non agit autem de iustificatione Angelorum, seu primi hominis, de qua *suprà* Doctor *in secundo argumento*, neque de iustificatione etiam iusti, de qua agit Concilium *cap. 10.* quæ

25 *Explicatur secundus locus Concilij.*

quæ est renouatio hominis de virtute in virtutem, non de vitio in virtutem *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, Apocalyps. 12. *ne verearis vsque ad mortem iustificari*, Ecclesiasti. 8. *Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum*, Iacob. 2. Neque agit de iustitia, vt præcisè sumitur pro remissione peccati, *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum*, &c. sed agit de completa iustificatione impij, vt dictum est, prout comprehendit ablationem peccati, & collationem gratiæ, seu boni, sicut iustitia actualis completè in his duobus comprehenditur, nempe recedere à malo, & facere bonum: quamuis hæc diuersa sunt opere, exercitio, & lege. Ita etiam neque ex statu mali transferri in statum boni est idem in reipsa, licèt cōnexa sunt, non ex natura vnius, & alterius mutationis per se, sed ex connexione, quam habent ex diuina lege, & institutione excludente statum medium inter peccatorem & iustum in via, sicut & inter beatum, & damnatum in termino.

Agit de iustitia completè sumpta.

26 Ad vltimum respondetur, Concilium loqui de iustitia, qua constituit iustum, & sic vnica est formalis, nempe gratia: non autem loquitur de iustitia, vt etiam extenditur ad remissionem peccati à Scriptura, & Patribus. Loquitur etiam de iustitia, vt est inhærens & intrinseca, & terminus *ad quem* iustificationis; & vlteriùs vt habet annexam de facto remissionem peccati, quam suprà initio capitis, & verbis etiam sequentibus distinguit à iustitia infusa, & renouante. Ex quibus sicut ex dictis patet intentum, nempe hæc esse in reipsa in causa, quæ est diuina voluntas, atque in subiecto, diuersas gratias, & beneficia, non verò vnum & idem, & consequenter non esse eandem mutationem ex parte subiecti, qua recipit vnum, & alterum: quamuis vt partes integrent vnam completam iustitiam habitualem.

Tertius locus Cōcilij explicatur.

Confirmatur secundò illa veritas ex sensu Ecclesiæ *cap. Maiores*, &c. *de Baptismo*, & *Clementina de summa Trinitat. & fide Catholica*, quæ illa planè esse diuersa beneficia supponunt; & probabile esse de facto in paruulis separari, & quāuis Clementina præfert sententiam eorum, qui dicebant infundi etiam infantibus baptizatis gratiam, & virtutes, tamen non recurrit ad effectum naturalem gratiæ, quasi esset remissio peccati, neque ad virtutem mutationis simplicis, sed ad efficaciam causæ meritoriæ, & mortis Christi applicatam in Sacramento. Neque Doctores, de quibus ibi asseritur, quòd negauerint infundi virtutes, & gratiam paruulis, disserebant cum aliis, aut discordabant de materia iustitiæ habitualis, vt malè aliqui interpretantur, quia idem censebant quoad hoc, nempe eam consistere in virtutibus, & habitibus: sed negabant eam infundi paruulis in eo statu, in quo vsus eius in eis esse non posset, vt patet ex Innocentio: tam ergo quæstio, quæ prædictis in locis resoluitur, quàm responsio ad eam data supponit diuersitatem iustitiæ remissionis, & renouationis.

Probatio & confirmatio Canonis ex Lateranensi, & Viennensi. Hæc Concilia supponunt diuersa esse beneficia remissionem, & sanctificationem.

27 Sextò patet eadem distinctio ex Augustin. *lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 27.* vbi dicit iustitiam nostram pro hoc statu principaliùs consistere in remissione peccatorum, quàm in perfectione virtutum, in patria autem è contra: quia ibi virtus erit completa, & nullum erit peccatum dimittendum. Confirmatur, quia remissio peccatorum est ex primariis effectibus, qui tribuuntur morti, & passioni Christi *Luc. 19. Ioan. 10. & 14. ad Rom. ad Galat. ad Hebræos 1. ad Timotheum 10. & 1. Ioan. 2.* & vbique videatur Trid. *sess. 5. can. 3. & 6. & sess. 6. cap. 7. & 9.* Diospolitan. *Can. 12.* aliàs 13. apud Augustinum ex iis, quæ obiecta sunt ex Cælestio de gestis Pelagij, sed hoc non ideò dicitur quia gratia, seu iustitia infusa est ex meritis Christi: ergo ideò quia effectus diuersus est correspondens Christi satisfactioni, quæ satisfactio oblata est pro peccato, gratia verò & gloria nostra correspondet operibus Christi, qua erant meritoria: neque enim in Scriptura vanè hæc inculcarentur tanquam diuersa, & diuersum modum causandi in Christo respectiuè ad ipsa, vt est mereri, & satisfacere, quia satisfactio propriè attenditur secundùm medium vendicatiuæ peccati, mereri secundùm medium iustitiæ commutatiuæ, aut distributiuæ præmij. Et licèt tam remissio peccatorum, quàm collatio, & infusio gratiæ fiant in nobis gratis, vt tamen innituntur operibus Christi hoc, & illo modo, fiunt secundùm iustitiam in diuerso genere, scilicet meriti, & satisfactionis: ergo remissio peccati ita immediatè innititur operibus Christi, quà erant satisfactoria, sicut & collatio gratiæ eius merito: ergo sunt effectus distincti, attento diuerso modo, & medio iustitiæ, qua causantur, sed si ex sola infusione iustitiæ ex natura rei remitterentur peccata, sicut ex sola positione formæ tollitur eius priuatio, superfluus esset ille modus causandi diuersus in Christo secundùm medium diuersarum virtutum: quia ea ratione, qua causaret gratiam, vel mereretur, etiam tolleret peccatum, & sic euacuatur eius crux, passio, mors pro peccato per modum satisfactionis, quod non debet admitti, cùm nihil magis vrgeant Patres, & Scriptura, quàm Christum venisse, & passum fuisse pro peccatis, & sanguine suo redemisse mundum à seruitute eius, & pœnis.

Sexta ratio. Augustin. Iustitiam viatoris hominis principaliùs consistere in remissione. Confirm.

Christus venit in redemptionem peccati.

Satisfactio, & meritum eius ad partes iustitiæ referuntur.

Satisfactio, & meritum diuersa media iustitiæ respiciunt.

Esse diuersos effectus.

Hinc etiam Sacramenta ordinauit directè contra peccatum, vt Baptismum, & Pœnitentiam, quæ licèt conferant iustitiam: tamen eam conferunt quà habet annexam de facto remissionem peccati, & directè remittunt ipsum peccatum, in quo specificè ab aliis discernuntur. Item, aliæ sunt leges, quæ ordinantur ad iustitiam, aliæ quæ ordinantur ad fugam peccati in opere: seruata ergo proportione, aliter ordinata sunt opera Christi contra peccatum, quod non est priuatio iustitiæ, vt nunc supponimus ex dictis, aliter ordinantur contra priuationem iustitiæ, seu ad ipsam iustitiam recuperandam, quæ amissa est per peccatum demeritoriè: & sic saluatur remissionem peccati aliter inniti operibus Christi, aliter verò infusionem iustitiæ, quamuis simul fiant, quoad durationem.

28 *Institutio Sacramētorū contra peccatum.*

Diuersa lex ad vtrūque.

Hinc Tridentin. locis iam expressis hæc distinguit, & consequenter *cap. 9.* excludens inanem fiduciam hæreticorum vtrumque combinat tanquam diuersas partes iustitiæ completæ: *Quamuis autem necessarium*, inquit, *sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, aut dimissa esse credendum est*, &c. & infrà. *Sed neque illud asserendum est oportere eos,* qui

29 Trident. *Remissio peccati, infusio iustitiæ diuersæ partes iustitiæ totalis.*

qui verè iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminémque à peccatis absolui, ac iustificari, nisi eum, qui certè credat se absolutum, & iustificatum esse, atque hac sola fide absolutionem, & iustificationem perfici, &c. Quibus verbis sumit iustificationem pro infusione gratiæ tantùm, vt aliquid addit remissioni peccatorum, non secus ac *in cap.* 7. vtrumque comprehendere docuit, & *in cap. seq.* eodem modo sumit eam pro infusione gratiæ, quæ fit per incrementum eius per merita in iustitia facta: non ergo sumit synonymè, aliàs superflueret additio in materia doctrinali; & proculdubio iustificatio, si sumatur hìc pro vtraque, vt fit *in cap.* 7. plus importat, quàm significat remissio, aut absolutio peccatorum: sic autem repetitio non est eiusdem particulæ; sed appellatio totius coniuncta appellationi vnius partis, & propriæ, supponit pro altera parte, quæ non exprimitur: absolutio autem, & remissio peccatorum propriam significationem important; iustificatio autem, quæ per copulam additur, supponit pro altera parte, nempe pro infusione gratiæ, quæ non importatur per remissionem ex stilo Concilij *cap.* 7.

Remissio, & iustificatio quomodo sumuntur hoc loco?

30 *Quid iustificatio denotet aliquando.*

Adde quòd iustificatio ex propria significatione nihil aliud denotet, quàm motum ad iustitiam, quà quis per gratiam formaliter fit iustus; per accidens autem est quòd supponat statum peccati, vt patet in Angelo, & primo homine, qui fuerunt iustificati, secundùm aliquos, etiam præeunte bono motu suæ voluntatis ex diuino adiutorio. Patet etiam in iusto, qui etiam ex meritis iustificatur per incrementum iustitiæ. Quod autem dicit Concilium *cap.* 4. & 7. de iustificatione impij, intelligit de iustificatione prima in statu peccati, qua ex iniusto fit iustus, & sic ex statu subiecti connotat remissionem peccatorũ, non autem ex præcisa ratione iustificationis, quà est motus, aut mutatio ad iustitiam, quia non confertur iustitia impio, per quam ordinatur ad hæreditatem, nisi destruendo statum peccati, in quo est, & per quem ordinatur ad gehennam, Deo ordinante, hanc immediatam oppositionem, inter vtrumque statum; ita vt vnus immediatè succedat alteri: de potentia tamen absoluta, & ex natura rei secundùm plerosque Scholasticos, & maximè Doctorem *in secundo argumento pro conclusione*, quantùm est ex parte rei, non repugnat dari statum naturæ puræ medium inter statum peccati, & gratiæ, in quo posset esse remissio peccati sine infusione gratiæ, quamuis peccatum quoad malitiam in specie, & oppositionem ad legem, esset eiusdem rationis. Et si dicas Augustinum id negasse alibi. Respondetur eum intellexisse statum puræ naturæ, qua dimitteretur suis viribus, seclusis adiutoriis necessariis ad impletionem legis, his autem datis, non videtur negasse talem statum possibilem, in quo creatura rationalis non ordinaretur ad alium finem supernaturalem, sed ad illum tantùm, qui esset ei possibilis, & secundùm dictamen rectæ rationis, cum adiutoriis proportionatis, præfixus: peccatum autem tunc non esset priuatio physica gratiæ, vt *suprà* probatum est: ergo etiam neque nunc: ergo sequitur intentum, remissionem peccati non esse eandem mutationem simplicem cum infusione gratiæ.

De potentia absoluta dari posse statum puræ naturæ.

31 *Primarius*

Hinc Chrysostomus decem honores gratiæ cælestis enumerans, seu quosdam eius gradus, & effectum remissionem peccatorum primo loco statuit, & distinguit à cæteris homil. ad Neophytos: & loquitur de gratia sub generali ratione doni. *Multis quidem*, inquit, *videtur cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione, nos autem honores computabimus decem. Hac de causa etiam infantulos baptizamus, vt non sint coinquinati peccato, vt eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt Spiritus habitatio fiant*, vbi docet expressè remissioni peccatorum, quæ fit per Baptismum, in quo passio, & mors Christi redemptoris applicantur, addi sanctitatem, & reliqua, quæ subsequuntur, & sunt effectus, seu dignitates gratiæ infusæ. Prout comparatur ad diuersa, dicitur sanctitas, quia per eam homo Deo dedicatur per consignationem internam, eo modo, quo Patres plerique Græci intelligunt loca Pauli de signatione spirituali, vt *suprà* visum *dist.* 6. *qu.* 9. *de charactere*. Dicitur *iustitia*, per quam homo subditur Deo, & redditur arbor bona ad faciendum fructus iustitiæ in opere. Dicitur *adoptio*, quia per eam acceptatur à Deo. Dicitur *hæreditas*, quia dat ius ad Regnum. Dicitur *fraternitas Christi* ex eadem ratione. Dicitur etiam *incorporatio* in ipso, tanquam membri ad corpus eius mysticum. Dicitur denique per eam *inhabitare Spiritum sanctum* in homine vt in templo per communicationem donorum. Cæterùm, quia hæc omnia ad eandem formam referuntur, non dicit ea addi, sicut dicit formam sanctitatis addi infantulo in Baptismo ad remissionem peccatorum. Sic etiam Paulus 1. *ad Corinth.* 6. distinguit sanctificationem, & ablutionem à peccatis per Baptismum. *Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis; sed sanctificati estis; sed iustificati estis*, &c. vbi ablutione, & sanctificatione primùm vtitur ad significandum diuersas partes eius, quod per iustificationem significatur vt totum.

effectus gratiæ remissio peccatorum. Chrysost.

Sic etiam Patres hos effectus Baptismatis tanquam diuersos enumerant. Clemens Alexandrinus *Pædagogi cap.* 6. *Multis vocatur hoc opus*, inquit, *gratia, illuminatio, perfectum, & lauacrum. Lauacrum quidem, per quod peccata abstergimus; gratia, quâ remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur. Illuminatio autem, per quam sanctam illam, & salutarem lucem speculamur*, &c. per *illuminationem* intelligit *gratiam*. Eodem modo Nazianzenus *ratione* 40. vbi similia habet. 32

32 Clemens Alexandr.

Isidorus Pelusiota epistola 195. *Quoniam magnificentia tua per litteras ex me quæsiuit, quid sit causæ, cur infantes, cùm peccatis careant, baptizentur, necessariò tibi rescribendum putaui. Quidam igitur nimis tenuiter, & ieiunè aiunt eos spurcitiam eam quæ ob Adami transgressionem ad humanam naturam transfusa est, eluere: ego verò hoc quidem etiam fieri persuasum habeo, at non solùm (neque enim id tam magnum esset) verùm alia quoque multa naturam nostram longè superantia beneficia nobis concessa esse*, &c.

Isidorus Pelus.

Theodoretus *in Epitome diuinorum Decretorum lib.* 5. *de Baptismate*, *Pro illis aspersionibus* (supple veteris legis) *sufficit iis, qui credunt donum sanctissimi Baptismatis: non solùm enim donat remissionem veterum peccatorum, sed etiam spem inserit promissorum bonorum, & mortis Dominicæ, resurrectionisque efficit participes, & doni Spiritus largitur participationem, & filios Dei reddit, & non solùm filios, sed etiam hæredes Dei, & cohæredes Christi: non enim, vt dicunt amentes Messaliani, Baptismus*

Theodor.

Baptismus nouaculam imitatur, quæ præcesserunt peccata auferens; hoc enim ex abundanti largitur, &c. *non enim hoc solum pollicetur Sacramentum, sed his etiam maiora, & perfectiora; est enim arrha futurorum bonorum,* &c.

33 *Ioãnes Maxentius.* Ioannes Maxentius in professione fidei: *Propterea recentes ab vtero paruulos non tantùm vt adoptionem mereantur, aut propter Regnum cœlorum, sed in remissionem peccatorum credimus baptizari, ne pereant in æternum,* &c. Dicebant nempe Pelagiani baptizari infantes, non in remissionem peccatorum, sed vt possint intrare Regnum cœlorum, & reciperent adoptionem, vt constat ex Augustino, quem suo loco citauimus *de Baptismo dist.*4. *quæst.*3. Hoc autem impugnant Patres, & quamuis dissertatio potissimùm fuit circa veritatem peccati originalis, quam negabant hæretici, & Patres è contra vrgebant Baptismum dari in remissionem peccatorum, tamen sua dissertatione satis indicant diuersitatem horum effectuum Baptismi, qui primùm ordinari dicebant ex sua forma ad remissionem peccati; vnde dicebant formam fore falsam, nisi in paruulis supponeretur peccatum, vt satis explicatum est suprà de veritate huius formæ, eiúsque sensu: vt patet *ex canone* 2. Mileuitani, qui 77. Africani, *cap. Placuit, de consʃ. dist.* 4. *&* 5. Trid. *sess.* 5. & patet *sess.*7. *can.*13. *de Baptism.* & *ex clem. de Sum. Trin. & fide*, &c. Si ergo forma Baptismi datur per se primò in remissionem peccatorum gratis propter Christum, sequitur hunc effectum non esse confundendum cum renouatione, & sanctificatione, qua renouatur homo in spem Regni cœlestis, atque diuersa esse beneficia, vt supponunt, vel expresè docent Patres: ergo cùm ad diuersos effectus non sit vna simplex mutatio, ita remissio peccatorum, & infusio gratiæ non sunt vna, & eadem mutatio, in eo rigore physico, prout iam loquimur de mutatione à priuatione ad formam: cuius oppositum sustinent Doctores, quos hactenus impugnauimus.

Patres differentes contra Pelagianos præmissam diuersitatem supponunt.

Argumẽtum ex forma Baptismi.

Conclusio intenta.

Argumenta autem quæ contra hanc conclusionem militant, petunt alias quæstiones, nempe *vtrùm gratia habitualis ex natura rei opponatur peccato, & tribuat adoptionem.* Item, *posset fieri remissio peccati mortalis, & originalis sine mutatione peccatoris, per aliquam formam peccato oppositam?* quas huc ad complementum huius difficultatis, & confirmationem conclusionis præmissæ Doctoris transtulimus: quia etiam tertia, & quarta ratio horum resolutionem supponunt, sicut & quæ in sequenti conclusione docet.

Vtrùm forma, quæ dicitur gratia, det ius ad Regnum ex natura rei, & repugnet peccato mortali habituali?

34 OMisso hæreticorum errore damnato in Tridentino *sess.*6. *cap.*7. *& can.* 11. Cuius impugnatio petenda est ex Scripturis, quibus ostenditur Spiritus sanctus nobis communicari, habitare in cordibus nostris per charitatem, aliaque dona: ac proinde iustitia nostra non potest in aliquo extrinseco de facto collocari. Sententia satis communis nunc potissimùm in Scholis versatur illos effectus esse naturales gratiæ, non morales, idest, ordinatione. Eam defendunt Aureolus 1. *dist.* 17. *qu.* 1. *art.* 2. Capreolus *ibidem quæst.*3. Medina 1. 2. *quæst.* 110. *art.* 4. Bellarm. *lib.*2. *de Iustificatione cap.*16. Vasquez 1. 2. *d.* 204. *cap.*2. *& seq.* Suarez *lib.*7. *de Gratia cap.* 1. Eandem consequenter tenere debent, qui dicunt gratiam, & peccatum ex repugnantia Physica non posse compati.

Sententia affirmatiua.

Prima conclusio: *Hic effectus est moralis gratiæ, non autem physicus*, est nostri Doctoris, *hîc & in* 2. *dist.*37. Richardi *in* 3. *dist.*31. *art.*1. *qu.*1. Gabriel *in* 4. *dist.*14. Ocham *in qu.*3. Ioannis de Medina *codice de pœnitentia.* Et pro hac sententia citari possunt quotquot dicunt peccatum demeritoriè expellere gratiam, non autem physicè, vt tenet Durandus *in* 1. *dist.*17. *qu.* 10. Paludanus *in* 3. *dist.*28. Conradus 1. 2. *qu.* 71. interpretantes eam esse opinionem S. Thomæ. Possunt etiam consequentia doctrinæ fortè citari illi authores, qui dicunt gratiam posse augeri in *esse* gratiæ, non crescendo in *esse* qualitatis; vt Victoria *in relectione de pœnitentia*: sumitur ex Diuo Thom. 3. *part. qu.*7. *art.*11. Sotus *in* 4. *d.* 15. *quæst.* 1. *art.* 2. *de natura & gratia lib.* 2. *cap.* 17. 35 *Prima concl.*

Probatur conclusio, quia nullo creato ad extra posito, Deus tenetur creaturam amare amore illo, quo dat ius ad hæreditatem: ergo nulla creata forma habet pro effectu formali naturali constituere homini ius ad hæreditatem. Probatur antecedens, quia seclusa voluntate sua, eiúsque determinatione non potest Deus obligari ad extrà, posita quacunque creatura: sed si aliqua forma creata haberet pro effectu formali naturali constituere iustum, ita obligaretur: ergo. Maior patet, quia alioquin gloria non esset gratia ex gratia, & ex liberalitate glorificantis: neque per adoptionem homo esset filius Dei, sed per naturam, si daretur forma, quæ ex naturali effectu hoc haberet constituere gratum. Deinde sequeretur in Deo imperfectio, si independenter à sua voluntate subesset obligationi: quia sic subesset legi inducenti talem obligationem. Probatur minor, quia constituere iustum est dare ius ad hæreditatem, & facere Dei amicum, quæ amicitia in hoc consistit, vt per eam homo ad gloriam, & hæreditatem debitam lege acceptetur. Præterea, sequeretur Deum amare aliquid extra se necessariò; ergo ab eodem dependeret.

Probatio prima.

Nõ posse obligari Deum seclusa sua voluntate.

Gloria est gratia.

Gratia si ex natura daret ius, constitueret filium naturalem, non per adoptionem.

Deus subesset legi.

Dices, amore complacentiæ aliquid extra se, non amore beneficentiæ: distinctio est Aureoli, quam sequitur Suarez. *Responsio.*

36 *Impugnatur.* Contrà, amore complacentiæ etiam in omni creatura, prout est participatio sui *esse*, complacet, vt fusè probat Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæstione 2. iuxta illa Gene. *& vidit Deus quòd essent valde bona*: ergo hic effectus non est peculiaris gratiæ.

Confirmatur, si gratia esset participatio diuini *esse* ex natura sua, ita vt ea posita non posset non amare iustum secundùm amorem adoptionis, & filiationis, quem traheret secum forma tanquam effectum naturalem, sequeretur quòd creata gratia necessariò eam conseruaret: sed hoc repugnat principiis fidei, vt in confesso est apud omnes, quia & iustificantur reprobi, & electi etiam cadere possunt, & plures ceciderunt: ergo, &c. Sequela probatur: quia quidquid Deus necessariò amat amore efficaci, necessariò conseruat in *esse*, imò & necessariò producit cùm voluntas eius non sit defectibilis. Sed ille amor est efficax supposita iustitia saltem, ergo trahit

Confirmatio.

Sequi gratiã necessariò cõseruari.

Probatio sequelæ.

Voluntas efficax Dei adimpletur.

trahit secum necessariò omne medium conseruandi iustum in iustitia, quia est amor amicitiæ perfectæ, in qua secundùm æqualitatem gratia constituit iustum in ordine ad Deum, independenter à voluntate eius alia ab illa, quâ ei dedit gratiam; sed amor amicitiæ perfectæ, & syncere inter alias leges hoc habet, vt efficaciter intendatur conseruatio amici, alioquin non esset vera amicitia, & cum effectu procuretur, si est in potestate amantis: est autem in potestate Dei confirmare iustum in iustitia data, eíque donare consequenter merita, & reliqua, quæ ad iustitiam conseruandam faciunt: ergo si amat necessariò posita iustitia, etiam eadem necessitate amaret ei conseruationem eius in reipsa, & effectu; sed hoc non facit: ergo neque iustitia ex natura rei trahit secum amorem amicitiæ diuinæ, aut filiationis, aut adoptionis; sed tantùm ex voluntate differenti Dei, quæ non impeditur, aut determinatur in oppositum eius, quod per regulas suæ infinitæ sapientiæ statuit circa salutem, & libertatem, & opera viatoris.

Effectus amicitiæ, & lex.

37 *Præmissa distinctio amoris reijcitur.*

Ex quibus tollitur distinctio præmissa amoris complacentiæ, & beneficentiæ: quia amor amicitiæ est amor beneficentiæ supposita indigentia amici: supposita ergo indigentia iusti, vt in gratia accepta conseruaretur, si Deus eum necessariò amaret amore amicitiæ ex natura, & effectu formæ iustitiæ, etiam amaret eum amore beneficentiæ, vt patet ex dictis; si autem tantùm eum amat amore complacentiæ, non est aliquid peculiare: quia & impium etiam tali amat amore, non quà impius est, sed quà ex Deo est tanquam creatura eius. Dices, secundùm omnes, de facto amat Deus iustum amore speciali filiationis, & adoptionis, & amicitiæ, vt interuenire possit inter Deum, & hominem viatorem. Respondetur hoc verum esse; sed hic amor est liber, & non includit aliud præter id, per quod ordinatur, nempe ad Regnum Dei, cæteris adhibitis, vt obseruantia mandatorum, & perseuerantia finali, quia ius tantùm habet in spe, nempe *si fidem seruauerit, bonum certamen certauerit, si cursum consummauerit*, &c. cum Apostolo: vnde colligitur adoptionem per diuinam voluntatem ita annexam esse iustitiæ, vt cætera requirantur; ac proinde non ex natura formæ tanquam effectus eius naturalis sequi, qui ab extrinseco non recipiat limitationem; sed ex diuina bonitate, & libera voluntate, quæ limitationem illam adiunxit; & collatam iustitiam ob demeritum subtrahit: quod non contingeret, si necessariò supposita iustitia amaret iustum amore amicitiæ: quia sic reliqua ei amaret efficaciter, à quibus dependeret conseruatio iustitiæ, & iusti in iustitia.

Responsio.

Impugnatur. Amicitia Dei de facto accommodatur prouidentiæ.

38 *Secunda ratio. Non colligi ex Scriptura talem effectum.*

Secundò, non magis tribuitur gratiæ in Scriptura ius ad Regnum, quàm operibus; sed omne ius fundatum in operibus est morale tantùm, vtpote meriti: ergo ex Scriptura non colligitur gratiam sanctificantem ex natura sua dare talem efectum.

Tertia ratio.

Tertiò, nulla forma creata potest constituere paritatem inter Deum, & creaturam: ergo neque perfectam amicitiam, seu completam. Consequentia probatur, quia secundùm Philosophum, 8. *Ethic. c.* 7. *& lib.* 9. *c.* 8. ad amicitiam requiritur æqualitas. Antecedens probatur, quia nulla forma potest tollere rationem creaturæ, & seruitutis ab homine: ergo nulla constituere requisitam proportionem inter ipsum, & Deum ad propriam amicitiam. Dices, gratiam esse participationem quandam diuini *esse*. Contrà, videtur hoc metaphoricè dici. Vel est participatio in *esse*, vel secundùm imitationem. Non in *esse*, quia hoc repugnat: si aliud, natura Angelica, vt habet in se imaginem Trinitatis, magis imitatur essentiam diuinam, quàm gratia: ergo illa participatio naturalis videtur insufficiens fundamentum ponendæ æqualitatis requisitæ ad perfectam amicitiam.

Qualis est amicitia inter Deũ & creaturam.

Quartò, Deus sine iniuria, posita charitate, seu iustitia, de potentia absoluta potest negare visionem, & beatitudinem: ergo ex natura rei non potest charitas & gratia, dare ius ad regnum. Antecedens probabitur in sequenti. Consequentia patet: quia alioquin Deus non posset tollere effectum formalem eius, aut per se consequentem. Dices, iustitiam concedere condignitatem ex natura sua, seclusa acceptatione extrinseca. Contrà, vel illa condignitas consistit in iure aliquo morali, seu iustitiæ rigorosæ, vel in physica entitate. Non primum, quia non posset Deus, cùm nequeat esse iniustus, suspendere debitum rigorosæ iustitiæ, quo ipse obligaretur, sine debito effectu; si autem esset in homine tale debitum, obligaretur ipsi Deus: cùm iustitia sit ad alterum, nec in vno tantùm compleatur. Si secundum dicatur. Contrà: nihil debetur physicè alicui, nisi secundùm inclinationem actiuam, passiuam, formalem, aut finalem; sed constituere iustum non conuenit iustitiæ, nisi vt forma est secundùm aduersarios: sic autem talis effectus ab ipsa potest separari, quamuis in subiecto existat: ergo saltem non est effectus eius primarius. 39

Quarta ratio. Posse de potẽtia absoluta ius ad hæreditatem separari à gratia.

Si autem daretur gratia, & peccatum simul, quod aliqui possibile esse putant ex aduersariis: tunc non posset dare ius aliquod ad Regnum, aut constituere iustũ: ergo, &c. Patet antecedens, quia non est magis nata iustitia constituere iustum, quàm peccatum iniustum; ergo, &c.

Quintò, & potest esse confirmatio prioris, non potest adoptio, seu ius ad gloriam esse effectus iustitiæ, nisi Deus per priorem voluntatem, creaturam rationalem, vel generaliter, vel particulariter elegisset ad gloriam: ergo non est effectus eius naturalis. Probatur antecedens cum consequentia, quia ex electione vniuersali, & particulari, quâ primùm Deus ordinauit creaturam ad finem supernaturalem gloriæ, & hæreditatis, facta est capax, loquendo de morali capacitate gloriæ, & hæreditatis, & illa capacitas, seu electio reducitur in actum mediante gratia, quantùm ad effectum, seu ius in exercitio. Si autem Deus non sic elegisset electione, seu intentione finis creaturam rationalem, quamuis in ea poneretur iustitia, non haberet aliquod ius hæreditatis, seu adoptionis ad gloriam. Sed Deus posset creare hominem, & Angelum cum iustitia, in ordine ad finem supernaturalem, prout capax esset eius in via, & mediante fide tantùm, seu cognitione ænigmatica, non ordinando ipsum ad gloriam: quia in hoc nulla est repugnantia, & illa esset beatitudo vltima supernaturalis hominis, & Angeli ex beneficio, & liberalitate Dei. Sicut ergo potuit primum sic creare, sic etiam conseruare, neque secundùm iustitiam, neque secundùm

40 Quinta ratio. Gloria debetur ex electione Dei.

Potuit Deus ordinasse creaturã ad finem supernaturalem mediante fide tantùm.

dùm misericordiam teneretur Deus alium statum perfectiorem homini ordinasse, neque vlla imperfectio esset in eo statu, quæ redundaret in diuinam bonitatem, aut potentiam, aut aliquod debitum hominis non perfectè, & secundùm æqualitatem tributum. Sed tunc posito casu, cessaret ius ad gloriam: ergo dare ius hoc ad gloriam, non est effectus naturalis iustitiæ, sed tantùm moralis, & ex Dei præsenti prouidentia.

41 *Responsio. Impugnatur.* Dices, tunc etiam iustitia constitueret filium Dei ex natura sua. Contrà, non extenderetur illa filiatio vltra finem statutum à Deo, qui non esset tunc adoptio ad gloriam, neque alia esset filiatio, nisi quatenus homo inhærens iustitiæ frueretur Deo per opera elicita, sequens legem & dictamen rationis & fidei, hæc ipsa opera essent eius beatitudo, vt operaretur secundùm finem charitatis in via, & dependenter à libertate: sed neque iustitia tribueret ius sic operandi, aut ad talem beatitudinem magis, quàm dat homini viatori, vt Adamo in paradiso, aut Angelo viatori, aut certè iustis in hoc statu: quia Deus non teneretur donare opera aliter in eo statu, supposita iustitia, quàm iustis viatoribus tenetur; quibus tamen non debetur gratia operandi in particulari, neque donum perseuerantiæ, vt fides est: ergo etiam iustitia ex effectu naturali non fundat hoc debitum adiutorij, aut gratiæ specialis: ergo illa filiatio non subsisteret in statu illo, tanquam aliquod, cui deberetur hæreditas, seu benè operari, sicut neque Angelo, neque homini instituto tale ius dabat, quo Deus teneretur eis prouidere de gratia speciali, aut efficaci: alioquin omnis effectus naturalis eius etiam iustis datur, cui non derogat, quòd iuxta præsentem statum, & prouidentiam Dei habeant ius adoptionis. Quòd si dicatur suppositionem illam talis status non esse admittendam, vt pote impossibilem. In primis non video repugnantiam, maximè cùm secundùm plerosque aduersariorum admittatur possibilitas status puræ naturæ. Quòd si dicatur repugnantiam oriri ex natura iustitiæ, à qua inseparabilis est adoptio ad gloriam, quia est participatio diuini *esse*, quia est semen gloriæ. Contrà, videtur peti principium, & inhærere assertioni tantùm, & nihil notius adducendo: esse enim semen gloriæ competit etiam operibus, tamen ex promissione diuina & pacto: ex quibus tanquam ex semine est etiam augmentem iustitiæ. Et quidquid dicatur,

Beatitudo hominis pro eo statu.

Gratia operandi, & donum perseuerantiæ nō debentur viatori.

42 *Sexta ratio. Possibilitas illius status probatur.* Sextò sic argumentor ad idem. Gratiam esse participationem diuini *esse*, quocunque verborum inuolucro dicatur, non repugnat posse compati cum statu præsenti viatoris: ergo etiam non repugnat eam posse compati cum statu illo possibili. Consequentia patet, quia perinde augeretur in illo statu ex operibus, vel augeri posset, sicut augetur de facto secundùm statum præsentem: sed quæcunque forma perficitur in quocumque statu, conseruari etiam potest in eodem statu, ac proinde est compatibilis cum statu ipso: ergo, &c. Præterea, si gratia, vt nos putamus, sit ipsa charitas habitualis, & mox dicetur, in illo statu operaretur perfectè mediante fide; neque ei debetur aliter operari secundùm media illius status, & regulam; neque ex natura hominis, aut creaturæ Angelicæ, quibus non debetur operari nisi circa latitudinem sui obiecti tam

Modus operandi illius status.

naturalis, quàm supernaturalis iuxta modum, quo eleuatur ad obiectum supernaturale. Neque Deus tenetur acceptare opera illa vt meritum ad visionem, & fruitionem tanquam ad præmium, quia secundùm Apostolum etiam *gloria est gratia pro gratia*, Ioan. 1. Augustinus sic intelligit Epistola 105. & Cælestinus Epistola ad Episcopos Galliæ cap. 12. *Deus cùm coronat nostra opera, quid aliud coronat quàm sua dona.* ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Trid. sess. 6. cap. 16. *Proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda*, &c. In ordine ad quam non renouat iustitia in præsenti statu nisi secundùm spem, & promissionem Dei: neque est possibilis homini, nisi per alia media Deus eam liberaliter conferat: ergo ex parte Dei seclusa promissione, & pacto, non inuenitur aliquod debitum dandæ gloriæ etiam iustis: ergo neque ius fundatum in iustitia per modum naturalis effectus, quo deberetur.

Gloria de facto est ex Dei gratia, & liberalitate.

Gloria debetur ex Dei, promissione & pacto.

Præterea secundùm aduersarios consequenter dicentes ipsa iustitia in perfectione excedit gloriam, quia est participatio Dei in *esse*, gloria verò in *operari*, & extrinsecè, vt obiecti. Sed hoc dato sufficienter ordinaretur creatura rationalis, quantùm ad iustitiæ diuinæ, & misericordiæ ostensionem, per hoc, quòd ipsa gratia haberet rationem præmij intrinseci operum illius status: sufficienter etiam extrinsecè, quà operaretur immediatè erga Deum propter se, etiamsi nulla alia hæreditas superioris ordinis; seu status ordinaretur, ad quam adoptaretur creatura. 43

Confirmatur, & peto qua ratione dicatur gratia, seu iustitia esse participatio diuini *esse*, an secundùm prædicatum vniuocum transcendens, an secundùm prædicatum vniuocum in specie, & in particulari ipsius Deitatis? Non primum, quia sic multa alia sic sunt in participatione deitatis, vel secundùm rationem effectus, per modum vestigij, vt omnes creaturæ, aut imaginis, vt creatura rationalis; vel secundùm prædicationem etiam transcendentem, vt ex principiis nostris supponimus, quamuis non habeant talem effectum; mirum enim est, cur negent aduersarij talem vniuocationem inter Deum, & creaturam, si admittant vniuocationem in specie inter gratiam, & Deitatem in aliquo prædicato.

Confirmatio. Quomodo gratia sit participatio Deitatis.

Si ergo secundùm dicatur, peto vnde id eis constet, cùm Deus sub ratione propria nequeat perfectè à nobis concipi conceptu distincto, neque aliter quàm ex ipsis creaturis, vt communiter Theologi admittunt, quorum nullus hactenus processit ex conceptu gratiæ, quæ perinde ipsi ignota est sub ratione propria & peculiari, nisi prout reuelatio ad eam extenditur, de qua non habemus alium conceptum, quàm qualitatis supernaturalis eleuantis hominem ad statum supernaturalem, & quoad effectus, quos Scriptura ei assignat. Ex nullo horum effectuum cognoscitur gratiam sic esse participationem diuini *esse*, quia omnes illi effectus tribuuntur charitati, quæ per ipsos non est gratia: quia gratiam constituunt formam altiorem in substantia animæ; charitatem in voluntate, vt principium operandi. Neque esse participationem illam rectè 44

Non esse participationem diuini esse in specie.

rectè deducant ex eo, quòd Apostolus dicat per gratiam nos effici consortes diuinæ naturæ: quia hoc nihil denotat magis, quàm illud quod *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, &c. nempe qua communicatur mediante charitate, & donis, vt omnes Patres explicant, & nouissimè Tridentinum *sess. 6. c. 7.* sic enim eius consortes sumus, vnde colligitur illam participationem, quam volunt prædicti Doctores ex verbis Petri non sequi (de hac enim participatione agit, vt constat ex eius verbis;) neque aliunde probari à priori, aut posteriori: in mysteriis autem fidei nihil est obscurandum, neque tradendum vltra captum communem Doctorum. Vnde si cum antiquis hæreticis res fieret, qui fingebant partem Deitatis esse animam rationalem, aut huiusmodi alia, si responderent esse partem hoc modo per participationem, sicut gratia dicitur eius participatio specialis, quid replicaretur? Quod idcirco non dico, quasi virorum doctorum sententia Catholica æquiparetur figmentis: sed quia vix capere possum quomodo possit aliqua creatura fieri particeps Deitatis secundùm aliquod prædicatum in specie ipsius Dei, in quo vniuocaretur; quia videtur implicantia in adiecto. Et sic Patres obiiciunt Deitatem impartibilem esse, quia incorruptibilis est. Ita etiam videtur quidquid sit particeps Deitatis in *esse*, quà est Deitas, esse incorruptibile; quod nequit dici de gratia.

45 Sed quidquid sit, aut dicatur, dato etiam intento, seu participatione hoc modo, non habetur gratiam dare ius adoptionis ex natura rei respectiuè ad gloriam. Primò, gratia non dat ius ad gloriam, nisi vt est participatio diuini *esse*, & secundùm quòd est participatio diuini *esse*: hoc est fundamētum aduersariorum, quia argumenta facta concludunt oppositum de gratia saltem sub quacumque alia ratione considerata, ab hac participatione extranea: verbi gratia, sub ratione accidentis, aut qualitatis, etiam supernaturalis, & huiusmodi: quæ etiam aliis competunt, quæ non fundant tale ius adoptionis. Quo supposito, sic argumentor: eatenus iustitia daret ius adoptionis, quatenus est participatio diuini *esse*, secundùm prædicatum vniuocum, quod habet necessariam connexionem cum hæreditate, seu gloria, & summo bono; sed tale prædicatum dicit necessariam connexionem ad gloriam, & inseparabilem substantialiter ex natura sua, non autem ius diuersum ab actu, seu potentiam, vt est in Deo: vel ergo participatur sub hac ratione determinata, & specificata; quod nemo dicet sana fide, aliàs non posset gratia separari à gloria, & hæreditate in actu: vel non participatur, quod est verum: ergo non participatur quà dicit connexionem ad gloriam: ergo non est natum dare ius ad gloriam vt participatur Deus in *esse* à gratia. Probatur consequentia: quia sub alia ratione extranea participatum non dicit ordinem ad gloriam, neque potest tribuere alium effectum, aut constitutionem formalem gratiæ immediatè, aut iusto mediatè, diuersum ab eo, quod tribuit Deitati, cùm non sit alterius rationis: vel si sit alterius rationis formalis, non est participatio Deitatis vniuoca, ex regula & definitione vniuocorum; & consequenter ex eo quòd sit aliqualis participatio Deitatis, non sequitur quòd det ius ad gloriam magis, quàm charitas infusa, cui tale ius non competit secundùm aduersarios.

Non dare etiam sic ius adoptionis ad gloriam.

Non est participatio Dei, vt habet necessariã connexionem ad gloriam.

Secundò, si daret ius ad gloriam, illud non esset adoptionis, & fundatum in libera Dei voluntate, sed esset naturale debitum; quod est contra Scripturam, & fidem. Probatur consequentia, quia tale debitum, seu ius ad gloriam tribuit iustitia, qualis est ordo eius ad gloriam: sed hic est essentialis, & naturalis, non verò contingens: ergo etiam debitum in eo fundatum erit essentiale, & naturale, non contingens per adoptionem.

Si daret ius ad gloriã, vt est participatio dicto modo, esset naturale, & non adoptionis.

46 Confirmatur, quia hac ratione negant ipsi Christum, quà homo est, dicere ius adoptionis ad gloriam, sed naturale; quia per vnionem hypostaticam recipit natura assumpta *esse* suppositi, cui competit naturaliter gloria, vel, vt alij statuunt, fundatur etiam filiatio naturalis in ipsa natura assumpta, per quam excludit adoptionem: ergo similiter si iustitia est participatio diuini *esse* secundùm naturam ius, quod fundat, non erit adoptionis, sed naturale: quia tale est ius, qualis est titulus, seu fundamentum, ex quo emanat: neque vnio magis intrinseca est naturæ assumptæ, quàm gratia iusto, vtraque forma est creata; sed gratia magis dicit ordinem ad hæreditatem; quia est participatio diuini *esse* secundùm essentiam, vnio verò ratione termini est participatio extrinseca suppositi diuini, aut natura ea mediante. Accedit quòd vnio possit separari à filiatione naturali, quam aliqui statuunt in ordine ad gloriam, & respectiuè ad Trinitatem, vt si natura vnita sit materialis, & irrationalis, quæ est incapax talis filiationis, gratia verò semper dicat ex prædicato, quo participat diuinum *esse*, talem ordinem, ita vt incommunicabilis sit alteri, quàm naturæ rationali creatæ, & capaci filiationis: ergo magis nata est constituere filiationem naturalem, quàm vnio: nisi quis velit iuxta sententiam Alensis asserere nullam naturam posse assumi, nisi rationalem; quam suo loco impugnant aduersarij.

Confirmatio. Christus cur dicit ius naturale, & non adoptionis.

Tale est ius, qualis est titulus.

Comparatio vnionis, & gratiæ.

47 Tertiò ad idem: ideò gratia daret ius adoptionis, quia vt est participatio diuini *esse*, est sanctitas per essentiam; sed hoc est falsum; ergo, &c. Probatur minor: quia sanctitati per essentiam æquè repugnat peccatum mortale, & veniale, quia vtrumque absolutè repugnat: sed iustitiæ non repugnat peccatum veniale, vt de fide est: ergo non est sanctitas per essentiam, seu per participationem vniuocam diuini *esse*, qua Deus est sanctitas per essentiam: quia æquè ipsi repugnaret, vt dictum est, mortale, & veniale: & quod amplius est, quidquid ex peccato est, vel ad peccatum inclinat, vt concupiscentia: ergo non videtur subsistere fundamentum illud, in quo statuit opposita sententia hunc effectum conuenire iustitiæ ex natura rei, quia est participatio diuini *esse*. Quòd si dicas esse participationem diuini *esse* sanctitatis, qua opponitur peccato mortali, non verò qua opponitur veniali. Contrà, hoc gratis dicitur, & præterea sequitur quòd non sit participatio formalis diuinæ sanctitatis, & per vniuocationem: quia perinde repugnat diuinæ sanctitati veniale, & mortale; & si esset capax venialis, esset etiam capax mortalis, seu peccati grauis: nam est incapax vtriusque, quia est indefectibilis per essentiam, & non per donum: aliud autem est in creatura, quæ

Sanctitas per essentiam repugnat omni peccato, etiã veniali.

Non ita gratia.

Responsio.

Impugnatur.

Indefectibilitas Dei ex natura.

quæ in tantùm non deficit, inquantùm ipsi donatur rectitudo à Deo liberaliter vni magis, vni minùs: si autem rectitudo essentialis Dei deficeret quoad peccatum leue, tolleretur etiam simpliciter indefectibilitas eius quoad graue: vnde in creatura idem est fundamentum vtriusque defectibilitatis, nempe liberum arbitrium, quà est ex nihilo, secundùm Augustinum, vel quà ex seipso non habet rectitudinem, sed ex dono Dei in opere. Vnde sequitur iustitiam nostram, seu gratiam, sicut ex natura rei non dicit rectitudinem, qua repugnaret veniali in actu, vel habitu; sic etiam non dicere repugnantiam ad mortale ex natura rei, neque consequenter participationem prætensam, & naturalem diuini *esse*.

Creatura ex dono.

Defectibilitas ex libero arbitrio.

48 *7. Ratio.*

Septimò principaliter probatur conclusio: non magis dignificat gratia formaliter, & ex natura sua hominem in ordine ad gloriam, quàm opus ipsius iusti in genere meriti; sed dignitas operis ex gratia est moralis tantùm, & non Physica, aut naturalis: ergo similiter dignitas hominis ad gloriam per gratiam collata est moralis effectus eius, & non naturalis: hoc est dicere, quòd sicut opus bonum factum à iusto non fundat ius, & debitum ad gloriam, nisi supponatur primùm Dei acceptatio, qua opus ipsum ordinatur, & completur in *esse* meriti, ita etiam neque gratia fundet ius ad gloriam, quod est tantùm per adoptionem ex natura sua, nisi accedat Dei acceptatio, seu supponatur in ordine ad hunc effectum. Maior patet, quia ex communi Theologorum, vt visum est *dist.* 14. *quæst.* 2. in eodem gradu gratia informat iustum, & opera eius bona, & meritoria, ad quæ requiritur dignitas personæ tanquam circumstantia necessaria, vt modò supponimus, quia gloria filiis, & iustis promissa est, quà tales sunt: hæc autem dignitas per gratiam non est alia, quàm eius effectus, quo constituit Filium: ergo eadem ipsa est, qua dignificat opera in *esse* meriti, ad quæ etiam ordinatur gratia, maximè in sententia eorum, qui dicunt opera ipsa affici intrinsecè per dignitatem personæ, verbi gratia, opera Christi Domini, vnde reddantur deificata, & infiniti valoris, & de rigore iustitiæ in *esse* meritorio, & satisfactorio.

Dignitas operis ex gratia est tantùm moralis.

Secundùm eandem rationem gratia dignificat opera, & personam.

49 *Sententia Vasquez de merito.*

Minorem assumptam negat Vasquez 1. 2. *disp.* 214. vbi asserit actum elicitum à iusto ex natura rei esse meritorium vitæ æternæ: cui accedit promissio diuina tanquam completo in *esse* meriti, non verò supponitur ad complendam in eo rationem meriti. Contrarium docet Doctor *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *in* 2. *dist.* 41. *in in* 3. *dist.* 18. & *quodlibeto* 18. & aliàs passim, vbi hanc difficultatem tangit. Quem sequuntur *in* 1. *dist.* 17. Gregorius *quæst.* 1. Ocham *quæst.* 2. Gabr. *quæst.* 3. *& in* 2. *dist.* 27. *quæst.* 2. Durand. *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *in* 2. *dist.* 27. *quæst.* 2. *in* 3. *dist.* 20. Marsil. *in* 2. *quæst.* 18. Castro *contra hæres. ver. Meritum.* Vega *de Iustificat. quæst.* 5. *ad* 1. *&* 3. Suarez *lib.* 12. *de gratia cap.* 17. imò est communis Theologorum, S. Thomæ 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 1. *ad* 3. Capreoli *in* 2. *dist.* 27. Soto *lib.* 2. *de Natura & Gratia cap.* 4. D. Bonauenturæ *in* 2. *dist.* 27. *art.* 2. *quæst.* 3. ita Bellarminns *lib.* 5. *de Iustificat. cap.* 14. & proculdubio est sententia Patrum contra Pelagianos, qui Dei commendant misericordiam in eo, quòd nostra voluerit esse merita, quæ sua sunt dona. Augustinus *epistola* 105. Cœlest. *Epistola* 1. *cap.* 12. Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. Sed nemo ex dono obligatur, nisi quia ipse vult, & acceptat: ergo opera nostra in tantùm sunt merita apud Deum, inquantùm ipse ea acceptat. Concilium Senonense *in Decretis fidei cap.* 16. dicit iustitiam nostrorum meritorum non fundari in absoluta conditione operum, sed magis in liberali, & gratuita promissione Dei, qua, conuentione facta, conduxit operarios. Item, Trident. loco citato dicit, *Proponendam esse vitam æternam, & tanquam gratiam filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissam*, &c. Si vt gratia, & misericorditer promissa filiis benè operantibus: ergo non ex sola conditione operum. *Etsi tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddendam.* Si ex promissione Dei fideliter reddenda bonis operibus: ergo iustitia operum, vt sunt merita, fundatur in promissione Dei. quod expressè insinuat Paulus *ad Hebræos* 6. cuius verba adducit Concilium in præmissis.

Probatio minoris ex communi sententia.

Merita ex promissione subsistunt.

Senonens. Concil.

Triden.

50 *Vita æterna merces.* *Ex conuentione.*

Præterea, vita æterna est, vt merces, ex Concilio, & *ad Rom.* 4. *&* 2. *ad Timoth.* 4. Iustitia autem mercedis est ex conuentione: Math. 20. *Voca operarios in vineam meam, & redde eis mercedem*, &c. *Nónne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade*, &c. Hoc autem refertur ad merita nostra, & præmium à Deo statutum. Augustinus serm. 16. de verbis Domini: *Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, vt dicamus: redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti; & hoc fecisti, quia laborantes iuuisti.* Item, ser. 16. de verbis Apostoli: *Debitor factus est* (supple Deus) *non aliquid à nobis accipiendo, sed aliquid, quod placuit, promittendo: aliter enim dicimus homini, redde mihi quod dedi tibi, & aliter petere debitum à Deo.* In Psalm. 109. *Fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed multa nobis promittendo*, &c. Item *in lib. Confessionum lib.* 1. *cap.* 4. loquens Deo *Supererogabitur tibi, vt debeas; & quis habet quicquam, non tuum. Donas debita nihil perdens, reddis debita nulli debens*, &c. Accedit ratio, quia primò, nulla obligatione iustitiæ Deus tenetur ad præmianda quæ sua sunt dona, & ab ipso principaliter procedentia: talia sunt opera meritoria quæcumque; ergo vt inducatur obligatio, seu ius ad præmium, requiritur voluntas Dei, & promissio, seu pactum.

August.

Probatio à ratione.

Item, si opera essent ex natura sua meritoria præmij: ergo etiam à fortiori opera Beatorum essent meritoria præmij talis. Item, limitatio præmij est à voluntate diuina: ergo & ius meriti. Antecedens patet, quia ideò iustus pro alio non meretur gloriam, sed pro se tantùm, quia Deus non acceptat eius opera pro alio: quantùm enim ad naturam operis, & valorem, perinde est, siue præmium retribuatur propriæ personæ, vt contingit in puris creaturis, siue alteri, vt patet in operibus Christi, quæ retribuuntur in nobis. Non esset etiam ratio, quare ad statum viæ limitaretur meritum, nisi ex diuina voluntate non acceptante opera Beatorum, aut animarum Purgatorij: quamuis opera de se dicant eandem perfectionem, ex quibus patet minor. 51

Fundamenta Vasquez de facili soluuntur: sed materia est alterius negotij, & tractatus. Vrget primò non sequi ex sola promissione esse meritum: aliqui id concedunt: sed nos negamus;

Soluitur fundamentum Vasquez.

mus; requiritur enim opus ex parte merentis, quòd sit bonum, & circumstantionatum qualitatibus meriti, obligatur præmianti, seu ad opus præstandum: præmians verò ad præmium merenti; quæ obligatio mutua est, & requirit consensum, & voluntatem vtriusque.

Obligatio mutua conuentionis.

52 Dices, peccatum est ex natura sua dignum pœna: ergo est opus bonum præmio. Respondetur, negando consequentiam: quia peccator posita lege, & transgressione, potest incurrere debitum pœnæ: Deus autem nequit obligari ad præmium, nisi ipse velit. Deinde falsum est antecedens, vt aliàs dictum est, nisi intelligatur de debito, & dignitate fundamentali. Dices, promissio non semper inducit præmium, aut fundat ius ad ipsum: ergo etiam neque facit ad meritum. Respondetur negando consequentiam. Ad antecedens respondetur, quòd alia est promissio merè gratuita, & liberalis, alia verò onerosa, & ex motiuo, vel secundùm motiuum iustitiæ. Promissio primo modo non fundat meritum, quales fuerunt promissiones factæ Patribus; vt Abrahamo, & Dauidi, consequentes ad bona opera ipsorum, quia promissus est Christus futurus ex semine ipsorum. Promissio secundo modo cum conditione operis, & intuitu eius facta secundùm motiuum iustitiæ fundat ius ad præmium exhibito opere. Dixi secundùm motiuum iustitiæ, quia si fiat tantùm ex motiuo misericordiæ, non fundat ius meriti, licèt supponat opus: talis est promissio remissionis peccatorum facta pœnitentiæ. De vtraque *suprà* dictum est; illa enim est imperatoria veniæ, & remissionis, non meritoria. Dices, ipsa iustitia dat ius ad gloriam, quia est filiatio. Respondetur non dare ad gloriam per modum coronæ, quia hoc ex operibus est, ad quod requiritur Dei acceptatio præuia, seu ordinatio.

Peccatũ quomodo dignum pœnæ?

Replica.

Soluitur.

Promissio gratuita, & onerosa differũt.

Promissio ex motiuo iustitiæ facta fundat ius ad præmium.

53 Octauò principaliter probatur conclusio. Iustitia nostra, siue in habitu, siue in opere, non tribuit ius ad gloriam, nisi quà innititur meritis Christi de facto, ita vt gloria, ad quam ordinat iustitia tam actualis, quàm habitualis immediatè, etiam innitatur Christo: ergo non ex natura rei tribuunt ius ad gloriam: sed ex diuino beneplacito, quo ordinatus est Christus tanquam nostra redemptio, & sanctificatio; quod probat hoc ius gloriæ in ipsis esse morale, non reale, seu naturale: nulla enim causa formalis dependens à libera ordinatione, & per hanc à causa meritoria, & morali quoad aliquem effectum, etiam formalem, potest illum habere ex sua præcisa entitate reali: sed necessariò ei competit moraliter.

Octaua ratio.

Iustitia nostra de facto innititur Christo, in quo acceptamur.

Iustitia innitens in sui acceptatione à causa meritoria non dat ius nisi morale.

54 Antecedens probatur ex dictis, quia ius ad gloriam non magis tribuitur iustitiæ habituali, quàm operibus iusti in Scriptura: in priori autem argumento est probatum hoc ius sine promissione Dei non fundari in operibus, neque consequenter opera dignificari à gratia respectiuè ad præmium naturaliter; neque consequenter personam: sed opera sicut promissionem exigunt, ita etiam valorem sumunt à Christo immediatè, vt ei innituntur, & non solùm à iustitia, & gratia actuali, & habituali, quæ sunt ex meritis Christi. Subsumptum negat Vasquez *loco citato cap.* 7. vbi dicit opera iusti ex gratia facta nullum valorem specialem habere ex meritis Christi Domini.

Opera sumere valorem ex meritis Christi.

Negat Vasquez.

Subsumptum tamen tenent Caietan. *in 3. tom. Opusculorum tract. 9. cap. 9.* Ruardus *art.* 11. Hossius *in confessione cap.* 73. citatur Vega *quæst. 5. de Iustificatione ad* 3. Eam sententiam docet Suarez *lib. 12. de Gratia cap.* 19. Id tenet Sotus de satisfactione *in 4. d. 19. q. 1. art. 2. conc.* 3.

Tenent alij.

Probatur ergo illud subsumptum ex Trident. sess. 14. cap. 8. *Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per Iesum Christum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo vnde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre,* &c. Perinde dicit Concilium nos mereri in Christo, sicut & satisfacere in Christo; sed satisfactio in Christo, vt ex vltimis verbis apparet, non solùm denotat satisfactionem fieri per gratiam Christi, qua donatur opus satisfactorium, & iustitia per pœnitentiam restituitur, sed etiam quia *ex Christo vim habet, per illum offertur Patri, & per illum acceptatur à Patre.* Par ergo ratio est de merito: quia eodem modo per gratiam Christi comparantur merita, eodem modo innituntur eius operibus, & ipsi, vt est causa meritoria, satisfactoria, & vniformiter influens in vtrumque. 55

Et probatur subsumptum. Trident.

Præterea, vt *suprà* probatum est, vita æterna est gratia, vt confertur etiam operibus iusti, & perseueranti vsque in finem: *Quia est gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa,* &c. Trident. *sess. 6. cap.* 16. ergo si gratia misericorditer per Christum promissa, sequitur inniti Christi meritis etiam immediatè, vt est gratia diuersa à bonis operibus, & bonis operibus misericorditer promissa per Christum; in quo benedicimur omni benedictione in cœlestibus, & à quo est omnis gratia: sed suppositis operibus iustis, adhuc vita æterna dicitur esse gratia collata, & promissa ipsis operibus misericorditer: ergo hæc promissio, & collatio innititur immediatè operibus, & meritis Christi. Confirmatur clariùs *ex canone 26. in eadem sess.* qui desumptus est ex doctrina huius capitis: *Si quis dixerit iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum: si benè agendo, & diuina mandata custodiendo vsque in finem perseuerauerint, anathema sit,* &c. Ergo præsuppositis operibus ex iustitia factis, & perseuerantia vsque in finem in obseruantia mandatorum, adhuc vita æterna, & retributio dicitur per misericordiam Dei facta, & per meritum Christi: ergo alius est influxus meritorum Christi in retributionem; alius verò in opera, & vterque innititur immediatè Christo: ergo quod est intentum principale, neque iustitia, neque opera iusta, & meritoria etiam in *esse* posita, dicunt ordinem ex natura rei tanquam causa præcisa, & totalis ad vitam æternam, supposita quacumque gratia prærequisita, & anteriore, qua donantur tam iustitia, quàm opera, nisi præterea includunt promissionem, & misericordiam Dei, & meritorum Christi valorem, quibus hæc retributio etiam immediatè innititur, & sine quibus neque iustitia, neque opera possunt tribuere ius ad gloriam: quia ipsa promissio facta tam iusti- 56

Promissio facta meritis innititur misericordia in Christo.

Trident.

tiæ,

tiæ, quàm operibus, inuoluit Christum vt causam meritoriam, & principalem; ex qua ipsa promissio est facta, etiam misericorditer, & ex bonitate Dei, sine qua promissione, reliquæ non possunt dare ius ad gloriam, & qua supposita, ius illud complete fundatur: vnde sequitur non esse effectum iustitiæ, aut operum ex natura rei, sed ius fundatum ex misericordia sic ordinante intuitu operum Christi, vt afficit iustitiam, & opera.

57 *Obiectio.* Obiicit Vasquez tam iustitiam, quàm opera ab intrinseco esse talia, neque accrescere ab extrinseca promissione, aut ex meritis Christi: quia sunt eiusdem speciei, & entitatis, siue dentur in Christo, siue non dentur: ergo non sumunt valorem à Christo. *Responsio.* Respondetur ex dictis, neque opera, neque iustitiam ab entitate Physica habere ius ad gloriam; ac proinde accrescit eis hoc ius formale supposita tam promissione Dei, quàm etiam valore operum Christi, quibus innituntur, & in quibus principaliter acceptantur in ordine ad gloriam: loquendo namque de operibus, multis titulis debentur Deo tanquam bona propria eius, & tanquam debita etiam creaturæ per obseruantiam legis: nam & filius debet seruire patri, mandata eius seruando, & obsequia præstando, ex quibus non debetur ei præmium aliquod, nisi pater id promiserit, sic etiam nec seruo debet dominus, & spectando naturam iustitiæ magis seruari potest inter filium, & patrem; dominum, & seruum, quam inter Deum & creaturam: si ergo ibi requiritur promissio & pactum, quanto magis inter Deum & creaturam respectu obligationis ad præmium, seu iuris eius acquirendi ex operibus. Hæc autem promissio pro statu præsenti saltem facta est intuitu operum Christi principaliter, sicut & satisfactio quæ ex eodem fonte est, & innititur operibus eius, in quibus etiam acceptatur. Vnde hic author nimis arctat iustitiam Christi quam nobis communicauit, quasi nihil nobis contulerit præter solam primam gratiam, & auxilia benè operandi, non verò gloriam meruerit, nisi tantùm remotè ex gratia habituali, & actuali collata; vnde rectè applicatur ei argumentum Augustini contra Pelagium *lib. de gratia Christi loco suprà cit. argum. 5. ad conclus. Doct. in commento*, nempe plus nos habere ex nobis ipsis, quàm ex Christo: sic enim Augustinus vrget Pelagium dicentem possibilitatem esse ex Deo, in qua tantùm constituebat gratiam: quia non fuit illa possibilitas liberi arbitrij ad bonum, & malum ex meritis nostris; tamen voluntatem dixit, & actionem nos habere ex nobis, loquendo de bona voluntate, & actione. Quod absurdum putat Augustinus ex eo, quòd plus boni haberemus ex nobis immediatè, quàm ex Deo.

Acceptari iustitiã, & opera in Christo.

Non tenetur Pater filio quoad opera eius remuneranda.

Magis interuenit iustitia inter patrem & filium, &c. quàm inter Deũ, & creaturam.

Derogari gratia Christi, & meritis.

Argumẽtum Augustini cõtra Pelagium.

Applicatur ad propositũ. Eodem modo præfatus author statuit tantùm possibilitatem gloriæ esse ex Christo, inquantùm dat media remota: quibus constituatur in potestate hominis, vt gratiam actualem, & habitualem, ex quibus est opus meritorium; de cætero ipsam gloriam esse ex nobis, suppositis illis mediis, & bono vsu liberi arbitrij; sed ipsa gloria sicut finis est proculdubio maius bonum, quàm illa, quæ habet rationem mediorum, & ius quodcumque ad rem est inferioris ordinis, quàm sit ipsa rei acquisitio, & possessio, ad quas ordinatur, sicut ad commodum ex re: sic sequeretur quòd neque electi essemus in Christo ad gloriam, neque gloria priùs volita esset saltem in ratione finis, quam merita: & plura alia deduci possunt inconuenientia, sicut & illud, quòd plus haberemus ex nobis, quam ex Christo.

Finis perfectior mediis.

Si dicas gloriam esse ex Christo, sed mediatè: sic diceret Pelagius voluntatem, & actionem esse ex Deo, sed media possibilitate. Sed breuiter procedendo; peccatum non solùm priuat gratia, sed etiam gloria: imò magis per se natum est priuare gloria, cum qua nullum peccatum stare potest, etiam veniale, quod non repugnat iustitiæ actuali, aut habituali: peccatum enim dicit auersionem à Deo pro quocumque statu hominis, & in statu gloriæ magis subiicitur suo creatori, quàm in statu viæ, & iustitiæ, quo peregrinatur à Domino in fide, & spe. Vnde si gloria non esset ex meritis, sed tantum liberaliter, vt fuit gloria Christi, adhuc repugnaret ei peccatum: quia nihil inquinatum ingredietur in eam; quin etiam pœna debita excluditur à gloria, quæ est plenitudo bonorum, & excludẽs omnem miseriam tam culpæ, quàm pœnæ: sed omne nocumentum, quod est ex peccato, restituit Christus: ergo etiam ex meritis eius restituitur gloria, cuius priuatio immediata consequitur peccatum, non secus ac priuatio gratiæ: neque peccator solùm demeretur gratiam, sed etiam magis demeretur gloriam: & sicut remissio peccatorum datur immediatè propter Christum, vt Scripturæ, Patrum, & Conciliorum consensus habet, ita etiam restituitur per eundem non solùm iustitia tam actualis, quàm habitualis, sed etiam ius ad gloriam, quod ab his diuersum est, vt considerantur secundùm intrinseca naturalia in ratione habitus, & operis boni, vt patet ex præmissis fundamentis conclusionis positæ. 58

Peccatũ priuat gloria per se.

Christus restituit gloriã quæ peccato repugnat.

Hanc eandem conclusionem probant optimè, & directè argumenta posita in commento, & in specie, illa, quibus probatur peccatum non esse priuationem gratiæ, aut formam contrariam physicè, & peccatorum remissionem (ex fundamentis *ibidem* deductis *argumento 5. & sequentibus* ex doctrina Patrum, & Conciliorum) esse diuersum beneficium ex meritis Christi datum, ab infusione gratiæ, adoptione, & filiatione. Fundamenta autem oppositæ sententiæ commodiùs resoluemus in fine quæstionis, quia implicant quasdam difficultates de natura iustificationis, quas in sequentibus conclusionibus oportet primùm resoluere.

Probatio conclusionis præmissa in commentario.

Secunda conclusio. Iustitia non est distincta forma à charitate, sed est eadem in re forma physica. Ita Doctor *in 2. distinct. 26. quæst. vnica.* Alensis *3. part. quæst. 61. membr. art. 4.* Richard. *in 2. dist. 26. art. 1. quæst. 4.* Nominales, & Scotistæ *in eodem 2. dist. 26.* Marsilius *quæst. 17. in 2.* Vega *lib. 7. in Trid. cap. 25.* Bellarminus *lib. 1. de Grat. & lib. arb. cap. 6.* Gaspar Cassali *lib. 1. de Quadripartita iustitia.* Contrariam sententiam docet D. Thomas *1. 2. q. 113. art. 3. & 3. contra Gentes cap. 151. & quæst. 27. de Verit. art. 1.* Quem sequuntur discipuli Caiet. Conrad. Med. *in Summa Ferrariensis contra Gentes.* Capreolus *in 2. d. 26. quæst. 1.* Soto *lib. 2. de Natura & Gratia cap. 17. & 18.* Valent. *tom. 2. disp. 8. q. 2.* Suarez *lib. 6. de Gratia cap. 12.* quam sententiam ipse fatetur non posse satis clarè deduci ex sacra Scriptura, Conciliis, aut Patribus; eámque sic declarat esse formam quan 59

2. Conclusio. Charitatem esse gratiam.

Sententia cõtraria esse diuersam formam.

quandam accidentalem, quæ inhæret substantiæ animæ, dans ipsi *esse* diuinum quoddam, quia participat essentiam diuinam, non prout est voluntas, aut intellectus, vel aliud attributum, quod sit operatio, aut principium proximum operandi, sed prout est essentia quædam, & natura supra omnem naturam substantialem creatam, aut creabilem: vnde fit, sicut natura diuina est radix attributorum voluntatis, atque intellectus, ita hæc forma sit radix secundùm rem ipsarum virtutum infusarum, etiam charitatis. Respectu animæ comparata est accidens, respectu virtutum est forma, seu quasi forma substantialis, quia non est principium proximum alicuius operationis.

Declaratur.

60 *Sententia Vasquez.*

Vasquez 1.2. *disp.*196.*c.*3. vtramque probabilem sententiam sentit, sed contemnit tanquam in Patribus, Scriptura, aut ratione non fundatam; excedit tamen, & amore opinionis suæ prætensæ, quâ vult iustitiam esse in actibus, dilapsus est. Videatur 3.*part.disp.*2.*cap.* 6. vbi asserit probabilius esse iustitiam adultorum consistere in actu, quàm in habitu: & consequenter 1.2. *disp.* 203. *per totam*, docet actum dilectionis Dei super omnia, & perfectæ contritionis delere peccatum formaliter: quamuis in fine videatur dissimulare, quasi id saltem de potentia Dei absoluta non repugnaret: sed non rectè philosophatur ex regulis oppositorum: nam si ex natura rei opponitur dilectio, & contritio perfecta peccato habituali, vt intendit tota eius disputatio, ad hoc non requiritur potentia Dei absoluta, imò sæpissimè sic contingeret, sicut & ipsi actus dantur sæpiùs à Deo peccatoribus. Si autem illi actus non dicant oppositionem formalem ad peccatum habituale in quacumque materia, neque per potentiam Dei absolutam ex natura rei possunt formaliter delere tale peccatum, natura ipsorum actuum in se cōsiderata.

Iustitiam cōsistere in actu.

Consistit in habitu.

Supponendo ergo cum communi Theologorum, & Tridentino *sess.*6.*cap.*7. & penè *per totum*, vbicumque loquitur de iustitia nostra, eam consistere in aliquo inhærente permanenter, quod infunditur, augetur, conseruatur, manet. Alterutra opinio ex prædictis fundata est in Scriptura, Patribus, & ratione. Omissa hac sententia,

61 *Omnes effectus gratiæ tribuuntur charitati ex Scriptura. Natiuitas, & filiatio. Sanctificatio. Remissio.*

Probatur conclusio, primò ex Scriptura, quæ omnes effectus gratiæ tribuit charitati: ergo, &c. Probatur esse, & nominari filios Dei, 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij nominemur, & simus.* Nasci tribuitur charitati, ibidem cap 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*, &c. Item, sanctificare ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti, & electi in conspectu eius in charitate*, &c. Dimittere peccata. Luc 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Videndus est Apost. 1. *ad Cor.* 13. qui præfert charitatem omnibus donis, & describit eam fontem reliquorum, & sine ea reliqua nihil esse: hoc non esset verum, si non esset gratia: ergo. Et vt vno verbo concludam, vel non potest probari ex Scripturis iustitia habitualis, vel si probatur, probatur esse eadem cum charitate, quia nullus locus Scripturæ agit de iustitia nostra, qui non exponat eam sub nomine charitatis, vel synonymè his vtatur.

Est fons reliquorum donorum.

2. Ratio. Charitatem esse iustitiam formalem. Trident.

Probatur secundò, speciatim ex Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 7. Causam iustificationis nostræ dicit esse iustitiam, qua interiùs renouamur: & quænam illa sit subiungit: *Id tamen fit in hac impij iustificatione, dum eiusdem passionis merito per Spiritum sanctum charitas diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret.* Vbi exprimit eam esse causam formalem iustitiæ, nobísque inhærere, vt excludat errorem hæreticorum, quem *ibidem* damnat, ponentium iustitiam nostram in extrinseco; quod nobis non inest, vel in sola remissione peccatorum, quæ nobis non inhæret permanenter. Quæ dogmata damnat hîc Concilium verbis præfatis.

Errores damnati à Concilio.

62 *Responsio. Impugnatur.*

Dices *ibidem* Concilium circumloqui gratiam per charitatem, tanquam per proprietatem notiorem. Contrà, hæc est euasio, qua destrui possunt omnes rationes formales rerum, imò & causæ: nam Concilium ostendit omnia genera causarum in seipsis, non in proprietatibus. Si dicas secutam esse consuetudinem Scripturarum. Contrà, ostendatur vbinam Scriptura distinguit inter gratiam & charitatem: sed probo ex eodem loco non subsistere responsionem. Duos errores impugnat Concilium, nempe iustitiam nostram esse extrinsecam; alterum, nobis non inesse permanenter, sed consistere in sola peccatorum remissione, quæ fuit etiam hæresis Pelagianorum, vt constat ex Augustino, *de gratia Christi.* Contra hæc, Concilium in principio definit quid sit iustificatio, & quid includat, nimirum quòd non sit sola remissio peccatorum, sed sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Mox subiungit omnes eius causas, & verbis præfatis exprimens eius causam formalem, statim declarat doctrinam in principio positam in descriptione iustificationis, vt vtrumque membrum includit, scilicet renouationis, & remissionis; & quid per eam homo recipiat: *Vnde*, inquit, *cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*, &c.

Processus Concilij.

Quid sit iustificatio, & qua includit?

Renouatio per quas formas fit.

63

Deinceps probans non sufficere donum fidei, neque perfectè vnire Christo sine spe, & charitate, neque corporis eius viuum membrum efficit: ergo supponit in his consistere vitam, & vnionem membrorum ad Christum: nam illa exceptio solius fidei includit affirmationem reliquorum ad perfectam vitam, & vnionem requiri, & sufficere: vita autem, & vnio membri viui ad Christum habetur ex iustitia: ergo cùm hæc sint per charitatem, erit iustitia. Verba Concilij sunt clara: dicit enim inseri hominem Christo per remissionem peccatorum, & infusionem fidei, spei, & subdit: *Nam fides, nisi ad eam accedat spes, & charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit:* ergo si accidant, vnitur per ipsas Christo, & fit viuum eius membrum. Deinde in his causam præcisam vnionis, & vitæ statuit Concilium: nam ex subtractione eorum intelligit non posse stare vnionem, & vitam: ideóque negat fidem solam vnire, aut viuificare: ergo, &c. Tertiò supponit non dari aliquod donum, cuius ille esset effectus, diuersum; nam dans causam adæquatam, & præcisam alicuius effectus, excludit quodcumque aliud, nec esset ratio cur fidem solam excipiat, si effectus ille non esset ab aliis donis, quæ includit iustitia infusa, sed absque aliquo priore, cuius esset effectus expressus, & ad quod sequerentur dona tanquam proprietates: quia ex necessitate huius effectus requirit Concilium charitatem, & reliqua, quæ necessariò insunt, si charitas inest: nec refert

Sola fides non vnit ad Christum.

Vnio cum Christo vt fit, & per quæ?

Causa præcisa excludit reliqua.

Charitas vnit.

refert quòd alia dona enumeret, quia antea illum effectum tribuit soli charitati; quam dicit infundi nobis, & inhærere, sicut superiùs loquitur de illa, sub appellatione iustitiæ, perinde dicit nobis esse donatam, *qua iusti nominamur, & sumus.* Deinde subiungens modum, dicit hoc fieri per infusionem charitatis: non est ergo

Æquiuocatio à Concilio remouenda est.

quòd condemnemus Concilium de æquiuocatione, quasi in tam breui decursu verborum in doctrina fidei transiret de vno in aliud, seruato eodem tenore, & docens non solùm iustitiam nostram esse intrinsecam, & causam formalem, atque infundi, sed vlteriùs modum, quo infunditur, & quid sit illa forma, quæ infunditur, dicens esse charitatem.

64

Confirmatio.

Confirmatur ex verbis sequentibus; dans rationem ex Scriptura, quare fides sola non vniat Christo, nec faciat viuum membrum eius. *Qua ratione,* inquit, *verissimè dicitur fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse, & in Christo Iesu, neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur,* &c. quia nempe fides sola non viuificat, neque informat opera, neque sufficit sine operibus, quæ fiunt per charitatem, quia sicut charitas vnit Christo, & facit viuum eius membrum, ita etiam informat, & dignificat opera, quæ sunt meritoria vitæ æternæ. Hinc *sess.* 14. *cap.* 4. dicit contritionem charitate perfectam reconciliare Deo extra Sacramentum: vbi loquitur de charitate, quà habet annexam remissionem peccati, & consequenter de habituali, non solùm actuali.

Fides mortua sine charitate.

Charitas informat opera.

Contritio ratione charitatis informantis delet peccatum.

65

Confirmatur secundò, *ex eodem cap.* 7. vbi subiungit hanc fidem informatam charitate petere Catechumenos ab Ecclesia, quando petunt fidem, vitam æternam præstantem, & concludit: *Itaque veram, & Christianam iustitiam accipientes,* &c. *per Christum Iesum illis donatam, candidam, & immaculatam, iubentur statim renati conseruare, vt eam praferant ante Tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam,* &c. Sed quam iustitiam? nempe illam, quam hactenus declarauit consistere in fide, spe, & charitate; quam ideò vocat primam stolam, quia est prima hominis iustitia, non supponens aliam anteriorem.

Charitas prima stola.

Confirmatio.

Confirmatur tertiò, infrà c. 10. de acceptæ iustificationis incremento: *In ipsa,* inquit, *iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt, atque magis iustificantur.* Et infrà declarans in quo cōsistat hoc iustitiæ incrementum: *Hoc verò,* inquit, *iustitia incrementum petit sancta Ecclesia, cùm orat: Da nobis f. dei, spei, & charitatis augmentum,* &c. Item, Canon. 11. qui desumptus est ex cap. 7. idem docet: *Si quis,* inquit, *dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitia Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, qua in cordibus eorum per Spiritum diffundatur, atque illis inhæreat,* &c. *anathema sit.* In quibus verbis sumit gratiam, & charitatem pro eodem, & synonymè, sicut in doctrina capitis septimi pariter sumpsit synonymè; ideóque adiungit verbum singulare *diffundatur,* atque *inhæreat,* vt ostendat se loqui de vna, & eadem forma, non verò *diffundantur, & inhæreant,* quæ denotarēt diuersas, seu plures formas: atque prætera aduertendum est, Concilium in doctrina capitis 7. quando agit de charitate sub appellatione iustitiæ, non vti verbis illis, quæ sumpsit Canon fidei, sed aliis æquiualentibus, vt

Iustitia incrementum.

Locutio singularis de charitate, & gratia denotat: eandem esse formam.

quòd non solùm reputamur, *sed iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes,* &c. Agens autem de charitate sub appellatione charitatis, vtitur illis verbis, *Charitas Dei diffunditur, atque ipsis inhæreat,* &c. Simili modo quamuis *in c.* 10. exprimat augmentum iustitiæ per augmentum fidei, spei, & charitatis, tamen *can.* 24. qui inde sumptus est, solùm exponit augmentum sub nomine iustitiæ, & synonymo.

Tertiò, Patres eodē modo synonymè sumunt gratiam, & charitatem. Augustinus, de Natura & Gratia, c. 42. *Charitas,* inquit, *est verissima, plenissima, perfectissimáque iustitia:* & tract. 5. in 1. epistolam Ioannis, *Charitas est, quæ separat inter filios Dei, & perditionis,* 15. de Trinit. c. 18. *Nullum esse isto dono excellentius* in Psal. 113. *Nihil eminentius in sacra Scriptura inueniri potest, quàm charitas.* Gregorius *homil.* 27. *in Euangelia,* dicit eam esse radicem omnium virtutum: & 38. esse vestem nuptialem, quam Patres intelligunt iustitiam. Prosper *de vita contemplatiua, c.* 13. esse mortem criminum; quod conuenit tantùm iustitiæ. 66

Tertia probatio ex Patribus.

Quarta ratio est fundata in Scripturis, quia nullum attributum conuenit gratiæ, quod non inuenitur conuenire charitati, est amicitia inter Deum, & hominem, nō compatitur cum peccato mortali: est radix boni operis, & meriti: neque vnquam potest esse informis, sicut spes, & fides. Deinde Concilia, & Patres non agnoscunt in nobis gratiam aliquam, quæ non sit operatio, aut principium operationis. Item, in eodem poni debet gratia, in quo est beatitudo; hæc conuenit mediantibus potentiis. Fundamenta oppositæ sententiæ non habent difficultatem: hærent in metaphoris, & quòd iustitia sit vita, terminus regenerationis, per eam Deus illabatur animæ; quæ non possunt conuenire ratione habitus existentis in potentiis, sed alicuius prioris in ipsa anima. Hæc omnia conuenire charitati, ex dictis patet, quæ est vita; ac præter eam asserere aliam vitam, videtur superfluum. 67

Quarta ratio. Ex attributis charitatis.

Gratia est principiū operum.

Tertia conclusio. Iustitia, seu charitas non ex natura rei, sed ex diuina voluntate, & dispositione opponitur peccato mortali habituali. Est Doctoris, & aliorum, quos citauimus in præcedenti conclusione. Probatur ex fundamentis vtriusque conclusionis; in specie verò probatur ex dictis in commento, vbi ostensum est remissionem peccatorum fieri misericorditer in Christo; & eam esse diuersam gratiam, & beneficium ab infusione iustitiæ, adoptione, filiatione, & huiusmodi: oppositio ergo hæc est ex diuina bonitate, cui non congruit dare filiationem, ac ius ad gloriam, seu adoptionē, nisi remittendo maculam, & offensam, quæ incompatibilis est cum vera amicitia Dei: hæc autem sunt connexa charitati, qua Deus mediante illa tanquam intrinseca iustitia, ordinare voluit hominem ad gloriam, & acceptare ad amicitiam: sic autem considerata charitas non in *esse* formæ physicæ, sed vt est fundamentum vitæ, & adoptionis, habet annexam necessariò remissionem peccatorum, & sicut ipsa immediatè operatur circa finem vltimum tanquam supremum, & perfectissimum donum, & virtus; ita etiam congruit mediante ipsa acceptare hominem, & adoptari ad amicitiam Dei, & vitam: licet autem ex parte creaturæ etiam ex natura rei non possit dari magis fundamentum amicitiæ respectiuè ad Deum, quo se creatura perfectè commu- 68

Tertia conclusio.

Charitas moraliter opponitur peccato habituali.

Filiatio, & adoptio connexa est charitati.

Congruitas huius connexionis.

Est fundamētum amicitiæ ex parte hominis. communicat Deo, quàm sit charitas; & secundùm æqualitatem quantùm est ex parte hominis amantis Deum super omnia, & in ipsum se, & sua refundentis; tamen quia charitas non tollit seruitutem, & subiectionem in ordine ad Deum, ideò se sola, & secundùm propriam naturam, non est sufficiens fundamentum, vt inducat amicitiam mutuam, etiam ex parte, sine voluntate Dei, & consensu acceptantis creaturam, & se eidem communicantis per dona in via, & per gloriam in patria.

Requiritur acceptatio diuina vt fundet amicitiā ad Deum, & ratio huius.

69 Vnde sicut amicitia, quæ est ad alterum species iustitiæ in genere, dicit relationem illam, quæ exigit terminum ex parte alterius per mutuum consensum, à fortiori id requiritur ex parte Dei, vt per charitatem ex parte creaturæ fundetur amicitia, & hic terminus est acceptatio Dei, qua acceptat creaturam mediante charitate eo modo, quo potest fundari amicitia per communicationem bonorum, & affectuum, mutua inter Deum, & creaturam: requiritur enim intrinsecè ad amicitiam, vt amor sit mutuus, & notus amicis, extrinsecè autem, & concomitanter; ne sit magna distantia inter personas in diuitiis, potentia, virtute, vitio, conditione; vt patet ex Doctore *in 2. d.27. Ad primum principale.* Secundùm has conditiones nequit esse amicitia propriè inter creaturam, & Deum: est ergo tantùm secundùm mutuum amorem, & communicationem affectuum, actionum, beneficiorum constantia, & firmitas, quod sufficit: neque haberi possunt ex natura alicuius doni habitualis ex natura rei, sed vt accedit acceptatio, & consensus Dei mediante tali dono acceptantis creaturam, & redamantis eo amore, qui requiritur ad amicitiam per constantem communicationem affectuum, beneficiorum, & actionum: quæ sine charitate infusa habituali etiam possint de potentia absoluta, & secundùm aliam prouidentiam interuenire mediante Dei electione speciali, ex qua peccatorum remissio, ordinatio hominis ad gloriam per iustitiam actualem; & adiutoria mediante dilectione actuali, & operibus fidei operantis per charitatem, quia sicut in his de facto iustitia actualis, quæ meretur gloriam, versatur; ita etiam posset amicitia in iis fundari ex Dei speciali voluntate: quia sic in iis esset vera communicatio actionum affectuum, & beneficiorum: nam & ipsam gloriam, quæ est perfectissima Dei communicatio respectu creaturæ, posset donare independenter ab omni dono habituali; vt communior sententia Theologorum fert: quo casu seruaretur amicitia inter Deum, & creaturam.

Requisita ad amicitiam.

Qualis est amicitia inter creaturam, & Deum.

Posset esse non mediante dono habituali.

70 Charitas etiam habitualis dicitur iustitia nostra, vt patet ex dictis: hoc tamen non competit ipsi præcisè ex natura habitus seclusā Dei voluntate: nam sicut iustificatio includit ex Tridentino & Patribus hæc duo, nempe remissionem peccati, & renouationem interioris hominis, loquendo de iustificatione impij pro statu peccati: sic etiam, vt dictum est, illa remissio non est coniuncta ex natura formæ charitati diuinæ habituali, sed ex Dei voluntate. Loquendo præterea de iustitia, vt est vera subiectio creaturæ ad Deum, & excludens peccatum in opere, seu obliquitatem: hoc etiam modo non conuenit charitati habituali rectificare liberū arbitrium defectibile, sine aliis adiutoriis gratiæ actualis; nam quòd charitas sit plenitudo legis, id prouenit ex diuina voluntate ordinante obseruantiam legis ad finem charitatis, & cæteras virtutes, tanquam media eius acquirendæ, & conseruandæ, non autem ex natura rei, seu solius habitus, qui nequit solus rectificare liberum arbitrium defectibile, & cum effectu boni operis in materia aliarum virtutum. Hinc concludunt Patres necessaria esse adiutoria gratiæ Christi actualis ad hunc effectum, etiam iustis, non solùm vniuersaliter ad obseruandam legem, & superandam concupiscentiam, & tentationes in materia cuiuscumque virtutis; sed etiam in materia ipsius charitatis. Vnde siue dicatur iustitia, qua excludit peccatum originale, aut habituale, siue dicatur iustitiā, vt finis legis, per quam adimpletur iustitia, siue dicatur iustitia, qua informat cæteras virtutes, & opera meritoria ex ea procedentia (ita vt aliter non acceptentur ad vitam, nisi supponant charitatem habitualem, & eliciantur secundùm finem eiusdem formaliter, aut virtualiter) apparet omnia hæc inuoluere voluntatem Dei, non solùm qua donat habitum ipsum, sed etiam, qua cætera dicunt ordinem ad habitum, exigitur voluntas eius specialis.

Charitas est iustitia nostra, & qua ratione.

Iustitia vt delet peccatum.

Vt subijcit creaturā Deo.

Dona habitualia sine adiutorijs non tribuūt hunc effectum.

Charitas etiam dicitur filiatio & adoptio, 71
quatenus mediante ipsa Deus eligit hominem ad hæreditatem, & vt ipsa subest electioni tanquam forma, qua discernitur inter filium Dei, & peccatorem, loquendo de electione in genere, qua communis est per media specialiter electis, & reprobis; qui etiam sæpè iustificantur. Per charitatem autem constituit differentiam ex parte iustificati, & filij, inter vtrumque statum, nempe filij, & extranei, seu inimici. Vnde Patres sæpè exponunt signationem interiorem per Spiritum sanctum (& quam docet Apostolus per charitatem diffundi in cordibus) per charitatem tāquam characterem, qua filius discernitur à peccatore. Hunc effectum ei conuenire probatum est *suprà*, vt includit voluntatem Dei acceptantis creaturam mediante charitate. Ex his patet non esse necessariò statuendam formam aliam diuersam à charitate, quæ hunc effectum ex natura rei tribuat, & similiter quomodo charitas dicatur gratia adoptionis, amicitia ad Deum, iustitia, & filiatio: nam id ipsi competit ex Trident. vt vnit Christo, & facit viuum eius membrum: vtrumque potest similiter separari à charitate: verbi gratia, si Christus non veniret in carnem; vel dato quòd non fuerit caput Angelorum quoad influxum gratiæ, sicut est hominum, tunc charitas non vniret Christo, quamuis esset iustitia, & filiatio in ordine ad gloriam per acceptationem diuinam modo explicato.

Charitas est filiatio, & adoptio, & qua ratione?

Non esse ponendā aliam formam in ordine ad effectus explicatos.

Obiicies Tridentinum loco citato suprà, quatenus declarat iustitiam nobis esse intrinsecam, 72
atque inhærere: hoc argumentum plurimum vrget Vasquez, quasi hæc opinio concidat cum errore damnato: ineptè sanè, suique immemor; nam qui tenet probabiliter iustitiam consistere in aliquo actu tantùm in adultis, neque oppositum conuinci ex Concilio magis incidit in Canonem, quia ille actus non potest inhærenter esse permanens, sed physicè transiens, moraliter tantùm permanens, & secundùm imputationem extrinsecam Dei acceptantis permanenter, & pro tempore sequenti talem actum. Nostra autem

Obiectio.

Retorquetur argumentum in authorem.

Solvitur. autem conclusio tenet iustificari nos per formam intrinsecam; quamuis id conueniat ex ordinatione diuina, non effectu naturali. Sic Patres tribuunt aquæ baptismali virtutem sanctificandi, qua Spiritus sanctus aquæ illabitur, vt suo loco de efficacia Sacramenti dictum est, quæ tamen est moralis; quidquid igitur conuenit alicui mediante forma sibi inhærente, verè ipsi conuenit, siue id moraliter, siue physicè tribuat talis forma. *Replica.* Dices Bucerum admisisse fidem, spem, & charitatem, vt constat ex colloquio *Solvitur.* Ratisponensi. Respondetur negasse in his consistere iustitiam complete, sed inchoatè, & imperfectè, quia imperfecta erat, sed per extrinsecam Dei iustitiam. *Quid senserit Bucerus.* Verba eius sunt: *Hanc tamen incheatam iustitiam* (loquitur de dictis habitibus infusis) *non esse eam, qua iusti sumus apud Deum, ita vt propter illam vita æterna nobis debeatur: cùm ex parte tantùm, & imperfecta sit, nec legi Dei satisfaciat dum hic viuimus, ideò aliam in nobis, nempe Dei iustitiam esse, qua Christo confidamus & fiducia salutis confirmemur.* & in eodem colloquio, quod habuit cum Maluenda secretario Imperatoris Caroli V ponuntur hæc verba eiusdem Buceri: *Idcirco non possum fateri, iustitia inhærente, quam fide spe & charitate constet nos iustificari, iustósque esse, quia imperfecta est, nec lege Dei satisfacit,* &c. Quid ergo commercij habent hæc, quæ ipse Vasquez citat cum opinione Theologorum: quia negabat Bucerus in illis habitibus infusis contineri iustitiam, sed in extrinseca Dei, & fiducia, quam quis de ipsa concipiebat. Vnde minus philosophicè accommodare conatur Vasquez hunc errorem ad doctrinam nostræ conclusionis, qui non meretur in hoc responsionem.

73 *Deteitur calumnia.* Vnde hac vnica ratione præmissa, probatur non referre siue physicus, siue moralis sit effectus talis formæ, vt intrinsecus dicatur. *Gratia vnit Christo.* Gratia iustificans vnit iustificatum Christo, & constituit eum eius viuum membrum ex Trid. *sess. 6. cap. 7.* vbi id negat fidei, & concedit iustitiæ: sed hic effectus moraliter tantùm conuenit gratiæ: ergo. *Hic est effectus moralis, & intrinsecus.* Probatur subsumptum, quia si Christus non venisset in carnem, effectus quicunque naturalis conueniret gratiæ; sed tunc nullum ordinem ad Christum diceret: ergo sic constituere vnitum Christo, & viuum eius membrum sunt effectus morales, sed sunt denominationes intrinsecæ, vt per se constat, quia viuum membrum dicitur ratione sanctitatis, vt distinguitur à fide mortua sine vita. Eodem modo dicit Paulus hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Videantur Chrysostomus, & alij Patres citati quoad hos, & alios effectus gratiæ morales; tamen per idem cohæredes, per quod hæredes; sic salutem dicit esse ex fide Christi, non ex lege: hæ autem sunt denominationes intrinsecæ in iustificatis quantumlibet morales: ergo futiliter, si consuetudo Scripturarum, & Conciliorum spectetur, ex hoc quòd iustum constituere dicatur conuenire gratiæ tanquam effectus moralis, infert aduersarius esse fauorem extrinsecum, quem constituebant hæretici, negantes interiorem renouationem. Si verò ratio moralis spectetur, exemplum habet in contractibus, matrimonio, & aliis, quæ sunt denominationes morales, intrinsecæ tamen per ordinem ad extrinsecum. Sed de hoc satis pro delenda calumnia. Vnde quamuis glorietur se agere pro dignitate iustitiæ, nos magis agimus pro dignitate, & excellentia Dei, & veritate Canonum, ac Scripturæ: ex quibus inuestigari debet excellentia iustitiæ.

Quarta conclusio. Deus potest de potentia absoluta remittere peccatum tam originale, quàm personale habituale sine infusione gratiæ, aut alicuius realis formæ peccatori. Hanc tenet Doctor *suprà dist. 1. quæst. 6. & dist. 14. quæst. 2.* eámque supponit *in præsenti quæstione, in probatione prioris & secundæ conclusionis*: & sequitur ex dictis quam tuentur plures alij ex citatis in specie, vel supponunt. Suarez *lib. 7. de Gratia* negat peccatum originale prout de facto contrahitur, remitti posse sine infusione gratiæ. Videatur *cap. 24. & 23.* Vasquez autem idem docet de peccato habituali personali 1. 2. *disp.* 206. Omitto alios authores, quos *suprà* citauimus post primam conclusionem: consequenter enim ad sua principia rectè negant possibilitatem huius remissionis: quamuis etiam plures nobiscum sentiant, quoad remissionem peccati habitualis, sicut & D. Bonauentura *in 4. dist. 17. art. 1. quæst. 1.* Henricus *lib. 5. Summæ cap. 30.* & Suarez etiam *tom. 4. disp. 9. sect.* 4. alios citans. In eadem conclusione conueniunt Nominales cum aliis, quos *suprà* citauimus. 74 *Quarta conclusio. De potentia absoluta posset remitti peccatum sine infusione doni renouantis. Negatiua sententia quoad originale. Alij idem docent quoad habituale.*

Probatur conclusio: posset Deus remittere peccatum mediante Sacramento, quod non haberet efficaciam ad causandam gratiam, sed ad solam remissionem peccati eodem modo, quo antiqui aliqui docebant cum Magistro *suprà dist. 1. quæst. 6.* Circumcisionem habuisse vim remittendi peccatum, & non conferendi gratiam. Et sicut aliqui etiam ita dogmatizabant de Baptismo infantum, in eo non infundi dona, sed remitti peccatum: in hoc enim nulla est repugnantia, neque ex parte Sacramenti, neque ex parte subiecti, cui applicaretur, neque ex parte Dei, qui hoc beneficium tribuere potest, non dando gratiam, aut alia dona diuersa, quia ille actus esset misericordiæ, & omnis efficacia signi, respectu diuersorum effectuum est ex voluntate liberali Dei: *suprà* enim ostendimus de facto hosce effectus distingui; & quamuis coniuncta sint, hæc coniunctio est ex Dei beneplacito sic ordinante, & instituente, non verò ex debito aliquo naturæ, aut ex connexione horum effectuum naturali inter se; neque etiam vt procedunt à Deo; aliàs non esset diuersa gratia remissio peccatorum, & infusio gratiæ; cuius oppositum latiùs probatum est: sed in hoc casu nulla esset mutatio positiua in anima peccatoris spectans ad effectum Sacramenti, aut requisita per se: quia non esset habitualis, vt patet ex dictis, neque esset actualis; ponamus enim esse infantem, cui remittitur peccatum originale; aut dormientem, cui per martyrium remittitur tam actuale, quàm originale, supposita voluntate priori, qua vellet occumbere pro fide, quæ tum non manet. 75 *Probatio conclusionis. Remitti posse per Sacramentum. Ostenditur actu repugnantia huius.*

Dices requiri gratiam habitualem ex natura effectus: verbi gratia, quia peccatum originale est priuatio iustitiæ habitualis de facto dicens ordinem ad peccatum Adami, ideò nequit tolli nisi posita iustitia, ita Suarez. Contrà in primis ad hominem: illa limitatio, quam adiicit de peccato originali, prout de facto superfluè additur, nisi supponatur originale posse fuisse, secundùm diuersam prouidentiam diuinam, & pactum sub alia ratione contractum: non potuit aliter se habere 76 *Responsio. Impugnatur. Retorquetur responsio.*

bere quantùm ad causam, quia sine peccato Adami, aut parentis non fuisset transfusum secundùm originem tantùm, & non ex propria voluntate personaliter operante: quia hoc modo esset personale, & non originale. Peccatum autem nequit diffundi nisi per voluntatatem propriam, aut alienam, neque originale nisi per voluntatem parentis: sed in eo casu deberet esse priuatio alicuius rectitudinis habitualis, reliquis manentibus vt sunt, quantùm ad generationem humanam, qua nascuntur infantes: quia non sunt infantes capaces priuationis alicuius doni consistentis in actu, sicut neque ipsius actus: ergo sicut posset remitti originale, quod tum esset priuatio alicuius habitus, ita etiam posset remitti originale, vt est priuatio cuiuscunque habitus non infuso ipso habitū: vel ergo consequenter oportet dicere quòd si consisteret in rectitudine actuali, quòd ipsa etiam rectitudo actualis deberet in posteros transfundi cum suo actu, vel sine actu, si ita fieri posset eo modo, quo iustitia ex operibus manet transacto opere; quo modo etiam non ignobiles Doctores docét peccatum originale nostrum consistere in ipso actuali Adami, prout habitu diffusum est in posteros.

Opinio quorundā de peccato originali

77 *Impugnatur repugnantia assignata.*

Hoc etiam dato, sic argumentor: non minùs repugnat peccatum habituale peccatoris remitti posse à Deo mediante Sacramento, quod instituere posset; vel quacunque alia via sine physica mutatione peccatoris per infusionem iustitiæ oppositæ, quàm peccatum originale, si consisteret in priuatione actualis rectitudinis etiam remitti non communicando ipsam rectitudinem: sed primùm asserit Suarez: ergo sequitur etiam secundum. Probatur consequentia, quia omnis repugnantia, quæ in proposito haberi potest, est ex oppositione formali, quam dicunt priuatio, & rectitudo ad inuicem, quarum illa non posset tolli sine infusione huius: nam quòd illa priuatio insit mediante voluntate propria, aut aliena, est tantùm ordo ad causam diuersam, quæ non spectat ad rationem formalem intrinsecam oppositorum, quà formaliter opposita sunt: sed, vt ipse concedit, priuationem rectitudinis actualis per voluntatem propriam inductam potest Deus remittere sine restitutione ipsius rectitudinis: ergo etiam priuationem originariam eiusdem rectitudinis posset Deus remittere non restituendo eandem rectitudinem.

In quo consistit repugnātia.

Habituale sic remitti posse.

Responsio.

Totum hoc forte admitteret præfatus author, quia priuatio tum esset alicuius moralis, quam non repugnat Deo tollere, non dando rectitudinem oppositam, sicut posset remittere peccatum habituale sic, quia nempe talis priuatio dependet aliquo modo à voluntate, saltem in fundamento, & regula, cui opponitur; sed priuatio physica non ita: quia ergo peccatum originale consistit in priuatione physica gratiæ communicata per peccatum Adami, nequit tolli nisi posita gratia.

78 *Impugnatur.*

Contrà, quantùm ad dependentiam, & communicationem eius per peccatum Adami par est ratio vtrinque, quia in quocunque consisteret, deberet sic communicari per actum alienæ voluntatis, & personæ. Quantùm verò ad naturam ipsius priuationis, argumentor: negatio gratiæ in filio Adami, loquendo de physica, non potest esse priuatio physica gratiæ: nam siue detur inclinatio naturalis ad gratiam in natura creata rationali, vt nos putamus dari, siue non detur, sed tantùm obedientialis passiua, vt ipse cum aliis frequenter docet, quæcunque illa inclinatio sit, nequit fundare debitum ex quo priuatio formæ physica (demus ipsam inclinationem naturalem) posset imputari in peccatum: quia alias, si Deus crearet, aut creauit Adamum in statu naturæ sine donis habitualibus, habuit, aut haberet talem priuationem pro illo priori, quæ non esset peccatum, quia non fundatur in aliquo debito legis voluntario: neque iustitia, aut gratia Adami fuit debita posteris, nisi ex ordinatione, & pacto Dei, implicante meritum, & perseuerantiam voluntariam Adami, vt conditionem, qua Deus ipse transfunderet physicè in posteros gratiam: ergo debitum illud est merè morale in filiis Adami: ergo neque negatio gratiæ, vt fundatur in tali debito, & inducitur ex peccato Adami tanquam causa, transit in priuationem gratiæ originalis, aut iustitiæ, quidquid erat, nisi secundùm naturam debiti, in quo fundatur ex pacto Dei, communicatio gratiæ, si perseuerasset, quia negatio in tantùm fit priuatio, in quantùm supponit debitum formæ, & non aliter; ergo est priuatio moralis iustitiæ, seu gratiæ habitualis, & non priuatio eius physica, sicut & ipsa gratia ex debito tantùm morali nata est inesse. Sed priuatio moralis nequit opponi aliter gratiæ, quàm moraliter, quia oppositio eius nequit transcendere conceptum suum formalem, & intrinsecum, qui specificatur à debito: ergo perinde potest Deus tollere peccatum originale, quod in tali priuatione consistit sine infusione gratiæ, ac etiam tollere peccatum habituale, quod consistit in priuatione simili rectitudinis in actu; vel quidquid dicatur peccatum habituale.

Priuatio gratiæ nequit esse non moralis, vt est peccatum.

Priuatio gratia physica nō est peccatum.

Debitū iustitia in filiis Adam fundatur in pacto.

Priuatio eius moralis.

Originale remitti posse sine infusione doni.

Secundò, potest Deus secundùm medium iustitiæ, exigendo satisfactionem, quam ipse determinare potest in opere, & congruam peccato, remittere peccatum habituale, vel etiam originale, supposito aliquo actu, per modum dispositionis, vt dilectionis Dei super omnia, & secundùm iustitiæ vindicatiuæ medium, aut retributiuæ, statuentis tale beneficium sic operanti. Et vlteriùs nihil donādo præter media ad actum efficacia, & remissionem consequentem: sed quidquid potest hoc modo, aut mediante Sacramento, potest etiam se solo facere: ergo remittere peccatum sine infusione gratiæ habitualis, & etiam sine actu peccatoris: sicut remittit infanti sine actu suo per martyrium, aut dormiēti, aut attrito sine actu per se sufficiente per modum satisfactionis, aut dispositionis perfectæ. Probatur antecedens, quia sicut potest debitum pœnæ remittere sine vlla satisfactione, aut cum satisfactione exhibita, ita etiam non videtur ratio, cur non possit etiam remittere debitum peccati, quod mediante lege incurritur, quæ perfectè est in potestate Dei legislatoris, & quoad naturam obligationis, & quoad omnem eius effectum, quem inducit, etiam consequenter ad incursum debitum, quod tollere potest ea potestate, qua potuit hominem subigere legi, cui ipse est superior quoad voluntatem absolutam: nam sicut ex lege non est iustificatio, sic ex præcisa voluntate legislatiua Dei non est iustitia hominis, sed ex misericordia, qua ipse donat iustitiam, & infundit: ergo posset, vt supra legem est, remittere peccatum, & iniuriam in legem commissam

79 *Secunda ratio.*

Posse deleri originale, & actuale per viam satisfactionis.

Posse remitti sine actu vtrumque

Ratio.

commissam absque infusione doni habitualis, & seruato, vel non seruato medio iustitiæ, exigendo satisfactionem, vel non exigendo: supposita enim voluntate vniuersali legislatiua potest habere dispositionem specialem respectu huius, aut illius, qua ipsam exciperet à lege, vel cum eo dispensaret, aut certè debitum incursum ex lege remitteret, vt patet in legislatore humano. Lex enim non inducit debitum, nisi vt voluntas legislatoris obligans liberè: ergo potest eadem voluntas etiam soluere subditum à debito incurso, per alium actum, vel quasi alium, vt aliter tendit, & sub alia ratione in ipsum subditum: & sic alia debita legalia, aut moralia remitti possunt ex voluntate creditoris, aut domini, vt pacta, vota, iura, & similia: ergo & peccatum ex voluntate sola Dei sine immutatione intrinseca reali peccatoris.

Legislator habet effectū legis in sua potestate.

80 Confirmatur, secundùm plures aduersæ sententiæ potest Deus immutando peccatorem per actum tantùm, & sine infusione habitus remittere peccatum: ergo etiam sine actu. Probatur antecedens, quia ita tenet Conradus 1.2. *q.*113. *art.*2. Ferrariensis 3. *contra Gentes cap.* 157. Medina *in D. Thom.in loco citato, dub.* 2. Zumel *in D. Thomam disp.*2. asserit hoc esse certum. Sotus *de natura & Gratia lib.* 2. *cap.*18. quin etiam videtur sequi ex principiis D. Thomæ *quæst.* 28. *de veritate a.*2.*& in* 4.*dist.*17.*q.*1.*art.*3.*quæstiunc.*1. vbi dicit gratiam habitualem requiri ad remissionem peccati, sicut ad meritum: sed meritum de potentia absoluta haberi potest sine gratia habituali: quin etiam sic primus homo, & Angelus secundùm aliquos meruerunt primam gratiam sanctificantem.

Confirm. Posset Deus remittere peccatum per solam mutationem quoad actum peccatoris.

Consequentia probatur, quia siue actus tunc formaliter iustificaret, siue non, sed tantùm per modum satisfactionis, aut dispositionis præuiæ, diuina voluntate eam exigente, non opponitur peccato habituali actus formaliter ex natura rei; sed tantùm ex diuina ordinatione, & moraliter, vt eandem diuinam ordinationem includeret: sed omnis oppositio conueniens actui, ex diuina ordinatione præcisè, qua tollitur peccatum, vel tolleretur, potest stare cum sola diuina ordinatione secluso actu; ergo per eandem tolleretur peccatum etiam secluso actu. Patet subsumptum, quia diuina ordinatio in tantum ligaretur necessariò actui, quoad effectum prætensum, in quantum actus ex natura sua diceret repugnantiam ad peccatum, & sic ordinatio superflueret in ordine ad effectum; & quandocumque haberetur actus ex natura rei, excluderet peccatum formaliter, aut meritoriè, iuxta alterum istorum modorum; meritoriè, inquam, per modum satisfactionis, aut certè dispositiuè: satisfactio autem ex natura rei tollens peccatum sine acceptatione diuina est impossibilis: dispositio verò eatenus tolleret peccatum per modum dispositionis, quatenus haberet necessariam connexionem cum forma expellente peccatum formaliter: sed casus tollit infusionem talis formæ, & connexionem, sicut reuera tolli debet, vt probabitur: ergo restat quòd ex sola diuina ordinatione, vt adhæret tali actui, tolleretur peccatum: sed hæc potest stare secluso omni eo, quod non exigitur ex natura rei ad effectum: ergo sine actu, & consequenter remissio peccati ad eam sequetur.

Quòd sine actu idem remittere possit.

Diuina ordinatio idem sine actu præstaret.

Per eundem actus deleret peccatum non ex natura rei.

81 Restat probandum actum ex natura rei non opponi formaliter peccato habituali, sed tantùm ex diuina institutione: iustitia habitualis secundùm ipsos opponitur peccato formaliter; vel ergo sub ratione iustitiæ habitualis in specie, vel sub ratione iustitiæ supernaturalis, vt abstrahit ab actu, & habitu. Si primum: ergo iustitia in actu, verbi gratia dilectionis Dei super omnia, aut contritionis, (quia hi sunt actus perfectissimi, & accommodati ad tollendam auersionem à Deo, & consequenter ad remissionem peccati) non opponitur ex natura rei peccato habituali. Probatur consequentia: quia inter priuatiuè, aut negatiuè opposita non datur medium; sed iustitia actualis, seu actus dilectionis, & contritionis non includunt in se formaliter habitum gratiæ; ergo nequeunt tollere priuationem, aut negationem ei formaliter oppositam ex natura rei qua talis est habitus in specie, dato quòd peccatum in priuatione gratiæ consistat, vt opposita sententia tenet, & perinde etiam argumentum formari potest, si solùm demeritoriè, & moraliter ei opponitur.

Quòd actus ex rei natura non opponatur formaliter peccato habituali.

Contritio non opponitur.

Si secundum dicatur, etiam nequit admitti: quia sic dilectio, & contritio de facto iustificarent formaliter ex natura rei, quia nihil eis formaliter deficit, quod spectat ad naturam actus Physicam, aut Metaphysicam, vel rationem formalem eius. Sed consequens est expresè contra Trident. *sess.6. cap.* 7. *&* 8. nam *cap.* 7. docet iustificationem nostram de facto includere tantùm remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ habitualis, quam dicit esse vnicam formalem causam iustificationis peccatoris, quæ nobis inhæret, & præsupponi ad eam actus peccatoris præmissos; vt patet *ex cap.*etiam 6.& *c.*8. docet nos ita gratis iustificari, quia *neque fides, neque opera ipsam iustificationis gratiam promerentur*, &c. ergo minùs includunt ipsam iustificationem formaliter. Sic etiam *sess.* 14. *cap.* 4. negat contritionem etiam dispositiuè iustificare peccatorem, nisi adsint cæteræ circunstantiæ, quas *ibidem* enumerat. Sed hæc omnia essent falsa, si contritio, aut dilectio Dei supernaturalis ex natura rei opponeretur peccato, quia sic, antequàm infunderetur gratia habitualis, iustificaremur etiam sæpissimè secundùm legem ordinariam, ac proinde gratia habitualis non includeretur in iustificatione, tanquam vnica eius causa formalis, sed accederet posteriùs iustificationi præhabitæ per dilectionem, & contritionem perfectam, & oppositam formaliter ex natura rei peccato: vnde sequitur illam oppositionem, in casu deletionis peccati per actum, esse tantùm ex diuina ordinatione acceptante hominem, mediante actu, vt desinat ampliùs esse auersus, vel obiectum odij: quæ ordinatio potest stare sine actu, aut habitu, vt probatum est. Huc spectant cætera argumenta, quibus tam in commento, quàm in conclusionibus præcedentibus probatum est, neque gratiam habitualem ex natura rei dare ius ad Regnum, aut constituere filium, hæredem, amicum Dei, quæ etiam argumenta ex præsenti ratione confirmantur, dato quòd Deus per solos actus acceptaret ad gloriam, non infuso habitu, & remitteret peccatum.

82 *Dilectio, & contritio non iustificant de facto ex natura rei.*

Trident.

Opera præcedentia iustificationem eā non merentur.

Tertiò principaliter probatur conclusio, tollendo repugnantiam ex parte subiecti, nempe peccatoris, quod passiuè se habet ad remissionem, sicut ad peccatum habituale. 83

Tertia ratio.

Primo

Non stare repugnantiã ex parte subiecti.

Primo modo, quando non fundetur repugnantia ex parte causæ efficientis, & formalis non potest oriri ex parte subiecti capacis tam remissionis, quàm peccati: ergo,&c. Præterea, non repugnat hominem fieri sub peccato sine mutatione Physica, vt patet, quia per puram omissionem (quam nunc posse dari supponimus) actus debiti, fit peccator hoc modo. Sic etiam per fugam mali suspendendo solum consensum fit bonus bonitate morali virtutis oppositæ. Item, per motum primò primum non intermissum post aduertentiam non mutatur physicè, mutatur tamen moraliter quoad bonum,& malum iuxta naturam actus, & secundùm voluntatem, in qua est peccatum, vel bonum oppositum morale. Et si dicas mutari secundùm intellectum, non refert, quia agimus de mutatione eius quoad voluntatem, quæ est subiectum peccati. Et si dicas actum fieri liberum de necessario; hoc non inducit mutationem Physicam voluntatis. Idem dicendum, quando continuat actum, quem habuit ante prohibitionem superueniente prohibitione, loquendo de solo interno saltem: quia sic non mutatur physicè subiectum, quod non transit de vno opposito in alterum physicè. Item, non repugnat eum mutari moraliter quoad obligationem, & eius cessationem independenter ab omni eius mutatione Physica: vt quando lata lege, aut dato præcepto inducitur ei obligatio noua, aut infligitur pœna ex arbitrio iudicis ob peccatum præteritum, manet obligatus ad pœnam. Sic peccator remissa pœna æterna debita peccato personali manet obligatus pœna temporali, ipsa lege, sine mutatione Physica noua. Item, potest ei remitti debitum sine omni eius mutatione Physica, qua remissione cessat obligatio restitutionis: sic obligatur per procuratorem, & mandatarium sine vlla mutatione noua physica. Item, per tutorem, curatorem, & multis aliis viis patet eum posse mutari moraliter, sine mutatione Physica intrinseca; vt quando acquirit hæreditatem per mortem alterius vicinioris: ergo similiter potest mutari sine Physica mutatione in ordine ad bonum salutis, vel remissionem peccati.

Mutari posse voluntatem moraliter sine mutatione physica noua.

Reijciuntur istantiæ.

84 Quartò ex parte ipsius peccati non esse repugnantiam probatur, & confirmatur argumentum præcedens. Si Deus creasset hominem in statu puræ naturæ, posset ordinare ei aliquod remedium remissionis peccati, & lapsum restituere: quo casu non infunderet illi gratiam vllam supernaturalem quoad actum, vel habitum; quia non deberentur illi statui: sed peccatum tum esset eiusdem rationis intrinsecæ, quia quòd opponatur fini supernaturali prouenit de facto ex coniunctione tam naturalis, quàm supernaturalis finis; & ex hac oppositione opponitur etiam charitati supernaturali, quæ deducit ad talem finem: ergo etiam de facto remittendo peccatum, vt est contra finem naturalem, similiter remittitur, vt est contra supernaturalem, quia nequit manere sublata ea ratione, qua opponitur rectitudini finis naturalis.

Quarta ratio. Non esse repugnantiam ex parte termini.

Posse deleri peccatum in statu puræ naturæ, sine infusione doni supernaturalis.

85 Item, Deus posset ordinasse Christum Dominum tantùm in Redemptorem peccati, & non vt causam meritoriam vitæ æternæ, & gratiæ. Posset etiam acceptare satisfactionem Christi non solùm sufficienter, sed etiam efficaciter vt seipsa, & ex tali acceptione speciali,& Christi oblatione proportionata; maneret in effectu applicata ad remissionem peccati sine vllo actu peccatoris, vt applicatur mediante Sacramento infanti quoad vtrumque effectum, vel vt applicatur sine Sacramento ex priuilegio sanctificatis in vtero: ergo in eo casu tolleretur peccatum per satisfactionem condignam,& extrinsecam, Deique acceptationem.

Posset Deus ordinare remedia peccati aliter quàm ordinauit.

Satisfactio Christi applicatur infanti,& sanctificatis in vtero.

86 Item, posset Deus de potentia absoluta, & secundùm aliam prouidentiam ordinasse aliquem peccatorem ad gloriam sine infusione gratiæ, vt ita dicam, positiuæ; hæc ordinatio ex natura rei includeret deletionem, seu remissionem peccati, quia daret ius ad gloriam: verbi grati, infanti: ergo, &c. Dices, fortè non posse acceptare aliquem sic, qui est in peccato. Contrà, quia electio ad gloriam specialis Petri non deletur per peccatum; quamuis per media ordinaria reducitur ad effectum remissio peccati, & collatio gloriæ: ergo etiam non videtur repugnare, quin Deus seipso, sic eligendo peccatorem, possit supplere hæc media, vt patet ex dictis, quæ talia sunt ex diuina ordinatione tantùm, & non simpliciter ex necessitate mediorum quoad naturam rei præcisè.

De potentia absoluta per electionem ad gloriam deleretur peccatum.

87 Item, non minùs repugnat dimitti peccatum habituale veniale sine mutatione Physica peccatoris per formam oppositam tali peccato ex natura rei, quàm peccatum etiam mortale habituale sine tali forma opposita ex natura rei: quia vtrumque consistit in priuatione aliqua, seu alicuius, maximè in sententia eorum, qui tenent contrarium huius conclusionis, qui dicunt veniale esse non solùm contra consilium, sed etiam contra præceptum. De quo non est dubium, quando ex leuitate materiæ, aut defectu deliberationis, & aduertentiæ, excusatur à mortali: ergo perinde repugnat veniale remitti, sicut mortale, sine forma positiua, & incompatibili: nam quòd sit hæc, vel illa priuatio, aut huius, aut illius formæ, non variat essentiam, & naturam priuationis, quantùm ad repugnãtiam, & in *esse* eius; sed falsum est veniale non posse remitti sine forma aliqua noua, quæ induceret mutationem Physicam, & incompatibilem cum veniali: ergo idem de mortali, & originali dicendum. Patet subsumptum, quia veniale remittitur in Sacramento sine oppositione physica ad gratiam sacramentalem, quæ est eiusdem rationis physicæ, siue in Sacramento conferatur, siue extra Sacramentum per alia opera meritoria, vel aliter conferatur à Deo; sic autem collata non dicit repugnantiam ad peccatum veniale, quod remittitur virtute Sacramenti, etiamsi esset gratia ipsa in perfectiore gradu intensionis, quàm sit gratia sacramentalis: ergo posset etiam à Deo remitti sine infusione gratiæ.

Remissio venialis.

Ratio priuationis.

Remitti veniale sine forma opposita physicè.

88 Confirmatur, veniale remittitur aliquando de facto sine infusione gratiæ ei, qui moritur in termino suæ gratiæ, ad quam destinatur, & sine memoria, aut dolore de venialibus. Ponamus repentè mori; tunc ei remittuntur omnia venialia sine dispositione præuia, & sine gratia noua, vt *infrà* dicetur, siue illa remissio fiat in instanti solutionis animæ à corpore, siue post solutionem. Infrà etiam dicetur remitti posse per actus omnium virtutum, & per modum satisfactionis in hunc finem relatæ, quamuis nulla requira

Confirmatio. Remitti de facto sine infusione gratiæ.

requiratur infusio gratiæ. Hoc autem ex nulla oppositione Physica, sed ex Dei misericordia, & acceptatione: ergo etiam posset remitti peccatum habituale mortale per eandem acceptationem sine vllo medio; quidquid enim, vt dictum est, fieri possit à Deo (quod alioquin non inuoluit imperfectionem) per medium, quod tantùm est tale ex ordinatione diuina, posset per ipsam ordinationem fieri sine tali medio.

Ex tribus ergo viis præmissis ex parte efficientis, ex parte subiecti, & parte effectus, manet probatum Deum posse remittere peccatum sine vlla mutatione Physica peccatoris. Videantur præterea dicta circa remissionem peccati originalis *in dist.1. quæst.6.* quamuis longiorem dissertationem huc inde transtulimus, omittendo quæ ibi in specie dicta sunt: nunc autem superest vt respondeamus fundamentis aduersæ partis: quibus non est plurimùm insistendum, quia solutionem habent ex dictis.

89 *Prima obiectio, & fundamentū aduersæ sententiæ.* Obiectiones contra primam, tertiam, & quartam conclusiones, desumuntur ex iis, quæ Scriptura, Patres, & Concilia declarant de perfectione iustitiæ, qua constituit filios, & hæredes Regni, cohæredes Christi: & qua facit opera iustorum condigna in ratione meriti ad vitam æternam. Item, qua constituit iustum gratum Deo, sanctum, acceptum, amicum, &c.

Secundum medium, & fundamentū. Secundum medium est ex oppositione, quam habet peccatum cum gratia, & condignitate eius ad pœnam, & odium Dei.

Tertium medium. Tertium medium est ex communi ratione oppositorum priuatiua.

Quartū medium. Quartum verò ex eo, quòd iustitia nostra sit nobis inhærens, & intrinsecè: ergo colligitur iustitiam ex natura formæ seclusa Dei acceptatione anteriore, & extrinseca, constituere iustum, amicum, filium, hæredem, repugnare ex natura rei peccato, non posse peccatum dimitti ex natura rei, nisi per infusionem iustitiæ ex regula oppositorum.

90 *Responsio.* Respondetur quoad primum medium, & vniuersaliter etiam quoad alia, omnes illos actus concomitari iustitiam, seu gratiam infusam: sed negamus esse effectus eius ex natura Physica formæ, siue Dei acceptatione, seu ordinatione annexa ipsi formæ. Hoc sufficienter probatum est in commento, vbi ostensum est ex Conciliis, & Patribus remissionem peccatorum esse diuersam gratiam ab infusione formæ, hæreditate, filiatione, &c. qui sunt effectus coniuncti iustitiæ de facto, vt subest diuinæ acceptationi, & ordinationi: rectè colligitur itaque ea ratione, qua iustitia excludit peccatum, quo tollitur ius ad hæreditatem, & ponitur impedimentum horum effectuum, qui tribuuntur iustitiæ in Scriptura, sic eadem ratione, & modo habere hoc effectus: si autem ex natura rei excluderet peccatum, non esset annumeranda remissio peccatorum tanquam pars iustificationis impij diuersa ab ipsa infusione gratiæ. Circa hæc videantur fundamenta posita, quæ non est necesse hîc repetere.

91 *Replica. Soluitur. In nostra sententia meliùs saluari proprietates iustitiæ.* Dices hoc plurimùm derogare iustitiæ infusæ, seu gratiæ, ac proinde nos humiliter sentire de iustitia. Respondetur nos saluare omnes proprietates iustitiæ iuxta doctrinam sanam Patrū, & Conciliorum, & veram subordinationem eius ad voluntatem diuinam, sine qua repugnat supposita quacunque forma compatibili cum statu viæ fundari hos titulos. Vnde posit Deus consequenter fundare hos titulos in sola iustitia actuali, seu operum, ordinata iustitia habituali solùm tanquam medio operandi, & non tanquam formalem iustitiam, & plerique ipsorum hoc etiam concedunt: quod tamen falsum esset, si ex natura rei hi effectus seclusa Dei ordinatione conuenirent iustitiæ habituali, quia nequirent sic communicari iustitiæ actuali, quæ est diuersæ rationis. Saluamus præterea per hoc subordinationem iustitiæ nostræ, seu gratiæ sanctificantis à Christo, tanquam causæ primæ meritoriæ, non solùm per quam sanctificamur, sed etiam in qua sanctificamur quatenus ex eo habemus accessum ad Patrem, & in eo adoptamur, cui vnimur, & cuius membra sumus, & in quo consequenter sanctitas, & adoptio nostra acceptatur, vt fusiùs probatum est, & omnem benedictionem in cœlestibus accepimus: in quo opera nostra tam meritoria, quàm satisfactoria acceptantur, & vim specialem, & primariam habent diuersam ab ea, quam ex aliis causis siue liberi arbitrij, siue gratiæ actualis, & habitualis, siue obiecti, & circunstantiarum, siue adimpletionis legis sortitur: quæ virtus in ea perfectione influxus non esset ex Christo, si iustitia habitualis se sola, & ex natura rei communicaret præfatos effectus, & condignitatem operibus, vt docet Vasquez: quem suprà impugnauimus in vltimo, & penultimo argumento pro prima conclusione: meo tamen videri magis consequenter in hoc philosophatur, dato quòd iustitia ex natura rei daret huiusmodi effectus. *Subordinatio iustitiæ nostræ ad Christum causam meritoriam.* *Dependentia operū nostrorum à Christo.*

Præterea tertiò saluamus proprietatem loquendi Scripturæ, & Patrum, atque Conciliorum: quia perinde Deo immediatè in Scriptura tribuitur tam remissio peccatorum, quàm infusio gratiæ. Item, Christus venit principaliter in redemptionem peccati, sicut & ad dandam, aut restaurandam iustitiam infusam, seu perditam per peccatum, quam non restitueret, nisi secundùm iustitiam satisfaceret pro debito peccati, sua sanctissima passione, & morte: hic enim finis aduentus eius inculcatur in Scriptura, saltem aduentus in carne passibili, quo factus obediens vsque ad mortem. Item, hic effectus tribuitur pœnitentiæ, & aliis virtutibus, in quibus fructus eius versatur. Item, finis institutionis Sacramentorum, quæ instituta sunt, vt remedia infirmitatis ex peccato incursæ; in specie verò Baptismus, & Pœnitentia contra ipsum peccatum ex significatione sua formali, & expressa. Quòd ergo dicamus remissionem peccatorum dependere immediatè à diuina voluntate, tanquam diuersum in re beneficium, & partem iustificationis diuersam ab infusione gratiæ, qua interior noster homo præcisè renouatur, sequimur in hoc Tridentinum, & Mileuitanum, & alios Patres, qui ita docent, & seruant proprietatem, & sensum verum Scripturæ: quo supposito ex vera Philosophia tam morali, quàm naturali, sequitur non esse effectum naturalem gratiæ infusæ, & communicatæ, aut idem beneficium, cùm nullus seruata proprietate formam infusa nobis, vt infusa est, & inhæret, diuidat à suo effectu formali, quà excludit sui negationem, aut priuationem in subiecto, cùm neque interueniat diuersitas mutationum; sed vna 92 *Saluatur proprietas sacræ Scripturæ Cōciliorum & Patrum. Finis aduētus Christi.* *Sacramenta contra peccatū instituta.* *Effectus formalis non separandus à forma.*

vna & simplex inter formam, & priuationem: neque effectus formalis includens formam in subiecto aliud sit in accidentibus secundùm naturalem considerationem, quàm ipsa forma infusa subiecto, & inhærens, neque secundùm moralem considerationem pariter reputantur diuersæ gratiæ, aut beneficia, aut diuersæ partes integrantes iustificationem totalem.

93 *Saluatur hos effectus iustitiæ esse intrinsecos.*

Vltimò tandem non sequitur, quin iustitia tribuat illos effectus intrinsecè, quamuis sine diuina ordinatione adhærente id ei non conueniat, quod est potissimum fundamentum, quod contra nos vrget Vasquez *suprà* citatus; quia eadem proprietate, qua causæ efficienti morali tribuitur proprietas causæ, sic etiam causæ formali tribuitur: in Scriptura autem eadem ratione tribuitur gratiæ sanctificare, & tollere peccatum, quo Sacramentis tribuitur remittere peccatum, & dare sanctitatem efficienter, & includere in se vim sanctificandi intrinsecè, & continere, vt sæpissimè Patres, & Concilia, & Scriptura loquitur; & patet ex distinctione prima huius, & reliquis, vbicumque de efficacia cuiusque Sacramenti agitur: hæc tamen continentia virtutis est per solam diuinam institutionem, non quà manet in Deo, sed quà transcendit in obiectum, & consideratur spectare ad constitutionem intrinsecam Sacramenti, cui adhæret, tanquam ordo rei sacramentalis ad effectum, éstque in se moralis tantùm, & non Physica: sic ordo ad gloriam inest gratiæ, ordo ad Christum, ordo ad opera, in quæ etiam non influit physicè, quamuis ea reddat condigna præmio, ordo ad virtutes alias, quæ ab ipsa dicuntur informari; ordo etiam oppositionis ad peccatum mortale, aut originale, quæ sicut ipsa est intrinsecè infusa, ita etiam has denominationes intrinsecas esse constat, sicut est denominatio signi sacramentalis in aqua baptismali: sicut & in multis aliis exemplis patet, quæ *suprà* adducta sunt. Et si instare vellemus ad hominem, ipse constituit rationem boni, & mali in actu humano per denominationem extrinsecam à ratione approbante, aut reprobāte: quamuis actus ipse tribuat denominationem boni, vel mali intrinsecam voluntati: quæ non dicitur bona, aut mala per denominationem à regula immediatè, sed sola denominatione ab actu bono, vel malo: ergo similiter posset hîc dici de iustitia, etiamsi ex ordinatione extrinseca Dei conueniret ipsi denominatio amicitiæ, & filiationis; posset tamen intrinsecè constituere, & denominare hominem filium, amicum, &c. Ex quibus patet ad reliqua media per generalem hanc doctrinam, quæ in specie supponitur in argumentis pro conclusione.

Sacramenta habēt virtutem intrinsecam.

Redargutio ad opinantis principia.

94 Contra secundam verò conclusionem obiiciunt, quòd gratia dicatur à Petro participatio diuini *esse*. 2. Petri 1. *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa sunt: vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem*, &c. Item, obiiciunt Tridentinum *sess. 6. c. 7.* vbi distinguere videtur gratiam à donis. Et Viennense *Clementina* 1. vbi eligit sententiam asserentem gratiam, & dona infundi in Baptismo.

Respondetur secundùm veram, & communiorem interpretum sententiam, non intelligi a Petro solam gratiam sanctificantem; sed reliqua dona, & ideò in numero plurali dicit: *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*, &c. id est, per *maxima, & pretiosa dona.* Veniunt ergo etiam dona virtutum, & operum, vt patet ex verbis consequentibus: *Fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem*, &c. Et adhortatur proinde, vt ministrent ad fugam concupiscentiæ in fide virtutem, in virtute scientiam; in scientia abstinentiam; in abstinentia patientiam; in patientia pietatem; in pietate amorem fraternitatis; in amore fraternitatis charitatem. Venit præterea vocatio, & electio sub promissis: *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera vestra, certam vestram vocationem, & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando*, &c. Veniunt & Sacramenta, & reliqua dona, & gloria, & visio beatifica, per quæ consortes Dei, & similes Deo fiunt Beati, 1. *Ioan.* 3. 1. *ad Corinth.* 13. Venit & passio Christi, vt patet, & passiones tribulationum electorum propter Christum, & per gratiam eius toleratarum, per quas *conformes fiunt imaginis filij sui*, ad Romanos 8. Patres etiam attendunt hanc similitudinem in natura assumpta per vnionem hypostaticam: vt Athanasius *orat.* 5. *contra Arrianos.* Ambrosius refert *epistola* 38. *ad imaginem in natura rationali conditā, ad imaginem, & similitudinem Dei*, Genes. 3. Ad quam alludit Paulus *Actorum* 17. Cyrillus Ierosolymitanus: *Catechesi*. 4. explicat de sumptione Eucharistiæ. Hieronymus *lib.* 1. *contra Iouinianum* interpretatur de dono virginitatis. Origenes *homil.* 1. *in Leuiticum*, intendit consortium in omni genere virtutum. Leo Papa *serm.* 1. *de Natiuitate Domini, ad Incarnationem.* Et vno verbo, omnia dona pretiosa, & maxima à Deo nobis promissa hic exprimuntur, per quæ dicimur consortes fieri diuinæ naturæ; vnde nescio qua proprietate interpretationis intelligi hinc solùm possit gratia sanctificans, vel esse præ cæteris participationem Deitatis per prædicatum vniuocum, cuius contrarium *suprà* probatum est.

Ad Tridentinum patet ex dictis. Viennense Concilium idem dicit, quod Tridentinum, quod communis Theologorum post Magistrum, quorum nullus distinxit gratiam sanctificantem à charitate, præter D. Thomam; quin etiam Theologi, qui negabant gratiam infundi infantibus baptizatis, non discernebant gratiam ab habitibus, quos ideò negabant infundi; quia in infantibus non poterat esse vsus ipsorum, vt patet *ex cap. Maiores, de Baptismo, & ex præmissa Clementina.* Et sola discordantia fuit de eorum infusione, non verò de eo, in quo consistebant: quia supponebant consistere in habitu, quod perinde Innocentius, Clemens, & Tridentinum supponunt. Hæc sunt potiora, quæ vrgentur contra doctrinam Doctoris præmissam. Quædam alia adducunt moderni, quæ magis faciunt ad euasionem, quàm ad probationem sententiæ oppositæ, aut ad impugnationem nostræ: ideò iis ampliùs non inhæreo.

SCHO

SCHOLIVM.

Remißionem culpæ, & infusionem gratiæ non esse duas mutationes reales: quia prima non est realis, quia non est ad formam positiuam, nec necessariò tollit positiuum reale, & hîc habes ex Scoto rectitudinem non esse quid reale. Declarat hîc Doctor quod dist. 14. quæst. 1. art. 1. dixit de macula manente post actum peccati, negans eam dari, & intelligit per eam aliquid reale, à quo daretur mutatio realis ad eius carentiam. Ex quo patet Doct. non negare maculam, seu habituale peccatum manere in vero sensu, id est, ipsum actuale non remissum; sed tantùm negat aliquid medium reale inter actuale, & relationem ad pœnam; de quo notaui d. 14. quæst. 1. art. 1. longam habet disputationem, an daretur transitus à contradictorio in contradictorium, sine mutatione, si Deus remitteret peccatum, sine vllo positiuo posito in peccatore: & hîc videtur negare mutationem etiam rationis in hoc transitu. In primo tamen d. 30. num. 11. & alibi sæpiùs eam admittit; sed concordia facilis est, quia hîc ad mutationem rationis petit mutationem realem in altero extremorum, alibi non.

SEcunda [b] conclusio est hæc: Infusio gratiæ, & remissio culpæ non sunt duæ mutationes reales. Hoc probatur, quia infusio gratiæ est mutatio realis, quia est inter priuationem formæ realis, ad formam illam: remissio autem culpæ non est mutatio realis: ergo, &c. Maior huius est probata: & ex hoc patet, quia hîc est vna mutatio realis. Minor indiget probatione. Vbi est [c] intelligendum, quòd si poneretur peccatum actuale, esse corruptionem, vel priuationem formaliter alicuius gradus naturæ, vel rectitudinis naturalis, vel cuiuscunque positiui proprij, tunc expulsio culpæ esset restitutio istius positiui, quod culpa priuabat: & tunc posset illa expulsio esse mutatio realis, & positiua à priuatione rectitudinis huius ad ipsam rectitudinem. Sed hoc est improbatum 2. *lib. dist.* 35. quia natura intellectualis est incorruptibilis per quamcunque actionem sui: & sicut tota natura, ita & quicunque gradus: quia si vnus gradus posset corrumpi ab illa natura per aliquam actionem sui, sequeretur quòd per actiones aliquoties iteratas posset totaliter corrumpi. Vnde illud Augustini Enchir. *Peccatum in tantùm est malum, inquantùm adimit de bono*; debet intelligi, non quòd adimat de bonitate naturæ in *esse* primo: quia defectus effectus contingentis non repugnat esse, quia nec repugnat effectui contingenti, cui magis videretur repugnare: sed debet intelligi de adimere bonum in actu secundo, non quidem quod inest, sed quod deberet inesse.

6 *Conclus.* 2.

De quo 2. *d.* 37. *q.* 1. §. ex ista. & 3. *d.* 23. *ad arg.*

Videtur velle actum secundum nô esse immediatũ subiectum peccati, de quo 2. *d.* 37. *q.* 1. *notaui.*

Si etiam [d] poneretur, quòd aliqua macula remaneat in anima, propria peccato actuali, & quòd illa expelleretur in pœnitentia: tunc posset poni remissio culpæ mutatio realis ab illa culpa ad carentiam eius, sed hoc est improbatum *suprà dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. vbi ostensum est, quòd post actum culpæ transeuntem interiorem, & exteriorem, præter iniustitiam habitualem, quæ est carentia gratiæ, & vnica, in vna anima, non remanet aliqua iniustitia actualis propria, à qua dicatur peccator tali peccato: quia non est immediatè receptiua illius obliquitatis, quæ nata est esse in peccato actuali: sed tantùm mediante actu, in quo proximo sit illa obliquitas: ergo post actum transeuntem tantùm remanet anima obligata ad pœnam propriam correspondentem illi culpæ commissæ: & ista obligatio dicitur reatus ille, qui manet in anima postquam transit actus peccati intrinseci, & extrinseci.

7 *Patet quòd tantùm negat manere aliquid reale post actũ peccati, à quo possit esse mutatio realis: manet tamen ipse actus moraliter, vt notaui d.* 14. *q.* 2.

Ex [e] hoc potest probari minor rationis illius præacceptæ sic: obligatio ad pœnam pro culpa commissa non est aliquid reale in anima post actum præteritum, sed est tantùm relatio rationis in obiecto volito, vt volitum est: ergo remissio, quæ est ab obligatione ista ad non obligationem, non est mutatio realis. Consequentia patet, quia non est mutatio realis, nisi sit in terminum realem positiuum, vel priuationem realem. Antecedens declaratur, quia sicut volitum à me, per hoc, quòd est à me volitum, nullam habet formam realem nouam absolutam, vel relatiuam, sed tantùm relationem rationis correspondentem reali volitioni in me: ita per hoc, quòd aliquis est volitus, vel ordinatus ad pœnam voluntate diuina, postquam commisit culpam, cùm culpa non remaneat, nec aliquod reale positiuum, vel priuatiuum: nec alia relatio realis fundata super culpam remanebit, sed tantùm rationis: & hoc indifferenter accipiendo relationem rationis pro obiecto volito, sicut pro obiecto intellecto, vt dictum est *in primo lib. dist.* 45. *quæst.* 1. quia non magis est realis collatio obiecti voliti per actum voluntatis ad aliud, quàm comparatio obiecti intellecti ad aliud per actum intellectus.

Ex hoc collige, quòd sicut intellectus potest causare relationes rationis, ita & voluntas.

Contra hoc [f], non est transitus à contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione: 8

tatione: sed quando isti remittitur culpa, est transitus talis, quia ante remissionem iste est ordinatus ad pœnam, & dignus pœna, & pòst non: ergo, &c. Maior patet, quia si nulla est mutatio, non est ratio quare magis nunc pars vna contradictionis est vera, quàm alia, & priùs alia vera magis, quàm nunc, & potest hæc probatio vlteriùs deduci, quòd talis transitus non potest esse sine mutatione reali: quia mutatio rationis oportet quòd reducatur ad aliquam mutationem realem. Minor probatur, quia antequam culpa remittatur, iste est ordinatus ad pœnam, & dignus pœna: quando remittitur, non ordinatur ad pœnam, nec dignus pœna.

Et confirmatur, quia ante remissionem, intellectus diuinus scit ipsum esse puniendum: ergo illud scitum est verum: post remissionem autem scit illum non esse puniendum: ergo illud est verum: ergo est transitus. Et potest argui ex conclusione probata vlteriùs, quia cùm ista mutatio non sit in voluntate diuina, nec in actu eius; ergo erit in isto, cui culpa remittitur, & per consequens remissio culpæ in isto, secundùm propriam rationem eius est aliqua mutatio.

9 *De voluntate creata digressio.*

Respondeo[g], hîc primò videndum est aliquid de voluntate creata; postea ad propositum applicandum. Voluntas autem creata, licèt non possit simul velle affirmationem, & negationem eidem pro simul: tamen potest non simul velle illa eidem pro simul, scilicet per diuersos actus sibi inuicem succedentes, & potest simul velle illa eidem non pro simul, & hoc eidem nullo modo in se variato ante terminum volitionis. Patet, si simul consideret idem pro diuersis *nunc*, & pro illis opposita sibi competere: sed nec necesse est illud, cui vult affirmationem, & negationem, pro diuersis *nunc* variari ex illa volitione, nisi illa sit causa sufficiens illorum oppositorum, & sit volitio absoluta, non conditionata. Si enim non posset esse causa illorum, & sit volitio absoluta, vtpote si ambo non sint causabilia extrà, quia sunt tantùm entia rationis: vt volo huic dominium, vel aliquid tale, quod non est causabile realiter in illo: vel si illud volitum isti est causabile, non tamen ab hac voluntate; vt volo isti beatitudinem, quæ est quoddam reale causabile in isto, non tamen à voluntate mea. Si etiam sic causabile realiter in isto, & à voluntate mea imperante causabile illud: velim tamen isti conditionaliter pro *A*, & oppositum pro *B* conditionaliter: nec oportet hoc oppositum pro *A*, nec illud pro *B* inesse isti, nisi conditio stet pro vtroque, vel altero.

Potest volũtas creata diuersis actibus velle opposita eidem, nõ pro simul.

Non necessariò mutatur id, cui voluntas creata vult aliquid.

10 *Quicquid vult voluntas creata diuersis actibus, præter peccatũ, volũtas diuina potest velle vno actu.*

Ad propositum, quæcunque absoluta obiecta, exceptis peccatis, & generaliter inordinatè volitis, voluntas creata potest velle pro eodem *nunc*, vel pro alio, & alio, & hoc, siue vno actu, siue diuersis; voluntas diuina potest vno actu velle eidem pro eisdem *nunc* vna volitione realiter, sed diuersis secundùm rationem: quia voluntatem esse limitatam ad aliqua obiecta secundaria præcisè, ita quòd in alia non possit, est imperfectionis in voluntate; & per consequens pro diuersis instantibus potest velle affirmationem, & negationem isti nullo modo in se variato ante actum volitionis: & hoc magis potest, quàm voluntas creata, quia minùs dependet æternum à temporali, quàm actus temporalis à temporali: imò non dependet. Quòd si illa affirmatio, & negatio, qua vult illa voluntas isti non variato in se, vnum pro *A*, & alterum pro *B* sint simpliciter causabilia, quia sunt realia, sequitur quòd sunt causabilia à voluntate diuina, quia est omnipotens. Sed si non sint causabilia, vel voluntas illa velit tantùm alterum, vel ambo conditionaliter; sequitur quòd illa voluntas volet isti vnum oppositum pro *A*, & aliud pro *B*, & sine omni istius mutatione: sine etiam omni mutatione sui in se, & in actu suo, & sine fine mutatione obiecti, vt obiectum est: quia & volitio, & obiectum vt voluntati obiicitur, habet *esse* in æternitate: nec posset obiectum variari, vt obiicitur actui sine variatione actus.

Stat benè, nec volentẽ, nec volitum mutari, licèt volitum sit post nolitũ.

11 Ex hoc ergo sequitur quòd voluntas diuina potest velle isti affirmationem (dicatur *C*) pro instanti *A*, & eidem negationem (dicatur *D*) pro instanti *B* absque omni mutatione in voluntate diuina, vel in obiecto, vt obiectum est, vel aliquo extrà: & hoc si inter illa opposita non sit nata esse mutatio, puta quia affirmatio non est, nisi tantùm affirmatio rationis, & per consequens negatio est tantùm negatio entis rationis. Vel si voluntas non velit illa, nisi tantùm conditionaliter, vel ambo, vel alterum. Sed quia nullum ens rationis est nouum, nisi per nouum actum voluntatis, vel intellectus; ista conditio, scilicet de ente rationis, non saluat transitum à contradictorio in contradictorium sine mutatione, licèt non inter illa, quæ sunt rationis: tamen inter actum, & non actum: propter ergo omnipotentiam voluntatis diuinæ nullo modo potest velle isti *C* pro *A*, & *D* pro *B* sine mutatione aliqua in isto.

Ens rationis aliquãdo infert mutationẽ.

Et

Et hoc si velit illa volitione efficaci, & absoluta; sed si velit ambo, vel alterum conditionaliter, & conditio non existat; nec tunc requiritur mutatio; voluntas autem creata, quia non est omnipotens, potest absolutè velle eidem non variato *C* pro *A*, & *D* pro *B*, & sine aliqua mutatione præcedente, vel sequente.

Ad [h] formam ergo rationis concedo maiorem, propriè accipiendo transitum: sed minorem isto modo nego, quia voluntas diuina pro instanti, pro quo iste peccat, & pro toto tempore habito vsque ad instans *B*, vult illum esse puniendum; non prout *puniendum* est participium futuri temporis passiui, sed prout est nomen, id est, vult illum esse dignum puniri; quod nihil aliud est, nisi velle punire istum pro tunc, & hoc volitione conditionata, videlicet si fiat in termino: vel si in instanti *B* pœniteat, vult istum pro tunc, & pro toto tempore habito vsque ad instans noui peccati non esse puniendum, quod est velle istum conditionaliter non punire, si fiat in termino. Hìc ergo non est transitus aliquis ab vno opposito in aliud oppositum: sed hìc est circa idem obiectum velle conditionatum affirmationis pro vno instanti, & velle conditionatum negationis pro alio instanti: & ista duo *velle* in æternitate simul stant, & circa obiectum in æternitate volitum, licèt non pro æternitate, sed pro alio, & alio *nunc*. 12

Ly puniendum *sumitur participialiter, & nominaliter.*

Per hoc patet ad illam probationem de intellectu diuino, qui scit istum ante remissionem esse dignum pœna, & post remissionem non esse dignum: hoc enim non est aliud, quàm scire istum esse ordinatum ad pœnam per actum voluntatis conditionatum pro illo instanti; pro quo sic est ordinatus, & non ordinatum pro illo instanti, pro quo sic non est ordinatus.

Si [i] arguas, quòd omnimoda simultas est incompossibilis, quia tunc simul vellet opposita, & pro simul: necessariò ergo requiritur ibi vltrà aliqua successio, & pro tanto aliqua mutatio. Respondeo, non requiritur aliqua successio actus ad actum, neque actus, vt tendit super obiectum, ad actum, vt tendit super aliud obiectum: quia in æternitate tendit super vtrumque: sed nec successio vnius obiecti ad alterum in se extrà, quia non requiritur ad istam Dei volitionem existentia rei extrà, sicut nec temporale ad æternum: sed requiritur ibi aliqua successio eorum, quæ sunt obiecta in *esse* obiectiuo. Nec hoc est idem sic habere ordinem, & habere ordinem in *obiici*: quia prius vt prius, & posterius vt posterius possunt simul intelligi, ita quòd in *obiici* ipsi intellectui non habet ordinem: & tamen ordo est ipsorum, vt sunt obiecta, scilicet in *esse* eorum obiectiuo. Nec ex isto ordine obiectorum in *esse* obiectiuo sequitur aliqua mutatio, quia oppositum non succedit opposito, neque in *cognosci*, neque in *esse*. 13

Aliqua habent ordinē in esse, *non in* intelligi.

Si [k] arguas contra hoc, quia semper stat difficultas rationis, quia primò est vna pars contradictionis vera, scilicet, iste est ordinatus ad pœnam: secundò, altera, scilicet, iste non est ordinatus ad pœnam: sed non est transitus à contradictorio in contradictorium sine mutatione: ergo, &c. Respondeo in æternitate hæc est vera, iste pro *A* est ordinatus ad pœnam, & iste pro *B* non est ordinatus ad pœnam. Nec ista sunt contradictoria simul vera, nec succedentia sibi inuicem in veritate: sed illa pro quibus affirmatio, & negatio denotantur inesse, apprehenduntur vt succedentia sibi realiter, vel possibiliter. Vel aliter, nihil aliud est, iste est nunc ordinatus ad pœnam, nisi iste est volitus ad pœnam pro *A*, si tunc iudicetur, & iste postea non est ordinatus ad pœnam, id est, iste non est volitus ad pœnam pro *B*, si tunc iudicetur: & hæc non sunt contradictoria. Quòd autem vtraque volitio ista pertinens ad retentionem & remissionem culpæ, non sit nisi conditionata: patet, quia si vellet absolutè peccatorem, statim cum peccat, punire, statim puniret.

Contra totum istum processum de diuersis *nunc*, pro quibus est offensa, & remissio, arguitur, quia Deus posset Angelo peccanti in æuo existenti absque omni tempore remittere offensam: & tunc non esset dare talia diuersa *nunc*, pro quibus esset culpa, & remissio, maximè si ponatur æuum indiuisibile. 14

Si dicatur, quòd tunc esset aliud æuum culpæ, & tunc desineret esse adueniente remissione: Contrà, quia alterum istorum duorum, vel culpa, vel remissio est tantùm priuatio, & ita non habet proprium æuum. Comparando etiam ad æuum Angeli manentis primò sub culpa, postea sub remissione, & in illo æuo eodem, & pro illo instanti essent illa duo opposita. Responsio istius quæratur 2. *lib. dist.* 2. *quæst. de successione æui.*

Sed [l] esto, quòd Deus remittat isto modo culpam post offensam sine omni mutatione, siue in actu, siue in obiecto, vt obiectum est, siue in obiecto, vt extrà: nónne huic

Notatur à quibusdam, vt additio, sed nō rectè.

actui remissionis correspondet in Petro, cui remittitur extrà aliqua mutatio rationis? Videtur quòd sic, quia alioquin non magis esset Petrus absolutus, seu reconciliatus post remissionem, quàm ante. Quod si correspondet, de illa erit quæstio, an sit eadem cum illa gratificatione, an alia.

15 Potest dici, quòd vbi actus, in quo obiectum habet *esse* rationis, potest esse terminus mutationis realis, ibi potest obiectum mutari mutatione rationis: sicut lapis potest fieri de non intellecto intellectus à me, quia intellectio eius in me potest esse noua: sed vbi actus nullo modo est terminus mutationis realis, ibi obiectum vt in actu, non potest mutari mutatione rationis. Huiusmodi est *velle* diuinum, & per consequens Petrus, vt est obiectum istius actus, quia vt extra habens *esse* nouum, non habet nouiter rationem obiecti, sed vniformiter in æternitate, & ita nulla videtur esse concedenda mutatio, nec rei, nec rationis in Petro, quando dicitur culpa sibi esse remissa [m]. Concomitatur tamen ibi remissionem illam actiuam Dei, & passiuam secundùm *dici* in Petro, quædam mutatio realis; & hoc semper de potentia ordinata, quæ est ad gratificandum Petrum: quia de potentia ordinata nulli remittit Deus pro *A*, quin illum pro tunc gratificet: sed de potentia absoluta, & in re extrà, & in actu intrà pro æternitate possent ista separari, vt scilicet remitteret Petro in *A*, adueniente *A*. quod non est nisi actus immanens Deo: & tamen non gratificaret ipsum in *A*. aliquo actu transeunte extrà, si in æternitate vellet remittere in *A*: & tamen non vellet in æternitate gratificare pro *A*, quia primum nihil dicit, nisi negationem actus positiui, qui est *velle punire*: secundum autem dicit actum alium positiuum.

Esse volitū non esse mutationē rationis, vbi volitio non est terminus mutationis.

De potentia ordinaria nō tolli peccatum sine gratia.

Et si obiicias, quòd non potest aliter se habere Petrus ad diuinam voluntatem, vt punitiuam, vel non punitiuam, nisi quia aliter se habet secundùm aliquid aliud, puta quia acceptus, vel non acceptus: quia obiectum non variatum in se secundùm aliquid prius actu, non aliter obiicitur volitioni diuinæ. Hæc est falsa, quia voluntas nostra potest alio actu aliter se habere ad obiectum vniformiter se habens in se ante actum, & posset si semper haberet eundem actum contingenter transeuntem super obiecta secundaria.

COMMENTARIVS.

95 b *Secunda conclusio est hac*, &c. Hæc est secunda conclusio huius quæstionis, nempe remissionem culpæ, & infusionem gratiæ non esse duas mutationes reales. Probat primò, quia remissio culpæ non est realis mutatio, infusio autem gratiæ est realis; quia inter formam, & priuationem, nempe inter gratiam, & suam priuationem. Hìc dubitari posset, quomodo in anima est priuatio gratiæ, cùm non sit inclinatio naturalis in subiecto ad gratiam, quæ est merè supernaturalis forma, non debita subiecto: sed hanc controuersiam de inclinatione naturali animæ ad gratiam remittimus in alium locum. Respondetur interim hìc agere Doctorem de iustificatione impij, & omnes admittere priuationem gratiæ in anima, quia ei debetur, si non ex inclinatione naturali, vt quidam volunt (quamuis aliud secundùm principia nostræ Scholæ est tenendum) ex ordinatione nihilominùs diuina, qua hominem creauit in gratia, & eâ mediante ordinauit ad hæreditatem, ipsi debetur gratia moraliter, qua se priuat per peccatum demeritoriè, & Deus ob peccatum subtrahit ipsam, quæ ex dono Dei debetur proinde homini: & sic negatio eius, vt fundatur in titulo donationis diuinæ, qua facta est propria iusto, supponit debitum. Aliunde etiam hoc debitum fundatur ex obligatione legis, qua homo obligatur ad opera bona, & fugiendum vetita, quibus ipsa gratia, & conseruatio eius statuta est in potestate liberi arbitrij, per obligationem ad opera. Eodem modo iustitia originalis debetur infanti ex prima institutione hominis, cuius priuatio per peccatum Adami est peccatum originale infantis. Tertiò denique debetur gratia ex meritis Christi nobis applicatis.

2. Conclusio. Non esse duas mutationes reales.

Inclinatio animæ ad gratiam.

Qua ratione sit debitum gratiæ in nobis?

Debitum iustitiæ originalis.

c *Vbi est intelligendum, quòd si poneretur peccatum actuale*, &c. Vt probet remissionem peccati non esse mutationem realem, supponit, si peccatum actuale esset corruptio, vel priuatio formaliter alicuius gradus naturæ, vel rectitudinis naturalis, aut alicuius positiui (supple realis, quia de hoc agit) tunc remissio culpæ esset mutatio realis inter priuationem, & positiuum illud per remissionem restitutum: sed hanc sententiam impugnauit *in 2.d.35.* quamuis in modo loquendi sit plurium authorum: D.Thomæ 1. 2. *quæst.* 85. *art.* 1. D. Bonauent. *in 2.d.35.art.1.quæst.*1. Richard. *ibidem art.2.q.*1. Ariminensis *in 2.d.33. & 35.quæst.1.art.*1. Alensis 2. *part.quæst.*95. *memb.* 3. *art.1.in corpore*, & *ad secundum.* Hos tamen authores reducunt moderni ad sensum, quem intendit Doctor *ibidem* impugnans hanc sententiam. Cæterùm dari aliquam rectitudinem naturalem, quam corrumpat peccatum, videtur satis vulgaris doctrina, Augustini *variis in locis*, vt *in lib.* 12. *de Ciuitate Dei, cap.* 6. prout Doctor eum citat *in prædicta distinctione. Malum illud bonum corrumpit, cui nocet. lib.* 22. *contra Faustum cap.*27. agit de hac rectitudine naturali, qua creatura adhæret summo enti, & recedit à nihilo *lib.* 19. explicat eundem ordinem in eo esse, vt anima subdatur Deo, & animæ caro, & vtraque Deo. *Et variis aliis in locis* docet esse ex voluntate peccatum, qua est ex nihilo. Huc referri possunt, quæ de mutatione, & vulnere naturæ ex peccato dicunt Patres, nempe quia talis ordo corrumpitur, & perturbatur debita subiectio. Verùm 96

Peccatum esse priuationem rectitudinis naturalis sæpè docet Augustinus.

Vulnus naturæ ex peccato.

Verùm difficulter explicari posset talis ordo, vt reducatur ad captum, verum est Augustinum, vbicumque tractat de statu primi hominis in sua innocentia, dicere fuisse creatum rectum quoad voluntatem, & intellectum. Quam rectitudinem alibi videtur explicare per bonam voluntatem: & hanc rectitudinem explicant communiter Theologi per donum iustitiæ originalis; & Augustinus sæpè vulnus naturæ explicat per infirmitatem ad bonum operandum, & ignorantiam, ex qua est error, ad cognoscendum quid faciendum sit. Quod vulnus per gratiam Christi curatur, quæ per eundem consistit in amore boni, & delectatione vincente cupiditatem, quæ à bono auertit. Deinde ipsum peccatum sæpè explicat per oppositionem ad legem Dei.

97 *Restitutio à peccato, & quid sit?* Nescio quid vlteriùs intelligendum sit, quod restitui posset in iustificatione impij, per quod excluderetur priuatio ordinis præter gratiam infusam, & inhærentem (per quam rectè homo Deo subiicitur) simul cum remissione peccati: nam secluso quocumque alio, ipsa iustitia inhærens rectè subdit hominem, neque ad hanc iustitiam spectare aliud docet Tridentinum *sess. 6. cap. 7. de iustificatione peccatoris*, quàm habitus supernaturales charitatis, fidei, & spei. Demus etiam vlteriùs dari aliam formam supernaturalem, ex principiis D. Thomæ, vel simul etiam morales infusas, saltem nihil aliud admittit Concilium diuersum ab his, nempe remissione peccati, & iustitia supernaturali infusa, per quam iusti nominamur, & sumus: vt patet etiam in descriptione iustificationis impij. Si autem ordo naturalis hominis ad Deum esset forma naturalis diuersa ab his, qua priuaret peccatum, deberet etiam restitui in iustificatione, quia sine illa non posset deleri peccatum, aut priuatio eius rectitudinis, aut fieri iustus, cùm illa seclusa non esset homo subditus Deo: quod requiritur ad veram iustitiam: imò ille ordo esset magis iustitia hominis ad Deum, quàm gratia supernaturalis. Deinde, ille ordo nequit subdere carnem animæ, aut animam Deo: nisi sit principium operandi iustitiam diuersum à potentiis: quia sicut lex æterna, vt est regula operandi ad extrà, respicit præcisè potentias, vt operatiuæ sunt, ita vt sic tantùm habeat rationem regulæ præceptiuæ, & subiectio animæ ad Deum, & carnis ad animam, non intelligitur quoad actum primum, sed in exercitio, & opere. Similiter nulla forma potest dare talē ordinem, nisi sit principiū operandi, neque opponi peccato, quod est in opere tantùm formaliter, vt est habitus corruptus, & debitus naturæ, nisi ipsum respiciat opus inquantùm in eo seruari debet rectitudo naturalis; quidquid ab aliquibus dicatur.

Deberet rectitudo illa restitui, si esset diuersa à gratia, & virtutibus.

Esset principium operandi.

98 *Excederet virtutes.* Si ergo sit principium operandi, debet comprehēdere in se perfectionem charitatis, & aliarum virtutum, perfectiori modo, quàm in ipsis cōtinetur, quod nequit dici: quia secundùm Augustinum, inter dona Dei charitas est perfectissima, vt *suprà* diximus *concl. 2. præced. quæst.* Quòd autem sic contineret patet, quia respicit vniuersaliter adimpletionem legis, quæ est materia omnium virtutum, quarum singulæ determinatam solùm materiam respiciūt. Quomodo ergo prætera charitas erit plenitudo legis, & tota lex ad duo illa præcepta charitatis reducatur, si illa rectitudo naturalis sit magis finis legis, quàm charitas: quin etiam ipsa charitatis ad eam reducitur tanquam finem, cùm immediatiùs opponitur peccato, quàm charitas, quia hæc tantùm demeritoriè opponitur; rectitudo autem illa naturalis priuatiuè, & immediatè.

Accedit vlteriùs illam rectitudinem perfectiùs creaturam rationalem vnire Deo, quàm charitatem in actu primo, aut secundo. Præterea, nequit dici rectitudo naturalis, intelligendo naturalem formam, vt communiter concipitur, quæ priuatiuè opponitur peccato in materia supernaturali, vt virtutum infusarum; de quibus dantur præcepta obligantia ad rectitudinem supernaturalem in opere, seu ad actus supernaturales. Præterea, vel corrumpitur simul per primum peccatum; & sic secundum peccatum non est eius priuatio, quæ nequit multiplicari in eodem subiecto respectiuè ad formam simplicem. Vel non corrumpitur; sed hoc nequit dici, quia aliàs peccator manente aliqua parte rectitudinis esset subiectus Deo, & ipsi vnitus. Quidquid sit, non capio illam rectitudinem diuersam ab enumeratis, donec per magis exercitatum explicetur. 99 *Aliæ difficultates circa eandem.*

Ad Augustinum verò, patet ex dictis eum intelligere illam subiectionem, & rectitudinem naturalem per illam, quam Ecclesia, & ipse in donis, adiutoriis, & similibus, cum remissione, & fuga peccati constituit; & hæc ad rectitudinem seruandam sufficiunt: differens autem contra figmentum Manichæorum, qui mysteria gratiæ non capiebant, & peccatum in aliqua natura constituebant; rectè vtitur illo modo loquendi, qui verus est, & accommodatus captui eorum, qui vitium naturæ tribuebant conditori. Vnde *in libris de libero arbitrio contra eosdem*, peccatum statuit in auersione à summo bono, & causam eius dicit esse volūtatem, vt aduersatur legi Dei; quæ auersio proculdubio est perturbatio ordinis naturalis, quo creatura rationalis conformari, & subiici debet legi æternæ, & suo creatori; neque hæc rectitudo videtur in alio statui, quàm in conformitate consensus, & operis ad legem. Hæc dixerim, proponendo magis difficultatem quàm aduersando viris grauissimis, & in doctrina Augustini versatissimis, quibus cedendum est, modò veritas permittat, & quorum illa sententia esse videtur, quæ mihi est satis obscura quoad substratum verborum. Impugnationes Doctoris loco præfato procedunt contra asserentes corrumpi naturam ipsam per peccatum substantialiter: magis autem differit *d. 29. 2. quæst. vnica, in principio*, contra rectitudinem naturalem, quam statuit Henricus in iustitia originali. Hìc etiam repetit duas rationes factas *in d. 35.* & explicat Augustinum, vt patet ex litera. 100 *Explicatur Augustinus.*

d *Si etiam poneretur quòd aliqua macula, &c.* 101
Intelligit hanc maculam esse positiuam, & realem, quia dicit remissionem eo casu fore realem ab illa culpa ad carentiam eius: supponit ergo sententiam, quam impugnauit *d. 14. q. 1. artic. 1.* quæ peccatum habituale statuit in aliquo reali. Deinde repetendo breuiter resolutionem illius articuli, in quo dixit post actum præteritum peccati non manere propriè aliquam iniustitiam actualem in anima præter illam, quæ est carentia gratiæ, quam vocat iniustitiam habitualem, quia est carentia gratiæ amissæ per demeritum peccati, & manens propriè in anima, cum qua dicit manere obligationem ad pœnam. *Post actum transeuntem manet priuatio gratiæ, & obligatio ad pœnam.*

ob peccatum præteritum commissum; & hanc dicit esse relationem rationis. Sed contrà, quia *in dist.* 1. *quæst.* 6. admittit duas mutationes in iustificatione; aliam quæ est de peccato ad carentiam eius, quam vocat mutationem rationis; aliam ad gratiam, quam vocat realem. Præterea, illa ipsa obligatio ad pœnam tollitur per remissionem peccati, quæ aliqua mutatio rationis est, seu moralis. Respondetur cum hîc agere de mutatione tantùm reali, non verò de mutatione morali, vt patet ex præcedentibus, quæ hîc interuenit, & per quam fit translatio hominis à statu peccati. Loquitur Doctor *in hac quæstione* de mutatione in rigore Philosophico, & reali, siue intrinseca, siue extrinseca, vt *infrà* etiam constabit, nempe quando vel forma, secundùm quam mutatur subiectum intrinsecè, est realis; vel certè si est rationis, interuenit aliqua mutatio realis, saltem extrinseca, aut concomitans in causa mutationis, vt patet quando per actus proprios mutatur creatura ad aliquid rationis de nouo, vt obiectum de *esse* sensibili, & sensato, ad *esse* intelligibile, & intellectum.

Obiectio.

Responsio, & scopus Doctoris.

Agit de mutatione rigorosa, & Philosophica.

102 Probat denique Doctor non manere iniustitiam actualem peccati propriè transacto actu peccati tam intrinseco, quàm extrinseco. Addit *extrinseco*, quia, vt tenet *quodlib.* 18. actus exterior superaddit malitiam distinctam, & propriam actui interiori, & contingit actum exteriorem continuari, desinente actu interiore, à quo imperatur; vt quando quis distrahitur, licèt maneat interior virtualiter in exteriori, sicut actus charitatis manet in opere meritorio, etiam in distracto, & dat ei bonitatem finis per relationem virtualem, vt ipse docet 1. *dist.* 17. & aliàs. Dicit præterea Doctor nõ manere propriè iniustitiam actualem transeunte vtroque actu, nempe secundùm rigorem physicum, & requisitum ad mutationem intrinsecam propriè dictam, in qua tam terminus *à quo*, quàm terminus *ad quem* necessariò insunt intrinsecè, vt propriè dicatur secundùm eos mutari subiectum, seu aliter se habere. Non negat autem, quin maneat moraliter, & impropriè. Quod duobus modis intelligi potest iuxta ea, quæ dicta sunt *in hac quæst. suprà dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. vbi cum ipso disputauimus de natura peccati habitualis. Primus modus est manere ipsum peccatum in *esse* morali, vt est fundamentum obligationis ad pœnam, quia titulus ex quo fundatur debitum secundùm legem, & æstimationem moralem, semper manet, quandiu ipsum debitum manet, licèt ipse titulus non maneat physicè, sed transeat. Patet in contractibus, & aliis quibuscunque.

Actus exterior addit bonitatem, & malitiam interiori.

Non manet iniustitia, transeunte actu physicè.

Duobus modis manet macula.

Titulus, quo fundatur debitum, manet moraliter.

103 Secundo modo intelligitur manere virtualiter in suo effectu, nempe in debito, quod inducit, sicut etiam de titulo, ex quo fundatur ius, aut debitum, dici potest manere virtualiter in ipso iure, aut debito. Sicut actus etiam imperans dicitur manere in actu imperato, non solùm quando hic elicitur, & imperatur, & actus simul sunt; sed etiam quando imperans desinit physicè continuato actu imperato, quæ continuatio habet eandem in specie moralitatem in sui continuatione, quam haberet, si actus imperans simul esset physicè, quamuis hîc & nunc voluntas non afficiatur explicitè circa finem actus imperati transeunte imperante: tamen habet, vt dixi, moralitatem eius, & qualitatem finis, siue bonus, siue malus sit, in actu imperato, ex eo præcisè, quòd ex affectu efficaci finis eliciat actum imperatum, quem continuat in casu distractionis, siue imperante. Sic ergo similiter manet peccatum præteritum actuale in debito, quod ipsum semper connotat, & virtute, ac moraliter continet, ex natura debiti in morali consideratione, secundùm regulam prudentiæ, cuius dictamen non mensuratur in hoc secundùm persistentiam moralitatis, aut rei in actu formali, qui desinit: neque sumitur ab existentia rei, seu actus in rigore physico, sed in proprietate morali, & secundùm affectum, seu dispositionem voluntatis explicitam, aut implicitam, & virtualem, in qua continuatur moralitas secundùm imputationem fundatam in prudentia, licèt physicè prætereat.

Macula manet virtualiter.

Actus manet virtualiter in imperato.

Secundò etiam continuatur eadem moralitas 104 in voluntate, vt dicit ordinem ad legem, quæ fixa est, & semper manens, & ligans voluntatem, eique affixa est sine vlla sui variatione; & perinde se habet ad eandem post transitum peccati actualis, donec remittatur, ac si actu peccaret ipsa voluntas, secundùm imputationem peccati præteriti, ratione cuius voluntas in se manet deordinata, & difformis legi, non secus nunc, quàm quando peccauit. In his ergo omnibus, & in priuatione iustitiæ habitualis demeritoriè manet peccatum præteritum semper moraliter, licèt transeat physicè. Hanc permanentiam vocat Doctor impropriam, vt comparatur ad permanentiam peccati quoad actum in se, & affectum explicitum voluntatis, quia hæc permanentia est Physica, & tantùm spectans ad præsens institutum Doctoris, inquirentis de mutatione, quæ fit in iustificatione peccatoris iuxta rigorem mutationis realis, & Physicæ, non autem moralis: & secundùm hunc modum communiter Moralistæ declarant voluntatem interpretatiuam, quando scilicet non inest ipse actus in voluntate, ita tamen se habet voluntas secundùm dispositionem præsentem in ordine ad actum debitum præcepti, ac si haberet actum nolendi opus præcepti. Et qui negant dari omissionem puram sine aliquo actu, maximè insistunt huic volitioni interpretatiuæ, vt quando vrgente præcepto neque habet volitionem operis, neque nolitionem, sed aliquem actum, qui in se compatibilis est cum opere præcepti, aut nolitione operis.

Secundus modus quo manet macula.

Qua ratione dicatur hæc permanentia maculæ impropria.

Ratio autem Doctoris ad hanc sententiam 105 sic intellectam reducitur. Dicit enim voluntatem non esse natam habere malitiam peccati actualis nisi mediante ipso actu, qui præteriit, ex quo intendit non habere illam in se, & explicitè, seu propriè, vt est in actu, & secundùm proprietatem Physicam; quod est intentum eius, quo probet non dari mutationem Physicam in remissione peccati: quia peccatum requit eam terminare nisi ratione substrati actus, qui est forma Physica: neque voluntas nata est terminare eandem mutationem, aut secundùm eam mutari, nisi mediante actu eodem, cui proximè inest malitia secundùm modum inexistendi physicũ, & formalem in seipso. Potest tamen inesse, & inest peccatum moraliter, & vt est continuatum non in actu, sed habitu, modo dicto: nulla ergo est impugnatio aliorum contra Doctorem in hac quæstione, vt fusiùs suo loco, & *suprà* visum est. Hæc etiam ratio Doctoris satis vrget eos, qui

Declaratur ratio Doctoris.

qui constituunt ipsam malitiam actualem peccati non in priuatione, quæ immediatè inest voluntati.

106 *Non esse mutationem realem ad peccatum præteritum remissione eius.*

e *Ex hoc potest probari minor rationis*, &c. Probat conformiter ad dicta, remissionem peccati vt distinguitur ab infusione gratiæ, quæ est altera pars iustificationis, non esse mutationem realem ratione termini intrinseci *à quo*, vel *ad quem*: quia peccatum non est in anima realiter, seu per modum formæ realis, à qua desumeretur realitas mutationis, sicut in omni motu corruptiuo reali, sed est tantùm relatio rationis. Per hanc intelligit debitum pœnæ, &c. per illam particulam exclusiuam *tantùm* non excludit quin peccatum sit in voluntate modo explicato, sed negat esse in voluntate peccatum sub ea ratione, qua est in actu, sub qua ratione actus posset terminare mutationem realem. Præterea negat esse in voluntate per modum formæ permanentis physicè, sed tantùm moraliter, & virtualiter: qui modus existendi non est natus terminare mutationem formalem Physicam, & corruptiuam, ex defectu existentiæ formalis termini *à quo*: neque etiam mutationem formalem, quæ ab *esse* formali termini ad *non esse* eius formale procedit, non autem ab *esse* virtuali in alio: sequendo ergo modum hunc explicandi, nempe peccatum manere in virtute, & in suo effectu, vt connotat ipsum peccatum, ex quo est, nempe in debito pœnæ, quod manet formaliter: sic etiam mutatio propriè dicta non est ad ipsum ex dictis, & maximè realis, tum quia non est in *esse* formali, sed virtuali, seu, vt alij dicunt, morali tantùm, quæ est distractio respectu *esse*

Controuersia videtur de solo modo loquendi.

eius formalis, & simpliciter. Videtur enim tota hæc controuersia de natura peccati habitualis esse de nomine, spectando modum, quo moderni Doctores explicant peccatum habituale: nam malitiam, quæ est in actu, transire cum actu à quo est inseparabilis, & ex Augustino constat, & ex natura ipsius actus, cuius nihil manet: quomodo illa maneat habitualiter in voluntate, magis dependet ex modo dicendi, & explicandi, quam ex controuersia reali, dato quòd habituale sit ipsum actuale, manens sub aliquo modo.

Ordinatio peccatoris ad pœnā ex volitione vniuersalis legis.

Concludit Doctor intentum, nempe remissionem peccati non esse mutationem realem ex defectu realitatis veræ in vtroque termino, vel vt in se est, vel vt in alio: quod autem dicit debitum pœnæ esse relationem voliti ad pœnam, intellige de volito volitione diuina, qua est lex generalis constituens pœnam peccatoribus, éstque antecedens ad peccatum commissum, & annexa eidem: quia propter peccatum incurritur lege hoc debitum: non autem intelligitur volitio noua, & quasi posteriùs accedens peccato: nam eo ipso, quo quis peccat, redditur obnoxius legi, statuenti talem pœnam ante peccatum incursum, neque requiritur noua ordinatio, præter solam executionem, quando quis decedit in peccato, cui talis pœna ex lege debetur.

107 *Obiectio. Ex natura contradictionis.*

f *Contra hoc: non est transitus de contradictorio*, &c. Vrget contra dicta, quòd à contradictorio ad contradictorium non fiat transitus sine mutatione: quia nulla esset ratio vnde alterum contradictionis membrum esset nunc falsum, nisi interueniret talis mutatio: sed peccator ante remissionem peccati est obligatus ad pœnam, post remissionem non est obligatus ad pœnam: ergo per aliquam mutationem. Si dicas esse mu-

Responsio.

tationem rationis tantùm. Contra, hæc mutatio rationis reducitur ad aliquam realem: quia ideò mutatur secundùm rationem, quia aliquid aliter se habet in re ipsa. Et confirmat ex veritate diuini intellectus, qua cognoscit peccatorem esse puniendum, id est, secundum regulas diuinæ ordinationis, & prouidentiæ ex suppositione peccati, cui pœna est ordinata: nunc verò cognoscit, remisso peccato, non esse puniendum, ex misericordia diuina remittente peccatum: ergo illud est verum determinatè: ergo ex mutatione facta: non in diuina voluntate: ergo in peccatore, cui culpa inest & dimittitur. *Impugnatur*

g *Respondeo. Hic primò videndum est*, &c. Ad solutionem prædictæ obiectionis cum sua confirmatione explicat modum operandi voluntatis humanæ, & diuinæ, quantum ad differentiam, quæ est inter ipsas in modo operandi. De hac differentia agit *in 1. dist. 39. §. Quantùm ad primum dico, quod voluntas diuina*, &c. vbi differentiam in hoc statuit, quòd voluntas diuina sit indifferens ad diuersa obiecta, & effectus, quantumcunque differentes vnico simplici actu: voluntas creaturæ non ita, sed ex sua imperfectione, & propter limitationem actus, & dependentiam eius ab obiecto, nequit per vnum actum tendere in simpliciter diuersa, & contraria, aut contradictoria; magna autem difficultas est, quomodo idem actus diuinæ voluntatis transeat de necessario in liberum, vel quid libertas ei superaddit, & quomodo diuerso modo secundùm affirmationem, & negationem tendat in idem obiectum. Hæc difficultas non est huius loci per se: sed vt tantùm requiritur ad præsentis difficultatis solutionem. 108 *Differentia in modo operandi inter voluntatē diuinam, & humanam*

Dico ergo quòd libertas formaliter est in voluntate tantùm, vt subiecto, nullo modo in actu eius, licèt actus, quantùm est ex se, possit esse indifferens, & non necessariò connexus cum obiecto: quod ergo actus diuinæ voluntatis non in essendo, sed in operando sit necessarius ad intrà respectu obiecti primi sui, & aliorum connexorum per se, quæ spectant ad perfectiones, aut modos essendi Deitatis, aut personarum, prouenit ex ipsa voluntate, quæ necessariò tendit in essentiam, & non liberè libertate indifferentiæ: obiecta verò secundaria creata sicut se habent ad primarium, ita etiam ad voluntatem diuinam, & actum eius, si contingenter, contingenter, si necessariò, necessariò (vt excludamus illam controuersiam, an amor complacentiæ simplicis creaturarum sit necessarius, aut verè indifferens) prout itaque se habent contingenter ad obiectum primarium voluntatis, sic voluntas non necessariò in ipsa tendit, sed indifferenter; actus autem voluntatis sicut est infinitus ex se, & ex suo primo obiecto, quod continet in se sine imperfectione omnem rationem volibilis, & ex ratione potentiæ, quæ potest tendere ex infinitate sua in omne illud, quod sine imperfectione vlla est volibile, à quacumque voluntate, ita actus includit perfectè in se ipso manens idem, omnem rationem tendendi in obiectum volibile, & secundùm omnem modum fugæ, aut prosecutionis; quod verò tendat hoc, aut illo modo determinato, prouenit ex libertate voluntatis, non verò ipsius actus, nisi vt est in voluntate, aut ipsius voluntatis. 109 *Libertas in sola volūtate, indifferentia, & necessitas, vt competit diuinæ volitioni, aut actui.* *Ratio ex qua idem simplex actus diuinæ volūtatis fertur diuerso modo in obiecta.*

Hinc patet quomodo possit diuina voluntas nolle idem, & velle secundùm diuersas rationes, & 110

& pro diuersa mensura rei, sit tempus, sit æuum, sit instans, non secus ac voluntas creata per successionem actuum, & diuersitatem potest velle contraria, aut contradictoria eidem obiecto pro diuersa mensura, aut secundùm diuersas rationes obiecti, & determinationes. Potest quidem voluntas creata ob mutabilitatem suam, quæ imperfectionis est, velle, & nolle per successionem actuum in ipsa, eidem obiecto contraria, aut contradictoria, vt quando, verbi gratia, iudex vult nunc absoluere reum, & statim per voluntatem contrariam desinente priori vult eum condemnare. Hoc non cadit in diuinam voluntatem.

Imperfectio voluntatis creatæ.

111 Resolutoriè ergo dicit Doctor, quòd in æternitate Deus voluit simul punire peccatorem, & simul non punire; quæ volitiones, licèt sint simul, respiciunt obiectum extra, secundùm diuersas mensuras, in quibus habet diuersum statum peccati, & pœnitentiæ, seu iustitiæ præsentis, & secundùm alterum statum, si fiat in termino: & vocat has volitiones conditionatas, & diuersas sola ratione, & simultaneas simultate actus in Deo: quia sunt ab æterno; terminatas tamen ad idem obiectum secundùm diuersas conditiones eius, & statum peccati, aut iustitiæ, quæ simul non insunt; sed pro diuerso tempore. Non intelligit *conditionatas*, vt est differentia actus voluntatis ab absoluto, quia verè vult absolutè hoc modo peccatum esse puniendum: & non puniendum verè pœnitentem secundùm legem suæ prouidentiæ ordinariæ. Vocat ergo conditionatas, quia omnis voluntas absoluta respiciens obiectum sub ratione determinata tantùm, inuoluit illam rationem tanquam conditionem latè sumptam, & sine qua non esset ad obiectum: quia ergo lex diuinæ sapientiæ præfixa absolutè determinat peccatorem in termino puniendum, si peccatum est inferens damnationem, & omnem iustum in termino non esse puniendum damnatione æterna, inuoluit tamen conditiones has peccati, & iustitiæ, tanquam determinatas rationes, secundùm quas tendit in obiectum; & hoc modo dicuntur conditionatæ, non aliter.

Diuersitas status hominis supponitur ad diuersas ordinationes Dei circa ipsum.

Quomodo volitio puniendi est conditionata?

Conditio latè sumpta.

112 h *Ad formam ergo rationis*, &c. Ad argumentum in forma, negat minorem: concedit maiorem de transitu propriè dicto, sed negat minorem, nempe hîc inueniri transitum propriè dictum. Per transitum propriè dictum intelligit transitum secundùm aliquam formam realem, de mutatione enim reali agit: quia in actu voluntatis diuinæ, seu quasi actibus non est successio, aut transitus realis, cùm simul sint in æternitate, & circa obiectum in æternitate nolitum, licèt non pro æternitate, & per idem respondet ad confirmationem.

Responsio ad obiectionē cū sua confirmatione.

113 i *Si arguas quòd omnimoda simultas sit incompossibilis*, &c. Vrget adhuc difficultatem, quia sequeretur quòd diuina voluntas vellet simul opposita, & etiam pro simul: ergo requiritur aliqua mutatio. Respondet in ipsis actibus non esse successionem, neque vt tendunt super obiecto sub diuersis istis rationibus, quia ad hoc non requiritur existentia obiecti ad extrà, sicut neque temporale requiritur ad æternum. Obiectorum tamen, quæ obiiciuntur, aut diuersarum illarum rationum datur successio ad extrà inter se: non tamen respectiuè ad volitionem: sicut inter prius, & posterius datur ordo in re, vt obiiciuntur tamen intellectui diuino non dicunt ordinem, quia vtrumque æquè primò intelligit: ex quo ordine non sequitur aliqua mutatio, aut successio in diuina intellectione, quia vt sunt in intellectione, seu vt intellectio est ipsorum, non est successio neque in *intelligi*, aut *obiici*, neque in *esse*: quia nempe ordo, quem dicunt, est in ipsis, vt existunt in se, non verò vt intelliguntur à Deo.

Non esse successionem in illis actibus diuinæ volũtatis, etiam vt respiciunt obiectum.

k *Si arguas contra hoc*, &c. Vrget præterea quòd priùs est vera, quòd iste sit peccator, quàm quòd sit remissum eius peccatum: ergo est successio, & transitus à contradictorio in contradictorium, & consequenter mutatio. Respondet in propositionibus, quæ habent veritatem in æternitate nullam esse successionem, quantùm ad veritatem: quod verissimum est: quia æquè primò cognoscit Deus vnam, & alteram: verbi gratia, Petrum esse viuum, & esse mortuum: in re tamen extrà est successio in iis, secundùm quæ est affirmatio, & negatio, quia mors supponit vitam: hæc tamen successio non transfertur ad actum diuini intellectus, neque ad veritatem eius. Idem dicendum de actibus voluntatis diuinæ, & conditionatis modo explicato; non sunt ergo contradictoria velle punire Petrum, & velle non punire Petrum pro diuersis temporibus, & secundùm diuersos eius status, & conditiones, quia non sunt secundùm idem affirmatio & negatio. Subiungit ad confirmationem huius, si Angelus peccaret in æuo, & Deus dimitteret ei peccatum, non esset aliqua successio, quia æuum est mensura indiuisibilis. Resolutionem huius remittit *ad dist.* 2. *lib.* 2. *Sententiarum*, *quæst.* 1. 2. 3. 4. 5. vbi disserit an sit successio in *esse* Angeli, vbi problematicus est. 114

Obiectio.

In propositionibus æternæ veritatis non est successio.

Non est contradictio.

Circa totum h[unc] discursum Doctoris, aduertendum est eum, v[t] sæpè dixi hactenus, disserere de mutatione reali corruptiua, cuius terminus *à quo* necessariò est forma realis. Vnde supponit, seu probat remissionem peccati non posse esse mutationem à forma reali, quæ insit intrinsecè in ipso peccatore: quia neque actus peccati in eo manet, neque inducit aliquid reale in ipso, quod habeat rationem peccati. Ad hoc ergo vt mutatio illa inferat saltem mutationem realem, debet inferre eam in causa extrinseca, quæ est voluntas diuina, & ideò obiicit illud principium vulgare, *à contradictorio*, *ad contradictorium*, &c. Probans in peccatore esse mutationem saltem rationis per remissionem peccati: & hanc mutationem rationis inferre mutationem realem: & consequenter in causa extrinseca, qui est solus Deus, aut voluntas eius; cùm talis mutatio realis ex dictis ipsius in superioribus nequeat esse in peccatore: in hoc ergo versatur totus discursus Doctoris, quem hactenus explicuimus, vt probet non esse successionem, aut transitum in actu diuinæ voluntatis ab æterno, neque etiam in obiecto, vt terminat obiectiuè talem actum, neque illos actus esse contradictorios, aut oppositos; ex qua oppositione sequeretur talis mutatio, vt patet ex discursu. Vnde excludit mutationem realem extrinsecam in causa remissionis, siue vt actu fit remissio in re, siue vt ab æterno terminat obiectiuè voluntatem Dei. Antè autem probaui non esse mutationem realem, aut propriè dictam in ipso peccatore, de qua mutatione hactenus 115

Scopus discursus præcedentis.

hactenus tota hac quæstione disseruit, nempe de mutatione Physica, & ex sequenti litera hic scopus discursus eius clarè intelligitur: non licet ergo hunc discursum eius, quo probat in voluntate diuina non esse mutationem, aut in actu eius, transferre vltra intentum, quasi ex hoc vellet concludere non mutari peccatorem: hoc enim insulsum, & ridiculum esset: ostendit ergo tantùm quomodo illi duo actus in voluntate diuina possunt simul consistere in æternitate, etiam vt tendunt in obiectum, sine aliqua successione, mutatione, aut contradictione, aut in obiecto extrà, quæ est realis.

116 *An sit mutatio rationis. Remissio peccati.*

l *Sed esto quòd Deus remittat isto modo*, &c. Hîc quærit an sit saltem in Petro, cui remittitur peccatum, aliqua mutatio rationis per ipsam remissionem, licèt non sit mutatio aliqua propriè dicta in ipso, siue in obiecto, vt obiectum est, siue in obiecto extrà, id est, à parte rei? *Responsio.* Respondet posse dici, quòd vbi actus, in quo obiectum habet *esse* rationis, potest esse terminus mutationis realis, ibi obiectum mutetur mutatione rationis. *Causa mutationis rationis.* Exemplum statuit in lapide, vt est in intellectione nostra; sed quando ad actum non potest dari mutatio realis, ita ad obiectum nequit dari mutatio rationis, talis actus est *velle* diuinum, vt respicit Petrum tanquam obiectum vniformiter se habens ad voluntatem diuinam in *esse* tam in æternitate, quàm in tempore: ideò in eo neque rei, neque rationis est ponenda mutatio, quando ipsi remittitur culpa. Est tamen alia concomitans, nempe realis, qua infunditur ei gratia.

117 *Declaratio præmissæ doctrinæ.*

Hæc doctrina est obscura, si spectetur in superficie, quia *in hac ipsa quæstione suprà*, asserit obligationem ad pœnam esse relationem rationis, quæ proculdubio tollitur, quando remittitur peccatum. Deinde, *in d. 1. q. 1.* admittit mutationem rationis in remissione peccati. Ad declarationem tamen huius aduertendum est ex Philosopho 5. *Physicorum*, terminum *à quo* mutationis esse priuationem *text. com. 2. & 8.* vt benè ex eo probat Doctor *in 2. d. 1. q. 4. respons. ad quintum*, ita vt mutatio propriè sumpta siue productiua, siue corruptiua sit inter habitum, & priuationem. *Terminus à quo mutationis.* Quod etiam docet *in 2. d. 5. q. 2. Ad primum*, &c. Requirit præterea vt terminus *à quo* sit prius tempore in subiecto *in 4. d. 43. q. 5.* *Terminus à quo debet inesse prius tempore.* Item, *in 3. d. 2. q. 3. ad 3.* dicit propriè mutationem non esse inter affirmationem, & negationem, sed inter affirmationem, & priuationem. *Non est propriè inter affirmationē, & negationem.* Item, *in 4. d. 11. quæst. 1.* dicit mutationem propriè requirere subiectum: vnde transsubstantiatio, vt ibi vidimus, non est propriè mutatio; quia nullum subiectum commune aliter se habeat ad terminos eius, & *quodlib. primo ad primum pro opinione*, vbi declarat authoritatem Boëtij. *Requirit subiectum.* Requiritur ergo vt terminus *à quo* insit subiecto, & prius tempore, & sit priuatio, vel habitus. Præterea vt mutatio dicat ordinem ad agens, vt patet *in 2. d. 1. q. 4. ad 5.* *Mutatio dicit ordinem ad agens.*

118 *Explicatur intentum Doctoris.*

His suppositis, respondetur sensum Doctoris esse facilem, quia agit, vt patet ex verbis eius expressis, de mutatione, quæ fit inter culpam remissam, & terminum *ad quem*, quærens an remissio culpæ sit saltem mutatio rationis propriè dicta, seruata proportione ad mutationem realem. *Remissio peccati non est mutatio realis propriè dicta.* Docet ergo primò, quòd neque in voluntate diuina, neque in obiecto, vt obiectum est, neque in Petro, qui est obiectum, etiam extra, fiat mutatio propriè dicta, quæ sit realis. Dicit præterea neque fieri mutationem rationis etiã in ipso Petro, vt est in se, quæ seruet proprietatem mutationis secundùm proportionem debitam; non fieri, inquam, mutationem rationis per ipsam remissionem formaliter, tanquam ea esset mutatio. *Neque rationis propriè.* Ratio desumitur ex dictis, quia mutatio corruptiua, vt seruet conceptum formalem mutationis, requirit vt priuatio insit subiecto priùs termino, & hoc permanenter. *Ratio huius.* Item, vt insit sub propria ratione, & formaliter vt patet ex dictis. Patet præterea ex dictis eius, peccatum non manere in se, sicut subiectum eius immediatum non manet, nempe actus, qui transit, nihilque post peccatum manet in Petro præter obligationem ad pœnam, vt respicit peccatum præteritum, propter quod obligatur, seu ordinatur ad pœnam secundùm iustitiam vindicatiuam diuinam, ad quam sufficit in rigore Petrum peccasse, & peccando meruisse pœnam legis (licèt peccatum ipsum non maneat in rigore Physico tanquam forma inhærens, secundùm proprietatem, qua forma intrinseca, siue realis, siue rationis dicitur manere) *Non manere peccatū physicè.* & vlteriùs Petrum non satisfecisse legi, aut pœnituisse: manet ergo peccatum non secundùm proprietatem formæ intrinsecæ, quæ requiritur ad mutationem: de qua loquuntur Philosophi, & secundùm quam discurrit Doctor; sed manet moraliter in suo effectu, & virtute, manet secundùm debitum legis, & satisfactionis, siue per pœnam, siue per pœnitentiam. *Manet moraliter.*

Et hæc imputatio non est illa, de qua loquuntur hæretici, nempe quòd ideò aliquid est peccatum, quia Deus imputat illud in peccatum, ex alio dogmate erroneo, quo putant etiam iustum, quantùm est ex se, & natura operis peccare etiam in omni actu quantumlibet bono, & alio, quo negant aliquam iustitiam intrinsecam operum; & quo negant posse legem Dei esse obseruabilem per gratiam ipsius; & quo reducunt omnem iustitiam nostram, ad extrinsecam Dei, vel Christi, vel ad fiduciam diuinæ misericordiæ, qua nos ipsos iustos esse firmiter credamus. 119 *Error hæreticorum. Error eorum de nostra iustitia in operibus.* Quos variis Canonibus Trid. *sess. 6.* damnat. Hæc imputatio, inquam, longè differt ab ea, qua dicimus iuxta hunc modum explicandi Doctoris, (quem vt *infrà* apparebit, & *suprà* docuimus, mutauit) & quam non ignobiles eius discipuli sequuntur: quia aliud est manere peccatum in debito, & obligatione, qua ordinatur ad pœnam sibi debitam, & aliud est peccatum tantùm esse peccatum, quia Deus imputet, quasi non sit differentia in ipso opere inter bonum, & malum; nisi imputatio diuina; quia nempe omnia opera nostra ab intrinseco sunt mala ex fomite. Hoc dicunt hæretici, quos meritò damnauit Trid. *loco citato cap. 11. in fine*, & *Canone 25. Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter; atque ideò pœnas æternas mereri, tantúmque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema sit*, &c. Docebant nempe hæretici liberum arbitrium nullum esse saltem ad bonum, & de necessitate semper peccare: ideóque miror quosdam hoc peruersum dogma contra hunc modum explicandi præmissum, aut peccatum habituale, aut remissionem vrgere; in quo certè ostendunt se non perfectè attendere ad errorem,

rem, aut verum fidei dogma; sed magis ad proprias opiniones, quali ratione possint eas ex dogmate Ecclesiæ stabilire.

120 *Peccatum præteritũ quomodo manet.* Dicit ergo Doctor peccatum præteritum non manere in se formaliter; manere tamen debitum in eo fundatum respectu pœnæ, quod respicit semper peccatum præteritum tanquam causam sui. Quod respicit præterea diuinam voluntatem, vt habet legem punitiuam respectu peccati præteriti, quæ est voluntas diuina stabilis, & permanens respectu peccatoris, & sicut in æternitate fuit ante peccatum commissum, pro tempore tamen quo habitum est, ita etiam perinde ei est, vt peccatum maneat formaliter intrinsecè in peccatore, siue non, quia respectiuè ad legem, & voluntatem diuinam est post commissum, respectu cuius peccatum illud manet semper præsens, vt motiuum, & causa pœnæ, donec pœnituerit peccator, & satisfecerit; licèt ergo intrinsecè non insit peccatori, inest ei moraliter modo dicto, & secundùm voluntatem punitiuam, cuius est motiuum, & causa; ex qua ordinat peccatum ad pœnam, & manet hoc modo præsens, ac si in se præsens esset intrinsecè. Hanc ergo voco præsentiam moralem, quæ non est sufficiens ad mutationem: de qua loquimur, & de qua in specie agit Doctor.

121 *Remissio peccati, & pœna sunt diuersa.* Hinc vlteriùs aduertendum est aliud esse remissionem peccati, aliud verò desitionem obligationis ad pœnam; remissio peccati non est mutatio ad aliquid nunc existens intrinsecè in anima, sed remittitur præteritum actuale, quod tantùm virtute, & moraliter manet modo dicto, & hoc *suprà* probatum est *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. Et patet ex Doctore *infrà responsione ad primum.* Sicut ergo ad mutationem physicam, vel quæ seruat proprietatem physicæ mutationis, exigit Doctor *esse*, qualecumque illud sit, termini, & secundùm illud mutari subiectum: ideò negat hîc esse propriè mutationem rationis, quæ seruet similitudinem mutationis physicæ, quia nempe sicut peccatum hoc modo non est, ita neque subiectum mutatur per remissionem peccati, & desitionem sui *esse* formalis, quod insit: sicut si forma comproduceretur coæua subiecto, nō propriè mutaretur subiectũ, quia non præsupponitur priuatio inesse subiecto ante formam. Quantùm autem ad remissionem obligationis pœnæ, admittit eam concomitanter desinere ad remissionem peccati, prout dicit Trid. *seß.* 6. *cap.* 14. quòd reatus pœnæ æternæ remittatur simul cum peccato. Videatur Doctor *infrà in responsione ad primum in oppositum,* non negat itaque Doctor esse mutationem moralem, sed negat esse mutationem rationis in illo rigore, de quo loquitur, quia peccatum non inest: & ideò nequit mutari secundùm *esse* propriè subiectum præcisa remissione peccati formaliter.

Remittitur simul cum peccato.

Trident.

122 *Ens rationis propriè dictũ.* Ratio autem Doctoris intelligenda est de ente rationis propriè dicto, quod recipit *esse* tantùm per actum alicuius potentiæ per modum obiecti, aut consequentis obiectum, vt est in actu, sic nequit propriè mutari nisi mutetur actus, & consequenter *esse* obiecti in actu: quia mutatio dicit ordinem ad causam efficientem suo modo: vbi ergo nequit esse nouitas in actu realis, sic neque rationis in obiecto, vt est in actu, loquendo de mutatione rationis propriè dicta. Si loquamur tamen de ente rationis latè sumpto, alias docet sine mutatione reali in actu illud quandoque sequi, vt patet in actibus diuinæ voluntatis, vt sunt ad obiecta secundaria, quia hæc obiecta secundaria recipiunt aliquod *esse* rationis, quamuis in actu non sit mutatio realis, vt per ipsum aliàs patet *in* 1. *d.* 30. 36. 37. *& aliàs sæpe.* *Ens rationis latè sumptũ.*

m *Concomitatur tamen ibi remissionem illam actiuam Dei, & passiuam secundùm dici in Petro, quædam mutatio realis,* &c. Dicit de lege ordinaria remissionem peccati mortalis concomitari infusionem gratiæ in Petro: quamuis de potentia absoluta separari possint. De quo *suprà in prima conclusione* videantur dicta. Vocat remissionem actiuam Dei, quia est actus suæ misericordiæ. Vocat passiuam ex parte Petri, quia gratia illa fit Petro, & est mutatio eius secundùm *dici*, & moralis vt explicatum est; non verò mutatio in rigore mutationis, vt à Philosopho desumitur, & hanc mutationem secundùm *dici* concomitatur mutatio realis Petri vt recipit gratiam sanctificantem infusam. 123

Obiectio sequens, & responsio reducenda sunt ad dicta. Instantia illa de voluntate nostra, vt potest aliter & aliter operari circa obiectum vniformiter manens, vera est, sed intelligenda est comparatio respectiuè ad diuinam voluntatem, qua de potentia absoluta potest remittere peccatum non infundendo gratiam, aut acceptando eum, cui remitteret, in suam amicitiam: non verò refertur comparatio ad voluntatem diuinam de facto, & secundùm legem ordinariam, neque etiam, qua præcisè dimittit culpam de facto dependenter à dispositione.

Vnde breuiter, & faciliùs posset responderi ad principalem difficultatem superiùs præmissam, dicendo quòd non contingat hîc in remissione peccati transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione intrinseca peccatoris, siue in se, siue qua subest diuinæ voluntati: quia diuina voluntas non respicit Petrum vt eum ordinat ad pœnam, nisi vt concludit suum motiuum, & causam, & incurrit debitum, quia peccauit, neque remittit ei peccatum, nisi vt similiter exhibet satisfactionem lege præscriptam per debitam pœnitentiam, qua posita, desinit Petrus esse obiectum iustitiæ punientis, seu ordinantis ad pœnam æternam, & fit obiectum voluntatis Dei ex misericordia, & ex meritis Christi remittentis peccatum aliàs commissum. Hîc autem Doctor considerat mutationem tantùm vt est inter terminos intrinsecos præcisè: & iuxta exigentiam argumentorum, quæ posuit ad initium quæstionis, vt probet remissionem peccati non esse eandem mutationem cum infusione gratiæ, vel certè non esse, vt quidam volunt, mutationem contrariam, quasi peccatum esset aliquod positiuum reale, & physicum: illud autem principium optimè saluatur per mutationem extrinsecam, quam non intendunt argumenta, quorum doctrinam examinat in corpore quæstionis. 124 *Solutio principalis obiectionis de trãsitu à cõtradictorio, &c.* *Dari mutationẽ ex parte peccatoris.*

SCHO

SCHOLIVM.

Ad primum, peccatum non esse priuationem gratiæ; de quo latè 2.d.37.quæst.1. Ad secundum, corruptionem vitij, & generationem virtutis esse duas mutationes; remissionem culpæ, & dationem gratiæ, vnam. Ad tertium, quomodo remissio culpæ non est mutatio; de quo Schol. præced. & seq.

AD [n] argumenta. Ad primum concedo, quòd peccatum non est formaliter priuatio gratiæ, vt probarunt aliquæ rationes ad primam conclusionem. Et ex hoc patet, quòd inductio gratiæ, & cuiuslibet virtutis, non est formaliter expulsio culpæ. Sed si ex illa auctoritate velis probare duas esse mutationes, infusionem, & expulsionem, per hoc quòd peccare, & gratiam corrumpi sunt duæ mutationes: ergo à simili in proposito. Dico quòd consequentia non valet, quia illa culpa, ad quam est motus peccati, vel peccandi, non manet vsque ad infusionem gratiæ: nec etiam tunc posset esse terminus *à quo* propriæ mutationis: sed illa culpa transeunte manet sola obligatio in isto, vt est obiectum secundarium voluntatis diuinæ, & illa in iustificatione non potest esse terminus *à quo* alicuius mutationis propriæ. 16 *Ad arg.1.* *Scilicet, in esse actuali Physico.*

Ad secundum, patet quare sunt ibi duæ mutationes in moralibus, quia sunt ibi quatuor termini, duo positiui reales, & duo priuatiui reales; non sic hîc. Per idem patet ad illud de generatione, & corruptione. *Ad 2.* *Ad 3.*

Ad vltimum de dispositione ad formam, ad quam disponit; dico quòd ista remissio priuatiua, quæ est carentia obligationis ad pœnam, non est aliqua dispositio realis ad amicitiam, seu gratiam: & ideò ipsa remissio accepta quasi terminata ad hanc carentiam, non est aliqua mutatio realis. Si ergo accipias, quòd remissio mutatio est dispositio ad illam mutationem, quæ est infusio gratiæ; nego: quia remissio non est aliqua mutatio, neque actiua, neque passiua, nec rei, nec rationis. 17 *Ad 4.* *Remissio peccati non est mutatio rationis sēsu dicto n. 15.*

Et per eadem posset responderi ad quatuor rationes positas ad primam conclusionem in solutione quæstionis: si tamen illæ ab aliquo extenderentur ad probandum quòd sunt duæ mutationes, quod negatum est in secunda conclusione. Maior enim primæ rationis, si sic accipiatur, quidquid multiplicatur, vel plurificatur in sua entitate tali quali, est aliud realiter ab illo, quod non plurificatur in sua entitate; falsa est, nisi sit ens reale: & ideò remissiones quæ plurificantur taliter qualiter, sunt entes, quia tantùm rationis entia sunt, & infusio gratiæ est vna; non sequitur quòd illæ sint aliæ mutationes ab illa: sed benè sequitur, quòd non sunt eadem sibi: quia vniuersaliter plurificatum in sua entitate tali quali, non est idem non plurificato, accipiendo similem plurificationem hinc inde. *Soluit rationes adductas pro secūda conclusione quatenus possent probare duas mutationes reales, saltē in remissione peccati, & infusione gratiæ.*

Consimiliter maior secundæ rationis, quicquid separatur ab alio in suo *esse*, est aliud realiter ab illo, falsa est, nisi sit in suo *esse* ens reale. Tertia ratio, & quarta non probant pluralitatem istorum tanquam duarum mutationum: sed tantùm, quia illa mutatio, quæ est ad gratiã, non habet pro per se termino à quo culpam, quod concedo.

COMMENTARIVS.

125 *Responsio ad primum principale.*

n AD *argumenta. Ad primum*, &c. Concedit peccatum non esse priuationem gratiæ, & quòd infusio gratiæ, aut alicuius virtutis non sit remissio culpæ. Loquitur de virtute quantùm ad habitum iuxta intentum argumenti. Admittit præterea peccare in actu, & corrumpi gratiam, esse duas mutationes: quia peccatum ad quod est motus peccandi non manet vsque ad infusionem gratiæ, quæ est tempore posterior: neque tamen potest esse terminus *à quo* mutationis propriè dictæ. Sola manet obligatio ad pœnam intrinsecè peccatori transeunte actu; & illa non potest esse terminus mutationis propriè dictæ in iustificatione, &c. Intelligit de mutatione reali: quam intendit argumentum, & cuius terminus *à quo*, nequit esse aliquid rationis, qualis est obligatio ad pœnam. Infrà enim *responsione ad primum pro opposito* admittit desitionem huius obligationis esse mutationem rationis. Ad secundum similiter respondet negando mutationem realem esse remissionem peccati. Ad vltimum negat mutationem priuatiuam esse dispositionem realem ad infusionem gratiæ, aut esse mutationem realem, aut rationis iuxta sensum superiùs explicatum. Respondet consequenter ad argumenta, quæ posita sunt pro prima conclusione, in casu quo quis iis vti vellet contra secundam conclusionem, probando duas esse mutationes, remissionem peccati, & infusionem gratiæ. Resoluit mediũ dari inter distinctionem propriè dictam, & nõ identitatem: non sunt ergo eadem mutatio simplex, neque diuersæ mutationes: quia numerus supponit veritatem termini numerabilis saluari in extremis. Hoc non cõtingit in proposito, quia remissio culpæ nõ est propria mutatio, saltem realis, quam intendunt probare præmissa argumenta primo loco. Argumenta verò pro conclusione intendunt probare remissionem peccati, & infusionem gratiæ non esse eandem simplicem mutationem realiter, aut remissionem esse infusionem gratiæ formaliter, sed tantùm concomitanter. *Respondet ad rationes primæ conclusionis vt militant contra secundam.*

SCHO

SCHOLIVM.

Ad primum, admittit remissionem culpæ esse mutationem rationis (de quo obscurè loquutus est num.15.) quatenus peccator transit à nunc, *in quo est obligatus ad pœnam, ad* nunc, *in quo caret illa obligatione. Ad secundum, gratiam priùs intentione dari, sed priùs exequutione culpam tolli.*

18 *Ad arg. posita num. 3.* AD rationes° in oppositum. Ad primam dico, quòd sicut reatus, vel planiùs obligatio ad pœnam, quæ sola manet post transitum actus interioris, & exterioris in peccato est ens, quia rationis, & sic est ens positiuum: & per consequens non reatus, vel non obligatio, vel non debitum, est priuatio entis rationis: & ita si esset alicubi transitus rationis ab obligatione ad non obligationem, illa esset mutatio rationis priuatiua, vel deperditiua: sed illa nusquam est, nec in actu voluntatis diuinæ, nec in obiecto, vt obiectum est, nec in obiecto, vt extrà; nisi dicatur, quòd pro tanto est in obiecto extrà, pro quanto illud obiectum est in illo *nunc*, pro quo actus voluntatis diuinæ respicit illud obiectum: & tunc obiectum extrà transire à *non esse* in isto *nunc*, ad *esse* in illo *nunc*, est concomitanter mutari mutatione rationis ab obligatione ad non obligationem. Cùm ergo arguis, quòd non sit mutatio deperditiua, quia terminus eius *à quo* non est aliquid positiuum: nego. Nec tamen culpa est aliquid positiuum, nec illa manet: sed obligatio sequens commissionem culpæ est aliquid positiuum, & illa remanet.

D. Th. 17. d. q. 1. a. 4. Ric. eadem d. a. 4. q. 4. Text. 16. Text. 15. & circiter. Priora generatione sunt posteriora perfectione. Consequens an est imperfectius antecedēte?

Secundum argumentum de priori, & posteriori ponderatur ab aliquibus in ista materia, quia ponendo distinctionem istorum tanquam mutationum, quærunt ordinem inter ea. Breuiter dico, quòd secundùm Philosophum 5. *Metaph. cap. de Priori*, & 9. *Metaph. cap.* 7. aliqua sunt priora generatione, aliqua perfectione; & istæ prioritates communiter è conuerso se habent: in via enim generationis imperfectiora sunt priora. Hoc modo dico, quòd si expulsio culpæ esset aliquod ens, & infusio gratiæ; via generationis prior esset expulsio culpæ, sed è conuerso, via perfectionis prior esset infusio gratiæ, quia immediatior ipsi fini, quod est simpliciter perfectum in isto ordine. Similiter de prioritate consequentiæ patet, quòd imperfectius est prius, sicut animal est prius secundùm consequentiam, quàm homo, & vniuersaliter consequens est imperfectius, quàm antecedens. Sic eo modo, quo esset consequentia inter ista, expulsio sequeretur gratiæ, non è conuerso. Non enim sunt opposita immediata simpliciter ex natura extremorum, sed ex institutione diuina: & non sequitur inductio vnius ad amotionem alterius, nisi in oppositis immediatis secundùm se.

19 Sed an gratiam sequatur expulsio culpæ, dubium est, cùm non sit formaliter opposita, vt probatum est in tertia ratione, & prima conclusione solutionis. Sed posset dici negando illud, quia contradictio est esse amicum Deo, & non amicum: per gratiam est amicus, per culpam verò inimicus: ergo, &c.

An gratia magis inferat carētiā culpæ, quàm è contra.

Sed hoc non cogit, quia amicitia per gratiam est ordinari ad vitam æternam: inimicitia per culpam est ordinari ad pœnam condignam. Hæc possunt simul stare, licèt non pro eodem *nunc*, saltem quomodocunque sint opposita, magis videtur formalis consequentia ad inesse gratiam, non inesse culpam, quàm è conuerso: quia in secundo antecedens nullo modo ponit consequens.

Sed si quæratur de prioritate causalitatis inter ista. Respondeo, non est quæstio: nec enim ista negatio obligationis, quæ non est nisi negatio entis rationis, causa est gratiæ, nec è conuerso: quia sola voluntas diuina ex sua iustitia determinat illam obligationem, sed ex misericordia non obligationem.

Gratia, & priuatio culpæ ex natura rei nullū dicūt ordinem: ex Dei voluntate priùs volita est gratia. Prius executione est carētia culpæ, quàm gratia.

Si quæras, quem ordinem habent ista, scilicet gratia, & non culpa, vt sunt obiecta secundaria diuinæ voluntatis? Respondeo, sicut dictum est *lib. 1. dist.* 41. *qu. de Prædestinatione*, eo modo, quo est ordo volitionis diuinæ ad obiecta secundaria. Priùs enim vult propinquius fini, & ita simpliciter priùs vult isti pro *A*, postquam scilicet peccauit, gratiam, quàm non vindicare, loquendo de prioritate intentionis: sed exequendo vult è conuerso: sicut enim priùs vult istum habere merita, quàm gloriam, ita vult priùs ordine executionis isti non inesse culpam, quàm inesse gratiam.

Vel si dicatur, quòd per inesse, vel non inesse nihil ponitur in isto extrà, sed tantùm, vt est obiectum voluntatis diuinæ; potest dici consequenter, quòd hæc obiecta secundùm perfectionem habent ordinem quendam, vt in ea tendit voluntas diuina: sed secundùm causalitatem, vel generationem nullum ordinem habent.

COMMEN

COMMENTARIVS.

126 *Ad rationes liminares pro parte negatiua.* o AD *rationes in oppositum*, &c. Respondet ad rationes pro parte negatiua, ad initium quæstionis posita. Prima ratio est, quia reatus ad pœnam, qui manet post peccatum, non est aliquid positiuum: ergo non est terminus *à quo* mutationis corruptiuæ, seu deperditiuæ, &c. Respondet esse aliquod positiuum rationis, & remitti ex eo quòd obiectum ex hoc *nunc* scilicet status peccati ordinationis ad pœnam ob peccatum, transit ad aliud *nunc*, conuersionis scilicet à peccato, & veræ pœnitentiæ & infusionis gratiæ & ordinationis ad amicitiam.

Ad secũdum. Ordo inter remissionem culpæ, & infusionem gratiæ. Secundum argumentum petit ordinem inter remissionem culpæ, & infusionem gratiæ. Qui tenent hîc duas mutationes contrarias, aut vnam simplicem ex natura rei, dicunt infusionem gratiæ priorem esse remissione peccati. Respondet via generationis, quæ procedit ab imperfectiori, remissionem esse priori, sicut etiam prioritate consequentiæ, quæ similiter est secundùm viam generationis. Via autem perfectionis prior est infusio gratiæ. *Duplex prioritas gratiæ.* Secundùm prioritatem etiam finis, quæ est secundùm perfectionem, prior est infusio gratiæ secundùm intentionem, secundùm executionem verò prior est remissio culpæ. Reliqua, quæ dicit, vt non esse oppositionem inter gratiam & culpam ex natura rei, sed ex diuina institutione, patet ex dictis *suprà*.

Expositio huius literæ præmissa, sicut & discursus Doctoris refertur tantùm ad modum dicendi, aut explicandi peccatum habituale. 127 quem *suprà d.14. quæst.1. art.1.* præmisit, & hîc repetiit: sed aliter dicendum esset tenendo aliam sententiam, quam ipse inferiùs præfert, nempe reatum culpæ esse diuersum à reatu pœnæ, tanquam magis conformem Patribus: & talem reatum inesse intrinsecè peccatori, vel manere post culpam actualem præteritam: tunc ergo dicendum esset remissionem peccati habitualis, qui est ipse actus peccati, vt manens moraliter, esse mutationem rationis intrinsecam, nempe moralem: sed vix est realis controuersia in hoc, tenendo habituale esse peccatum actuale præteritum manens in habitu, & moraliter, & differentia est in voce, seu in modo accipiendi mutationem. Videantur interim quæ suo loco dicta sunt suprà. Hîc autem aliqua repetere, aliqua supponere, aliqua etiam adiicere debui, quia textus in modo loquendi est obscurus, & ambiguus. Et ad occupationem congruam calumniæ crebra repetitio eiusdem necessaria fuit. *Alia responsio iuxta diuersam resolutionem Doctoris quoad naturam peccati habitualis.*

DISTINCTIO XVII.

De confessione Sacramentali, & de his, quæ ad eam spectant.

HIc oritur quæstio multiplex. Primò enim quæritur, Vtrùm absque satisfactione, & oris confessione per solam cordis contritionem peccatum alicui dimittatur? Secundò, an aliquando sufficiat confiteri Deo sine sacerdote? Tertiò, an laico fideli facta valeat confessio? In his enim etiam docti diuersa sentire inueniuntur: quia super his varia, ac penè aduersa tradidisse videntur Doctores. Dicunt enim quidam sine confessione oris, & satisfactione operis neminem à peccato mundari, si tempus illa faciendi habuerit. Alij verò dicunt, ante oris confessionem, & satisfactionem in cordis contritione peccatum dimitti à Deo, si tamen votum confitendi habeat. Vnde Propheta: Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem, &c. Quod exponens Cassiodorus ait: Dixi, id est, deliberaui apud me, quòd confitebor, & tu remisisti. Magna pietas Dei, quòd ad solam promissionem peccatum dimiserit. Votum enim pro operatione iudicatur.] Item Augustinus. [Nondum pronunciat, promittit se pronũciaturum, & Deus dimittit: quia hoc ipsum dicere, quoddam pronunciare est corde. Nondum est vox in ore, vt homo audiat confessionem, & Deus audit.] Item. [Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum, &c. alibi etiam legitur. Quacunque hora peccator conuersus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur.] Non dicitur, ore confessus fuerit, sed conuersus ingemuerit. Vnde datur intelligi, quòd etiam ore tacente veniam interdum consequimur. Hinc etiam leprosi illi, quibus Dominus

A Testimoniis probat in sola contritione peccatũ dimitti. *Psal. 31.* *Cassiod. in glos. ordin. In eundem Psal. 31. non longè à princip.* *Psal. 50.* *Ezech. 18.* *c. De pœnit. dist. 1. c. 1. In quacũque, &c. Conuertimini, quasi per totum.*

Luc.17.d. præcepit, vt ostenderent se Sacerdotibus, in itinere antequam ad Sacerdotes venirent, mundati sunt. Ex quo insinuatur, quòd antequam ora nostra Sacerdotibus aperiamus, id est, peccata confiteamur, à lepra peccati mundamur. *Ioan.12.f.* Lazarus etiam non priùs de monumento est eductus, & pòst à Domino suscitatus: sed intus suscitatus prodiit foras viuus, vt ostenderetur suscitatio animæ præcedere confessionem. *August. de verbis Do. ser. 8.* [Nemo enim potest confiteri, nisi suscitatus: quia à mortuo, velut cui non est, perit confessio.] Nullus ergo confitetur, nisi resuscitatus. Nemo autem suscitatur, nisi qui à peccato *Eccl.17.d.* soluitur, quia peccatum mors animæ est, quæ vt est vita corporis, ita eius vita Deus est. His, aliísque pluribus auctoritatibus probatur, ante confessionem, vel satisfactionem sola compunctione peccatum dimitti: quod qui negant, eas determinare laborant: nécnon in huius sententiæ depressionem, & ad suæ opinionis assertionem, auctorum testimonia inducunt. *Isai.43.d.* Ait enim Dominus per Isaiam, Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris. Item *Libr. de paradiso c.14. in fi. in to.4.* Ambrosius. [Non potest quisquam iustificari à peccato, nisi peccatum ipsum antea fuerit confessus. Idem dicit: *Idem in ser. quadrag. de pœ. dist.1.c. Ecce nũc.* Confessio à morte animam liberat, confessio aperit paradisum, confessio spem salutis tribuit: quia non meretur iustificari, qui in vita sua non vult peccatũ confiteri. Illa confessio nos liberat, quæ fit cum pœnitentia. Pœnitẽtia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit. *Io.Chrys. de pœn. di.1.c. Nõ potest.* Item Ioannes. Non potest quisquam gratiam Dei accipere, nisi purgatus fuerit ab omni peccato per pœnitentiæ confessionem, & per Baptismum. *August. lib. 50. hom.49.* Item Augustinus. [Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia. Nemo dicat sibi, occultè ago pœnitentiam, quia apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde *Mat.16.c.* ago. Ergo sine causa dictum est; Quæ solueritis super terram, soluta erunt in cœlis? Ergo sine causa claues datæ sunt. Frustramus ergo verbum Christi. *Iob 31.d.* Iob dicit, Si erubui in conspectu populi peccata mea confiteri. Item Ambrosius (*libr. de paradiso cap.14. in medio, in tom.4.*) Venialis est culpa, quam sequitur confessio delictorum.] *Super Psal. 68. in fin. concionis 1. ad illum Psal. tom.8.* Item Augustinus super illum locum Psal. Non absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. [Puteus est profunditas iniquitatis: in quam si cecideris, non claudet super te os suum, si tu non claudis os tuum. Confitere: ergo, & dic, De profundis clamaui ad te Domine, &c. *Psal. 129.* & euades. *Prou.18.c.* Claudit super illum, qui in profundum cùm venerit, contemnit: à quo mortuo, velut qui non sit, perit confessio.] Item Augustinus *libr. de continentia, cap.6. tom.4.* [Nullus debitè grauioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcunque, etsi longè minorem, quàm debeat, soluerit pœnam. Ita enim impartitur à Deo largitas miseri- *Eccl.17.d.* cordiæ, vt non relinquatur iustitiæ disciplinæ.] Item Hieronymus. *Super Malac. & alleg. de pœ.d.1.c. Qui sanctus sacer.* [Qui peccator est, plangat delicta propria, vel populi, & ingrediatur Ecclesiám, de qua propter peccata fuerat egressus: & dormiat in sacco, vt præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset.] His aliísque auctoritatibus nituntur asserere, sine confessione vocis, & aliqua solutione pœnæ neminem à peccato mundari.

Cui sententiæ potiùs consentiendum sit?

B Qvid ergo super his sentiendum sit, quid tenendum? Sanè dici potest, quòd sine confessione oris, & solutione pœnæ exterioris peccata delentur per contritionem, & humilitatem cordis. Ex quo enim proponit mente compuncta se confessurum, Deus dimittit: quia ibi est confessio cordis,

cordis, etsi non oris, per quam anima interiùs mundatur à macula, & contagione peccati commissi, & debitum æternæ mortis relaxatur. Illa ergo quæ superiùs dicta sunt de confessione & pœnitentia, vel ad confessionem cordis, vel ad interiorem pœnam referenda sunt. Sicut illud Augustini, [Quòd nullus dicitur veniam consequi, nisi priùs quantulamcunque peccati soluerit pœnam: vel de exteriori pœna accipienda sunt, & ad contemnentes, vel negligentes referenda: sicut illud, Nemo dicat, occultè ago, &c. Nonnulli enim in vita peccata confiteri negligunt, & erubescunt, & ideò non merentur iustificari. Sicut enim præcepta est nobis interior pœnitentia, & ita oris confessio, & exterior satisfactio, si adsit facultas. Vnde nec verè pœnitens est, qui confessionis votum non habet. Et sicut peccati remissio munus Dei est, ita pœnitentia, & confessio, per quam peccatum deletur, non potest esse nisi à Deo, vt Augustinus ait. [Iam, inquit, donum Spiritus sancti habet, qui confitetur, & pœnitet, quia non potest esse confessio peccati, & compunctio in homine ex se ipso. Cùm enim irascitur sibi quisque, & displicet, sine dono Spiritus sancti non est.] Oportet ergo pœnitentem confiteri peccata, si tempus habeat: & tamen antequam sit confessio in ore, si votum sit in corde, præstatur ei remissio.

De pœn. dist. 2. c. Nullus.

Ibid. cap. Agite.

Sup. Ps. 50. Post mediũ enarrationis ad illum Psal. tom. 8.

Si sufficit soli Deo confiteri?

C

Iam secundum quæstionis articulum inspiciamus, scilicet, Vtrùm sufficiat peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri sacerdoti? Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sine iudicio sacerdotali, & confessione Ecclesiæ, quia Dauid dixit: Dixi confitebor Domino, & tu remisisti, &c. Non ait Sacerdoti, & tamen remissum sibi peccatum dicit. Item Ambrosius. [Ideò fleuit Petrus, quia culpa obrepsit ei: non inuenio quid dixerit, inuenio quòd fleuerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri: & veniæ fletus consulit, & verecundiæ.] Hoc idem etiam Maximus dicit Episcopus. Item, Ioannes Chrysostomus. [Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti, Reuela Deo viam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria: & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Si habueris peccata tua in mente continuè, nunquam malum aduersùs proximum in corde tuo tenebis.] Idem, [Peccata tua quotidie dicito, vt deleas illa. Sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in animo tuo. Non dico, vt confitearis ea seruo tuo, vt tibi exprobret, dicito Deo, qui curat ea. Nec enim si non dixeris, ignorat ea, cùm faciebas ea, præstò erat: cùm admitteres ea, cognouerat. Nunquid ea vult à te cognoscere? Peccare non erubuisti, & confiteri erubèscis? Dicito in hac vita, vt in alia requiem habeas: dicito ingemiscens & lachrymans, In codice scripta sunt peccata tua. Spongia peccatorum tuorum lacrhymæ tuæ sint.] Item Prosper, [Illi quorum peccata humanam notitiam latent, non ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri, vel emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum & habituri sunt vltorem. Quòd si ipsi sui iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hîc in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant: temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis

Psal. 31. f.

Sup. Luc. lib. 10. in fine commentarij ad cap. 22. 10. 4. & in ser. qui habetur 46. apud Amb.

Sup. cap. 12. ad Hebr. hom. 31. post mediũ eiusdem.

Psal. 36. homil. 2.

In Psal. 50. ad eum versum, Et peccatum meũ contra me est sẽper. *post mediũ hom.*

Libr. 2. de vita actiua, & cont. c. 7.

Et de pœn. dist. 2. cap.

Porro illi. *Ibid.cap.* Facilius. mis ex vera cordis contritione fluentibus restinguunt æterni ignis incendia.] Et infrà,[Faciliùs sibi Deum placabunt illi, qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus aliis ipsi in se voluntariæ excommunicationis ferunt sententiam: & ab altari, cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam suam quasi mortuam plangunt: certi quòd reconciliati, sibi efficacis pœnitentiæ fructibus, à Deo non solùm amissa recipiant, sed etiam supernæ ciuitatis gaudia recipiant.] His auctoritatibus innituntur, qui sufficere contendunt Deo confiteri peccata sine Sacerdote. Dicunt enim, quòd si quis timens detegi culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel alij suo exemplo ad peccandum accingantur, & ideò tacet homini, & reuelat Deo, consequitur veniam.

Quòd non sufficit soli Deo confiteri si tempus adsit, si tamen homini possit.

D *Iac.5.d.* SEd quòd Sacerdotibus confiteri oporteat, non solùm illa auctoritate Iacobi, Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. sed etiam aliorum pluribus testimoniis comprobatur. Ait enim Augustinus.[Iudicet seipsum homo voluntariè, dum potest, & mores conuertat in melius: ne cùm iam non poterit, præter voluntatem à Domino iudicetur, & cùm in se pertulerit seuerissimæ medicinæ, sed tamen vtilissimæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi claues ministrantur Ecclesiæ. Tanquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, in offerendo sacrificio contriti cordis deuotus, & supplex. Id tamen agat, quòd non solùm sibi prosit ad salutem, sed etiam ad exemplum cæteris: vt si peccatum eius non modò in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitiam multorum, vel totius plebis, agere pœnitentiam non recuset: nec lethali plagæ per pudorem addat tumorem.] [Cùm tanta est plaga peccati & impetus morbi, vt medicamenta corporis, & sanguinis Domini differenda sint, auctoritate Antistitis, debet se quisque remouere ab altari ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari.] Item Leo Papa. [Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non modò per Baptismum, sed etiam per Pœnitentiam spes vitæ repararetur. Sic diuinæ voluntatis præsidiis ordinatis, vt indulgentiam Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeant obtinere. Christus enim hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.] Item Augustinus. [Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat: repræsentet vitam suam Deo per Sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confessionem. Præcepit enim Dominus mundandis, vt ostenderent ora Sacerdotibus: docens corporali præsentia confitenda peccata, non per scripta, aut nuncium manifestanda. Dixit enim *ora monstrate*: & omnes, non vnus pro omnibus, non alium statuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus Deo à Moyse statutum: sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, vt nemo pœniteret in occulto. In hoc enim, quod per seipsum dicit Sacerdoti,

In ho. 50. quæ est de vtilitate, ac necessitate pœn. c. 11. tom. 10. & de pœn.dist. 1.In actione.

In epist. ad inquisitiones Ianuarij, quæ est 118.cap.3. Epist.91. De pœ. dist. 1.c. Multiplex.

*Lib. de vera, & falsa pœn.cap.10. tom.4.& de pœn.dist. 1. cap.*Quem pœnitet.

Luc.17.d. Leu. 13.& 14.

doti, & erubescentiam vincit, timore Dei offensi fit venia criminis. Fit enim veniale per confessionem, quod criminale erat in operatione: & si non statim purgatur, fit tamen veniale quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum, quæ commisit, nuncio Dei negauit. Deus enim qui misericors, & iustus est, sicut seruat misericordiam in iustitia, ita & iustitiam in misericordia. Opus enim misericordiæ est peccanti peccata dimittere: sed oportet vt iustus misereatur iustè. Considerat enim si dignus est, non dico iustitia, sed & misericordia. Iustitia enim sola damnat, sed dignus est misericordia, qui spirituali labore quærit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubescentiam. Et quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. Vnde patet, quia quanto pluribus confitebitur in * spe veniæ turpitudinem criminis, tantò faciliùs consequetur gratiam remissionis. Ipsi enim Sacerdotes plus possunt proficere, plus confitentibus parcere.] Item Leo Papa. [Quamuis plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium sunt huiuscemodi peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicari: remoueatur improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut timent inimicis sua facta reserare, quibus possunt legum percelli constitutione. Sufficit enim confessio, quæ primùm Deo offertur, & tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.] Ex his, aliísque pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primùm, & deinde Sacerdoti offerri confessionem; nec aliter posse perueniri ad ingressum Paradisi, si adsit facultas.

Quod criminale fit veniale.

* *Aliàs tépore.*

Leo in epistol. quæ est in ordine, epistola eius 80. & de pœn. dist. 1. c. Quãuis.

De tertio articulo, scilicet an sufficiat confiteri laico?

NVnc priusquam præmissis auctoritatibus, quæ his contradicere videntur, respondeamus, tertiam quæstionem intueamur. Quod enim secunda quæstio continebat, scilicet an sine confessione, & iudicio Sacerdotis soli Deo confiteri sufficeret, expeditum est: & certificatum præmissis testimoniis, quod non sufficit confiteri Deo sine Sacerdote, nec est verè humilis, & pœnitens, si non desiderat & requirit Sacerdotis iudicium. Sed nunquid æquè valet alicui confiteri socio, vel proximo suo, saltem cùm deest Sacerdos? Sanè ad hoc potest dici, quòd Sacerdotis examen requirendum est studiosè: quia Sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi, atque soluendi. Et ideò quibus ipsi dimittunt, & Deus dimittit. Si tamen defuerit Sacerdos, proximo, vel socio est facienda confessio. Sed curet quisque Sacerdotem quærere, qui sciat ligare, & soluere. Talem enim esse oportet, qui aliorum crimina diiudicat. Vnde Augustinus, [Qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem, qui sciat ligare, & soluere: ne cùm negligens circa se extiterit, negligatur ab eo, qui eum misericorditer monet, & petit: ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit. Tanta itaque vis confessionis est, vt si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpè enim contingit, quòd pœnitens non potest verecundari coram Sacerdote, quem desideranti nec tempus, nec locus offert. Etsi ille, cui confitebitur, potestatem non habeat soluendi, fit

E

Quæstio.

Solutio.

Matth. 16. c

Lib. de vera & falsa pœnit. c. 10. in medio eiusdẽ. Tom. 4. & de pœnit. dist. 1. cap. Quẽ pœn. Luc. 17. d

tamen dignus venia Sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio. Mundati enim sunt leprosi, dum ibant ora, vel se ostendere Sacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Vnde patet Deum ad cor inspicere, dum ex necessitate prohibentur ad Sacerdotes peruenire. Sæpè quidem quærunt eos sani, & læti: sed dum quærunt, antequam perueniant, moriuntur. Sed misericordia Dei vbique est: qui & iustis parcere nouit, etsi

Ibid.c.11. non tam citò, sicut si soluerentur à Sacerdote. Qui ergo confitetur Sacerdoti, omnino meliori, quàm potest confiteatur: & si peccatum oc-

Matth.9.c Marc.5.c Luc.8. cultum est, sufficiat referre in notitiam Sacerdotis. Nam in resurrectione filiæ Archisynagogi pauci interfuerunt, qui viderunt: nondum enim erat sepulta: nondum extra portam delata, nondum extra domum in notitiam portata. Intus resuscitauit, quam intus inuenit, relictis solis, Petro, & Iacobo, & Ioanne, & patre, & matre puellæ, in quibus figuraliter continentur Sacerdotes Ecclesiæ. Quos autem extrà inuenit, aduertendum

Lucæ 7.b Ioan.11.d est quomodo suscitauit. Flebat enim turba post filium viduæ; fleuit Martha, & Maria supplicantes pro fratre: flebat & turba Mariam secuta. In quo docemur publicè peccantibus non proprium, sed Ecclesiæ sufficere meritum.

August.ibi. cap.11. Laboret ergo pœnitens in Ecclesia esse, & ad Ecclesiæ vnitatem tendere. Nisi enim vnitas Ecclesiæ succurrat, nisi quod deest peccatori, sua oratione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum est enim, quòd omnes orationes, & eleemosynæ Ecclesiæ, & opera iustitiæ, & misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam ad conuersionem. Ideóque nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat vnitas Ecclesiæ. Ideóque nemo petat Sacerdotes per aliquam culpam ab vnitate Ecclesiæ diuisos. Ex his satis aperitur, & absoluitur præmissæ quæstionis articulus. Quærendus est enim Sacerdos sapiens, & discretus, qui cum potestate simul habeat iudicium: qui si fortè defuerit, confiteri debet socio. Beda verò inter confessionem venialium & mortalium di-

Super epist. Iac.5.d stinguit super illum locum, *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ait enim, [Coæqualibus quotidiana & leuia, grauiora verò Sacerdoti pendamus, & quanto iusserit tempore purgare curemus: quia sine confessione emendationis, peccata nequeunt dimitti.] Sed & grauiora coæqualibus pandenda sunt, cùm deest Sacerdos, & vrget periculum. Venialia verò, etiam Sacerdotum oblata copia, licet confiteri coæquali, & sufficit, vt quibusdam placet; si tamen ex contemptu non prætermittatur Sacerdos. Tutius est tamen, & perfectius vtriusque generis peccata Sacerdotibus pandere, & consilium medicinæ ab eis quærere, quibus concessa est potestas ligandi, & soluendi.

Hîc aperit qualiter supradictæ auctoritates intelligendæ sunt.

F

CVm ergo ex his, aliísque pluribus testimoniis perspicuum fiat, & indubitabiliter constet, peccata primùm Deo, deinde Sacerdoti esse

De pœnit. dist.1.cap. Quos aliquando, ad finem. confitenda; & si ipse defuerit, etiam socio. Illud Ioannis Chrysostomi superiùs positum non est ita intelligendum, vt liceat alicui, si tempus habeat, Sacerdoti non confiteri: sed quia sufficit vbi crimen occultum est, soli Deo per Sacerdotem dicere, & semel. Nec oportet publicari coram multis, quod occultum est. Quod notauit dicens, Non tibi dico, vt te prodas in publicum. Sicut enim publica noxa publico eget remedio,

ita

ita & occulta secreta confessione, & occulta satisfactione purgatur. Nec necesse est, vt quod Sacerdoti semel confessi sumus, iterum confiteamur: sed lingua cordis, non carnis, apud verum Iudicem id iugiter confiteri debemus. Vnde idem Ioannes ait, [Nunc autem si recorderis peccatorum tuorum, & frequenter ea in conspectu Dei pronuncies, & pro eis depreceris, citiùs illa delebis. Si verò obliuiscaris, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur, & in conspectu omnium amicorum, & inimicorum, sanctorúmque Angelorum proferentur.] Ita etiam illud Ambrosij, Lachrymæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri: ad publicam pœnitentiam referendum est. Ibi enim virtutem lachrymarum, & confessionis ostendens significare voluit, quod lachrymæ occultæ, & confessio secreta, sicut quæ fit soli Sacerdoti, lauant delictum, quod pudet aliquem publicè confiteri. Quod verò dicit se lachrymas Petri legisse, non satisfactionem, vel confessionem, per hoc non excludit illa. Multa enim facta sunt, quæ scripta non sunt: & fortè nondum facta erat institutio confessionis, quæ modò est. Similiter, & illud Prosperi, Si sui iudices fiant, mutabunt æterna supplicia: & illud, Faciliùs Deum placabunt sibi, qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus aliis in se sententiam excommunicationis ferunt: ad publicam confessionem & satisfactionem referri oportet. Non enim solis Sacerdotibus ius ligandi, atque soluendi datum est, si cuique suo arbitrio se pœna, vel excommunicationis sententia ligare, & absque sacerdotali iudicio seipsum Deo, vel altari reconciliare licet: quod Ecclesiasticæ institutioni, & consuetudini penitus repugnat. Potiùs ergo, si publicè peccasti, publicè confitere te reum, & emenda. Si verò occultè deliquisti, etiam si non taceas: nec tamen dico vt publices. Taciturnitas enim peccati ex superbia nascitur cordis. Ideò enim peccatum suum qui celat, ne reputetur foris, qualem se iam diuino conspectui exhibuit: quod ex fonte superbiæ nascitur. Species enim superbiæ est, se velle iustum videri, qui peccator est: atque hypocrita conuincitur, qui instar primorum parentum vel tergiuersatione verborum peccata sua leuigare contendit, vel sicut Cain peccata sua reticendo supprimere quærit. Vbi ergo superbia regnat, & hypocrisis, humilitas locum non habet. Sine humilitate verò alicui veniam sperare non licet. Vbi est ergo taciturnitas confessionis, non est speranda venia criminis. Iam certissimè liquet, quàm sit detestabile peccati silentium, & è conuerso quàm sit necessaria confessio. [Est enim confessio testimonium conscientiæ Deum timentis. Qui enim timet iudicium Dei, peccatum non erubescit confiteri. Perfectus timor soluit omnem pudorem: confessio peccati pudorem habet, & ipsa erubescentia est grauis pœna. Ideóque iubemur confiteri peccata, vt erubescentiam patiamur pro pœna: nam hoc ipsum pars est diuini iudicij.] Si ergo quæritur, an confessio sit necessaria, cùm in contritione iam deletum sit peccatum? Dicimus, quia quædam punitio peccati est, sicut satisfactio operis. Per confessionem etiam intelligit Sacerdos, qualiter debeat iudicare de crimine. Per eam quoque peccator fit humilior, & cautior.

Loco prius citato. *De pœn. dist. 1. cap.* Nüc auté. *De pœn. d. 1. cap.* Lachrymæ. *Ioan. vlt. g.* *Hesychius sup. Leu. & alleg. de pœnit. d. 1. c.* Item taciturnitas. *Gen. 4. f.* *Ioan. Chr. in opere imperf. circa illud.* *Matth. 3.* Baptizabátur ab eo confit. *Ad quid valeat confessio.*

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm necessarium sit ad salutem peccatori confiteri sua peccata omnia suo Sacerdoti?

Alens. 4. *part. quæst.70. per totum.* D. Bonau. *hîc* 1. *part. art.*1. *quæst.*4. *&* 3. *part. art.*1. *quæst.*1. Rich. *art.*2. *quæst.*1. D. Thom. *quæst.*3. *art.*2. Suar. *tom.*4. *disp.*17. *sect.*2. *& disp.*21. *&* 35. Bellarm. *lib.*3. *de pœn. per totum.* Coccius *in thes. cathol. tom.*2. *lib.*7. *art.*3. *citans Patres Græcos & Latinos.*

1 *Argum.*1. CIRCA istam distinctionem decimam septimam quæro hanc quæstionem, Vtrùm necessarium sit ad salutem peccatori confiteri sua peccata omnia suo Sacerdoti? Videtur quòd non. Ambrosius super illud *Luc.*22. vbi habetur, quòd Petrus post negationem Christi fleuit amarè, dicit sic: *Lachrymæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri. Lachrymas Petri lego: satisfactionem non lego.*

*Argum.*2. *Psalm.* 31. Item, super illud Psalm. *Dixi confitebor*, &c. dicit Cassiodorus: *Dixi, id est, apud me deliberaui, quòd confitebor: & tu remisisti, sequitur; magna misericordia Dei, quòd ad solam promissionem dimittit peccatum.*

*Argum.*3. Item, Augustinus ibidem. *Nondum pronuntiat, sed promittit pronuntiaturum, & Deus remittit.*

*Argum.*4. Item, Ezech.18. *Quacunque hora peccator ingemuerit, vita viuet.* Ad hoc etiam ponuntur aliæ auctoritates hîc in littera de Lazaro, *Ioan.* 11. quia priùs resuscitatus est, quàm solutus ab instițis, & de leprosis *Luc.*17.

*Argum.*5. *Matth.*19. *Luc.* 18. Item, per rationem, sola præcepta Decalogi sunt necessaria ad salutem, iuxta responsionem Christi Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* & alibi, *Mandata nosti, hæc fac, & viues:* ergo si confessio esset simpliciter necessaria, contineretur sub aliquo decem mandatorum Decalogi: sed non continetur, quia huiusmodi præcepta sunt de lege naturæ, & ad minùs ligabant tempore legis Mosaicæ: sed nec in lege naturæ, nec in lege Mosaica erat obligatio confitendi sua peccata homini.

2 Item, nullus obligatur ad impossibile: sed mutus non potest loqui.

*Argum.*6. Item, omnis extraneus inter illos, quibus est barbarus, est mutus: ergo non tene-

*Argum.*7. tur confiteri.

*Argum.*8. Item, non habens Sacerdotem præsentem, non potest ei verbo tenus confiteri, patet. Nec tenetur per scriptum, quia super hoc non inuenitur præceptum editum.

*Argum.*9. Item, nullus tenetur mentiri, imò ex lege diuina non mentiri, saltem perniciosè: sed habens conscientiam, quòd per totam suam vitam vixit innocenter, & sine peccato mortali, si confiteretur se peccasse saltem mortaliter, mentiretur: ergo, &c.

Rat. opposit. Contrà, Iac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* & in Decretis de pœn. dist.1. adducuntur multæ auctoritates, quas etiam Magister ponit in littera. Vna est Ambrosij. *Non potest quisquam iustificari à peccato, nisi antè fuerit peccatum confessus.* Item Augustinus. *Nemo dicat sibi, occultè ago pœnitentiam: nouit Deus, quia in corde ago.* Sequitur; *ergo sine causa dictum est, quæ solueritis super terram, erunt soluta in cælo: & sine causa claues datæ sunt: verbum Christi frustramus.* Et idem super illud Psalm. *Non absorbeat me profundum; puteus est profunditas iniquitatis, in quem si cecideris, non claudet super te os suum, si tu non clauseris os tuum.*

In libro de Paradiso. *In libro de pœnitentia.* *Psalm.* 61.

SCHOLIVM.

Explicat quid est Ius naturale, & diuinum, positiuum, ac Ecclesiasticum, & docet præceptum confessionis non esse Iuris naturalis, aliàs esset in omni statu. Arguit fuisse in lege Moysi, & esse consonum legi naturæ, & clarè soluit obiecta.

3 IN ista [a] quæstione tria videnda sunt. Primò, quo præcepto tenetur quis ad confessionem peccati sui faciendam Sacerdoti. Secundò, quid includit istud præceptum de confessione. Tertiò, quid circa illud est per præceptum Ecclesiæ explicatum. De primo ad propositum non possumus inuenire præceptum, quo teneatur quis ad confessionem, nisi Iuris naturalis, vel positiui, & hoc, vel diuini, vel Ecclesiastici. Illud autem est verum de Iure naturali, cuius veritas est nota ex terminis, & tale est principium

principium in lege naturæ, sicut & in speculabilibus principium notum est ex terminis, siue quod sequitur euidenter ex tali vero sic noto, cuiusmodi est conclusio practica demonstrata: & strictè loquendo nihil aliud est de lege naturæ, nisi principium, vel conclusio demonstrata: sic tamen extendendo quandoque dicitur illud esse de lege naturæ, quod est verum practicum consonum principiis, & conclusionibus legis naturæ, intantùm, quòd statim notum est omnibus illud conuenire tali legi. *Quod est consonū Iuri naturali, dicitur de lege naturæ, 3.d.37.*

Et ex hoc patet, quòd non rectè loquitur Gratianus de Iure legis naturæ, volens illa, quæ sunt in Scriptura veteris, vel noui Testamenti de lege naturæ esse: quia nec illa omnia sunt principia practica nota ex terminis, nec conclusiones practicæ demonstratæ: nec vera euidenter consona talibus principiis, & conclusionibus: exponendus ergo est, quòd extendit Ius naturale ad Ius positiuum ab auctore naturæ, vt distinguitur conrra Ius positum ab aliquo, qui non est auctor naturæ. *In decretis d.1. humanum.*

Secundum membrum, scilicet de lege positiua diuina, patet ex prædictis. Quæcumque enim continentur in Scriptura pro tempore, pro quo sunt obseruanda, & tamen non sunt nota ex terminis, nec demonstrabilia ex ralibus notis, nec statim consona talibus veris euidenrer, sunt merè de Iure positiuo diuino, cuiusmodi sunt omnes cæremoniæ Iudæorum pro tempore illius legis, & Christianorum pro tempore legis nostræ: nec enim est notum ex terminis, nec demonstratum, nec euidenter consonum talibus, quòd Deus sit colendus in immolationibus * bestiarum veteris legis, & hoc pro quocumque tempore: nec quòd sit colendus in cæremoniis nostris, puta in oblatione Eucharistiæ, vel cantu Psalmorum, licèt ista sic sint consona legi naturæ, quòd non repugnent. 4 *Quid lex diuina positiua?* **Aliàs hostiarum.*

Hoc etiam patet, quia illa, quæ sunt de lege naturæ, siue propriè, siue extensiuè, semper sunt vniformia: non sic huiusmodi cæremoniæ, quæ erant aliæ pro tempore alterius legis. *Cæremoniæ noua, & antiquæ nō sunt de Iure naturæ.*

Tertium membrum patet, quia vltra Ius positiuum diuinum, quod continetur in Scriptura diuina, Ecclesia statuit multa; & propter obseruantiam honestiorem in moribus, & propter reuerentiam maiorem in suscipiendis, & dispensandis Sacramentis.

Ad propositum dico, quòd non tenetur quis præcepto legis naturæ ad confessionem peccati, de qua quæritur: quia tunc hæc obligatio fuisset pro statu, vel tempore cuiuscumque legis, quod falsum est, quia nec erat in statu innocentiæ, nec in statu legis Mosaïcæ. 5 *Cōfessio non est de lege naturæ.*

Sed contra hoc obiicitur per Glossam super illud Genes. 3. *Adam vbi es? vox est*, inquit, *increpantis, & confessionem inquirentis*, &c. ergo fuit confessio in rempore legis naturæ post lapsum. Similiter de Aaron, & filiis eius legitur in Leuit. quòd debuerunt confiteri peccata filiorum Israël: & frequenter dicitur in lege, quòd qui peccasset, deberet confiteri peccatum suum, & offerre rale, vel tale sacrificium. *Cap. 16. & inde.*

Hoc etiam confirmatur, quia in veteri Testamento mulræ sunt auctoritates de confessione facienda; sicut illud, *Iustus prior accusator est sui*, & huiusmodi. *Prou. 18.*

Item, quòd sit conclusio sequens ex principiis legis naturæ probatur, quia hæc est nota, quòd quilibet reus debet iudicari: & ista, quòd nullus debet esse iudex in causa propria: ergo reus debet iudicari per alium: non potest iudicari per alium, nisi accusetur illi alij: nec potest accusari, nisi à seipso, si peccatum suum sit occultum: ergo debet seipsum accusare alij, à quo iudicetur: & magis est consonum rationi, quòd in secreto quàm in publico, si peccatum sit occultum: imò forrè satis notum ratione naturali, si peccatum sit occultum, quòd accusatio debet esse occulta: ergo ex propositionibus notis legis naturæ, vel saltem valdè euidenter consonis, sequitur confessionem istam secretam proprij peccati esse faciendam alij: & tunc nulli rationabiliùs quàm Sacerdoti. *Arguit ratione cōfessionem esse Iuris naturæ.*

Respondeo ad primum argumentum, quòd Adam non debuit peccatum suum occultasse Deo, quia ipse est iudex, cui manifestum est omne peccatum, & coram quo quilibet reus debet recognoscere peccatum suum: & hanc confessionem Deus requisiuit ab eo, quam non solùm non fecit, sed peccatum suum excusauit retorquendo in mulierem, dixit, *Mulier quam dedisti mihi*, &c. Vnde illud non concludit, quòd in illa lege esset confessio facienda homini, licèt esset facienda Deo increpanti. 6

Ad secundum, in tota lege Mosaïca non fiebat ista confessio, de qua loquimur, sed de peccatis occultis tantùm Deo fiebat confessio: de quibusdam tamen defectibus publicis, & obseruantia Legalium, fiebat confessio, & vniuscuiusque, quando scilicet obtulit pro tali delicto sacrificium: & generalis confessio Sacerdotis pro *Quæ confessio fiebat à Sacerdote in lege Moysi.*

populo

Psalm.105. Num.21. populo erat ista, *Iniustè egimus, peccauimus*, & huiusmodi. Et isto modo publica confessio Sacerdotis erat quædam dispositio ad petendam misericordiam Dei populo, sicut & modò in Ecclesia, non confessione ista, de qua loquimur, confitemur nos peccasse, & petimus misericordiam, & nobis, & toti populo.

Ad tertium dico, quòd omnes auctoritates de veteri Testamento ad probandum confessionem, sicut hîc loquimur, sunt tantùm vocales, non sententiales.

7 *Cap. 2. & inde.* De qua ergo confessione loquuntur? Respondeo, de illa generali, quam fecerunt Sacerdotes, & Daniel, & multi alij viri sancti; vel de illa confessione delicti sui publici proprij in obseruatione Legalium, vt sunt illæ irregularitates in contrahendo immunditias legis.

Peccatorem iudicari est Iuris naturalis. Ad rationem illam, concedo quòd ista est nota lumine naturali, vel saltem valde consona propositioni notæ, quòd reus est iudicandus, quia nullum delictum relinquendum est impunitum in vniuerso, si est vnus rector vniuersi iustus; quod est notum naturaliter, vel valde consonum notis naturaliter. Sed vltrà, quòd iudicandus sit ab alio iudicandus, concedo: sed quis est iste filius? Non est notum per rationem naturalem, nec per aliqua consona rationi naturali, nisi de eo, qui est retributor meritorum, & punitor peccatorum. Et tunc vltrà, cùm dicitur, ille alius non potest iudicare, nisi sibi fiat accusatio; potest negari, quia ipse peccata nouit etiam antequam fiant sine omni accusatione. Vel esto quòd detur ibi tanquam consona notis, quod isti iudici debet culpa accusari, & ab ipso peccante, quia ipse solus scit. Ex omnibus istis non sequitur, nisi quòd peccator debet Deo confiteri, & concedo fuisse de lege naturæ confessionem talem, id est, consonam veris notis ex lege naturæ: quia pro omni statu post lapsum, iusti qui habuerunt fidem de Deo, quòd erat rector vniuersi iustus, postquam peccauerunt contra Dei legem, confitebantur Deo peccata sua, petentes ab eo remissionem, scientes eum sine tali remissione tanquam iustum iudicem vindicaturum de ille peccato.

8 *Peccantem iudicari debere ab homine nō est Iuris natura.* Sed si arguas, quòd alicui alij homini debet se accusare, qui sit iudex eius; istud non potest probari per nota legis naturæ: nec etiam est eis euidenter consonum, quia nullus homo potest esse iudex peccati hominis, nisi vt minister summi iudicis: hoc autem modo, scilicet esse ministrum iudicis in vindicando, vel puniendo peccatum commissum, magis concessum est vnicuique respectu sui, quàm vni respectu alterius. Vnicuique enim commisit Deus, vt sit minister Dei in vindicando peccatum proprium, in infligendo sibi disciplinam, & tristitiam pro illo peccato, non sic autem notum est quòd concesserit alicui respectu alterius.

Et si arguas, quòd in Republica humana vnus est iudex alterius. Respondeo, verum est de illis, quæ possunt sibi innotescere in illo iudicio, cuiusmodi sunt publica.

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione agit Magister de confessione. Eandem materiam comprehendit Doctor vnica quæstione, in qua necessitatem confessionis, & modum explicat.

1 *Ordo quæstionis.* a *In ista quæstione tria videnda sunt*, &c. Agit primò de præcepto confessionis. Secundò quid includat. Tertiò de præcepto Ecclesiastico. Supposita itaque diuisione præcepti in naturale, & positiuum, docet legem naturalem in triplici acceptione sumi, videlicet pro primis principiis. Secundò pro conclusionibus necessariò sequentibus. Tertiò pro consono his, atque illis. Præterea docet confessionem non esse in præcepto legis naturæ, quia in lege veteri non fuit, in qua tantùm fiebant confessiones generales, non verò sacramentales, & illæ fiebant humilitatis, nō informationis gratia, aut tanquā actus iudicio subordinatus, vt se habet confessio sacramentalis.

SCHOLIVM.

Posita & refutata sententia glossatoris de pœn dist. 5. princip. scilicet praeceptum confessionis esse tantùm Iuris Canonici, decidit esse Iuris diuini positiui; & probat ex Ioan. 20. Quorum remiseritis, &c. *iuncto illo præcepto*, Diliges Dominum Deum tuum, & te ipsum. *& esto ex his verbis secundùm se, non probaretur euidenter necessitus confessionis, sufficit quòd ex eis iuxta Ecclesiæ sensum colligatur. Vide alia Scripturæ loca, & Patrum, ac Conciliorum dicta, de hoc, apud Bellarm. lib. 3. de pœnit. per totum. & latiùs apud Coccium citatum.*

9 *Præceptum de confessione non esse tantùm de Iure Canonico.* SI tertium [b] membrum teneatur, scilicet quòd confessio non cadit, nisi sub præcepto Ecclesiæ, non potest faciliter improbari, nisi quia vel Ecclesia non attentasset tam arduum præceptum imponere omnibus Christianis, nisi esset præceptum diuinum,

diuinum, vel quia non inuenitur vbi ab Ecclesia imponatur istud præceptum, quin ante hoc Sancti reputarent hoc præceptum de confessione obligare. Si enim allegatur illud capitulum *Extra de pœnitent. & remis. Omnis vtriusque sexus.* patet quòd illud est Innocentij III. in Concilio Lateran. Ante autem illud tempus per multos annos fuit Augustini, plus quàm per octingentos annos, qui prædicauit confessionem valde esse necessariam: vt patet *in libro suo de vera, & falsa pœnitentia*, & auctoritates quædam illius ponuntur *hîc in littera*, quædam *in Canone, de pœnitentia distinct. sexta.* Nec Canonista facilè inueniret aliquod Concilium, vel præceptum propriè, vbi exprimatur præceptum de confessione facienda, sicut hîc loquimur. Hanc tamen opinionem tenet glossator *de pœnitent. distinct. quinta in principio*, vbi priùs diuersas opiniones recitat de pœnitentia, & pòst subdit suam, dicens; *Meliùs dicitur eam institutam à quadam vniuersali Ecclesiæ traditione, potiùs quàm ex nouo Testamento, vel veteris auctoritate.*

Sed salua gratia sua, irrationaliter loquitur. Turpe enim esset Theologo dicere aliquid esse in Biblia, & nescire vbi illud inueniretur: & ita inconueniens debet esse Canonistæ dicenti aliquid esse ex vniuersali traditione Ecclesiæ, & non inuenire in Canone, si Canon sufficienter continet vniuersales traditiones Ecclesiæ: non allegat autem aliquod capitulum Canonis ad istam traditionem, sed tantùm pòst subdit quòd traditio Ecclesiæ est obligatoria, & ad hoc allegat *art. 11. dist.* in his rebus.

Item, si hæc opinio vera esset, videretur quòd Papa non teneretur confiteri, quia 10
sicut habetur *Extra, de verborum signific. Exiit qui seminat.* non habet imperium par in parem. Item, non videretur, quòd infideles tenerentur ad præceptum de confessione, quia secundùm Apostolum 1. Corinth. 5. *Quid mihi est de his, quæ foris sunt iudicare?*

Tamen vnum argumentum innuit glossator pro sua opinione tale, confessio non est necessaria apud Græcos: esset autem necessaria si præceptum de ea esset ex auctoritate sacræ Scripturæ: sed antecedens non est manifestum: necessarium enim est apud eos Baptisma fluminis, sicut & nobis tanquam prima tabula: sic etiam pœnitentia videtur, imò Sacramentum pœnitentiæ, vt secunda tabula.

Et si probatur antecedens, quia non est apud eos consuetudo confitendi. Respondeo multas laudabiles consuetudines omiserunt, ex quo ab Ecclesia recesserunt, & istam non solùm laudabilem, sed etiam necessariam potuerunt omittere. Nec necessariò istius actus inducit consuetudinem: nec est istud quod ipse accipit pro antecedente, scilicet quòd Græci non teneantur confiteri ita notum inter eos, sicut ipse dicit: quin imò nec notum quòd non confiteantur. Nec hoc alicubi aliquis Doctor scribens contra alias abusiones eorum, expressit, cùm tamen fuisset notabilis discordia ab Ecclesia Romana, si in hoc discordarent, notabilior, scilicet quàm conficere in fermentato, vel vti hac forma, *baptizetur seruus Christi*; de quibus non tacetur à Latinis.

Multa laudabilia omiserũt Græci postquã defecerunt ab Ecclesia Romana.

Breuiter, videtur rationabilius tenere secundum membrum, scilicet quòd confes- 11
sio cadat sub præcepto diuino positiuo. Sed tunc oportet videre an explicitè habeatur in Euangelio à Christo immediatè, quia patet quòd non in veteri lege, an ab ipso explicitè in aliqua doctrina Apostolica, an nec sic, nec sic; sed dato à Christo, & voce tenus ab Apostolis Ecclesiæ promulgato. Primum istorum esset magis conueniens tenendum, si posset euidenter haberi istud præceptum ex Euangelio. Nec oportet ad hoc adducere illud Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni cælorum:* quia non est nisi promissio de datione futura. Si autem aliquid in Euangelio valet ad hoc, videtur illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata*, &c.

Præceptum confessionis esse iuris diuini.

Ex hoc arguitur vno modo sic; hîc data est potestas Apostolis, & in eis omnibus Sacerdotibus remittendi peccata; non principaliter, quia hoc est proprium Dei: ergo ministerialiter, & arbitratiuè, sed non possunt arbitrari in causa ignota: ergo est eis manifestanda causa, in qua debent arbitrari. Hæc manifestatio est confessio: ergo ex ista collatione potestatis arbitrariæ, Sacerdotibus in causa peccati obligatur peccator ad accusandum se eis tanquam arbitris, quod est confiteri.

Probatur ex Ioann. 20. Quorum remiseritis, &c.

Si dicatur, quòd ratio benè concludit, quòd Sacramentum pœnitentiæ est institutum à Christo tanquam vtile, & efficax: non tamen sequitur ex hoc, quòd sit necessariò recipiendum, vt cadens sub præcepto: quia extrema vnctio est instituta à Christo, & confirmationis Sacramentum, vt dictum est suprà, & tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de isto, vel illo recipiendo: & tunc ad formam argumenti, sunt arbitri in causa peccati, ergo alij debent se illis accusare; verum est, illi qui volunt se eorum arbitrio submittere, & si submittant, ipsi habent benè potestatem

Vnctionem, & Cõfirmationem non esse sub præcepto, ita D. Thom.

3.p.q.65. art.4. ad 3. & q.72.artic.1. ad 3. Vide ſupr. d.7.q.2.

teſtatem arbitrandi: ſed non ſequitur, ergo alij neceſſitate præcepti tenentur ſe ſubmittere eorum arbitrio. Exemplum, quatuor ſunt Sacerdotes, quorum quilibet habet auctoritatem abſoluendi iſtum peccatorem, quilibet eſt complete arbiter eius quantùm ad poteſtatem: non tamen tenetur ſe ſubmittere cuilibet, ſed vni tantùm, cui voluerit.

12 Et hoc confirmatur per hoc, quod Chriſtus ſubiunxit: *Et quorum retinueritis, retenta ſunt*; illud verbum non eſt præciſum: non ſolùm enim illa peccata retenta ſunt à Deo peccatori ad pœnam, quæ retenta ſunt à Sacerdote, quia Sacerdos non retinet aliqua, niſi aliquo modo ſibi accuſata, licèt ſignis indebitis pœnitentiæ: & tamen illa, quæ nullo modo ſunt oſtenſa Sacerdoti, Deus retinet ad vindictam gehennæ: ergo nec iſtud verbum, *Quorum remiſeritis, remittuntur*, erit præciſum. Vnde neutri affirmationi adiunxit negatiuam denotantem remiſſionem factam ab Apoſtolis, vel retentionem eſſe præciſam reſpectu retentionis, vel remiſſionis à Deo faciendæ.

Licèt hæc reſponſio videatur multùm probabilis, excludendo rationem præcepti ab iſto verbo Ioan. 20. *Quorum remiſeritis*, &c. tamen excludendo eam oſtenditur propoſitum dupliciter. Primò ſic: nulli committitur poteſtas iudiciaria, vel arbitraria, niſi alicui imponatur neceſſitas ſubmittendi ſe ſibi: ſed Sacerdoti per te committitur huiuſmodi poteſtas in cauſa peccati: ergo alicui vt reo imponitur neceſſitas ſubmittendi ſe arbitrio eius, & hoc per idem. Maior probatur, quia nullus eſt iudex alicuius, in cuius ſcilicet iudicandi voluntate eſt iudicari ab iſto iudice, vel non iudicari: tunc enim iſte nullam auctoritatem iudicandi haberet, ſi iſte poſſet iudicari, ſi voluerit, & non iudicari, ſi noluerit. Ad quid enim eſt poteſtas iudiciaria apud aliquem, niſi vt ius dictet in illum, qui tenetur parere Iuri? tantummodò enim iudicare per modum punitionis, ſi tu velis, non eſt iudicare. Sed nec iſtud cogit. Concedo enim quòd iſte arbiter non tantùm habet, vt poſſit dictare Ius in cauſa iſta: ſed ex quo alius ſubmittit ſe ſibi, ſua dictatio ligat, vel ſoluit iſtum: non ſic autem dictatio alicuius ſcientis ius, & non habentis poteſtatem iudiciariam.

An præceptum confeſſionis liget ex illo Diliges Dominum Deũ tuũ, *vel ex illo* Diliges teipſum. *Requiritur tamen imperfecta attritio cum abſolutione, ex d.14.q.1. & q.2.n.13. clariùs q.4. n.7.*

13 Aliter[c] ergo arguo ſic: Quicumque primam gratiam amiſit, tenetur de neceſſitate præcepti, & hoc illius, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. agere quantum in ſe eſt ad eius recuperationem, & etiam virtute illius præcepti, *Diliges teipſum:* ſed iſte peccator in peccato mortali amiſit primam gratiam, & poteſt eam recuperare ſuſcipiendo Sacramentum Pœnitentiæ ab illo arbitro, quia hoc eſt inſtitutum, vt remedium efficax ad recipiendum primam gratiam, ex illo verbo Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. & ſic concluditur neceſſitas præcepti confeſſionis non ex iſto verbo tantùm, *Quorum remiſeritis*, &c. ſed ex iſto, & illo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. ſimul iuncto.

Si dicas, quòd maior eſt vera, quòd tenetur ad aliquam viam, per quam poſſit recuperare, ſed non ad iſtam determinatè; ſi alia ſit poſsibilis: nunc autem, licèt ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ ſit via vtilis, tamen eſt etiam alia vtilis, quia non probatur iſtam eſſe præciſam ad illam recuperandam. Contra hoc, nulla alia eſt ita facilis, & ita certa. Hîc enim non oportet, niſi non ponere obicem ad gratiam, quod multò minus eſt, quàm habere aliquam attritionem, quæ per modum meriti de congruo ſufficiat ad iuſtificationem, vt dictum eſt *ſuprà diſtinct.* 14.

14 Poteſt etiam aliquis eſſe magis certus, quòd non ponat obicem, quàm quòd habeat attritionem ſufficientem, quaſi per modum meriti de congruo: quia probabiliter poteſt ſcire ſe tunc non peccare actualiter peccato interiori, vel exteriori, & intendere recipere, quod Eccleſia intendit in illo Sacramento conferre: non ſic poteſt ſcire ſe habere attritionem ſufficientem, vt meritum de congruo ad iuſtificationem.

An tenemur ad remedia certiora ſalutis?

Tunc hanc maiorem accipio, vbi eſt via facilior, id eſt, magis in poteſtate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam; ita quòd non omiſſa illa attentet aliam difficiliorem, & incertiorem, quia tunc exponeret ſe periculo ſalutis ſuæ, & videretur eſſe contemptor propriæ ſalutis. Sed illa via ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ eſt magis poſsibilis homini, & certior ad primam gratiam recuperandam: ergo ex illo, vnde iſtud habet efficaciam, & ex illo præcepto dilectionis Dei, & ſuiipſius, tenetur quis ad iſtam.

Iſta ratio, ſi concludat præceptum de confeſsione haberi ex Euangelio ex illo verbo, *Quorum remiſeritis peccata*, &c. & illo, *Diliges Dominum*, &c. benè quidem. Sin autem ſaltem hoc concludit, quòd præceptum de confeſsione facienda eſt valde rationabile pro multitudine: quia etſi aliqua perſona poſsit habere aliquod remedium ſpeciale, tamen de iſto remedio, quod communitati eſt poſsibilius, & certius rationabiliter

biliter datur præceptum etiam omnibus in communitate, vt dictum est *suprà de Baptismo:* quòd licèt aliquis habeat Baptismum flaminis sine Baptismo fluminis: tamen quia Baptismus fluminis est remedium facile, & certum, præceptum de hoc pro tota communitate est valde rationabile, & ita ad minùs habebo, quòd rationabiliter fuisset datum præceptum generaliter de confessione facienda. *Dist. 4. q. 5.*

COMMENTARIVS.

2 b *SI tertium membrum teneatur*, &c. Tertium autem membrum est, confessionem esse tantùm Iuris Ecclesiastici, vt tenuit Glossa *de pœnitentia dist. 5. principio.* Tandem Doctor docet esse præcepti diuini: vt ergo errores etiam cæteros comprehendamus, & varios dicendi modos,

Error hæreticorum. Hæretici huius temporis appellant confessionem humanum inuentum, carnificinam conscientiarum, & fuisse inuentam ab Innocentio III. *cap. Vtriusque sexus*, &c. docent, ac proinde non solùm non esse in præcepto, sed abolendam esse. Aliqui eximunt Lutherum ab hac opinione: condemnat Castro *v. Confessio.* Huius erroris sunt eius discipuli, vt confessio VVitembergensis, Melanchthon, Caluinus, & successores, sicut & antiqui Nouatiani, Massalini, Iacobitæ. Petrus etiam Oxomensis Salamantinus Doctor, vt constat ex Concilio Complutẽsi, quo damnatus fuit. Secunda propositione astruebat contritum non obligari ad confessionem. Alij etiam condemnati variè in hac materia senserunt. *Aliorum planta.* Glossa *in principio d. 5. de pœnitentia*, asserit melius esse credere confessionem tantùm in præcepto ex lege aliqua antiqna Ecclesiæ, aut traditione. Quod probat Panormitanus *in cap. Vtriusque sexus, de pœniten. & remissionibus.* Et Græcos non ligare docet; Erasmus etiam in idem incidit in Scholiis super Epistolam Hieronym. Citatur pro eadem sententia, S. Bonauentura *in 4. d. 17. in 2. part. d. art. 1. q. 3.* dicens confessionem non fuisse positam in præcepto à Christo, sed insinuatam Apostolis, vt ipsi eam authoritate ipsis commissa præciperent. Eadem est sententia Hugonis *lib. 2. de Sacr. part. 14. c. 1.* Hæc insinuatio facta est, vt refert Matth. 4. *Pœnitentiam agite*, non Ioannis 20. Ita etiam Alex. 4. *part. q. 17. m. 3. art. 2.* quamuis asserat esse Iuris diuini, non tamen sub præcepto. Alij asserunt esse Iuris diuini, & sub præcepto, quod tamen neque clarè ex Scriptura colligi vrgent. Ita noster Doctor, hîc, qui illud præceptum rationibus probat. Ioannes de Medina *de confess. q. 2.* Iansenius.

3 *1. Conclusio.* Prima conclusio: Confessio est necessaria Christiano peccatori. Hæc est de fide: patet ex Trid. *sess. 6. cap. 14. sect. 14. cap. 4. & 5.* Docet Origenes *Necessitas cõfessionis, & doctrina fidei astruitur.* hanc necessitatem *super Psal. 37. in hom. 2.* explicans illud, *Quoniam iniquitatem meam pronuntiabo*, &c. Vbi loquitur de Sacramentali. Tertullianus *in lib. de pœnitentia* increpat fugientes exhomologesim, cùm animalia bruta medicinas à natura institutas suo tempore accipiant. Clemens Roman. in epistola ad fratrem Domini hortatur ne quis erubescat confiteri peccatum suum, quo fugiat pœnas ignis. Dion. Areopagita epistola 8. ad Demophilum reprehendit quòd pœnitentem calce protriuerit. *Cùm ille quidem*, inquit, *verecundè quòd oportuit fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse.* Cyprian. *in serm. de Lapsis* reprehendit accedentes ad Eucharistiam in peccatis non præmissa exhomologesi, id est, confessione; & sic reliqui omnes Patres ostendunt necessitatem confessionis.

Secunda conclusio. Est in diuino præcepto positiuo, non solùm naturali, naturale enim eius colligitur ex necessitate, quam omnes Patres demonstrant. Positiuum verò præceptum docet Cyrillus Alexandrinus *lib. 3. in Leuit.* in illa, *Si peccauerit vnum aliquod de istis, pronuntiet peccatum.* Item patet ex Tertull. Cypriano. Eusebius *lib. 6. Hist. cap. 23.* docet Eusebium Papam non permisisse Philippum Imperatorem accedere sine præuia confessione. Item Zepherinus; & habetur 22. *quæst.* 1. Fabianus *Epistola* 2. Leo Papa *Epistola* 89. Definitur in Constantiensi Cõcilio contra VVitclefum *sess.* 8. & in in Bulla Martini V. & in Concilio Complutensi congregato contra Petrum Oxomiensem sub Sixto IV. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. Doctores variè colligunt hoc præceptum. Noster Doctor reducit ad duo principia, quorum alterum est *teneri hominem conuertere se ad Deum post peccatum:* secundum *teneri ad tutiorem viam ineundam, quæ est per Sacramentum.* Ex his duobus locis, *Diliges Dominum Deum, & quorum remiseritis peccata*, &c. dicit congruè, non autem necessariò deduci hoc præceptum, vel recurrendum esse ad Ius diuinum, quod habitum est per traditionem Apostolicam. Aliqui impugnant has rationes; vt Adrianus, Medina, Gabriel: tanquam via Sacramenti esset tutior; quia dubitari potest, si Sacerdos sit ordinatus, aut habeat iurisdictionem. Sed hoc nihil facit ad propositum; quia faciliùs constare potest hoc, quàm aliquem esse verè contritum. Alij vrgent non teneri hominem ad tutiorem viam, sed sufficere ipsi viam tutam, de qua ipsi constare potest moraliter: sed de hoc in superioribus dictum est. Negat Gabriel, Sotus, & alij confessionem esse faciliorem viam, sed ex falso fundamento putantes requiri ad Sacramentum contritionem saltem æstimatam.

4 *2. Conclusio. Esse in præcepto diuino.* *Colligitur à Doctore.* *Congruè ex Scriptura colligitur.* *Et traditione.* *Via Sacramenti tutior est.*

5 S. Thomas *q. 84. a. 7.* dicit hoc præceptum latum fuisse à Christo in principio suæ prædicationis Matth. 4. *Agite pœnitentiam*, &c. sed hoc nõ quadrat, quia præceptum nõ fertur ante institutum Sacramentum, quod factum est *Ioan. 20.* post resurrectionem. *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Aliqui etiam recurrunt ad illud Ioan. 5. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio*, &c. Sotus *dist. 18. quæst. 1. art. 1.* & Paludanus *dist. 17. quæst.* 2. quia ibi agitur de iudicio confessionis secreto. Alij colligunt ex Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis*, &c. verùm ibi fit promissio futuræ potestatis, quæ data est *Ioan.* 20. non autem confertur. Alij colligunt eam ex illo Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata*, &c. quem locum S. Augustinus *lib. 50. homil.* de Sacramentali intellexit, aut eidem accommodauit. Sed alium sensum faciunt illa verba; & quamuis ex iis interpretari præceptum iam positum quis posset: tamen antea *Ioan.* 20. quando institutum

tutum est Sacramentum, & ante Ascensionem latum est à Christo.

Aliqui deducunt hoc præceptum ex potestate retinendi peccata, quæ data est Sacerdotibus. Sed neque hoc vrget: quia licèt habeant talem potestatem, est mihi liberum simpliciter me supponere, aut non supponere, cùm pateat remedium per contritionem, dato quòd non esset aliquod præceptum suscipiendi Sacramentum: debet ergo præceptum aliunde probari. Recurrendum est vltimò ad definitionem, & declarationem Ecclesiæ, & institutionem ipsius Sacramenti per modum tribunalis, ad quod recurrit ipsum Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *Ex institutione*, inquit, *Sacramenti pœnitentiæ, iam explicatâ, vniuersa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Iure diuino necessariam esse*, &c. Natura ergo Sacramenti, & institutio cum interpretatione Ecclesiæ tale præceptum certò probant, reliqua de congruo.

Colligitur ex Sacramenti institutione. Trident.

6 *Obiectio.* Obiiciunt hæretici ex tripartita historia, quæ est Sozomeni *cap.* 35. Nectarium Constantinopolitanum abrogasse confessionem auricularem, seu secretam: ergo talis nunquam fuit in præcepto diuino, aliàs vir probatus, & orthodoxus eandem non abrogaret, relinquens quemque iudicio conscientiæ suæ, vt communicaret. Est obiectio Carol. apud Ruardum *art.* 5. Confirmatur authoritate Chrysostomi successoris, qui idem secutus est *tom.* 1. *hom.* 2. *in Psal.* 50. super illud, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, &c. *Peccata autem tua*, inquit, *dicito, vt deleas illa, si confunderis alicui dicere, quæ peccasti, dic quotidie ea in anima tua, non dico vt confitearis conseruo tuo, vt exprobret, dic Deo, qui curat ea*, &c. *& tom.* 5. *ser. de pœnitentia & confessione*, alludens ad consuetudinem inductam à Nectario, *Nunc autem*, inquit, *nec necessarium est præsentibus testibus confiteri. cogitatione fiat delictorum exquisitio, absque teste sit hoc iudicium, solus Deus confitentem videat. Deus qui non exprobrat peccata tua, sed soluit peccata propter confessionem. Nunquid sic grauaris, & retrocedis?* Item tom. 2. hom. 4. de Lazaro. *Caue homini dixeris, ne tibi exprobret, neque enim conseruo est confitendum, qui in publicum proferat, sed Domino, qui tui curam gerit, & qui humanus est, & medicus, ostende vulnera tua*, &c. *Non ergo te in medium prodire theatri, ac multos adhibere testes, mihi solum dic peccatum tuum, vt sanem vlcus, te dolore liberabo*, &c.

Chrysost.

7 *Respõsio quorumdam. Nectarium sustulisse confessionem.* Ad hæc variè respondent authores. Canus *in relect. de pœnitentia* 5. *part. ad* 6. *arg.* & VValdensis 2. *tom. cap.* 141. concedunt Nectarium sustulisse confessionem secretam, ob scandalum casu ortum Constantinopoli, quod tempore successoris Chrysostomi nondum fuit sedatum; ideóque Chrysostomus non fecit mentionem auricularis, aut secretæ, nec ausus fuit eam restituere. Id ipsum respondet Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 1. dicens illam abrogationem paruo tempore durasse, & Chrysostomum eam permisisse pro tum ratione scandali: sed hæc responsio non saluat Nectarium, aut Chrysostomum; quia ille errorem sic induxit, hic permisit. Addunt Chrysostomum non probare simpliciter non esse confitendum, sed non esse confitendũ proximo ad finem exprobrationis, & manifestationis peccati. Alij parui faciunt hoc factum Nectarij, vt qui non fuerit sufficienter instructus in rebus Ecclesiasticis, sed ex prætore vrbano catechumeno statim baptizatus, ad Sacerdotium promotus non ita pridem, vt docet Ruffinus ex *lib.* 21. *historiæ apud Eusebium cap.* 21. Sed hæc responsio non valet, quia testis est Nicephorus Calixtus *lib.* 12. *c.* 28. omnes Orientis Ecclesias secutas fuisse Nectarium: cuius electio, licèt insolita, diuina tamen prouidentia facta Nicolaus etiam primus eundem hæreticorum expugnatorem appellat *Epistola ad Photium, approbata in* 8. *Synodo actione* 4.

Reijcitur solutio.

Responsio aliorum.

Reijcitur.

Electio Nectarij approbata. exemplo receptum.

8 *Responsio Ruardi* Respondet ergo Ruardus cum non sustulisse confessionem, sed modum inductum, seu appendicem vsu Ecclesiæ Orientalis, qui talis fuit, vt vnus esset pœnitentiarius constitutus, qui omniũ peccata solus exciperet, & secretò, mox ad Episcopum deferret, qui eadem publicè in Ecclesia recitaret. Vnde Tripartita sic habet. *Propterea ab initio visum est Episcopis peccata annuntiare, siue promulgare, quasi in theatro teste multitudine Ecclesiæ*, &c. & hic modus, inquit Ruardus, qui fuit per Episcopos introductus, abrogatus est ex scãdalo, quod ita contigit, vt ferunt Sozomenus, Socrates, Nicephorus, cùm quædam matrona cõfessa fuerit pœnitentiario, & ex eius præcepto multis diebus in Ecclesia hæreret pœnitens in ieiunio, & orationibus, consueuit cuidam Diacono Ecclesiæ, quo audito tota ciuitas in clerum commota est, quòd occasione pœnitentię in Ecclesia tale scelus committeretur. Hunc modum reuocauit Nectarius. Hanc doctrinam sequitur Petrus Bulingerus *lib.* 4. *Christianarum institutionum*, asserens eãdem consuetudinem in Ecclesia Latina reuocatam à Leone magno *Epist.* 78. *c.* 2. Idem docet Petrus à Soto *lect.* 2. *de confessione.* Negat hinc Ruardus aliud genus fuisse pœnitentiæ publicæ in vsu Ecclesiæ, quo ipse pœnitens sua peccata confiteretur, sed tantùm in Cãpania, angulo Italię: quem morem sustulit Leo *in Epistola citata, ad Episcopos Campaniæ.* Hanc doctrinam fatetur se excepisse à magistro suo, Ioanne Hasselio in responsione quadam mandata ad Concilium Trident. de hac historia.

Historia Tripartita.

Alij illam responsionẽ approbant.

9 *Reiicitur dicta responsio.* Sed falsum omnino esse illum fuisse modum pœnitentiæ publicæ, quasi in ea secreta peccata, aut Episcopus, aut Presbyter reuelaret publicè, imò hoc ipsum tanquam contrarium doctrinæ Apostolicæ docet Leo in illa epistola: *Illam etiam, ait contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui, à quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri de pœnitentia, videlicet vt de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur. cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione in secreta*, &c. Nequit ergo dici quòd aliquid contra doctrinam Apostolicam fuerit in vsu in Orientali, & Occidentali Ecclesia: qualis fuit vsus publicæ pœnitentiæ, vt referunt præfati authores: éstque contra diuinum præceptum reuelare peccata secreta. Vnde Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. ait *non esse diuino præcepto mandatum confessionem publicè fieri*: & addit, *nec satis consultè aliqua lege præciperetur, vt delicta præsertim secreta publica essent de confessione aperienda*, &c. Canon autem de pœnitentiario super pœnitentibus constituto fuit in tota Ecclesia: ergo non debuit induci ad pœnitentes secretos: imò esset impossibile satisfacere toti populo hoc modo per vnum. Adde quòd inimicitiæ, furta, adulteria, odia secreta, nequeant vlla ratione dici publicè: ille ergo Presbyter fuit constitutus super publicè

Leo. Vsus reprobatus pœnitentia publica in Campana.

Vsus pœnitentia publica pro notoriis delictis.

publicè pœnitentes, qui ob publica, & notoria peccata redigebantur ad pœnitentiam, & priuabantur Eucharistia; quorum locus erat iuxta, aut intra atrium Ecclesiæ: & hunc modum abrogauit Nectarius, de quo intelligendi sunt præfati authores, & fuit in vsu in Latina, tempore etiam Nicephori Calixti.

Locus pœnitentiæ in Ecclesia.

Carthag. 3. Vnde Carthag. III. *c.* 32. sub Siricio Papa ante tempus Leonis solùm præcipit pœnitentiam publicam imponi ante Ecclesiæ atrium si publicum fuerit crimen. *Burchard.* Et Burchardus *in suo decreto lib.* 19. *cap.* 28. docet ex quodam Moguntino Concilio: *Sed distinctio seruanda est inter pœnitentes publicè, & absconditè, nam qui publicè peccat, oportet vt publicè mulctetur pœnitentia, & secundùm ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur,* id est, priuetur Eucharistia. Et idem refert *lib.* 19. *c.* 151. *ex quodam Toletano,* peccata secreta delenda esse solùm occulta confessione facta Episcopo, vel Sacerdoti, vt eorum venia à Domino percipiatur. *August.* Videatur Augustinus *de vera & falsa pœnitentia, cap.* 11. *Epistola* 108. *Enchiridy cap.* 65. *lib.* 50. *hom.* 50. Ritus autem pœnitendi publicè à principio fuit in Ecclesia, vt patet ex Canonibus pœnitentibus: sed institutus est mox Presbyter, qui publicè pœnitentibus præesset, contra Nouatianos, qui pœnitentiæ non dabant locum. Hæc quoad factum Nectarij.

Exponitur Chrysostomus. Quoad Chrysostomum, respondent quidam, vt *suprà* præmisi. Alij dicunt eum loqui de pœnitentia extra casum confessionis facienda. Alij loqui de examine conscientiæ, & confessione interiori, qua quis petit à Deo veniam suorum delictorum. Locus obscurus est: id certum Chrysostomum non fuisse in ea opinione, vt confessio non fuerit necessaria ad remissionem peccati, nam lib. 2. de Sacerdotio ait, *multa quidem arte opus est vt qui laborant Christiani vltrò sibi persuadeant Sacerdotum curationi sese submittere oportere.*

11 *Duplex necessitas pœnitentiæ.* c *Aliter ego arguo sic*, &c. Hoc argumento probat huic Sacramento conuenire necessitatem medij: duplex enim necessitas assignatur communiter: alia medij, seu finis, alia præcepti. *Necessitas medij.* Necessitas medij infert necessitatem præcepti, quando opus est in potestate nostra: quia ideò præcipitur, quia sic est necessarium; quando verò non est in nostra potestate, separantur, verbi gratia, gratia excitans non est in nostra potestate, tamen necessaria est necessitate medij. Pro necessitate medij apud antiquiores legitur necessitas salutis; vt apud D. Thom. 3. *part. q.* 65. *art.* 4. vbi docet duo Sacramenta cuilibet necessaria esse necessitate salutis, Baptismum, & Pœnitentiam.

Necessitas medij probatur. Est ergo sententia communis, Sacramentum Pœnitentiæ esse necessarium necessitate medij ex suppositione peccati mortalis post Baptismũ. Probatur de pœnitentia dist. 1. *Agite pœnitentiam.* Can. *multiplex.* *An conueniat Sacramento?* Difficultas autem est, quomodo conueniat talis necessitas Sacramento, si cum sola cõtritione deleri peccatum de fide sit, siue adsit opportunitas confessoris, siue non. *Sententia.* Supposita contritione non agnoscit Gabriel aliam necessitatem percipiendi Sacramentum actu, quàm præcepti: quia iam peccatum dimissum est; quamuis in ordine ad Sacramentum, & nisi peccetur denuò, homo est in statu filij, & adoptionis. Canus *relect. de pœnitentia* 5. *p. conclusione* 3. docet necessarium esse Sacramentum in re susceptum, quando tempus adest, & instat periculum, aliàs sufficere votum eius explicitum cum contritione; neque sufficere, ait, virtuale, seu implicitum. *2. Sententia.* In eandem opinionem inclinat Vasquez, nisi quòd addat instante tempore, vt fine vitæ, quando obligat confessio facienda, ita esse necessarium, non quòd contritio non haberet tum efficaciam, si adesset, sed quòd talem spiritum compunctionis Deus non tribuat nolenti in tali casu suscipere Sacramentum.

12 *Impugnatur 2. sententia. Contritionem semper iustificare ante Sacramentũ.* Contra Canum vrget, de fide esse, contritionem pro quouis tempore efficacem esse ad expulsionem peccati, & semper esse actum formatum antecedenter ad Sacramentum actu susceptum, de voto autem adiuncto, si debeat esse implicitum, aut virtuale, seu potiùs explicitum formale, agemus suo loco. Contra Vasquez est, quòd innitatur incerto fundamento, quia contritionem potest quis habere in tali statu, & tempore, accedens ad Sacramentum: ergo etiam si non suscipiat Sacramentum erit efficax. *Sententia Vasquez reijcitur.* Dices non dari contritionem nolenti suscipere tunc Sacramentum: sed hoc nihil est; vel illa nolitio est peccaminosa, & sic neque attritio ipsi datur: vel est inculpabilis, verbi gratia, ex ignorantia inuincibili, vt si contingat Sacerdotem esse talem, qui reuelare dignoscitur confessionem in præiudicium pœnitentis, & aliorum, ipsiúsque Sacramenti; vel putet pro tunc se non esse obligatum. *Sententia Ferrariensis.* Alij dicunt necessitatem Sacramenti consistere in eo, quòd in re, vel in voto remittat peccatum, ita vt dimissio peccati ipsius voto, nõ cõtritioni concomitanti attribuẽda sit: quia cùm passio Christi applicata sit vi clauium, nunquam contritio operetur, nisi in virtute clauium. Ita Ferrariensis 4. *contra Gentes cap.* 72. sed hoc tollit efficaciã contritionis, de qua est alterius loci disputare. *Ioannes de Medina.* Ioannes de Medina *Cod. de confessione quæstione de eius necessitate,* dicit hanc necessitatem in eo præcisè consistere, quòd non dimittatur peccatum sine ordine ad claues: sed hoc nihil est; quia certum est quòd claues non exerceant suam efficaciam, nisi actu applicatæ; vnde si instituerentur tanquam indifferentia media contritio, & Sacramentum, tunc quodlibet sine ordine ad aliud in re, aut voto remitteret peccatum. Ideò alij respondent simpliciter non esse necessitatem, nisi vt in re, aut voto suscipiatur, quid autem præterea dicendum sit vix occurrit.

13 *Alius modus interpretandi canones.* Alius modus dicendi occurrit, Canones, & Patres nomine clauium, & potestatis remittendi peccata comprehendere etiam contritionem in genere, tanquam partem, vel quasi partem in toto, siue actu sit pars, siue potestate; & tunc simpliciter Canones verificantur: quia comprehendunt totum, quod est necessarium simpliciter. Neque hęc forma loquẽdi aliena est à stylo Patrum: nã quandoque agentes de Sacramento, transeunt ad partem eius materialem sine vlla distinctione, aut limitatione verborum, tanquam ad idem: vt patet in Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. *Trident.* quod est de necessitate, & institutione Sacramenti, vbi exprimens necessitatem eius in initio capitis, *Sacramentum,* inquit, *Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur: fuit quidem pœnitentia vniuersis hominibus,* &c. *necessaria,* &c. vbi agit de virtute pœnitentiæ,

tentiæ, & postea ante Christum non fuisse Sacramentum, neque post Christum, nisi baptizatis, vbi necessitatem pœnitentiæ virtutis comprehendit sub necessitate Sacramenti, tanquam idem, & non diuersum. Quando loquuntur Canones de necessitate Sacramenti, extendunt se etiam ad contritionem sub appellatione clauium, aut Sacramenti, quoniam votum Sacramenti annexum habet.

14 *An contritio sit in præcepto*

Petes an contritio perfecta, quæ sufficit absque confessione, & Sacramento, habeat eandem necessitatem præcepti, quam habet Sacramentum.

Philippus Faber *disp.* 18. *cap.* 1. asserit dari præceptum particulare de contritione; & colligit ex iis locis, ex quibus necessitas pœnitentiæ colligitur, Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquat Regnum cœlorum,* &c. Sed huius præcepti non inuenio apud Doctorem aliquod vestigium. Eandem sententiam tenentur sequi, qui negant attritionem cognitam pro tali sufficere ad Sacramentum.

Tenetur ad contritionem, qui nequit accedere ad Sacramentũ.

Conclusio prima. Qui non suscipit Sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ, neque ea suscipere potest, tenetur ad contritionem perfectam. Hæc conclusio patet ex iis locis, quibus præcipitur pœnitentia, & satisfactio pro peccatis: sic enim obligatur homo facere eam pœnitentiam, quam in facultate sua habet.

15 *Non obligare suscipientem Sacramẽtum.*

Secunda conclusio: Suscipienti Sacramentum non datur tale præceptum, nisi fortè in articulo mortis. Hæc videtur tenenda. Consequenter ad ea, quæ dicta sunt, quia sufficit attritio cum sacramento ad omnem effectum cõtritionis, nempe gratiæ obtinendæ, remissionis culpæ, & pœnæ: ergo suscipiendo Sacramentum, satisfacit quis omni obligationi, quam incurrit vt peccator.

Obligatio pœnitentiæ ex peccato est.

Sed ratione peccati tantùm tenetur simpliciter ad contritionem: quia Beata Virgo, in qua non fuit peccatum, non tenebatur ad contritionem, aut vllam pœnitentiam: ergo. Confirmatur, quia contritio remittit peccatum cum voto, & subordinatione ad Sacramentum: ergo applicato Sacramento perfectiùs & certiùs acquiritur omnis eius effectus. Consequentia patet, quando aliquid operatur in virtute alterius, si id, cuius virtute operatur, applicatur, perfectiùs causat.

Secundò, si esset talis obligatio remisso per Sacramentum peccato, sequeretur quòd de quolibet mortali esset conterendum; hoc est absurdum, & rigorosum: quia aliàs Sacramentum non esset remedium efficax, & vltimatum, quod est contra Trident. & Florent. & ea, quæ traduntur de efficacia Sacramentorum nouæ legis: neque Ecclesia talem obligationem explicat: nam *sess.* 14. *cap.* 1. *&* 4. vbi explicat pœnitentiam peccantibus actualiter semper fuisse necessariam, loquitur de pœnitentia, & contritione in genere; quam diuidit in perfectam, atque imperfectam, asserens hanc sufficere cum Sacramento. *Efficacia Sacramenti non subordinatur contritioni.* Probatur antecedens, quia non est obligatio contritionis, nisi vt reconciliet peccatorem: hæc autem reconciliatio æquè necessaria est respectu cuiuslibet mortalis, cùm quodlibet excludat gratiam, includat offensam simpliciter: ergo. Deinde hac ratione dicimus quodlibet mortale, quantumlibet de eo quis conteratur, esse subiiciendum clauibus: ergo sicut contritio includit votum Sacramenti, ita è contra Sacramentum votum contritionis, si maneat adhuc obligatio eius respectu peccati remissi per claues, aut confessi. Consequentia patet; quia, supposita tali obligatione, nullum peccatum remittitur, nisi per ordinem ad contritionem, qua hæc habet necessitatem præcepti saltem respectu peccati, & consequenter tenetur accedens ad confessionem habere votum explicitum eius, sicut & Sacramenti contritus.

Ad rationem in oppositum respondetur Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. *& cap.* 14. §. 14. *cap.* 1. *&* 4. intelligere illa loca, & cætera, quibus necessitas pœnitentiæ probatur de pœnitentia in genere; non autem de contritione perfecta. 16 *Soluitur ratio in oppositum.* Nam iisdem in locis, vt dictum est, agit de pœnitentia in genere requisita ad Baptismum, & Sacramentum clauium: cuius necessitatem ex locis præfatis colligit. In conclusione dixi, *fortè in articulo mortis,* quia licèt tunc adhibuerit quis Sacramentum remedium efficax, sicut tenetur præcepto charitatis adhibere omnem conatum dilectionis diuinæ: ita etiam detestari simili conatu offensas commissas cõtra Deum. Accedit obligatio salutis propriæ, cui ex omni conatu quis tunc debet prospicere. Alia ratio talis obligationis non occurrit: adhiberi potest dictum Augustini, qui dixit sub finem vitæ neminem, quantumcumque sibi videatur mundus, hac vita debere discedere sine pœnitentia peccatorum, quod de perfecta interpretandum est. Ita legitur in vita eius.

SCHOLIVM.

Præceptum confessionis non haberi ex illo Iacob. 5. Confitemini alterutrum, &c. *Suar.* 4. *tom.* *d.* 35. *sect.* 1. *Vasq. quæst.* 90. *art.* 1. *dub.* 1. *testantur locum illum non cogere, licèt multi eum afferant ad propositum: quia non ostendit Iacobus se præcipere nomine Christi, nec verba illa plus sonant præceptum, quàm illa alia eodem cap.* Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, *tamen de vnctione non est præceptum.*

15 *Alens. in* 4. *part. sum. de confessione quæst.* 9. *& Richard. vbi suprà.*

SI omnino contendas, quòd per rationes positas in isto membro non probatur fuisse datum ex verbis Euangelij; nunquid dicemus secundum, scilicet quòd illud præceptum habetur ex verbis alicuius Apostoli? dicitur quòd sic de illo verbo Iacobi quinto, *Confitemini alterutrum peccata, &c.* Sed nec per hoc videtur mihi, quòd Iacobus præceptum hoc dedit, nec præceptum à Christo promulgauit. Primum non: vnde enim sibi auctoritas obligandi totam Ecclesiam? cùm esset Episcopus Ecclesiæ Ierosolymitanæ: nisi dicas illam Ecclesiam in principio fuisse principalem, & per consequens eius Episcopum principalem, Patriarcham: quod non concederent Romani, nec quòd illa auctoritas propriè pro tempore illo erat sibi subtracta.

Nec

Nec secundum videtur, quia Apostoli publicantes præceptum Domini in Scripturis suis vtebantur modo loquendi, per quem potuit innotescere, quòd erant præcones Christi; vt patet per illud Pauli 1. ad Corinth. 7. vt quando vult publicare illud præceptum Domini de non dimittenda vxore, dicit: *Præcipio, non ego, sed Dominus*, &c. Quando autem vult facere propriam persuasionem, dicit de cohabitatione viri conuersi ad fidem cum sua vxore infideli, vel è conuerso: quia hoc licèt sit sine contumelia Christi, non tamen est necessarium: *Dico ego, non Dominus:* alioquin non posset Ecclesiæ constare, quòd ipse vt præco publicaret præceptum, nisi ex præcedentibus, vel sequentibus manifestaret se esse in illa publicatione præconem.

Vnde constat Apostolum suo vel Christi nomine præcipere.

Vtrumque etiam membrum simul probatur per illa verba annexa, dicendo enim, 16
Confitemini alterutrum, non magis dicit confessionem faciendam esse Sacerdoti, quàm alij. Subdit enim, *& orate pro inuicem, vt saluemini:* vbi nullus diceret ipsum instituisse, nec promulgasse præceptum diuinum: sed intellectus eius est sicut in illo verbo *Confitemini alterutrum*, persuasio ad humilitatem, vt scilicet generaliter nos confiteamur apud proximos peccatores, iuxta illud, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus*, &c. Ita per secundum persuadet ad charitatem fraternam, vt scilicet per charitatem fraternam subueniamus nobis inuicem. Apparet ergo istud non esse de Iure diuino promulgato per Scripturam Apostolicam.

1. Ioan. 1.

SCHOLIVM.

Resoluit præceptum de confessione haberi ex Euangelio (Ioannis scilicet) vel per traditionem, & sic esse Iuris diuini positiui scripti, vel traditi, & hoc secundum tenet D. Bonauent. hìc, & alij.

VEl [d] igitur tenendum est primum membrum, scilicet quòd sit de Iure diuino 17
promulgato per Euangelium; vt in secundo, vel tertio membro est declaratum: vel si illud non sufficiat, dicendum est tertium, scilicet quòd est de Iure diuino positiuo promulgato à Christo Apostolis, sed Ecclesiæ promulgato per Apostolos absque omni Scriptura, sicut multa alia tenet Ecclesia ore tenus per Apostolos sibi promulgata, sine Scriptura, cuius fundamentum est illud Ioan. 20. *Multa quidem, & alia signa fecit Iesus*, &c. & habetur expresè *Extrà, de celebratione Missar. Cùm Martha, lib. 3.*

Ioan. 20.

COMMENTARIVS.

d VEl igitur tenendum est, &c. Hæc est conclusio quam suprà probauimus; de reliquo nihil difficultatis occurrit ex textu.

Conclusio.

SCHOLIVM.

Omnem adultum rationis compotem teneri ad confessionem. Explicat quando quis incipit obligari ad eam. Sotus supr. d. 12. q. 1. art. 11. fin. petit annum duodecimum. Antonin. 2. p. tit. 9. cap. 8. §. 2. annum decimum cum dimidio. Emanuel Sà v. Confessio *num. 3. pubertatem requirit. Sed communis cum Doctor. hìc nullum tempus determinat, sed vsum rationis tantùm desiderat. Nauar. cap. 21. num. 33. Soto sibi contrarius d. 18. q. 1. art. 3. fin. Suarez 4. tom. d. 36. sect. 2. num. 3. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 40. quæst. 6. Sed ante duodecimum annum non incurruntur pœnæ, cap.* Omnis vtriusque, *ex cap. 1. de delict. puer. Soto, & Azor. Sanchius lib. 1. in decal. c. 1. n. 7. Idem est de alijs præceptis Ecclesiæ, præter communionem.*

DE [e] secundo articulo dico, quòd hoc præceptum includit quis debet confiteri: quia adultus, id est, habens vsum rationis, & cognoscens peccatum, quod commisit; per quem adultum non intelligo tantæ, vel tantæ ætatis, sed quòd habeat ætatem ad cognoscendum iustum, vel iniustum contra legem Dei. In multis enim ante ætatem consuetam malitia supplet ætatem, & non tantùm in malis, vt dicunt communia verba, quia fortè habet citiùs prudentiam ad malum; vnde dicitur doli capax: sed etiam in bonis, iuxta illud in Legenda sanctæ Agnetis, *Fides non in annis computatur.* Et istius breuiter regula est, quando aliquis instructus, & interrogatus ordinatè percipit distinctè, quod iustum, & quod iniustum in lege diuina; quod potest faciliter videri, si ad ordinatas interrogationes ordinatè respondeat, sicut alius adultus perfectè ex similibus præmissis similiter responderet. 18

Omnē adultum teneri ad confessionem.

Quādo incipit quis teneri ad cōfessionem.

COMMENTARIVS.

17 *Artic. 2. Conclusio. Praeceptum comprehendit adultum. Modus discernendi vsum rationis.*

DE *secundo articulo, dico quòd hoc praeceptum*,&c. Conclusio est, præceptum hoc comprehendere adultum, quem intelligit per eum, qui est compos rationis, & capax boni, & mali. A posteriori assignat modum, quo dignoscitur vsus rationis completus, nempe quando instructus respondet ordinatè ad interrogata. Hæc conclusio est communis, quia peccatum mortale post Baptismum non remittitur, nisi in voto Sacramenti; ideò præceptum Sacramenti comprehendit omnes capaces peccati mortalis, & consequenter pueros, qui ante annos pubertatis peccant mortaliter, quia neminem comprehendit hoc præceptum diuinum Sacramenti, quod institutum est per modum tribunalis, nisi ratione peccati: in sequenti autem §. vbi agit de peccato, quod est materia necessaria, & ex præcepto, dicit esse solum mortale.

Pueri peccātes mortaliter tenentur confiteri.

An obliget praeceptū diuinum infideles. Sententia affirmatiua.

Maior difficultas est, an hoc præceptum diuinum tam Sacramenti, quàm confessionis obliget infideles? Partem affirmatiuam docet Richardus *in hac dist. art.* 2. *q.* 4. Eandem supponit Doctor *in probatione* 2. quam affert contra glossam *art.* 1. quæ dicit confessionem non esse Iuris diuini. *Videretur*, inquit, *quòd infideles non tenerentur ad confessionem*,&c. quasi hoc falsum esset. Hanc sequitur Angelus, *v. Confessio* 2. Sylu. *ibid.* §. 5. Adrianus *quæst.* 2. *de confessione*.

Sententia negatiua.

Hanc sententiam acriter impugnant Sotus *d.* 18. *q.* 1. *art.* 3. Maior *in* 4. *d.* 17. *q.* 1. Almainus *ibid. quæst.* 1. *art.* 2. Medina *tract.* 2. *quæst.* 7. Suarez *disput.* 35. *sect.* 5. Vasquez *in* 3. *p. q.* 90. *art.* 2. *dub.* 1. qui contrarium tenent. Priorem opinionem supponit Doctor tanquam vulgarem suo tempore, aliàs ipsam non omitteret probare.

18 *Probatio affirmatiuæ. Lex Euangelica comprehendit infideles. Obligatio praecepti affirmatiui nō est pro semper.*

Probatur, quia lex Euangelica promulgata est tam fidelibus, quàm infidelibus, sicut & remedia illius legis, qualia sunt Sacramenta, & eorum præcepta: ergo comprehendit tam fideles, quàm infideles. Antecedens est notum. Probatur consequentia, ad obligationem legis, aut præcepti in genere, quod spectat ad substantiam legis, non requiritur vt præceptum pro omni statu, materia, & circumstantia, loquendo de affirmatiuo, adimpleatur: sed in statu determinato, materia, tempore, & circumstantiis determinatis, quando occurrunt: sed hoc non tollit quin aliquis obligetur lege, licèt nunquam occurrat ei tempus, in quo præceptum legis affirmatiuum adimpleri debeat, aut materia, quam determinat: ergo potest stare obligatio legis, & præcepti, quamuis ad exercitium actus non obliget, nisi ex conditione prærequisita, quam lex ipsa determinat. Maior patet, quia ipsa lex implicat illam conditionem determinatam, quæ potest non poni, aut non occurrere. Minor probatur, ex lege naturali quilibet tenetur succurrere proximo extremè indigenti, dum potest; quamuis autem non occurrat casus adimplendi hoc præceptum, non inde sequitur quin quisque teneatur lege: quisque tenetur pro Republica vitam & bona exponere; quamuis necessitas determinata, in qua tenetur ad hæc, in exercitio non occurrat. Sic tenetur fidelis ad confessionem fidei, & vitam commutandam pro eius defensione, coram tyranno, si occurrat casus; & sic de cæteris: ergo obligatio legis non tollitur, neque confunditur cum exercitio operis præscripti, quamuis circumstantia particularis operis perficiendi non occurrat.

Praeceptum succurrendi proximo indigenti.

Alia praecepta.

Sed eodem modo obligatur infidelis ad legem Euangelicam, eiusque præcepta, quamuis non pro statu infidelitatis retentæ: quia sic nequit aliquod eius præceptum positiuum, vt est proprium huius legis adimplere (quia neque fidei, quæ est fundamentum cæterorum, neque Baptismi, qui est Sacramentum fidei) saltem fructuosè, quantùm ad salutem. Et quidquid ad hæc dicatur, præceptum Eucharistiæ comprehendit infideles, hoc est, eos qui nondum fidem Christi receperunt; quamuis hoc præceptum pro statu infidelitatis nequeat adimpleri. Dices, cum Suarez, & aliis, infidelem suscepta fide, & Baptismo posse sumere Eucharistiam, non ita pœnitentiam, nisi peccauerit post Baptismum. Contrà, sic etiam neque fideles tenentur præcepto pœnitentiæ, nisi ex suppositione peccati commissi post Baptismum, & mortalis, loquendo de præcepto diuino pœnitentiæ; imò neque in vllo statu vnquam fuit obligatio pœnitentiæ, nisi ratione peccati mortalis personalis, vt supponit Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. & 4. cùm tamen præceptum pœnitentiæ omnes obligabat non in exercitio, nisi ex suppositione peccati, si fieret: sicut ergo præceptum Eucharistiæ obligat infideles, vt ita dicam, in actu signato, quamuis non in exercitio, nisi adimpleretur conditio præuia, nempe per susceptionem fidei, & Baptismi, & in ætate adulta: sic etiam præceptum pœnitentiæ obligat infideles supposito Baptismo, & materia ipsius pœnitentiæ, nempe peccato post Baptismum actuali mortali. Sed hoc etiam sufficit: quia non aliter obligat fideles; quos tamen obligat secundùm omnes, non in exercitio, nisi supponatur peccatum tale. Vnde si hæc ratio eximat infideles ab obligatione præcepti, quia in eo statu non possunt habere actum, per quem adimpletur præceptum; sic etiam eximendi sunt ab eius obligatione fideles iusti pro statu iustitiæ. Sic etiam eximendi sunt infideles à præcepto restituendi, seu lege restituendi, qui non habent alienum; & in vniuersum omnes leges pœnales, vel aliæ præscribentes actum non habebant rationem fixam, & stabilem legis, aut obligationis, quando non occurrit circumstantia particularis, in qua actus legis exercetur. Hinc ergo patet quòd sicut lex Euangelica data est homini viatori, & eius præcepta, sic etiam obligat omnes viatores; quamuis actus præcepti non à quolibet, & in quocumque statu exerceri valeat, aut debeat: lex enim sicut est voluntas stabilis, & fixa legislatoris, respiciens communitatem, ita neminem omnino excipit, licèt actus præscriptus legis determinet particulares conditiones, & circumstantias, sine quibus non adimpletur secundùm legem, & quibus positis, omnes, & singulos obligat ad actum exhibendum.

19 *Tenetur infidelis ad legem Euangelicam suscipiendam.*

Praeceptum Eucharistiæ comprehendit infideles.

Responsio.

Impugnatur.

Pœnitentia nō obligat, nisi ex suppositione peccati.

Circumstantia requisita ad obligationem actus in exercitio.

Lex obligat communitatem.

20 *Fundamentum aduersariorum soluitur.*

Hinc patet ad fundamenta aduersariorum: nam aliud est legem quidem obligare omnes, quantùm est ex parte legis; & aliud est actum legis exerceri ab omnibus: qui actus exigit circumstantias particulares ad sui exercitium, seu

quod

Aliud est legē obligare, aliud teneri ad actum legis præstandum pro semper.

quod idem est, aliud est legem, quantùm est ex se, comprehendere omnes; quia ad hoc sufficit latam esse respectu communitatis; & aliud est omnes circumstantias ad actum lege ipsa præscriptas, in omnibus, & singulis, vel certè in particularibus tantum concurrere. Primum illud dicunt nostri Doctores, & benè. Secundum verò nec dicunt ipsi, neque alius fidelis, quia materia per se pœnitentiæ est peccatum post Baptismum commissum, quæ materia per accidens est, siue in pluribus, siue in omnibus, siue pro determinato statu, & circunstantiis concurrat, quantùm ad obligationem vniuersalem legis, quæ obligatio vniuersalis comprehendens totam communitatem, hoc verò aut illud, suppositam eius particulariter concernit ratione materiæ; Concilia autem, & Patres magis loquuntur de hac obligatione particulari, ratione peccati, quæ est materia pœnitentiæ, quàm de vniuersali: supponunt tamen obligationem vniuersalem ipsius legis, & qua lex est, licèt respectiuè ad determinatam materiam, quam ipsa lex importat, & quæ separari potest à supposito, qualis est materia pœnitentiæ.

21 *Modus obligādi legis diuersus. Quædā obligant absolutè ad actum singulos.*

Distinguendum est ergo inter leges ipsas, seu præcepta vniuersalia: nam quædam obligant ad actum absolutè omnes, & singulos; licèt prærequirant media, ad quæ ponenda tenetur quis ex necessitate finis intrinseci ipsius præcepti; talia sunt præcepta fidei, & virtutum, & Baptismi, Eucharistiæ, & similia. Ad hæc omnes tenentur: vnde infidelis etiam peccat contra præceptum Eucharistiæ, quo tenetur apponere media, vt fidem, & Baptisma, præter peccata, quæ committit contra præceptum particulare fidei, & Baptismatis. Alia verò sunt præcepta, quæ comprehendunt omnes, & singulos, quantùm est ex vi legis vniuersalis, sed ratione materiæ tantùm in particulari hunc, vel illum, quantùm ad actum præscriptum: talia sunt præcepta satisfactionis, & iustitiæ, quale est præceptum pœnitentiæ, quæ ad satisfactionem, & punitionem peccati talis respicit particulariter hunc, & illum. Secunda ergo sententia talem obligationem rectè excludit ab infidelibus, in quibus non est materia Sacramenti; non tamen rectè obligationem, quæ ipsis competit ex natura legis vniuersalis, licèt ex defectu materiæ ipsos in particulari non concernat obligatio exhibendi actus, sicut neque etiam iustos sic concernit, & fideles, à quibus non remouetur obligatio generalis legis: sicut neque in Republica leges restitutionis rectè dicentur esse particularium tantùm, qui obnoxij sunt rationibus, licèt illos particulariter concernant ratione debiti. Hinc dicimus infideles capaces esse obligationis huius legis, qua lex est Euangelica, licèt in particulari pro eo statu non sint capaces actus ex defectu materiæ præscriptæ: nihil aliud intelligit Doctor. Errat tamen Angelus, qui docet peccare in necessitate constitutos, qui omittunt confiteri peccata ante Baptismum commissa: quia ex Conciliis illa non sunt materia Sacramenti, neque etiam talium confessionem excipere debet confessarius pro materia Sacramenti. Contingere fortè posset ratione alicuius circunstantiæ, quæ reddit peccata post Baptismum commissa, grauiora: verbi gratia, ingratitudinis, & cōtinuati eiusdem peccati, vt dici possint in confessione, & causa humilitatis, & consilij, inquantum frequentatio eiusdem peccati ex aliqua radice, & causa antiqua oriatur.

Alia obligant ex suppositione.

Vtriusque sententiæ cōcordia.

Error.

Peccata ante Baptismū nō sunt materia confessionis.

22 *Alius modus cōprehendēdi infideles sub hac lege.*

Alio etiam modo potest intelligi obligatio huius legis spectare ad personas infidelium, non pro statu infidelitatis, quia & lex diuina vniuersalis est, quæ lata à Christo potuit comprehendere infideles, & quia pœnitentia habet necessitatem medij in communitate hominum, sine qua pro maiori parte non peruenitur ad effectum salutis consequendæ: pauciores enim sunt, qui primam stolam conseruant, respectiuè ad eos, qui per peccatum mortale eam amittunt: tenentur ergo omnes se capaces reddere huius remedij, quibus Christus *dedit potestatem filios Dei fieri*, quia est remedium vniuersale, & necessarium in communitate, quasi pro omnibus eius suppositis: nam pauciores, qui ex speciali Dei gratia præseruātur à lapsu, post Baptismum, pro modico reputantur, & modicum pro nihilo; & hi pauciores non ex natura sua, aut industria humana, sed ex priuilegio eximuntur à frequentatione Sacramenti, quod ipsis necessarium est necessitate medij, si communi lege, & secluso prædicto priuilegio censeantur, & secundùm fragilitatem humanæ conditionis: quamuis ergo Baptismus det remissionem integram, & primam stolam, non sufficit tamen ad conseruationem eius, & ideò vrget præceptum de Eucharistia, cuius hic est effectus tanquam medij ordinarij ad hunc finem instituti. Et quia etiam Eucharistia non dat infallibiliter perseuerantiam, ideò succedit pœnitentia tanquam medium ordinarium, & necessarium supposita fragilitate hominum, vt cum effectu possint peruenire ad finem salutis; ideò obligat etiam infideles, vt tollant impedimentum eius applicandi. Et quia necessitas eius vniuersalis est pro statu viæ de lege ordinaria, & spectata natura, & habilitate hominum, comprehendit omnes ex natura sua, supposita obligatione, & necessitate salutis, ad quam hoc medium est necessarium de facto spectatis circunstantiis, quia est ordinarium, & vltimo inductiuum salutis per remissionem peccatorum: à qua necessitate non absoluit, quòd alioquin salus in effectu ex priuilegio concedatur per aliquod medium extraordinarium huic, aut illi à Deo, quia id non tollit efficaciam medij ordinaria lege statuti in communitate, aut necessitatem eius; sicut non pati necessitatem ex stimulo carnis hanc, vel illam personam in particulari, non eximit eam à lege vniuersali ieiunij, quod semper manet, donec finis eius deficiat in communitate, sic lex pœnitentiæ, licèt ratione peccati obliget: quia illud semper manet, & supponitur in communitate, sic ipsa lex manet comprehendens personas particulares, si peccent; & quamuis alia remedia salutis in suo genere sint efficacia, vt Baptismus & Eucharistia, tamen ex fragilitate hominum non inducunt effectum salutis vltimum sine pœnitentia. Fundamenta oppositæ sententiæ sunt illa, quibus in probatione conclusionis occurrimus: & reducuntur ad illa duo, nempe quòd infideles non sint capaces; quòd pœnitentia obliget ratione peccati post Baptismum commissi.

Ex necessitate medij vniuersalis.

Qua ratione pœnitētia est medium ordinarium ad salutē necessariū & vniuersale.

SCHOLIVM.

Omnia mortalia, quæ occurrunt memoriæ post inquisitionem, quam faceres in re graui temporali, esse confitenda. Venialia confiteris voluntariè: non ex præcepto. Trid. sess. 14. cap. 5.

19 *Venialia nō necessariò subiiciūtur clauibus.* COntinet[f] etiam hoc præceptum quid debet confiteri, quia peccatum mortale, & non continet aliud: nam per veniale nullus periclitatur extra nauem Ecclesiæ: quia peccatum veniale stat cum perfecta charitate, quæ est nauis saluans, & ideò ex prima institutione pœnitentiæ, vt secundæ tabulæ, non oportet aliquem ad eam confugere pro remedio contra veniale, sed tantùm contra mortale.

Quæ præparatio requiritur ad reducēda peccata in memoriam. Sed quod peccatum mortale? Respondeo, quòd omne de quo habetur memoria: & hoc præmissa inquisitione diligenti secundùm possibilitatem fragilitatis humanæ. Intelligo quantam inquisitionem posset aliquis apponere circa aliquod multum arduum, quod sibi multum esset cordi, tantam deberet appònere circa omnia peccata mortalia reducenda ad memoriam, & illa reducta ad memoriam debet eidem confiteri, non diuidendo confessionem: quia dicit Augustinus de vera, & falsa pœnitentia, *Confessio nō est dimidiāda.* & ponitur de pœnitentia distinctione quinta. cap. Consideret. *Quidam vni celant, quod alij manifestandum conseruant; quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam credunt per frusta peruenire.*

Si contra hoc obiiciatur, quia tunc videtur quòd quilibet peccator tenetur cuilibet requirenti dicere omnia peccata sua, alioquin tacendo ea; vel aliquod illorum, esset hypocrita, qùia ostendit se innocentiorem, quàm sit; Respondeo quòd tacendo cui non debeo dicere, non ostendo me innocentem, in his quæ taceo: sed illi cui dicere debeo, & quando dicere debeo, & quomodo, sicut in confessione tacendo aliquid confitendo aliud, ostendo me innocentem in hoc quod taceo: & in hoc est hypocrisis, non in alio casu.

COMMENTARIVS.

23 f COntinet etiam hoc præceptū quid debet, &c. Ordinatissimè procedit Doctor: primò explicuit necessitatem, & præceptum diuinum pœnitentiæ. Secundò, quos comprehendat. Tertiò tandem hîc quæ nam est eius materia?

Conclusio. Materia necessaria huius præcepti est peccatū mortale. Prima, & principalis conclusio est; peccatum mortale tantùm est materia necessaria huius Sacramenti, non veniale. Intelligit de peccato mortali post Baptismum commisso: quia illud solum est quod exturbat ex naui, éstque materia necessaria confessionis, & Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est secunda post naufragium tabula, vt *suprà* visum est *dist.* 14. *quæst.* 4. & supponitur per totum tractatum. Conclusio est de fide, quam Trident. tradit Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. Ibi docet peccatum mortale post Baptismum esse materiam huius Sacramenti (supple, necessariam.) In quinto docet mortalia esse materiam necessariam, venialia autem liberam. *Ex his,* inquit, *colligitur* (intelligit quæ præmisit de præcepto diuino confessionis) *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri,* &c. *nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè, & vtiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicuntur,* &c. *taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt,* &c. Quomodo autem remittatur veniale, & an eius remissio exigat pœnitentiam formalem, & infusiónem gratiæ sanctificantis *infrà* tractabitur *dist.* 21.

24 *Secunda conclusio. Integritas cōfessionis præcipitur.* *Sed quod peccatum mortale? Respondeo,* &c. Hæc secunda conclusio est, confessionem esse debere integram: éstque de fide, vt patet ex Tridentino *loco citato, & canone* 7. Intelligitur de peccatis, non quæ in re habet; sed quæ memoriæ post diligentem inquisitionem occurrunt: hæc autem diligens inquisitio circa mortalia habet latitudinem ex circumstantia personæ, & statu eius, & ex circumstantia temporis, & opportunitatis: nam alia est inquisitio, quam debet prætermittere is, qui multo tempore hæsit in peccatis, & alia quàm alij, qui non sunt assueti vitiis, & frequentant sæpiùs Sacramentum; debet esse talis, quæ adhiberi debet in re ardua, & plurimùm commendata, qualem timorati adhibere solent. Item, si repentina necessitas vrgeat, debet accommodari necessitati, & quantum tempus permittit, & periculum, & suppleri dolore vtrumque horum, quæ dixit Doctor, comprehendit Canon præmissus; sicut & *cap.* 5. declarauit vtrumque necessarium esse. Probat idem authoritas, quam citat ex authore *de vera & falsa pœnitentia, cap.* 9. & 15. quantùm ad integritatem confessionis, non rectè quidam citant Durandum pro opposito huius *in præsenti dist. q.* 15. qui conclusionem hanc tenet *ibidem*; sicut & vniuersi Doctores Catholici, & praxis, & traditio Ecclesiæ, & doctrina sanctorum Patrum, & natura ipsius Sacramenti exposuit; in quo de integro statu pœnitentis quoad mortalia, scire debet confessarius huius fori iudex: impium enim est dimidiatam veniam à Deo sperare; sic etiam dimidiatam confessionem peccatorum facere, quæ non remittuntur, nisi in ordine ad sacramentum, vel per Sacramentum in re, aut voto: quod votum nequit esse verum, & syncerum sine proposito confitendi omnia mortalia, quibus est obnoxius: si contritio ergo perfecta in ordine ad Sacramentum non delet peccata, nisi cum tali voto, vt patet ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. quod votum eatenus est necessarium, quatenus

Inquisitio præmittenda.

Falsa allegatio Durandi.

Integritas cōfessionis mortalium probatur.

quatenus ipsa peccata subiici debeant Sacramento: ita sequitur necessariam esse confessionem integram, & mancam non sufficere. Patet ex effectu Sacramenti, cui ponitur obex per omissionem integræ confessionis: quia sicut peccatũ non dimittitur, nisi de quo dolet pœnitens, neque vnum sine alio lege ordinaria dimitti potest; ita qui non confitetur vnum, non dolet verè de ipso, neque proinde est capax veniæ in reliquis, neque gratiæ: quia est fictus, & hypocrita.

Error hæreticorum. Aliqui hæretici, quos damnat ibi Concilium, negauerũt peccata occulta esse confitenda, quia id esset se infamare apud confessorem contra legem naturæ. Item, peccata illa, quæ sunt contra vltima præcepta Decalogi, non esse confitenda: sed vtrumque errorem meritò damnat Concilium, & optimè probat contrarium *cap.* 5. neque infamia illa apud confessorem præponderat necessitati salutis, nec diuinæ iustitiæ præponderat, quæ in pœnam peccati hoc instituit, neque fructui ex confessione acquisito præfertur: accedit secretum sigilli sacramentalis, quo peccata occulta semper manent.

25 *Casus excusans ab integritate confessionis.* g *Si contra hoc obycitur*, &c. Tangit casum, in quo ab integritate confessionis aliquando quis excusatur. Dicit autem quando quis tacet peccatum ei, cui non debet illud confiteri, non esse simulatum, aut hypocritam: sed integritatem attendendam esse quoad ea peccata, quæ debet pœnitens dicere, cui debet, & quando debet, & quomodo debet. Hinc ab authoribus modernis duplex integritas confessionis explicatur. *Duplex integritas confessionis. Materialis, & formalis.* Alia materialis: alia formalis. Materialis est, quando omnia in re commissa confitetur. Formalis est, quando integrè confitetur omnia, quæ occurrunt memoriæ; quamuis aliqua ex naturali obliuione subterfugerint; vel certè quando confitetur omnia, quæ potest hîc & nunc in casu legitimæ excusationis, aut necessitatis, cæteris prætermissis, quæ non tenetur confiteri in iis circumstantiis. *Vnde dicitur formalis?* Hæc dicitur formalis, quia & lege regulatur, & sufficienter informatur tam absolutione hîc & nunc, quàm effectu Sacramenti: non ita confessio manca, quæ excusationem non habet: quia semper illa est informis. Casum obliuionis insinuat Concilium, & Doctor, *suprà*, dicentes præceptum comprehendere integram cõfessionem peccatorum, quæ memoriæ occurrunt post debitum examen.

Tres modi, in quibus excusatur integritas. Plures casus declarant DD. in quibus præceptum integræ confessionis non obligat etiam quoad ea, quæ memoriæ occurrunt: qui reducantur ad tres illos modos, quos assignat Doctor, & quibus regulari debet confessio; nempe ad personam confessarij, ad tempus, ad modum confessionis peccati.

26 *Casus instãtis mortis infirmi.* Hi sunt præcipui casus in genere, in quibus integritas confessionis excusatur, quando periculum est ne subitò moriatur pœnitens, confessis aliquot peccatis absoluendus est, & postea, si superfit tempus, audiendus quoad reliqua, & denuò absoluendus. Hic casus concernit extremè laborantes. Idem dicendum est, si instat naufragium, periculosa pugna, irruptio hostium repentina, possunt tunc omnes simul absolui; sed conandum est, vt quisque materiam aliquam determinatam proferat, & ostendat signa doloris. Ita Suarez *d.* 23. *sect.* 1. id quidem cõgruè, si fieri potest, sed non simpliciter necessarium, neque vtile in tanto concursu, cùm Sacerdos est vnicus, & statum cuiusque neque scire possit, neque audire in tumultu; sufficit enim vt signis exhibitis externè absolutionem petant cum tunsione pectoris, & signis doloris. Item, quando notabile damnũ sibi, aut tertio immineret ex confessione peccati alicuius: ita communiter Doctores. *Casus notabilis damni.* Exempla sunt peruia; vt si inde cognosceret sibi imminere confessarij deinceps odium damnosum, aut persecutionem; vt si ei inseruiat, & ab eo dependeat. Item, si timeat ex confessione ruinam ipsius confessarij, vt si pœnitens sit fœmina, & ex confessione lapsus carnis timeat sollicitari à confessario ad simile. *Casus peccati.* Cauendum tamen ne tale sine fundamento præsumat de confessario, quia peccaret mortaliter: fundamentum esset ex conditione ipsius, exemplis præteritis, vt si constet id aliàs fecisse, & sit vita lubricus, aut reuelator confessionis. Item, quando tertius audit confessionem, tunc secundùm aliquos non tenetur ad confessionem mortalium. Item, si hærendo in examine cõscientiæ ex propria fragilitate timeat propriam ruinam excitatis, ex cogitatione minuta præteritorum delictorum, & circumstantiarum inordinatis affectibus, tunc leuiter percurrenda sunt. Ex qua ratione confessarij etiam prudenter se gerant in examinandis eiusmodi circumstantiis, ne minutim agant, maximè si pœnitens sit mulier, aut puer; ne magis noceant, vel suggerendo media ignota, & modos peccandi, vel excitando praua desideria, vel certè ne causent de seipsis suspicionem ex nimia curiositate, & absterreant pœnitentem à Sacramento. *Documẽtum pro confessarijs.*

Examinent ergo tantùm circumstantias vulgares, & ordinarias, non autem insuetas; quamuis fortè contingere possint quibusdam, possunt in genere tantùm, & leuiter transeundo quærere; si quid aliud in ea materia superfit, quod inferat scrupulum. Hæc regula in peccatis carnis maximè locum habet: si sit tamen persona lubrica, vt meretrix, potest interrogari an adhibuerit media inordinata peccandi. Item, quando imminet confessario periculum vitæ, vt si audiat confessionem alicuius contagiosi, vt contingit tempore pestis, potest aliqua tantùm audire, & absoluere. *Casus periculi ipsius confessarij.* 27 Aduertendum tamen hæc omnia incommoda debere esse grauia, & extraordinaria, neque sufficit quæcumque præsumptio, vt si timeatur, verbi gratia, quòd Confessarius ex confessione talis peccati mutet apud se opinionem suam de pœnitente, vt quem putauit fuisse aliàs honestum, deinceps existimet magnum peccatorem, aut impurum. *Incommoda excusantia ab integritate debent esse grauia.* Hæc enim per se coniuncta sunt confessioni, quam Christus tamen præcepit, & erubescentiæ fundamentum, quam Patres definiunt connexam esse pœnitentiæ, & primariam satisfactionem pro peccato, quam quis debet vincere, considerando nihil Deo ignotum esse, & conuenire, vt seipsum peccator pœnitendo contemnat, qui peccãdo aliàs Deum Optimum Maximum contempsit: omniaque fore aliàs diuulganda à iudice, quæ iniquè reseruantur iustitiæ, & subtrahuntur misericordiæ, & veniæ, quæ in Sacramento offertur. Addit etiam Suarez *sect.* 2. ad hoc, vt quis non integrè non confiteatur, exigi necessitatem præsentem tali confessario confitendi; quòd si alius offertur, tenetur eum adire, aut si breui expectatur commoditas liberiùs confitendi, tenetur differre confessionem, non tamen *Circumstantia, in qua hæc integritas excusatur.*

tamen valdè diu: vt etiam docet Soto *d.* 18. *q.* 2. *artic.* 5. quia esset inde magnum damnum, & periculum vlterioris lapsus, si quis priuetur fructu, & adiutorio Sacramentorum, cùm incerta sit contritio, & perseuerantia in statu peccati mortalis, inferret damnum reliquorum operum, vt pote in tali statu mortuorum: integritas autem confessionis sicut non obligat in casibus præmissis ob detrimenta allegata, sic etiam non obligat cum tanto nostro detrimento spirituali, vt differatur, quando nequit commodè hîc & nunc fieri. Excusant ergo à dilatione eius necessitas celebrandi, communicandi, confessionis annuæ, scandalum, & maximè quando quis iudicat se non esse cōtritum ante communionem, teneretur confiteri etiam non integrè, imò iudicarem non sufficere tunc contritionem æstimatam ob declarationem Trid. modò adsit copia eius, cui possit confiteri, etiam non integrè. Ratio est, quia licèt non sit integra materialiter, erit tamen integra formalis confessio, quia comprehendit omnia peccata, quæ in tali casu confiteri possunt: & est necessitas confitendi ob reuerentiā Sacramenti. Duo alij casus adferuntur, quæ quandoque excusant ab integritate confessionis iuxta aliquorum opinionem, & concernunt casus reseruatos, & personam complicis, quos in sequētibus commodiùs examinabimus.

Aliæ circumstantiæ huc spectantes.

SCHOLIVM.

Circumstantias mutantes speciem, esse necessariò confitendas, de aggrauantibus autem, id esse tutius, sed non omnino certum, impertinentes verò confiteri non licet. Trid. sess. 14. *cap.* 5. *de aggrauantibus. Vide Suar. tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 3. *Caiet.* 1. 2. *quæst.* 7. *art.* 1. *Sotus dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 4. *Maior hîc qu.* 1. *Rich. art.* 3. *quæst.* 5. *Nau. c.* 6. *num.* 67. *Sylu. v.* Confessio.

20 *De circumstantiis aggrauātibus nō resoluit.*

NEc solùm peccata, sed circunstantias peccatorum notabiliter aggrauantes includit dictum præceptum, iuxta illud Augustini. *Priùs consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, &c.* Saltem illas dico aggrauantes, & necessariò confitendas, quæ speciali prohibitione prohibentur, verbi gratia, alienum accipere est illicitum, sed speciali prohibitione prohibetur accipi de loco sancto, & ideò speciale peccatum, scilicet sacrilegij, per hanc circunstantiam constituitur.

Similiter est illicitum non suam cognoscere, sed si qua propinqua sit, speciali prohibitione prohibetur: & ideò speciale peccatum, scilicet incestus, per hanc circunstantiam constituitur: frequentia etiam non est dubium, quòd est circunstantia, simpliciter ponens aliud peccatum: quia qualibet vice committitur nouum peccatum, & de similibus simile habeatur iudicium.

Multæ autem sunt circunstantiæ, ex quibus peccatum est aliquo modo grauius; & hoc vel ex parte obiecti, vel ex parte personæ peccantis, de quibus non est ita certum, quòd oporteat illas confiteri: tamen tutum, & vtile est hoc fieri. De aliis verò, quæ nihil ad *B*, puta sine qua esset tanta grauitas, quanta cum illa circunstantia, impertinente: fatuum est confiteri, vt pote si aliquis peccat cum aliqua, quæ vocatur Berta, vel Lucia, & huiusmodi.

COMMENTARIVS.

28 *De circūstantiis peccatorū.*

h NEc solùm peccata, sed circunstantias peccatorum, &c. Distinguit circunstantias in eas, quæ mutant speciem, & eas, quæ aggrauant peccatum intra eandem speciem; & impertinentes, vt quæ nec aggrauant, nec mutant speciem.

Conclusio. Circūstantiæ mutantes speciem, & numerus peccatorum confitendus.

Prima conclusio: species, & numerus necessariò sunt confitendæ: est Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. Caietanus *in Opuscul. tom.* 1. *tract.* 5. *qu.* 3. Nauar. *in cap. Consideret*, &c. *de pœn. dist.* 5. Docent non omnes species in vniuersum esse explicandas, sed eas tantùm, quæ variant iudicium confessoris circa statum rei. Hoc fusiùs impugnat Vasquez 3. *part. quæst.* 91. 1. *art.* 1. Sed facilis est concordia, quia aliqua specie differunt morali, & malitiæ; aliqua physicè tantùm: vt omittere sacrum die feriali, & festo, eadem erit species physica, non moralis; quia hoc peccatum est contra religionem, seu cultum: illud verò non. Ingurgitare se vino, aut alio liquore diuersa sunt physicè, moraliter eadem: diuersitas physica non facit ad confessionem; moralis autem sic. Quidquid ergo variat iudicium in confessario, ex natura rei confitendum est, nisi aliàs talis circunstantia ex natura actus cognoscatur, vt quæ ordinariè eum concomitatur, vt rixæ, & contentioni, rancor adhæret animi. Varietas hæc iudicij in confessario est ex natura actus, quia aliter iudicandus est, qui peccauit contra plures virtutes, quàm si contra vnam solam peccaret.

Circunstātia varians iudicium confessarij.

Maior est controuersia de circunstantiis aggrauantibus tantùm, quia ex vtraque parte concurrunt graues Doctores. Affirmatiuam partem docet Antisiod. 4. *part. Sum. tract.* 6. *cap.* 3. *qu.* 3. Alens. 4. *part. quæst.* 18. *memb.* 4. *art.* 3. Caiet. 1. 2. *quæst.* 7. *& verbo Conf. in Summa.* Maior *in* 4. *d.* 4. *quæst.* 4. Soto *dist.* 18. *qu.* 2. *art.* 2. Noster Doctor *in* 4. *dist.* 17. §. *De secundo articulo*, rem pro incerto habet, asserens tutius esse confiteri. Oppositum tenent D. Thom. 4. *dist.* 16. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæst.* 5. D. Bonauentura *dist.* 17. 3. *p. dist. art.* 2. *quæst.* 3. Richardus *ibid. art.* 3. *q.* 5. Almainus *quæst.* 1. *art.* 2. Vasquez *dub.* 2. . . citans alios. Doctor

De circunstātiis aggrauantibus. Docēt plures esse confitendas.

Negant alij.

Sententia Doctoris ambigua. Doctor neutrum esse certum docet, tutius tamen esse, si quis ea confiteatur: quem sequitur Gabriel, & Thomas Argentinensis.

29 *Notabiliter aggrauantes sunt confitenda.* Secunda conclusio. Circunstantiæ notabiliter aggrauantes confitendæ sunt. Hoc videtur deferendum primæ opinioni; reliquæ autem præteriri possunt. *August.* Augustinus de visitatione infirmorum cap. 5. tom. 9. *Quæ ergo mentem grauius exacerbant facinora Dei Angelo manifesta, nihil obscurum dicens, culpam multis ambagibus inuoluens*, &c. *Designanda sunt etiam in quibus peccasti loca, si recordaris, & tempora; cum quibus peccasti personis, non nomina ipsarum, & vt à peccato desistant secreto corrigenda familiaritas, in quo peccasti, labilis ætas, in quo gradu seruiebas Ecclesiæ*, &c. *Probatio.* Secundò, quia ratio adducta à Tridentino & superiùs præmissa idem concludit, quia eiusmodi circunstantiæ variant iudicium confessarij expressæ, & merentur maiorem simpliciter pœnam: vnde in Canonibus pœnitentialibus antiquis (vt patet ex Burchardo *lib. 19. cap. 5.*) imponebantur diuersæ pro peccato homicidij diuersimodè perpetrato, & pro furto. *Obiectio.* Dices, Concilium Trident. assignauit omnia necessaria huius Sacramenti, & tantùm comprehendit numerum, & species peccatorum: ergo nihil aliud necessariò exigitur. Hoc est præcipuum fundamentum vltimæ sententiæ. *Responsio. Explicatur Tridentinũ.* Respondetur Concilium tantùm definisse ea, quæ certa sunt; quod moris est; reliqua verò reliquisse sub inquisitióne Doctorum, quibus præiudicare non solent Concilia. Conclusio autem videtur comprehendi in ratione Concilij, & doctrina, quæ applicari potest ad propositum. Deinde, explicandum docet numerum peccatorum, hæc est circũstantia aggrauans: ergo etiam continuatio peccati, cùm sit magis peccatum. *De leuiantibus peccatũ.* De leuiantibus notabiliter eadem est ratio. Afferuntur multi alij casus, quibus probatur conclusio tanquam ex absurdo, quod sequeretur: nam aliàs sequeretur quòd qui expulsione tormenti maioris simul interficeret viginti, non teneretur confiteri, nisi commissum à se simplex homicidium. *Absurda opinioni negatiuæ obiecta.* Incestus in primo, secundo, & tertio gradu, secundùm probabiliorem opinionem non differunt specie, tamen sunt confitendi. quod nequeant aduersarij negare. Quartò, si aliquis amputasset alteri brachium, suffecisset dixisse eum læsisse. Qui haberet voluntatem occidendi 100. furandi mille, sufficienter confiteretur dicendo se habuisse voluntatem occidendi, & furandi. Sed petes quando cognoscitur circunstantia aggrauans confitenda? Aliqui dicunt, quando vnum peccatum ratione grauitatis æquiualet pluribus eiusdem speciei; vt si quis vellet occidere duos. Alia sententia docet, quando grauitas sumitur ex parte, seu quantitate materiæ, vt in exemplis allatis, non autem continuationis, aut intensionis actus. Sed hoc puto simpliciter falsum quando est conatus extraordinarius, & modus peccandi, vt si quis interfectum à se sæpiùs confoderet, exprimenda esset talis rabies.

30 *Numerus circunstantiarũ.* Septem autem communiter numerari solent, quæ hoc versu continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando

Circunstãtia personæ quãdo confitẽda. Prima circumstantia *quis* explicat personam: tunc hæc est confitenda, quando ex aliqua speciali obligatione, præter eam, quæ determinat communi lege substantiam operis, peccatum fugere tenetur. Hæc communiter ad hæc quatuor reducitur, *ordo, votum, officium, contractus*, vt si contra castitatem constitutus in sacro Ordine, aut habens votum, peccauerit, si iudex permiserit, quod tenebatur prohibere; si ex contractu deputatus ad custodiam neglexerit ipsam. Alij addunt constitutos in dignitate; alij id negant, nisi aliàs sequatur scandalum. Alij addunt ad dicta, status obligationem; vt Virgo tenetur confiteri se virginem esse, quoties aliquid animo admiserit contra castitatem. Alij id negant tanquam graue; addentes etiam quando consentit in sui deflorationem, peccare solùm simplici fornicatione (sed praxis contra hoc est) si verò violentiam patiatur, peccare eum, qui intulit, ratione damni illati, quia reddit difficilius matrimonium. *Circunstãtia virginitatis.* Idem dicendum, si religiosus, aut Sacerdos peccant contra castitatem, sufficit dicere quòd contra votum castitatis peccauerit iuxta sententiam iam magis receptam, quæ solenne à simplici non distinguit specie: putarem tamen confitendam circunstantiam voti solemnis, non tamen necessariò regularis; quia sic vsus habet, & grauius videtur peccatum, notabiliter enim aggrauat. *Circunstãtia voti.* Si pœnitens est notus confessario, potest omitti circunstantia personæ.

Quid denotat substantiam facti. Huc refertur quantitas materiæ, qualitas obiecti, quæ concurrunt communiter in materia iustitiæ in genere; vt si mille furatus fuerit, si iniuriam in fama, bonis, persona, &c. cõmiserit, si parenti, si alieno, si superiori, si lapsus cum virgine, coniugata. *Circũstantia rei, & quid.*

Vbi denotat locum. Tunc confitendum, quando locus ipse speciali prohibitione tenetur, vt si in sacro quis effuderit sanguinem, &c. aut quis furatus fuerit; quamuis hoc alij limitent quoad res, quæ specialiter commissæ sunt custodiæ loci sacri: quia tunc eius sanctitas violatur; quando verò non ita, non aggrauat. *Circũstantia loci.*

Quibus auxiliis determinat circunstantiam mediorum, & instrumentorum tunc explicandam, quando eorum vsus sit specialiter prohibitus: vt si sclopeto infeceris cum periculo aliis nocendi: si habent specialem crudelitatem; vt si lento igne, aut aliis tormentis interfeceris. Aliqui sub hac comprehendunt socios, quando quis est ipsis causa peccandi. *Circũstantia mediorum.*

Cur determinat circunstantiam finis, vt quando inducit nouam malitiam præter malitiam medij. 31 *Circũstantia finis.* Si autem non inducit, non videtur confitenda; vt si sit indifferens, vt omittens Sacrum ob venationem, aut aliud exercitium. Aliqui oppositum affirmant: quia nempe statuitur vltimus finis in tali exercitio: *Frui vtendis magna peruersitas.* sed si homo sit ita affectus, vt malit transgredi quodcunque præceptum, quàm omittere tale, esset confitendum, quia est peccatum mortale statuere vltimum finem in vlla creatura absolutè, & contra charitatem Dei, qui est vltimus finis, & contra ordinationem seruandam in operando, quia *summa peruersitas est frui vtendis*, quamuis aliàs in suo genere res ipsa licita, & honesta sit. Sic peccauerunt Philosophi, statuentes finem vltimum in virtute: sic etiam peccant nimium addicti huic, vel illi scientiæ inordinatè, vt alia omnia præ acquisitione eius contemnant.

Quomodo determinat modum actus; quando affert specialem malitiam comprehendit intentionem, *Circũstantia modi.*

tionem, & durationem, passionem, ignorantiam, malitiam.

Circumstantia temporis. *Quando* dicit circumstantiam temporis: circa eam nihil occurrit speciale. Aliquorum opinio fuit quòd peccans in die festo violarit festum: sed hoc non admittitur, nisi sit peccatum prohibitum aliàs diuerso fine. Ita Nauar. *cap. 6. num. 9. Sum.*

32 *Dubium. Quādo actus duplici præcepto prohibetur.* Petes, an quando actus est duplici præcepto prohibitus, teneatur quis confiteri transgressionem duplicem. Respondetur, hæc difficultas petenda est ex materia de Legibus, sicut & multæ aliæ, quæ hîc à quibusdam mouentur de obligatione Iuris positiui; & ad quam speciem virtutis spectet transgressio Iuris positiui, & an per illud possit prohiberi quod aliàs prohibitum est de Iure diuino, aut naturali, aut alia lege superioris. His ergo in suum locum remissis, respondetur breuiter ad quæsitum affirmatiuè, *Resolutio.* quando motiua variarum prohibitionum diuersa sunt specie, & loquor de motiuis intrinsecis, non autem extrinsecis, seu finalibus: quia *finis præcepti non cadit sub præcepto.* Dices, quando non habet honestatem ex obiecto, sequeretur non peccare contra aliquam virtutem. Respondetur esse cōtra virtutem obedientiæ: sicut alioquin actus non possit alterius virtutis honestatem participare, quia ad nullum est congruum medium, aut ordinatum. Si autem est in eo proportio medij, si accedat præceptum ex fine talis virtutis, participabit etiam honestatem eius. Sed quid si motiua variantur numero tantùm? Respondetur non inferre diuersa peccata numero, nisi in materia iustitiæ, vt si coniugatus, verbi gratia, cognosceret alterius vxorem, faceret duplicem iniuriam contra propriam, & contra maritum alterius, cum qua est mœchatus. Hæc fusiùs in materia de Legibus.

Quomodo numerus peccatorum confitendus sit?

33 *Quomodo cōfiteri debeat numerus peccatorum.* NVmerum peccatorum confitendum esse est de fide *ex cap. vtriusque sexus*; vbi dicitur omnia peccata mortalia confitenda: & Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 5. de quo *suprà.* Difficultas præsens offertur circa ea peccata, quorum numerus vix haberi potest; vt quando quis est in continua voluntate peccandi per longum tempus, vt est in meretricibus, vsurariis, & huiusmodi: & quando quis ipsum peccatum, aut voluntatem peccandi interruptam sæpiùs iterauit.

Attingenda est circūstantia, ex qua saltē in confuso cognoscitur numerus. Conclusio quoad primum casum; attingenda est circumstantia, quantum fieri potest, quæ magis exprimit numerum peccatorum, quando nequit haberi memoria ipsorum certa quoad numerum. Hæc conclusio probatur ex ratione fundamentali sæpiùs tacta: quia ex expressione talis circumstantiæ mutatur per se sententia iudicis: ergo necessaria est ad eius informationem. *Probatio.* Vnde ideò excusatur à confessione ipsius numeri, quia non est possibilis eius memoria distincta: ergo debet in aliquo confuso æquiualenti exprimi, qualis est talis circumstantia. *Exemplum.* Exemplum, si aliquis fuerit vsurarius in continua voluntate lucrandi, sine occasione tamen lucri, quia defuit qui peteret. Alius autem in ciuitate populosa ex occasione quotidie oblata etiam quotidie addebat voluntati ipsum exercitium: hic debet hanc circumstantiam oblatæ quotidie occasionis exprimere, quo confessarius intelligat voluntati superuenisse effectum, seu opus externum, siue hoc addat nouam malitiam, vt asserit noster Doctor, siue circumstantiam aggrauantem, vt Thomistæ. Ex his reducendæ sunt discrepantiæ Doctorum, qui videntur tantùm in verbis differre; quorum alij dicunt in meretrice sufficere explicare tempus: vt Nauarrus, Caietanus, Canus. Alij negant, vt Soto *in* 4. *d.* 18.

Quoad secundum casum idem dicēdum erit: quoties enim interrumpitur peccatum, & resumitur, mutatur numerus, qui debet confiteri, si occurrat. Dubium solum est, quando censeatur interrumpi. Canus *in* 5. *p. relect. de pœnitentia*, asserit interruptionem fieri contraria voluntate retractante priorem: si verò tantùm naturali obliuione contigerit, non erit interruptio moralis: quia semper manebit habitualiter voluntas continuata. Sed hæc ratio non valet, quia voluntas habitualis non facit ad culpam, aut vllum actum; & sequeretur vlteriùs quòd peccans semel voluntate, verbi gratia, habens desiderium occidendi, & non pœnitens de eodem, deberet confiteri per annum durasse talem voluntatem. Caiet. *in tom.* 1. *Opusc. tract.* 31. qui est 17. *responsionum, respons.* 13. *q.* 2. *&* 1. 2. *q.* 66. *art.* 3. Nauar. *in Sum. cap.* 6. *n.* 16. Vasquez 3. *part. q.* 91. *art.* 1. *dub.* 5. asserunt intentionem remanere in suo effectu, vt quamdiu ex intentione operetur quis, quamuis actu non cogitet actu de obiecto prauo, vt si parat arma ad occidendum; si aggreditur iter ad eum finem, continuatur moraliter, & virtualiter praua voluntas in his effectibus eo modo, quo dicitur intentio finis continuari in electione, & executione: & charitatis actus in opere meritorio; & hæc sententia est vera: debet ergo hic confiteri tanquam actus continuatus pro tempore voluntatis formalis, aut virtualis. Quando verò desinunt ista duo, interrumpitur: verbi gratia, si assumatur aliquid aliud incompatibile faciendum, quod potest dici interruptio virtualis: vel si accedat ipsa voluntas contraria expresè. Si tamen interruptio sit breuis, & paruæ considerationis, tunc confitendum est peccatum per modum continuati secundùm praxim, vt docet Suarez *disput.* 22. *sect.* 5. nam talis interruptio vix variat iudicium confessarij. Ex his sequitur vlteriùs, si quis applicuerit media ad aliquod opus, licèt non sequatur effectus, esse confitendum: quia hoc superaddit voluntati internæ vel circumstantiam, vel nouam malitiam, vt quando medium de se est prohibitum, licèt eiusdem generis cum fine, vt si quis excitaret cogitationes rancorosas in seipso ad finem vindictæ: quamuis aliàs si sequatur effectus, non sint explicandæ, quia intelliguntur ex natura finis.

De interruptione peccati. Quando contingit? Sententia Cani. 34

Reijcitur. Voluntas habitualis non reputatur.

Sententia aliorum.

Continuatio virtualis.

Continuatio moralis requiritur.

Applicās media peccat.

Secunda conclusio. Peccata dubia, vt dubia sunt confitenda: sequitur ex dictis, quia informatio debet esse conformis iudicio pœnitentis. Circa modum dubij adhibentur variæ regulæ, quæ spectant magis ad materiam de conscientia per se, quàm ad præsentem. Excipiuntur scrupulosi, quibus magis expedit non confiteri dubia 35 *Dubia confitenda, vt dubia.*

Exceptio de scrupulosis.

dubia propter anxietates: in his enim tanta integritas confessionis cum tanto periculo animæ, & desperationis non obligat. Secundò, in eis non est periculum omissionis alicuius, quod sit peccatum, cùm magis oriantur scrupuli circa materias non pertinentes ad vitium.

Præmitti debet examen delictum. Tertia conclusio. Examen necessarium ad confessionem debet considerari ex circumstantia pœnitentis, & temporis: quia non est idem in omnibus necessarium, verbi gratia, in religioso, & vsurario: omittere tamen aliquod peccatum ex defectu examinis est peccatum mortale: vt communis tenet. Ratio, quia non accedit præparatus.

SCHOLIVM.

Confessionem faciendam Sacerdoti iurisdictionem habenti, habetur ex Trident. sess. 14. cap. 7. Item, confessionis præceptum obligare semper in periculo mortis. Item, ante communionem post culpam mortalem, ex Trident. sess. 13. cap. 7.

COntinet [i] hoc præceptum *cui*, quia Sacerdoti: ille enim in Ecclesia habet solus auctoritatem ligandi, & soluendi, vt dicetur *distinct. decimanona.* Et Sacerdoti habenti iurisdictionem, quia sententia à non suo iudice data, nulla est. Continet quartò *quando*, quia quandocunque est in periculo mortis, quilibet enim, quando imminet iudicium damnationis, vel misericordiæ, debet se præparare ad misericordiam, quantum potest. Istud autem non tantùm est in infirmitate mortali, sed quando aggreditur actus arduos, in quibus sit verisimile quòd mors immineat, vt in bello mortali, & in naufragio, & huiusmodi: & etiam quando vult exercere actus aliquos, quibus debetur reuerentia specialis, vt quando vult communicare: quia, sicut dictum est *suprà dist.* 9. habita opportunitate confessoris, nullus debet sine confessione communicare: & in similibus simile est iudicium. 21 *Confessio facienda Sacerdoti iurisdictionē habenti tantùm. Confessio ligat in periculo mortis, & ante cōmunionem post culpam mortalem.*

COMMENTARIVS.

36 *Cui debet fieri confessio?* i COntinet hoc præceptum Cui, &c. Explicat duas aliàs circumstantias spectantes ad hoc præceptum, nempe cui debeat fieri confessio Sacramentalis, & quando debet fieri? Quoad primum, docet iudicem huius fori esse Sacerdotem, qui habet potestatem ligandi, & soluendi ex sua ordinatione, & vlteriùs iurisdictionem ab Ecclesia: quia *sententia à non suo iudice data est nulla.* Superiùs *in d.* 14. dictum est hoc Sacramentum institutum esse per modum iudicij: ideò in ministro eius requiri authoritatem; confessio autem habet rationem informationis, cui accedit absolutio Sacerdotis tanquam sententia iudicialis in hoc foro: ideò Sacerdoti fieri debet confessio, sicut informatio iudici. De hac conditione latiùs dicetur *infrà dist.* 19. ac proinde vlteriori eius tractatui supersedetur hîc. *Sacerdos est minister.*

37 *Tempus obligationis.* k *Continet quartò Quando*, &c. Hîc determinat tempus obligationis pręcepti, quę est secunda conclusio huius paragraphi. Dicit ergo primò in articulo mortis obligari viatores baptizatos ad hoc Sacramentum, data scilicet opportunitate, & aliis requisitis: quia quilibet tenetur in tali articulo, à quo dependet iudicium damnationis, aut misericordiæ, se præparare quantùm potest. Hunc articulum mortis extendit ad omnem statum, & circumstantias, in quibus mors imminet, siue infirmitatis, siue naufragij, siue belli, & huiusmodi. Deinde dicit obligare, quando est exercendus aliquis actus, cui annexa est specialis reuerētia, vt in articulo cōmunionis percipiendæ. Intelligit hoc iuxta limitationem suprà præscriptam in duobus articulis præcedentibus, nempe quando quis habet conscientiam peccati mortalis: de quo tantùm statuit necessitatem præcepti confessionis faciendæ: nam aliàs præceptum hoc non obligat per ipsum in particulari, nisi ex suppositione talis materiæ: ideò dicit ad communionem requiri talem probationem, nec sufficere solam contritionem data opportunitate confessoris idonei, vt suprà *dist.* 9. cum ipso declaratum est. Addit præterea in similibus simile esse iudicium, nempe in ministerio, aut receptione aliorum Sacramentorum, quæ specialem hanc reuerentiam exigunt, vt sancta sanctè tractentur. *Obligat in articulo mortis. In articulo communionis. Ex suppositione peccati mortalis.*

Circa hanc literam Doctoris occurrunt plura dicenda. Primò quid circa tempus obligationis pœnitentiæ ex præcepto diuino dicendum sit, vt pœnitentia comprehendit tam Sacramentum, quàm contritionem perfectam. Secundò, in quo non sufficiat sola contritio habita copia confessoris. Tertiò denique, an in ministratione, aut receptione Sacramentorum obliget confessio, & non sufficiat sola contritio. Hæc sequentibus quæstionibus suo ordine resoluetur.

Quando obligat præceptum pœnitentiæ in genere?

DE tempore obligationis huius præcepti variè sentiunt Doctores. Gulielmus Parisiensis in tractatu de Pœnitentia existimat statim teneri peccatorem ad pœnitentiam post peccatum: quem sequutus est Innocentius IV. *in capitulo Omnis vtriusque sexus, de pœnitent. & remission.* Archidiaconus *in capitulo Ille Rex d.* 3. *de præcepto confessionis*, docet teneri ad contritionem, aut confessionem. Thomas de Argentina *in* 4. *d.* 17. *art.* 4. *ad* 4. idem tenet de contritione, non autem de confessione. Petrus de Soto *lectione* 13. eam opinionem, velut tutiorem docendam asserit Maior *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 2. *ante medium, & in fine.* Caiet. *tom.* 1. *Opuscul. tract.* 17. *q.* 1. *de contritione*, asserit præceptum pœnitentiæ obligare statim à peccato, sicut restitutionis, non 38 *Varia Doctorum sententia. 1. Sententia. Præceptum pœnitentiæ obligare statim post peccatum.*

tamen eius omissionem esse culpam nouam, aut

Sententia Caietani.

continuationem prioris, antequam habeatur positiua impœnitentia, & voluntas sistendi in peccato. Sicut nec omissio restitutionis donec habeatur voluntas non restituendi. Statuit duos modos obligationis per affirmatiuum præceptum. Vnus est, quando obligat absolutè, & non in ordine ad aliud, tunc peccat qui omittit tale præceptum accedente obligationis tempore. Secundus modus est, si obligat præcisè in ordine ad aliud, verbi gratia, præceptum confessionis ad sumendam Eucharistiam, aut administrationem alicuius Sacramenti: contra tale non peccatur donec adueniat tempus exercitij ipsius actus, in ordine ad quem obligat præceptum tale; huiusmodi est præceptum contritionis, & restitutionis. Hoc adinuenit Caietanus, ne videretur admittere peccatum nouum omittentis sine voluntate contraria positiua pœnitentiæ, aut contritionis, quod esset rigorosum.

Sententia S. Bonauentura.

Sanctus Bonauentura *in 4. d. 17. art. 2. quæst. 2.* ait præceptum pœnitentię statim obligare Religiosos à peccato ratione sui status, qui est pœnitentiæ. Sanctus Bernardinus Senensis *in lib. de æterno Euangelio sermone de confessione* tenuisse fertur cum Parisiensi.

39 *Sententia Alensis. Teneri ad pœnitentiā quoties memoria peccatorum occurrit. Limitatio.*

Alia est opinio Alen. 4. *part. quæst.* 17. *mem.* 2. qui docet hominem obligari ad pœnitentiam de peccatis, quoties memoriæ occurrunt. Idem tenere videtur D. Thomas *3. part. q.* 84. *art.* 8. Richardus *in 4. d.* 14. *art.* 9. *quæst.* 1. Gabriel *q.* 3. *dub.* 1. Palud. *dist.* 17. *q.* 1. *art.* Cather. *Annotationum* in Caiet. *lib.* 5. Viguerius *in Summa. cap.* 16. Dicunt quidam hanc cogitationem debere esse practicam, quando scilicet est deliberata, non transitoria, & proponit peccatum sub ratione offensæ, vel sub ratione delectabilis. Hoc vltimum desumitur ex ratione fundamentali sancti Thomæ *in corpore, & responsione ad primum.* Canus *in relect. de pœnitentia art.* 4. docet non esse obligationem pœnitentiæ simpliciter, sed quia quis non potest suspendere actum, quin vel occurrente peccato semper habebit de eo delectationem, vel nolitionem pœnitentiæ, aut actum contritionis. Alij præceptum continuandæ pœnitentiæ ponunt in exercitio virtutum vsque ad finem vitæ, quamdiu durat periculum lapsus: quia *qui amat periculum, peribit in eo*, & sic explicant D. Thomam *loco citato.* Soto *in 4. d. 14. quæst. 1. art. 9. d. 17. quæst. 2. art. 6.* Caiet. *in locum citatum D. Thomæ, & tom. 1. Opuscul. tract. 17. quæst. vnica.* Ioan. de Medina *cap. de pœnitentia quæst. 6. dubitatione* 2. reducunt præceptum continuandæ pœnitentiæ ad negatiuum, id est, vt nunquam ei placeant peccata præterita, aut futura: & sic explicant Diuum Thomam.

40 *Non esse obligationem pœnitendi statim post peccatum commissum.*

Prima conclusio. Nulla est obligatio pœnitendi statim post peccatum commissum, neque pro tunc obligat præceptum pœnitentiæ, seu contritionis. Hæc est communis: eam supponit Doctor hîc limitans præceptum pœnitentiæ ad certum tẽpus, & articulos pręmissos, & *infrà a.* 2. *Quoad quando,* &c. reiicit contrariam, vt datam. Illam docet Alens. 4. *part. quæst.* 17. *mem.* 2. *art.* 2. D. Thomas *in 4. d. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiunc.* 4. Est Summistarum *v. Contritio.* Nauarr. *c.* 1. *n.* 27. *&* 29. Sot. *in 4. d. 17. d. 17. q. 2. art. 6.* Durand. *q.* 10.

Probatio.

& aliorum. Probatur, quia neque colligi potest talis obligatio ex stabili fundamento, & est grauis contra naturam præcepti affirmatiui, quod in eo distinguitur à negatiuo, quod non obliget semper, & pro semper, sed statuto tempore: quia sequeretur aliàs non pœnitentem semper peccare: nec valet Caietani solutio, dicentis hoc

Natura præcepti affirmatiui.

præceptum obligare in ordine ad aliud, nempe præceptum negatiuum, quo cauetur, ne vnquam habeatur voluntas non faciendi pœnitentiam, quia hoc videtur implicare, & esse contra naturam præcepti obligare pro aliquo tempore, quin determinet opus pro illo tempore faciendum, aliàs nullo modo potest concipi pro illo tempore obligare: ergo omittendo opus pro illo tempore, peccatur contra præceptum. Probatur consequentia, quia *peccatum est actum, factum,* &c. *contra legem*, sed contra legem facit, qui non facit opus præscriptum pro tempore obligationis legis: ergo vel non obligat præceptum affirmatiuum pœnitentiæ statim post peccatum, quod est propositum; vel si obligat, peccat impœnitens.

Solutio Caietani impugnatur.

41 *Aliud inconueniens.*

Deinde sequeretur quòd quando habet voluntatem perseuerandi in peccato, aut nolitionem pœnitentiæ, peccet duplici peccato contra negatiuum, & affirmatiuum; quod non admittitur. Sequela est euidens ex doctrina Caietani. Deinde, instantia, quæ adducitur de restitutione, est falsa, quia præceptum restitutionis statim obligat à peccato: ergo quando adest opportunitas pœnitentiæ per Dei gratiam, si esset in præcepto statim post peccatum, statim etiam obligaret.

Reijcitur instantia.

Deinde, ideò voluntas positiua non pœnitendi statim est mala, quia obiectum eius est malum ex se: sed ideò potest esse malum, quia præceptum pœnitentiæ tunc obligaret antecedenter ad ipsam voluntatem non pœnitendi: quia omissio actus præcepti affirmatiui, & nolitio perinde reputãtur, quantùm ad trãsgressionẽ, & malitiã in specie: & perinde opponũtur præcepto. Si ergo præceptum obligat, omissio eius peccatum erit antecedenter ad nolitionem, alioquin nolitio pœnitentiæ hîc & nunc non esset peccatum, si pœnitentia non obligaret. Præterea, illa distinctio non est in praxi, neque congruit communi interpretationi legum: quia si præceptum pro tunc obligat, omittens, etiamsi nullum habeat actum positiuum nolitionis, est difformis legi, & regulæ: ergo peccat. Vltimò tandem hæc sententia est contra communem praxim Ecclesiæ in hoc foro, quæ non agnoscit illam obligationem statim faciendæ pœnitentiæ, vt supponit Trident. *sess.* 13. *cap.* 7. vbi necessitatem præparationis ad Eucharistiam explicat hîc & nunc ratione Eucharistiæ, & non pœnitentiæ; & addit præceptum nouum, & ibi communiter Doctores intelligunt; non declarat præceptum antiquum: sed neque *cap.* 1. *&* 4. *&* 5. declarans necessitatem pœnitentiæ, talem obligationem explicat. Neque ex natura virtutis colligitur, cuius præceptum affirmatiuum non secus obligat, quàm pręceptum affirmatiuum charitatis, & aliarum; quod non obligat pro semper.

Voluntas positiua cur mala?

Voluntas positiua, & interpretatiua contra præceptum affirmatiuum pro eodem reputantur.

Conclusio colligitur ex Trident.

42 *Obiectio ex obligatione correctionis fraterna.*

Obiicies primò contra hanc conclusionem: teneor statim adhibere correctionem fraternam peccanti proximo, quando opportunitas, & spes emendationis subest: ergo à fortiori teneor mihi ipsi subuenire per pœnitentiæ remedium. Consequentia patet, quia in spiritualibus magis obligat charitas ad bonum proprium, quàm alienum: ergo si obligat ad subueniendum proximo, statim post peccatum idem

dicen

Reſpōſio quorundam.

dicendum erit de perſona propria. Reſpondent ad hanc difficultatem varie. quidam negant antecedens, vt Adrianus, Vaſquez. Alij vt Canus, negant conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia bonorum ſpiritualium proximi, inquit, cuſtos ſum, meorum verò dominus: ſed hæc diſparitas nulla eſt: quia cuſtos tenetur ex iuſtitia ad fidelitatem ſeruandam, & ſummouendum damnum, omittens correctionem non peccat contra iuſtitiam, ſed contra charitatem, & miſericordiam; ſed magis teneor mihi ipſi ex charitate: ergo. Reſpondet aliter, teneri ad correctionem ſtatim, quia non ſemper adeſt opportunitas, reſpectu ſuiipſius nunquam deeſt opportunitas: ſed hæc etiam non ſufficit; quia ſi præciſe ratione opportunitatis tenetur quis ad correptionem eandem, in cauſa propria, poteſt contingere ob incertitudinem vitæ, & puricula aliorum lapſuum, ac tentationum; neque quis magis tenetur ad cauendum futurum proximi peccatum quàm proprium. Deinde ſi ratione opportunitatis tantùm quis tenetur ad illud, ſequitur proximum non obligari ad pœnitentiam pro præſenti, vel ad adhibendum remedium, donec aduenerit tempus obligationis futurum, in quo timetur periculum: ergo neque proximus eundem admonere; cùm non habeat periculum, aut neceſſitatem præſentem.

Reijcitur ſolutio Cani.

Reijcitur ſecūda ſolutio.

Reſponſio Vaſquez.

Reſpondet ergo Vaſquez, negando antecedens, & idem facere videntur aſſerentes peccatum præteritum, quando non timetur ex eo periculum vlterioris lapſus quoad opus, aut complacentiam, non eſſe materiam correctionis: ſed futurum, quod docuit Sotus *libello de tegendo ſecreto mem.* 2. *quæſt.* 2. *con.* 2. Gloſſa *in c. Si peccauerit* 2. *quæſt.* 1. dicit futurum, quod timetur, eſſe materiam correctionis. Sylueſter *v. Correctio* peccatum tantùm, quod habet perſeuerantiam, quod ſi non habet, ſpectare ad Prælatum corrigere ſub alligatione, vt docuit Gloſſa *in cap. Qui alios, &c. de hæreticis*, &c. Abulenſis, *quæſt.* 83. in Matth. *cap.* 18. Angelus, Caiet. Armilla *v. Correctio.* non tenetur ergo quis corrigere fratrem ad pœnitentiam, donec illi incumbat obligatio pœnitentiæ: quæ ſtatim non incurritur.

Peccatū, quod timetur futurum, eſſe materiam correctionis.

43 *2. Obiectio.*

Obiicies ſecundò, tenetur quis ſtatim ſuccurrere vitæ corporali, aut damno vnius membri, ſi incurritur periculum: ergo à fortiori vitæ ſpirituali. Reſpondet Canus negando conſequentiam, quia illorum non eſt dominus, huius autem eſt dominus, cùm eam reliquerit Deus dependenter à ſua voluntate, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Reliquit hominem in manu conſilij ſui.*

3. Obiectio.

Impugnatur.

Obiicies tertiò, teneor ſtatim reſtituere alienum, quod abſtuli: ergo idem dicendum de pœnitentia. Probatur conſequentia, quia maior eſt obligatio ſatisfaciendi Deo, quàm homini. Reſpondet Soto *in* 4. *de iuſtitia, & iure quæſt.* 7. *art. vltimo*, non teneri nos ſtatim ad reſtitutionem: ſed meliùs noſter Doctor *ſuprà diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 4. docet reſtitutionem eſſe de præcepto diuino negatiuo, quo inhibetur alienum auferre. Ex quo patet ad obiectionem, negando conſequentiam, & paritatem, quia præceptum reſtitutionis, quod eſt negatiuum, obligat ſemper, & pro ſemper, affirmatiuum pœnitentiæ non ita. Ex his patet etiam religioſum non obligari ſtatim à peccato pœnitere, quia ſtatus non inducit aliquam obligationem præter eam, quæ in votis aſſumpta eſt, niſi fortè per accidens ratione ſcandali, quatenus exemplo religioſi aliqui magis ad impœnitentiam, aut malum animarentur.

Reſponſio Soti.

Reſponſio vera.

44 *Non eſſe obligationem pœnitentiæ, quoties peccata memoriæ occurrunt.*

Secunda concluſio. Non eſt obligatio pœnitentiæ, quoties peccata memoriæ occurrunt. Eſt contra vltimam ſententiam, quoad peccata, de quibus non eſt præmiſſa pœnitentia. Patet concluſio ex præcedenti. Probatur, talis obligatio eſt oneroſa, & ſine effectu aliquo neceſſariò, quia neque eſt præceptum negatiuum, cùm hoc præciſè prohibeat ſemper, & pro ſemper actum contrarium virtuti; non præcipiat actum poſitiuum ipſius virtutis, vt patet in omnibus ſimilibus. Quòd non ſit affirmatiuum, probatur: quia ſi loquatur de omnibus in genere, etiam de quibus acta eſt pœnitentia, talis obligatio fundatur, vel in effectu aliquo neceſſariò pœnitentiæ, vel in certitudine pœnitentiæ peractæ, vel in periculo complacentiæ in peccato, vel ex obligatione amicitiæ diuinæ: ſed nihil horum probat talem obligationem: ergo, &c.

Probatio.

Non eſſe obligationem ex præcepto negatiuo.

Non eſſe eandem ex præcepto affirmatiuo.

Fundamentū obligationis.

Deſtruitur quoad incertitudinem.

Probatur, omnis effectus contritionis habetur perfectiùs per Sacramentum, quod ſuſceptum eſt, & certiùs, quàm per ipſam contritionem, quia certius eſt me habuiſſe diſpoſitionem ad Sacramentum requiſitam, quàm contritionem perfectam, ideò communicanti non ſufficit contritio ſine Sacramento, hoc autem ſufficit ſine contritione; vt patet ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. ergo certiùs habetur effectus iuſtificationis per Sacramentum pœnitentiæ; ſed non teneor confiteri quoties mihi occurrunt peccata confeſſa, neque vnquam confiteri illa, niſi fortè in articulo, quia ſunt materia libera; & colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. in quo peccata mortalia, quorum conſcientiam habet pœnitens, declarat eſſe materiam neceſſariam confeſſionis: ergo ratione incertitudinis, ſi eſſet aliqua obligatio, magis teneretur ad Sacramentum, quàm ad contritionē.

Effectus iuſtificationis certior eſt per Sacramētum.

Non tenetur ad Sacramētum.

Peccata confeſſa ſūt materia libera confeſſionis.

Neque periculum complacentiæ inducit talem obligationē; quia ſufficit non cōplacere, & complacentia, ſi fieret, reducitur ad genus, & ſpeciem peccati in quo complacet, ſicut omnis actus in bonitatem, aut malitiam ſui obiecti; & eſſet contra virtutem aliam diſtinctam à pœnitentia, verbi gratia, caſtitatem. Neque ſimili ratione ſpectat ad charitatem, non ad pœnitentiam, & ſatisfit vtrique per non complacentiam: ergo, &c. Dices ſaltem teneri hominem, vt quidam volunt, continuare exercitium virtutum; & ſic continuatur pœnitentia latè ſumpta. Contrà, quidquid ſit de hoc, illa obligatio naſcitur ex ſingulis virtutibus, ſeu earum collectione, non ex pœnitentia, quia ſi intelligamus de non tranſgreſſione illarum, ſpectat reſpectiuè ad præceptum negatiuum cuiuſque. Si de actibus, ad illos non ſemper tenemur, niſi pro tempore determinato, quando occurrit obligatio affirmatiui præcepti cum debitis circumſtantiis illo tempore, cuius adimpletio tunc fit non per actum alienæ virtutis, qualis eſt contritio, ſed per proprium: quis enim diceret ſatisfieri miſericordiæ per contritionem?

Non tenetur ob periculum complacentiæ.

Non tenetur ex charitate.

Reſponſio.

Impugnatur.

Sed obiiciunt loca Patrum Auguſtini, ſeu alterius de vera & falſa pœnitentia cap. 13. vel 12. *Dolorem cum vita finiat*, &c. *vbi enim dolor finitur, deficit pœnitentia, ſi autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia*, &c. *dixit enim Dominus, Vade, & noli ampliùs peccare: non dixit ne pecces; ſed nec voluntas peccandi in te oriatur, quod quomodo ſeruabitur, niſi dolor continuè in pœnitentia cuſtodia-* 45

Obiectio.

tur, &c. Ad hæc & ſimilia reſpondetur, non intelligi neceſſitatem obligationis, ſed congruitatis,& vtilitatis, vt ex illa clauſula, *quomodo ſeruabitur voluntas, niſi dolor continuè in pœnitentia cuſtodiatur?* Sicut & illud, *Oportet ſemper orare, & non deficere*, & monet Paulus ſemper eſſe gaudendum.

Explicantur patres.

De tempore determinato obligationis præcepti.

Variæ ſunt ſententiæ circa determinatum tempus, quo obligat præceptum diuinum pœnitentiæ, quamuis in ſpecie magis loquantur de contritione; id tamen ſupponimus nunc in genere vbique ſuppleri præceptum contritionis per ſumptionem Sacramẽti cum debita diſpoſitione, & alis requiſitis:agitur ergo de pœnitentia in genere, qua ſit remiſſiua peccati: coniiciunt autem tempus obligationis huius præcepti ex circumſtantiis. Vaſquez *quæſt. 86. art. 2. dub. 6.* aſſerit tantùm obligare in articulo mortis. fundatur in eo, quòd ſit præceptum charitatis,quo obligatur ad contritionem. Eandem ſententiam tenet Suarez *diſp. 15. ſect. 6.*

Articulus tãtùm mortis à quibuſdam ſtatuitur.

46 *Tertia concluſio.* Hæc ſententia non videtur eſſe vera, quòd peccator de Iure diuino non teneretur ad pœnitentiam,niſi ſemel in vita,& hoc in tranſitu, ſeu articulo; quia aliàs ſequeretur etiam quòd non teneretur facere bonum, aut ſuis meritis ingredi Regnum, & præparare ſibi coronam; hæc autem nequit in ſtatu peccati: ergo ſicut ante finem vitæ tenetur ad actus aliarum virtutum,& operari ſuam ſalutem mediante, verbi gratia, fide, ſic etiam ad pœnitentiam, quia ſicut fides ſine operibus mortua eſt ad effectum ſalutis, ita opera exiſtentis in peccato mortali ſine pœnitentia. Deinde regulariter non datur victoria tentationum perſeuerantibus diu in peccato mortali: & habemus ex Paulo *ad Rom. primo.* quomodo vnum peccatum trahat ſecum plura alia,donec detur peccator in reprobum ſenſum; ergo ex his colligitur neceſſitas pœnitentiæ non ſolùm ad iuſtitiam, & fructus iuſtitiæ acquirendos, id eſt, merita,ſed eſſe etiam medium ad obſeruantiam legis. Accedit vlteriùs, quòd nequeat homo tamdiu perſeuerare in peccato, volens ſine inordinata delectatione, & contemptu tam Dei,quàm ſuæ ſalutis. Dices inde probari tantùm pœnitentiam ex neceſſitate finis eſſe faciendam ante finem vitæ, quia ſine ipſa non contingit iuſtificatio, non tamen ex præcepto: quia finis præcepti non cadit ſub præcepto. Contrà, aliæ virtutes, quæ non ſunt tam neceſſaria media ad ſalutem,obligant ſæpiùs in vita ex proprio præcepto: ergo in propoſito, vbi talis inuenitur,imò maior neceſſitas, erit ſimilis obligatio. Probatur conſequentia: quia præceptum interpretari licet ex neceſſitate virtutis: lex enim poſita eſt ad directionem hominis in ſuum finem: ergo vt ſit in bonum, debet ordinatè diſponere, & præcipere ea, quæ magis faciunt ad finem; talis eſt pœnitentia peccatori. Confirmatur hac ratione: omnes Scripturæ, quæ præcipiunt pœnitentiam, præcipiunt eam ante finem vitæ faciendam, *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*, Luc. 13. & Patres ſuſpectam habent pœnitentiam ſeram, quæ fit in fine vitæ: vt *infrà* dicetur. Deinde, neſcio quomodo pœnitentia non inferat præceptum proprium, ſi habeat neceſſitatem medij,cùm Euchariſtia habeat præceptum.

Teneri ad pœnitentiam ex diuino præcepto ante articulum. Probatio.

Neceſſitas pœnitentiæ regularis ad opera ſalutis.

Ad fugienda peccata de nouo.

Reſponſio.

Impugnatur.

Præceptum ſequi naturã, & neceſſitatẽ virtutis.

Confirmatio. Scriptura declarãs pœnitentiam ante finem vitæ faciendam.

Pœnitẽtia ſera ſuſpecta.

47 Præterea, fundamentum ſententiæ oppoſitæ magis probat contrarium: quia ſi præceptum pœnitentiæ obligat ſecundùm naturam, & inclinationem charitatis, ſequitur obligare ante articulum mortis toties, quoties vrget neceſſitas propria ſpiritualis, ratione damni notabilis, periculi vlterioris lapſus, contemptus notabilis diuinæ iuſtitiæ, & miſericordiæ ſufferentis in peccato ſordeſcentem, & expectantis eius pœnitentiam: & ob periculum obdurationis excæcationis,ne à Deo iuſtè derelinquatur. Accedit ingratitudo aduerſus Deum, & contemptus notabilis vocationis, qua commouetur ad pœnitentiam. Sicut ergo charitas obligat proximo non ſolùm in extrema, ſed etiam graui neceſſitate tam corporali, quàm ſpirituali. Item, correctio fraterna ob delictum fratris obligat toties, quoties opportunitas, & circumſtantiæ requiſitæ concurrunt. Sequitur ex ordine, & inclinatione charitatis quemque teneri, vt ſuæ ſaluti prouideat in ſimilibus circumſtantiis ante articulum mortis. Ex quo patet ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Neque contra ea,quæ diximus, facit quod aſſerit Doctor *infrà art. 2. §. Quoad quando*,&c. Vbi eligit ſecundam ſententiam, tanquam mitiorem, quæ aſſerit præceptum diuinum pro aliquo tempore indeterminato ante mortem. Ibi enim loquitur de præcepto diuino confeſſionis, & non pœnitentiæ in genere.

Fundamẽtum oppoſitæ ſententiæ fauet.

Ex multis capitibus obligatio innaſcitur.

Alia item eſt ſententia, obligare præceptum pœnitentiæ in diebus feſtis. Hæc imponitur Doctori *in 3. diſt. 27.* ſed vt aliàs dictum eſt, ibi loquitur de præcepto charitatis diuinæ, cuius ratio per congruitatem ſumpta, huc applicari poſſet: neque abſolutè id determinat de ipſo præcepto charitatis: ſed cum dubio: *forte*, inquit, &c.

Sentẽtia quæ imponitur Doctori.

Quarta concluſio. Hæc ſententia probabilis eſt; eam ſententiam docet Petrus à Soto *ſect. 13. de pœnitentia cap. 13.* Viguerius *in Summa, cap. 16.* Gabriel. *in 3. diſt. 27.* Marſilius *in 4. quæſt. 12. art. 1. part. 5.* Fundatur in congruentia deſumpta ex cultu diuino,& fine inſtitutionis feſtorum, qui eſt ſanctificare hominem; peccator autem per pœnitentiam ſanctificatur,non aliter. Eam probo vnica hac ratione: quando incertum eſt tempus adimplendi præcepti, debemus illud interpretari ex congruentia, & neceſſitate operis: ſed nullum aliud tempus magis congruit conuerſioni ad Deum, quàm illud,quod eius cultui eſt deſtinatum: ergo,&c. Conuerſio autem peccatoris fit ſolùm per contritionem, aut Sacramentum: ergo, &c. Maior patet: quia nullum aliud medium ſupereſt, neque alij, qui hoc aut illud tempus deſignant,aliter procedunt, quàm ex congruitate operis, & eius neceſſitate. Minor probatur: quia peccatores non exaudit Deus: ergo quando inſtat tempus orationis, & cultus diuini, tunc maximè congruum eſt, vt ſe conuertant: non intendit ergo hæc ſententia probare nos obligari ad contritionem ex vi cultus Sabbati, aut feſtorum, ſed præceptum contritionis pro tunc in circumſtantia alterius præcepti concurrere, vt dignè Deus colatur à peccatore; ſicut alij colligunt, quando miniſtratur, & ſuſcipitur Sacramentum aliquod, tunc obligare ex congruitate operis. Hanc ſententiam variè impugnant Sotus *in 4. d. 17. quæſt. 2. art. 6.* Suarez *diſp. 16. ſ. 6.* Canus *relect. de pœnitentia 4. parte* Ioan. de Medina, *cap. de pœnitentia quæſt. 6.* Vaſquez *dub. 6. citato.* 48

Suſtinetur, vt probabilis.

Probatio ex congruitate.

Modus colligendi tempus præſcriptum præcepto.

Senſus concluſionis.

Obiectiones aliorum.

Sed

49 Sed impugnatio in vniuersum reducitur ad quatuor capita: primò, quòd diuersa præcepta sunt cultus, & pœnitentiæ. Secundò, quòd licèt finis sit sanctificare animas, finis tamen præcepti non cadit sub præcepto. Tertiò, quòd sit rigorosa. Quartò, quòd Ecclesia determinauit semel in anno tantùm confitendum, *cap. Vtriusque sexus, de pœn. & remissionibus*, &c. ergo Ius diuinum non determinauit crebriùs pœnitendum, sed ad hæc patet ex dictis. Concedimus primum, & secundum: diuersa enim sunt præcepta: neque contritio cadit in obligationem ex vi cultus, aut præcepti eius; sed ex proprio, quod concurrit, quando exercendus est cultus; sicut quando ministrandum est Sacramentum, aut suscipiendum, vt communis tenet. Quamuis aliqui dubitent an ex proprio præcepto obliget, aut ex præcepto Sacramenti talis, aut ex communi religionis, quo præcipimur sancta tractare sanctè. Tertium est falsum, quia sicut medicina necessaria ægroto nequit esse rigorosa, aut onerosa; ita neque contritio existenti in peccato, qua viuificatur ad iustitiam, & gloriam, atque opera eius redduntur fructuosa, & oratio exauditur. Quartum est ad oppositum, quia si ex præcepto Ecclesiæ de confessione semel in anno colligitur pro tunc obligare contritionem Iure naturali diuino, non solùm Ecclesiastico, sequitur posse rectè ex natura operis præscripti, ab Ecclesia interpretandum esse, quando obligat præceptum cõtritionis, & pœnitentiæ. Ecclesia item præcepit confiteri semel in anno, ne ad longius tempus differatur pœnitentia; non inde tamen sequitur, quin intra illud tempus incursa fuerit obligatio præcepti diuini contritionis.

Responsio ad primũ, & secundum.

Ad tertium respondetur.

Ad quartum respondetur.

50 Alias item circumstantias proponunt Doctores, in quibus obligatio pœnitentiæ concurrit: vt quando magna ingruit calamitas populo. Ita Petrus de Soto *lect. 13. de pœnitentia.* Adrianus *in 4. q. 3. de contritione.* Approbat Nauar. *in Sum. c. 1. n. 27.* Fauet huic ratio necessitatis: quia illa calamitas vt plurimùm ob peccata imminet, vel certè ex insidiis dæmonis, & ad probationem. In quibus circumstantiis nullum aliud remedium est magis opportunum, quàm pœnitentia, & opera satisfactoria: vnde Trident. *sess. 14. c. 8. Neque verò*, inquit, *securior illa via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit, ad summouendam imminentem à Domino pœnam, quàm vt hac pœnitentia opera homines cum vero animi dolore frequentent*, &c. ergo ex necessitate medij, & praxi vniuersali Ecclesiæ veteris, & nouæ, & Sanctorum interpretari licet hanc obligationem tum instare.

Alia circumstãtia, in quibus obligat præceptũ pœnitentiæ.

Calamitas communis.

Trident.

Alius casus administrationis, aut receptionis Sacramẽti hîc communiter ab omnibus admittitur; sed Vasquez, & Suarez asserunt obligari nos ad contritionem ex præcepto alieno, non pœnitentiæ, vt Sacramenti; an generali, an speciali? Dominicus Soto, & Canus asserunt in reliquis Sacramẽtis obligationem generalem esse in Eucharistia, tantùm obligare præceptum contritionis proprium: quia exigitur contritio, & confessio tanquam propria dispositio huius Sacramenti ob eius dignitatem. Alius casus est, quando ingruit periculum obliuionis peccatorum. Ita Soto. Alius est articulus mortis; qui ab omnibus ponitur: quia vltrà non est tempus differendi pœnitentiam: vt ergo non hæreamus in incerto: sit

Casus accessus ad Sacramentum.

Alij casus huius obligationis.

Vltima conclusio. Pium est, & tutum credere nos non posse differre conuersionem ad Deum sine peccato mortali, pro notabili tempore, & nos obligari præcepto contritionis, quoties occurrit casus damni notabilis spiritualis, vt periculum lapsus, tentationes graues, afflictiones ex peccatis, opus arduum præcepti, vt ieiunium quadragesimale, non quòd præcepta aliarum virtutum nos directè obligent ad contritionem, sed quòd ipsum præceptũ conuersionis ad Deum nos obliget in talibus circumstantiis, in quibus gratia Dei necessaria est, quæ peccato subtrahitur, & damnum notabile meriti, & operum aliàs bonorum incurritur, vt disponamus nos, ne tale contingat ad sollicitandam Dei misericordiam; & sicut oratio in tali casu obligat, ita à fortiori pœnitentia, qua iustificamur. Hæc conclusio fundatur in necessitate pœnitẽtiæ ad delendum peccatum, in damno, & periculo, quod præsens est sine pœnitentia. Et argumentum sumi potest ex aliis damnis, quibus tenemur obuiare; sicut ergo æquum est in talibus circumstantiis nos conuerti, ita æquum erat nos ad hoc obligari per argumentum desumptum à congruitate, & necessitate operis in talibus circumstantiis; quod pari conditione concludit hîc, ac in casibus, quos in specie explicant Doctores. 51

Non posse differri longo tẽpore sine peccato mortali.

Circumstantia, in quibus obligat, varia.

Petes an ad ipsum Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum ritè, obligat præceptum contritionis. Ad hoc responsum est *suprà d. 14. q. 4.* sufficere solam attritionem ad Sacramentum: ergo nulla est necessitas contritionis. Magister *in 4. d. 18.* D. Bonau. *ibid. art. 2. q. 1.* Alensis *4. p. q. 21. memb. 1. & 2.* tenent contritionem in re necessariam esse: nec sufficere æstimatam. Pro eadem citantur Gabriel *in 4. d. 14. q. 2.* & Maior. Petrus de Soto *lect. 7. de pœnitentia.* Ratio huius est, quia contritio est Iuris naturalis; sed Euangelium non mutat naturam, sed perficit: ergo talis exigitur ad Sacramentum. Secundò, auertit peccatum à Deo, & peccans mortaliter amat creaturam vltra Deum: ergo ad hoc vt sit conuersus perfectè, requiritur contritio, qua Deum super omnia diligat. Hæc soluuntur ex dictis, quia supposito Sacramento iam habetur contritio in æquiualente, aut perfectiore, quod sufficit. Ad secundum, attritio, quæ ad Sacramentum exigitur, est super omnia. Deinde in proposito non solùm attenditur perfectio actus, sed etiam acceptatio diuina, quæ coniuncta est attritioni: malè ergo argumentatur ex proportione doloris ad peccatum, quasi essent formæ ex natura rei se expellentes, aut æquiualerent ex natura rei. Accedit optima ratio contra illam opinionem, quòd si requireretur contritio perfecta ex natura rei, sequeretur quòd Sacramentum nõ remitteret vnquam peccatum ex opere operato; ac proinde falsa essent, quæ definiuntur de efficacia clauium ad hunc effectum. Est ratio Doctoris contra Magistrum, qui ex hac opinione tenet Sacerdotes nouæ legis non mundare, sed ostendere mundatum peccatorem, sicut Leuitici faciebant respectu lepræ, quod impugnauimus *d. 14. q. 4.* Videndi authores, quos pro eadem sententia *ibidem* citauimus, ad idem tenentur, quia vnum ex alio sequitur: peccata enim remitti est de fide. Qui negauerit id fieri virtute clauium, necesse est vt supponat præexigi contritionem, supposito quòd hæ tantùm ostendant remissum. 52

Dubiũ, an requiratur contritio ad Sacramentũ ritè suscipiendum.

Prima sententia.

Contritionem in re exigi.

Eius ratio.

Soluitur.

Inconueniens illius sententia.

53 *Secunda sententia.* Secunda opinio est Henrici *quodlibeto* 1.*q*.32. Caietan.3.*p.quæst*.84.*art*.1. Ferrariensis 4.*contra Gentes, cap*. 72. asserunt contritionem necessariam esse vt licitè suscipiatur Sacramentum, vt vel præsupponatur, vel si tantùm sit attritio virtute Sacramenti, mutetur substantialiter in contritionem, vel faciendo vt attritus transeat in contritum conatu suæ voluntatis. *Impugnatur.* Hæc sententia in principiis tenentium hos actus distingui ex motiuis, & in specie, est improbabilis, si intelligatur vt vnus fiat alius in specie. Deinde Sacramentum non habet efficaciam circa actus, sed circa habitus, vt patet ex Tridentino *sess*. 6. *cap*. 7. vbi explicat quid per Baptismum in nobis causatur, nempe iustitia, & habitus infusi, &c. vbi nulla est mentio de vllo actu. Deinde Trident. non asserit attritionem disponere ad contritionem, sed ad Sacramentum.

Tertia sententia. Tertia opinio est illa, quam primò explicuimus ex Soto, quam tenet etiam Nauar. *in Sum. cap*. 1. *n*. 30. & ille ipse Soto *de Natura & Gratia, c*.15. Cordub. *lib*.1.*quæstiunculary, q*.2.*opin*.3. & 4. *Quarta sententia.* Alia opinio est in extremo opposito, nullam scilicet pœnitentiam formalem esse in præcepto, aut necessitate huius Sacramenti, sed sufficere vt neque formaliter, neque virtualiter velit peccatum, & habeat voluntatem suscipiendi Sacramenti. Hæc est Syluestri *in Sum.v.Confessio, quæst*.21. quam tribuit nostro Doctori *in* 4. *d*.14.*quæst*.4.*art*.3. quod tamen est falsum, vt patet *tota illa distinct. & loco citato respons. ad* 2. *Reijcitur.* Hæc opinio non quadrat cum Tridentino, & videtur temeraria; quia loca Scripturæ, quæ præscribunt pœnitentiam, nequeunt intelligi de sola illa non complacentia in peccato; quæ verè nequit dici dolor, detestatio, auersio, conuersio, odium, sed suspensio actus ad tempus.

54 *An pœnitentia cadat sub præcepto naturali.* Petes secundò, an secluso etiam præcepto positiuo sit præceptum Iuris naturalis faciendæ pœnitentiæ, siue per contritionem, siue per Sacramentum? Loquor respectiuè ad existentem in peccato mortali, quod non deletur de lege ordinaria, vt ex aliàs dictis supponimus, nisi per alterutrum horum. Suppono etiam, suscepto idoneè Sacramento, cessare obligationem contritionis in re ipsa, nisi ex circumstantia aliqua teneatur peccator, vt in articulo mortis, adhibere conatum omnem, quem potest, ad detestandam offensam Dei, ad eliciendum amorem perfectum, & fidem, & reliqua, quæ ad perfectam dispositionem faciunt. Loquor ergo de Pœnitentia in genere vt comprehendit hæc duo.

Resolutio affirmatiua. Respondetur hîc dari præceptum Iuris diuini naturalis. Est Doctoris *art*.1. *huius quæstionis*, vt ibi dictum est. Idem tenet D. Thomas 3.*part. q*.84.*art*.7.*ad* 1. Caiet.*ibid.art*.7. Soto *in* 4.*d*.14. *q*.7.*art*.7. D. Bonau.*d*.17.*p*.2.*art*.3. Richard. *art*.2. *q*.3. Alens.4.*part.q*.18.*memb*.2.*art*.3.§.2. *Probatur.* Probatur conclusio, quia de lege naturali est dilectio Dei, quam procurare tenetur peccans mortaliter, & amittens dilectionem Dei, De lege etiam naturali est, reum esse puniendum, summouendam Dei iniuriam, &c. subueniendum saluti propriæ; his omnibus satisfit per solam contritionem, aut æquiualens: ergo est præceptum naturale diuinum, saltem latè, vt quid consonum tali legi; quia in his est necessitas medij ad salutē, supposita diuina institutione, & acceptatione.

55 *Sententia opposita fundamentum.* Contrariam opinionem sustinet Medina *C. de pœnitentia, tract*.1.*quæst*.2.*art*.2. Fundatur in hoc: Omnia præcepta legis naturæ reducuntur ad aliquod Decalogi; hoc non reducitur ad aliquod tale. Respondet Vega *in Trident. lib*. 13. *Solutio.* *cap*. 20. reduci ad quintum, *Non occides*. Contrà, *Reijcitur.* aliàs sequeretur quòd peccans mortaliter, peccaret semper contra quintum præceptum, si in *Non spectare ad quintum Decalogi.* illo comprehendatur hominem non debere se occidere spiritualiter. Hac ratione reiicitur opinio aliorum, qui dicunt reduci ad illud, *Diliges* *Solutio aliorū reijcitur.* *teipsum*; vt Soto, & Cani, qui reducunt ad iustitiam per obligationem satisfaciēdi iniuriæ: quia *Nō reduci ad charitatem propriam, vel ad iustitiā in genere.* aliàs sequeretur quòd si non esset aliud speciale præceptum de pœnitentia, quòd impœnitentia non esset peccatum speciale. Probatur sequela, quia circumstantia vniuersalis inobedientiæ, iniuriæ diuinæ, offensæ, &c. includuntur in omni peccato, neque sunt malitia aliqua superaddita, neque dant speciem, nisi specialiter intēdantur: ergo ad hoc vt impœnitentia sit peccatum speciale, requirit præceptum speciale. Respondetur ergo negando antecedens, quia in Decalogo *Soluitur aliter illud fundamentum.* includuntur tantùm ea, quæ spectant ad iustitiam proximo seruandam, quamuis simili ratione, vel à fortiori deducatur obligatio, qua quis sibi tenetur. Ex hac responsione patet, rationes *Quomodo præceptum pœnitentiæ sit Iuris naturalis.* factas pro cōclusione intelligendas esse de congruitate, nempe tale præceptum esse de lege naturæ saltem, vt aliquid consonum, non vt principium ex terminis notum, aut conclusio euidens ex tali principio deducta: & hoc tantùm intendit Medina, quia sumit legem naturalē primo, & secundo modo, non tertio. Et noster Doctor *in* 3.*d*.36.*& in* 4.*d*.17.*loco citato*. Eam fuisse *Rationes Medinæ.* mentem Medinæ declarant eius rationes. Secundo loco vrget præcepta naturalia esse immutabilia, non ita contritio, quia posset Deus remittere peccatum sine eo quòd exigeret ab hominibus formalem aliquam contritionem: ergo. Tertiò, quia nequit tale præceptū cognosci, nisi per positiuam legem, qua Dei voluntas explicatur. Ad hæc facilis est solutio, quia quidquid sit de veritate principij, ex quo desumuntur, tantùm probant, quod præmissum est de lege naturali primo, & secundo modo. Hinc Suarez *Soluuntur.* *disp*.15.*sect*.3. asserit præceptum quidem satisfaciendi iniuriæ esse Iuris naturalis, modum verò per contritionem esse tantùm positiui Iuris. Et sic vtramque sententiam concordat: quem sequitur Faber *disp*.18.*c*.1.*dub*.2. sed meliùs explicatur per trinam acceptionem præmissam legis naturalis, quæ est Doctoris: quia circa hæc non concordamus cum discipulis, & schola Angelici Doctoris.

Quando contritio sine confessione, aut Sacramento sufficiat?

AD hanc quæstionem, respondetur primò quoties præceptum pœnitendi non obligat, sufficere contritionem cum voto Sacramenti, & confessionis ad iustificandum peccatorem. Hîc supponit Tridentin. *sess*.14.*cap*.4. & non est controuersia, quia de fide est contritionem perfectam iustificare: seclusis ergo circumstantiis, in quibus non obligat hîc & nunc præceptum, illa sufficiet, positis voto Sacramenti, & aliis circumstantiis, quas *ibidem* Concilium determinat. Difficultas tamen est, quando vrget 56 *Resolutio. Sufficit contritio, quando non obligat præceptum.*

præce

Difficultas specialis huius dubij. præceptum, an sufficiat sola contritio? Qui dicunt præceptum pœnitendi vrgere, quoties peccata occurrunt memoriæ, aut statim post peccatum, aut certè diebus festis videntur supponere non esse in præcepto confessionem, & apparet saltem in circunstantia peccatorum præteritorum, etiam confessorum, quando memoriæ occurrunt. Maior difficultas est in tertio puncto *suprà* præmisso, nempe in recipiendo Sacramentum. *An obliget confessio, quãdo recipitur Sacramentũ.*

Responsio Suarez. Non obligare nisi ad Eucharistiæ susceptionem. Suarez *disp.* 35. *sect.* 3. *in fine* docet non obligare præceptum confessionis, nisi tantùm quando recipitur Eucharistia: vbi putat hanc sententiam esse certam, & citat alios, quos *suprà* præmisimus obiter, qui in eadem opinione sunt. D. Thomas *quodlibeto* 1. *art.* 11. excipit Sacramentum Ordinis: quem sequitur Nauar. *in Suma cap.* 2. sed respondet præfatus author id intelligi per accidens, ratione ipsius Eucharistiæ, quæ sumitur ab ordinatis. Et hanc sententiam insinuari docet à Trid. sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonij. *Postremò*, inquit, *sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonij consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant*, &c. videtur ergo indicare non esse obligationem confessionis ante contractum matrimonium.

57 *Responsio. Obligari ad confessionem.* Respõdetur secundò, quoties certum est peccatorem obligari ad pœnitentiam, si opportunitas adest, teneri eum confiteri sua peccata, & maximè in receptione Sacramentorum. Dixi *quoties certum est*: quia, vt *suprà* visum est de tempore obligationis huius præcepti, in his aut illis circunstantiis determinatè, variant sententiam Doctores graues; & quamuis ex congruitate operis colligant obligationem præcepti pœnitentiæ: tamen id solùm probabiliter, & non certò: in receptione autem Sacramentorum obligari ad pœnitentiam omnes docent siue per se, siue per accidens. Hanc conclusionem puto esse Doctoris his postremis verbis, vbi dicit obligationem confessionis interuenire, quando exercetur actus, cui debetur specialis reuerentia, vt quando vult communicare, *& in similibus*, inquit, *simile est iudicium*: certum est autem receptioni Sacramentorum deberi reuerentiam specialem. Idem etiam insinuat *in artic. primo in* 2. *ratione*, qua probat præceptum diuinum confessionis ex necessitate salutis, & medij certi assumendi, cõcludens rationabiliter dari præceptum cõfessionis respectiuè ad communitatem, quia est medium facilius, & magis certum, idest, operanti ad finem, qui tenetur medium certum sibi applicare relicto medio, de quo incertum est ipsi moraliter, an illud applicuerit, aut applicare possit sufficienter hîc & nunc, licèt in se sit medium efficax, si rectè applicetur. Hanc sententiam sequitur Paludanus *in præsenti dist. qu.* 2. Marsilius *in* 4. *quæst.* 12. *articulo primo in fine.* Adrianus *quæst.* 3. *de conf.* Limitatur autem conclusio ad opportunitatem pœnitentis, & confessionis præmittendæ, quando nullum est impedimentum ex parte ipsius pœnitentis, aut confessarij, quando receptio Sacramenti, vel articulus obligationis præcepti ita vrget, vt non admittat dilationem. *Sentẽtia Doctoris.* *Applicari debere medium certum.*

58 *Probatio.* Probatur conclusio; primò ratione Doctoris: quia hoc medium est magis certum, & diuina institutione ordinatum tanquam medium necessarium in re, aut voto ad recuperandam primam gratiam, in re verò ipsa tanquam medium ordinarium satisfaciendi Deo, & Ecclesiæ, etiam de Iure diuino, quo data est potestas ligandi & soluendi Ecclesiæ; sed præcepta legis intelligenda sunt de mediis ordinariis, quantùm ad articulum obligationis implendæ: ergo præceptum diuinum ordinarium de pœnitentia intelligendum est respectiuè ad ipsum Sacramentum, quando sine impedimento recipi potest. *Sacramẽtum est medium necessariũ & ordinarium.* *Præcepta intelligũtur respectiuè ad medium ordinarium.*

Secunda ratio. Secundò probatur ex iis, quibus *suprà* probatum est *dist.* 14. *quæst.* 4. hoc Sacramentum habere necessitatem medij; sed hæc necessitas medij non subsisteret, nisi ratione præcepti, quia aliàs sufficeret contritio sine vllo ordine ad Sacramentum, aut subordinatione. Item, votum, quod necessariò connexum est contritioni, vt sit efficax ad iustificationem, & acceptetur à Deo, fundatur ratione præcepti sacramentalis: ergo pœnitentiæ Christianæ præceptum, quando aliàs nihil obstat, debet intelligi de præcepto Sacramenti in omni articulo obligationis ordinariæ, & certæ pœnitendi. *Necessitas Sacramẽti est ratione præcepti.*

Confirmatur ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 14. vbi dicit, *Pœnitentiam hominis Christiani post lapsum præter detestationem peccatorum, cor contritum, & humiliatum, & cessationem à peccatis, includere etiam confessionem Sacramentalem saltem in voto, & suo tempore faciendam*, &c. & sess. 14. cap. 4. *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, priusquàm Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto non esse adscribendam*, &c. vbi ad propositum notanda sunt illa duo, quæ dicit Concilium, nempe *pœnitentiam Christianam includere in voto saltem confessionem sacramentalem suo tempore faciendam*: & secundò, quòd contritioni perfectæ non correspondeat reconciliatio peccatoris *sine voto Sacramenti quod in illa includitur.* Ex quibus sic argumentor. illa particula *suo tempore* intelligi debet quoad tempus opportunum; votum etiam confessionis hoc ipsum importat: quia est propositum firmum, & absolutum confitendi; sed secluso impedimento, & posita opportunitate de præsenti confitendi præceptum pœnitendi obligat ad captandam præsentem opportunitatem, si adest, & satisfaciendum præcepto integrè: nam id, ad quod quis tenetur in voto, ratione actus præsentis, necessarij, & non liberi, nempe præcepti, tenetur de præsenti præstare, quando eadem opportunitas est præsens: permissio enim legis non trahitur in fauorem contemptus, negligentiæ, aut iniuriæ præstandi operis completæ, sed in excusationem impossibilitatis, aut impedimenti: ergo ex natura præcepti tenetur ad præsentem confessionem; quando ipsa opportunitas commoda est præsens. 59 *Confirm. Trident.* *Ad pœnitentiã Christianam requiri saltem votũ Sacramenti.* *Votum hoc respicit tẽpus opportunum.* *Quando est opportunũ tẽpus præsens, obligat Sacramentum.* *Permissio legis non fauet negligentiæ, aut contemptui.*

Idem probatur ex natura actus præcepti quoad ipsam circunstantiam voti. Tenetur ex præcepto habere saltem votum confessionis suo tempore faciendæ: hoc autem votum est propositum efficax confitendi: sed non potest stare in eo propositum efficax confitendi, & absolutum ex natura huius actus, nempe perfectæ contritionis de peccato ob offensam Dei, & ex perfecta charitate conceptæ, nisi determinetur etiã ex vi actus, & secluso omni impedimento ad captandam occasionem præsentem confitendi: ergo, 60 *Probatur idẽ ex natura actus, & voti.* *Non stat contritio perfecta, & votum cũ contemptu opportunitatis præsentis.*

ergo, &c. Probatur minor, quia *nescit molimina tarda Spiritus sancti gratia*; & conuersio perfecta ad Deum, & detestatio perfecta peccati determinant voluntatem ad integram satisfactionem præstandam Deo, quam potest hîc & nunc commodè, & ad quam tenetur ex præcepto: sed confessio sacramentalis est in præcepto, & in ea continetur satisfactionis pars in ordine ad Deum propter erubescentiam; in ea continetur satisfactio debita Ecclesiæ per iudicium Sacerdotis absoluentis à peccato, & ligantis ad pœnam. In ea consistit satisfactio lege præscripta, per quam Deus vult vindicari peccatũ post lapsum fidelis, & pœna ingratitudinis commissæ contra beneficium receptum plenæ remissionis in Baptismo: ergo conuersio perfecta ad Deum ex natura actus, & perfectione eius non permittit dilationem confessionis, quæ de præsenti commodè potest præmitti.

Inclinant ad satisfactionẽ perfectam.

61 *Non subesse motiuũ differenda confessionis.*

Præterea, votum confitendi ex præcepto obligat determinatè ad confessionem faciendam, licèt indeterminatè quoad tempus opportunum; ad aliquod tamen determinatè obligat captandum; sed dilatio confessionis ex nullo motiuo fieri potest, si alioquin cessat impedimentum, & datur copia confessoris idonei, & eiusdem, seclusis omnibus inconuenientibus, quæ excusare possunt à confessione de præsenti: ergo vbi nullum motiuum subest differendæ confessionis, nec exceptio legis, neque perfecta in Deum conuersio patitur eius dilationem: quia hæc aliquo rationabili motiuo innituntur secundùm prudentiam: neque enim legislator à lege excipit casum, nisi secundùm prudentiam, quæ est legis regula, neque perfecta ad Deum conuersio patitur dilationem perfectæ satisfactionis lege præscriptæ, nisi ex simili motiuo: sed vt constat, est præceptum confitendi, & confessio ipsa est pars satisfactionis ex debito peccati incursæ: ergo si nullum est motiuum rationabile eius differendæ, videtur adimplenda, vbicunque est obligatio rigorosa præcepti ad pœnitendum perfectè, hoc est, recuperandam primam gratiam; talis autem est in sumptione Sacramenti. Accedit maior securitas per viam Sacramenti, quàm in re graui captare debet operans ad finem prudenter. Atque hanc sententiam docere videtur Canus *relect. de pœnitentia parte* 5. atque ei fauent plura loca Patrum, quibus ostenditur necessitas Sacramenti, vt Leonis Papæ Epistola 91. aliàs 89. *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam; sed etiam per pœnitentia medicinam spes vitæ reparetur æterna, vt qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum peruenirent: sic diuina bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri*, &c. Hanc authoritatem explicat Suarez respectiuè ad communionem, ad quam debet præmitti confessio, vt declarat Tridentinum sess. 13. cap. 7. *Vt & confitentibus*, inquit, *pœnitentia satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent*, &c.

Nihilque excusare à facto.

Satisfactio cõpleta dãda est, quãdo non est impedimẽtum.

Securitas ex Sacramento.

Leo Papa. *Eius necessitas.*

Respõsio Suarez.

62 *Vera est, sed non præcisa.*

Fateor de pœnitentibus intelligi posse etiam in ordine ad communionem; sed hæc non sola est ratio, quasi obligatio ad communionem inferret ex mente Leonis obligationem confessionis: quia ipse loquitur de obligatione pœnitentiæ, & confessionis, quam habent peccantes post Baptismum: vt patet ex comparatione pœnitentiæ in ratione medij ad salutem cum Baptismo; quam verbis prioribus per se declarat, & ex instituto, *vt indulgentia Dei non nisi supplicationibus Sacerdotum nequeant obtineri*, &c. Agit ergo de modo, quo peccator post Baptismum reconciliari debeat Deo. Quod probat verbis intermediis, quibus declarat hanc potestatem absoluendi peccatores esse in Ecclesia, & reconciliandi peccatores, & eos reconciliatos, & purgatos ad communionem Sacramentorum admittere: vbi addit consuetudinem Ecclesiæ admittentis reconciliatos ad communionem, quia tum illa consuetudo viguit, vt patet ex Canonibus pœnitentialibus, vt peccantes grauiter non admitterentur ad communionem, nisi peracta pœnitentia præscripta secundùm Canones: neque ad ministerium etiam, si erant in clero. Leo ergo consuetudinem tantùm insinuat; obligationem autem confessionis per se exponit. Vnde patet ex hac consuetudine antiqua Ecclesiæ in peccatis grauibus præmitti solere pœnitentiam integrè etiam quoad satisfactionem, & modum eius præscriptum ante communionem; vnde dicit Pontifex *vt & confitentibus pœnitentia satisfactionem darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent*, &c. In illa autem satisfactione includebatur etiam cor contritum, vt patet ex iis, quæ de satisfactione dicta sunt *in d.* 15. *qu.* 1. Videatur *Epistola* 78. aliàs 80. vbi improbat consuetudinem illam quam abrogauit fortè Nectarius, quo recitabantur peccata publicè: quia ex illa multi timore legum absterrebantur à confessione, nè conscientiæ eorum palam fierent in auribus populi. *Sufficit*, inquit, *illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis precator accedit*, &c.

Leo insinuat cõsuetudinẽ.

Necessitatem Sacramenti per se declarat.

Ritum, quem abrogauit Nectarius, improbat Leo.

Item author operis de vera, & falsa pœnitentia; & habetur dist. 1. de pœnitentia cap. 88. *Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat, repræsentet viam suam Deo per Sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confessionem*, &c. Vbi plura congerit ad hunc effectum de erubescentia, quæ meretur misericordiam. Accedunt & alia plura loca Patrum, in quibus ostenditur pœnitentiæ necessitas, vt illa quæ dicunt esse secundam post naufragium tabulam: sed dicta sufficiunt.

Author de vera & falsa Pœnitentia.

63 *Obiectio ex efficacia contritionis. Responsio.*

Obiicies primò, de fide esse contritionẽ iustificare peccatorem: ergo illa sufficit in casu receptionis Sacramentorum, excepta Eucharistia; & sic in aliis casibus similibus. Respondetur contritionem nec haberi, neque esse contritionem veram sine voto Sacramenti respectiuè ad peccata non confessa; hoc autem votum cessat, quando adest opportunitas confitendi de præsenti; quam si quis negligat sine impedimento, contemnit. Vnde sicut Tridentinum ex consuetudine Ecclesiæ declarat non sufficere contritionem præuiè ad Eucharistiam sine confessione, sic etiam dicendum in aliis actibus, quia specialem reuerentiam exigunt, vt est receptio Sacramentorum, quæ debet fieri per pœnitentiam perfectam, & medium ordinarium Sacramenti ad hoc institutum, dum commodè, & sine impedimento suscipi potest. Et hoc habet consuetudo piorum: contritio enim est medium extraordinarium, & subordinatum pœnitentiæ, cui non æquiualet; quantùm ad obligationem præcepti,

Non habetur votũ Sacramenti si differetur sine causa.

Replica. cepti, quando ipsa pœnitentia adhiberi potest. Dices, contritioni, & eius efficaciæ non derogat præceptum confessionis: ergo illa sufficit. Respondetur, si ratio valeret, probaret nullū esse diuinum præceptum confessionis, etiam in voto. *Soluitur. Cōtritio subordinatur Sacramento.* Respondetur ergo in hoc derogare, quatenus cōfessioni, seu Sacramento subordinatur, ita vt sine voto Sacramenti, quod est medium ordinarium, nihil efficiat; quale autem debeat esse hoc votum, dicemus *in §. sequent.* Deinde subordinatur Sacramento, quasi pars. Deinde vt dispositio tantùm remittit peccatum, quod per se remittitur à Sacramento tanquam à causa per se ad suum effectum ordinata. Deinde subordinatur in genere satisfactionis, quam Deus exigit pro peccato, quæ integrè consistit in tribus illis actibus pœnitentis, & specialiter in erubescentia confessionis. Deinde contritio non remittit sine ordine ad confessionem, confessio autem cum sola attritione sine contritione.

64 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò, nullum inueniri fundamentum huius obligationis confitendi, quando obligat præceptum pœnitentiæ respectiuè ad peccata non confessa. *Soluitur.* Respondetur, fundamentum huius obligationis esse præmissum, & illud sufficiens, cui accedit communis praxis eorum, qui curam sui gerunt, & Ecclesiæ.

Tertia obiectio. Soluitur. Obiicies tertiò, id esse onerosum. Respondetur magis alleuiare iugum; quia multò facilior est confessio, & securior; & quamuis aggrauaret iugum, non refert, modò sufficiant præmissa fundamenta. *Non aggrauari opus pœnitentiæ ex hac obligatione.* Quin etiam citari pro hac sententia possunt quotquot dicunt votum explicitum confessionis necessarium esse: nam simul dicunt, si opportunitas adsit, statim esse confitendum. Neque refert siue hìc & nunc, siue aliàs tenearis confiteri, ad aggrauandum onus pœnitendi: quia id certum est manere obligationem confessionis, donec actus adimpleatur.

Ad obiectionē ex Trident. Ad illud, quod additur ex Tridentino, non habetur quidpiam ad propositum: quia Concilium non supponit contrahentes matrimonium esse in peccato mortali, quod nullo modo in genere præsumi debet, aut præsumit Concilium: quia illa præsumptio neque Iure subsistit, neque facto adhortatur: ergo ad confessionem, & communionem saltem tribus diebus ante consummationem matrimonij, ad implorandum potiùs diuinum auxilium ad onera matrimonij supportanda.

Replica. Dices, ipsa contritio perfecta semper iustificat ante confessionem, & absolutionem etiam in Sacramento: ergo ex necessitate iustificationis, ex qua colligitur præceptum pœnitendi, non sequitur obligatio confessionis. *Responsio.* Respondetur clarum esse obligationem manere, non obstante contritione, siue tum, siue aliàs fiat confessio: quia Deus non remittit peccatum nisi in ordine ad confessionem faciendam, & sine eius voto; intentio autem confitendi de præsenti continet in se votum confessionis. Itaque contritioni etiam vt in Sacramento fit, non correspondet iustificatio, nisi vt subest tali intentioni, sicut nec extra Sacramentum, nisi vt subest voto: satisfactio enim completa, quam Deus exigit pro peccato, per contritionem, & confessionem fit, ideóque requirit vt confessio exhibeatur in reipsa, vel certè in affectu, & proposito absoluto confitendi, siue de præsenti, si adest copia confessoris, & vrgeat præceptum, siue de futuro; alterutro deficiente, deficit vera Pœnitentia.

SCHOLIVM.

Ad confessionem requiri displicentiam peccati commissi, & propositum non peccandi. Item negantem acceptare pœnitentiam esse absoluendum: de quo suprà dixi d. 15. q. 1. art. 3.

COntinet [1] etiam *qualiter*, quia cum displicentia peccati commissi, & cum proposito abstinendi à peccato, & obediendi Ecclesiæ in satisfactionem pro isto pecca- 22
to [m]. Intelligo, non quòd oporteat eum velle pœnam, vel pœnitentiam suscipere à Sacerdote, quia etsi nullam sibi oblatam à Sacerdote vellet recipere, tamen duas idoneitates, vel conditiones haberet præpositas hìc, & propositum recipiendi pœnam infligendam sibi à Deo hìc, vel in purgatorio; talis, inquam, citiùs esset absoluendus, quàm repellendus, vt dictum est *suprà distinct.* 15. *quæst.* 1. Sed si suscipiat aliquam pœnitentiam, vel satisfactionem sibi impositam ab Ecclesia, tenetur illam seruare: & hoc propositum oportet quòd habeat, vt debito modo confiteatur, scilicet vt velit obedire confessori in seruando, vel soluendo illam satisfactionem, quam voluntariè suscipiet ab ipso impositam.

Sed arguitur contra hoc, quod dictum est in secundo articulo: quæ sunt confi- 23
tenda, quia omnia mortalia, per hoc quod dictum est *suprà distinct.* 15. *quæst.* 1. quòd aliquis potest soluere pœnam debitam pro vno peccato, non soluendo pœnam pro alio; imò permanendo in aliquo peccato: ergo à simili potest soluere confessionem debitam vni peccato, subticendo aliud.

Quare non potest tolli vna culpa mortalis sine alia, sicut pœna vnius peccati sine pœna alterius.

Respondeo, ibi dictum est, quòd ille, qui verè est semel absolutus à peccatis omnibus, pœnam exteriorem sibi impositam potest soluere vel in charitate, vel in peccato mortali; & esto quòd in peccato mortali soluat, non tenetur eam iterum soluere, nec hìc, nec in purgatorio, nec in Inferno. Sed si aliquis nunquam verè absoluatur ab isto peccato, quia quando debet absolui, ponit obicem, qualis est hypocrita, quia ponit obicem; tunc tenetur soluere, qualemcumque pœnam exteriorem soluat, vel satisfaciat. Et ratio est, quia priùs oportet pœnam æternam commutari in temporalem antequam

antequam aliqua pœna temporalis sit aliqua solutio pro ista culpa: quando autem ille hypocrita confitetur, non est sibi commutata, quia nec absoluitur ab ista culpa: commutata est autem quando iste semel verè pœnitet, licèt qualitercumque postea recidiuet: iste enim aliquando verè fuit iustus, & non debitor pœnæ æternæ pro priùs commissis: sed ille hypocrita semper manet debitor pœnæ æternæ pro priùs commissis, & etiã de nouo fit debitor nouæ pœnæ pro nouo peccato, quod hîc committit.

COMMENTARIVS.

65 *Qualis debet esse confessio?* *Displicentia peccati requiritur.*

1 *COntinet etiam qualiter*, &c. Hîc primum de qualitate, & circumstantiis confessionis tria determinat requisita: primum, vt fiat cum displicentia peccati commissi; per quam explicantur ea, quæ dicit *in articulo primo huius quæstionis*, §. *Aliter ergo sic arguo*, &c. quod est secundùm medium, quo probat præceptum diuinum confessionis *in replica contra responsionem adductã*, dicendo probare tantùm vtilitatem confessionis, non necessitatem, quia sufficit contritio. *Contra*, inquit, *hoc, nulla alia est ita facilis, & ita certa: hic enim non oportet, nisi non ponere obicem ad gratiam, quod multò minus est, quàm habere aliquam attritionem, quæ per modum meriti de congruo sufficiat ad iustificationem, vt dictum est suprà d.* 14. *quæst.* 2. *Potest etiam aliquis esse magis certus, quòd non ponat obicem, quàm quòd habeat attritionem sufficientem, quasi per modum meriti de congruo: quia probabiliter potest scire se tunc non peccare actualiter peccato interiori, & intendere recipere quod Ecclesia intendit in illo Sacramento conferre: non sic potest scire se habere attritionem sufficientem, vt meritũ de congruo ad iustificationem*, &c. *Textus ambiguus Doctoris.* In quibus verbis loquitur de attritione perfecta, quæ dicitur contritio, seruando modum loquendi antiquorum, quo vtitur, *q.* 2. *d.* 14. & in comparatione doloris sufficientis cum Sacramento, vocatur ab eo contritio simpliciter, & per modum meriti de congruo, quòd se sola sufficit extra Sacramentum. *Declaratur.*

66 *Interpretatio aliorũ reycitur.*

Non intendit ergo Doctor, vt quidam cum Syluestro imponunt, quòd sola voluntas suscipiendi Sacramenti valeat ad remissionem peccati sine vlla eius displicentia, aut dolore: nam contrarium expresse hîc dicit, & *suprà quæst.* 4. *dist.* 14. vt ibi declaratum est: sed agit de causa per se remissionis, quam distinguit in attritionem perfectam extra Sacramentum, & in ipsum Sacramentum re acceptum. Displicentia autem, vel attritio imperfecta non remittit sua efficacia peccatum. Sed (vt dicit Trident. *sess.* 14. *c.* 4.) disponit ad impetrandum veniam in Sacramento: ideò Doctor cùm hîc ageret de præcepto diuino, quo quis tenetur ad confessionem, & Sacramentum necessitate medij, ex instituto tantùm, vt dixi, egit de Sacramento confessionis; & comparatur ad aliud medium contritionis, seu attritionis perfectæ, quod se solo sufficit ad gratiam recuperandam, quatenus ex efficacia ipsius ad hunc effectum solui posset argumentum, quod ipse proponit ex necessitate medij ad probationem præcepti confessionis. *Loquitur Doctor de attritione perfecta, vt discernitur à Sacramento.*

In hac autem litera, qua tractat circumstantias confessionis sacramentalis, docet primò necessarium esse, vt fiat cum dolore, seu displicentia peccati commissi. De natura autem huius doloris egimus *in prædicta dist.* 14. *quæst. citata, & q.* 1. *d.* 15. & hîc in præmissis aliqua incidenter iuxta naturam currentis difficultatis. Superest tantùm vt de proposito tam confitendi, quàm abstinendi à peccatis; vtrumque requiritur ad Sacramentum ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. & quia difficultas occurrit circa vtrumque actum, ideò huc transferendam duxi resolutionem: quia in littera præmissa agit de proposito emendationis: *infrà* verò *responsione ad secundum* quod desumitur ex authoritate Augustini, & Cassiodori, vbi hanc difficultatem explicabimus, agit de proposito confessionis. *Requirit dolorem peccati, vt circumstantiam confessionis.*

Quæritur circa propositum emendationis, an debeat esse explicitum & formale?

AFfirmat Soto *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 2. putans oppositum, neque verum, neque tutum, neque in populum spargendum esse. Cui sententiæ fauere videntur antiqui, quamuis non adeò expresse loquantur, an propositum debeat esse formale, an solùm virtuale. D. Thomas *in* 4. *dist.* 14. *art.* 4. Alensis 4. *part. quæst.* 17. *memb.* 3. *art.* 9. Palud. *dist.* 17. *quæst.* 1. Durandus *quæst.* 2. Adrian. *quodlib.* 5. *art.* 3. Oppositum sentit Maior *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. Vega *libro* 13. *in Trid. cap.* 21. Nau. *in Sum.* Vasquez 3. *part. qu.* 86. *art.* 2. *dub.* 4. & videtur magis in vsu apud modernos. Suarez *disp.* 4. *sect.* 3. admittit priorem opinionem veram esse ordinariò, secundam verò in casu, vt quando quis non cogitat de futura vita. 67 *Sententia affirmatiua.* *Sententia negatiua.*

Conclusio: prior opinio est magis conformis veritati & simpliciter tenenda iuxta mentem Doctoris hîc, qui superaddit propositum esse necessarium tanquam diuersum actum; licèt hæc reconciliatio Suaris non videatur simpliciter spernenda, si casus sit possibilis. Probatur, quia est Magistri, & antiquorum *in* 4. *dist.* 14. ex Ambrosio, qui definit *pœnitentiam esse mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, &c. & habetur *de pœnitentia dist.* 3. *can. Pœnitentia.* Gregorius idem habet *anteacta peccata deflere, & flenda non committere.* Præterea, Scriptura, & Patres exigunt ad pœnitentiam necessariam esse nouam vitam. Ezechielis 18. *Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis: & facite vobis cor nouum, & spiritum nouũ*, &c. vbique enim Scriptura idem commendat; & probatur speciatim ex Trident. sess. 6. cap. 6. *Mouentur*, inquit, *aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum inchoare nouam vitam, & seruare mandata. De hac dispositione scriptum est*, &c. Ergo propositum nouæ vitæ est dispositio necessaria ad Baptismum, & adiuncta pœnitentia in adulto peccatore. Deinde *cap.* 14. docet *pœnitentiam hominis Christiani post lapsum non solum includere cessationem à peccatis, & eorum detestationem*, *Conclusio. Præfertur prima sententia.* *Probatur.* Ambros. Gregor. *Pœnitentia requirit nouam vitam.* Trident.

nem, sed confessionem sacramentalem saltem in voto. hæc cessatio est propositum, & sess. 14. cap. 4. *Declarat*, inquit, *sancta Synodus hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ inchoationem, sed veteris etiam odium continere*, &c. *Infrà* loquens de contritione imperfecta, addit eandem conditionem, vt sit fructuosa, nempe vt voluntatem peccandi excludat, quod est propositum habere non peccandi, *& can. 5.* definiens dolorem pro peccatis vtilem esse, addit limitationem, *cum proposito*, inquit, *melioris vitæ.*

68 *Responsio aliorum. Reiicitur. Requiri propositum formale.* Respondent aduersarij intelligi debere propositum virtuale, non formale. Sed contrà, hæc distinctio ignota fuit antiquis in hac materia, & inferret doctrinæ Conciliorum & Patrum superfluitatem, & nugationem, & certè in Tridentino non habet locum, quia propositum virtuale nihil aliud est, quàm odium ipsum & detestatio peccati, seu contritio formalis & perfecta, sed præter odium, & detestationem peccati exigit Concilium, & Patres propositum tanquam quid omnino diuersum, vt patet ex particulis restrictiuis, & aduersatiuis, habentibus secum notam aduersæ sententiæ, & non comprehensæ, vel certè copulatiuis, & cumulatiuis eius, quod ex integro requiritur: ergo non intelligunt propositum virtuale, sed formale. Vnde non rectè Vasquez asserit Sanctos, & Scripturam parùm curasse de hoc proposito, & solùm verum dolorem commendare.

Probatio ex inclinatione virtutũ concurrentiũ ad pœnitentiam. Deinde perfecta conuersio in Deum per veram reconciliationem hoc ipsum confirmat: quia non tantùm inuoluit satisfactionem de præterito, sed vltra hoc voluntatem retinendæ amicitiæ, & iustitiæ de cætero. Item, iustitia vindicatiua peccati intendit satisfactionem ad finem obseruandi legem pro futuro. Charitas, ex cuius motiuo detestamur peccatum, sicut versatur absolutè circa Deum præsens aut absens, non sub modo determinato: ita etiam fugit peccatum absolutè pro quouis tempore; siue futuro, siue præterito. Vnde aduersarij versantur in falsa imaginatione, quasi pœnitentia obdormientibus nobis contingat, & tantùm ex cogitatione præteriti, non recordando de vita futura, quod planè existimo falsum: quia eadem fides, quæ docet de præterito dolendum, id docet quatenus etiam pro semper doceat vitandum peccatum: ergo nequit inesse ignorantia illa vitæ futuræ, imò, quod amplius est, non censetur aliud argumentum veri doloris, nisi propositum emendationis. Deinde fides in homine Christiano, & instructo, quæ docet de peccato dolendum, docet esse confitendum, si nondum est confessum. Nec video quomodo detestatio status peccati, in quo primum se apprehendit peccator illuminatus fide (vt docet Trid. *sess. 6. cap. 6.*) præscindere possit à cognitione, & voluntate fugiendi in posterum peccati.

69 *Occasio illius distinctionis propositi virtualis, & formalis. Desumpta est à simili.* Aliqui fingunt casum, si quis iam desperatus à Medicis, conteratur, non esse necessarium propositum ipsi vitæ futuræ, quæ ipsi non est duratura: sed hoc nihil est: quia duratura est vsque ad periodum, per tempus incertum, quo ipse peccare potest voluntate, & damnari: hæc ergo distinctio propositi inuenta est ad similitudinem eius, qua contritio in virtualem, & formalem distinguitur: *Dispar est ratio de dolore virtuali, & proposito virtuali.* sed diuersa est ratio: quia amor Dei contingere potest sine memoria peccati: non ita tamen contritio sine proposito emendæ, quia non videtur admitti casus obliuionis propositi faciendi; si daretur autem casus, non esset negandum simpliciter hominem iustificari, & interpretanda essent loca proposita de cursu ordinario, non in casu: quando autem illuminatur peccator ad pœnitentiam perfectam, quæ iustificat, videtur semper illuminari sufficienter ad eliciendum propositum expressum, & detestatio perfecta peccati determinat ad illud voluntatem. Dato primo, concedunt aduersarij peccatorem teneri ad propositum eliciendum expressè.

Quòd verò conclusio sit Doctoris, patet etiam *ex dist. 14. quæst. 4. respons. ad secundum argum.* vbi attritioni in Sacramento adiungit necessarium esse propositum euitandi peccati pro futuro, ad hanc iustificationem in Sacramento obtinendam. *Coniectura Fauëtini reiicitur.* Ex quo sequitur Fabrum *in 4. dist. 16. num. 15.* non rectè ex sententia Doctoris asserere hominem reddi certum se habere contritionem, quando habet propositum explicitum suæ emendæ: quia licèt argumentum sit perfecti doloris, & omnino requisiti, hominem habere tale propositum: tamen neque admittit Doctor soli contritioni esse connexum, cùm loco citato expressè loquatur de attritione, quæ extra Sacramentum non iustificat, neque dici possit ex loco citato Trident. *sess. 14.* neque certitudo rigorosa in hac materia admittenda sit, ex eodem Tridentino *sess. 6. cap. 9.* quo damnatur fiducia hæreticorum ex incertitudine, quæ oritur ex infirmitate nostra, & indispositione: si tamen præmiserit quis examen suæ conscientiæ, & orationem, qua impetraret à Deo gratiam compunctionis, & veræ pœnitentiæ, modò sentiat in seipso propositum firmum euitandi peccati cum confidentia in Dei adiutorio, ac meritis Christi, non in seipso, argumentum erit à posteriori quietandi animum, & se fecisse veram pœnitentiam: quia tale propositum oritur ex pœnitentia tali tanquam causa, siue attritio sit, siue contritio.

Difficultas vlteriùs est, An sufficiat propositum generale cauendi peccata. Respondetur, si illud propositum sit absolutum, & perfectum, ita vt secundùm affectum includat formaliter, aut virtualiter propositum particulare, maximè circa peccata confessa, sufficere. 70 *An requiratur, vt sit extensũ ad peccata confessa, saltẽ virtute.* Quid si propositum sit confusum, & in genere, ita vt ex efficacia sua non determinetur ad propositum in specie deserendi huius, aut illius peccati in specie, si ei applicetur per cogitationem? Respondent quidam sufficere tale propositum, neque debere confessorem in specie interrogare pœnitentem an habeat propositum deserendi hoc peccatum, confessum, aut non committendi illud de cætero, si viderit periculum esse ne ille complaceat magis in peccato, & dicat se non habere propositum: quia alioquin id esset tentare pœnitentem. *Sententia quorundam de proposito hoc.* Hanc sententiam audio à quibusdam practicari, nescio certè quibus authoribus, aut quo fundamento: fortè occasionem huius praxis desumpserunt ex Sanchez *lib. 3. Sum. cap. 7. num. 9.* qui aliud agens de reo, qui illegitimè negauit coram iudice veritatem: dicit autem cautè se debere confessarium gerere circa hoc propositum reorum fatendæ veritatis, si iterùm rogentur. Si enim credat quòd non sit interrogandus denuò, nil debet ipse interrogare de tali proposito, ne peccatores tentet de concipiendo proposito contrario,

contrario, cùm sit difficillimum negotium fateri proprium crimen: sed satis est, vt in genere proponant cauere in posterum peccata. Imò si credat fore, vt iterum rogentur, non debet interrogare de proposito, cùm iam pœnitens non sit in peccato mortali, id enim iam transiit, & satis est in genere proponere emendam: quia si pœnitens sit in bona fide, debet confessarius illum non reddere certiorem de hac obligatione confitendæ veritatis: dato etiam quòd teneretur eam confiteri.

71 *Hac sententia reijcitur.*

Respondetur tamen, quidquid sit de obligatione confitendæ veritatis, de quo dictum *d.15. q.vltima*, quantùm spectat ad propositum emendationis, & fugiendi peccati, meo videri hanc sententiam nec veram, nec tutam esse, neque vllo modo trahendam in praxim. *Impugnatur.* Probatur, de fide est odium veteris vitæ, & inchoationem nouæ requiri ad fructuosam pœnitentiam; sed neque talis habet odium vitæ prioris, neque inchoationem nouæ, neque dolet, neque emendatur de tali peccato vllo modo secundùm propositum absolutum voluntatis: ergo, &c. *Illud propositum non esse sufficiens, nec compati cum debita dispositione.* Maior supponitur ex iam dictis, & patet ex authoritatibus Patrum, quarum plures citat Magister *dist.*14. Minor probatur, quia nullus efficaciter dolet de peccato commisso, aut proponit emendam, & vitam nouam, qui affectu manet conuersus ad peccatum; sed quicumque ita dispositus est, vt in particulari interrogatus à Sacerdote, respondeat se non velle deserere tale peccatum, verè secundùm affectum nec dolet de peccato, neque proponit emendam, & vitam nouam, quæ necessariò requiruntur, saltē quoad affectum, seu intentionem, & propositum absolutum: ergo is non verè pœnitet, sed fictè tantùm, & verbaliter. *Non est fuga peccati.* *Responsio.* Dices, illum habere propositum in genere, quod virtualiter extenditur ad hoc peccatum, & id sufficere. *Impugnatur.* Contrà, hæc euasio est, & omnino verbalis: quia nullus actus voluntatis virtualiter extenditur ad obiectum, qui non est natus inducere determinatè actum similem circa obiectum, vel certè ex efficacia sua excludere actum contrarium. *Illud propositum esse inefficax, neque virtute extēdi ad peccatum confessum.* Dixi actum similem, nempe si est volitio, induere volitionem, si est nolitio, nolitionem obiecti: verbi gratia, intentio electionem medij, & similia: sed propositum illud verbale in genere, si esset formale vnius obiecti, virtuale alterius esset natum inducere propositum formale illius, vel saltem æquiualeret illi, ita vt nullo modo admitteret actum contrarium: ergo neque in genere est propositum formale, quod exigit pœnitentia, nempe voluntas absoluta, & efficax quantùm ad intentionem, & affectum fugiendi illud peccatum; neque consequenter dolor, cui tale propositum ineffieax est coniunctum, extenditur virtute ad detestationem illius peccati, de quo in specie interrogatus dicit se non velle fugere: ac proinde affectu, & voluntate affectat peccatum.

Innocent. Rectè ergo Innocentius II. & habetur d. 5. de pœnitentia: *Admonemus fratres nostros, ne falsis pœnitentijs laicorum animas decipi, & in Infernum pertrahi patiantur: falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur; vel cùm sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio,* &c.

72 *Instantia de contritione.*

Si quis vellet instare de contritione, quæ efficax est, licèt de vno peccato concipiatur ex pluribus, quæ reus commisit. Contra: illa contritio secundùm affectum, seu virtute, & implicitè extenditur ad alia omnia mortalia, quæ quis commisit, & quorum est reus: sed non ita se habet propositum, quod formatur iuxta præsentem casum: ergo non est par ratio: si enim propositum in genere sit tale, vt virtute extendatur ad omnia, illud sufficit: sed tale propositum non compatitur cum illa dispositione peccatoris, qua interrogatus de aliquo in particulari, diceret se nolle deserere tale peccatum. *Reijcitur.*

Secundò, vnum peccatum mortale nequit dimitti sine altero, quia non dimittitur, vt aliàs dictum est, nisi per reconciliationem peccatoris, & infusionem gratiæ, quæ non compatitur cum vllo mortali: ergo neque pœnitentia de vno mortali, aut pluribus fieri potest validè ad effectum remissionis, nisi de singulis fiat virtute, & affectu: hoc autem sequitur propositum de fugiendis omnibus per voluntatem absolutam, & determinatam, quantùm est ex parte actus, quæ tollit illam dispositionem in contrarium. *Secunda ratio.* *Ex connexione mortaliū, quantùm ad remissionem.* Si dicas Trident. *sess.*14.*cap.*4. vbi agit de attritione, seu contritione imperfecta, tantùm requirere vt simul excludatur voluntas peccandi. *Responsio.* Contra, secundùm opinantes requiritur prǫter dolorem, saltem propositum in genere quod consistit in aliquo positiuo. *Impugnatur.* Præterea Concilium intelligit illam exclusionem non negatiuè; sed etiam positiuè, iuxta ea, quæ in initio capitis requirit ad contritionem in genere, vt communis est ad perfectam, & imperfectam. Requirit *cessationem à peccato, noua vitæ inchoationem, & odium veteris*: quæ est communis sententia Patrum: quia illa ad reconciliationem peccatoris exigit: *Odium veteris vitæ, & inchoationem nouæ requiri.* *quædam enim impietas infidelitatis est* (vt author lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 9.) *ab illo qui iustus, & iustitia est, dimidiā sperare veniam*, &c. nec Deus ad amicitiam admittit, nec in gratiam misericorditer acceptat, nisi qui auertit se à peccato, & habet voluntatem seruandi iustitiam per adimpletionem legis. Vtrumque æquè requiritur in homine adulto: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et, *Si vis ingredi vitam serua mandata*, &c. Matth. 19. officium enim Christiani est fugere à malo, & sequi bonum; & vtrumque in dispositione sufficienti voluntatis requiritur: nam sunt media necessaria, quæ ex voluntate efficaci finis tenetur quis absolutè, & quantùm est ex se efficaciter velle secundùm affectum; nec sola simplex complacentia eorum sufficit, aut stare potest cum efficaci voluntate finis. Vnde Trident. *sess.6.c.*14. explicat illud propositum per *cessationem à peccatis*, & *sess.* 14. *can.*5. quod superiùs *cap.* 4. dixit, explicat absolutè, & definit sub appellatione propositi melioris vitæ.

73 *Suppositio falsa permissa.*

Quod amplius est, demus sufficere cessationem à peccato, & propositum vitæ melioris intelligi posse per voluntatem excludentem complacentiam actualem (quod neque in rigore Theologico, aut sermonis, neque secundùm veritatem Scripturæ, aut Patrum dici potest) demus tamen, inquam, sufficere, dolere de commisso, & excludere propositum committendi de cætero: saltem hæc ipsa requiritur modo humano, & liberè per suspensionem voluntatis de cætero peccandi, & hoc liberè, & non merè necessariò, & naturaliter seclusa attritione, & reflexione: sed quicumque est ita dispositus, vt *Requiri saltem vt excludatur voluntas peccandi liberè, & ex deliberatione.*

interro

In casu præmisso non subsistere talem voluntatem.

interrogatus respondeat se non velle ampliùs non peccare pro futuro, neque propositum etiam hoc modo formatum habet,& tantùm excludit voluntatem peccandi ex inaduertentia, non verò liberè,& ex deliberatione;propositum autem nouæ vitæ, aut emendæ se habet vt circumstantia requisita ad dolorem,aut confessionem peccati: ergo moraliter debet afficere vtrumque, vt sit circumstantia moralis pœnitentiæ.

3. Ratio.

Inducit contemptum salutis.

Tertiò, hæc sententia minuit solicitudinem salutis, & inducit contemptum Sacramenti, & licentiam peccandi: quia si sufficit propositum ita formatum, quisque potest licitè absolui, & confiteri, modò interrumpat actualem complacentiam peccati, & aliquo modo ei displiceant commissa,& sic ex facilitate veniæ contemnitur omnis disciplina vitæ,& rigor Sacramenti,quod est perniciosum tam pœnitentibus, quàm etiam confessoribus,vt per se constat: nec indiget vlla ponderatione,quæ facilis est ex Patribus,qui indulgētiam, & facilitatem in hoc foro perniciosa esse docent;quod & ipsa experientia comprobat.

74 *4. Ratio. Minùs debet absolui talis, quā qui causam proximā peccandi nō deserit.*

Quartò, faciliùs absolui deberent qui causas proximas peccandi non excludunt,quàm qui accedunt cum tali proposito, prout casus format; sed communis docet, & veritas, tales non esse absoluendos; quia qui non est paratus causam, & periculum proximum peccandi exscindere, censetur non velle emendare peccatum, neque syncerè,& vt oportet ad salutem,pœnitere deserendo peccatum. Antecedens patet; quia periculum proximum peccandi, & voluntas periculi illius est tantùm voluntas interpretatiua peccati in causa, modò velit periculum ex alio fine aliàs licito, aut permisso,& non ex complacentia explicita peccati,sed qui interrogatus respondet se non habere voluntatem deserendi peccatum confessum, habet voluntatem perseuerandi in peccato,atque adeò ipsius operis in se ipsa,& non solùm in causa: ergo minùs debet absolui.

Responsio.

Dices totum esse verum: sed non debere interrogari,nisi in genere, an habeat propositum emendæ; ne interrogatus in specie complaceat de nouo in peccato.

Impugnatur.

Contrà: ergo etiam neque tenetur,aut debet confessor exscindere causas, & periculum proximum peccandi, si viderit ex dispositione pœnitentis eum non cessurum: sed hoc nequit dici; ergo neque illud.

75 *5. Ratio. Ex obligatione confessarij, non absoluendi in eo casu.*

Quintò ad idem si confessor viderit eum sic interrogatum ita dispositum esse, vt respondeat non velle se emendare, non potest præsumere in eo sufficientem dispositionem ad Sacramentum,aut dolorem cum proposito: sed confessor sine his nequit eum absoluere, aut committere se dubio nullitatis, contra debitam reuerentiam Sacramenti, & in perniciem ipsius pœnitentis: ergo si viderit dubiam esse eius conuersionem, non potest absoluere. Ita Doctor *d.19.resp.ad d.18.§. Sed nunquid pœnitentia, ver. Breuiter ergo dico*,&c. Probatur consequentia: confessor est iudex huius fori,& tenetur inquirere de omnibus, quæ essentialiter requiruntur ad sententiam validam, & an sit pœnitens dignus, qui absoluatur, vel qui legetur, atque in primis non solùm confessio est materia, seu quasi materia huius Sacramenti, sed etiam contritio, & satisfactio, vt docent Concilia, de quibus cognoscere ex officio tenetur confessarius tam ob va-

Iudex tenetur inquirere de requisitis ad valorem sententiæ.

liditatem, & reuerentiam Sacramenti, quàm etiam ad ipsius rei salutem necessariam: reus ergo primùm debet esse pœnitens, & ea pœnitentia, quæ requiritur, vt satisfactio lege præscripta; hæc autem est odium veteris vitæ, & inchoatio nouæ secūdùm propositum efficax,& absolutum, quantùm est ex parte voluntatis. Si ergo confessarius dubitat modo dicto de veritate pœnitentiæ, & propositi, tenetur inquirere sufficienter donec res ipsi constet: sed per se constat quòd propositum illud,quod neque virtute, neque explicitè excludit voluntatem perseuerandi in hoc peccato confesso, non sit sufficiens propositum, aut auersio à peccato, neque dolor sufficiens consequenter habeatur cum tali proposito, ergo tenetur ex tali præsumptione fundata interrogare in specie an talis velit se emendare circa tale peccatum, & si interrogatus responderit se non velle emendare, & confessor credat eum dicere veritatem: debet etiam iudicare eum non esse dispositum, nec fuisse in eo veram pœnitentiam, aut propositum, cùm viderit etiam ex sufficientibus indiciis, & fundatis eum interrogatum sic responsurum; debet etiam tunc iudicare eum non esse dispositum sufficienter, neque retractasse tale peccatum, vt debet: nam præsumptio eius non potest fundari in alio, nisi quia sic dispositum videt, vt nullo modo absolutè intenderit emendam talis peccati.

Debet exigere satisfactionē lege præscriptam.

Tenetur inquirere in specie, si velit emendare, si ipse dubitat, aut præsumit contrarium.

Præsumptio fundata sequenda donec elidatur.

Confirmatur, quia nullum periculum ei obtenditur ex tali interrogatione,quod non incurritur ex confessione actuali ipsius peccati ex natura rei:vel ergo dum confitetur peccatum,complacet in ipso peccato, vel non complacet? Si primum, confessio est sacrilega, imò dato quòd non posset confiteri sine complacentia mortali peccati, non teneretur ad confessionem eius: sed casus non subsistit. Si non complacet: ergo interrogando, & examinando circumstantias particulares ipsius casus non incurrit tale periculum; sed hæc vna est ex requisitis, vt peccatum sit materia idonea confessionis, & absolutionis, nempe vt ipse se emendet: ergo necessariò requiritur: & ideò respondet se non velle emendare, non quia interrogatur; quia interrogatio est debita, & iuridica: sed quia nec dolet de peccato sufficienter,neque habet propositum eius deserendi, prout confessarius antea præsumere debet secundùm prudentiam, & legem, cùm certò præuiderit ita responsurum.

76 *Confirmatio. Periculum ex interrogatione nullum.*

Ex interrogatione non prouenit periculum, sed ex defectu pœnitentiæ.

Secundò confirmatur: quia auarus obnoxius restitutioni, & vsurarius sic possint absolui,non obligando, aut interrogando, an velint restituere in particulari; imò neque interrogari deberent, si præuideantur esse in tali dispositione, vt responderent se non velle restituere: quare ergo similiter tenendo reum debere dicere veritatem, & iuridicè interrogatum, & præuidendo eum de nouo interrogandum, verbi gratia, quia citatus est in diem; quare, inquam, non deberet interrogari à confessario, & obligari, vt respondeat veritatem, dato quòd teneatur? aut certè eum non esse absoluendum, quia iustitia non strictiùs obligat in materia particulari restitutionis inter priuatos, quàm in materia iurisdictionis spectante ad bonum publicum.

2. Cōfirmatio. Ab inconuenienti, & simili.

Dices, difficulter vllus confitetur suum crimen. 77

Responsio.

77 *Impugnatur.* Contrà difficulter auarus, & vsurarius restituit, difficulter lubricus corrigit vias suas: hæc autem difficultas non à confessario est, sed à lege inducente obligationem, quam quis tenetur seruare: illud debitum confitendæ veritatis (supposita veritate sententiæ, de obligatione confitendi veritatem secundùm quam respondetur ad casum) incurritur ex crimine, quod ad notitiam fori deductum, non debet esse impunitum: hoc debitum sibi debet reus imputare, & suo delicto, quod factum est notorium, si tale est in circumstantiis, vt teneatur fateri veritatem. Neque prætendi potest bona fides in proposito, quia si confitetur negationem veritatis, vt peccatum, scit, & sciuit esse peccatum, non potest ergo prætendi bona fides, sicut aliquando prætenditur ex ignorantia inuincibili, verbi gratia, impedimenti occulti matrimonij, quod in re ipsa est nullum, si coniuges sunt in bona fide, neque timetur aliquod inconueniens ex silentio, sed grauia incommoda ex eius reuelatione, tunc confessarius rectè, & secundùm charitatem, licèt sciat priuatim nullitatem matrimonij, permittit coniuges in bona illa fide. Crediderim ita velle Sànchem intendere in proposito, ex suppositione bonæ fidei in reo, quamuis confiteatur se negasse veritatem coram iudice interrogante, pro securitate conscientiæ suæ, vt quia dubitat, si fuerit mentitus, quamuis se putet non teneri ad veritatem dicendam: licèt confessarius teneat sententiam oppositam, non debet tunc destruere bonam fidem eius, si sit saltem fundata.

Sequendo sententiam, quæ docet reũ interrogatũ iuridicè teneri ad dicendam veritatem, nõ est absoluendus aliter.

Non habet bonam fidem.

Licitè in casu non proditur impedimentũ matrimonij.

78 *Excusatur Sanchez.* Cæterùm satis confusè loquitur: quamuis non credam tantum virum fuisse illius opinionis, quæ dicitur esse in praxi alicubi, etiam quoad omnia peccata in genere, quamtumlibet grauia, & in ea dispositione pœnitentis, qua prævidetur responsurus se non velle de hoc in particulari emendari. Quam doctrinam censerem erroneam in fide, & perniciosam Ecclesiæ, & populo, & reipublicæ, & saluti animarum: ac proinde dignam, quæ authoritate prælatorum exscinderetur: alioquin nullus est in mundo adeò peruersus Christianus, quin sic posset confiteri, & sumere Sacramenta quotidie: quod nihil aliud est, quàm ea prostituere, & prophanare, & fauere improbitati. Addo vlteriùs confessarium esse mediatorem inter Deum, & pœnitentem, ideóque secundùm leges iustitiæ vindicatiuæ, secundùm quas procedit, debere exigere satisfactionem lege præscriptum, quæ est pœnitentia de peccato cum proposito emendationis.

m *Intelligo, non quòd oporteat eum velle pœnam, &c.*

Docet requiri propositum non solùm abstinendi à peccato, sed etiam obediendi Ecclesiæ in satisfactionem pro illo peccato. Duplex est satisfactio, quam præstare tenetur Ecclesiæ. Prima est ipsius confessionis, subiiciendo peccatum clauibus. Secunda est satisfaciendi pœnitentiæ iniunctæ à confessario pro pœna temporali debita peccato, si eam acceptauerit: dicit tamen eum non semper teneri ad acceptationem talis pœnitentiæ iniunctæ, sed sufficere vt acceptet pœnam hîc, vel in Purgatorio luendam. In hac vltima assertione est magna controuersia: eam explicabimus *infrà dist.* 19. in qua respondetur ad quæsitum *dist.* 18. 79

Tenetur pœnitens satisfacere Ecclesiæ.

Duplex satisfactio, ad quã tenetur.

Obiectio subiuncta cum responsione patet ex aliis dictis: quia cùm satisfactio pœnitentialis imponi debeat non pro peccato, aut pœna æterna, sed pro pœna temporali, in quam illa commutatur, sequitur quando peccatum non est remissum manere semper obnoxium debito pœnæ æternæ, & non induci debitum pœnæ temporalis, quæ ei succedit, vt patet ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 14. & *sess.* 14. *cap.* 8. ideóque pro illa non incurri debitum satisfaciendi.

Quando peccatum non est remissum, non teneri ad satisfactionem pro pœna tẽporali.

SCHOLIVM.

Impugnat Richard. asserentem ex præcepto Ecclesiæ venialia esse confitenda, quando quis non habet mortalia: & resoluit, nec contritionem, attritionem, vel confessionem requiri pro venialibus. Nauar. cap. 2. num. 9. Ledes. art. 5. dub. 6. Henriq. l. 4. c. 4. §. 1. & 10. Cano. relect. de pœn. p. 5. cum Ric. sentit Alm. hîc art. 2. & Ang. v. Confessio 2. §. pœn. *quoad Religiosos. Sed sine fundamento, quia Trid. sess. 14. c. 5. & can. 8. generaliter negat obligationem confitendi venialia.*

24 De [n] tertio articulo dico, quòd Ecclesia præceptum istud, quantùm ad aliqua prædictorum, non specificauit, & quantùm ad aliqua specificauit. Præcipua autem specificatio huius præcepti inuenitur *in illo capitulo Extrà de pœn. & remiss. Omnis vtriusque sexus.* Quantùm [o] ad *quis*, specificauit, quia peccator adultus, postquam scilicet ad annos discretionis attigerit, &c. & nihil aliud est quàm adultus, secundùm intellectum priùs assignatum.

Ric. præsenti dist. art. 2. quæst. 4. Quantùm [p] ad *quæ*, dicunt quidam, quòd si habet mortalia, tenetur præcisè ad confessionem illorum, & non venialium. Si autem habet sola venialia propter præceptum Ecclesiæ tenetur in illo casu ad illorum confessionem. Hoc non intelligo, quia in illo capitulo dicitur, *omnia peccata sua*: aut fit ibi distributio de peccatis venialibus, aut non? Si sic: ergo habens mortalia per virtutem illius præcepti, tenetur ad confessionem venialium. Si non; ergo non habens mortalia, sed tantùm venialia, non tenetur ad confessionem illorum: quia simpliciter non cadunt sub illo, quod dicitur ibi *omnia peccata sua.* Vnde videtur contradictio ponendo eundem intellectum vocabulorum istorum *omnia peccata sua*, dicere istum obligari ad confessionem venialium, & non istum.

Item, esto quòd aliquis vixit sine peccato mortali vsque ad medium Quadragesimæ: si tunc confiteretur, vt impleret præceptum Ecclesiæ, per te, teneretur confiteri venialia, quia illa sola habet; peccet illo die mortaliter, velit pòst implere præceptum Ecclesiæ

Ecclesiæ de confessione, per te, non tenetur confiteri venialia illa, quæ priùs habuit: ergo per commissionem mortalis, absolutus est ab aliqua obligatione, scilicet à confessione venialium, quod videtur irrationabile.

Dico [q] igitur quòd quantum capio ex statutis Ecclesiæ generalibus, nullus tenetur ad confessionem venialium in quocunque casu: nec in hoc Ecclesia specificauit præceptum de confessione;& hoc rationabiliter; quia ipsa vtitur Sacramento Pœnitentiæ tanquam tabula secunda contra naufragium, quod non est in venialibus. 25 *Venialia peccata confiteri non tenemur.*

Nec [r] aliquis tenetur ad aliquam contritionem de venialibus: imò in actuali voluntate, vel actu venialis moriens, saluabitur; vapulabit tamen: non videtur autem, quòd aliquis teneatur ad secundam partem pœnitentiæ, quæ est confessio, de quo non teneatur habere contritionem, vel attritionem. Hoc etiam patet ex alio, quia (sicut *suprà* dictum est) venialia delentur totaliter quantùm ad culpam, & pœnam, quandoque sine aliquo opere speciali, sicut per actum feruentem contemplationis in Deum, quemadmodum gutta consumitur à flamma vehementi. *De venialibus non est necessaria contritio, nec attritio.*

Si quæras, quomodo ergo Sacerdos cognoscet vultum pecoris sui, si ille, qui dixit se vixisse innocenter, non tenetur confiteri venialia sua? Respondeo, si quis sibi confiteretur, & solùm venialia, ex quo cognoscet ipsum non fecisse, nisi sola venialia? Ex nullo nisi ex confessione sua. Vnde *Extra. de offic. ordinarij, cap. Significauit. Confitenti pœnitentialiter in omnibus credendum est, quia non est verisimile, quòd quis sit immemor suæ salutis:* ergo sibi eodem modo credat venienti, & dicenti; Domine regratior Deo, quia ex quo fui vltimò confessus, non habeo conscientiam de peccato mortali: date mihi Eucharistiam: & in ista pœnitentia tantam habet cognitionem vultus pecoris sui, quantam si narrasset venialia sua per duos dies; nec aliam certitudinem posset habere de propriis venialibus, si confiteretur, quàm modò habet de innocentia eius, scilicet per proprium testimonium eius. Quantùm igitur ad *Quæ*, Ecclesia circa illud præceptum non specificauit. *Malè citatur iste textus.*

COMMENTARIVS.

80 *5. Articulus.* In DE tertio articulo dico, &c. Hîc agit de præcepto Ecclesiastico confessionis. Circa hanc materiam primùm occurrit, quantum se extendat Ecclesiæ potestas præceptiua?

Vtrùm Ecclesia potuerit præcipere confessionem peccatorum?

Sententia negans potestatem Ecclesiæ in actus internos. COmmunis opinio est Ecclesiam non habere potestatem in actus merè internos, id est, quorum malitia, vel bonitas merè in interiori perficitur in anima, neque per modum causæ, aut dispositionis habent connexionem cum actu externo. Hanc vniuersaliter de omni lege humana docuit S. Thomas 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. *&* *q.* 100. *art.* 9. Gabriel. *in Can. missæ lect.* 62. Palud. *in* 4. *d.* 17. *q.* 7. Sotus *d.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *&* 10. *de Iustitia & Iure, q.* 5. *art.* 5. Castro *de iusta hæreticorum punitione lib.* 2. *cap.* 18. Nauarr. *in Summa. cap.* 11. & multi alij.

Non posse ex potestate ordinaria præcipere confessionem actus merè interni. Hac ratione Duran. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 8. tenet non posse Ecclesiam præcipere confessionem peccatorum occultorum Iure merè humano, seu potestate sibi tradita ordinaria, sed præcepisse authoritate, quam specialiter recipit ad hoc à Christo. Ex hoc aliqui interpretantur Durandum asseruisse confessionem non esse de Iure Ecclesiastico, sed tantùm sub consilio, quod tamen non rectè deducitur.

2. Sententia. Ecclesiam limitare tēpus confessionis; nō posse præcipere substantiā actus. Secunda sententia tenet ex eodem fundamento, Ecclesiam eatenus posse præcipere confessionem, quatenus limitare possit tempus præcepti diuini de hac facienda. Ita Sotus *in* 4. *d.* 18. *q.* 1. *art.* 1. Canus *in relectione de pœnitentia part.* 5. Probat, quia sicut Ecclesia non potest instituere Sacramenta, sic etiam neque vsum præcipere. Secundò, quia quando supponitur, præceptum diuinum non limitans aliquod tempus, potest Ecclesia præcipere tempus adimplendi præcepti; & hoc communiter vocant Theologi (inquit Caiet. *in primo tomo Opusc. tract.* 5. *q.* 1. limitationem Iuris diuini.) Quem loquendi modum videtur amplecti noster Doctor *in* 3. *dist.* 27. in simili de obligatione charitatis, quatenus limitata est per præceptum obseruandi festa: quod insinuare videtur etiam *hoc articulo infrà in fine*, quatenus præceptum Ecclesiæ vocet explicationem præcepti diuini, quod magis postea explicat Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *Probatio.* *Videtur hæc sententia Doctoris in eo quod factum est.*

81 *Conclusio.* Conclusio est affirmatiua. Probatur, de facto præcepit *cap. Omnis vtriusque sexus*: ergo, &c.

Probatio. Dices, ex potestate extraordinaria recepta à Christo sic præcepisse.

Reuelatio non fundata. Contrà: hæc non asserenda sine speciali reuelatione, quæ neque ex traditione, aut explicatione Ecclesiæ suppetit.

Ecclesia vtitur potestate ordinaria. Probatur secundò, Ecclesia in tali præcepto vtitur potestate ordinaria, neque significat se aliter procedere, nisi ex clauibus: ergo. Tertiò, suppositâ institutione huius Sacramenti per modum Tribunalis, & necessitate eius ad remissionem peccati, iurisdictione concessa Sacerdotibus in peccata, quoad hoc forum, & quęcunque cadunt necessariò in pœnitentiam Ecclesia habet potestatem actiuam quoad confessionem internorum peccatorum præcipiendum, sicut quisque iudex ordinarius quoad materiam sibi subiectam: ergo, &c. *Peccata interna subsunt Ecclesiæ.*

Responsio. Impugnatur. Dices; Non potest discernere si verè confiteatur, néc ne. Contrà: sic etiam neque iudex nouit discernere certè, si testis verè, vel fictè deponat; nescit Ecclesia si minister Sacramenti habeat veram intentionem, & sic in omnibus, ad

ad quæ requiruntur actus interni, vt sunt contractus, electiones, transactiones; tamen lex humana ad hæc omnia obligat: ergo, &c. Ex quo patet ad rationem in oppositum, quia peccata interna suppositis institutione Sacramenti, præcepto diuino, potestate clauium data Sacerdotibus, spectant per se ad forum externum Sacramentale. Vnde ex institutione, & necessitate, ac potestate clauium, colligit Tridentinum præceptum diuinum confessionis.

Soluitur ratio opposita.

82 Sed quæres, si non esset tale præceptum, Vtrùm posset Ecclesia obligare ad vsum Sacramenti?

An secluso præcepto diuino posset obligare ad confessionem. Responsio affirmatiua. Iurisdictio includit coactiuam potestatem.

Respondetur affirmatiuè. Quamuis neget Sotus, & alij ex fundamento præmisso, nempe quia limitat tantùm tempus præcepti diuini. Probatur tamen responsio ex præmissis, quia omnis iurisdictio includit coactiuam potestatem, & hac ratione Theologi colligunt Pontificem, & Ecclesiam habere potestatem condendi legem obligantem Christianos, sed tunc Ecclesia supposita institutione Sacramenti, quamuis nulla esset necessitas eius suscipiendi ex præcepto, haberet potestatem ordinariam remittendi peccatum; ergo quando videret hoc esse in vtilitatem fidelium, vt propriæ dispositioni non permitterentur; aut reuerentiæ Sacramenti, ac honori Dei, posset confessionem præcipere. Hoc patet ex Tridentino *sess. 21. cap. 2. Præterea declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret*, &c.

Trident.

Ex quibus verbis patet ad rationem primam Soti: neque videtur mihi tam scrupulosè loquendum, vt præceptum hoc dicatur tantùm limitare diuinum præceptum quoad tempus: nam cuius est præcipere tempus ex potestate ordinaria non subordinata, eiusdem est præcipere substantiam actus, cùm tempus accessoriè ad actum præcipiatur, tanquam eius circumstantia. Vnde non video cur Ecclesia non haberet hanc potestatem indirectè saltem, sicut habet potestatem indirectam præcipiendi temporalia, quando ad finem spiritualem necessaria sunt.

83 Cæterùm non est contemnendus modus ille, quem ponit Doctor, & docet Soto, quòd Ecclesia præceperit tempus de facto confessionis faciendæ, non ipsam confessionem: quæ fuit de Iure diuino, sic videtur mihi Concilium Tridentin. *sess. 14. cap. 5.* interpretari præceptum Ecclesiæ: *Neque enim*, inquit, *per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod Iure diuino necessarium, & institutum esse intellexerat, sed vt præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis peruenissent, impleretur*, &c. Aliud ergo est, an Ecclesia possit præcipere confessionem; aliud an præceperit: quia potest præcipere aliquid quod Iure diuino est præceptum, vt soluere votum, vt patet in Religiosis, præceptum ergo diuinum confessionis non obstat, quin Ecclesia eam præcipere posset.

Probabile est Ecclesiam de facto præcepisse tempus tantùm, aut limitasse. Trident.

Posset tamen præcipere actum.

Dices, quod diuina lex permittit liberum, Ecclesia non potest præcipere.

Responsio.

Hæc responsio falsa est, vt patet in consiliis Euangelicis, orationis, ieiunij, &c. quæ libera sunt, tamen Ecclesia ea præcipit. Potest etiam præcipere confessionem venialium, vt infrà patebit; quod perinde probat conclusionem præmissam.

Impugnatur.

o *Quantùm ad Quis, specificauit*, &c. Docet pueros comprehendi hoc præcepto, sicut superiùs dicit de præcepto diuino. Idem tenet Richardus *articulo secundo, quæst. 4.* Gabriel. *quæst. 1. concl. 2.* Nauarr. *cap. 21. num. 33.* Corduba *quæst. 60.* Suarez *disput. 36. sed. 2.* Vasquez *quæst. 90. art. 11. dub. 4.* & probatur, quia comprehenduntur præcepto diuino, cuius determinatio est præceptum Ecclesiasticum quoad tempus. Deinde, quia lex neminem excipit; necessitas autem est in pueris, vt in aliis peccantibus mortaliter. Tertiò patet, quia Felix Papa 3. *Epistola cap. 2. de his qui ex industria bis baptizantur*, comprehendit etiam pueros sub pœna legis, mitigata tamen pœna, & iubet eos aliquamdiu teneri sub manus impositione, id est, pœnitentia, per quam reconciliati restituantur communioni: monet ergo eos priùs reconciliari. Quartò denique ideò in textu dicitur *cùm ad annos discretionis peruenerint*, id est, discernendi inter bonum, & malum, ita vt peccare mortaliter possint: ergo eos comprehendit. 84

Quinā obligantur præcepto Ecclesiæ. Obligari pueros sicut & præcepto diuino. Probatio.

Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2.* dicit pueros ratione ætatis non obligari hoc, aut aliis Ecclesiæ præceptis ante annum duodecimum ætatis, sicut neque censuris, & *dist. 18. art. 7.* idem dicit. Primum illud falsum esse patet ex dictis. Secundum ex *cap. Pueris*, &c. *de delictis puerorum* patet, quamuis aliqui excipiant quosdam casus: sed meliùs interpretamur benignitatem Ecclesiæ, quæ teneram ætatem non vult tam rigoroso præcepto punire, nisi pueros includat expresse: quod vix fieri contingit.

Pueri non ligantur pœnis ante an. 12. ætatis.

p *Quantùm ad Quæ, dicunt quidam*, &c. Hanc sententiam tenet Alens. *4. part. quæst. 18. mem. 4. art. 2.* D. Bonauentura *in hac dist. part. 4. art. 2. q. 1. in corpore.* Richardus *eadem d. art. 2. q. 4.* 85

Materia præcepti Ecclesiastici. Sententia asserens peccata venialia comprehendi.

q *Dico igitur, quòd quantum capio ex statutis.* Tenet conclusionem oppositam, quæ est communis aliorum. D. Thomæ *in hac dist. q. 3. art. 1. quæstiunc. 3. ad 3.* Durandi *q. 2.* Paludani *q. 2.* tenet Maior *q. 2.* Soto, & alij Doctores, quos *suprà* citauimus. Probat benè Doctor, quia illa particula *omnia peccata*, vel comprehendit venialia, & mortalia simul, pro quibus distribuit, vel sola mortalia. Non primum, quia aliàs etiam, si quis haberet mortalia ex vi huius præcepti, teneretur simul confiteri venialia; quod negant authores primæ sententiæ: si secundum: ergo obligatio præcepti reduci debet ad sola mortalia: & confirmatur, præceptum Ecclesiæ est determinatio præcepti diuini quoad tempus, in quo debet exerceri: sed præceptum diuinum, vt patet ex Tridentino suprà, non obligat ad confessionem venialium: ergo neque Ecclesiasticum. Præterea, venialia possunt remitti, & per alia media, & à Sacerdote simplice, vt infrà videbitur: sed confessio, quæ hîc præscribitur, non potest fieri, nisi proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia, iuxta statutum legis: non intendit lex confessionem venialium. Quartò, quia confessio venialium ex fine Sacramenti, quem respicit hoc præceptum, non est necessaria, neque consequenter capax pœnæ hîc iniunctæ, quæ exigit peccatum mortale. Quicquid sit, an confessio hæc possit iniungi sub graui obligatione ex fine religionis,

Non teneri habentem sola venialia confiteri ex hoc præcepto. Non fieri distributionem pro venialibus. Confirmatio.

Præceptum diuinum non comprehendit venialia. Confessio venialiū potest fieri Sacerdoti simplici.

Talis confessio non est capax pœnæ legis regulariter.

gionis, aut alterius virtutis in hoc, aut illo statu particulari: verbi gratia, religionis: saltem præceptum Ecclesiæ ex fine intrinseco, & necessitate Sacramenti positum nequit obligare in materia veniali grauiùs quàm compatitur ipsum diuinum præceptum, & natura materiæ, vt dicit ordinem ad Sacramentum. Quintò, quia, vt benè Doctor, Ecclesia vtitur hoc Sacramento, quà institutum est tanquam secunda post naufragium tabula. Sextò, quia de veniali non requiritur contritio, aut attritio: ergo nec confessio, quia hæc necessariò supponit dolorem.

Vsus Sacramenti, vt necessarium est præcipitur.

86 Disputatur à modernis fusiùs, an Ecclesia possit præcipere confessionem venialium, vel an vnquam præceperit? Ratio dubitandi, quia nequit mutare materiam Sacramenti; sed si posset præcipere confessionem venialium, faceret de libera necessariam. Hanc negatiuam sequitur Soto *in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3.* Opposita pars est verior, & de facto id fecisse probabilius est. *Clement. Ne in agro Dominico*, &c. in quâ præcipitur Benedictinis, vt singulis mensibus confiteantur: teneri autem illos singulis mensibus confiteri venialia, si alia non occurrant, docent Canus *relectione de pœnitentia, part. 5.* Nauarrus *cap. Placuit, &c. de pœnitentia, dist. 6.* Ratio huius est, quia confiteri venialia est actus virtutis: ergo potest cadere sub præcepto. Conducit etiam ad bonum commune, & disciplinæ. Secundò, quia si quis voueret se confessurum singulis mensibus, teneretur confiteri, etiamsi non haberet alia peccata, quàm venialia: ergo non est contra naturam Sacramenti aliquem astringi ad confessionem venialium. Ex quo patet ad rationem in oppositum, quia hoc non est mutare materiam; quia non extenduntur claues ad id, quod ipsis institutione diuina non subest soluendum, & confessio ipsa est capax talis præcepti.

An Ecclesia posset præcipere confessionẽ venialium?

Sententia negatiua.

Affirmatiua sustinetur.

Præcipitur Benedictinis, vt saltem semel in mense confiteantur.

Hæc confessio est materia virtutis, præcepti, & voti capax.

Obijcies. Dices, non potest præcipere sine necessitate: hîc nulla esset, quia venialia possunt per alia remedia tolli.

87 *Responsio.* Respondetur sufficere profectum, & conseruationem talis status pro fine præcepti, cultum & reuerentiam ipsius Sacramenti, ne vsus eius aboleatur. Præceptum tamen hoc obligaret ex natura materiæ tantùm ad veniale peccatum, ratione verò alicuius grauis damni emergentis ad mortale. Ratio est, quia obligationis mensura debet ex materia desumi. Ita aliqui. Sed magis dicendum est præceptum esse graue ratione ipsius confessionis tanquam exercitij Religionis Monasticæ necessarij: si enim ex vsu Religionis nemo cõfiteretur, nisi conscius mortalis, omnes absterreret, ne se proderent, ideò ne talis contemptus perniciosus inualescat, ipsa confessio facienda est materia grauis in talibus circumstantiis. Hinc intellige illa verba Doctoris: *Ex statutis generalibus nullus tenetur ad confessionem venialium*, &c. quia id verum est quoad Iura, quæ Doctorem præcesserunt, qui mortuus est 1308. ante Concilium Viennense.

Finis talis præcepti sufficiens.

Limitatio.

Reijcitur.

Explicatur Doctor.

1 *Nec aliquis tenetur ad vllã contritionem*, &c. In hoc puncto variæ sunt opiniones, & plures impugnant sententiam Doctoris; sed dissertationem remittimus *ad distinct. 21. infrà*, vbi ex proposito de remissione venialis agemus. Litera sequens est clara, & rectè fundata.

Controuersia resoluitur, distinct. 21.

Petes, quale peccatum sit mendacium in confessione circa peccatum veniale?

Mendacium in confessione quale sit peccatum?

Respondent quidam esse peccatum veniale. Ita Soto *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4.* Nauarrus *in Summa cap. 21. num. 37. & 38.* Syluest. Angelus *verb. Confessio.* Vasquez *dub. 7.* Contrarium affirmat Caietan. *2. 2. q. 69. art. 2.* quamuis *in Summa*, strictiùs loquatur de veniali, quod proponit confiteri. Casum exponunt Doctores de mendacio circa materiam liberam, quando ea sola non subiicitur confessioni, vt rectè Nauarrus excipit. Ratio huius est, quia non fit iniuria Sacramento notabilis: neque mutat iudicium confessarij notabiliter, neque habet ius exigendi rigorosè rationem actorum in materia merè libera. Sed reuera hæc sententia non videtur mihi absque scrupulo practicanda, quia quidquid subiicitur clauibus, debet absque fictione fieri, & videtur sequi exceptione illa posita à Nauarro: nam quòd alia materia accedat veniali in confessione, per accidẽs est, cùm ipsum subiiciatur clauibus, & iudicio confessarij cognoscendum, legitimè autem interrogatus in iudicio circa causam tenetur respondere: ergo quamuis aliàs sit libera materia, tamen confessioni subiecta non est ampliùs libera. Ideò Paludanus *in 4. dist. 21. art. 1. quæst. 2. art. 3.* Richardus *art. 3.* D. Bonauentura *artic. 1.* quamuis indistinctè loquantur, videntur tenere cum Caietano. Et ratio est, quia mentiri in materia per se Sacramenti, & necessaria secundùm alios oppositum sentientes, est peccatum mortale, sed (quidquid sit de veniali confesso) ipsa confessio est materia proxima pœnitentiæ, & necessaria: ergo.

88 *Resp̃osio quorumdam.*

Reijcitur dicta responsio.

Legitimè interrogatus tenetur nõ mentiri.

Materia proxima pœnitẽtiæ est confessio, & necessaria.

Secundò, si quis adiungeret hostiam ex materia non consecrabili aliis ad consecrationem, esset peccatum mortale sacrilegij: ergo eadem ratio currit in proposito. Negat Vasquez consequentiam: disparitas, inquit, est, quia forma Eucharistiæ est demonstratiua, & indicat quod præsens est. Non ita pœnitentiæ, quæ vagè profertur, non determinando hæc, aut illa peccata. Imò extenditur ad mortalia, & venialia; si quis tamen confiteretur cum mortalibus venialia, quorum non haberet contritionem, non remitterentur ei. Hæc responsio plura continet, quæ ex occasione facilè possunt impugnari: quidquid ergo sit de modo verificandi formam Eucharistiæ, siue demonstratiuè, siue aliter, de quo consuli potest Doctor *suprà dist. 8. quæst. 2.* forma absolutionis cadit super materia proposita iudicio per modum sententiæ: ergo determinat explicitè, & efficaciter omnia, & singula confessa, de quibus pœnitet reus, & ligatur: ergo non vagè. Ad illud, quod vlteriùs addit de contritione, est impugnatum superiùs: coincidit cum sententia D. Thomæ, quam ipse impugnauit. Vltimam sententiam confirmant illæ conditiones vulgares confessionis, vt sit *pura, fidelis.*

89 *Secunda ratio.*

Commiscens materiã non consecrabilem consecrabili, peccat grauiter.

Resp̃osio Vasquez.

Reijcitur.

SCHOLIVM.

Nomine Sacerdotis proprij, quantùm ad cui facienda sit confeßio, intelligi omnem Sacerdotem habentem iurisdictionem Ordinariam, vel commissariam, siue hoc sit ex determinatione Ecclesiæ, siue non: est communis. Vide Suarez 4. tom. disp. 25. sect. 2. & disp. 26. sect. 1. & 2.

26 QVantùm * autem ad *cui*, videtur specificare per hoc, quòd ait, proprio Sacerdoti: nam ex prima institutione Ecclesiæ non videntur fuisse distincti proprij Sacerdotes: quando enim Apostoli hinc, & inde ibant prædicando verbum Dei, nec fuit iste Sacerdos istius gentis, nec illius; & nec iste, nec ille: sed pòst sunt diœceses distinctæ, & Parochiæ, & Sacerdotes in Parochiis: & pro tunc tamen possunt, & poterant dici proprij Sacerdotes quicumque habentes iurisdictionem ordinariã, vel commissam; vel soli habentes iurisdictionem ordinariam contra Commissarios, vel strictissimè soli habentes immediatam iurisdictionem, & proximam ordinariam. Et secundùm hos intellectus possunt fieri altercationes hodie inter Ordinarios, & Commissarios de intellectu illius capituli. Siquidem Ordinarij, & proximi, & inferiores non altercantur contra superiores, vt ipsi soli sint proprij, & non alij. Non enim ita faciliter audent Curati resistere Episcopis, sicut pauperibus priuilegiatis.

Quis dicendus proprius Sacerdos?

Si tamen ponderaretur virtus vocabuli, proprio Sacerdoti, proprius qui solus, & non alius, vel proprius isti, quia isti & non alij; neutro modo obligatur aliquis ad confitendum proprio Sacerdoti: quia si multi ex æquo præsunt alicui Parochiano, vterque ex æquo absoluit. Idem etiam ex æquo absoluit multos Parochianos: igitur intelligitur pro habente iurisdictionem ad immediatè absoluendum istum.

Proprius Sacerdos in rigore significat solum Parochum: sumitur tamẽ pro quocumque habente iurisdictionẽ ad immediatè absoluendũ.

Nec in hoc tunc specificatur præceptum, quia in generali erat de *cui*, scilicet Sacerdoti habenti iurisdictionem. Et si aliquis possit committere illam immediatam iurisdictionem vni, quam alius habet ordinariè, quòd ipsi non negant Papam posse: igitur secundùm istum intellectum, Commissarius potest fieri proprius: non igitur illud, *proprio Sacerdoti* specificat *cui*, vt includitur in præcepto primo, nisi dicatur, quòd in primitiua Ecclesia, quilibet Sacerdos habuit iurisdictionem suprà quemlibet pœnitentem: & nunc singulis sunt determinati singuli pœnitentes vt subditi: & tunc quilibet erat proprius cuilibet, hoc modo, scilicet, quòd habens iurisdictionem ordinariam super quemlibet: sed non proprius, id est, determinatus sibi, vel Parochiæ suæ, sicut modò est proprius: sed ista proprietas nullam potestatem specialem tribuit proprio, quam non habuisset ille, sed tantùm limitat aliquos aliquibus.

COMMENTARIVS.

90 § QVantùm autem ad cui, *videtur specificare per hoc*, &c. Hic dicit Sacerdotem esse ministrum ex hac constitutione, qui sit ordinariæ, aut delegatæ iurisdictionis: est communis sententia; & patet ex Trindentino eum intelligi proprium, qui habet iurisdictionem absoluendi hoc modo: quod patebit magis *infrà dist. 18. & 19.* vbi agetur de potestate Ministri huius Sacramenti. In initio determinat iurisdictionem ordinariam Curatorum esse Iuris Ecclesiastici, & humani, quo vnus vni Ecclesiæ præficitur, alter alteri: & idem dicendum de Episcopis, quantùm ad potestatem iurisdictionis, & non Ordinis.

Minister huius Sacramẽti est Sacerdos habẽs iurisdictionem.

Potestas Curatorum est Iuris humani.

Probatio. Probatur, quia multi sunt tituli sine vlla plebe, aut Ecclesia, qui nullam habent in quemquam iurisdictionem absoluendi, aut ligandi. Et idem de eo qui depositus est, suspensus, aut excommunicatus, aut renunciauit acceptatâ renuntiatione. Hi tamen sunt veri Episcopi quoad ordinem: ergo iurisdictio non est ipsis ex ordine.

Obiectio. Dices, Act. 20. *Attendi vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, &c. *Soluitur.* Respondetur ibi multos fuisse, qui non erant Episcopi; & dato opposito, dici positos à Spiritu sancto ratione vnctionis, & Ordinis, non iurisdictionis. Secundò probatur conclusio. Illa iurisdictio esset particularis, aut vniuersalis respectu omnium; sed primum nequit dici, quia neque huius determinatæ personæ, loci, aut populi. Non secundum, quia sic nequiret restringi. ad particulare territorium, nam quod Iure diuino, & ex vi Sacramenti datur, est inuariabile. Conclusionem hanc docent Caietanus *tom. 1. Opusc. tract. 1. c. 2.* Medina *tract. 2. de pœnitentia quæst. 35. conclus. 4.* Paludanus *in 4. dist. 24. quæst. 6. artic. 1.* Durandus *ibid. quæst. 5. art. 1.* Valent. *disput. 7. q. 16. puncto 3. asser. 3.* Henriquez *lib. 6. cap. 3.* licèt contrarium doceat Petrus à Soto *de confessione lect. 5.* & alij quidam.

Secunda obiectio.

Obiicies contra hanc conclusionem, quòd sequeretur ex ipsa posse Pontificem in vniuersum validè suspendere Ius omnium Episcoporum per Ecclesiam. 91 *Obiectio.*

Responsio. Respondetur negando consequentiam: quia licèt potestas Episcoporum deriuetur à Petro, tamen de Iure diuino est, vt Ecclesia regatur per Hierarchas, non per alios.

Secunda conclusio. Iurisdictio sequitur curã. Secunda conclusio: hoc ipso, quòd quis ordinetur, aut constituatur alicuius loci Episcopus, aut Parochus, accipit Ius in omnes, qui sunt illius loci, est communis. Difficultas tantùm est, quinam censeantur illius loci? Respondetur, alij

sunt

fiunt subiecti ratione criminis patrati in loco; alij ratione domicilij, maximè si morentur maiore anni parte: de hoc Summistæ.

Tertia conclusio.

Tertia conclusio: qui habent titulum coloratum tantùm, & aliàs sunt intrusi, validè absoluunt. Ratio, quia Ecclesia in tali casu ob bonum populi dat ipsis iurisdictionem ad eiusmodi actus. Habere titulum coloratum censentur ij, quibus datur aliquod officium, cui annexa est cura animarum inualidè. Conclusio fundatur *in l. Barbarius, de officio Prætoris.* Quo Iure vtitur etiam Ecclesia.

Absolutio valida ex titulo colorato.

SCHOLIVM.

Confessionem ex præcepto non faciendam laico, & dubium est an expediat, vel liceat ei fieri, quia si dicatur expedire ob quærendum consilium, id potest haberi, proponendo factum in vniuersali, sine reuelatione proprij peccati, si tamen circumstantiæ suadeant, rem aperire in particulari, licèt nec Doctor id negaret.

SI verò [c] quæras vtrùm de vi præcepti primi, & de eius explicatione, quantùm ad istum articulum *cui*, liceat confiteri laico? Ad quod Magister videtur respondere in littera quòd sic, & auctoritates sunt *in Canone de pœnit. dist. 6. §. Placuit.* Respondeo, talis confessio potest esse materia verecundiæ, quæ est vna pœna debita peccato: & in hoc confitens soluit aliquam pœnam, quam solueret, si confiteretur Sacerdoti: sed quia accusatio ad hoc ex præcepto fit, & non ad aliud, vt sequatur sententia; & laicus nullam habet sententiandi auctoritatem in isto foro; sequitur quòd nullum præceptum est de accusando se laico: & fortè vtilius esset non accusare se illi, si posset æqualem verecundiam habere apud se recogitando eadem peccata, & sic æquè puniri. 27

An laico confessio fieri possit.

Non esse præceptum confitendi laico.

De hoc sup. d. 14. q. 4.

Et si diceret aliquis quòd necessarium est non confiteri laico, quia nulli licet diffamare se, nec prodere peccatum suum occultum, maximè quando ille, cui prodit, non præsumitur celator secreti, nec scit meliùs consulere peccatori, quàm ipsemet sibi: fortè enim propter consilium requirendum, liceret alicui reuelare peccatum suum alicui laico discretiori. Sed nec hoc patet, quia consilium posset inquiri posito casu in vniuersali de aliquo, absque reuelatione peccati sui.

Quid igitur de malefactoribus damnatis confitentibus laicis? Respondeo, simplicitas excusat eos, ne in hoc peccent, & humilitas eorum est meritoria eis pro quanto volunt illud, quod pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ supplere, sicut possunt. Sed viro discreto, qui benè sciret ad quid est confessio instituta: nec fortè vtile foret, nec (sine fortè) necessarium talem confessionem facere.

COMMENTARIVS.

92

De cõfessione facta laico.

Qui eam docent faciendam?

t SI verò quæras vtrùm laico, &c. Confitendum esse laico in necessitate, consulit author libri de vera, & falsa pœnitentia; & ex eo Gratianus *cap. Quem pœnitet. dist. 1. de pœnitentia, & dist. 6. cap. Qui vult confiteri peccata.* Ex eodem Magister *in hac distinctione*, quem sequuntur plures antiqui, vt Alens. 4. *part. quæst. 19. memb. 1. art. 1.* D. Thomas *in præsenti distinct. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 2. ad primum.* D. Bonauentura 2. *part. dist. art. 1. quæst. 1.* & Paludanus. *eadem distinct.* Nemo dicit horum hanc confessionem esse Sacramentalem, aut veram confessionem: quia, vt benè Doctor, nequit accusatio fieri nisi in ordine ad absoluentem, & eum, qui potest absoluere. Illi dicunt causa instructionis, & consilij posse fieri, quod admittunt etiam moderni: sed Doctor dat modum, nempe proponendo casum in persona tertij, ita vt sibi saluet famam. Attendendæ sunt circunstantiæ, & an vtilitas in periculo, & necessitate suæ famæ præponderet, & persona, cui aperit suam conscientiam, sit omnino discreta, & prudens, & secreta, quæ possit ipsum instruere, & dirigere, & excitare ad veram pœnitentiam agendam: quo casu iudicarem id consultissimè agere, & debere contemnere famam in necessitate salutis, vbi nihil aliud damni sequitur, & certa spes emolumenti subsistat.

Nõ est sacramentalis.

Toleratur ex debito fine.

Modus idoneus eam faciendi.

Circunstãtiæ, in quibus fieri debet.

Cæterùm quia casus iste dependet à circunstantiis incertis, magis iudicat Doctor in genere non esse consultum id passim agere, quia quis posset se diffamare sine vlla commoditate. Non ergo semper est consultum hoc facere: sed in determinatis circunstantiis, & necessitate auxilij, quod præstari potest à tali persona: multi enim & consultè suas conscientias, & tentationes viris spiritualibus, & exercitatis, consilij, & auxilij causa denudant. De malefactoribus, qui publicè confitentur aliqua crimina sua, dicit Doctor excusari ob simplicitatem. Sed etiam hic ritus potuit alio modo, & via induci, nempe quoad aliqua crimina ab ipsis commissa, ne fortè alij innocentes in crimen ob illa delicta, aut suspicionem traherentur. Doctor ergo dicit confessionem laico factam causa consilij fortè esse licitam: sed negat semper esse licitam fieri cuicunque: minùs verò ad hoc obligari quempiam necessitate, aut præcepto Sacramenti: quia illa confessio nihil facit ad Sacramentum. Author verò de vera, & falsa pœnitentia, qui docet confessionem illam faciendam laico in absentia Sacerdotis: videtur causa erubescentiæ, & desiderij confitendi Sacerdoti vero ministro ad humiliationem sui, & in pœnam peccati esse approbandam. Et fortè quando ex vehementia doloris, & desiderio salutis ita fieret, non esset reprobandum;

93

Cur eam non iudicat Doctor expedire.

Confessio publica malefactorum.

Scopus Authoris libri de vera & falsa pœnitentia.

dum; & ad manifestationem veri doloris, & satisfactionem Ecclesiæ, & aliis, secluso scandalo: quia, vt dicit Doctor, illa accusatio, licèt non esset sacramentalis, esset quædam pœna satisfactoria, & haberet eandem erubescentiam., quæ connexa est confessioni sacramentali. Et habemus sanctum Apostolum Paulum, qui & suas infirmitates, & persecutionem contra Ecclesiam factam sæpiùs confitetur, vt superexaltet gratiam Dei. Et adduci possint varia exempla Sanctorum, qui in contemptum sui ipsius sæpè sua peccata, de quibus pœnitentiam egerunt, publicabant. Nouissimè tandem Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. approbat exempla eorum, qui ad confusionem sui ipsius, & ædificationem Ecclesiæ sua peccata publicè confitebantur, quamuis secretò possint cõfiteri, neque hoc Christus præcepit, aut vetuit.

Exemplum Pauli, & aliorum.

SCHOLIVM.

Ecclesiam determinasse præceptum confessionis ad semel in anno: nec nunc, nec olim obligasse statim post commissum peccatum. Ita communis contra Alens. 4. part. qu. 77. memb. 4. art. 2. Vide Suar. disp. 35. sect. 3. quod ait, ante Ecclesiæ determinationem solum obligasse pro aliquo quando *ante mortem, docent D. Thom. hîc quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 4. Dur. q. 3. Gab. . . art. 3. dub. 1. Richard. 3. qu. 6. Palud. qu. 2. art. 5. fortè tantùm volunt, nullum esse tempus determinatum huius obligationis ante mortem, si tollas Ecclesiæ præceptum, non tamen negant obligare pro aliquo tempore ante articulum mortis, & hoc puto secundùm Scot. & veritatem, tenendum hîc, & in aliis præceptis affirmatiuis, charitatis, fidei, spei, &c.*

28 QVoad [u] *Quando*, Ecclesia determinauit præceptum, scilicet semel in anno: & illud *semel* videtur ad minùs esse circa Pascha, quo tempore secundùm illud capitulum, debet quilibet Christianus communicare, nisi in casu.

Et si dicas, [y] quòd hæc specificatio est laxatio, quia priùs tenebantur statim confiteri habita opportunitate confessoris, nunc autem non tenentur vsque ad Quadragesimam. Respondeo, vtrumque est dubium aliquibus, quibusdam dicentibus quòd tunc; nunc tenentur statim habita opportunitate confessoris confiteri; quibusdam dicentibus quòd nec tunc, sed tantùm in voto confiteri pro aliquo tempore ante mortem; nec nunc, sed pro voto confiteri semel in anno.

Alex. de Ales 4. p. q. 77. mẽb. 4. Ric. præsenti d. a. 3. q. 6.

Secundum videtur esse mitius, quia præcepta pœnalia non sunt amplianda, sed restringenda: nec inuenitur quando præceptum istud affirmatiuum liget, vel obliget, nisi ad *aliquando*: & illud *quando* ante specificationem Ecclesiæ, fuit indeterminatum ad quodcunque *quando* ante mortem: sed post specificationem, est indeterminatum ad quodcunque *quando* vnicum in anno: semper tamen oportet habere voluntatem confitendi tunc pro *quando* præceptum obligat; hoc dico sic quòd pro nunquam * noluntatem habeat.

[y] An confessio statim post peccatũ obligat.

al. nolitionem.

29 Ad argumenta. [z] Ad primum potest dici, quòd tempore negationis Petri Sacramentum Pœnitentiæ non fuit institutum, sed post resurrectionem, quando Christus dixit discipulis suis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. & ideò non tenebatur pro tunc ad confessionem, nec post institutionem Sacramenti adhuc tenebatur: quia iam ante resurrectionem per aliud remedium fuit peccatum suum deletum.

Ad arg. 1. De institutione sup. d. 14. qu. 1. & 4. & hîc n. 11.

Et consimiliter responderi potest de infidelitate omnium discipulorum in passione Christi, quòd non tenebantur pòst ad confessionem: quia post resurrectionem pœnituerunt ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, & hoc benè confirmat, quòd confessio non erat de lege naturæ, nec Mosaica.

Sed ad illa verba Ambrosij, *Lacryma lauant delictum, quod voce pudor est confiteri*, non sunt sic intelligenda, quòd sine confessione pudorosa in actu, vel in habitu, lauetur delictum: sed contritio potest esse tanta, quòd in ea etiam ante confessionem deleatur peccatum, quod tamen est ita graue, quòd confessio eius sequens est pudorosa.

30 Ad auctoritatem [a] Augustini, & Cassiodori super Psalm. 31. *Dixi confitebor*; dico quòd illa contritio habet propositum, seu promissionem confessionis secuturæ: & sic non deletur peccatum sine proposito confitendi. Quod patet per finem auctoritatis Cassiodori, vbi subdit, *votum pro opere iudicatur*, quasi diceret, votum, vel voluntas confitendi iudicatur pro confessione futura: nec tamen sequitur ex hoc, quòd sine confessione futura, peccatum deleatur quantùm ad pœnam debitam: quia illa confessio est vna pœna, & si illa non soluatur hîc, si sit tamen voluntas soluendi, soluetur alibi. Si autem mutetur voluntas soluendi illam, iam recidiuat à vera pœnitentia, & peccat mortaliter, vt dictum est suprà de baptizato Baptismo flaminis, contemnente postea Baptismum fluminis.

[a] Ad 2.

Dist. 4. q. 6.

Ad

Ad primam [b] rationem dico, quòd omnes cæremoniæ tam veteris legis, quàm nouæ, reducendæ sunt ad aliquod præceptum Decalogi, & possunt ad illud reduci. *Audi Israel, Deus tuus vnus est*, vel ad illud: *Memento vt diem sabbati sanctifices*: siue enim per primum, siue per secundum præceptum dicamus Deum præcepisse se honorandum vt Deum: sequitur quòd illæ cæremoniæ, quibus se vult coli, cadant summo præcepto, sicut conclusio sub præmisis.

Cæremoniæ noua, & veteres reducuntur ad primũ, vel tertiũ præceptum Decalogi. Deuter. 6. Exod. 20.

Si arguitur contrà, quia tunc illæ cæremoniæ essent de lege naturæ. Respondeo, ex maiori de lege naturæ, & minori de lege positiua, non sequitur conclusio nisi Iuris positiui. Maior ista, *Deus est colendus*, est de lege naturæ, saltem quia est valde consona legi naturæ: sed hæc minor, *vult sic coli*, est merè de Iure positiuo. Variatur autem pro alio, & alio tempore: ergo conclusio, scilicet *sic colendus est*, est merè de lege positiua: quia semper conclusio sequitur conditionem præmissæ imperfectioris.

Ex maiori de lege natura, & minori de lege positiua cõclusio est positiua.

COMMENTARIVS.

94 *Tempus præscriptum confessionis ex præcepto Ecclesiæ.*

u QVoad quando, *Ecclesia determinauit*, &c. Conclusio hæc communis est, & patet *ex Iure communi in capitulo præfato, Omnis vtriusque sexus.* Quod confirmat Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. non solùm autem præcipitur confessio propter Eucharistiam, vt videtur dicere Antoninus *titulo* 14. *cap.* 19. §. 3. quod est etiam D. Thomæ *in præsenti dist. qu.* 8. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. *& quodlib.* 1. *art.* 31. nisi fortè intelligant de congruitate, quia tunc vrget præceptum Eucharistiæ; & quis est in peccato mortali: quia eo casu tenetur confiteri, siue aliàs fuerit confessus, siue non: præceptum enim confessionis in specie, & per se obligat semel saltem in anno, vt patet ex vtroque loco citato. *Et illud semel*, inquit Doctor, *ad minus est circa Pascha.*

Per se præcipitur non ob solam communionem.

Quomodo cõputatur annus.

Sed difficultas est, quomodo debeat computari annus? Sotus dicit quòd à tempore vltimæ confessionis; sed meliùs Vasquez, quòd more communi intelligendo annum à Ianuario vsque ad Decembrem, quia hic modus calculandi annos est in vsu. Vnde asserit, etiamsi quis confiteretur etiam sæpiùs de venialibus tantùm, teneretur in fine Decembris confiteri mortale, quod tamen commisit antequam expiraret adueniente Ianuario. Videtur hoc probabile, quia, vt diximus, præceptum annuæ confessionis est limitatio temporis ad satisfaciendum diuino, quod tantùm est de mortalibus. Cæterùm computatur communiter annus confessionis spectata consuetudine de Pascha in Pascha.

95 Secunda conclusio; non tenetur quis confiteri in Quadragesima determinatè, ex vi præcepti confessionis Ecclesiastici etiamsi sit in peccato mortali. Sequitur ex præcedenti, quam tenent Victoria *in Summ.* Soto *in* 4. *dist.* 18. Henriquez *lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 4. Vasquez 3. *p. quæst.* 90. *art.* 3. *dub.* 1. Contrarium tamen docet Petrus à Soto *lect.* 5. *de confessione.* Probari potest ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. cùm mentionem fecisset præcepti quod tulit Concilium Lateranense de confessione annua, ac morem esse in Ecclesia confitendi circa Pascha, vel in Quadragesima; *quem morem*, inquit, *hac sancta Synodus maximè probat, ac amplectitur tanquam pium ac meritò retinendum*, &c. ergo non interpretatur esse sub præcepto.

Obiectio.

Obiicies, Sixtus IV. *in Extrauag. de Treuga, & pace, &c.* vt componat lites inter Parochianos, & mendicantes, dicit quòd desistant mendicantes prædicare quòd Parochiani non sint obligati saltẽ in Paschate proprio cõfiteri Sacerdoti: ergo supponit paschalem esse in præcepto.

Respondetur negando consequentiam, solùm loquitur supponendo consuetudinem, de qua Trident. non inferens obligationem, solùm autem prohibet prædicationem illius articuli ob scandalum, vt *infrà* videbimus.

96 *Secunda obiectio. Soluitur.*

Obiiciunt etiam Agathen. quod præcipit dari pœnitentiam in Quadragesima. Respondetur loqui de publica, quæ consuetudine introducta est ratione Eucharistiæ per modum præparationis necessariæ, non vt adimpleretur præceptum confessionis, quamuis congruum pœnitentiæ tempus sit Quadragesima.

Tertia obiectio.

Vrgent tertiò statuta prouincialia id obtinuisse nunc dierum, vt puniant eos, qui non confitentur in Quadragesima. Vnde Parochis imponitur præceptum in Archiepiscopatu Toletano describendi nomina eorum, qui confitentur.

Responsio Vasquez.

Respondet Vasquez non esse illam authoritatem penes Prouinciales, vt determinent Ius diuinum, sed hoc solùm spectare ad Ecclesiam vniuersalem, & Summum Pontificem. Sed hæc ratio non mihi placet, neque videtur quadrare antiquis Conciliis Prouincialibus; quæ ex propria authoritate procedebant ad statuendum quidquid populo videbatur ipsis congruum. Vnde non video quare etiam in præsenti id statuere non possent, cùm nullibi id inueniatur reseruatum à Pontifice, aut ab Ecclesia vniuersali. Quin imò ipsa consuetudo pro lege seruata illam obligationem inducere potest: ergo vbi tale statutum est, esset seruandum. Iam loquimur iuxta præscriptum legis vniuersalis.

Reiicitur.

Concilia Prouincialia possunt ordinare tempus præscriptum confessioni.

97 *Tertia conclusio. Præterito anno tenetur quis ad confessionem. Probatio.*

Tertia conclusio. Præterito anno tenetur etiam quis ad confessionem: est communior Doctorum. Soto *dist.* 18. *qu.* 1. *art.* 4. Medina *de pœnit. tractat.* 2. *quæst.* 14. Nauarrus *in Summa cap.* 27. Victoria *de confessione.* Vasquez *art.* 3. *dub.* 2. Contrarium tamen docet Syluester *verbo Eucharistia An.* 2. *part. tit.* 9. *cap.* 9. §. 3. Probari potest, quia non confitentes semel in anno incurrunt censuram, seu excommunicationem, in qua semper manent, neque debent ab ea absolui donec confiteantur. Ita colligit Vasquez fuisse intentionem Ecclesiæ determinandi tempus præcepti confessionis, vt non expiraret obligatio confitendi, etiam elapso anno. Vltra id quod etiam non confitens semel in anno peccet.

Obiectio.

Obiiciunt aduersarij. Omittens Missam, horas canonicas, ieiunium tempore assignato ampliùs non tenetur ad opus, quamuis pro tum peccet; sed hoc præceptum est similis naturæ: ergo.

Respondet

Responsio Medinæ. Respondet Medina negando minorem, & paritatem, quia illa opera ex fine præcepti determinantur ad certum tempus; eatenus enim præcipiuntur, quatenus vult Ecclesia opera fieri in cultum particularem illius diei, vt festi, audire Missam cuiusque diei, vt Ecclesiastici orent pro Ecclesia, & idem de ieiunio, vt in honorem venturi festi se disponant, &c. non ita in proposito.

98 *Impugnatur.* Cæterùm non video, quomodo præceptum affirmatiuum possit extendi vltra tempus ab ipso præscriptum, quin sic transiret in naturam negatiui. *Vnde oritur obligatio cōfitendi post annum.* Ideò puto hanc obligationem non oriri ex natura præcepti, sed ratione censuræ annexæ, à qua nemo absoluitur nisi peracta confessione; regula enim generalis est, pœnam non tolli sine congrua satisfactione, quæ in proposito tantùm fuit completio operis. Neque conuincit vlla ratio, quam alij adducunt prolongatæ obligationis, instantes de voto, & de restitutione; quia hæc habent annexum præceptum negatiuum saltem. Restitutio, & votum ex affirmatiuo maximè obligat, quando est commoditas. Si sit de ingredienda Religione, quando homo commodè potest, & acceptatur, & idoneus est Religioni, quia aliàs possit superuenire impedimentum distrahens. *Sententia rigorosa.* Vnde rigorosè satis sentiunt quidam obligationem præcepti confessionis post elapsum annum incurri singulis diebus, vt omittens toties peccet, quia sic esset negatiuum præceptum, quod neque ex illo capite, neque ex forma præcepti colligitur. Nisi dicamus in particula illa *saltem semel in anno*, &c. *Illam obligationē fundari ex negatiuo.* subindicari negatiuum protrahendi confessionem extra annum; vt sensus sit per affirmatiuum obligari, vt semel in anno fiat: quod trahit secum negatiuum pro vlteriori tempore ex intentione Ecclesiæ, quæ indicatur per particulam *saltem*, &c. & sic facilis est conclusio: nec debet referri obligatio ad affirmatiuum, quod vltra tempus præscriptum vniuersaliter loquendo, non videtur extendi; aliàs transiret in negatiuum. Hoc ergo, vel priori modo colligitur fundamentum huius obligationis; quamuis hoc vltimum videatur rigorosum, quia inde colligitur toties peccare mortaliter post annum elapsum, qui sic omittit confessionem data opportunitate confessoris. *Sentētia Doctoris.* Hæc videtur mihi intentio nostri Doctoris in litera præsenti, asserentis pro quocumque indeterminato intra annum tempore, obligare Canonem, *Omnis vtriusque sexus*, &c. videtur ergo supponere extra annum non se extendere affirmatiuum pæceptum confessionis.

99 *Tenetur præuenire impedimentū præuisum.* Quarta conclusio. Præuidens periculum superuenientis impedimenti, pro reliquo tempore anni, tenetur præuenire illud, & confiteri oblata opportunitate. Hæc videtur communis: probatur, quia præceptum obligat determinatè ad confessionem annualem: ergo quamuis indeterminatè pro quouis tempore anni, præuiso impedimento pro reliquo tempore, iam obligat pro præsenti. Eadem ratio est, ac de habentibus reseruata, si præuiderint defuturam commoditatem accedendi ad superiorem, tenentur ad captandam præsentem.

Responsio. Dices, qui præuidet impedimentum communicandi in Paschate, non tenetur præuenire. Aliqui tenent contrarium huius, vt Vasquez; Soto tamen, Medina, & Victoria docent elapso anno non esse eiusmodi obligationem ampliùs communicandi, neque etiam præuenire, quia tempus statutum communionis Paschalis fuit in honorem Domini, & cœnæ; sed quidquid sit de hoc,

Contrà, intra præscriptam quindenam communioni, si præuideatur impedimentum, tenetur quis præuenire: ergo similiter de confessione; & vniuersim quoad reliqua opera præcepta pro aliqua parte temporis determinati, indeterminatè tamen, tenetur quis præuenire impedimentum, quod occursurum præuidet. Et idem dicendum erit de recitatione officij, quamuis id neget Canus, si impedimentum à natura, aut violentia fore sit præuisum; secùs si voluntarium, aliàs tamen legitimum. Rationem assignat, quia facultatem anteuertendi, aut postponendi officium, censet esse fauoris, non autem necessitatis. Sed eadem est ratio vtrobique, & idem dicendum de auditione Missæ; hora autem recitandi officij determinata non inducit obligationem mortalem, personalem saltem; imò neque respectu communitatis, quin aliter ex causa dici possit. Tertius casus, quo quis obligatur ad confessionem, est periculum mortis, sed de hoc *suprà*. *Impugnatur.* *Impedimentū præueniri debet.* *Idē de officio diuino persoluendo.*

Quinta conclusio: Nunquam satisfit præcepto diuino confessionis integræ, donec peccata remissa sint per directam absolutionem ipsorum. 100 *Quinta conclusio.* *Non impleri præceptū diuinum confessionis peccato non remisso.* Hæc est contra eos, qui dicunt dari confessionem validam informem. Probatur conclusio, quia semper manet obligatio confitendi peccati donec subiiciatur clauibus; præceptum enim confessionis est in ordine ad absolutionem, & ex fine informationis requisitæ, vt docet Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. ergo donec informetur completè iudex, non adimpletur. *Probatio.* Idem docent plures de præcepto Ecclesiastico confessionis, vt Soto *dist.* 18. *quæst.* 3. *art.* 3. Durandus *dist.* 17. *q.* 14. *art.* 2. Medina *de pœnitentia tractat.* 2. *quæst.* 20. Nauarr. *in c.* 10. *n.* 4. Suarez 36. *sect.* 7. *Sententia extendens idem ad præceptum Ecclesiæ.* Sed non videtur mihi comprehendi præcepto Ecclesiæ, quin is adimplerit præceptum, quotiescumque bona fide suscepit Sacramentum; quia non præcepit confessionem, sed solum tempus adimplendi præcepti diuini, vt interpretari videtur Tridentinum. Sed dici etiam potest ad hoc, quòd accessoriè præceptum temporis determinat substantiam actus; quia non præcipit tempus, nisi vt in eo exercendus est actus.

Sed hoc etiam dato ad intentionem Ecclesiæ sufficit, vt quis confiteatur validè. 101 *Non extendi præceptū Ecclesiæ ad casum præmissum.* Ecclesia enim non præcipit, nisi substantiam actus, inquantùm hîc & nunc exigitur ad salutem; omnis autem confessio, quæ proponit materiam, circa quam exerceri potest clauium potestas, ad hoc sufficit; quamuis vlteriùs non sit integra ex obliuione naturali, quam bona fides supplet. Nihilominùs manet obligatio confitendi ex præcepto diuino recurrente memoriâ peccati. Vnde si occurrat ipsi aliquod peccatum oblitum inculpabiliter, non putarem eum teneri ex præcepto Ecclesiæ ad confessionem statim illo anno: sed aliàs tempore congruo. Quamuis sub præcepto diuino teneatur illud aliquo tempore confiteri: ergo latiùs patet præceptum diuinum, quantum ad hoc. *Latiùs patere præceptum diuinum.*

Dubium. Sed petes, vtrùm habens tantùm peccata occulta teneatur ex præcepto Ecclesiæ confiteri?

Ratio

Ratio dubij superiùs expressa est, quia non præcipit merè occulta.

Soluitur.

Respondetur affirmatiuè, quia determinat exercitium actus præcepti diuini sub quo cadit peccatum occultum. Confirmatur, quia Ecclesia præcipit sess. 13. cap. 7. Tridentini accedenti cum conscientia mortalis ad celebrandum in necessitate, & non habita copia confessoris, vt statim habita copia confessarij teneatur illud confiteri; ergo Ecclesia præsumit, & interpretatur se habere talem authoritatem. Patet consequentia, quia neque ad occultum peccatum, neque ad externum, præceptum limitat, vtrumque comprehendens, quantumlibet celebrans habuerit contritionem de suo peccato.

Tenetur præcepto Ecclesiastico, qui habet tãtum occulta.

Vtrum habens reseruata excusetur à præcepto pro tunc, quando non adest Confessarius habens authoritatem? vel an teneatur confiteri integrè.

102 QVoad primum, communis Doctorum tenet, eum non excusari, si præceptum instat, nec opportunitas recurrendi ad confessarium, qui potest in reseruata: tunc enim tenetur lege, ne fructum ex peccato capiat. Quantùm ad secundum punctum, dubium est, si sola illa peccata, quæ non cadunt in iurisdictionem inferioris, confiteri Superiori possit, & absolui sacramentaliter à solis reseruatis, & remitti ad inferiorem quoad confessionem, & absolutionem directam reliquorum. Quoad primum dubium; aliqui docent eum omittere posse peccata reseruata, & confiteri reliqua. Alensis 4. *p. quæst.* 18. *memb.* 5. *art.* 2. *ad vltimum.* Quam probabilem tuetur Maior *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 5. *ad vltim.* Petrus de Soto *lect.* 10. *de confessione* asserens pœnitentem posse sola non reseruata tunc confiteri Sacerdoti inferiori, quia in ea sola habet iurisdictionem.

Sententia affirmans reseruata posse omitti.

Conclusio.

Prima conclusio: Debet fieri confessio omnium peccatorum in eo casu. Ita communis Doctorum. D. Thomas *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *a.* 4. *quæstiunc.* 2. *ad* 4. Henricus *quodlib.* 1. *quæst.* 29. *&* 30. Paludan. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 5. *art.* 1. Ioannes de Medina, Nauarr. *in cap. Consideret.* Suarez *disp.* 31. *sect.* 3. Vasquez *quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 9. citantes communem. Probatur, quia integritas confessionis est Iuris diuini. Trident. *sess.* 14. *c.* 5. & tenetur Sacerdos agnoscere statum rei, vt iudicet absoluendum, vel ligandum: & si posset esse iudex ipsius, eique prouidere, & iniungere quod expedit, quia sententia à non suo iudice lata est nulla. Ad rationem dubitandi. Respondetur per accidens ex connexione ad alia peccata cadere reseruata sub cognitione inferioris.

Debet fieri integra confessio.

Per accidens remitti in casu reseruata.

103 Secunda conclusio. Potest superior in aliquo casu absoluere à solis reseruatis, remittendo pœnitentem quoad alia ad inferiorem. Ita Caiet. *v. Confess.* Antoninus 3. *part. tit.* 14. *cap.* 19. Paludanus *in* 4. *dist.* 17. Petrus à Soto. Ratio huius est, quia dicunt esse consuetudinem Ecclesiæ Romanæ. Hæc opinio ad casum necessitatis reducenda est, vt quando necessarium esset Prælatum talem per se audire; neque expediret committere eum aliis, neque posset omnia peccata audire ex alia vrgente, grauique necessitate, neque pœnitens posset expectare, quia necessitas incumbit celebrandi, aut quid simile. Idem tenet Suarez *disp.* 31. *sect.* 1.

Secunda conclusio. In casu absoluit superior à solis reseruatis.

Tertia conclusio. Extra casum necessitatis nullo modo licet. Ita Durandus *dist.* 17. *qu.* 15. Gabriel *dist. ibid. qu.* 1. *art.* 3. Suarez, & alij, quia pœnitens tenetur ad integram confessionem, quæ est Iuris diuini; & confessarius ad cognitionem integræ causæ, seclusa necessitate, confessio enim directè fit ad absolutionem, quam dare debet confessarius directè quoad omnia confessa, quæ sub eius iurisdictione cadunt; neque contrarium est consuetudo Romanæ Ecclesiæ, nisi in absolutione tantùm à censura reseruata, quæ absolutio non est sacramentalis. In priori casu plerique dicunt, eum teneri confiteri peccata reseruata inferiori, à quibus absolutus est: sed hoc est falsum, quia absolutio fuit in casu legitima, & confessio formaliter integra, ideò ab omnibus fuit absolutus directè à non reseruatis, indirectè à reliquis: quæ tenetur solùm confiteri, vt subiiciantur clauibus. Nunquam ergo incurritur obligatio confitendi denuò peccata semel legitimè confessa, & directè absoluta, ex institutione huius Sacramenti. Si tamen quis inualidè sit confessus, si adeat eundem confessorem, potest tantùm repetere ea, quæ omisit, si is recordatur confessorum. Si alium, tenetur totum repetere.

Extra casum necessitatis nõ licet diuidere confessionem.

Integritas cõfessionis formalis.

Cessat obligatio confitẽdi peccata, quæ directè absoluta sũt.

y *Et si dicas quòd hæc specificatio*, &c. Obiicit contra conclusionem præmissam, quòd specificatio illa præcepti diuini confitendi ab Ecclesia facta pro tempore eius adimplendi intra annum, sit relaxatio: quia tenebatur statim confiteri, scilicet ex præcepto confessionis diuino, habita copia confessoris; nunc verò non ita vsque ad Quadragesimam saltem. Hîc non limitat obligationem præcepti Ecclesiastici ad Quadragesimam, sed tangit consuetudinem, secundùm quam adimpletur, vel certè terminum illius temporis, in quo obligat, numerando annum de Paschate in Pascha. 104

Explicatur textus Doctoris.

Respondet vtrumque esse dubium; & tangit opiniones *suprà* examinatas: An, scilicet præceptum diuinum pœnitendi, & cõfessionis obliget determinatè statim post peccatum commissum, & habita opportunitate confessoris, vt dicunt aliqui cum Alensi; vel certè obliget tantùm pro aliquo tempore indeterminato ante mortem, vt sentit D. Thomas. Sententiam vtramque dubiam dicit: sed hanc esse mitiorem, quia pœnalia non sunt amplianda, neque onera aggrauanda. De hoc aliàs dictum est. Dicit præterea peccantem obligari ex præcepto negatiuo, ne habeat noluntatem confitendi: illa enim esset impœnitentia positiua contra præceptum negatiuum.

Præfert sententiã D. Thomæ.

z *Ad argumenta*, &c. Ad primum, patet ex littera, & aliàs dictis. 105

a *Ad authoritatẽ Augustini, & Cassiodori*, &c.

Respondet ad secundum. Dicit contritioni annexum esse votum confitendi, nec deleri peccatum sine proposito confessionis, & quòd votum confitendi iudicatur pro confessione futura, requiri tamen confessionem futuram, sine qua non ponitur integra pœna debita peccato, nempe experiri coram iudice, & erubescentia, & satisfactio debita Ecclesiæ: & si mutat propositum, seu

Requiri votũ confitendi ad remissionem peccati per contritionem.

seu voluntatem confitendi recidiuat, & contemnit debitum. Hîc expressè docet requiri votum explicitum Sacramenti, seu confessionis; de qua re est controuersia inter Doctores, quam huc remisimus cum Doctore.

Controuersia de qualitate voti.

Requiri enim votum confessionis ad remissionem peccati est doctrina Tridentini *sess.* 14. *cap.*4. *sess.*6. *cap.*14. An debeat esse explicitum, an verò sufficiat virtuale, dubium est. Communiter affirmatur sufficere virtuale.

Aliqui tenēt sufficere virtuale.

Ita Vasquez 3.*part.quæst.*84.*art.*5.*dubio vnico*; citans Richardum *in d.*17.*art.*2.*q.*1. Adrian.*in* 4.*q.*1. Gabrielem *dist.*17.*q.*1.*art.*1.*not.*2. Maiorem *dist.*14.*q.*1. Idem docet Soto *in* 4. *d.*14.*q.*1. *art.*5. Hæc sententia non aliter fundatur, quàm supponendo quòd separari possit tale propositum à contritione perfecta, vel per obliuionem, vel per ignorantiam ex defectu instructionis necessariæ de hoc Sacramento: hoc autem virtuale votum duobus modis explicari solet.

Duobus modis intelligitur votū virtuale esse.

Primo modo, vt non sit actus aliquis elicitus distinctus ab ipsa contritione. Secundo modò, vt sit in genere propositum seruandi præcepta, sub quibus comprehenditur obligatio confessionis faciendæ.

106 *Conclusio. Requiri votū explicitum.*

Conclusio prima. Ad remissionem peccati requiritur votum explicitum distinctum ab ipsa contritione. Hæc est nostri Doctoris hîc. *Dico*, inquit, *quòd illa contritio habet propositum, seu promissionem confessionis securturæ: & sic non deletur peccatum sine proposito confitendi*, &c. Quod probat authoritate Cassiodori. Eandem tenet Canus *part.*5.*relect.de pœnitentia post* 3.*conclusionem.* Supponit Ioannes de Medina *C. de confessione.* Durandus, & Paludanus *in* 4.*d.*17. Ille *q.*2. hic *q.*1.

Est sententia cōmunis Antiquorum.

Est etiam D. Bonauenturæ *in* 1.*part.eiusdem distinctionis art.* 1. *quæst.* 4. vbi asserit repugnare aliquem iustificari sine voto confessionis: loquitur autem de explicito, sic explicans plures authoritates Sanctorum, qui docent non posse quempiam iustificari sine confessione. Est eadem sententia Alensis 4.*part.q.*8.*membr.*2.*art.*1. & videtur omnium antiquorum, etiam D. Thomæ 3.*p.q.*86.*art.*6. & Magistri *in* 4.*dist.*17.*c.*2. & illa distinctio voti virtualis, & formalis est magis celebrata à modernis, quàm ab antiquis, licet pro ea citetur Richardus.

Probatio.

Probatur ex Augustino, & Cassiodoro super illud Psalmi 21. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Magna pietas Dei, vt ad solam promissionem peccata dimiserit: nondum pronuntiat ore. Si autem Deum aut in corde, quia ipsum dicere quoddam pronuntiare est: votum enim pro opere reputatur*, &c. Prima huius authoritatis sunt Cassiodori, vsque ad illud *dimiserit*; reliquum est Augustini. Votum confessionis vocat ille promissionem: nomine *voti* intelligitur voluntas, seu desiderium confitendi:

Voluntas pro opere reputatur.

nam sic opponitur votum operi, seu voluntas facto in Iure sæpissimè quoad meritum, aut demeritum. Patet *ex d.*1.*de pœnitentia, q.*3. vbi præfatus textus ponitur *cap.* 5. & alij subiiciuntur, quibus voluntas pro facto reputatur quoad pœnam. Vnde *infrà cap.*8.*Quem pœnitet*,

Author lib. de vera, & falsa pœnitētia.

quod desumptum ex libro de vera & falsa pœnitentia, cap. 10. *Fit tamen dignus venia ex Sacerdotis desiderio, qui socio confitetur turpitudinem criminis*, &c. Loquitur de confessione laica: desiderium autem Sacerdotis est votum explicitum confitendi, quod repetitur *infrà d.*5.*cap.*1. *Qui vult.* Huc spectat propositio damnata in Concilio Complutensi contra Petrum Oxomensem, Doctorem Salamantinum, quæ talis est: *Peccata mortalia quantùm ad culpam, & pœnam alterius sæculi delentur per solam contritionem cordis sine ordine ad claues*, &c.

Propositio damnata.

107 *Secunda ratio. Trident.*

Secundò probatur idem clariùs ex Tridentino sess.6.cap.14. *Vnde docendum est*, inquit, *Christiani hominis pœnitentiam post lapsum, multò aliam esse à baptismali, eáque contineri non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum, verùm etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam*, &c. Ergo votum Sacramenti suscipiendi est aliud à detestatione peccati; & requiritur ad pœnitentiam hominis Christiani,

Distinguit votum à contritione.

& *can.* 29. damnat asserentes lapsum post Baptismum sine Sacramento pœnitentiæ resurgere posse, &c. Intelligit autem Sacramentum in re, aut in voto. *sess.* verò 14.*cap.*4.*in principio*, dicit contritionem in genere ita in homine baptizato præparare ad remissionem peccati, *si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniuncta sit*, &c. Sed certum est ad nihil magis obligari, quàm ad confessionem, & Sacramentum: ergo votum eius requiritur; & sicut fiducia diuinæ misericordiæ est alia voluntas distincta ab actu detestationis peccati, vtpote actus spei, ita etiam & votum Sacramenti requisitum. Deinde *infrà* docens contritionem perfectam reconciliare Deo antequam Sacramentum actu suscipiatur: *Ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in ipsa includitur, non esse adscribendam.* Ergo tale votum aliud est à contritione.

108 *Responsio.*

Dices, intelligi tantùm implicitum, quia loquitur de Sacramenti voto, quod in ipsa contritione includitur; non includitur autem nisi virtualiter. Ita Vasquez interpretatur.

Impugnatur. Verus sensus Concilij.

Sed illa interpretatio est extra Concilij mentem; vt patet *ex initio capitis*, & *sess.* 6. *cap.* 14. in quibus exigit votum tanquam aliquid distinctum: nam illa particula *in ipsa includitur* non est intelligenda nisi moraliter, tanquam circumstantia bonificans actum, ad hoc vt sit sufficiens dispositio acceptata à Deo ad remissionem peccati, quod ipsi conuenit moraliter, quatenus perfectè circumstantionata est, non physicè: sicut ergo rectè dicuntur circumstantiæ includi in actu morali: ita votum confessionis in contritione.

Confirmatur.

Deinde simili forma verborum statuens loco proximè citato differentiam inter baptismalem, & patientiam hominis Christiani (loquitur autem de virtute) dicit in hac contineri cessationem à peccatis præteritis, eorum detestationem; sacramentalem confessionem saltem in voto, absolutionem, & satisfactionem, &c. qui actus diuersi sunt, & tanquam diuersificantes hanc ab illa numerantur, licèt contineri dicantur in pœnitentia; quod perinde est ac includi.

109 *Tertia ratio.*

Tertiò, improbādo eandem solutionem, probatur conclusio principalis. Si sufficeret votum virtuale, quod est ipsa contritio: ergo malè exigeretur votum Sacramenti, tanquam necessarium ad remissionem peccati.

Votū virtuale non debet numerari, vt diuersum ab actu.

Probatur consequentia, quia nihil facit ad remissionem peccati, quòd non facit ad perfectionem actus formalem: est enim meritum de congruo acceptatum, & sub hac ratione præcisè disponit: ergo quod non facit ad meritum, non facit ad remissionem: ad meritum autem facit bonitas tantùm, quæ

Non facit ad perfectionem actus. quæ desumitur ab obiecto, fine, & circumstantiis, quibus perficitur actus formaliter: sed nihil virtuale inclusum in causa facit ad perfectionem eius, sicut neque ad entitatem; perfectio enim sequitur entitatem. Dixi *in causa*, ne mihi instetur de merito relato virtualiter per charitatem, aut de intentione remanente in electione; quia in his actus elicitus formalis, & imperans præcessit tam meritum, quàm electionem, ex cuius motiuo eliciantur, & in quibus manet deinceps tanquam in effectu, qui ab ipso dependent, non quatenus nunc est, cùm desierit, sed quatenus præcessit determinans voluntatem ad ipsos eliciendos effectus: ergo sicut inclusum virtualiter in causa non communicat causæ entitatem, ita neque perfectionem quatenus in ipso includitur virtualiter tantùm: ideò enim includit, quia talis formaliter est causa in sua entitate, aliàs diceremus in Deo perfectionem importare, quòd includat creaturas virtualiter.

110 *Responsio.* Dices ergo quòd contritio includit votum quatenus homo obligatur præcepto confessionis etiam contritus.

Impugnatur. Contrà, homo contritus obligatur præcepto Eucharistiæ, sed hoc non obstante, non dicitur *Votum non consistit in obligatione suscipiẽdi Sacramenti.* necessarium esse votum Eucharistiæ ad remissionem peccati per contritionem, neque à Conciliis, neque à Patribus: ergo votum Sacramenti requisitum hìc ad remissionem peccati non est sola obligatio suscipiendi Sacramenti: quia hæc est effectus legis, votum autem spectat ad dispositionem, & voluntatem nostram.

Responsio. Dices exprimi votum Sacramenti Pœnitentiæ, & non Eucharistiæ, quia Sacramentum Pœnitentiæ est institutum remedium peccati, non ita Eucharistia.

Impugnatur. Contrà. Ex efficacia contritionis, si remittatur peccatum sine vllo ordine ad Sacramentum, nisi solius obligationis præcepti, sequitur præcisè quòd non magis Pœnitentia in voto, quàm Eucharistia, aut obseruatio legis exigitur, cùm eadem fit obligatio; & sic omnia, quæ definiunt Patres de necessitate Sacramenti in re, aut voto, facilè elidi possunt, ne concedatur Sacramentum habere in se necessitatem medij. Præterea, *Obligatio suscipiendi Sacramenti est ex peccato, nõ ex contritione.* obligatio suscipiendi Sacramenti non oritur ratione contritionis, sed peccati, & supponitur ad contritionem pro omni tempore, quo quis est in peccato, à quo non absoluit contritio, siue habeat explicitam, siue implicitam voluntatem eius adimplendæ: quin etiam manet cum contraria voluntate: ergo talis obligatio inaniter reducitur ad contritionem tanquam in ea inclusam, vel ipsi annexam, ex sua perfectione: ergo votum Sacramenti est aliud à dicta obligatione.

111 Si dicas contritionem, sicut est perfecta conuersio in Deum, sic etiam esse votum implicitum obseruandæ huius obligationis: hoc iam impugnatum est, quia sic etiam se habet ad obligationem Eucharistiæ, & quamuis aliam; neque *Contritio cũ voto Sacramenti Pœnitentiæ iustificat.* aliter ad pœnitentiam sub hac ratione reducitur; in voto tamen illorum non dicitur remittere peccatum: ergo aliquid speciale dicit tale votum respectu Pœnitentiæ Sacramenti præter iam dicta. Accedit quòd tale votum explicetur per desiderium explicitum sacerdotis, quod computatur à Deo pro ipso opere, vt patet suprà. Confirmatur, si aliquis conteratur de *Confirmatio.* peccatis præteritis confessis, quæ reipsa fuerunt remissa; nulla est in eo obligatio ad Sacramentum confessionis, cùm eadem peccata bona fide subiecerit clauibus; & ponamus in Sacramento deleta: ergo falsum est contritionem includere votum implicitum confessionis ex natura actus, vt iam ab aduersariis explicatur, quia neque sic inducit obligationem semper, neque voluntatem confitendi etiam cognito Sacramento: ergo neque ipsa in se est virtualis causa; quia causa virtualis naturalis reducitur in actum secundum positis requisitis; quod dicendum esset de contritione, si in se esset voluntas virtualis confitendi; nihil enim aliud requireret, quàm præcognitionem Sacramenti ad concipiendum votum, & opportunitatem confessarij: ergo præcisè eatenus nunc est virtualis causa Pœnitentiæ, quatenus inducit affectum obseruandæ legis, & excludit transgressionem contra quodcunque præceptum, quam nequit compati: ergo sub hac ratione non magis remittit peccatum in voto Pœnitentiæ quàm cuiusque alterius rei præceptæ, vt Eucharistiæ, cùm æquè indifferenter fertur in omnem transgressionem sub ratione generali offensæ: ergo, &c. Contritio itaque subordinatur Sacramento quoad effectum remissionis per aliquid distinctum à se, & obligatione confitendi, & illud est votum, quod intendunt Patres. Sicut enim remissio peccati fit iuxta legem præscriptam in ordine ad satisfactionem integram, & vindicationem quam Deus voluit fieri, cuius pars est confessio, & absolutio sacerdotis, ideò requirit, vt hæc adsint in voto contritioni per modum circumstantiæ, manente vlteriùs obligatione confessionis in opere. Ex hoc argumento patet quæstionem esse de contritione, vt remittit peccatum non confessum, quod aliàs bona fide non est subiectum clauibus, non dẽ eadem, quatenus est de confessis. *Contritio de confessis aliàs non dicit ordinem ad Sacramentum.*

Secunda conclusio. In casu ignorantiæ, quando est defectus instructionis, qui contingere potest, sufficit votum confusum Sacramenti, neque requiritur voluntas distincta. Hæc conclusio videtur congrua diuinæ misericordiæ, & infirmitati nostræ; neque alioquin casus est impossibilis, sed qui frequenter accidere possit in iis, qui minùs instructi sunt. Votum hoc explico per hoc, quòd habeat voluntatem adhibendi media necessaria, vel quæ ordinata sunt in remedium peccati, quamuis in specie tale esse ignoret. 112 *2. Conclusio. Sufficit aliquando votũ confusum Sacramenti.* *Explicatur.*

Probatur conclusio, quia tale propositum sufficit vt verè remittatur peccatum in ordine ad claues: ergo aliud non requiritur. Probatur consequentia, quia aliàs facienti quod in se est ex fide, & gratia Deus deesset; hic autem aliud præstare nequit ex impedimento, quamuis habeat bonam voluntatem, & perfectum dolorem. Deinde, ideò hac ratione voluntas Sacramenti pro opere reputatur iuxta præmissa, vt in casu sufficienter prouisum esset saluti, quæ ratio currit in proposito: atque idem dicendum de ipsa contritione, quam Deus efficacem esse voluit in defectu Sacramenti, vt in casu remedium salutis non subtraheretur. *Probatio.* *Remittitur sic peccatum in ordine ad claues.* *Voluntas Sacramenti pro opere reputatur.*

Tertia conclusio: Remissio peccati est per ipsam contritionem, vt hac circumstantia voti Sacramentalis affecta est, sine qua non remittit peccatum; neque est perfecta contritio. Probari 113 *3. Conclusio. Ipsa remissio correspondet contritioni.*

bari videtur conclusio quoad primam partem ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. Docet *præterea, etsi contritionem hanc aliquando perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare*, &c. *ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*, &c. reconciliat ergo contritio, sed non sine Sacramenti voto, quod non per modum causæ requiritur: ergo per modum circumstantiæ. Probatur minor, quia votum Sacramenti non operatur, nisi in virtute ipsius Sacramenti, hoc est, quatenus in eo applicatur Sacramentum ipsum ad effectum: sed nulla est efficacia Sacramenti, nisi applicetur sensibiliter, quia est signum sensibile practicum. Deinde, nihil causat Sacramentum, nisi ex opere operato; remissio autem peccati per contritionem cum voto Sacramenti non est ex opere operato, Sacramentum per modum sententiæ, & iudicij tantùm remittit, non ita contingit per contritionem. Probari etiam potest conclusio ex omnibus locis, ex quibus remissio peccatorum tribuitur pœnitentiæ, & charitati, de quibus *suprà*. Et probatur ampliùs, quia hoc votum annexum est attritioni, & non remittit peccatum.

Trident.

Illam remissionem nō esse voti tāquam causæ.

Diuersus modus causandi remissionem.

114 Secunda pars conclusionis probatur, quòd contritio non sit perfecta sine voto Sacramenti. Contritio est perfecta detestatio peccati, & voluntas efficax, qua destruitur: ergo non potest abstrahere à mediis ordinatis à Deo ad eius destructionem: nam velle destruere peccatum aliter, quàm per media ordinata (quibus applicata est misericordia, & acceptatio diuina, qua liberaliter & non ex debito remittitur) esset præsumptio. Ex his patet etiam quomodo intelligendum sit, quòd Sacramentum in voto remittat peccatum: qui est modus consuetus loquendi scholæ, qui non abhorret à Tridentino *sess.* 6. *cap.* 4. *& sess.* 7. *can.* 4. in quibus asserit ad salutem necessarium esse Sacramentum in re, aut voto eius: intendit enim primam conclusionem, nempe sine voto, & subordinatione ad Sacramentum nemini contingere salutem.

2. Pars conclusionis probatur.

Necessitas voti ostenditur.

115 Dices. Ipsa contritio est tale medium.

Responsio.

Contrà. Hoc iam impugnatum est conclusione prima; quia sine ordine ad claues non remittit peccatum: hic autem ordo est ipsum votum Sacramenti. Sed demus etiam hoc ipsum, & probatur adhuc intentum. Ille non dicitur intendere efficaciter finem, qui non procedit per media efficacia sibi nota, & certa, sed nemini potest esse certum si habeat veram contritionem, efficacia autem Sacramenti est certa fide diuina: ergo non est censendus perfectè detestari peccatum, hoc est, efficaciter, & super omnia, nisi habeat voluntatem applicandi Sacramentum: quis enim prudenter, & efficaciter dicitur in finem intendere, qui relictis certis mediis alia ignota assumit, de quibus adeò incertus est, vt nesciat si ea applicuerit, si non applicuerit? Adde ex necessitate satisfactionis præscriptæ, & completæ exigi votum, seu affectum Sacramenti.

Impugnatur.

116 Dices. Contritio in lege naturæ haberi potuit sine tali voluntate: ergo & nunc.

Replica.

Respondetur negando consequentiam, quia nunc ordinata sunt media sensibilia, & certa, ad quæ homo ex cura etiam suæ salutis necessaria tenetur, & quibus subordinatur contritio.

Responsio.

Deinde, contritio non habet efficaciam remissionis peccati, vt quidam sentiunt, physice ex natura rei, sed tantùm moraliter, vt dispositio necessitans tantùm, inquantùm acceptatur; Deus autem non acceptat eam de facto institutis aliis remediis, quibus applicatus est valor meritorum Christi, nisi cum subordinatione ad illa per votum, & propositum, vt Canones definiunt.

Subordinatū medium.

Ex hoc facilis est responsio ad ea, quæ obiici possunt pro sententia aduersariorum ex perfectione, & efficacia contritionis: quia non debemus eludere Canones, & regulas certas fidei torquere ad improprietatem sermonis, nisi vbi aliæ cogunt limitandas ad eiusmodi sensum: nihil tale in proposito occurrit, quia & ex natura rei supposita institutione Sacramentorum, & ex ordinatione diuina probatum est circumstantiam voti Sacramentalis annexam esse de facto contritioni perfectæ.

Soluitur fundamentū sententiæ oppositæ.

Quid dicendum de aliis votis, seu propositis, vt obseruandi legem, satisfaciendi pro peccatis, requiruntúrne expliciti actus, & à cæteris distincti? Vtrumque necessarium esse affirmat Sotus, quia in altero ponit, vt visum est, votum Sacramenti. Alterum verò etiam necessitate remissionis exigit: cum quo sentiunt alij, & ante eos fuit opinio Alensis 4. *part. quæst.* 17. *membr.* 1. *art.* 3. Oppositum tenet noster Vega *in Trident. lib.* 13. & Suarez citatus *quæst. præcedenti*. Nauarrus requirit virtuale. Si loquamur de satisfactione siue hîc, siue in Purgatorio, sufficienter ad eam determinatur voluntas, per actum virtutis pœnitentiæ, quo vult in se punire peccatum pœna lege statuta, superflueret aliud: ergo, &c. Si loquamur de satisfactione pœnitentiali iniungenda à Sacerdote, si non teneatur pœnitens eam acceptare (vt quidam docent, & infrà videbitur) neque etiam propositum virtuale eius requiritur. Tenendo verò sententiam communem, dicendum est votum Sacramenti sufficienter determinare ad satisfactionem, & reliqua præstanda, sine quibus consistere nequit, saltem quoad vsum licitum. Quantùm ad illud propositum legem, & præcepta in specie, non requiritur talis, neque ex necessitate contritionis, neque ex necessitate Sacramenti, quæ limitantur ad præcepta, quæ in reipsa transgressus est pœnitens, sicut ad peccata contra hæc commissa; quantùm autem ad obseruatiam legis in genere sufficienter includitur in proposito emendationis, qua offensa Dei vitanda proponitur; neque aliud videtur requiri. 117

Quid de voto obseruandi legem, & implenda pœnitentia.

Voluntas satisfaciendi.

Voluntas adimplendi pœnitentiam.

Voluntas seruandi legem.

b *Ad primam rationem dico*, &c. Docet hoc præceptum, & reliquas cæremonias religiosas institutas à Deo reduci ad præcepta Decalogi, & esse Iuris positiui, & non legis naturæ, vt benè deducit: hoc est dicere, quantùm ad rationem ex obiecto, & motiuo reduci ad legem naturæ latè sumptam, prout hæc lex comprehendit id, quod consonum est principiis primis practicis, aut conclusionibus per se sequentibus; quantùm verò ad materiam institutam hîc & nunc, esse præceptum merè positiuum, quia connexio, aut limitatio cultus ad talem materiam est ex institutione, & præcepti positiuo, ex quo patet facilis resolutio eorum, de quibus concertant moderni. An hoc præceptum sit naturale, aut quomodo reducatur ad Decalogum? 118

Præceptū pœnitentiæ, vt spectat ad legem Decalogi, & naturalem.

Idem vt est lex positiua.

gum? Suppoſito autem præcepto, iam confeſſio in re, aut voto habet aliam neceſſitatem, nempe medij ad ſalutem, & ſic cadit ſub præcepto naturali ſalutis propriæ procurandæ, quæ ſine hoc medio ſiue in re, ſiue in voto (iuxta varias opiniones) non attingitur regulariter, imò nunquam ab habente conſcientiam peccati mortalis: excipiuntur enim ſoli caſus, in quibus quis bona fide per charitatem, martyrium, Sacramenta cum obliuione ſui peccati iuſtificatur.

SCHOLIVM.

Confeſſionem per interpretem non cadere ſub præceptum, quia iſtud forum eſt ſecretum. fauet Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. Ita Caiet. v. Confeſſio. *Sotus diſt. 18. quæſt. 2. art. 6. Nauarr. cap. 21. num. 36. Quos ſequitur, & citat Vaſq. 3. part. quæſt. 91 art. 4. dub. 3. Doctor tamen videtur admittere præceptum confitendi per interpretem obligare, quando non timetur reuelatio confeſſionis; in quo conuenit cum D. Thom. hîc quæſt. 3 art. 4. ad penult. Docet non valere confeſſionem abſenti per ſcriptum factam, & Clem. VIII. an. 1602. oppoſitum damnauit, vt falſum, ſcandaloſum, temerarium: ſed ante huiuſmodi decretum, illud multi tenuerunt. De quo Vaſq. ſupr. dub. 2. Suar. 4. tom. d. 19. ſect. 3. & diſp. 21. ſect. 4. modò etiam multi tenent, agonizantem qui petijt vocari confeſſarium, ab eo poſſe abſolui, licèt nihil ei confiteri poſſit, cùm accedit, ex Arauſ. I. cap. 12. habatur 26. quæſt. 6. c.* Qui recedit. *& Carthag. IV. cap. 76. Leo epiſt. 89. Auguſt. lib. 50. hom. hom. 41. & de adult. coniug. cap. vlt. Extant etiam authentica teſtimonia Illuſtriſſ. DD. Card. Bellarmini, & Archiepiſcopi noſtri Armachani; quod Clemens VIII. declarauit ſe ſuo decreto non voluiſſe hunc caſum comprehendi.*

AD [c] aliud dicitur, quòd talis debet confiteri per interpretem, vel per aliqua alia ſigna à verbis, quæ poſſunt eſſe nota ſacerdoti. Secundum eſt benè concedendum, ſi aliqua talia ſigna ſint communia confitenti muto, vel barbaro, & ſacerdoti. 31 *D. Thom. hîc q. 3. art. 4. ſol. 2. art. 4.*

Sed primum non videtur neceſſarium: quia forum iſtud ex natura ſua eſt ſecretiſſimum: ergo non tenetur aliquis ad iſtud forum, vt aliquo modo publicum: ſed licèt interpres velit celare, & teneatur celare, ſicut ſacerdos: tamen ſi velit malignari, ipſe & ſacerdos poſſunt eſſe teſtes contra accuſatum, & ita ex natura huiuſmodi accuſationis hæc accuſatio poteſt venire in publicum, & ita non eſt pœnitentialis. *Cõfiteri per interpretem an quandoque teneamur.*

Ex hoc patet, quòd pluribus ſacerdotibus ſimul non eſt confitendum neceſſariò, vt meliùs iudicent. Quòd ſi fiat, non eſt Sacramentalis confeſſio: maximè autem videtur, quòd non ſit confitendum per interpretem, quando timetur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum: & ſi in tali caſu iſte habet impoſſibilitatem confitendi homini idoneo, confiteatur Deo cum propoſito confitendi homini opportunitate oblata. *D. Thom. vbi ſup.*

Ad [d] aliud videtur quandoque confeſſio facienda per ſcriptum, vt legitur de Thoma Epiſcopo Cantuarienſi, qui miſit ad curiam pro abſolutione. Sed hoc videtur eſſe contra rationem confeſſionis, quia omnis ſcriptura ex ſui natura nata eſt eſſe publica: quantumcunque enim aliquis conſeruet ſecretè apud ſe ſcriptum, tamen ex quo mittit illud, vel propter nuntium, vel propter illum, ad quem mittitur, poteſt publicari, & ſemper ex ſui natura eſt patulum cuicunque legenti loquens, quod ibi continetur. 32 *Non licere cõfeſſionem per ſcriptũ abſenti factam.*

Quilibet ergo ſcribens aliquid, facit in hoc, quod eſt contra naturam ſigni idonei in confeſſione: & in iſta ſcriptura tollitur verecundia, quæ eſt pœna magna in confeſſione, & hoc niſi confitens ſit præſens, quando per ſcriptum confitetur: & ideò quod dicitur 30. *quæſt.* 5. *Qualis debeat*, quòd quis poteſt confiteri per ſcripturam; Ioannes exponit, quando confitens eſt præſens, quia abſens non poteſt licitè: igitur abſens expectet præſentiam cum propoſito confitendi, ea habita.

Ad [e] aliud dico, quòd ſimpliciter innocens à mortali, & veniali, tenetur ſimpliciter non confiteri. Vnde ſi Beata Virgo fuiſſet confeſſa Petro poſt aſcenſionem, peccaſſet confitendo: ſed ſi eſt tantùm innocens à mortali, poteſt confiteri venialia, & poteſt non confiteri, vt dictum eſt *tertio articul.* §. *De qua.* Nec eſt incredibile multos eſſe in Eccleſia, qui per annum viuant ſine mortali, imò per Dei gratiam multi multò maiori tempore ſine peccato mortali ſe cuſtodiunt, & multa opera perfectionis exercent, de quorum meritis theſaurus Eccleſiæ congregatur. *B. Virgo nõ poterat confiteri, quia caruit omni peccato.*

COMMENTARIVS.

119 *De muto, & barbaro.* C AD aliud dicitur, quod talis debeat, &c. Resoluit quid dicendum sit de muto, aut externo; quem nequit confessarius intelligere, an is teneatur confiteri per interpretem, & aliter per signa. Hi casus comprehenduntur argumento tertio, & quarto ad oppositum pro parte negatiua conclusionis.

Confiteri possunt per signa. Respondet posse fieri confessionem per signa, si aliqua sint communia pœnitenti; & sacerdoti. Resolutio non solùm vera est de pœnitente muto, sed etiam barbaro, id est, peregrino, modò non adsit aliquis interpres, quia in eo casu, quando non suppetit alius modus confitendi, debet absolui: signa autem communia esse possunt tam muto, quàm etiam barbaro, lachrymæ, genuflexio, suspiria, tunsio pectoris, & huiusmodi naturalia, & certa. *Signa communia.* Quòd autem Doctor dicat *modò signa aliqua sint communia*, &c. intelligit iis esse vtendum maximè quoad mutos respectiuè, ad specificam, & determinatam peccatorum confessionem: quia qui muti sunt à natiuitate, & habent vsum rationis, specialissimè habent assistentiam in hoc quoad familiares, & consuetos, vt perinde per signa conceptus manifestent quoscunque, sicut alij per verba. *Muti per signa expeditè conceptus manifestant.* Plurima huius rei exempla habemus in Hibernia, vbi plerumque casus iste contingit de mutis à natiuitate, qui & doctrinam Christianam per signa discunt, & frequentant Sacramenta cum maximo feruore, & prudentia, & quicquid ad directionem conscientiæ spectat, optimè callent, & expeditè familiaribus, & domesticis suos conceptus significant.

120 Quin etiam audiui à quodam Patre nostro, viro valdè erudito, & probo (qui magnos fructus in illa vinea per Dei gratiam congessit, & etiamnum in iisdem laboribus desudat) in Conacia se nouisse virum Illustrem, qui mutus à natiuitate sæpissimè ei confessus fit, interprete suo fratre, & cum maxima claritate conscientiam aperiebat, & sacram communionem cum omni feruore sumebat: sed iste præterea habuit assistentiam specialem, qua sacerdotem nunquam visum, licèt vestitu simulato, & sæculari, vt ibi moris est ob pericula, accedentem statim ex vultu cognoscat primo intuitu, licèt nullus alius eum sciat esse sacerdotem: fratrem suum, & alios statim admonet, ipse genuflexus recipit eius benedictionem, & curam gerit, ita vt nullis famulis domesticis permittat ei inseruire, sed omnia obsequia ipse, & in mensa, & in cubiculo, & ad altare solus in persona obeat, assistente tantùm ad Missam suo fratre viro Illustri, qui respondeat ad Missam, ille autem omnia ministeria perficit, & post mediam noctem altare, & paramenta omnia præter calicem & corporale, componit. Deinde accito fratre suo ante Missam per signa confitetur, & apposita particula sub Missa communicat.

In aliis familiis etiam Illustribus in eodem regno huiusmodi exempla etiamnum hodie cernuntur. Quod dixerim magis ad commotionem parentum, vt si quos edant filios, aut filias mutas, curam eorum gerant in iis, quæ Dei sunt, quos ipse Deus alia via dociles facit, & idoneos ad salutem, quando organum auditus vel subtrahit, vel causa naturali permittit impediri; vnde deueniant muti, quia verba addiscere nequeunt, sed præstant per signa quod voci deest. Ad hæc exempla alludit Doctor, frequẽtia sunt in Hibernia, quando dicit mutum debere confiteri, si habeat signa communia sibi, & sacerdoti, & idem de barbaro: & hòc secluso interprete, quando Sacerdos capit illa signa.

Sed quid si interpres necessarius sit, vt confessio in particulari fiat? 121 *An teneatur quis confiteri per interpretem?* Respondet eum non teneri per interpretem confiteri, maximè quando timetur ipsum non esse idoneum, aut secretum. Non negat autem eum posse confiteri, si velit, sed negat eum obligatum confiteri per interpretem. Quod tenet Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. vbi negat Christum præcepisse confessionem publicè faciendam, aut Ecclesiam; neque consultè præcipi posse peccata secreta confitenda publicè. Admittit tamen aliquando fieri posse, *Doctor.* vt patet ex illa restrictiua clausula, qua dicit non esse confitendum per interpretem, quando timetur non fore idoneum secretarium. *Requiri secretum ad cõfessionem.* Eodem modo dicit non esse obligationem confitendi pluribus Sacerdotibus simul, quia illa confessio non est secreta ex natura actus: quod requiritur ad confessionem Sacramentalem. Non esse autem obligationem diuini, aut humani Iuris ad confitendum peccatum secretum publicè, satis declarat Tridentinum loco citato. Quid ergo?

Respondet confitendum esse peccatum Deo cum voto confessionis Sacerdoti data opportunitate: 122 *Quid oriatur ex præcepto.* hoc dicit quantùm ad impletionem præcepti diuini, & humani confessionis, quod non obligat ad confitendum pluribus: agit enim Doctor de eo, quod præcisè oritur ex obligatione præcepti.

Dicerem tamen iuxta primam viam, & prout mox declarabitur in casu sequenti in his circumstantiis, quando non adest interpres, vel si adsit, non est idoneus ad secretum Sacramenti, eum tum confiteri debere per nutus, & signa, & absolui posse, & talem confessionem idoneam esse, & integram formaliter, prout præsens casus, & circunstantiæ ferunt: *In defectu interpretis debet fieri confessio per nutus, & signa.* sufficit autem ad legitimam confessionem, & absolutionem Sacramentalem integritas confessionis, quæ compatitur cum præsenti statu pœnitentis: quæ aliter fieri nequit. Vnde si ex confessione integra peccatorum timeatur, vt *suprà* diximus, ex parte ipsius Sacerdotis periculum, aut damnum pœnitenti, non obligat confessio integra quoad illud peccatum: valet tamen confessio integra formaliter; sic etiam quando timeretur periculum, aut damnum ab interprete, valet confessio per signa, & lachrymas, & tunsionem pectoris, *Confessio integra, & præceptum eius impletur.* non confessis peccatis alteri ex impedimento legitimo, quale est, ne quis cogatur peccatum suum publicare interpreti, aut aliis à confessario, nisi in casu, quo iam illa eidem interpreti essent nota. Idem patet ex aliis casibus, in quibus confessio integra non exigitur, vt *suprà* ostendimus ex simili motiuo.

123 *Ratio Doctoris de secreto cõfessionis impugnatur.* Cæterùm aliqui impugnant rationem hanc, ad quam recurrit Doctor, nempe non esse de ratione confessionis Sacramentalis, vt fiat secretè: nam plures citat in oppositum Suarez *d.* 21. *sect.* 2. quam partem ipse tenet, existimans post Tridentinum

tinum loco citato rem certam esse. Deinde, quia ad Sacramentum non requiritur nisi confessio, & accusatio pœnitentis facta reo. Deinde, neque hoc est intrinsecè malum. Adducit præterea hunc casum de interprete. Item, quando aliquis est ita infirmus, vt non possit confiteri nisi alta voce, ita vt alij eum audiant. Tertiò, quando confessarius non sit sufficienter instructus, potest alteri communicare peccata de licentia pœnitentis, & personam.

Sustinetur ratio prædicta. Respondetur tamen hanc sententiam Doctoris esse magis communem; vt patet ex illis conditionibus cōfessionis communiter receptis.

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.

124 Duodecima conditio est, vt sit secreta. Probatur autem ex Tridentino, postquam præmisit illa, ex quibus certitudinem oppositæ sententiæ deducit Suarez; & in quibus dicitur Christū non prohibuisse, quin aliquis publicè sua delicta confiteretur, neque etiam præcepisse, subdit: *Non est hoc diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Vnde cùm à sanctissimis, & antiquissimis Patribus magno, vnanimique consensu secreta confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta vsa est, & modò etiam vtitur, fuerit semper commendata: manifestè refellitur inanis calumnia, qui eam à diuino mandato alienam, & inuentum humanum esse, & à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur*, &c. Ex quibus verbis sic argumentor. Confessio secreta ita est secundùm institutionem huius Sacramenti, vt inconsultè Iure humano aliud præciperetur, nempe publica peccatorum secretorum: sed quod inconsultè præciperetur, obstat alicui commodo pœnitentis, aut reuerentiæ Sacramenti, aut vtrique; quia aliunde nequit temeritas talis inconsultæ ordinationis colligi, nisi ex ipsa institutione, quatenus esset in oppositum, & nihil contra eam præcipi posset validè, aut licitè. Si prima duo dicantur: ergo institutio Sacramenti intelligenda est fuisse, vt confessio fieret secreta, & ob cultum Sacramenti, & facilitatem, ne fieret odiosum, & ob securitatem pœnitentis; vt patet ex Leone Papa *suprà* citato *epist.* 91. Secundò, Patres vnanimi consensu commendarunt confessionem secretam: vsa est eadem semper ab initio Ecclesia: ergo ex regula cognoscendæ traditionis Apostolicæ data ab Augustino, & recepta. Initium huius ordinationis referendum est ad institutionem Christi, qui non solùm confessionem præcepit, dans potestatem ligandi, & soluendi, sed etiam modus eius saltem regularem definiuit. Vnde Concilium *infrà* dicit hoc non esse inuentum humanum: quia & Patres vnanimi consensu confessionem secretam commendarunt; & ea vsa est Ecclesia ab initio: ergo insinuat Concilium ideò non esse inuentum humanum; ac proinde per traditionem Apostolicam emanasse talem vsum ex ipsa institutione Sacramenti.

Trident.

Confessio secreta ex vsu Ecclesiæ.

Ex verbis prædictis probatur ratio Doctoris, & secreta confessio.

Vsus cōfessionis secretæ est ex institutione Christi.

125 *Secunda ratio. Patet eadem institutio.* Secundò probatur principaliter idem ex natura actus, & ex eo quòd Concilium referat Christum non præcepisse confessionem publicam, supposito quòd Christus, vt dicit Concilium, non præcepit confessionem publicam, & præcepit confessionem: sequitur eum intendisse confessionem secretam. Probatur sequela, supposito quòd non induxerit pœnitenti obligationem confitendi publicè sua peccata secreta, manet ei obligatio legis naturalis integra, quâ tenetur non se infamare sine necessitate salutis, aut debito ex obligatione medij ad salutem. Sed per solam confessionem secretam saluatur illa obligatio: ergo confessio vt compatitur cum tali obligatione, fuit ei præscripta; in qua obligatione neque maior necessitas, neque præceptum procurandæ salutis per Sacramentum, neque Christus dispensauit. *Compatitur cum obligatione non se infamandi.*

Confirmatur, præceptum correctionis fraternæ obligat ad correctionem secretam, *corripe inter te & ipsum*: ergo etiam obligat tale præceptum confessarium, vt pœnitentem tantùm audiat circa peccata secreta inter se, & ipsum, hoc est, secretè, in ordine ad emendationem eius; & consequenter ex hoc capite indirectè intelligitur confessio secreta instituta esse. Vnde ex verbis Christi ad Petrum interrogantis, quoties dimittendum esset peccatum fratri: an septies? Respondet, vsque septuagies septies, vbi transitur de correctione fraterna in genere, ad hanc, quæ est ex potestate clauium. *Confirmatio.* *Correctio fraterna debet esse secreta primùm.*

Tertiò, ex confessione oritur sigillum Iure diuino in hoc Sacramento, non solùm ex natura secreti, & lege; sed etiam ex speciali lege, & institutione Sacramenti: sed sigillum non oritur ex confessione publica, sed tantùm ex secreta: ergo ea institutione, qua ordinatur, seu fundatur sigillum, etiam ordinatur confessio secreta. Confirmari potest ex dictis *suprà*; quia alioquin nisi vsus Sacramenti esset secundùm confessionem secretam, non esset tolerabile, neque frequentatum, & plura alia incommoda ex eo sequerentur: ergo Christus præcipiens confessionem, & vsum Sacramenti intendit eum modum, quo homines regulariter fiant capaces. 126 *Tertia ratio. Ex obligatione sigilli.* *Confirmatio. Vsus facilis Sacramenti accommodatur eius institutioni.*

Vltimò tandem Ecclesia non habet potestatem præcipiendi confessionem publicam peccatorum secretorum; sed potest omnia, quæ lege diuina, aut naturali non vetantur: ergo regulariter manet vsus confessionis publicæ talium peccatorum illicitus: ergo vsus confessionis secretæ est, qui regulariter, & de lege diuina sequitur ad præceptum confessionis, & intenditur per institutionem eius. Probatur consequentia ex Concilio in initio ipsius capitis quinti, vbi probat ex potestate data ligandi, & soluendi Apostolis, & successoribus intelligi præceptum latum de cōfessione peccatorum secretorum: quia alioquin illa potestas esset inutilis, neque possit sententiam ferre circa ignota: ego similiter ex præcepto confessionis, quod non comprehēdit publicam, nec tollit Ius fundatum in lege naturali de conseruāda fama apud alios, quibus pœnitens non subditur, neque habent illam potestatem absoluēdi, sequitur eum non debere subdi nisi ei soli, qui habet illā potestatem: sed ille nequit ob præceptum strictissimum sigilli eum diffamare apud alios: ergo sequitur, inquam, confessionem faciendam esse apud solum Sacerdotem ex institutione huius Sacramenti, quantùm ad institutionem Christi, & eo modo faciendam, quo manet obligatio sigilli; & quo reus subditur iudici secreto, quia accusatio in ordine ad absolutionem fit, & 127 *Vltima ratio. Aliàs Ecclesia posset obligare ad confessionem publicam.* *Præceptū confessionis faciēda obligat tantùm respectiuè ad Sacerdotem.*

& abſoluentem, & tantùm ad eum, vt eſt ſacramentalis, dirigitur; ad alios autem, ex quibus ſumit differentiam, aut denominationem confeſſionis publicæ, non dirigitur quà eſt confeſſio ſacramentalis. Inde *c. Omnis vtriuſque ſexus*, &c. docet ſoli Sacerdoti faciendam. Benè ergo Doctor hanc differentiam ſtatuit confeſſionis ſacramentalis à non ſacramentali, & publica; nihil enim facit ad Sacramentum, vt quis ſe apud alios accuſet præter Sacerdotem. Vnde *ſuprà* cum Doctore confeſſio laica non eſt ſacramenmentalis: ergo ſimiliter confeſſio publica, quà talis non eſt ſacramentalis.

Confeſſio publica, quà talis non eſt ſacramentalis.

128 *Confirmatio.*

Confirmatur, quia nulla eſt poteſtas humana, cui ſubiicitur peccatum ſecretum, quod ſoli Deo reſeruatur iudicandum, & Sacerdoti, qui Vicarium eius in hoc foro ſecreto agit: ergo ex inſtitutione huius tribunalis debet peccatum manere ſecretum omnibus, præter ſolum iudicem, qui poteſtatem eius ſoluendi ad fructum, & ſalutem pœnitentis habet, quod & vſus, & praxis Eccleſiæ, & Canones pro differentia vtriuſque fori præſcripti apertè ſignificant: ſicut & modus procedendi in vtroque foro diuerſus eſt. Itaque accuſatio, & denuntiatio fori ſecreti debet eſſe ſecreta, in foro autem publico requiritur confeſſio publica rei, aut probatio criminis, vel notorietate facti, aut per teſtes, & indicia, quia regitur ſcientia publica, praxis autem, & vſus Eccleſiæ rectè interpretantur modum inſtitutionis Sacramenti.

129 *Ad obiectionẽ ex Concilio.*

Ad fundamentum petitum ex Concilio, reſpondetur haberi contrarium eius, quod prætenditur. *Cæterùm quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, & ſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit, non eſt tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec conſultè*, &c. Docet Concilium vnde modus confitendi ſecretò euenerit in verbis ſequentibus, prout *ſuprà* explicuimus. Hîc autem verbis præmiſſis oſtendit confeſſionem publicam ſcelerum cum illis circumſtantiis factam in vindicationem peccatorum, ſui humiliationẽ, exemplum aliorum, & Eccleſiæ, quam offendit, ædificationem non contineri diuino præcepto, neque vetari. Hæc autem confeſſio non eſt ſacramentalis: ſed non ſacramentalis, & Concilium approbat factum aliquorum pœnitentium, qui publicè ſua peccata confitentur ob illos fines laudabiles, quorum nullus eſt ſacramentalis.

130 *Replica.*

Dices: ergo Concilium æquiuocat in verbo *Confeſſionis*.

Solutur.

Reſpondetur negando conſequentiam; ſed confeſſionem in genere, quæ eſt accuſatio ſuiipſius facta à peccatore, diſtinguit in publicam, & ſecretam, docens publicam eſſe licitam ex tali fine factam; confeſſionem ſecretam eſſe vſum Sacramenti, & in ordine ad abſolutionem, & ſoli Sacerdoti faciendam, vt dicit Canon Lateranenſis, quem approbat ex communi ſenſu Patrum, & vſu Eccleſiæ ab initio. Fines autem præſcripti à Concilio, ex quibus declarat confeſſionem publicam licitam, vt quandoque fuit in praxi, vel etiamnum fit, non reſpiciunt Sacramentum, nempe punitio voluntaria peccatorum per talem exceſſum, & humiliatio ſuiipſius, & exemplum proximi, & ædificatio Eccleſiæ, quæ omnia redundant ex confeſſione illa, vt notificat peccata aliis publicè, qui non habent poteſtatem iudiciariam abſoluendi, & non in ordine ad abſolutionem. Vnde abſolutio, quæ accedebat tali confeſſioni per expleta opera ſatisfactoria omnia, quibus tales pœnitentes ſubiiciebantur poſt tempus præſcriptum, erat tandem ipſa reconciliatio per Sacramentum, & mox admiſſio ad communionem, ſi loquamur de pœnitentia publica, vt fuit olim in vſu Eccleſiæ. Si verò loquamur de caſibus extraordinariis, quibus aliqui ſpiritu compunctionis, & ex prædictis motiuis ſua peccata ſecreta propalant. Non contingit etiam proximè in ordine ad abſolutionem, quam aliàs fortè impetrarunt. Vnde ſicut Concilium determinat motiua iuſtificantia talis confeſſionis, quæ rarò concurrunt, ita ſequitur intentum, nempe inſinuare confeſſionem ſecretam tantùm eſſe ex fine, & inſtitutione Sacramenti, & regulariter.

Fines confeſſionis publicæ non ſunt ſacramentales.

Dices, ſaltem ſi Sacerdos abſoluat ſic confitentem, fiet Sacramentum: ergo erit valida, & ſacramentalis confeſſio. 131 *Replica.*

Solutur. *Requiritur vt cõfeſſio dirigatur ad abſolutionem, ſi eſt ſacramentalis.*

Reſpondetur confeſſionem ſacramentalem eſſe accuſationem ſuiipſius in ordine ad abſolutionem ſacramentalem; ac proinde requirere intentionem ſubmittendi ſe abſolutioni Sacerdotis: quia ille actus eſſet ex intentione ſuſcipiendi Sacramentum. Quòd ſi deficiat illa intentio, non erit materia proxima abſolutionis. Quòd ſi habeat intentionem recipiendi Sacramentum, poterit abſolui, & tunc confeſſio, quà publica eſt, per accidens ſe habet ad Sacramentum; quia in tantùm reſpicit Sacramentum, inquantùm præciſè eſt accuſatio rei apud iudicem: quòd verò fiat apud alios, ſimiliter eſt impertinens ad Sacramentum. Imò illicitè regulariter fit in ordine ad Sacramentum, quod quærit informationem ſecretam, ex qua oritur ſigillum; neque illa reſponſio eſt contra Doctorem: quia ipſe intendit tantùm illum actum ex natura actus, vt eſt accuſatio publica, ordinari ad forum publicum, ſicut ordinatur ad ſcientiam publicam, qua regulatur per ſe tale forum: non autem eſſe confeſſionem ſacramentalem quantùm ad modum, licèt in ſubſtantia poſſit eſſe, qua includit informationem iudicis in ſubſtantia, & cum intentione recipiendi abſolutionem. Intendit itaque non obligari reum ad confeſſionem publicam peccati ſecreti ex præcepto confeſſionis, neque regulariter eſſe licitam, vt ſupponit conſuetudo Eccleſiaſtica, ſecundùm omnes: quod ſufficit, vt dicatur non eſſe confeſſionem ſacramentalem quoad modum, ad quem obligat præceptum. Deinde dubia poteſt eſſe illa materia publicè propoſita: quia incertum eſſe poteſt, an pœnitens omnia, & ſingula peccata ſua proponat integrè, plura enim non poteſt proponere ordinatè, vt illa ex quibus ſequitur ſcandalum, & infamia aliorum. Itaque quoad examen integrum, & inquiſitionem iudicis requiritur vlteriùs inquiſitio ſecreta de pœnitente.

Quà dirigitur ad cõfeſſarium eſt capax abſolutionis, nõ quà publicè fit.

Confeſſio publica ex caſu eſt materia dubia.

Aduertendum præterea duplicem eſſe confeſſionem publicam: aliam per ſe, & de hac loquitur Tridentinum ſuprà; ex qua intẽditur ædificatio aliorum, & Eccleſiæ: Alia verò per accidens, vt quando quis ex neceſſitate confeſſionis apud Sacerdotem ob defectum linguæ, aut 132 *Confeſſio publica per ſe, & per accidens.*

alium

alium ita confitetur Sacerdoti, vt licèt intendat quantum potest secretum, tamen per accidens, ex impedimento præsenti, peccata eius veniunt in notitiam alterius, vt interpretis, vel eorum, qui non longè distant: & hæc confessio magis ordinatur ad absolutionem, quàm prior: fieri autem potest quandoque, sed non tenetur pœnitens ad eam ex vllo præcepto, neque Sacerdos consequenter eam exigere. Sed potest in eo casu, intelligendo signa pœnitentiæ, & peccata, seu materiam in genere, & dispositionem pœnitentis, qua petat absolutionem, & est paratus confiteri, si posset in specie, aut expediret, & obedire Ecclesiæ, tunc eum absoluere; ad aliud non tenetur ex præcepto; quia illa confessio in genere ratione impedimenti, cum voto confessionis in specie, quando primùm datur opportunitas, est confessio integra formaliter in hoc casu: verum etiam est posse pœnitentem pro securitate medij, & suæ salutis renunciare suo iuri, & confiteri, licèt alij ex casu cum audiant, qui etiam obligantur ad secretum: quia illam scientiam non alia via acceperunt, quàm per viam Sacramenti, licèt per accidens audiuerint aut per se; vt si velut interpres quispiam adfuit: quia, vt Tridentinum *suprà* docuit, si potest facere quandoque confessionem publicam ex motiuis præscriptis, à fortiori poterit hanc ex simili motiuo vindicandi sui peccati, & ob reuerentiam Sacramenti, & securitatem animæ suæ. Non dicit autem Doctor hanc confessionem non esse sacramentalem, quasi esset nulla: sed quia ad eam non tenetur ex præcepto Sacramenti, neque ex modo eius adimplendi, neque aliàs esset licita in aliis circunstantiis, aut admitti deberet à confessario.

In casu potest pœnitens absolui sine confessione in specie.

133 *Responsio ad alias obiectiones.*

Ex quibus sequitur responsio ad alia, quæ adduxit Suarez; duo enim ad Sacramentum requiri confessionem secretam, quantùm ad modum, quo debeat fieri confessio, licèt per accidens in determinatis circunstantiis haberi possit confessio in substantia sufficiens, quæ non esset secreta: quamuis fortè non prima modo sumpta confessione publica, vt dictum est, sed secundo modo, loquendo de publica secundùm *quid*, & per accidens: quin etiam neque hoc etiam modo nisi in determinatis circunstantiis necessitatis, quibus seclusis illa confessio esset peccaminosa: quin etiam in circunstantis necessitatis abstinendum esset à peccatis, eorúmque confessione, ex quibus sequitur scandalum aliis. Confessio autem, quæ est illicita, non est materia Sacramenti, loquendo de illicita ex peccato graui. Non valet ergo consequentia, licet quandoque ex necessitate confessio publica hoc modo: ergo confessio secreta sola non est confessio sacramentalis, ad quam obligat præceptum, & institutio Sacramenti: vel etiam hæc; ergo confessio publica regulariter ordinatur ad Sacramentum ex diuina institutione, aut fieri potest in ordine ad Sacramentum; sicut non valet hæc consequentia; licet quandoque absoluere agonizantem sine confessione verbali, aut confitentem per nutus, & signa: ergo etiam hæc confessio regulariter est sacramentalis, & passim valida.

Confessio publica per accidens valet.

In circunstantiis necessitatis tantùm est licita.

134 *Tertia obiect.*

Item patet ad tertium, quod dicit hoc non esse intrinsecè, & per se malum.

Respondetur esse intrinsecè malum seclusis illis circunstantiis, & iis positis etiam esse intrinsecè malum, quando videtur scandalum aliquod inde proueniens. Ad casus, quos proponit, patet ex dictis, quamuis tertius non faciat ad propositum, quia reuelatio facta alteri non est confessionalis; sed naturalis secreti ex licentia pœnitentis. Vltimò tandem, vt patet ex dictis, illa sola debet dici sacramentalis, quæ regulariter exigitur, & non illa quæ tantùm in casu necessitatis permittitur, & non aliter: quia inquantùm seruat substantiam, sufficit in casu, quo nequit obseruari modus, neque authores, quos citat Suarez, ita absolutè cóclusionem eius tenent: neque fundamentum hoc confessionis secretæ, quod conatur infringere (conniuendo illi sententiæ, quam plures docuisse constat de confessione per litteras, & in absentia) elidi patitur decretum Clementis VIII. quod processit non solùm de absolutione in absentia data, sed etiam de confessione per litteras, & in absentia, quia illa non est sacramentalis, vt in responsione sequenti Doctoris patebit.

Reliquæ obiectiones soluũtur.

Interim quæritur: An absolui potest pœnitens agonizans, qui nullum peccatum confitetur?

135 *Sententia negatiua.*

CAsus est de moribūdo, cui superuenit confessarius, quando amisit vsum rationis, & loquelæ, an possit absolui. Soto *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *can. p.* 5. *relect. de pœnitentia.* Abulens. *super caput.* 16. *Matth. qu.* 78. Ledesm. 2. *p.* 4. *quæst.* 9. *art.* 5. Nauarr. *in Summa cap.* 26. asserunt non esse vlla ratione absoluendum. Canus autem asserit se non adeò repugnare oppositæ sententiæ. Hæc sententia fundatur in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. vbi dicitur necessariam esse confessionem ad informationem iudicis, & causæ debitam cognitionem, in casu proposito talis haberi nequit: ergo, &c.

Conclusio.

Conclusio est affirmatiua, si talis antea petierit pœnitentiam, dum fuit compos sui, & huius voluntatis supersit testimonium. Hanc docet Antonin. *in Summ.* 3. *part.* 10. *cap.* 2. Ioann. de Medina *C. de confessione quæst. de absolutione circa finem.* Cordub. *quæst.* 30. *de Indulg. dub.* 3. *op.* 2. Angelus *v. Confessio.* Vasquez *qu.* 91. *a.* 2. *dub.* 10. Syluester, Paludanus, & alij: estque magis pia, & communior apud Modernos. Probatur ex Arauf. I. cap. 11. *Subitò obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu,* &c. quo scilicet dolorem de peccatis significet. Carth. III. cap. 34. *Vt ægrotantes, qui pro se respondere non possunt, cùm voluntas eorum testimonium sui dixerit baptizentur: similiter & de pœnitentibus agendum est.* Carthaginense IV. cap. 67. *Iis qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si omnino creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia,* &c.

Probatio Arausican. I.

Carthagin. III.

Carthagin. IV.

Respondent aduersarij cum glossa *in cap. Is qui* 26. *quæst.* 6. Hæc Iura loqui de reconciliatione à censuris. 136 *Responsio.*

Contrà, quia comparant Baptismum pœnitentiæ: *Impugnatur.*

tentiæ: ergo intelligunt Sacramentum. Deinde loquuntur de pœnitentia, quæ requiritur ad dignam sumptionem Eucharistiæ ab iis, de quorum statu nescitur; hæc autem est Sacramentum.

Leo Papa. Idem expresse docet Leo Papa *Epistola 91. ad Theodorum Episcopum Foroliuiensem.* *Rationes conclusionis.* Ratio conclusionis est, quia aliàs non superesset remedium talibus per attritionem dispositis. Deinde, iudex sufficienter informatur de statu rei quantùm licet in eo statu. Tertiò, quia confitetur in genere se habere peccatum petens confessarium, sed hoc in casu sufficit, quia vt *suprà* probatum est, integritatem confessionis in casu non obligat. Quartò, si nutu signum faceret, esset secundùm plerosque aduersariorum absoluendus: ergo similiter in proposito, quia voluntas illa prior moraliter adhuc censetur remanere. Accedit quòd Rituale Romanum præcipiat talem absolui. Ex eo patet ad rationem in oppositum: quia confessio integra in casu non obligat, & iudex sufficienter informatur spectato statu pœnitentis. Friuolè quidam huic conclusioni obiiciunt decretum Clementis VIII. de confessione in absentia, & absolutione, quia casus diuersus est, vt idem Pontifex respondit anno 1608. 16. Aprilis, interrogatus super hoc à Cardinale Bellarmino, & Domino Petro Lombardo Archiepiscopo Armacano.

137 *Confessio per litteras reprobatur.* d *Ad aliud, videtur quandoque confessio facienda per scriptum, vt legitur,* &c. Hîc dicit confessionem per litteras factam absenti non esse Sacramentalem, nec validam: quia scriptura ex natura sua ordinatur ad informationem publicam, & accusationem, per se loquendo. Deinde, quia minuit erubescentiam, quæ est pars satisfactionis per confessionem. Secunda ratio patet ex *dist. 1. de pœnitentia cap. Quem pœnitet*: vbi hæc verba habentur ex authore de vera & falsa pœnitentia cap. 88. *Præcipit*, inquit, *Dominus mundandis, vt ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda*, &c. Et infrà, *Qui per vos peccastis, per vos erubescatis, erubescentia enim ipsa partem habet remissionis*, &c. Et postea: *In hoc enim quod per se ipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis*, &c.

Tertia probatio Doctoris. Tertiò probat ex glossa Ioannis Andreæ *super 4. quæst. 5. cap. 4. in fine*, qui negat confiteri posse aliquem in absentia, aut in absentia posse absolui à peccatis.

Obiectio Soti. Obiicit, Sotus *dist. 18. quæst. 1. art. 6.* quòd in illo capitulo non agatur de pœnitentia, aut confessione Sacramentali: ergo non facit hæc probatio ad propositum.

Soluitur. Respondetur Doctorem nihil probare ex illo capitulo, sed ex expositione Ioannis in ipsum; & fortè verba etiam illius capituli ad propositum facere possint, &c.

138 *Decretũ Clementis VIII.* Hanc tandem sententiam tuentur omnes post decretum Clementis VIII. qui anno 1602. in Congregatione sanctæ, & generalis Inquisitionis, re maturè, ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet *licere per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minùs vti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, priuatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neque vnquam tanquam probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur*, &c. Ita habet decretum Pontificis; de quo *suprà* egimus *dist. 14. q. 4.* quoad absolutionem in absentia: hîc agendum erit quoad confessionem, an illa facta absenti per scriptum sufficiat. *An comprehendat confessionem factam absenti.*

Falsa glossa aliorum in Doctorem. Aduertendum est aliquos non rectè interpretari Doctorem quoad casum de confessione per interpretem, quasi negaret esse validam ex eo, quòd non videatur sacramentalis. Aliqui ex hoc eodem loco, vt moderni cum Suare, & Vasquez dicunt eum dicere non posse perfici Sacramentum per confessionem publicam, quia conditio essentialis, per ipsum, est, vt confessio sit secreta; sed vtrumque horum nec asserit Doctor, neque sequitur ex eius textu in responsione illa ad tertium, & quartũ: quia tantùm ibi loquitur de cõfessione pœnitẽtiali, vt est in præcepto, & sic negat obligari aliquem ad confessionẽ peccati secreti publicam (siue per se, siue per accidens publica sit, iuxta distinctionem suprà datã) ex vi huius præcepti diuini, & Ecclesiastici: agit enim præcisè de necessitate confessionis, vt est in præcepto, ex quo præcepto dicit illam habere tantùm necessitatem medij per se ex natura rei, licèt fortè quoad operantem esset alia via necessaria, quia magis certa. Vnde sumit præcisè confessionem pœnitentialem, vt ad eam obligat lex diuina, & Ecclesiastica: quia hoc eius institutum est declarare vim præcepti Ecclesiastici, & diuini. Ex hoc non sequitur eum requirere hanc conditionem vt essentialem. Vnde dicit, *Reiicitur. Negat Doctor aliquem obligari ex vi præcepti Sacramenti ad confessionem publicam.*

Ex hoc patet, inquit, *quòd pluribus sacerdotibus simul non est confitendum necessariò, vt meliùs iudicent*, &c. *necessariò*, inquit, supple ex vi præcepti confessionis, *quòd si fiat, non est sacramentalis confessio*, id est, ad quam obligat præceptum pœnitendi, & quæ ex necessitate præcepti est facienda. *Maximè autem vitetur quod non sit confitendum per interpretem, quando timetur non esse secretarium idoneum*, &c. Non negat ergo confitendum per interpretem, si est secretarius idoneus, quamuis neque ad hoc obligat præceptum; sed permittit, quando est idoneus: censet ergo confessionem esse validam, quæ fit per interpretem, licet non sit ex necessitate præcepti: qua ratione negat esse sacramentalem respectiuè ad modum secretum confitendi, cum quo obligat præceptum affirmatiuum Sacramenti, & sine quo non obligat. Ex quo patet falsitas interpretationis: neque argumentum ex Tridentino, aut confessione publica, vt olim fuit in vsu Ecclesiæ, vt *suprà* probauimus, quidpiam facit contra Doctorem, quia non negat quod alij prætendunt, & quibus *suprà* responsum est: nam neque illa pœnitentia publica, vt fuit in vsu Ecclesiæ primitiuæ, & secundùm Canones pœnitentiales, fuit sacramentalis, aut reconciliatiua, sed satisfactoria. Vnde pro qualitate delictorum aliquando per vnum, duos, tres annos durabat iuxta præscriptum tempus per Canones, & modum pœnitẽtiæ exactæ: tum demum reconciliabantur per manus impositionem, & admittebantur ad communionem vel laicam, vel in suo gradu, si erant Ecclesiastici. 139 *Confessio sacramentalis sumitur à Doctore, vt est in præcepto Sacramenti, non autem vt est valida, & informata. Admittit per interpretem factam esse validam. Argumentũ ex confessione publica soluitur. Pœnitentia publica non fuit sacramẽtalis, sed satisfactoria. Ritus eius.*

Demus ergo illam reconciliationem fieri per Sacramentum; aliquando enim reconciliatio ad alia se extendebat, vt patet ex epistola Cypriani 17. & fiebat quoad absentes; & quandoque in absentia Presbyteri per diaconos. Sed quidquid 140

Quando dabatur reconciliatio per manus impositionẽ, etiã cõfessio secreta erat necessaria.

quid dicatur, non refert: fiebat aliquando per absolutionem sacramentalem: sed valde absurdum est per duos, aut tres annos pœnitentiæ, & segregationis ob peccata publicè confessa, tantùm illos tum admitti ad sacram communionem, & absolui non facta inquisitione secreta, si aliqua peccata haberent confitenda, quæ nec publicè confitebantur, neque tenebantur ea confiteri, neque consultè confiterentur: ergo ex hoc non rectè impugnationem desumunt aduersarij. Adde quòd aliquando confessio secreta præcedebat, & absolutio à peccatis, sed pœnitentia publica indicebatur quoties opportunum erat, aut congruum, ante communionem, & peracta pœnitentia secundùm formulam communem reconciliabantur ad communionem. Neque enim idem modus in omnibus Ecclesiis, & locis seruabatur, vt patet ex variis Ritualibus.

Confessio secreta, & absolutio à peccatu, quandoque antecedebat publicam pœnitentiam.

141

Confessio difficilis Græcis.

Hac ratione Petrus Arcudius docet Græcos Sacerdotes potissimùm absterreri à confessione sacramentali facienda, ne ex sententia confessarij experirentur cum suo aliquo dedecore rigorem Canonum pœnitentialium, & sui status: non rectè ergo considerant praxim consuetam seruari in pœnitentia publica, qui vtuntur hoc argumento: nam licèt confessio peccatorum erat publica quoad aliqua, ex quibus subiiciebantur satisfactioni, non tamen quoad omnia, & quando absoluebantur à peccatis publicis sacramentaliter, semper præcedebat confessio integra, & secreta de aliis, vel de his ipsis, antequam pœnitentiæ publicæ se offerrent. Quamuis hæc superiùs dixerim, placuit hîc denuò replicare ob controuersiam circa præmissum decretum, eiúsque interpretationem veram. Fauentinus videtur illum modum interpretandi Doctorem secutus: sed Scholiastes nobiscum sentit, & ipse textus Doctoris exigit interpretationem datam.

Praxis antiqua.

Suarez interpretatur decretum Clementis extendi tantùm ad absolutionem in absentia.

Decretum Clementis, quod in fauorem eius adduximus, non fauet iuxta interpretationem Suarez *disp. 19. sect. 3. in fine:* vbi docet mentem Pontificis fuisse damnare absolutionem in absentia datam confitenti per scriptum in absentia, vt prohibitio referatur ad ipsam absolutionem; cuius rationem in corpore sectionis eam esse ostendit: quia absolutio de rigore formæ, & institutionis exigit præsentiam pœnitentis, quia definiuit modum, quo iudex debet, & in præsentia tantùm dare absolutionem. Confessio tamen, quæ requiritur ex parte pœnitentis, non habet modum determinatum ex institutione diuina, quia consecutiuè præcipitur; & sufficit vt conscientia per eam aperiatur modo morali, vt potest. Hoc idem supponere videtur Vasq. *q. 91. dub. 2.* quamuis *dub. 3.* videatur oppositũ probare.

142

Dico hoc tenendum esse in re, & secundùm rigorem huius decreti extendi ad confessionem in absentia; & ita supponit Doctor in præsenti litera. Et probatur, propositio, quam damnauit Pontifex, est hæc: *Licere per literas, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionẽ obtinere,* &c. Hæc propositio est copulatiua, & includit duas categoricas, nempe *licere absenti confiteri sacramentaliter, & per internuntium.* & hanc: *ab absente absolutionem obtinere,* &c. Sed ad veritatem copulatiuæ requiritur, vt vtraque pars sit vera, vt in hac, *Petrus scribit, & loquitur*; & ad falsitatem eius absolutam, quando comprehẽdit duas propositiones (vt hæc comprehendit) requiritur vt vtraque sit falsa: ergo damnatio, & censura Pontificis, qua iudicat esse falsam, referenda est ad vtramque propositionem categoricam, quam includit: censura enim de rigore refertur ad totum antecedens, ad quod referri de rigore debet, quia alioquin esset valde confusa, si veram propositionem copularet cum falsa, ita vt censura ad alteram tantùm referretur.

Propositio dãnata.

Est copulatiua.

Veritas copulatiuæ.

Eius falsitas.

Censura refertur ad totam propositionem.

Dices, fortè explicationis gratia, & ad declarandum casum, vt in praxi erat, vel esse possit, & docebatur, addere primam propositionem, non verò vt materiam censuræ. 143

Responsio.

Contrà: In materia doctrinali, & definitionibus Ecclesiæ illa superfluitas nõ est admittenda, neque particulæ declaratiuæ ita adduntur, vt imperfectum sensum, & explicitum non faciant: hîc autem Pontifex non per modum explicationis addit illam propositionem, aliàs id insinuaretur, sed per modum membri propositionis damnatæ: ergo cadit sub censura. Patet consequentia, quia propositio integra, vt constat ex duabus copulatiuis categoricis, non facit diuersum sensum à copulatis præter copulationem ipsam, & per coniunctionem copulatam, particulam illam exprimentem, expressam: ergo similiter sicut in sermone coniunguntur duæ propositiones per solam copulatiuam, vt faciant vnam, & respectiuè ad censuram, quæ explicat qualitatem eius, ita etiam afficit totum, quod supponitur ex parte subiecti.

Impugnatur. Materia censuræ comprehendit primã propositionem.

Censura afficit totũ, quod supponitur ex parte subiecti.

Confirmatur, quia si intentio Pontificis esset tantùm damnare absolutionem datam in absentia, & non confessionem factam absenti sacramentaliter: solùm perstringeret illam concipiendo seorsim, & in recto materiam censuræ: verbi gratia, absoluere absentem confitentem per literas, aut internuntium: quia ergo in recto comprehendit vtramque propositionem directè, & sub eodem tenore præmisit censuræ, tanquam membra eius copulatiua diuersa, sequitur vtramque propositionem comprehendisse, & non vnam solam.

Confirmatio.

Eodem tenore verborum vtraque pars subijcitur cẽsuræ.

Si dicas, comprehendisse etiam confessionem in absentia modo dicto factam; sed in ordine ad prohibitionem, & non ad censuram. 144

Responsio.

Contrà: Hoc nequit dici, quia prohibitio oritur, seu adiicitur ipsi censuræ, & ratione eius: ergo non refertur ex natura sua absolutè apposita neque ex rigore sermonis, neque ex intentione Pontificis, in re tam maturè considerata, nisi ad subiectum censuræ: quasi verò Pontifici defuissent verba, quibus intentionem expressisset, aut in re tam maturè considerata, & discussa, & subiecto grauis censuræ (contra doctrinam quæ prætendebatur plurium Doctorum, & quæ alioquin in casu extremæ necessitatis prætendebat pietatem) quibus suam mentem, si alia esset, expressisset, aut dubium ambiguæ interpretationis sustulisset.

Impugnatur. Prohibitio adhæret censuræ.

Secundò probatur illam confessionem non esse in substantia sacramentalem, quia materia sacramentalis, & forma perinde requirunt ex communi institutione Sacramenti determinatam præsentiam, cui non derogat ratio particularis huius, aut illius Sacramenti: verbi gratia, pœnitentiæ, vt in materia iudiciali ordinata est. Et ratio est, maximè in sententia ipsius Suarez, qui docet hæc constituere integrum signum, & totale;

Secunda ratio. Confessio facta absenti nõ est sacramentalis.

Præsentia requiritur materiæ ad formam.

totale; ac proinde debent simul poni moraliter. In sententia etiam nostra requiritur saltem illa præsentia, quamuis confessio se habeat vt circumstantia, & determinatio requisita ex parte absolutionis, vt fundet significationem sacramentalem, sine qua limitatione nequit eam fundare, sicut nec lotio Baptismalis, aut forma seorsim posita sunt signa sacramentalia; sed lotio in ordine ad formam & è contra. Ita similiter neque confessio vlla est sacramentalis, licet aliàs possit esse sacramentalis, si adessent requisita, nisi illa quæ proximè, & immediatè, quantùm est ex natura actus, est capax absolutionis; neque è contra absolutio est sacramentalis, nisi illa quæ supponit confessionem sacramentalem, cui immediatè possit applicari per se absolutio, ab habente iurisdictionem, & seruata approximatione requisita, & determinata.

Sed absolutio in absentia ex natura sua, & institutione diuina non est sacramentalis: ergo neque confessio in absentia per scriptum, aut internuntium facta est sacramentalis magis quàm confessio facta laico, quæ aliàs esset sacramentalis, & valida, si fieret confessario: non est tamen sacramentalis, quia nequit fieri in ordine ad absolutionem, quam ille nequit dare, cùm non sit iudex, ideóque confessio illa est extraiudicialis, non verò iudicialis; sed perinde nequit Sacerdos in absentia absoluere, sicut nec laicus præsens: ergo confessio in absentia facta Sacerdoti est extraiudicialis, & nullo modo iudicialis, neque consequenter sacramentalis.

Confessionem illam non esse iudicialem.

145 *Responsio.*

Dices cum Suare loco citato Pontificem non declarare, si absolutio data in absentia esset valida, saltem in casu necessitatis, quamuis putet hoc etiam voluisse Pontificem.

Impugnatur. Absolutio in absentia in casu necessitatis est inualida.

Sed de hoc non est dubium, neque locus interrogationis, quia & casus ipse, & praxis eius ex communi Doctorum importat casum necessitatis: quia nulli dubium est non licere aliàs contra consuetudinem, & praxim Ecclesiæ; & hoc non indigebat declaratione Pontificis, cùm praxis ipsa in adminiculum necessitatis, & articuli fuerit supposita.

Censura Pontificis ad valorem actus refertur.

Dicit ergo Pontifex illam propositionem esse falsam, quæ censura refertur ad valorem actus, alioquin si in necessitate valeret actus; in necessitate etiam non esset illicitus: quia hæc tollit obligationem legis positiuæ in mediis necessariis ad salutem, & periculum illius praxis non ex absolutione in absentia, si alioquin esset valida, oriebatur, sed ex natura confessionis, quæ potuit tali modo per scriptum, aut internuntium publicari in præiudicium pœnitentis, sed hic potest, secundùm ipsos, cedere suo iuri, & confiteri etiam publicè, maximè in articulo necessitatis, & pro securitate suæ salutis: ergo cásus ille supposito valore confessionis, & absolutionis non esset illicitus in illis circunstantiis, in aliis verò nemo dicebat licuisse cum vllo fundamento contra consuetudinem Ecclesiæ.

Periculum ex ipsa cōfessione oriebatur.

Responsio. Ex casu suprà exposito.

Dices confessionem in casu, quem *suprà* exposuimus, quando nempe agonizanti superuenit Sacerdos, qui in sensu constitutus voluit confiteri, eum posse absoluere alienum à sensibus, & non sine confessione aliqua, quia illa voluntas, de qua præsentes testimonium perhibent, reputatur pro facto, & supplet confessionem; quæ tamen in absentia Sacerdotis fuit habita, & reputatur pro confessione in absentia.

146 *Impugnatio.*

Contrà. Hoc ipsum confirmat conclusionem. Quia illa voluntas vt in absentia habita, atque quando fuit vsus sensuum, & rationis, ideò reputatur pro confessione, quia præsumitur præsens, & non reuocata: nam ille est status præsens agonizantis extra sensum constituti, qui fuit eius, quando fuit in sensu: quamuis alioquin non fit confessio in re, sed in voto tantùm. Vnde sibi restitutus tenetur confiteri in re ipsa: ideò ergo sacerdos præsens absoluit: quia & illam voluntatem inuariatam manere cognoscit, & præsumit: ergo etiam idem dicendum de confessione per scriptum facta, aut internuntium non esse sufficientem, vt Sacerdos præsens absoluat, nisi ipse pœnitens eam ratificet, & declaret se in ea perseuerare, & nihil immutatum esse quoad statum, & petat absolui. Patet consequentia, quia antiqua decreta in priori casu statuentia non permittunt absolutionem dari pœnitenti ex testimonio aliorum, si ipse per se respondere potest, etiam per nutum, aut signum, quamdiu compos est, licet nequeat loqui, ideò ergo voluntas eius prior, quando respondere nequit extra sensum constitutus, valet pro confessione, seu substituitur, quia reputatur præsens. Ex hoc etiam casu sumi potest confirmatio dictorum contra primam responsionem de nullitate Sacramenti: quia Concilia Africana, aut decretum Leonis nulla ratione permittunt, aut supponunt eum posse absolui in absentia: ergo insinuant eum tantùm posse validè absolui à præsente Sacerdote: quod confirmat etiam voluntatem eius, vt habita est in absentia Sacerdotis, non sufficere, nisi præsumatur iam præsens, & in ea perseuerasse, & perseuerare moraliter, dum absoluitur à præsente Sacerdote. Atque hinc etiam liquet, quòd si confessio per scriptum, aut internuntium facta absenti esset sacramentalis, posse superuenientem Sacerdotem ex ea sola procedere ad absolutionem, quod omnino est falsum: quia saltem requiritur ratihabitio eius à pœnitente, quæ retrotrahit actum præteritum, vt iam fiat præsens, ac si tum primùm in præsentia Sacerdoti eam porrigeret, & vt est præsens hîc, & nunc, habet rationem confessionis sacramentalis.

Voluntas in absentia habita cōtinuatur præsens.

Decreta antiqua nō permittunt absolui agonizantem absentem.

Vnde demus casum, superueniente Sacerdote pœnitentem agonizare, non potest ex illa confessione habita per scriptum eum absoluere, nisi quatenus subest voluntati præsenti, & præsumptæ pœnitentis, cuius testimonium dicta confessio præfert.

Tertiò, vt probatum est aliàs, non solùm confessarius debet cognoscere de peccatis per confessionem: sed debet etiam cognoscere de statu rei, & dispositione, seu dolore, quem habet, & de proposito emendationis: est enim absolutio non solùm sententia satisfactoria; sed etiam medicinalis ordinata ad salutem infirmi, ad quam ipse per dolorem, & detestationem peccati disponitur: sed hic dolor eius ex modo ipsius confessionis, & signis coniunctis cognosci tantùm potest, & examinari, dum præsens confitetur quæ per scripta ad absentem nequeunt sciri. Et quidquid sit de hoc, saltem incertum erit confessario, si pœnitens interim non apposuit obicem absolutioni antequam datur. Oportet ergo vt cognoscat statum eius, quando absoluit, ne committat Sacramentum nullitati: ex quibus patet confessionem in absentia factam non esse validam,

147 *Tertia ratio. Ex obligatione cognoscēdi statum præsentem pœnitentis.*

Soluuntur rationes in oppositum. validam, aut sacramentalem. Rationes in oppositum ex confessione publica, vel ex confessione per interpretem non probant contrarium, vt iam aliàs responsum est. Argumentum ex materia iudiciali, & vsu Scripturæ in iudiciis, & contractibus etiam inter absentes, hîc non habet locum, vt patet; quia in illis Scriptura aliquando ex lege exigitur, & voluntas per Scripturam ratam ex ordinatione legis habetur firma & stabilis, vt retractari non possit, vt in contractibus, non ita contingit in confessione sacramentali. *Alia eius ratio.* Quod præterea dicit Suarez ex institutione directa quasi determinari modum absolutionis, non verò confessionis, quia consecutiuè colligitur ex data potestate clauium, nihil probat, *Solutitur.* quia confessio sacramentalis ex diuina institutione, sicut & contritio, seu dolor de peccato, exigitur; vnde ergo constat non requiri confessionem debere fieri præsenti? Imò ex hoc fundamento rectè colligitur ita debere fieri, quia absolutio necessariò respicit omnia peccata, ideò necessariò exigi confessionem omnium docet *Modus confessionis limitatus institutione.* Concilium ad valorem Sacramenti, ita vt omissa eius integritate, non esset sacramentalis, aut valida; quia nempe vnum mortale Deus non remittit sine alio, cùm non remittat sine gratia reconciliante in amicitiam Dei, quæ nequit esse ad peccatorem in peccato lethali existentem: si recta, ergo est ex consecutione rei interpretatio Concilij quoad hoc, similiter rectè sequitur, si absolutio in absentia ex defectu potestatis sit inualida, & contra diuinam institutionem: ita etiam confessionem respectiuè ad absolutionem in absentia factam non esse sacramentalem, quia non est accusatio in ordine ad sententiam, aut iudicem competentem, & habentem potestatem: sed extraiudicialis, vt dictum est in secundo argumento.

Deinde, finis diuinæ institutionis, qua determinauit modum absoluendi, potest colligi à posteriori ex natura huius iudicij, & actuum tam absoluentis, quàm confitentis.

148 Petes an possit pœnitens saltem confiteri præsenti Sacerdoti per scriptum. *Confessio præsenti per scripturam in casu licita est.* Id supponere videtur Doctor cum Ioanne Andrea, sed vlteriùs requiritur etiam quòd licitè fiat, vt accedat necessitas seu impedimentum, nempe vt sit mutus, vel ob vehementiam doloris & singultuum non possit vti voce, aut aliquod simile impedimentum excusans à confessione verbali: quæ tum suppletur per nutus, & per scripta, & crebras responsiones pœnitentis, vt potest, respondentis confessario. Plura de hac re Doctores. Vide Vasquem *dub.* 4.

e *Ad aliud dico, quòd simpliciter innocens à mortali, & veniali tenetur, &c.* *Innocens à mortali, & veniali non potest sumere hoc Sacramẽtum.* Docet innocentem ab omni peccato, sicut fuit B. Virgo, non posse suscipere hoc Sacramẽtum, cuius ratio assignata est *suprà d.* 14. vbi actũ est de significatione huius formæ. Subdit multos in Ecclesia Dei per annũ cũ Dei gratia esse sine peccato mortali, qui proinde non obligantur hoc præcepto confessionis annuæ, & habent plura merita, ex quibus Thesaurus Ecclesiæ congregatur, &c.

DISTINCTIO XVIII.

De confeßione sacramentali in se, &c.

A HIc quæri solet, Si peccatum omnino dimissum est à Deo per cordis contritionem, ex quo pœnitens votum habuit confitendi, quid postea dimittatur ei à Sacerdote? Video enim quo vinculo eum ligat, scilicet temporalis pœnæ, sed non à quo eum absoluat: & ideò quæro. Ante pœnitudinem quippe cordis, anima rei maculam habet & fœtorem peccati, atque æternæ vltionis vinculo ligata existit. Si verò ante confessionem per cordis contritionem Deus per seipsum sine ministerio Sacerdotis, & debitum omnino relaxat, & animam interiùs purgat à contagione, & fœtore peccati: quid ergò mundat? quid dimittit Sacerdos? vbi sunt claues illæ, quas Dominus tradidit Petro, & successoribus eius, dicens. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta, &c. *Matt. 16. c. Luc. 5. e.* Vt autem præmissa quæstio pleniùs explicari valeat, quasi altiùs ducto reti, de his clauibus, & vsu earum disseramus.

De clauibus.

B CLaues istæ non sunt corporales, sed spirituales, scilicet discernendi scientia, & potentia iudicandi, id est, ligandi & soluendi: qua dignos recipere, & indignos debet excludere à regno Ecclesiasticus Iudex, qui sicut

Ambr. lib. 1. de pœn. c. 2. & habetur de pœn. d. 1. cap. Verbũ Dei.

ſicut habet ius ligandi, ita & ſoluendi. Vnde Ambroſius, [Dominus par ius & ſoluendi eſſe voluit, & ligandi, qui vtrumque pari conditione permiſit. Ergo qui ſoluendi ius non habet, nec ligandi habet.] Et infrà, [Certùm eſt quòd Eccleſiæ vtrumque licet, hæreſis vtrumque non habet. Ius enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Rectè ergo Eccleſia hoc ſibi vendicat, quæ veros Sacerdotes habet: hæreſis vendicare non poteſt, quæ veros Sacerdotes non habet.]

De vſu clauium.

C *Homil. 26. ſup. Euang.*

VSus verò harum clauium multiplex eſt, diſcernere ſcilicet ligandos, & ſoluendos, ac deinde ligare, vel ſoluere. Qui enim, vt ait Gregorius, [indignos ligat, vel ſoluit, propria poteſtate ſe priuat, id eſt, dignum priuatione ſe facit.]

Si Sacerdos poteſt dimittere, vel retinere peccata.

D *Opinio quorumdam.*

SEd quæritur, Vtrùm à peccato ſoluere valeat Sacerdos, id eſt, à culpa: vt culpa maculam abſtergat, vel debitum æternæ mortis ſoluere valeat? Quidam arbitrati ſunt, cùm peccator dupliciter ligatus teneatur, vt prædictum eſt, ſcilicet mentis contagione, ac cæcitate, & debito futuræ pœnæ, alterum curari per Deum, alterum ſolui per Sacerdotem. Patitur enim per peccatum quaſdam tenebras interiores, & maculas, à quibus niſi liberetur, proiicietur in tenebras exteriores. Cùm autem liberatur ab his, ſuſcitatur à morte peccati. Vnde Apoſtolus: Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus. Solus enim Chriſtus, non Sacerdos, animam reſuſcitat, ac pulſis tenebris interioribus & maculis, eam illuminat, & mundat, qui animæ faciem lauat, debitum verò æternæ pœnæ ſoluere conceſſit Sacerdotibus. Quod in reſurrectione Lazari ſignatum aſſerunt, quem Chriſtus priùs per ſe interiùs viuificauit: deinde foras exire iuſſit: eúmque adhuc ligatum, ſoluere Apoſtolis præcepit: quia, vt aiunt, ipſe interiùs animam à caligine maculáque peccati emundat, Sacerdotibus verò dedit vinculum æternæ mortis ſoluere. Alij verò dicunt ſolum Deum, non Sacerdotem, debitum æternæ mortis dimittere, ſicut & animam interiùs per ſe viuificat: nec tamen diffitentur Sacerdotibus traditam poteſtatem peccata dimittendi, & retinendi. Quibus dictum eſt: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Sicut enim Chriſtus retinuit ſibi poteſtatem Baptiſmi, ita & Pœnitentiæ. Et ideò ſicut interiùs gratia ſua animam illuminat, ita & ſimul debitum æternæ mortis relaxat. Ipſe enim per ſeipſum peccata pœnitentium tegit: & tunc tegit, quando ad pœnam non reſeruat. Tunc ergo tegit, quando debitum pœnæ ſoluit. Quòd autem ipſe tegat, apertè dicit Auguſtinus, exponens illum locum Pſalm. [*Quorum tecta ſunt peccata*, id eſt, cooperta, & abolita. Si enim texit Deus peccata, noluit aduertere; ſi noluit aduertere, noluit animaduertere, id eſt, punire, ſed ignoſcere. Ita ergo dicit à Deo tecta, vt Deus non videat, id eſt, æternaliter puniat. Videre enim Dei peccata, eſt ad pœnam imputare.] Auertere autem faciem à peccatis, hoc eſt, ea ad pœnam non reſeruare. Item Hieronymus, [Quibus Deus dimittit peccata, tegit, ne in iudicio reuelentur.] Item Caſſiodorus, [Qui grauia habent peccata, aliis Deus imputat, aliis per miſericordiam non imputat.] Ex his apertè oſtenditur, quòd Deus ipſe pœnitentem ſoluit à debito pœnæ; & tunc ſoluit, quando intus illuminat, inſpirando veram cordis

Matth. 22. Epheſ. 5. c

Ioan. 11. f

Aliorũ ſententia verior.

Ioan. 20. f Super Pſal. 31. non longè à princ. 2. enarrationis ad eundem Pſ. tom. 8.

In eundem Pſalm. 31. in princip. commen.

Ad eũdem Pſalm. ſuper eo loco. Beatus vir cui, &c.

cordis contritionem. Cui sententiæ ratio suffragatur, & auctoritates attestantur. Nemo enim verè compungitur de peccato, habens cor contritum & humiliatum, nisi in charitate. Qui autem charitatem habet, dignus est vita. Nemo autem simul vita, & morte dignus est. Non est ergo tunc ligatus debito æternæ mortis. Filius enim iræ esse desiit, ex quo diligere, & pœnitere cœpit. Ex tunc ergo solutus est ab ira, quæ non manet super illum, qui credit in Christum, sed super illum, qui non credit. Non ergo postmodum per Sacerdotem, cui confitetur, ab ira æterna liberatur, à qua iam liberatus est per Dominum, ex quo dixit *Confitebor*. Solus ergo Deus hominem interiùs mundat à peccati macula, & à debito æternæ pœnæ soluit: qui per Prophetam ait, *Ego solus deleo iniquitatés, & peccata populi*. Item Ambrosius. [Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos est Iudex. Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis Iura exercet.] Idem, [Ille solus peccata dimittit, qui solus pro peccatis nostris mortuus est.] Item Augustinus. [Nemo tollit peccata, nisi solus Deus, qui est agnus tollens peccata mundi. Tollit autem & dimittendo quæ facta sunt, & adiuuando ne fiant, & perducendo ad vitam, vbi omnino fieri non possunt.] His, aliísque pluribus testimoniis docetur Dominum solum per se peccata dimittere, & sicut dimittit quibusdam, ita & aliorum quorundam peccata retinet.

Ratione vtitur ad probandum quod dicit *Ephes. 2. a. Ioan. 3. b.* *Isai. 43.* *Auctoritate probat idē.* *Aug. li. 50. Hom. hom. 23. in medio, & habetur de pœn. dist. 1. cap.* Verbum Dei.

Quòd Sacerdotes etiam dimittunt peccata, & tenent peccata suo modo.

E

NEc ideò tamen negamus Sacerdotibus concessam potestatem dimittendi, & retinendi peccata, cùm hoc Veritas in Euangelio apertè doceat. Hinc Augustinus ait, [Ecclesiæ charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui participes sui sunt, peccata dimittit: eorum qui non sunt, tenet.] Idem, [Sacerdotes possunt confitentibus parcere: quibus enim remittunt, remittit Deus. Lazarum enim de monumento suscitatum obtulit discipulis soluendum: per hoc ostendens potestatem soluendi concessam Sacerdotibus. Dixit enim, *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo*, &c. hoc est, Ego Deus, & omnes cœlestis curiæ ordines, & omnes Sancti in gloria mea laudant vobiscum, & confirmant quos ligatis, & soluitis. Non dixit, quos putatis ligare, & soluere: sed in quos exercetis opus iustitiæ, vel misericordiæ. Alia autem opera vestra in peccatores non cognosco.] Idem, [Cùm veraciter ad Deum conuerso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipsa veraci conuersione coniungitur. Spiritus sanctus ea dimittit, qui datus est omnibus Sanctis sibi charitate cohærentibus, siue se nouerint corporaliter, siue non. Similiter cùm alicuius tenentur peccata, ab eis tenentur, à quibus ille cordis prauitate disiungitur, siue notis corporaliter, siue ignotis, omnes enim mali spiritualiter à bonis seiuncti sunt.] Ecce hìc dicit peccata dimitti, vel teneri à sanctis viris, & tamen Spiritum sanctum ea dimittere dicit. Et quod maiori consideratione dignum est, idem etiam dicit, quod Deus per se, vel per Sanctos suos tantùm dimittit peccata. Ait enim sic, [Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam verò gratiam, non nisi per seipsum, vel per Sanctos suos. Et ideò remissionem peccatorum, vel per seipsum facit, vel per ipsius columbæ membra: quibus ait, *Si cui dimiseritis, dimittentur*.] Ecce quàm varia à Doctoribus traduntur super his, & in hac tanta

Ioan. 1. d. Matt. 16. c. & Ioā. 20. f. *Super Ioan. tract. 121. in fin. tom. 9.* *Aug. lib. de pœn. vera & falsa, c. 10. tom. 4.* *Ioan. 21. f. Matt. 16. c.* *Lib. de Baptis. paruulorum 6. c. 4.* *De conf. di. 4.* Quomodo exaudit. *Ibid. c. 6.* *Lib. 5. contra Dona. de Baptismo paruulorum cap. 21. & de conf. dist. 4.*

Quomodo exaudit. varietate quid tenendum. Hoc sanè dicere, ac sentire possumus, quòd solus Deus dimittit peccata, & retinet: & tamen Ecclesiæ contulit potestatem ligandi, & soluendi, sed aliter ipse soluit, vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantùm dimittit peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula, & à debito æternæ mortis soluit.

Quomodo Sacerdotes ligant, vel soluunt à peccatis?

F Non autem hoc Sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem soluendi, & ligandi, id est, ostendendi homines ligatos, vel solutos. Vnde Dominus leprosum sanitati priùs per se restituit, deinde ad Sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum iam viuificatum obtulit discipulis soluendum. Quia etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiæ solutus habetur, nisi per iudicium Sacerdotis. In soluendis ergo culpis, vel retinendis, ita operatur Sacerdos Euangelicus, & iudicat sicut olim legalis in illis, qui contaminati erant lepra, quæ peccatum signat. Vnde Hieron. super Matth. vbi Dominus ait Petro, *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* [Hunc, inquit, locum quidam non intelligentes, aliquid sumunt de supercilio Pharisæorum: vt damnare innoxios, vel soluere se putent noxios, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur, in Leuitico se ostendere Sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos, vel mundos, sed discernunt qui mundi, vel immundi sunt.] Ita & hîc apertè ostenditur, quòd non semper sequitur Deus Ecclesiæ iudicium: quæ per surreptionem, & ignorantiam interdum iudicat: Deus autem semper iudicat secundùm veritatem. Et in remittendis, vel retinendis culpis id iuris, & officij habent Euangelici Sacerdotes, quod olim habebant sub lege legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt, vel retinent, dum dimissa à Deo, vel retenta iudicant, & ostendunt. Ponunt enim Sacerdotes nomen Domini super filios Israël, sed ipse benedicit, vt legitur in Numeris. Hunc modum ligandi, & soluendi Hieronymus suprà notauit.

Matt. 8. a. Luc. 5. c. Ioan. 11. f. Leu. 13. & 14. a. Hieron. lib. commentariorum in Matth. 3. ad cap. 16. eiusd. to. 9. Leu. 14. a. Num. 6. d.

Alius modus ligandi, & soluendi.

G Ligant quoque Sacerdos, dum satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt. Soluunt, cùm de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad Sacramentorum communionem admittunt: quem modum superiùs Leo Papa notauit. Secundùm hunc modum dicuntur etiam Sacerdotes dimittere peccata, vel retinere. Vnde superiùs Augustinus dixit, Quibus remittunt, & remittit Deus, &c. Opus enim iustitiæ exercent in peccatores, cùm eos iusta pœna ligant: opus misericordiæ, dum de ea aliquid relaxant, vel Sacramentorum communioni conciliant: alia opera in peccatores exercere nequeunt. Et notandum est, quia quos satisfactione pœnitentiæ ligant, eo ipso à peccatis solutos ostendunt, quia non imponitur alicui satisfactio pœnitentialis, nisi quem Sacerdos verè pœnitentem arbitratur. Alij verò non imponunt, & eo ipso peccatum retineri à Deo iudicant. Quòd autem hoc ad claues pertineat, Augustinus ostendit dicens, Frustrat claues Ecclesiæ, qui sine arbitrio Sacerdotis pœnitentiam agit,

Dist. præc. lit. d. Lib. de vera, & falsa pœn. c. 10. tom. 4. Lib. de pœ. Sententialiter lib. 50. hom. 49.

agit, si sine oris confessione criminis indulgentia impetratur. Est & alius modus ligandi, & soluendi, qui per excommunicationem geritur: dum aliquis secundùm Canonicam disciplinam tertiò vocatus ad emendationem manifesti delicti, & satisfacere vilipendens, sententia Ecclesiæ à loco orationis, & Sacramentorum communione, & fidelium consortio præscinditur, vt erubescat: & pudore sceleris conuersus pœniteat, vt sic spiritus eius saluus sit. Quod si pœnitentiam profitens resipuerit, negatæ communioni admittitur, & Ecclesiæ reconciliatur. Hæc est autem Ecclesiæ anathematizatio, hanc pœnam illis qui dignè percelluntur, infligit, quia gratia Dei, & protectio illis amplius subtrahitur, ac sibi ipsis relinquuntur, vt sit eis liberum ruere in interitum peccati, in quos etiam maior diabolo sæuiendi datur potestas. Orationes quoque Ecclesiæ, & benedictionum, ac meritorum suffragia, eis nequaquam suffragari putantur. *1. Cor. 5. b.*

Quomodo secundùm hos modos intelligendum sit illud, Quodcunque solueris, *&c.*

SEcundùm hos ligandi, & soluendi modos, quomodo verum est quod dicitur, *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis*, &c. Aliquando enim ostendunt solutos, vel ligatos, qui non sunt soluti, vel ligati apud Deum: & pœna satisfactionis, vel excommunicationis interdum indignos ligant, vel soluunt, & indignos Sacramentis admittunt, & dignos admitti arcent. Sed intelligendum est hoc in illis, quorum merita solui, vel ligari postulant. Tunc enim sententia Sacerdotis iudicio Dei, & totius cœlestis curiæ approbatur: & confirmatur, cùm ita ex discretione procedit, vt reorum merita non contradicant. Quoscunque ergo soluunt, vel ligant, adhibentes clauem discretionis reorum meritis, soluuntur, vel ligantur in cœlis, id est, apud Deum: quia diuino iudicio Sacerdotis sententia sic progressa approbatur, & confirmatur. Quos ergo secundùm merita sententia Ecclesiæ percellit, lædit: & illi foris sunt apud Deum. Qui autem non meruit, sententia Ecclesiæ non læditur, nisi contemnat. Vnde Origenes. [Exiit quis à veritate, à fide, à charitate, per hoc exit de castris Ecclesiæ, etiamsi Episcopi voce non abiiciatur, sicut contrà interdum fit, vt aliquis non rectò iudicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ, foras mittatur: sed si non egit, vt mereretur exire, nihil læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est: & qui foris est, intus videtur retineri.] Ecce qualis, & quantus est vsus Apostolicarum clauium. Iam ostensum est ex parte qualiter Sacerdotes dimittunt peccata, vel retinent, & tamen retinuit sibi Deus quandam singularem potestatem dimittendi, vel retinendi, quia ipse solus per se debitum æternæ mortis soluit, & animam interiùs purgat.

H

Matth. 16. c. & 18. c. 14. q. 3. Si quis nó.

Super Leuit. hom. 14. ad 24. cap. eiusdem in medio homilia tom. 1.

Quæ sint interiores tenebræ, & interior macula?

HIc quæritur, quæ sit illa macula, & quæ sint illæ tenebræ interiores, à quibus Deus interiùs animam purgat, cùm veram pœnitentiam immittit? De tenebris, & interiori caligine satis facile est & intelligere, & respondere. Cùm enim quis mortaliter delinquit, & gratia virtutis priuatur, si qua præcessit, & naturalium bonorum læsionem patitur: vnde & intelle- I

ctus obtunditur, & totus homo interior obtenebratur, & ita quasi caligine quadam mens obuoluitur, quæ caligo peccati pœna est. Hanc verò Deus pellit cùm pœnitentiam immittit, per quam perdita bona restituit, & vitiata
Psal.147. reparat. Vnde Propheta, *Nebulam sicut cinerem spargit.* Sed quæ est macula peccati, à qua animam lauat? Ecce enim quis voluit facere homicidium, & patrauit, quo patrato desinit tam velle, quàm facere, nondum tamen verè, & humiliter pœnitet, nec confiteri proponit. Quæ ergo remansit in anima illius macula? Mala voluntas quidem fuit macula illius animæ, sed illa transit. Macula etiam est, si pœnitere contemnit, sed hoc est peccatum aliud
Leu.11.f. à præcedenti. Quæ ergo macula remansit; à qua ipse in pœnitentia purga-
Nu.19.b. tur? Polluta quidem est anima, quousque pœniteat, sicut erat dum in ea praua erat voluntas. Sicut enim qui tangit morticinum, vel aliud immundum, ita pollutus est post tactum quousque lauatur, sicut fuit dum tangeret, ita post actum peccati ita polluta remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati, quia ita est longè à Deo per dissimilitudinem, qui est vita & munditia mentis, sicut fuit dum peccatum ageret. Ipsa ergo dissimilitudo, quæ inest animæ ex peccato, & est à Deo elongatio animæ, macula intelligitur, à qua purgatur in pœnitentia. Hoc autem solus Deus facit, qui solus suscitat animam, & illuminat: quod Sacerdotes nequeunt, qui tamen medici sunt
Psalm.87. non longè à fine enarrationis ad illum Psal. tom.8. animarum. Vnde Propheta, *Nunquid medici suscitabunt, & confitebuntur tibi,* quod exponens Augustinus ait, [Boni doctores rectè medici dicuntur, qui viuentes curare ministerio possunt, sed non mortuos suscitare. Sola enim Dei gratia mortui reuiuiscunt.

QVÆSTIO VNICA.

An potestas clauium tantummodò se extendat ad pœnam temporalem?

Alens. 4. *part. quæst.* 80. *membr.* 1. D. Bonau. *hic art.* 2. *quæst.* 1. Richard. *art.* 2. *q.* 1. Gabr. *quæst.* 2. Maior. *q.* 2. D. Thom. *in suppl. quæst.* 18. *art.* 1. Suar. *tom.* 4. *d.* 16. *sect.* 2. 3.

1 IN hac distinctione decimaoctaua Magister tractat de potestate clauium, & distinct. decimanona de collatione earum. Circa hanc decimamoctauam distinct. quæro: Vtrùm potestas clauium tantummodò se extendat ad pœnam temporalem?

Argum.1. Arguitur quòd non: quia si sic, aut ad remittendum illam, aut ad infligendum. Non ad remittendum, quia tunc per frequentes absolutiones posset tota pœna debita peccato remitti: & sic apud quemcunque Sacerdotem esset potestas absoluendi à pœna, & culpa per frequentes absolutiones; quod est inconueniens.

Nec ad infligendum, quia tunc quilibet pœnitens teneretur adimplere quamlibet pœnam sibi iniunctam à Sacerdote; quod est falsum: quia si quis indiscretè imponat immoderatam pœnam, de qua pœnitens potest scire quòd est improportionata culpæ (potest vtique scire ex Scriptura, quæ continet correspondentiam pœnarum ad culpas) non tenetur illam implere, quia non tenetur obedire inferiori contra voluntatem superioris; nec etiam præter, quia non obedit inferiori, nisi propter voluntatem superioris: non est autem voluntas superioris, scilicet Dei, quòd tanta pœna infligatur pro tali culpa.

Argum.2. Item Ioann. 20. *Quorum remiseritis peccata,* &c. ergo potestas clauium Ecclesiæ est ad peccata dimittendum: non ergo extendit se præcisè ad pœnam temporalem

2 Contrà, illa potestas clauium ad aliquid se extendit: sed non ad aliud, quàm ad
Rat.opp. pœnam temporalem. ergo, &c. Maior patet, quia alioquin non esset aliqua potestas. Minor probatur, quia non ad remissionem culpæ, nec pœnæ æternæ: quia secundùm Magistrum in litera, hæc duo conueniunt soli Deo: ergo, &c.

Item,

Item, ante vsum clauium per solam contritionem, & propositum confitendi, remittitur peccatum, secundùm Augustinum, & Cassiodorum super illud Psalm. 31. *Dixi confitebor, & tu remisisti*, &c. ergo si vsus clauium circa talem aliquid respiciat, hoc non est nisi ad pœnam temporalem.

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione mouet quæstionem: An scilicet potestas clauium se extendat ad pœnam temporalem tantùm. Argumenta pro vtraque parte proponit: sed resolutionem quæstionis transfert in distinctionem sequentem, in qua resoluit quæstionem hic motam; & soluit argumenta proposita, cuius ordinem sequemur. Videatur ergo resolutio in prædicto loco. *Remittitur hac ad sequentem distinctionem.*

SCHOLIVM.

Posita dupliti ratione ad oppositum, remittit conclusionem in dist. seq. vbi à num. 21. rem hanc tractat. & argumenta hic posita soluuntur ibi à num. 30.

DISTINCTIO XIX.

De confessione Sacramentali.

POSTQVAM ostensum est quæ sint claues Apostolicæ, & quis earum vsus, superest inuestigare, quando istæ claues dentur, & quibus. Dantur hæ claues per ministerium Episcopi alicui in promotione Sacerdotij. Cùm enim recipit ordinem Sacerdotalem, simul & has claues recipit. Sed non videtur quòd omnes, vel soli Sacerdotes has claues habeant: quia plerique ante sacram ordinationem, scientiam discernendi habent, plures post consecrationem ea carent. Sanè dici potest, quòd alteram clauium istarum, id est, scientiam discernendi, non habent omnes Sacerdotes: vnde dolendum est atque lugendum. Multi enim licèt indiscreti, atque scientiæ, qua eminere debent, exortes, Sacerdotij gradum recipere præsumunt, vita & scientia eo indigni, quia nec ante Sacerdotium, nec post scientiam habent discernendi, qui ligandi sint, vel soluendi. Ideóque illam clauem in consecratione non recipiunt, quia semper scientia carent. Qui verò ante Sacerdotium, scientia discernendi præditi sunt, licèt habeant discretionem, non tamen in eis est clauis: quia non valent ea claudere, vel aperire. Ideóque cùm promouetur in Sacerdotem, clauem discretionis rectè dicitur accipere: quia & antehabita discretio augetur, & fit in eo clauis, vt ea iam valeat vti ad claudendum, vel aperiendum. A

Si alteram clauem omnes habeant, scilicet potentiam ligandi, & soluendi.

CVmque iam constet non omnes Sacerdotes illas duas claues habere, quia scientia discernendi plerique carent: de altera, id est, potentia ligandi, & soluendi, quæritur, vtrùm omnes Sacerdotes eam habeant. Quidam enim hanc potestatem putant illis solis esse concessam, qui doctrinam simul, ac vitam Apostolorum seruant. Illas enim claues promisit Dominus Petro, & imitatoribus eius tantùm, vt aiunt, qui etiam auctoritatibus vtuntur in munimentum suæ opinionis. Hoc enim dicunt Augusti- B *Matt. 16. c. Dist. 18. lit. c.*

Ex lib. de Baptiſmo contra Donat-ſtas 5. c.21.tom.7. Exod.28.f Aug. ſup. Exod. cap. 120.tom.4. in tractat. Euangel. Homil.26. Quoad ſenſum hom. 1. ſup. Matth.

num ſenſiſſe, vbi ſuperiùs ait, [Remiſſionem peccatorum, vel per ſeipſum facit Deus, vel per columbæ membra.] Dicit etiam idem peccata dimitti, vel teneri à Sanctis. Idem ſuper Exodum, vbi de lamina aurea legitur: *Erat autem lamina aurea ſemper in fronte Sacerdotis.* [Hæc, inquit, ſignificat fiduciam bonæ vitæ, quam qui verè perfectéque, non ſignificatione, ſed veritate Sacerdos habet, ſolus poteſt auferre peccata.] Item Gregorius: [Illi ſoli habent in hac carne poſiti poteſtatem ligandi, & ſoluendi, ſicut ſancti Apoſtoli, qui illorum exempla ſimul cum doctrina tenent.] Item ex dictis Origen. Hæc poteſtas ſoli Petro conceſſa eſt, & imitatoribus Petri. Nam quicumque veſtigia Petri imitantur, habent rectè ligandi, & ſoluendi poteſtatem. His aliíſque teſtimoniis innituntur, qui aſſerunt poteſtatem ligandi, ac ſoluendi illis ſolis conceſſam Sacerdotibus, qui vita, & doctrina pollent ſicut Apoſtoli.

Aliorum ſententia verior.

C

Quòd omnes Sacerdotes habeant poteſtatē ligandi, & ſoluendi, confirmat. Verba habentur in gloſſ. circa hunc, & à quibuſdam adſcribūtur Rabano.

ALiis autem videtur, quod & mihi placere fateor, cunctis Sacerdotibus hanc clauem dari, ſcilicet ligandi, & ſoluendi: ſed non eam rectè, ac dignè habent, niſi qui vitam & doctrinam Apoſtolicam ſeruant. Nec præmiſſæ auctoritates malos Sacerdotes hanc poteſtatem negant habere: ſed illos ſolos dignè ac rectè hac poteſtate vti ſignificant, qui præditi ſunt vita, & doctrina Apoſtolica: quia ſoli ipſorum Apoſtolorum imitatores dignè rectéque poſſunt ligare, & ſoluere. Et per Dominum tantùm, vel per Sanctos, in quibus habitat Spiritus ſanctus, dignè & rectè fit remiſſio, vel retentio peccatorum. Fit tamen, & per illos qui Sancti non ſunt, ſed non dignè, vel rectè. Dat enim Deus benedictionem dignè poſcenti, etiam per indignum miniſtrum. Quòd verò hanc poteſtatem habeant omnes Sacerdotes, Hier. teſtatur ſuper illum locum Euangelij, vbi Dominus dixit Petro, *Tibi dabo claues Regni cœlorum.* [Habent enim, inquit, eandem iudiciariam poteſtatem alij Apoſtoli, habet & omnis Eccleſia in Epiſcopis, & Preſbyteris. Sed ideò Petrus eam ſpecialiter accepit, vt omnes intelligant, quòd quicumque ab vnitate fidei, & ſocietate Eccleſiæ ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec cœlum poteſt ingredi.] Item, quòd Sacerdos, etiamſi malus ſit, gratiam tamen transfundit pro ſuæ dignitatis officio; Auguſtinus oſtendit, dicens, [Dictum eſt à Domino in Numeris ad Moyſem, & Aaron Sacerdotes, *Vos ponite nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego Dominus benedicam eos*, vt gratiam traditio per miniſterium ordinantis transfundat hominibus, nec voluntas Sacerdotum obeſſe, vel prodeſſe poſſit, ſed meritum benedictionem poſcentis. Quanta autem ſit dignitas ſacerdotalis officij, & ordinis, hinc aduertamus. Dictum eſt de nequiſſimo Caipha inter cætera, Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit; per quod oſtenditur, ſpiritum gratiarum non perſonam ſequi digni, vel indigni, ſed ordinem traditionis: vt quamuis aliquis boni meriti ſit, non tamen poſſit benedicere, niſi fuerit ordinatus, vt officij miniſterium exhibeat, Dei autem eſt effectum tribuere benedictionis.] Hinc euidenter oſtenditur ordinem non priuari poteſtate tribuendi gratiam ob miniſtri indignitatem. Huic tamen Auguſtini ſententiæ videtur obuiare quod ait Heſychius: [Sacerdotes, inquit, non propria virtute benedicunt, ſed quia figuram Chriſti gerunt, & propter eum qui in ipſis eſt, plenitudinem benedictionis tribuunt, nec ſolùm is, qui

In lib. quæſt. veteris, & noui Teſtamenti de illo quod habetur Numer.6. d Quæſt. 11. tom.4. Ioan.11.g

Sup. Leuit. c.9.lib.2.

qui sacerdotium sortitus est: sed quicunque Christum in seipso habet, & eius figuram gerit per conuersationem bonam, sicut Moyses idoneus est vt benedictionem præstet.] Ecce hîc habes, quòd non solùm Sacerdos, sed omnis in quo Christus habitat, benedictionem præstat. Sed alia est benedictio, quæ solis Sacerdotibus congruit: alia quæ ab omnibus bonis communiter exhibetur. Denique illi Sacerdotes, in quibus Christus habitat, benedictionis plenitudinem tribuere dicuntur: non quia soli illi transfundant gratiam, sed quia illi soli licitè & dignè id agunt. Nec subditos mala vita Sacerdotis lædit, si bona faciunt, quæ ille dicit. Vnde Gregorius, [Multi dum plus vitam sacerdotum, quàm suam discutiunt, in erroris foueam dilabuntur, minùs considerantes, quòd non eos vita sacerdotum læderet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent.] *Matth.23. a.* *1.qu.1.cap.* Nulli sæcularium.

De hoc quod scriptum est in Malachia, Maledicam benedictionibus vestris.

D PRæmissæ verò sententiæ, qua dicitur etiam per mali Sacerdotis ministerium transfundi gratiam benedictionis, videtur obuiare quod Dominus per Malachiam Prophetam malis Sacerdotibus comminatur. *Maledicam benedictionibus vestris.* Et alibi, *Væ his qui viuificant animas quæ non viuunt, & mortificant animas quæ non moriuntur.* Si enim maledicit Dominus benedictionibus eorum, & si animæ, quas viuificant, non viuunt: quomodo per eos gratia benedictionis transfunditur? Sed illud capitulum, *Maledicam,* &c. quidam referunt ad hæreticos, qui ab Ecclesia præcisi sunt; & ad excommunicatos, quorum benedictiones fiunt maledictiones his, qui eorum sequuntur errores. Illud verò alterum, scilicet *viuificant,* &c. super omnes illos Sacerdotes exponunt, qui absque claue scientiæ, & forma bonæ vitæ præsumunt ligare, vel soluere. Sed nullus officio Sacerdotis vti debet, nisi immunis sit ab illis, quæ in aliis iudicat, alioquin seipsum condemnat. *Mal.2.a.* *Ezec.13.d.* *Rom.2.a.*

Qualis debet esse iudex Ecclesiasticus?

E QValem autem oporteat esse, qui aliorum iudex constituitur, Augustinus describit ita dicens, [Sacerdos, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quæ in alio iudicare est promptus. Iudicans enim alium, qui est iudicandus, condemnat seipsum. Cognoscat ergo se, & purget in se quod alios videt sibi offerre, caueat vt à se proiecerit, quicquid in alio damnosum reperit. Animaduertat, quòd qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat. Ideò enim liberauit peccatricem, quia non erat qui iustè proiiceret lapidem. Quomodo lapidaret qui se lapidandum cognosceret? Nullus enim erat sine peccato, in quo intelligitur omnes fuisse reos. Nam venialia remittebantur per cæremonias. Si quod ergo in eis peccatum erat, criminale erat. In hoc ergo patentissimum est, crimen Sacerdotum esse detestabile, qui non priùs se iudicant antequam alios alligant. Caueat spiritualis iudex, sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet vt sciat cognoscere quicquid debeat iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare, discernat. Diligens ergo inuestigator sapienter interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel vere- *Lib. de vera & falsa pœn. c. 20.* *De pœnit. dist.6.* Qui vult. *Rom.2. a.* *Ioann.8.a.* *Nota, nam venialia hîc dicit & criminalia, secundùm legem, vt venialia putabant, quæ per cæremonialia dimittebantur sine morte,*

 cundia

vel mutilatione, criminalia, quæ mortē vel mutilationem inferebant. cundia velit occultare. Cognito verò crimine, varietates eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus, cætera quæ suprà diximus, quibus cognitis, adsit beneuolus, paratus erigere, & secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, discretionem in varietate, doceat perseuerantiam, caueat ne corruat, ne iustè perdat iudiciariam potestatem. Etsi enim pœnitentia possit ei acquirere gratiam, non tamen mox restituit in potestatem primam. Etsi Petrus post lapsum restitutus fuerit, & sæpè lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas, non tamen est necesse vt omnibus concedatur quasi ex auctoritate. Inuenitur auctoritas, quæ concedit, & quasi imperat: Inuenitur auctoritas alia, quæ non concedit, sed vetat, quæ Scripturæ non repugnant, sed concordant. Cùm enim tot sunt, qui labuntur, vt pristinam dignitatem ex auctoritate defendant, & quasi vsum peccandi sibi faciant, rescindenda est spes ista. Si verò locus est, vbi ista non concurrant, restitui possunt, qui peccant.] Ex his satis perpenditur, qualis debeat esse Sacerdos, qui alios ligat, & soluit, discretus scilicet, & iustus: alioquin mortificat sæpè animas, quæ non moriuntur, & viuificat quæ non viuunt, & ita incidit in maledictionis iudicium. Illud autem Malachiæ, scilicet, *Maledicam benedictionibus vestris*, siue super hæreticos tantùm, & excommunicatos, siue super omnes Sacerdotes, qui vita & scientia carentes benedicere præsumunt, dictum accipiatur, sic intelligi potest, [*Maledicam benedictionibus vestris*, id est, his quæ * in eis benedictionibus possidetis: quia faciam ea cedere vobis in maledictionem, non benedictionem. Quia etsi benedicũt Sanctis, non hoc faciunt ex vero corde, & ideò eorum benedictio eis vertitur in maledictionem. Vel *maledicam benedictionibus vestris*, id est, quod à vobis benedicitur, à me erit maledictum, quia benedicunt iniquè agentibus, adulantúrque peccantibus, dũmodo diuites sint.]

Ezec. 13. d. Cap. 2. a.

* al. meis. Hieron. nõ lõgè à princip. comment. ad 2. cap. Malach. tom. 6.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm cuilibet Sacerdoti in susceptione ordinis Sacerdotij conferantur claues Regni cœlorum?

Alens. 4. *part. quæst.* 79. *&* 80. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 3. 4. *&* *hîc quæst.* 1. *art.* 1. D. Bonauent. *hîc part.* 1. *art.* 1. *&* 2. *per totum.* Richard. *art.* 1. *&* 2. Suar. 3. *part. tom.* 4. *disp.* 16. *sect.* 3. Castro *de iustit. puni. cap.* 21. Nauarr. *cap.* 9. *Summ.*

1 CIRCA distinctionem decimamnonam, quia solutio istius quæstionis dependet ex solutione sequentis, quæ est de collatione clauium, siue quomodò claues Ecclesia habeat, de quo hîc distinctione decima nona agitur, ideò quæro hîc hanc quæstionem: Vtrùm cuilibet Sacerdoti in susceptione ordinis Sacerdotij conferantur claues Regni cælorum? Videtur quòd non, Apocalyps. 3. de Christo: *Claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit:* ergo solus habet claues istas.

Argum. 1.

Argum. 2. Item, Augustinus de Baptismo contra Donatistas lib. 5. *à peccato non absoluit nisi columba, id est, Christus, vel membra columbæ:* ergo nullus Sacerdos iniustus habet claues, quibus possit absoluere à peccato: & tamen iniustus potest habere claues Sacerdotij.

Argum. 3. Item, vna clauis dicitur communiter esse clauis scientiæ, sed hæc non confertur cuilibet ordinato in Sacerdotem: quia priùs ignarus non inuenit se scientem post ordinationem, nec priùs sciens plus scientem, quàm antè. Si autem conferretur nobis, non lateret nos secundùm Philosophum 2. *posterior. in fine.*

Argum. 4. *De reg. iur. in* 6. Item, sententia à non suo iudice lata nulla est: ergo nullus habet claues alicui aperiendi cælum nisi suo subdito: sed ex susceptione Sacerdotij non datur sibi subditus, nec iurisdictio in subditis: ergo nec claues.

Item, si in ordine Sacerdotij dentur claues: ergo non possunt haberi à non Sacerdote. Consequens est falsum, quia Archidiaconus, quem non oportet semper esse Sacerdotem, potest ligare, & soluere, quia excommunicare, & reconciliare. Patet *Extrà de sent. excomm.* *Argum. 5.*

Contrà, Matth. 16. promittitur Petro, & Sacerdotibus: *Tibi dabo claues Regni cælorum.* & Io. 20. impletur illud promissum, dicente Christo: *Quorum remiseritis peccata*, &c. 2 *Ratio opp.*

Item, cui datur quod maius est, ei regulariter non negatur quod est minus: sed maxima potestas possibilis viatoris est potestas conficiendi corpus Christi, & hæc confertur in susceptione ordinis Sacerdotij: ergo & potestas respectu corporis mystici, quæ minor est, puta clauis ligandi, & soluendi eidem in ordine illo confertur. *Ratio 2.*

COMMENTARIVS.

IN hac agitur de potestate clauium, & sub vna quæstione vniuersam materiam comprehendit.

SCHOLIVM.

Prænotatis quinque declarandis. De primo docet clauem quoad quid nominis, *non esse apertionem, nec aperientem, nec merita ad aperiendum, sed potestatem sententiandi, ad, vel à regno cælorum: & hæc triplex est. Prima principalis soli Deo conueniens. Secunda præcellens non principalis soli Christo. Tertia particularis Sacerdoti competit. De quo suprà d. 14. q. 1. & 4. & d. 17. à num. 10.*

HÆc [a] secunda quæstio, (vt prædictum est,) est primò soluenda, vbi sunt quinque videnda. Primò, quòd in Ecclesia, & hoc apud Sacerdotem ritè ordinatum, est vna clauis Ecclesiæ, quæ est potestas sententiandi in foro pœnitentiæ. Secundò, quòd apud eum est clauis, quæ est potestas cognoscendi in causa rei confitentis. Tertiò, quòd hæc, & illa clauis non sunt eadem, sed duæ. Quartò, qualiter habens has duas claues possit per eas in actus earum, siue qualem potentiam habeat per eas respectu actuum ipsarum clauium. Et quintò, si præter istas sit alia clauis in Ecclesia. 3

De [b] primo omnes transferentes secundùm aliquam similitudinem transferunt: clauis materialis est proximum instrumentum aperiendi, & claudendi ostium, per quod intratur in domum, ac per hoc nec apertio, nec aperiens est, nec causa propter quam aperitur, puta dignitas personæ ad intrandum, vel indignitas, propter quam expellitur: hoc modo spiritualiter contingit considerare apertionem Regni cælorum, quæ fit per sententiam definitiuam, qua sententiatur cœlum isti aperiendum, quia ista apertio non est actualis, sed dictata condigna dispositio istius, cui aperitur. *6. Top.* *Clauis quid est?*

Conuenit etiam inuenire aperientem, & iste est sententians; conuenit etiam inuenire causam, propter quam huic aperitur per sententiam introductiuam, & propter quam huic clauditur per sententiam exclusiuam, scilicet demerita istius, & merita illius. Nullum istorum est clauis, quia primum est apertio: secundum aperiens: tertium causa remota: igitur potestas illa, quæ est in sententiante, quæ est immediatè principium, siue instrumentum sententiandi; quæ sententia dicitur apertio, illa propriissimè dicitur clauis Regni cælorum. Hoc de nomine.

De re sic. Auctoritas iudiciaria sententiandi cœlum huic aperiendum, vel apertum esse, potest intelligi tripliciter. Vno modo, auctoritas simpliciter principalis. Secundo modo, non principalis, sed præcellens. Tertio modo, non principalis, nec præcellens, sed particularis. Prima, soli Deo conuenit propter duo. Primò, quia ipse solus ex se est iustus; imò ipsa iustitia: primum autem iudicium non potest competere nisi primo iusto, quia iudicium non est perfectum, nisi sit iustum, iuxta illud Psal. *Feci iudicium, & iustitiam*; siquidem iudicare est ius, vel iustum dictare. Primum autem iustum oportet esse perfectissimum, & ita iustissimum: igitur primi iusti. 4 *Quotuplex est clauis?* *Potestas iudicãdi principalis solius Dei est.* *Psal. 118.* *Quid sit iudicare.*

Secundò, quia iudicare est præsidentis, iuxta illud Apostoli ad Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* primus autem præsidens non potest esse nisi Deus solus. Vnde sicut non potest alij communicare diuinitatem, sic nec primam potestatem iudicandi, nec per consequens clauem simpliciter principalem, aperiendi cœlum. *Rom. 14.*

Secunda clauis, scilicet, non principalis, tamen præcellens, potest intelligi quantùm ad duplicem præeminentiam. Vnam quidem in vniuersalitate causarum iudicandarum: aliam in firmitate sententiæ definitiuæ. Et vtraque præeminentia potest conuenire illi, qui omnia merita, & demerita nouit, quæ sunt causæ propter quas cœlum 5 *Clauis præcellens non principalis conuenit in Christo propter duo.*

cœlum est aperiendum, vel claudendum. Et cum hoc habet voluntatem inseparabiliter conformem iustitiæ diuinæ. Propter primum potest in omnibus causis sententiare, quia omnes nouit. Propter secundum potest eius sententia simpliciter esse firma, & irreuocabilis: quia semper iusta. Hæc clauis cum vtraque præeminentia propriè est Christi, qui nouit omnia merita, & demerita iudicandorum, & semper iustitiæ diuinæ conformiter iudicat. Nec ista potest esse in Ecclesia militante, saltem congruè non potest, quia nullus in Ecclesia nouit omnes causas iudiciarias, nec habet voluntatem immutabiliter iustam.

Tertia clauis, scilicet particularis, quantùm ad causas cognoscendas, & infirma, quantùm ad sententiam ferendam, puta quòd sit aliquando reuocabilis: potest conferri alicui in Ecclesia militante, qui potest in illa causa nosse, & in illa, secundùm legem diuinam rectè iudicare; & si quandoque præter illam, sententia eius non erit firma, sed si secundùm illam, erit firma.

6 *Congruētia quòd in Ecclesia sit clauis & penes Sacerdotem tantùm.* *Ad Eugenium.*

Potest ergo in Ecclesia esse vna clauis cœlum aperiendi, scilicet auctoritas sententiandi particulariter, & non irreuocabiliter, alicui cœlum esse apertum. Congruit etiam istam esse in Ecclesia, & hoc in Sacerdote, vt Hierarchia Ecclesiastica sit ordinata, & vltima reducantur in primum per medium.

Hierarcha autem est medius inter Deum, peccatorémque reducendum, & de hoc Bernardus *de consider. lib.* 3. *cap.* 13. Hoc etiam congruit perfectioni causarum secundarum in *esse* morali, sicut causarum in *esse* naturali. Deus enim vniuersaliter non negat creaturis causalitatem, quæ potest eis competere, imò & illam communicat, & ad eius actionem causis secundis assistit. Ex quo ergo in *esse* gratuito possibile est hominem habere istam causalitatem reductiuam, quæ dicitur clauis, congruum est, quòd hoc supremo in Ecclesia, scilicet Sacerdoti, detur.

Tertiò dico, quòd data est. Probatur per illud Ioan. 20. *Quorum remiseritis*, &c. & hæc rectè dicitur clauis potestatis, quia auctoritas iudicandi rectè est potestas, cùm iudicare sit præsidentis.

COMMENTARIVS.

1 a HÆc secunda quæstio, &c. Superiùs iuxta ea, quæ tangit Magister *in distinct.* 18. præmisit quæstionem illam, vtrùm, scilicet claues tantùm se extendant ad pœnam temporalem: quia autem resolutio huius quæstionis dependet à natura clauium, hîc primum resoluit, quid sit clauis, & quando, & quomodo datur Ecclesiæ. Deinde, infrà respondet ad priorem quæstionem.

Ordo & diuisio quæstionis. Hîc ergo diuidit quæstionem præsentem de clauibus in quinque articulos. Primò, quòd apud Sacerdotem in Ecclesia sit vna clauis, quæ est potestas sententiandi absoluendo, aut ligando in foro pœnitentiæ. Secundò, quòd apud eundem sit vna clauis, quæ est cognoscendi in causa rei confitentis. Tertiò, quòd vtraque distinguatur, nempe prima, & secunda, quia prima dicitur clauis iurisdictionis. Secunda verò clauis scientiæ. Quartò, qualiter hæ claues reduci debeant in exercitium actus competentis respectiuè. Quintò denique, an præterea sit alia clauis in Ecclesia.

2 *Articulus 1. Quid sit clauis in proposito.* b *De primo, omnes transferentes secundùm aliquam*, &c. Docet rationem, seu causam nominis Metaphorici: distinguit autem clauem ab actu eius, à persona, cuius est, à causa remota actus exerciti per clauem, & constituit ipsum in potestate, quæ est principium actus, scilicet claudendi, vel aperiendi. Distinguit præterea triplicem clauem. Prima est, quæ soli Deo competit, & dicitur principalis. Secunda est clauis excellentiæ, quoad vniuersalitatem causarum, & regulæ cognoscendi, & conformitate in iudicando ad iustitiam, stabilitatem sententiæ, & illa est in solo Christo. Tertia est clauis particularis quantùm ad causas cognoscendas, & in-

Triplex clauis. Principalis. Excellentia. Particularis.

firma quantùm ad regulam respectiuè ad priorem, quæ est in Christo, & cuius sententia est reuocabilis, & hæc competit Ecclesiæ, & est in Sacerdote tanquam in Hierarcha. Vltimò tandem concludit hanc esse in Ecclesia. Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. *Concessio huius.*

Circa dictam metaphoram clauis, quam benè explicat Doctor, aduertendum est, sicut peccatum clausit cœlum primo homini, & posteris, ita potestatem dimittendi peccatum rectè nomine clauis appellari. Quamuis autem in Baptismo aperiatur cœlum per remissionem peccatorum, quia illa apertio fit per modum regenerationis in Christo, non verò potestatis iudiciariæ; non appellatur clauis, quia omnibus datur talis potestas baptizandi, ita vt non sit specialis, aut particularium personarum de necessitate Sacramenti: clauis autem denotat officium dispensatoris & œconomi, vel principis, eorúmque auctoritatem, quæ proinde hîc transfertur ad significandam potestatem, ex qua aperitur cœlum dignis, indignis autem clauditur. 3 *Ratio metaphoræ.* *Cur Baptismus non dicatur clauis?* *Clauis officiū signat dispensatoris.*

Principalis autem potestas dimittendi peccatum est apud Deum, vt per se constat, *Quis est etiam hic, qui dimittit peccata*, &c. *Dominus viuificat, & mortificat, deducit ad inferos, & reducit. secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*, &c. Eandem clauem communicauit Christo per potestatem excellentiæ. *Isaiæ cap.* 22. Christus autem Ecclesiæ, *Ioan.* 20. nam *Matth.* 16. promisit Petro alias claues, quæ sunt Primatus. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, & *Ioann.* 21. promissum adimpleuit: & quamuis ab hac claue iurisdictionis vniuersalis à Petro descendat communicatio potestatis iudiciariæ in cæteros inferiores, tam fori interni, quàm externi *Clauis principalis est solius Dei.* *Clauis excellentia data Christo.* *Clauis primatus Petri.*

Clauis particularis quando data. terni: tamen in specie clauis fori interni data est, *Ioan.* 20. vbi institutio huius Sacramenti inuenitur, quantumlibet eandem potestatem particularem in foro interiori sæpe etiam deducant Patres ex priori loco, sicut & Doctor *dist.* 14. *qu.* 4. *ad oppositum.* Augustin. *tract.* 50. *in Ioan.* Beda *in Ioann.* 21. Fulgentius *de fide ad Petrum*, & passim Patres. Meritò etiam, quia potestas vniuersalis Petro data ad pascendum gregem, necessariò etiam includit illam, quæ est huius fori ad remittenda peccata.

Potestas vniuersalis importat particularem.

4

Sacerdos minister huius Sacramenti.

Supponimus ergo Iure diuino ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 6. *can.* 9. & 10. & Florentin. in decreto vnionis Armenorum verum ministrum, & necessarium huius Sacramenti esse Sacerdotem, quod omnes Theologi admittunt. Magister autem *in* 4. *dist.* 17. *cap.* 5. asserit absente Sacerdote esse obligationem confitendi laico: quod videtur etiam D. Thomæ *ibidem quæst.* 3. *art.* 3. *ex Cypriano epistola* 17. vel secundùm impressionem Pamelij 13. docente. *Si quis infirmitate oppressus non possit expectare Sacerdotem, reconcilietur per diaconum, facto prius exhomologesi*, id est, confessione. Hæc sententia ab omnibus reiicitur *dist.* 17. quia non habetur fundamentum talis obligationis, cùm nullus sit iudex nisi Sacerdos. Si ratione consilij petendi esset necessaria, tunc confitendum esset peccatum, de quo petendum esset consilium, & instructio, & tunc casus forte vrget tantùm quando est periculum relapsus, nisi quis sit adeò rudis, vt nesciat pœnitentiam, aut modum pœnitendi. Si autem causa humilitatis, & erubescentiæ, non videtur inferre præceptum, aut obligationem, sed tantùm opus consilij. Sed fortè nunc dicenda hoc esset perniciosum, vt docet Doctor *quæst.* 1. Gabriel, Angelus, & Sotus. Cyprianus intelligendus est de reconciliatione exteriori cum Ecclesia, quæ tunc diaconis, quorum erat ministrare Eucharistiam, concedebatur, non de principali & sacramentali: vel certè ad probandum an talis contritus esset capax Eucharistiæ, & an habeat casus, quibus hoc Sacramento deberet priuari. Lutherus docuit potestatem hanc absoluendi conuenire quibusuis promiscuè, etiam fœminis, quia nullam in ministro concedebat potestatem absoluendi, sed excitandi tantùm fidem pœnitentis: quam potestatem in omnibus Sacramentis tantùm agnoscebat. VViclef & alij non agnoscunt aliam potestatem clauium, quàm prædicandi remissionem, & detentionem peccatorum: de quibus *suprà* egimus de efficacia, & necessitate pœnitentiæ.

Cyprianus. Reiicitur sententia de confessione facienda non Sacerdoti.

Exponitur Cyprianus.

Hæresis Lutheri, & aliorum.

SCHOLIVM.

Auctoritatem examinandi reum confitentem esse clauem scientiæ, & distingui tripliciter, sicut alia clauis, ac esse penes Sacerdotem, quatenus est particularis, quia sine hac non posset habere rectum vsum clauis potestatis: quæ verò requiratur scientia ad valorem absolutionis, Doctor non dicit expressè, tamen innuit valere, licèt ab ignoranti differentiam mortalis à veniali, vel circunstantias substantiales, detur: sed peccat qui sic ministrat. Ita Suar. tom. 4. *disp.* 28. *sect.* 2. *Communior tamen sententia cum Richard. hîc art.* 2. *quæst.* 8. *Gab. quæst.* 1. *art.* 3. *& Nauar. cap.* 9. *num.* 12. *ait non valere absolutionem datam à prorsus ignaro. Sed quàm stupida debeat esse eius ignorantia, vt annullet absolutionem, non facilè est determinatè scire. Itaque consultum est talibus non confiteri nisi in extrema necessitate.*

De secundo articulo dico [c], quòd illud, quod ordinatur ad istam auctoritatem sententiandi, vel cuius vsus ordinatur ad vsum istius, ita scilicet quòd sine vsu illius non est rectus vsus istius. Potest dici clauis, quia instrumentum quoddam aperiendi, licèt non proximum: imò quasi concurrit in vnum cum instrumento propinquo, vel proximo. Sine isto enim non rectè aperit, nec claudit: auctoritas verò cognoscendi in causa peccatoris, est huiusmodi, quia sine ista cognitione non rectè quis sententiat cœlum huic aperiendum, vel claudendum: ergo illa auctoritas potest dici clauis Regni cœlorum. 7

Auctoritas Sacerdotis. Sacerdotem habere auctoritatem examinãdi causam pœnitentis, & hanc dici clauem.

Ista autem potest distingui tripliciter, sicut præcedens: & de claui tertio modo accepta potest probari, quòd congruum sit eam haberi in Ecclesia, & quòd habeatur ex præcedenti articulo: quia qui habet auctoritatem diffinitiuè sententiandi in causa, habet auctoritatem cognoscendi in causa illa, nisi alicui committeretur, quòd sine causæ cognitione sententiaret in causa ad suum libitum; quæ commissio non videtur alicui rationabiliter facienda, qui posset in sententiando errare, cuiusmodi est omnis viator. Deus ergo rectè committens Ecclesiæ auctoritatem primam, quæ dicitur clauis potestatis, commisit etiam sibi secundam, quæ dicitur clauis scientiæ.

Nemo sine causæ cognitione sententiare potest.

Et in collatione primæ clauis, quæ habetur *ex Ioann.* 20. intelligitur etiam collatio istius secundæ, tanquam præuiæ (quantùm ad vsum) vsui illius primæ: nec est ista clauis scientiæ aliqua scientia actualis, vel habitualis, vel discretio quæcunque, sicut Magister videtur dicere, distinctione ista, cap. primo. *Multi*, inquit, *indiscreti, qui nec ante Sacerdotium, nec post scientiam habent discernendi, ideóque illam clauem in consecratione non recipiũt: qui verò ante Sacerdotium scientia discernendi præditi sunt, & antehabita discretio augetur, & fit in eis clauis, vt iam ea vti valeant, ad claudendũ, vel aperiendum.*

Clauis scientia quid est.

Ista;

8 *Viè interpretatur Magistrũ.* Ista, inquam, scientia actualis, vel habitualis non est clauis ista, quia auctoritas cognoscendi, etsi requirat scientiam, vel discretionem concomitantem rectum vsum eius; quemadmodum requirit clauis potestatis aliquam iustitiam ad rectum vsum sui: tamen sicut potestas iudicandi non est iustitia; imò potest esse sine iustitia, ita potestas, vel auctoritas cognoscendi in aliqua causa potest esse sine discretione cognoscendi: & ita debet Magister exponi, qui vult eum saluare, quòd ad clauem scientiæ requiritur scientia, supple ad hoc quòd aliquis rectè vtatur ea: non autem ad hoc, quòd absolutè insit.

Quare non dicitur clauis iustitiæ, sicut scientiæ. Si obiicitur; quare ergo magis dicitur ista clauis scientiæ, quàm illa iustitiæ, siue iustitia, si non requiritur hîc scientia, nisi quantùm ad rectum vsum illius? Respondeo, sine iustitia habens auctoritatem, & aliquid sententians, facit quod est potestatis, licèt indebitè fiat. Et ita habens auctoritatem cognoscendi in causa, si attentè aliquid facit, licèt indebitè, illud tamen quod primus facit, semper est potestatis, & ideò semper dicitur clauis potestatis: hoc autem quod iste facit, semper est scientiæ, id est, cognitionis in causa, licèt non scientiæ habitualis.

COMMENTARIVS.

5 *Secũdus articulus de claui scientiæ. Subordinatur claui potestatis.* a DE *secundo articulo dico*, &c. In hoc articulo agit de claui scientiæ, quæ subordinatur claui potestatis ligandi, & soluendi, quia vsus huius non est rectus sine præuio vsu alterius, nempe clauis scientiæ, quæ triplex est iuxta diuisionem clauis potestatis, principalis, excellentiæ, & ministerialis. Ministerialis data est Ecclesiæ in hoc foro, quia recepit auctoritatem sententiandi: recepit etiam auctoritatem inquirendi, & cognoscendi in causa. *Clauis scientiæ est authoritas inquirẽdi in causa.* Hanc auctoritatem inquirendi in causa vocat clauem scientiæ: & rectè, nam vt patet ex Tridentino, hoc Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum iudicij, ad quod concurrunt ante sententiam confessio rei ad informationem iudicis, & inquisitio requisita ex parte ipsius iudicis, *Ad quæ se extendit?* de materia quam debet iudicare, nempe de peccatis, eorum numero, & circumstantiis, vt patet *cap.* 5. & de statu peccatoris, an sit dignus qui debeat absolui, aut ligari. Item, in ordine ad satisfactionem congruam iuxta exigentiam peccatorum, requiritur similiter cognitio præuia, & discussio causæ: sicut in omni alio ordine iudiciali, seruato tantùm hîc secreto processu, qui debet fieri, quia est forum secretum. Patet hoc *ex cap.* 7. *&* 8. Tridentini: rationem autem optimam assignat, nempe quia potestas iudiciaria in omni iudice, qui errare potest, *Necessitas huius clauis scientiæ.* necessariò supponit cognitionem causæ: neque rationabiliter, aut secundùm iustitiam ei committeretur libertas sententiandi ad libitum sine tali cognitione, quia sententia eius debet seruare medium iustitiæ, ne vltra debitum grauetur reus, aut infra debitum lædatur offensus, aut legislator, & lex communis, quæ necessariò supponunt in tali persona potestatem cognoscendi de causa, quam Christus Ecclesiæ communicauit simul cum claue potestatis, *Ioan.* 20.

6 *Magister clauem scientiæ intelligit habitum* Deinde, impugnat subsequenter sententiam Magistri, qui, vt patet ex litera, clauem scientiæ intelligit scientiæ habitualis, seu notitiæ discernendi inter peccata; quæ si inest ante ordinationem, per hanc fit clauis; si tamen non inest, in *Reijcitur.* ordinatione confertur. Meliùs Doctor, quem sequitur communis, in ordinatione asserit clauem scientiæ dari: & hanc non esse illam, quam intendit Magister: sed auctoritatem cognoscendi in causa, quæ scientiæ dicitur ab actu, ad quem ordinatur; illam autem (quam intendit Magister) scientiam discernendi inter peccata requirit ad rectum vsum sui, sicut clauis potestatis iustitiam habitualem: quamuis potestas iudicandi non sit ipsa iustitia, ita neque auctoritas cognoscendi in causa est ipsa cognitio, aut discretio: sed concomitanter requiritur, & sic intelligit Magistrum, aut explicat. *Explicatur Magister.*

7 *Obiectio.* Obiicit, quare non dicatur clauis potestatis etiam clauis iustitiæ, sicut clauis scientiæ dicitur clauis scientiæ.

Responsio. Clauis potestatis non dicitur iustitiæ. Respondet, quòd sine iustitia habens auctoritatem facit quod est potestatis sententiam ferens, licèt indebitè fiat: illud tamen, quod facit, semper est potestatis; & ideò semper dicitur clauis potestatis, id est, siue licitè, & secundùm rigorem medij iustitiæ, non deuiando faciat; siue etiam indebitè faciat in aliquo deuiando, vt si, verbi gratia, aggrauet, vel alleuiet reum quoad satisfactionem, non seruando iustum; & si seruet iustum, non faciendo, aut sententiando ex affectu, & motiuo iustitiæ; sed ex libidine, aut etiam motiuo extrinseco prauo: quorum vtrumque iniustum est: vel si non absoluat eum, quem deberet absoluere, vel certè oppositum, nempe absoluendo eum, quem aliàs non deberet absoluere, quamuis habeat potestatem absoluendi hîc & nunc, & re ipsa validè absoluat, vel quia alter est sufficienter dispositus; tamen sibi ipsi in his circumstantiis, & peccatis, magis expediret non absolui, vt quia, verbi gratia, ex facilitate veniæ fiat negligentior in obseruanda lege, & proposito; vel certè propter scandalum aliorum non deberet absoluere sine maiori probatione, & cautela. Non ergo intelligit Doctor clauem potestatis ita subiectam etiam arbitrio iudicis, vt in omni casu, & circumstantiis possit ea vti validè, vt si reus non sit emendatus, si non doleat, aut in vniuersum deficiat aliquid essentialiter requisitum. *Vsus potestatis iniustus, & validus.* *Nequit vsus esse validus, si deficiat per se requisitum.*

8 *Cur non dicatur clauis iustitia.* Intendit tantùm denominationem non debere sumi huius clauis ab eo, quod aliquãdo adest, aliquando deest, vel deesse potest, vt est iustitia rigorosa in vsu clauis, qui aliquando validus est, etiamsi fiat illicitus, & sine iustitia in modo requisito vsus, manente actu valido.

Clauis scientiæ ab actu dicitur; & quis sit ille actus. Ad eundem modum dicit de claue scientiæ, eam dici clauem scientiæ à suo effectu, ad quem ordinatur, nempe à cognitione, & scientia causæ, non verò à scientia discretionis: nam aliud est

est habere auctoritatem inquirendi, & exquirendi, & audiendi causam: quod fit quando excipit confessionem rei, & inquirit de statu, & dispositione eius; aliud verò posse discernere peccata, circumstantias, & statum eius, vt oportet attingendo omnia, vt expedit. Primum est clauis, & dicitur scientiæ à notitia, ad quam ordinatur, causæ, excipiendo informationem. Notitia secundo modo est concomitans, & inesse debet, vt rectè fiat inquisitio, non tamen semper, & in omni casu saltem requiritur ad valorem, vt confessarius necessariò discernat inter peccata, & eorum circumstantias, & differentiam, quia neque ipse quandoque pœnitens, neque exercitatus confessor illa in particulari hîc & nunc attingere posset. Addit prætera requiri vt attentè faciat inquisitionem, & excipiat ea quæ dicuntur.

Vtrùm necessitate Sacramenti requiratur scientia discretionis in confessore?

9 *Requiri scientiam discretionis in confessario, vt licitè exerceat munus.*

OCcasione huius literæ Doctoris hîc examinare oportet præmissum dubium. Illud in primis supponitur ab omnibus, vt licitè quis assumat onus confessarij, & licitè exerceat, requiri in eo scientiam discretionis, & hoc supponit etiam Doctor, hîc Magister in litera: quæ obligatio desumitur ex natura Sacramenti, & necessitate pœnitentum, & officio ipsius iudiciario, quod licitè, &, vt tenetur, nequit exercere, nisi hanc scientiam habeat. Quanta autem debeat esse, dependet à circumstantiis.

Debet scire differentiam inter mortale, & veniale in genere, & quomodo?

In primis debet cognoscere differentiam inter mortale, & veniale in genere, & prácticè loquendo; non quòd de quibuscunque in particulari possit ferre hoc iudicium discretionis; sed debet saltem scire vulgariter quæ dicuntur mortalia, quæ venialia, & circumstantias ordinarias, & habere notitiam, qua discernere possit an pœnitens sit dispositus, quantùm ad dolorem de peccatis, & propositum emendationis, & communiter omnia, quæ spectant ad integritatem confessionis, & intelligat ea per se, quæ frequentiùs accidunt. Debet scire casus reseruatos, & excommunicationes, quæ ipso facto incurruntur, à quibus nequit absoluere, & hoc si se exponat confessioni audiendæ maximè vt minister ordinarius. Debet præterea, si est expositus, audire confessiones omnium, tam clericorum, quàm aliorum, scire ea quæ ad obligationem status ipsorum spectant, & in quibus peccare frequenter contingit. Deinde etiam ratione loci, in quo quædam peccata vigent peculiariter, vt vsurarum, simoniæ, & in contractibus illicitis, & ratione personarum concurrentium, quæ his frequenter obnoxij sunt in his habere notitiam, quamuis in his sententiæ communi etiam sufficiat, vt sciat quæ frequenter contingunt, & possit dubitare in circumstantiis particularibus, & extraordinariis, vt ab aliis possit informationem petere, vel certè legendo per se inquirere. Alleuiari potest hîc & nunc ex statu pœnitentis, vt si sit doctus, cuius informationi debeat fidem in iis, quæ sunt propriæ salutis, dare, quare non est præsumendum eum veritatem contemnere in dispendium propriæ salutis. Potest etiam alleuiari obligatio maioris scientiæ ex pœnitentibus, quos ordinariè audit, si non habent illa peccata, neque habere solent, quibus annexa est censura, & obligatio restitutionis, & contractus iniusti, & alia eiusmodi, in quibus in particulari etiam viri docti hærent: discernenda ergo in genere est mensura huius obligationis ex officio personæ, loco, concurrentibus, & circumstantiis, quæ frequenter, aut raro accidunt, & inquantùm hoc munus assumit, vel quoad plures, vel quoad paucíores, vel semper, vel raro exercendum.

Debet scire casus reseruatos.

Et alia plura huc spectantia.

Qualis debeat esse scientia eius?

Alleuiantia obligationem.

Ex quibus cõsurgit obligatio maioris scientiæ.

10 *An ignorantia reddat nullam absolutionem. Sententia affirmatiua.*

Quantùm ad quæsitum, plures affirmant nullam esse confessionem factam ignoranti, & absolutionem ab eo datam. Ita Syluester *v. Confessio* 1. *quæst.* 3. *part.* 3. Richardus *in præsenti distinctione art.* 2. *quæst.* 8. *ad* 1. Corduba *in quæstion. qu.* 9. Adrianus *quæst.* 4. *de Confessione*. Gabr. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. Nauarr. *in Summa cap.* 9. *n.* 12. Caietan. *in Summa. v. Confessio*. Intelligitur hæc sententia, quando ita est ignarus vt nesciat discernere mortalia, aut circunstantias vulgares.

2. Sententia negatiua.

Contrarium huius tenet Suarez *disp.* 28. *sect.* 2. sed distinguit casum ignorantiæ, si talis sit, vt nullo modo cognoscat actum moralem in genere, sub ratione peccati mortalis, aut venialis; quod est dicere in re ipsa, si nesciat quid sit peccatum, aut malum morale, aut proferre absolutionem debito modo: tunc esse inhabilem, quod per se notum est: neque validè absoluere. In casu tamen, quo cognoscat malum, licèt non discernat inter mortale, & veniale, aut circunstantias, & sic de aliis necessariis, absolutionem ab eo datam esse validam, modò pœnitens ponat in re ipsa omnia ex parte eius requisita. & iuxta hanc sententiam videtur Scholiastes interpretari hunc locum Doctoris propter extrema verba. Pro qua citat Suarez alios Doctores præfato loco.

Casus hic videtur rarus.

Neutri sententiæ præiudicare volo, quia neque aggrauanda sunt onera, neque etiam in præiudicium Sacramenti, vel pœnitentum alleuianda sunt vltra id, quod institutio, & sensus Ecclesiæ fert. Iudico tamen casum hunc rarissimè extra casum necessitatis contingere: nam neque Ecclesia admittit tales ad confessiones audiendas, neque tanta ignorantia potest præsumi in vllo, qui ministrare solitus est hoc Sacramentum, aut qui habuit in se ipso vsum confitendi, aut intelligit, quid sit confessio, vel an fieri debeat, aut quid sit absoluere, aut iniungere pœnitentiam, aut eiusmodi tolerari in vllo populo Christiano, aut alibi ab Ecclesia extra casum necessitatis.

11 *Præfertur prima sententia.*

Dico ergo primò extra talem casum necessitatis tenendam esse primam sententiam: & probatur hac ratione, nequiret Sacerdos dato casu, quo ei non daretur clauis scientiæ, absoluere validè: ergo in eo casu, in quo clauis scientiæ caret suo fine in Sacerdote, non habet effectum: sed in tali caret suo fine: ergo inualidè absoluit. Probatur prima consequentia, quia desinente fine proximo potestatis, & quo mediante applicatur ad effectum, potestas nequit exerceri; sed finis proximus clauis scientiæ est cognitio peccatorum, & status pœnitentis in ordine ad regulam iudicij, & sententiæ ferendæ proximam, vt ex cognitione peccatorum habita per reuelationem, & confessionem pœnitentis, qui est reus, formetur regula proxima ferendæ sententiæ per potestatem clauium, quæ regula est iudicium discre-

Probatur.

Desinente fine proximo potestatis desinit potestas. Iudicium discretionis est finis proximus clauis scientiæ.

discretionis peccatorum, & reliquorum, quæ sunt ex necessitate Sacramēti, vt doloris, & propositi ex parte pœnitentis, quæ requiruntur ad absolutionem: ergo deficiente tali iudicio, aut possibilitate eius formandi in confessario, sequitur eum non posse ferre actum iudicialem, aut vti claui scientiæ ad finem institutum. Probatur consequentia: quia ad sentētiam, & actum iudicialem requiritur non solùm potestas; sed etiam regula, & scientia proportionata: ex qua procedat, maximè, si est minister, qui debet conformari iudici superiori, & habere intentionem procedendi secundùm allegata iuxta præscriptum legis, ita vt aliter iudicare non possit. Vnde in foro publico requiritur, vt præcedat iudicium ex cognitione publica, secundùm allegata, & probata, iudicium dico practicum, & non sola apprehensio criminis; sed iudicium de ipso crimine, & eius qualitate, in eo saltem gradu, quo debet secundùm legem puniri pœna iudiciali, aut absolui reus, iudicando similiter eum non esse dignum pœna: ergo in proposito debet esse possibilitas in confessario iudicandi de crimine secundùm discretionem aliquam, & de cæteris necessariis, si adsunt ex parte pœnitentis, vt quæ substantialiter exiguntur ad explendum hoc iudicium Sacramentale, quod non facit solùm apprehendendo ea, quæ dicit pœnitens, nisi sit habilis ad formandum iudicium de dictis, ex quo procedat proximè ad sententiam: quia ex necessitate huius iudicij informatio illa prærequiritur, & non ad formandā solam apprehensionem.

Ad actum iudicialē requiritur cognitio causæ in iudice inferiori.

Exemplū ex processu requisito in foro externo.

Apprehensio non est iudicium requisitum.

12 Dices habere talem confessarium iudicium, quòd illa, quę confitetur reus, sint in genere peccata, siue mortalia sint, siue non; & hoc iudicium sufficere, vt procedat ad sententiam absoluendi iuxta potestatem, quam habet.

Responsio.

Impugnatur.

Contrà, non requiritur in eo tale iudicium in genere de peccatis sub illa generalitate, vt possit procedere ad sententiam: sed requiritur vt cognoscat de pœnitentis dispositione requisita, per quam sit dignus absolui, & discernat illam: quia non solùm confessio est materia, vel quasi materia pœnitentiæ, sed etiam contritio cum proposito requisito emendationis, & satisfactio, vt patet ex Tridentino, & Florentino, quæ definiunt quasi materiam huius Sacramenti esse tres actus pœnitentis, regulariter saltem loquendo, & contritio magis exigitur, quàm confessio, quia in omni casu necessaria est contritio, licèt confessio non sit necessaria, saltem verbalis, & in specie. Deinde, potestas ligandi maximè respicit satisfactionem, vt patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. quia subtrahere absolutionem non tam est ligare de nouo, quàm relinquere ligatum in suis peccatis; obligare autem ad satisfactionem est inducere nouum onus, ad quod obligat clauis. Debet ergo confessarius esse habilis ad ligandum reum per satisfactionem, vt possit vti claue potestatis, sed qui neque statum rei discernere potest, neque peccata, nequit imponere satisfactionem, vt lege ipsi est præfixus terminus vtendi sua potestate: ergo nequit validè procedere.

Requiri iudicium de statu rei.

Potestas ligandi respicit satisfactionem.

13 Probatur præterea idem quoad cognitionem debitam peccatorum, si reus non confiteretur integrè sua peccata in specie; absolutio esset omnino inualida, ex defectu substantiali actus prærequisiti ad sententiam, neque rectè subiiceretur in hoc foro iudici: quia quoad omnia peccata mortalia ei subiici debet, vel quoad nullum subiicitur ob necessariam connexionem materiæ mortalium in ordine ad remissionem: ergo similiter neque iudex, deficiente necessaria cognitione causæ, subiicit sibi reum hìc, & nunc; quia ratione criminis subiicit, inquantùm de ipso cognoscit; sed quidquid substantialiter annullat actum ex parte informationis necessariæ, & completæ in reo, annullat etiam actum ex parte iudicis ob defectum cognitionis correspondentis, ad quam per se ordinatur informatio, & simpliciter requiritur: vbi enim excusatur reus ab informatione, excusatur etiam iudex à cognitione causæ, vt in casibus, qui excusant à confessione, & vbi defectus informationis est substantialis, & reddens actum nullum etiam defectus cognitionis causæ reddit eum nullum; & vbi negligentia, seu defectus culpabilis examinis debiti reddit confessionem inualidam, ibi etiam defectus cognitionis discernentis peccata confessa reddit actum nullum, vt si confessarius negligit per distractionem culpabilem, & grauem attēdere ad informationem, vt omnes concedunt, absolutio est omnino inualida ex defectu cognitionis requisitæ ad discernendum statum rei, quia in eodem gradu, vel maiori tenetur iudex ad cognitionem causæ, discernendo statum rei, in quo reus tenetur ad informationem: nam, vt rectè Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5 colligit necessitatem confessionis ex potestate absoluendi, vt possit per sententiam exerceri, quo pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. *Constat enim Sacerdotes iudiciū hoc incognita causa exercere non potuisse*, &c. Rationem subdit, seu potiùs declarat quænam sit illa cognitio causæ requisita. *Neque*, inquit, *æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent*, &c. Vnde deinceps exponit quæ peccata ipsi debent de necessitate Sacramenti confiteri, quam necessitatem reducit originariè ad necessitatem cognitionis causæ, per quam discernatur status peccatoris, & pœnitentiæ ex æquo, & ipsius scientiæ, si ferenda sit, aut retinenda: neque enim casu, aut perfunctoriè hæc potestas exercenda committitur Sacerdoti, & ad arbitrium: sed ex debita scientia, quam præmittere debet, & esse habilis, vt eam præmittat. Si ergo confessio peccatorum in genere, vt dicit Concilium, non sufficiat ad informationem validam, sic etiam neque cognitio, qua in genere tantùm discernuntur peccata, sufficit ad valorem actus ex parte iudicis, vt ferat sententiam iuxta institutionem & potestatem, quam habet, & quandocumque necessaria est cognitio causæ per informationem in specie.

Requiri scientiam discretionis quoad peccata.

Connexio mortalium.

Correspondentia, & connexio cōfessionis, ad cognitionē debitam in iudice.

Trident. Necessitas cōfessionis ex necessitate est cognitionis, & ferenda sententia.

Sicut confessio in genere non sufficit, sic neque cognitio in genere.

14 Confirmatur, quia talis confessarius perinde se habet in casu proposito quoad cognitionem causæ, ac si nulla omnino permitteretur confessio in specie, quia eo ipso, quo reus confiteatur se peccasse aliquoties, & sæpiùs, si ei credit, & petat absolutionem, habet conceptum in genere de peccatis eius: sed in casu prætensæ ignorantiæ, quo non discerneret inter peccata, non variatur in eo iudicium ex confessione peccatorum in specie: ergo tunc non tenetur alter confiteri peccata in specie, quia hæc obligatio oritur ex necessitate, & differentia iudicij in confessore variatis ob informationem habitam per confessio

Confirmatio. Valeret confessio in genere si sufficeret scientia in genere.

Confessio in specie requiritur ad variādum iudiciū.

confessionem in specie: si ergo ignorantia sit talis, vt nullo modo possit mutare iudicium, aut variare ex informatione, cuius finis intrinsecus est cognitio causæ per discretionem, cessat obligatio confessionis: quod negat secunda sentētia. Negat præterea eadem sententia absolutionem esse validam in casu ignorantię tam rudis, ex qua non posset confessarius scire peccatum in genere: sed meo videri idem debet supponi in casu præsenti, quia nequit habere cognitionem peccati in genere, quæ faciat ad propositum, nisi ex aliqua regula morali, aut præcepto, ex quo discernatur peccatum aliquod in specie moralitatis, & in specie grauitatis, practicè loquendo, & determinatè. Deinde, quidquid sit de suppositione, aut eius possibilitate, illam cognitionem in genere non solùm debet habere; sed cognitionem in specie requisitam, vt validè procedat; illa autem est ea, quam probamus esse necessariam, & de qua loquitur Tridentinum, & in ordine ad quam dicit confessionem in specie, & integram esse necessariam: ergo sine illa in eo gradu, quo requiritur, est inualida absolutio.

15 *Soluitur fundamentū sententiæ oppositæ.* Ex his patet ad fundamentum sententiæ oppositæ, quia deficit cognitio necessariò requisita, cuius contrarium illa supponit.

Dices nullo Iure differentem cognitionem ad valorem Sacramenti, aut absolutionis requiri.

Responsio. Respondetur Iure diuino institutionis requiri, & ex natura actus iudicialis, & ordinis.

Obiectio. Dices eum habere potestatem iudicandi ordinariam, aut delegatam: ergo tenet eius sententia.

Responsio. Ecclesia neque intendit, neque intendere potest, dare authoritatē ei, qui est inhabilis. Respondetur neque eum habere potestatem ordinariam, aut delegatam, neque Ecclesiam vnquam intendisse ei conferre talem potestatem in vllo casu, in quo Ius diuinum obligat ad confessionem in specie, neque posse ei talem auctoritatem delegare exercendam, manente tali ignorantia, aut in ea exercenti actum iudicij, quia ex ipsa institutione Sacramenti, & ex natura actus est inhabilis ad talem iurisdictionem in hoc foro, in quo Ecclesia declarat iudicium discretionis necessarium esse ad cognitionem causæ, vt patet ex Tridentino. Negatur etiam consequentia, quia licèt Ecclesia eum approbaret alterutro modo, semper includitur conditio per se requisita ad actum ministerialem huius Sacramenti: & quamuis haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, non potest habere efficacem, & fundatam, nisi tollatur obex ex parte obstans exercitio actus.

Replica. Dices; iurisdictio datur absolutè, & independenter à scientia; quæ multiplex est in confessore, & alia, & alia debet esse iuxta statum peccatorum, & pœnitentiam: ergo Ecclesia non voluit hanc iurisdictionem dare dependenter à scientia, aut ex suppositione eius, quia esset valdè periculosum, cùm vix discerni posset quis habere scientiam hîc & nunc requisitam ad statum huius pœnitentis; & sequerentur plures anxietates tam pœnitentum, quàm confessorum in ipsa praxi.

16 *Responsio.* Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem respōdetur supponi semper scientiam discretionis, quam exigunt Doctores, vt saltem discernat inter peccata, & circumstantias ordinarias. Quoad scientiam verò in casibus particularibus, & quibuscunque non requiritur illa per se, sed respectiuè ad tales casus: si ergo dubitet in his cum fundamento, nec sciat discernere gradum ipsorum, vel quomodo de iis iudicandum sit, non debet extra casum necessitatis absoluere; sed remittere pœnitentem ad alios, nisi ipse aliunde informare se posset ex lectione authorum: sed quia per accidens est si in reipsa cadunt sub iurisdictione, validè in re absoluit, de quo tamen valdè dubito seclusa necessitate, quia si putat illa cum fundamento esse reseruata, vix in eo saluari potest intentio debita absoluendi: quia sententia à non suo iudice lata est nulla: si ergo ipse putat, licèt ex errore, se non habere potestatem in illa peccata, quam scit esse necessariam, non videtur saluari intentio sufficiens, ne quidem conditionata: quia conditio apposita nequit compati cum illo errore, quo iudicat practicè determinatè se non esse iudicem illius rei. *Dubius an absoluat.* Quòd si dubius est, saltem tenetur abstinere extra necessitatem; dubius, inquam, de materia circa quam non potest formare iudicium, siue quà peccatum est, siue quà reseruatum suspicatur. Quòd si manens in illo dubio ferat sententiam extra casum necessitatis, quidquid dicant alij, esset mihi sententia illa ad minimum dubia, & si reus cognoscit ignorantiam confessarij extra casum necessitatis, peccat confitendo, & hac in parte sententia etiam esset nulla.

Scientia discretionis ordinaria requiritur.

Replica. Quòd si dicas hoc esse rigorosum.

Responsio. Respondetur magis periculosum esse hac in parte esse indulgentem, quàm rigorosum, quia à casu dependet salus pœnitentis, peccatum confessarij, & valor Sacramenti, & communis tenet peccare pœnitentem, cùm eligit iudicem, quem scit non esse sufficientem ad cognoscendum in causa, relictis aliis, qui discernere possunt iuxta clauem scientiæ, & decernere iuxta clauem potestatis.

Explicatur Doctor. Nec puto Doctorem esse in hac sententia, quam impugnamus, quia neque litera superiùs expressa, & declarata id sonat, neque discursus, aut intentū eius, quod est tantùm probandi clauem scientiæ esse diuersam à scientia actuali, & habituali: & contingere posse, vt quis attentè faciens inquisitionē in causa faciat quidem secundùm authoritatem, & tamen faciat indebitè ex defectu scientiæ discretionis, quod aliquando contingit, vt declarauimus subsistente valore facti. Ex his non colligitur aliud, nisi quando defectus est ordinarius ex negligentia, aut ignorātia leui, aut lata, non verò ex ignorantia latissima, & excludente omnem scientiam discretionis, quod sufficit ad intentum Doctoris, quo probet clauem scientiæ, non esse scientiam discretionis, quæ est finis, vt diximus, ad quem ordinatur proximè clauis scientiæ.

17 *2. Conclusio. In casu necessitatis, in quo quis excusatur à cōfessione integra, & in specie validè absoluit ignorans.* Dico secundò in casu extremæ necessitatis, seu articulo mortis, vt sumitur ex Doctore *dist.* 17. *quæst. vn.* & in casu quo quis excusatur à confessione integra, & explicita omnium peccatorum, posse eum absolui à quolibet Sacerdote, in quo casu quæcunque confessio esset formaliter integra, quando aliter fieri non possit, neque alius inuenitur, nisi iste. Si autem casus permittit integrè fieri confessionem ex parte pœnitentis, debet fieri, licèt Sacerdos nequeat integrè iudicare iudicio discretionis ex defectu scientiæ, perinde necessitas excusat: tamē in eo casu debet ipse pœnitens confiteri sua peccata, si est discre- *Et quid in hoc seruandū.*

tus, vt dicat Sacerdoti, hoc peccatum mortale feci contra tale præceptum, hoc contra aliud: hoc etiam quod est veniale, si velit ad instructionem Sacerdotis, contra aliud præceptum tale, & tunc ex instructione pœnitentis potest Sacerdos formare iudicium discretionis, quo discernat inter peccata. Quòd si ipse reus sit in eadem ignorantia, dicat, & faciat vterque quod potest, & Sacerdos validè absoluit, quia neque vlla est reseruatio pro tali casu extremæ necessitatis, neque requiritur confessio integra, si fieri nequit, sed materia aliqua, de qua certum est esse peccatum; vel nutus, & signa cum confessione in genere, in casu quo non possit fieri integra, & explicita: cui confessioni in genere æquiualebit illa, quæ tum fieri potest. Ita tenet Syluester. Habet ergo Sacerdos tum iudicium talem esse peccatorem, & velle absolui, & quæ confitetur esse peccata, & se habere authoritatem, quæ sufficit in casu, non tamen extra casum. Addit Syluester, elapso periculo, & habita copia confessoris denuò confitenda esse illa peccata. Hoc negat Vasquez *quæst. 93. art. 3. dub. 2.* nisi in ea parte, qua de ipsis Sacerdos non potuit formare iudicium, supponit enim neque

At sit iteranda talis confessio.

tunc confitenda esse peccata, nisi Sacerdos aliqua cognoscat, quia in extrema necessitate non variantur ea, quæ sunt essentialia Sacramenti: sed meliùs Syluester, quia essentialia Sacramenti, quæ spectant ad integritatem eius, variantur in casu necessitatis, ita vt sine aliquibus Sacramentum esset nullum aliàs, sine quibus in articulo necessitatis est ratum Sacramentum, vt patet de confessione integra, à qua plures casus excusant, sicut & à confessione vocali, vt quando quis amisit vsum loquelæ, & per nutus petit absolutionem. Duo sunt, à quibus nulla necessitas excusat, vt contritio, seu attritio, & absolutio: à confessione autem, & satisfactione non ita, quando nequeunt fieri. Itaque non secus iudicarem taliter absolutum obligari ad iterandum confessionem, quam agonizantem, si iterum restituatur loquelæ, & sensui. Verùm quando confessor est instructus quoad aliqua peccata, & hoc constat pœnitenti, non debere illa repeti, sed, vt dicit Vasquez, ea tantùm quæ nequit discernere: si tamen pœnitenti constat cum esse ignarum, neque determinatè sciat in quibus sit talis ignorantia discernendi peccata, tunc debet confiteri omnia in specie.

Necessitas excusat ab aliquibus, quæ aliàs requiruntur.

Sine dolore requisito, & absolutione nihil fit etiam in casu.

Iteranda est confessio.

SCHOLIVM.

Docet primò clauem non esse characterem, quia priùs tempore datus est character Apostolis, quàm clauis. Secundò ait duas esse claues, vnam examinandi, alteram sententiandi, hásque non repugnare ab inuicem separari. Tertiò, in Sacerdotio dari duos characteres, vnum in corpus Christi verum, alterum in mysticum. Quartò, innuit hîc, & asserit dist. 24. art. 3. fin. priùs tempore dari potestatem in corpus Christi verum: quod videtur docere Trident. sess. 23. cap. 4. ibi. Si quis dixerit per ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustrà dicere Episcopum, Accipe Spiritum sanctum, anathema sit. *D. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 3. 4. D. Bonauen. hîc art. 3. quæst. 1. Richard. hîc. Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 2. Alens. 4 par. quæst. 79. 80. Castro de iust. hær. punit. c. 21. & communis, tenent potestatem iurisdictionis distingui à potestate ordinis. & videtur definitum in Trid. sess. 4. cap. 7.*

9 *D. Thom. d. 18. q. 1.*

DE[d] tertio articulo dicunt quidam, quòd istæ claues sunt idem cum charactere Sacerdotali, & tunc esset facile videre, quomodo conferuntur cuilibet Sacerdoti in eius ordinatione, sicut & characteres.

Sed contrà arguitur sic; illæ sunt distinctæ potestate, quarum vna potest esse sine alia; sed potestas conficiendi corpus Christi, siue character Sacerdotij, vt ad hoc est, potest esse sine illa potestate, quæ includitur in clauibus: ergo, &c. Minor probatur, quia sic fuit in Apostolis in cœna, cùm dicebat eis, *Hoc facite in meam commemorationem*; vbi data est eis potestas conficiendi: sed non clauium vsque post resurrectionem, *Ioan. 20.* dicente Christo, *Quorum remiseritis*, &c.

Matt. 26.

Consimiliter videtur posse argui de quolibet Sacerdote nunc ordinato in Ecclesia. Priùs enim dicit Episcopus ordinando: *Accipe potestatem conficiendi, vel celebrandi Missam, tam pro viuis, quàm pro defunctis*, dans ei calicem: & quibusdam interpositis, ponens manum super caput eius, dicit: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris*, &c. Vnde videtur, quòd quilibet Sacerdos priùs tempore accipiat potestatem conficiendi, quàm absoluendi: ergo est alia, & alia. Et istud probat, quòd non tantùm distinguitur à charactere, si character est aliquid vnum, imò quòd sunt distinctæ potestates inter se.

Sacerdos priùs tempore accipit potestatem conficiendi quàm absoluendi.

Item (vt dictum est suprà) character non potest esse nisi relatio; relatio autem non potest esse eadem ad plures terminos. Corpus Christi verum, & mysticum, vel consecratio huius, & absolutio illius sunt distincti termini; ergo illud, quod est relatio ad consecrationem, non est idem cum potestate ad absolutionem.

Dist. 6. art. vlt. q. 2.

10 *Matt. 16.*

Dico ergo, quòd simpliciter sunt duæ claues, ita quòd absolutè verum est illud verbum Christi, *Tibi dabo claues*, &c. & possent de potentia Dei absoluta separari ab inuicem; sicut enim aliquis nunc præsidens potest committere alteri auctoritatem cognoscendi in causa, non committendo sibi auctoritatem sententiandi in ea: vt si diceret,

com-

committo tibi auctoritatem examinandi cauſam iſtam, & referas mihi vt ſententiam. Poſſet etiam conferre auctoritatem ſententiandi ſine auctoritate cognoſcendi, vt ſi diceret, Committo tibi, quòd ſine omni cognitione cauſæ ſententies, ſicut placet: talis autem commiſſio non eſſet ordinata alicui, cui voluntas eſſet obliquabilis. Ita etiam poſſet Deus committere auctoritatem cognoſcendi ſine auctoritate ſententiandi: & eſſet iſta commiſſio ordinata ſimpliciter, ſi eſſet etiam in humanis. Poſſet etiam Deus de potentia abſoluta alicui habenti voluntatem obliquabilem, committere auctoritatem ſententiandi ſine cognitione in cauſa. De potentia autem ordinata, ſiue de facto committitur vtrumque cuilibet Sacerdoti Eccleſiaſtico ad minùs complete ordinato. Quod pro tanto dico, quia ſi priùs tempore datur ſibi auctoritas celebrandi, quàm abſoluendi, non eſt perfectè ordinatus, quantùm ad vtramque auctoritatem. Si primo facto, omitteretur ſecundum.

Sed an præciſè ſimul tempore vtraque poteſtas detur, non aſſero. Quòd ſi priùs detur vna, quàm alia, quando ergo imprimitur character Sacerdotij? & quomodo ſe habebit iſta duplex clauis ad characterem? 11

An prius tempore detur vna poteſtas quàm alia.

Ad primum poſſet dici, quòd ſicut ſunt duæ poteſtates, ita duo characteres: & vterque imprimitur in ſigno proprio ſenſibili ſignificante illud inuiſibile: vtpote primus in datione calicis cum illis verbis, *Accipe poteſtatem celebrandi*, &c. Secundus in impoſitione manuum, cum illis verbis, *Accipe Spiritum ſanctum*, &c.

Duos eſſe characteres Sacerdotij, idem habet d.24.art.3.

Et ſecundùm hoc pateret quid eſſet dicendum ad ſecundum: quia vtraque poteſtas eſt quidam character: ſed illi duo integrant totum ordinem Sacerdotij: ſed ſecundùm hoc etiam viderentur eſſe duo characteres correſpondentes duabus clauibus, vel non eſſent duæ claues.

Si ergo non placet tot characteres ponere correſpondentes vni ordini Sacerdotali: poteſt dici quòd per vnum characterem Sacerdotalem, habet quis poteſtatem conficiendi corpus Chriſti, vbicumque ille imprimatur: & per illum aſcribitur iſte familiæ Chriſti in tali gradu excellenti, vtpote in gradu cibantis populum Chriſti in Eccleſia. Sicut autem in iſtis curiis magnorum promotus ad gradum excellentem in familia domini, per hoc diſponitur, vt habeat auctoritatem aliquam reſpectu aliorum ſeruorum: ita per hoc, quòd iſte in familia Chriſti in gradu excellentiori conſtituitur per characterem Sacerdotalem, diſponitur de congruo ad habendum poteſtatem ſuper corpus Chriſti myſticum, ligandi, & ſoluendi: & tunc character Sacerdotalis eſt diſpoſitio ad iſtas claues, ſaltem collatio vnius non ſeparatur à collatione alterius: quia (ſicut dictum eſt) quòd Chriſtus in eodem verbo *Ioan.* 20. contulit ambas Eccleſiæ: ita & Epiſcopus in eodẽ ſigno ſenſibili, & verbo confert ambas: vnam quaſi excellentem, & explicitè, & aliam quaſi implicitè, cuius vſus eſt antecedens ad vſum iſtius.

Modus dicendi quomodo ſimul detur vtraque poteſtas, quam tamen non tenet, ſed oppoſitũ, diſtinct. 24. art.3.fin.

Et ex hoc patet quòd aliqualiter poſſunt dici vna clauis vnitate ordinis: quia ad actum vnum vltimum, ſcilicet apertionis, ordinantur: & ad illum vna ſubordinatur alteri, quia remotior ab illo effectu.

COMMENTARIVS.

18 d DE *tertio articulo dicunt quidam*, &c. Hæc ſententia eſt D. Thomæ *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. Dicit D. Thomas claues eſſe eaſdem cum charactere Sacerdotali, qui vnus eſt in ſe, & extenditur ad diuerſos actus: ſicut idem ignis ad calefaciendum, rarefaciendum, & huiuſmodi. Quem ſequuntur in hoc alij, vt Sotus *infrà diſtinct.* 20. *art.* 1. Petrus de Soto *in lectione de clauibus*. Turrecremata *in Summa lib.* 1. *cap.* 93.

Artic. 3. Sententia D. Thomæ de clauibus, & charactere.

Contra hanc ſentẽtiam obiicit, illas eſſe duas poteſtates diuerſas, quæ ſeorſim datæ ſunt; vt poteſtas conſecrandi in cœna Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*. Abſoluendi verò per claues. Ioan. 20. Et poſt reſurrectionem. Secundò, in ipſa ordinatione non ſimul, ſed ſeorſim dantur, vt patet, & per diuerſa verba. Tertiò, quia character nequit eſſe niſi relatio, quæ non eſt primò ad plures terminos.

Diuerſas eſſe poteſtates, & diuerſo tempore datas. Poteſtas conſecrandi in cœna, abſoluendi, Ioan. 20.

Deinde dicit ſimpliciter, & abſolutè eſſe plures claues, & non vnam tantùm. Et hoc probat in textu. Deinde, de facto claues illas conferri Sacerdoti complete ordinato. Dicit *complete ordinato*, reſpectiuè ad controuerſiam de charactere ordinis Sacerdotis, ſi vnus ſit, an plures, & an priùs detur ei character, quæ eſt poteſtas conficiendi Euchariſtiam, & poſtea alius character, qui eſt poteſtas abſoluendi; quia hoc dato non eſt completè ordinatus per primum characterem. Deinde, quærit ſi ſimul datur vtraque poteſtas: non aſſerit; quia, nempe hæc quæſtio ſpectat ad materiam de ordine, vbi *infrà diſt.* 24. *q.* 1. *Ad ſecundum principale*, docet eſſe diuerſos characteres. Deinde, quærit ſi priùs datur vna, quàm altera, quando imprimitur character Sacerdotij; & quem ordinem habent claues ad characterem, ſeu poteſtatem Ordinis. Tandem reſpondet ad obiectiones præmiſſas, aſſerendo duos eſſe characteres, vel etiam vnum integraliter, vel certè non eſſe duos characteres iuxta ſententiam præmiſſam D. Thomæ, quæ extenditur ad duas illas functiones, & cum hoc eſſent duæ claues, habentes vnitatem ordinis.

Summarium textus.

Character Sacerdotalis duplex.

Reſolutio Doctoris.

Omiſſa ergo illa quæſtione, quam in ſuum locum remittit ad Sacramẽtum Ordinis, an in Sa-

cerdotio imprimatur duo characteres partiales? Conclusio definita huius textus est claues esse diuersas, quàuis vna subordinetur alteri, & potestatem iurisdictionis, vt comprehendit claues per modum vnius secundùm ordinem, & ad eundem effectum vltimatum tendentis, distingui à potestate ordinis, vt præcisè dicit potestatem conficiendi Eucharistiam, quæ est sentétia communis Theologorum in præsenti distinctione, & magis explicabitur in articulo sequenti.

Cõclusio Doctoru.

SCHOLIVM.

Potestatem absoluendi non esse propinquam, & inimpedibilem, sicut est potestas conficiendi: quia nisi dentur Sacerdoti subditi, non absoluet. Intelligit subditum debere dari à superiore, quia non sufficit aliquem se submittere, vt putat Caiet. tom.1.opusc. tract.7. quia hoc non daret iurisdictionem ordinariam, nec delegatam, quarum alteram petunt Trident. & Flor. Item si dentur subditi, potest potestas suspendi: falluntur ergo Armach.lib.11.de quæst. Armen.c.1.& Durand.hîc, q.2.tenentes in ipsa consecratione Sacerdotis dari potestatem clauium, quibus fauet Nauar. cap.4. num.20. & cap.7. num.259. putans eam potestatem tunc dari Iure diuino, nisi Ecclesia prohibeat postea eius actum; quod falsum est, nec Ecclesia posset prohibere valorem actus, sicut nec consecrare validè, si esset Iure diuino immediatè data potestas. Vide Suarez 4.tom. disput.16.sect.3. in ordinatione tamen datum incompleta, & inchoata potestas absoluendi. Ita Angel. v. Confessio. 3. *Maior hîc, q.1. Panorm. clem.1.de priuileg.n.16. Anton.3.part.tit.17.cap.4. Hostiens. Summa tit.de pœn.& remiss.* §. Cui, *completur autem quando datur iurisdictio iam ordinato, cuius non ordinatus est incapax.*

12 De quarto articulo, potentia actiua, cui statim correspondet passiua, & non est impedibilis, ipsa est semper potentia propinqua ad agendum: sed si est aliqua, cui non correspondet passiuum in natura statim, vel habito passiuo ipsa est impedibilis; dum est actu impedita, non est potentia propinqua, sed remota, vt habetur à Philosoph. 9. *Metaph. cap.*4. vbi vult, quòd actiuum, & passiuum habentia completè potentiam actiuam, & passiuam, statim agunt. Nec oportet addere, *nullo exteriori prohibente*, quia hoc includitur in ratione potentiæ; quod non est verum, nisi de potentia, vt dicit potentiam propinquam actui.

Text.10. *Potẽtia propinqua, & remota differunt, & quomodo?*

Ad propositum, potestas conficiendi statim habet materiam in natura, quia omnem panem triticeum: & est potestas non impedibilis; quia quandocumque aliquis attentat per eam facere in materia determinata, & debita, facit. Sed si hoc modo esset de claue, vtpote quòd statim corresponderet sibi pro materia peccator pœnitens, & non posset per actum alicuius alterius impediri, quin intendens vti ea, faceret quod facere intendit; tunc clauis esset potestas propinqua ad absoluendum, & tunc sequeretur quòd Sacerdos ex hoc, quòd ordinatus, posset quemcumque peccatorem sibi confitentem absoluere (non quidem quòd posset licitè, sed peccaret mortaliter, si hoc attentaret contra prohibitionem superioris) faceret tamen, sicut Sacerdos prohibitus quantumcumque, si attentat consecrare, consecrat.

Potestas clauis est remota, impedibilis.

13 Sed hæc duo supposita communiter non tenentur: non enim tenetur saltem primum, scilicet quòd ex ordine habeat materiam: sed oportet aliquem subditum sibi dari, in quem habeat iurisdictionem; non solùm ad hoc, quòd ritè absoluat, sed ad hoc, vt simpliciter absoluat: quia sententia à non suo iudice lata est nulla: & ita videretur etiam dicendum de secundo, quòd posset superior ad tempus subtrahere subditum per suspensionem istius: & tunc potestas istius impediretur simpliciter, ita quòd si attentaret absoluere, non absolueret de facto.

A superiori scilicet, non ab ipso subdito.

Est ergo secundùm sententiam istam potestas conficiendi potestas propinqua: sed clauis est potentia remota: tum quia ex hoc, quòd est clauis in aliquo, non correspondet sibi passiuum aliquod, nisi aliunde fiat sibi passiuum: tum quia si est in aliquo potest impediri per aliquem superiorem prohibentem. Et ratio dissimilitudinis fortè poneretur, quia à principio nulli nocuit nec ordinationi Ecclesiæ, quod quicumque Sacerdos quamcumque materiam consecraret: nocuisset autem si per collationem clauium in ordine quilibet Sacerdos fuisset iudex cuiuscumque pœnitentis, & potuisset quantumcumque prohibitus exequi actum clauis: quia in hoc iste posset facere præiudicium alij, cuius iste est subditus.

Potestas cõficiendi est propinqua inimpedibilis.

1. de cœlo. Quomodo ergo secundùm istam viam communem saluabitur ista propositio *Omni potentiæ actiuæ correspondet passiua?* In natura enim, si aliqua esset potentia actiua, cui non posset correspondere passiuum, nisi per aliquam potentiam actiuam; illa prima non esset potentia actiua: ergo à simili hîc cùm per clauem non possit isti correspon-

dere

dere materia nisi per aliam potentiam actiuam, scilicet iurisdictionem; sequitur quòd clauis non sit potentia actiua.

Ex hoc posset confirmari de ista potestate iudiciaria: nullus enim videtur posse habere potentiam iudicandi, cui nullus subest, vt iudicabilis ab eo: ergo clauis, vnde clauis non est potestas iudicandi. 14

Si dicas, quòd potentia actiua quantumcunque sit perfecta, tamen requirit materiam; verum est, & potestas conficiendi requirit materiam, scilicet panem, sed tamen statim quando habetur potestas conficiendi, non oportet requirere aliam potentiam actiuam, ad hoc quòd panis sit consecrabilis: si enim oporteret ad hoc, quòd esset consecrabilis, quòd esset dominus illius panis, iam potestas Sacerdotalis non esset potestas conficiendi nisi remota. Ita in proposito benè oportet, quòd aliquis sit pœnitens offerens se isti, vt absoluat: sed si non potest esse materia absolubilis, nisi fiat talis per aliam potentiam concurrentem, ista non videtur esse potentia actiua absoluendi.

Istæ rationes benè probant potestatem datam in ordinatione non esse cōpletā, sed inchoatam, & sic loquuntur Maior hîc qu. 1. Ang. Panor. Hostiens. S. Ant. citati in Scholio.

Consimiliter ista propositio est vniuersaliter vera in naturalibus, quòd *quando potentiæ actiuæ vnius rationis correspondet primò potentia passiua vnius rationis, cuilibet sub ista, correspondet quodlibet sub illa, si non sit defectus virtutis actiuæ*: sed non est sic in proposito, quia vni claui correspondet iste, vt absolubilis, & alteri non; nisi dicatur, quòd claui correspondet, non peccator, vt pœnitens, sed peccator subditus pœnitens.

COMMENTARIVS.

19 *Articulus quartus. Quomodo Sacerdos recipit potestatē absoluendi.*

DE *quarto articulo*, &c. Circa materiam huius articuli variæ sunt sententiæ, & modi explicandi: difficultas enim est, quo modo Sacerdos recipiat potestatem absoluendi, & ligandi in sua ordinatione à Christo si nequeat in actum, non solùm licitè, sed neque validè, nisi accedat authoritas Ecclesiæ tribuentis potestatem ordinariam, aut delegatam in ordine ad absolutionem. Aliqui dixerunt clauem potestatis, & iurisdictionis in ministro non distingui ab ordine, & consequenter Sacerdotem ex vi characteris Iure diuino habere potestatem absoluendi proximam, sicut & consecrandi; quamuis omnibus promiscuè sit prohibitum Iure canonico absoluere sine approbatione Ecclesiæ, & peccaret absoluendo confessarius, & pœnitens accedendo, nisi accederet bona fide, qua supposita validè absolueretur, quia non haberet obicem illum peccati ex illicito accessu propter bonam fidem, & aliàs esset dispositus, & sic à quocunque Sacerdote absolueretur validè. Ita Durandus *in 4. dist. 19. quæst. 2.* quem secutus est Richardus Armachanus *lib. vndecimo quæstion. Armenorum à cap. 1. vsque ad 6.* Alij dixerunt recipere quidem potestatem habitualem absoluendi, sed quæ impediri possit ab Ecclesia prohibente. Ita Nauarrus *in Summa cap. 4.* Alij dicunt recipere quidem & dari in ordinatione iurisdictionem per modum potentiæ remotæ, inchoatæ, & dependere ab Ecclesia, quam nequit exercere nisi in subditum, quem recipit ab Ecclesia. Alij, licèt in re ipsa non sit magna differentia, in verbis dissentiunt, asserentes, totam iurisdictionem recipi ab Ecclesia, & solùm in ordinatione recipi potestatem ordinis. In re ipsa differentia non est, sed in verbis, & modo explicandi inter has duas vltimas sententias; sed prior modus est magis accommodatus, vt videbitur, quem sequitur Doctor, & post eum plures alij, & Maior *quæst. 1. ad finem.* Paludanus *quæst. 2.* Angelus *verbo confessio 3.* Antonin. *3. part. tit. 17. cap. 4.* & alij, contra primam sententiam, quæ est falsa.

Prima sententia.

Iure diuino Sacerdotē habere potestatē absoluēdi validè independenter ab Ecclesia.

Tenet Durādus & Armacanus.

Secunda sententia. Habere potestatem habitualem, quæ impediri potest.

Tertia sent. Dari remotam.

Quarta sententia nullam habere nisi ab Ecclesia.

20 *Prima concl.* Prima sit conclusio. Potestas iurisdictionis, & ordinis sunt distinctæ, vt ordo respicit præcisè consecrationem Eucharistiæ, neque illa confertur, dum quis ordinatur respectu materiæ; saltem necessariæ, ex vi characteris Sacerdotalis. Conclusio intelligitur de potentia proxima absoluendi, est Doctoris hîc, & communis Theologorum *dist. 16. in 4. & 17.* Probatur quoad primam partem, quia Apostoli priùs fuerunt ordinati cum potestate in corpus Christi verum, quàm receperūt claues aperiendi, & claudendi, quæ datæ sunt *Ioan. 20.* post resurrectionem: ordinati autem sunt in cœna, & in ordinatione Sacerdotis priùs datur ei vna potestas, quàm alia. Probatur conclusio quoad secundam partem, ex Florentino definiente ministrum huius Sacramenti esse Sacerdotem habentem iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Concilium autem definit tantùm essentialia, & per se requisita. Tridentinum definit absolutionem esse actum iudicialem, & sententiam, *cap. 7. sess. 14. Quoniam igitur*, inquit, *natura & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem*, &c. Supposita hac definitione, & interpretatione Ecclesiæ, quam adducit Concilium, facilis est ratio conclusionis, quia cùm totum hoc dependeat ab institutione Christi, ita contigit in re de facto, prout Ecclesia docet, quæ in hoc errare non potest. Secundò, ab inconuenienti, quia si haberet absolutam, & proximam potestatem absoluendi ex iurisdictione diuina, seu ex vi characteris, Ecclesia non posset eam limitare, quin validè fieret quidquid contrà tentaretur, sicut patet in potestate, quam recipit vi characteris, in corpus Christi verum, quod validè conficit Sacerdos præcisus, & degradatus. Tertiò potestas absoluendi in quocunque esset ordinaria, & nulla esset delegata, contra Concilium. Quartò, veritatem conclusionis supponit Lateranense *in cap. Omnis vtriusque sexus*, &c. vbi dicitur non posse aliquem confiteri alieno Sacerdoti sine licentia proprij, cùm ille alioquin eum absoluere non

Ex vi characteris, vt respicit corpus verum Christi non dari potestatem absoluendi. Probatio. Hæ potestates diuisim datæ sunt.

Florent.

Trident.

Ratio multiplex conclusionis.

Lateran.

non posset. & *cap. Si Episcopus, &c. de pœnit. & remissionibus in 6.* dicitur nulla consuetudine induci posse, vt quis sine licentia sui superioris posset confessarium eligere.

Quoad hoc est difficultas, vt respondeatur fundamentis aduersariorum.

21 *Obiectio & fundamenta primæ sententiæ.*

Obiiciunt primò, quia datur potestas absoluendi in ordinatione per illa: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Secundò, Ecclesia nequit dare iurisdictionem vllam in peccata, quia hæc delentur ex virtute Sacramenti: ergo iurisdictio, in qua fundatur eorum remissio, est data à Christo Sacerdotibus, & non ab Ecclesia. Tertiò, aliàs Papa nequiret absolui, cùm nullum habere possit lege humana superiorem; exercitium autem iurisdictionis est respectu inferioris. Quartò, *cap. Placuit, de pœn. dist. 6.* Vrbanus secundus ita statuit: *Placuit vt deinceps nulli Sacerdotum liceat quemuis commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere*: ergo ante illam prohibitionem licuit cuiuis absoluere quemuis. Hæc omnia vnam habent solutionem, explicádo quomodo hæc iurisdictio insit Sacerdoti, in quo varii sunt Doctores.

Variæ sententiæ de iurisdictione Sacerdotis.

Prima sententia.

In primis opinio Nauarri allata impugnatur sufficienter per rationem secundam pro conclusione, quia si habet potestatem absoluendi proximam in habitu potest reduci ad actum validè, remittente etiam Ecclesia.

22 *Secunda sententia. Dari illam ab Ecclesia. Impugnatur. Recipit Sacerdos potestatē à Christo.*

Respondent ergo *Can. relect. 5. de pœn.* Ledesma 2. 4. *quæst.* 22. Turrecremata *lib. 1. Sum. de Ecclesia cap. 98.* & citatur S. Bonauentura, recipere Sacerdotem eam iurisdictionem ab Ecclesia; requiri tamen vt sit primùm ordinatus. Hæc opinio impugnatur ex secunda ratione præmissa pro aduersariis; quia claues aperiendi, & claudendi dicuntur à Christo concessæ Sacerdotibus, quas nequit conferre Ecclesia, sicut nec instituere Sacramenta.

Sententia Tertia Caietani.

Duplex potestas actiua, & passiua.

Respondet Caiet. *tomo 1. opusc. tract. 7. qu. 1.* cum distinctione, quòd alia sit potestas iudicandi actiua, quæ est efficax ex parte principij, qualis est in Principe, quam non recipit à subditis: alia verò est potestas, quæ deriuatur ab eo, qui iudicandus est, sicut potestas arbitraria, quæ à partibus hoc ipso, quòd se subiiciant, deriuatur, & hæc vocatur ab eo passiua, quæ oritur ex ipsa materia, in quam exerceri potest iudicium: principium absolutionis non est potestas iurisdictionis secundùm ipsum, sed ordo: potestas iurisdictionis ad hoc tantùm concurrit, vt applicetur materia constituens peccatorem subditum.

Impugnatur.

Sed hæc distinctio inutilis est, quia fortè verbis differt à sententia communi: principium ergo absolutionis, cùm actus sit iudicialis, iurisdictio ex Conciliis, non autem ordo: vnde minister definitur habens auctoritatem ordinariam, vel delegatam, quod necessariò ex parte principij oritur.

23 *Secunda conclusio. Iurisdictio datur in ordinatione. Subditum recipit ab Ecclesia Sacerdos. Illa potestas est remota.*

Secunda conclusio sit, Sacerdotem recipere potestatem ligandi, & soluendi à Deo in sui ordinatione, quæ potestas nequit reduci in actum secundum, nisi respectiuè ad subditum, quem recipit ab Ecclesia tantùm, quæ habet claues iurisdictionis applicandi materiam in re ipsa, id est, dare subditum. Vnde potestas illa est remota, donec accedat actus iurisdictionis Ecclesiæ applicantis subditum, & in tantùm ei subditum, in quantùm Ecclesia eum subdit, vel in parte, vel in toto respectiuè ad peccata, quæ potest reseruare.

Modus hic declarādi cōmunis est.

Hanc conclusionem vt communem doctrinam tradit Doctor in præsenti articulo: eam autem declarat magis, quàm probat; quia supponit eam esse doctrinam Ecclesiæ, & fidei, quia sententia à non suo iudice lata est nulla. Etiam Tridentinum *sess. 14. cap. 7.* dicit sententiam non fieri nisi in subditum, idque spectare ad rationem iudicij.

Modus dicēdi Suarez.

Suarez alium modum loquendi præfert, quo dicitur Sacerdos recipere suam iurisdictionem ab Ecclesia, cùm dat ei subditos, & non habere iurisdictionem ab ordinatione. Primò, quia Concilia videntur agnoscere iurisdictionem recipere solùm ab Ecclesia, & nullam aliam mentionem faciunt, nisi ordinariæ, & delegatæ, in quas diuiditur iurisdictio recepta ab Ecclesia. Secundò, quia Concilia dicunt Sacerdotem posse carere omni iurisdictione, quod non esset verum, si haberet ex sua ordinatione iurisdictionem. Tertiò, quia Tridentinum loco *suprà* citato agnoscit iurisdictionem, & subiectionem esse correlatiua. Deinde, quia solus character ordinis impropriè dicitur iurisdictio, vt extenditur ad corpus Christi mysticum: quia non potest exercere actum donec aduenerit iurisdictio.

24 *Præfertur modus explicandi Doctoris.*

Cæterùm quantùm ad modum loquendi Scripturæ, Patrum, & Conciliorum meliùs seruatur à Doctore, & magis propriè declaratur ipsius rei natura. Quamuis enim Ecclesia det iurisdictionem alicui qua tantùm ad subditos, vt sæpè contingit in iis, qui assumuntur ad Parochias, & Cathedrales, antequam sint ordinati Sacerdotes, & Episcopi, recipiunt iurisdictionem omnem, quam nata est Ecclesia dare respectiuè, quoad subditos tum; sed non habent vllam iurisdictionem absoluendi, aut ligandi in hoc foro, inferiorem, donec ordinentur: oportet ergo iurisdictionem directè ligandi, & absoluendi, quantùm est ex parte potestatis, eis conferri per ordinationem ipsam completam in Sacerdotio.

Probatur ex Scriptura esse potestatē cōmunicatam à Christo.

Quod patet ex Scriptura Ioann. 20. & Matthæi 16. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ergo potestas iudiciaria per claues ipsis datur in peccata; hæc autem est iurisdictionis propriissimè sumptæ, quia hæc potestas data eis in ordine ad ferendam sententiam huius fori tanquam iudicibus, sicut & Sacramentum, quod ministrant, institutum est per modum iudicij: vt patet ex Trid. *sess. 14. cap. 2. cap. 5. & 7. & 8.* Trident.

in quibus manifestè docet Concilium ex diuina institutione Sacerdotes esse iudices in hoc foro: idque expressè colligit cap. 1. *Dominus autem*, inquit, *Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflauit in Discipulos suos, dicens, Accipite, Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum successoribus fuisse communicatam vniuersus Patrum consensus semper intellexit*, &c.

Definitio Ecclesiæ.

Et subdit meritò damnatos fuisse Nouatianos olim ab Ecclesia, qui hanc potestatem à Christo datam esse Sacerdotibus, sicut ipsum Concilium damnat modernos, quia verba illa in alienam sententiam transferunt: non potest ergo negari, & perspicuis verbis, & facto datam esse potestatem ligandi, & absoluendi in ordinatione Sacerdotij: & dari tam propriè, quàm

quàm hoc Sacramentum, cuius ipsi sunt iudices, & ministri, institutũ est per formam iudicij.

25 Idem Concilium *cap.5.* dicit Christum ascendentem in cœlum Sacerdotis sui ipsius Vicarios reliquisse, tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, &c. qui pro potestate clauium remissionis, aut retentionis sententiam pronuntient; certum est iudicem constitui potestate concessa, propriè loquendo, in officio iudicis, & claues designant potestatem ligandi, atque soluendi, quas non recipit Sacerdos ab Ecclesia, sed à Christo in sua ordinatione, quæ designant potestatem prædictam, cuius ratione ligatur, & soluitur. Item *cap. 6. in initio capitis*, damnans eos, qui dicunt illa Christi, *Matth.16. Ioan.20.* non ad solos Sacerdotes, & Episcopos referri, tandem *infrà* subdit.

Trident. Sacerdotes Christi Vicarij in hoc tribunali.

Iudex potestate constituitur.

Docet quoque etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere. Item *cap. 8.* docet claues Sacerdotum non ad soluendum tantùm, sed ad ligandum concessas esse; vt antiqui Patres & credunt, & docent. Ad idem facit *can.3.* Item *23. can.4.* vbi definit per illa verba in Sacerdotum ordinatione, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. conferri ab Episcopo aliquid Sacerdotibus, nempe Spiritum sanctum, & characterem. Ex quibus patet Sacerdotes ex sua ordinatione verè, & propriè recipere potestatem, qua constituuntur iudices, & ministri in hoc foro: ac proinde iurisdictionem recipere, per quam duntaxat constituuntur iudices, & ex qua procedit sententia iudicialis. Ergo dici non debet, vel hanc recipere ab Ecclesia eum approbante in ordine ad subditos, vel non posse propriè vocari iurisdictionem: nam inter duo extrema, quorum vnum tangit virtutem, & potestatem clauium diuinitùs concessam Sacerdoti in sua ordinatione: & ex altera parte iurisdictionem, quam recipit ab Ecclesia, sicut neutrum euacuat aliud; ita etiam proprietas, & modus loquendi debet temperari, ne in alterum extremum declinetur, quasi illud solum affirmaretur cum exclusione alterius.

Trident. Verba expressa.

26 Dico ergo cum Doctore propriè loquendo, remissionem peccatorum ex integro prouenire ex potestate clauium, quam minister accepit in sua ordinatione tanquam à principio, seu potestate, per quam directè fiat ipsa remissio: quia remissio fit virtute Sacramenti, & directè per absolutionem, quæ est vsus clauis, & per ministrum ex diuina institutione, non per aliquam institutionem humanam Ecclesiæ, quæ nullam habet potestatem instituendi Sacramenta, aut eis efficaciam vllam tribuere, aut variare substantiam, quæ habent efficaciam, seu effectum, secundùm quòd instituta sunt à Christo, & mediante sola institutione Christi. Vnde sicut Ecclesia recipit tantùm iurisdictionem fori externi, mediante quâ nequit remittere peccata, ita quidquid in hac potestate facit directè, non concedit auctoritatem dimittendi, propriè dico, & directè. Quia tamen auctoritas concessa Sacerdotibus in sua ordinatione non tollit authoritatem cõcessam Ecclesiæ iurisdictionis, subordinationis, & Hierarchiæ, quam in personas omnes habet, ideò huic authoritati subordinatur potestas clauium indirectè, quatenus determinatio, & concessio personæ, in quam exerceri possit sententia directè spectat ad Ecclesiam. Vnde Tridentinum sess.14.c.6. *Quoniam igitur*, inquit, *natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur*, &c. Quamuis ergo Sacerdos recepit à Christo potestatem absoluendi à peccatis directè, & quando absoluit, absoluit in persona Christi, vt Vicarius eius; & in virtute potestatis illius, à quo data est, quia tamen illa potestas, vt validè exerceatur, requirit subditum, in quem feratur sententia, quem non habet Sacerdos ex sua ordinatione; sed debet recipere ab Ecclesia, quæ sola in subditos habet potestatem per se, & reliqui dependenter ab ipsa, seu ex eius concessione. Hinc manet suspensa potestas clauium, donec per Ecclesiam reducatur ad actus; potestas enim Sacerdotis est quasi arbitraria dependens à voluntate alterius in exercitio, qui se ipsi liberè subiicit in materia libera: verbi gratia, peccatorum venialium, vel si sunt mortalia, ob quæ tenetur Ecclesiæ, eidémque satisfacere, non ex voluntate sua potest se subiicere, sed ex authoritate Ecclesiæ: ideóque Ecclesia potest limitare subiectionem, & modum eius quoad aliqua peccata, quæ reseruare potest determinatis ministris, ita vt de talibus nequeant absoluere, quia Ecclesia non vult personam subiici quibuscumque, sed particularibus personis. Hanc auctoritatem Ecclesia in Ordinario per reseruationem exercet, non quoad actus internos, sed externos.

In virtute potestatis recepta à Christo Sacerdos absoluit.

Depẽdet exercitium clauis ab Ecclesia.

Sacerdos non habet subditum ex sua ordinatione.

Ratione peccati mortalis tenetur reus satisfacere Ecclesiæ.

Hinc patet ratio assignata à Doctore, seu disparitas inter potestatem consecrandi, & absoluendi, quòd illã nequeat Ecclesia validè suspendere, quoad nullitatem actus, quem facit, si attentetur, quia illa potestas, cùm habeat materiam in re ipsa independenter ab Ecclesiæ iurisdictione, & cõsensu, est potestas proxima nulli alteri subordinata: non ita potestas absoluendi, quæ non habet materiam independenter à consensu, & auctoritate Ecclesiæ, manet suspensa donec accedat approbatio Ecclesiæ respectiuè ad designationem subditorum, quam tribuit, vel ratione muneris, & officij, ad quod aliquem assumit, vt ratione beneficij, cui annexa est cura animarum, & hæc vocatur ordinaria; vel tantùm delegat auctoritatem personæ, quæ dicitur delegata, quia non ex munere conueniens. Et sic intelligitur habere auctoritatem vno, vel altero modo confessarius ab Ecclesia. Ex quo patet ad primam rationem Suarez, & ad secundam similiter: quia carere omni iurisdictione potest distribuere vel pro iurisdictione, quam habet, siue ex ordinatione, siue ex auctoritate Ecclesiæ deputantis subditos, & sic falsum est quod assumitur, quia oppositum ex Patribus vniuersim patet. Si distribuat pro iurisdictione secundo modo sumpta, verum est, sed consequentia est nulla. Ad tertium, patet intentum Tridentini ex dictis. Quoad alterum membrum etiam falsum est assumptum, nec tollit rationem potestatis, ex eo quòd dependeat ab aliquo, sine quo manet suspensa; nam potestas absoluendi etiam dependet à potestate scientiæ, seu cognitionis causæ, ab informatione, & aliis requisitis ex parte rei, & quando causa est mixti fori, requiritur concursus auctoritatum, vt iudicis, verbi gratia, ciuilis, & Ecclesiastici; & tamen non

27

Differẽtia inter potestatem consecrãdi, & absoluendi respectiuè ad materiam.

Soluuntur rationes Suarez.

non destruit hoc, quin auctoritas subsistat; peccator autem est subditus Ecclesiæ, & non Sacerdoti; ideò nequit cognoscere de persona eius sine auctoritate Ecclesiæ.

28 *Iudices chartularij.* Exemplum huius potestatis, quam in ordinatione sua accipit Sacerdos, quidam ponunt in iudicibus, qui ex lege imperatoria dicebantur chartularij, de quibus Syluester, *v. Iudex* Nauar. *in cap. Placuit.* glossa *in l. 1. ff. de iudiciis*, & fit mentio *in l. 3. C. de Canone largitionum titulorũ*, &c. Hi non instituebantur ordinarij alicuius causæ determinatæ, aut vniuersalis, aut territorij: neque vt arbitri electi ex consensu partium habebant potestatem iudiciariam, sed ab Imperatore eam recipiebant, quoad eos, qui se vellent eorum iudicio subdere: exercitium ergo illius facultatis suspendebatur defectu materiæ: ita in proposito de potestate data Sacerdotibus absoluendi, & ligandi, quæ non habet materiam in re, nisi ei detur ab Ecclesia; sed differentia est, quòd chartulariis quisque se posset subiicere ex priuato arbitrio, non ita in proposito. Ordinariam potestatem habet Pontifex in totam Ecclesiam Iure diuino: Episcopi, Parochi, Superiores religionum respectu subditorum suæ curæ commissorum; delegatam habet quisque respectu subditi alterius, aut proprij, quando casus est superiori reseruatus. Ordinaria potestas dicitur, quia de iure communi statuta est. Delegata, quæ à voluntate concedentis semper dependet, ad libitum reuocari, ampliari, coarctari potest.

29 *Ad rationes Durandi.* Ex his patet ad rationes in oppositum, quia Sacerdotes accipiunt potestatem absoluendi in sua ordinatione, & Ecclesia tribuit eis subditos. Ex quo patet ad primum, & secundum. Ad tertium, Pontifex sicut alios in hoc foro subdere potest Sacerdoti, ita se ipsum, vt particularis persona est & pœnitens. *Quomodo Pontifex absoluitur.* Alij aliter respondent, nam Canus asserit, quòd Iure diuino quisque Sacerdos recepit auctoritatem ordinariam in Pontificem. Nauarrus videtur inclinare in hoc, quòd à Concilio deriuetur auctoritas absoluendi eum, sed hoc nequit dici, cùm Concilium sit inferius. Alij dicunt hanc datam esse Pontifici Iure diuino, vt possit suo confessori tribuere auctoritatem absoluendi se ipsum. Sed hoc non videtur necessarium. Panormitanus asserit eum non teneri ad confessionem, quod erroneum censet Almainus, & Vasquez. Alij in potestate libera, & non coactiua posse tribuere auctoritatem se ipsum iudicandi. Hæc ferè coincidit cum præmissa superiùs, nam quamuis Ecclesia tribuat materiam modo explicato, modus tamen consuetus loquendi Conciliorum est, eam tribuere auctoritatem, seu iurisdictionem absoluendi. Ad quartum, negatur consequentia, eo enim in capite agitur de iis, qui agebant publicam, & solemnem pœnitentiam: data enim consequentia, parùm refert, in defectu ministrorum potestatem cuique committere absoluendi pro bono communi alicuius loci, modò absoluti non sint inhabiles.

Plura in specie occurrunt differenda circa hanc auctoritatem absoluendi, quam Sacerdos ab Ecclesia recipit, quæ suo ordine hîc subiungemus.

Vtrùm facultas absoluendi in articulo mortis conueniat Iure diuino, aut Ecclesiastico Sacerdoti?

EAm facultatem esse Iuris diuini, & non Ecclesiastici, censet Durandus *in 4. dist. 19. quæst. 2.* quem sequitur Canus 4. *part. Rel.* Paludanus *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2.* Capreolus *in 4. dist. 19. quæst. 1.* Ruardus *art. 3. contra Caluinum.* 30 *Sententia affirmatiua.* Fundatur in hoc, quòd aliàs Christus non sufficienter prouideret periclitantibus, nisi relinqueret eam facultatem. Secundò, Ecclesia posset pro libito limitare, & negare talem facultatem. Tertiò, nescitur principium huius confessionis factæ ab Ecclesia in articulo, vel quando facta sit: ergo præsumendum est esse Iuris diuini potiùs quàm humani.

Conclusio: probabilius est hanc Iuris esse humani. *Conclusio esse ab Ecclesia.* quod tenet Soto *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4.* Medina *C. de confessione.* Ledesma 2. 4. *qu. 21. art. 6.* D. Bonauentura *in 4. dist. 19.* Maior *ibidem*, & alij. Hanc videtur supponere Tridentinum *sess. 14. cap. 7.* Trident. *Veruntamen piè admodum ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque adeò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt*, &c. vbi interpretari videtur hanc facultatem esse Iuris humani, non diuini. Confirmari potest, quia facultas absoluendi ab excommunicatione est ab Ecclesia collata: ergo etiam à peccatis. *Confirmatur. Absolutio à cẽsura est per Ecclesiam.* Patet consequentia, quia aliàs non posset absoluere à peccatis, qui non tolleret censuram: hoc tamen non obstante sufficienter prouisum est morientibus, quamuis illa facultas participetur ab Ecclesia. Ex quo patet ad rationem in oppositum, quia Christus in institutione Sacramenti, quod etiam in casu est efficax, sufficienter prouidit, quamuis applicationem materiæ commisit Ecclesiæ: in proposito, consuetudine ab initio introductum est, vt vnusquisque in articulo sit legitimus iudex.

31 *Dubium.* Difficultas est an hæreticus, & excommunicatus etiam præcisus possit absoluere in articulo mortis? *An præcisus absoluere possit.* In qua non conueniunt Doctores. Prima opinio est Soto *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4.* Nauarr. *in Summa cap. 26. num. 26. cap. 27.* Ledesmæ 2. *part. 4. quæst. 21. art. 6.* *Prima sent. Non cõuenire hæreticis, & Apostatis.* Negant ergo talem facultatem concessam hæreticis Apostatis. Benè tamen reliquis suspensis, excommunicatis, etiam schismaticis, vt docet Nauarr. Ratio huius non potest alia esse, quàm quòd Ecclesia negauerit hanc facultatem hæreticis, sed non inuenitur locus, vbi facta sit hæc arctatio. Alia ratio est Soti, quia carent fide. Sed hæc non valet, quia hæretici mentales, & occulti carent fide, tamen validè absoluunt. Secundò, quia efficacia Sacramenti non fundatur in fide ministri, modò habeat voluntatem faciendi quod instituit Christus, & facit Ecclesia. Alij docent, *Secunda sententia. Non conuenire nominatim excommunicato.* quòd neque excommunicatus nominatim, & denunciatus possit absoluere. Ita Couar. *cap. Alma mater.* Medina *C. de confessione*, & alij. Ratio, quia excommunicatio tollit iurisdictionem necessariam, etiam in articulo mortis. Hæc ratio non concludit, quia hic est effectus excommunicationis

nicationis non Iure diuino, sed humano, sicut nulla reseruatur in articulo, ita etiam potuit Ecclesia ordinare, vt tali effectu etiam careret.

Tertia sententia affirmatiua.

Tertia sententia est omnino affirmatiua, & videtur magis pia. Eam tenent Canus, Syluester, Maior, Vasquez *quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. citans alios.

Probatio.

Ratio est, quia sunt capaces talis iurisdictionis, nec inuenitur Ecclesia cuiquam reseruasse facultatem; & finis non reseruandi aliis currit in his, nempe salus pœnitentis, & Trid. *suprà* absolutè loquitur de quibuscunque sacerdotibus, neminem excipiendo.

Posse recipi ab omnibus, & petere Sacramentum in casu articuli.

Sed aliqui dicunt non licere petere ab hæretico, & excommunicato Sacramentum: quod puto falsum, quia eatenus concedit eis in casu facultatem, vt pœnitens ea vti possit in suam salutem: quòd alter malè ministrando peccet, est per accidens. Intelligitur totum secluso alio extrinseco impedimento quando non est periculum subuersionis pœnitentis, aut scandalum, aut particularis irreuerentia Sacramenti. His occurrentibus non esset petenda absolutio, aut acceptanda. Aduertendum, quòd hæc facultas, cùm sit concessa ratione necessitatis præcisè in præsentia aliorum non esse in simplicibus Sacerdotibus, quia tum cessat necessitas, cùm adsit qui habeat ordinariam, aut delegatam.

Quis sit articulus.

Articulum mortis huius priuilegij Canus, Couarr. Sorus explicant esse, quando videtur certa in causis naturalibus. Alij meliùs, vt Syluester, Nauarrus, Vasquez asserunt comprehendere etiam aliquid latius, vt bellum, morbum contagiosum: quia non videtur ratio aliqua restrictionis, & Bonifacius VIII. *in c. Eos qui, de sent. excom. in* 6. synonymè in eo casu vtitur articulo, periculo, impedimento mortis: loquitur autem de absolutione ab excommunicatione ratione articuli.

32 *De facultate absoluendi venialia.*

Petes quomodo se extendat facultas absoluendi ad peccata venialia, & quo Iure?

Prima sententia esse iuris humani.

Respondent Medina *cap. de Confess.* Nauarr. *in Summa cap.* 4. *num.* 5. *&* 6. *& in c. Placuit*, &c. *de pœnitentia dist.* 6. *n.* 22. *&* 23. hanc facultatem tantùm esse in proprio Sacerdote, aut ex eius commissione: docet tamen omnibus factam esse hanc facultatem. Fundamentum huius est, quòd absolutio est actus iudicialis, & sententia à non suo iudice lata sit nulla: quòd non sit locus colligendi hanc facultatem, nisi illud: *Quorum remiseritis peccata remissa sunt*, &c. Quòd si inde aliquid colligitur, sequitur etiam collatam fuisse omnibus facultatem iudicandi peccata mortalia.

Secunda sententia docet esse Iuris diuini.

Oppositam sententiam docent Soto *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.*.. Ruar. *art.* 3. *contra Caluin.* Caietanus *v. Absolutio.* Ledesma, Capreolus, Vasquez *dubio* 6. & alij. Hæc sententia videtur probabilior, quia venialia sunt materia libera, quæ non cadunt sub iurisdictione necessaria huius Sacramenti, ideò nequeunt reseruari: & liberum est ea non confiteri. Supposito ergo quòd in arbitrio pœnitentis sit ea confiteri, vel non, ipse poterit applicare materiam Sacerdoti. Hæc ratio non cogit; sed parum refert etiam vnde proueniat facultas absoluendi, cùm omnes eam habeant præter excommunicatum, cui interdicitur omnis administratio Sacramenti, validè tamen absolueret supposita hac vltima sententia, sicut & consecraret.

Quid si aliquis habeat mortalia, & venialia, & non habeat copiam alterius Sacerdotis?

Simplex absoluit indirectè à mortalibus in casu.

Iam responsum est ad hoc *suprà*, quia eadem est ratio sicut de reseruatis, tenetur ea omnia confiteri, & potest in necessitate absolui indirectè, si sit articulus mortis directè.

33 *De mortalibus confessis quid dicendum.*

Sed quid de peccatis mortalibus iam confessis, & absolutis ab habente iurisdictionem.

Prima sent. Nō posse simplicem Sacerdotem absoluere.

Respondent Medina, Sorus, Nauarr. Ledesma, non esse concessam auctoritatem Iure diuino ea absoluendi, quia est ex genere suo materia, quæ postulat iurisdictionem.

Sententia cōtraria.

Ruardus, Paludanus, Vasquez asserunt Iure diuino id competere Sacerdotibus quibusuis, quia est materia libera, quæ nequit reseruari.

Casus.

Hinc patet solutio eius casus: An possit quis obligari ad confessionem eiusdem peccati bis, verbi gratia, habet quis casus reseruatos, à quibus in necessitate absoluitur ab inferiori.

An teneatur adire mox superiorem, vel possit ad hoc cogi per reseruationem iurisdictionis in tali articulo.

Responsio Vasquez.

Respondet Vasquez dubio citato, si non sit annexa excommunicatio, non posse, quia illa peccata confessa, & remissa sunt, ac proinde nihil ampliùs est in ipsis, quod remissione indigeat, cuius ratione petenda esset absolutio superioris.

Dices, vt imponatur pœnitentia à superiore.

34 *Replica. Soluitur.*

Contrà, quia nulla iurisdictio competit superiori in hoc foro ad imponendam satisfactionem nisi ratione iurisdictionis, qua potest ad seipsum reuocare de integro causam principalem, scilicet confessionem peccati remissi confessi, & iam absoluti; hanc non habet: ergo.

Si annexa sit reseruationi censura, tunc tenetur ratione censuræ recurrere ad superiorem ad recipiendam vltimam sententiam; vt patet *cap. Eos qui, de sentent. excommunic. in* 6. Henricus *quodlib.* 1. *qu.* 1. & Gerson asserunt posse seclusa censura obligari ad iterum confitendum, quatenus sub ea conditione daretur ei licentia confitendi, vt teneretur ad hoc, iuramento, aut voto, non est dubium obligari posse, & indicatur statutum quoddam Cisterciensis in eam rem, quod confirmauit Sixtus IV. Hoc statuto præcipitur, vt confessi fratres suis confessoribus ordinariis, teneantur eadem peccata confiteri in fine anni Abbati suo.

35 *Communis sententia, non posse obligari quempiā extra proprium consensum, vt bis confiteatur idem peccatum.*

Communior opinio est non posse præcepto superioris, aut lege etiam Ecclesiastica obligari pœnitentem ad confitenda peccata semel confessa extra casum proprij consensus: quam tenent Gerson *lect.* 2. *super Marcum Alphabet* 16. Dion. Cisterc. *in* 4. *dist.* 23. *art.* 2. Nauar. *in Summa cap.* 9. *num.* 1. *cap. Placuit, de pœnitentia dist.* 6. *num.* 106. *vsque ad* 119. Holcot *in* 4. *quæst.* 1. Durand. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 15. *num.* 20. D. Thomas *quodlib.* 1. *art.* 12. Medina *C. de confessione fratribus priuilegiatis facta.* Paludanus extra causam reseruationis, idem docet.

Opposita sententia.

In contraria opinione est Maior *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 6. Adrian. *in* 4. *q.* 5. Angelus *v. Confessio.* Henricus etiam citatur *quodlib.* 1. *quæst.* 32. quam tenuit Vasquez *qu.* 91. *art.* 3. *dub.* 7. sed retractauit *infrà quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 6. Fundamentum huius sententiæ est Extrauagans Martini V. quod non extat tamen.

Extrauagans Martini V.

In eo præcipitur, vt confessi intra annum fratribus teneantur confiteri semel in anno proprio Parocho. Sed hæc nihil conuincunt, quia non intendit, neque exprimit eadem peccata confitenda esse, sed alia; & reseruat confessionē Paschalē, quæ

quæ est præparatio ad Eucharistiam proprio Sacerdoti, subtrahendo pro tunc facultatem absoluendi mendicantibus. Statutum Cisterciense intelligendum est de cōsensu religionis factum, quamuis sine scientia, vt quidam volunt; sed neque id affirmandum est accedente Pontificis approbatione, & Religionis postulatione.

Statutū Ordinis Cisterciensis.

36 *Vtraque sententia dubia.*

Quoad hoc res omnino incerta mihi est: neque fundamenta vlla ex parte conuincunt: quia neque praxis aliqua, aut lex extra consensum pœnitentis, votum, aut iuramentum extat, quæ ad confessionem peccatorum iam aliàs confessorum obliget seclusa causa censuræ. Neque ex alia parte ostenditur Ecclesiam non habere talem potestatem præcipiendi: nam eadem ratio videtur esse, ac de peccatis venialibus, quorum tamen confessio potest esse sub præcepto, vt *suprà* dixi, & aliqua peccata sunt, in quibus sicut expedit fieri reseruationem, ita etiam hæc pœna adiungi potest, maximè quando absolutio eorum fieret in casu, & non à iudice suo ordinario. Et hoc fieri potest expedire pœnitenti, & saluti eius.

Aduertendum nos hîc non loqui in casu dubiæ confessionis, quia tunc de Iure diuino tenetur quis repetere sua peccata; sed in casu, quo quis existimaret legitimè se esse absolutum, & confessum: vt in confessario ponamus casum; potest esse talis, vt quando in necessitate quis absoluitur, & iudicaret confessarius expedire saluti pœnitentis, vt instructiorem accedat. Vtrùm eum absoluens iniungere posset eidem vt accederet ad alium instructiorem confessurus eadem ipsa peccata. Nec video repugnantiam vllam fini, aut institutioni Sacramenti; & recurrendo ad regulas communes iurisdictionis Ecclesiæ videtur eam posse præcipere, quidquid ad salutem expedit, & congruitas in casu exposito contingere potest in determinato statu, loco, aut persona, talis præcepti faciendi.

Quibus modis acquiritur iurisdictio necessaria in hoc foro?

37 *Prima cōclusio. Iurisdictio ex officio acquiritur.*

PRima conclusio. Acquiritur potestas absoluendi ex officio, cui annexa est cura animarum: hinc omnes Prælati, Archiepiscopi, Episcopi, Parochi, & vicarij horum, habent iurisdictionem ordinariam. Intelligitur de vicariis, quibus plena potestas commissa est; hanc tamen nequeunt Parochi committere secundùm aliquos, nisi approbato post Tridentinum, secundùm alios possunt; de quo *infrà*. Archiepiscopi nequeunt audire subditos Suffraganeorum, nisi tempore visitationis. Hanc etiam habent Prælati religionum, Generales, Prouinciales, Guardiani, Vicarij. Ratio, quia hæc iurisdictio sequitur ad officium.

38 *Secunda conclusio Acquiritur consuetudine.*

Secunda conclusio. Aliquando acquiritur talis iurisdictio consuetudine, scientibus, & non repugnātibus Superioribus, cùm commodè possint repugnare, quia tunc videntur consentire; si tamen nesciunt, vel si sciunt, non audent impedire, non acquiritur. Ad hoc refertur *cap. 2. de pœnit. in 6.* Primus casus conclusionis fundatur *in cap. Contingat, &c. de foro competenti.* Eam tenet Nauar. *in cap. Placuit, &c. de pœnit. d. 6.* Non sufficit autem ad hoc consensus interior superioris, nisi aliquo signo exprimatur: neque etiam præsumptio de animo eius, quasi gratum ei foret.

Requiritur consensus exterior.

Tertia conclusio. Ratihabitio non dat iurisdictionem sufficientem: est communis. Ratio est, quia ipsa iurisdictio debet antecedere actum iudicialem in ministro; ratihabitio autem consequitur factum, & solùm in contractibus, & causis ciuilibus retrotrahitur, & comparatur mandato; id tamen intelligendum est in iis, quæ solo mandato agi possunt; vt docet Paludanus, Medina, Nauarrus: verbi gratia, quando quod gestum est à procuratore, ratum fit à domino. Et in genere, quando post facta suppleri possunt à Iure, quæ aliàs erant nulla; vt quòd obligatio antiquitatem suam sortiatur per subsequentem ratihabitionem. Nequit autem Ius supplere defectum essentialem in Sacramento, qui contingit ex carentia iurisdictionis prærequisitæ in ministro. Contrarium huius non rectè docuit Paludanus *in 4. d. 19. q. 2. art. 3.* quem probat Capreolus *ibid. q. 1.* Asserunt etiam posse aliquem peccata mortalia confiteri alicui non habenti facultatem sub spe ratihabitionis faciendæ à proprio Sacerdote; (proprius dicitur *ex cap. Omnis vtriusque sexus, &c.* superior ordinarius: alienus, qui non habet iurisdictionem, quibus terminis vtūtur deinceps Iuristæ.) Quam sententiam docuit Hostiensis, & Nauar. sed post Florentin. & Trident. nequit ampliùs sustineri cum probabilitate, nisi ratihabitio sit præsens, non futura, & antecedens ad absolutionem. Satis est ad hoc consensus proprij Sacerdotis.

Ratihabitio non dat iurisdictionem huius fori.

Sentētia contraria.

Quarta conclusio. Dubitans an habeat iurisdictionem absoluendi in omnia, aut alia peccata confitentis, si posita diligentia adhuc dubius sit, satiùs omittit absolutionem ob reuerentiam Sacramenti. Ratio, quia in administratione Sacramentorum tutior pars est eligenda in opinionibus, quanto magis in dubiis, & in proposito currit periculum pœnitentis: si tamen absoluat in dubio, debet ei intimare, vt eadem peccata alteri pro securitate confiteatur denuò. Hoc non currit in eo, qui incepit bona fide possidere beneficium, cui annexa est cura animarum, quamuis postea de titulo suo dubitet: quia talis sicut licitè possessionem, quam bona fide adiecit, retinet in dubio; ita & omnia annexa, vt est iurisdictio absoluendi. Quando etiam notabilis aliqua necessitas vrget ad confessionem, si Sacerdos habeat iurisdictionem in aliquo, quamuis dubitet de aliis, vt si sint reseruata, tunc licitè absoluit, quia etiam in tali casu potest absolutio indirecta dari quoad ea peccata, quæ sunt reseruata.

39 *Quarta conclusio. Dubius de potestate non absoluat.*

Casus de eo qui dubitat de titulo bona fide acquisito.

In casu necessitatis grauis quid faciendum.

Conclusio quinta. Quandoque ex electione pœnitentis Sacerdoti confertur iurisdictio seclusa approbatione; vt quando pœnitenti de Iure, consuetudine, aut priuilegio datur licentia confitendi, cui vult. est communis. Explicandi sunt casus. In primis, quando proprius Sacerdos est ita ignorans, vt non habeat sufficientem scientiam ad administrandum hoc Sacramentū, tunc de Iure conceditur facultas adeundi alienum, etiamsi non sit approbatus, vt patet *cap. Placuit, &c. de pœnitentia, d. 6.* vbi Nauarrus. Est communis hæc sententia, quamuis Sotus, & Canus negent illam facultatem, asserentes reuocatam *in cap. Omnis vtriusque sexus, &c.* Sed hoc falsum est, quia ibidem tantùm Concilium determi

40 *Quinta conclusio. Acquiritur electione pœnitentis.*

Quādo parochus est ignorans potest adiri alius

Respōsio aliorum reycitur.

determinauit tempus confessionis, quod erat ex præcepto diuino, & non reuocat aliquod Ius antiquum.

2. Responsio eorundem reijcitur. Respondent denuò *in cap. Placuit*, comprehendi tantùm pœnitentias publicas, & solemnes, non autem secretas: sed hoc est magis diuinare, quàm explicare textum, qui aperte loquitur de Sacramento. Prohibet enim Pontifex, ne aliquis qui se vni commisit, & semel ab eo accepit pœnitentiam, postea ab alio recipiat pœnitentiam, vel ad hoc admittatur sine consensu Prioris. Intentio Pontificis fuit distinguere parochias, & earum iurisdictiones.

41 *Quando est periculum reuelationis sigilli adiri potest alius iuxta plures.* Alius casus est malitia Sacerdotis proprij, fundamentum trahens non ex ignorantia, vt si periculum sit reuelationis sigilli, aut solicitationis ad peccandum, vel huiusmodi, in quo variāt Doctores posse tunc in tali casu adire alienum, & ab eo absolui, tenet Richardus *d.* 17. *art.* 3. *q.* 7. Paludanus *q.* 3. *art.* 3. Gabriel *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. addens etiā casus, in quibus proprius esset suspensus, aut excommunicatus. Adrianus *q.* 5. *de confessione d.* 3. S. Bonauentura *in art.* 3. 1. Hostiensis *in cap. vtriusque sexus.* Syluester *v. Confessor* S. Thomas *d.* 21. *in expositione textus*, dicit assignari communiter dictos casus, vt liceat relicto proprio adire alienum.

Opposita sententia aliorū. Contrarium docet Cano 5. *Relectionis de pœnitentia*, Soto in 4. *d.* 14. *q.* 4. *art.* 2. Vasquez *q.* 93. *art.* 2. *dub.* 4. Probant in genere, quia requiritur iurisdictio ad absoluendum; nulla est in alieno, quia neque habet licentiam proprij Sacerdotis, neque Episcopi, neque Pontificis, neque ab Ecclesia, neque Iure conceditur ipsi, nisi quoad casum ignorantiæ. Ergo. *Præfertur prima sententia.* Prior sententia videtur mihi magis sequenda ex auctoritate Doctorum grauissimorum, quibus adiungi potest Magister *in* 4. *d.* 2. *in fine.* Anton. 3. *p. tit.* 7. *cap.* 4. & meritò vocari potest communior, & licèt alij casus non comprehenduntur expresse *in titulo illo, cap. Placuit*, comprehenduntur tamen similitudine rationis, & iuxta communem Iuristarum, *vbi est eadem ratio, decisio legis esse debet.* *Ex similitudine rationis.* hîc inuenitur eadem ratio, quia aliàs non esse sufficienter prouisum saluti pœnitentis, nisi in casu possit adire alienum, sicut contigit in casu ignorantiæ, nec debet Sacramentum hoc necessitatis aggrauari maiori onere: vnde sicut ex institutione diuina ob eandem necessitatem plura non requisita omittuntur (vt confessio integra, confessio verbalis, aut scripta, si aliàs nequit fieri, vt in casu Arausicani) quamuis aliàs sint institutionis diuinæ: ita etiam non præsumendum est de Ecclesia, quòd non voluerit restringere libertatem necessariam in casu, aut priuare Sacramento pœnitentem, qui nequit tuta conscientia in casu confiteri proprio.

42 *Obiectio.* Dices, confundetur tota Hierarchia, & regimen, quia quisque hoc prætextu calumniabitur Parochos, & Ordinarios; meliùs ergo erit auferre talem occasionem, cùm sufficienter sit aliàs prouisum per contritionem.

Soluitur. Respondetur contritionem quantùm ad omnem casum sufficere ad iustificationem, tamen pro maiori securitate Ecclesiam prouidisse, ne in casu subtrahatur etiam Sacramentum. Et quod additur de perturbatione regiminis, nihil est, quia si accedat parochianus ad alienum ex prætextu non fundato, sed ficto, nihil fit, neque absoluitur: ergo ex cura animæ suæ, qua vult confiteri validè, etiam præsumitur non aditurus alienum, nisi dispositus, & cum debita occasione, alioquin non potest subesse ratio fictionis.

Casum tamen de ignorantia intellige, quando non esset accessus ad Episcopum, aut alium approbatum. Probat *ex cap. Si Episcopus, de pœnit. & remission. in* 6. vbi dicitur, *In generali concessione illa non veniunt, quæ non esset verisimiliter in specie concessurus*, &c. Non est verisimile in proposito, quando esset alius approbatus, vel Episcopus præsens, quòd Ecclesia voluerit dare libertatem eligendi simplicem.

Secundò, quia aliàs non posset Episcopus prohibere ne simplex eum absoluat, quia habet potestatem à Pontifice, quam hic nequit coarctare. Anton. Palud. Sotus, Syluest. Gabriel. tenent contrarium, modò sit idoneus. Cæterùm, quæ dicta sunt de hoc casu, quamuis ante Tridentinum vera, & probabilia sunt, post Tridentinum habent difficultatem, nisi dicatur Concilium reuocare in hoc priuilegia, non Iura. *Seruandum statutū Tridentini, & quid de eo dicendum?*

Quoad alios in primis Pontifex ex Iure potest sibi eligere confessarium modo *suprà* expresso. 43 *Qui possit eligere confessorem.* Commensales Pontificis habent pro proprio Sacerdote Pœnitentiarium Pontificis, vt docent authores. Episcopi de Iure diuino non habent proprium præter Pontificem, habent tamen Iure humano facultatem eligendi sibi confessoris, quem volunt ex *cap. vlt. de pœnitentijs, & remissionibus*, &c. vbi vniuersaliter conceditur omnibus Prælatis hoc priuilegium, quo gaudent omnes Cardinales Episcopi, & Legati de Iure: qui autem non sunt tales, de Iure id non habent, sed consuetudine, vt docet Caietan. Sotus. *Priuilegium Episcoporum, & prelatorū.* Eodem priuilegio gaudent omnes superiores Religionum, quotquot nomine Prælati veniūt, vt Guardiani, Priores, Abbates, Prouinciales, Generales. Excluduntur Abbatissa, & Præposita Monialium. Eodem priuilegio gaudent ex consuetudine omnes Parochi, & etiam Sacerdotes, vt cuiuis possint confiteri, & non proprio, qui est Episcopus, aut Præpositus, &c.

Reges, Principes absoluti habent hoc priuilegium. *Quid de vagabundis, & alijs.* Vagabundi, peregrini, scholares alterius diœcesis, quamuis de Iure subsint Episcopo loci, in quo sunt, possunt tamen eligere Parochum pro libito: tamen vt refert Caietanus viuæ vocis oraculo declarauit Eugenius IV. iter agentes de Iure pertinere ad eam diœcesim, & Parochiam in qua inueniuntur tempore præcepti. *Oraculum Eugenij IV.* Dubium fuit ante Tridentinum, An ex priuilegio eligendi confessorem possint pœnitentes eligere etiam non approbatum ab Episcopo, & simplicem Sacerdotem. Hæc quæstio cessat post Tridentinum *sess.* 23. *decreto de ref. c.* 15.

Vtrùm confessi Religiosis priuilegiatis satisfaciant præcepto confessionis annuæ?

Ioannes Poliacus, & quidam alij in hoc olim errarunt. Illius tres propositiones damnauit Ioannes XXII. *in Extrauaganti, Vas electionis.* 44 *Errores Ioannis de Poliaco damnati.* Primò, quòd *cap. Omnis vtriusque sexus* stante confessis habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, teneantur eadem peccata semel in anno proprio Sacerdoti iterum confiteri. *Tres eius propositiones.* Secundò, quòd eadem lege stante, neque

Pontifex facere possit, quin eadem proprio Sacerdoti confiteantur parochiani. Tertiò, quòd stante eadem lege neque Papa, neque Deus possit dare licentiam generalem confitendi, quin confessus teneatur eadem peccata iterum proprio Sacerdoti confiteri: quem intelligebat esse Curatum. Hic error consistit in eo solo, quòd stante præcepto Concilij Lateranensis contradictorium erat non teneri semel in anno confiteri omnia sua peccata, etiam confessa proprio Parocho. Contrarium definitum est à Ioanne

Veritas declarata.

XXII. *Extrauag. Vas electionis*, &c. & Benedicto XI. *Extrauag.* 1. *de priuilegijs*, & patet ex declaratione Tridentini *sess.* 14. *cap.* 5. vbi declarat Lateranense, non præcepisse confessionem, sed tempus eius, quia confessio aliàs Iure diuino erat præcepta: Iure etiam diuino erat facienda proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia; cùm hoc etiam erat Iuris diuini, cùm absolutio sit actus iudicialis, supponens iurisdictionem; quæ necessariò est ordinaria, vel delegata, vt definit Florentinum, & Tridentin. Prima conuenit proprio Sacerdoti, delegata alteri de eius licentia, seu concessione: nihil ergo statuit circa Ministrum, aut præcepit quod aliàs non erat Iure diuino præceptum. Deinde proprius Sacer-

Proprius quis sit dicendus.

dos cuiúsque non est solus Parochus, sed Episcopus in sua diœcesi; Pontifex in tota Ecclesia, quorum licentia sufficiebat, vt de fide est: ergo errabat intelligendo proprium, de cuius licentia posset quis absoluere, solum Parochum. Tertiò errauit, quòd obligationem inducebat confitendi iam semel confessa: quia neque Iure diuino, neque humano id præcipitur, & communior opinio est non posse præcipi, licèt contrarium *supra* docuimus.

45 Alij interpretantur nomine proprij Sacerdotis Reguiares, quia habent iurisdictionem directam ex priuilegiis Apostolicis super pœnitentibus; sed non videtur mihi hoc quadrare textui: nam per proprium Sacerdotem intelligitur ordinarius non delegatus, cùm in ipso textu distinguatur ab alieno, cui de licentia proprij fieri potest confessio, *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua peccata confiteri, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote*, &c.

1. Conclusio.

Sententia erronea.

Conclusio prima. Sententia Ioannis de Poliaco inquantùm docebat eadem peccata deberi iterum confiteri Parocho, erat erronea vsque ad Martinum V. & Sixtum IV. quia neque fuit obligatio confitendi parochis, supposita amplitudine priuilegij concessi Mendicantibus; neque obligatio confitendi eadem peccata, vt declarat Ioann. contrarium damnans pro erroneo, & Benedictus XI. *Extrauag. Inter cunctas*, &c. *de priuilegijs*, concedens iis licentiam absoluendi quoscunque. *Non obstante*, inquit, *constitutione generalis Concilij, quæ sano intellectu (ne sequatur absurdum, quod per pœnitentiam peccata dimissa quis confiteri debeat, & quòd liberatus debitor adhuc ad absoluendum remaneat obligatus) intelligenda est de illis, qui peccata sua cõfiteri aliis neglexerunt*, &c.

Benedictus XI.

46

2. Conclusio. Extrauagantes Mart. V & Sixti IV. non comprehendunt peccata aliàs confessa.

Secunda conclusio. Extrauagans Martini V. relata à Ioanne Maiore *in* 4. *dist.* 17. *q.* 6. & aliud Sixti IV. *Vices*, &c. *de Tregua & pace*, quamuis confessionem annuam, seu paschalem reseruarint parochis, intelligenda sunt quoad peccata mortalia aliàs non confessa, aliàs esset contradictio inter ipsos, & superiores Pontifices. Quod nequit admitti, cùm ipse Sixtus affirmet se nouũ Ius non condere. Hæc probatur rationibus *suprà* præmissis, & patet ex verbis Martini. *Volumus autem quod ij, qui Fratribus confitebuntur, eisdem suis parochialibus Sacerdotibus semel saltem in anno confiteri, prout generale Concilium statuit*, &c. Hic non specificantur peccata cõfessa, neque præceptum annuæ confessionis factum à Concilio Lateranensi illud onus inducit, vt *supra* disseruimus. Quòd verò asserat Maior propositionem cuiusdam Ioannis Angeli damnatam fuisse Parisijs, qua dicebat satisfacere confessionis annualis præcepto eos, qui Fratribus confitentur, intelligendum est factum ex vigore decretalis Martini, & Sixti, quæ tamen deinceps non habent vim vllam, quia à posterioribus Pontificibus sublata sunt per concessionem aliorum priuilegiorum, quibus omnes gaudent, saltem per communicationem, quale est Pauli III. factum Societati Iesu, quo gaudent cæteri per cõmunicationem, & ita habet vbique praxis. Ex quo patet ad quæsitum, quia neque Iure, neque consuetudine limitatur licentia concessa Fratribus mendicantibus ad voluntatem, aut arbitrium parochorum, imò neque Episcopi, quamuis velint limitare licentiam, seu approbationem à se datam ad arbitrium parochi, haberet satis limitatio effectum, Religiosi accipiunt licẽtiam audiendi confessiones a Sede Apostolica, quamuis limitentur ad approbationem ordinariorum, qui nequeunt facultatem, & priuilegia Papæ in aliquo limitare, aut derogare, quia inferior nequit statuta superioris tollere.

Illa extrauagantia reuocata sunt.

Praxis communis sequẽs.

De approbatione necessaria.

TRidentinum *sess.* 23. ita statuit. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus*, &c. 47

Approbatio præscripta à Tridentino.

Membra huius Canonis sunt clara, & in ea fundantur, quæ variis quæstionibus ab authoribus deciduntur, quas variis conclusionibus comprehendemus.

Prima conclusio. Qui habet parochiale beneficium, ipso Iure est approbatus ad audiendas confessiones sine alio examine, aut approbatione quoad subditos. Patet ex Canone, qui nihil limitat quoad parochos: hoc autem aliàs de Iure ipsis conueniebat.

1. Conclusio. Iure tituli parochi habeat potestatem sine alia approbatione.

Secunda conclusio. Nequit parochus concedere licentiam audiendi cõfessiones suorum parochianorum, aut ad hoc assumere non approbatum ab Episcopo, neque licentia data ab Episcopo pœnitenti eligendi confessarium. intelliganda est de confessario non approbato, nisi id exprimatur: quamuis aliàs persona sit idonea. Patet ex Canone; & in hoc iurisdictio parochorum, quæ aliàs de Iure ipsis conueniebat, restricta est: quamuis oppositum non sit improbabile; consuetudo tamen id habet.

Sacerdos approbatus tantùm eligi potest ad confessiones audiendas.

Tertia conclusio. Non obstante hoc Canone stat *Clementina Dudum de sepulturis*; & quidquid statuit quoad fratres Minores, & Prædicatores 48

Non derogat Tridentinum Clementinæ Dudum.

tores. Ita Nauarr. *in Summa cap.* 27. Rodriquez *tom.* 1. *quæstion. regularium art.* 1. *&* 2. fusius. Probatur, *generi per speciem derogatur*, id est, lex generalis derogatur per specialem, *de reg. iuris in* 6. Exemplum est, lex specialis, qua filij nobilium gerant arma ex prærogatiua suæ ingenuitatis: alia promulgatur, vt nullus in Republica ferat arma sub tali pœna, non facta aliqua mentione prioris legis. Non censetur prior derogata per hanc, vt omnes concedunt. Aliud exemplum ponit glossa; est lex specialis, qua transgressor legum punitur certa summa; promulgatur alia posterior, qua transgressor legum ordinatur puniri ex arbitrio iudicis, transgressor non tenetur ad pœnam arbitrio iudicis, sed ad pœnam legis specialis. Sed Canon Tridentini est lex generalis, Clementina autem specialis: ergo, &c. Quòd verò Clementina sit lex, probatur, quia est lex Concilij generalis Viennensis, inserta in corpore Iuris, & communi cum reliquis approbatione proposita, confirmata in Concilio generali Lateranensi sub Leone X. & ipsum Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 13. *de reformat.* agens de quarta funerali præcipit eam solui non obstante quocumque priuilegio postea concessó. Supponit ergo legem esse statutam, qua quarta funeralis esset soluenda, distinguens eam contra priuilegium. Alia non est lex nisi Clementina *dudum*: ergo sicut parochi, & ordinarij prætenderent de Iure sibi deberi quartam funeralem ex eadem Clementina, debent etiam admittere eam esse veram legem. Quod patet ex definitione legis, quia concernit bonum commune populi, & fidelium auctoritas facta Minoribus, & Prædicatoribus audiendi confessiones, & est in corpore Iuris inserta. Quòd verò sit specialis; patet; quia istas duas familias concernit tantùm.

Regula generi, &c.

Lex specialis non derogatur per generica, quæ non facit mentionem eius.

Lex Clementina.

Confirmata in Concilio Lateranensi.

49 Obiicies, Canon Tridentini reuocat omnia priuilegia in oppositum.

Obiectio.

Respondetur Clementinam esse legem, non priuilegium, quod contra legem obtinetur, & condistinguitur; neque nomine legis venit.

1. Responsio.

Respondetur secundò cum Bartolo in authentica, *Qua in Prouincia*, &c. quòd priuilegia corpori Iuris inserta per particulam *non obstantibus priuilegiis*, non reuocantur, nisi fiat de ipsis specialis mentio, quia iam induunt nomen nobilius, & non veniunt appellatione priuilegij. Ita Paulus de Castro, Felinus. In quam sententiam refert alios Roderiquez *ibidem art.* 2. lex autem illa generalis Tridentini reuocat leges alias generales sibi oppositas, ac priuilegia Iuri non inserta, quæ sunt aliorum exemptorum regularium, aut aliorum. Patet ex his confessores Prædicatorum, & Minorum dici posse habere Ius ordinarium audiendi confessiones, obseruatis iis, quæ in dicta Clementina præscribuntur, non ita cæteros regulares. Sequitur secundò in casu, quo negarent ordinarij approbari idoneos præsentatos ad munus confessionis à prælatis Minorum, & Prædicatorum iniustè, & sine causa posse eosdem audire confessiones iis repugnantibus, quia hanc facultatem habet ipso Iure Clementinæ. Est Nauarri loco citato. Quòd inualidè impugnat Vasquez, asserens statutum Tridentini non esse reuocationem Clementinæ, sed ius nouum statuens examen quod alias in illa non præcipiebatur. Et Tridentinum absolutè voluisse approbationem necessariam esse.

2. Responsio. Priuilegia in corpore Iuris inserta habere nomen, & vim legis ordinariæ.

Nauarrus. Vasquez. Responsio

50 Hæc ratio se ipsam destruit, quia si Tridentinum non reuocat Clementinam, sequitur manifestè stare quidquid hæc statuit: statuit autem casum decisum à Nauarro. *Si verò iidem prælati præfatis fratribus ad confessiones, vt præmittitur, audiendas electis, huiusmodi exhibere licentiam recusarint, nos ex nunc ipsis vt confessiones*, &c. *liberè, & licitè audire valeant*, &c. *gratiosè concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis*, &c. Ita etiam Bonifacius VIII. in *decretali Super Cathedra*, &c. reuocans indultum Benedicti XI. quo sine vlla approbatione licebat prælatis Minorum, & Prædicatorum instituere confessores.

Impugnatur.

Hæc Bonifacij habetur inserta in dicta Clementina, & approbata. Sed negata licentia, quid faciendum sit? Respondet Cardinalis non referre, si iniustè negatur. Adhibenda est trina petitio, quibus refutatis iam à Sede Apostolica censentur approbati, præsentati, Episcopi enim in hac causa habent nudum ministerium tantùm approbationis, non conferunt iurisdictionem absoluendi, vt docet Viualdus *in Candelabro aureo*, Vasquez etiam *quæst.* 93. *dist.* 3. omnes religiosos exemptos recipere iurisdictionem à Sede Apostolica, approbatio est testimonium authenticum idoneitatis, cuius examen commissum est Episcopo. Exemplum adducit Viualdus de eo, cui Papa concederet beneficium, modò approbaretur ab Episcopo idoneus, quando autem inuentus fuerit idoneus, iam beneficium obtinet, non ab Episcopo, sed à Pontifice. Si iniustè negaret approbationem, faceret iniuriam, & teneretur ad *interesse*.

Quid faciendum negata licentia. Responsio Cardinalis.

Religiosi exempti recipiunt potestatem à Pontifice.

Quarta conclusio. Illud statutum Tridentinum non se extendit ad Regulares, vt docet Nauarr. *in Summa cap.* 4. *num.* 7. Ratio, quia neque illos comprehendit, neque similitudine rationis veniunt, concernit enim subditos Episcoporum sæculares, non alios. Deinde regulares superiores respectu suorum sunt prælati ordinarij: ergo eis possunt ministrare Sacramenta per se, vel alios. Tertiò, ratio illius statuti fuit, ne fieret iniuria ordinario Episcopo in sua iurisdictione: ergo restringenda est ad mensuram iurisdictionis. 51

Superiores regulares sunt ordinarij respectu subditorum.

Dubitatur an approbatio debet fieri ab Episcopo pœnitentis, aut confessarij? Alij asserunt, alij negant, quia approbatio est tantùm testimonium authenticum de idoneitate. Iudicarem quando per approbationem confertur iurisdictio necessaria, eam procedere ab Episcopo pœnitentis; quando non, perinde esse, quamuis declaratio quædam Cardinalium habeat non posse Episcopum assumere Sacerdotem non approbatum à proprio Episcopo in suum confessorem, ex priuilegio *cap. fin.* Sequenda est praxis.

Dubium. A quo Episcopo fieri debet approbatio.

Vnde declaratio Cardinalium bis ex ore Pontificis facta sic habet. *S. D. N. audita consultatione Congregationis, declarauit Episcopum vigore priuilegij, de quo in cap. fin. de pœnit. & remiss. non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones*, &c. Ex quo deducit Suarez *d.* 28. *sect.* 9. approbationem debere esse ab ordinario confessoris. Sed ad propositum nostrum magis spectat approbationem requisitam à Concilio iuxta hanc declarationem non tantùm esse ratione subditi, sed etiam non subditi, quia approba-

Declaratio Cardinalium.

Approbationem esse debere ab Episcopo confessarij.

batio ab Episcopo confessarij facta sufficit, vt assumatur ab alio Episcopo in confessorem, qui nullo modo est subditus approbantis.

52 Dicendum tamen si contradicat Episcopus, prohibens ne vllus admittatur ad confessiones audiẽdas in sua diœcesi, nisi approbatus ab ipso, necessariam esse eius approbationem, quia Ius commune, & priuilegia seruant hanc auctoritatem Episcopis, vt citra consensum ipsorum, nisi iniustè esset subtractus, nemo audiret confessiones subditorum. Et id patet ex *Clementina Dudum*, &c. & aliis priuilegiis; *ex capitulo* etiam *omnis vtriusque sexus*. Concessum tamen est à Gregorio XIII. patribus Societatis Iesu, vt confessores eorum, ac prædicatores ab aliquo Ordinario aliàs approbati possint iter terrâ, vel mari facientes audire confessiones quorumcunque, & prædicare, modò id fiat non contradicentibus Curatis, & in locis, in quibus non morantur Ordinarij, à quibus si adsunt, debent petere licentiam. Huic priuilegio derogat constitutio nouissima Vrbani, & idem deinceps non est practicandum. Quid autem deinceps possint, vel non possint Regulares ex suis priuilegiis, aut Iure communi in hoc foro, non potest expediri, nisi prolixiùs insistendo explicationi, & collectioni priuilegiorum per collationem eorum ad Ius commune Tridentini; quod iam non vacat. Sufficiat iam explicare, vnde habeant iurisdictionem, & quid ad eam requiritur. Aduertendum tamen sicut priuilegium contrario vsu, & praxi abrogatur, spectandum omnino esse, quid tenet praxis, neque in hoc casu aliquid temerariè tentandum esse contra salutem propriam, & pœnitentium.

53 *5. Conclusio. Limitari potest authoritas ad loca, & personas.*

Quinta conclusio. Authoritas concessa, seu approbatio potest restringi ad certas personas, & locum. Hæc est communis supposita ratione sufficienti. Vnde non solùm scientia Sacerdotis, & prudentia perpendenda est, sed etiam persona, & mores, in quibus omnibus contingere potest motiuum, vnde possit congruere approbari pro certo tempore duntaxat, & loco, & personis. Sic aliqui approbantur ad confessiones virorum, qui non approbantur ad confessiones mulierum.

6. Conclusio. Reseruatio casuum.

Sexta conclusio. Potest etiam limitari approbatio, & facultas absoluẽdi quoad certa peccata, reseruando alia Superiori. Hæc ex dictis superiùs patet de potestate reseruandi casus in Ecclesia.

Priuilegiatus nequit absoluere à casu reseruato, nisi in foro interiori.

Septima conclusio. Habens facultatem absoluendi à casibus ex priuilegio non potest absoluere, nisi in foro interiori ministrando Sacramentum, & casus non sit reseruatus tantùm ratione censuræ in quam non potest. habens tamen facultatem ordinariam potest tollere reseruationem, non absoluendo à peccato. Hæc patet, & ex ea colligitur non posse priuilegiatum delegare suam authoritatem in hoc alteri, sicut potest facere Ordinarius.

54 *De absolutione à reseruatis.*

Octaua conclusio. Confessor expositus in vna diœcesi ad audiendas confessiones peregrinantium, potest absoluere à casu, qui reseruatus est in diœcesi pœnitentis, quamuis ipse non habeat potestatem absoluendi à reseruatis. Ratio huius est, quia reseruans nequit reseruare casum, nisi subtrahendo authoritatem absoluẽdi, quam solùm limitat in iis, quos approbat, & quibus dat authoritatem, quod nequit intelligi ad alterius diœcesis Ministros. Ex hoc aliqui deducunt, quòd à paritate non posset absoluere subditum in propria, quamuis in loco, in quo commissa sunt, non sint reseruata. Sed iudicarem hoc esse falsum: quia Episcopi reseruãtes casus, nequeunt eos reseruare, nisi quoad subditos; sicut nec dare authoritatem absoluendi, nisi subditos, talis pœnitens non fuit subditus huius Episcopi, neque ratione delicti, quod in alia diœcesi commisit, neque ratione loci, quia est ouis alterius: ergo reseruatio non potest ad ipsum extendi, neque etiam censendum videtur ex voluntate Episcopi reseruantis ad ipsum extendi, quia debet interpretari in eo voluntas commensurata suæ iurisdictioni. Aliud esset, si delictum committeret in hac diœcesi, in qua reseruatur. Ex prædicta conclusione sequitur, quòd Religiosus habens licentiam confitendi Sacerdotibus sæcularibus, dum iter facit, aut aliis, possit absolui à casibus reseruatis Superioribus suæ religionis, quantùm est de Iure communi, nisi priuilegia particularia sui instituti obstent, quatenus Pontifex eadem reseruarit propriis Pastoribus.

Nona conclusio. Episcopi possunt ex concessione Tridentini *sess. 24. cap. 6.* absoluere omnes suos subditos ab omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis per se, vel suos vicarios, excepta hæresi, quam per se tantùm absoluit. *Potestas Episcoporum absoluendi à reseruatis Pontifici.*

Decima conclusio. Idem ipso Iure habens authoritatem absoluendi personas impeditas, quæ nequeunt habere recursum ad Sedem Apostolicam, vt mulieres, pueros, & huiusmodi; *cap. Mulieres, cap. Ea noscitur, cap. Quamuis, cap. Si quis suadente, &c. de sententia excommunicationis.* Aliqui à paritate id referunt de Parocho quoad casus Episcopo reseruatos; si nequit ad eum esse recursus, aut ad suum vicarium, sed rarò casus fingi potest. 55 *Eorum potestas absoluẽdi personas impeditas.*

Vndecima conclusio. Mendicantes poterant aliàs absoluere ab omnibus reseruatis Episcopis à Iure, vel homine. Item à casibus reseruatis Papæ, exceptis casibus contentis in Bulla Cœnæ. Patet ex concessione Sixti IV. Fratribus Obseruantiæ Iulij II. Minimis Pauli III. Societati Iesu, de quibus Rodriquez *tom 1. quæst. 61. art. 3. & 5.* excipiendi sunt casus, qui iure speciali Tridentini conferuntur Episcopis ob personæ industriam, *sess. 24. cap. 6.* Intelligenda ergo est conclusio quoad casus Iure communi reseruatos. Dubium autem est, quoad casus specialiter reseruatos ab homine; sed ex declaratione Gregorij XIII. & concessione facta Societati Iesu, quæ ad reliquos per communicationem extenditur, id licet, vt tradit noster Rodriquez loco citato: sed hoc non obstante seruanda est constitutio Clementis VIII. & Pauli V. derogans huic priuilegio.

Duodecima conclusio. Habens potestatem absoluendi à casibus reseruatis in religione, potest ipse ab iisdem absolui à suo confessore ordinario, cui aliàs non competeret talis iurisdictio. Hoc patet per regulam, quam assignat Caietanus, nempe qui habet potestatem dispensandi cum subditis, posse secum dispensare; qui habet licentiam passiuam, vt absoluatur ab aliis à superiore, potest absolui à quocunque approbato in religione. Habens licentiam à Prouinciali absoluendi à casibus reseruatis, potest tantùm fratres illius prouinciæ, & hospites absoluere: qui a Generali, potest omnes per vniuersum Ordinem, 56 *12. Cõclusio.* *Regula moralis.* *Absolutio à reseruatis in religionibus.*

dinem, imò etiam hospites, sed non extra Prouinciam. In casu necessitatis, scilicet scandali, aut alterius grauis incommodi, si præteriretur celebratio, aut communio, potest absolui indirectè à casibus reseruatis à non habente auctoritatem. Ita D.Thomas *in 4.d.17.q.3.art.4.quæstiunc.2.ad* 4. Paludanus *ibid.*& Gabriel.Anton. *tit.*14.*c.*19.Syluester *verb.Confessio.*1.*q.*19.Limitat Sotus ad casus non habentes annexam censuram; Suarez *disput.*31.*sect.*3. Henriquez *lib.*6. *cap.*15. Dicunt etiam talem cum censura posse absolui; modò habeat aliqua peccata mortalia, quæ cadunt sub absolutione directè. Ratio horum petitur ex eo, quòd obligatio altioris præcepti sit præferenda; talis in proposito est obligatio fugiendi scandali, quæ est Iuris naturalis diuini; reseruatio verò est Iuris tantùm humani. In tali etiam casu si superior præsens negauerit facultatem confitendi alteri, quàm sibi, si timetur graue incommodum ex iis, quæ *suprà* diximus, excusabitur quis ab integritate confessionis. Potest etiam absolui indirectè, quia iniustè, & irrationabiliter nolens censetur tanquam absens, eadem peccata à quibus indirectè absoluitur, tenetur directè alias confiteri habenti facultatem, vt communiùs tenetur, quia debent directè subiici clauibus. Si autem nequeat tum confiteri, accedat contritus ad communionem. Confessus reseruata habenti potestatem, quamuis fuerit aliqua oblitus, tollitur etiam quoad hæc reseruatio, & ab iisdem directè potest absolui à quocumque approbato, absolutio etiam directa, & inualida ex defectu dispositionis in pœnitente tollit reseruationem.

Absolutio indirecta in casu.

Reseruatio tollitur licèt omnia non subijciantur confessioni.

Hæc sunt potissimæ regulæ casuum reseruatorum, qui ad vndecim reducuntur ex decreto Clementis VIII. Primus, veneficia, incarnationes, sortilegia. Secundus, apostasiæ à Religione, etiam cum habitu quando quis extra septa monasterij transgreditur. Tertius, nocturna, ac furtiua egressio à monasterio, etiam non animo apostatandi facta. Quartus, proprietas mortalis. Quintus, lapsus carnis opere consummatus. Sextus, occisio, vulneratio, percussio grauis cuiuscumque personæ. Septimus, malitiosum impedimentum, retardatio, apertio literarum à superioribus ad inferiores Missarum, aut è contra. Octauus, iuramentum falsum in iudicio regulari, aut legitimo. Nonus, auxilium, consilium, procuratio abortus post animatum fœtum, etiam effectu non secuto. Decimus, falsificatio manus, aut sigilli Officialis Monasterij, aut conuentus. Vndecimus, furtum de rebus Monasterij, quod sit peccatum mortale.. Guardiani olim poterant reseruare casus ex concessione Alexandri VI. Hoc reuocauit capitulum Assisinum anno 1526. nec nunc etiam Prouinciales, aut Generales possunt reseruare aliquos casus, tantùm in capitulo Prouinciali de consensu Patrum, ac Generali ex decreto Clementis.

57 *Casus reseruati, eorúmque numerus.*

SCHOLIVM.

*Esse in Ecclesia clauem sententiandi publicè, & examinandi publicè causas: excommunicatione claudi Ecclesiam, & absolutione ab ea aperiri. Docet, & si non ita firmiter, potestatem excommunicandi à Papa in omnes alios Prælatos deriuari, alioquin non possent obligare non subditos; & consequenter tenet omnem potestatem iurisdictionis Episcoporum, & aliorum Prælatorum dari immediatè à Papa. Quod tenent D.Thom.*2.2.*q.*39.*art.*3.*& 4.d.*20.*q.*1.*art.*3.*Sotus ibi q.*1.*art.*2.*Caiet.*1.*tom.Opusc.tract.*1.*c.*2.*Cordub.lib.*4.*q* 14.*Suar.*4.*tom.d.*25.*sect.*1.*Bellarm.*4.*de Sum.Pont.c.*24.*& communis. Reprehendit Prælatos pronos ad excommunicandum, exemplo Pauli, qui tantùm ter legitur excommunicasse, sæpiùs tamen inculcauit malorum consortia vitanda esse. Innuit Doctor Parochos non posse excommunicare, quod verum est: possunt tamen si ad id habent consuetudinem præscriptam; ita D. Bonau.d.*18.*q.vlt. Rich.ibi art.*4.*q.*1. *Alens.*4.*p.q.*22.*memb.*1.*art.*4.§.2. *Angel.v.*Excom.1.§.3. *Nauar.c.*27.*n.*5. *D.Thom.in add.q.*22.*art.*1. *Rich.ait Parochos consuetudine excommunicasse pro furtis, & rapinis, quod frequenter practicari vidi à nostratibus Parochis, sed Trident. sess.*25.*c.*2. *sustulit hanc consuetudinem, rem reseruans Episcopis. Henriquez* 13.*de excomm.c.*24.§.3. *Sayrus de Censur.lib.*1.*cap.*6.*num.*32.

De [f] quinto articulo dico, quòd in Ecclesia est duplex forus. Vnus secretissimus, in quo idem est accusator, & reus: & ad istum pertinent claues prædictæ. Est autem alius forus publicus, quia & Ecclesia habet auctoritatẽ corrigendi delicta publica; & ibi requiritur duplex auctoritas correspondens duplici prædictæ, sicut ad quodlibet iudiciũ rectum requiritur cognitio in causa illa, & sententiatio. Istæ auctoritates pertinentes ad forum publicum possunt dici claues. De hac potestate data Ecclesiæ habetur Matth.18.dicente Christo Petro: *Si peccauerit in te frater tuus.* & sequitur tandem, *dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* & sequitur: *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* 15

Ecclesiam habere clauem indicij publici.

Ex quo patet, quòd Deus approbat solutionem, & ligationem Ecclesiæ, factam in foro publico, quam qui contemnit, habendus est sicut ethnicus, & publicanus. In hoc foro clauditur Ecclesia, scilicet communio fidelium per excommunicationem; & aperitur per absolutionem ab excommunicatione, seu reconciliationem.

Ex hoc patet, quòd istæ claues non sunt eædem cum prioribus clauibus; quia istæ separant ab illis; vtpote in habentibus iurisdictionem secundùm ordinationem Ecclesiæ

clesiæ sine Sacerdotio, vt in Archidiacono, & quibusdam aliis habentibus iurisdictionem secundùm ordinationem Ecclesiæ sine ordine Sacerdotali, & è conuerso, vt est in quibusdam, scilicet communibus Sacerdotibus, quibus non est data hæc potestas excludendi ab Ecclesia, vel reconciliandi.

16 Sed [h] nunquid quilibet habens iurisdictionem potest excommunicare, & reconciliare? Respondeo, excommunicatio, quæ simpliciter est excommunicatio, quæ est sola maior, est exclusio alicuius à communione fidelium, non quidem exclusio corporalis, quæ fit in incarceratione, vel exclusione ab aliis: sed excludendo per prohibitionem, ne communicet cum aliis, nec alij cum eo: nullus autem non subditus isti tenetur seruare institutionem istius, sicut nec præcepta eius: ergo videtur quòd non subditus isti non tenetur vitare excommunicatum ab isto.

Inferiores Papa non habere à se potestatem excommunicandi, ita vt omnes fideles teneãtur vitare excommunicatum.

Si ergo per excommunicationem tenetur quilibet Christianus vitare excommunicatum, oportet quòd hoc sit per præceptum illius, cui tenetur obedire quilibet Christianus: & tunc sequitur quòd nullus inferior Papa auctoritate propria possit excommunicare, licèt posset excommunicare quantùm ad suos subditos, hoc est, præcipere suis vt caueant suum, & tunc sequitur, quòd quicumque inferior, si simpliciter excommunicat, excommunicat ex commissione illius, cui tenentur omnes alij obedire, qui tenentur istum excommunicatum vitare.

Quomodo quod nõ est concessum, possit dici prohibitũ?

Et ex hoc sequitur, quòd illud cadit sub illa regula Iuris, *Quod non est concessum, est prohibitum,* quæ vera est de his, quæ non conueniunt regulariter, nisi alicui ex aliqua concessione speciali: & tunc ex eiusdem auctoritate tenentur generaliter Christiani excommunicatum vitare, cuius auctoritate incurrunt pœnam excommunicationis minoris, si non vitant: illam enim incurrunt auctoritate legislatoris, non auctoritate huius iudicis particularis.

17 Si hoc non placeret, oporteret quærere vnde primò à principio Ecclesiæ habuit quilibet talis, qui modò communiter excommunicat in Ecclesia, auctoritatem super omnes Christianos, vt tenerentur sibi obedire, cauendo istum excommunicatum ab eo, propter eius præceptum, vt eius: & tunc quomodo fuissent auctoritates inferiorum limitatiores quantùm ad numerum subditorum, saltem quantùm ad istius præcepti obseruantiam: & quare non ita istorum, sicut & aliorum? quærat qui vult.

Parochi nõ possunt excõmunicare, nisi fortè cõsuetudine id habeant. Nau. c. 27. num. 5. Tabien. v. excomm. 3. Reprehẽdit eos qui facilè ferunt sententias excommunicationis. Ter tantùm inuenitur Paulus fulminasse excommunicationem.

Si [i] prima sententia est vera, tunc Sacerdotes Parochiales, & alij consimiles in nullo casu possunt excommunicare, nisi in quo inuenitur expresse eis concessum; & sic excluduntur quædam pericula, quæ proueniunt ex pronitate quorumdam fatuorum ad excommunicandum: frequens siquidem est huius gladij percussio in Ecclesia, qui tamen raro ab Apostolis inuenitur extractus. In omnibus enim Epistolis Pauli non inuenies, quòd excommunicauerit, nisi tribus vicibus. Primo, 1. ad Corinth. 5. *Omnino*, inquit, *inter vos auditur fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui quis habeat.* & sequitur; *ego autem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui eum, vt præsens, qui hoc operatus est, in nomine Domini Iesu Christi congregatis vobis in vnum, & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.* Item in 1. ad Timoth. cap. 1. *Quidam circa fidem naufragauerunt, ex quibus Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* Item ad Galat. 1. *Si quis vobis euangelizauerit præter illud, quod accepistis, anathema sit.*

18 *Contra mala consortia.*

Alicubi tamen legitur Apostolus bonis prohibuisse communicare cum malis, 1. Corinth. 5. *Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, nec cum huiusmodi cibum sumere.* Item 2. ad Thessal. cap. 3. *Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini, vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante.* & post pauca subdit ibidem: *Si quis non obedierit verbis nostris per Epistolam hanc, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur.* Et tamen qualiter liceat communicare cum illo, subdit: *Nolite quasi inimicum existimare illum, sed corripite vt fratrem.*

Idem, 2. Timoth. 3. *Erunt homines sese amantes.* & post pauca, *Hos deuita.* Ibidem c. 4. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, quem & deuita.* Idem ad Titum, 3. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam monitionem deuita.*

Et Ioannes in 2. epist. canon. cap. vn. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo, nec aue eis dixeritis. Qui enim dicit ei aue, communicat eius operibus malignis.*

19 Tantùm ergo in primis duabus auctoritatibus videtur sententia excommunicationis

tionis simpliciter lata. Et patet, quòd ibi fuit causa iusta, quia peccatum enorme, & publicum: & forma debita, quia processus legitimus: & intentio recta, quia intendebatur correctio delinquentis. Vnde & primus ille per illam excommunicationem correctus est, vt patet per Epistolam secundam, vbi monet eos eum consolari ne absorbeatur profundiori tristitia. Alij non leguntur pœnitentes fuisse, fortè iam erant apostatæ à fide, & permanserunt ibi.

Cap. 2.

In tertia auctoritate est contra prædicantem aliquid repugnans sanæ fidei: fuerunt enim tunc Pseudo-Apostoli. In aliis autem, vbi præcipit vitare malos, vel simpliciter, vel quantùm ad aliquos actus, non videtur ita plenè esse lata sententia excommunicationis: quia non videntur illi per hoc traditi Satanæ: dicitur enim, quòd quos Apostolus tradidit Satanæ, statim habuit Diabolus potestatem vexandi eos: non sic autem probabile est factum de omnibus malis, quos scribit esse vitandos.

Lyra sup. 1. ad Corinth. c. 5.

20 Ad argumenta. Ad primum patet, quòd illa auctoritas Apocalypsis non debet intelligi de claui ministeriali, sed de præëminenti; quæ est auctoritas sententiandi vniuersaliter, & irreuocabiliter.

Ad secundum, Magister exponit illam auctoritatem *dist. ista cap. 3.* quod tantùm per columbam, vel eius membra fit dignè remissio, vel redemptio peccatorum: fit tamen per alios, sed non dignè, vel rectè: dat enim Deus benedictionem dignè poscenti, etiam per ministrum indignum. Quod probatur per Hieronymum super illud Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* & per Augustinum in lib. quæst. noui, & vet. Test. quæst. 11. *Voluntas Sacerdotis obesse vel prodesse non potest, sed meritum benedictionem poscentis.*

De hoc sup. d. 5. q. 2.

Ad tertium patet ex secundo articulo, quia clauis scientiæ non est aliqua scientia, sed est auctoritas noscendi, hoc est, inquirendi, & examinandi causam rei.

Ad arg. 3.

Ad quartum, patet ex quarto articulo, quia secundùm vnam opinionem clauis est de se tantùm potestas remota: & ad hoc, quòd sibi respondeat materia, requiritur in eo alia potestas, scilicet iurisdictio, vel saltem per aliam potestatem actiuam subiicitur sibi materia, vt fiat sibi materia capax actionis eius. Sed iuxta aliam opinionem clauis est potestas propinqua, & includit iurisdictionem priuatam. Quid enim aliud est iurisdictio, quàm auctoritas dictandi ius? Et hoc quid aliud est, quàm auctoritas iudicandi, & sententiandi?

Ad 4. Hanc secundam viam non tenet Doctor, sed primam n. 13.

Ad quintum patet ex quinto articulo: concedo enim quòd non ordinatus potest habere claues alias pertinentes ad forum extrinsecum, & ordinatus non habere: tamen ad hoc, quòd sit Hierarcha Ecclesiæ, id est, in principatu eminente, oportet quòd habeat illas claues exteriores: & cum hoc præsupponitur, quòd habeat interiores. Vnde nullus ordinatur Episcopus, nisi priùs in Sacerdotem fuerit ordinatus.

Ad 5. Non ordinatus potest habere claues fori extrinseci.

COMMENTARIVS.

58 *De clauibus fori externi.* f DE *quinto articulo dico,* &c. In hoc articulo agit Doctor breuiter de potestate iurisdictionis, quam recepit Ecclesia in foro externo, in quo accepit claues ligandi, & soluendi. Hæretici huius temporis post Lutherum nihil magis eneruare contendunt, quàm potestatem Ecclesiæ in foro publico. Lutherus *in epistola ad Senatum contra Bullam Pontificis in assertionibus art. 23. & 24.* Ante eum VVitclefus, vt patet *ex art. 11. damnato in Concilio Constantiensi.* Contrarium huius, & veram potestatem spiritualem fori externi esse in Ecclesia est articulus fidei, quem probat Doctor *ex Matthæi 18.* vt patet ex textu, & exercitium huius potestatis factum ab Apostolis infrà probat *ex 1. ad Corinth. 15. & 1. ad Timoth. 1.* Hic est communis sensus Ecclesiæ à principio ex Conciliis, & Patribus. Ea vsus est Paulus, iuxta communem interpretum locis citatis, eámque comminatus 1. ad Cor. 4. *Quid vultis? in virga veniam ad vos,* &c. 13. *Quoniam si venero iterum, non parcam,* &c. Eadem vsus est Petrus iuxta epistolam Tharasij ad Adrianum primum, & insinuat *Can. 30.* Apostolorum.

Hæresis Lutheri.

Veritas fidei.

Canones.

Præterea eandem potestatem in Ecclesia esse docent alij Canones Apostolorum, vt 10. 11. 12. 20. 30. 31. & reliqui Canones pœnitentiales sanctorum Patrum, & Conciliorum, in quibus passim hæc potestas exercetur contra contumaces, & scelerosos. Patet etiam ex sanctis Patribus, quorum hæc, nemine excepto, sententia est. Origene *hom. 7. in Iosue:* vbi citat consuetudinem, & potestatem Ecclesiæ datam, & *tract. 35. in Matthæum: In Ecclesiis Christi,* inquit, *consuetudo tenuit talis, vt qui manifesti sint in magnis delictis eiiciantur ab oratione, ne modicum fermenti, ex non corde mundo orantium, totam vnitatis conspersionem, & consensum corrumpant,* &c. & *homil. 11. in Ieremiam.* Tertull. *in Apolog. cap. 39.* appellat censuram diuinam excommunicationem. Cyprianus epistola 28. & 55. & 62. vbi hanc potestatem comparat morti, quam Synagoga ex lege inferebat peccatoribus contumacibus contra Sacerdotes. *Interfici,* inquit, *Deus iussit Sacerdotibus suis non obedientes: & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat: nunc autem quia circumcisio spiritualis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spirituali gladio superbi, & contumaces necantur, de Ecclesia eiiciuntur.*

Patres.

Origenes.

Tertull.

Cyprianus.

ciuntur: neque enim vincere foris possunt, cùm domus Dei vna sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit, &c.

59 Hieron. Hieronymus *epist. 1. ad Heliodorum cap. 7.* eadem habet. *In veteri quidem lege quicunque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus à populo lapidabatur, aut gladio ceruice subiecta, contemptum expiabat cruore; nunc verò inobediens spirituali mucrone truncatur, aut eiectus de Ecclesia rabido Dæmonum ore discerpitur*, &c. Videatur *Epistola 9. ad Demetriadem, cap. 10. in cap. 18. Matthæi.*

Chrysost. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio. *Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos vsque peruadit, vsque adeò, vt quacunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam confirmet*, &c. Videatur *in Paulum & Matthæum.*

August. Augustinus tractatu 50. in Ioannem; *Cùm excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus; cùm reconciliatur ab Ecclesia, in cœlo soluitur reconciliatus*, &c. *contra aduersarium leg. & Prophet. cap. 17.* & aliàs sæpè.

Ambros. Gregorius. Prosper. Ambrosius *lib. 1. de pœnitentia cap. 14. lib. 2. offic. cap. 27.* Gregorius *homilia 26. in Euangelia.* Prosper *de vita contemplatiua lib. 2. cap. 2.* & alij Patres, quos citare longum esset.

60 *Differentia inter claues fori interni & externi.*

g *Ex hoc patet, quod istæ claues non sunt*, &c. Hìc rectè discernit claues fori externi à clauibus fori interni; de quibus egit in præcedentibus; & ratio subiecta id probat: quia hæc potestas non comitatur ordinem, sed iurisdictionem in subditos; quæ committitur aliquando iis, qui non sunt Episcopi, aut Sacerdotes, vt Archidiacono; vt patet *ex cap. Veniens*, cum glossa, *de eo qui ordinem furtiuè suscepit*, & glossa *in Extrauag. execrabilis inter communes, de præbendis, & dignitatibus.* Videatur titulus *de Archidiacono.* Prælati religionum approbatarum à Sede Apostolica, etiam non presbyteri, eandem potestatem habent secundùm indulta Apostolica, leges, seu statuta specialia, & approbata, electi Episcopi nondum ordinati. Cæterùm ad quos se extendat in specie hæc potestas, siue ordinaria, siue delegata, requirit longiorem tractatum, qui apud auctores legi potest; qui in hac materia fusiùs versantur: quia liberum non est mihi eidem nunc vacare, neque integrum tractatum de censuris hìc exhibere, quamuis locus proprius eius sit: materia nempe peruia est, & longum mihi restat iter. Ideóque in hoc articulo perstringam breuiter ea solùm, quæ Doctor attingit.

61 *Dubium. Vnde habet excommunicatio vt ligentur non subditi ad euitandum excommunicatum.*

h *Sed nunquid quilibet habens iurisdictionē*, &c. Mouet dubium: An quilibet habens iurisdictionem fori externi possit excommunicare excommunicatione maiori, quæ inducit illum effectum, vt simpliciter excludatur à communione fidelium, tam subditorum excommunicantis, quàm etiam non subditorum, ita vt hi etiam teneantur eum euitare. Ratio dubitandi est, quia sicut iurisdictio limitata eius, qui fert censuram, non extenditur ad non subditum, ita etiam neque præceptum ab eo latum ligat non subditum.

Resolutio Doctoris. Respondet hunc effectum obligationis, ex quo incurritur excommunicatio minor à communicante etiam non subdito, non esse ex vi præcepti particularis, sed ex lege vniuersali illius, qui habet potestatem in vniuersos Christianos, qui est Vicarius Christi. Si hoc, inquit, non placet, oporteret quærere vnde conueniat illa extensio præcepti particularis iurisdictionis ad vniuersos; & vnde ipsa eius iurisdictio non sit limitata quoad hoc præceptum, sicut est limitata quoad reliqua præcepta, respiciens solos subditos, & remittit inquisitionem huius aliis. *Hanc extensionem esse ex authoritate vniuersali.*

Explicatur & sustinetur dicta resolutio. Respondetur hìc duo considerari posse, nempe pœnam ipsam, vt respicit subditum, qua fit incapax communionis cum Ecclesia, & segregatur ipso facto propter causam iustam. Aliud verò est considerandum, nempe obligatio aliorum fidelium, qui intra Ecclesiam sunt, eidem non communicandi, & vlteriùs pœna legis inducta, nempe excommunicationis minoris ipsis communicantibus. *Obligatio fugiēdi excommunicatū, & pœna inducta diuersa sunt.*

Quantùm ad primum effectum potest dici, quòd originaliter est ab ipso Iure diuino, vt patet Matthæi 18. *Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlo.* Vnde sententia iusta prælati confirmatur à Deo, ita vt ille, qui segregatur, non solùm maneat segregatus in propria Ecclesia; sed etiam vniuersim ab Ecclesia vniuersali, cuius illa est membrum, nequit enim communicare corpori vniuersali Reipublicæ Ecclesiasticæ, nisi mediante Ecclesia particulari, cuius est membrum, & cui debet primùm vniri sub suo prælato. 62 *Obligatio præmissa est diuina legis. Sententia lata confirmatur in cœlo. Segregatus à particulari manet etiam ab vniuersali Ecclesia segregatus.*

Hinc nascitur etiam originaliter obligatio aliorum fidelium eidem non communicandi: quia *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, &c. Quantùm, scilicet ad effectum communionis, vt patet etiam ex locis, quos infrà citat Doctor, in quibus tam Paulus, quàm Ioannes prohibent communionem cum peruersis *1. ad Cor. 5. & 2. ad Thessalon 3. & 2. ad Tim. ad Titum 3. & 2. Ioannis 7.* Ex quibus constare videtur hoc præceptum accessoriè extendi per concessionem factam ad reliquos fideles, etiam diuina lege, ex vi potestatis concessæ, & effectus specialis, quem inducit sententia lata, & segregans vniuersaliter à consortio fidelium, quæ confirmatur in cœlo. Et videntur ita intelligere Patres hunc effectum, nempe simpliciter ab vniuersa Ecclesia segregatum esse, qui ab Ecclesia particulari per sententiam segregatur, quæ in cœlo absolutè confirmatur. *Obligatio non communicādi est Iuris diuini.*

Quantùm ad pœnam, quam incurrit præterea communicans cum excommunicato, etiam non subditus, dicendum est hanc pœnam inductam esse à Canone, & legislatore vniuersali; à quibus præcipitur non esse communicandum cum excommunicatis: vt præcipit *Canon 10.* Apostolorum sub maiori pœna, etiam segregationis. *Si quis cum excommunicato in domo vna precatus fuerit segregetur.* Item *Canon 11. Can. 12. Can. 31.* Concilium Nicænum primum *Can. 5.* Antiochenum *Can. 6.* Sardiense *Can. 13.* Chalcedonense *act. 3. Epistola ad Valentinianum, & Marcianum Imperatores.* Arelatense primum *cap. 16.* & Arelatense 2. *cap. 8.* Carthaginense 4. *cap. 73.* Toletanum 1. *cap. 16.* Altisiodorense *cap. 39.* Turonense 2. *cap. 21.* Lugdunense 1. *cap. 4.* Bracharense 1. *cap. 33.* 63 *Pœna vera inducta est à Canone vniuersali. Canones Apostolorum.* Nicæni. Antioch. Chalced. *Et aliorum Conciliorum.*

Calixtus. Præterea, idem statuerunt Pontifices; vt Calixtus Epistola 2. *Excōmunicatos*, inquit, *à Sacerdotibus nullus recipiat ante vtriusque partis iustam examina*

examinationem, nec cum eis in oratione, aut cibo, & potu, aut osculo communicet; nec aue ei dicat, quia quicumque in his, vel alijs prohibitis scienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subiacebit, &c.

Fabianus. Eadem habet Fabianus epistola 1. *Quoniam*, inquit, *si Apostoli statuerunt dicentes; Cum excommunicatis non est communicandum: & si quis cum excommunicatis auertendo regulas, scienter psallat in domo, aut simul locutus fuerit, aut orauerit, ille communione priuetur*, &c.

Ex his sequitur, vt cætera omittamus, hanc pœnam emanasse à Pontifice mediatè, vel immediatè; nam Canones Apostolorum, ex quibus origo eius habetur, retenti semper deinceps in Ecclesia, præsidente Petro facti sunt, & posteriora Concilia generalia à Romanis Pontificibus conuocata, & præsentibus eorum Legatis celebrata sunt, & mox ab ipso confirmata, ipsi etiam Pontifices suis cõstitutionibus secuti sunt Canonum Apostolorum præsciptum, vt patet ex Fabiano, & Calixto. Origo etiam horum, vt dictum est, in diuinam legem, & præscriptum modum correctionis à Christo Domino, *Matth.* 18. emersit: rectè ergo Doctor in potestatem vniuersalem vim Canonis refundit.

64 i *Si prima sententia est vera*, &c. Superiùs dixit hanc potestatem sequi iurisdictionem fori externi; hîc autem ex effectu illo vniuersali Canonis, & excommunicationis, quæ inducit separationẽ absolutè, & vniuersaliter quoad omnes fideles limitat potestatem excommunicandi; ita vt Parochis non conueniat, nisi in iis casibus, qui Iure concessi sunt; Episcoporum enim propriè id munus est ex Canonibus, vt patet 23. q. 3. cap. *Corripiantur*, & 16. q. 2. in cap. *Visis*, dicitur mucro Episcopi. Parochos D. Thomas hîc, & Richardus asserunt ex consuetudine habuisse potestatem excommunicandi pro furtis, & rapinis. Hanc potestatem abstulit Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 3. & meritò, vt patet *ibidem*, ex Concilio, & affirmat hîc Doctor: quia nihil æquè damnatur, quàm prompta, & præceps huius potestatis in obuiis, & leuibus causis executio. Vnde Leo Papa epistola ad Episcopos Viennensis Prouinciæ, cap. 6. *Nulli*, inquit, *Christianorum facilè cõmunio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus vltionem inuitus, ac dolens quodammodò debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim pro commissis, & leuibus verbis quosdam à gratia communionis exclusos, & anima, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam saui supplicy, sauciatam, & inermem quodammodò, exutámque omni munimine diabolicis incursibus, vt facilè caperetur, obiectam*, &c. Hoc ipsum confirmat Doctor exemplo Pauli, qui ter tantùm legitur sententiam hanc tulisse: videantur expositores in loca subiecta. Cætera patent ex litera; & responsio ad argumenta in distinctione quæstionis per suos articulos. *In responsione ad* 4. insinuat duas opiniones circa clauem Sacerdotalem, & eius potestatem, an sit proxima, an remota potentia: *suprà in articulo* 4. *huius quæstionis*, ipse sequitur primam sententiam, quam *ibidem* explicuimus.

Non conuenire Parochis, nisi in casibus permissis Iure.
Est munus Episcoporum excommunicare.
Ius Tridentini derogat antiquo.
Praeceps sententia damnatur.
Leo.
Non esse leuiter vtendum hac potestate.

SCHOLIVM.

Opinio Magistri, non tolli culpam, nec pœnam æternam per claues, sed tantùm pœnam temporalem, cuius partem dimittit Sacerdos, modò eius sententia sit conformis diuino iudicio, non aliter.

AD [k] quæstionem motam *dist.* 18. dicuntur duæ conclusiones. Prima negatiua, 21 scilicet quòd vis clauium non se extendit ad remotionem culpæ, vel pœnæ æternæ; quod videtur Magister sentire dist. illa: *Deus*, inquit, *per se tantùm dimittit peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula: & à debito æternæ mortis soluit.* Quid ergo faciunt Sacerdotes Euangelici? Respondet, *Tribuit eis potestatem ligandi, & soluendi, id est, ostendendi eos ligatos, & solutos.* Quod probat per illud de leproso priùs sanato, quàm ad Sacerdotem misso, *Lucæ* 5. Similiter de Lazaro priùs suscitato, quàm discipulis ad soluendum tradito, *Ioan.* 11.

Opinio Magistri.
Quære Richard. hic art. 2. q. 1. & 2. & D. Thom. art. 1. q. 3.

Item per Hieronymum super illud Matth. 16. *Tibi dabo claues, In Leuitico*, inquit, *se ostendere Sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos, vel mundos: sed discernunt, qui mundi, vel immundi sunt.* Ex hoc dicit Magister, quòd olim Sacerdotes legales habebant iurisdictionem in curandis leprosis, hoc nunc habet Sacerdos Euangelicus in retinendis, vel remittendis culpis.

Additur affirmatiua, quòd vis clauium se extendit ad pœnam temporalem; & in hoc Magister exponit aliter quomodo Sacerdos Euangelicus soluit, & ligat: quia ligat ad pœnam temporalem, quam imponit confitenti: soluit autem cùm à pœna debita aliquid dimittit, vel per eam peccatorem ad Sacramentorum communionem admittit.

Vide Rich. artic. 1. q. 4.
Secundùm Mag. clauis tantùm tollit pœnam temporalem.

Additur autem, quòd hæc potestas respectu pœnæ temporalis talis est, quòd non ratificatur actus eius, nisi sit conformis iudicio diuino, scilicet nisi tantam imponat, quanta secundùm iustitiam diuinam peccatis respondet: verbi gratia, pone, iste pro 22 peccatis suis tenetur secundùm strictum rigorem ad pœnam decem dierum, Sacerdos virtute clauium potest sibi remittere pœnam trium dierum.

Et esto quòd de thesauro Ecclesiæ iste dispensator possit vnum diem, vel duos remittere, post totum hoc, remanet iste obligatus ad sex, vel quinque dies: de quibus,

bus, si Sacerdos aliquid dimittat, non ratificatur ista obligatio: quia tunc clauis potestatis errat in ligando, & soluendo: facit enim eum magis solutum à pœna temporali, quàm Deus iudicet eum solutum, & per consequens, nisi ille hos sex dies hîc soluat, residuum ab eo exigetur in purgatorio.

COMMENTARIVS.

65 *Resolutio distinctionis decimaoctauæ, Sententia Magistri.*

k ADquæstionem motam dist. 18. dicuntur duæ conclusiones, &c. Subiicit sententiam Magistri, qui negat confessarium absoluere à culpa, aut pœna æterna; sed tantùm à pœna temporali in parte, vt si pœna proportionata culpæ sit decem dierum, potest Sacerdos pœnam trium dierum remittere. Addit prætereà remissionem esse nullam, nisi ratificetur in cœlo; tunc autem ratificari, quando clauis in iudicando non errat; sed pœnam iniungit debitam secundùm iustitiam diuinam, & præcisam.

SCHOLIVM.

Reijcit Magister, & probat per claues tolli culpam, & pœnam æternam, & rationes sunt claræ. Vide alias dist. 14. quæst. 4. Decidit ergo tunc per claues tolli peccata, & dari primam gratiam, quando præuia dispositio ex se hoc non potest, nisi ei adiungatur absolutio. Refutat etiam quatuor rationibus num. 25. quod dicit Mag. non ratificari iudicium Sacerdotis, nisi sit conformis iudicio Dei quoad quantitatem pœnæ remittendæ. Refutatio est clara.

23 COntra primum, [1] quia tunc Sacramentum Pœnitentiæ non esset Sacramentum nouæ legis, nec aliquam causalitatem, vel dispositionem haberet causalem ad primam gratiam: quia nunquam dignè susciperetur nisi ab habente iam primam gratiam: nullus enim dignè ostenditur solutus à Deo, nisi priùs sit solutus.

Est necessaria in re, vel voto.

Item, susceptio istius Sacramenti est instrumentum ad gratiam, hoc est, dispositio efficax necessaria ex statuto diuino ad gratiæ susceptionem; instrumentum autem, vel dispositio præuia, non est signum rememoratiuum, siue ostensiuum alicuius, vt iam præteriti, sed futuri: ergo collatio Sacramenti Pœnitentiæ, ad hoc vt fiat dignè, non oportet vt sit signum absolutionis diuinæ præcedentis.

Nota contra eos, qui imponunt Scoto quòd non requirit attritionẽ cum absolutione.

Quomodo Sacramentum Pœnit. est instrumentum ad primã gratiam.

Concedo ista, vt diffusè declaratum est *dist.* 14. *quæst.* 4. quòd Sacramentum Pœnitentiæ potest dignè recipi ab attrito, & hoc tanta attritione, quæ non sufficeret per modum meriti ad iustificationem suscipiendam in termino attritionis: & si non fictè recipiatur, in termino recipitur gratia prima, quia à Deo confertur, & absolutio Sacramentalis est signum efficax illius absolutionis sequentis in vltimo instanti ipsius, sicut prolatio verborum est signum confectionis corporis Christi. Et secundùm hoc patet quomodo Sacramentum hoc est instrumentum ad gratiam primam, sicut dispositio præuia eo modo, quo alterario potest dici instrumentum respectu generationis substantiæ, quia dispositio præuia.

Non igitur est simile de Sacerdote legali respectu lepræ, & de Euangelico respectu culpæ: quia ille tantùm exercuit aliquid, quod erat signum rememoratiuum mundationis lepræ, & nihil quod esset signum prognosticum efficax respectu mundationis sequentis: sed iste exercet actum, qui est signum prognosticum efficax mundationis sequentis in vltimo instanti; nec tamen mentitur iste, quia intelligitur absolutio eius pro illo instanti, pro quo iste à Deo, & ab Ecclesia est absolutus.

24 *Dist. 14. q. 1. a. 1. & d. 17. q. vnica. Sacerdos tollit pœnã æternam, & culpam vt instrumentum, Deus vt causa principalis.*

Si dicas; ergo Sacerdos delet maculam, & pœnam mortis æternæ, quod est proprium Deo; Dico, quòd vtrumque facit; si tamen duo sunt ibi, de quibus dictum est aliàs: sed non facit nisi instrumentaliter, non quidem attingendo illum effectum, nec virtute propria, nec alterius: sed attingendo aliquid prius, quod est dispositio necessitans ad illum effectum; necessitans, inquam, ex diuina pactione, & tale agens causans dispositionem necessariam ad terminum, dicitur agens instrumentale, vt est de alterante, & generante: proprium autem est Deo principaliter mundare, & remittere illud debitum, etiam attingendo illum effectum: horum autem neutrum conuenit Sacerdoti.

Soluit auctoritates adductas pro opin. Mag.

Auctoritates ergo quas Magister adducit pro se, affirmatiuè loquuntur, quòd hoc facit: & verum est quòd Sacerdos Euangelicus ostendit illum mundatum, & solutum pro instanti, pro quo intelligitur sua absolutio: sed non hoc solùm, imò sic ostendit, quòd illa ostensio est dispositio præuia & necessaria ad illud, quod ostenditur: hæc est enim excellentia Sacramentorum nouæ legis, quòd eorum susceptio est dispositio

dispositio sufficiens ad gratiam: illorum autem legalium, nec susceptio erat dispositio efficax ad mundationem corporalem lepræ, vel huiusmodi fœditatis. Esset autem simile, si loqueremur de Sacerdote legali purificante aliquem per aquas aspersionis ab aliqua irregularitate contracta in lege ex contactu lepræ, vel huiusmodi: tunc enim Sacerdos ille exerceret quendam actum, qui esset signum efficax reconciliationis huius irregularitatis, & mundationis illius polluti, in cuius mundationis actu, vel termino, sequeretur effectus signatus, scilicet quòd iste esset dignus communicare cum cæteris Synagogæ.

Comparatio Sacerdotis legalis, & Euangelici.

Contra illud, quod dictum est de secunda conclusione, potest argui. Nulli committitur potestas arbitrandi in causa aliqua, cuius arbitrium nunquam erit ratum propter quamcunque diligentiam possibilem adhiberi ab ipso, sed tantùm à casu, vel per miraculum speciale: sed per quamcunque diligentiam possibilem adhiberi à Sacerdote, non potest pertingere ad illud indiuisibile pœnæ, quo Deus iudicat peccatorem esse dignum. Si ergo attingat, hoc erit à casu, vel per miraculum speciale, nec erit ratum, per te, nisi ad illud attingat: ergo non habet auctoritatem aliquam arbitrandi. 25

Impugnat secūdā con. Mag. positam nu. 21. quatuor rationibus.

Confirmatur, quia nec est verisimile quòd Deus dederit potestatem Ecclesiæ arbitrandi, sic quòd ipse voluerit arbitrium Ecclesiæ ratificare; & tamen quòd impossibile sit eam rectè arbitrari, sic nihil ratificatur, nisi à casu, vel per miraculum speciale.

Item, nullus constituitur arbiter inter partes sub hac conditione, quòd præcisè arbitretur ad voluntatem vnius partis: & hoc maximè quando non potest nosse determinatè voluntatem illius partis: sed in iudicio pœnitentiæ partes sunt Deus, & peccator, inter quos est Sacerdos arbiter: ergo non obligatur præcisè ad arbitrandum illam pœnam, quam sibi Deus infligeret, maximè cùm non possit sibi constare de voluntate Dei, quo ad hoc præcisè, vt est membrum Ecclesiæ.

Sacerdos est arbiter inter Deum & peccatorem.

Item, si Sacerdos imponat pœnitentiam aliquantulùm maiorem, quàm respondeat peccatis, non est probabile quin pœnitens teneatur eam implere: ergo si aliquantulùm minùs pœna condigna, illa videtur sufficere: nam si non sufficeret aliqua citra illam punctalem, quam dictat diuina iustitia: ergo non oporteret explere aliam vltra illud punctuale diuinæ iustitiæ.

Scilicet si acceptauerit eam, nō aliter, vt dixit d. 15. q. 1. & d. 17. nu. 22. de quo hic nu. 27.

COMMENTARIVS.

66 1 *Contra primum: quia tunc Sacramentum, &c.* Hìc impughat primam sententiam Magistri, remittens se ad dicta *dist.* 14. *quæst.* 4. vbi etiam hanc controuersiam tractauimus de remissione culpæ, & pœnæ æternæ. Patet etiam veritas ex iis, quæ dicta sunt *dist.* 17. de potestate clauium in foro interno.

Reiicitur sententia prædicta quoad primam partem.

Quad secundam conclusionem, seu sententiam Magistri de remissione pœnæ temporalis, non desunt qui eam sequuntur: non est tamen intelligenda quasi sententia confessarij ex toto sit nulla, si non attingat medium indiuisibile rei: quia pro rata, & secundùm proportionem remittitur pœna debita peccato, ita vt si pœna illa secundùm præscriptum diuinæ iustitiæ non attingatur adæquatè per opus satisfactorium impositum à Sacerdote: tamen remittitur in parte, & secundùm gradum, in quo proportionatur pœna satisfactoria, seu opus impositum à Sacerdote, pensatis omnibus ad pœnam præscriptam peccato ex diuina ordinatione, vel hìc, vel in altera vita soluendam. Quoad reliquum verò, quod superest infra debitam proportionem; pœna peccato debita, vel his per alia opera æquiualentia debeant redimi, vel certè in purgatorio soluātur. Non debet autem hæc proportio ita attendi, vt satisfactio viæ iniuncta à confessario seruet eandem mensuram diuturnitatis, & acerbitatis, quantùm ad intensionem, & extensionem, cum pœna purgatorij: sed debet attendi medium, prout opera viatoris omnibus pensatis æquiualent pœnis purgatorij redimendis per modum satisfactionis.

De remissione pœnæ temporalis.

Sententia Magistri.

Explicatur.

Hanc sententiam sic explicatam sequitur Suarez *disp.* 38. *sect.* 5. citans Petrum à Soto *sect.* 1. *de satisfactione.* Vasquez *in* 3. *parte quæst.* 94. *art.* 2. *dub.* 6. Eandem sententiam impugnat Doctor *in hoc* §. *versu Contra illud, quod dictum est de secunda conclusione*, &c. cuius rationes adducemus in sequenti.

Eandem sequuntur alij.

SCHOLIVM.

Impugnata secunda conclusione Magistri, dicentis non valere impositionem pœnitentiæ, nisi punctualiter correspondeat debito secundùm iudicium Dei: resoluit non requiri hanc punctualem correspondentiam, sed dari latitudinem, sicut in commutationibus. De quo dist. 15. quæst. 2. num. 15. & intra summum, & infimum pœnam iustè imponi. Quòd si citra infimum, vel vltra summum imponatur, clauis errat, & secundùm id, in quo errat, non approbatur à Deo.

Dico

26 d. 15. q. 2. num. 15.

DIco ergo [m], quòd sicut in aliis commutationibus iustitia commutatiua habet aliquam latitudinem, ita quòd non respicit in commutationibus indiuisibile, sed medium rectæ rationis: ita iustitia punitiua, quæ est commutatiua pœnæ pro culpa, non respicit necessariò gradum indiuisibilem pœnæ correspondentem huic culpæ: sed est ibi aliqua latitudo, infra quam pœna minor non sufficit, & vltra quam pœna maior non est imponenda: & extra totam istam latitudinem clauis citrà, vel extrà ligans, errat: & tunc non immeritò quæ soluitur in terris, non soluitur in cœlis, id est, non ratificatur: sed intra latitudinem non errat, & ideò arbitrium ratificatur intantùm, quòd quidquid imponitur intra illam latitudinem, hîc oportet implere, & si hîc non impletur, residuum in purgatorio exigetur: & si minùs imponatur, & expleatur, nihil maius exigetur in purgatorio.

Quãdo clauis errat in imponenda pœnitentia.

Istud autem medium in ista latitudine possibile est esse homini notum per legem Dei cum adiutorio rationis naturalis: & ideò obligatio ad hoc medium latum est ad possibile homini sine miraculo speciali, & sine casu, & fortuna.

COMMENTARIVS.

67 *Secunda conclusio.* *Medium rectæ rationis, non rei seruari debet in satisfactione pro pœna tẽporali.*

m DIco ergo quòd sicut in alijs commutationibus, &c. Hæc est secunda conclusio Doctoris in hac quæstione contra prædictam sententiam, in qua dicit non medium rei in se spectari in satisfactione, vt acceptatur à Deo pro æquiualenti: sed medium rectæ rationis, in quo datur secundùm arbitrium prudentis æstimationis, latitudo inter summum, & infimum, & secundùm iustitiam commutatiuam; vt *suprà* determinauit *dist.* 15. *q.* 2. §. *Alia translatio circa finem.* Vnde sicut commutatiua respicit pretium, & seruat æqualitatem hanc non in indiuisibili, sed iuxta latitudinem prædictam; ita etiam vindicatiua inquantùm in hoc imitatur commutatiuam, commutando satisfactionem pro pœna, sufficienter adæquat pœnam, si seruet latitudinem iuxta rectam rationem; neque requiri vt attingat indiuisibile pœnæ. Quem sequuntur Gabriel *in hac dist.* 18. *q.* 1. *art.* 1. *not.* 5. *conclus.* 2. Maior *dist.* 20. *q.* 1. Medina *C. de Confessione, q. de effectu pœnitentiæ iniunctæ.* Sotus *eadem* 20. *quæst.* 1. *art.* 3. Eandem tenent omnes nostræ scholæ Doctores in prædictis locis.

Probatio conclusionis ex potestate clauium.

His positis probat Doctor conclusionem. Primò ex auctoritate, quam habet confessarius ligandi, & soluendi, seu arbitrandi inter Deum, & peccatorem. Nulli committitur potestas arbitrandi in causa aliqua, cuius arbitrium nunquam erit ratum ex quacumque adhibita diligentia: sed tantùm à casu, vel per miraculum, id est, præter scientiam, & intentionem iudicis, sed ex mero casu, vel certè per reuelationem specialem Dei, quæ non conceditur ordinariè Sacerdotibus; sed ex sententia opposita id sequitur, si Deus determinauit debere correspondere puncto indiuisibili pœnæ secundùm medium rei, quod nequit attingere, nisi ex casu, aut miraculo: ergo non potest iudicare, seu arbitrari Sacerdos de pœna temporali, & satisfactione ei correspondente. Confirmatur, quia non est probabile quòd in hoc dederit authoritatem arbitrandi Ecclesiæ, cuius arbitrium ratum habet, in eo quòd nequit attingere nisi casu, vel miraculo.

Non respicit casum, aut miraculum.

Confirmatio.

68 *Responsio.*

Ad hanc rationem respondent præfati authores, non esse inconueniens, vt nesciat Sacerdos attingere medium indiuisibile rei, quin maiorem, aut minorem pœnam iniungat, pœna iniuncta tantum valebit, quantum proportionatur pœnæ, quam Deus peccato præscripsit secundùm legem, cuius indiuisibile punctum omnino nescitur: sufficit enim vt Confessarius humano modo iniungat pœnam considerata grauitate peccati, & statu peccatoris, & modo conuersionis, & cæteris circumstantiis. Vnde aliquando propter peccatum leuius ratione scandali annexi pro satisfactione aliorum debet iniungi pœnitentia maior, vt olim in Ecclesia fiebat.

Contrà: hæc responsio non soluit argumentum, quia clauis potestatis non potest consistere sine claui scientiæ, vt suo loco tractauimus: sed confessario non tantùm data est potestas soluendi quoad peccatum, & pœnam æternam: sed etiam quoad pœnam temporalem debitam, & ligandi pœnitentem per satisfactionem congruam: ergo etiam pœna temporalis constituta est sub arbitrio, & scientia Sacerdotis, etiam quoad modum istum: quod decernere potest secundùm determinationem clauis scientiæ. Antecedens est certum ex Conciliis, vt Nicæno *cap.* 12. *tit. de pœnitent. & remissionibus, d.* 6. *de pœnitent. cap. Mensuram,* & 26. *quæst.* 7. & nouissimè ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere,* &c. Patet idem ex Canonibus pœnitentialibus, in quibus pœnitentia, & tempus eius perficiendæ præscriptum est; modus etiam conuersionis, & grauitas peccatorum attenditur: ita vt pro grauioribus maiores etiam satisfactiones exigantur, non solùm respectiuè ad ædificationem proximi, & Ecclesiæ; aut etiam in medicinam: sed etiam in vindictam peccatorum, quæ contra Deum sunt commissa; vt patet ex locis citatis ex Tridẽtino; & hoc ad effectum seruandæ æqualitatis, & medium iustitiæ inter peccatorem, & Deum offensum: ergo Deus commisit hoc iudicium Ecclesiæ, ad quod tenentur Sacerdotes ex natura huius fori, & diuino præcepto, si status, & facultas pœnitentis id permittat. Ex quo patet prima consequentia.

Impugnatio. Clauis potestatis dependet à claui scientia.

Trident.

Praxis Ecclesiæ antiqua, & moderna præscribendi satisfactionẽ.

Confirmatur, potestas iudiciaria commissa Ecclesiæ regulatur per scientiam humanam, siue per fidem, siue per prudentiam fundatam: quia aliter nequit fundari potestas iurisdictionis in Ecclesia sine regula sufficiente, & directiua, ex qua decerni posset medium debitum iustitiæ. Ad prædicta autem reuocatur scientia huius status: 69

Confirmatio. Regulatur potestas commissa per scientiam humanã, & fidem.

Ex prædicta regula potest determinari medium.

status: ergo ex prædicta scientia, & regula potest determinari medium sufficiens, quoad diuinam acceptationem, vltra quod Deus aliud non exigit, medium, inquam, satisfactionis, quo deleatur tota pœna debita peccato. Consequentiam negant præfati authores. Sed probatur, omne iudicium fundatum in potestate plenaria, & non reseruata in aliquo foro, potest terminari completè in illo foro secundùm leges, & regulam ipsius fori: sed Ecclesiæ cōmissa est potestas plenaria iudicandi reum in hoc foro quoad peccata omnia, Deo sibi nihil reseruante, & accessoriè; recepit etiam sine vlla reseruatione potestatem vindicandi peccata quoad pœnam temporalem: ergo potest attingere medium iustum, & debitum satisfactionis per regulam & potestatem concessam huius fori, quoad diuinam acceptationem, si præscribat satisfactionem integram, quam iudicat sufficientem ratione delicti, secundùm medium, quod dictat regula ipsius fori, & recta ratio.

Causa per potestatem plenariam, & nō reseruatam terminari potest.

Talis data est Ecclesiæ.

70 *Probatio consequentiæ ex præcepto imponendæ satisfactionis.*

Probatur consequentia ex natura potestatis receptæ, & præcepti, ex quo redundat obligatio eius exercendæ, iniungendo satisfactionem pro pœna temporali iuxta qualitatem delicti: quia si obligatio tantùm respiceret vindicationem peccati ad satisfactionem Ecclesiæ, aut etiam aliorum, vel etiam ad correctionem tantùm peccatoris per modum medicinæ, non est fundamentum, vnde dicamus per eam tolli aliquid pœnæ debitæ peccato in altera vita, & secundùm diuinam iustitiam, quod nemo dicit, aut dicere potest: de fide enim est opera satisfactoria, siue per clauem imposita, siue spontaneè assumpta, remittere pœnam alterius vitæ temporalem, & proinde a Deo acceptari per modum satisfactionis condignæ, & secundum medium iustitiæ: ergo potestas iudiciaria quoad satisfactionem imponendam data Ecclesiæ sine vlla limitatione, ex diuina institutione, & acceptatione (cùm sit actus iustitiæ vindicatiuæ seruans medium commutatiuæ inter delictū, & satisfactionem) respicit aliquod medium possibile attingi secundum rectam rationem, & regulam huius status, in quo est concessa, vltra quod, si statuatur, Deus aliam satisfactionem, aut pœnam non exigit.

71 *Præceptum imponendæ satisfactionis iuxta qualitatem delicti.*

Patet consequentia ex inconueniente assumpto: quia si præcepto huius potestatis exercendæ, secluso alio impedimento, tenetur confessarius imponere satisfactionem iuxta naturam, & qualitatem delicti in vindicationem peccati, nō pro culpa, aut pœna æterna, sed pro pœna temporali, vt definit Tridentinum *sess. 6. cap. 14. & loco iam citato cap. 8.* Sequitur Deum voluisse satisfactionem imponendam esse in ea mensura, quam exigit delictum regulariter, sed hoc præceptum nequit aliter interpretari, nisi quatenus ex natura fori datum est, ad finem seruandæ iustitiæ, & ponendæ æqualitatis debitæ: quia alius finis illius præcepti assignari nequit, inquantùm præcisè respicit vindicationem debitam peccati, ex quo fine debeat interpretari natura ipsius præcepti, quod est iustitiæ vindicatiuæ: ergo cùm Deus voluerit ex natura fori, & præcepti seruari æqualitatem, sequitur in potestate Ecclesiæ esse attingere illam æqualitatem, & medium eius, vltra quod Deus non exigit aliam pœnam. Vel certè dicendū esset Deum vltra pœnā reseruatam pro altera vita, determinasse aliam pœnam æqualem etiam in hac vita iniungendum esse pro peccato,

Supponit attingi posse medium ex regula fori.

Finis præcepti.

& eius mensura, & sic punire bis in idipsum, quod eius misericordiæ non congruit, vt nemo ita factum esse docet. Restat ergo, & sequitur Deum præscripsisse hunc modum vindicandi peccatum suæ Ecclesiæ, quo etiam potestas concessa seruet medium iustitiæ, & æqualitatem, quam solus Deus exigit. Hæc æqualitas sequitur determinationem regulę, quæ est recta ratio, quæ dictat de medio, non secundùm indiuisibile Mathematicum, sed secundùm latitudinem, vt in aliis commutationibus contingit, quæ est conclusio Doctoris; non autem dictat casualiter, sed ex principiis cognitis, & secundùm prudentiam, qua attingit medium.

Probatur secundò eadem consequentia principalis, in qua versatur controuersia: probatur autem ex fine diuinæ institutionis, qua voluit aliter remittere peccata in Baptismo, aliter in hoc foro: si consideremus finem ex parte diuinæ voluntatis, est ostensio suæ iustitiæ, & clementiæ, vt decernit Tridentinum *loco citato cap.* 8. Motiuum iustitiæ fuit ingratitudo peccatoris, qui post plenariam in Christo indulgentiam peccatorum quoad culpam, & pœnam per Baptismum receptam, denuò immemor beneficij peccat. Motiuum clementiæ fuit fragilitas etiam nostra, ne ex facilitate veniæ contemnamus peccata, si sine satisfactione nobis dimitterentur: quia onus satisfactionis adimplēdæ retardat hominem à peccato, vt ibi Concilium docet. Alius etiam finis assignatur *ibidem*, nempe vt peccator per opera satisfactoria redimendo pœnam configuretur Christo, & eius passioni. 72

2. Probatio. Ex diuina institutione, & modo peculiari remittendi peccata in hoc foro.

Finis reseruatæ pœnæ temporalis.

Ex quibus sic argumentor. Concilium statuit differētiam inter modum, quo Deus recipit peccatorem in gratiam mediante Baptismo, & modum, quo recipit mediante pœnitentiæ Sacramento, in hoc præcisè quòd in Baptismo sit remissio plenaria sine opere satisfactionis: in pœnitētia verò exigat Deus satisfactionem pro pœna temporali, quam alioquin non remittit sine satisfactione, & exhibita satisfactione par est indulgentia Baptismi, & pœnitentiæ: & consequenter satisfit diuinæ iustitiæ: quæ talem satisfactionem dandam ordinauit, & datam acceptat: ergo non exceditur vindicatio peccati secundùm diuinam iustitiam vltra satisfactionem debitam: quod etiam aduersarij nobiscum cōcedunt, modò satisfactio sit competens, & proportionata pœnæ, & peccato: sed hæc satisfactio, de qua hìc loquitur Concilium, est tertia pars pœnitentię; nam de satisfactione spontanea, & alia diuinitùs inflicta à Deo, & humiliter tolerata agit *c. 9.* hìc autem, vt dixi, de satisfactione pœnitentiali, quam imponere debent confessarij, qui receperunt clauem non solùm absoluendi, sed etiam ligandi; & quam tenentur imponere iuxta naturam delicti, & facultatem pœnitentis, etiam in vindictam, & castigationem peccatorum, vt ibi Concilium: ergo interpretatur non solùm esse potestatem iniungendi hanc satisfactionem, sed posse determinare medium iustum eius, quo Deo satisfiat, & attingatur finis huius institutionis, ex quo Deus præscripsit satisfactionem, nempe iusta castigatio peccatoris, & correctio eius ex rigore satisfactionis, ne ampliùs peccet. 73

Exigitur satisfactio.

Tertia pars pœnitentiæ.

Sensus Concilij.

Patet consequentia, quia institutionem satisfactionis colligit Concilium esse ad placandam diuinam iustitiam, eique satisfaciendum, cuius minister est Sacerdos, quantū spiritus & pruden- 74

Probatio consequentiæ.

tia

tia suggerit, pro qualitate criminum, & facultate pœnitentis pœnitentiam conuenientem iniungens, vt dicit Concilium: ergo potest pro qualitate criminum conuenientem decernere, prout spiritus, & prudentia suggerit. Hæc autem satisfactio est conueniens, quæ placat diuinam iustitiam: ergo medium talis satisfactionis potest decernere, & discernere confessarius ex regula prudentiæ:& consequenter illa satisfactio sic iniuncta erit sufficiens tum ex fine diuinæ iustitiæ, quæ decernit pœnitentiam conuenientem sic iniungi in hoc foro: tum etiam ex fine diuinæ clementiæ, quo præscribitur talis satisfactio, qua peccator deinceps terreatur à peccato: quoniam ad vtrumque finem habet sufficientem proportionem satisfactio sic iniuncta ex qualitate delicti: & hic est finis proximus tam iustitiæ, quàm clementiæ, vt per talem satisfactionem conuenientem terminetur complete iudicium in hoc foro, & in vita præsenti, cuius opera habent sufficientem proportionem ad ponendam æqualitatem; in quem finem, & confessarius recipit potestatem ligandi ex Concilio, & diuinum præceptum ad iniungendum regulariter satisfactionem debitam iuxta qualitatem delicti.

Satisfactio congrua, & acceptata à Deo attingi potest.

75 Confirmatur, non requiritur proportio quoad punctum Mathematicum inter opera satisfactoria vitæ præsentis, & pœnam purgatorij secundùm intensionem, & extensionem; sed tantùm inter peccatum, & pœnam proportionatam, & soluendam hìc: & ille est finis institutæ satisfactionis pœnitentialis; & vt Concilia decernunt, hæc satisfactio iniungenda est secundùm qualitatem criminum commissorum: ergo regula iniungendæ satisfactionis est qualitas criminum, grauitas, aut leuitas secundùm speciem, & circumstantias; sed potest Ecclesia, & Sacerdos attingere regulam certam iudicandi de criminibus, & præscribere secundùm hanc, mensuram satisfactionis quoad intensionem, & extensionem, ita vt opera satisfactoria in æstimatione morali adæquent crimina quoad grauitatem pœnæ præsentis iniunctæ, & diuturnitatem eius, considerato etiam modo conuersionis, quæ aliquando talis est, vt ipsa sola sufficiat ex perfectione sua delere totam pœnam in diuina acceptatione. Defectum etiam conuersionis potest supplere perfectio satisfactionis iniunctæ, modò expleatur vt oportet.

Confirmatio.

Proportio satisfactionis nō attēditur respectiuè ad pœnam Purgatorij, sed ad peccatum cōmissum.

Potest attingi medium inter peccatū & satisfactionem.

Deus autem non ita reseruauit pœnam peccato, vt aduersarij putant, sub illa determinatione, quasi voluerit soluendam in purgatorio ex primario fine: sed potiùs voluit soluendam hìc, seruata mensura delicti, per castigationem voluntariam, & ex sententia Ecclesiæ vindicantis delictum hoc modo: ideòque suadet vt faciamus dignos fructus pœnitentiæ, redimamus peccata nostra: ergo magis principaliter intendit peccatum castigari pœna proportionata statui præsenti, quàm in purgatorio: neque decreuit pœnam purgatorij nisi ex omissione pœnæ proportionatæ in statu viæ: hæc autem est secundùm mensuram delicti cognoscibilis, & subiecta Ecclesiæ: ergo, &c.

Deus ex fine primario remissionis, & pœnitētia intenedit satisfactionē huius vitæ.

76 Ex his patet secunda ratio Doctoris, quæ in hoc consistit, quòd arbiter non teneatur arbitrari inter partes secundùm voluntatem ignotam alterius partis: sed in hoc foro Sacerdos est arbiter inter Deum, & peccatorem: voluntas autem Dei est ipsi ignota quoad punctum, scilicet indiuisibile pœnæ iuxta modum, quo Magister statuit determinationem pœnæ factam à Deo, quoad aliquod indiuisibile reseruatum, & omnino ignotum: ergo cum hoc non rectè cohæreret potestas arbitraria data Sacerdoti, cùm nequeat de causa sic cognoscere ex regula potestatis traditæ, quæ debet conuenientem satisfactionem, & proportionatam mensuræ delicti præscribere, vt superiùs in primo argumento, & in probatione consequentiæ principalis ex natura fori, & præcepti, & ex fine diuinæ iustitiæ, & clementiæ est deductum.

Ratio Doctoris explicatur.

Tertia ratio est, quia tenetur pœnitens adimplere pœnitentiam iniunctam, etiamsi maior sit, quàm illa pœna, quæ peccato debetur: ergo si etiam adimpleat pœnam conuenientem iniunctam, licèt in aliquo non attingat rigorem indiuisibilem pœnæ determinatæ à Deo, & soluendæ in purgatorio sufficienter satisfaciet, aliàs non oporteret explere aliam vltra illud punctum indiuisibile diuinæ iustitiæ, id est, si ratum est iudicium Sacerdotis imponentis pœnitentiam, quę excedit debitum, & pœnam ei debitam, ita vt pœnitens tali pœna sit ligatus coram Deo: ita videtur dicendum in altero casu, in quo deficiat in modico, pœnitentia ab illa pœna, quam Deus decernit, vt remittatur etiam pœna per talem pœnitētiam, & ratificetur iudicium coram Deo.

3. Ratio ex obligatione pœnitentiæ.

77 Confirmatur hæc ratio: quia alioquin non datur certum fundamentum obligationis pœnitentię ad satisfactionem explendam, si ratificatio sententiæ sit suspensa & incerta, nisi attingatur determinatum punctum præfixum à diuina voluntate, neque ex alia parte Ecclesia, aut Sacerdos habet potestatem obligandi ad dictam satisfactionem exhibendam in opere, & sic esset tantùm opus consilij, & non præcepti: ergo satisfactio non regulatur per illud indiuisibile pœnę, neque consequenter diuina acceptatio, aut raficatio illi ligatur. Antecedens probatur, quia potestas præcipiendi, sicut & ipsum præceptum, & lex supponit determinatam, & certam regulam, ex qua decernatur, vel secundùm quam iudex, aut legislator humanus, & inferior decernat; & hæc regula debet esse nota, sed iudex in hoc foro debet sententiare ad satisfactionem tāquam minister, & inferior, conformiter ad primam regulam, seu voluntatem Dei, per quam ratificari debet eius sententia, vt teneat: quia agit vt minister Dei, & iudex institutus in hoc foro: ergo si voluntas Dei est ipsi ignota, & incerta, potestas eius in quantùm præcipit, non procedit ex regula certa, & nota; & consequenter non validè præcipit: neque pœnitens validè obligatur. Patet consequentia à simili in foro externo, non validè iudex inferior fert censuram sine causa sufficiente, & nota ipsi: neque est alia ratio, nisi prædicta. Ergo similiter ita hìc dicendum erit, quod est inconueniens.

Confirmatio. Aliàs destrueretur obligatio perficiendæ satisfactionis.

Inferioris sētentia supponit regulam certam, & notam.

Exemplum ex potestate fori externi.

78 Dices notū esse Sacerdoti, & Ecclesiæ remanere regulariter pœnam temporalem post remissum peccatū virtute clauium, nisi excessus conuersionis, & doloris compenset pœnam, & hanc regulā sufficere, vt iniungatur aliqua satisfactio.

Responsio.

Contrà: regula superior ordinat, vt secundùm mensuram delicti sit & plagarum modus, & vt satisfactio iniungatur iuxta qualitatem delicti, & facultatem pœnitētis. Demus ergo pœnitentem posse satisfacere sicut spontaneè, ita etiā ex præcepto

Impugnatur. Præceptum satisfactionis comprehendit modum eius, & mēsuram.

cepto per opus impositum: tunc autem attendi debet mensura delicti; & proportio debita satisfactionis: quia vt probatum est, ideò hæc potestas data est Sacerdoti, vt vindicet condigne peccatũ commissum. Sed huius vindicationis nequit esse regula sufficiens Dei volũtas secreta, & omnino ignota: ergo alia regula ignota debet assignari; vel certe sententia non ligabit, vt procedit a regula ignota, & incerta, imò nulla respectu delegati iudicis. Hæc autem regula nota est qualitas delicti, omnibus pensatis, & proportio pœnæ satisfactoriæ sufficiens, quam proinde præscribens confessarius nec errat, & Deus acceptando talem satisfactionem ratificat sententiam eius.

Fundamentum aduersæ sententiæ.

Ex his patet ad fundamenta oppositæ sententiæ, quæ in hoc solo versantur, vt proportio satisfactionis pœnitentialis, vt iudicatur sufficiẽs, & condigna debeat sumi in ordine ad pœnã alterius vitæ, quæ cùm sit determinata per diuinã iustitiam, & ad certam mensuram, quam nequit Sacerdos, aut tota Ecclesia cognoscere; ideò nequit attingere inter illam, & satisfactionem, debitam æqualitatem, ac proinde tantùm valebit satisfactio iniuncta à confessario, inquantùm commensuratur illi pœnæ, & non aliter: quia illa pœna non tollitur, nisi per condignam satisfactionem, & æqualem.

79 *Responsio. Suppositio falsa.*

Respondetur negando suppositum hoc: quia diuina iustitia, vt dictum est, non ita determinauit pœnam temporalem debitam peccato, & determinatè obligando ad pœnam alterius vitæ, sed vel pœnam condignam in hac vita per satisfactionem conuenientem exhibendam, vel certè in altera vita. Quin etiam pœnam huius vitæ per condignam satisfactionem magis intendit, seu primariò, vt patet ex institutione Sacramenti; & potestate data Sacerdotibus, vt arbitris, & præcepto etiam ex natura fori, quo tenentur mentiri satisfactiones imponendas iuxta qualitatẽ delicti, ad quam respicere debent præscribendo opus satisfactorium, non verò ad pœnam alterius vitæ, quæ non spectat ad forum ipsorum, & de qua nõ habent ius, aut potestatem cognoscendi: estque alterius rationis à pœna satisfactoria huius vitæ, quæ spectat ad clauem potestatis, & scientiæ Sacerdotalis, & æquiualens in diuina acceptatione. Vnde si Sacerdos sequens regulam Canonum, & prudentiæ ex quibus percipere potest qualitatem delicti, imponat satisfactionẽ dignam, & æqualem in prudenti æstimatione secundùm medium rectæ rationis, ratificatur iudicium eius; quia perfectè applicat merita passionis Christi, per opus tale iniunctum, & vindicat peccatum secundùm regulam præscriptam, neque aliud vltrà Deus exigit.

Satisfactio pœnitentialis respicit qualitatem delicti.

Confessariũ nõ cognoscunt de pœna alterius vitæ, neque ad forum suũ spectat.

80 *Fauentini dubitatio.*

Fauentinus noster plurimùm hæsitat *hac dist. disp. 35. in fine*, si possit Ecclesia, aut confessarius inuenire aliquam regulam determinatam, ex qua possit præscribi æqualitas satisfactionis pro peccato mortali, aut pœna temporali ei debita, & videtur rem in incerto statuere. Cæterùm hæc perinde inconueniẽs est, sicut & sententia, quam impugnauimus: neque res adeò obscura est, vt medium rectæ rationis, quod sufficit, attingi non possit, quia pœna præscripta à Deo ordinatur per satisfactionem humano modo possibilem attingi à viatore, & præscribi ab Ecclesia secundùm regulam rectæ rationis, quæ desumitur ex qualitate peccati: sicut autem iudicium Ecclesiæ de natura, & qualitate peccati non vacillat; sed ex lege, cui opponitur, habetur pensatis omnibus eius circumstantiis, quæ in confessionem cadunt, idque in ordine ad absolutionem, & sententiam; ita similiter ad eandem sententiam, & æquali certitudine spectat discernere opera satisfactoria, congrua in ratione pœnæ, & valoris, quę peccatum ipsum sufficienter ordinãt secundum æqualitatem iustitię: vltra quam Deus aliud non exigit, aliàs impossibilis esset hominis satisfactio, cuius nullam haberet certam regulam, neque iudicium Ecclesiæ esset firmum. Si ergo qualitatem peccati rectè iudicat Ecclesia, & gradum oppositionis eius ad virtutem, & legem, potest etiam discernere illa opera, quæ æquiualent in ratione boni, & pœnæ ipsi peccato, quę si pręscribuntur, erunt sufficiens, & æqualis satisfactio, vt innititur meritis Christi, & efficaciæ clauium: verbi gratia, ponamus aliquem violasse ieiuniũ in vigilia, sufficiens satisfactio erit, si præscribatur ei ieiunium vnius, aut plurium dierum, cũ oratione, & eleemosyna, & huiusmodi. Quòd si ieiunare non possit, compensetur ieiunium per alia opera mortificationis, & aliarum virtutum, vel frequentationem Sacramentorum, opera indulgentiarum, quæ æquiualent satisfactioni pœnitentiali: neque enim ita in hoc puncto Spiritus sanctus assistens Ecclesię, & Doctoribus eius, ipsos deseruit, vt regulæ eorum receptæ, praxi, & rationi innitentes sint omnino friuolæ, aut humanæ inuentionis, nec certo fundamento adhærentes. Scimus enim satisfactionem esse ex genere suo redditionem æquiualentis pro æquiualente aliàs indebiti. Scimus vlteriùs præscriptum esse Sacerdotibus ex regula huius fori, vt seruent æqualitatem inter satisfactionem, & peccatum commissum spectata facultate pœnitentis. Scimus tertiò Deum non exigere vltra satisfactionem æqualem delicto. iudicium autem Ecclesiæ, & Doctorum de oppositione peccati ad legem Dei, eiúsque specie, & grauitate est fundatum ex cognitione legis: & idem dicendum est de iudicio eorum, quantùm ad naturam, & valorem boni operis, per quod ordinari debet peccatum, tanquam per satisfactionem æqualem, qua Deo restituitur debitum. Ex quibus omnibus potest stare sufficiens regula determinandi satisfactionem æqualem secundùm medium prudentiæ, seu rectæ rationis, & assistentiam specialem, quam habent arbitri ex suo munere (si agant quod in se est) ad profectum pœnitentum.

Decidítur ex dictis.

Regula decernendi, & discernẽdi satisfactionem certa.

Regula discernendi peccatum, & satisfactionem.

Exemplum.

Modus præscribendi satisfactionem.

Ex his sequitur altera conclusio Doctoris, nempe si Sacerdos non seruet latitudinem debitam satisfactionis ab eo deficiendo, vel notabiliter excedendo iudicium, illud non esse ratum in cœlo: tenetur quidem pœnitens ex præcepto Ecclesiæ, cui se subiecit ad implere pœnitentiam acceptatam, vt in tertio argumento docet: sed exhibitio actus compensabitur à Deo per remissionem alterius pœnæ debitæ, vel ad meritum gratiæ, & gloriæ; quia liberalis est in donis suis, nec opera iusti relinquit sine præmio: quòd si satisfactio erit deficiens, acceptabitur pro rata, & valore suo. Addit præterea quòd si satisfactio æqualis imposita non adimpleatur, exigi pœnam ipsi correspondentem in altera vita, quod est consequens ad dicta: quia pœna aliàs temporalis debita pro delicto fuit virtute clauium commutata in illam satisfactionem, deinceps ratio exigitur, si omittatur. 81

2. Conclusio. De satisfactione nõ seruante æqualitatem.

Si excedit, compensabitur.

Si deficiet, acceptatur pro rata.

Satisfactio nõ adimpleta soluitur in altera vita.

SCHOLIVM.

Pœnitentem non acceptantem pœnitentiam etiam moderatam à Sacerdote, adhuc misericorditer absoluendum. De quo supr. d. 15. q. 1. art. 3. & d. 17. num. 22.

27 *An teneatur peccator acceptare pœnitẽtiam à Sacerdote.* SEd [n] nunquid pœnam à claue non errante impositam tenetur pœnitens adimplere? Respondeo quòd sic, si velit se submittere Sacerdoti huic; & quantùm ad absolutionem culpæ, & quantùm ad susceptionem pœnæ totalis correspondentis: quia tunc obligatur præcepto Ecclesiæ, cui se voluntariè submisit.

Si autem tantummodò se velit submittere huic quantùm ad commutationem pœnæ æternæ in temporalem, & non quantùm ad taxationem pœnæ totalis, sed tantùm quantùm ad illam, & illius taxationem, vult se subdere manui Dei, vel hîc, vel in purgatorio: non expediret talem sine absolutione repellere: tunc enim recederet desperatus: nec videtur propter istam voluntatem esse in peccato mortali, cùm conteratur de peccato, & velit puniri pœna condigna pro eo, & ab eo cuius est, iustè eam infligere; licèt nolit eam sibi infligi ab isto Sacerdote, nec ipsemet velit eam recipere, vt sit minister ipsius infligendæ.

28 Nec potest dici hunc inobedientem Ecclesiæ esse, quia potest se submittere arbitrio Ecclesiæ quantùm ad iudicium illud pœnitentiale, ad quod necessariò tenetur se submittere, licèt nolit se submittere illi sequenti. Et patet quòd illud non includitur necessariò in primo, quia Sacerdotes, primo existente quantumcunque vniformiter, valdè variant sequens. Vnde & frequenter propter voluntatem confitentis ad subeundum pœnam non magnam, dant aliquam modicam, prædicendo sibi, quòd oportet residuum soluere in purgatorio: & cùm illa parua sit manifestè improportionata culpæ, & omnino extra illam latitudinem, non propter hoc non recipit talis Sacramentum Pœnitentiæ.

Eodem modo videtur quòd potest omnino pœnam nullam sibi imponere, propter resistentiam eius ad sustinendum, prædicendo sibi quòd totam illam pœnam oportet soluere in purgatorio, & Augustinus hoc innuit, quòd si tali vix inclinabili imponatur pœnitentia aliqua displicens, timendum est ne inde accipiat occasionem recidiuandi in peccatum mortale: quia proiiciendi illam pœnitentiam, in quo peccabit mortaliter, postquam voluit se submittere Sacerdoti in eius susceptione.

Clauis errat quando non bene examinatur reus. Sed [o] dato, quòd erret clauis scientiæ, non tamen potestas clauis, nunquid arbitrium ratificatur in cœlo? Respondeo, clauis scientiæ errat, quando nec benè requiruntur, nec examinantur illa, quæ pertinent ad hoc iudicium; vtpote si circunstantiæ aliquæ fatuæ, quæ nec aggrauant, nec alleuiant, sed placent auribus prurientibus confessoris: si etiam non requirit de attritione confitentis, sed tantummodò, vt audiat eum, ac si narraret vnam narrationem, vel fabulam. Et in primo quidem licèt aliquid fiat, quòd non esset faciendum, si tamen nihil omittatur, quod esset faciendum, vtpote circunstantiis non requirendis requisitis, requiruntur illæ, quæ essent requirendæ, potest sequi rectum iudicium, sed in secundo omissa requisitione displicentiæ confitentis, non potest sequi rectum iudicium, nisi casualiter.

29 *Dupliciter potest errare clauis, positiuè, & priuatiuè.* Breuiter [p] ergo dico, quòd si clauis scientiæ erret, exequendo non necessaria ad illam causam, vel illicita, peccat confessor: sed si nihil omittat de necessariis ad cognitionem causæ, potest rectè iudicare. Si autem errat clauis scientiæ, omittendo aliquid, quod est necessarium ad causæ cognitionem, & peccat, & non potest rectè iudicare, nisi à casu, & potissimè de attritione, vel contritione confitentis.

Quòd si pœnitens ostendat se dolentem, cùm tamen non sit: est fictus, & recedit à vera pœnitentia, & cum nouo peccato: nec clauis scientiæ errat, sed pœnitens in periculum sui errat: & tunc ratificatur iudicium Sacerdotis in cœlo, hoc est; quòd fecit quod suum est: quia vt homo non potuit cor videre, nisi per signa exteriora: sed non ratificatur quantùm ad illum suscipientem, quia non est capax istius, sicut ostendit se capacem.

An valeat absolutio eius, qui omisit bene inquirere, vel intelligere mẽtem pœnitentis. Sed esto quòd non aliquo necessario omisso à casu, fecit iustam sententiam? Respondeo, ratificabitur quantùm ad suscipientem, si non est fictus, ita quòd sibi sufficiet illam pœnam implere: sed non ratificabitur ex parte confessoris, quin peccet errando; & isto modo oportet distinguere, quòd aliquando ratificabitur arbitrium ex vtraque parte, scilicet tam Sacerdotis, quàm suscipientis, aliquando ex parte illius, non istius.

COMMEN

COMMENTARIVS.

82 SEd nunquid pœnam à claue non errante, &c. Hanc difficultatem tangit Doctor *supra d.15.q.1.§.de 2.Principali*, & obiter *d.17.quæst.1. art.2.§.Continet etiam qualiter.* Magis ex proposito hîc, & in priori loco, *d.15.* circa hoc punctum occurrit controuersia, An Sacerdos possit obligare pœnitentem ad satisfactionem. Communis sententia est affirmatiua, quam sequitur Suarez *disput.38.sect.7.conclus.1.* Vasquez *q.94. art.2.* dubio citantes tam veteres, quàm antiquos pro eadem sententia, quos breuitatis gratia hîc transcribere non est necesse.

An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiã iniunctam.

Prima sentẽtia affirmatiua.

Secunda sententia negatiua.

Secunda sententia est pœnitentem non obligari acceptare pœnitentiam iniunctam, neque consequenter Sacerdotẽ posse eum ad hoc obligare. Hæc tribuitur nostro Doctori in locis citatis: quam sequitur Gabriel *in hac dist.q.1.art.3. dub.1. & d.16.art.3.dub.5.* Medina *tract.5.q.45.* Syluester *verbo Confessio q.25.* Armilla *v.Confessio.§.29.* Nauar. *in Summa c.26.* Hostiensis, & Panormitan. *in c.Significauit, &c.de pœnitent. & remissionibus:* & frequentiùs Doctores nostrę Scholæ. Caietan. etiam *in Opusc.tract.6.q.2.* vbi non solùm negat acceptare teneri pœnitentem: sed etiam non teneri acceptatam adimplere. In quo tam Vasquez, quàm Suarez, quibus accessit Soto *d.20.q.2.art.2.* dicentes eum magis consequenter loqui, quàm loquatur Doctor, id negando.

83 In primis meo videri noster Doctor non tenet absolutè hanc sententiam, quæ eidem communiter imponitur à Doctoribus vtriusque scholæ; multum enim interest inter hoc, quod est Sacerdotem habere potestatem obligãdi, seu ligandi ad opus satisfactoriũ, & inter hoc, quod est vti hîc & nunc in casu tali potestate, & an congruat non vti, quando aliàs in pœnitente est periculum damnationis, & desperationis. Doctor non docet in Sacerdote nõ esse potestatem ligandi, & obligandi pœnitentem absolutè: sed contrarium docet, cùm dicat teneri eum pœnitentiam acceptatam adimplere sub pœna peccati, quæ obligatio nulla esset, nisi potestas ligandi induceret obligationem; in qua fundatur hæc obligatio, non in sola acceptatione pœnitentis; *Tunc enim*, inquit, *obligatur præcepto Ecclesiæ, cui se voluntariè submisit.* Ponit ergo Doctor casum in primo loco *dist.15.* vbi docet modum, quo confessarius se debet gerere circa quosdam peccatores, ne per satisfactionem impositam exponantur periculo peccandi eam omittendo.

Negatiuã non docuit Doctor.

Explicatur sententia vera eius.

84 Primum assignat doctrinam generalem, vt satisfactionem congruam peccato imponat. Deinde admonet vtendum esse discretione, ne imponatur pœnitentia nimis disconueniens; sed illa quæ meliùs congruat pœnitenti, & quam faciliùs adimplebit: verbi gratia, ne pauperi imponatur satisfactio per eleemosynam, quam nequit ex penuria adimplere. Vnde Tridentinum docet vtendum esse prudentia spectata facultate pœnitentis. Deinde non esse imponendam satisfactionem per orationem prolixam, quæ non congruit eius penuriæ, vt qui laborare debet pro victu necessario acquirendo. Et idem docet de ieiunio ex simili ratione, quia deficerent ei vires necessariæ: in his autem tribus generibus operum, ieiunij, eleemosynæ & orationis in præcedentibus docet regulariter consistere, & præscribi satisfactionem, vt *ibidem* super textu eius dictum est. Cæterùm admonet confessarium ex causa iusta, & in casu posse aliam pœnitentiam iniungere, vt *ibidem* docuit de paupere ob impossibilitatem operis, vel certè magnam difficultatem, quæ impossibili in re morali æquiparatur. Tandem subiungit inducendum esse pauperem ad tolerantiam laborum, & penuriæ propter peccata, & iniungendum esse aliquam pœnitentiam, quam adimplere potest, quousque saltem alia facultas satisfaciendi offeratur. Item, dicit de diuite delicato, & lapso in peccatum carnis, qui nequit ieiunare, imponendam esse aliam pœnitentiam eleemosynæ, & orationis.

Regula generalis imponẽdi satisfactionem.

Satisfactio debet respicere facultatem pœnitentis.

Tandem subiungit casum, in quo pœnitens nullam pœnitentiam acceptare vellet. Cæterùm alia requisita, vt dolorem de peccatis, & propositum firmum emendationis habet: quamuis patiatur repugnantiam adimplendæ, aut acceptandæ satisfactionis: *Absoluendus est*, inquit, *& non respuendus, ne cadat in desperationem, nuntiando ei pœnam quam hîc, vel in purgatorio subire tenetur*, &c. & adducit illud Isaiæ 42. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*, &c. vbi Propheta loquitur de Christo, & eius lenitate, & misericordia quoad peccatores. In hoc loco non loquitur regulariter: sed in casu in quo peccatori esset nimis difficile obligari ad pœnitentiam, ex particulari suo statu, & tentationibus, quas patitur in adimplenda pœnitentia ex obligatione, & de facili casus formari potest: verbi gratia, in scrupulosis, qui sentiunt in se maximas turbationes conscientiæ, & anxietates excitari in quibuscumque operibus obligationis, quibus sæpiùs repetitis nõ quiescunt, neque existimant se omnino satisfecisse. Ideóque Doctor supponit casum, in quo nimis difficile esset pœnitenti satisfactionem impositam adimplere, aut acceptare, non verò quòd ex contumacia, aut impunitate peccandi velit Ecclesiæ claues contemnere. Non negat etiam Doctor potestatem esse in Sacerdote iniungendi pœnitentiam, aut repellendi pœnitentem, suspendendo absolutionem: sed dicit eum debere in eo casu non vti sua potestate, aut durum, & difficilem se gerere; sed ad exemplũ Christi non confringere arundinem quassatam, aut extinguere linum fumigans: sed condescendere intimando obligationem, & debitum, & lucrando illam animam ne caderet in desperationem. Supponit ergo periculum desperationis subesse, quod oritur ex vna parte, quia subtrahitur absolutio; ex alia, quia nequit vincere difficultatem, quam patitur ex illa tentatione, qua nequit acceptare pœnitentiam cum obligatione. 85

Casus quem decidit Doctor.

Loquitur tãtùm in casu.

Casus de scrupuloso, cui difficilis est adimpletio satisfactionis.

Resolutio Doctoris.

In *dist.17.q.1.loco cit.* idem dicit, nempe talem esse magis absoluẽdum, quàm repellendũ, modò habeat propositum recipiendi pœnam à Deo infligendam in hac vita, vel in purgatorio, si tamen acceptarit pœnitentiam, debet habere propositum eius adimplendæ: aliud nihil dicit. 86

In præsenti verò litera dicit non expedire talem repellere sine absolutione: tunc enim recederet desperatus: supponit ergo semper casum particularem, in quo ob difficultatem specialem, quæ in tali persona contingit, ex peculiari dispositione, vt ipse sibi sit minister infligendæ pœnæ,

Circumstãtiæ casus.

pœnæ, aut inducatur noua obligatio per præceptum confessoris, & ad hæc repugnantiam, sicut & ad impletionem pœnitentiæ iniunctæ, & periculum peccati noui: & si subtrahitur absolutio, incidat in laqueum desperationis. In his circumstantiis censet Doctor non esse eum repellendum, sed vtendum esse indulgentia, adducens rationem, ex qua ostendatur id tutè fieri posse sine contemptu Sacramenti, aut clauis, & magis expedire tali personæ: quia ex parte pœnitentis ponuntur omnia per se necessaria; neque est inobediens Ecclesiæ, quia ex rationabili causa non se summittit quoad pœnam satisfactoriam, non verò ex contemptu, aut desiderio impunitatis.

Ratio cur absolui sic expediat.

87 Item, ex parte confessarij ostendit, sicut potest ex causa legitima temperare satisfactionem, vt omnino modicam imponat, sic etiam ex simili causa, quia status huius pœnitentis, & periculum id postulat, potest confessarius licitè absoluere, non imponendo vllam. Ex his ergo apparet Doctorem neque negare potestatem ligandi ad satisfactionem esse in confessario, neque dicere eum teneri talem absoluere, sed magis expedire vt absoluat, non vtendo potestate, quam habet in hoc casu particulari: neque dare regulam generalem, quia sic esset cum omnibus, & quibuscumque agendum: sed præscribere tantùm, quid fieri debeat in casu hoc particulari, vbi salus pœnitentis periclitatur ex desperatione; & alienetur ex toto à Sacramento, ob desperationem incursam ex causis præmissis. Nescio ergo quo fundamento trahatur in sententiam illam, quia neque assertio eius, neque etiam discursus eam continet: licèt rationes, quas insinuat, alij posteriores extendunt extra casum, & circumstantias ad absolutam assertionem, quæ ei adscribitur.

88 His positis probatur sententia Doctoris, vt iam explicata est, supponendo hîc agi de pœnitentia non curatiua, aut præseruatiua à peccato: sed de illa, quæ est merè vindicatiua peccati commissi: & sic argumentor; neque ex parte confessarij, aut Ecclesiæ, aut Sacramenti, aut ipsius pœnitentis aliquid obstat, quin in casu expresso, & talibus circumstantiis valeat absolutio pœnitenti; & eam non solùm licitè, sed etiam ex debito teneatur confessarius impertiri: ergo talis absoluendus est.

Probatio assertionis, vt eâ tenet Doctor.

Nullum esse sufficiẽs fundamentũ negandæ absolutionis.

Antecedens probatur quoad primam partem; hæc obligatio, qua tenetur confessarius iniungere pœnitentiam, vel attenditur ex præcepto, quo tenetur seruare æqualitatem inter partes, nempe Deum, & peccatorem, vindicando peccata, vel ex natura Sacramenti, eiúsque integritate, & reuerentia, vel denique ex obligatione, qua tenetur pœnitenti ad eius profectum. De his duobus vltimis titulis fundandæ obligationis agetur probando reliqua membra illius antecedentis. Nunc probatur hîc non interuenire obligationem ex illo titulo vindicandi peccatum: obligatio ex præcepto seruandi æqualitatem inter peccatum, & pœnam iniunctam regulatur per prudentiam; & etiam mensuratur secundùm facultatem pœnitentis, vt docet Tridentinum; ex natura etiam fori respicit qualitatem delicti, vt sit ipsi proportionata iuxta latitudinem rectæ rationis saltem; sed in his circumstantiis pœnitens est inhabilis ad pœnitentiam subeundam; ex qua constituitur

Non teneri confessarium iniũgere pœnitentiam. Fundamentũ obligationis.

Non oritur obligatio ex titulo vindicandi peccatum.

Pœnitẽs censetur inhabilis ad satisfactionem.

in periculo proximo relapsus eam non adimplendo: ergo non habet facultatem eam adimplendi: vltra autem facultatem nequit obligari ex iustitia, aut medio eius: ergo neque confessarius tenetur, aut potest eum obligare, quia potestas confessoris non excedit materiam subiectam, nempe opus, quod est in potestate pœnitentis, cùm pœnitens sit executor mandati confessarij in se ipsum exequens, tanquam minister opus præscriptum, ideóque supponitur esse in facultate eius.

Vltra facultatem nequit obligari.

Dices, supponi opus esse in facultate pœnitentis. 89

Responsio.

Contrà: Illud non est in facultate pœnitentis secundùm legem, quod vel ex natura operis, aut ex dispositione particulari ipsius pœnitentis ita est difficile, vt censeatur moraliter ei impossibile, & spectatis circumstantiis, aut operis, aut personæ præsumitur non adimpleturus, sed per omissionem eius de nouo peccaturus: ergo neque in potestate confessarij est eum ad tale opus in periculum salutis moraliter certum, & proximum obligare.

Impugnatur.

Quod est difficile, & periculosum non est in facultate.

Secundò, tenetur confessarius sequi regulam prudentiæ, quæ desumitur ex fine, & institutione huius fori: sed finis est salus pœnitentis, & reconciliatio peccatoris, ad quæ non est medium proportionatum satisfactio, quæ iniicit periculum proximum peccandi: ergo neque ex regula prudentiæ, quæ desumitur à fine Sacramenti obligatur imponere satisfactionem in casu.

Confessarius tenetur sequi regulam, quæ non deuiat à fine.

Confirmatur primò. Voluntas ministri, seu iudicis inferioris debet sequi, & conformari voluntati Principis in iudicando; sed ex nullo fundamento colligitur Deum obligare pœnitentem in eo casu ad subeundam satisfactionem: ergo neque Sacerdos ad eam imponendam. Maior patet, quia potestas data inferiori est regulanda secundùm legem, non contra, aut præter legem. Minor probatur, quia voluntas Dei, & legis colligitur ex fine Sacramenti, & institutione satisfactionis, quatenus ex motiuo iustitiæ præscribitur in vindictam peccati, & quatenus ex motiuo clementiæ ad absterrendum à peccato nouo pœnitentem; seu à relapsu: ergo hæc duo motiua, quæ proponit Tridentinum suprà tanquam satisfactionis imponendæ, debent compati in opere satisfactorio: sed satisfactio, quæ iniicit periculum proximum peccandi de nouo, non compatitur cum fine & motiuo clemẽtiæ, quo respicitur abstractio à peccato nouo: ergo talis satisfactio non est præscribẽda etiam ex motiuo iustitiæ, & vindicationis peccati, neque Deus eam præscribit.

Secundò: Deus licèt dederit potestatem ligandi Sacerdotibus, quoad satisfactionem limitatur illa potestas, vt dicit Tridẽtinum, ad facultatem pœnitentis, quæ in præsenti casu non suppetit, vt dictum est, neque ideò violatur iustitia diuina, etiamsi pœnitens non satisfaciat in hac vita, quia manet ei præscripta pœna temporalis à Deo infligenda, vel hîc, vel in altera vita; quamuis ipse voluntariè non assumat opera pœnitentiæ, aut non imperantur congrua à Sacerdote, sed modica; vel nulla: ideóque neque Ecclesia, vt patet ex Canonibus pœnitentialibus aliàs citatis, imponit satisfactionem in articulo, neque confessarij: quia deest facultas eam adimplendi; sed remittũt peccata punienda à Deo 90

Secunda ratio.

Potestas imponendi satisfactionem limitatur ad facultatẽ pœnitentis.

Praxis Ecclesiæ.

Non est incōueniēs aliqua delicta manere impunita in hac vita.

à Deo in altera vita per pœnam condignam: neque vllum inconueniens sequitur, si Ecclesia remittat aliqua delicta punienda ipsi Deo ex peculiari ratione,& dispositione pœnitentis,quando ita congruit eius saluti, quam magis procurare debet ex institutione, & fine primario Sacramenti, quàm vindicare peccatum, quod misericorditer, & ex meritis Christi applicatis remittitur in Sacramento; satisfactio autem ordinatur ob pœnam temporalem, quæ remanet, & cuius debitum non excludit peccatorem à gratia, & iustificatione recepta; in mediis autem salutis illa primariò spectantur, & intenduntur, quæ ad salutem conseruandam faciunt,nihilque aliàs accessorium præscribitur, nisi ex fine salutis conseruandæ, aut inducendæ,ideóque pœnitentia satisfactio medicinalis, & curatiua magis requiritur, quàm vindicatiua; & magis conducit ad finem salutis: ergo in casu, quo satisfactio induceret maius periculum salutis, quàm adiutorium, non debet præscribi; imò, quod magis est, nequit Sacerdos eam præscribere pœnitenti, quin peccaret contra religionem,præscribendo contra finem, & reuerentiam debitam Sacramenti suscepti: & peccaret contra charitatem, vt de se patet, onera importabilia tali pœnitenti imponendo, spectando eius statum; & ex quibus moraliter est certus eius lapsus. Imò amplius peccaret contra iustitiam: quia pœnitens ipsi non subiicitur simpliciter in iis, quæ præiudicant eis saluti; neque Deus commisit ei potestatem arbitrariam in pœnitentem, vt grauetur in sententia ferenda in præiudicium salutis pœnitentis, quam Deus primariò intendit.

Modus ordinatus applicandi media salutis.

Peccaret confessarius in eo casu, præscribens satisfactionem.

91 *Tertia ratio.* *Satisfactio nequit præscribi nisi vt pars est pœnitentiæ.*

Tertiò: nulla potest esse potestas obligans ad satisfactionem, nisi inquantùm est pars integralis pœnitenttæ, & vt cohæret aliis partibus eiusdem, quæ sunt magis essentiales, qualis est contritio, seu dolor de peccato: sed in eo casu repugnaret satisfactio iniuncta contritioni circūstantionatæ; vt eam esse debere declarat Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 4. *& sess.* 6. *cap.* 15. Vna ex circunstantiis requisitis est, vt ibi declarat Concilium, propositum emendationis, quod maximè spectare debet confessarius: sed huic proposito repugnat satisfactio modo dicto præscripta, ob dispositionem particularem pœnitentis, quia propositum emendationis nequit cōsistere cum acceptatione satisfactionis, quam moraliter nouit pœnitens sibi non esse possibilem, si iniungatur ex præcepto, vt per se constat: quia propositum emendationis inuoluit potestatem absolutam adimplendæ legis; acceptatio autem pœnitentiæ, & satisfactionis ex præcepto supponens iudicium morale certum de contrario destruit voluntatem emendationis: ergo talis satisfactio non est congrua, neque integrat respectiuè ad subiectum tale,partem cohærentem cum eius conuersione.

Satisfactio repugnaret in casu proposito emēdationis.

92 *Quarta ratio.* *Confessarius in casu non communicaret delicto.*

Quartò, obligatio confessarij maximè in eo versatur, vt satisfactionem iniungat congruam peccatis, etiam ad vindicationem, & ne alioquin ex indulgentia communicaret peccatis pœnitentis, vt dicit Concilium: sed neque pœnitentiam rigorosam, & congruentem peccatis imponere potest, si non congruat fragilitati, & statui pœnitentis,vt omnes concedunt; sed modicam. Neque in eo statu communicat peccatis eorum: quia vsus huius potestatis, vt insinuat Concilium, & aliàs dictum est, debet esse in fauorem pœnitentis, & salutis eius, & secundùm prudentiam, & facultatem eius, neque Deus aliam obligationem induxit confessariis, cùm ipse sibi reseruauerit ordinationem pœnæ condignæ in defectu satisfactionis pœnitentialis, aut voluntariè exhibitæ: aliàs non possint Sacerdotes se conformare facultati, & dispositioni pœnitentum; sed tenerentur satisfactionem metiri, & iniungere secundùm qualitatem delicti, & non modicam.

Potest imponere leuem.

Ergo supposita hac sententia communi in casu, quem explicamus, vt benè infert Doctor, potest confessarius nullam imponere satisfactionem, sed conformare se pœnitenti, & eius statui præsenti. Probatur consequentia: quia imponere pœnitentiam vindicatiuam, & improportionatam peccatorum grauitati, & multitudini magis derogat vindicatiuæ iustitiæ, quàm intimare diuinam vltionem, & committere pœnitentem diuinæ prouidentiæ aggrauando peccata, & informando debitum satisfactionis, & eius rigorem: modica enim pœnitentia pro nulla æstimatur, intimatio autem diuinæ iustitiæ magis reducit peccatorem in sui considerationem, quàm perfunctoria satisfactio, & modica iniuncta. Si ergo hæc imponi potest, ita etiam & nulla:quia perinde est quantùm ad vindictam peccatorum.

Potest nullam imponere ex eadem regula.

Confirmatur, potest imponi pœnitentia opus consilij, & citra obligationem iniuncta valent ad satisfactionem ex opere operato; vt docet D.Thomas *quæst.* 3. *art.* 28. Paludan. *dist.* 20. *qu.* 2. *art.* 2. Petrus de Soto *lect.* 2. *de satisfactione.* Victoria *in Summa num.* 210. Nauarr. *in cap.* 1. *de pœnitent. dist.* 6. quando nempe additur clausula generalis. *Quidquid benefeceris, & mali sustinueris,* &c. & illa opera habent vim à clauibus, vt admittit etiam Suarez *sect.* 6. *loco cit.* ergo quando ita congruit pœnitenti, potest illa opera Sacerdos iniungere citra obligationem,nam quodcunque opus, quod cadere potest sub virtute clauium, erit proportionatum satisfactioni. Item, opera præcepti possunt imponi, vt plures Doctores affirmant, quos *suprà dist.* 15. *quæst.* 1. *de satisfactione strictè sumpta* citauimus; & sic etiam illa opera imponi possunt citra nouam obligationem, quando ita congruit pœnitenti.

93 *Confirmatio.* *Opera satisfactoria imponi posse sine obligatione.*

Satisfactio per opus præcepti.

Confirmatur secundò; modica satisfactio imponi potest iuxta aduersarios, & tam modica, quàm congruit statui pœnitentis, ne sit periculum lapsus; ideóque affirmant illam pœnitentiam, si leuis sit, non obligare ad mortale, vt rectè Suarez *sect.* 7. vbi etiam admittit imponi posse pœnitentiam per modum consilij tantùm: sed quod iniungitur per modum consilij, vel certè sub leui obligatione, omitti potest à confessario: ergo id verum est maximè in casu nostro, quando pœnitenti non congruit subire obligationem nouam pœnitentiæ sine graui perturbatione suæ pacis, & conscientiæ, quam experitur in persoluendis pœnitentiis, vt aliquando contingit in aliquibus, qui in hac materia particulari vexationem intolerabilem patiuntur ex propria dispositione.

94 *Secunda confirmat.* *Ex doctrina communi.* *Pœnitentia lenis imponi potest.* *Non obligat ad mortale.* *Omitti potest à confessore.*

Item, potest imponi pœnitentia ob peccata vnius alteri, si hic acceptet, prout grauissimi Theologi loco præfato citati affirmant; ergo si id congruat statui pœnitentis: potest nulla pœnitentia eidem imponi. Patet consequentia, quia

Satisfactio imponi potest vni pro altero.

quia id, quod Scriptura, Patres, aut etiam Concilia definiunt de pœnitentia satisfactoria eiúsque necessitate, aut obligatione confessarij, vt eam præscribat, intelligitur de personali, cuius Minister est ipse pœnitens: ergo si non repugnant, vt satisfactio valeat per alterum facta, quando status pœnitentis id postulat, sic etiam non repugnant, si omittatur pœnitentia iniungi, quando ex statu pœnitentis suppetit motiuum sufficiens eius omittendæ.

Ex eadem regula omitti potest in vniuersum.

Item, quod tollit omnem obligationem operis præcepti, videtur æquiualere operi præcepto; sed opus superogationis, cui annexa est indulgentia plenaria peccatorum, tollit obligationem pœnitentiæ præscriptæ à confessario, qua est merè vindicatiua: ergo etiam confessor potest imponere illud satisfactorium ex consilio, & citra obligationem, ita vt verè satisfiat etiam claui Ecclesiæ per tale opus: ergo etiam pœnitens potest non acceptare pœnitentiam iniunctam à confessario, dicendo se velle satisfacere per opus indulgentiarum. Probatur vltima consequentia: quia opus indulgentiæ plenariæ tollit obligationem impositam à confessario, & acceptatam à pœnitente: ergo etiam pœnitens eam acceptans citra obligationem satisfacit suæ obligationi; ac proinde ad aliud nequit cogi per modum satisfactionis vindicatiuæ. Hæc ratio facit etiam pro sententia, quæ Doctori imponitur.

95 Ex his patet antecedens principale quoad reliqua in eo assumpta, nempe neque ex natura Sacramēti, neque ex obligatione, qua tenetur pœnitenti obligari confessarium in casu præscripto iniungere pœnitentiam satisfactoriam pœnitenti. Sequitur etiam reliquum principalis argumenti: nempe hanc obligationem non oriri ex natura Sacramenti; quod subsistere potest sine satisfactione, quæ est pars integralis, non semper in casu necessaria; sicut neque ipsa confessio integra peccatorum, & expressa, quæ magis requiritur ex natura Sacramenti; neque talis obligatio resultat ex parte pœnitentis: quia non tenetur ad pœnitentiam, quæ non est in sua facultate, aut præiudicat suæ saluti: neque resultat eadem obligatio respectiuè ad Ecclesiam, quia Ecclesiæ non acquiritur ius in pœnitentem nisi illud, quod est ratione huius fori, cui præsidet confessarius tanquam iudex: si ergo non tenetur confessario in præiudicium suæ salutis, minùs tenetur Ecclesiæ: quia confessarius vt minister Christi absoluit pœnitentem, quæ absolutio intantùm dependet ab Ecclesia, in quantùm ipsi subdit pœnitentem (vt suo loco dictum est) in quem possit exercere potestatem, quam recepit à Christo in sua ordinatione. Itaque neque confessario, neque Ecclesiæ in eo casu est contumax pœnitens: sed prouidet suæ saluti in necessariis, quantùm ad requisita lege: in alio verò ex rationabili motiuo, & periculo suæ salutis subterfugit iudicium in accessorio satisfactionis, alia via, vel per pœnam, vel per opera supererogationis, aut indulgentiarum satisfacturus.

Reliqua mēbra principalis argumēti.

Pœnitentem non incurrere obligationem in eo casu.

96 Contra hanc conclusionem Doctoris argumenta aduersariorum non vrgent, quia tantùm probant regulariter obligari pœnitentem ad acceptandam satisfactionem, non verò in casu, quando ipse confessarius ex statu pœnitentis cognito eandem non imponere tenetur: in quocunque autem casu, quo absoluitur confessarius ab obligatione imponendæ pœnitentiæ, in eodem etiam absoluitur pœnitens vniuersaliter ab acceptanda pœnitentia: quia pars est hinc, inde obligatio: nam pœnitentiam imponere non est liberum confessario, nisi ex parte pœnitentis offeratur dispositio, aut impedimentum excusans à pœnitentia proportionata culpis: quod impedimentum si tale sit, vt excuset ab omni pœnitentia, ita etiam nulla imponenda est.

Argumenta aduersariorū non vrgent contra Doctorem.

Quòd si dixeris hunc casum esse impossibilem.

Respondetur id non referre: quia in doctrina morali fingendus est aliquando casus, vt veritas regulæ, & legis appareat. Vnde in proposita materia, in qua examinatur modus, quo se debet Confessarius gerere respectu pœnitentis præscribendo satisfactionem secundùm facultatem eius, & congruam hîc, & nunc, procedit gradatim ab extremo ad extremum secundùm latitudinem, & statum pœnitentium, & obligationem legis, seu necessitatem satisfactionis, & proponit hunc casum, vt ex ipso cognoscatur veritas rei, & gradus obligationis tam in confessario, quàm in pœnitente; neque alioquin casus est impossibilis practicè, vt constat ex dictis.

Modus examinandi veritatem.

97 Dices, quomodo constat confessario pœnitentem esse dispositum, si renuat omnem satisfactionem?

Obiectio.

Respōdetur confessarium teneri credere pœnitenti circa proprium statum; vnde sicut veritas accusationis innititur dictis pœnitentis, qui nullo modo præsumendus est fraudulenter agere in propriam perniciem, ita etiam allegans suam impossibilitatem ad persoluendam pœnitentiam, quam imponit confessarius, debet ei credere, & hæc impossibilitas sæpissimè in melancholicis occurrit, qui sibi ipsis laqueos innectunt, & putant in omnibus se peccare, & potissimùm nunquam rectè persoluere pœnitentias, etiam leues iniunctas, & toties à se repetitas, neque confessarius, neque ipsi sibi persuadere possunt, non esse graue periculum illas omittere. Vnde in eo casu consultissimum erit ipsis alleuiare iugum, quantùm fieri potest, & nullam iniungere pœnitentiam, vel omnino citra obligationem, vt deceptio ex praua dispositione orta magis euacuetur, & anxietates ad desperationem vergentes submoueantur.

Responsio. Obligatio confessarij ad credendū pœnitenti.

Casus practicabilis.

98 Secunda conclusio est pœnitentem obligari posse ad pœnitentiam acceptandam regulariter, quando rationabile motiuum, & periculum proximum eum non excusat, aut graue aliquod incommodum. Hæc est communis, contra quam nihil differit Doctor, qui agit tantùm in casu, quo omnis pœnitentia, aut certè proportionata culpis, & quam deberet confessarius iniungere secundùm iustitiam huius fori, esset ei ita difficilis, vt moraliter iudicaret se eam non adimpleturum. Vnde hæc sunt extrema, ad quæ reducit Doctor suam resolutionem: nempe vel relapsus, si acceptat pœnitentiam, vel certè desperationis, si reiiciatur à confessario, supponunt eum nihil differere nisi in his circunstantiis ex vna parte desperationis, quæ non esset fundata, si pœnitens posset in effectu adimplere pœnitentiam; quia sic finis esset in potestate eius, sicut & medium, nempe receptio Sacramenti, qui est finis, & persolutio pœnitentiæ, quam aliàs iudicat sibi possibilem sine periculo eius omittendæ, & sic non recederet desperatus.

Secunda conclusio. Regulariter obligatur pœnitens acceptare pœnitentiam.

Circūstantiæ in quibus differt Doctor.

Alterum

Alterum verò extremum est relapsus, si acceptet pœnitentiam, quam non est adimpleturus, vt ipse etiam propriam fragilitatem expertus de se iudicat, vel timet probabilius: hæ autem circunstantiæ, neque regulariter, neque in omnibus, vel vtplurimùm occurrunt, ideóque vt ad initium commenti adnotauimus, sententia, & discursus Doctoris non transfertur vltra casum ab eo formatum ex intentione propria, aut resolutione asserta ipsius.

99 *Probatio conclusionis.* Conclusionem præmissam tenet communis præter iam ad initium quęstionis citatos pro negatiua, quorum authoritas, etsi grauis sit, tamen non videtur in praxi sequenda. Supponendo autem rationes aliorum communes, sic argumentor; imponere pœnitentias leues ob grauia delicta facit confessarium participem peccatorum alienorum, vt benè Tridentinum, quia sic dissimulando tribueret occasionem liberiùs peccandi, neque sequeretur regulam huius fori: sed magis communicat peccatis pœnitentum, si nullam omnino pœnitentiam iniungeret, quando non est impedimentum excusans in pœnitente, quàm si lenem iniungeret: quia iniungendo lenem, seruat formam iudicij, ad quam ex officio tenetur, si absit casus impedimenti: ergo magis sic communicat peccatis, omittendo omnem pœnitentiam.

Secunda ratio. Satisfactio est medicinalis. Secundò, pœnitentia medicinalis nequit omitti à confessario, neque respui à pœnitente, saluo verò proposito suæ emẽdationis, per quod debet fugere occasiones peccatorum, & causas, ex quibus vt in plurimùm relabitur; sed etiam pœnitentia vindicatiua, retrahit à peccato, ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. ergo etiam eam recipere tenetur pœnitens, & confessarius præscribere. *Trident.* Vnde Tridentinum. *Et diuinam clementiam decet*, inquit, *ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta peccata leuiora putantes, velut iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto in grauiora labamur*, &c. *procul dubio enim magnopere à peccatore vocant*, &c.

100 *Tertia ratio. Forma iudicij seruanda.* Tertiò, tenetur tam confessarius, quàm reus ad formam iudicij seruandam, quando non est impedimentum excusans, sed, vt patet, forma huius iudicij est soluere, & ligare, quod potissimùm intelligitur quoad satisfactionem congruam: ergo, &c.

Quarta ratio. Satisfactio est pars pœnitentia. Non est libera materia. Quartò, satisfactio est pars materialis Sacramenti, ad quam extenditur clauis iurisdictionis, & scientiæ: ergo non est liberum confessario, aut pœnitenti eam omittere secluso impedimento. Probatur consequentia, quia hæc pars nullibi declaratur ab Ecclesia esse libera: quamuis pœnitentiam præscribendam doceat iuxta qualitatem criminis, spectata tamen facultate pœnitentis, in materiis autem liberis extat declaratio Ecclesiæ, vt in confessione venialium, in *Sensus Ecclesia.* mixtione aquæ in calice. Imò eo ipso quòd Canones declarent in articulo mortis dandam absolutionem sine satisfactione, quia tempus satisfaciendi non præsumitur superesse, & ratione periculi pœnitentis quoad salutem omittitur satisfactio, quæ adimpleri nequit, supponit Ecclesia hanc non esse materiam liberam. Accedit *Trident.* quòd Tridentinum & *sess.* 6. *cap.* 14. *& sess.* 14. *cap.*8. dicat satisfactionem hanc exigi à Deo, & esse de integritate pœnitentiæ Christianæ: sed non est in potestate Sacerdotis, aut pœnitentis reddere Sacramentum mancum quoad ea, quæ sunt de integritate eius ex diuina institutione, nisi in casu, quo ipsa institutio id permittit, vt in casu necessitatis, quãdo satisfactio nequit aut simpliciter impleri, aut imponi, aut certe sine periculo salutis pœnitentis, prout in præcedentibus est declaratum.

Confirmari potest, iudex inferior in iudicando tenetur conformare se regulæ legislatoris, & legis in iudicando, seu ferendo sententiam vt hæc sit iusta; sed Deus instituit hoc iudicium etiam ad vindicandum peccatum per confessarium: ergo hîc tenetur, & consequenter pœnitens se subdens huic iudicio tenetur acceptare vindictam. Minor probatur: *Sanè*, inquit Tridentinum cap. 8. *& diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui semel à peccatis, & dæmonis seruitute liberati*, &c. *scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerunt*, &c. Mox subiicit illum modum diuersum recipiendi in gratiam esse per satisfactionem pœnitentialem, vt ex verbis eius in tertio argumento citatis patet. Sed confessarius non exercet potestatem ligandi, & vindicandi, nisi iniungendo satisfactionem. Hanc præscripsit Deus tanquam modum recipiendi hominem in gratiam: ergo vt iudicet conformiter ad legem, & voluntatem Dei in hoc foro tenetur iniungere satisfactionem, & pœnitens eam acceptare regulariter. 101 *Confirm. Obligari ad legem, & regulam huius fori vtrũque. Trident.*

Quintò, sequeretur ex opposito non posse Ecclesiam, aut Prælatos taxare certas pœnitentias imponendas, pro quibusdam peccatis, si in libertate pœnitentis esset non acceptare pœnitentiam à confessario. Antecedens est contra omnes, & praxim. Consequentia probatur, quia hæc præscriptio pœnitentiæ supponit non esse in libertate pœnitentis non eam acceptare, vt imponitur à confessario, aliàs nihil conduceret ad disciplinam eius taxatio, si liberum esset pœnitenti eam non acceptare, aut confessario eam non iniungere. 102 *Quinta ratio. Taxari possũt pœnitentiæ ab Ecclesia.*

Dices fortè ex præscripto Ecclesiæ teneri pœnitentem eam acceptare, non verò ex natura fori. *Responsio.*

Contrà: Ecclesia eam præscribit imponendam per modum pœnitentiæ Sacramentalis, & modum tantùm præscribit, quo confessarius potestate ligandi vtatur: ergo supponit pœnitentem quoad substantiam, & modum satisfactionis subesse confessario. *Impugnatur.*

Sextò, obligatio confessionis peccatorum, de quibus peccator est contritus, in eo præcisè est, vt subiiciantur clauibus Ecclesiæ, (vt benè Doctor *dist.* 19. *huius quæst. vnic.* vt *ibidem* visum est) & Ecclesiæ satisfaciat: sed si nequeat obligare reum ad satisfactionem pœnitentialem, nihil videtur in quo satisfieri possit Ecclesiæ. 103 *Sexta ratio. Obligatio peccatoris vt satisfaciat Ecclesiæ est in ordine ad satisfactionem.*

Dices subiicere peccatum per confessionem Ecclesiæ, & hoc sufficere; quia ipsa confessio est quædam satisfactio pro peccato, vt patet ex aliàs dictis. *Responsio.*

Contrà: hæc satisfactio non inducitur pœnitenti ex aliqua potestate iudiciaria clauis, sed ex natura ipsius actus ex parte pœnitentis oritur. Deinde, confessio fit per modum accusationis in ordine ad sententiam, qua vindicetur peccatum, aliàs non stabit vera forma iudicij, per quam ordinatur accusatio rei per sententiam vindicatiuam *Impugnatio. Ex forma iudicij confessio respicit satisfactionem.*

uam peccati: ergo si non est potestas vindicandi in iudice illud peccatum aliàs remissum per contritionem, potestas, inquam, vindicandi per satisfactionem iniunctam, ad quam tenetur reus, non videtur obligatio ad confessionem subsistere, quia finis intrinsecus huius obligationis est ipsa vindicatio peccati, cùm clauis nihil aliud iudicare possit de peccato iam remisso per modum sententiæ, nisi vt absoluit ligando, si id expedire videtur: nam si conuersio pœnitentis sit perfectissima, & præter contritionem perfectam de peccato alia opera satisfactoria addidit proportionata qualitati peccati: tunc moraliter potest confessarius iudicare eum non indigere pœnitentia satisfactoria: sed absoluere eundem, etiam sine satisfactione noua, vel certè cum modica satisfactione: quia in Canonibus pœnitentialibus opera satisfactoria præscribebantur ante manus impositionem perficienda.

104 *Pœnitentiam acceptatã tenetur pœnitens adimplere.*

Tertia conclusio: Pœnitens acceptans pœnitentiam, à fortiori tenetur eam adimplere: est contra Caietanum; eam tradit Doctor in litera præmissa, & locis citatis: & consequenter; vnde censura Soti, Vasquez, & Suarez non subsistit; qui asserunt Caietanum magis consequenter docere, quàm Doctorem, aut alios *suprà* citatos. Demus etiam casum, quo pœnitens non teneatur acceptare satisfactionem iniunctam, vt supponit sententia, quam tenet Caietanus. *Probatur.* Hoc ideò esset, quia non teneretur subiicere se confessario quoad opus satisfactorium, sed tantùm quoad remissionem peccati: quia nempe arbiter intantùm ligat, inquantùm subiicit se ei pars; sed dato quòd pœnitens acceptet onus talis satisfactionis, iam se submittit arbitro quoad vtrumque: ergo tenetur eius sententiæ. Accedit quòd potestatem arbitrandi non recepit confessarius à reo, sed à Deo, & Ecclesia; à quibus instituitur iudex huius fori. Et verè habet clauem ligandi, quod negari nequit, quamuis dependeret à voluntate pœnitentis quantùm ad sui subiectionem plenariam in causa, nihil eius reseruando: vnde consensus pœnitentis non confert potestatem, sed dat materiam, in qua exerceri potest: ergo nequit resilire à sententia data, & acceptata, cui se subiecit; neque ratio aliorum, aut Caietani habet vim; quia, inquiunt, ista acceptatio non est votum, aut promissio: sed tantùm simplex propositum.

Submittens se sententiæ ligatur sententia.
Potestatem arbitrãdi recipit confessarius à Deo, & Ecclesia.
Materiã tantùm à pœnitente.

Soluitur fundamẽtum oppositum.

Respondetur nihil referre, quia est subiectio pœnitentis quoad vindicationem peccati; iudici habenti facultatem ligandi supposita subiectione, & consensu rei: ergo deinceps non est ipsi liberum resilire à sententia lata.

Accedit quòd ipsa absolutio data cum onere satisfactionis acceptatæ implicet obligationem eius adimplendæ: conclusionem probant rationes pro secunda conclusione factæ.

105 *Quarta conclusio.* *Obligatio persoluendæ pœnitẽtiæ, & eius grauitas.*

Quarta conclusio: Hæc obligatio iuxta naturam operis, & reuerentiam Sacramenti est pensanda, ita vt si sit materia, quæ aliàs, si ex voto, aut præcepto imponeretur, induceret obligationem grauem peccati mortalis, si non adimpleretur; sic etiam iudicandum est in proposito, dato casu, quo imponatur cum obligatione, & non solùm ex consilio. Hæc est sententia Doctoris, quam hîc supponit, insinuans pœnitentem peccare mortaliter, si non adimpleat pœnitentiam iniunctam, & acceptatam intra latudinem medij, quod est secundùm rectam rationem; quamuis autem ex subiecta materia loquatur de pœnitentia iniuncta pro peccato graui, secundùm qualitatem delicti, proportionata: idem dico de pœnitentia iniuncta pro peccato aliàs confesso, aut etiam venialibus: nam licèt in imponenda pœnitentia debeat confessarius attendere ad qualitatem delicti: tamen quando imponit pœnitentiam absolutè, & cum obligatione, mensura obligationis intrinsecè expendenda est ex natura operis iniuncti, & acceptati, & ex natura præcepti in tali opere. Quod si spectemus etiam satisfactionem in ratione commutationis pro pœna temporali debita ex peccato, non est tanta improportio inter pœnam debitam peccatis venialibus, & opus satisfactorium, quin satisfactio etiam grauis ex materia aliquando præscribi posset, hoc est, adeò grauis, vt eius omissio esset grauis, licèt si comparetur ad pœnam alterius vitæ, non sit excedens. Ponamus exemplum in eo, qui esset negligens in persoluẽdis satisfactionibus leuibus, & sæpiùs iniunctis, licèt non esset negligens ex contemptu: si Sacerdos ei iniungeret septem Psalmos pœnitentiales, vel quid simile pro pœnitentiis omissis, non inordinatè præscriberet, & ille teneretur sub obligatione peccati grauis ad illam pœnitentiam: pro peccatis enim venialibus Patres etiam satisfactiones graues, & lamenta præscribunt. Non inuenio ergo regulam magis commodam, ex qua discernatur obligatio satisfactionis quantùm ad grauitatem, aut leuitatem eius, quàm eam pensare ex grauitate, aut leuitate materiæ iniunctæ ex præcepto. Cui hoc durum videtur, recogitet diuinæ iustitiæ rigorem, & acerbitatem pœnæ alterius vitæ.

Mensura obligationis vnde sumi debeat.

o *Sed dato quòd erret clauis scientiæ, &c.* Hactenus egit de errore, qui potest esse ex vsu potestatis iniungendi satisfactionem; hîc deinceps vsque in finem agit de errore clauis scientiæ. Dicit primò errare hanc clauem ex defectu debiti examinis in iis, quæ spectant ad hunc forum; & de hoc satis dictum est, agendo suprà de claui necessaria scientiæ: siue enim confessarius careat scientia necessaria ad discernendum in hoc foro, siue etiam eadem non vtatur in substantialibus, sed vel non attendat, vel negligat inquirere statum pœnitentis in his, ea negligentia, ex qua defectus substantialis sequatur in iudicio perinde se habet: quia iudicium, & sententia valida supponit cognitionem causæ quoad substantialia. Deinde damnat inquisitionem, aut confessionem superfluam in iis, quæ non spectant ad materiam Sacramenti, & meritò; quia & illa sunt contra reuerentiam Sacramenti, & distrahunt tam attentionem confessoris, quàm etiam spiritum pœnitentis, & deuotionem, & de facili inducunt ad inordinata, vt murmurationem de aliis, ac detractionem, & huiusmodi numerus, species peccatorum, & circumstantiæ spectant ad materiam, vt aliàs dictum est *dist.* 17.

106 *De errore clauis scientiæ.*
Ex hoc errore potest absolutio esse nulla.
Inquisitio superflua damnatur, & quæ sit?
Incõmoda ex ea redundantia.

Præterea, docet spectare ad examen debitum cognoscere de contritione, & dispositione debita confitentis, & hoc necessitate præcepti: quod & *suprà* dictum est *in eadem distinct.* Quòd si contingat confessarium in hoc examine esse negligentem, peccat; vt benè Doctor, & sententia eius quidem valida est, licèt casu. Hîc aduertendum est aliter requiri cognitionem de specie, & numero peccatorum, aliter de dispositione

Debitum cognoscendi de dispositione rei.
Inquisitio de rei dispositione, & de peccatis aliter requiritur.

sitione pœnitentis; nam illa per se requiritur tanquam materia circa quam exercetur potestas clauis directè, & necessitate Sacramenti, quia sententia supponit cognitionem causæ ex parte iudicis, sicut & informationem ex parte rei. Vnde sicut extra casum necessitatis non validè absolueret pœnitentem, nisi supposita confessione; ita etiam neque validè absolueret ex defectu scientiæ, & cognitionis requisitæ, ad quam exigitur confessio. Cognitio verò de dispositione rei, licèt necessitate præcepti ex parte confessarij sit adhibenda, vt licitè ferat sententiam: quia tamen sufficit vt pœnitens in re ipsa sit benè dispositus, sufficit etiam ad valorem actus, quia dispositio ex parte pœnitentis præcisè requiritur ad substantiam Sacramenti.

107 *Variæ conclusiones concernentes confess.* *Prima conclusio.* *Exequendo non necessaria peccat confessarius.*

p *Breuiter ergo dico*, &c. Iuxta præmissa statuit sequentes conclusiones. Prima: peccare confessorem exequendo non necessaria ad illam causam, vel illicita, quamuis nihil omittens ad cognitionem causæ possit rectè iudicare. Illæ particulæ, *Non necessaria & illicita*, synonymè intelliguntur: quia referuntur ad circunstantias fatuas, & fabulas curiosas, quæ confessarius non debet examinare, vt superiùs dixit, & idem patet ex sequenti clausula: qua dicit eum rectè iudicare, si nihil omittat requisitum ad cognitionem causæ, nam si illicita sunt talia, vt ex iis sequatur peccatum aliquod graue in pœnitente, verbi gratia infamando aliquem grauiter in confessione, vel huiusmodi alia, non esset iudicium rectum, nisi in casu, quo ipse aliàs de nouo doleret de peccato commisso, & se accusaret simul ac de reliquis antè absolutionem. Quòd si præterea solicitaretur ad illicita, vt si sit mulier, ad turpia, non solùm tenetur ad denunciandum confessarium ex constitutione Gregorij XV. etiam ex natura rei deberet non recipere, aut acceptare ab eo absolutionem, si potest alium adire, cui possit confiteri licitè.

108 *Secunda conclusio.*

Secunda conclusio: si omittat aliquid, quod sit necessarium ad cognitionem causæ, & peccat, & non potest rectè iudicare nisi à casu, & potissimùm non inquirendo de attritione, & contritione pœnitentis, &c. Hæc conclusio patet ex dictis. Supponit eum quandoque validè iudicare à casu, quod verum est, non solùm omittendo cognitionem de pœnitentis dispositione, sed etiam quando omitteret aliquam circunstantiam particularem huius, aut illius peccati attendere: quia tum videtur confessio, quando non est defectus in pœnitente, & absolutio valere, si de reliqua materia, & substantia peccati ritè cognoscatur. Idem etiam dicendum videtur, si sit negligens circa vnum, aut alterum peccatum, aut distractus, aut certè ex ignorantia nequeat perfectè iudicare de natura eius hìc & nunc in iis circunstantiis: nam si ignorantia hæc non tollit valorem Sacramenti, vt omnes concedunt, sic etiam distractio, aut negligentia, quæ illi ignorantiæ æquiualet, non tollit valorem Sacramenti, modò adhibeatur scientia, & inquisitio cum iudicio circa reliquam materiam in specie, quæ etiam in confuso extenditur ad hoc, & illud, vt in eadem cōfessione exponitur. Ex his patet malè quosdā citare Doctorē, quasi asseruerit nō requiri contritionem, aut attritionem in pœnitente ad confessionē, & remissionem peccatorum. Vnde subdit, quòd si pœnitens sit fictus, & sine dolore debito, quamuis exteriùs simulet se dolere, peccare peccato sacrilegij, & recedere à vera pœnitentia; quia errauit in proprium damnum: quamuis Sacerdos rectè iudicet, hoc est, faciendo quod debuit facere, quia dolor pœnitentis ipsi non aliter innotescit, quam per signa, & propriam confessionem.

Peccat omittens inquisitionem necessariam. *Casus, in quo absolutio valida sit cum transgressione defectu.* *Falsa allegatio quorundā notatur.*

Tertia conclusio est, quòd ratificatur sententia confessoris aliquando ex parte pœnitentis tantùm, aliquando ex parte confessarij tantùm, aliquando ex parte vtriusque. Intelligitur de ratificatione, non quantùm ad valorem tantùm: sed quantùm ad licitum, ita vt peccatum sit ex parte vnius, & non ex parte alterius, siue Sacramentum validè fiat, siue non. *Tertia conclusio.*

SCHOLIVM.

Est si peccata iam confessa sint materia sufficiens, non necessaria, absolutionis, secundùm communem, & habetur Extrauag. 1. de priuil. tamen putat Doctor probabilius quòd non habet absolutio secunda effectum remissionis pœnæ. Quod etiam tenent Gabr. quæst. 1. art. 3. dub. 2. Tartaret hìc & D. Bonau. dist. 18. art. 2. quæst. 2. fin. Alia pars est satis probabilis, & communior, D. Thom. dist. 18. qu. 1. art. 3. dub. 2. Dur. quæst. 2. Soto quæst. 4. Palud. hic quæst. 1. Henr. quodlib. 7. quæst. 20.

AD argumenta. q Ad primum concedo vtrumque membrum distinctionis: & cùm dicitur contra primum, quòd tunc posset totam pœnam remittere: nego, quia aliquod est medium determinatum secundùm rectam rationem, in quo stando remittit rectè, sed non vltrà. 30 *Ad arg. dist. 18.*

Et cùm dicitur, quòd saltem per plures absolutiones remitteret; hoc tangit bonam difficultatem an iterata confessio eorundem peccatorum vi clauium, plus & plus de pœna remittat. Videtur probabile quòd sic, quia eiusdem rationis est absolutio secunda cum prima: ergo potest eandem virtutem habere respectu alicuius partis pœnæ remittendæ, & per consequens per aliquot absolutiones finitas, cùm culpa illa habeat partitionem in partes finitas, posset totaliter remitti; siquidem omne finitum per ablationem partium finitarum aliquoties sumptarum, totaliter consumitur. *Secūda absolutio super eadem peccata an remittat aliquid de pœna.*

Quid ergo melius, quàm semper confiteri quousque post centesimam, vel millesimam confessionem, esset tota pœna remissa, debita quibuscunque peccatis commissis?

Videtur

31 Videtur probabilius, quòd secunda absolutio virtute clauium nullam partem pœnæ remittat; nam hîc fugere ad partes eiusdem quantitatis, vel eiusdem proportionis, nihil est: quia non est ratio, quare secunda absolutio non potest auferre partem eiusdem quantitatis, si quam posset: nec mirum si nullam potest, quia illud iudicium semel latum sine errore Deus ratificat in cœlis, quod est irreuocabile: ergo rationabile est, quòd sic ratificetur, quod sit initerabile: non dico, quòd illicitum, vel impossibile sit iterari: sed tamen cum fructu isto, quem nunc habet, non est iterabile. Hoc videmus in sententiis definitiuis in foro litigioso, quibus absoluuntur accusati, quando inueniuntur innocentes: nec postea replicatur inquisitio, vt sit processus in eadem causa, nec si replicaretur per illam secundam sententiam, iste absolueretur, sed per primam: qui enim solutus est, ampliùs non absoluitur, qui nullus soluitur nisi ligatus.

Habet tamē fructum gratiæ auctæ.

Ad secundam partem distinctionis, concedo quòd pœnam inflictam à Sacerdote, quæ non excedit totam illam latitudinem iustitiæ, tenetur confitens soluere, & sufficeret.

Modò eam acceptauerit, non aliter.

Sed dices. Vnde sciet iste confitens si excedat latitudinem, an non? Respondeo, vel à lege diuina, si peritus est in ea per se: vel si non, potest requirere ab alio confessore, de cuius prudentia magis confidit; vel si nolit se submittere confessori alij, nec per industriam suam sufficit ad hoc, quòd iudicet de pœna hac, si sit condigna culpæ, an non; seruet pœnam sibi impositam, maximè si sibi videtur excedere pœnam condignam. Si autem videatur sibi deficere, tutius est adire alium confessorem prudentem, quàm exponere se purgatorio.

Instructio, & cōsilium pro pœnitētibus.

32 Secundum argumentum concedo, quòd vsus clauium extendit se ad culpam remittendam, & ad debitum pœnæ æternæ: sed instrumentaliter, & per hoc patet ad primum in oppositum.

Ad secundum dico, quòd sicut Baptismus fluminis non habenti priùs, gratiam confert, & habenti auget, & frequenter in adultis præcedit Baptismus flaminis Baptismum fluminis; si tamen non præcederet, vt in paruulis, conferretur per Baptismum prima gratia: ita frequenter hîc adulti per attritionem, tanquam per meritum de congruo, iustificantur antequam confiteantur, secundùm illas auctoritates Augustini, & Cassiodori: & tunc in susceptione Sacramenti augetur eis gratia. Sed esto, quòd non habuerint sufficientem attritionem per modum meriti ad iustificationem, & per consequens in peccato existentes, & tamen aliqualiter attriti confitentur in vltimo instanti: recipiunt gratiam virtute Sacramenti; loquuntur ergo illæ auctoritates de iustificatis primo modo: sed non per hoc excludunt iustificationem secundo modo, vt satis patet de Baptismo secundo modo.

Pœnitentia sicut Baptismus aliquando primam, aliquando secūdam gratiam causat.

COMMENTARIVS.

109 *Ad argumēta principalia.*

q AD *argumenta. Ad primum*, &c. In responsione ad primum mouet controuersiam: An scilicet iterata absolutio pœnitentis remittat aliquid pœnæ temporalis debitæ peccato. Doctor non quærit an sit iterabilis pœnitentia de eodem peccato remisso, & quantùm ad fructum gratiæ, quia id supponit in probatione secundæ sententiæ, quam putat probabiliorem: *Non dico*, inquit, *quòd illicitum sit iterari: sed tamen cum fructu isto, quem nunc habet, non est iterabile*, &c. supple iudicium pœnitentiale, nempe quantùm ad effectum remissionis pœnæ. Si ergo sit iterabile, & licitè per ipsum iteratur iudicium, nequeat autem iterari iudicium sacramentale sine fructu, & effectu: sequitur per pœnitentiam iteratam dari gratiam, & effectum hunc Sacramenti, licèt non remissionem culpæ, quæ aliàs deleta est, aut etiam pœnæ. Hoc idem patet quantùm ad effectum præmissum gratiæ ex responsione ad secundum inferiùs in litera. Vnde & hoc omnes concedunt, & patet ex Extrauaganti Benedicti XI. de priuilegiis; vbi docet reiterationem eorumdem peccatorum in confessione esse salutarem. Patet ex praxi Ecclesiæ & piorum. Patet etiam ex iis, quæ superiùs præmisimus *d.14. q. 4.* de significatione formæ huius Sacramenti, ad cuius veritatem sufficit peccatum fuisse commissum, siue aliàs fuerit remissum, siue non; vt patet etiam in casu perfectissimæ contritionis, per quam non solùm peccatum, sed etiam omnis pœna temporalis remittitur. Cæterùm necessariò confitendum est illud peccatum, licèt clauis nihil tum remittat; sed dat gratiam remissiuam de se peccati. De qua & hac quæstione fusiùs actum est *in 1. parte commenti in 4. d. 4. quæst. 6. fine*, vbi egimus de veritate formæ Baptismi, & pœnitentiæ respectu iustificatorum.

An iterata confessio deleat aliquid pœnæ temporalis?

Dat gratiam.

110 His suppositis ad intelligendum præmissam difficultatem, supponendum quòd pœnitentia iniuncta à confessario possit esse æqualis pœnæ temporali debitæ peccato, quacumque via illa æqualitas pensanda sit, siue secundùm medium rectæ rationis, vt cum Doctore disseruimus contra secundam conclusionem Magistri in hac quæstione; siue Mathematicè, vt alij volunt. Aliquando pœnitētia iniuncta à Sacerdote non est æqualis: sed infra latitudinem medij, & tunc non remittitur integra pœna debita peccato, nisi secundùm ratam satisfactionis iniunctæ à confessario;

Supponitur sensus controuersiæ, & declaratur.

fessario, vel si confessarius nullam pœnitentiam iniunxit, manet integra pœna temporalis remittenda hic, vel in purgatorio. Doctor differit tantùm in casu, quo pœnitentia æqualis sit iniuncta à confessario, non autem in secundo, aut tertio casu: quia iudicium confessarij non est ratum in cœlo in secundo casu, quantùm ad totam remissionem pœnæ, ex eo autem quòd iudicium Sacerdotis sit ratum in cœlo, sententia qua ligat ad pœnam æqualem, sit irreuocabilis, inde docet secundam sententiam esse probabiliorem: quia nempe causa est terminata per iustam sententiam, tam ex parte Dei, quàm iudicis inferioris. Vnde concludit pœnam debitam peccato esse illam, quam iniunxit Sacerdos, claue non errante, & ad illam teneri pœnitentem, eámque sufficere, & §. *Sed dices*, &c. supponit in casu, quo pœna debita peccato non sit æqualis, tutius esse pœnitenti, vt se denuò subiiciat alteri confessori magis instructo, & prudenti, qui satisfactionem æqualem, & debitam peccato imponat. In tertio autem casu clarum est pœnitentem se posse subiicere, quia ei tota pœna debita peccato adhuc manet remittenda, quæ etiam remitti potest per claues.

Sensum quem respicit Doctor ex hypothesi satisfactionis æqualis iniunctæ.

111 Obscuram facit resolutionem Doctoris in hoc casu interpretatio aliorum adhibita, quæ non discernit casum, vt proponitur à Doctore, aut eius suppositionem necessariam, à qua dependet. Itaque supponit prima sententia, quam probabiliorem censet, remanere aliquid pœnæ temporalis debitæ peccato ad effectum absolutionis, seu remissionis eius per claues, quæ remissio non subsisteret in effectu, nisi pœnitens esset ligatus ad aliquam pœnam, quæ remitteretur, sicut neque per secundam absolutionem remittitur ei peccatum, quod remissum est per primam, licèt detur gratia, quæ nata esset remittere peccatum, non solùm ex ratione generali, qua opponitur gratia peccato: sed etiam ex ratione speciali gratiæ huius Sacramenti, quæ confertur ad effectum remissionis, si aliquid sit remittendum ex hac suppositione; quam probabilem censet Doctor, censet etiam probabilem hanc sententiam, quam tuetur D. Thomas, & alij, quos citat Scholiastes in Scholio præmisso; & proculdubio vera est sine controuersia, modò suppositio subsistat, quam, vt dixi, probabilem censet Doctor; quia pœna temporalis debita peccato remisso potest tolli per alia opera satisfactoria, & libera assumpta: de quo nulla est controuersia inter Catholicos: ergo à fortiori per Sacramentum, in quo applicatur satisfactio, & meritum Christi subiecto pœnitenti, virtute clauium, sub quibus directè cadit dicta pœna, & eius remissio; neque hoc negat Doctor, vt ex præmissis constat.

Sententia D. Thomæ probabilis est.

Ratio eius.

112 Illud ergo quod vertitur in dubium, non est ipsum consequens; sed antecedens, quod supponitur, nempe remanere aliquid pœnæ temporalis, supposito quòd iudicium sit completum, & terminatum per sententiam congruam, imponendi pœnitenti satisfactionem æqualem secundùm medium iustum, & proportionatum pœnæ temporali debitæ; hoc ergo dato nihil aliud superest pœnitenti, nisi vt impleat satisfactionem impositam, ad quam solam tenetur, & non ad aliam pœnam temporalem. Ita censet Doctor esse probabilius, vt superiùs cum eo tractatum est contra secundam conclusionem

Supponitur quòd nihil pœnæ maneat remittēdum.

Magistri, ac proinde hìc tenet secundam sententiam probabiliorem; quam probat ex eo quòd iudicium sit iam ratum a Deo, & terminatus processus per iustam sententiam latam, qua absolutus est pœnitens à pœna temporali: *qui enim solutus est*, inquit, *iam non absoluitur, quia nullus soluitur, nisi ligatus*, &c. & in responsione ad secundam partem distinctionis dicit pœnitentem esse obligatum ad pœnitentiam iniunctam; & si æqualis est, sufficit. Deinde, vrget quomodo sciet esse æqualem? ac tandem resoluit, si pœnitentia non sit æqualis, satius esse, vt subiiciat denuò alteri Sacerdoti, qui præscribat æqualem, quàm quòd se committat pœnæ purgatorij: supponit ergo quando aliquid pœnæ temporalis maneat, eam posse absolui virtute clauium, quamuis aliàs peccatum sit remissum per priorem absolutionem. Quantùm ergo ad consequentiam, hinc inde nulla est controuersia inter Doctores; veritas autem antecedentis examinata est suprà.

Sensus Doctoris.

Vasquez *3. part. quæst. 91. art. 3. dub. 7.* vbi hoc punctum tangit, vrget contra Doctorem, quòd si clauis non sit efficax quoad pœnam temporalem remittendam, & debitam peccato præterito remisso per confessionem priorem, non fore etiam efficacem quoad collationem gratiæ, & sic nullo modo posse iterari Sacramentum quoad peccata confessa. 113

Obiectio Vasquez.

Respondetur argumentum rectè concludere; sed non contra Doctorem: quia sine dubio clauis est efficax ad soluendum reum, si sit ligatus: ideò autem negat Doctor clauem in euentu absoluere; quia reus non est ligatus pœna temporali, si pœnitentia æqualis per clauem priùs applicatam, & non errantem fuerit imposita. Quòd si autem non seruabatur æqualitas in pœnitentia iniuncta, admittit Doctor eum posse absolui à pœna ab alio, cui se submittit, & virtute clauium per impositionem pœnitentiæ æqualis; *Vel si nolit*, inquit, *se submittere confessori alij* (supple ad effectum absolutionis à pœna temporali) *nec per industriam suam sufficit ad hoc quod iudicet de pœna hac, si sit indigna culpæ, vel non, seruet pœnam sibi impositam, maximè si sibi videtur excedere pœnam condignam. Si autem videatur sibi deficere, tutius est adire alium confessorem prudentem, quàm se exponere purgatorio*, &c.

Soluitur.

Resolutio Doctoris.

Supponit ergo in casu, quo non iniungeretur pœnitentia sufficiens, eum posse absolui à pœna debita per alium confessorem: ex quo patet etiam ad aliud, quod vertit in dubium Vasquez: An, scilicet Doctor senserit peccata aliàs confessa esse sufficientem materiam confessionis; quia ex præcitatis verbis eius manifestè constat sufficere, ìdque eum supponere: quia non de confessione aliorum, sed de confessione eius, quod aliàs remissum est, loquitur.

Alia dubitatio circa mentem Doctoris. Licere peccata aliàs confessa confiteri, & esse sufficientem materiam.

Hinc sequitur quòd censeat circa potestatem mutandi pœnitentiam iniunctam, quia hanc esse in alio confessario supponit resolutio data.

114 Respondet tamen Sotus quòd vel idem confessarius solus mutare potest, vel eius superior, non autem æqualis: quia par in parem non habet potestatem. Alij, vt Victoria & Viualdus docent etiam inferiorem posse commutare pœnitentiam.

Mutare potest vnus pœnitentiam iniunctam ab alio. Sentētia quorundam in hoc.

Respondetur, si pœnitentia iniuncta sit pro peccatis non reseruatis, nihil facit aliquem esse superiorem, aut inferiorem in hoc foro, quantùm

tùm est ad ministerium clauium: quia Sacerdos absoluit ex vi Ordinis supposita competendi iurisdictione in reum, & vi potestatis receptæ à Christo, vt docet Tridentinum *sess.14.cap.6.* Docet quoque etiam *Sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere,* &c. Quòd si peccata, ob quæ imposita sit pœnitentia, fuerint reseruata, tunc inferior, qui non habet potestatem in reseruata, nequit mutare pœnitentiam iniunctam à superiore; quia sicut principale excedit eius potestatem, nempe iudicium de peccatis, ita & accessorium.

Trident.

105 *Quomodo fiat mutatio pœnitentiæ.*

Dicendum tamen hanc mutationem ab alio fieri debere audita confessione ex ratione prædicta: quia absolutio debet perfici, vt satisfactio imponatur, quæ ex virtute clauium vim habet ex cognitione causæ, & seruata forma huius fori. Quòd si superior habeat clauem, per quam dare possit indulgentias, sic etiam potest mutare pœnitentiam iniunctam, vel in parte, vel in toto: sed nunc non agit præcisè vt iudex huius fori; sed vt dispensator thesauri Ecclesiæ in foro externo: ac proinde non exigitur, vt cognoscat de causa in foro interno per confessionem. Alius modus assignatus à quibusdam mutandi pœnitentiam est, interpretando eam esse excessiuam, & iniustam, vel perniciosam ex natura operis, aut certè ex statu pœnitentis. Hæc interpretatio non rectè dicitur mutatio: quia non fundatur in aliqua potestate: sed in scientia, & prudentia, quæ etiam extra confessionem fieri potest, qua supposita, obligatio cessat ex natura rei. Ad secundum, & tertium patet tam ex litera, quàm aliàs sæpè dictis.

Alius modus mutandi pœnitentiam.

DISTINCTIO XX.

De confeßione Sacramentali quantùm ad temporis opportunitatem.

A

In epist.90. respons. 5. & de pœn. dist.7. in pr. August. lib. 50. hom. homil. 41. de verè pœnitentibus, to. 10. & de pœn. dist.7. Si quis pos. Psal. 140. Exod. 12.c. Eccl. 17.d. Ioelis 2.f. Ezech. 18.e. Aug. lib. de pœnit vera, & falsa, c. 17. tom. 4. & de pœn. di.7. Nullus expe. 1.Cor.13.b.

SCIENDUM est etiam, quòd tempus pœnitentiæ est vsque ad extremum articulum vitæ: vnde Leo Papa, [Nemo est desperandus, dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur.] Augustinus tamen de pœnitentiam differentibus ita scribit. [Si quis positus in vltima necessitate voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit; sed non præsumimus, quia benè hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio. Pœnitentiam dare possumus, securitatem verò non. Nunquid dico damnabitur? sed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, dico tibi quia securus es: quia pœnitentiã egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitẽtiam, quando iam peccare non potes: peccata te dimiserunt, non tu illa. Item, duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur: quid horum tibi sit futurum nescio. Ergo tene certũ, & dimitte incertum.] Sed quare hoc dixit Augustinus, cùm pœnitentia, quæ in fine agitur, in psalmo appelletur sacrificium vespertinum, quod erat acceptabilius in lege: & cùm in quacunque die inuocetur Deus, adsit: & quacunque hora ingemuerit, & conuersus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur. Sed illa dixit Augustinus propter illos qui pœnitentiam vsque in finem vitæ protrahunt, & tunc non ex Dei amore videntur pœnitere, sed timore mortis, quasi ex necessitate. Vnde idem quasi aperiens quare superiora dixerit, ait: [Nullus expectet quando peccare non potest. Arbitrij enim libertatem quærit Deus, vt deleri possint commissa: non necessitatem, sed charitatem: non tantùm timorem, quia non in solo timore viuit homo. Quem ergo serò pœnitet, oportet non solùm timere iudicem, sed diligere: quia sine charitate nemo saluus esse potest. Non ergo tantùm timeat pœnam, qui pœnitet, sed anxietur pro gloria. Quæ conuersio, si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de eius remissione. Sed quoniam vix, vel raro est tam iusta conuersio, timendum est de pœniten

pœnitente serò: maximè cùm filij quos illicitè dilexit, sint præsentes, vxor & mundus ad se vocet. Multos solet serotina pœnitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper etiam in morte iuuare valet, quibus placet. Cùm ergo opus sit non hominis, sed Dei, fructifera pœnitentia: inspirare eam potest quandocumque vult sua misericordia, & remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex iustitia. Sed quoniam multa sunt quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculosum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum est, cui Deus tunc inspirat (si quis est) veram pœnitentiam.] [Sed si etiam *Ibid.c.* 18. sic conuersus vita viuat, & non moriatur, non promittimus quòd euadat omnem pœnam. Nam priùs purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, tamen miro modo grauis est: excellit enim omnem pœnam, quam vnquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta est pœna, licèt mirabilia martyres passi sint tormenta: & multi nequiter iniqui tanta sæpe sustinuerunt supplicia.] Ex his satis ostenditur, quàm periculosum sit differre pœnitentiam vsque in finem vitæ. Si tamen etiam tunc vera habeatur pœnitentia, hominem liberat, & vitam mortuo impetrat, non sic tamen, vt nullam sentiat pœnam, nisi fortè tanta sit vehementia gemitus, & contritionis, quæ sufficiat ad delicti punitionem. Licèt ergo sit difficile, vt tunc sit vera pœnitentia, quæ tam sera venit, quando cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vt vix homo aliquid cogitare valeat: melior est tamen sera, quàm nulla. Pœnitentia enim etsi in extremo vitæ hiatu aduenit, sanat, & liberat. Multùm sera fuit Latronis pœnitentia: sed non fuit sera indulgentia. [Sed licèt Latro veniam meruisset *Luc. 23.f.* *Aug. ibid. cap. 17.* in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi, & perseuerandi auctoritatem.]

De his, qui hîc pœnitentiam non complent.

SI verò quæritur de illis, qui in hac vita pœnitentiam non complent, B vtrùm transituri sint per ignem purgatorij, vt ibi compleant, quod hîc minùs fecerunt? Idem dicimus de istis esse sentiendum, & de his, qui in extremis pœnitent. Si enim tanta fuerit cordis contritio, & delicti exprobratio, vt sufficiat ad puniendum peccatum, liberi ab aliis pœnis transeunt ad vitam, etsi inexpleta fuerit pœnitentia: quia perfectè pœnituerunt, & ingemuerunt corde. Qui verò non adeò conteruntur corde, & ingemiscunt pro peccato, si ante expletionem pœnitentiæ discesserint, ignem purgatorium sentient, & grauiùs punientur, quàm si hîc implessent pœnitentiam. Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis. Deus enim, *Hebr. 10.f.* cùm sit misericors, & iustus ex misericordia pœnitenti ignoscit, non reseruans peccatum ad pœnam æternam. Ex iustitia verò impunitum non dimittit delictum. Aut enim punit homo, aut Deus. Homo autem punit pœnitendo, Deus autem pœnam exigendo. Et est pœnitentia interior, & exterior. Si ergo interior pœnitudo fuerit tanta, vt sit sufficiens vltio peccati, Deus qui hoc nouit, ab illo, qui taliter pœnitet, vlteriùs pœnam non exigit. Si verò interior pœnitudo non sufficit in vindictam peccati, nec exterior pœnitentia impletur, Deus qui modos & mensuras peccatorum, & pœnarum nouit, addit pœnam sufficientem. [Studeat ergo quis-

Aug. de vera, & fals. pœnit. c. 18. tom. 4. que sic delicta corrigere: vt post mortem non oporteat pœnam tolerare. Quædam enim peccata mortalia in pœnitentia fiunt venialia, non tamen mox sanantur. Sæpe enim infirmus moreretur, si non medicaretur, non tamen statim medicatus sanatur. Languet victurus, qui priùs erat moriturus. Qui autem impœnitens moritur, omnino moritur, & æternaliter cruciatur. Si enim semper viueret, semper peccaret.

De illo, cui Sacerdos indiscretus iniungit paruam pœnitentiam.

C SI verò de illo quæritur, qui satisfactionem iniunctam impleuerit, quæ ignorantia, vel negligentia Sacerdotis peccato condigna non fuit, vtrùm de vita migrans, ab omni pœna liber sit? Idem respondeo quod suprà de illo, qui pœnitentiam non compleuit, dixi. Quòd si tantùm est lamentum interioris doloris, vt sufficiat in vindictam peccati, omnino liberatus est: si verò non, sufficit dolor interior simul cum pœna iniuncta, addet *Luc. 23. f.* Deus pœnam. Quòd autem interdum sufficiat dolor interior ad vindictam peccati, certum documentum habemus in illo latrone, qui sola mentis contritione, & confessione, statim vt conuersus fuit, paradisum ingredi meruit. Sed quia dispensatores Ecclesiæ, contritionis quantitatem non perpendunt, quibus non est datum intelligere occulta cordium: omnibus leges pœnitentiæ constituunt tam magis, quàm minùs de peccato dolentibus. Quorum studium ad hoc præcipuè tendere debet, vt cordis dolorem, (quantùm fas est) cognoscant, & secundùm ipsius modum satisfa-*In ench. c. 65. tom. 3. & de pœn. dist. 1. In actione. Psal. 50. Psal. 37. 2. Cor. 1. d.* ctionem iniungant. Vnde Augustinus, [in actione pœnitentiæ, vbi tale commissum est, vt is qui commisit, à Christi etiam corpore separetur: non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum, & humiliatum Deus non despicit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam, nisi per verba, vel alia quæcunque signa procedit: cùm sit coram illo, cui dicitur, *Gemitus meus à te non est absconditus:* rectè constituuntur ab his, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ: vt satisfaciat etiam Ecclesiæ, in qua peccata ipsa remittuntur: extra eam quippe non remittuntur. Ipsa enim Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur vlla peccata.] Item Hie-*De pœn. dist. 1. cap. Mēsuram.* ronymus. [Mensuram temporis in agenda pœnitentia ideò non satis apertè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant qualiter vnumquodque emendandum sit, sed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum statuerunt, quia apud Deum non tantum valet mensura temporis, quantum doloris: nec abstinentia tantum ciborum, quantum mortificatio vitiorum. Ideóque tempora pœnitentiæ pro fide, & conuersatione fidelium pœnitentium abbreuianda præcipiunt, & pro negligentia protelanda, pro quibusdam tamen culpis modi pœnitentiæ sunt impositi.]

Quòd morientibus non sit imponenda satisfactio, sed innotescenda.

D SOlet etiam quæri, Vtrùm satisfactionis lex morituris sit imponenda? *26. quæst. 7. cap. Ab infirmis.* De quo Theodorus Cantuariensis Episcopus in Pœnitentiali suo sic ait, [Ab infirmis in periculo mortis positis, pura inquirenda est confessio peccatorum: non tamen est illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescen

tescenda: & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum largitionibus, pondus pœnitentiæ subleuandum, si fortè migrauerint. Si verò conualuerint, pœnitentiæ modum à Sacerdote impositum diligenter obseruent. Aliis verò, pro qualitate peccati, pœnitentia decernenda est præsidentium arbitrio.] Vnde Leo Papa, [Tempora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos. Pariter etiam habere debes ætatis seruilis intuitum, & respicere periculorum quorumcumque, vel ægritudinum necessitates.]

Ex Concil. Carth. III. cap. 31. Epist. 77. ad Nicetã, 26. q. c. Tempora pœn.

In necessitate non est neganda pœnitentia, vel reconciliatio.

Sciendum etiam, quòd tempore necessitatis non est neganda pœnitentia, vel reconciliatio pœnitentibus. Vnde Leo Papa, [His qui tempore necessitatis, & periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire. Quòd si ita aliqua ægritudine aggrauati sunt, vt quod paulò antè poscebant, sub præsenti significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt: simul & pœnitentiæ, & reconciliationis consequantur beneficium.] Item Iulius Papa, [Si Presbyter pœnitentiam abnegauerit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus ait; *Cùm conuersus fuerit, tunc saluus erit.* Vera enim confessio vltimo tempore potest esse: quia non modò temporis, sed etiam cordis Deus inspector est, sicut latro probat.]

E
Epistol. 91. ad Theodorũ, 26. q. 6. c. His qui. *Ibid. cap.* Si Presbyter. *Verba sunt Cœlestini Papæ in ep. 2. scripta ad Episc. Galliæ, c. 2. & sub eius nomine alleg. 26. q. 6.* Agnouimus, *3. c. 22. & hab. 26. q. 6. c.* Cognouimus, *paragr.* Qui autem, *& c.* Presbyt.

Quòd Presbyter non reconciliet inconsulto Episcopo, nisi necessitate.

Non debet tamen Presbyter pœnitentem reconciliare inconsulto Episcopo, nisi vltima necessitas cogat. Vnde in Carthaginensi Concilio, [Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, vel vltima necessitas cogat. Cuiuscumque pœnitentis publicum crimen est, quod vniuersam commouerit vrbem ante ἀψῖδα, scilicet introitum Ecclesiæ, manus ei imponatur.] Item, Aurelius dixit, [Si quis in periculo constitutus fuerit, & se reconciliari diuinis altaribus petierit: si Episcopus absens fuerit, debet Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem eius præcepto reconciliare. Inconsulto verò Episcopo non potest excommunicatos, vel publicè pœnitentes Presbyter reconciliare.] Vnde in Carthaginensi Concilio secundo statutum est, vt chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, & puellarum consecratio à Presbyteris non fiat. Item, [Reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non liceat: puellarum tamen consecratio consulto Episcopo per Presbyterum fieri valeat. Vnde in Carthaginensi Concilio III. Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret: chrisma verò nunquam conficiat. Sicut præcepto Episcopi potest Presbyter consecrare virgines, sic & reconciliare pœnitentes.]

F
Ex Concil. Carth. II. c. 9. & habet. 26. q. 6. c. Aurel. Episcop. *Cap. 3. & habetur, 26. quæst. 6. c.* Si iubet.

Ibidem. Cap. 36. & in præall. c. Presbyt.

An oblatio eius sit recipienda, qui currens ad pœnitentiam præuenitur morte?

G SI autem quæritur de illo, qui ad pœnitentiam festinans, Sacerdotem inuenire non potuit, & ita decessit: vtrùm oblatio eius sit recipienda? 26.q.6.c.Si aliquis. Dicimus, quia est. Vnde in Epanensi Concilio; Si aliquis fuerit mortuus, qui non sit confessus, & testimonium habet bonum, & non poterat venire ad Sacerdotem, sed præoccupauit eum mors in domo, vel in via: faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captiuis.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm pœnitentia in extremis valeat ad salutem?

Alens.4.*p.q.*157.*memb.*2.*& q.*70.*n.*2.3.D.Thom.*hic q.*1.*art.*1.*q.*1.*&* 3.*p.q.*86.*art.*1. Richard.*hîc art.*1. *q.*1. Sotus *d.*15.*q.*1.*art.*2. *&* 1.*de natura cap.*8. Medina C.1.*de pœn.q.*11. Vega *lib.*13.*in Trident. cap.*12.13.

1 Argum.1. CIRCA distinctionem vigesimam quæro: Vtrùm pœnitentia in extremis valeat ad salutem? Videtur quòd non: Augustinus in quodam sermone, ponitur in litera, loquens de sic pœnitente: *Non præsumimus, quòd benè hic exit.*

Argum.2. Idem, & ponitur in litera, & de poen.dist.7. *Periculosum est, & interitui vicinum, vsque ad mortem procrastinare pœnitentiæ remedium.* Ex hac auctoritate sic arguitur. Peccat mortaliter, qui se exponit periculo mortis suæ: sed talis est protrahens pœnitentiam vsque ad vltimum: ergo, &c. Confirmatur per illud Augustini in sermone Innocentum: Nota. *Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei.*

Argum.3. Item, Ecclesiast.17. *Viuus, & sanus confiteberis*, adducit illud Augustini: *Age pœnitentiam dum sanus es. Si sic egisti, egisti quo tempore peccare potuisti. Si vis pœnitere quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Ex hoc sic arguitur: nulla pœnitentia sufficit ad salutem, nisi sit voluntaria; sed pœnitens in extremis non dimittit peccata sua, sed illa eum, secundùm Augustinum: ergo, &c.

Argum.4. Item, nihil ordinandum est à legislatore, quod est occasio transgrediendi legem, & præcipuè multis. Hoc patet, quia tunc legislator aliquid faceret per se, quod esset in destructionem legis suæ; sed pœnitentiam serotinam valere est occasio continuandi peccatum pro tota vita: quis enim non continuè peccaret per totam vitam, si breuis pœnitentia in fine saluaret? ergo, &c.

2 Argum.5. Item, nulli dimittitur peccatum mortale, nisi per aliquam pœnam temporalem correspondentem peccato: sed talis pœnitens in extremis nullam pœnam soluit, vel saltem non sufficientem, nec peccato correspondentem.

Si dicatur quòd pœnam temporalem debitam peccato in purgatorio soluet. Contrà, moriens in peccato mortali damnatur statim: ergo moriens in gratia statim saluabitur, & per consequens nulla pœna soluetur post hanc vitam.

Ratio opp. Contra, Augustinus de vera & falsa pœnitentia dist.7. & ponitur in litera: *Pœnitentia si in extremo vitæ hiatu aduenerit, saluat & liberat.* Quod probat subdens: *Multùm fuit sera latronis pœnitentia, sed non fuit sera eius indulgentia.* De quo habetur Luc.23. Probatur etiam per illud Ezech.18.& 23. *Quacumque hora ingemuerit peccator,* &c.

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione solùm quærit de pœnitentia in extremis, omissis aliis, quæ tractat Magister, & supponuntur ex dictis resoluta.

SCHO

SCHOLIVM.

*Pœnitentia in extremis, si vera est, siue sit cum absolutione, siue sine illa, valet: quæ tamen tunc apparet esse vera, suspecta est, & rarò habenda pro vera; & declarat vtramque partem, & pro secunda, contra serotinam pœnitentiam affert quatuor fortia argumenta, quæ verè sunt tremenda. Valere pœnitentiam, quocunque tempore, & post quotcunque, & qualiacunque peccata verè fiat, tenet omnes citati, & videtur haberi ex Lateran. c.*Firmiter, de sum. Trin. *& ex Trident. sess. 6. cap. 4. Est contra asserentes tot, & talia peccata committi quandoque ab aliquo, quòd ampliùs non sit ei pœnitentia possibilis. Ita Henriq. quodlib. 8. quæst. 1. Abul. in Exod. cap. 4. quæst. 12. Med l. 3. de recta in Deum fide cap. 1. Catharin. opusc. de prædestin. Roffen. art. 36. contra Lutherum.*

IN ista quæstione duæ sunt conclusiones satis certæ. Prima est hæc: Pœnitentia vera, siue interior sola, siue exterior cum susceptione Sacramenti Pœnitentiæ sufficit ad salutem alicuius in extremis. 3 *Concl. 1.*

Secunda, quòd pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis, vix est vera pœnitentia sufficiens ad salutem: quia difficile tunc est habere veram pœnitentiam. *Concl. 2.*

Primum patet per Augustinum, & ponitur in littera, quoniam Deus semper potens est etiam in morte præmiare, quibus placet: cùm ergo opus sit non hominis, sed Dei, fructuosa pœnitentia, inspirare potest eam quandocunque vult sua misericordia: & per rationem patet, quia siue pœnitentia interior sola per modum meriti de congruo, disponat ad iustificationem, siue Sacramentum Pœnitentiæ per modum Sacramenti operetur ad eandem; si ab aliquo in extremis habeatur hæc, vel illa, habetur eadem ratio perceptionis gratiæ, quæ & in alio pœnitente, & per consequens gratia percipietur, & sic salus. *Opus Dei speciale inspirare fructuosã pœnitentiam.*

Secunda conclusio probatur primò, quia tunc impeditur vsus liberi arbitrij, vel vsus liber rationis, & voluntatis ex dolore, vel timore inhærentibus: non enim dico aliquem esse in extremis, qui grauatur morbo secundùm communem legem curabili, vt febre tertiana, vel huiusmodi, nec qui subitò moritur, cuius mortis adhuc nulla apparet causa: sed qui ex causis euidentibus iam positis iudicatus est proximus morti secundùm causas inferiores operantes, vt in pluribus, vtpote in infirmitate, quando iam attingit ad gradum desperatum iudicio medicorum, vel in aliis periculis, vt submersione, & huiusmodi, statim imminet mors; & in istis, inquam, vel est maximus dolor in parte sensitiua, vel timor maximus. Et vtraque passio vehemens nata est impedire liberum vsum rationis, & voluntatis, quia secundùm Augustinum 83. q.q. 36. *Passiones causatæ à tristantibus, vel tristibus, plus mouent, quàm passiones causatæ à delectabilibus:* passio autem delectationis vehemens quandoque impedit totaliter, vel ferè, vsum rationis, vt dicitur *de Ciuit. Dei*, actus autem displicentiæ de peccato, ad hoc quòd sit sufficiens ad veram pœnitentiam, siue intrinsecam solam, siue ad dignam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, requirit liberum vsum rationis, & voluntatis. 4 *Quare pœnitentia in extremis est suspecta?* *Dolor & timor impediunt liberum vsum rationis secũdùm Augustin.* *Lib. 14. c. 16.*

Si dicas, quòd dolor, vel timor, qui inest, non totaliter impedit intellectum, vel voluntatem; concedo: sed multùm impedit, & per consequens remissiùs & imperfectiùs, vsus intellectus & voluntatis tunc potest haberi, qui vix sufficit ad displicentiam sufficientem, & requisitam ad veram pœnitentiam. Hanc rationem tangit Aug. in littera. *Cùm sera venit pœnitentia, tantus aliquando cruciatus ligat membra, & dolor sensum opprimit, vt vix homo aliquid cognoscere valeat.* 5

Secundò, ad hoc quòd displicentia valeat, sit ordinata, oportet quòd sit debitè circunstantionata, & maximè circunstantia finis, & principij actiui principalis, vt scilicet sit voluntaria propter Deum: sed difficile est tunc habere actum sic circunstantionatum: quia qui vsque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc extorquere à seipso displicentiam nouam, nisi timore pœnæ imminentis: præsumitur enim, quòd si remotus esset à pœna, sicut priùs, non extorqueret à seipso illam displicentiam, sicut nec priùs, tum, quia saltem aliquid simpliciter inuoluntarium videtur causa istius displicentiæ: nam expectatio mortis videtur causa istius displicentiæ: illa autem est inuoluntaria: & quod non fit nisi ex suppositione cuiusdam inuoluntarij, non est simpliciter voluntarium; sicut non omnino voluntariè proicit quis merces in mari, si non proiicit nisi ex suppositione cuiusdam periclitationem, quam nollet: saltem quod non est nisi sit inuoluntarium, non est multùm acceptum alij, nec multùm videtur propter amorem eius factum. *Difficillimè potest pœnitentia esse bene circũstantionata in extremis dilata.*

Dolor, vel timor sine dilectione an delent peccata?

Hanc rationem tangit Augustinus in littera: *Oportet non solùm timere iudicem, sed diligere: arbitrij enim libertatem quærit, vt delere possit commissa, non necessitatem: charitatem, non timorem: non igitur timeat pœnam, qui pœnitet, sed anxietur pro gloria.*

6 Tertia ratio, quia habitus malus vsque tunc continuatus multùm retrahit ab actu pœnitentiæ: & hanc rationem tangit Augustinus in littera. *Cùm filij, quos illicitè dilexit, sint præsentes, vxor, & mundus ad se vocet, multos solet pœnitentia serotina decipere.* Intellige hæc delectabilia esse præsentia in se, vel in phantasmatibus vehementer impressis: & siue sic, siue sic, ex vehementia habitus continuati multùm inclinant ad se inordinatè amanda, & per consequens magnam faciunt difficultatem ad habendum magnam displicentiam de eis, ad hoc vt sit dispositio sufficiens ad deletionem culpæ.

Videtur ad cõtritionem veram certã intensionem requirere. de quo d.14. qu.2. art.2.

Quartò, quantò aliquis est minùs dominus sui actus, tantò requiritur intensior displicentia, ad hoc quòd sit dispositio sufficiens ad deletionem culpæ: iste autem minùs est dominus, quia nullo modo est dominus actus exterioris ad peccandum. Requireretur igitur secundùm strictam iustitiam intensior motus displicentiæ ad iustificationem eius, quàm ad iustificationem sani, cùm vix possit habere æquè intensum.

Et hanc rationem tangit August. in littera. *Age pœnitentiam dum sanus es, si sic agis, securus es, quia pœnitentiam egisti, quando peccare potuisti, si vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimittunt, non tu illa*; ad minus non tu ita liberè illa dimittis, sicut ille sanus, & ideo quantum deficit in te de libertate, tantum secundùm rigorem requiritur in te motus intensior, quem vix vel nunquam poteris habere.

7 Ideò dicit Augustinus, quòd magnum est, cui Deus tunc inspirat (si quis est) veram pœnitentiam, quia vix, vel nunquam est aliquis, qui habeat dispositionem de congruo, vt cui inspiretur.

Contra serò pœnitentes.

Duo corollaria.

Ex istis sequuntur duo corollaria. Vnum, quòd sano persuadendum est, vt sanus pœniteat incutiendo sibi timorem, quàm periculosum sit expectare serotinam pœnitentiam, propter rationes prædictas.

Aliud corollarium, quòd infirmo iam ad articulum istum deducto, suadendum est, vt secundùm suam possibilitatem laboret ad pœnitentiam ordinatam, vt scilicet non obstante dolore, vel timore, vtatur ratione quantum potest, & nitatur habere displicentiam voluntariam propter finem debitum, scilicet propter Deum: & renitatur malæ inclinationi habitus, & delectationum præsentium, & laboret ad displicentiam quantum poterit habere, licèt breuem: & ne in desperationem mittatur, extollenda est sibi Dei misericordia, proponendo sibi exemplum de latrone illo, cuius fuit pœnitentia sera, sed non sera indulgentia.

8 *Ad arg. 1.* Ad argumenta. [c] Ad primum dico, quòd præsumptio est secundùm ea, quæ eueniunt vt in pluribus, & magis apparent consona rationi rectæ vt in pluribus, videtur difficile, vel impossibile tali benè pœnitere, propter rationes dictas: tamen ista præsumptio non concludit de necessitate, quia licèt vt in paucioribus, & difficiliter, possibile est oppositum euenire, & ideò dicit Augustinus. *Non dico, quòd saluabitur, sed nec dico quòd damnabitur, quia de neutro potest homo esse certus.*

Ad 2.
Ad confir. Scot. non resp. sed potest dici, quòd peccator, vt in pluribus percutitur à Deo, non autem semper.

Ad secundum concedo quòd qui scienter exponit se periculo salutis suæ, peccat mortaliter: & ideò iste si aliquo actu elicito determinat sibi nunquam pœnitere, nisi in extremis, illo actu elicito exponit se periculo tali, & peccat mortaliter: sed etiam de illo peccato, si sic peccauit, possibile est ipsum pœnitere in extremis, sicut & de aliis.

Ad 3.

Ad tertium dico, quòd quamdiu aliquis habet vsum liberi arbitrij, potest peccare peccato interiori, licèt non exteriori, saltem complacendo in peccatis iam priùs commissis: & ita potest peccatum tunc dimittere per displicentiam de eis, licèt necesse sit non peccare peccato exteriori: sed etiam istud intantùm potest esse sibi pro tunc voluntarium, vt habeat tunc voluntatem. Quòd si posset tunc peccare peccato exteriori, fugeret hoc omnino: & non tantùm displicentiam, sed aliam pœnitentiam exteriorem habere de peccatis priùs commissis, saltem in voto, si superuiuat.

9 *Ad 4.*
Nõ requiri durationem ad cõtritionẽ, nec fortè aliquam intensionem certam.

Ad aliud dico, quòd legislator non debet ea prætermittere, quæ secundùm se sunt congrua in lege ordinata, licèt aliquis ex illis accipiat occasionem delinquendi: alioquin nunquam Deus debuisset instituisse pœnitentiam aliquam in aliqua lege, quia quilibet potest ex hoc accipere occasionem delinquendi; quam non acciperet, si non posset postea pœnitere: nunc autem ad legem simpliciter ordinatam pro statu isto naturæ lapsæ requiritur quòd pœnitentia possit esse fructuosa: & qua ratione in quocunque instanti sanitatis, pari ratione & in extremis: imò magis est necessarium pro

multis

multis imperfectis, quòd tunc possit valere. Dico igitur quòd istud non est occasio data à lege, sed tantùm accepta ab imperfectis: secundùm se autem est occasio seruandi legem propter amorem legislatoris, qui tantæ misericordiæ est erga miseros, vt nunquam eis claudat sinum misericordiæ suæ.

Regula pro legislatore, & superiore.

Potest confirmari responsio, quia quando ex aliquo directè prouenit maius bonum, quàm indirectè tanquam ex occasione accepta, proueniat malum; tunc illud faciendum est, & nullo modo prætermittendum propter talem occasionem: sed maius bonum est quosdam vsque in finem malos per pœnitentiam saluari, quàm malum sit peccatum ex istius occasione factum; quia per istam pœnitentiam multi finaliter attingunt ad terminum prædestinationis diuinæ: per illam autem occasionem diuinam nulli cadunt ab isto, & si aliquando peccant, tamen non peccato, quo finaliter damnentur.

Ad 5. Nō est imponēda pœnitentia in extremis cōfitenti.

Ad aliud, concedo quòd oportet istum alia pœna puniri pro peccato: sed hoc non debet sibi imponi hìc, quia non potest illam hìc implere. Nec potest sibi imponi, quòd tanto tempore stet in purgatorio, quia iste Sacerdos non habet auctoritatem sibi infligendi illam pœnam: sed proponenda est sibi pœna correspondens peccatis tali modo, si sanus esses, talis pœnitentia esset tibi imponenda; quam si conualueris studeas adimplere: sed nunc es in manu Domini, confide de misericordia eius, quia etsi te puniat, tamen misericorditer: vel in casu, vbi non potest protrahi multus sermo, non oportet aliquam pœnam sibi specificare, sed tantùm eum instruere de iustitia Dei misericordis. 10

Ad aliud, quod obiicitur contra responsionem, dico, quòd illud non est simile: moriens enim in peccato mortali nihil haberet retardatiuum à pœna condigna; sed iste moriens in charitate, debitor tamen pœnæ pro peccatis commissis, quorum pœnitentiam non fecit, habet aliquid retardatiuum à gloria; quia nullus dum est debitor alicuius pœnæ, potest glorificari: quia gloria sicut nec pœnam secum patitur, sic nec debitum pœnæ, quia nec simul, nec posteriùs persoluendæ.

COMMENTARIVS.

Quæstio non tangens materiam.

1 a IN *ista quæstione*, &c. Scholiastes, Fauentinus, & alij citant ad propositum huius quæstionis sententiam eorum, qui negant pœnitentiam aliquibus peccatoribus esse possibilem, qui derelinquuntur à Deo etiam in extremis in pœnam suorum peccatorum; sed hæc quæstio spectat magis ad materiam de auxiliis, in qua disputatur de gratia sufficiente; & ad materiam de prædestinatione, & peccatis, in quibus agitur de induratione, & obcæcatione peccatoris: qua in re Doctores illi Catholici non negant liberum arbitrium, sed asserunt quosdam in punitionem scelerum derelinqui à Deo iustè, vt ipso euentu non inspiretur eis pœnitentia, & in ea dispositione voluntatis adhærent peccatis, vt ipsi non quærant conuersionem per media debita, sed magis contemnant Dei misericordiam, & iustitiam, propriámque salutem.

Scopus huius quæstionis.

In hac autem quæstione vbi agitur solùm de efficacia pœnitentiæ pro omni statu viæ, si detur, priorem non admiscemus, quia de ea nihil agit Doctor: sed tantùm de efficacia veræ pœnitentiæ, etiam in extremis, & de difficultate eius, si eo vsque differatur propter impedimenta, quæ occurrunt ex parte laborantis in extremis; vnde colligatur obligatio, quam quis habet prouidendi propriæ saluti, & præueniendi prædicta pericula, dum integris sensibus potest.

Prima conclusio. Pœnitētia in extremis valet ad salutem.

2 Prima conclusio Doctoris. Pœnitentia vera in extremis sufficit ad salutem. Ita Doctor distinguens pœnitentiam in interiorem, & exteriorem. Interiorem intelligit contritionem perfectam sine Sacramento, quando scilicet non est copia confessarij, aut facultas ex impedimento confitendi. Pœnitentiam exteriorem intelligit Sacramentum cum dispositione requisita susceptum. Hæc conclusio simpliciter est de fide: quam probat Doctor ex Augustino, & ex efficacia tam contritionis perfectæ, quàm Sacramenti ritè suscepti. Patet ex Tridentino *sess. 7. de Sacram. in gen.* vbi vniuersaliter definit Sacramentum nouæ legis dare hunc effectum secluso obice, & quantùm est ex parte Dei, & ipsorum Sacramentorum, *can. 6. 7. 8.* Nullum autem peccatum post Baptismum commissum est obex respectu Sacramenti ritè suscepti. Patet etiam in specie *sess. 6. cap. 14. sess. 14. cap. 1. & 4. & can. 6.* Patet ex dictis hactenus de efficacia pœnitentiæ. Patet & ex illo Ezechielis 18. *Quotiescumque ingemuerit peccator*, &c. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Ioan. 2. quæ est potestas data sine limitatione. Patet etiam ex Canonibus Ecclesiæ, qui præcipiunt pœnitentiam dari in extremis constituto. Hæc denique est sententia omnium Patrum contra Nouatianos nemine excepto. Patet ex statu viatoris, & ordinaria dispositione diuinæ prouidentiæ, quæ comprehendit media legis ordinantis ad salutem respectiuè ad omnes baptizatos sine exceptione, quos ipsa lex comprehendit, neque obligat ad impossibile: obligat autem ad pœnitentiam finalem peccatorem baptizatum, & ad Sacramentum in re, aut voto. Hæc obligatio est ad finem salutis consequendæ: ergo pœnitentia ritè facta, per quam adimpletur præceptum pœnitentiæ, est fructuosa peccatori ad remissionem suorum peccatorum: quia facit quod lex iubet, & quod diuina iustitia tantum exigit quantum ad effectum remissionis peccati.

Est de fide. Probatio ex Trident. Ex Scriptura. Ex potestate clauium. Patres contra Nouatianos. Obligatio pœnitentiæ finalis.

Secunda

3 *Secunda conclusio.* *Pœnitentia finalis difficultas, & obstacula.* *Defectus libertatis.*

Secunda conclusio est, quòd pœnitentia, quæ habetur in extremis vix est vera pœnitentia, considerando scilicet impedimenta eius habendæ. Hanc conclusionem optimè probat ex auctoritatibus, quas Magister in littera affert, ex sancto Augustino. Primò, ob impedimentum recti vsus liberi arbitrij ex dolore vehementi, & timore, quam benè deducit. Secundò, eandem probat, quia actus circunstantionatus circunstantia finis requiritur ad veram pœnitentiam, vt doleat, scilicet propter Deum offensum, qui vix haberi potest ab eo, qui vsque ad illud instans fuit impotens. Tertiò, probat ex impedimento malæ consuetudinis. Quartò ex difficultate habendi conatum voluntatis requisitum.

4 *Documenta circa pœnitentiam.*

b *Ex istis sequuntur duo corollaria*, &c. Primum est incutiendo timorem sanis deducendo eos, ad pœnitentiam. Secundum corollarium est, etiam laborantem in extremis animandum esse ad veram pœnitentiam, proponendo Dei misericordiam, & eum dirigendo vt perfectè displiceat de peccatis: quæ verissima sunt, & vsui ac praxi consentanea. Quibus regulis vti debent confessores & Prædicatores. Sed vt video minor cura est prædicatoribus aliquibus huius temporis prædicare pœnitentiam, qui stylum & authoritatem pulpiti commutarunt in applausus comicos & theatrales; quibus id negotij est, vt proposito themate ad peregrina digrediantur, & in solita, quibus probandis inhærent, & totum tempus, quod solidæ doctrinæ, & excitandæ pietati impendere deberent, sine fructu vlle transigunt in se ipsis aut in populo, qua in re Prælatorum, & Pastorum res agitur, quorum curæ esse debet, vt verbum sanum irreprehensibile ad pastum gregis proponi curent, vt prædicentur vitia, & virtutes, non curiositas, & vanitas, & potissimùm hoc tempore, vbi maximè vigent peccata, deberet pœnitentiæ prædicandæ solicitudo maior esse, quia, vt dicit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. *Neque securior vlla via in Ecclesia Dei nunquam existimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quàm vt hac pœnitentia opera homines cum vero animi dolore frequentent*, &c. Trident.

Stylus incommodus, & non cögruus quorundam prædicatorum.

c *Ad argumenta. Ad primum dico*, &c. Ad primum argumentum respondet, quòd præsumptio vt in pluribus non inferat necessitatem. Ad secundum, quòd determinatè proponens non pœnitere nisi in extremis peccat mortaliter: quia exponit se ipsum periculo peccandi, & damnationis. Ad tertium, quòd habens vsum liberi arbitrij possit peccare peccato interiori saltem, ita etiam & pœniteret de peccato cum voto non peccandi. Ad quartum, quòd legislator non debet omittere præscribere congrua, quamuis aliquis inde sumat occasionem labendi ex propria nequitia. Addit confirmationem, nempe quando ex aliquo sequatur directè magis bonum, quàm malum ex occasione eius acceptum, non teneri operantem ad omissionem talis boni. Hîc posset tractari de scandalo, & eius speciebus; sed quia materia est prolixa, supersedeo. Ad quintum, quòd pœnitens in extremis non debeat obligari ad satisfactionem in vita, quia est incapax, & pœna debita in purgatorio punietur. Ad vltimum, assignat disparitatem inter morientem in peccato mortali, & morientem in gratia: quia hic potest habere aliquam pœnam soluendam, quæ ipsum retardat à gloria: ille nihil habet, per quod tardetur à pœna æterna, & damnatione.

5 *Responsio ad Argumenta.*

DISTINCTIO XXI.

De remißione peccatorum post hanc vitam.

A SOLET etiam quæri, Vtrùm post hanc vitam aliqua peccata remittantur? Quòd aliqua post hanc vitam remittantur, Christus ostendit in Euangelio, vbi ait, *Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex quo datur intelligi, sicut sancti Doctores tradunt, quòd quædam peccata in futuro dimittentur: quædam enim culpæ in hoc sæculo relaxantur; quædam verò paruæ etiam in futuro, quæ quidem post mortem grauant, sed dimittuntur, si digni sunt, si bonis actibus in hac vita meruerunt, vt dimittantur eis. De illis etiam qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, dicit Augustinus, quòd ignem tribulationis transitoriæ inuenient, cremabilia ædificia, quæ secum portauerunt homines cremantem. Ait enim sic, [Post istius sanè corporis mortem donec de igne purgatorio veniatur ad diem damnationis & remunerationis: si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum, qui ædificauerunt lignum, fœnum, stipulam, huiusmodi ignem dicantur perpeti, quem alij non sentiunt, qui huiusmodi ædificia non portauerunt, vt inueniant ignem transitoriæ tribulationis venialia concremantem, non redarguo: quia forsitan verum est. Sed quia

Matt. 12. c. Luc. 12. b. Greg. lib. 4. Dial. c. 39. & hab. 25. dist. c. Qualis hinc. 1. Cor. 3. c Libro de Ciuit. Dei, 21. cap. 26. tom. 5. Aug. circa Psalm. 37. primũ versum. 1. Cor. 3. c

quia dicitur, saluus erit quasi per ignem, contemnitur ille ignis. Grauior tamen erit ignis ille, quàm quicquid potest homo pati in hac vita.] Hic apertè insinuatur, quòd illi qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, quædam cremabilia ædificia, id est, venialia peccata secum portant: quæ in igne emendatorio cremantur. Vnde constat quædam venialia peccata post hanc vitam deleri.

Quòd alij citiùs, alij tardiùs purgantur in igne.

IN illo autem igne purgatorio alij tardiùs, alij citiùs purgantur, secundùm quòd ista pereuntia magis, vel minùs amauerunt. Vnde Augustinus. [Post hanc vitam incredibile non est, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quantò magis minúsve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs, citiúsque saluari.] [Vnde non frustrà illa tria distinxit Apostolus, *lignum, fœnum, stipulam*, quæ illi ædificant: qui etsi aliena non rapiant, rebus tamen infirmitati concessis aliqua dilectione inhærent. Qui secundùm suos amandi modos, vel diutiùs, vt lignum, vel minùs, vt fœnum, vel minimum, vt stipula, ignem sustinebunt.] [Qui verò superædificant aurum, argentum, & lapidem preciosum, de vtroque igne securi sunt, non solùm de illo æterno, qui cruciaturus est impios in æternum: sed etiam de illo emendatorio, quo purgabuntur quidam saluandi.] B *In Ench. c.69.tom.3. Augustin. enarrat. in Ps.80.nō lōgè à fine, tom. 8. & enarratione ad Ps. 37. non longè à principio.*

Oppositio.

HIc obiici potest, Si per lignum, fœnum, stipulam venialia intelliguntur peccata: & nullus adeò perfectus est, qui venialiter non peccet: ergo qui ædificant aurum, argentum, & lapidem preciosum, ædificant etiam lignum, fœnum, stipulam: ergo per ignem transibunt. Ad quod dicimus, quia non omnis, qui venialiter peccat, lignum, fœnum, stipulam ædificat: sicut è conuerso non omnis, qui contemplatur Deum, & diligit proximum, & opera bona facit, ædificat aurum, argentum, lapidem preciosum. Et tamen in auro intelligitur contemplatio Dei, in argento dilectio proximi, in lapide precioso bona opera. Sed illi qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, Deum contemplantur, & proximum diligunt, & opera bona faciunt, nec tamen ædificant aurum, argentum, & lapidem preciosum. Hæc enim ædificat, qui sic illa tria facit, vt cogitet quæ sunt Dei, & quomodo placeat Deo, non mundo. Lignum verò & fœnum, & stipula accipi possunt secularium rerum, quamuis licitè concessarum, tales cupiditates, vt amitti sine animi dolore non possint. Hæc ergo ædificat is, qui cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat mundo, qui circa diuitias suas quodam carnali affectu tenetur: & tamen ex eis multa beneficia facit, nec pro eis aliquid fraudis, vel rapinæ molitur. Ex his ergo patet, quòd non idem homo simul hæc, & illa ædificat. Illa enim ædificatio, perfectorum tantùm est, qui non cogitant placere mundo, sed tantùm Deo: qui etsi venialiter aliquando peccant, feruore charitatis ita absumitur in eis peccatum, sicut gutta aquæ in camino ignis: & ideò nunquam secum portant cremabilia. Hæc autem inferior ædificatio minorum est, qui non tantùm Deo, sed etiam mundo placere cogitant, Deum tamen præponunt. Si verò mundum præponerent, non superædificarent, sed destruerent fundamentum. Affectiones ergo carnales, quibus dediti sunt domibus, coniugibus, possessionibus, ita vt nihil præponant Christo: illis tribus significantur, quæ C *Prou. 14. b Ecclesi. 7. Solutio. 1.Cor.7.f Aug. de fide & operibus, cap.16. tom.4.& in Ench.c.68. 1.Cor.7.f*

quæ in mentes perfectorum non cadunt, etsi alia venialia admittant. In cordibus verò minorum interdum durant vsque in finem; qui cum talibus ædificiis transeunt, sed dissoluuntur in igne. Ipsi verò merito fundamenti salui erunt; grauissimam tamen pœnam sentient.} Ex quo apparet, quantam hîc misericordiam exhibet Deus,& quantam ibi exerceat seueritatem: cum pro eodem peccato multò grauiùs ibi puniat, quàm hîc.

Opinio quorumdam cum obiectione.

D *25. distinct. cap. Qualis hic, lib. 4. dial. c. 39.* *Quòd aliquis verè pœnitet, etsi non de omni veniali.*

SEd fortè dices illud esse accipiendum de pœna peccati, non de ipso peccato, quod Gregorius dicit quædam leuia in futuro dimittenda. Si enim veram pœnitentiam habuerit quis, peccata omnia dimissa sunt ei; sed pœna fortè remansit. Ideóque si verè pœnitens obiit, sine peccato transiit. Si autem verè pœnitens non est in obitu, maculam portat, quæ nunquam delebitur. Qui verò ædificat lignum, fœnum, stipulam, verè pœnitet; quia bonus est, & charitatem habet, & in charitate de hac vita transit: ergo sine peccato transit. Non sequitur. Verum quidem est, quòd quia bonus est, & charitatem habet, verè pœnitet: & tamen cum veniali peccato transit, quod non deleuit pœnitentia. Pœnitentia enim non delet nisi peccatum illud, quod deserit homo. Tale autem peccatum sæpè in hac vita non relinquitur ab homine, & tamen verè pœnitens est, etsi non de omnibus venialibus pœniteat. Potest enim quis de omni mortali, & de omni veniali pœnitere, excepto vno, vel pluribus venialibus quidem. Sicut habet quis charitatem, & vnum, vel plura venialia; quod de criminalibus nullatenus esse potest. Est enim aliquis bonus charitatem habens, sed adhuc quodam cupiditatis affectu amans hæc sæcularia; talis existens subita morte opprimitur. In illo terreno affectu mortuus est, & tamen saluabitur, à quo non se hîc absoluit: ergo post hanc vitam ab illo purgabitur. Constat ergo quædam peccata, scilicet leuia, post hanc vitam dimitti. Si verò de pœna peccati illud intelligi voluissent auctores, cur magis commemorassent leuia, quàm grauia, cùm etiam grauium pœna hîc inexpleta post hanc vitam restet?

Exemplo vtitur ad probandum dictum.

De generali confessione, quid prosit?

E

POst hæc considerandum est, quid prosit confessio illa, vbi singula peccata, quæ quisque fecit, non exprimuntur. Sanè dici potest, quòd omnia criminalia, semel saltem, oportet in confessione exprimi, nisi aliqua à mente exciderint. Sed quia nemo delicta intelligit omnia, generaliter saltem ea confitere, quorum memoriam non habes: & sic nihil celasti de sceleribus tuis. Venialia verò, quia innumerabilia sunt, sufficit generaliter confiteri, nisi aliqua sint frequenter iterata: perfectiùs est tamen etiam illa exprimere, si vales. Ideóque quotidie generaliter fit confessio in Ecclesia pro venialibus, scilicet peccatis, quæ quotidie admittimus; & pro illis mortiferis, quorum notitiam non habemus. Vnde Augustinus: {Veritatem dicit Deo pœnitens, quando nihil illi de commissis sceleribus celat: Nunquid etsi voluntatem celauerit, Deus ignoret? Sed veritatem sibi dici vult ab eo, vt veniam consequatur. Si verò mente aliqua exciderint, confitetur veritatem Deo, cùm generaliter dixerit, Deus qui nosti occulta cordis, & opera mea, & delicta à te non sunt abscondita, quibus veniam largiaris precor; & hæc est veritas confitentis, quam diligit

Psal. 18.

Lib. 5. Hypognost. paulò post initium, tom. 7. Act. 1. d

Psal. 68.

diligit Deus.] Vnde Psalmista, Ecce enim veritatem dilexisti. Hîc insinuatur, quòd generalis confessio etiam mortalia delet, quorum intelligentia non habetur. *Psal. 50.*

Nemo confiteatur peccata, quæ non fecit.

Sicut autem pœnitens celare non debet peccatum suum, quia superbia est: ita nec humilitatis causa fateri se reum illius, quod se non commisisse noscit; quia incauta est talis humilitas, & peccatorem constituit. Vnde Augustinus. [Cùm humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaras: veritas in te non est, nisi ita te dixeris peccatorem, vt etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, vt quod es, dicas. Nam quomodo est veritas, vbi regnat falsitas?] F *De verbis Apost. serm. 29. in medio, tom. 10. & 22. q. 2.* Cum humilitas.

De pœnis Sacerdotis, qui peccatum publicat confitentis.

Caueat autem Sacerdos ne peccata confitentium aliis prodat: alioquin deponatur. Vnde Gregorius, Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur, peccata alicui recitet, non propinquis, non extraneis; nec (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. Quod verò dictum est, vt pœnitens eligat Sacerdotem scientem ligare, & soluere, videtur contrarium ei, quod in Canonibus reperitur, vt nemo scilicet alterius parochianum iudicare præsumat. Sed aliud est fauore, vel odio proprium Sacerdotem contemnere, quod Canones prohibent: aliud cæcum vitare, quod Vrbanus facere monet, ne si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadant. Ait enim Vrbanus II. *Placuit vt nulli Sacerdotum deinceps liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu, cui se priùs commisit, nisi pro ignorantia illius, cui priùs confessus est. Qui verò contra hoc facere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit.* G *De Pœnit. dist. 6. cap.* Sacerdos. *Ibid parag.* Quod autem. *9. quæst. 2. quasi per totum. Matth. 15. b. Ibid. dist. 6. c.* Placuit.

QVÆSTIO I.

Vtrùm post hanc vitam possit aliquod peccatum dimitti?

Alens. 2. *part. quæst.* 124. *membr.* 9. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 5. *&* 3. *part. quæst.* 87. *art. vlt. & hic quæst.* 1. *art.* 1. D. Bonauent. *art.* 1. *quæst.* 1. *&* 2. *dist.* 42. *art.* 2. Richard. *hic art.* 2. *q.* 3. Suar. 3. *part. d.* 11. *sect.* 2.

HÆc est distinctio vigesima prima. Quæro primò quæstionem hanc: Vtrùm post hanc vitam possit aliquod peccatum dimitti? Videtur quòd non, quia nullus moriens iustus potest postea peccare: ergo nec moriens in peccato potest postea resurgere. Consequentia patet, tum à simili, quia simile videtur pro aliquo statu posse peccare, & resurgere à peccato: tum à maiori, quia faciliùs est cadere, quàm resurgere: tum quia resurgere à peccato non videtur competere, nisi ei, qui potest mereri: sed qui non potest in aliquo statu cadere, non potest mereri. 1 *Argum. 1.*

Item, nullum peccatum mortale post hanc vitam post remitti: igitur nec veniale. Consequentia patet, quia sunt eiusdem rationis, cum non nisi secundùm magis, & minùs differant. *Arg. 2.*

Item, Damascenus lib. 2. cap. 4. *Quod est Angelis casus, hoc est hominibus mors:* sed Angelus post casum est omnino inuariabilis ab huiusmodi, in quod cadit: ergo & homo ab illo, in quo moritur, est inuariabilis post mortem. *Arg. 3.*

Item, per pœnam minimam potest dimitti peccatum veniale, dum tamen sit voluntaria, vt aspersione aquæ benedictæ, & huiusmodi: pœna mortis est maxima, quia *vltimum terribilium est,* 3. Ethic. ergo per illam, si sit accepta voluntariè ab isto morituro, potest deleri omnis culpa venialis: ergo post mortem nulli remanet dimittenda. *Arg. 4. Cap. 9.*

Si dicas, quòd mors est inflicta pro peccato originali, & ideò non potest esse pœna debita alij peccato, nec deletiua, nec remissiua peccati. Contrà, originale peccatum dimissum est in Baptismo, quia contra hoc specialiter ordinatur: ergo non est mors in isto pœna debita pro originali: ergo vt priùs.

Ratio ad oppos. Contrà, Magister in litera, & probat per illud Matth. 12. Luc. 11. & Marci 3. *Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Subdit Magister: *Ex hoc datur intelligi, sicut sancti Doctores tradunt, quòd quædam peccata in futuro dimittentur.*

De peccato in Spiritum sanctum, vide 2. dist. 41.

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione mouet duas quæstiones. Prima est, an peccatum aliquod post hanc vitam remitti possit. Secunda quæstio est de obligatione sigilli confessionis.

SCHOLIVM.

Pœnam pro peccato dimisso in hac vita solui sæpè in alia vita, probat ex varijs locis August. & ex illo 1. Corinth. 3. Ipse saluus erit, &c. *& hanc probant omnia, quæ probant dari purgatorium. 1. Machab. 12.* Sancta est cogitatio pro defunctis orare. *Tob. 4.* Panem tuum, & vinum constitue super sepulchrum iusti. *Matth. 12.* Non dimittetur in hoc sæculo, neque in futuro. *De hoc Bellarm. lib. 1. de purg. per totum. Feuarden. noster exactissimè in sua Theomachia lib. 11. 12. & 13. Castro v.* Purgatorium.

2 IN [a] ista quæstione vna conclusio est certa, scilicet quòd peccato dimisso in hac vita, pœna debita pro ipso potest solui post hanc vitam. Quod probatur ratione, quia nullus cum debito pœnæ beatificatur; aliter enim pœnæ simul soluendæ essent cum gloria, aut post gloriam: sed neutro modo, quia nec pœna potest stare cum gloria, nec succedere gloriæ; igitur si quis aliquando est debitor pœnæ, oportet quòd priùs illam soluat; iste autem, qui dignè pœnituit in extremis, quod possibile est, vt dictum est *dist. præced.* non soluit dignam pœnam pro peccato, de quo pœnituit: ergo illam soluet post hanc vitam.

Hoc etiam dicunt auctoritates, quas Magister adducit in litera. Vna est August. 21. de Ciuit. Dei cap. 27. vbi tractat illud 1. ad Corinth. 3. *De his qui ædificant lignum, fœnum, stipulam; post istius (* inquit *) corporis mortem, donec veniatur ad diem damnationis, & remunerationis, si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum, qui ædificauerunt lignum, fœnum, stipulam, ignem dicantur perpeti transitoriæ tribulationis venialia concremantem non redarguo.* Et sequitur: *Grauior erit ignis ille, quàm quicquid homo pati poterit in hac vita.* (margin: 1. Cor. 3.)

Et idem, de vera, & falsa pœnitentia, & ponitur de pœnit. dist. 7. loquens de serò pœnitente. *Viuat, & non moriatur* (intellige de vita gratiæ) *non promittimus; quòd euadat omnem pœnam: non priùs purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis, etsi æternus non sit, miro tamen modo grauis est: excellit enim omnem pœnam, quam vnquam passus est aliquis in hac vita.* Et hanc sententiam dicit Magister dist. 20. cap. 2. *Si*, inquit, *& ante expletionem pœnitentiæ decesserint, ignem purgatorium sentiunt, & grauius puniuntur, quàm si hìc explessent pœnitentiam.* Nec mirum, quia pœna quantò minùs voluntaria, tantò minùs satisfactoria: & tota ista sententia de purgatorio fundatur in verbo Apostoli, 1. ad Corinth. 3. vbi dicit, *Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Dicit de imperfecto moriente cum venialibus.

COMMENTARIVS.

1 *Ordo, & diuisio quæstionu.* a IN *ista quæstione*, &c. Duas veritates resoluit: quarum prima est certa, nempe dari purgatorium, quæ est veritas fidei. Secunda est dubia. An, scilicet aliquod peccatum remittatur in altera vita.

Errores cōtra veritatē purgatorij. Purgatorium negarunt plures antiqui hæretici. Fortè primus, qui occasionem dedit aliis, fuit Aërius Presbyter Arrianus, qui negauit suffragia pro mortuis esse vtilia, quamuis expresè non inuenitur negasse purgatorium; vt patet ex Epiphanio *hæresi 75.* Augustino *de hæresibus hæres. 53.* & aliis, qui de hac hæresi agunt, vt Philastr., Isidorus, Damascenus. qui error facilè potuit etiam hunc alium peperisse: quoniam impugnatione coniunctus est. Eundem errorem quandoque docuit Lutherus, quandoque negauit: sed eam tuentur Caluinus *lib. 3. Instit. cap. 5.* Brentius, Petrus martyr, & alij huius temporis sectarij, quos fortissimè impugnant Controuersistæ.

Hanc veritatem probat Doctor, primò ratione. Deinde ex traditione, seu authoritate Patrum ex iis locis, quæ citat Magister in litera. Tertiò ex Scriptura 1. ad Corinth. 3. *& tota ista sententia de purgatorio*, inquit, *fundatur in verbo Apostoli 1. ad Corinth. 3.* &c. Quibus verbis non intendit probationem ex solo illo loco haberi; sed veritatem ipsam ex illo loco optimè probari, *Veritas fidei.*

bari, qui est magis expressus de purgatorio igne, quàm alia loca: & quò magis hanc veritatem confirmant ex Scriptura Patres, & Concilia: nam alia loca expressiùs agunt de remissione peccatorum aliquorum post hanc viam: vt patet *Matth.* 12. *Luc.* 11. *Marci* 3. quos citat in argumento ad oppositum: vel agunt de suffragiis, quæ fiunt, & fieri debent pro defunctis, vt *Iob* 4.2. *Machabæorum* 12. *Eccles.* 7. hic autem locus expresè docet purgatorium, & ignem, per quem purgantur iusti post hanc vitam pro pœnis peccatorum non solutis, & pro leuibus peccatis. Ad has probationes, quas breuiter attingit Doctor, reducitur integra probatio huius veritatis, quam fusè prosequuntur Doctores Catholici, qui in hac materia versantur, ad quos remitto lectorem. interim sequendo ordinem Doctoris, probatur veritas.

2 *Prima probatio ex necessitate satisfactionis.* Primò ex veritate fidei, quam supponit eius ratio, & *suprà* tractauimus de necessitate satisfactionis debitæ peccatis remissis per pœnitentiam hominis Christiani pro pœna temporali, in quam commutatur æterna, quæ alioqüin remanet in altera vita soluenda in purgatorio. Hæc satis patent ex iis, quæ dicta sunt de satisfactione *dist.* 15. *quæst.* 1. quibus suppositis argumentatur Doctor: nullus cum debito pœnæ beatificabitur: aliàs pœnæ essent soluendæ simul cum gloria, vel post gloriam; sed neutrum horum consistit cum gloria: ergo debitum pœnæ, seu ipsa pœna debita ante gloriam soluenda est, sed aliquando contingit pœnam non solui in hac vita, vt patet in eo, qui pœnituit de peccato in extremis, cui non superfuit tempus satisfaciendi pro pœna. Patet in aliis, qui obnoxij multis venialibus mortui sunt sine pœnitentia de ipsis. Patet etiam in iis, quibus non fuit iniuncta pœnitentia secundùm qualitatem culpæ; sed iuxta facultatem, & alia rationabili ex causa mitiùs actum est in foro pœnitentiæ, neque ipsi deinde satisfecerunt voluntariè per opera assumpta, aut quibus Deus non inflixit pœnas congruas in hac vita. His omnibus manet debita pœna soluenda: ergo, &c.

Cum debito pœna non cōpatitur beatitudo.

Manere pœnam debitam quãdoque post mortem.

3 *Debitum pœna non compati cum gloria.* Primum antecedens cum sua probatione patet, nempe pœnam, aut debitum pœnæ non compati cum gloria, aut post gloriam soluendam. In primis debitum pœnæ manet ordinandum infallibiliter per ipsam pœnam, vel æquiualens in diuina acceptatione; & hoc ex diuina iustitia, & lege ordinaria, quæ statuit sic vindicare peccatum, vt non maneret impunitum: ideóque statuit necessitatem satisfactionis in hac vita, & qui vult redimere pœnam, vel certè ipsam pœnam in altera vita in carcere purgatorij, ex quo non emittitur debitor, donec soluerit vltimum quadrantem, vel alij pro eo satisfecerint, sed neque pœna, neque debitum eius potest compati cum gloria simul, neque post gloriam soluenda: vt patet ex sacris literis. non cum gloria, quia excludit omnem miseriam, & indigentiam. Isaiæ 64. *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit absque te, quæ præparasti diligentibus te*, &c. 1. ad Cor. 2. *Sed sicut scriptum est, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus ÿs, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum sanctum, Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, &c. Sap. 4. & 5. vbi pulchrè per antithesim exponitur miseria damnatorum, & status beatorum, ac gloria. Matth. 13. *tunc iusti fulgebunt, sicut Sol in regno Patris eorum.* Apocalyps. 7. *Non esurient, neque sitient ampliùs, neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus*, &c. In quæ loca Patres, & omnes expositores docent veritatem præmissam. Perinde probatur non fore, vt gloria illa terminetur, quia est vita æterna. Isaiæ 65. *Gaudebitis, & exultabitis, vsque in sempiternum*, &c. Patet etiam ex aliis locis, Scripturis, & symbolis fidei, & Patribus, quod infrà suo loco magis tractabitur: ex quibus patet efficacia huius rationis, quam præmittit Doctor, vt reducitur ad sua principia, quæ supponit certa.

Gloria excludit miseriam culpa, & pœna.

Secunda probatio est ex authoritatibus, quas citat Magister in litera; quibus addi potest & traditio, & authoritas Patrum. Traditio autem patet ex consuetudine Ecclesiæ orantis pro defunctis, quæ ex omnibus Liturgiis. Patet Romana. *Memento Domine famulorum, famularúmque tuarum, qui nos præcesserunt*, &c. *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, & pacis indulgeas, deprecamur*, &c. Sic etiam Lithurgia Iacobi, Matthæi, Marci, Barnabæ, & Ambrosij, & cæteræ, quæ habentur apud Pamelium. Hæc oratio superflua esset, nisi ea indigerent animæ defunctorum, & eis esset proficua. Sed in tantùm est proficua, inquantùm remittatur eis pœna, in qua sunt, quod supponit traditio Ecclesiæ ab initio, & per omnia sæcula continuata. 4 *2. Ratio. Ex authoritate, & traditione.* *Lithurgia.* *Oratio pro defunctis.*

Patet etiam ex Patribus Clemente Romano *epistola* 1. vbi hæc oratio à Beato Petro commendata fuit *lib.* 8. *Constitutionum Apostolicarum. cap.* 41. *Oremus pro fratribus nostris, qui in Christo requieuerunt, vt Deus summæ erga homines charitatis, qui animum defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum voluntarium, & non voluntarium, & propitius ac beneuolus ei factus collocet eum in regionem piorum, qui relaxati sunt*, &c. *& cap.* 42. præcepit memoriam defuncti peragi debere die 3. 9. 40 Quod & Nouella Iustiniani Imperatoris de monachis, & Ascet. supponit retentum; & consuetudo Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis, & post annum. Dionysius *Ecclesiast. Hierarchia cap.* 7. Clemens Rom.

Origenes *homil.* 14. *in Leuiticum, & hom.* 12. *in Ieremiam*, vbi eleganter hanc veritatem explicat, cui non præiudicat error aliàs particularis eius de salute damnatorum, quia veritati professæ, & declaratæ non obstat, si ex priuato errore extendatur ad ea, quæ non comprehendit. Rectè autem Origenes ex Apostolo declarauit literaliter peccatores purgari in altera vita. Quòd autem comprehendat damnatos, fuit error eius particularis, cui malè applicat veritatem ex Scriptura, & traditione totius Ecclesiæ receptam, quam ipse profitetur *lib.* 8. *in epistolam ad Romanos, cap.* 11. Idem docet Basilius *in cap.* 6. *Isaia. Et in manu habebat carbonem*, &c. *Reuera*, inquit, *quoniam ritus ille, quo apud Iudæos Deus colebatur, subseruiebat exemplari, & vmbræ cœlestium, cœleste quoddam insinuare intelligendum est altare illud, nempe locum lustrandis animabus accommodatum, à quo ignis ille purificatiuus per eas virtutes eximia sanctitate proditus elicitur*, &c. *& ad cap.* 9. Idem habet in illa verba: *Et erit populus ab igne adustus*, &c. 5 Origenes. Basilius.

Gregorius Nyssenus orat. *quòd non non sit dolendum ob eorum obitum, qui in fide discesserunt*: vbi Nissenus.

loquens de dormientibus in fide: *Vel in præsenti,* inquit, *vita precibus, sapientiaque studio purgatus: vel post obitum per purgatorij ignis fornacem expiatus ad pristinam vellet redire fœlicitatem,* &c.

Item *in libro de anima & resurrectiune. Planè necesse est, vt dum vitiositas purgatorio igne absumitur, anima quoque, quæ cum vitiositate vnita est, in igne sit, donec id quod inspersum est, adulterinum, materiale, & fucatum, atque corruptum, totum aboleatur igne consumptum,* &c.

Tertullianus. Tertullianus *de anima cap.* 35. *de monogamia cap.* 10. Cyprianus *epistola* 52. *ad Antonianum.*

Lactantius. Lactantius *lib.* 7. *Instit. cap.* 21. *Sed iustos, cùm iudicauerit Dominus, etiam igne examinabit: tum quorum peccata, vel pondere, vel numero præualuerint, igne perstringentur, atque comburentur, quos autem plena iustitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient,* &c.

6 Hilarius. Hilarius in Psalm. 59. *Est olla secundùm Ieremiam vrens peccata, atque tollens,* &c. *& multi secundùm Apostolum tanquam per ignem erunt salui, cum defæcatis, & perustis vitiis, & argentum ignitum probabiles iudicentur,* &c.

Hieron. Hieronymus ad *cap.* 66. *Isaiæ,* & ad *cap.* 7. *Michææ. Post cruciatus atque tormenta educta de tenebris exterioribus anima, reddito nouissimo quadrante dicet: Videbo iustitiam eius; & loquar: iustificata sunt iudicia tua Deus.*

Ruffin. Ruffinus in Psalm. 37. *Per ignem intelligi potest examinatio ignis purgatorij, in quo corripientur, qui modò super fundamentum Christum infructuosa ædificant, detrimentum quidem patientur: sed salui erunt, sic tamen quasi per ignem, grauior autem erit ille, quàm quidquid potest homo in hac vita tolerare,* &c.

August. Augustinus *locis citatis in litera, & lib.* 2. *de Gen. contra Manichæos cap.* 20. super illud: *Maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis,* &c. *Si quis fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel pœnam æternam,* &c. & in Psalm. 37. *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam igne emendatorio non sit opus, propter illos, qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare? nisi quia ædificant super fundamentum ligna, fœnum, stipulam, si ædificarent autem aurum, & argentum, & lapides pretiosos, & de vtroque igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios; sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt, dicitur enim: Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem: & quia dicitur saluus erit, contemnitur ille ignis: ita planè, quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita,* &c.

Item *de ciuitate Dei, cap.* 13. & 16. idem expressè docet.

Sixtus III. Sixtus III. *de malis Doctoribus, & operibus fidei: Ego duo tantùm loca in Scripturis inueni, Regni, & Gehennæ, id est, vitæ, & mortis purgatorium, tamen locum semper excipio, in quo ad tempus piorum animæ corporibus solutæ excipiantur.*

Eucherius. *Et reliqui Patres.* Eucherius Lugdunensis *hom.* 3. *in Epiphaniam* pulchrè ignes purgatorij describit. Sedulius *ad cap.* 3. *primæ ad Corinth.* Cæsarius Arelatensis in verba Apostoli. *Si cuius opus,* &c.

Gregorius Magnus *in Psal.* 3. *pœnitentialem lib.* 4. *dialog. cap.* 39. & reliqui posteriores Patres.

7 3. *Ratio. Ex Scriptura.* Tertia probatio est ex Scriptura, duo loca adducit Doctor, Primus est *Matthæi* 12. quem de remissione alicuius peccati, nempe venialis post hanc vitam explicant plures Patres, quos sequitur Magister *in hac distinctione*: ita Augustinus *lib.* 6. *contra Iulianum cap.* 15. & *lib.* 21. *de ciuitat. cap.* 14. quem plures alij sequuntur.

Sed præcipuus locus est ille Apostoli *prima ad Corinth.* 3. vt rectè ad notauit Doctor. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est ipse Christus Iesus. Si quis autem superædificat, super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, & stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem,* &c.

Hic locus varias interpretationes patitur, quę in aliquo confundunt eius sensum literalem.

Aduertendum est metaphoram sumi à conflagratione domus, in qua per ignem non destruuntur aurum, argentum, marmora porphyretica, & alia quorum vsus est in ædificiis; & hi intelliguntur lapides pretiosi, lignum tamen, fœnum, stipula igne consumuntur: & significatur domus spiritualis ædificata super Christo, quod est fundamentum salutis nostræ, cui superædificat fides alia opera; quædam perfecta, vt charitatis, & aliarum virtutum: quædam mixta, nempe quibus annexa est imperfectio venialis. Ignis intelligitur diuinum iudicium in discernendis operibus, eisque retribuendis per examen ignis, in quo exercetur iustitia quantùm ad peccata, & pœnas debitas. *Ratio metaphora accommodatur. Accommodatio.*

Aliqui Patres per accommodationem hoc loco comprehendunt etiam ignem inferni, quo puniuntur peccata mortalia. Ita videtur alludere ad hunc locum Hieronymus *in cap. primum Ieremiæ, & in caput primum Nahum.* vbi intelligit opera hęreticorum, & *in Zachariæ primum,* Chrysostomus *homilia* 9. *in priorem ad Corinth.* Theophylact. *in Apostolum.* Nazian. *orat.* 39. *in fine,* vbi intelligit ignem æternum, quo puniuntur hæretici. quam expositionem sequitur Turrian. *contra Magdeburgenses lib.* 4. *cap.* 13. & Græci *in Concilio Ferrariensi,* Clemens Alexandrinus *lib.* 5. *stromatum.* 8. *Extensio huius loci ad ignem inferni.*

Vtrùm hæc interpretatio ita tenenda est, vt nullo modo excludatur præcipuus scopus Apostoli, licèt verba eius accommodentur igni infernali, quasi à minori ad maius: nam si peccata leuia examinat diuina iustitia per districtũ ignis iudicium, & pœnam, à fortiori etiam peccata mortalia reseruantur igni, & si doctrina friuola, vana, & curiosa fidelium Doctorum, & prædicatorum Euangelij, quos admonet etiam Paulus (vt docet Ambrosius, Anselmus, D. Thomas in hunc locum, quia tum Corinthij nullus erat hæreticæ doctrinæ prædicator, vt patet) rectè etiam sequitur eos reseruari igni, qui doctrinam peruersam, & contra fidem seminant: inde ergo illi Patres accommodant hunc locum Pauli, quasi probatione à minori ad maius, ad districtum iudicium ignis, quamuis alterius rationis ab igne, quem intendit, & ex quo saluus euadit is de cuius examine hîc tractat Apostolus. Ideóque illa interpretatio quam adhibent illorum verborum: *Si saluus erit quasi per ignem,* &c. quasi intelligatur manere substantia animæ, & non consumi, impropria est, licèt verum sit animam non perire: quia saluum esse non denotat aliam salutem *Præmissa interpretatio quali er fundatur.*

in Scriptura, quam vitæ spiritualis, quam Christus dedit. Deinde, saluum esse per ignem, denotat liberationem ex igne, & per ignem colari scoriam. Vnde per ignem rectè dicitur salus tanquam per causam, quia per ignem, seu pœnam est retributio diuinæ iustitiæ, qua ordinatur peccatum leue, & pœnæ debitum, quæ impediunt iustum à vita sempiterna, & tollitur debitum retardans. Accedit quòd salus hæc debet statui in fundamento Christo, in quo est nobis salus, & cui innititur vita nostra: hæc autem salus est tantùm vitæ spiritualis, & non naturalis, quæ ex Deo creatore est, & ex propagantibus naturam, non verò à Christo. Agit ergo Paulus hic de saluatione æterna, quæ fundatur in Christo, non autem de naturali, seu permanentia naturæ, quam habent etiam dæmones, & haberent homines damnati ex vi diuinæ prouidentiæ, & legis, quamuis Christus in carnem non veniret. Et agit de salute, quam habet per ipsam conflagrationem ignis, tanquam per satisfactionem debitam diuinæ iustitiæ; nam ad effectum vindicationis denotatur ignis tanquam instrumentum diuinæ iustitiæ, qua purgat peccatores dispendium patientes operis maculosi.

Scopus Apostoli declaratur.

Ædificiũ spirituale in Christo fundatum.

9 Ex his intelligitur quid denotant verba illa, *ligna, fœnum, stipula.* Expositio prior intendit intelligi peccata mortalia: sed hæc expositio neque vera est, neque secundùm intentum Pauli: quia Paulus loquitur de operibus, quæ superædificantur fundamento Christo; hæc autem nequeunt intelligi peccata mortalia, quæ superædificantur primo homini, & diabolo, qui est caput damnatorum; neque illa opera, ex fide, & lege Christi sunt, quia destruunt ædificium.

Non intelligi per ligna, &c. mortalia.

Replica. Dices: etiam peccata venialia nequeunt in Christo ædificari.

Soluitur. Contrà, licèt non ædificentur in Christo, tamen adhærent ei, qui manet fundatus in Christo per gratiam, & fidem, & non soluunt compagem ædificij, neque subruunt ædificationem, quia non tollunt gratiam, & fidem, quibus non repugnant; licèt maculent fidelem. Deinde, peccatum mortale non dicitur *fœnum, lignum*, aut *stipula*, quia peccata mortalia comparantur æri, & plumbo, vt rectè Augustinus *Enchiridij, c.*68. Anselmus, D. Thomas *in Apostolum:* & confirmari potest ex verbis sequentibus; *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, &c. Si ergo ij, ad quos loquebatur Paulus, erant templum Dei, & ædificatum in Christo, & templum in quo Spiritus habitabat; scilicet per gratiam, & fidem, sequitur quòd opera illa, quæ intelligit per *ligna, fœnum, stipulam*, non violabant templum Dei: *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*, &c. Quod intelligendum est de violatione per peccatum mortale, & doctrinam erroneam, & perniciosam. Priora opera, quæ designantur per *fœnum, lignum, stipulam*, fuerunt in Corinthiis, & Doctoribus eorum, non tamen illa interpretatur Apostolus violare templum Dei; vnde subdit: *templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, &c.

Mortale cõparatur æri, plumbo, non stipulæ.

10 Per *ligna* ergo, *fœnum, stipulam* intelligitur differentia in latitudine peccatorum leuium, vt vnum aliud excedit. Vnde Origenes homil. 14. in Leuiticum. *Possumus adhuc addere etiam illud, quòd natura peccati similis est materiæ, quæ igni consumitur, quam ædificari Paulus Apostolus a peccatoribus dicit, qui supra fundamentum Christi ædificant* ligna, fœnum, stipulam: *in quo manifestè ostenditur esse quædam peccata ita leuia, vt stipulæ comparentur, cui vtique ignis illatus diu non potest immorari. Alia verò fœno esse similia, quæ ipsa non difficulter ignis absumat, verùm aliquantò tardiùs, quàm in stipulis immoretur. Alia verò esse, quæ lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum diutinum, & grande pabulum ignis inueniat*, &c. Eodem modo Gregorius Nyssenus *lib. de anima, & resurrectione* exponit. Cæsarius *suprà* citatus: *Non capitalia*, inquit, *sed minuta peccata purgantur*, &c. Augustinus *serm.* 41. *de Sanctis.*

Quid per ligna, fœnum, stipulam intelligitur.

Origenes.

Cæsarius.

Posset & commodè per ligna pœna temporalis purgatori debita peccatis mortalibus remissis intelligi: quæ grauior esse debet, & secundùm mensuram delicti, quàm pœna debita veniali.

Aliqui intelligunt Paulum loqui de Prædicatoribus Euangelij, de quibus ibi ad literam videtur loqui, vt patet ex verbis antecedentibus, & etiam consequentibus. *Obiectio.*

Respondetur vtrumque intelligi, & ædificationem per doctrinam, & per operationem: quia sequentia de templo Dei referuntur ad operationem cuiusque: verba antecedentia ad doctrinam, & sic Patres etiam vtramque ædificationem comprehendunt, nunc generaliter Apostolum exponentes quoad leuia peccata operationis; nunc specialiter, quoad peccata doctrinæ, & prædicationis; & verba ipsa Pauli, & scopus vtramque interpretationem admittunt. Sub *die Domini*, intelligit Apostolus iudicium etiam particulare, sicut & sub igne illum purgatorij, & conflagrationis.

Solutio.

Ædificatio per doctrinã, & opera intenditur à Paulo.

Quis sit dies Domini.

Aduertendum aliquos Patres nonnunquam extendere etiam hũc locum Apostoli ad ignem tribulationis, & probationis, seu castigationis in hac vita, vt Augustinus *de fide, & operibus, c.*1. *& lib.* 21. *de Ciuit. cap.* 26. *de fide & Symbolo, cap.* 16. Gregorius *lib.* 4. *dialog. cap.* 39. sed hæc applicatio, seu interpretatio est figurata ex similitudine effectus, quia etiam tribulatio in hac vita probat iustos, & purgat etiam peccata, si patienter feratur, vt patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 9. Ita ergo intelligendi sunt Patres, vt huius loci sensus literalis sit de igne purgatorij, vt prædicti etiam Patres explicant locis citatis, cum reliquis, quos *suprà* præmisimus *in* 2. *probatione*, quos sequuntur posteriores, vt Iulian. Toletan. *lib.* 2. *prognost. c.* 19. *& c.* 22. Beda *in Prouerb. Salomonis, lib.* 2. *cap.* 11. *in Psalm.* 37. *in cap.* 2. Alcuinus *de Trinit. lib.* 3. *cap.* 31. *in Psalm.* 1. *de diuinis officijs, cap.* 39. Ambrosius Ansbertus *in Apocalyps. lib.* 9. *cap.* 20. Haymo *in cap.* 28. *Isaiæ, lib.* 2. *& in Apostolum loco citato.* Petrus Damianus *serm. de sancto Andrea, & serm. de sancto Nicolao Episcopo.* S. Anselmus Cantuariensis *in Elucidario.* Iuo Carnotensis *epist.* 198. Hildebertus Cenomannìensis *lib. de mysterijs Missæ.* Rupertus *lib.* 3. *in Gen. c.* 32. S. Bernardus *serm. de obitu Humberti.* Richardus de sancto Victore *tractat. de iudiciaria, & in locum præfatum Apostoli.* Hugo Victorinus *de Sacramentis, lib.* 2. *p.* 16. *cap.* 4. admittit cruciatus purgatorij, licèt de loco determinato dubitet. Stephanus Eduensis *de Sacramento Altaris, c.* 18. Petrus Cluniacensis *epistola ad Arelatensem Episcopum, contra Petrobusianos.* Magister cũ omnibus Scholasticis *in hac dist.* 21.

11 *Quãnam ratione trãsfertur ad ignem tribulationis præsentis.*

Ex similitudine effectus.

Trident. Tandem Florentinum in decreto vnionis, Trident.*sess.6.can.30.sess.14.sess.22.cap.2.& sess.25. Cum Catholica, inquit, Ecclesia Spiritu sancto edocta ex sacris literis, & antiqua Patrum traditione, in sacris Concilijs,& nouissimè in hac OEcumenica Synodo docuerit purgatorium esse, animásque ibi detentas fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptissimo altaris sacrificio iuuari, præcipit Episcopis, vt sanam de purgatorio doctrinam à sanctis Patribus, & sacris Concilijs traditam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique publicari diligenter studeant*, &c. Mox subiungens suffragia fieri pro defunctis, quod & præcepit Nicenum I. *can.* 65. *Arabico.* Carthaginense III. *cap.*39. Carthaginense IV. *cap.* 79. Vasense I. *cap.*2. Tolet. XI. *cap.*12. Cabilonens. *cap.*19. Triburiense *cap.* 15. Florentinum *in decreto vnionis*, & omnes vniuersim Patres tam Latini, quàm Græci.

Suffragia pro defunctis.

Hæc ad veritatem fidei stabiliendam sufficiant; alia verò quæ de loco, situ, & ignis pœna disseruntur, rectè tractantur à Theologis modernis, quos consulat Lector.

Ea quæ obiiciunt hæretici ex Scripturæ locis, in quibus post hanc vitam describuntur duo termini vltimi status iustorum, & damnatorum, nihil habent difficultatis. Responsiones autem eorum ad argumenta proposita blasphemia scatent, non authoritate, aut ratione, aut traditione, quibus proinde supersedeo.

SCHOLIVM.

Sententia Alensis peccato veniali per se deberi pœnam æternam, per accidens temporalem. Sententia D. Thom. 1.2.q.87.art.5.& 3.p.q.87.art.vlt. D.Bonau.2.d.42.art.2.q.2.& communis, est è contra. Doctor impugnat vtramque: & primam triplici ratione. Prima, quia simul starent debitum pœnæ æternæ & gloriæ. Secunda, corresponderet veniali pœna damnationis. Tertia, mortale non excederet improportionabiliter veniale. Secundam reijcit, quia Deus punit citra condignum, vt docent August.21. Ciuit.24. Cassian. Ps.51. Magist.4.d.46.vbi D. Thom. quæst.2.art.2. & communis, & si condignè puniret, iniustum esset veniale punire pœna æterna.

3 SEd [b] aliud non est ita certum, scilicet de peccato hîc non dimisso, an pœnitentia debita pro ipso possit solui in futuro, & sic remitti? & secundò, an tale peccatum hîc non dimissum possit ibi dimitti?

Intellige de potentia ordinata.

Alens.2.p. q.124.m.9. & D. Bonauent. 2. d.42.n.38.

De primo istorum tanquam de certo tenetur, quòd non de peccato mortali, quia pro ipso non dimisso pœna debita est pœna damnationis, quæ non remittetur. De [c] peccato autem veniali oportet videre quæ pœna sibi respondeat secundùm Dei iustitiam. Et dicitur quòd sibi per se respondet pœna æterna: per accidens autem temporalis. Primum probatur, quia si quis damnetur pro mortali, & cum veniali, pro illo veniali semper punietur; alioquin in inferno posset esse redemptio alicuius peccati; sed non punietur à Deo pro illo æternaliter, nisi iustè sibi pœna æterna deberetur. Secundum probatur, quia peccatum veniale stat cum charitate, per quam homo ordinatur ad regnum, & per consequens ratione illius peccato veniali debetur pœna temporalis.

Cum charitate nō stat debitū pœna æterna.

Contra primum arguitur; primò sic, quia non stat cum charitate debitum pœnæ æternæ: sed cum charitate stat veniale, non tantùm non deletum post actum, sed etiam actualiter commissum; patet secundùm omnes: ergo, &c. Probatio maioris, quia per charitatem est aliquis dignus vita æterna; sed si cum hoc stat debitum ad æternam pœnam: igitur simul est aliquis dignus vita æterna,& pœna æterna; sed hoc est impossibile, quia nullus potest esse debitor pœnæ pro illo instanti, pro quo est ordinatus ad gloriam; quia tunc simul posset stare gloria,& pœna aliqua. Probatur etiam maior aliter, quia post actum peccati mortalis nihil remanet de peccato, nisi debitum pœnæ, vt dictum est *dist.*14. *q.*1. igitur si debitum pœnæ æternæ posset stare cum gratia, peccatum mortale non remissum posset stare cum gratia, eo modo quo manet post actum: & tunc idem esset amicus & inimicus.

4 Item secundò, essentialis pœna damnatorum non est pœna sensus, sed damni: illa autem necessariò concomitatur quamcumque pœnam, quia nulla pœna potest stare cum beatitudine: ergo debitum ad quamcumque pœnam æternam includit pœnam damni æternam, & per consequens pœnam essentialem damnationis: sed illa non correspondet veniali.

Pœna mortalis improportionabiliter excedit pœnam venialis.

Item, peccatum veniale & mortale sunt improportionabilia in ratione malitiæ, vel offensæ: quia infinita venialia si essent, non æquarentur vni mortali in ratione offensæ, quia nec omnia illa auerterent à fine vltimo, sicut vnum mortale: ergo pœna secundùm iustitiam correspondens mortali peccato improportionabiliter, & in infinitum excedit pœnam debitam veniali: sed non improportionabiliter, & in infinitum excedit in intensione, quia quælibet pœna secundùm intensionem finitè excedit, vel exceditur

ditur ab alia: igitur hoc erit secundùm extensionem: igitur non debetur veniali pœna æterna. Hanc conclusionem concedo.

Ad rationem [d] in oppositum dicitur vno modo, quòd peccato veniali per accidens, quando coniungitur mortali, debetur pœna æterna, non autem ratione sui. Sed hoc non intelligo, quia Deus semper punit citra condignum. Et esto, quòd simpliciter secundùm rigorem puniret vsque ad condignum, omnino iniustum esset pœnam æternam infligere pro illo, cui secundùm se debetur pœna temporalis: quantumcunque enim coniungatur alteri, hoc non facit istud in infinitum exire istud genus culpæ: ergo nec iustè correspondet sibi pœna in infinitum excedens. 5

D. Tho. & Rich. citati in initio q.

Iniustum foret punire veniale pœna æterna.

COMMENTARIVS.

13

An aliquod peccatum in altera vita remittatur.

Mortale non remitti post hanc vitam.

b SEd aliud est non ita certum, &c. Hîc proponit alteram quæstionem de peccato, an possit dimitti in futuro. Primò asserit certum esse peccatum mortale non dimitti in futuro, quia pœna ei debita est pœna damnationis. Hæc veritas est fidei, quam Patres communiter, & contra Origenem defendunt, & de ea *infrà* agetur de pœnis damnatorum, & patet ex variis locis Scripturæ.

Sententia Alensis.

Pœnam venialis per se esse æternam.

Sententia aliorum.

c *De peccato autem veniali oportet videre*, &c. Adducit sententiam Alensis, quæ asserit loco citato à Scholiaste, pœnam per se debitam veniali esse æternam, per accidens autem ex coniunctione cum charitate, & gratia ei deberi pœnam temporalem. Huic sententiæ satis affinis videtur illa, quam docet Roffensis contra Lutherum *art.* 32. Gerson. 3. *part. tractatus de vita spirituali lect.* 1. *corollario* 1. Almainus *tract.* 3. *mor. cap.* 20. asserunt quodcunque peccatum ex natura sua mortale esse, & mereri separationem à Deo; ex benignitate autem, seu misericordia Dei prouenire, vt quædam sint venialia, quæ à Deo non separent, neque priuant gratia.

14

Conclusio.

Communis Theologorũ.

Conclusio: hæc sententia improbabilis est, & à quibusdam modernis nota inuritur temeritatis. Conclusionem docent consequenter Theologi, noster Doctor, *hic*. Durandus *in* 2. *dist.* 42. *qu.* 2. Capreolus *ibidem*, Richardus de sancto Victore *tractat. de differentia venialis & mortalis*. D. Thomas 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. Ruardus *art.* 11. §. *Ad quintam quæstionem*. Petrus de Soto *tractatu de discrimine peccatorum, lect.* 6. Vega *lib.* 14. *in Trid. super cap.* 15. & 16. Vasquez *disp.* 142. *cap.* 2. Curiel & alij *in D. Thomam*.

Probatio.

Veniale & mortale ex parte rei differunt.

Probatur primò, quia sancti Patres, & Doctores signantes differentiam inter mortale, & veniale non recurrunt ad misericordiam Dei, sed ad illud, quod ipsis ex natura rei conuenit considerata qualitate peccati, & materiæ: ergo ex his habent suam differentiam. Secundò, vbi fides nihil docet sequendum, est lumen rationis naturalis: sed fides non docet veniale esse tale ex misericordia Dei tantùm, ratio autem naturalis esse ex genere suo leuem: ergo, &c.

Ratio docet veniale esse leue ex natura sua.

Leuis offensa non dirimit amicitiam.

Tertiò, ob leuem offensam inter amicos, aut inter patrem, & filium, quòd non dirimatur amicitia, non tribuitur misericordiæ, aut quòd non expellatur filius è domo paterna, sed oppositum tribueretur crudelitati: ergo etiam id contingit in proposito. Confirmatur, misericordia, & iustitia vt inuenitur in Deo respectu nostri, seruat æqualitatem. Sed secundùm iustitiam non potest peccatum leue puniri pœna æterna, quia non seruaretur vera proportio inter culpam, & pœnam: ergo.

Confirmatio.

15

Quartò, si omne peccatum est mortale ex genere suo: ergo omne peccatum inducit de facto priuationem gratiæ: sed hoc est falsum: ergo. Probatur sequela, quia aliàs de facto compaterentur simul mortale ex genere suo, & gratia. Hoc argumentum habet maiorem efficaciam in sententia eorum, qui docent iustitiam, & peccatum mortale opponi ex natura rei. Confirmatur, ex opposito sequeretur quòd non secundùm opera fieret retributio contra Scripturam: ergo. Antecedens patet, quia omnia peccata secundùm se mererentur pœnam æternam.

Veniale non inducit priuationẽ gratiæ.

Retributio fit secũdùm opera.

Dices, quòd secundùm opera fit retributio, vt includunt tamen voluntatem priorem & acceptationem Dei, quibus temperatur pœna debita.

Responsio.

Contrà, vel illa pœna temperatur ex misericordia Dei, qua primùm temperatur macula peccati, non prohibendo materiam nisi sub obligatione leui, vel certè supposita malitia, temperando debitum pœnæ, ne fiat æterna. Si primum: ergo saltem in hoc datur peccatum leue ex natura sua, cui non debetur pœna grauis.

Impugnatur.

Si secundum dixeris, contrà, Deus nequit dispensare in materia legis naturalis: ergo per suam misericordiam peccata venialia, quæ in ipsam committuntur, nequeunt non esse mortalia ex genere, & consequenter nequeunt non puniri seruata proportione iustitiæ pœna condigna. Et peto quare in his peccatis ex genere suo mortalibus Deus temperet pœnam, & non in aliis, vt quando peccata, quæ venialia, & mortalia dicuntur, sint eiusdem obiecti, & contra eandem virtutem.

Obiiciunt primò aduersarij: quodcunque peccatum est offensa Dei: ergo meretur pœnam æternam. Consequentia patet, quia omnis offensa Dei meretur annihilationem: ergo à fortiori digna est pœna æterna, quæ minùs malum est, quàm annihilatio. Deinde, peccatum commissum contra Deum est contra personam infinitam: ergo est infinitæ malitiæ, & consequenter dignum pœna æterna. 16

Obiectio.

Respondetur, negando primam consequentiam; & consequens falsum est, nisi quantùm ad offensam simpliciter, quæ auertit ab vltimo fine, quale est mortale tantùm. Ad probationem consequentis negatur antecedens de offensa veniali, quidquid sit de mortali, secluso ordine diuinæ iustitiæ, qua nunc alia pœna punitur.

Responsio.

Veniale non est offẽsa simpliciter.

Ad aliud, negatur consequentia, quia neque ipsum mortale est infinitæ malitiæ, quia dignitas, aut malitia non sumitur absolutè à persona offensa, aut obiecto in quod tendit, quantùm ad quantitatem, sed etiam ex modo, quo attingunt obiectum, qui finitus est, sicut & potentiæ, à quibus eliciuntur.

Mortale non est infinita malitia.

17 *Secunda obiectio.* • Obiiciunt secundò, si in statu puræ naturæ fieret, esset irremissibile; sed hoc ideò, quia dignum pœna æterna: ergo, &c.

Responsio. Respondetur, quòd maior incerta est; dubium enim est si in illo statu remitti possint venialia per aliquas oblationes, aut retractationem ipsorum: nam sicut congruum est in eo statu fore virtutem religionis, sacrificia, & oblationes, quibus fieret Dei cultus, qui est Iuris naturalis: sic etiam congruum est dari remissionem peccati venialis, imò etiam dari remissionem peccati mortalis, non repugnaret ei statui, quia peccatum tale in eo commissum non esset contra finem supernaturalem, cùm ad eum non eleuaretur homo; sed tantùm esset auersio à fine naturali, ad quem ordinaretur homo per media illius ordinis, & sicut non repugnant ei statui reliquæ virtutes morales, sic etiam neque pœnitentia naturalis, quæ acceptari posset à Deo ad finem remissionis peccati; quamuis non infunderetur iustitia supernaturalis, sine qua Deus omnino liberaliter remittere posset sine aliquo onere, aut dispositione præuia ex parte eius, cui remitteretur: & si lex ita statueret, vt exigeretur retractatio peccati per actum bonum moralis virtutis, ordinis tamen naturalis, illa esset condigna satisfactio, quia accepta & ordinata à legislatore. In omni præterea statu naturæ in via Deus non solùm ageret secundùm iustitiam, sed etiam secundùm misericordiam, quia congruum esset, vt per opera manifestaret non solùm potentiam, & sapientiam, sed etiam iustitiam & misericordiam. Quidquid ergo sit de maiori, negatur minor, quia reddit non causam vt causam: causa enim esset, quia ille status non esset capax remissionis vllius peccati, ideò maneret peccatum quoad maculam, pœna autem eius esset temporalis.

In statu puræ naturæ peccatum non esset irremissibile.

18 *Tertia obiectio.* Obiiciunt tertiò. Quia veniale ob nullum bonum est faciendum, neque etiam pro aliquo malo fugiendo: ergo est grauis malitia ex se.

Responsio. Malum non est appetibile. Respondetur, concedendo antecedens. Ratio est, quia mala non sunt facienda, vnde etiam eueniant bona; quia malum non habet rationem appetibilis, secundùm rectam rationem, quà malum est; neque vt finis, neque vt medium; ideò non potest ex vllo motiuo honestari, negatur autem consequentia.

Quarta obiectio. Obiiciunt vltimò Patres: Hieron. *Epistola 14. ad Celantiam matronam cap. 1. Et sanè nescio, an possemus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur.* Author *de vera & falsa pœnitentia cap. 8. asserit venialia esse leuia ex Dei misericordia.* Basilius *in regulis minoribus ad interrogationem 293. Primò quidem illud scire conuenit differentiam hanc maiorum, & minorum* (peccatorum scilicet) *nusquam in nouo Testamento reperiri: si quidem vera est, & eadem sententia aduersus qualibet peccata, cùm Dominus dixerit, qui facit peccatum, seruus est peccati,* &c. Chrysostomus *in sermone de leuium peccatorum periculis,* dicit leuia dici comparatione prioris, supple grauis, *& homil.* 40. non esse leuius peccatum furari duos obolos, quàm magnam auri quantitatem.

Hieron. Author de vera & falsa pœnitent. Basilius. Chrysost.

19 *Responsio. Exponuntur Patres.* Respondetur Hieronymum voluisse dicere veniale non esse contemnendum, & esse graue in suo ordine, quia *qui modica spernit, paulatim decidit*: quo sensu intelligendus est Chrysostomus priori loco: in secundo autem intelligitur de eo, qui furatur pauca animo furandi plura.

Author de vera, & falsa pœnitent. intelligendus est intendere esse grauia, non quoad se, sed in suo effectu, quia sæpè disponunt ad lapsum maiorem, à quo Deus misericordia sua præseruat. Basilius loquitur de mortalibus, quia dicit vtendum esse remediis correctionis fraternæ contra incidentes in peccata, de quibus agit.

Ex his sequitur contra Alensem; neque ex natura operis, neque secundùm legem diuinæ iustitiæ deberi peccato veniali per se pœnam æternam, quæ est sententia communis Theologorum, quam docent *locis citatis,* & 1.2.*quæst.*87. *art.*5.*&* 3.*part.quæst.*87.*art.vlt.* Oppositum benè impugnat Doctor. Primò, quia non stat cum charitate, & gratia debitum pœnæ æternæ, vt supponit Tridentinum *sess.*6.*cap.*14. ideò docens pœnæ æternæ debitum simul cum peccato remitti virtute clauium: debitum enim per se ex lege à peccato, est inseparabile ab ipso peccato. Probat idem ex sententia aliorum, quam probabiliter sustinuit *dist.*14.*quæst.*1. de reatu, qui manet post peccatum. Secundò, probat ex eo, quòd pœna damni, quæ est essentialis damnatorum, per se coniuncta sit cuique debito pœnæ sensus, quia beatitudo non compatitur vllam pœnam: ergo debitum ad pœnam æternam sensus trahit secum pœnam æternam damni; sed hæc non correspondet veniali. *Rationes Doctoris contra Alensem.*

Primum antecedens videtur negare Caietanus *tom.*1. *Opusculorum tractat.*4.*quæst.* 4. negans in animabus purgatorij esse pœnam damni: quia hæc correspondet auersioni à Deo, vt est in peccato, pœna autem sensus conuersioni ad creaturam, seu bonum commutabile: sed peccato iam remisso non manet auersio à Deo: ergo etiam neque pœna damni. *An sit pœna damni in animabus purgatorij. Sententia Caietani.*

Communis sententia oppositum docet, & probatur ratione Doctoris, quia & ratio Caietani concludit hoc ipsum, quia pœna sensus etiam debetur peccato, quod remissum est, quantùm ad omnem maculam, siue auersionis, siue conuersionis: ergo sicut hæc pœna manet, ita etiam pœna damni, quia intrinsecè connexa est pœnæ sensus, imò & ipsa pœna sensus etiam correspondet peccato inquantùm auersio est: quia peccato secundùm speciem suam grauiori, licèt in intentione operis non sit grauius quàm peccatum inferioris ordinis, & malitia secundùm speciem, correspondet grauior pœna sensus. Et peccatum mortale inquantùm auertit à Deo, magis consideratur in ratione offensæ incompensabilis à nobis, quàm vt includit conuersionem ad creaturam. 20 *Sententia communis probatur. Concessio pœna damni & sensus.*

Accedit quòd vita æterna sit debita animabus purgatorij, & negatio eius temporaria sit priuatio in apto nato formæ debitæ, & eius dilatio sit ob peccatum præteritum. Vnde etiam iuxta probabiles historias, & reuelationes Sanctorum designantur tria loca in purgatorio, quorum tertius non habet aliam pœnam, quàm dilationem desiderij animarum ad gloriam, donec idoneæ fiant ad visionem. Ita Beda *lib.* 5. *hist. Anglorum cap.* 13. Gregorius *lib.* 4. *Dialog. cap.*36. Dionys. Carthusianus *in dialogo de particulari iudicio art.* 31. Beata Brigitta *lib.* 4. *reuelationum cap.* 7. vbi Gulielmus Durantus Episcopus Feretranus *in notis.* Bellarminus *lib.* 2. *de purgatorio cap.* 6. Particularia autem loca ad leuiorem animarum pœnam tradit D. Thomas *in hac distinctione.* Cardinalis Turrecremata *d.*7.*de pœni* *Dilatio gloriæ est pœna dãni suo modo ob peccatũ incursa. Quidam locus purgatorij carens pœna sensus.*

pœnitentia, cap. Hic autem ignis,&c. fundamentum Caietani ex dictis est solutum.

21 *Tertia ratio Doctoris.* Tertia ratio Doctoris est ex improportione peccati venialis, & mortalis in ratione malitiæ, vel offensæ: quia nulla venialia quantumlibet multiplicata auertunt à fine vltimo simpliciter, hoc est, non separant hominem à gratia, & salute consequenda; mortale autem vnum auertit à fine vltimo, & salute consequenda: ergo pœnæ etiam debitæ per se vtrique sunt improportionabiles, ita vt pœna debita mortali per se excedat in infinitum pœnam debitam veniali, sed non est improportio secundùm intensionem: ergo secundùm durationem; ita vt illa infinita sit, hæc verò secundùm durationem finita, & temporaria. Conclusionem harum rationum admittit Doctor, nempe pœnam debitam peccato veniali per se esse temporalem. *Pœna debita mortali est improportionata pœnæ debitæ veniali, & quomodo?*

Obiectio. Obiicies contra hanc vltimam rationem Augustinum *in lib.50.homil.homilia vltima*; & refertur *de pœnitentia, d.1.c.Tres sunt*, vbi ait venialia, si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & opprimunt, sicut vnum aliquod graue peccatum.

Responsio. Respondetur intelligi dispositiuè, in quo errauit glossa tenens contrarium. Sic exponi debent aliæ auctoritatis Augustini, & aliorum, quæ videntur aggrauare malitiam venialis.

22 *Obiectio.* Obiicies; malitia peccati mortalis est finita: ergo multiplicata venialia eam æquabunt.

Respondetur negando consequentiam, quia hæc sunt alterius grauitatis, neque faciunt peccatum vnum intensiue, sicut calor vt duo multiplicatus non facit calorem vt octo, etiam æquiualenter in ratione formæ, aut causæ efficientis, quia est multiplicatio extensiua, non intensiua: sic venialia multiplicata manent sub genere offensæ leuis. *Solutio.* *Multiplicatio intensiua, & extensiua sunt alterius rationis.*

Dices, furta leuia multiplicata faciunt materiam peccati mortalis. *Obiectio.*

Respondet Nauarrus *in Summa, c.17.n.140.* si illa leuia fiant animo furandi quantitatem leuem, negat antecedens. Admittunt tamen antecedens Ioannes de Medina *C. de restit. cap.10.* Sotus *lib.5.de Iustitia & Iure, quæst.3.art.3.ad 3.* & *in 4.d.22.q.1.art.2.casu 3.* Corduba *in Summa casuum, quæst.70.* asserentes vltimum furtum respectiuè ad reliqua complere quantitatem notabilem damni. *Solutio.*

Respondetur, quando continuantur illa furta sub vna volitione, fieri mortale, quando in eis peruenitur ad grauem materiam: non continuantur autem, si hoc non aduertat, furando singula non peccat mortaliter, peccat tamen non restituendo aduertens damnum esse graue.

d *Ad rationem in oppositum dicitur*, &c. Adducit responsionem, quæ dicit peccato veniali in inferno correspondere pœnam æternam per accidens: eámque impugnat. Hanc controuersiam explicabimus sub scholio sequenti. *Responsio ad rationem in oppositum.*

SCHOLIVM.

Sententia Doctoris pœnam æternam nec per se, nec per accidens deberi pro peccato veniali; & sic pœnam venialis in inferno finiri. Hanc probant impugnationes aliarum; & quia in inferno finitur pœna temporalis, in quam æterna, debita pro mortali hìc remisso, commutata est, si hic non fuit soluta; vt fatentur D. Thom. hic q.1.art.1.ad 5.& D. Bonau.2.d.42.art.2.q.2.& aduersarij communiter. Ita omnes Scotistæ, Mayron. hìc quæst.2. Bassol. quæst. vnica, art.3. Tartar. Petr. de Aquila, Gabr. d.16.q.5 art.3. (Sed Henr.2.d.42.q.5.& Angles 4.q.de Sacram. Pœnit. art.5.p.185. timidè Scotum in alium sensum trahunt.) Idem tenent Medin. C.de Pœn.t.2.c.de venial. confitendis. Alm.3.Mor.23. Vega 14.in Trid.c.16. Nauar. de pœn. d.6.c.1. §. Sacerdos. *Maior hic q.1. Gerson lib.1.de vita spir. alphab.6. litera C. Difficultas est, quòd in inferno nulla culpa remittitur. Gerson ait ibi remitti venialem culpam: sed meliùs dicitur remitti ibi tantùm pœnam. Ita Bassol. nec culpa secum necessariò trahit pœnam, vt patet de culpis damnatorum. Si petas an illa pœna remittitur ex meritis Christi? videtur quòd non, quia est satispassio temporalis, sicut satispassio æterna est pro mortali, & non ex meritis Christi; & in hoc casu non est maior difficultas quàm in eo, qui moritur cum solis originali, & veniali. quod admittunt multi ex aduersarijs, quos oportet fateri finiri pœnam venialis, siue culpa tollatur, siue non.*

Dico ergo [e], quòd peccato veniali, siue hic puniendo, siue in inferno, siue alibi, non debetur, nisi pœna temporalis, nec per se, nec per accidens: quia secundùm se est talis offensa, quæ secundùm se punitur per temporalem sufficientem. Nec est inconueniens pœnam debitam veniali habere terminum in inferno: quia & verè pœnitens primò, & partem pœnitentiæ impositæ explens, & ante totam expletam recidiuans in mortale, & in illo mortali decedens pro parte pœnitentiæ residua explenda, soluet pœnam in inferno: sed non nisi temporalem; quia ex quo in remissione peccatorum priori commutabatur debitum pœnæ æternæ in debitum pœnæ temporalis, nunquam iste est debitor pro illis, nisi pœnæ temporalis, & per consequens pœna totali soluta, erit liber ab istis. Non tamen in inferno est redemptio illius, scilicet peccati, pro quo iste est damnatus; quia pro illo debitum pœnæ æternæ nunquam fuit commutatum in debitum pœnæ temporalis: & ideò semper manet illud debitum, si nunquam potest esse illa pœna tota soluta. 6 *Idem habet suprà d.15. q.1.art.4.* *Pœna debita pro mortali hìc remisso soluitur quãdoque in inferno, id est, temporalis, in quã æterna fuit commutata.*

De [f] secunda conclusione potest dici dupliciter. Vno modo sic, quòd nihil aliud est

De hoc suprà dist.14. qu.1. art.1. est culpæ venialis remissio, quàm solutio pœnæ temporalis debitæ pro ea. Probatur, quia post actum transeuntem, culpa, quæ manet, nihil aliud est, nisi reatus ad pœnam debitam: iste autem reatus venialis non est nisi ad pœnam temporalem, *ex artic. præced.* & per consequens soluta pœna temporali in purgatorio pro isto veniali, ex hoc ipso ipsa culpa veniali remissa est.

Non sic autem de mortali, quia pœna debita ei non potest esse totaliter soluta, nisi primò sit æterna commutata in temporalem: & ista commutatio vocatur remissio culpæ mortalis. Hæc autem remissio non fit, nisi per voluntariam displicentiam ordinatam, qualis non habetur post mortem.

Sic patet vnus modus, quomodo post mortem non potest dimitti mortale, sed tantùm pœna debita mortali priùs dimisso: potest autem post mortem dimitti veniale priùs non dimissum, quia potest solui pœna totalis sibi debita, & in hoc ipsum remitteretur.

COMMENTARIVS.

23 *Peccato veniali neque per se, neque per accidens correspondet pœna æterna.* DIco ergo, quòd peccato veniali, &c. Hæc est conclusio Doctoris, nempe peccato veniali, neque per se, neque per accidens deberi aliam pœnam, quàm temporalem: quam probat ratio eius præmissa, & respondet ad fundamentum Alensis, explicando quomodo in inferno nulla sit redemptio.

Controuersia. Cæterùm hæc controuersia fusiùs tractatur à modernis; ideóque eam hîc subiungere necessum est. *Sententia affirmatiua.* Partem affirmantem docet D. Thomas, cuius præmissa fuit responsio 1.2. *quæst.* 87. *art.* 5. *&* 3. *part. quæst.* 8. *art.* 4. *quæst.* 7. *de malo art.*10. *in* 4. *dist.*41. *quæst.*2. *art.*2. *quæstiuncula* 3. Richardus *in* 2. *dist.*42. *quæst.* 2. *ad* 5. Richardus de Sancto Victore 1. *parte tract. de differentia peccati mortalis & venialis.* Capreolus *in* 2. *dist.* 42. D. Thomas *in Summa locis citatis.* Vasquez 1.2. *disp.* 142. *cap.* 1. *&* 2. Curiel *in D. Thomam* 1.2. *quæst.* 87. *art.* 5. *dub. vnico.* Suarez *in* 3. *tomo* 4. *disp.* 11. *sect.* 2. & plures alij: éstque frequens inter Thomistas, non dimitti pœnam debitam peccato veniali, quæ coniuncta manet mortali in inferno, siue ipsum peccatum veniale fuerit in hac vita dimissum, siue non.

24 *Conclusio Doctoris.* Conclusio prima. Pœna debita peccato veniali siue dimissum sit in hac vita ipsum veniale, siue non, non est æterna, sed determinatur ex natura sua completo termino passionis, seu, vt alij volunt, termino satispassionis. Est Doctoris *hîc & dist.* 15. *quæst.* 1. §. *De* 4. Mayr. *eadem dist. quæst.*1. & vniuersæ Scholæ Doctoris, ac Nominalium. Ita Gabriel. *quæst.*5. *art.*1. *& art.*3. *dub.*2. *dist.* 18. Maior *dist.* 21. *quæst.*1. Almainus *eadem dist. quæst.* 1. *&* 3. *Moral. cap.*23. Vega *in Trid. lib.*14. *cap.*16. Nauarr. *de pœnitentia, dist.*6. *cap.*1. §. Sacerdos *num.*27. *&* 28. citans Doctores Parisienses, *& cap.* 1. *in principio num.*43. Medina *Codice de pœnitentia tract.* 2. *titulo de confitendis venialibus ad* 4. *& C. de satisfactione, quæst.* 2. §. *vltimo.* Durandus sequitur eandem doctrinam quoad pœnam debitam peccatis tam mortalibus, quàm venialibus remissis in hac vita, quorum pœna manet nondum soluta. *Probatio Doctoris.* Probatur à Doctore primò: quia peccato veniali non debetur ex natura sua, nisi pœna temporalis: *Veniali ex natura sua non debetur æterna.* sed Deus punit citra condignum, & præmiat vltra condignum, ex communi Theologorum axiomate: ergo non punit peccatum veniale, nisi temporali pœna, quæ ipsi solùm debetur.

Responsio. Respondet Caietanus cum aliis, quòd veniali per se non debeatur alia pœna, quàm temporalis, per accidens deberi pœnam æternam, ex conditione subiecti, & coniunctione cum mortali, quia non fit iudicium de veniali in proposito statu solitariè, sed prout coniungitur cum peccato mortali, cui debetur pœna æterna. Sed hæc solutio nulla est, & continet petitionem principij: *Impugnatur. Petitio principij.* datur enim pro causa conclusio; petitur enim quare ex coniunctione cum mortali puniretur alia pœna, quàm sibi proportionata. Et sic argumentor: Dignitas pœnæ, seu reatus præcisè oritur ex peccato, quà opponitur legi, *Non grauari peccatum ex cõditione subiecti.* & præcepto, non autem ex conditione subiecti, vt supponunt Patres contra Manichæos: & ideò siue iustus peccet venialiter, siue existens in peccato mortali, modò aliàs seruetur proportio operis, & circunstantiarum, idem erit peccatum vtriusque quoad grauitatem ex se: ergo nullus reatus pœnæ aduenit peccato veniali ex statu subiecti, quod neque excusat, neque aggrauat.

Dices deberi pœnam æternam peccato veniali ex concomitantia ad mortale. 25 *Responsio.*

Contrà: nihil infert debitum nouum pœnæ, quod non aggrauat peccatum in ratione peccati: quia peccato, quà peccatum est, commensuratur pœna, & debitum eius; sed peccatum mortale propter quod damnatur quis ad infernum, & pœnam perpetuam, neque est circunstantia peccati venialis, aut faciens vllo modo ad malitiam eius: *Mortale non circunstantiã venialis* ergo, &c. Probatur subsumptum, quia peccatum mortale potest esse disparatum, & multis annis præcessisse veniale, aut subsequi sine vllo ordine vnius ad alterum: in *esse, operari*, cognitione, intentione, vt manifestum est: nihil autem aggrauat malitiam, nisi quod est circunstantia operis, materiæ, aut operandi: *Pœnam non aggrauat nisi quod aggrauat peccatũ.* ergo neque pœna aggrauatur: sed veniali ex ordinatione legis & natura sua debetur sola pœna temporalis, & terminabilis: ergo, &c. Confirmatur, pœna debita veniali temporalis in hac vita non augetur ex coniunctione ad mortale in hac vita: *Prima confirmatio* ergo neque pœna eadem augetur in altera vita ex consortio ad idem. Consequentia manifesta ex paritate. Antecedens sine controuersia. Confirmatur secundò, quia pœna venialis quoad intensionem in inferno non crescit: *Secunda confirmat.* ergo neque quoad durationem. Consequentia patet, quia non videtur ratio cur magis crescat extensiuè quàm intensiuè, siue consideretur in ordine ad subiectum, siue in ordine ad vindicatiuam iustitiam Dei, quæ lege expressa est: nam sicut ex iustitia pœna debita veniali secundùm intensionem est leuis respe-

ctiuè

ctiuè ad pœnam mortalis (sicut ipsa culpa leuis est) ita vt quicumque excessus vltra terminum statutum esset grauis, & non secundùm iustitiam, ita etiam terminum habet pœna eadem secundùm durationem, vt spectata lege, & secundùm se sit temporalis: ergo ex coniunctione cum mortali in inferno protrahitur vltra illum terminum durationis, sicut nec intenditur vltra terminum proportionatum.

26 *Alia responsio Caietani impugnatur.*

Ex dictis alia Caietani solutio impugnatur: dicit enim peccato veniali abstractim sumpto deberi pœnam temporalem, æternam autem prout in tali subiecto: hæc enim distinctio est libera, vel coincidit cum priore, quia opera licèt habeant bonitatem, & malitiam formaliter in seipsis, & sic possint sumi abstractim à subiecto remoto bonitatis, & malitiæ, quod est eliciens, & operans: tamen vt habent rationem meriti, & demeriti non abstrahunt ab operante, qua actu ordinantur per iustitiam ad suum terminum: quia retributio operum, quæ est præmium, aut pœna fit operanti, licèt propter opera. Deinde pœna debita peccato abstractim sumpto est eadem ipsa, quæ eidem correspondet in subiecto, quia in subiecto non crescit, neque decrescit, neque subiectum est debens pœnam nisi ratione peccati, tanquam fundamenti proximi, forma autem non mutatur in *esse*, aut denominatione, quoad fundamentum remotum, nisi etiam priùs mutetur quoad subiectum proximum: ergo si debitum pœnæ temporalis commensuratur peccato veniali abstractim sumpto, idem erit de ipso in subiecto.

Opera nō abstrahunt à subiecto in esse demeriti, aut meriti.

Pœna debita peccato abstractim sumpto est eadem, quæ ei debetur in subiecto.

27 *Secunda ratio Doctoris. Ex natura iustitiæ vindicatiuæ.*

Secundò probat Doctor conclusionem ex ratione iustitiæ vindicatiuæ, qua ordinatur peccato pœna proportionata: nullum peccatum debet, aut potest puniri, nisi proportionata pœna suæ malitiæ: sed veniali ex genere suo debetur solùm temporalis: ergo nequit alia puniri, quæ sit æterna.

Prima responsio.

Respondent aduersarij per distinctionem iam impugnatam debiti per se, & per accidens.

Secunda responsio.

Respondent aliter assignantes duplicem causam, quare peccatum veniale in inferno puniatur sine fine. Prima est, quia peccatum iam est extra statum satisfactionis, & remissionis, quia *in inferno nulla est redemptio*; & ideò pœna venialis etiam ibi non est terminabilis. Secunda causa est, quia pœna non dimittitur nisi dimissa culpa; culpa autem semper manet: ergo, &c.

Impugnatur secunda responsio. Satisfactio reconciliatiua non est in inferno.

Contrà: prima causa non subsistit, quia si per satisfactionem intelligant reconciliationem offendentis, qua recipiatur in gratiam offensi, verum est nullam esse in inferno satisfactionem talem, sicut neque remissionem, aut condonationem: neque ad satisfactionem, vt est actus iustitiæ, talis reconciliatio exigitur. Quod probo. Misericordia, & iustitia vindicatiua sunt virtutes diuersæ, quæ in actibus non communicant, licèt in eadem materia versari possunt, diuerso tamen modo, quia misericordiæ actus est subuentio indigentiæ excludens omne debitum eius, cui subuenitur; ac proinde actus eius est remissio, condonatio, redemptio, & reconciliatio, vt concernit peccatores: iustitia autem exigit æqualitatem rei ad rem, solutionis ad debitum, quia est suum cuique tribuens, & non vltra, neque infra hoc medium æqualitatis rei ad rem, vel secundùm proportioné Arithmeticam, si est distributiua, vel Geometricam, si commutatiua, cuius species est vindicatiua, seu ad eam reducitur, vt Philosophus 6. *Ethic.* Doctor *in* 4. *dist.* 46. *q.* 1. D. Thom. 1. 2. *q.* 60. *art.* 3. *& alibi*: quia sicut commutatiua respicit medium rei, id est, æqualitatem dati, & accepti, ita vindicatiua æqualitaté pœnæ ad peccatum secundùm præscriptionem legis, & voluntatem legislatoris statuentis, & hoc medium exprimitur Apocalypsis 18. *Quantum glorificauit se, tantum date illi tormentum, & luctum*; & illud Deuter. 17. *Secundùm mensuram delicti erit & plagarum modus*, &c. Ex quibus principiis communiter Theologi statuunt differentiam pœnarum in inferno, sicut & peccatorum statuitur, seruata proportione æqualitatis inter hæc, nempe prout lex statuit.

Differentia vindicatiuæ, & misericordiæ. Misericordiæ actus.

Iustitiæ vindicatiuæ actus.

Reducitur ad commutatiuam.

Sed iustitia vindicatiua potest seruari in inferno, & de facto seruatur, quia punitio pœnę, & distributio eius secundùm æqualitatem peccatorum est actus eius: ergo satisfactio prout debetur iustitiæ secluso cócursu misericordiæ potest esse in inferno; sed hæc satisfactio est ea, quæ statuta est: peccato auté veniali non est statuta alia pœna quàm temporalis: ergo alia non exigitur, quàm temporalis. Patet consequentia, quæ hæc æqualis est. Confirmatur, seruare dictam æqualitatem non habet iustitia ex concomitantia misericordiæ, sed ex sua specie, & obiecto, qua medium rei seruat: ergo quamuis in inferno nulla est redemptio, id est, actus misericordiæ, aut satisfactio reconcilians; saltem erit iustitia, & æqualitas prædicta ad eam requisita: ergo quæcumque pœna per legem statuta, & peccato æqualis erit satisfactio, seu satispassio proportionata iustitiæ, aliàs non secundùm peccati mensuram esset plagarum modus.

28 *Vindicatiua in inferno exercetur.*

Confirmatio. Iustitia respicit mediū ex natura sua.

Confirmatur secundò. Si statueretur homo in statu naturæ puræ, secundùm iustitiam statui posset hæc pœna, seruata proportione ad peccatum: in eo autem statu non esset aliqua reconciliatio, aut amicitia eius ad Deum, quia non ordinaretur ad finem supernaturalem: ergo de facto contingit hominem esse obnoxium iustitiæ vindicatiuæ in statu etiam damnationis, in quo nulla est recóciliatio, sed sola punitio delicti secundùm exigentiam legis, quam est transgressus, & pœnam proportionatam per legem statutá, quæ temporalis est. Confirmatur tertiò. Nulla est alia lex, qua debeatur pœna peccato veniali in inferno præter eam, quæ data est homini viatori; sed hæc statuit temporalem pœnam: ergo ordinatio eius habet duntaxat effectum, quoad pœnam statutam. Maior probatur, quia quando homo ordinatus est in manu consilij sui, & libertate faciendi benè, vel malè, hæc lex data est solùm pro regula, quam sequeretur, & pacto in vitam & morté, & non alia: ergo ordinatio eius habet effectum in malè operáte duntaxat. Confirmatur quartò, illa saltem solutio non habet locum in pœna peccati dimissi in hac vita, cui nondum est satisfactum; sed huius satisfactio non exigit reconciliationem, quia fieri potest in statu etiam peccati mortalis, vt postea probabimus, conclusione sequenti: ergo status damnationis non impedit, quin pœnæ temporalis exhibitione sufficienti, & proportionatæ passionis, soluatur.

Secunda confirmatur. In statu puræ naturæ posset esse vindicatio peccati, sine reconciliatione.

Tertia confirmatur. Lex qua statuitur pœna veniali.

Quarta confirmatur. Causa assignata non se extendit ad pœnam peccati remissi.

29 *Impugnatur prædicta responsio quoad alteram causam assignatam.*

Altera causa assignata non subsistit, nempe complacentia in peccato, quia siue maneat peccatum, siue non, secundùm iustitiam nequit puniri, nisi proportionata pœna: verbi gratia, aliqua

qua lex ordinat abscissionem membri; huic satisfit plenè in executione pœnæ statutæ; ergo idem contingit in proposito casu, quo nihil exigitur quàm satisfactio legis, & iustitiæ. Secundò, inter pœnam & peccatum non est connexio necessaria: ergo potest esse peccatum sine pœna, & pœna sine peccato, maximè si debetur veniali: ergo & satisfactio fieri pro altero horum seorsim. Consequentia patet, quia si in re sint separata, aut separari possent, eodem modo in ordine ad iustitiam quoad condignam satisfactionem, quia sunt debita diuersa, & habent diuersas satisfactiones lege statutas, quarum vna non dependet ab alia in opere, & exercitio. Antecedens probatur, quia in damnatis datur peccatum sine pœna: Deus enim non punit peccata damnatorum, quæ committunt in eo statu; sicut neque præmiat actus bonos beatorum: quia pœna & præmium ordinata sunt solis viatoribus, & operibus in eo statu factis. Item, Deus potuit non statuisse pœnam viatori si vellet, in quo casu esset in eo peccatum sine debito pœnæ, quamuis haberet condignitatem fundamentalem ad pœnam, si statueretur. Item, Deus potest remittere peccatum de absoluta potentia sine vlla satisfactione liberaliter: ergo non repugnat peccatum esse sine satisfactione. Ex alia etiam parte non repugnat satisfactionem manere extincto debito peccati, vt patet in satisfactione, & pœnis purgatorij, quæ sunt propter peccata commissa & dimissa in vita.

Inter peccatū & pœnam nō est essentialis connexio.

Manet debitū pœnæ remisso peccato.

Idem patet de satisfactione pœnitentiali, cuius debitum manet remisso peccato per absolutionem Sacramentalem, aut per contritionem, aut alios actus bonos, si peccatum sit veniale, quod infrà tractatur, & ipsi aduersarij magna ex parte concedunt: ergo non repugnat cessare pœnam per exhibitionem passionis proportionatæ, quamuis maneat etiam peccatum in damnatis, si pœna est temporalis, qualis est veniali debita, neque ad satisfactionem iustitiæ aliud requiritur.

30 Tertiò, vel intelligunt de complacentia in peccato, quam habet damnatus, vel de complacentia, quam habuit in via, quando actu peccauit: sed neutra inducit pœnam æternam: ergo, &c. Probatur minor quoad primam complacentiam, quia peccata damnatorum non computantur ad pœnam: ergo neque complacentia vlla, quam habent in peccatis pro eo statu. Consequentia manifesta est, quia ideò imputaretur ad pœnam, quia mala est & peccaminosa. Confirmatur, magis operatur Deus secundùm misericordiam, quàm secundùm iustitiam, quia *misericordia eius super omnia opera eius*, &c. *misericordia superexaltat iudicium*: sed nulla est maior ratio, quare complacentia in peccato damnatis imputaretur ad pœnam, quàm quòd displicentia de peccato acceptaretur ad satisfactionem in animabus purgatorij: hoc autem fides negat: ergo, &c. Deinde, non est necessaria pro semper illa complacentia in peccato, quia liberè complacent damnati, imò est impossibilis, vt semper & pro semper sit continuata, si plura sint peccata, quia non valet intellectus & voluntas, maximè in rigore pœnarum operari pro semper circa singula peccata: ergo saltem pro tum cessabit pœna.

Complacētia damnatorū in peccato nō reputatur ad pœnam diuersam.

Displicentia de peccato nō reputatur animabus in purgatorio.

31 Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia si loquamur de complacentia viatoris, illa fuit venialis, sicut & voluntas peccandi peccato veniali, ac proinde his non correspondet alia pœna, quàm temporalis. Si loquamur de complacentia habituali, quatenus scilicet peccator nunquam retractauerit in specie peccatum præteritum veniale per congruam satisfactionem, hæc etiam non inducit pœnam æternam, nec reatum eius, imò fortè nullum est peccatum; quia obliuiscitur præteriti peccati venialis; vel si recordatur, non tenetur facere de eo pœnitentiam, quia compatitur secum perfectam Dei amicitiam, & gratiam sanctificantem, neque opponitur fini vltimo simpliciter, (aliàs induceret reatum pœnæ æternæ, quia repugnat simul stare cum iure ad gloriam per adoptionem gratiæ, sicut peccatum mortale) sed tantùm secundùm *quid*: ergo permanentia in tali non meretur pœnam æternam, sed duntaxat debitam peccato veniali, imò, vt dixi, nullam. Hinc fide certum est non esse materiam necessariò confitendam, vt declarat Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. *de confessione*, quamuis sint sufficiens materia.

Probatio minoris quoad secundā partem.

Complacētia illa fuit venialis.

Complacētia habitualis.

Secunda conclusio. Pœna debita peccato mortali, aut veniali remisso in hac vita est temporalis in inferno, non æterna. Est Doctoris, & aliorum, quos citauimus: & probatur ex dictis; quia ratio illa aduersariorum cessat, nempe peccatum, cui talis pœna debetur, permanere: ergo, &c. Deinde hæc pœna temporalis est. Negant Suarez, & Caietanus cum aliis antecedens, dicunt enim pœnam illam durare in æternum. 32

Secunda conclusio.

Pœna debita peccato remisso non est æterna in inferno.

Contraria sententia.

Contrà, Deus non punit bis in id ipsum, sed iam commutauit in Sacramento pœnam æternam debitam mortali in pœnam temporalem: ergo illa sententia manet stabilis, & consequenter nequit illa temporalis transferri in æternam.

Impugnatur.

Confirmatur, quia satisfactio pœnitentialis tali pœnæ correspondens perfici potest etiam in statu peccati mortalis, vt plures moderni sequentes Doctorem tenent, imò & D. Thomas *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art. ad* 5. ergo etiam in inferno potest illa pœna temporalis finiri.

Confirmatio.

Ex dictis fundamentum aduersariorum de facili soluitur.

Obiiciunt satisfactionem non dari in inferno: ergo neque terminatur pœna.

Obiicies.

Respondetur distinguendo antecedens quoad satisfactionem reconciliationem includentem concedo; quoad satisfactionem, quæ sit vera ordinatio culpæ, negatur.

Solutio.

Obiicies secundò, quamdiu manet culpa, semper manet pœna; sed reatus culpæ semper manet in inferno: ergo. 33

Secunda obiectio.

Respondent quidam negando minorem, quia culpa habitualis secundùm ipsos consistit in reatu ad pœnam, qua soluta desinit. Hæc responsio probabilis est, de qua actum est *suprà* de pecto habituali, *dist.* 14. *quæst.* 1.

Prima responsio.

Sed respondeo etiam aliter, negando maiorem. Contrà vrget Curiel, quia reatus pœnæ dicit inseparabilem connexionem cum culpa: ergo nequit culpa manere sine ipsa: & confirmatur, quia statuitur contra inordinationem culpæ. ergo semper manet, quamdiu manet culpa.

Secunda responsio.

Replica.

Respondeo distinguendo antecedens; si intelligas illam inseparabilem connexionem quasi in *fieri*, quòd scilicet nunquam incurratur pœnæ reatus nisi ob aliquam culpam concedo; in *facto esse*, nego. Nec probat Curiel contrarium,

Solutio.

vt probatur solutio suprà, argumento ad conclusionem; & probo etiam iterum, quia pœna temporalis inflicta à Deo, verbi gratia, belli, famis, pestis, propter peccatum Regis, quibus punitur populus, aut filij ob peccata parentum, & innocentes ob peccata nocentum, licèt supponat peccata, tamen non in quibuscunque, verbi gratia, in innocentibus, quibus infligitur. Deinde, hæ pœnæ rarò remittuntur, quamuis de peccato etiam fiat pœnitentia. Idem de pœna temporali debita peccatis iam remissis in confessione, aut contritione, aut aliis operibus, quibus dimittuntur venialia, manente adhunc pœna: ergo non est talis connexio in *facto esse* inter pœnam, & culpam, neque ex natura rei, neque secundùm exigentiam iustitiæ punitiuæ, si pœna est terminabilis ex lege, vt est pœna temperaria dimissi peccati, & pœna venialis. Idem est de pœnis peccati originalis, vt concupiscentia, & morte in iustificatis.

Separari posse peccatum, & pœnam in facto esse.

34 *Obiectio.* Dices, *Bona impiorum non probat Altissimus.* Ecclesiastici 34. & 2. ad Corinth. 13. opera sine charitate facta, nihil sunt, nihil prosunt.

Solutio. Respondeo. Ad satisfactionem reconciliatiuam concedo, rigorosam, & quæ fit ad effectum legis, nego.

Replica. Dices, In hac etiam satisfactione interuenit voluntas Dei liberalis: ergo non valet, nisi ex misericordia Dei, quæ nõ extenditur ad dãnatos.

Soluitur. Respondetur interuenire voluntatem Dei, qua legislator statuit pœnam proportionatam peccato, cui satisfit exhibitione pœnæ statutæ, non autem liberalis, & reconciliatiua. Negatur ergo antecedens.

Replica. Dices, remittuntur illa ob merita Christi, sicut & ipsa peccata.

Soluitur. Negatur antecedens, quia Christus est tantùm propitiator, in quo reconciliauit Deus, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. *Ad Roman.* 5. *ad Hebr.* 10. Omnis ergo satisfactio reconciliatiua est per Christum, non autem rigorosa, quæ est purus effectus iustitiæ, & legis vindicantis peccata; cui per se satisfit exhibitione passionis, quæ natura sua terminatur non interuentu, aut intuitu mediatoris, aut operum eius, sed ex statuto, & pacto legislatoris sic ordinantis.

Satispassio est ex lege iustitia, non ex operibus Christi.

Obiicies vltimò: in inferno nulla est redemptio: ergo neque solutio pœnæ.

35 *Obiectio vltima.* Respondetur negando consequentiam quoad pœnam temporalem, vt benè Doctor in litera. Aliqui dicunt ex probabiliũ authorum sententia (quam tamen non approbo) aliquam pœnæ relaxationem dari in inferno. Nam Chrysostomus, *hom.* 33. *in Mat.* videtur asserere suffragia viuorũ prodesse etiam condemnatis quantùm ad leuamen aliquod quoad tempus. Quod confirmat Damascenus *in serm. de curandis mortuis*, adducens exemplum de liberato Traiano precibus Gregorij Magni, & alia exempla. Hanc sententiam tolerat Augustinus *in Enchir. cap.* 110. Idem tenere videtur Prudentius hymno Paschali.

Marcent suppliciis tartara mitibus,
Exultatque sui carceris otio
Vmbrarum populus, liber ab ignibus,
Nec feruent solito flumina sulphure, &c.

Præpositiuus *compendio suæ Theologiæ*, ait progressu temporis fore, vt liberentur ab omnibus suis pœnis, non in perpetuum, vt ait Origenes, sed vsque ad resurrectionem. Gilbertus Pictauorum Episcopus sentit partes quasdam proportionales pœnæ ipsis remitti per suffragia viuorum. Gulielmus Altisiodorensis ea iuuare ad confortationem patientis, non ad diminutionem pœnæ, & dicit subtrahi aliquam maioris occasionem. Alij dicunt in die Dominico mitiùs saltem puniri ipsos, vel omnino suspendi tormenta, vt historia peregrinationis sancti Patris nostri Cherani per Oceanum. Hæc sententia meritò expurgata est in Expurgatorio Hispannico, neque cohæret doctrinæ Ecclesiæ. Quidquid sit de hac subleuatione, quoniam Deus non excedit limites suæ iustitiæ, aut misericordiæ, saltem id constat non exigere vltra debitam pœnam.

36 *2. Conclusio Doctoris.* f *De secunda conclusione potest dici dupliciter*, &c. Explicat modum, quo venialis peccati pœna etiam in inferno sit temporalis, & non æterna. Hic primus modus est iuxta sententiam, quam probabilem defendit *suprà dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. & deinceps, quam ibi explicuimus; & ea data statuit differentiam inter mortale, & veniale, quòd illius pœna sit infinita secundùm durationem, id est, æterna, ac proinde irremissibilis secundùm legem in inferno, non ita pœna debita veniali. Hunc modum non adeò approbat, vt patet ex sequenti.

Modus quo pœna venialis remittitur.

SCHOLIVM.

Hic Doctor expressè docet id, à quo quis denominatur peccator, non esse obligationem ad pœnam: quia Sancti (inquit) distinguunt remissionem pœnæ à remissione culpæ: ex quo patet falli eos: qui oppositum ei imponunt. De quo suprà d. 14. q. 1. art. 1. Dicit ergo veniale remitti morienti in gratia, non per solutionem pœnæ, sed propter aliqua bona opera, quæ in via fecit. Manet dubius an in instãti vltimo huius vitæ, vel in initio alterius remittatur huiusmodi veniale.

SI [g] iste modus non placet, quia videntur Sancti distinguere inter remissionem culpæ cuiuscumque, & pœnæ, & maximè inter remissionem culpæ, & solutionem pœnæ debitæ illi culpæ. Potest dici [h] alio modo, quòd peccatum veniale in ista vita remitti potest, non tantùm per pœnam interiorem, vel exteriorem, quia illi non est necessaria ad hoc: sed per aliquem actum Deo magis acceptum, quàm peccatum veniale displiceat: & hoc vel relatum ab ipso operante ad hoc peccatum veniale remittendum, vel non relatum ab ipso, sed à Deo acceptante in ordine ad illud. 8

Habituale peccatũ non esse obligationem ad pœnam.

Ad [i] propositum, opera istius, qui moritur in charitate, etsi post mortem non referantur ab ipso ad veniale, in quo moritur, dimittendum: nec etiam ipse habeat aliquem actum nouum meritorium, per quem deleatur veniale; tamen illa opera priùs facta possunt esse à Deo relata ad remissionem istius venialis post mortem. Et hoc, isto

Quomodo veniale remittitur morienti in gratia.

 modo,

modo, quia causa impedibilis, dum est impedita, non ponit effectum: dum verò est non impedita, ponit: sed merita istius morientis in charitate essent causa sufficiens deletionis venialium istius, vel relata ab ipso vel à Deo acceptante illa in ordine ad istud: sunt autem impedita dum iste viuit, si semper actu manet in peccato veniali: post mortem verò non sunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis: igitur per illa delebuntur venialia post hanc vitam.

9 Ex hoc sequuntur duo. Primum, quòd in instanti mortis remittuntur venialia, quia tunc non manet actus peccati venialis, & per consequens tunc cessat impedimentum. Aliud, quòd omne peccatum veniale morientis in charitate remittitur in hac vita, nisi ille continuet actum peccati venialis vsque ad mortem, vel ad instans mortis. Hoc secundum videtur probabile; nisi dicas Deum hoc ordinasse; quòd bona merita istius reseruentur in diuina acceptatione vsque ad instans mortis, quando scilicet desinit viator esse; & per consequens tunc retribuat bonum correspondens istis meritis: non sic autem pro aliquo instanti priori, pro quo fuit viator.

Gratia debita meritis remissis datur in instāti mortis. Istud est probabile in aliis; quia cùm quodcunque meritum mereatur (vt credo) augmentum gratiæ, quia aliquem determinatum gradum gloriæ, ad quem requiritur, vt dispositio præuia aliquis gradus gratiæ, & non semper Deus post quemcunque actum meritorium augeat gratiam proportionatam merito; videtur quòd augmentum debitum meritis remissis reseruet vsque ad instans mortis.

10 Et eodem modo de ista deletione venialium, quæ est quoddam præmium non principale istorum meritorum, sicut & augmentum charitatis in tali gradu. Et hoc est rationabile, quia in illo instanti iste primò fit in statu alio, & præmium meritorum reddi eis impediuit status viatoris, vel aliquid concomitans statum huiusmodi. Nec oportet hîc assignare, quòd hæc reseruatio pro instanti mortis sit rationabilis, quia homo tunc maximè indiget propter maximas tentationes tunc imminentes: hoc enim non est verum, quia in instanti mortis anima est separata à corpore, & per consequens non est in via, sed in termino; nec per consequens tunc exposita tentationibus.

Si neuter modorum istorum placet: nec primus, scilicet quòd idem est veniale remitti, & pœnam solui debitam illi: nec secundus, scilicet quòd per merita in vita habita, & reseruata in diuina acceptatione, deleantur in instanti mortis, quæratur alius, quem est difficile inuenire: nam motum aliquem bonum, per quem tanquam per dispositionem, vel meritum de congruo, vel condigno, deleatur veniale, ponere in anima post mortem, non videtur doctrinæ Theologicæ consonum, quæ ponit statum illum ab istis immunem.

Post mortē non est status meredi.

11 *Ad arg. 1.* Ad argumenta. Ad primum, nego consequentiam, intelligendo *resurgere* pro *liberari* à peccato.

Ad probationem dico, quòd non est simile: quia peccare est liberè agere, & pro statu viæ: *resurgere* autem, id est, immunem fieri à peccato, non requirit liberè agere etiam in via, quia vel secundùm primam opinionem non est nisi soluere pœnam, & hoc est pati eam: vel iuxta secundam, non est nisi per merita priùs habita in via, & pro tunc acceptata, culpam nunc dimitti.

12 *Ad arg. 2.* Ad secundam probationem consequentiæ concedo quòd faciliùs est cadere, quàm resurgere, prout *resurgere* dicit actum ordinatum in potestate simpliciter resurgentis; sed sic non accipitur *resurgere* in ista remissione peccati venialis. Ad tertiam probationem, falsum accipit, scilicet quòd *resurgere* tunc est per actum voluntatis meritorium, qui tunc insit: sed per actum meritorium, qui priùs infuit in vita iuxta secundam opinionem; vel per nullum actum meritorium, sed tantùm per pati pœnam condignam pro illo peccato, secundùm primam opinionem.

Ad secundum, non valet consequentia: & ratio dicta est in prima opinione, & hoc secundùm illam opinionem: iuxta verò secundam esset dicendum, quòd merita facta in vita non possunt acceptari pro instanti mortis, vt per ea deleatur mortale; quia Deus disposuit mortale non delendum, nisi per susceptionem voluntariam Sacramenti, vel per aliquam dispositionem tanquam meritum de congruo, tunc, vel vsque tunc inhærentem, quando peccatum deletur: non sic est in eo, qui decedit in mortali.

Ad probationem dico, quòd etsi mortale, & veniale sint eiusdem rationis in genere naturæ, vel fortè malitia moris, vt genus virtutis distinguitur contra gratuitum, & peccatum (non enim idem est esse virtuosum, vel vitiosum moraliter, & iustum, & peccatorem Theologicè: imò quandoque vitiosus est iustior, & magis virtuosus magis peccator, vt aliàs est dictum,) sed tamen non sunt ista eiusdem generis, vel rationis in ratione offensæ diuinæ: & ideò nec vniformiter remittuntur.

Dist. 13. & in 3. dist. 1. de sinceris veritatib.

Ad

Ad tertium, est similitudo quoad hoc, quòd Angelus cadens est in termino, non in via, sic & homo in morte: sed non oportet similitudinem esse quantùm ad stabilem permanentiam in quocunque, sed in illo, quod est principale in eo, qui iam attingit terminum; cuiusmodi est vita spiritualis per gratiam, vel mors spiritualis per peccatum mortale: & sic qui moritur in vita gratiæ, semper viuet: qui verò moritur in peccato mortali, semper permanebit. Sed de peccato veniali non oportet esse talem stabilitatem, quia illud non est aliquid, secundùm quod per se attendatur status bonus, vel malus viæ, vel termini; quia potest stare cum bono statu, & cum statu malo, tam viæ, quam termini: sed quando est cum bono statu termini, oportet quòd deleatur antequam plenè habeatur vltimus terminus. 13

Ad 3.

Secundùm veniale non attenditur status.

Et ad aliud potest benè concedi, quòd mors voluntariè accepta sit pœna sufficiens pro pœna cuiuscunque peccati venialis: & fortè pro magna parte pœnæ debitæ pro mortalibus dimissis. Nec obstat, quòd est pœna necessaria; quia aliquis potest necessarium voluntariè acceptare: & sic huic consonat, quod dictum est in secunda opinione, quòd peccatum veniale deleatur in instanti mortis, cum dicto in prima opinione; quia si per solam solutionem pœnæ remittatur in morte, illa pœna soluitur: & sic in morte veniale remittitur.

Ad 4.

Mors voluntariè accepta soluit magnã partẽ pœnæ debitæ peccatis venialibus.

COMMENTARIVS.

37 *Doctor admittit distinctionem inter debitum pœnæ, & reatũ culpæ.*

g *Si iste modus non placet*, &c. Primò dicit illum modum dicendi non esse consentaneum Patribus, qui distinguunt inter remissionem culpæ, & solutionem pœnæ debitæ. Hunc locum Doctoris aliàs loco citato adduximus contra eos, qui eum calumniantur de opposito: vbi ostensum est nullam esse in re ipsa discrepantiam inter ipsum, & alios Doctores; sed tantùm in modo loquendi, ipse enim loquitur secundùm rigorem Physicum secutus Augustinum, & ideò negat actum præteritum manere, neque consequenter deformitatem, quæ subiectabatur in actu, & cum ipso transit, manere autem priuationem gratiæ ex peccato præterito, & debitum pœnæ, in quibus alij docent manere ipsum peccatum præteritum virtualiter, vel moraliter, vel habitualiter: quod ipse nullo modo negat; sed negat tantùm manere per modum formæ in *esse*, & rigore physico, eo modo quo inerat, quamdiu actus mansit peccati. Vnde remissionem peccati, & media remittendi refert semper ad peccatum præteritum, quà præteritum est, vt *suprà* visum est etiam *dist.* 16. quia & peccatum præteritum, etiam quà præteritum, est materia confessionis, & pœnitentiæ: ergo ex mente ipsius illud peccatum semper manet quoad imputationem, ac si esset præsens in *esse* physico, ac proinde manet hoc modo moraliter per modum habitualis non physici, sed moralis, ratione status & legis, & obligationis.

38 *Non remitti in inferno peccatum veniale licèt pœna debita esset.*

Hîc ergo rectè dicit remissionem peccati distingui à solutione pœnæ: vnde licèt in inferno terminetur pœna debita peccato veniali, non ideò remitti in inferno ipsum peccatum veniale in ratione culpæ: quia nempe nunquam remissum, aut retractum fuit in via, neque in inferno terminatur; ideò in ratione maculæ semper manet moraliter; quia manet in eo, quod est peccasse, & nunquam fuisse remissum peccatum, & sic manet damnatum esse obnoxium legi, quam transgressus est peccando, eique difformem, quia neque per pœnitentiam, neque per aliud æquiualens sustulit difformitatem, aut posuit subiectionem, & conformitatem illius legis per propriam conuersionem, & sic semper manebit in inferno voluntas eius difformis illi legi habitualiter eo modo, quo peccatum præteritum manet in habitu. Hinc non rectè dicitur peccatum præteritum manere habitualiter in eo præcisè, quia manet in suo effectu, nempe in debito pœnæ, quia soluta pœna iam desinit eius debitum, manet autem peccatum in habitu: meliùs ergo dicitur manere ipsum peccatum in eo, quòd status voluntatis desumitur ab opere donec retractetur, & talis est voluntas in habitu, qualis fuit eius operatio, siue bona, siue mala. Vnde voluntas peccaminosa quamuis actualiter non continuetur eius motus, tamen donec corrigatur à peccato, manet habitualiter, & secundùm æstimationem legis, & prudentiæ in actu præterito, quod in ipsa hoc modo manere propriè moraliter dicitur, quamuis physicè non maneat: hinc voluntas dormientis talis esse dicitur, qualem habuit in vigilia, & voluntas amentis, aut eius, verbi gratia, infirmi, talis censetur, qualem habuit dum erat capax rationis, & sensus. Vnde sic etiam Ecclesia applicat remedia salutis ex vi prioris voluntatis, vt Baptismum, & Pœnitentiam, quia consensus præteritus voluntatis, & non retractatus sufficit vt hîc & nunc in eo statu quis absoluatur, vel baptizetur: vt suo loco disseruimus. Eodem ergo modo sicut etiam in contractibus, & aliis quæ dependent à consensu voluntatis actus præteritus eius non retractatus trahitur ad præsens, vt ipsi æquiualeat; actus etiam præteritus peccati nunquã retractatus in se, aut æquiualente, censetur semper manere in habitu; quæ permanentia est moralis, quatenus voluntas sortitur statũ ab actu præterito, vt subest regulis legis, & prudẽtiæ, à quibus desumitur *esse* morale rei, nõ est autem permanẽtia physica, quæ sumitur à regulis motus, & mutationis, & quietis sub forma in suo *esse* physico permanẽte.

Manere peccatum quomodo intelligitur.

Permanentia moralis actus præteriti.

h *Potest dici alio modo*, &c. Conclusio Doctoris est, quòd peccatum veniale in ista vita remitti potest per pœnam interiorem, vel exteriorem, & per aliquid æquiualens, nempe actum Deo magis gratum, quàm displicuit veniale, & hoc duobus modis. Primus est, si referatur ab operante ad finem remissionis peccati venialis obtinendæ; vel etiamsi non offeratur: tamen à Deo acceptetur in finem remissionis obtinendæ. 39

Duplex modus remissionis venialis peccati.

Circa hanc literam plura se offerunt disserenda.

Controuersia.

renda. Primum est an satisfactio iusti saltem possit esse de condigno pro peccato veniali? Secundum est, in quo hæc satisfactio consistat.

An satisfactio iusti sit condigna veniali.

Sententia negatiua.

Quoad primum; negat Petrus de Soto *in institutione Sacerd. lect.* 18. *de pœnitentia*, hominem de condigno satisfacere posse pro peccato veniali, quia remissio venialis est opus diuinæ gratiæ, & ideò petimus in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita nostra.* Contraria sententia est communis, nempe in homine posse contingere hanc satisfactionem per actum contritionis, aut dilectionis super omnia; sed variant Doctores in eius ratione. Vasquez *in 3. part. tom. 1. disp. 2. cap. 3.* asserit seclusa omni Dei condonatione deleri peccatum veniale per satisfactionem illam, in hoc statuens differentiam inter mortale, & veniale sic remissa, quòd satisfactio pro mortali habeat admixtam liberalitatem Dei, quia nempe homo per mortale incurrit debitum carendi omni auxilio gratiæ, quo à peccato resurgeret, facta autem condonatione huius debiti per dationem liberalem auxilij homo per gratiam Dei, inquit, potest pro mortali satisfacere quoad æqualitatem, seclusa vlteriori condonatione, aut promissione Dei: at per veniale homo non incurrit debitum carendi auxilio, ideò potest ex natura rei satisfacere, quia actus, quem elicit contritionis, ipsum ex natura rei iustificat à veniali; quamuis autem auxilium gratiæ ipsi gratis tribuatur, quia cùm non incurrit debitum ipso carendi, ideò nihil ipsi remittitur gratis. Hæc sententia supponit hominem formaliter iustificari per actum, & gratiam dari liberaliter, quando indignis datur, non autem quando datur non dignis, datur autem iustis auxilium ad delendum veniale, non quasi indignis, sed non dignis.

Sententia cōmunis affirmatiua.

Ratio Vasquez.

40 Hæc doctrina non est solida, in primis peccatum mortale non inducit aliam priuationem, quàm gratiæ sanctificantis de facto in homine; quamdiu enim durat status viæ non desunt auxilia in vniuersum existentibus in peccato, aliàs frustrà maneret Scriptura: *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, Ioelis 2. frustrà adhortaretur ad pœnitentiam passim: frustrà institueretur Sacramentum Pœnitentiæ, nisi ex lege parata essent auxilia, quibus homo se ad Dominum conuerteret, & disponeret: quamuis ea auxilia sine nostris meritis dentur ex sola Dei misericordia: si enim loquamur de gratia sufficiente, illam omnibus dari communis est Theologorum. Si de efficaci, dari eam prædestinatis est certum, cuius peccatum mortale non est priuatio, quia sicut non tollit efficaciam & ordinem prædestinationis; sic etiam neque mediorum, vt gratiæ efficacis, & vocationis diuinæ, alioquin frustrà præfigeretur status viæ homini ad faciendum iudicium, & iustitiam: qui status non datus est Angelo, sed statim à peccato desertus, reprobatus, & iudicatus fuit. Hoc confirmant parabolæ de vinea, de talentis, de nuptiis, de Samaritano, de operariis; & hanc gratiam meruit Christus peccatoribus: ergo eius priuatio non inducitur per peccatum mortale. Probatur consequentia, quia neque ex natura rei excludit Dei misericordiam vocantem, & auxiliantem, neque est statuta lege, cùm lex sit in oppositum, vt patet ex dictis: aliter autem priuare nequit gratia actuali. Accedit quòd veniale sit quædam Dei offensa, quæ ex gratia remitti debet non merenti ipsam gratiam, per quam conuertitur.

Impugnatur. Per peccatum mortale non priuari hominem viatorē gratia auxiliante.

Mortale non tollit ordinem prædestinationis.

Secundò falsum est quòd in donatione auxilij solùm versetur liberalitas Dei, & misericordia, vt aliàs *suprà* probatum est: quantùm ad iustificationem peccatoris est expressè contra Patres, & Scripturam, vt patet in parabola eius serui, cui postulanti dimisit Dominus debitum, cuius orationem præcessit gratia vocationis: & patet ex Tridentino *sess. 6. cap. 5.* gratiam vocationis antecedere dispositionem, & conuersionem, quæ *ex cap. 6.* versatur in actibus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ. Cæterùm hi actus, vt docet idem Tridentinum *cap.* 8. non merentur iustificationem, atque ideò gratis, & misericorditer fit; quæ iustificatio includit infusionem iustitiæ, & remissionem peccati: ergo non in sola auxilij, seu gratiæ præuenientis donatione sistit Dei misericordia, quæ vlteriùs extenditur ad remissionem peccati, quæ gratis fit. Item, Mileuit. *cap.* 3. definit gratiam Dei non in sola peccatorum remissione consistere, & valere, sed etiam in auxilio, ne committantur: ergo distinctæ gratiæ sunt auxilium, & remissio peccati. 41

Misericordia Dei nō solùm in vocatione consistit, sed etiam in remissione.

Trident.

Mileuitan.

Tertiò, sequitur falsum esse non requiri promissionem, & condonationem Dei ad remissionem peccati, seu mortalis, seu venialis, vt patet ex dictis, quia si gratis fit, supposita etiam pœnitentia, & conuersione peccatoris: ergo potuit non fieri, & liberaliter non ex debito fit ac proinde accedente voluntate liberali Dei. Quoad veniale autem id specialiter probatur ex 1. Ioannis 1. *Si dixerimus*, inquit, *quòd peccatum non habemus*, &c. vbi communiter Patres, & interpretes intelligunt de venialibus, quæ solùm habere potuit Ioan. & mox subdit quoad remissionem, & modum remissionis. *Si confiteamur*, inquit, *peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra*, &c. vbi remissionem eorum reducit in fidelitatem Dei, & promissionem, non secus ac contingit remissio mortalis. Ezech. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est*, &c. *& fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur*, &c. 42

Remissio fit gratis.

Etiam peccati venialis.

Quartò, ex his sequitur non remitti veniale ex natura rei per actum contritionis contra eundem; & in primis consistere in ipsa contritione iustitiam formaliter, est opinio singularis huius Doctoris, aut alio actu; quam impugnauimus aliàs: quoad præsens sufficit nobis authoritas Tridentini in oppositum asserentis *cap. 6. sess. 6.* actus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ antecedere per modum dispositionis ipsam iustificationem, quæ *ex eodem Concilio, cap. 5. & 7.* includit infusionem gratiæ sanctificantis, & remissionem peccati: ergo distinguuntur ab ipsa iustificatione prædicti actus: sed si iustitia consisteret in actu, deberet in aliquo ex illis consistere: ergo. Deinde *cap.* 8. supponit illos actus antecedere iustificationem, non tamen mereri ipsam: ergo diuersa sunt, & *can. 3. Si quis*, inquit, *dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit*, &c. Vbi expressè distinguit illos actus ab ipsa iustificatione, & *canon. 24. Si quis dixerit iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram Deo per opera bona: sed ipsa opera fructus solummodò, & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit*, &c. Augeri, & conseruari 43

Iustitiam nostrā non cōsistere in actu.

seruari non conuenit actibus. Deinde opera bona, seu actus sunt causa augendæ iustitiæ: ergo diuersa sunt. Quòd verò non consistat in actu contritionis formalis nostra iustitia, de facili colligitur *ex sess. 14. de pœnitent. cap. 4. Docet præterea etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare prius quàm hoc Sacramentum actu suscipiatur*, &c. vbi sermo est de contritione perfecta: docet ergo eam vt perfectam charitate reconciliare: ergo non in ipsa formaliter consistit reconciliatio. Hæc autem charitas est habitualis, non actualis: quia ipsa contritio secundùm communem Thomistarum consistit in actu charitatis. Deinde, in principio dicitur impetrare veniam peccati: quod intelligi nequit de formali iustitia, quæ inseparabilis est à remissione peccati, saltem mortalis. Accedit quòd in infantibus non possit esse actus, iustitia autem in infantibus, & adultis est eiusdem rationis, sicut & effectus Sacramenti; adultus ad Sacramentum accedens cum attritione iustificatur sine contritione perfecta: ergo eius iustitia non in ea consistit. Dimissa ergo quæstione illa de natura iustitiæ nostræ, quam alias suprà tractauimus,

Non consistere in contritione.

44 Probatur sequela, peccatum veniale potest stare cum iustitia, quæcumque illa sit: ergo ex natura rei non tollit peccatum veniale. Consequentia est manifesta: probatur antecedens, quia omnes Patres supponunt peccata leuia, & venialia dari in iustis: de quibus intelligunt illum locum Ioannis. *Si dixerimus quòd peccatum non habemus*, &c. & ex Concilio Mileuitano *cap. 6. 7. & 8.* Arauſ. II. *cap. 14. 22.* ex Trident. *sess. 6. cap. 11. Licèt enim in hac mortali vita quantumuis sancti, & iusti, in leuia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti: nam iustorum illa vox est & humilis, & verax, Dimitte nobis debita nostra*, &c. Ergo venialia compatiuntur cum iustitia: ergo à fortiori cum contritione, aut alia quacumque forma, quæ ad iustitiam solùm disponit. Probatur consequentia, quia magis repugnat peccatum iustitiæ, quàm dispositioni ad ipsam. Confirmatur. Eatenus contritio ex natura rei deleret veniale, vel quia ipsi in specie repugnat, qua actus talis virtutis: verbi gratia, charitatis, aut pœnitentiæ, vel qua ordinat hominem ad Deum, finem vltimum. Non primum, quia sic tantùm opponitur peccato in actu contra proprium motiuum, & rectitudinem. Non secundum, quia iustitia, in qua formalis sanctitas consistit, perfectiùs ordinat ad finem, quàm dispositio ad ipsum, vt est contritio: hoc non obstante compatitur secum peccatum veniale. Ergo, &c. Deinde, potest contingere contritio perfecta de solis mortalibus sine ordine ad venialia: verbi gratia, oblita, quæ tunc non remittuntur, neque ex natura rei, neque ex diuina voluntate. Vnde in hoc distinguitur partim Baptismus à Sacramento Pœnitentiæ, quòd ille remittat omnia peccata, pœnitentia nō semper venialia. Hoc idem argumentum probat, neque contritionem, neque alios actus nostros simpliciter sumptos, seu absolutè, ex diuina etiam ordinatione remittere venialia, quamuis ad remissionem mortalis sic sufficiant. Disparitas autem in eo est, quòd dispositio ad iustitiam eatenus remittit veniale, quatenus inducit iustitiam, quæ ei repugnat, saltem ex diuina ordinatione; simul autem esse potest cum iustitia veniale, ideò dispositio ad iustitiam sic absolutè sumpta, qua disponit ad iustitiam ex diuina ordinatione, vel etiam qua actus est talis in sua specie morali, aut Physica, cùm non dicat repugnantiam ad veniale habituale, maximè in materia differentis virtutis, ideò non tollit veniale: oportet ergo aliam rationem superaddere præter hæc nostris actibus, vt impetrent remissionem venialium.

Peccatū veniale non tolli ex natura rei per iustitiam.

Trident.

Confirmatur. Dispositio ad contritionem non est peccati venialis.

Distinctio remissionis Baptismalis, & Pœnitentiæ.

Quid autem illud sit, vel quænam in specie satisfactio deleat peccatum veniale, & quænam exigitur, non est concors Doctorū sententia. Durand. *in 4. d. 22. q. 2.* dicit non sufficere actum charitatis etiam feruidum, vt vocat, & intensum, sed requiri contritionem formalem, quia in hac tantùm cōtinetur retractatio peccati venialis, quod cum charitate tam actuali, quàm habituali etiam intensa cōpatitur. Gabriel *in d. 16. q. 5. art. 2.* dicit sufficere reordinationem voluntatis ad hanc retractationem per actum oppositæ virtutis. Idem insinuat Medina *tract. 1. de pœnit. q. 3.* Thomas de Argentina *dist. 21. art. 4.* requirit contritionē, sicut Durandus: non tamen tam perfectam, aut in eo gradu, quo exigitur ad remissionem mortalis, quia non requiritur, vt sit super omnia, quamuis necessariò debeat esse ex motiuo charitatis, & amore amicitię. Caiet. *3. p. q. 87. art. 1.* quæ sententia etiam videtur D. Thom. *ibid.* exigit dolorem saltem virtualem, qui in cōtritione, aut perfecta dilectione charitatis continetur. Hanc sentētiam plures amplectuntur, Richard. *in 4. d. 16. art. 5. q. 1. & d. 21. art. 3. q. 1.* Palud. *ibid.* & Alens. *4. p. q. 106. memb. 8.* Eandem explicat Vasquez in præfatam quæstionem D. Thomæ, dicens illam contritionem dici virtualem, non quòd in se non sit dolor explicitus, & formalis: sed quòd detur quandoque in gradu, vt non extendatur ad veniale. Vnde quando ita est perfecta, vt natura sua deleat etiam venialia, erit virtualis. Alij docēt sufficere attritionem implicitam inclusam in quocumque actu bono repugnante veniali. Suarez *tom. 4. in 3. disput. 11. sect. 2. concl. 3.* dicit in iustis extra Sacramentum sufficere attritionem. Ratio omniū est, quia requiritur retractatio peccati, quæ nequit fieri nisi per pœnitentiam formalem, aut saltem virtualem. Alia est sententia sufficere satispassionem ad remissionem venialis: hæc statuit peccatum habituale in solo reatu pœnæ. Est Gabrielis *in 4. dist. 16. q. 5. art. 2. conclus. 2.* & tribuitur Doctori, de qua satis dictum est. 45

Per quam satisfactionem, aut medium deletur veniale.

Prima sententia.

Secunda sententia.

Tertia sententia.

Quarta sententia.

Explicatur.

Quinta sententia.

Vltima tandem sententia est Doctoris hìc asserētis remitti veniale per quemcumque actum bonum magis acceptum Deo, quàm fuerit inuisum peccatum veniale, modò actus ille ab operante referatur in finem remissionis peccati, hoc est dicere, per satisfactionem oblatam Deo remitti veniale: quæ satisfactio potest in quocumque actu bono æquiualente reperiri, modò in eum finem eliciatur.

Sentētia Doctoris.

Prima conclusio: cōdigna satisfactio pro peccato veniali est actus quicumque bonus æquiualens modo iam dicto. Est Doctoris. Probatur ab inconuenienti, quia si requireretur contritio perfecta, aut in perfectiori gradu; vt Vasquez, & alij volunt, sequeretur quòd magis, vel æquè rigorosa satisfactio exigeretur pro peccato leui, & graui, quòd non congruit iustitiæ: ergo talis non exigitur. Secundò, veniale de facto non deletur per contritionem, aut deletionem actualem, & habitualem, vt, verbi gratia, si sit oblitum, vel si quis 46

Prima cōclusio. Per actū bonum æquiualentē oblatum remitti. Probatio.

Non requiri contritionem formalē, aut virtualem.

quis etiam in memoriam reuocet aliquod veniale sine proposito emendationis, tunc non deletur: ergo talis contritio & dilectio neque formaliter, neque virtualiter extenditur ad illud veniale, neque ex natura rei, neque ex voluntate operantis, neque ex acceptatione diuina, nec est eius retractatio, aliàs sequeretur propositum emendationis, sine quo simpliciter talis est impœnitens de veniali: ergo contritio, & dilectio Dei absolutè sumpta non habent effectum delendi peccati venialis semper: sed neque contritio habet necessariò, & semper illum effectum in ordine ad confessionem, quando non est de ipsis venialibus saltem in genere, aut specie. Probatur consequentia, quia contritio in ordine ad confessionem qua est dispositio ad Sacramentum, in eo differt ab attritione quoad efficaciam, quòd ipsa sanctificet ante absolutionem; sed effectus sanctitatis ex dictis non repugnat peccato veniali: ergo.

Neque ille effectus conuenit semper contritioni.

47 *In Sacramento Pœnitentiæ non semper tolli venialia.*

Deinde, quidquid facit contritio se sola, præstat attritio cum Sacramento: sed neque hæc delent omnia venialia semper non confessa, quando in eum finem non diriguntur à pœnitente: ergo neque contritio. Maior patet ex communi Doctorum, qui dicunt Sacramentum facere de attrito contritum, cuius efficacia respectu gratiæ est maior quàm contritionis, quia ex operato causat illam, & in virtute meritorum Christi; contritio autem ex opere operantis, seu merito proprio operantis, quod est inferioris gradus, & acceptationis. Minor probatur ex communi suppositione, quam insinuat Trident. *sess. 14. de pœnit. c. 5. de confessione*, in hæc verba: *nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequenter labimur, quamquam rectè, & vtiliter, citràque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque alijs remedijs expiari possunt*, &c. ergo supponit illa non expiari semper in confessione, sed per illa alia remedia. Hæc autem remedia distincta à confessione, & pœnitentia, debent habere efficaciam delendi ipsa non aliter quàm per satisfactionem, & consequenter per exhibitionem alicuius operis æquiualentis in finem remissionis ipsorum; sed opus æquiualens potest esse in materia cuiuscumque virtutis; verbi gratia, fidei, eleemosynæ, orationis, ieiunij, quia hæc opera sunt satisfactoria, vt ex Scriptura constat; ieiunium autem, eleemosyna, & oratio numerantur à Patribus, & Doctoribus tres partes satisfactionis: imò & quodcumque opus bonum potest hunc effectum habere: ergo maximè pro peccatis leuibus. Deinde, opus cuiuslibet virtutis potest esse meritum respectu vitæ æternæ: ergo potest esse efficax ad tollendum impedimentum, si applicetur à voluntate, & consequenter satisfactorium tam pro pœna temporali, quàm pro peccatis leuibus, quæ impediunt gloriam, non tollunt gratiam. Quòd verò actus quicumque bonus vt habeat efficaciam ad delenda venialia, exigit vt per modum satisfactionis exhibeatur in eum finem. Patet, quia si alioquin actus dilectionis non habeat illum effectum semper, neque ipsa pœnitentia, quando ad veniale implicitè, aut explicitè non extenditur, minùs conueniat actui inferioris ordinis, sine tali relatione.

Trident.

Per alia media diuersa deleri venialia.

Et quænam illa?

Opus quodcumque satisfactorium sufficit.

Meritorium opus habet proportionem.

Requiritur oblatio operis.

48 *Obiectio.*

Obiicies, si actus ex se non remittit venialia: ergo ex acceptatione Dei non habet illum effectum, minùs autem ex intentione operantis.

Respondetur, negando vtramque consequentiam; primam non sequi patet ex dictis. Secunda æquè falsa est. *Soluitur.*

Dices, opus ex intentione operantis dirigentis ipsum in talem finem remissionis non habet bonitatem, aut efficaciam: consequenter ergo inutilis est talis relatio. *Replica.*

Respondetur habere applicationem, sicut patet, in finem hunc, vel illum ad impetrandam hanc, aut illam gratiam fieri opus de se quidem dignum, & ex acceptatione diuina, requiritur tamen applicatio: sicut patet in oratione Ecclesiæ, & cuiuslibet particularis personæ, & communi praxi. Si ergo ieiunium ad impetrandum hanc, aut illam gratiam, exigit vt in eum finem referatur, sic etiam in proposito opus satisfactorium potest quis facere pro se ipso, aut pro aliis, vt dicere Missam: vt autem habeat effectum in se, aut aliis determinatum, requiritur intentio: quæ non tribuit valorem operi, sed applicationem.

Oblatio operis est eius applicatio ad effectũ remissionis.

Exempla.

Obiicies secundò. Si opus satisfactorium esset efficax in remissionem venialis, non esset ratio cur vnum magis, quàm aliud tolleret: ergo vel omnia, vel nullum tollit. *Obiectio.*

Respondetur argumentum in simili forma concludere de contritione, & dilectione, quibus arguens tribuit illam efficaciam. *Retorquetur.*

Respondeo ergo causam habere effectum limitatum ex applicatione in actu secundo, quæ in præsenti est intentio: quia si in genere applicetur ad omnia, habebit effectum sibi proportionatum, sicut contingit in satisfactione pro temporali in genere, quæ non æquiualet toti pœnæ, habet effectum proportionatum sibi. *Soluitur.*

Obiicitur tertiò, talis actus non includit retractationẽ peccati præteriti: ergo nõ remittit ipsum. *Obiectio tertia.*

Respondetur negando antecedens, quia eo ipso, quo offertur, vt satisfactionem ad finem delendi peccati, vult peccatum non esse, & consequenter retractat ipsum. *Soluitur.*

Obiicies quartò, Patres exigere lamenta de peccatis quotidianis. 49 *Obiect. quarta.*

Respondetur illud esse remedium magis proprium, & ex vsu: tamen aliis etiam operibus remittuntur, vt dimittendo aliis iniuriam. *Dimittite, & dimittetur vobis. Dimitte nobis debita nostra*, &c. vt patet ex supradictis. *Soluitur.*

Obiicies quintò. Si opus relatum à peccatore in finem remissionis venialis, illud remittat, sequeretur nunquam posse remitti illud per claues, quod est contra praxim, & sensum Ecclesiæ absoluentis à venialibus. Patet sequela, quia attritio, aut contritio antecedens de venialibus illa remittit ante absolutionem. *Obiect. quinta.*

Respondent quidam concedendo sequelam, neque illud esse inconueniens; nam & peccata aliàs confessa possunt subiici clauibus, & absolutioni, vt patet ex praxi. Hinc patet ad subsumptum, eiúsque probationem. *Prima responsio.*

Respondeo tamen negando consequentiam, quia licèt attritio sit actus bonus ex gratia, & acceptus Deo, tamen non habet illum effectum, nisi relatus sit in finẽ satisfactionis per modum meriti impetratorij, quod non contingit semper, nempe quando tantum ex fine disponendi se, & sumendi dignè Sacramentum, habetur. Vel si dicatur meritum impetratorium, vt vocare videtur Trident. *sess. 14. cap. 4.* quia procedit ex fide ad

Secunda responsio.

Attritio in ordine ad Sacramentũ non remittit veniale ante Sacramẽtum.

ad finem remittendi peccatum: non tamen habet rationem satisfactionis, nisi offeratur per modum satisfactionis: neque etiam refert quòd peccatum per ipsam dispositionem Sacramentalem remittatur, vt patet quando quis disponitur per contritionem.

50 *Secunda conclusio. Remissio venialis extra Sacramentum non exigit infusionem gratiæ. Sententia opposita. Probatio conclusionis. Non est priuatio gratiæ. Remitti per Sacramentalia. Remittuntur post mortem vt quidã volunt. Opus satisfactorium aliquando non dat gratiam.*

Secunda conclusio. Remissio peccati venialis per condignam satisfactionem non exigit infusionem gratiæ sanctificantis. Hanc non docet in terminis Doctor, magis tamen conformis est dictis. Eam tenent Soto, Ledesma, Maior, Gabriel. Est contra Suarez, & Vasquez, qui non secus ratiocinãtur de remissione venialis, quàm mortalis, quantùm ad infusionem gratiæ. Probatur primò, quia veniale ex dictis non includit priuationem gratiæ, & compatitur cum ipsa: ergo non requiritur ad remissionem ipsius infusio gratiæ. Secundò remittuntur per Sacramentalia, neque Ecclesia explicat vsum Sacramentalium esse tantùm in iustis; imò contrarium, vt patet in aspersione aquæ benedictæ, quæ tam iustis, quàm peccatoribus communicatur. Tertiò secundùm aduersarios, & satis communem sententiam remittuntur iustis post mortem in instanti separationis: sed tunc non infunditur aliqua gratia de nouo. Quartò, opus satisfactorium pro pœna temporali factum à iusto non meretur ei gratiam nisi excedat debitam satisfactionem; quia in pœnis & præmiis seruatur iustitiæ commutatiuæ proportio, & æquitas: ergo quandoque opus iusti bonum non meretur gratiam: ergo ad remissionem peccati venialis etiam iniusto per opus bonum, neque ex conditione operis, neque ex necessitate remissionis, neque ex ratione satisfactionis exigitur gratiæ infusio.

51 *Tertia conclusio. Posse remitti existenti in mortali. Probatio.*

Tertia conclusio. Satisfactio condigna pro peccato veniali potest exhiberi à peccatore cum effectu remissionis venialis. Hæc conclusio patet ex dictis, quia hæc remissio non exigit infusionem gratiæ, peccatum veniale non dicit necessariam connexionem cum mortali, quantùm ad sui remissionem, neque ex lege, neque ex iustitia: peccator potest satisfacere pœnæ temporali, quæ ipsi remittitur in statu peccatoris: ergo etiam similiter pro peccato, quod inducit debitum pœnæ temporalis. Probatur consequentia, quia si status peccati non tollit potestatem satisfaciendi pro pœna temporali, non videtur tollere satisfactionem, quæ pro ipso peccato, cui tantùm illa debetur. Item, peccata venialia remittuntur per Sacramentalia, quorum vsus etiam in peccatoribus est efficax. Vnde Augustin. in Enchirid. cap. 71. *De quotidianis, breuioribus, leuibusque peccatis,* inquit, *sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit; eorum enim est dicere: Pater noster,* &c. *fidelium* dicit, & non *iustorum.* Vltimò tandem, hæc sententia est magis pia, & commendat diuinam iustitiam, & misericordiam, & contraria retardaret à bono opere ob rigorem, si omnia opera peccatorum essent mortua quantùm ad effectum satisfactionis.

Status peccati non tollit potestatẽ satisfaciẽdi pro pœna temporali.

Augustin.

Quarta conclusio.

Quarta conclusio est iustum posse pro suo peccato veniali satisfacere de condigno. Sequitur ex dictis, quia nihil omnino deficit: ergo, &c. Hæc est communior sententia.

52 *Deleri per Sacramentalia.*

Quinta conclusio. Venialia delentur per Sacramentalia, & idem dicendum in susceptione Sacramentorum digna; quæ est opinio D. Thomæ *3. part. quæst.* 87. *art. 3.* quam tenent Soto *in 4. dist.* 15. *quæst.* 2. Ledesma 4. 1. *part. quæst.* 28. *art.* 3. Id verum esse docet Trident. *sess.* 14. *Can.* 2. de extrema vnctione, *& cap.* 2. Et idem de aliis docent moderni, quamuis varient in modo, nam quidam tenent ex opere operato dimitti per omnia: alij per motum dilectionis, aut contritionis, quem indignè sumentibus excitant Sacramenta, vt Eucharistia. Docent idem D. Thomas *3. part. quæst.* 79. *art.* 4. D. Bonauent. *dist.* 12. *part.* 2. *dist.* 1. *quæst.* 3. Conclusio quoad primam partem est eorum, quos in præcedenti citauimus: eam negat Vasquez *art.* 3. *dub.* 1. citans Richardum, Durandum, Petrum à Soto.

Pro intellectione conclusionis nota Sacramentalia in genere vocari ritus, quos in administratione Sacramentorum instituit, & obseruat Ecclesia: de quibus *Can.* 13. Tridentin. *sess.* 7. *de Sacrament. in genere.* Alia tamen magis specialiter dicuntur Sacramentalia, quæ ad vanos effectus instituit Ecclesia, qui eorum effectus ex orationibus, quibus ipsæ ad eum vsum applicantur, & consecrantur ab Ecclesia, colligi debent. Communiter dicuntur septem, & hoc versiculo continentur. *Sacramẽtalia in genere. Eadem in specie. Sunt septem.*

Orans, tinctus, edens confessus, dans benedicens.

Orans, id est, oratio Dominica *ex Capitulo Si quotidianis,* &c. *Tinctus,* id est, aqua benedicta, *de consd. d. 3. cap. aquam edens,* id est, communicans, vt vult Sotus *ex cap. cùm omne crimen, de consecrat. d.* 2. interpretatur tamen Paludanus de pane benedicto, qui distribuitur in Dominica populo. *Confessus,* id est, Generali confessione, vt vult Paludanus, & Sotus ad hunc effectum referens institutam ab Ecclesia vt in Prima, Missa, & Completorio dicatur. *Dans,* id est, eleemosynam *cap. Medicinam, de pœnit. d. 1. & cap. Quamobrem. Benedicens,* id est, benedictio Episcopalis. His annumerantur alia, vt tunsio pectoris cùm oramus, *cap. Tres sunt autem, &c. de pœnit.* 1. Et Augustin *de medicina pœnitentia cap. 2. lib.* 50. *Homiliarum homil. vltima cap.* 9. *Epistola* 108. Addit etiam Paludanus sumptionem cuiusque Sacramenti, vnctionem Regum, Episcoporum. *Oratio Dominica. Aqua benedicta. Panis benedictus. Confessio generalis. Eleemosyna. Benedictio Episcopalis. Tunsio pectoris additur. Alij adduntur.*

53 *Probatio. Augustin.*

Probatur conclusio ex interpretatione, & vsu Ecclesiæ. Talem esse affirmat Sotus. Specialiter probatur de oratione Dominica ex Augustino in *Enchiridio cap.* 71. quem citat Magister *in 4. dist.* 16. Tolet. IV. *cap.* 9. Iuo *in suo decreto, De quotidianis, breuioribus, leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit; eorum est enim dicere, Pater noster, qui es in cœlis,* &c. *delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata delet, &c. Idem docet quoad pœnam peccatorum.* Respondet Vasquez id intelligi mediante motu contritionis, cui remissio debetur, ad quem excitat ipsa oratio. Sed hæc glossa est imaginaria, si remissio datur contritioni: ergo oratio non debet, neque talis effectus specialis huic adscribi debet magis quàm aliis orationibus, ex quibus excitari potest contritio: v. g. *Miserere mei Deus, &c.* Et sic de aliis pœnitentialibus. Deinde non contritioni, sed huic petitioni. *Dimitte nobis debita nostra,* talis effectus tribuitur. *Si,* inquit, *quemadmodum veraciter dicitur, dimitte nobis debita nostra,* &c. *ita veraciter dicatur, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* &c. Concilium Mileuitanum, ni fallor *cap. vltimo,* idem docet, sicut & reliqua Africana probantia contra Pelagium, neminem immunem esse à peccato: quod fusiùs Augustinus *de peccatorum meritis & remissione*

Responsio Vasquez. Impugnatur.

ſione proſequitur argumento orationis Dominicæ, & ex aliis Scripturis. Hoc enim maximè vrgebant contra hæreticos tolli orationem hanc, & fictè, non verè dici, ſi non eſſet peccatum in Sanctis. Quoad alia Sacramentalia patet concluſio ex Canonibus citatis, & vſu Eccleſiæ. Ex quo patet ad oppoſitam rationem (dicit enim præfatus Sacramentalia habere alios effectus à remiſſione venialis.) Reſpondetur hoc non obſtare, cùm illum etiam habeat. Hæc confirmant quæ dicta ſunt prima concluſione.

54 Difficultas eſt an requiratur aliquis motus ex parte noſtra, ſeu quædam diſpoſitio ad illum effectum.

An requiratur bonus motus?

Reſpondet Vaſquez totum effectum dari ex efficacia motus contritionis.

Requiri fidem & cultum.

Reſpondeo requiri vt nobis, mediante fide noſtra, & cultu religionis applicentur, quia cæremoniæ, quarum vſus debet eſſe religioſus, & humano modo, ideò in amentibus, aut dormientibus fortè non habent effectum talem, licèt in infantibus habeant alios effectus, vt fugandi dæmones, & ſimilia. Alia difficultas eſt, an ex opere operato, vel ex opere operantis dent remiſſionem venialis. Quæſtio eſt de nomine, quia ſi illud dicatur ex opere operato, quod confertur non ſolùm intuitu operantis, ſed alterius, ſic dici poſſunt ex opere operato cauſare, quia habent efficaciam, quatenus ſanctitas Eccleſiæ ipſis applicatur mediantibus orationibus, quibus hunc effectum ipſis impetrat à ſponſo. Si verò dicatur ex opere operato illud, quod de condigno & infallibiliter ex meritis alterius datur, vel operatur, tunc Sacramentalia non cauſant ex opere operato, quia tantùm impetrat Eccleſia, non meretur de condigno.

An ex opere operato cauſent. Quæſtio de nomine.

55 i *Ad propoſitum opera iſtius*, &c. Hìc tractat de remiſſione venialis; de quo aliàs in vita, neque pœnitentia, neque alia opera ſatisfactoria, aut media in finem remiſſionis fuerunt applicata, & ideò manet vſque ad inſtans mortis.

De remiſſione venialiũ, quæ vſque ad mortem durant.

Reſpondet ergo remitti à Deo intuitu operrum bonorum, ſeu meritorum, quæ is aliàs habuit in vita, eáque opera ad eum finem à Deo acceptari. Ratio Doctoris eſt, quia cauſa impedibilis ſublato impedimento habet hunc effectum: ſed merita iſtius, ſi non eſſent impedita in vita, eſſent ſufficientia ad deletionem venialium: ergo in morte, ſublato illo impedimento, ſunt efficacia ad hunc effectum. Declaratur hæc ratio. Opera in vita facta, ſi offerrentur ad ſatisfactionem venialis peccati ab ipſo operante, haberent illum effectum remiſſionis, & ideò non habuerunt, quia defuit oblatio, defuit conſequenter diuina acceptatio, quæ ad effectum remiſſionis peccati viatoris exigit ſatisfactionem, aut aliquid æquiualens. Hæc ſunt impedimenta, quæ intendit Doctor. Accedit & aliud, nempe complacentia, aut perſeuerantia habitualis, & interpretatiua in peccato veniali commiſſo, ſuppoſito quòd non fuerit aliàs retractatum per pœnitentiam, aut alia opera æquiualentia, aut media, quibus remittitur in via, & hoc eſt quod intendit Doctor per illa verba: *Si ſemper actu manet in peccato veniali*, &c. Non enim intelligit de actu complacentiæ actualis, ſed de permanentia in peccato habituali, quod commiſit, & pro quo non ſatisfecit: ideóque infrà, §. *Ex hoc ſequuntur duo*, excipit à remiſſione in inſtanti mortis caſum, quo moriens actu continuet veniale, aut in eo complaceat: *Niſi*, inquit, *continuet actum peccati venialis vſque ad mortem, vel ad inſtans mortis*, &c.

Reſponſio. Dimitti intuitu meritorũ quæ alias in vita habuit. Probatio.

Declaratur.

Impedientia remiſſionẽ venialis in vita.

Manere ergo actu in peccato veniali, intelligit hìc modo dicto, id eſt, in habituali. Impedimentum ergo eſt non retractaſſe aliàs peccatum, quod requirit lex in viatore ad effectum remiſſionis, vel quod Deus non acceptarit opera, aut alia media, vt Sacramenta ad illum effectum; ſed in morte ceſſat hoc impedimentum, quia merita adiuncta perſeuerantiæ finali tribuunt vltimum, & completum ius ad gloriam; quod ius aliàs fuit remotum, & ſuſpenſum donec poneretur conditio, à qua dependebat, nempe perſeuerantia finalis: quia, *Qui perſeuerabit vſque in finem, hic ſaluus erit*: ſicut ergo addita perſeuerantia finali completur noſtra iuſtitia reſpectiuè ad gloriam, ſic etiam opera accipiunt valorem tollendi huius impedimenti, quod eſt ex peccato habituali, ita vt ipſorum intuitu remittatur: non ita autem tollunt debitum pœnæ, quia ex lege manet purgatio facienda in altera vita pro pœna non ſatisfacta: non ſic medium ſatisfaciendi pro peccato. Hic autem modus remittendi peccati eſt conueniens tam iuſtitiæ diuinæ, quàm miſericordiæ: quia peccata remittuntur ob aliquam ſatisfactionem, ſaltem Chriſti; eandem autem operationem habent opera facta in Chriſto, & acceptata ad gloriam addita perſeuerantia finali, vt etiam per modum ſatisfactionis acceptentur à Deo pro peccatis leuibus. 56

Merita iuſtorum addita perſeuerantia finali habent cõpletum ius ad gloriam. Tollunt impedimentum peccati.

Non pœna temporalis.

Cõgruitas huiuſmodi remiſſionis.

Addit rationem congruam: quia ſicut quodcumque opus meritorium etiam remiſſum meretur augmentum gratiæ, & gradum aliquem gloriæ; quamuis non tum datur gratiæ, quando fuit elicitum ipſum opus (vt ſupponit cum communi antiquorum: de quo agemus *in diſt. ſequenti artic. 2.*) ſed in vltimo inſtanti ob merita dandum reſeruat Deus; ita etiam congruum eſt, vt tribuat remiſſionem peccatorum venialium meritis præteritis, tanquam præmium quoddam minùs principale. 57

Congruitas probatur.

Dices, dari illam gratiam ob tentationes, & pericula illius tranſitus, & ſic rationabiliter dari quoniam debetur, & eſt neceſſitas, non hìc autem remiſſionis venialium inuenitur opportunum motiuum.

Obiectio.

Reſpondet in inſtanti mortis animam eſſe in termino, & ſeparatam, ac proinde non ſubeſſe tentationibus: ergo motiuum eſt tantùm retributio pro operibus: ſed idem etiam motiuum in propoſito habetur: quia vt dictum eſt, merita, quæ habent ius completum ad gloriam, etiam habent proportionem medij ad ſeparationem huius impedimenti, quod neceſſariò in virtute alicuius cauſæ tolli debet etiam meritoriæ; neque aliàs eſt improportio ex parte operum bonorum, vt eorum intuitu deleretur.

Reſponſio.

Contra prædictam reſolutionem Doctoris vrget Almainus, & Vaſquez caſum, in quo quis non habeat vlla merita, ſed ſolam iuſtitiam Baptiſmalem cum peccato veniali. 58

Obiectio ex caſu non meritorum.

Reſpondetur Doctoris reſolutionem eſſe iuxta regularem, & ordinarium curſum, non in eo caſu, qui fortè non contingit, & nec contingere poſſe docent ij, qui in primo inſtanti vſus rationis dicunt hominem obligari ad perfectam in Deum conuerſionem, qua ſententia ſuppoſita

Reſponſio. Non admitti caſum regulariter.

sita, si aliàs baptizatus est infans, habet meritum aliquod: sed ad casum respondetur, remitti tunc veniale intuitu operum Christi, quia sicut gratia, & iustitia, quam habet talis, tantùm ei confertur intuitu operum Christi, ita etiam Christus meruit, vt impedimentum venialis peccati submoueatur: quando autem habet propria merita, sic acceptantur ad finem deletionis venialis peccati. Ex dictis etiã habet responsum Suarez, interrogans quare ob illa opera in vita non dimittitur veniale, & patebit ex sequentibus.

Responsio ad casum, remitti veniale in virtute operum Christi.

Obiectio Suarez.

Alensis 4. *p. q.* 5. *memb.* 3. *art.* 3. asserit veniale remitti ex efficacia ipsius gratiæ in instanti separationis animæ.

Sententia Alensis.

Contrà, peccatum veniale non dicit repugnantiam ad gratiam, nisi accedat aliqua specialis Dei voluntas. Deinde, peccatum personale ex lege dicit ordinem ad opera ipsius personæ, seu satisfactionem, vel certè ad satisfactionem Christi, neque extenditur efficacia gratiæ ad illud, ad quod non extenditur efficacia operum, siue per modum dispositionis, siue per modum meriti. Videtur ergo magis congruum interpretari remissionem venialis fieri ex lege intuitu alicuius satisfactionis.

Impugnatur.

59 Dices: opera iusti non habent rationem satisfactionis, nisi offerantur ab ipso, vel certè acceptentur ab eo, si Deus infligat aliquam pœnam in vindictam.

Obiectio.

Respondetur id verum esse in statu viatoris; sed in termino posse habere rationem satisfactionis acceptatæ à Deo, quia eo ipso, quo opera illa fuerint facta in iustitia ad finem gloriæ consequendæ, ita etiam implicitè fuerunt oblata ad summouenda impedimenta, licèt hæc oblatio non sufficiat in vita, saltem quando non est ampliùs locus satisfactioni pro peccato, congruum est diuinæ bonitati, vt ea acceptet.

Soluitur.

Richardus *in præsenti distinct. artic.* 2. Paludanus *quæst.* 1. *art.* 1. *conclus.* 3. Durandus, Maior, Almainus, quos sequuntur Suarez, & Vasquez: dicunt quidem remitti venialia in instanti separationis animæ per actum contritionis, quem habet post separationem: sed hoc, inquit Doctor, non est consonum doctrinæ Theologicæ, quæ ponit statum illum à merito, & immerito immunem: in re namque obscura magis recurrendum est ad regulas generales, & modum remissionis secundùm legem ordinariam, quæ respicit opera viatoris, aut certè Christi, quàm aliquid statuendum contra legem, quæ non admittit meritum de condigno alterius vitæ.

Sententia Richardi, & aliorum.

60 Sed petes quid cogit dicere peccatum veniale remitti in instanti separationis animæ, seu in altera vita?

Dubium.

Respondetur ex ratione hoc teneri, quia non repugnat iustitiæ habituali, vt dictum est, neque remittitur sine pœnitentia formali, virtuali, aut æquiualenti satisfactione: ideò remissio eius in instans mortis reseruatur, & post vitam.

Resolutio. Veniale cur remittitur post vitam.

Hoc probatur à Magistro per locum illum: *Qui peccauerit in Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro*, Matth. 12. quod est argumentum Doctoris pro opposito quæstionis præsentis. Quod & sic explicat de venialibus Philipp. Presbyter *in Iob* 12. Hic fuit suppar, aut contemporaneus Augustino. Gregorius Magnus *lib.* 4. *Decalogi, c.* 39. *In qua sententia*, inquit, *datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari; quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.* Isidorus Hispalensis *de officijs Ecclesiasticis lib. cap.* 18. Idem Beda in Lucæ c. 2. *Ipse vos baptizabit*: sed & expresè *in commentario huius loci.* Augustin. *lib.* 21. *de Ciuitate, c.* 24. *& lib.* 6. *contra Iulianum, c.* 5. Bernardus *serm.* 16. *in Cantic.* Christianus Druthmarus *in Matth. c.* 34. Rabanus Maurus *ad cap.* 12. *lib.* 2. *Machabæorum.* Petrus Cluniacensis *epist. ad Arelatensem Episcopum*, quæ expositio deridetur à Nouatoribus: sed in proprium detrimentum.

Magister tenet.

Philippus Presbyter.

Ad argumenta. Ad primum, &c. Hæc responsio est clara, & patet ex dictis. Hîc obiter admonendum est ea quæ docuit *suprà dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. & deinceps per varia loca obiter de peccato (nempe post actum præteritum manere tantùm debitum pœnæ, aut simul priuationem gratiæ, si peccatum est mortale) vsque ad quæstionem præsentem fuisse secundùm opinionem aliorum, quam ipse probabiliter tenuit hactenus vsque ad §. *Si iste modus non placet*, &c. Vnde in responsionibus ad primum, secundum, & tertium, quibus hîc satisfacit, respondet secundùm vtramque opinionem, quam insinuat esse aliorum, vt patet ex litera. 61

Ad argumenta.

De peccato habituali Doctor secutus est opinionem aliorum.

Ad secundum patet responsio in textu. Ad probationem consequentiæ assignat Doctor duplicem cõsiderationem peccati: aliam moralem, & Philosophicam, quæ est ex oppositione, quam habet ad regulam proximam, & rectitudinem virtutis ex genere: aliam Theologicam, quæ conuenit ei, vt includit rationem offensæ, opponitur fini supernaturali, & amicitiæ diuinæ, & sic dicit quòd mortale, & veniale conueniunt, vt opponuntur bonitati in genere, seu morali, & Philosophica, vt alij vocant, & sint eiusdem generis: tamen vt considerantur theologicè per principia reuelata, & in ratione offensæ diuinæ, non esse eiusdem generis. Hîc disseri posset an possit tolli ratio offensæ à peccato mortali ex ignorantia inuincibili Dei per possibile, vel impossibile, ita vt peccatum non esset graue, si ratio offensæ, seu oppositio ad charitatem & finem supernaturalem esset ab eo separabilis, & an præcisè hæc differentia sit ex offensa Dei: sed quæstio magis spectat ad materiam de peccatis, quam illuc remittimus, supponẽdo de facto non esse separabilem rationem offensæ à peccato mortali; posset etiam tractari alia quæstio, cuius veritas hîc supponitur, nẽpe veniale dari ex natura rei tale contra Nouatores: quam etiã in prædictum locũ remittimus, & in aliã occasionem.

Ad secũdum. Differẽtia venialis, & mortalis. Peccatũ quoad malitiam ex genere, & Philosophicũ. Quoad malitiam offensæ, Theologicam.

In responsione ad tertium optimè assignat rationem, & disparitatẽ inter Angelum dãnatum, seu decedentem in mortali ex vna parte, & iustum morientem cum venialibus: quia licèt hic sit in termino viæ per mortẽ, & in statu non merendi, aut demerendi: tamen est in via respectiuè ad vltimum terminum, donec purgetur, quia pœna temporalis debita eum retardat à gloria, quæ est terminus iustorũ, qui habent vitam spiritualem; decedens verò in mortali nihil eum retardat à sententia debita damnationis secundùm legem ordinariam; & sic est par Angelis, qui per peccatum facti sunt in termino; peccatum enim veniale non est illud, secundùm quod attenditur status primarius, & præfixus viæ, aut termini, sed per accidens tantùm se habet, licèt etiam ordinetur per dignam pœnam: quod etiam addit, patet ex iis, quæ docet Tridentinum *sess.* 14. *c.* 9. 62

Ad tertium. Differentia status inter Angelũ damnatũ, & peccatorem viatorem.

Status non attẽditur per se ex veniali.

QVÆ

QVÆSTIO II.

Vtrùm confessor in quocunque casu teneatur celare peccatum sibi in confeßione detectum?

Alens.4. *part.quæst.*78. *memb.*2. *per quatuor articulos.* D.Thom.*suppl.quæst.*11.*art.*5. *& hic quæst.*3.*art.*1. D.Bonauent. 2.*part. art.*2. *qu.*3. *hic art.*4.*quæst.*2. Suar. *tom.*4. *disp.*33. *&* 34. Durand. *hic quæst.*4. Bassol. *quæst.* 2. *qui duo impugnant fundamentum* D. Thom. Sotus *dist.*18. *quæst.*4. *art.*5. *& de teg. secreto,memb.*3. *quæst.*4. Nauar. *cap. Sacerdos, de pœn.dist.*6. *num.*42.Medina *Cod. de confess. quæst.*50. Canonistæ *in c.* Omnis vtriusque,*de pœnit. & remis.*

1 *Argum.*1. SECVNDÒ quæro, [a] Vtrùm confessor in quocunque casu teneatur celare peccatum sibi in confessione detectum? Videtur quòd non, quia licitum est vnicuique renuntiare iuri suo: ergo confitenti, cùm ius suum sit peccatum suum celari,licet huic iuri renuntiare,licentiando confessorem, vt non teneatur illud celare.

*Argum.*2. Item Bernardus de præcepto & dispensatione lib. 4. *Quod est institutum propter charitatem, non debet contra charitatem militare*: sed celatio peccati confessi in aliquo casu militaret contra charitatem: ergo, &c. Probatio minoris; quandocunque peccatum confessum esset contra bonum commune, vt pote crimen hæresis, vel proditio Reipublicæ, & maximè si ex confessione perciperetur istud non tantùm esse factum, sed faciendum; videtur contra charitatem esse contemnere bonum commune propter bonum aliquod personæ priuatæ.

*Argum.*3. Item, aliqui condixerunt interficere Sacerdotem in tali nemore, qui Sacerdos cum eis est viator: vnus ante ingressum nemoris pœnitet, & confitetur eidem Sacerdoti hoc peccatum; iste Sacerdos, aliis non pœnitentibus, non tenetur se exponere morti sine causa: ergo nec ingredi nemus, sed non ingrediendo reuelat facto aliis sociis confessionem illius confessi (non enim diuerteret ab eorum societate, nisi iste fuisset confessus)ergo in isto facto, & consimilibus, licet reuelare confessionem.

2 *Argum.*4. Item, Sacerdos de facto absoluit aliquem Episcopum simoniacum, quod non potest de iure; iste Sacerdos tenetur confiteri, & in speciali de isto peccato, & sic circunstantionato, quia est mortale, & istæ circunstantiæ aggrauant: sed sic confitendo, reuelat peccatum Episcopi illius simoniaci: ergo, &c.

*Argum.*5. Item, licitum est reuelare, quod non est peccatum, nec circunstantia peccati; sed talis est persona cum qua confitens peccauit, pone quia hæc, vel illa non sit circunstantia aggrauans.

*Argum.*6. Item Abbas habens monachum in loco pertinente ad monasterium suum,scit eum per confessionem in loco illo peccasse, & habere societatem ibi suspectam, per quam semper allicitur ad peccandum; videtur quòd possit consulere saluti animæ suæ: ergo potest eum amouere ab illa cura, vel ab huiusmodi officio, vt non habeat occasionem huiusmodi peccandi; sed amouendo eum facto reuelat confessionem, quia facit tale factum, quod non faceret, si iste non fuisset sibi confessus, per quod etiam alij possunt in notitiam peccati illius venire, saltem in vniuersali.

3 *Argum.* 7. Item, Extra. de sent. excom. c. Cùm non ab homine: *A communione eius, qui pro iniectione manuum in clericum in edictum excommunicationis incidit, debes abstinere, nisi fortè tibi soli illud pateret, in quo casu ipsum priuatim tantùm vitabis*, & sequitur; *vt saltem rubore verecundiæ suffusus pro latenti excessu satisfacere compellatur.* Ex hoc habetur, vt videtur, quòd si in secreto, vel per confessionem scio istum incidisse in sententiam excommunicationis, debeo eum priuatim vitare, vt sit confusus: ergo propter confessionem licet alicui confusionem inferre: ergo pari ratione, & confessionem reuelare.

Ratio opp. Pœna Sacerdotis reuelantis cõfessionem. Contrà, de pœnit. dist.6. cap.Sacerdos, & in littera. *Sacerdos ante omnia caueat, ne de eis, quæ ei confitentur peccata eorum alicui recitet*, & sequitur pœna, *nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ peregrinando ignominiosus pergat.* Item, de pœnit.& remis. Extrà *Omnis vtriusque sexus. Caueat omnino ne verbo vel signo, aut alio quouis modo prodat peccatorem.* Et sequitur: *Si peccatum sibi detectum præsumpserit reuelare, non solùm à Sacerdotali officio decreuimus deponendum; verùm ad agendum strictißimam pœnitentiam in arctißimum monasterium detrudendum.*

COM

COMMENTARIVS.

a SEcundò quæro, vtrùm confessor, &c. Hæc est secunda pars huius distinctionis in quo Magister agit de sigillo confessionis.

SCHOLIVM.

Ponit quinque conclusiones. Prima, Iuris naturæ est celare peccata in confessione audita. Ratio huius non est, quia tunc confessor mentiretur, vt putat Rich. quem latè & clarè impugnat Doctor, ostendens Sacerdotem nomine proprio absoluere, audire, & cognoscere peccata pœnitentis.

IN ista [b] quæstione hæc sit prima conclusio. Quòd celare peccatum in confessione detectum tenetur Sacerdos de lege naturæ. Secunda, quòd ad hoc etiam tenetur de lege Dei positiua. Tertia, quòd ad illud tenetur de lege positiua Ecclesiæ. Quarta quando & qualiter tenetur, & de aliis circunstantiis pertinentibus. Quinta, de aliis secretis, vel sub secreto alicui detectis. *4 Respōsio per 5. concl.*

Prima probatur sic; eadem persona verè affirmare potest aliquid in persona alterius loquens quod verè negat in persona propria loquens. Probatio, Angelus loquens Moysi in persona Dei, verè dixit, *Ego sum Dominus Deus tuus*, Exod. 20. quod verè negasset in persona propria loquens: ergo à simili homo repræsentans personam Dei in foro confessionis verè potest aliquid affirmare, quod extra illum forum potest negare verè, quando loquitur in persona propria: ergo extra forum dicens illa se audisse, vel scire, mentitur, quia ad notitiam eius non venit, nisi inquantùm repræsentabat personam Dei: sed vitare mendacium est de Iure naturæ, & maximè mendacium perniciosum: ergo, &c. *Ric. præsenti dist. ar. 4. quæst. 1. Exod. 20.*

Contra rationem istam arguo primò sic. Eiusdem, & vt eiusdem in persona, est cognoscere in causa, & sententiare de ea: hæc est manifesta, quia ad hoc cognoscit iste, & vt iste, vt rectè sententiet: sed Sacerdos non in persona Dei sententiat absoluendo confitentem, sed in persona propria: igitur & sic audit & cognoscit. Probatio minoris, non absoluit principaliter, sed tantùm ministerialiter: absoluere autem ministerialiter sibi non competit, nisi in persona propria: si enim in persona Dei loqueretur absoluendo confitentem, verè posset dicere sine prece præuia (quæ est, *Dominus te absoluat*) ego te principaliter absoluo, & gratiam infundo, sicut Angelus verè dixit in persona Dei: *Ego te eduxi de AEgypto.* *5 Sacerdos in propria persona absoluit, & audit peccata.*

Item, non magis audit, vel absoluit Sacerdos in foro confessionis, in persona Dei, quàm conficiat Eucharistiam in persona eius: quia æquè excellens est actus iste, sicut ille, & actus Sacramentalis, in quo operatur virtus diuina, sicut hîc: imò videtur ibi plus agere in persona Dei, vel Christi, quàm hîc. Ibi enim profert verba Christi, *corpus meum*, & in persona Christi, de quo præmisit: *Qui pridie quàm pateretur*, &c. Ita quòd totum illud: *Accipite*, &c. *Hoc est corpus meum*, dicit ipse recitando verba Christi, non sic in proposito. Vnde non præmittit hîc, Christus volens absoluere peccatorem dixit sic: *Ego te absoluo*, sed ly *ego* stat hîc pro persona ministri. Ex hoc ergo patet quòd magis, vel non minùs conficit in persona Christi, quàm absoluat, vel audiat confessiones in persona Christi: sed conficit in persona propria (vnde non mentitur post Missam dicens: ego scio me hodie consecrasse.) igitur & hîc. *Sacerdos nō minus absoluit, quàm conficit in persona propria.*

Item, secundùm istum eundem, & veritatem, vt posteà probabitur, licet peccata in confessione detecta in vniuersali dicere, & in particulari non relata ad personam confitentem. Hoc etiam probatur per illud *Extrà de pœnit. & remiss. cap. Officij*, vbi Innocentius III. respondet cuidam Cardinali legato, qui scripsit casum, quem audierat in confessione, & petiit consilium: Papa non redarguit eum de reuelatione illa in vniuersali etiam per scripturam, sed respondit qualiter sit tali personæ confitenti consulendum. *6 Rich. vbi suprà q. 2.*

Hoc etiam patet ex communi vsu confessorum. Siue enim in communi sermone, siue in prædicatione, aliquando dicunt, talis casus contigit, aliqua persona sic, & sic peccauit. Habetur igitur illa propositio, quòd confessor potest licitè extra confessionem dicere peccatū sibi confessum: ita tamen quòd nullo modo relatum ad personam confitentem, vt possit deueniri ad notitiam eius. Sed si prædicta ratio valeret, hoc non liceret, quia mentiretur. Probatio, quia nesciens particularem, nisi pro determinato singulari, si nesciat singulare, nescit particulare: sed iste nescit aliquam personam tale *Licet dicere peccata in confessione audita modo non inde detegatur pœnitens.*

tale peccatum fecisse, nisi pro hac persona sibi confessa, & hoc peccato sibi confesso: igitur si mentiretur de hoc, & de hac, quia nesciens consimiliter, & de alio, & de alia. Concedo istas rationes, quòd reuelatio non est contra legem naturæ, propter hoc, quòd reuelans mentiatur, & per consequens illam primam rationem non teneo.

7 *Loqui in persona alterius, & auctoritate eius differunt.*

Respondeo [c] igitur ad eam, quòd non est idem loqui in persona alicuius, & loqui auctoritate illius, siue vt minister illius. Communiter enim loquens in persona alicuius, prætendit simpliciter personam eius, vt est communiter in istis iocosè simulantibus aliquos. Iste enim simulat istum balbutientem, vel talem in tali actu, & iste propriè dicendo, sicut ille diceret in persona illius, loquitur, vel facit tale factum: & ideò quàm citò deficit à faciendo sicut ille faceret, aut dicendo, sicut diceret; dicitur sibi, tu mentiris, vel tu deficis, quamuis tunc faciat, vel loquatur more suo proprio. Hoc modo est de locutionibus Angelorum in persona Dei. Non sic Sacerdos audit confessiones, vel absoluit in persona Dei: sed tantùm est minister Dei in illo actu, & vt minister agit: & si vt minister, ergo in persona propria.

Minister agit in persona propria, sed auctoritate aliena.

Concedo igitur, quòd iste, si audiret in persona Dei, & loqueretur in persona Dei, posset illud veraciter dicere, quod in persona propria non posset. Nam in persona Dei hoc verè diceret, *Ego sum Deus: ego creaui mundum*, &c. sed in persona propria sic loquens mentiretur: sed Sacerdos in confessione nec audit, nec loquitur in persona Dei, sed in persona propria, licèt auctoritate Dei, vt eius minister. Eodem modo in aliis Sacramentis; vnde vt minister Dei baptizat, & consecrat, &c. & tamen vt homo, siue in persona propria scit se baptizasse, & sine mendacio potest dicere se baptizasse.

COMMENTARIVS.

1 *De sigillo confessionis.*

IN *ista quæstione*, &c. Subiicit Doctor quinque conclusiones, quas suo ordine probat teneri confessarium ad sigillum omnes Catholici Doctores docent, éstque de fide.

Prima conclusio, esse iuris naturalis. Ratio Richardi fundatur in obligatione non mentiendi.

Prima conclusio Doctoris, hanc obligationem esse legis naturalis; adducit probationem Richardi, qui hanc obligationem adducit ad præceptum non mentiendi, quod est iuris naturalis: Sacerdos enim in persona Dei audit confessionem in hoc foro: si autem extra forum, in quo gerit personam Dei, dicat se audiuisse, mentitur, quia non in persona propria audiuit quod in persona propria exponit se audiuisse.

Impugnatur. Verè dicit Sacerdos se absoluisse ex potestate clauium.

Hanc rationem impugnat Doctor in hoc paragrapho quatuor rationibus. Primò, ex potestate clauium, quæ commissa est confessario, vt cognoscat, & decernat in hac causa peccatoris, & hoc in persona propria. Hæc ratio patet ex iis quæ dicta sunt de clauibus, & iurisdictione Confessarij in persona propria. Secunda ratio, quia conficit Eucharistiam in persona Christi, quia formam profert in persona Christi, vt aliàs visum est *in prima parte huius Commenti, dist.* 8. *q.* 2. tamen sine mendacio post consecrationem dicit se confecisse: ergo à fortiori se absoluisse à peccatis post Sacramenti ministerium, quia formam profert in persona propria, *absoluo te*, &c. sicut & confessionem excepit in persona propria; hæc ratio ab omnibus admittitur. Tertia ratio est ad hominem: quia concedit Richardus, & omnes secundùm veritatem, posse dici peccata in confessione audita, non reuelando personam ex rationabili causa, & sine mendacio, vt probat *extrà de pœnitentiis & remissionibus, c. officij.* Quarta ratio est ex communi praxi confessorum. Tandem concludit, si ratio Richardi valeret committi in his casibus mendacium, quod est falsum; & probat optimè, quia nesciens particularem, nisi pro determinata, & singulari persona, si nesciat singularem, nescit particularem; potest enim aliquis particularem scire pro indeterminato supposito, vt aliquem hominem currere, quamuis nesciat an sit Petrus: vnde in eo casu affirmans aliquem currere non mentitur; si tamen nesciat vllum currere & affirmet, mentitur. Veritas ergo dicti à Confessore fundatur tantùm in cognitione particularis pœnitentis; à quo tantùm audiuit illud peccatum quod dicit, non reuelata persona, cum hoc tamen stat eum non mentiri: ergo, &c.

Secunda ratio. Verè dicit se consecrasse.

Absoluit in persona propria.

Tertia ratio. Posse dici sine mēdacio peccata confessa non reuelata persona.

Quarta ratio.

Confessorē dicentem peccata audita non mentiri.

c *Respondeo igitur ad eam*, &c. Supple ad rationem Richardi, aliud esse loqui in persona alterius; aliud verò loqui per potestatem receptam ab altero. Priori modo loquens assumit personam, & verba alterius, vt fit in Comœdiis, sic etiam compatrinus loquitur in persona infantis, quem suscipit ad Baptismum, quando baptizans dicit, *renuncias Satanæ*? & ille in persona infantis dicit, *renuntio*; sic Angelus in persona Dei loquebatur *in Exodo, cap.* 20. Hoc modo qui responderet in persona propria mentirètur, seu deficeret à vera repræsentatione. Absoluens autem in persona propria per potestatem receptam ab alio loquitur, & ideò non mentitur, quam solutionē sequitur Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 5. & communiter recentiores. Hanc rationem mutuare videtur Richardus ab Alensi, & D. Bonauentura: eam ad magis congruum sensum reducit D. Thomas *in hac distinctione*, quia ex significatione Sacramenti sequitur hoc secretum; absolutio enim Sacerdotis est signum absolutionis à peccato per causam principalem, nempe Deum: Deus autem ita remittit peccata, vt ea tegat, & obliuioni tradat; ergo etiam ad idem tenetur Sacerdos: quia pœnitens ita se summittit Sacerdoti, vt principaliùs se summittat Deo, cuius minister est Sacerdos. Hanc rationem impugnat Durandus, eámque non sufficienter probare dicunt quidam moderni: quia sigillum non est significatum sacramentale. Nescio tamen vnde Suarez *disput.* 33. *sect.* 1. dicat eam impugnari à nostro Doctore, cùm rationes eius agant contra Richardum, & nihil de hac ratione agat. Ratio tamen illa D. Thomæ est

2 *Soluitur. Ratio Richardi.*

Absoluēs per potestatē receptam, etiam in persona propria absoluit.

Impugnant aliqui sic explicatam.

Sustinetur ratio D. Thomæ.

est congrua, quamuis enim sigillum non sit significatum practicum & Sacramentale: tamen à posteriori colligitur ex natura huius fori secreti, ex parte Dei, & pœnitentis oriri sigillum: quia causa ministerialis, & instrumentalis debet conformare se causæ principali quoad cognitionem causæ, & sententiam, & materiam subiectam: ergo si Deus ita delet peccata in hoc Sacramento, vt velit esse tecta, & quasi oblita, neque aliter submittit pœnitens se Sacerdoti in confessione peccati, nisi vt principalius submittit se Deo, & consequenter Ministro, vt agit conformiter ad Deum causam principalem, sequitur sicut Deus vult peccata esse tecta, ita etiam conformari debere Ministrum in hoc ad tegendum peccata confessa ex parte sui, ideóque *suprà d.* 17. contra Suarem & alios modernos cum Doctore defendimus confessionem peccatorum occultorum debere regulariter, & per se esse secretam, & nō publicam, imò rarissimè contingere posse, vt fiat publicè sine peccato, quia institutio diuina principaliter respicit confessionem secretam, ídque ex natura sigilli, & præcepto peculiari diuino, ex quo oritur in hoc Sacramēto, colligitur.

Obligatio sigilli ex natura fori.

Confessio debet esse secreta ex natura actus.

SCHOLIVM.

Celanda esse peccata in confessione audita Iure naturæ. Probat primò ratione charitatis, quam ad hoc ligare suadet auctoritate, & ratione. Secundò, ex fidelitate. Tertiò, ex veritate. Hæc virtus inclinat vt verba conformemus menti, ne mentiamur: illa, vt facta conformemus dictis, ne simus infideles, & fortè hæc non differt ab illa, sed est veritas in promissis. De quo 2. 2. *q.* 113. *Quartò, ratione vnitatis ad communem vtilitatem.*

8 TEneo [d] igitur primam conclusionem: appono tamen quatuor rationes alias. Quarum prima sumitur ex ratione charitatis. Secunda ex ratione fidelitatis. Tertia ex ratione veritatis, vel veracitatis. Quarta ex ratione vnitatis, vel mutuæ vtilitatis. Prima talis est, lex naturæ de charitate fraterna exprimitur Matthæi septimo: *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, hoc facite illis. Hoc est enim lex, & Prophetæ.* & Lucæ sexto, *Prout vultis, vt faciant homines vobis, & vos facite illis.* Sed sic intelligi debet illa propositio legis naturæ de charitate fraterna, *quæ vultis vobis*, id est, quæ debetis secundùm rectam rationem velle: & hoc intelligitur in illa propositione Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Sed quilibet debet diligere secundùm rectam rationem famam propriam: ergo & celationem peccati sui confessi, & per consequens confessor debet idem diligere, & velle ipsi confesso: sed reuelatio tolleret confesso famam: ergo, &c. Minor probatur per Scripturam Ecclesiastici quadragesimo primo, *Curam habe de bono nomine*, & reddit rationem de hoc; *hoc enim magis remanebit tibi, quàm mille thesauri magni, & pretiosi.* Probat etiam per aliud, subdens; *bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum.* Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.*

De fama bona.

9 Item per rationem probatur. Quilibet enim secundùm rectam rationem debet sibi velle vitam ciuilem: hoc autem tollitur per ablationem famæ, quia in hoc aliquis viuit vita ciuili, quòd idoneus est ad actus aliquos competentes sibi in illa ciuilitate: sed fama amissa, priuatus est habilitate ad tales actus, quia amisit statum dignitatis illæsæ, scilicet habilitatem ad actus, quibus aliàs dignus esset. Secunda pars minoris, scilicet quòd reuelatio peccati confessi tollit confesso huiusmodi famam, probatur, quia qua ratione potest vni reuelari & alteri, & sic omnibus: sed in tali reuelatione est manifestum, quòd status dignitatis illæsæ, quæ consistit in fama eius apud conciues, tollitur isti.

Infamis perdit vitā ciuilem.

Secunda ratio. Quilibet de lege naturæ tenetur seruare fidelitatem proximo suo, quam vellet, & deberet sibi velle seruare: sed committens secretum maximum alteri, vellet sibi seruari, & deberet velle sibi seruari, tanquam secretum: ergo alter cui committit, tenetur illud sibi seruare. Hęc ratio tangitur Prouerb. 11. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.*

Infidelis est qui reuelat arcana.

Prou. 11.

10 Tertia ratio. Quilibet ex lege naturæ tenetur seruare promissum licitum: sed recipiens secretum, maximè istud in confessione detectum, etsi non explicitè, tamen implicitè promittit se seruaturum, quia sine tali promisso saltem subintellecto, non committeretur sibi tale secretum: ergo, &c. Hæc ratio probatur, vel potest sumi ex illo verbo, *Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.*

Confessor implicitè promittit se celaturum peccata.

Zachar. 8.

Quarta ratio. In hoc communitas aliquam habet vnitatem proportionatam vnitati corporis, quia ibi est ordo Superioris, & inferioris: & tenetur Superior influere in inferiorem, & inferior subministrare superiori, iuxta illam parabolam Pauli de corpore mystico, & in naturali in diuersis locis: sed in ciuilitate inferior est minùs sufficiens, & minùs sciens, & in Ecclesia peccator inferior. Superior autem est Hierarcha, qui & potest consulere, & reconciliare: ergo de lege naturæ est, quòd nullus excludat inferiori recursum

Ad Rom. 7. *&* 12. *& primæ ad Corinth.* 6.

recursum ad Superiorem, quia hæc est communis vtilitas membrorum ad inuicem. Sed reuelatio secreti excludit talem recursum inferioris ad Superiorem in consilio animæ,& per consequens influentiam Superioris in inferiorem: quia nullus recurreret, si regulariter illud, de quo quærit consilium, vel remedium, non esset seruandum secretum: ergo eadem lege naturæ, qua tenetur quilibet ad seruandum vnitatem corporis Christi mystici,& ad communem vtilitatem aliis, sicut membris in corpore, tenetur celare secretum hoc.

COMMENTARIVS.

3 *Obligatio sigilli probatur.* d *TEneo igitur primam conclusionem*, &c. Hîc probat optimè primam conclusionem præmissam, probando hoc secretum esse iuris naturalis quatuor rationibus, quas sequuntur communiter reliqui posteriores. Prima est ex lege charitatis, *Ex lege charitatis.* Matth.7. *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, hoc facite illis*,&c. quilibet autem rationabiliter vult famam, per quam habet vitam ciuilem, qua priuatus redditur inhabilis ad vitam illam. Ergo,&c. Secunda ratio est ex *2. Ratio ex fidelitate.* lege fidelitatis seruanda proximo, *Prouerb.* 11. Tertia ratio ex obligatione promissi, vel expliciti, vel impliciti. *Zachar.* 8. Quod interuenit in proposito. *3. Ratio ex promisso.* Quarta ratio est ex vnitate corporis mystici *ad Roman.* 7. & 12. & 1. *ad Corinth.* 6. *4. Ratio ex vnitate corporis mystici.* in quo debet esse recursus inferioris ad Superiorem, quem impedit reuelatio secreti, & proinde tollit vnitatem inter inferiorem, & Superiorem in corpore mystico, vt benè probat in litera.

SCHOLIVM.

Secunda conclusio, lege diuina positiua celanda esse peccata accepta in confessione, probat triplici ratione. Tertia conclusio id ipsum cautum esse Iure canonico, ex ratione ad oppositum, & magis laudat Doctor, & meritò, pro pœnitentia, detrusionem in monasterium, quàm peregrinationem per mundum.

11 *Prob. concl. 2.* SEcunda conclusio [e], scilicet quòd tenetur lege diuina positiua, probatur primò sic. Quilibet Christianus tenetur non dare occasionem alteri, qua reuocetur à lege Christi; sed lex Christi est de confessione facienda, vt est ostensum *dist.* 17. igitur quilibet in lege Christi tenetur non retrahere aliquem à confessione facienda: sed reuelans confessionem occasione data, retrahit aliquos à confessione; ergo,&c.

Si dicas, etsi ille Sacerdos reuelat, tamen alius erit celator secreti; hoc nihil est, quia iste quantùm est ex genere operis sui, dat occasionem alteri cauendi eodem modo à singulis confessoribus.

Item secundò sic, Christus statuit arbitrium pœnitentiæ esse vltimum in terris quantùm ad illud crimen confessum; quod patet ex illo verbo Matth. 16. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, id est, finaliter, & vltimatè approbatum:& Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*,&c. supple in iudicio diuino finaliter remissa approbantur: ergo peccat contra legem Christi quicunque aliquid in isto foro discussum,& ibi finaliter terminatum deducit ad alium forum publicum: sed reuelans, quantùm in se est, facit, quod deduci possit ad alium forum: ergo, &c.

Tertiò sic, dans occasionem peccandi mortaliter exequendo præceptum Christi, peccat mortaliter; quia præceptum, quod esset debitè exequendum, iste quantùm in se est, facit indebitè exequi; sed reuelans confessionem dat occasionem indebitè exequendi Christi præceptum de confitendo, quia mendaciter: dat enim occasionem, vt aliquis confessione se ipsum laudet,& alium quem odit, vituperet; vt sic indignè à confessore promoueatur,& alius puniatur: ergo,&c.

12 *Prob. concl. 3.* Tertia conclusio, quòd est de Iure positiuo Ecclesiæ [f], celatio, &c. quæ patet ex allegatis ad oppositum. Inter quæ secundum fuit melius,& rationabilius: non enim expedit, quòd propter aliquod crimen fiat aliquis vagabundus, dum tamen aliquo modo eius mora communis, vel solitaria possit inter homines tolerari: quia vagabundus magis voluntati suæ malæ dimitteretur: & ita tam in se, quàm in aliis plus peccaret,& noceret, quàm si arctæ custodiæ manciparetur.

COMMENTARIVS.

4 *2. Conclusio Esse præcepti positiui diuini.* e *SEcunda conclusio*, &c. Hanc obligationem esse legis diuinæ positiuæ probat tribus rationibus. Prima est, quia ex natura reuelationis reuocarentur pœnitentis à confessione, quæ est in præcepto diuino; redderetur enim odiosa. *2. Ratio, quia fieret Sacramentum odiosum.* Ad hanc reducitur ratio illa, quam formant alij, nempe committi sacrilegium contra reuerentiam debitam Sacramenti, & fieret ei iniuria, quam rationem fusiùs sequitur Suarez explicans hoc præceptum esse iuris diuini naturalis. Doctor autem reuocat præceptum hoc ad ius diuinum positiuum, & rectè. Quamuis enim præceptum sit diuinum naturale non committere sacrilegium *Hoc præcept esse iuris diuini positiu & non naturalis.* contra Sacramenta, tamen hoc præceptum generale aliquando applicatur ad materiam ex præcisa institutione Sacramenti; aliquando ex circumstan

Præceptum diuinum naturale Sacramenti speciale, & generale oppositum irreuerentiæ.

cumstantia præcepti positiui adiuncti. Tunc autem est præceptum diuinum naturale, propriè loquendo, quando aliquid fit contra ipsam institutionem Sacramenti proximè, vt si omittatur materia, aut forma essentialiter requisita, vel si ipsum Sacramentum ad ludibrium exponatur, & huiusmodi in primo casu est sacrilegium, ex speciali institutione Sacramenti ortum. In secundo verò ex generali præcepto religionis, quo res sacra, & spectans ad Dei cultum debet reuerenter tractari, & in ordine ad proprium finem, non verò profanè. Sacrilegium verò quod fundatur in præcepto positiuo diuino induit naturam ipsius præcepti; quia ideò præcisè est contra reuerentiam debitam Sacramenti directè, quia est contra tale præceptum. Vnde si tollatur præceptum, aut eius materia, iam nō erit sacrilegium actus oppositus, aut aliàs qui est in præcepto. Tale est præceptum sigilli, vt spectat ad ius positiuum diuinum, & supernaturale. Vnde Deus posset instituere pœnitentiam, non addita alia obligatione ad secretum, præter illam solam, quæ est iuris naturalis de seruando secreto, quod magis declaratur in sententia eorum, qui dicunt, posse Sacerdotem de licentia ipsius pœnitentis reuelare peccatum, quia, hoc dato, illa reuelatio non esset contra reuerentiam Sacramenti, neque alia ratio est, nisi quia præceptum positiuum non comprehendit secretum in illo casu.

Irreuerentia contra positiuum præceptum.

Deus posset instituere Sacramentum, sine tali præcepto.

Instantia ex statu communi sententia.

5 Sed si hoc secretum esset præcepti naturalis ex præcisa institutione Sacramenti, sequeretur quòd in nullo casu, etiam de licentia ipsius pœnitentis, liceret reuelare peccatum respectiuè ad personam pœnitentis: ergo hęc obligatio non est iuris diuini naturalis, sed positiui, vt benè Doctor, quod consequenter tenere debent, qui asserunt de licentia pœnitentis licere reuelare. Subsumptum probatur, quia licèt fama propria sit in potestate pœnitētis, vt ei possit renuntiare: tamē Sacramentū non subest pœnitēti, neque aliquid quod de iure diuino naturali ex ipsa institutione conuenit Sacramento, nec de licentia eius posset confessarius præiudicare institutioni Sacramēti.

Si esset præceptum naturale non liceret de licētia pœnitentis reuelare.

Sacramētum nō subest pœnitenti.

Potest tamen dici aliquo modo hoc pręceptum spectato fine institutionis Sacramenti, & congruentia, reduci aliquo modo ad ius naturale diuinum; quamuis ex fine extrinseco, & congruentia illa ex se non habeat vim obligandi: sed ex præcisa voluntatę legislatoris. Vnde aduertendū est reuelationem illam spectare ad iustitiam, & religionem, & alias virtutes. Quà fit contra præceptum naturale secundi secreti cum dispendio famæ proximi, est contra iustitiam; quà contra dilectionem debitam proximo, est contra charitatem; quà fit contra promissum implicitum, est cōtra veritatem: & in his completur malitia eius contra naturalem legem, quæ obligatio, vt præcisè spectat ad hanc legem, posset in multis casibus non obligare ex natura legis; vt si peccatum illud, de quo non vellet pœnitens se emendare cōtra bonū non solùm priuati alterius, aut ipsius confessarij, vt si vellet eum interimere, sed cōtra bonum publicum, vt si vellet prodere ciuitatem hosti cum interemptione ciuium, tunc non tenetur quisquam ad secretū talis delicti, aut ex charitate, aut ex iustitia, aut etiam ex promisso implicito, quod intelligitur iuxta voluntatē, quę debet pręsumi secundùm rectā rationē in promittente.

Potest reduci præceptū hoc ad ius naturale diuinum ex fine, & cōgruentia.

Obligatio reducitur ad plures virtutes.

Ad iustitiā.

Ad charitatem.

Ad fidelitatē.

Circūstantia in quibus non obligaret ex lege naturali sigillum.

6 Eadem reuelatio est contra virtutem religionis, vt fit in irreuerētiam Sacramenti: hoc autem ipsi competit quatenus præceptum illud negatiuum, & vniuersale adiunctum est, quod in nullo casu licet transgredi, & quamuis naturam præcepti ex motiuo, & fine rectè interpretamur cōprehendere vniuersaliter omnes casus, quos tam finis quàm ipsum motiuū comprehendit secundùm rectam rationem, tamen obligationem eius reducimus præcisè in ipsam voluntatem præcipientis, & hanc sententiam videtur mihi sequi Vasquez *3. p. quæst. 93. art. 4. dub. 1.* quę est Doctoris in hac conclusione.

Obligatio sigilli ex virtute religionis.

Secunda ratio Doctoris pro conclusione est ex natura huius fori, in quo vltimatè terminatur sententia, & processus de peccatis secretis (quæ nullo modo spectāt ad scientiam, aut forum publicum) per sententiam Dei, & Sacerdotis in hoc tribunali, per remissionem peccati, & congruam satisfactionem lege pręscriptam quantùm ad interiorem, & pœnitētialem exteriorem: ergo non licet vlteriùs ad scientiā & forum publicum reducere causam illā in proprio foro terminatam.

2. Ratio. Quia causa pœnitētis terminata, & decisa est in proprio foro.

Tertia ratio est ex occasione, quam dat reuelans ex natura operis faciendi confessionem indebitè & sacrilegè, vt pœnitens seipsum laudet, alios vituperet, peccata nō confiteretur syncerè, & integrè quoad numerum, species, & circumstantias. His tribus rationibus rectè comprehēdit Doctor motiuum, & materiam, & naturā huius præcepti vniuersalis negatiui, quatenus extenditur semper, & pro semper, ad omnes etiam casus vniuersaliter, etiam ad illum, quo ipse pœnitens cederet iuri suo, vt infrà dicetur.

3. Ratio. Quia impediret confessionem debitam.

Tertia conclusio Doctoris est, hanc reuelationem esse prohibitā iure Ecclesiastico. hanc probat argumentum quod pro parte negatiua quæstionis adducit in oppositum *ex dist. 6. c. Sacerdos, ex cap. omnis vtriusque sexus*, &c. *de pœnitentiis & remiss.* in quibus determinatur pœna reuelātibus. Pœna capituli *Sacerdos* fuit depositio, & obligatio ad peregrinationē omnibus diebus vitæ suæ. pœna hæc determinata est *in cap. omnis vtriusque sexus*, quod est Concilij Lateranensis, ad reclusionē in aliquo Monasterio perpetuam, & simul depositionem, & hanc pœnam esse magis rationabilem asserit Doctor: quia hæc pœna excludit magis periculum proprium animę Sacerdotis, & cōmune aliorum. Si tamē aliquibus in locis desit cōmoditas eum recludēdi, prior pœna non esset omittenda, vel certè alio modo rigorosè puniendū esset tale peccatum, quantū tempus, & facultas permitteret, secundùm arbitriū Prælatorum. 7

Esse præceptū Ecclesiasticū de seruando sigillo.

Pœna reuelantis sigillum.

Quomodo autem cōuinci posset confessarius de hac reuelatione, nō ita cōstat inter Doctores. Aliqui dicūt incumbere Sacerdoti probare peccatum à se dictum audiuisse extra confessionem. Ita Nauarrus *in dictum cap. Sacerdos*, & alij: quod intelligerem esse verum quando aliàs nequiret haberi veritas ex aliis circumstātiis, res ex facto & concurrentibus est ponderanda, & inquirēda, ne grauetur confessarius vltra debitum, neque ex alia parte delictū maneat impunitum. Vnde constat periculosum, & scandalosum esse colloqui de peccatis in cōfessione auditis, quamuis aliàs etiam fuerint cognita alia via, nisi cum magna discretione ex necessitate non est admittendum tale colloquium à confessario, & valdè parcè, & iuxta modum cognitionis, & scientiæ, quam aliunde accepit, & explicando causam scientiæ, ne vllo modo præsumi posset, eum vti sciētia, quam habuit ex confessione pœnitentis.

Modus inquirendi peccati.

SCHOLIVM.

Quarta conclusio, Non tantùm confessorem, sed etiam eos, qui ab eo mediatè, vel immediatè acceperunt, vel ipsum confitentem, dum confiteretur, audierunt, teneri ad sigillum. Item, hoc secretum pro semper, & ad semper obligare: quia est præcepti negatiui, & hoc respectu quarumcunque personarum, etiam Papæ.

13 *Prob. concl. 4.* *De sigillo respectu cuiuscunque audientis.*

DE quarta conclusione [f] videamus, *quis, cui, quando,* & *quid.* De *quis* dico, quòd non solùm confessor, sed & is cui confessor reuelat, licèt illicitè, tenetur celare. Probatio, quia transferens aliquid in alium de facto, quod non potest licitè de Iure transferri, non dat illi alteri ius vtendi, vel transferendi istud in alterum; quia ex quo non habuit ius, non potuit ius in alium transferre, quia nemo dat quod non habet: sed confessor reuelans non habuit ius transferendi istud in alterum: ergo si de facto transferat, alius non habet ibi ius vlteriùs transferendi.

Idem dico de illo, qui audit confessionem confitentis; alius, scilicet à confessore. Si enim audit casualitèr, non peccat: tenetur tamen ad silentium; si verò dolosè, mortaliter peccat, & adhuc tenetur ad silentium. Hæ duæ conditiones *de, quis*, probantur per rationes priùs positas ad primam, & secundam conclusionem.

14 *Guil. Altisiodorens. 4. par sum. tract. de cõfessione c. 5.*

Sed [g] *quando.* Dico quòd pro semper, & ad semper: quia est præceptum negatiuum: & ex hoc sequitur quòd non magis post mortem confessi quàm eo viuo: quia rationes positæ ad primam, & secundam conclusionem æquè concludunt de hoc, sicut de præcepto negatiuo pro tunc, & tunc.

Sed [h] de *cui*, dicitur quòd cuilibet tenetur celare, nisi Superiori, cui in casu potest reuelari. Sed rationes præmissæ concludunt de superiori, sicut de inferiori, nisi in casu, quando scilicet inferior non potest absoluere, sed recipit, vt referat superiori, qui potest absoluere: & tunc censendum est, quòd confitens sibi, vt inferiori, narrat sibi vt interpreti tantùm: & tunc stat totum intra vnicum actum confessionis, in quo confitens, & superior qui solus tunc est confessor, sunt iudicandus & iudex: medius autem qui audit & refert, tantummodò est interpres: tenetur tamen ad silentium quantùm ad omnem alium ab illo, cui est interpres.

Num. 6. Si dicas, [i] quòd per hoc respondetur ad quoddam argumentum priùs factum in illo *cap. Officij*, quia ibi inferior narrat superiori peccatum sibi confessum, & per consequens illud capitulum non probat quòd liceat alicui etiam in vniuersali dicere peccata audita extra forum confessionis. Hoc nihil est, quia ille Cardinalis non scripsit Papæ, vt Papa absolueret: sed scripsit consilium requirens quid ipsemet faceret, vt patet per responsionem Papæ, qui non immediatè absoluit illam mulierem de hoc, quod supposuit partum; sed respondet sibi qualiter discretus Sacerdos debet illi mulieri consulere.

15 Et consimiliter posset in tali dubio requiri consilium, non tantùm à superiori, sed à quocunque alio, non tantùm alio, prudenti tamen, qui scilicet sciat consulere. Vnde illud, quod ibi dictum est contra rationem primam, generaliter est verum, scilicet quòd peccatum confitentis non relatum, nec determinatum ad personam confitentem, potest dici à confessore, & vtiliter, imò necessariò, quando non est ita peritus, vt sciat ipse consulere: & tunc potest vtiliter, & necessariò dicere cuicunque prudenti, qui scit consulere sibi. Sed nunquid Papa potest præcipere [k], vt sibi reueletur? Respondeo, diceret aliquid, nunquid Papa potest supra ius naturæ?

COMMENTARIVS.

8 *4. Conclusio.*

f DE *quarta conclusione videamus,* &c. In hac conclusione determinat personas, materiam, tempus, & alias circunstantias obligationis huius præcepti.

Sigillum obligat primò cõfessarium.

Primò confessorem obligari ad hoc secretum est probatum, *in 1. 2. & 3. conclusione,* & omnes admittunt communi consensu, *in hac dist. & 3. part. quæst. 93. art. 4.* varij casus attinguntur in argumentis pro parte negatiua, quæ concernunt personam Sacerdotis, vt causa fugiendi mortem & insidias, causas confitendi integra sua peccata, causa etiam boni communis, quos *infrà* resoluit Doctor in responsione ad argumenta, eósque *ibidem* examinabimus.

Secunda persona, quam obligat secretum hoc, etiam quà Sacramentale est, proponitur illa, cui confessarius reuelat, licèt illicitè, peccatum auditum solùm in confessione, quam sententiam tuetur Syluester verbo *confessor 3. q. 1.* Richardus *in hac distinct.* Nauarr. *in c. Sacerdos d. 6. de pœnitentia.* Suarez *disput. 33. sect. 4.* Vasquez *3. part. q. 93. art. 4. dub. 3.* Ratio Doctoris est, quia illicitè transferens aliquid in alium, quod de iure nequit transferre, non potest transferre in ipsum ius vtendi illa re. huic affinis est ratio quam adducit Nauarr. *in cap. Sacerdos*, quia res ad quemcunque transit, cum suo onere transit, *capitulo ex litteris, de pignoribus*, res autem in confessione dicta

Obligat personam cui is reuelauit.

Transferens contra ius nõ dat vsum licitum rei.

Res cum suo onere transit.

dicta hoc habet onus vt celetur: ergo tenetur is cui reuelauit eam Sacerdos iniuste, vt eam celet.

9 *Ratio Vasquez.* Vasquez *loco citato* vtramque rationem tantùm probare dicit obligationem secreti ex iustitia, non verò obligationem sigilli, quam ipse alia ratione probat: quia nempe notitia quam habet Sacerdos immediatè, mediatè verò is, cui reuelatur confessio, est in ordine ad confessionem, & per ipsam solam, quia pœnitens eam non reuelauit, nisi in sola confessione, ideò is cui Sacerdos eam reuelat, ex notitia in confessione tantùm habita, tenetur sigillo, seu secreto confessionis. Sed hæc ratio Vasquez non differt à prioribus, quas impugnat; quia non tantùm acquirit pœnitens ius celandi suum peccatum ex lege naturali de seruando secreto; sed etiam ex lege speciali huius Sacramenti, quo Deus voluit peccata confessa esse secreta: ergo non tantùm iniuria facta pœnitenti est contra titulum fundatum, quem habet ex lege secreti naturalis; sed contra titulum, quem habet ex lege Sacramenti. Deinde præceptum diuinum sigilli respicit primò, & per se materiam, nempe peccatum in confessione, & non aliter dictum, quod Deus voluit vniuersaliter esse rectum; secundariò verò respicit personas, ad quas illa materia deuenit per solam scientiam confessionis, & hoc præceptum non solùm respicit reuerentiam Sacramenti, sed etiam indemnitatem, & impunitatem pœnitẽtis, quia iudicium illud per sententiam terminari voluit Deus in foro secreto, & non posse reduci ad forum publicum, aut damnum aliquod pœnitentis, vt benè Doctor *in secunda probatione secundæ conclusionis*; ideóque remittit hanc conclusionem de obligatione tam Sacerdotis, quàm alterius ad fundamenta primæ, & secundæ conclusionis. Ergo ex natura huius præcepti, & materiæ quam primò respicit, atque adeò ipsius fori, quem concernit, acquiritur ius pœnitenti, vt peccatum confessum, & notum tantùm ex confessione maneat secretum.

Non differt à prioribus rationibus.

Ius pœnitentis ex Sacramento.

Ius eiusdẽ ex diuino præcepto, & natura huius fori.

10 *Ratio Doctoris sustinetur, & confirmatur.* Benè ergo Nauarrus asserit hanc rem transire cum onere, benè etiam Doctor similiter dicit non posse Sacerdotem transferre ius vtendi illa re, quam de facto transfert in alium, quæ res transferri de iure non potest. Vnde si is in quem transfertur de facto, vtatur illa re, cuius vsum prohibet lex, etiam peccat contra eandem legem, sed hic non solum prohibetur translatio illa cognitionis peccati in confessione auditi per legem naturalem secreti, sed etiam per legem specialem, & priuilegium confessionis: ergo peccaret is cui reuelatur iniustè confessio, si non seruaret eam secretam, contra vtramque legem; ideò Doctor in sua ratione loquitur vniuersaliter de iure, vt comprehendat vtramque legem, ex qua superiùs probauit emanare obligationem secreti, ac proinde se remittit ad probationes, vt dixi, primæ & secundæ conclusionis; quæ perinde impugnat asserentes teneri audientem à Confessario peccatum confessum solo teneri secreto naturali: in qua opinione est Ioannes de Medina *C. de confessione, quæst. de his qui confessionem celare tenentur.*

Vsus peccans in legem.

Ratio vniuersalis comprehendens omnem legem sigilli.

Sentẽtia quorumdam.

11 *De consultore.* Sed quid dicendum de consultore, vt quando confessarius ad instructionem sui ipsius, & ad salutem pœnitentis de licentia pœnitentis consulit alium peritiorem, & quandoque necessarium est communicare casum, etiam respectiuè ad personam pœnitentis ob particularem circunstantiam, & statum pœnitentis, ex quibus oritur perplexitas in confessario. Quæritur an consultor teneatur ad sigillum speciale confessionis? *An teneatur ad sigillum?*

Respondet Vasquez, eum solùm teneri ex secreto naturali. Contrarium Doctor supponit, quem sequitur Paludanus *hac dist. quæst.* 3. Adrianus *quæst. vlt. de confessione dub. vlt.* Nauarr. *citatus, & in Summa cap.* 8. Ledesma *quæst.* 10. *art.* 3. *dub.* 7. Petrus de Soto *lectione* 11. *de confessione* Viguerius *in Summa cap.* 16. §. 4. Suarez *loco citato, sect.* 4. Ratio est, quia ille cognoscit præcisè ex confessione quæ inducit hanc obligationem, & quamuis non habeat claues, ponamus esse sæcularem: tamen in parte concurrit ad actum clauis scientiæ, vt rectè D. Thomas & Suarez, & disponit iudicem quantùm ad quæstionem iuris.

Sentẽtia Vasquez.

Teneri ad sigillum confessionis.

Ratio quia concurrit ad actum.

g *Sed quando: Dico quòd per semper*, &c. Quia nempe est præceptum vniuersale negatiuum, vt *suprà* visum est; ideò obligat in vita, & post mortem pœnitentis. *Quando obligat?*

h *Sed cui: Dicitur quòd cuilibet tenetur*, &c. Hæc opinio, quam reiicit, est Altisiodorensis *lib.* 4. *Summæ tract.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 7. qui communiter citatur in oppositum. Cæterùm non adeò assertiuè hoc sequitur, citat enim præfato loco aliquos Magistros id dicere, quos ita impugnat: si reuelat, dicit confitens confessionem esse reuelatam: ergo facit confessionem odiosam hominibus: sed hæc est causa quare non debet reuelari cõfessio: ergo non debet eam reuelare, *quod concedimus*, inquit, *dicentes quòd in nullo casu reuelari debet confessio, nisi forte ex aliquo matrimonio, vel ex re aliqua qua magnum detrimentum incurret, & nullum periculum immineret Sacramento confessionis. iste casus quasi impossibilis est*, &c. Hæc ille, & casus quos proponit, de matrimonio in gradu prohibito, & annullante ob impedimentum, quod ipse in confessione tantùm nouit, item de irregularitate subditi, quam scit Superior in confessione; item de furto Ecclesiæ conformiter ad dicta resoluit, quamuis in hoc videtur inclinare, vt possit Sacerdos vti scientia habita in confessione etiam extra confessionem, citra præiudicium Sacramenti: hæc videtur mihi sententia Altisiodorensis: sed cuiuscunque sit illa sententia, patet ex dictis eius impugnatio.

12 *Opinio Altisiodorensi imposita.*

Declaratur vera eius sententia.

Excipit Doctor casum in quo necessarium est confessario recurrere ad Superiorem in casibus reseruatis, quando excipit peccata in confessione, vt ea dicat Superiori, qui potest absoluere. Casus iste supponit Superiorẽ velle scire casum respectiuè ad pœnitentem, & non velle conferre authoritatem absoluendi inferiori, sed per se absoluere, & iniungere pœnitentiam ex causa aliqua rationabili. Quòd si pœnitens sit talis, vt non audeat confiteri ore proprio Superiori, vel ex defectu idiomatis quod posset intelligere Superior, tunc Sacerdos habet rationem interpretis, & non absoluentis; sed ipse Superior pœnitentem absoluit præsentem tamen & inter omnes integratur vnus actus quia is qui primò excepit confessionem, sustinet partem pœnitentis. eique accedit, & casus in praxi potest contingere: modus autem quo tam Superior, quàm confessarius se gerere debent in tali casu reseruationis, explicatus est *dist.* 17. de casibus reseruatis.

13 *Excipitur casus reseruatus, qui superiori dicitur. Suppositio casus.*

Interpres tenetur ad sigillum.

Ex hac conclusione sequitur idem dicendum de interprete, quamuis Caietanus verbo *confessio, condit.* 11. Sotus *suprà* citatus, negent eum teneri sigillo. Conclusio Doctoris est verior & communior, quam docuit etiam *dist.* 17. *circa finem*, vbi agit de obligatione confitendi per interpretem. Richardus *in hac distinct. art.* 4. *quæst.* 3. D. Thomas *quæst.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. Nauarrus *in cap. Sacerdos*, Medina *Cod. de pœnitentia quæst.* 50. Suarez *sect.* 4. Vasquez *dub.* 2. & plures alij, quos citat contra Sotum. Ratio huius est iam dicta, & quia, vt dicit Doctor, concurrit ex parte pœnitentis ad actum Sacramentalem, & ex confessione cognoscit peccatum.

14

An ex confessione facta laïco oriatur sigillum?

Sed quid de confessione facta laïco bona fide, vel quia putabatur esse Sacerdos, & seipsum finxit Sacerdotem, vel quia est error vtrimque, vt putetur sic perfici Sacramentum, vel si causa instructionis facta est confessio, & non intuitu Sacramenti? Quantùm ad primum casum, aliqui dicunt teneri talem sigillo confessionis, quod & tenet Suarez *sectione secunda*, quia hoc præceptum in fauorem pœnitentis & Sacramenti est ampliandum, non verò restringendum: sufficit ergo intentio, bona fides, & actus ex his procedens, vt inducatur obligatio sigilli: hæc sententia est probabilis: quia non requiritur ad hanc obligationem sigilli, vt actus sit terminatus, ex parte audientis confessionem, vt si sit Sacerdos, qui non habet iurisdictionem, sed fingit eam habere, vel certè audita confessione non absoluit, vel ex defectu iurisdictionis in casibus reseruatis sibi, vel simpliciter, si est simplex Sacerdos extra casum necessitatis, & peccata sint mortalia; vel quoad aliqua quibus annexa est reseruatio directè, vel per censuram reseruatam, tamen in eo casu tenetur ad sigillum, licèt confessio facta non sit terminata per absolutionem. Ergo similiter nihil prohibet quin fingens se Sacerdotem etiam obligetur sigillo, ad quam obligationem sufficit bona fides pœnitentis, & actum esse Sacramentalem ex intentione eius & in æstimatione.

Sententia affirmatiua. — *Defenditur vt probabilis.*

15

Opinio negatiua.

Alij docent non oriri sigillum ex hac confessione, quia non est actus Sacramentalis, ex defectu iurisdictionis & ministri idonei: sed oriri strictissimum secretum naturale. Prior sententia quæ magis fauet pœnitenti, & Sacramento, videtur præferenda, quia & congruitas, & motiuum præcepti ad eam extenditur, & nocumentum auertendi à confessione facienda, atque alia plura incommoda. Vnde censerem in foro exteriori talem seueriùs puniendum esse, quàm Sacerdotem reuelantem confessionem, ob duplex sacrilegium in Sacramentum commissum, & iniuriam duplicem in pœnitentem commissam, ex quo patet ad secundum casum.

Quandoque non oritur sigillum.

Ad tertium etiam respondetur negatiuè, quia ille actus non est Sacramentalis ne quidem in æstimatione; manet ergo solum obligatio naturalis secreti.

Conuentio inanis.

Ex quibus etiam sequitur ad fatuam conuentionem quorundam, quid dicendum sit, qui nullo modo perficientes Sacramentum, aut intendentes, extra confessionem reuelant aliquod secretum sub sigillo confessionis, nam talis obligatio nequit induci ex pacto, & sine intentione Sacramenti, vt benè docent Paludanus, Adrianus, Vasquez, Sotus.

16

Dubium.

Sed quid si pœnitens voluerit confessionem suorum peccatorum facere coram Sacerdote, & Sacerdos noluerit eum audire vt confitentem, vel in ordine ad absolutionem dandam?

Resoluitur. — *Sigillum ex quacunque confessione in ordine ad Sacramentū oritur.*

Respondetur vniuersaliter, quæcunque via alter ipsi confiteatur tanquam iudici, siue ipsum absoluat, siue non, oriri sigillum, & non esse meram consultationem in eo casu. Idem dico quando pœnitens accedit ad Superiorem in casibus reseruatis, petens ab eo licentiam & authoritatem, vt confiteatur alteri, teneri Superiorem ad sigillum in eo casu: quia illa notitia quam habuit de reseruatis in genere, fuit ei communicata per modum confessionis inchoatæ, & in ordine ad Sacramentum.

Etiam ex sacrilega.

Dico præterea oriri sigillum ex confessione etiam sacrilega, vt quando quis reuelat sua peccata sine animo emendandi se ipsum, sed ad euitandum scandalum, aut aliud inconueniens, oritur sigillum, vt patet ex consuetudine Ecclesiæ, & illa accusatio est inchoatum Sacramentum, quamuis desit aliquid requisitum ex parte dispositionis pœnitentis ad absolutionem.

i *Si dicas quòd per hoc respondetur ad quoddam*, &c. Hæc littera patet ex dictis contra Richardum *suprà in prima conclusione.* Sed dubium est, an liceat confessario vti scientia habita in confessione, quando non sequitur violatio sigilli? 17

Quinta conclusio. — *An liceat vti scientia habita in confessione.* — *Actiones quibus ille vsus interuenire potest.*

Quinta conclusio: Nequit Sacerdos vti scientia habita in confessione, quando sequeretur violatio sigilli; hæc sequitur ex dictis. Sed difficultas est, an possit vti eadem, quando id non sequitur. Actiones variæ sunt, in quibus contingere possit hic vsus. Primò, in actibus iustitiæ vindicatiuæ, vt puniendo ipsum in corpore, aut aliqua pœna legali, vt submouendo ab officio, priuando beneficio, aut struendo ipsi insidias, & procurando media, quibus deprehendi possit in peccato, vt quando ex confessione nouit eum certo aliquo loco peccare, vel egredi Monasterio, per certam portam, & fenestram, hæc occludendo. Aliæ spectant ad iustitiam distributiuam, vt in electione officiorum, possit ne negare ipsi suffragium, aut statuere impedimentum, ne assumeretur ad officium, vel procurando vt amoueatur à certo loco, in quo nouit eum peccare. Aliæ actiones sunt ad administrationem Sacramentorum. Aliæ sunt, quibus statuitur impedimentum, quo abstrahatur à committendo aliquo crimine. Hi casus mouentur quando sequitur suspicio confessarium in iis actibus procedere ex scientia habita in confessione, siue talis suspicio sequatur in ipso pœnitente solo, siue in aliis: & intelliguntur iidem casus quando aliàs extra confessionem non habeat aliam scientiam, aut media, quibus procedere possit, verbi gratia, si quis ingressus confessoris cubiculum furatus est inde bursam, & hoc ipsum statim confessus fuerit, an poterit postea confessor deprehensa bursa ablata, procedere contra ipsum ex eo quòd alius non ingressus sit cubiculum præter ipsum.

Aliæ genera actionum. — *Expositio casus.*

Posse vti illa scientia in ordine ad studium & alia.

Supponitur ergo primùm posse confessarium vti scientia habita in confessione in ordine ad studium, ad consultationem cum peritioribus circa audita, ad praxim de suo pœnitente, & aliis acquirendi, ad directionem propriæ conscientiæ. Supponitur secundò non licere Regularibus vti scientia habita in confessione, vel eam transferre ad actus gubernationis externæ, 18

ex

Decretū Clementis VIII. inhibens regularibus vti scientia confessionis quoad politiam.

ex decreto Clementis VIII. anno 1594. 26. Maij quoad casus reseruatos, id præcipientis tam confessariis, quàm Superioribus, vt caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Quoad hos ergo cessat quæstio. Difficultas est, si id iure diuino aliàs sit prohibitum? Prima sententia asserit licitas esse tales actiones, quando solus pœnitens poterit suspicari. Alensis 4.*p.q.*78.*art.*1.*memb.*2. *ad* 8. D. Thomas *in* 4.*d.*21.*q.*3.*art.*1.*q.*1.*ad* 3. D. Bonauentura *ibidem in* 2.*part.art.*2.*q.*1.*ad* 3. Noster etiam Doctor videtur in eadem esse *responsione ad* 3. Paludanus *quæst.*3.*artic.*3. Gabriel *quæst.vnic. art.*3. *dub.*1. *ad* 2. Probatur hæc sententia, primò, quia sic vtens non reuelat confessionem: ergo non violat sigillum, ad quod solùm tenetur. Secundò, nullo iure priuatur ex eo præcisè quòd confessionem alicuius audiuit, sed omnes prædictos actus poterat aliàs, vt negare alicui suffragium, &c. Tertiò, hic est finis reseruationis casuum, vt Superior possit sibi subditos in iis rebus gubernare: ergo potest vti scientia quam ex ea reseruatione acquirit, quæ est scientia in confessione. Ideò S. Thomas, Sotus, Nauarrus, Syluester, Paludanus tenent, non posse eum vti tali scientia in ordine ad eius quem indignum nouit ex confessione, sed teneri ad non dandum ipsi suffragium, vel amouendum ipsum. Sed hoc est falsum, vt patet ex decreto allegato Clementis, quod aliàs esset inualidum stante obligatione diuini præcepti.

An sit contra ius diuinum talis vsus. Prima sententia negatiua.

19 *Secunda sententia opposita.*

Secunda sentẽtia negat in dictis actibus posse quemquam vti scientia habita in confessione. Armilla *v.Confessor.* Bannes 2.2.*q.*33.*art.*8. Sanchez *lib.*3.*disput.*16.*n.*3.*&* 4. Hæc sententia habet argumenta non contemnenda, quia sic aliàs retraherentur homines à confessione facienda, quòd reseruatio casuum esset intolerabilis. Si Episcopus, verbi gratia, posset vti scientia habita in confessione quoad eum Clericum, qui commisit peccatum occultum, ex quo mereatur amotionem à beneficio, aut negationem promotionis vlterioris: ergo si obligatio sigilli inducta sit ne confessio fieret onerosa, currit in proposito.

Non licet vti sciẽtia in præiudicium pœnitentis.

Dico primò: Illicitum est vti scientia in præiudicium aliquod pœnitentis, aut Sacramenti, siue sequatur suspicio, siue non. Probatur hac ratione, quia causa terminata in hoc foro non debet referri ad aliud forum, sed vtens scientia habita in confessione in præiudicium aliquod pœnitentis, id facit quia improperat ipsi reipsa peccatum suum, & vindicat in foro externo: ergo; hæc conclusio à fortiori sequitur, quando nascitur suspicio.

Dico secundò, quando non sequitur suspicio ex natura actus, neque sequitur præiudicium aliquod pœnitentis, videtur posse vti confessarium scientia habita in confessione, licèt posset aliquis sic, vel sic affectus, concipere aliquam leuem suspicionem: & hoc videtur deferendum primæ sententiæ, verbi gratia, aliqui intoxicarunt vinum, in quo consecrare vult Sacerdos, & hoc quidam eorum eidem confessus est, tunc potest Sacerdos, quamuis voluit celebrare, vti ea scientia, tamen alias occasiones simulando ne celebret si absit mendacium, vt dolorem stomachi, vel infirmitatem, vel fundendo calicem, frangendo quasi ex casu ampullam vini, & eiusmodi. Idem dicendum de eo cui structæ sunt insidiæ, & id cognouit ex confessione vnius insidiatoris, potest ex alia occasione declinare locum, & in hoc non reuelat confessionem, quia res sunt æquiuocæ, & eorum vsus potest esse ob varios fines ex libertate vtentis. Verba autem significant determinatè. Dixi *quando suspicio non oritur ex natura actus*, vt si verbi gratia talis Sacerdos statim audita confessione exerceret aliquos actus, quos statim cognoscerent prouenire ex confessione, vt si se armaret contra insidias, adhiberet comitatũ tumultuariè, vel arriperet fugã, & huiusmodi, quia tunc censendus esset reuelare sigillum, ex his patet solutio ad dictos casus in specie accommodando singula singulis.

20 *Licet vti sciẽtia, quãdo ex natura actus non sequitur suspicio.*

Exemplum.

Actus ex quibus oritur per se suspicio.

k *Sed nunquid Papa potest præcipere*, &c. Respondet negatiuè, quia hoc secretum est iuris naturalis, & Ecclesia non potest extendere iurisdictionem fori externi ad ea quæ sunt merè occulta, & extra scientiam illius fori. Per *ius naturæ* potest dici etiam Doctorem comprehendere etiam ius diuinum, quod latum est de sigillo iuxta naturam Sacramenti, & consentaneè ad ius naturæ, licèt fortiùs liget quantùm ad vniuersalitatem materiæ, includens omnes casus, in quibus alioquin ius naturalis secreti non obligaret. Vel dicendum est eum respondere à minori & notiori, ad maius: quia si nequit præcipere reuelationem secreti naturalis, in casu quo obligat, minùs potest reuelationem sigilli præcipere. Ex quo patet quid dicendum sit de aliis omnibus interrogantibus, quorum minor est authoritas, in casu enim quando ex circunstantiis nocumenti imminentis exigitur responsio, seruanda est regula, quam suprà *dist.*15. *quæst.*4. tradit Doctor de reo interrogato non iuridicè.

21 *Nullum præceptum obligat contra sigillum.*

Expositio Doctoris.

SCHOLIVM.

Non tantùm peccata confitentis (etiam venialia in specie) sed etiam circumstantias, & personam complicis cadere sub sigillum. Quod probant rationes pro prima conclusione, pro integritate confessionis non licere reuelare complicem. Tenet Nauar.c.7.n.3. & c. Consideret, *de pœn.d.5.citans alios, & Viger.c.16.§.4.vers.17. Arm.v.* Confessio. *Mars.4.q.12. Oppositum est commune D. Bernard.in formula honestæ vitæ. D. Thom.opusc.12.q.6. & 4.d.16. q.3.art.2. D.Bonau.hîc 2.p.art.2.q.3. Suarez citans multos tom.4.disp.34. sect.2.rem benè explicat.*

DE *Quid* dico quòd non tantùm peccatum principale confitentis, & circumstantias peccati, quia circumstantiæ non possunt benè reuelari sine reuelatione facti: sed & persona secunda, cum qua peccatur. Quod patet per rationes positas ad 16

Personam cōplicis cadere sub sigillo.

primam, & secundam conclusionem: quia etiam confitens vult famam personæ, cum qua peccauit, saluare, id est, deberet velle, sicut sui. imò eò magis quòd persona illa sibi fuit coniuncta in crimine, tantùm enim magis tenetur ei ad boni restitutionem, quod per illam amisit, & ad custodiam illius boni, quod potest custodiri, non obstante illo malo commisso: fidelitas etiam & veracitas, & vnitas, seu communitas, patet hîc, vt priùs.

Consimiliter tres rationes pro secunda conclusione, quia non celatio retrahit à confessione: deducit etiam ad forum alium quod est in hoc foro ventilatum: & est occasio mentiendi in isto foro, vt priùs dictum est.

COMMENTARIVS.

22 *Materia sigilli.* 1 DE quid: *Dico non tantùm peccatum*, &c. Hæc conclusio quoad primam partem patet ex prima & secunda conclusione: nempe peccata & circunstantias peccatorum cadere sub sigillo. Quoad secundam partem, quæ magis per *De persona complicis.* se hîc determinatur: nempe personam complicis cadere sub sigillo eodem, duo consideranda sunt; nempe id quod supponit, scilicet pœnitentem posse confiteri personam complicis in casu vt mox explicabitur, & secundum est veritas ipsius conclusionis, quam hîc probat.

Quis sit complex? Complex intelligitur persona communicans in eodem peccato, ex qua circunstantia aliqua contrahatur necessariò confitenda, verbi gratia, stuprum cum virgine, incestus cum sorore, quæ circunstantiæ confitendæ sunt. casus est quando complex est nota confessario, & patitur apud eum in priuata opinione infamiam, eo modo, quo ipse pœnitens: secludendo ergo alios casus *An liceat cōfiteri personā complicis?* vlterioris incommodi superiùs expressos. Item, si aliàs notum est confessario iudicio confitentis complicem similibus peccatis aliàs implicari, vel si aliàs nota non est, casus quæstionis est ille *Sententia Cani.* expressus, in quo variant Doctores. Canus *in relectio. de pœnit. part. 5.* dicit licere explicare personam complicis in articulo mortis, quia in tali casu debet cedere suæ famæ ob salutem alterius. Hæc ratio non valet, quia vel præualet præceptum integræ confessionis, præcepto seruandæ *Reiicitur fundamētum præmissæ sententiæ.* famæ complicis, vel non. Si primùm, ergo etiam secluso articulo tenebitur confiteri: si secundum, ergo neque in articulo. Consequentia patet, quia integritas confessionis nunquam est in consilio, semper enim tenetur quis ad integritatem, quando licet, hoc est, quando impedimentum non subest iuris naturalis, aut diuini prohibentis reuelationem peccati talis, quòd confitendo quis mortaliter peccaret. Difficultas ergo est, vtrùm præualet in casu præceptum integræ confessionis, aut præceptum seruandæ famæ *Secunda sententia negatiua.* complicis. Nauarr. ergo *in Summa cap. 7. num. 1. & sequentibus, & in cap. consideret in principio à num. 98.* negat confitendam personam complicis. quam sententiam docuit Innocentius IV. *in cap. omnes vtriusque sexus.* Caietan. *in Summa v. Confessio.* Armilla *v. Circunstantia.* Viguerius *in Summa, cap. 16. §. num. 17.* Marsilius *in 4. quæst. 12.*

23 *Sententia affirmatiua & communis.* Oppositam sententiam tenet cōmunis Schola, nempe licere quando non sequitur aliud incommodum præter infamiam apud confessariū, nec aliud superest remedium; ita Alensis 4. *part. 18. memb. 4. art. 2.* D. Thomas *in 4. dist. 16. qu. 3. art. 3. quæst. 5.* D. Bonauentura *in opusc. de modo confitendi, cap. 1. in 4. dist. 21. part. 2. dist.* Paludanus *ibidem quæst. 3. art. 2.* Richard. *art. 5.* Durand. *dist. 17.* *Summa verbo confessio*, & alij communiter. Rationes plures afferuntur huius conclu- *Prima ratio reiicitur.* sionis, quæ non conuincunt. Probat Soto, quia non fit infamia complici ob sigilli secretum, ad quod tenetur confessarius. Hæc ratio plus probat: quia sic sequeretur licere explicare complicem, quando non esset necessitas, item non teneri adire alium confessarium, si adsit, cui complex esset ignotus. Tertiò apud vnum solum diffamare proximum est peccatum, quamuis ille sit tenax secreti. Secundò probat, quia complex *Secunda ratio.* sua culpa patitur damnum peccato consentiens, quod mox subiiciendum est absolutioni. Hæc *Reiicitur.* ratio patitur eandem impugnationem, neque euacuat difficultatem, quæ in eo versatur, an sit obligatio confitendi talis peccati cum detrimento complicis. Tertia ratio Cordubensis, quia po- *Tertia ratio.* test quis vti iure suo, quamuis inde sequatur aliquod damnum proximi: hoc quidem in multis verum est, sed in proposito si concluderet sequeretur quòd liceret cum damno vitæ, famæ, & bonorum proximi confiteri circūstantiam complicis, quod nemo dicit: sic enim quis vteretur iure suo. Totum ergo hoc reduci potest ad illud *Non incurri obligationem secreti respectiuè ad confessionem in eo casu ex sola infamia complicis.* non incurri obligationem iuris naturalis seruandi secretum in tali casu cum tanto damno meo, sicut non est obligatio defendendi vitam, & bona proximi cum damno graui defendentis. Nec videtur vlla ratio obligare hominem ad non aperiendum crimen proximi secretum, quæ etiam non obliget ad non periendum crimen proprium: in proposito integritas confessionis præponderat famæ propriæ: ergo etiam alienæ in multis etiam casibus possum alienum crimen aperire secreto alteri, verbi gratia, quando hoc est necessarium, vt in re magni momenti me adiuuet, quando periculum Reipublicæ proditionis & huiusmodi subest.

Hæc solutio non videtur stare. Resolutio er- 24 *Alia solutio.* go quæstionis reducenda est ad alia principia, negando præceptum illud de seruando famam *Seruare famā non esse iuris naturalis strictè sumpti.* esse iuris naturalis strictè, sicut principium practicum notum ex terminis, aut conclusio sequēs, sed vt congruum ad illa, eo modo quo aliqua præcepta secundæ tabulæ iuxta doctrinam Doctoris, sunt iuris naturalis communiter dicti *in 2. dist. 37. & in 4. dist. 17. quæst. 1. §. In ista quæst.* vbi ponit nihil esse propriè de iure naturali, nisi principium & conclusio, reprehendens Gratianum, & videtur extensiuè loqui de lege, *dist. 11. qu. 2. concl. 2.* Sic ergo interpretando legem natu- *Et obligatio cedit religioni.* ræ, qua teneor seruare famam complicis, dicendum est præualere virtutem superiorem religionis, magis, qua præcipitur confessio integra, quàm obligatio, qua teneor famæ proximi, cum detrimento tali, & cui ipse vt socius criminis renun

renunciauit in ordine ad confessionem, quando aliter nequit saluari.

Replica. Dices, ergo idem dicendum in quocumque detrimento proximi.

Soluitur. Respondetur non sequi, quia non est confessionis integræ obligatio cum tanto rigore, deinde in aliis damnis vrget præter iustitiam, charitas, & reuerentia Sacramenti, quæ strictiùs obligat ex religione, quàm confessio integra, redderetur enim Sacramentum odiosum, si ex illo notum esset inferri damnum alicui, &c.

25 Obiectio. Obiicies contra conclusionem, præceptum naturale præponderat positiuo, verbi gratia, si ingruat præceptum positiuum confessionis, & naturale defensionis proximi, teneor relinquere confessionem, & defendere proximum, quando nequeunt adimpleri; sed integritas confessionis est iuris positiui, non infamare complicem, iuris naturalis: ergo.

Responsio. Respondetur, quando damnum sequitur extrinsecè ex malitia Sacerdotis, qui inde occasionem sumeret perdendi, aut damnificandi complicem, est obligatio iuris naturalis; quando verò non sequitur aliud, nec timetur præter id quod solùm ex vi confessionis, eiúsque ex natura sequitur, non incurritur obligatio iuris naturalis. Aduertendum non posse aliquem explicare in confessione peccatum ex quo sequeretur fractio sigilli. In his casibus, in quibus excusatur pœnitens ab integritate confessionis, aduertendum est non esse reseruanda aliqua, nisi vt oportet. Vnde quando non debet confiteri actus externus, debet internus confiteri, verbi gratia, in casu iam proposito de complice; & alij dicunt etiam peccatum deberi confiteri iuxta circumstantiam in genere conuenientem, verbi gratia, si sit stuprum, confiteri illud (quando aliud non licet) sub specie fornicationis simplicis.

Non est confitẽdum cum fractione sigilli. Debet peccatũ aliquo modo confiteri, quando circũstantia cõplicis est tacenda.

Aliqui sunt illius opinionis, vt liceat non audire integrè confitentes, quando est magnus concursus in aliqua solemnitate, quo omnibus sit locus confessionis: sed hæc opinio non valet, quia vbi nullum est præceptum, aut necessitas confessionis, magis obligat integritas quàm confessio. Imò si foret præceptum secluso casu necessitatis & periculi *suprà* expresso, comprehendit integritatem. *Opinio quorumdam reijcitur.*

His positis probatur à Doctore, sigillum extendi ad personam complicis: tum, quia ex natura confessionis, & intentione confitentis sequitur sigillum in illo casu, & tenetur pœnitens complici non solùm quoad restitutionem illius boni quod per eum amisit, sed etiam ad custodiam illius quod non amisit, quantum scilicet potest & debet custodiri, & rationes positæ pro prima & secunda conclusione idem probant. 26

Idem consequenter dicendum de quibuscumque circumstantiis expositis in confessione, etiam imprudenter, vel causa necessitatis, vel vtilitatis, & si confessus sit defectum natalium, malæ consuetudinis, peccatum alterius etiam non complicis, & peccata non publica, ex rationibus dictis, quia alioquin reddetur confessio odiosa simplicibus, & aliis, si tota non maneret secreta sub eodem sigillo, vt benè Sotus, & Suarez, licèt contrarium aliqui tenent, vt Ledesma; illud certum est, non licere vti scientia habita in confessione ad damnum alterius. *Circumstantia cadũt sub sigillo.*

SCHOLIVM.

Omne secretum Iure naturæ esse celandum, non tantùm quando quis exprimit se committere id vt secretum, sed quandocumque apparet id ipsum velle, & hoc probant rationes primæ conclusionis, reuelans crimen occultum, quod non potest probare, fit infamis.

De quinta m conclusione dicitur, quòd ad omne secretum seruandum tenetur quis de lege naturæ, propter rationes ad primam conclusionem adductas: nec solùm quando exprimit committens se velle committere illud secretum: sed quandocumque ex modo committendi apparet, quòd velit committere vt secretum. Rationes autem ad secundam conclusionem non æquè hoc euidenter concludunt, nisi tertia; quia daretur occasio mentiendi in committendo alicui aliqua secreta. 17 *Rich. dist. præsenti q. vltima. Secretũ esse seruandum est Iuris naturæ.*

Quantùm autem ad istum articulum, dico quòd pœnæ Ecclesiasticæ non sunt eædem inflictæ de quolibet secreto, sicut de isto. Si quis tamen publicè reuelaret aliquod aliud secretum, sibi imponitur alia pœna, scilicet infamia. Impositor enim falsi criminis, vel cuiuscumque veri, licèt occulti, quod non potest probare, pro calumniatore habetur *Extrà de calumnia:* talis est iste, qui reuelat quodcumque secretum crimen, quod probare non potest. *Imponens crimen, & nõ probans, est infamis.*

COMMENTARIVS.

27 *Quinta conclusio. Limitatur.* m *De quinta conclusione dicitur*, &c. Dicit secretum iure naturæ obligare, intelligit de iure naturæ latè sumpto, vt in præcedenti §. dictum est.

Obiectio contra limitationem. Contra interpretationem præmissam rationes Doctoris in prima conclusione, & tertia ratio pro secunda, in quibus hanc veritatem fundat, videntur amplius probare, vt prima ratio de charitate debita proximo; secunda ex veracitate sumpta; & tertia pro secunda conclusione de scandalo, quia daretur occasio mentiendi, &c. Hæc præcepta videntur stricti iuris naturalis, & quædam spectare ad primam tabulam: ergo non admittunt dictam interpretationem.

Responsio. Respondetur nihilominus interpretationem dictam veram esse absolutè loquendo: quia obligatio secreti non ita est stricta sicut principia, ex quibus deducitur. Principia enim practica vniuersaliter sunt vera, & ex terminis, quia necessaria, *Obligatio secreti ex principijs practi-*

eis contingenter sequitur & in determinatis circunstantiis.

cessaria; vt autem deducitur ex his obligatio secreti, non deducitur nisi contingenter, & in determinatis circunstantiis: principia enim practica desumuntur à fine, & extenduntur ad media, in quibus versantur hîc & nunc conclusiones ex ipsis deductæ: quando autem est aliquod medium, quod aliàs est medium ad finem, & hîc & nunc exorbitat à fine, ita vt nullo modo reducat in ipsum, sed magis auertit à fine, tale medium hîc & nunc non participat bonitatem finis: tale est secretum in aliquibus circunstantiis, verbi gratia, inferentibus graue detrimentum contra bonitatem finis, contra salutem publicam, & priuatam, tam eius cui committitur, quàm committentis secretum, ac proinde sicut recedit à bonitate finis, & veritate principij, non inducit obligationem; neque ex charitate, quia ipsam magis offendit; neque ex veracitate, aut promissione, quia hæc interpretari debent vt reducunt ad finem charitatis, & iustitiæ seruandæ; neque is qui audit secretum aliter voluisse obligare se proximo, aut deponenti secretum, interpretari debet secundùm rectam rationem.

Explicatur.

Circunstãtia in quibus non obligat secretum.

Imò tenetur non celare secretum in his circunstantiis, verbi gratia, proditionis, aut si deponat secretò se velle se ipsum præcipitare, aut laqueo suspendere, & huiusmodi. Vnde colligitur principia prima practica non se extendere ad secretum ex genere, tanquam ad conclusionem necessariò deductam; sed tanquam ad materiam contingentem: aliàs in nullo casu liceret violare secretum, quod non est verum. Consequenter in tantum obligat secretum, in quantum participat bonitatem finis, & veritatem primi principij practici in determinata materia.

Obligatio eius non seruandi.

Hoc confirmatur ex iis quæ consequuntur in hac littera, & in tertia cõclusione de obligatione fortiori secreti Sacramentalis ex præcepto sigilli positiuo, ratione grauitatis pœnæ, quæ violanti imponitur in omni casu, quo violaret sigillum; obligatio autem strictior potest interpretari ex grauitate pœnæ iniunctæ: si ergo obligatio præcepti positiui excedit obligationem secreti naturalis, quæ in aliquo casu non ligat, illa ligante in omni casu, sequitur secretum naturale non esse stricti iuris naturalis, & insolubilis.

Confirmatio ex dictis.

Obligatio præcepti positiui sigilli præfertur obligationi secreti.

SCHOLIVM.

Non licere confessori, etiam id petente pœnitente, reuelare confessionem. Alens.4. part.quæst.19. aliàs quæst.78. memb.2. art.2. §.1. Dur. hîc quæst.4. Ma. quæst.3. Gab. quæst. vnic. art.3. Bassol. quæst.2. ad 2. Alm. quæst.2. Aureol. quæst.4. Ang. verb. Confessio *num.5. Ratio est, quia cedit in iniuriam Sacramenti, & nulla est necessitas dicendi peccata vt scita in confessione: nam pœnitens potest ea extra confessionem dicere, & rogare, quòd referantur vt sic scita, si ipsius interest vt referantur.*

18 *Ad arg.1.* AD argumenta. [n] Ad primum dico, quòd peccatum confessum debere celari, non est tantùm ius confitentis, sed ius communitatis: quia ex opposito, scilicet reuelatione, sequeretur continua perturbatio in communitate, quia passim quilibet reputaret alium abominabilem: & non licet isti renuntiare iuri communitatis, licèt suo.

Aliter potest dici, esto etiam quòd tantùm esset ius istius, id est, in fauorem istius indulti, non licet isti renuntiare quoad hoc, quòd confessor sit liber ad reuelandum: quia confessor tunc tenetur multiplici Iure, naturæ scilicet, & positiuo, quorum nullius reuocatio est in potestate confitentis.

Quid faciet cõfessor quãdo confitens vult suam cõfessionem aliis dici.

Quid igitur faciet [o] confessor confesso volente peccatum suum prodi? Dico quòd confitens potest postea peccatum suum extra confessionem dicere, & si vt secretum, adhuc licentia sequens non absoluit confessorem à lege naturæ, quin teneatur celare: sed si dicit, vt non habeatur secretum, & maximè apud aliam personam, vel apud alias certas, quibus fortè licet propter aliquem bonum finem, qui potest sequi ex reuelatione istis facta, vel illi, tunc confessor potest dicere illud tanquam sibi publicè dictum extra omne secretum.

19 *Vide D.Th. dist. præsenti q. vltima.* Sed nunquid potest tunc dicere, [p] audiui hoc in confessione? Respondeo, dicitur quòd hæc sola verba, *audiui hoc peccatum, & huius personæ in confessione*, includunt peccatum mortale, quia includunt reuelationem huius vt cogniti, eo modo quo non licet reuelari. Vnde cui post confessionem reuelatur extra omne secretum, caueat in modo narrandi, ne hoc narret tanquam sibi dictum modo, quo non licet reuelari.

Contra hoc [q] licet hoc narratum extra confessionem dicere, quibus ille vult, & non est narratio specialis, per hoc, quòd dicit hoc esse sibi confessum: hoc igitur dicere est sibi licitum.

Ad 2. Nullo casu silere confessionem est contra charitatem.

Ad secundum dico, quòd nullus casus potest esse, in quo contra charitatem militet silentium, imò contra charitatem communem militaret oppositum, vt est ostensum quatuor rationibus ad primam conclusionem. Et quando instas de bono communi; dico illud Deuteron.16. *Iuste quod iustum est exequeris:* ergo charitatiuè, quod charitatis

ritatis est, exequeris: sed non charitatiuè exequitur, qui contra legem naturæ modis prædictis manifestat aliquod malum commissum, vel committendum: quare reprobandus est ille versus Iuristarum: *Est hæresis crimen, quod nec confessio celat:* non quin metrum sit bonum, sed sententia est falsa.

COMMENTARIVS.

28 n AD argumenta. *Ad primum dico*, &c. Primum argumentum est licere cuique suo iuri renuntiare, ergo & pœnitenti dare licentiam confessario vt peccata sua reuelet, quia sigillum impositum est in fauorem pœnitentis.

Sigillū eiusque ius spectat ad communitatem.

Respondet sigillum non esse ius pœnitentis tantùm, sed & communitatis; quamuis ergo posset pœnitens renuntiare suo iuri, nequit tamen renuntiare iuri communitatis ex propria auctoritate, ita vt deobligetur confessor per talem renuntiationem.

Secunda responsio.

Respondet secundò, quòd licèt ius solius pœnitentis esset, non licere ex licentia pœnitentis non tolli obligationem sigilli in confessore, qui pluribus aliis titulis obligatur ad secretum hoc, vt videre est conclusione 1. & 2. qui tituli, seu obligatio ex illis non subest pœnitenti.

An possit confessarius reuelare peccatum confessorum de licentia pœnitentis. Sententia affirmatiua.

Hîc tangitur illa quæstio, An scilicet de licentia pœnitentis possit Confessarius reuelare peccata confessa, quæ aliter non nouit, nisi in confessione? Partem affirmatiuam docet S. Thomas *in præsenti distinctione, quæst. 3. art. 2.* Sotus *quæst. 4. art. 6.* Nauarr. *in Summa cap. 8. num. 2. & cap. Sacerdos.* Syluester verbo *confessor 3. q. 3. & 5.* Suarez *sect. 5.* citans plures pro hac sententia. Vasquez veriorem existimat *dub. 5.* eosdem authores citans.

29 *Conclusio negatiua Doctoris.*

Conclusio Doctoris est contraria, & magis fundata in ratione, & lege huius Sacramenti: ideóque vt insinuauimus *suprà*, non videntur consequenter loqui, qui dicunt sigillum confessionis esse intuitu Sacramenti, etiam de lege naturali diuina, & non solius pœnitentis, & hoc non obstante posse tolli per voluntatem pœnitentis. Hanc sententiam docet Alensis & alij authores, quos citat Scholiastes, in præfixo Scholio, cum quibus consentire videtur D. Bonauentura *part. 2. huius dist. art. 2. quæst. 2.* vbi explicans illud quod dixit, nempe pœnitentem licentiare posse confessarium ad reuelanda peccata, dicit non debere confessarium vti illa licentia, sed magis ipsum pœnitentem constituere relatorem, *non se ipsum*, inquit, *nuncium facere, & sic vitatur scandalum, & non corrumpitur sigillum confessionis*, &c. Ergo ex mente eius oritur scandalum, & corrumpitur sigillum, si Sacerdos de licentia pœnitentis reuelat confessionem. Sic etiam Richardus, qui citatur pro opposito *art. 4. huius distinctionis quæst. 1.* *Ad primum principale* dicit, non licere de licentia pœnitentis alteri reuelare, nisi pœnitens peccatum reuelet extra confessionem: secludendo itaque casum, quo confessarius reuelet superiori peccatum in ordine ad absolutionem, quæ reuelatio manet sub sigillo, vt *suprà* cum communi dicitur. Hîc restringitur casus ad ipsam confessionem, an liceat eam reuelare, aut peccata tanquam ex confessione dicta dicere, sic: *hoc peccatum mihi confessus est Petrus, & illud dico ex confessione eius, quia ipse voluit vt dicerem.*

Alensis.

D. Bonau.

Richardus.

30 *Probatio.*

His positis probatur conclusio: sigilli secretum non tantùm est ex iure pœnitentis; sed etiam ex iure communitatis, & reuerentia Sacramenti. Ex his tenetur Sacerdos specialiter ad secretum confessionis, neque subsunt pœnitenti: ergo de licentia pœnitentis nequit reuelare peccata confessa.

Sigillum obligat intuitu Sacramenti, & communitatis.

Responsio.

Respondetur hîc non interuenire ius communitatis, aut dispendium eius, quando de voluntate pœnitentis reuelatur confessio, ac proinde non esse paritatem hîc, & in casu de exemptione Clericorum, quia hoc intuitu ordinis fit, ideóque nequit Clericus iudicari apud iudicem sæcularem, aut percuti, etiam de licentia propria.

Impugnatur.

Sacramentū intuitu communitatis institutum.

Contrà, Sacramentum est institutum tanquam medium ordinarium legis, quæ respicit bonum commune: ergo & institutio Sacramenti, & quidquid annexum est institutioni: sed lex de seruando sigillo est annexa institutioni, & intuitu Sacramenti, & boni communis est lata: ergo mediante institutione, & lege hac intuitu communitatis facta acquiritur ius communitati, ne sigillum violetur. Confirmatur primò, quia si sigillum violaretur sine licentia pœnitentis, violaretur non solùm ius pœnitentis, sed etiam communitatis, & redderetur Sacramētum odiosum, & contemptibile, quod plurimùm noceret Ecclesiæ, & communitati: ergo non solùm obligat sigillum ex iure pœnitentis; sed etiam communitatis, & ipsius religionis, & reuerentiæ intuitu.

Confirmatio prima. Reuelatio facta sine licentia violaret ius communitatis & Sacramenti.

31 *Secunda confirm.*

Confirmatur secundò: Pœna apposita violationi sigilli non solùm respicit fauorem pœnitentis, sed reuerentiam Sacramenti, & bonum communitatis: nam ius pœnitentis, quantùm ad iniuriam receptam, sufficienter conseruatur per hoc, quòd reuelans sit infamis, & habeatur calumniator, & nullius fidei. Deinde nisi ex lege Sacramenti atque eius intuitu obligatio induceretur, & speciale secretum sigilli, non esset ratio cur non possit in aliquo casu detrimenti boni communis, vitæ, aut proditionis, maximè quando confessio est sacrilega ex defectu alicuius requisiti, vt propositi emendationis, non possit hoc secretum reuelari: quia in his casibus nullum ius acquirit secreti pœnitens, nisi intuitu tantùm Sacramenti. Ergo hæc obligatio non est primò in fauorem confitentis; sed solius Sacramenti. Probatur consequentia, quia in tali casu accedens sacrilegè ad Sacramentum, & agens contra reuerentiam debitam Sacramenti, & finem, & institutionem eius, non meretur fauorem vllum à Deo, ratione Sacramenti quod contemnit. Neque vllum est fundamentum vnde fauor ille ex Sacramento ei accedat, cùm fictus & contemptor accedat, ponens obicem ne ipsum Sacramentum terminetur absolutione, in qua primaria eius vis consistit: ergo secretum sigilli in eo casu solùm oritur, quia hæc lex primariò & per se intuitu Sacramenti obligat in omni casu, & quia bonum commune id postulat, cuius est medium ordinarium, fauor autem pœnitentis, aut confitentis secundariò se habet, &

Pœna adiecta non est in fauorē solius pœnitentis. Ius pœnitentis resarcitur ipso facto per legem. Posset in casu fieri reuelatio si ex solius pœnitētis iure obligaret sigillum.

Finis primarius legis est, fauor Sacramenti, & bonum communitatis.

& tanquam finis secundarius extrinsecus; imò & fauor ille ad pœnitentem spectat, quatenus secretum Sacramenti ex lege est inuiolabile: sed lex quæ intuitu Sacramenti, & boni communis obligat, non subest pœnitenti: ergo, &c.

Respōsio Suarez. Dices, hanc legem esse latam ita vt tantùm obligaret quamdiu pœnitens vult, vnde accedente voluntate pœnitentis iam mutatur materia præcepti: ita Suarez.

Impugnatur. Finis intrinsecus legis nō mutatur. Contrà, materia, seu finis intrinsecus huius præcepti est reuerentia Sacramenti, vt respicit speciale præceptum sigilli: sed hoc non mutatur, neque subest voluntati pœnitentis. Ergo etiam neque præceptum. Probatur consequentia ex dictis, quia in confessione sacrilega iuxta expressa nequit pœnitens acquirere aliquod ius, nisi intuitu Sacramenti, cuius sicut institutio abstrahit à pœnitente, ita etiam lex sequens institutionem obligat independenter à pœnitente: ergo eius finis intrinsecus absoluitur etiam à voluntate pœnitentis, & maximè in sententia Suarez, qui dicit hanc esse diuinam naturalem ex ipsa institutione redundantem.

32 *Secunda ratio. Dari occasionem mētiendi ex tali reuelatione in confessione.* Secundò probatur conclusio; quia si posset confessarius reuelare confessionem cum licentia pœnitentis, daretur occasio mentiendi in confessione, & fallendi confessorem, & non confitendi integrè peccata, quod est maximum inconueniens, & ex quo colligitur inuiolabilitas sigilli sacramentalis. Probatur sequela, quia diffamati de aliquo crimine, quod commiserunt, licèt de eo non sint conuicti, possunt hac via confiteri negantes crimen commissum, & dantes licentiam confessario vt reuelet peccata, & maximè reum non esse conscium talis criminis, vt sic euaderent pœnas & infamiam, quod esset maximum ludibrium Sacramenti. Ergo & illud ex quo sequitur hoc inconueniens non videtur asserendum.

Responsio. Dices, fortè non posse vti Sacramento in hunc finem.

Impugnatur. Tenetur confessarius per medium licitum saluare eum, quē putat innocentem. Contrà: Potest vti confessarius scientia confessionis ex voluntate pœnitentis in profectum pœnitentis, & aliorum, & boni communis, ne puniatur innocens, imò tenetur ad hoc adhibere medium licitum si potest: ergo ad saluandam vitam, membra, famam, & aliud detrimentum graue, tenetur habita licentia rei reuelare confessionem eius. Sed hoc medium non admittitur ad probationem immunitatis, & innocentiæ, neque acceptaretur; ergo est illicitum. Probatur consequentia, quia vel debetur fides confessario reuelanti de licentia confitentis, & sic hoc medium esset opportunum; imò magis opportunum in rebus occultis, quarum veritas nequit aliter probari, quàm canonica purgatio, quia maior fides adhibenda est confessioni sacramentali, quàm iuramento extra confessionem, quia confessio sacramentalis perinde vrget ad veritatem dicendam ex cura salutis propriæ, & reuerentia Sacramenti, & minùs admittit reseruationem mentalem.

Magis fides cōfessioni adhibēda, quàm purgationi Canonicæ.

Inutilis est reuelatio, nisi mereatur fidem. Si dicas non deberi, nec adhiberi fidem confessario reuelanti confessionem, etiam de licentia pœnitentis: ergo nequit de licentia pœnitentis reuelare confessionem. Patet consequentia, quia præceptum de sigillo Sacramenti non subditur voluntati pœnitentis, nisi ad aliquem profectum; sed nequit vllus profectus sequi, nisi debeatur fides confessario: ergo, &c.

Dices, causa consilij, aut consultationis posse confessarium de licentia pœnitentis reuelare peccata eius, quando ipse est minùs instructus, aut idoneus. 33 *Responsio.*

Contrà: Tunc manet obligatio sigilli etiam in eo, cui communicantur ex sola confessione, vt aliàs dictum est: de hoc casu hîc non loquimur; sed de casu publicæ scientiæ, ex qua non sequeretur obligatio sigilli in eo cui reuelatur peccatum. *Impugnatur.*

Tertiò, sequitur illud inconueniens, nempe ex licentia pœnitentis posse confessarium obligari ad reuelanda peccata, quando est sufficiens motiuum, & obligari etiam pœnitens, aut vi, aut promissis induci, vt concedat talem licentiam, quod inconueniens est: quia sic nihil erit securum in hoc foro. Sequela probatur, suspicio de crimine dat ius inquirendi suspectum, & conscium criminis, quod alioquin vergit in detrimentum publicum, & periculum aliorum. Sequela probatur, quia confessarius habita licentia rei potest reuelare: ergo si subest damnum ex silentio, interrogatus supposita tali licentia, potest, & tenetur reuelare iuxta præmissa, nullus tamen in condemnationem, aut absolutionem rei prudenter crederet confessario. *Tertia ratio. In casu obligari posse & confessarium, & pœnitentem ad dicendam veritatem, si licet reuelare.*

Quartò, si licentia confitentis sufficeret ad reuelandam confessionem: ergo etiam quoties prudenter iudicat confessarius id velle reum, aut debere velle, potest reuelare, verbi gratia, si pœnitentis commodum inde redundet, aut certè damnum alterius euitetur, verbi gratia, si aliquis innocens plectatur ob peccatum, quod solus pœnitens iam defunctus aliàs commisit in vita, vel huiusmodi, in quibus sufficiens fundamentum præsumptionis captari potest; vt si alius, vt particeps criminis vexetur, propter quod confitens est damnatus, & morte affectus, tunc confessarius potest præsumere de voluntate, quam habere deberet pœnitens defunctus sine vllo suo damno ad saluandum innocentem, sed hoc dici nequit: ergo, &c. Idem de peccato publico alicuius diceretur: quia nihil nocet pœnitenti; sed magis prodest vt reueletur ex confessione: quia facit ad famam eius, quo ostendatur eius pœnitentia de peccato aliàs publico. Vt hæc ergo incommoda euitentur, meliùs, & tutiùs dicitur non posse confessarium, etiam de licentia pœnitentis, reuelare peccatum; neque vllam fidem adhibendam esse sic reuelanti extra casus necessarios, in quibus per debitam administrationem Sacramenti consulitur saluti pœnitentis, in quibus etiam casibus manet obligatio sigilli, neque aliter communicari debet secretum, nisi vt ex confessione obligat eum, cui committitur, ad sigillum. *Quarta ratio. Aliàs ex voluntate præsumpta pœnitentis posset fieri reuelatio.*

Vltimò tandem sequeretur ex hac reuelatione maximum periculum ipsius confessarij, iuxta sententiam eorum qui dicunt eum teneri ad probationem, si quando accusatur de reuelatione sigilli: quia nequit probare contra pœnitentem se habuisse licentiam, vel semper debet aduocare testes, vel certè habere chirographum pœnitentis authenticum, & quia vel in genere continet licentiam reuelandi confessionem, vel certè si in specie hoc, vel illud peccatum, debent exprimi in ipso: alioquin se graui periculo ingerit. Deinde etiam præsumi potest, quamuis dicat se habere licentiam pœnitentis, nullam habere; sed fingere, & infideliter agere: nam 34 *Vltima ratio. Periculum redundans in confessarium.*

nam factum est publicum, & ignota facultas, nisi quia asserit eum ex ea procedere. Vnde nascitur scandalum, & periculum abstrahendi à Sacramento. Vnde licèt opposita sententia tot Doctorum sit probabilis: tamen in praxi non est trahenda, nisi valde parcè, & cum magna discretione, quia in re tam delicata, & zelosa circumspectio valet; &, vt dicit S. Bonauentura, melius est vt ipse aliis manifestet sua peccata, quàm vt confessarius se ingerat periculis, & suspicionibus, & maximè in re dubia, in qua magis consulere debet reuerentiæ Sacramenti, & communi vtilitati, quàm priuatæ voluntati pœnitentis, neque de facili casus formari potest, nisi in causa consultationis.

Sententia opposita licèt probabilis non trahenda ad praxim, nisi valde rarò.

35 Obiicit Sotus, obligationem sigilli, & scandalum tolli per licentiam pœnitentis: ergo de eadem licentia potest cōfessarius detegere peccata.

Obiectio.

Respondetur, negando antecedens quoad secundam partem ex dictis.

Soluitur.

Obiicies secundò, casum illum in cap. *Officij de pœn. & remiss.* &c. vbi consulitur Pontifex de peccato, quod quædā mulier confessa est: hoc autem nō potuit fieri, nisi de licētia pœnitētis: ergo.

Obiectio.

Respondetur, quòd reuelatio peccati respectiuè ad personam, ex qua in particulari illa persona cognoscatur, sit prohibita; in eo autem casu de quo consulitur Pontifex, non ita fit: quia contigit in partibus valde remotis, & dicitur tantùm persona in generali.

Soluitur.

Obiicies tertiò, sigillum confessionis continetur sub genere secreti, & eius naturam participat: at secretum potest dici de voluntate committentis secretum: ergo etiam hoc secretum Sacramentale. Patet consequentia, quia non datur lex specialis prohibens, neque ratio ex qua colligatur illud esse illicitum: ita Suarez.

Obiectio.

Respondetur, sigillum confessionis contineri sub genere secreti: sed vlteriùs addere specialem obligationem secreti Sacramentalis. Vnde argumentum committit fallaciam consequentis, & negatur consequentia: ad cuius probationem ex dictis patet, hoc secretum esse primario intuitu Sacramenti, & boni communis, quæ non subiiciuntur pœnitēti, vt patet ex rationibus adductis.

Solutio. Sigillum fortius, & strictius obligat, quàm secretum.

36 o *Quid ergo faciet confessor*, &c. Hîc quærit quid faciendum sit confessario quando pœnitens rogat, vt suum peccatum manifestet?

Quid faciēdū quādo pœnitens rogat aperiri peccatum.

Respondet Doctor eum debere dicere peccatum extra confessionem: non tamen sub secreto; quia etiam sic non posset illud referre confessor, sed referendū iis, quibus vult cōmunicari: & sic licet ob bonū finem quandoque iis cōmunicare.

Responsio. Dicendū peccatum extra confessionem.

Sed obiicit Sotus hanc esse cæremoniam Metaphysicam, nihil pertinentem ad rem moralem, quia si licet in hoc casu referre peccatum pœnitentis, cur non liceret etiam referre, si pœnitens dicat; reuela id quod confessus sum: cùm idem vtrumque significent.

Obiectio Soti.

Respondetur, Doctorem probare ex lege Sacramēti suam conclusionē, non verò per abstractionem entis Metaphysici à materia, & longè diuersam esse materiam, dicere, aut reuelare peccatum ex confessione solùm notum; & reuelare peccatum alia via notum: quia peccata manifesta alicuius potest dicere confessor ex scientia publica facti: non tamen potest dicere eadē peccata tanquam ex confessione audita. Imò sanctus Thomas negat confessarium dicere posse se narrare peccatum tāquam ex confessione auditum: sed tātùm se audiuisse à tali illud suū peccatum.

Soluitur.

Obiicit Nauarrus in cap. *Sacerdos*, hunc modum esse onerosum pœnitenti: quia si confessarius in testem adducatur, in eadem causa, in qua alius testatur de peccato commisso, tenetur respondere. 37

Obiectio Nauarri.

Respondetur, hoc inconueniens sequi etiam ex eo quòd de licentia pœnitentis posset dicere peccatum, si illa licentia talis est, vt tollat sigillum, & eius obligationem: quia ex hoc inconuenienti suprà processit tertia & quarta ratio pro conclusione. Maneat ergo peccatum occultum sub sigillo, si pœnitens nolit deuenire in cognitionem alterius: nam & inconueniens allatum voluntariè incurrit, cùm tollit obligationem secreti, & rem vult propalari; quamuis etiam iudicarem sacerdotem in eo casu nō teneri simpliciter respondere iudici propter scandalum saltem, ne qui debet esse causa salutis, fiat ipsi pœnitenti perniciosus, in causa criminali, de eo testificans, quod esset graue scandalum.

Soluitur.

p *Sed nunquid potest dicere*, &c. Hîc approbat regulam D. Thomæ, quæ præscribit vt nullo modo reuelet peccatum tanquam ex confessione auditum: sed tantùm dicat, audiui hoc peccatum: ratio est quam assignat, quia reuelat peccatum eo modo quo non debet reuelare, tanquam ex scientia confessionis respectiuè ad personam, dans enim causam scientiæ, ipsam confessionem auditam, procedit tantùm ex scientia habita in confessione, & prout in confessione habita, quod non licet: caueat ergo confessarius loqui de peccato tanquam in confessione cognito. 38

Non licere cōfessario dicere peccatū tanquam in confessione cognitum.

q *Contra hoc, licet hoc narrare extra*, &c. Hæc obiectio nō est Doctoris, neque cohæret suæ litteræ, vt patet ex tota responsione ad argumētum hoc, & ex doctrina: quia si per eum nullo modo licet etiam de voluntate pœnitentis reuelare cōfessionem, & ad effectum reuelandi peccatū confessum, exigit vt extra confessionem & secretū ei dicatur; sequitur neque cōfessariū dando causam sciētiæ, posse allegare confessionē, & huc omnes eius rationes tendunt: notatur etiam vt additio in secunda correctione Mauritij. Vnde vel est ipsius Mauritij, vel Antonij Taruisini, non autem Doctoris, soluitur autem ex dictis. Patet etiam quòd neque facto possit reuelari confessio.

Obiectio hæc non est Doctoris, & soluitur ex dictis.

Ad secundum argumentum patet ex littera, cuius doctrinam omnes sequuntur: meritò ergo reprobat metrum illud Iuristarum.

Ad 2. principale.

SCHOLIVM.

Sacerdotem ex confessione addiscentem sibi paratas esse insidias in nemore, quod intraturus erat, posse aliò declinare, quia factum illud ex se non est signum reuelatiuum confessionis, esto qui confessus est, ex sua confessione concipiet illam declinationem fieri. Est contra Nauar. c. Sacerdos, *de pœn. d. 4. Soto d. 18. q. 4. art. 5. Suar. tom. 4. d. 33. sect. 7. n. 7. sed cum Scoto sunt Maior hîc q. vn. art. 3. Henriquez lib. 6. c. 24. n. 5. & c. 21. n. 3. Sanchez lib. 3. de Matr. d. 16. qui ponunt circa hoc casus varios, & exquisitos.*

20 *Ad 3. De Sacerdote intraturo nemus.*

AD tertium potest dici[r] quòd Sacerdos iste multiplicem occasionem potest habere non intrandi nemùs. Aliam ab ista malitia latronum sibi decreta,& ad minùs multiplicem aliam potest cogitare, & dicere coram illis; vtpote volo hoc,& illud facere,ad illum & illum locum declinare antequam procedant vlteriùs. Etsi ex tali occasione allegata videatur diuertere,nec verbo, nec facto reuelat confessionem. Si autem non possit ex aliqua occasione diuertere ,quin appareat illis aliis, quod propter confessionem diuerteret, & in hoc facto reuelaret confessionem; dicit quidam quòd tenetur intrare, & si exponit se morti, hoc est pro causa iusta: vt scilicet seruet legem Dei de sigillo confessionis, & per consequens si moritur, martyr est.

Rich. præsenti dist. art.4.q.2.

Sed aliter potest dici, quòd facta possunt esse signa æquiuoca, quia diuersimodè à diuersis concipi possunt, ad hoc scilicet,vel ad illud factum: igitur non debet reputari reuelatiuum confessionis,nisi ex natura sua prodat peccatum confessum,sed diuertere à nemore non sic ducit, quia si illi alij non fuissent priùs collocuti de illa interfectione, nunquam per hoc quòd ille diuertit,cognoscerent illum esse confessum de voluntate occidendi istum. Si tamen diuertere ex ratione sui est signum ductiuum in notitiam talis peccati confessi, duceret quoscunque in hoc, & istos, æquè si non fuissent collocuti,sicut si fuissent collocuti. Generaliter igitur potest dici quòd signum,quod est de se indifferens ad hoc quod est tale peccatum esse confessum, vel non esse,licèt si aliquibus magis signum determinatum ex aliquo supposito, non est signum reuelatiuum confessionis, nec per consequens simpliciter illicitum confessori.

21 *Arg. 4. Circumstãtiæ specialiter aggrauantes quãdoque non manifestandæ in confessione. Potiùs dimidianda est confessio, quàm dicẽdũ aliquid, quo reueletur peccator, qui tibi est cõfessus.*

Ad aliud dico[s], quòd confessor indiscretè ministrans Sacramentum Pœnitentiæ, tenetur non statim confiteri de facto suo indiscreto,quando scilicet confessor suus poterit statim deuenire in notitiam personæ, circa quam indiscretè exercuit vsum clauium:& hoc ad minùs tenetur, non in speciali exprimere culpam circa quam, & modum quo indiscretè exercuit: sed vel præcisè in vniuersali dicendo sic; mea culpa indiscretè,& indebitè ministraui Sacramentum Pœnitentiæ: vel si vrget eum conscientia de confessione facienda super hoc in speciali,vt dicit argumentum, quia est peccatum mortale speciale, & circunstantiæ specialiter aggrauantes; tenetur expectare opportunitatem confitendi alicui,qui ex tali confessione peccati,& circunstantiarum, non possit deuenire in notitiam personæ huic confessæ. Quòd si nunquam possit haberi talis confessor,quin ex explicatione peccati,& circumstantiarum,posset deuenire in culpam, & personam isti confessam; iste est in casu impossibilitatis ad confitendum homini, quia plus tenetur ad præceptum non prodendi culpam sibi confessam, quàm ad confitendum explicitè culpam suam: quia ad primum multipliciter ex lege naturæ, vt probant rationes ad primam conclusionem, & multipliciter ex lege positiua diuina, vt probant rationes ad secundam conclusionem. Ad secundum verò ad plus de lege positiua diuina, vt dictum est *dist.* 17. ergo iste confiteatur Deo.

22 Ex hoc sequitur, quòd quilibet ministrans Sacramentum Pœnitentiæ maximè debet cauere ne indiscretè ministret Sacramentum Pœnitentiæ, præcipuè in illo casu vbi ex indiscretione sua non poterit explicitè pœnitere,absque hoc,quòd prodat confessionem alterius sibi confessi.

Arg. 5.

Ad aliud[t], esto quòd secunda persona quandoque non aggrauet, sicut fornicationem non aggrauat, quòd secunda persona sit Berta, vel Alitia,cæteris paribus, vtpote soluta, non propinqua, & de cæteris; & tunc fatuum est secundam personam confiteri. Et si dubitaret aliquis, an hoc modo explicare sit peccatum mortale, siue tunc, siue aliàs, secunda persona expressa eo modo, quo fuerit necessariò exprimenda, semper sub sigillo confessionis cadit, vt dictum est in quarto articulo. Et tunc in primo casu neganda est illa maior: *quicquid non est peccatum, nec circunstantia,* &c. ad hoc enim quòd esset vera, oporteret addi, *nec aliquid, per quod possit deueniri in notitiam personæ confitentis:* vel in maiori oporteret plus addi, scilicet *nec aliquid de lege naturæ, vel diuina pro secreto habendo:* & minor est manifestè falsa de secunda persona, & patet 4. *artic.*

COMMENTARIVS.

39 *Responsio.*

r AD *tertium,* &c. Iam suprà est responsum §.*si dicas quod per hoc respondetur,*&c.quæ responsio in genere sumpta est ex doctrina quam hîc præscribit Doctor, & in responsione ad sextum. Hanc sententiam Doctoris sequitur Gabriel.Maior. Syluester, verbo *Confessor* 3.q.2. Adrianus. Resolutio Doctoris est,signum indifferens posse trahi in vsum absque reuelatione confessionis, licèt aliquibus ingeneret suspicionem, quam non causat signum, merè æquiuocum *Vsus signi æquiuoci non est reuelatio confessionis.*

cum

cum ex natura sua, sed ex temeritate, & dispositione suspicantis. Ponamus ergo casum, nempe complicem latronum, qui decreuerunt Sacerdotem in nemore occidere, non fuisse confessum illud peccatum, sed oblitum, & tunc Sacerdos ex alia intentione non ingrediatur nemus, siue quia ipse concipit periculum, siue ex alia ratione & motiuo, non autem ex scientia periculi, tunc latrones concipient eandem suspicionem; manet ergo causa suspicionis ipsis, atque æquè ipsa suspicio; quamuis Sacerdos non procedat ex scientia confessionis.

Obiectio Suarez, & Nauarri. Ex his soluitur obiectio Suarez, & Nauarri, qui obiiciunt ex hac sententia Doctoris nullam fore indirectam reuelationem confessionis ex facto, si in præsenti casu non habeatur: quia hoc non abstractim sumptum & absolutè est signum reuelationis; sed hic & nunc, quatenus digressio Sacerdotis est coniuncta scientiæ habitæ in confessione. *Reuelari facto indirectè confessionem.* Deinde sequeretur quòd Sacerdos posset locum insidiarum declinare, etiamsi sciat confessum interficiendum à latronibus ob reuelationem insidiarum.

40 *Soluitur.* Respondetur ex dictis, quando factum est tale ex circumstantiis, vt sit signum vniuocum, tunc causare scientiam: in proposito non est tale, quia nullæ circumstantiæ per factum Sacerdotis adiunctæ declarant eius intentionem conceptam esse ex scientia in confessione habita, modò non adhibeat alia signa & circumstantias, ex quibus exteriùs proderetur intentio fugæ, aut declinandi insidias: nam si complex criminis intenti, & homicidij pergat simul cum latronibus, quamuis sciant esse confessum, neque aliud in facto monstrat, possunt prudenter præsumere eum non fuisse confessum tale peccatum; sed magis ad illusionem simulasse confessionem: non enim magis fundatur suspicio concepta ex facto Sacerdotis, quàm præsumptio fundata in facto latronis, qui in exteriori se simulat socium paratum criminis, quòd ergo scientia confessionis sit hic & nunc coniuncta facto Sacerdotis declinantis insidias, non fundat suspicionem nisi alio qui per signum exterius notificetur ex modo quo is declinat; ex quo patet ad argumentum, quia illa scientia merè per accidens se habet ad iudicium, quod formant latrones.

Declinans insidias modo prudenti, & indifferenti quo non manifestatur intentio non reuelat facto confessionem.

Præsumptio fundata in eo casu.

41 *Ad aliam obiectionem.* Ad aliud quod obiicitur. Respondetur Sacerdotem non esse causam per se occisionis pœnitentis; quæ temerariè fit ex facto Sacerdotis, quod interpretari potest ex alia intentione, quam ipse exteriùs prætendit. Vnde in hoc casu attendenda est distinctio, quam tradit Doctor, & doctrina de signo vniuoco, & æquiuoco *dist. 1. suprà q. 2. & 6.* Confessio enim pœnitentis, & scientia de peccato habita in confessione nō tollit vsum signorum indifferentium iuxta intentionem exteriùs manifestatam: alioquin plura incommoda sequerentur, si vsus illorum signorum ad propositum prætensæ exteriùs intentionis relinquatur, etiam in ordine ad ipsos pœnitentes, quamuis ex dispositione particulari concipiant sinistram intentionem, verbi gratia, si aliqua mulier solicitauerit confessarium in confessione, si ille deinceps subterfugiat conuersationem, & pericula eius, aut subtrahat se confessionibus audiendis, statim suspicabitur id prouenire ex scientia in confessione habita, quantumlibet ille exteriùs ostendat aliam intentionem. Non minùs autem quoad alios prohibetur vti signis æquiuocis, ex quibus nascitur suspicio, quàm in ordine ad ipsos pœnitentes. Sic etiam Superior qui audiuit confessiones suorum subditorum, si ingerat se deinceps correctioni, & conseruandæ disciplinæ in casibus necessariis, statim pœnitentes suspicabuntur eum procedere etiam ex scientia in confessione habita, ex quibus plura incommoda orirentur. Vnde sequitur non reuelare confessionem eum qui eiusmodi signis exteriùs prætensa iusta, & prudenti intentione vtitur, quia nec signum ex se, & natura rei indicat confessionem, aut peccatum confessum, neque circumstantiæ exteriùs concurrentes possunt trahi in aliud, quàm ad intentionem expressam, ex natura etiam rei, & facti: quòd si alij ex praua dispositione aliter interpretentur factum ex conscientia propria, temerariè iudicant, & per accidens se habet ad factum recta intentione qualificatum. Alioquin plura incommoda orirentur in Societate communi, & necessariis functionibus, circa materiam secretorum, si omni suspicioni etiam malè fundatæ via ex obligatione esset præcludenda.

Differentia inter signum vniuocum, & æquiuocum.

Vsus signorũ indifferentiũ manet liber confessario.

Exempla.

Vsus ille signorum necessarius rectificatur per intentionem, quæ exterius prætenditur.

f *Ad aliud dico*, &c. Respondet ad quartum argumentum, non licere confiteri integrè si violatur sigillum, verbi gratia, si Episcopus qui est ordinarius, & solus in ciuitate, sit Simoniacus, & confessus sit Sacerdoti hoc peccatum, si ex confessione huius peccati, seu sacrilegæ absolutionis datæ reuelatur persona, ita vt aliter nequeat confiteri peccatum, in eo casu præualet obligatio sigilli præcepto integritatis confessionis. Hanc resolutionem tenet Nauarrus *in summa, cap. 8.* Syluester verbo *confessio.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 10. art. 5.* Vasquez *dub. 4. suprà citato.* Suarez *sect. 1.* éstque communis. Benè eam probat Doctor, quia obligatio sigilli est legis naturalis ex multiplici capite, & legis positiuæ, in omni casu damni cuiuslibet tenet: non ita præceptum integræ confessionis, vt *suprà dist. 17.* visum est, hinc rectè admonet Doctor confessarios, vt rationem ministerij debitam seruent, ne se ipsos etiam in hæc pericula congerant, ex quibus reddantur perplexi, præter iniuriam, quam faciunt pœnitentibus, & Sacramento. 42

Ad 4. argumentum. Non licet in cõfessione violare sigillum.

Sententia cõmunis.

Eius ratio.

t *Ad aliud esto quòd secunda persona*, &c. Respondet ad quintum, quod est reuelare posse quidquid non est peccatum pœnitentis, aut circumstantia eius: agit autem de casu, in quo non requiritur ad integritatem confessionis reuelatio complicis: verbi gratia, ad confessionem peccati fornicationis non facit vt dicatur persona mulieris, vt quòd sit Berta, vel alia. Aduertat tamen confessarius pœnitentem ne secretum hoc reuelet in confessione, quia est peccatum ex genere suo mortale, nisi ignorantia, & inaduertentia excuset. 43

Ad 5. argumentum.

Dicit ergo Doctor illam maiorem argumenti esse falsam, quia vlteriùs oportet eam suppleri, addendo etiam quòd illud non sit lege naturali, aut diuina prohibitum, personam complicis cadere sub sigillo, rectè probat in quarta conclusione §. *De quid*, &c. cuius ratio *ibidem* rectè probat quod dictum est, in confessione non esse reuelandum peccatum mortale, & secretum alterius, nisi ex necessitate confitendi integrè, ideóque hic non est dubius: sed tangit casum controuersum, an liceat reuelare perso-

Responsio. Quid reuelãdum in confessione.

nam complicis ob necessitatem confitendi, & alium casum, in quo hæc reuelatio citra necessitatem fiat, ita vt ex inaduertentia, & fatuitate pœnitentis contingat, & sic excusari possit, vel certè cum aduertentia, & sic grauiter detrahit proximo, reuelando eius peccatum graue secretum, siue fuerit complex, siue non, & manebit sub obligatione sigilli: quia ex notitia huius fori nemini potest extra ipsum forum prætendi aliquod damnum.

Obligatio sigilli extenditur ad peccata aliena.

SCHOLIVM.

Posse Superiorem ex scientia confessionis aliqua facere circa subditum, modò inde nulla suspicio oriatur respectu aliorum, quod ex scientia confessionis facit. Ita D. Thom. quodlib. 5. art. 13. & 4. d. 2. quæst. 3. art. 1. D. Bonau. hîc 2. p. art. 2. q. 1. ad vlt. Richard. art. 4. quæst. 2. ad 4. Nauar. d. c. Sacerdos, *num. 146. Syluest. v.* Confessor 3. *quæst. 2. & communis. Vnde licet suffragium secretum denegare ex scientia confessionis.*

23 AD aliud [u] si in collegio est consuetudo communis, vt sine nota quilibet extra monasterium curam habens, vel sine cura moram trahens, reuocetur pro libito præsidentis: vel etiam non passim pro libito, sed quandoque pro alia causa honesta, vt nunc iste quiescat in claustro, nunc laboret cum Martha in exteriori ministerio, & nunc ille prout vtile visum fuerit præsidenti. Dico tunc quòd monachum confessum de crimine commisso in aliquo loco extra monasterium, vbi moratur, potest Abbas ad monasterium reuocare: quia in hoc nullo modo peccatum confessum prodit; licèt aliquis dixerit, quòd confessor nullo modo potest se habere aliter ad confessum ratione confessionis quantùm ad quemcunque actum extra forum illum, quàm si penitus nihil audisset. Si autem est consuetudo in collegio, quòd non transferatur monachus sic de loco forinseco ad claustrum, nisi ratione delicti, vel insufficientiæ in cura illius loci; non videtur tunc licitum Abbati confessum ad monasterium reuocare.

Ad 6. Monachus an potest amoueri loco, ex scientia confessionis. Henric. quodlib. 8. quæst. 18. Vide Rich. & D. Tho. qui idem tangunt.

Si dicas, non apponit remedium ad salutem ouis suæ. Respondeo, consulat sibi in foro pœnitentiæ meliori modo quo poterit, vt illum locum sibi periculosum dimittat. Si noluerit, non attenret esse Deus: sed defectus occultos sibi secundùm iustitiam incorrigibiles, Dei correctioni dimittat.

24 Ad [x] vltimum dico, quòd capitulum illud non loquitur expresè de illo, qui nouit per cõfessionem aliquem esse excommunicatum, nec etiam per viam secreti sibi commissi: sed priuatim, id est, sic iste scit quod communitas nescit, vel credit communitatem nescire: & sic priuatim sciens debet priuatim vitare. Nec mirum est, quia non est debitor illi alteri, id est, istius tanquam secreti.

Sed si sciret per viam confessionis tantùm, quid faceret? Respondeo sicut ad tertium argumentum, quia si potest per aliam viam vitare eum, quàm ex vitatione, prodendo excommunicationem eius, debet vitare: sin autem, non solùm non debet, imò non licet vitare: quia talis vitatio est de Iure positiuo Ecclesiastico tantùm: non prodere autem tenetur ille de lege naturæ, & de Iure positiuo diuino, & Ecclesiastico. Quando autem præcepta videntur esse contraria, illud quod est superius magis obligat, & ideò firmiùs est seruandum: nec seruans illud, & prætermittens aliud, peccat: quia nullus ex lege diuina, & Ecclesiastica est perplexus.

An vitandus excommunicatus cognitus ex ex sola confessione.

COMMENTARIVS.

44 u AD aliud, *si in collegio est consuetudo*, &c. Respondet ad sextum argumẽtum quod est de Monacho, aut Religioso, quem nouit Superior ex confessione lapsum, & habere occasionem periculi, & relabendi, nisi præscindatur. Resolutio Doctoris est etiam D. Bonauenturæ, D. Thomæ, Richardi *in hac distinctione*, & Soti, *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. eandem tenet D. Thomas *quodl.* 5. *art.* 13. Adrian. *quæst. vltima de confessione*, Henricus *quodl.* 8. *q.* 29. Syluester *verbo confessio* 3. *quæst.* 14. Angelus *verbo confessio vlt.* Medina 9. *de confessione celanda.* Aliqui tamen negant vllo casu eum amouendum esse ab officio: quia peccatum auditum in confessione non debet castigari in foro publico, donec ibi innotescat, quamuis alioquin amotio illa non esset reuelatio confessionis. Cæterùm videtur sententia alia esse verior, quam sequitur Doctor cum antiquis, potest enim Superior vti illa scientia in profectum pœnitentis, quando non sequitur ex ea reuelatio confessionis, vel ipsi, vel aliis, & tunc amotio non habet rationem pœnæ, aut punitionis, sed debitæ præuentionis in salutem subditi. Seruanda est Decretalis Clementis VIII. in hoc, & similibus casibus, quæ prohibet scientiam in confessione habitam trahendam esse ad gubernationem externam, & meritò: quia reuera neque expedit, neque licet, vt *suprà* dictum est. Hîc etiam comprehenditur, vt benè Sotus, casus, in quo ex schedula confessionis scriptæ Superior cognosceret peccatum subditi: quia illa scientia in ordine ad confessionem habetur. Posset etiam contrarium magis dici sequendo ea quæ Doctor suprà *dist.* 17. habet de natura scripturæ, seu confessionis in scriptis factæ; quia non est secreta, tamen sicut non debet aggrauari pœnitens, altera opinio

Ad sextum responsio.

Resolutio cõmunis.

Sententia cõtraria.

Amotio personæ in eo casu non est pœna.

Seruari debet decretũ Clementis.

opinio est valde pia, & sequenda in praxi, quia illa scriptura, & notitia per eam habita spectat ad scientiam confessionis.

45 *Ad vltimum de fugiendo excommunicato.* x *Ad vltimum dico*, &c. Respondet de fugiendo excõmunicato, quem quis nouit in confessione esse talem, dicit primò quòd cap. *Cùm non ab homine*, &c. *de sentent. excomm. in 6.* non loquatur de excommunicato noto per confessionem tantùm, sed de noto priuatim, verbi gratia, si percusserit ipsum confessarium sine arbitro, vel alium Sacerdotem sciente id confessario. Si verò in confessione nouit censuram incursam, debet vitare si potest sine reuelatione confessionis; aliter verò non est vitandus, & præceptum de fugiendo excommunicato cedit precepto sigilli. Et vniuersaliter, vt dicit Doctor, præcepto Superioris cedit præceptum inferioris in quacumque materia, in quibus opponuntur, quæ est doctrina communis. Plures alij casus in specie proponuntur à Doctoribus in hac materia, quorum resolutio ex dictis habetur.

DISTINCTIO XXII.

CVMQVE multis auctoritatibus suprà sit assertum, in vera cordis contritione peccata dimitti ante oris confessionem, vel operis satisfactionem, ei etiam qui aliquando in crimen relapsurus est: quæritur, si post cordis contritionem confiteri contempserit, vel in peccatum idem, vel simile ceciderit, an peccata dimissa redeant? Cuius quæstionis solutio obscura est, & perplexa, aliis asserentibus, aliis contra negantibus peccata semel dimissa vlteriùs replicari ad pœnam. Qui verò dicunt peccata dimissa redire, subditis se muniunt testimoniis. Ambrosius ait, [Donate inuicem, si alter in alterum peccat: alioquin Deus repetit dimissa. Si enim in his contemptus fuerit, sine dubio reuocabit sententiam, per quam misericordiam dederat: sicut in Euangelio de seruo nequam legitur, qui in conseruum suum impius deprehensus est.] Item Rabanus. [Nequam seruum tradidit Deus tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum: quia non solùm peccata, quæ post Baptismum homo egit, reputabuntur ei ad pœnam, sed etiam originalia, quæ in Baptismo sunt ei dimissa.] Item Gregorius, [Ex dictis Euangelicis constat, quia si ex corde non dimittimus quod in nos delinquitur, & hoc rursum exigi, quod iam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.] Item Augustinus, [Dicit Deus, Dimitte, & dimittetur tibi: si ego priùs dimisi, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, reuocabo te: & quicquid dimiseram, replicabo tibi.] Item, [Qui diuini beneficij oblitus, suas vult vindicare iniurias, non solùm de futuris peccatis veniam non merebitur, sed etiam præterita, quæ iam sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur.] Item Beda, [Reuertar in domum meam, &c. Timendus est ille versiculus, non exponendus: ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.] Item, [Quemcumque enim post Baptisma siue prauitas hæretica, seu cupiditas mundana arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum.] Item Augustinus, [Redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Euangelio docet in illo seruo, à quo dimissum Dominus debitum petiit, eo quòd ille conseruo suo debitum nollet dimittere.] His auctoritatibus innituntur, qui dicunt, peccata dimissa si replicantur, redire simpliciter. Quibus opponitur, Si quis pro peccato, de quo pœnituit, & indulgentiam accepit, iterum punitur, non videtur iustum. Si punitur pro eo quod peccauit, & non emendauit, iustitia est aperta. Si verò requiritur quod fuerat condonatum, vel iniustitia est, vel iustitia occulta. Videtur etiam Deus bis in idipsum iudicare, & duplex tribulatio consur

A Dist. 17. lit. c Dist. 14. lit. d

Ambros. super 4. c. ad Eph. in fine, & in glossa interlin. ibidem.

Matt. 18. d

De pœnit. dist. 4. in princ. & c. sequenti.

Lib. 4. dial. c. vlt. & de pœnit. dist. 4. Constat.

De verbis Dom. Hom. 15.

Lucæ 6. f

Ibid. quoad sententiam.

Super Lucam lib. 4. cap. 48.

Ibidem.

Lib. 1. de Bapt. cõtra Donatist. de consecr. dist. 4. c. 12. & quomodo exaud.

Matt. 18. d

Nahum 1. c

Psalm. 102.

Augustin. super illum Psalm.

consurgere, quod Scriptura negat. Sed ad hoc potest dici, quòd neque duplex tribulatio consurgit, neque iudicat Deus bis in idipsum. Hoc enim fieret, si post condignam satisfactionem, & sufficientem pœnam iterum puniret, sed non satisfecit dignè & sufficienter, qui non perseuerauit. Debuit enim iugem peccati habere memoriam non ad faciendum, sed ad cauendum. [Debuit non obliuisci omnes retributiones Dei, quæ tot sunt, quot sunt peccatorum remissiones.] Tot ergo debuit cogitare dona Dei, quot mala sua, ac pro illis vsque in finem gratias agere. Sed quia ingratus ad vomitum, sicut canis, rediit, anteacta bona mortificauit, & peccatum dimissum reuocauit, vt cui humiliato antè Deus peccatum dimiserat, eidem postea elato & ingrato imputet.

Aliorum sententia.

B *Matth. 15. c* *Peccata per ingratitudinem redeũt.*

SEd quia absonum videtur, vt peccata dimissa iterum imputentur, placet quibusdam neminem pro peccatis semel dimissis iterum à Deo puniri. Sed ideò dicuntur dimissa redire & imputari, quia propter ingratitudinem ita reus, & peccator constituitur, vt antè fuerat. Sic enim quod dimissum fuerat dicitur exigi, quia remissionis perceptæ ingratus, ita reus fit vt antè fuerat. Vtrique parti quæstionis probati fauent Doctores. Ideóque alicui parti non præiudicans, studioso Lectori iudicium relinquo, addens mihi tutum fore, ac soluti propinquum: sub mensa dominorum micas edere.

Quid sit hîc Sacramentum, & res?

C

POst prædicta restat inuestigare quid in actione pœnitentiæ sit Sacramentum, & res? Sacramentum enim signum est sacræ rei. Quid ergo hîc signum est? & quæ est res sacra huius signi? Quidam dicunt Sacramentum hîc esse, quod exteriùs tantùm geritur, scilicet exterior pœnitentia, quæ est signum interioris pœnitentiæ, scilicet contritionis cordis, & humiliationis. Quod si est, non omne Sacramentum Euangelicum id efficit quod figurat. Exterior enim pœnitentia non efficit interiorem: potiùs interior causa est exterioris. Sed ad hoc inquiunt illi, hoc esse intelligendum de illis Sacramentis, quæ in nouo Testamento instituta sunt, vt est Sacramentum Baptismi, Confirmationis, & Corporis Christi. Sacramentum verò pœnitentiæ, sicut & coniugij, ante tempus gratiæ, etiam à primordio humani generis fuit. Vtrumque enim institutum fuit in primis parentibus. Item, si exterior pœnitentia Sacramentum est, & interior res Sacramenti, sæpiùs præcedit res Sacramentum, quàm Sacramentum rem. Sed nec hoc inconueniens est. Nam & in aliis Sacramentis quæ efficiunt quod figurant, hoc sæpè contingit. Quidam autem dicunt exteriorem pœnitentiam, & interiorem esse Sacramentum, nec duo Sacramenta, sed vnum, vt species panis & vini non duo sunt Sacramenta, sed vnum. Et sicut in Sacramento corporis, ita etiam in hoc Sacramento dicunt aliud esse tantùm Sacramentum, scilicet exteriorem pœnitentiam; aliud Sacramentum & rem, scilicet interiorem pœnitentiam; aliud rem & non Sacramentum, scilicet remissionem peccatorum. Interior enim pœnitentia, & res est Sacramenti, id est, exterioris pœnitentiæ, & Sacramentum remissionis peccati, quam signat & facit. Exterior quoque pœnitentia, & interioris signum est, & remissionis peccatorum.

Gãdulphus lib. 4. sent. circa finem sui tractatus de pœn.

Aliorũ sententia.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm peccata per pœnitentiam dimissa in recidiuante redeant eadem numero?

D.Thom. 3.*part.quæst.*88. *art.*1. D.Bonau. *hîc art.*1. *quæst.*1.2. Rich. *art.*1. *quæst.*1.2.3. Durand.*q.*1. Hug.Vict. *de sacr.part.*14. *cap.*9.Gratian. *d.*4. *de pœn. princip.* Sotus *dist*, 16.*quæst.*1. Abulens.*in* 18. *Matth. quæst.*140. Alber. *hîc art.*5. Suar. *tom.*4. *disp.*13. *sect.*1.

CIRCA,[a] distinctionem vigesimam secundam, quæro vnicam quæstionem. 1
Vtrùm peccata per pœnitentiam dimissa in recidiuante redeant eadem numero. Videtur quòd sic. Augustinus contra Donatistas lib. 1. cap. 5. *Argum.*1. *Redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Euangelio in illo seruo docet: eo quòd dominus dimissum debitum repetiit, quia ille conseruo suo debitum nollet dimittere*, Matth. 18. Et in hac auctoritate Christi fundantur omnia dicta Doctorum dicentium peccata redire, quorum multæ auctoritates ponuntur in littera.

Item Iac. 2. *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Item, contritus de peccato si postea contemnit confiteri, aut redit idem peccatum, & sic habetur propositum: aut non, & sic erit dimissum sine secunda & tertia parte pœnitentiæ; quod est inconueniens. *Argum.*2. *Argum.*3.

Item, tenebra potest redire eadem numero: quia priuatio numeratur, vel ex numeratione habitus, cui opponitur, vel subiecti; sed tenebra sequens lumen habet idem subiectum cum tenebra præcedente, & est priuatio eiusdem luminis in numero, quia idem lumen in numero maneret, si tenebra non inesset: ergo eodem modo peccatum, quod est tenebra spiritualis in mente, potest eadem numero redire. *Argum.* 4.

Contrà, successiuum non redit idem numero: peccatum est huiusmodi: ergo, &c. 2
Probatio maioris, quia tunc contradictoria possent simul esse vera. Sit enim in hoc instanti vnum contradictoriorum verum, si istud postea redit idem numero in illo recidiuante, aliud contradictoriorum potest esse verum. *Ratio opp.*

Item, peccatum non inest alicui, nisi per actum aliquem peccantis: sed ille actus non redit idem numero in recidiuante: ergo nec peccatum.

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione Magister in prima eius parte agit de reuiuiscentia peccatorum. In secunda parte agit de natura Sacramenti. Noster autem Doctor hanc partem tractauit *dist.*14. *quæst.*4.... ideò primam partem hîc tantùm differit vnica quæstione, quæ est vltima huius tractatus de pœnitentia.

a *Circa hanc distinctionem vigesimam secundam*, &c. Hæc quæstio diuiditur in tres articulos. Primus est, an de potentia absoluta posset redire peccatum dimissum quantùm ad debitum pœnæ æternæ? Secundus, An de potentia ordinaria sic redeat? Tertius articulus, an redeat quoad circunstantiam aliquam? 1 *Ordo & diuisio quæstionis.*

SCHOLIVM.

*Peccatum sumptum pro obligatione ad pœnam, quæ tantùm manet transacto actu peccati, & nihil aliud physicè loquendo (licèt moraliter maneat ipse actus peccati, donec remittatur, vt dixi dist.*14. *quæst.*1. *art.*1.*) de potentia absoluta posse idem numero redire in recidiuante, vel non recidiuante.*

IN ista[b] quæstione primò est videndum, vtrùm possibile sit idem peccatum numero de potentia Dei absoluta redire. Secundò, si de potentia ordinata Dei possit aliquo modo idem redire. Tertiò, quomodo de facto potest dici in recidiuante. De primo dicitur quòd non, quia nihil potest redire idem numero, nisi per potentiam diuinam: sed peccatum quoad culpam non potest redire idem per Dei potentiam, quia secundùm Augustinum 83. quæst. qu. 3. *Deo auctore nemo fit deterior.* 3 *Ric.præsenti dist.q.*1. *An idem numero peccatum redire possit.*

Contra hoc, peccatum (vt dictum est *dist.*14. *qu.*1.) potest ad propositum intelligi dupliciter, & hoc loquendo de peccato actuali; vno modo ipsa inordinatio actualis: alio modo obligatio ad pœnam sequens illum actum. Primum dicitur culpa in actu:

secundum dicitur reatus sequens ex illa culpa. Illa autem obliquitas, quæ propriè nata est esse in actu, non propriè manet post actum; tum quia priuatio, quæ nata est inesse determinato subiecto, non propriè manet sine illo subiecto: tum, quia tunc opposita possent simul esse. Si enim aliqua inordinatio propria culpæ odij fraterni remaneret post actum, & postea sequeretur fruitio eiusdem fratris, essent simul culpæ oppositæ, quia odium immoderatum, & immoderata fruitio eiusdem personæ. Ex hoc igitur sequitur verum esse illud, quod dictum est ibi, quòd post actum peccati transeuntem, nihil præter iniustitiam habitualem, id est, carentiam gratiæ, manet in anima, nisi obligatio propria ad pœnam correspondentem culpæ actuali.

Manet tamen ipsum actuale moraliter, vt ibi dixi.

4 Ex hoc sequitur quòd prædicta ratio non concludit propositum, quia si loquitur de inordinatione, siue obliquitate, quæ est in culpa actuali: dubium est, an concludit illam non posse redire. Sed de illa non quæritur in proposito, sed de obligatione ad pœnam.

Probatio verò adducta per Augustinum nihil valet hîc, quia etsi Deo auctore non fit homo deterior malitia culpæ, tamen potest esse malus malitia pœnæ, & multò magis obligatus ad pœnam; cùm nullus sit rectè obligatus ad pœnam, nisi per actum voluntatis diuinæ.

Item, Deus potest istum obligare pro *B*, ad eandem pœnam, ad quam pro *A*, igitur & iste potest obligari ad eandem, & per consequens habere eundem reatum, & voca, *A*, & *B*, instantia, inter quæ succedit tempus medium, in quo non est obligatus. Antecedens probatur, quia voluntas mea hoc potest velle, scilicet istum primò ordinare ad pœnam: & secundò velle non ordinare ad pœnam sub conditione, scilicet si iterum non offendat: & si iterum offendat velle eum ex tunc ordinare ad eandem pœnam.

5 Si dicas, quòd in hoc voluntas mea non est iusta, & per consequens simile non potest competere voluntati diuinæ. Contrà 12.*quæst.*2.*Episcopus*, seruus manumissus propter ingratitudinem iterum pœnæ seruitutis iustè subditur: ergo sic in proposito.

Sed diceretur fortè, quòd ista ratio non probat quòd hæc obligatio redeat eadem numero ad pœnam eandem numero: hæc enim sunt diuersa, obligatio ad pœnam eandem, & eadem obligatio ad pœnam. Et confirmatur, quia volitio Dei ad pœnam infligendam isti pro *A*, & pro *B*, non est eadem volitio secundùm rationem, licèt sit eadem secundùm rem: est enim alia, & alia volitio diuina secundùm rationem secundùm diuersitatem obiectorum.

Contrà, si non pœniteret tempore intermedio, maneret obligatio non tantùm ad pœnam, sed etiam eadem obligatio. Sed quicquid Deus potest circa creaturam manente aliqua continuatione, quæ nihil est illius voliti, potest illo circunscripto: quia illud non est aliquid de essentia illius voliti: ergo, &c.

Sic igitur potest dici [c] quantùm ad istum articulum, quòd siue in recidiuante, siue in non recidiuante, quia actus diuinus non dependet à peccato extrinseco istius recidiuantis: potest Deus de potentia absoluta reducere obligationem istius ad eandem pœnam quæ priùs, & etiam eandem obligationem: & ita eodem modo, quo peccatum remanet post actum, quia non nisi obligatio ad pœnam, potest de potentia Dei absoluta peccatum idem numero redire, non solùm in recidiuante, sed in non recidiuante.

Excepto scilicet ipso actu qui moraliter manet, donec remittatur.

COMMENTARIVS.

b IN *ista quæstione*, &c. Præmissa diuisione quæstionis, in primo articulo adducit sententiam, quæ negat peccatum remissum posse de potentia absoluta redire idem numero in recidiuante, quæ est Richardi & aliorum. Non est hæc controuersia de reditu peccati dimissi quoad reatum culpæ, & malitiæ, quæ fuit in peccato; sed de reditu peccati quoad reatum pœnæ æternæ. Supponit ergo Doctor id quod aliàs sæpe tractauimus, reatum culpæ & pœnæ distingui, reatum verò culpæ non propriè manere transeunte actu, id est, non manere physicè in homine peccatore, quamuis manet moraliter: sed manere iniustitiam habitualem, quæ est priuatio gratiæ demeritoriè inducta per peccatum, & debitum pœnæ æternæ incursum ob peccatum præteritum. Ex quibus infert quòd ratio Richardi non concludat ad propositum, quia si loquatur de inordinatione culpæ actualis, dubium est si concludit non posse redire per potentiam Dei absolutam; sed de illa, inquit, non quæritur in proposito: sed obligatione ad pœnam.

Sententia Richardi.

Ex hac responsione Doctoris, in qua dicit dubium esse, si ratio illa concludat non posse redire peccatum remissum, quoad culpam, & non solùm quoad pœnam, infert noster Fauentinus *in hanc distinct. disp.* 41. omnino secundùm principia Doctoris de potentia absoluta posse redire eandem malitiam actualem culpæ, & principiis generalibus, quibus probat infrà *dist.*43. *qu.*14. redire posse idem numero corpus, id colligit: sed neque illæ rationes concludunt propositum, neque 2

Interpretatio Fauentini de reditu maculæ saltem de potentia absoluta.

Reiicitur.

neque ex aliis locis Doctoris suppetit argumentum, vnde id asseratur de peccato actuali, de cuius malitia hic agit Doctor: quamuis dicat rationem illam Richardi esse dubiam probationem.

Non posse redire culpam eandem numero. Deus non est author peccati.

Aliud enim est de effectu dicendum, quem Deus se solo producere potest, vel ad eius productionem determinare causam ex qua fit, & per quam fit. Aliud verò loqui de peccato quod Deus permissiuè tantùm causat, & cuius non est proinde author: vnde ad hunc effectum qui repugnat esse à Deo authore, aut suasore, aut determinante antecedenter, perinde se habet potentia eius ordinaria, & absoluta, quarum neutra in peccatum influit ipsum producendo, aut conseruando, aut determinando, & quantùm ad hoc videtur ratio Richardi concludere, quam ipse Doctor amplectitur *in 2. dist. 37. quæst. vnica § sed tunc restat videre*, &c. In qua quæstione docet peccatum non posse esse à Deo, licèt concurrat ad eius materiale, sed esse tantùm à libero arbitrio deficiente.

3 *Non posse redire peccatū de potentia absoluta.*

His ergo suppositis, sic argumentor: quia vel peccatum actuale rediret iterum de potentia absoluta, Deo solo illud reproducente, & tunc non rediret in ratione peccati, sed tantùm actus materialis, de quo etiam est dubium, an Deus se solo posset actum illum materialem producere cum illa specificatione, qua est peccati subiectum, de quo nunc non dissero (imò repugnat istum actum esse natum fundare priuationem peccaminosam, nisi vt est à libero arbitrio tanquam causa, & consequenter denominari posse peccatum materiale, vt produceretur à Deo solo) vel ille actus reproduceretur per ipsum liberum arbitrium, Deo tamen determinante ad indiuiduum actus, iuxta sententiam eorum, qui dicunt ita determinare, vt saluetur possibilitas operandi liberi arbitrij, quæ nequit ex infinitis possibilibus eiusdem perfectionis indiuiduis, nisi determinetur ad aliquod præ aliis, vnum præ aliis producere.

Si rediret per concursū voluntatis, non esset idē peccatum numero in esse pec-cati.

Hoc etiam dato non rediret, propriè loquendo, idem numero indiuiduum peccati moraliter, quamuis physicè esset idem: quia quantùm ad determinationem, & conatum voluntatis, esset nouum exercitium libertatis, & in pœna, & malitia æquiualeret diuersis numero peccatis, neque esset consequenter eadem priuatio numero, sed etiam diuersa, & per frequentationem actus opponeretur regulæ, & esset defectus nouus, non antiquus liberi arbitrij, ex quo tanquam ex causa multiplicatur priuatio hæc, quæ nequit esse à Deo, neque eadem numero à causa per diuersam efficientiam, scilicet deficientiam: vnde infrà *in hac quæstione responsione ad quartum* negat Doctor redire posse eandem numero priuationem, virtute naturæ. Ergo idem diceret de hac priuatione morali, quæ inest ex libero arbitrio de nouo deficiente. Addit præterea *ibidem* ad vnitatem priuationis requiri vnitatem continuationis in subiecto. Quòd si actus præteritus continuaretur per totum tempus intermissum remissionis, haberet malitiam diuersam ratione continuitatis; ergo ex frequentatione eius de nouo deficiente libero arbitrio, sequitur etiam noua priuatio. Probatur consequentia, quia si peccatum idem quoad materiale eius, fieret ab alio, esset priuatio diuersa ab illa, quæ fuit eius in Paulo cui est remissum, neque consequenter diceretur idem peccatum redire in alio, sed absolutè quantùm ad deformitatem diuersum, quia & causa deficiens est diuersa, & supponit diuersum debitum rectitudinis in voluntate huius, (diuersum dico numero,) ab eo debito quod habuit Paulus seruandæ rectitudinis. Ergo perinde etiam in Paulo se habet, qui de nouo contra regulam deficit peccando. Ergo non est idem peccatum quod redit in recidiuante; sed nouum quantùm ad maculam. Hic autem modus redeundi peccati remissi in recidiuante non fuit ad scopum huius quæstionis, in qua agitur tantùm an reuiuiscat peccatum quantùm ad maculam per nouum peccatum in diuerso genere, quod committit recidiuans, ita vt remissio peccati commissi implicet conditionem perseuerandi in gratia remissionis, & non habendi vlteriùs, & eo ipso quo labatur, an de possibili reuiuiscat peccatum eius aliàs dimissum, vt possit reuiuiscere.

Requisita ad vnitatem priuationis.

Idem actus si fieret ab alio esset diuersum peccatum.

Scopus quæstionis.

4 *Non posse redire in ratione præteriti præcisè.*

Tenendo ergo possibilem esse talem modum remissionis vt redeat peccatum remissum per modum circunstantiæ peccati noui, oporteret declarare modum, in quo hæc possibilitas ex parte Dei, & hominis fundatur, loquendo præcisè de macula, quem ego difficulter inuenerim: nam remittendo peccatum absolutè, ita vt ampliùs non maneat, nequit apponi vlla conditio, per quam idem ipsum denuò reuiuiscat per actionem Dei, aut hominis in ratione peccati præteriti præcisè: potest tamen dici secundùm eandem specie malitiam, de possibili posse redire, vt si extenderetur præceptum contra quod peccatum dimissum, fuit peccatum, ad materiam cuiusque peccati primi recidiuantis ob ingratitudinem eius, tunc primum peccatum eius esset transgressio vtriusque præcepti, tam proprij, quàm adiuncti virtute, & onere prioris remissionis, & sic rediret primum peccatum dimissum secundùm æquiualentiam in numero, sed quoad speciem idem ipsum: sed fortè aliquis dicet materiam noui peccati non esse capacem talis præcepti, quia ex se non dicit proportionem medij ad finem illius virtutis, cuius præceptum fuit violatum per primum peccatum. Solutio huius dependet ab illa quæstione de connexione virtutum.

Modus quo rediret in specie. Per extensionem præcepti.

Obiectio.

5 *Soluitur. Actus vnius virtutis potest elici, & præcipi ex fine alterius.*

Respondetur tamen, sicut actus vnius virtutis potest ex fine alterius elici, ita etiam præcipi posse ex fine alterius, vel vtriusque præceptum posse coincidere respectiuè ad aliam superiorem in eadem materia ex certis circunstantiis. Vnde si Deus vellet ob beneficium remissionis factæ, & ad finem conseruandæ remissionis peccati dimissi, & gratitudinis ob speciale hoc beneficium, extendere præceptum, cui peccatum opponitur ad materiam cuiuscunque alterius de nouo perpetrandi, non apparet repugnantia, quia suppetit motiuum gratitudinis, & iustitiæ, vt hoc onus induci possit: nam sicut requiritur de facto ad remissionem peccati non solùm dolor, & eius detestatio. Sed præterea propositum emendationis ad effectum remissionis eius: sic etiam hoc propositum præscribi posset non solùm in affectu vt præscribitur: sed etiam in effectu, & extendi præceptum violatum ad aliam materiam ex hoc fine.

Extensio præcepti violati ex onere remissionis ad peccatum nouum.

Soluitur ratio Fauentini.

Ratio Fauentini non concludit contra præmissa: quia licèt idem actus in numero rediret, non tamen eadem malitia rediret in numero, sed alia per differentem numero conatum voluntatis

Peccatum rediens per nouum vsum libertatis est aliud numero in esse maculæ.
Exponitur Doctor.

luntatis de nouo, siue repetitum. Et similiter multiplicaretur pœna debita peccato, vt si dimitterentur etiam requireret nouam pœnitentiam, & remissionem sui, non secus ac si esset aliud materialiter; vnde colligitur in esse maculæ esse diuersum. Dubium autem Doctoris circa rationem Richardi intelligendum est iuxta æquiualentiam modo dicto explicatam; nam hoc sufficit, vt ratio dicta non probet de potentia absoluta non posse redire peccatum dimissum quoad scopum huius quæstionis, in qua quæritur, an aliquo modo reuiuiscat peccatum præteritum quoad malitiam, eo modo, quo probabile est reuiuiscere iustitiam in eodem gradu, non quòd eadem in numero restituatur; sed quòd eadem in gradu æquiualente.

6 Conclusio huius §. est, quantùm ad obligationem, seu reatum pœnæ æternæ reuiuiscere posse peccatum quoad potentiam Dei absolutam, etiam quoad eandem numero obligationem pœnæ; relinquit Doctor priorem casum quem hactenus disseruimus insolutum: quia de eo non disserit, hic tamen supponit redire peccatum remissum quoad culpam, & maculã esse omnino diuersum, ab eo quod hîc tractat de reditu peccati quoad reatum pœnæ. Probat primò, quia non apparet repugnantia ex parte diuinæ voluntatis, obligatio enim ad pœnam est à diuina voluntate per iustitiam vindicatiuam: potest ergo Deus ita remittere pœnam peccatori cum hoc onere de potentia absoluta, vt reuiuiscat eadem pœna peccati dimissi propter contemptum prioris beneficij recepti, neque est vlla repugnantia ex parte iustitiæ, quia prior remissio fuit beneficium speciale etiam cum hoc onere, & sufficiens fundamentum debiti ad pœnam reuiuiscentem, est ingratitudo peccatoris, & contemptus veniæ receptæ. Vnde sicut Deus potest, & potuit peccatum primum eius non ordinasse per pœnam æternam de potentia absoluta, sed reseruasse pœnam debitam peccato, quando adiiceret creatura secundum peccatum: ita potest remissionem peccati dare simpliciter quantùm ad culpam, quantùm verò ad pœnam eandem remissionem dare cum hac reseruatione, vt si adiiciat secundò peccare, redeat illa pœna in integrum. Probat Doctor hoc idem: quia voluntas creata hoc ipsum faceret, vt pœna reuiuiscat recidiuanti, & hoc per legem iustam. Ergo & voluntas diuina idipsum præstare potest. Antecedens patet 12. *q.*2. *cap. Episcopus*; in quo seruus manumissus, seu donatus libertati, ob ingratitudinem iterum subditur pœnæ seruitutis. Consequentia patet, quia omnis lex iusta deriuatur à prima regula, quæ est diuina voluntas: ergo quidquid legislator humanus ordinat secundùm iustitiam, etiam voluntas diuina ordinare potest.

Conclusio. Posse reuiuiscere pœnam æternam de potentia absoluta.
Probatio. Non repugnãtiam ex parte diuinæ voluntatis.
Nõ repugnat iustitia diuinæ.
Titulus reuiuiscentiæ.
Exemplum in voluntate creata.
Deus facere potest quod secundùm iustitiam fit.

7 Dices, non sequi, eandem esse pœnam numero.

Responsio.
Impugnatur. Esse eandem pœnã numero posse.

Contrà replicat Doctor, quia si non pœniteret, maneret eadem obligatio ad pœnam tempore intermedio inter primum, & secundum peccatum; sed quidquid Deus potest circa creaturam manente continuatione, potest ea circumscripta; peccatum autem continuatum non est debitum, aut ordinatio ad pœnam; neque hæc includit peccatum vt volitum per ipsam, aut priorem voluntatem Dei; sed directè cadit in ipsam pœnam, vt debitam peccato, tanquam eius ordinatio: peccatum enim nequit esse volitum positiuè à Deo, quia est priuatio omnis boni, quod nullo modo honestari potest ab intrinseco, aut extrinseco, aut communicare cum motiuo primario diuinæ voluntatis, quod est simpliciter infinitum bonum, quod nequit directè, aut indirectè participari à macula peccati, aut ad ipsum extendi tanquam finis: pœna verò ex suppositione peccati cadit directè sub iustitia vindicatiua Dei; ideóque volitio eius separatur à volitione positiua peccati, quæ nequit esse in Deo. Doctorem sequitur Gabriel *hîc*, & Suarez *disput.* 13. *sect.* 1. *&* 2. & videtur magis communis.

Volitio directa pœna non est volitio peccati.
Peccatum nequit esse volitum positiuè à Deo.

Cæterùm Vasquez *quæst.*38.*art.*1.*dubio vnico*, hanc conclusionem reiicit, supponens plura de natura iustificationis, & contritionis, & satisfactionis, peccati habitualis, & obligationis ad pœnam debitam, quæ ipse aliàs tractauit, & nos sparsim in superioribus, suis disseruimus locis. Ipse autem amarè digreditur, & in Doctorem, & in alios sequaces: sed his contemptis, resolutio eius in hoc stat; quòd peccator ex natura rei satisfaciat contritione, ex natura rei exhibet condignam, & æqualem satisfactionem, qua non solùm deletur peccatum, & dignitas pœnæ ex natura rei; sed etiam fit hæres regni cœlestis, particeps diuinę naturæ per gratiam, quam intelligit ipse contritionem ex natura rei repugnantem cum peccato. Vnde si Deus vellet ampliùs renouare pœnam, posset dici ipsum punitum non esse dignum pœna, cùm iam satisfecerit debito ad æqualitatem, & ex natura rei. 8

Cõtraria sententia Vasquez.
Fundamentum eius. Contritio ex natura rei iustificat, vt satisfactio cõdigna.

Aliam speciem iustificationis mox infrà subiungit, quòd si non contritione, inquit, sed infusione gratiæ habitualis cum attritione, vt in Sacramentis contingit, iustificetur homo, perinde est ac si satisfecisset contritione, quia ita sanctus constituitur, & verè iustus: qui autem verè iustus constituitur, debet omnino maculam, quam habebat, vt iam ampliùs dignè ab ipso pœna repeti non posset, &c. & dicit si Deus eum puniret, acturum vt dominum, non verò vt iudicem.

Alia species iustificationis.

Ex hac doctrina non adeò confidenter agendum esset, vel certè moderatiùs, quia quidquid sit, an gratia iustificationis ex natura rei deleat peccatum, quæ est sententia satis solemnis in scholis; demus etiam iustitiam adulti, vt hic author tacitè insinuat esse quandoque ipsam contritionem formalem, nullus admittere debet de facto actum peccatoris, in eo statu elicitum, esse condignam satisfactionem ex natura rei pro suo peccato mortali, si loquamur de satisfactione in rigore Theologico, prout ipse loquitur discernens hunc modum iustificationis ab eo qui fit in Sacramento per collationem gratiæ habitualis. Si ergo contritio ex natura rei sit digna satisfactio, quoad æqualitatem pro peccato mortali, ita vt Deus non liberaliter, sed ex iustitia remittat peccatum, ita vt ampliùs reuiuiscereę non posset de potentia absoluta eius debitum, vt ipse contendit; nihil aliud est quàm opera, quæ iustificationem antecedunt ipsam iustificationis gratiam, quantùm ad remissionem peccati promereri, quod est contra Tridentinum, *sess.*6.*cap.*8.*& fin.*& Paulum ibi citatum, & antiquiora Concilia cõtra Pelagium, vt *d.*16. fusiùs tractatum est, *quæst.*10. nam aliud est contritionem 9

Remissio peccati fit gratis, & non per contritionem, vt satisfactionem ex natura rei.

tritionem per modum iustitiæ opponi peccato, & aliud delere peccatum ex natura rei per modum satisfactionis, sine vlla Dei liberalitate, aut condonatione propter Christi satisfactionem.

10 *Iustitia in habitu & nō in actu consistit.* Alia propositio quam subindicat, communiter in Scholis reiicitur tanquam falsa: nempe iustitiam adulti consistere in contritione: quia Tridentinum *sess.* 6. de iustificatione, dicit consistere eam in aliquo dono permanente, vt *suprà* visum est.

Tertium quod supponit ad institutum præsentis quæstionis est, idem esse manere dignitatem & obligationem ad pœnam ac peccatum manere, est etiam falsum, quia dimisso peccato aliquando manet pœna debita eius, seu obligatio ad pœnam, dimissis venialibus in primo instanti separationis animæ iusti, manet obligatio ad pœnam, non manet peccatum, dimisso peccato mortali, per contritionem, vel Sacramentum, manet debitum pœnæ temporalis sæpe. Ergo non sequitur ex permanentia debiti pœnæ manere peccatum; ergo neque ex remissione peccati quoad culpam sequitur remissio eius quoad pœnam. *Dimisso peccato manet pœna debita eius.*

Impugnatur fundamētum Vasquez. Vnde refellitur eius ratio fundamentalis: contritionem esse satisfactionem æqualem ex natura rei peccato, vel intelligit ita esse æqualem vt extinguat peccatum cum omni debito pœnæ debitæ peccato, vel solùm pœnæ, verbi gratia, æternæ, de qua est sermo. Primum dici non potest, quia nisi contritio sit excellens, non inducit extinctionem pœnæ temporalis, vt supponit Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. quia pœnitentia non reducit ad plenam indulgentiam, nisi sit laboriosa, & cum magnis nostris fletibus. Hanc autem pœnitentiam, de qua ibi loquitur, subdiuidit infrà *cap.* 4. in contritionem perfectam, & imperfectam, quæ dicitur attritio, & *cap.* 8. *de satisfactione* supponit regulariter Deum non condonare peccatum sine debito pœnæ temporalis, supponit contritionem ex sua specie non habere hunc effectum delendi omnem pœnam, quod maximè verum est in sententia, quam ipse & alij sequuntur, quæ asserit contritionem ex sua specie esse talem ex motiuo supernaturali in quocunque gradu, etiam remisso, elicita: ergo nequit contritio ex sua specie esse satisfactio ex natura rei debens omne debitum pœnæ peccati. *Contritio ex natura rei nō satisfacit pro omni debito pœna.*

11 Quòd si dixerit delere per modum satisfactionis ex natura rei debitum pœnæ æternæ tantùm,

Contritio non est satisfactio ex natura rei pro pœna æterna. *Argumētum à maiori ad minus.* Contrà, illud ex natura rei excludit per ipsum omnem diuinam acceptationem, ita vt non possit in vllo casu manere debitum pœnæ æternæ supposita tali satisfactione, & argumentor sic: quidquid ex natura rei extinguit debitum pœnæ æternæ per modum satisfactionis æqualis, & rigorosæ, etiam ex natura rei habet proportionem satisfactionis rigorosæ, & æqualis pro pœna debita peccato, quæ sit temporalis. Sed hæc pœna est ex natura rei debita peccato iuxta opinantem, vt suprà suo loco visum est, quia ad meritum & demeritum vniuersim excludit diuinam acceptationem, & vult debitum quodcunque ex alterutro fundari ex natura rei secluso omni pacto, & specialiter id docet etiam de pœna temporali debita mortali remisso. Sed contritio non tollit hoc delictum ex natura rei, vt dictum est: ergo etiam neque ex natura rei tollit pœnam æternam, seclusa Dei remissione speciali, vt ipsi est annexa iuxta præsentem prouidentiam. Ergo potuit etiam non fuisse annexa de potentia absoluta, & tunc non remittere debitum pœnæ æternæ, quamuis remitteret peccatum. *Pœna debetur peccato ex natura rei secūdùm opinantem.*

Secundò, ipsa contritio non habet hanc virtutem nisi per modum dispositionis, & quatenus lege acceptatur in Christo, aut eius satisfactionem applicat, in quo remittitur, & gratis iustificamur, & non ex operibus. Ergo si ex natura rei non tollit ipsum peccatum per modum satisfactionis æqualis, aut per modum formæ sanctificantis formaliter per adoptionem, sic etiam neque ex natura rei habet rationem dictæ satisfactionis seclusa Dei acceptatione pro pœna æterna debita pro peccato. Patet consequentia, quia hæc satisfactio secundariò ad pœnam extenditur, primariò verò ad peccatum: ergo sicut peccatum non delet ex natura rei, hoc est, secluso pacto, quo acceptatur vt innititur satisfactioni Christi, vel vt eam applicat, in cuius virtute tollitur peccatum gratis, ita etiam neque debitum redundans ex peccato aliter delet. Sed hoc non est delere peccatum ex natura rei, vt præfatus author intelligi vult, sed ex diuina misericordia in Christo, & gratis. Ergo de potentia absoluta potuit, etiam supposita contritione, non remitti, aut pœna, aut peccatum, aut ipsa contritio habere vim vllam satisfaciendi formaliter in effectu. 12 *Secunda ratio.* *Non datur satisfactio cōdigna ex natura rei pœna æterna, in nobis.*

Tertiò, pœna æterna debetur peccato mortali de facto ex diuina lege, loquendo de debito exigente ordinationem, Deus ergo potuit de potentia absoluta non punire peccatum mortale pœna æterna, sed alia pœna condigna secundùm intensionem, quæ in duratione non esset æterna: potuit etiam acceptare satisfactionem pro peccato, non autem pro hac pœna temporali. Antecedens patet, quia peccata damnatorum non inducunt pœnam à se diuersam; quòd ergo viatoris subiiciatur debito pœna, est ex diuina institutione, & lege, quæ potuit non esse: vel potuit aliter fieri cum limitatione, quam Deus præscribere posset, & sicut mutari potest genus pœnæ secundùm iustitiam, ita & modus remissionis: in proposito autem casu contritio non posset ex natura rei tollere pœnam illam temporalem, sicut neque de facto tollit pœnam temporalem debitam mortali remisso per contritionem semper, & in quocunque casu: ergo. 13 *Tertia ratio. Deus potuit non ordinare pœnam, vel non ordinare æternam.*

Dices, pœnam illam æternam ideò tolli per contritionem, quia contritio constituit hæredem regni, & iustum. 14 *Responsio.*

Contrà, non sic constituit per modum satisfactionis considerata, qua ratione præcisè respicit debitum, sed formæ, quod etiam falsum est, & contra Tridentinum. Deinde, iuxta communem potuit esse vindicatio digna peccati, quamuis non interueniret adoptio, aut amicitia, vt si Deus alium statum constitueret creaturæ, finis tantùm naturalis, in quo essent media delendi peccati, non autem pœnæ aliter, quàm per satispassionem in termino, vel in hac vita. *Impugnatur.*

Aliud etiam quod dicit præfatus author, nempe per infusionem habituum deleri ita hanc pœnam ex natura rei, ac si interueniret satisfactio, non consequenter dicitur: quia, vt dictum est, neque hæc deletio peccati per habitum infusum est per modum satisfactionis, neque delet omne debitum pœnæ, vt patet ex dictis, vel ex natura rei, vel ex diuina acceptatione, licèt de facto *Aliud assertū impugnatur.* *Gratia habitualis non delet omnem pœnam de facto.*

facto tollat pœnam æternam: & licèt iustificationis præsentis hic sit effectus, tamen alia possibilis est, quæ non induceret remissionem pœnæ, nisi sub conditione, vel alio modo, quem facile est formare secundùm regulas diuinæ iustitiæ, & status possibilis creaturæ.

15 *Obiectio.* Obiicit Vasquez, Deum neminem ordinare posse ad pœnam, nisi eum quem inuenit dignum: non est autem dignus pœna, nisi per peccatum maneat maculatus, neque redit proinde pœna, nisi redeat dignitas pœnæ, & ipsum peccatum.

Responsio. Respondetur, hanc rationem nullam esse: quia & dimisso peccato potest manere dignitas, seu obligatio ad pœnam, quæ ex natura rei debetur, verbi gratia, peccato veniali remisso; vel dignitas pœnæ temporalis pro mortali remisso, quæ dignitas est ex peccato, & secundùm regulas diuinæ iustitiæ; sic etiam remisso originali manet concupiscentia, & mors, quæ sunt pœnæ illius peccati, neque pœna æterna magis ex natura rei sequitur ad mortale, quàm pœna temporalis ad veniale: si ergo separari potest remissio venialis à remissione pœnæ debitæ, sic etiam potest de possibili remitti mortale non remissa pœna ei debita, vel etiam remitti hæc pœna, cum conditione, si iterum labatur vt redeat eadem eius obligatio, sine eo quòd redeat macula peccati. Hæc autem dignitas pœnæ rediuiuæ incurreretur ex peccato præterito, adiuncta recidiuatione in aliud peccatum nouum, & ex modo remissionis cum onere perseuerandi. Negatur itaque subsumptum, nempe aliquem non esse dignum pœna, nisi sit tum maculatus peccato. Negatur etiam redire necessariò peccatum, redeunte obligatione ad pœnam: ex quibus refellitur id quod sequitur, nempe ex sententia hac Doctoris necessariò sequi, si pœna posset redire, etiam redire de facto tam pœnam, quàm peccatū in eo casu.

Manet debitum pœna remisso peccato.

Modus reuiuiscentiæ pœnæ possibilis.

16 *Expungitur calumnia ex interpretatione non fundata.* Plura etiam alia imponit Doctori, quæ aliàs soluimus, vt quòd putarit maculam peccati consistere in ordinatione ad pœnam. Hoc non putauit Doctor, quia maculam peccati aliter definit. An verò maneat illa macula peccati actualis propriè in rigore physico, in peccatore, sicut manet in eo priuatio gratiæ, & debitum pœnæ, est alia quæstio longè diuersa, de qua sæpiùs tractauimus in superioribus. Doctor tenet ipsum esse verè peccatorem per actum præteritum, vt manet moraliter, & vt non est remissus, & illam maculam verè remitti per gratiam, quando infunditur, & mutari peccatorem moraliter & secundùm *dici*, & quoad statum per remissionem peccati, licèt hæc mutatio ex parte termini *à quo*, non sit mutatio realis, & in rigore physico, sed tantùm moralis. Videantur quæ dicta sunt d. 16. q. 2. & d. 14. q. 1.

17 *An possit redire pœna æterna in eo qui non est relapsus?* c *Sic igitur potest dici*, &c. Quomodo possit esse obligatio ad eandem pœnam in recidiuante iam dictum est: sed vlterior difficultas est, quomodo in non recidiuante posset eadem numero obligatio ad pœnam redire: quia Deus de potentia absoluta nequit punire pœna, per punitionem, quæ sit actus iustitiæ vindicatiuæ, & ex motiuo eius, nisi supposito debito pœnæ in reo: si ergo est absolutus à peccato, & pœna debita semel, nequit iterum redire eadem pœna sub ratione pœnæ propriè dictæ; nam peccator supposita indulgentia plenaria tam culpæ, quàm pœnæ, ita se habet, ac si non peccasset, quantùm comparatur ad iustitiam vindicatiuam.

Ratio difficultatis.

Respondetur intelligendum esse Doctorem iuxta primum argumentum, quando scilicet talis remissio pœnæ, seu voluntas puniendi esset in Deo pro tempore aliquo determinato, ita vt pœna non remitteretur absolutè, & simpliciter pro omni tempore, sed pro aliquo tantùm, & reuiuisceret pro tempore sequenti; tunc enim quamuis peccator non incurreret pœnam, aut debitum eius, nisi secundùm tempus determinatum à lege, seu voluntate diuina, vt si tempore discreto vellet esse incursam; tamen expirato tempore remissionis, rediret pœna, etiam propter peccatum præteritum, & in hoc non esse repugnantiam patet ex dictis; quia remissio pœnæ pro aliquo tempore tantùm, esset beneficium collatum peccatori, & obligatio ad pœnam pro alio tempore, si superuenisset, esset ex debito peccati præteriti, & remissi: posset ergo ex tali modo remissionis redire pœna, seu debitum eius in non recidiuante, aliter autem non, vt si remissio fieret absolutè & simpliciter, & non limitatâ ad certum tempus, quia hæc remissio comprehendit totum tempus sequens ipsam remissionem, & includit voluntatem non puniendi absolutam, quia tollit obiectum iustitiæ vindicatiuæ in vniuersum, respectiuè ad tale subiectum. Aliquis fortè exponeret textum de reuiuificatione pœnæ materialiter in ratione tormenti, & vt esset actus potestatis declarans dominium Dei in creaturam, non verò vt est actus iustitiæ. Sed hoc non est pœnam redire propter peccatum antiquum in *esse* pœnæ; quod supponit Doctor.

Responsio, & explicatio Doctoris.

Posset Deus de potentia absoluta infligere pœnam peccati pro tēpore discreto.

Remissio pœnæ pro aliquo tempore determinato esset beneficiū.

Reuiuiscētia autem pro reliquo esset debitum peccati.

Remissio absoluta non limitata repugnat reuiuiscentiæ pœnæ.

Alia expositio.

Videtur mihi Suarez meliùs intellexisse intentionem Doctoris in præcedenti litera, quàm Fauentinus; hic enim ita intelligit Doctorem loqui absolutè, vt non intendat aliquem modum remissionis diuersum ab eo, qui est de præsenti, & secludat omnem conditionem, ita vt quamuis absolutè, & sine vlla limitatione fiat remissio pœnæ; tamen de potentia absoluta Deum posse facere, vt eadem reuiuiscat, quia sibi non ademit libertatem, & potestatem iterum puniendi, si vellet. 18

Expositio Fauentini.

Reijcitur. Argumenta tamen Doctoris implicant diuersum modum remissionis, & conditiones, & ratio manifesta est, quam ipse adducit contra Alensem *dist. præcedenti ad initiū quæstionis*, probans quòd peccato veniali non debeatur pœna æterna, quia sic impossibile esset vt compateretur cum iustitia præsenti, & adoptione ad gloriam, cum qua nequit consistere pœna æterna. Sentit ergo manente iustificationis præsentis modo, & natura, ac remissionis peccati mortalis per ipsam, impossibile esse pœnam debitam peccato mortali redire, nisi ex alio modo remissionis: & argumentum iam factum id conuincit; quia modus hic remissionis absolutæ peccati, & pœnæ debitæ, tollit omnem inæqualitatem ex parte peccatoris, ita vt ampliùs non sit obiectum diuinæ iustitiæ; neque esse posset cum hac absoluta remissione, magis quàm si nunquam peccasset. De potentia autem absoluta nequit Deus agere ex iustitia, nisi supposita materia eius in peccatore, neque per iustitiam derogare voluntati determinatæ, & absolutæ suæ misericordiæ, qua voluit peccatorem ampliùs

Remissio absoluta tollit omne debitū in peccatore.

Iustitia supponit debitū.

Voluntates oppositæ nequeunt esse in Deo.

amplius non esse reum peccati, aut pœnæ. Ergo hæc suppositio infert necessitatem Deo non puniendi amplius peccatorem, cui absolutè, & sine vlla reseruatione remisit peccata quoad culpam, & omnem pœnam; itaque possibilitas puniendi sicut supponit demeritum, cui obnoxius est reus, ita etiam implicat conditionem diuersam remissionis, per quam absolutè non fieret remissio, sed cum onere, aut aliqua reseruatione pœnæ, vt reuiuiscere possit.

19 Hanc etiam intentionem Doctoris rectè colligimus ex sequenti eius articulo, in quo docet, de potentia ordinaria non posse redire peccatum dimissum quoad pœnam æternam: quia

Probatur intentio Doctoris ex articulo sequenti.

quando possibilitas alicuius effectus reducitur in potentiam Dei absolutam, sumitur potentia Dei in sensu diuiso, & vt præscindit à determinatione particulari, & opposita, quam habet iuxta præsentem prouidentiam. impossibilitas ergo redeundi pœnæ æternæ iam remissæ, & fundata in potentia ordinaria, reducitur ad voluntatem Dei, qua absolutè remittit illam pœnam simul cum peccato, & consequenter absoluta remissio inducit semper eundem effectum, & impossibilitatem. Verum ergo est de potentia absoluta posse eandem pœnam reuiuiscere; sed vt implicat conditiones non repugnantes ex alia Dei voluntate.

Potentia absoluta, & ordinaria in Deo quomodo sumuntur.

SCHOLIVM.

De potentia ordinaria peccatum siue pro culpa, siue pro pœna sumptum, non redire per recidiuationem: docet tamen merita mortificata per mortale, per pœnitentiam reuiuiscere, ad eandem gloriam, quæ antea debebatur eis. Ita communis hic, & D. Thom. 3. p. q. 89. art. 5. D. Bonaud. 14. 2. *p. art.* 2. *q.* 3. *Richard. art.* 8. *q.* 2. *Gabr. q.* 3. *art.* 3. *Palud. q.* 1. *art.* 2. *etsi non omnes explicent, an reuiuiscant ad eandem gloriam, quæ antea eis debebatur.*

De secundo articulo dico [d], quòd Deus disposuit peccata pœnitentis post pœnitentiam esse tecta, secundùm Augustinum exponentem illud Psal. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta*, id est, non ampliùs videri ad vindictam; & secundùm illud Nahum, *Non iudicabit Dominus bis in idipsum.* Et ideò de potentia ordinata non potest redire obligatio, nec ad eandem pœnam, nec eadem postquam est extincta, & hoc est, quod habetur de pœnit. dist. 4. *Diuina clementia, dimissa peccata in vltionem vlteriùs redire non patitur.* 6

Psal. 31.

Nahum c. 1.

Contrà, bona opera mortificata per peccatum mortale, pòst in resurgente à peccato reuiuiscent, vt dicit Augustinus de pœnit. dist. 2. & ponitur in litera dist. 15. cap. 4. *Pium est credere, vt cùm Dei gratia in homine destruxerit mala priora, etiam remuneret bona: & cùm destruit quod suum non inuenit, diligit bonum quod in illo plantauit.*

Item, similiter se habent mala ad punitionem, & bona ad remunerationem: sed bona facta priùs reuiuiscunt ad remunerationem: ergo & mala redeunt ad punitionem.

Respondeo, dici posset vno modo, quòd hæc est superabundans bonitas, & misericordia diuina: quia bona semper viuunt in eius acceptatione, bona, inquam, meritoria: & semper esset eis præmium retribuendum, nisi esset indispositio recipientis propter nouam culpam, sed mala totaliter extinguuntur, ita quòd nec in se, nec in intellectu, vel voluntate diuina, remanent in ordine ad vindictam, & ideò Augustinus ad quandam instantiam infidelium, probantium quòd non semper Deus vult dimittere peccata (dicunt enim Dominum mali incitatorem, & ei semper placere mala, quibus semper præstat gratiam.) Respondet Augustinus, *Constat ei multùm peccata displicere, qui semper præstò est eadem destruere: si enim ea amaret, nunquam destrueret*, & ponitur in Canone *de pœnitent. dist.* 3. quod frequenter, & hîc *dist.* 14. *cap.* 3. 7

Mala totaliter extinguuntur per pœnitētiam, bona non sic per lapsum.

Et per istam viam esset ad propositum bonum exemplum Iuristarum, quòd alicui remanet aliquod ius, cui tamen non remanet, vel non competit actio propter aliquod impedimentum. Ita habenti bona merita in acceptatione diuina, mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum ius, quod correspondet illis meritis ad vitam æternam, sed non remanet actio, quamdiu ille est inimicus: & si perpetuò sit inimicus, perpetuò cessat illa actio: cessante autem inimicitia contracta per nouum peccatum mortale, non redit nouum ius, sed competit actio secundùm ius antiquum, in mortali autem remisso, nec ius remanet, nec actio: quia nec Deus habet ius vindicandi in istum: ita enim perfectè texit peccatum istius, & remisit, vt nec actio sibi remaneat ad vindicandum.

Pro meritis mortificatis remanet ius ad gloriam, sed impeditum.

Quamuis hoc sit benè dictum in commendationem misericordiæ diuinæ: tamen potest aliquo modo reduci ad iustitiam, hoc modo. Peccatum non remittitur, nisi ad minùs debitum pœnæ æternæ commutetur in debitum pœnæ temporalis, qua commutatione facta, nunquam regulariter remittitur illa culpa, nisi illa pœna soluatur in se, vel in pœna æquiualenti: & per consequens remisso peccato mortali in se primò, & in pœna sua soluta, pòst nihil iuris remanet, per quod ab isto sit exigenda pœna aliqua pro illo peccato. Sed post meritum aliquod vita æterna dignum, nunquam dignitas 8

Quare merita redeūt, non peccata.

ista ad bonum æternum commutatur secundùm iustitiam in bonum temporale: igitur nunquam expirat illud ius, quousque bonum æternum sit solutum, sed illud non soluitur in viatore dum est viator: ergo semper manet illud ius, tamen extinctum per peccatum mortale, quia tunc non competit sibi executio iuris sui. Non est igitur simile de remuneratione meritorum mortificatorum, & de reditione peccatorum remissorum, non solùm propter Dei misericordiam, quod vtique verum est: sed etiam propter istam iustitiam commutantem ibi æternum in temporale, non sic autem hîc.

Meritis mortificatis reuiuiscentibus, an ex iustitia debeatur præmium?

Per idem patet ad secundum argumentum, quia non similiter se habent mala ad punitionem, & bona ad remunerationem; quoad hoc, quòd mala possunt puniri temporaliter, & sufficienter si pœna æterna sit commutata in temporalem: sed bona merita non possunt præmiari sufficienter per talem temporalem commutationem: nec per consequens, nisi ipsum præmium æternum in se sit collatum; quod nũquam fit viatori, & ideò semper remanet ius sibi saluum ad gloriam, quam acquisiuit per illa merita.

COMMENTARIVS.

20 *Secundus art. Conclusio communis. Sententia opposita.*

d DE *secundo articulo dico*, &c. Conclusio hęc communis est omnium Theologorum *in præsenti distinctione*, & 3.*p.q.*88. *art.*1. Contrariam sententiam tenuit Hugo de Sancto Victore 3. *tomo lib.*2. *de Sacramentis p.*14. *c.* 9. & Gratian. in eandem sententiam multa congerit *de pœnit. d.*4. Magister eam subindicat *in* 4. *d.*22. & oppositam opinionem asserens vtrâque à probatis Doctoribus sustineri, nec velle se præiudicare vni, aut alteri. Gulielmus etiam Parisiensis *tract. de Sacram. pœnitentia*, eandem tuetur. Fundamentum huius sententiæ oppositæ desumitur ex Scriptura ex illa parabola *Matth.* 18. vbi narratur Dominus reuocasse totum debitum serui, quia noluit dimittere conseruo suo, & subditur: *Pater meus cœlestis sic faciet vobis si non remiseritis quisque fratri suo de cordibus suis.* Secundò, Scriptura sæpe dicit peccata iustorũ tegi, & à charitate operiri, quod idem est ac remitti ipsa. Ergo quando Scriptura dicit peccata remissa recordari, vel fore in memoria Dei vindicantis, intendit ea iterum redire. Tertiò, bona opera per peccatum mortificata redeunt per pœnitentiam: ergo mala etiam remissa per peccatum subsequens. Consequentia patet, quia *Ezechiel* 18 eodem modo dicit Deus se nõ recordaturum operum bonorum iusti quando labitur; ac malorum peccatoris quando pœnitet. Quartò, 3. *Regũ* 16. *Quid mihi, & tibi est vir Dei, ingressus es ad me, vt rememoraretur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Item Psal. 78. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*, &c. Augustinus contra Donatistas *lib.*7. *de Baptis.* asserit expresè patere ex loco Matthæi citato redire peccata demissa denuò peccanti.

Fundamenta huius sententiæ.

21 *Probatio conclusionis.*

Omissis aliis rationibus, probatio Doctoris, quæ & communis est, est primum ex illo Psalmi, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, &c. Id est, inquit Doctor, non ampliùs videri ad vindictam. Huic addit illud Nahum 1. *Non iudicabit Dominus bis in id ipsum*, iuxta versionem LXX. Ad primum locũ reduci possunt reliqua Scripturæ testimonia de efficacia pœnitentiæ, fidei, & Sacramentorum ad salutem, & charitatis, cum efficacia satisfactionis Christi Domini, qui sua redemptione consummanit Sanctos, & deleuit chirographum peccati: hæc autem efficacia absoluta est; ergo effectus eius semper manet, quod & docet authoritas Prosperi, quam citat Doctor in litera.

Efficacia mortis Christi & Sacramentorum.

Quoad locum illum Prophetæ, quem communiter adducunt Scholastici aliqui, dubitant si probat: Vasquez autem negat habere illam sententiam, seu sensum qui prætenditur, secutus interpretationẽ Ariæ Montani, qui refert illa verba ad Assyrios, quorum consummatio talis erit per vnam plagam, vt necessum non sit adiicere aliam: quod cõfirmare videtur per verba sequentia: *quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium consumetur quasi stipula ariditate plena*, &c. Deinde in vulgata legitur: *non consurget duplex tribulatio*, &c.

Interpretatio quorumdam in locum Nahum.

22 *Reijcitur.*

Respondetur, hunc non esse verum sensum, & intẽtum à Propheta: sed illum quem sequuntur Scholastici, præmisit enim: *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se*, &c. vnde infrà se explicans, *Afflixi te, & non affligam vltrà*, &c. quod perinde est, ac non adiicere secundam, & loquitur Israëli: & subdit: *& nunc conteram virgam eius*, supple Senacherib Regis Assyriorum, & Niniue, quæ fuit Metropolis regni, *de dorso tuo, & vincula tua disrumpam*, &c. Vnde & hæc Prophetia destructionem Niniue, & consolationem Israëlis continet. Prima tribulatio fuit vastatio Samariæ, & decem tribuum captiuatio per Assyrios; parcitur autem duabus tribubus, vt Iudæ, & Benjamin, & Ierusalem, quæ deinceps non fuerunt vastatæ per Assyrios, ideóque dicit Propheta, *non consurget duplex tribulatio*, vel iuxta septuaginta, *non vindicabit bis in idipsum in tribulatione.*

Expositio cõmunis confirmatur.

Verba ergo illa quæ obiicit Vasquez ex textu Prophetæ denotant modum liberationis Iudæorum à secunda tribulatione per subuersionem Assyriorum, qui eis inhiabant. Vnde si ratio temporum, quam init Tornielus, vera sit, nempe Nahum prophetasse an. 13. Ezechiæ, non possunt illa verba de duplici tribulatione referri ad Assyrios, qui annò sequenti 14. cæsi sunt ab Angelo in obsidione Ierusalem. Deinde, vt refert Dorotheus in vita Nahum, Niniuen subuersam fuisse terræ motu, & aqua stagni adiacentis, & igne emerso ex deserto, quod etiam refert Epiphanius. Deinde subuersa est à Chaldæis.

Duplex tribulatio non refertur ad Assyrios.

Patet ex supputatione tẽporum.

Tertio destructi Assyrij.

23 *Idem patet ex omnibus versionibus Scripturæ.*

Vnde Chaldæus vertit, *non consurget domui Israël duplex angustia*, &c. Arabicus, *non consurget altera vice in nocumento.* Syrus, *non stabit duabus vicibus tribulatio*, &c. Theodotion, *non consurget secunda tribulatio.* Symmachus, *non sustinebunt impetum secundæ angustiæ*, qui omnes referunt sententiam ad populum Israël, non ad Assyrios, sicut & proprietas Scripturæ ita suadet, quia tribulatio iustorum est, & infidelium, consummatio verò impiorum, & infidelium, vt erant Niniuitæ.

Tribulatio iustorum est consummatio infidelium.

Accedit quòd etiam S. Cyprianus *ser. de passione Domini*, eandem interpretationem sequitur: *Neque*

Patet ex Patribus. Cyprianus.

Neque enim bis in idipsum iudicat Deus, sed impœnitentes ipse iudicat, & damnat, pœnitentes verò, quia à se ipsis suscipit iudicatos absoluit, neque iudicio, quod pœnitentiæ humana seueritas protulit, aliquid iustitia cœlestis apponit,&c. Sic etiam Hieronym.& Remig.in idem cap.Cyrillus,Theophylactus, & idem docent super illa verba *afflixi te* referri ad Israël, & Ierusalem, non ad Niniuen. vt idem Hieronym.Remigius, Rupertus, Lyranus, Haymo, Vatabl. Ribera & alij. Huc etiam spectant preces fidelium, qui rogant vt peccata eorum in hac vita puniantur,ne seruentur in alteram. Vnde Paulus 1.ad Corinth.11. *Dum iudicamur à Domino corripimur,vt non cum hoc mundo dãnemur*,&c. Hanc veritatem vlteriùs confirmãt verba Prosperi citata à Doctore, & authoritas Gelasij Papæ. Videatur Gratianus loco citato.

Ratio Vasquez. Conclusionem hanc existimat Vasquez probari non posse ratione,nisi dicantur peccata, & pœnas remitti,vt ipse docet ex natura rei per satisfactionem in contritione,aut Sacramento:sed *Reiicitur.* hæc ratio non est vera in suo fundamento, neque scio quid iuuet vim satisfaciendi referre in contritionem peccatoris magis,quàm in satisfactionem Christi, & meritum, in quo habemus redemptionem.

24 *Probatio Doctoris.* Probat ergo Doctor conclusionem ex diuina clemẽtia cum authore libri de vera, & falsa pœnitentia.Deinde ex ratione iustitiæ assignans disparitatem inter bona merita per peccatũ mortificata,quæ reuiuiscant,& inter peccata, & pœnam æternam remissa per pœnitẽtiam; quia per pœnitentiam remittitur peccatum, & commu- *Disparitas inter reuiuiscentiam meritorũ,& peccati ex medio iustitia.* tatur pœna æterna in temporalem,qua commutatione facta,& soluta,pœna temporali per condignam satisfactionem, & sufficienter punitur peccatum quantum exigit diuina iustitia, & deletur omne eius debitum per interiorem, & exteriorem satisfactionem, & virtute clauium per sententiam, quam Deus approbat in cœlo, ac proinde est irreuocabilis absolutè, ergo non reuiuiscit sic peccatum punitũ & remissum. Bona opera quæ sunt præmium vitæ æternæ non ordinantur per præmium aliquod temporale: ergo manet ipsis ius præmij destinati, nisi impediantur,sublato autem impedimento reuiuiscunt.

Responsio. Dices, ob peccatum subsequens reuiuiscere priora dimissa ob ingratitudinem.

Impugnatur. Trident. Contrà,hæc responsio non satisfacit, & contrarium supponit Tridentinum *sess.*14. *cap.* 2. & *cap.*8.vbi docet pœnam huius ingratitudinis esse obligationem ad solam pœnã temporalem,sicut & idem supponit *cap.*14.*sess.*5.pro qua pœna tẽ- *Ingratitudo peccatoris punitur per solã pœnam temporalem.* porali imponitur satisfactio pœnitentialis.Vnde, vt expresse constat, hoc iudicium & sentẽtia de peccato confesso terminatur per solutionẽ pœnę temporalis debitæ, & per absolutionẽ suppositis aliis requisitis. Sicut supponit Concilium ingratitudinem peccatoris recidiuantis ex diuina clementia,& iustitia puniri per cõmutationem pœnæ æternæ peccati in temporalem; quam Deus manere voluit ex iustitia,& clementia ob ingratitudinem, quam committit baptizatus, post indulgentiam plenariam habitam in Baptismo.

25 Sicut ergo non redeunt peccata originale, & actuale ante Baptismũ commissa quoad culpam, aut pœnam, vt supponit Concilium (& definit etiam *sess.*5.*canone* 5.)& ingratitudinem per hunc specialem modum vindicari dicit; ita similiter neque peccata confessa, pro quibus est plenè satisfactum,redeunt in recidiuante.Probatur consequentia,quia peccata quoad culpam, & pœnã delentur in Baptismo, & illa obligatio ad solam pœnam temporalem,tunc manet in fideli lapso, quando pœnitentia non æquiualet Baptismo in efficacia, vt patet *sess.*14.*c.*2. Hæc ergo obligatio quam dicit Conciliũ manere, excludit ex mente Concilij,& secũdùm veritatem, omne aliud debitũ,quia specificatio debiti in ordine ad plenariam satisfactionem pro peccato,aut alio,in materia iustitiæ, & secundùm legem præfixam eius obligationi facta, præcisa est, & sic intelligit præcisè,vt nihil deficiat,nihil non expressum includat.Si ergo pœnam ingratitudinis refert Cõcilium ad satisfactionem interiorem, per erubescentiam,& contritionem,& ad pœnam temporalem,seu eius tantùm obligationẽ,sequitur non esse aliã pœnam ingratitudinis cõmissæ ex mente Concilij,& consequenter iudicium de peccato,& eius pœna æterna dimissa, & temporali satisfacta,ita est ratũ in cœlo vt ampliùs secundùm iustitiam nihil peccati reuiuiscat denuò per subsequens peccatum,quod & ipsa forma iudicij,& sententia absolutè lata non dependens ab aliquo statu futuro peccatoris confirmant. *Expressio pœnæ temporalis excludit aliud debitũ, & pœnam ingratitudinis.* *Iudicium pœnitentiæ ratũ & terminatum. Patet ex eius forma.*

Hinc euacuatur solutio Hugonis, qui dicit peccatum remissum esse quamdiu peccator pœnituit,& pro tum ei non reputari. 26 *Respõsio Hugonis.*

Contrà,quid est hoc *quamdiu peccator pœnituit de peccato?* vel intelligit peccatum non fuisse ex toto dimissum, sed sub quadam conditione: & hoc falsum est, quia aliàs sequeretur quòd iudex huius fori nõ remitteret absolutè peccatum,aut pœnam debitam,neque consequenter posset inducere obligationẽ satisfaciendi pro pœna temporali,neque haberet clauẽ ligandi,neque etiam ipse pœnitẽs obligaretur absolutè ad pœnã temporalem, neque ad satisfactionem implendam, quod nequit dici.Probatur consequẽtia,non potest secundùm iustitiam pro debito non remisso absolutè,neque remittendo,nisi posita conditione incerta, præscribi solutio certa,& in opere statim exhibenda: sed pœna tẽporalis est solutio certa, & abstrahens ab omni conditione futura, per quam non suspenditur eius obligatio,aut necessitas,& incurritur pro peccato,& pœna æterna tantùm, remissis in effectu: ergo si non sunt absolutè remissa, tollitur etiam obligatio pœnæ temporalis,& potestas ligandi absolutè reum ad satisfactionem præstãdam, quæ satisfactio debet esse secundùm mensuram peccati: alioquin inducere obligationem certam, & onerosam sine fructu vllo non conuenit diuinæ clementiæ. *Impugnatur.* *Ex inconuenienti.* *Aliàs non obligari posse peccatorẽ ad pœnam temporalem.* *Solutio certa pro remissione incerta nequit præscribi.*

27 *Confirmatio.* Confirmatur,si Deus hoc modo remittat peccatum, & pœnam æternam de facto sub conditione de futuro perseuerandi in venia accepta,& nõ absolutè, sequeretur iudicem inferiorem debere intendere hanc conditionem,imò etiã verbis expressam concipere in sententia, vt conformiter iudicet ad legem præscriptam remissionis, & vt sententia eius sit rata in cœlo. Sed absoluẽs eum hac cõditione expressa in forma absolutionis: [*Ego te absoluo à peccatis tuis si perseueraueris,* nihil faceret], & esset sacrilegus: ergo sententia eius sicut absolutè profertur in peccatorem, & independenter ab omni futura conditione, aut eius,sic etiam remissio peccatorum per virtutem clauium absolutè à Deo fit, & non sub conditione, aut aliqua reseruatione. *Deberet talis conditio intẽdi à iudice inferiori, & exprimi in sententia.* *Expressa annullaret formam.*

Responsio. Dices remissionem quidem absolutam esse, sed

ſed quamdiu pœnitentia eſt. *Iſte*, inquit Hugo, *quãdiu pœnitentiã egit, dimiſſum eſt ei peccatũ ſuum, quamdiu pœnituit peccatum ſuum, non imputabitur illi, quando meritum fuit, præmium permanſit*, &c.

Impugnatur. Sed hæc reſponſio non ſubſiſtit, quia terminata cauſa per ſententiam huius fori, nihil ampliùs requiritur, & ſatisfactio per pœnitentiam, quam Deus præfixit, completur: neque vlteriùs producere pœnitentiam tenetur peccator, neceſſitate ſalutis, aut iuſtificationis. Omiſſio ergo continuationis pœnitentiæ in ſe nequit eſſe cauſa vnde peccatum reuiuiſcat, quia non eſt fundamentum vnde colligatur hoc, aut pœnitentiam obligare ſemper, & pro ſemper; quia hoc non congruit, neque poſſibile eſt quòd ſic obliget quoad præceptum affirmatiuum; nec congruit talis obligatio, quia ſic aliarum virtutum contemneretur exercitatio, & præcepta.

Omiſſio pœnitentiæ peractæ nõ poteſt eſſe cauſa reminiſcentiæ.

2 S *Reſponſio.* Si autem Hugo intendat manere meritum pœnitentiæ moraliter, quãdiu non peccatur de nouo, & tunc retractari pœnitentiam.

Impugnatur. Contrà; neque hoc etiam rectè dicitur, quia peccatum nouum in materia alterius virtutis non dicit oppoſitionem ad virtutem pœnitentiæ ſpecialem. Ergo non erit eius retractatio ſpecialis, qua deſineret meritum antiquum, neque illud peccatum ex alia vlla obligatione, aut circumſtantia per ſe, aut per accidens annexa, habet tollere efficaciam prioris pœnitentiæ, aut meriti: quia ei non opponitur; imò ſicut peccatum contra alias virtutes non tollit merita illarum antiqua, vt ipſe Hugo ſupponit, ita minùs poterit tollere meritum pœnitentiæ præteritæ peccatorum, quàm retractatio meritorum, quæ prætericrunt in materia virtutis propriæ, cui opponitur peccatum: aliàs omne peccatum eſſet impœnitentia, quod neque verum eſt, neque admittitur.

Peccatum contra etiam virtutem nõ opponitur pœnitentiæ.

Deinde peracta pœnitentia, ſecundùm exigentiam, de peccato, deſinit omnis obligatio pœnitentiæ, quæ non obligat, niſi ex ſuppoſitione peccati nondum remiſſi: minùs ergo dependet pœnitentia à perſeuerantia in iuſtificatione per ipſam recepta, quàm ab aliis virtutibus, quarum præcepta affirmatiua abſolutè obligant, & non ex ſuppoſitione. *Peracta pœnitentia deſinit eius obligatio.*

Dices, peccatum nouum opponi effectui pœnitentiæ, & ſic implicitè retractari per ipſum pœnitentiam præteritam. *Reſponſio.*

Contrà, illa ſententia, quæ fuit in cœlo rata, nequit retractari. Præterea, quamuis peccatum nouum opponatur iuſtitiæ, quæ eſt per pœnitentiam, non ideò opponitur eidem, quæ eſt effectus pœnitentiæ: quia ſiue ex pœnitentia, ſiue ex alia fiat in nobis iuſtitia, perinde tollitur per quodcunque peccatum mortale, ex communi oppoſitione iuſtitiæ, & iniuſtitiæ. Illud ergo peccatum ſicut non eſt retractatio Baptiſmi, ſic etiam neque erit pœnitentiæ, & quamuis deleat ex ratione prædicta gratiam collatam in pœnitentia, non ſequitur annullare veniam peccatorum remiſſorum, aut hæc ipſa quoad culpam, aut pœnam reuocare, ad quæ nullum dicit ordinem ex materia ſua, aut lege, cui opponitur, aut intentione peccantis. Ad fundamenta ſententiæ oppoſitæ reſpondebitur infrà cum Doctore. *Impugnatur.* *Peccatũ non opponitur iuſtitiæ, vt eſt effectus pœnitentiæ.*

SCHOLIVM.

Reſurgentem non ſemper acquirere maiorem gratiam, quàm antea habuit. Hanc tenent qui docent per opera remiſſa charitatis, & aliarum virtutum, non augeri charitatem D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 6. Alenſ. 4. part. quæſt. 57. memb. 3. Sotus d. 16. quæſt. 2. art. 2. probabile tamen, & communius eſt oppoſitum, ſcilicet per omnes actus bonos iuſtorum augeri gratiam, & ſtatim, cui fauet Trident. ſeſſ. 6. cap. 10. & can. 24. 32. quod alibi docuimus non eſſe difforme Scoto, quia ait tantùm hanc concluſionem eſſe probabilem d. 21. art. 1. num. 10. & idem eſt de his, & de meritis reſuſcitatis ſecundùm Scot.

9 CONtra hoc [e], quia tunc omnis reſurgens à peccato mortali reſurgeret in gratia maiori, quàm fuit illa, à qua cecidit: quia reſurgeret in omnibus bonis, quæ priùs habuit iam viuificatis, & præter hoc, in iſto actu pœnitentiæ per quem reſurgit, & quem illis præteritis ſuperaddit: & ita in maiori gratia; quod videtur inconueniens, tum, quia non omnis cadens ſemper grauiùs cadit, quàm priùs ceciderit: nec igitur reſurgens gratior reſurgit, quàm præfuit: tum, quia prima gratia poteſt eſſe maior, & minor, & per conſequens minima: ſed per pœnitentiam acquiritur prima gratia: ergo poſſibile eſt aliquando primam gratiam recuperatam per pœnitentiam eſſe minimam.

Merito quantũcunque remiſſo debetur præmium eſſentiale, nõ tamen gratia ſtatim danda. per ly ſtatim, *innuit quod poſt mortem dabitur, habet expreſsè d. 21. q. 1. num. 10.*

Ad hoc dico, quòd non eſt idem habere plura merita in acceptatione diuina, reſeruata in ordine ad præmium pro eis reddendum, & habere maiorem gratiam intenſiuè. Vniuerſaliter enim cuicunque merito debetur non tantùm aliquod præmium accidentale, ſed etiam præmium eſſentiale. Patet, quia ſi quis iſtud ſolùm haberet ſine omni alio merito, beatificaretur, non præcisè in illo gradu, in quo propter gratiam ſolam ſine meritis beatificaretur, ſicut paruulus nunc baptizatus: gloria enim cuiuſcunque habentis meritum proprium, excedit gloriam talis: ergo quodcunque meritum ſequens alia merita iam habita, requirit proprium gradum gloriæ eſſentialis ſibi correſpondentem: nec tamen per quodcunque meritum augetur ſtatim gratia: nec habens plura merita eſt ſemper in maiori gratia: ſi igitur ſufficiat ſola gratia ad aliquam gloriam, tamen meritis correſpondet aliquis gradus gloriæ ſaltem; licet maiori gratiæ ſine meritis correſpondeat maior gloria, quàm minori gratiæ. Tamen in

in quocumque gradu eodem ponatur gratia merito adiuncto, licèt per illud non statim intendatur gratia: tamen correspondet sibi gradus gloriæ, vltra illum gradum qui responderet præcisè illi gratiæ.

Per hoc dico ad argumentum, quòd resurgens plura merita habet in acceptatione Dei, quàm habuit quando cecidit;& per consequens ad maiorem gloriam ex ea parte ordinatur;sed non oportet eum in maiori gratia resurgere,quia secundùm eius dispositionem in detestando peccatum commissum intensè,vel remissè datur sibi nunc maior, vel minor gratia. 10

Sed contrà, quia tunc reportaret commodum de lapsu suo, quia resurgit dignior præmio in Dei acceptatione.Item responsio data videtur includere repugnantia;quia si est dignus maiori gloria quando resurgit, quàm fuit quando cecidit, & cecidit à magna gratia per quam fuit dignus magna gloria; ergo non resurgit in parua gratia: quia illud vnicum meritum, quod resurgendo superaddit, non adderet tantum de gloria, quantum defectus secundæ gratiæ, siue eius minoritas respectu primæ diminuerit de gloria: ergo,&c.

Ad primum dico,quòd non habet commodum,sed magnum incommodum; non solùm quia peccauit, sed ad propositum, quia totum tempus quo mansit in peccato, est sibi perditum,quo tẽpore merita potuisset multiplicasse,si tunc in gratia mansisset.

Non reportatur lucrũ ex lapsu,licet merita reuiuiscant.

Ad secundum dico,quòd præscindendo illud in gloria,quod respondet meritis, & illud dicatur *B.* ab illo, quod respondet gratiæ, & illud dicatur *A*; fortè *A* excedit *B.* & quando iste resurgit, quia omnia priora merita viuunt in Dei acceptatione, redit sibi ius, & dignitas ad totum *B.* sed ad *A.* non redit sibi ius, & dignitas, si gratia secunda sit minor prima: igitur reuiuiscunt merita, sed non reuiuiscit prior gratia,quia priùs habita. Et istud est satis consonum iustitiæ,quia gratia prior fuit tantùm donum Dei: merita autem erant aliquo modo opera hominis. Et ideò illa sunt sibi semper salua in acceptatione Dei: gratia verò non,vt propter eam ordinatur ad aliquod præmium, quia habuit eam, sed tantummodo per eam si nunc habet eam.

Meritis resuscitatis nõ redit gloria quæ debebatur gratiæ gratuitæ, id est, primæ gratiæ & secundæ ex operato.

Hæc via, tenens gradum essentialem gloriæ correspondere merito, consonat Scripturæ, quæ in multis locis istam sententiam diuinæ iustitiæ asserit, quòd reddet vnicuique secundùm opera sua, *in Psal.61.& Rom.2.* nusquam autem habetur,quòd reddet vnicuique secundùm habitũ suum;& consonat obseruantiæ legis diuinæ,quia secundùm ipsam vtile est continuè, quantum possibile est, opera meritoria exercere, quamuis remissa,adeò vt per illa non statim augeatur gratia:quia correspondet singulis in acceptatione Dei determinatus gradus gloriæ.Nec adeò expedit saluare gratiam quantum opus remissum agere, per quod non augetur gratia: quia etsi iste remissè agens non habeat maiorẽ gratiam per opus suum,quàm ille dormiens,in quo saluatur gratia sine tali ope:non tamen frustrà iste egit,nec in nullo excedit illũ qui dormiuit: imò per illud,quod egit,iam dignus est aliquo æterno bono,quo non est dignus ille. 11

Debetur nobis gloria, quæ nõ correspondet gratiæ, sed operibus remissis.

Ex isto sequuntur duo corollaria. Vnum, quòd aliquis dignus maiori gloria, loquendo de eo in gloria, quod correspondet meritis, & de digno non propinquè, sed remotè, puta secundùm ius, sed suspensum, damnatur: & alius dignus multò minori gloria isto modo saluatur; sed hoc ideò est, quia ille alius dignus est propinquè, quia habens ius non suspensum, dignus est etiam ad illud aliud in gloria correspondens gratiæ, ad quod non est ille damnatus dignus, & nulli datur correspondens meritis sine correspondente gratiæ. 12

Duo corollaria ex precedenti doctrina.

Si etiam illud correspondens merito est eiusdem rationis cum correspondente gratiæ, & per quodcumque meritum augetur istud in diuina acceptatione; igitur meritis finitis correspondebit tantum gloriæ,quantum est illud correspondens gratiæ. Aliquis ergo in gradu determinato habens illam, saluaretur, & habens omnia ista, sed mortificata, damnaretur. Damnatur igitur dignus, sed remota dignitate & suspensa, & sic dignus multò maiori gloria, damnabitur: & dignus dignitate propinqua multò minori, saluabitur.nec mirum,quia inimico dum est inimicus,quæcumque bona præterita non sufficiunt ad præmium consequendum.

Secundum corollarium est, quòd illa quibus respondet magnus gradus gloriæ, dum sunt mortificata,non possunt mereri minimam gratiam;alioquin qui cecidisset à multis meritis,iam meruisset,vt resurgeret ab illo lapsu per primam gratiam sibi propter ista merita conferendam. Nec tamen credo quòd merita mortificata omnino nihil faciant in acceptatione diuina ad primam gratiam dandam huic lapso;quia etsi secundùm strictam iustitiam iste inimicus Dei non sit dignus de propinquo ad aliquam gratiam, & gloriam: tamen excellens misericordia Dei propter præcedentia 13

Merita mortificata, aliquid faciunt pro resurrectione.

merita licet mortificata citiùs dat gratiam ad resurgendum. Vnde sicut credo quòd perfectior grauiùs cadit propter maiorem ingratitudinem: ita credo quòd cæteris paribus citiùs resurgit propter Dei benignitatem, merita prædicta ad hoc aliqualiter acceptantem. Vnde aliquando audiui de viro priùs valde perfecto, & postea profundissimè lapso, cùm propter facinora sua esset morti adiudicatus, misericordissimè visitato, perfectissima pœnitentia sibi subitò inspirata est. Istud benè debet allicere quemlibet ad semper meritoriè agendum pro viribus; quia siue mansurus, siue lapsurus sit, non erunt ista in obliuione totaliter coram Deo.

COMMENTARIVS.

29 *Obijcit Doctor. Reuiuiscẽtia meritorũ ad maiorem gratiam.*

e CONtra hoc: quia tunc omnis resurgens, &c. Obiicit contra disparitatem supra assignatam inter reuiuiscentiam meriti, & peccati, illius per pœnitentiam, huius per lapsum noui peccati. Obiicit, inquam, quòd resurgens à peccato resurgeret cum maiori gratia, quam fuerit illa, à qua cecidit, & sic ex lapsu reportaret commodum. Deinde contingit vt resurgens non resurgat, quàm fuerit ante lapsum, magis gratus, & possibile est eum resurgere cum parua gratia.

Responsio. Plura merita potest quis habere cum minori gratia.

Respondet Doctor ad hoc argumentum, aliud esse habere plura merita in diuina acceptatione: aliud verò habere maiorem gratiam intensiuè. Probat, quia vniuersaliter cuicumque merito correspondet non solùm præmium accidentale, sed etiam præmium essentiale gloriæ; quia si illud solum meritum haberet, corresponderet ei gradus gloriæ essentialis diuersus à gradu correspondente gratiæ, verbi gratia, baptismali quam recepit infans, & ratione illius gradus excederet in gloria infantem, qui careret tali merito. Subiungit omni merito etiam remisso correspondere proprium gradum diuersum gloriæ, ab eo qui correspondet meritis prioribus, tamen non correspondere diuersum augmentum gratiæ, saltem tum dandum. Inde respondet ad argumentum quòd aliquis habens alia merita resurgat ad maiorem gloriam ratione meritorum, non tamen ad maiorem gratiam; sed ad eam quam exigit eius præsens dispositio maior, vel minor.

Omnibus meritis correspõdet gloria essentialis.

Merito remisso non correspondere augmentũ gratia.

30 *An ius ad gloriam fundetur in operibus ratione sui? Responsio affirmatiua. Probatur.*

Circa hæc quæ breuiter Doctor attingit offerunt se plures difficultates. Primò de natura actualis iustitiæ, vt distinguitur ab habituali an fundetur in ea titulus proprius respectu gloriæ, licèt requirat adoptionem, & statum gratiæ in eo cui acquiritur hic titulus.

Ad quod respondetur breuiter affirmatiuè, vt vt rectè Doctor infra: *hæc via tenens gradũ essentialem gloriæ*, &c. quod probatur Psal. 61. & ad Rom. 2. *Deus reddit vnicuique secundùm opera sua.* Ad Roman. 4. *Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Ad Hebr. 6. *Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri*, &c. Ecclesi. 16. *Misericordia facit vnicuique locum secundum meritum operum suorum*, &c. Ad Hebr. 13. *Talibus enim hostijs promeretur Deus*, &c. loquitur de beneficentia. Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum*, &c. Matth. 5. *Merces vestra copiosa est apud Deum.* Matth. 10. *Qui suscipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet*, &c. *Superest mihi corona iustitiæ.* 1. ad Timoth. 4. patet ex parabola vineæ, & operariorum; patet ex parabola talentorũ, ex omnibus locis, in quibus promissio facta habetur operibus, & ratione ipsorum, in quibus iudicandi dicuntur homines secundùm opera quæ gesserunt, *Matth. 25. Luc. 14. 2. ad Corinth. 5. Apocal. 2. 14. 22. Psal. 118. 17. ad Hebr. 10. & aliàs sæpissimè.*

31 *Fundatur titulus in speciali acceptatione operum.*

Ex his sequitur titulum hunc fundari in operum acceptatione speciali, qua Deus per opera, tanquam per meritum ordinat hominem adultum ad vitam, & non fundari in gratia, quasi solius gratiæ acceptatione acceptarentur opera, licet opera vt sint digna supponant gratiam sanctificantem in iusto, quia promissio regni est facta filiis, & non peccatoribus. Hoc patet, quia promissio generalis facta est regni obseruatoribus legis, promissiones speciales operibus virtutum, vt fidei, charitatis, misericordiæ, pœnitentiæ, paupertati, &c. *Beati pauperes Spiritu*, &c. *Si vis ingredi vitam serua mandata*; obseruantia legis, & operatio virtutum, perseuerantia vsque in finem procedunt ex adiutoriis gratiæ actualis Christi, & libero arbitrio, ex quibus habentur merita tanquam ex causis elicientibus: & promissio hæc facta est homini propter opera, & non propter habitus, vt dicit Doctor, & benè: quia ipsa gratia sanctificans, inquantùm talis, concurrit tantùm per modũ circumstantiæ mediante persona eliciente per eam dignificata, inquantùm sanctificat. Vltra hoc præmium distribuitur secundùm perfectionem propriam operis, quam participat ex aliis causis, nempe gratia operante, & libero arbitrio: ergo hic titulus fundatur in opere meritorio ratione sui. Deinde vel acceptarentur opera hoc modo mediante prima gratia tantùm, vel mediante secunda. Non primum, quia prima gratia est ex dono Dei, nec tribuit ius ad gloriam tanquam ad præmium, seu coronam iustitię, vt patet in infantibus decedentibus cum sola iustitia baptismali. Non ex secunda, quia hæc acquiri potest per ipsa opera, & acquiritur de facto tanquam præmium subordinatum, & effectus operum: ergo titulus præmij non fundatur in operibus per acceptatiõnẽ solam gratiæ; accedit quòd gratia consummatur per opera in fine, & conseruatur, non è contra, vt patet in perseuerantia finali in obseruantia legis, in victoria tentationum, & concupiscentiæ, ex quibus conseruatur sanctitas tanquam per causas. Ex hac ergo conclusione sequitur titulum, seu ius operum, immediatè fundari in ipsis operibus ex speciali promissione, pacto, & acceptatione diuina facta operibus; & non acceptari sola acceptatione personæ, aut gratiæ sanctificantis, vt habet secum adeptionem personæ quæ acceptatio communis est habentibus, & non habentibus merita.

Probatur.

Valor operum proprius.

Promissio ipsis facta.

Gratia sanctificãs dignificat opera vt circumstãtia.

Perfectio operis ex alijs causis.

Acceptatio operũ specialis non est ex gratia prima, vel secunda.

Sequela ex dictis.

32 *Augmentum gratia est ex operibus tanquam subordinatũ præmium.*

Sequitur præterea ipsa opera acceptari ad gratiam, tãquam ad præmium collatum propter opera, loquendo de augmento gratiæ, quæ acceptatio est secundaria operum, seu minùs principalis: nam primaria est ad gloriam & finẽ. Accedit vlterius quòd ipsa prima gratia sit etiam

ex

Prima gratia adultorũ supponit opera.

ex operibus in adultis, tanquam ex dispositione, Deo eam exigente ante collationem gratiæ, quæ acceptatio operum à quibusdam, & etiam à Sanctis Patribus appellatur meritum latè sumptum, nempe meritum fidei iustificantis, atque in tali gradu meritum, vt si esset ex viribus liberi arbitrij, iam non esset à gratia, sed ex natura, & ipsa iustificatio ei tribueretur aliquo modo tanquam debita naturæ merces.

Aliud esse habere plura merita & habere gratiam intensiorem.

Ex his patet responsio Doctoris quantùm ad primam partem, nempe aliud esse habere plura merita in diuina acceptatione, & habere gratiam intensiorem; nam potest manere titulus & ius fundatum in ipsis operibus, quod nondum est retributum, quãtùm ad præmium gloriæ; quamuis non manet gratia, & non restituatur integrè resurgenti illa quam habuit ante lapsum. Replicando itaque rationem præmissam in §. antecedenti, quam hîc defendit, resolutio eius in hoc stat, nempe operibus deberi suum præmium gloriæ, quod nondum est retributum, tam ex diuina clementia, quàm ex iustitia & promissione. Ius ad gloriam fundatur ratione operum immediatè, & manet in diuina acceptatione, & non ratione gratiæ ex præmissis. Hoc ius fuit impeditum per peccatum; ergo sublato peccato reuiuiscit, quamuis gratia eadem, & in eodem gradu non redeat: quia eam sibi ipsi perdidit peccator, quam Deus neque ex iustitia neque ex misericordia tenetur denuò restituere, vt videbimus: sufficit autem quæcunque gratia, verbi gratia, pœnitentiæ, vt reuiuiscant opera, ad præmium quod nondum fuit retributum, quia hæc gratia tollit impedimentum peccati.

Vnde sit quòd merita, & nõ gratia reuiuiscat.

33

An operibus remissis correspõdeat augmẽtum gratiæ, & gloriæ.

Secunda difficultas est ex probatione quam adducit Doctor: an scilicet operibus remissis meritoriis debeatur augmentum gratiæ, & gloriæ essentialis. Plures autem fuerunt opiniones Scholasticorum circa incrementum iustitiæ.

Prima sententia. Non correspõdere augmẽtum nouum, sed antiquum præmium.

Prima est, operibus intensioribus quàm sit habitus duntaxat mereri nos augmentum gratię, quæ statim confertur, & gloriæ suo tempore: remissioribus autem, vel æqualibus, non mereri accessionem gratiæ, aut gloriæ essentialis, sed tantùm accidentarium quoddam præmium, nouum gaudium futurum de bono opere præterito: mereri etiam perpetuitatem, seu æternam durationem præmij, eo quòd eiusmodi operibus multiplicatis homo disponitur ad conseruationem iustitiæ & sanctitatis.

Præmium accidentale.

Idem præmiũ potest ex multis titulis.

Deinde addunt his operibus correspondere etiam suum præmium essentialis gloriæ & gratiæ, non nouum, sed antiquum, quod prioribus promeritum est, nam idem præmium potest pluribus meritis correspondere, sicut gratiæ habituali gloria per modum hæreditatis, & vltimæ dispositioni correspondet vt merces, Christo exaltatio nominis conuenit ratione vnionis hypostaticę, & ratione meritorum. Hanc sic declaratam docent S. Thomas *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 3. D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 40. *art.* 2. *quæst.* 3. sequitur Capreolus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 3. & Conradus 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 8. Fundamentum huius sententiæ est, quia non intenditur habitus nisi per actus intensiores ipso.

34

Secunda sententia. Si actus intensior sit habitu correspõdet ei præmium, si remissior non ita.

Secunda sententia est, mereri hominem per actus remissiores augmentum gratiæ & gloriæ dandum suo tempore gloriæ in altera vita, gratiæ verò in hac vita, quando elicit actum intensiorem, quàm sit habitus, quod si non elicuerit, nunquam recipit augmentum, quod actui remissiori debetur. Pro hac citantur magis Capreolus & Conradus, quàm pro prima. Item citari potest D. Thomas 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 8. *ad* 3. 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 6. *in corpore.* Hæc sententia refertur ad idem philosophicum principium, & quædam loca Scripturæ, quæ inferiùs proponemus.

Tertia sententia nihil mereri.

Tertia sententia est Durandi *in primo, dist.* 17. *quæst.* 8. actibus remissis nos nec mereri augmentum gloriæ, nec gratiæ. Ratio est, quia non meretur augmentum beneficij, qui malè vtitur recepto.

Quarta sententia Doctoris vtrumque mereri per actum remissum non statim dandum.

Quarta est nostri Doctoris *hic, & dist.* 21. *q.* 1. §. *Si iste modus non placet*, &c. Per opera remissoria etiam nos mereri augmentum gratiæ & gloriæ, quamuis non detur illud gratiæ augmentum statim, sed tempore congruo.

Quinta sententia. Dari statim augmentum gratiæ.

Quinta sententia est, dari etiam statim illud augmentum, quod tenet Gabriel *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 4. *art.* 3. *dub.* 2. *& in* 4. *dist.* 14. Almainus *tract.* 2. *moral. cap.* 11. *&* 12. Corduben. *lib.* 1. *quæst.* 9. Vasquez 1. 2. *dist.* 220. *cap.* 5.

35

Probatio. Conditiones meriti non inuoluunt intensionem respectiuam.

Conclusio, Iustus quouis opere etiam remissiore quàm sit habitualis iustitia positis requisitis meretur. Probatur primò, quia Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. enumerans conditiones operis meritorij, vt quod factum sit in Deo ex gratia Christi, qui influit tanquam caput in membra, &c. non agit de intensione actus supra habitum: ergo non debet tam onerosa conditio sine fundamento admitti.

Secunda ratio. Meritum & causa moralis potest esse inferioris gradus.

Secundò, meritum moraliter causat gratiam & gloriam: sed causa moralis potest esse inferioris ordinis & perfectionis, & semper hoc ipsum contingit in merito, quia nullus actus noster in hac vita accedit ad perfectionem gloriæ etiam remissioris in patria: ergo fundamentum oppositæ sententiæ corruit.

Tertia ratio. Causat ex ordinatione extrinseca.

Tertiò, causa moralis non causat secundùm entitatem, sed iuxta ordinationem extrinsecam; ergo perfectio eius, & virtus in causando non est attendenda simpliciter ex entitate.

Quarta ratio. Ex promissione facta. Trident.

Quartò probatur specialiter conclusio *Matth.* 10. vbi præmium offertur offerenti calicem aquæ frigidæ, quod est opus vile, & infimæ sortis. Vnde Trident. loco citato: *Neque verò illud omittendum est, quòd licet bonis operibus in sacris litteris vsque adeò tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum*, &c.

Quinta ratio. Ex obseruantia legis.

Quintò, operibus remissis contingit obseruatio legis & præcepti: sed obseruatoribus eiusmodi promittitur vita æterna: ergò.

Sexta ratio. Ex inconuenienti.

Sextò, peioris conditionis essent qui intensè post iustificationem operari conarentur, quàm qui remissè, quia in his potest crescere meritum, in illis nequaquam, cùm non contingat semper intensè operari.

Confirmatio. Nullus actus B. Virginis excessit gratiam præexistentem post Incarnationem.

Confirmari potest, quia sequeretur, verbi gratia, in beatissima Virgine post incarnationem nullum fuisse meritum, quia nullus actus eius potuit ex se æquare perfectionem gratiæ præexistentis, ne dicam excedere. Imò id etiam in viris perfectis, & qui conseruarunt innocentiam baptismalem: quia nullus actus in eis potest esse qui æquatur iustitiæ, quam acquirunt mediantibus Sacramentis, & prioribus operibus æquè perfectis, & ex magno conatu, & eisdem adiutoriis elicitis.

36

Septima ratio.

Septimò, perfectio meriti non solùm est ex actus intensione, sed etiam primariò ex obiecto, fine, & aliis circunstantiis: vnde actus intensior

Valor meriti ex obiecto fine & aliis crescit, & nō ex sola intentione. in se comparatus ad alium perfectè circunstantionatum, potest esse imperfectior simpliciter. Ergo accessio meriti non tantùm debet pensari ex intensione actus, quæ est circunstantia eius tantùm.

Perfectio charitatis supra reliquas virtutes. Octauò actus charitatis, & cuiuscunque superioris virtutis essentialiter perfectior est actu inferioris virtutis, sed ex sententia cōtraria æquè meretur voluntas per vnum atque alium, modò intensio sit vniformis, quod est falsum ex Apostolo 1. *ad Corinth.* 13. vbi actus charitatis præfert perfectissimis actibus aliarum virtutum & intētissimis, neque alioquin perfectiùs esset operari ex motiuo superioris, quàm inferioris virtutis.

Nona ratio. Ex relatione actus. Nonò, actus actualiter relatus à charitate in finem vltimum est perfectior quàm actus virtualiter relatus: sed hic posset esse intensior, ille remissior, vel vterque æqualis. Ergo vltimò videtur præfata sententia retrahere homines à bonis operibus, cùm multa inutilia ponat ad vitam æternam consequendam in ratione præmij. Ex dictis patet ad fundamentum illud philosophicum, cætera infrà soluentur.

Reiicitur secunda sent. Ex his dictis patet impugnatio secundæ opinionis, nam quod de dispositione actus intensionis dicit, videtur fictum, cùm neque id in physicis etiam requiratur. Vnde sistendum est præcisè in doctrina morali, quæ ex obligatione & debito adiuncto augmentum per actus remissos habetur, vel sistendum est in ratione physica, cui prima sententia innititur.

37 *Secunda conclusio. Dari augmētū gratiæ statim post elicitum actum remissum.* *Dico secundò.* Probabilius mihi videri hoc augmentum dari statim post ipsum opus elicitum, neque huic repugnat Doctor, quia etsi dixerit hoc augmentum non dari statim post actū, id assertiuè non asserit, sed ex suppositione sententiæ antiquorum, qui dicebant non augeri gratiam per actus remissos, vt seruarent proportionem inter meritum & gratiam, quæ est inter habitus acquisitos & actus, quibus acquiruntur. *Explicatur Doctor.* Hinc autem Doctor asserit saltem illud augmentum, seu gratiam debitam operibus remissis dari in termino, quod non est negare absolutè dari statim per actum; sed permittere quoad hoc sententiam oppositam. *Probatio.* Probatur iisdem rationibus, quibus probata est antecedens, quia meritum remissum perinde acceptatur ad præmium sibi proportionatum, ac meritum intensum ex generali lege, & per illud fit homo magis iustus. *Qui iustus est iustificetur adhuc.* & magis dignus vita æterna, sicut per quodius peccatum redditur magis indignus. *Ex regula generali iustitia.* Ergo sicut mortuo sine peccato, & pœna debita, daretur gloria essentialis debita operibus etiam remissis ex hac regula generali iustitiæ de dando debito, ita etiam quando nullum est impedimentum, & completum, manet ius creditori, ita etiam viatori datur augmentum gratiæ, sed in iusto, supposito opere quocunque meritorio, est ius recipiendæ gratiæ debitæ tali operi, & nullum est impedimentum eius recipiendæ: ergo statim eam recipit.

38 *Responsio.* Dices, esse illud impedimentum gratiæ intensioris, quàm sit meritum, & in causis moralibus seruatur proportio causæ physicæ, quæ non agit in aliquid simile, vel æquale, sicut etiam actus remissus non intendit habitum acquisitum, ita etiam neque infusum meritum remissum, neque causa etiam producit formam in subiecto, nisi iuxta dispositionem præsuppositam.

Impugnatur. Contrà, hæc ratio nulla videtur, quia etiam tolleret rationem meriti ab opere remisso in vniuersum quantùm ad gratiam perinde & gloriam: quia etiam sicut non posset augere gratiam, sic etiam neque gloriam: quod maximum inconueniens est ex dictis, & contra promissionem factam operibus, & obseruantiæ legis. Probatur sequela, quia opus non dicit ordinem meriti, nisi ad præmium; præmium autem constitutum operibus in Scriptura est gratia & gloria, maxime in nouo Testamento: ergo ratio meriti completur in ordine ad gloriam, & gratiam, ex quo destruitur alia responsio, qua diceretur esse meritum alicuius gloriæ accidentalis, quia omne meritum etiam talis præmij ordinatur primò & per se ad gratiam, & gloriam essentialem, ex quibus secundariò emanat præmium secundarium tali operi destinatum, vt laurea martyrio, virginitati, & huiusmodi; quamuis martyrium & virginitas ordinentur per se primò ad gratiam, & gloriam essentialem. *Alia respōsio reiicitur. Meritū præmij accidentalis primo ordinatur ad essentiale.* Ergo nullum est opus meritorium præmij accidentalis gloriæ, quin sit etiam meritorium gloriæ essentialis, & consequenter etiam gratiæ, quæ est dispositio ex lege ad gloriam: ergo sublato titulo meriti ad gloriam essentialem, & gratiam, tollitur etiam ratio meriti ad gloriam accidentalem, quando essentialis gloria est ex meritis, quod dico propter meritum Christi, quo meruit exaltationem sui nominis, non verò gloriam essentialem, aut gratiam, quia hæc in ipso non sunt constituta sub merito: ea tamen nobis meruit.

Opus meriti gloriæ accidentalis habet, proportione ad essentialem. Patet idem ratione, quia illa opera, quibus datur præmium, accidentalem habent positis aliis requisitis proportionem ad præmium essentiale: 39
quia opera facta ex gratia referuntur ad finem vltimum, & secundùm obseruantiam legis, quæ primariò ordinat hominem ad finem gloriæ essentialis; ergo etiam est eius meritum. Deinde non est ratio cur ordinetur ad præmium accidentale magis quàm essentiale, ad quod alia eiusdem rationis, vel perfectionis, opera præcesserint, quibus præmium accidentale corresponderet: *Sicut frustrātur essentiali, ex eadem ratione etiam frustrarentur accidentali.* quia ratio prætensa etiam currit in proposito quoad præmium hoc accidentale, quæ adducitur contra meritum præmij essentialis: & si in specie loquamur de duratione beatitudinis, quam aliqui constituunt præmium operis remissi; hæc etiam duratio lege statuta est, ita vt beatitudo sit ex præsenti prouidentia vt æterna statuta operibus meritoriis, posita perseuerantia finali, non solùm remissis, sed etiam à fortiori operibus intensis: *Duratio beatitudinis est ex lege, & magis correspondet operibus intensis.* ergo si non accrescit ius ad gloriam essentialem operibus remissis, & gratiam, vt est dispositio ad ipsam, ex ea sola ratione, qua supponitur totum ius acquisitum per opera intensa, sic etiam neque duratio beatitudinis correspondet operibus remissis, quia ius ad hanc legem acquisitum est per opera intensa. Confirmatur, ideò statuitur præmium accidentale operibus remissis, vt seruetur veritas promissionis factæ in Scripturis sacris: sed hæc primariò, specificat gratiam & gloriam essentialem: ergo, &c.

Tertia ratio. Meritum non sequitur naturam causæ physicæ, sed pacti, & conuentionis. Tertiò ad idem: ius ad augmentum gratiæ & gloriæ acquiritur ex pacto, & promissione Dei, modò opera sint alioquin debitè circunstantionata: ergo non sequitur naturam causæ physicæ, sed iustitiæ, pacti, aut promissionis, quæ non determinant naturam operis, quoad gradum,

sed qualitatem, & proportionem iuxta medium commutatiuæ: ergo ratio illa in proposito non concludit. Confirmatur ex ratione, quam Doctor adducit, quia taliter operans in ordinem ad finem vltimum, aliter se habet quàm dormiens, vel nihil operans; & si meritum remissum solum esset, mereretur augmentum gratiæ, & gloriæ, & gratia etiam de præsenti daretur. Sed non est peior conditio iusti habentis plura merita, & maiorem gratiam per ipsa acquisitam, quàm alterius qui nulla haberet alia merita, quia neque ille excluditur per legem generalem promissionis, aut pacti, neque per vllam specialem, neque hic ex carentia operum fit magis capax præmij gratiæ, & gloriæ, quàm ille cui suus profectus non debet præiudicare, sed potiùs fauere: nam fortè dignitas etiam operis, in cæteris æqualis, ei crescit ex circumstantia personæ, quæ alias est magis accepta ex meritis: ergo, &c.

Operans remissè tendit in finem.

Non est peior conditio magis iusti, quã minus iusti.

40 Quartò ad idem: ideò causa physica, aut actus remissus nequit habere effectum de nouo, quia non supponit priuationem eius in subiecto, & virtus eius remissa nequit intendere formam sibi æqualem; sed in proposito hæc non currunt, quia & operans potest crescere in gratia hîc & nunc, & opus ipsum non influit gratiam per virtutem physicam, sed ex pacto operis Deus eam producit, quod pactum manet etiam respectu operis remissi. Et patet ex parabola operariorum, quorum singuli receperunt denarium, de quo pepigit conductor, licèt alij magis sustinuerint: & quidquid sit de sensu huius parabolæ. probatur subsumptum, quia opera nostra remissa, vel intensa recipiunt valorem gratiæ, & gloriæ, vt etiam innituntur meritis Christi Domini, vt communius docent moderni, Caietan. 3. *tom. opusc. tract.* 9. *cap.* 9. Richardus *art.* 11. Hossius *in confessione, cap.* 73. Noster Vega *quæst.* 5. *de iustificatione ad* 3. Suarez *lib.* 12. *de gratia, cap.* 19. sicut & nostra satisfactio vim habet ex satisfactione Christi; vt docet Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. & patet ex Paulo ad Roman. 6. *Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro*, &c. vbi non dicitur vita æterna stipendium, quia est beneficium collatum etiam per gratiam *in Christo Iesu Domino nostro*, &c. vnde rectè Cœlestin. epistola ad Episcopos Galliæ, cap. 12. *Et Deus*, inquit, *cùm coronat nostra merita, quid aliud coronat, quàm sua dona?* Trident. sess. 6. cap. 16. *Benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter, reddenda*, &c. Ergo Christus meruit nobis & gratiam, & gloriam mediantibus nostris operibus, & meritis reddi: quia in ipso *benedixit nos Pater omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*, &c. ad Ephesios 1. Ergo opus remissum nostrum licèt aliàs ex virtute sua non posset augere gratiam, aut gloriam (quod etiam non admittimus) saltem vt innititur, & applicat meritum Christi Domini, qui est causa principalis meritoria, & promissioni Dei, est efficax in ordine ad hunc effectum, & sic tollitur illa instantia de causis physicis, qui in propria virtute tantùm operantur. Hæc ratio perinde probat dari per illud opus statim augmentum gratiæ.

Quarta ratio.

Excluditur instantia de causa physica.

Opera nostra recipiunt valorem ex operibus Christi.

Cœlestin.

Trident.

Quintò ad idem: supponendo ea, quæ dicit Doctor cum communi *suprà d.* 14. *q.* 4. *& alijs in locis*, per Sacramentum fieri de attrito contritum, sic argumentor: attritio in Sacramento disponit ad gratiam, & continuata post Sacramentum eandem auget: hoc non esset verum, si actus remissus non posset augere intensiorem gratiam in subiecto: ergo, &c. Probatur assumptum, quia gratia confertur secundùm dispositiones subiecti in Sacramento iuxta Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. ergo gratia recepta per Sacramentum in eo casu excedit gratiã, quæ alioquin correspõderet cõtritioni, seu attritioni, vt fieret à iusto: sed hoc non obstante attritio illa continuata post Sacramentum habet augmentum gratiæ sibi correspondens, etiam secundùm aduersarios, & nihil ei accrescit in ratione operis, præter solam dignitatem personæ iustificatæ in Sacramento, ad quam ipsa attritio vt antecedit disponit: ergo gratia intensior non derogat merito operis remissi, sed magis dignificat. 41

Quinta ratio.

Ex attrito fieri contritũ.

Attritio continuata post iustificatione sacramentalẽ auget gratiam.

Sextò, si ratio præmissa valeret, derogaret etiam virtuti Sacramentorum, quæ infallibilis est positis requisitis: hoc nemo admittit: ergo. Probatur sequela: quia ponendo casum quòd aliquis perfectè contritus de suis peccatis recipiat absolutionem sacramentalem, & deinde denuò confiteatur illa eadem peccata cum sola attritione, reciperet augmentum gratiæ per secundam absolutionem, tunc applicat idem Sacramentum cum minori dispositione ad eandẽ materiam, & gratia prior recepta est intensior ex perfectiori dispositione: ergo si verum est illud principium, aut in hac materia sequamur modum agendi causæ physicæ, Sacramẽtum denuò applicatum nihil conferret: imò in casu quo pœnitens accederet in maiori gratia, quàm Sacramentum regulariter confert, sequeretur idem inconueniens: quia perinde est siue effectus producatur ab eadem causa aliàs applicata, siue à diuersa, modò supponatur subiectum esse in actu quoad formam, quæ aliàs nata esset produci à causa denuò applicata subiecto.

Sexta ratio.

Opposita sentẽtia derogat virtuti sacramentorum.

Dices: fortè Sacramenta habere infallibilem suam veritatem, secluso obice ex meritis Christi, & ex pacto, ideóque semper habere effectum in *fieri*, aut *facto esse*. 42

Responsio.

Contrà, sed etiam eadem promissio, aut pactum Dei perinde habet veritatem suam in quacumque materia, & idem de valore operum Christi applicato: sed bonis operibus iustorum, tam promissio Dei, quàm etiam meritum Christi sunt annexa, vt causis disponentibus ad gratiam, & gloriam: ergo perinde habent suum effectum.

Impugnatur.

Confirmari potest hæc conclusio, & ratio ex Tridentino loco citato, quod non distinguit inter opus remissum, & intentum generaliter loquens. & cap. 10. *Sic ergo iustificati*, &c. *euntes de virtute in virtutem renouantur, vt Apostolus, inquit, de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem, per obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta cooperante fide, bonis operibus, crescunt atque magis iustificantur, sicut scriptum est: Qui iustus est iustificetur adhuc, ne verearis vsque ad mortem iustificari.* & can. 24. *Si quis dixerit iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri corã Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solum*

Confirmatur. Trident.

Can. 24.

solummodo, & signa esse iustitiæ adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.

43 Can. 32. Et Canon. 32. *Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gratiæ augmentum, anathema sit.*

Locutio indefinita in materia fidei æquiualet vniuersali. In his locis Concilium loquitur indefinitè, & sine vllo discrimine de bonis operibus, locutio autem indefinita in materia doctrinali, & potissimùm fidei, æquiualet vniuersali; ergo iuxta mentem Concilij hæc doctrina comprehendit in genere omnia bona quæ fiunt ex fide, & gratia Christi à iustificato ad intentum consequendæ salutis, & obseruandi legem, ac proinde opera etiam remissa, vel æqualia gratiæ præexistenti, & quæ ipsam in efficacia non adæquant, verè augent gratiam, quod optimè etiam Scholiastes admonuit *in præcedenti Scholio.* Addere possumus talia opera facere ad salutem, & procedere ex gratia Dei excitante & operante, quæ datur ad finem salutis consequendæ, & incrementi in iustitia accepta.

Obiectio. Obiiciunt alij illud Matth. 25. *Habenti dabitur & abundabit, ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo,* &c. idest, ex Augustino, benè vtenti gratiis dabitur, &c.

44 *Soluitur.* Respondetur, opponentes non citare Augustini locum, neque talem interpretationem habere, neque verba etiam adducta eam inducunt, non enim malè vtitur gratia qui elicit opus magis remissum, aut æquale gratiæ habituali: cùm fortè impossibile sit homini perfecto & exercitato in iustitia tenenda, & in seipso propaganda per vnum actum quantumlibet intensum, adæquare gratiam habitualem, quam mediantibus Sacramentis, & pluribus meritis acquisiuit longo tempore, & labore: nemo tamen dicet propterea ab eo auferri quod habet. Accedit etiam quòd perfectio operis meritorij non solùm attendatur penes conatum liberi arbitrij, sed etiam penes gratiam Dei adiuuantem & excitantem ac præuenientem voluntatem eius ex Patribus, vt fusiùs tractatur in materia de auxiliis, quæ gratia non in eodem semper gradu assistit, quia, vt optimè Trident. *cap. 11. Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis,* &c. Et quamuis nunquam deserat iustos, nisi ipsi priùs deseruerint gratiam Dei; tamen non eodem modo semper influit: vult enim vt soliciti sint, & cum timore & tremore suam salutem operentur, & suam opem implorent. Locus ergo ille intelligitur de iis qui gratiam Dei, & vocationem contemnunt, qui locus minùs congruè præsenti quæstioni applicatur.

Gratia Dei excitans non in eodem semper gradu assistit.

45 *Obiectio 2.* Obiiciunt secundò, *Apocalyps.* 2. quendam Episcopum reprehendi, quia charitatem primam deseruisset.

Respondet Ambrosius & Haymo eum lapsum fuisse.

Responsio. Respondetur, saltem eum non fuisse solicitum; feriari autem ab operibus charitatis est vicinum lapsui, maximè in pastore; sed hoc non facit ad propositam quæstionem, quia aliud est remissè agere, & negligenter; aliud verò opera ita remissa esse in sensu philosophico, vt non possint adæquare, aut superare gradum gratiæ habitualis acquisitum per plures labores: quia hoc, vt dixi, videtur impossibile vt semper quis excedat in perfectione operis, neque hic modus merendi est congruus fragilitati humanæ, & periculis viatoris, & tentationibus, neque consequenter diuinæ clementiæ, & iustitiæ quæ nostro figmento accommodantur.

Obiicies tertiò, illud Apocalyps. 3. *non inuenio opera tua plena.* 46 *Tertia obiect.*

Respondetur & hunc peccasse: quia de eo *ibidem* dicitur: *nomen habes quòd viuis & mortuus es,* &c. *Responsio.*

Obiiciunt quartò, Gregorium *in 3. parte Pastoralis admonit. 35.* vbi citans illum locum Apocalyps. 3. inuehitur in tepidos. *Quarta obiectio.*

Respondetur ad hoc, & vniuersim ad omnia loca, quibus tepor, & negligentia culpantur, longè diuersum esse cessare ab opere bono, vel negligenter exequi salutem suam, iuxta gradum vocationis, & gratiæ, & commoditatem benè operandi, ac hominem in singulis operibus non adæquare, aut superare gradum gratiæ habitualis, quia etiam id nequit præstare operibus intensis, quibus tamen intendens non dicitur ab vllo remissè agere in sensu Theologico. *Responsio.*

Tertia difficultas est, quam tangit scopus principalis huius articuli de reuiuiscentia meritorum, quoad præmium essentiale gloriæ etiam totum quod ipsis aliàs debebatur, si homo non peccasset. Et quamuis ex supra dictis sufficienter probetur reuiuiscentia meritorum, vt suprà in expositione textus dictum est, quam communiter Theologi Scholastici admittunt; tamen quoad vltimum punctum, est magna concertatio, si ad totum præmium essentiale reuiuiscant, & quomodo, vel qua ratione reuiuiscant, an scilicet requirant aliquam dispositionem ex parte pœnitentis præter solam remissionem peccati, & gratiam iustificantem, quæ tum datur iuxta præsentem dispositionem pœnitentis? Reducitur autem controuersia hæc ad illud punctum, an scilicet gratia sanctificans ita necessariò commensuretur meritis, vt meritorum non sit retributio, neque esse possit nisi iuxta mensuram gratiæ sanctificantis; ita vt licèt merita fundent ius speciale respectu gloriæ, tamen vt gloria proportionata meritis reducatur in actū, an requiratur gratia sanctificans, & habitualis in eadem mensura eleuans potentiam, vt possit operari iuxta mensuram meritorum in fruitione & visione. An præterea vlteriùs ipsa acceptatio etiam meritorum sit dependens à gratia adoptionis in eo gradu, vt intantùm acceptentur merita ad retributionem, inquantùm ipsa persona mediante gratia acceptetur, & secundùm mensuram gratiæ acceptæ, & acceptatio meritorum quoad gradum debitum gloriæ, seu proportionatum aliàs meritis ipsis supponat necessariò acceptationem commensuratam personæ per gratiam correspondentem.

47 *Tertia difficultas est de reuiuiscentia meritorū ad eundem gradum gloriæ.*

Controuersia.

Explicatur.

48 *Duplex sensus cōtrouersiæ.* Hæc autem diuersa sunt: nam prior modus licèt supponat merita acceptari specialiter, & propria acceptatione, quæ est intuitu operis, & differenti ab acceptatione personæ ratione gratiæ: tamen supponit necessariò commensurari gratiam operibus per modum medij, per quod retributio ipsa meritorum reducuntur in actum, siue gratia sit simpliciter medium necessarium ex natura rei, siue tantùm ex prouidentia ordinaria

naria, qua Deus aliter non reducit hanc retributionem in actum.

Alterum, quod ſecundo loco additur, ita reducit acceptationem meritorum ad finem, ſeu præmium, vt ſit dependens ab acceptatione gratiæ, ſeu perſonæ per gratiam in gradu, & menſura, vt illa ſit quaſi mediata & ſecūdaria quoad gradum & menſuram; hæc verò primaria & immediata, à qua prior dependet acceptatio; neceſſitatem vtramque gratiæ commenſuratæ defendunt aliqui Doctores.

De hac autem ſecunda neceſſitate diſſeruimus in prima difficultate præmiſſa, explicando argumentum & ſententiam Doctoris, dicentes hanc acceptationem operum bonorum & meriti dependere tantùm à gratia, tanquam à conditione requiſita, vt opus ſit meritorium de condigno, & ſufficere gratiam in quocunque gradu ad hunc effectum, licèt non ſit commenſurata merito, vt ſupponitur ad ipſum meritum, quoad gradum, imò in gradu, quo merito commenſuratur ſubſequi ipſum meritum tanquam effectus, & præmium minùs principale meriti, vt antecedit verò ſe habere vt conditionem neceſſariam, qua conſtituitur homo in ſtatu merendi per adoptionem: quia meritum eſt tantùm filiorum. Hæc difficultas magis tractatur per ſe in materia de merito, & conditionibus eius requiſitis, quarum vna eſt ſtatus gratiæ.

Difficultas ſuprà reſoluta.

49 Prior autem difficultas de neceſſitate gratiæ in gradu commenſurato per modum medij neceſſarij ad finem, tangit quæſtionem de beatitudine, & eleuatione neceſſaria potentiæ ad finem, & modo eleuationis, an ſcilicet requiratur eleuatio in eo gradu, quo attingitur ipſe finis ſupernaturalis. an verò ſuppoſita eleuatione, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca potentiæ, ſeu concurſu ſupernaturali poſſit creſcere perfectio actus ex perfectione ſola naturali potentiæ, licèt exigat concurſum ſupernaturalem, an etiam de facto ſi non reſtituatur gratia Deus ſuppleat eius defectum, iuxta principia noſtræ ſcholæ, ſecundum tenetur vt infrà ſuo tractabitur loco.

Supponitur controuerſia à ſuo loco tractanda.

Contrarium defenditur in ſchola D. Thomæ, à quo dependet reſolutio huius quæſtionis, quod admonere hìc placuit, vt ſequela opinandi ad primarium fundamentum reducatur, & quæſtio ipſa ad principia, à quibus eius dependet reſolutio, quidque nobis in præſentiarum conſequenter ad doctrinam noſtri Doctoris ſit explicandum, nam reuiuiſcentia meritorum ab omnibus conceditur, ſed conformiter ad dicta fundamenta hinc inde declaratur modus, quo reuiuiſcunt.

Prima ſententia.

His ergo pro maiore declaratione huius difficultatis præmiſſis. Prima ſententia eſt communis antiquorum. Alenſis 4. *part. quæſt.* 12. *memb.* 4. *art.* 5. *&* 6. Alberti *in* 4. *diſt.* 14. D. Bonauenturæ *ibidem art.* 2. *quæſt.* 1. D. Thomæ 3. *part. qu.* 89. *a.* 2. non reuiuiſcere merita, niſi iuxta diſpoſitionem, quam habet pœnitens, vel præſentem, vel finalem, vel aliàs in vita, variè enim loquuntur, & poſſunt in hos omnes ſenſus explicari, ſtatuunt enim reuiuiſcentiam meritorum iuxta menſuram, quam quis recipit charitatis, & gratiæ, vel tum, vel aliàs vſque ad vltimum terminum. Vnde ſi taliter diſponatur vt recuperet gratiam æqualem meritis, vel ei quam amiſit, aut maiorem, reuiuiſcant merita ad integrum ius gloriæ: ſi autem deficiat, ita vt non adæquet ex præſenti diſpoſitione, aut aliàs in vita, æqualem, aut maiorem gratiam; ſic etiam non reuiuiſcunt merita antiqua in gradu excedente charitatem. Huc tendunt varij modi explicandi ſententiam antiquorum, vt dicunt ſecundùm augmentum charitatis reuiuiſcere merita antiqua, & non aliter.

Reuiuiſcere merita iuxta diſpoſitionem tantùm reſurgentis.

Duplex eſt modus, quo hæc ſententia in genere declaratur. Primus eſt, quòd gratia, quæ datur reſurgenti, ſit ſecundùm menſuram præſentis diſpoſitionis: licèt non propter illam ſolam; ſed etiam propter merita priora detur, & nihil aliud. Conſequenter dicunt nullum ſpecialem gradum gloriæ, aut gratiæ, tribui ratione meritorum, qui non daretur per ſolam contritionem, & diſpoſitionem, in qua quis reſurgit. Dicunt præterea reſurgere merita mortificata, non ad præmium diſtinctum, ſed ad idem præmium, quod eſt maius præmium: quia ex diuerſo titulo datum. Hanc ſententiam citat Sotus *diſt.* 16. *art.* 5. quam *ibidem* reprehendit & negat eſſe D. Thomæ, & Suarez *in relectione de reuiuiſcentia meritorum diſp.* 2. *ſectione* 1. Ledeſma *in* 1. *part.* 4. *quæſt.* 30. *art.* 2. *&* 4. Hi etiam authores, quos vocant prædicti modernos Thomiſtas, tenent illam ſententiam, quam impugnauimus in ſecunda difficultate præcedenti de actu remiſſo, vel æquali meriti, non habere præmium aliter quàm illud quod reſpondet prioribus, quia illi non ſunt diſpoſitiones excedentes formam quæ ineſt. Et quod amplius eſt, negant præmium eſſentiale correſpondere aliis actibus virtutum, niſi ſoli charitati, quod parum conſentaneum videtur, vt communiter tractant authores in materia de merito. 50

Primus modus explicandi hanc ſententiam.

Reuiuiſcere tantum meritum quoad titulum, non quoad diuerſum præmiū.

Non correſpōdere præmiū eſſentiale niſi ſoli charitati.

Contra quam ſententiam faciunt Scripturæ, in quibus promittitur vita benè operantibus vſque in finem, & obſeruantibus legem Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei*, &c. *Poſſidete paratum vobis regnum*, &c. *Eſuriui*, &c. Matth. 11. & 19. Ioann. 5. & aliàs ſæpe. Item, promiſſiones factæ virtutibus in ſpecie. Item Trid. *locis citatis*, quæ videntur expreſſa. Patres contra Iouinianum, vt Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius *lib.* 4. *Moralium cap. vltimo.*

Prædictum modum explicandi ſententiam D. Thomæ ſequitur per omnia Bannes 2. 2. *quæſt.* 24. *art.* 6. in dubiis vſque ad quintum incluſiuè, & in reſponſione ad recollectionem Franciſci de Victoria de augmento charitatis, quam *ibidem* inſerit poſt dubium quintum cum propria reſponſione ad ſingula, tanquam parum conſentanea.

Secundus modus interpretandi eandem ſententiam eſt, Soti & Ledeſmæ *locis citatis*, ſecundùm quem explicant D. Thomam, Capreolum, Paludanum, Caietanum. Eundem ſequitur Victoria *in relectione de augmento charitatis.* Dicunt itaque reuiuiſcere merita antiqua, non quoad totum præmium gratiæ & gloriæ ſemper, ſed quoad aliquem gradum, iuxta proportionem præſentis diſpoſitionis, in qua quis reſurgit, verbi gratia, ſi illa diſpoſitio mereatur præmium vt duo, gloriæ & gratiæ, etiam duo alij gradus reuiuiſcant correſpondentes meritis antiquis, ita vt præter id quod correſpondet contritioni, verbi gratia, per ſe, in eodem etiam gradu detur gloria, & gratia propter merita: quòd ſi contritio ſit ſumma, vel in gradu proportionato meritis antiquis, illa reuiuiſcunt de integro. 51

Secūdus modus interpretandi eandem ſententiam.

Reuiuiſcere merita quoad aliquem gradū, non quoad totū niſi diſpoſitio ſit æqualis.

Præfati

Præfati authores modificant dictam sententiam, vt reuiuiscentiam meritorum referant ad proportionalem conatum dispositionis, vt si contritio sit ex summo conatu, quem habere possit pœnitens, reuiuiscere omnia merita; si sit inferior reuiuiscere iuxta proportionem conatus. Hæc modificatio id superaddit, vt quoniam vnus actus quantumlibet intensus non possit æquare plures priores æquales, ex quibus aliàs comparatum est meritum, saltem in conatu voluntatis, & secundùm conatum, si faciat totum quod in se est, restituantur merita præcedentia.

Sentẽtia Doctoris.

Secunda sententia est Doctoris, reuiuiscere integrè merita quoad præmium gloriæ: quem sequuntur alij, quos *infra* citabimus. Quantùm autem ad reuiuiscentiam meritorum quoad gratiam antiquam, non ita conueniunt omnes, quia *suprà* citati docent reuiuiscere iuxta gradum dispositionis præsentis, & non aliter. Nominales docent reuiuiscere totam gratiam antiquam, quam sententiam probabiliorem censet Suarez *sect.2.in resolutione quæstionis.* Vasquez docet *dub.3. in art.5.quæst.89.* resurgere quidem gratiam, quæ debebatur meritis, sed non eam quam acquisiuit per Sacramenta ex opere operato. Noster Doctor tenet non restitui gratiam correspondentem meritis; sed solùm ea reuiuiscere quoad præmium essentiale, quem sequitur Durandus *in 3.d.31.q.2.* Almainus *in hac distinct.q.1.* Marsilius *in 4.q.11.art.1.* & nostræ Scholæ Doctores.

Controuersia. De reuiuiscẽtia quoad gratiam antiquam.

Variæ sententiæ.

52 Dico primò reuiuiscere merita integra quoad totum ius antiquum præmij essentialis. est Doctoris in litera. Idem tenet Richardus *art.8. q.2.* Gabriel *q.3.art.3.dub.3.* Maior *q.1.* Ocham *in 4.quæst.9.ad 6.dubium.* Durandus, Marsilius, Almainus citati, & hic idem tenet *tract. 2. moralium,cap.24.* Henricus *quodlib.5.q.24.* Adrianus *de satisfactione q. 2. ad 1.* Suarez *loco citato, sect. 2.* Vasquez citatus, Valentia *de essentia pœnitentiæ, disp.7. q.6. puncto 1.* éstque frequentior iam inter modernos.

Prima cõclusio. Reuiuiscunt merita quoad totum ius ad gloriam.

Probatio.

Probatur primò ex loco Pauli ad Hebræos 6. *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur: non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis,* &c. hunc locum aliqui exponunt de operibus mortuis, seu in statu peccati factis: sed hæc expositio non quadrat, quia Deus non promisit peccatoribus regnum: sed filiis, neque merita, vt inducunt obligationem iustitiæ, qua est Dei ad nos, possunt fieri in statu reprobationis, & peccati: quia peccator factus gehennæ, & damnationis filius, nequit in eo statu acquirere ius ad regnum. Neque explicari potest locus, quasi ex operibus mereantur iustificationem à Deo, quia neque iustificatio est ex operibus, sed gratis fit, vt docet Tridentinum ex Paulo *sess. 6. cap. 8.* & Paulus ipse loquitur hîc de operibus factis in fide, & charitate.

Expositio quorundam reijcitur.

53 Alij intelligunt hunc locum de operibus iustorum, & Paulũ loqui ad Hebræos perseuerantes in fide & gratia, ita Cornelius à Lapide, & quidam alij interpretes; non est ergo sermo de operibus mortificatis. Contrà, omnes Patres exponunt verba præcedentia, *impossibile est eos, qui semel illuminati sunt,* &c. de Baptismo, qui nequit iterari, vt ex eo loco etiam colligunt Doctores, & loqui Paulum ad Hebræos lapsos fiducia iterandi Baptismatis, sicut antiqua Baptismata iterari consueuerunt; & ostendit viam esse per pœnitentiam. Ergo hæc verba etiam referenda sunt ad lapsos; prout referunt etiam Patres. Epiphanius hæresi 59. *Et vides,* inquit, *quomodo innouationem non posse fieri iterum perfectè pronuntiauit. Verùm à salute nondum remouit pœnitentiam agentes, sed & cum salute coniunctam esse dicit, & Deum susceptorem bonorum operum ipsorum esse, qui etiam à delictis perfectissimè pœnitentiam agunt,* &c. Chrysostomus *homil.10.*in hanc epistolam idem intelligit perinde scribere Paulum ad Hebræos lapsos, sicut etiam scribit ad Galatas lapsos. Ambrosius *lib. 2. de pœnitentia.* Augustinus *lib. de fid. & operibus, cap.11.* Athanasius *in oratione de blasphemia contra Spiritum Sanctum.* Hieronymus *lib.2.*contra Iouinianum, vtraque glossa interlinearis, & ordinaria. Deinde ipse Paulus docet Hebræos in præcedentibus verbis factos esse imbecilles ad audiendum.

Alia expositio intelligit de operibus iustorum.

Impugnatur. Loqui Paulũ ad lapsos.

Epiphan.

Chrysost.

Ambrosius. Augustin. Athanas. Hieron.

Cæteris omissis, confirmatur hæc interpretatio ex Tridentino sess.6.cap.16. *Hac igitur ratione iustificatis hominibus siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba; abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino; non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine illius,* &c. Quo in loco tam perseuerantes in iustitia accepta, quàm etiam lapsos, & per pœnitentiam recuperantes eandem iustitiam comprehendit Concilium. Applicat autem duo loca Pauli; alterum ex 1.ad Corinth.15. *Abundate in omni opere bono,* &c. qui locus comprehendit perseuerantiam in bonis operibus; & alium locum hunc quem tractamus, qui comprehendit etiam opera præterita, in gratia tamen facta, qui locus superfluè adderetur, sicut & primum membrum disiuncti, nisi ex mente Concilij comprehenderentur merita facta aliàs, & mortificata per peccatum, quæ reuiuiscunt ad præmium vitæ æternæ ex Concilio, vt patet in verbis sequentibus: ergo sub fructu iustificationis etiam recuperatæ per pœnitentiam comprehendit reuiuiscentiam dictorum meritorum. 54

Confirmatur. Trident.

Eandem conclusionem Hieronymus docet in Malachiæ 3. & in illum locum ad Galatas 3. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa,* &c. *Hîc,* inquit, *aspiciendum quòd quicumque ob Christi fidem laborauerit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa passus dicitur fuisse dum peccat; sic rursum non perdat ea, si ad pristinam fidem, & antiquum studium reuertatur,* &c. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus in eundem locum.

Hieron.

His suppositis (ex quibus Doctores moderni hanc veritatem communi accedente Scholasticorum sententia, in eo gradu certitudinis statuunt, vt sine temeritate negari non possit, atque etiam impietate, vt addit Suarez;) sic argumentor ad alteram partem præmissæ conclusionis, nempe merita quoad totum ius ad præmium essentiale resurgere. Neque Scriptura, neque Patres citati statuunt limitationem; non statuere etiam limitationem quantùm ad reuiuiscentiam meritorum quoad præmium essentiale magis congruit rationi quæ in diuina promissione fundatur, & facta est operibus à Deo absolutè, 55

Censura oppositæ opinionis.

Reuiuiscere merita ad integrum ius, probatur.

absolutè, operibus, inquam, meritoriis de condigno, seu iustorum, & id magis congruit iustitiæ,& clementiæ diuinæ;& modo loquendi Tridentini:ergo ea ratione qua statuitur reuiuiscentia meritorum quoad præmium essentiale,etiam dicendum est eadem resurgere quoad totum præmium essentiale.Probatur sequela, quia nullum est impedimentum, ex quo resurgerent secundùm iustitiam, & promissionem diuinam quoad totum, quin quoad partem obstet reuiuiscentiæ, quia neque promissio diuina facta est operibus iustorum cum limitatione ad partem, sed absolutè quoad totum, & idem titulus fundetur quoad partem & totum, imò primò facta est promissio operibus quoad totum, & redeunt quoad partem ex vi promissionis, & acceptationis diuinæ quoad totum. Ergo non suppetit fundamentum asserendi vnum, & negandi alterum, cùm neque in operibus ius diuersum fundetur, neque diuina promissio varietur quoad totum, & partem.

Non esse fundamētum reuiuiscētiæ in parte tantū, & non quoad totum.

Obiectio. Dices ex alia lege non resurgere opera quoad totum ius ad gloriam, nempe ob dependentiam ad charitatem; *Responsio.* hæc autem talis est, qualis dispositio præsens resurgentis, aut profectus in reliquo, vitæ sequentis.

56 *Impugnatur.* Contrà, hæc responsio, vel non saluat reuiuiscentiam meritorum, vel non saluat fundamentum reuiuiscentiæ eorum: ergo, &c. Probatur antecedens quoad primam, quia si nihil tribuitur operibus mortificatis, nisi quod aliàs correspondet dispositioni resurgentis, non reuiuiscunt opera ad præmium, aut statum antiquum, & ius in ipsis fundatum, sed tantùm ad titulum, & non ad præmium: sed hæc non est opera resurgere, quoad suum præmium eis aliàs debitum, quod ipsis proprium manet, & distinctum in suo gradu si operans postea non haberetur: ergo prætensa reuiuiscentia quoad titulum tantùm, non est reuiuiscentia operum quoad pristinum statum. Consequentia patet, quia titulus secundùm præsentem prouidentiam, qua ordinantur opera ad præmium, distinguitur secundùm diuersitatem præmij, & meritorum, aliàs non cresceret præmium essentiale ex multitudine,& augmento operum, cui debetur præmium secundùm medium iustitiæ commutatiuæ etiam in eodem gradu diuersitatis, quantùm ad augmentum; ergo nisi opera reuiuiscant quoad præmium diuersum, non reuiuiscunt quoad ius, & titulum antiquum in eo fundatum.

Non reuiuiscere quoad titulum, nisi reuiuiscant quoad præmium.

Titulus operū ex præsenti prouidentia.

57 *2. Ratio.* Secundò, si opera non reuiuiscunt quoad præmium distinctum, non reuiuiscunt etiam quoad titulum vllum, quod est contra Bannem, & responsionem datam. Ergo,&c. Antecedens probatur, ius quod habet ratione meritorum resurgens, est illud ipsum quod fundatur in operibus iustorum, & respicit præmium essentiale secundùm propriam perfectionem, & augmentum, & excessum in meritis pro eo statu, in quo per ipsa est acquisitum ius præmij, neque habetur in Scriptura, aut Patribus, alius titulus nouus acquisitus ratione illorum operum, neque ex ratione diuinæ misericordiæ, aut iustitiæ, vllus titulus nouus, aut mutatio tituli prioris colligi potest. Et probatur, quia promissio facta pœnitentiæ, & conuersioni perfectæ peccatoris tanquam dispositioni est absoluta, & independens, & alterius rationis à promissione facta operibus iustorum, quia hæc promissio est ex motiuo iustitiæ commutatiuæ, vel quasi motiuo secundùm Dei promissionem, quæ medium tale seruat. Hæc verò liberalis promissio est ex solo motiuo misericordiæ, quia gratis iustificamur, & non ex merito nostro. Promissio facta pœnitentiæ, ita præcisè respicit statum peccati, vt sicut ipsa pœnitentia versatur, & consummatur circa peccatum tanquam materiam, quocunque modo, siue intra, siue extra Sacramentum fiat iustificatio, ita etiam promissio iustificationis completur in remissione peccati, & collatione primæ gratiæ iuxta dispositionem præsentem, cuius naturam, & gradum præcisè respicit, & nullo modo per se extenditur hæc promissio ad aliud opus antecedens meriti, neque dignificat ipsum in ratione operis, neque acceptatur illud virtute pœnitentiæ in ratione meriti, aut constituitur in esse meriti: quia promissio, vt dixi, facta pœnitentiæ, & omnis retributio eius, loquendo de pœnitentia hominis existentis in peccato mortali (cui nihil ex iustitia in eo statu debetur faciens ad salutem proximè) est promissio gratuita, & non supponens meritum, cui deberetur merces ex iustitia: ergo omnis titulus in ea promissione, & ratione eius conueniens pœnitentiæ, est gratuitus & liberalis, non ex debito.

Non reuiuiscere quoad titulum, nisi etiam in ordine ad præmium diuersum.

Titulus fundatus in promissione operum, est diuersus ab eo qui fundatur in promissione quæ facta est pœnitentiæ.

Completur titulus pœnitentiæ circa remissionem peccati, & primam gratiam.

Non respicit opera antecedentia, neque constituit in esse meriti.

Promissio autem liberalis fundans titulum merè precarium, aut impetratorium, seu congrui, vel quocunque modo vocetur, non est natus fundari secundùm iustitiam, aut ius meriti, quod tale est, secundùm iustitiam, concedere; quia primariò extendit suam virtutem circa materiam proximam, quæ est ipsa iustificatio, vt includit renouationem interiorem, & remissionem peccati, quantùm ad retributionem; & ad pœnitentiam, quantùm ad id propter quod fit ipsa iustificatio gratis: ergo nequit indifferente gradu respicere meritum antecedens, tanquam conferens ei valorem, & titulum ex iustitia, quia sic excederet naturam sui motiui, & materiæ, & subiecti, cui nihil iuris ad vitam in eo statu peccati, accrescere potest ex iustitia; sed meritum in *esse* meriti nequit dignificari, aut constitui formaliter, nisi per illud quo accrescit ei ratio meriti, quod secundùm iustitiam, vt hic interuenit, fundat ius ad gloriam. Ergo meritum mortificatum per peccatum non accipit nouum ius per pœnitentiam, quo fieret meritum, cui deberetur merces, præter oblationem impedimenti, quo ius antiquum reuiuiscit: vel ergo non reuiuiscit meritum in *esse* meriti, vel certè reuiuiscit quantùm ad ius antiquum quod debebatur, non verò quoad præmium aliquod nouum ratione valoris antiqui debitum, aut pœnitentiæ, quasi ad diuersam rationem meriti translatum: quia secundùm valorem antiquum habet præmium constitutum ex promissione diuersa Dei, pœnitentia verò non tribuit ei ius nouum in *esse* meriti, neque respicit opera antiqua, tanquam restaurans in eis aliud ius præter antiquum, vt patet ex dictis.

58 *Titulus pœnitentiæ precarius.*

Non potest fundare titulum ex iustitia, qui est meriti.

Meritum in esse meriti crescit ex iustitia.

Ex hoc patet antecedens principale quoad secundam partem: quia reuiuiscentia meritorum statuitur ex promissione Dei facta operibus in statu

Ius meritorũ antiquum resurgere.

statu iustitiæ, & aliis requisitis ad merita: ergo, vel ex hac promissione sequitur ipsa ex integro iure reuiuiscere, aut certè tollitur fundamentum, ex quo adstruitur eorum reuiuiscentia, si enim ex aliquo nouo titulo reuiuiscunt, illa non est reuiuiscentia eorum propriè quoad ius, & promissionem antiquam, sed collatio iuris noui.

59 *3. Ratio.*

Tertiò impugnatur ratio, in qua fundatur præmissa solutio. Iustitia per pœnitentiam recuperata acquiritur gratis, & non ex merito; ergo nequit tribuere ius meriti operibus prioribus: ergo vel ratione sui habent illud ad præmium, secluso impedimento, reuiuiscens, vt sit ius proximum, vt dicit Doctor, iuxta modum dicendi Iuristarum, vel certè non reuiuiscunt in *esse* meriti. Prima consequentia probatur: quia prima gratia, quæ datur gratis, nequit tribuere personæ aliud ius, quàm sit illud quod proportionatur suæ naturæ, & motiuo ex quo datur liberali: sed hoc ius quod acquirit persona ratione gratiæ receptæ, respectiuè ad gloriam est omninò gratuitum: ergo ius quod acquirit mediante illa gratia præcisè quoad opera, vt fundatur in sola gratia, est tantùm gratuitum, & non iustitiæ. Probatur consequentia: quia gratia illa recuperata primò, & per se ordinatur ad gloriam, & ad dignificandam personam in ordine ad gloriam, & totum hoc est merè gratuitum; non respicit opera meritoria per modum causæ, quia subsequitur, & solùm dependet à conuersione præsente peccatoris per modum dispositionis: ab aliis verò eius operibus non dependet, neque ex illis est, neque ad illa refertur ex suo fine intrinseco, quem habet, siue præcesserint merita, siue non præcesserint, ad quem finem omnino impertinens est, siue fuerint prædicta merita, siue non fuerint.

Ius fundatũ in prima gratia.

Est gratuitũ.

Non respicit merita antecedentia.

60 *Titulus donationis, & conuentionis diuersi secundùm iustitiã.*

Sed ex dono merè gratuito non acquiritur ius aliquod quàm meræ donationis, neque consequenter aliquis titulus alterius iustitiæ, qualis est titulus fundatus in meritis: ergo reuiuiscentia meritorum secundùm ius strictius ad gloriam, quàm sit ius donationis, non potest fundari in gratia iustificationis prima: ergo in solis meritis supposita gratia iustificante, tanquam excludente impedimentum. Probatur subsumptum, ipsa merita in ratione operis sunt dona Dei ex gratia, quæ non cadit sub merito; nempe excitante, & operante: sed sic non accresceret ius meriti operibus, vt sunt ex dono Dei præcisè, nisi accederet Dei voluntas, & promissio, qua voluit nostra esse merita, quæ sua sunt dona: ergo nullum donum gratuitum Dei, qua donum est præcisè, & non ex merito, fundat ius meriti: ergo neque prima gratia tribuit operibus præcedentibus, vt sint merita.

Nullum donũ qua tale fundat ius meriti.

Obiectio.

Dices, primam gratiam dare operi sequenti, vt sit meritum, quòd aliàs sine gratia non esset meritum.

Responsio. Meritum sequens ad gratiam primam qualiter ab ea dependet.

Contrà, Prima gratia tantùm tribuit illud ius operi meritorio, qua constituit personam in eo statu, quo sit capax meriti, & non quòd meritum ipsum fundet ius meriti præcisè ratione gratiæ, quasi hoc ius ex sola gratia sit. Et hac ratione dicunt Doctores requiri gratiam sanctificantem in persona ad meritum, quo sit actus formatus, nempe qua persona quæ elicit informatur per gratiam, & ordinatur ad vitam æternam; rationem tamen meriti ab hac informatione, & ius in merito fundatum distinguunt: nam aliàs si gratia esset specialis ratio acceptandi meritum, & sola, non esset ratio cur moueretur quæstio de reuiuiscentia meritorum, quæ deberet proponi de reuiuiscentia gratiæ, & quidquid sit de modo loquendi.

61 *Gratia non dat valorem merito quod non informat.*

Sic argumentor: gratia non tribuit valorem merito, quod non informat, & quod supponit completum, in *esse* meriti antequam adueniat: sed merita mortificata non informat gratia consequens per pœnitentiam, quia non sunt in *esse* operis, neque constituit in *esse* meriti; tum, quia informata fuerunt per gratiã antecedentem ipsa merita, à qua habuerunt totum quod necessarium fuit, quantùm ad informationem actus: tum, quia illa non dependet in *esse* meriti ab ipsa gratia consequente ad quam disponunt, vel quæ datur ob ipsa merita; quamuis ad eam dicunt ordinem causæ. Ergo minùs informantur in *esse* meriti per gratiam pœnitentialem, quæ neque est causa ipsorum, neque effectus ab iis procedens per modum, quo causant gratiam in *esse* meriti.

Merita antiqua receperũt informationẽ à gratia antecedente.

Gratia pœnitentialis non informat merita antiqua.

Confirmatio.

Confirmatur, si Deus auferret gratiam iusto quantùm ad gradum, qui non est ex meritis ipsorum, ponamus, verbi gratia, sententiam illam quam impugnat Doctor *in primo dist.* 17. de modo intentionis formæ, nempe gradum priorem desinere adueniente gradu posteriore, vel certè Deum de potentia absoluta, & per miraculum, subtrahere gratiam primam, adueniente eius augmento per meritum acquisito: in eo casu meritum haberet ius ad gloriam in ipso fundatum, vt completur, antequam gratiæ augmentum causet. Sed tunc gratia esset tantùm conditio (illam dico quæ tum inesset per meritum) & non ratio formalis, in qua fundaretur ius meriti ad gloriam, cùm gratia illa se teneat ex parte præmij, & non meriti: ergo similiter gratia, quæ acquiritur per pœnitentiam, habet tantùm rationem conditionis, & causæ expellentis impedimentum peccati, & non tanquam ratio formalis, in qua fundatur ius antiquum meriti quod reuiuiscit. Vnde patet quòd gratia præcisè, vt correspondet pœnitentiæ, non ordinet hominem ad gloriam tanquam præmium, sed tantùm vt gratuitè datur, qua correspondet ipsi gratiæ præcisè, quidquid sit an reuiuiscat gratia antiqua debita merito, & vt ipsi debita, si modò debeatur, de quo in sequenti conclusioe agetur: & consequenter si meritum reuiuiscit, debet reuiuiscere secundùm ius antiquum, quod habuit antecedens ad peccatum, & gratiam pœnitentiæ, per quam expellitur. hoc autem ius fuit totale, & completum respectu præmij essentialis, & non partiale, neque in suo *esse* descendebat à peccato, aut gratia eius remissiua: ergo totum reuiuiscit, vel nihil ius reuiuiscit.

Si desineret gratia antecedens meritũ adueniente augmento, maneret ius fundatum in merito.

Gratia pœnitentialis tollit impedimẽtum peccati.

62 *4. Ratio. Requisita ad meritum.* Trident.

Quartò ad meritum non requiritur aliud quàm vt eliciatur opus meritorium in gratia cum debitis circumstantiis, & decedat in gratia operans, vt patet ex Tridentino sess. 6. cap. 16. *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam verè promeruisse censeantur,* &c. & can. 32. idem dicit. Quibus verbis proponit Concilium ius completum meriti, quòd solùm dependet à statu gratiæ, quòd opus bonum sit factum in Deo, id est, mediante

gratia

gratia auxiliante: & talis satisfaciat legi Dei pro huius vitæ statu, & moriatur in gratia. De prima, secunda, & quarta conditione non est difficultas. De tertia autem posset esse dubium,

Dubium de tertia conditione meriti.

an intelligat Concilium perseuerantiam in bono opere, & gratia à lapsu mortali, quia hoc videtur esse satisfacere legi Dei, ad hoc vt meritum habeat totum ius in *esse* meriti, ac proinde Concilium posset intelligi, vt quidam explicant, de operibus iustorum ex satisfactione legis, & perseuerantia in gratia tantùm, non autem de meritis eorum, qui postea lapsi sunt

Resoluitur.

à gratia. Sed contrarium huius probatur, quia Concilium loquitur de satisfactione pro statu vitæ præsentis, nempe subiectæ tentationibus, & peccato. Sed qui per pœnitentiam resurgit à peccato, satisfacit plenè legi Dei

Pœnitens satisfacit legi Dei pro statu vitæ præsentis.

pro statu vitæ præsentis, quantùm ad effectum salutis, qui est etiam effectus legis, quæ ad finem dirigit, seu ad salutem, quia pœnitentia habet annexam remissionem peccati, & pœnæ æternæ, & restituit amicitiam, & gratiam, satisfacit plenè pro offensa legis, tanquam satisfactio, & pœna ordinata in vita præsenti, per ipsam legem pro peccatis: ergo pœnitens habet hanc etiam conditionem satisfactionis, quam exigit Concilium vt opus meriti retribuatur per gloriam, & hanc satisfactionem comprehendit etiam Concilium, sicut in initio capitis comprehendit merita iustorum, qui perseuerant in gratia, vel qui lapsi eam recuperarunt per pœnitentiam; hoc autem insinuant verba prædicta

Præseruatio à peccato mortali tota vita est donum speciale.

pro statu vitæ præsentis: quia perseuerantia in gratia, & satisfacere legi diuinæ pro tota vita sine peccato etiam mortali, est donum speciale Dei, quod regulariter omnibus non conceditur pro statu vitæ præsentis, & ex speciali priuilegio:

In eo non consistit satisfactio legis regularis, & ordinaria.

illa autem satisfactio legis quæ regulariter datur per pœnitentiam, est satisfactio legis pro statu vitæ præsentis, quæ satisfactio à Deo instituta est, & acceptata, quoniam (vt idem Concilium dicit sess. 14. cap primo,) *Dices in misericordia, cognouit figmentum nostrum, hoc vitæ remedium contulit.*

Scopus Concilij.

Occurrit autem Concilium per verba iam declarata tacitæ obiectioni, quæ fieret ex obseruantia legis, quod est medium necessarium ad salutem *Matth. 19. & aliàs*, posset enim obiici quòd lapsus non obseruat legem, neque ei satisfecerit.

Ad quod respondet tacitè, quòd satisfecerit pœnitens pro statu vitæ præsentis subiecto infirmitati, & ignorantiæ per pœnitentiam: ergo per talem satisfactionem reuiuiscit totum opus meriti, & non tantùm pars, & semper etiam reuiuiscit, sicut & pœnitentia debita semper iustificat à peccato.

63

Confirmatio. Si meritum non reuiuisceret, pœnitentia nõ deleret omnem pœnam peccati, vt damni.

Confirmatur, peccatum remittitur quoad maculam, & omnem pœnam, siue damni, siue sensus, per pœnitentiam: ergo nulla pœna damni debita peccato, aut ex peccato, perseuerat post pœnitentiam. Ergo minùs potest manere pœna damni quoad præmium debitum meritis prioribus post pœnitentiam: sed si non resurgerent ad integrum præmium, maneret pœna damni quoad hoc: ergo, &c. hoc argumentum aliàs sæpè deduximus cum Doctore de efficacia pœnitentiæ ad remissionem peccati.

Responsio.

Dices, non esse pœnam peccati, sed effectum, quia peccans facit dispendium gratiæ, ad quam non resurgit denuò, nisi se ipsum disponat, & consequenter neque ad integrum præmium quod dependet à gratia.

Impugnatur.

Contrà, ex hoc sequitur merita, neque in toto, neque in parte resurgere: si enim referatur

Sequi merita non reuiuiscere.

responsio ad fundamenta Bannes, si merita dependent à mensura gratiæ, sequitur quòd nullo modo resurgunt quoad titulum, nisi restituatur gratia proportionata meritis, vel si resurgant quoad titulum, hanc reuiuiscentiam eorum non dependere à mensura gratiæ. Si referatur eadem responsio ad fundamenta, & modum explicandi Soti, & Ledesmæ, qui dicunt dari tantam gratiam propter merita, quanta datur ex vi dispositionis præsentis, etiam sequitur idem: quia hæc doctrina nequit reduci ad fundamenta, ex quibus asseritur reuiuiscentia meritorum.

Impugnatur. Modus dicendi Soti.

Peto, cui correspondet ille excessus gratiæ collatæ supra gradum dispositionis? non ipsi dispositioni, quia tunc gratia excederet gradum dispositionis, quod negatur: ergo meritis: sed merita perinde exigunt gratiam illam partialem, ac totam gratiam. Vel ergo asserendum est totam gratiam restitui, & meritis debitam, vel certè nihil eius, ideóque magis consequenter differunt alij, qui dicunt totam gratiam in eadem mensura ex necessitate reuiuiscentiæ meritorum saltem restitui. Vnde videtur hoc congruum reuiuiscentiæ meritorum, si necessaria sit gratia, vt medium coniungens fini in pari gradu cum meritis eam restitui.

Dico secundò, hanc reuiuiscentiam meritorum esse non solùm opus diuinæ misericordiæ, 64

2. Conclusio. Reminiscẽtia meritorum est ex iustitia.

sed etiam iustitiæ, supposito pacto de acceptatione bonorum operum in *esse* meriti. Hæc est conclusio Doctoris, vt patet ex litera eius in præsenti articulo, suprà explicata, vbi approbat modum dicendi aliorum, qui reducant reuiuiscentiam hanc in diuinam clementiam. *Quamuis*, inquit, *hoc sit benè dictum in commendationem misericordiæ diuinæ: tamen potest aliquo modo reduci ad iustitiam hoc modo*, &c. Et subiicit argumentum quod aliàs *ibidem* deductum est contra reuiuiscentiam peccati dimissi per pœnitentiam, quoad culpam, & pœnam etiam tẽporalem, si satisfaciat pœnitens adæquatè pro illa pœna, & è contra cùm debitũ præmium meritis non commutetur in aliquod præmium transitorium, & temporale, sicut pœna æterna commutatur in temporalem, manet suum ius operibus, quando viuificatur peccator per pœnitentiam. Vnde nescio cur Suarez in præfato opusculo *sectione 3.* in principio adducat Doctorem, pro sententia illa, quę reuiuiscentiam meritorum reducit solùm ad diuinam misericordiam, neque etiam alij authores, quos pro eadem sententia refert, id dicunt, nisi quatenus misericordia plurimùm immiscetur meritis, qua factum est, vt sua dona voluerit Deus nostra esse

Misericordia admiscetur meritis.

merita, & quanquam iustè potuerit Deus vel hominem lapsum non reuocare ad pœnitentiam post Baptismũ, vel etiam merita aliàs facta obliuisci, in pœnam ingratitudinis: tamen ex misericordia, & primo pacto, illa permanere voluit perseuerantibus in sua gratia finaliter, tanquam media, per quæ prædestinatus ad gloriam electioni proportionatam perueniret, & hanc misericordiam, quæ magis admiscetur meritis nostris, quàm iustitia, intendunt præfati authores, vt excludant iustitiam rigorosam, quæ nequit esse in proposito, aut nostri ad Deum. Vasquez allegat hìc rigorosam iustitiam, id est, ex natura rei

seclusa omni diuina acceptatione, per quam opera in *esse* meriti complerentur. Hanc sententiam aliàs impugnauimus, est singularis.

65 *Probatio conclusionis ex Trident.*

Conclusio itaque patet ex Tridentino, nempè hîc seruari tam misericordiam, quàm iustitiam: *Proponenda est*, inquit, *vita æterna, & tanquam gratia filijs per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda*, &c. & infrà. *Neque verò illud omittendum est, quòd licèt bonis operibus in sacris litteris vsque adeò tribuatur*, &c. *absit tamen vt Christianus homo in se ipso, vel confidat, vt glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*, &c.

Rectè ergo dicitur & misericordiam & iustitiam supposita misericordia, & promissione Dei, operari hanc reuiuiscentiam meritorum ad præmium essentiale integrum: nam si reuiuiscant ad præmium accidentale ex integro, vt concedunt authores, quos impugnauimus hactenus, non videtur ratio ex parte diuinæ misericordiæ suppetens, aut etiam ex parte iustitiæ, quæ primariò acceptant, & ordinauit merita ad præmium vitæ æternæ, cur magis eadem non reuiuiscant quoad præmium essentiale, quàm ad præmium accidentale, & primaria Dei acceptatione? nam & ordo ad præmium accidentale speciale quarundam virtutum, & operum supponit ordinem eundem ad præmium essentiale, à quo nequit separari secundùm præsentem iustitiam.

Non est ratio vnde reuiuiscant, ad præmiũ accidentale integrũ magis quàm ad essentiale.

66 *Responsio.*

Dices fortè, præmium essentiale dependere à mensura charitatis, non ita præmium accidentale.

Impugnatio.

Contrà; hoc etiam dato, dicendum esset charitatem reuiuiscere ex reuiuiscentia meritorum quoad integrum. Deinde ipsum præmium accidentale, quod est gaudium de opere virtutis perfecto, cui debetur, crescit ex operibus inquantùm ordinantur secundùm gradum perfectionis ad præmium essentiale in *esse* meriti: quia hæc ratio in operibus est perfectior, quàm ordinatio ad præmium accidentale, ac proinde inferens gaudium de opere principaliter quatenus est ex Deo, & ad finem vltimum ordinatum, sine qua ordinatione non esset opus illud meritorium præmij accidentalis, sed indifferens in *esse* meriti: sed gratia pœnitentialis non viuificat opus indifferens in *esse* meriti, verbi gratia, si actus illi ex genere boni, non referuntur in finem charitatis formaliter, aut naturaliter, sine qua relatione non consistit meritum in operibus, quibus destinatur præmium accidentale, vt patet de Virginitate, & doctrina, verbi gratia, & idem de martyrio, nisi subeatur propter Deum. Ergo vt opus sit meritorium præmij accidentalis, requiritur, vt sit meritum vitæ æternæ, quia sicut illud gaudium de opere spectat ad beatitudinem, licèt accidentalem redundantem ex essentiali, vt proportionatur operi virtutis, de quo est gaudium, sic etiam debet esse gaudium de illo opere, vt fuit medium speciale coniungens fini vltimo, & quoad bonitatem tantùm Philosophicam, seu ex genere, secundùm quam opus est indifferens, non dicens ordinem ad finem, nisi referatur per charitatem suo modo. Ergo si opus illud decrescit in ratione meriti, qua coniungitur fini vltimo, ceu præmio essentiali, decrescit similiter, qua est obiectum, & causa gaudij; ergo & ipsum gaudium de opere, in quo consistit præmium eius accidentale, similiter decrescit, alioquin gaudium ipsum non esset secundùm statum beatitudinis, si de aliquo esset sub ea ratione, qua non refertur ad finem vltimum, & consequenter tenendo opera viuificari integrè quoad præmium accidentale, idem dicendum est quoad essentiale.

Motiuũ gaudij accidentalis, aut præmij.

Præmium accidentale non est ex meritis, nisi vt meritu dicunt ordinem ad finem.

Tertia conclusio, licèt non gratia antiqua data operibus, adhuc opera redeunt quoad ius antiquum ad præmium. Probatur conclusio ex dictis, quia vt postea videbimus, communior sententia est, non redire gratiam, nisi secundùm mensuram dispositionis, in qua resurgit pœnitens, neque de contrario ita ratio, aut authoritas expressa vlla conuincit, sicut de reuiuiscentia meritorum. Et Tridentinum *loco præfato* præcisè determinat reuiuiscentiam meritorum in ordine ad præmium essentiale absolutè, & vt videtur in integrum, non ita agit de reuiuiscentia gratiæ antiquæ aut ibi, aut alibi. Quamuis autem dicat recuperari gratiam per pœnitentiam *cap.* 14. *sess.* 6. tamen ibi non loquitur de alia gratia, diuersa ab ea quæ correspondet pœnitentię, & dispositio in præsenti, vt postea in sequentibus apparebit. Locutiones etiam Scripturæ non exprimunt alia quàm reuiuiscentiam operum ad præmium essentiale, & non agunt expresè de reuiuiscentia pristinæ gratiæ, quæ fuit ante lapsum. Ergo certitudo hæc maior de reuiuiscentia meritorum non dependet ab alia veritate magis dubia, & incerta, quæ est de reuiuiscentia gratiæ in integrum. Neque accommodari debet illa certitudo, & mensura meritorum gradui dispositionis, & gratiæ, ad quam resurgit peccator, neque est extendenda ratio ex diuina misericornia, & iustitia ad reuiuiscentiam integræ gratiæ, sicut & meritorum quo ad integrum ius: tum, quia promissiones factæ operibus hoc non exprimunt, penes quas procedit Dei misericordia & iustitia; neque diuina prouidentia præsens id compatitur, quæ mensuram gratiæ recuperandæ statuit iuxta media ordinata, & eorum efficaciam in suo genere, nempe Sacramenti, & dispositionis præsentis, seu conuersionis peccatoris.

67 *3. Conclusio. Redire ius ad præmiũ fundatum in operibus, quãuis non redeat gratia.*

Reuiuiscẽtia quoad gratiã non exprimitur in Scriptura.

Veritas certa non dependet ab incerta.

Neque ratio extẽditur ad reuiuiscentiã gratiæ.

Neque debitum etiam ex parte operum conueniens rediuiuo per pœnitentiam: quia & gratia debita operibus iam est collata in effectu, quam sibi perdidit peccans, non ita collatum est præmium essentiale, ad quod primariò ordinata sunt opera, neque etiam necessitas dispositionis ad gloriam, seu præmium essentiale, ad quod disponit gratia, aliud conuincit, nisi aliquam gratiam supponi ex parte resurgentis ad effectum præmij, qua constituatur filius Dei, & capax gloriæ, quæ tantùm promissa est filiis. Vnde Tridentinum in verbis *suprà* citatis inter hæc duo discernit, nempe vt gloria misericorditer per Christum promissa est filiis, id est, existentibus in gratia; & eandem vt correspondet bonis eorum operibus ex promissione diuina, tanquam præmium fideliter reddendum. Vnde rigor secundæ huius sententiæ, & promissionis seruanda est, quamuis supponatur gratia tantùm pœnitentialis. Ex quibus colligitur maior certitudo reuiuiscẽtiæ meritorum quoad integrum spectando fundamenta, ex quibus asseritur, quàm sit certitudo alterius, nempe restitutæ in integrum gratiæ antiquæ, aut etiam in parte. Qua in re nobiscum sentit Suarez, qui reuiuiscentiam

68 *Gratia debita operibus fuit collata, non ita gloria.*

Certior est sententia de reuiuiscentia meritorũ quoad gloriam quàm quoad gratiam.

merito

meritorum vt certam statuit, reuiuiscentiam autem gratiæ prioris vt probabiliorem: quoniam autem sententia contraria hæret in eo, quòd gratia debet commensurari meritis ad effectum præmij essentialis consequendi,

Responsio, & fundamentum oppositæ sententiæ.

69 *Impugnatur. Necessitas reuiuiscentiæ gratiæ.*

Secundò argumentor illa commēsuratio exigeretur vel per modum dispositionis requisitæ, vel vt quis dicatur acceptatus à Deo in ordine ad præmium, vel certè quatenus charitas, seu gratia est medium assequendi præmium: sed nihil horum conuincit merita non redire quoad totum præmium essentiale, quamuis non rediret gratia in eodem gradu antiqua, vel etiam nullo modo rediret: ergo, &c. Probatur minor, in primis non qua disponit, quia gratia debita ex meritis non est dispositio antecedens meritum, sed consequens, quia meritum completur in omni suo *esse*, & iure ipsi competente, antequam tribuatur gratia merito: ergo in nullo sui *esse* naturali, morali, aut meritorio, dependet à gratia sibi debita, & qua redditur propter ipsum meritum, tanquam à dispositione antecedente, & causa: quia sicut completur in his meritum antecedenter, posset etiam manere, quamuis Deus non tribueret vllam gratiam consequentem, sicut opus remissum meriti, aut æquale in sententia quam *suprà* impugnauimus, habet præmium gloriæ essentialis iuxta aliquos, licèt non augeat gratiam, neque in præsenti, neque in vita futura. Sequitur ergo tantùm gratiam datam ob merita esse dispositionem consequentem, si modò est dispositio necessaria.

Gratia quæ datur propter merita nequit esse dispositio antecedens.

Non est dispositio consequens ex natura rei.

Sed neque sic est dispositio ex natura rei ad præmium essentiale acquirendum. Quod probatur sic primò, quia gratia redditur operibus, tanquam præmium, ad quam opera se habent vt causa moralis, & solùm ex diuina acceptatione causans (non intelligo hîc quòd meritum non constituatur etiam ex bonitate morali, sed intelligo non posse esse meritum sine acceptatione diuina, neque causare sine illa, quidquid sit, an per solam acceptationem habeat rationem formalem meriti, quam difficultatem aliàs tractauimus,) sed quidquid tribuitur merito per modum præmij, nequit esse dispositio ex natura rei consequens meritum necessariò. Ergo gratia non sic est dispositio consequens ex natura rei.

Consequitur gratia augmētum meritū, vt causam moralem.

70 *Responsio.*

Dices, quòd licèt non sit dispositio consequens ex natura rei eo modo, quo sua dispositio consequitur formam physicam, tamen est dispositio consequens ex natura rei, qua meritū comparatur ad præmium vltimatum diuinæ gloriæ; ideóque supposito quòd meritum dignum sit gloria, sequitur quòd gratia detur secundùm meritum, vt disponit ad gloriam; tum, quia est principium attingendi gloriam, tum etiam, quia acceptatio hominis ad gloriam.

Impugnatio.

Contrà, illud est sufficiens principium, & acceptatio hominis ad gloriam, per opera, quo supposito, completur omne ius meriti, & tota eius ratio; repugnat meritum esse meritum, nisi sit completū in ratione operis & acceptationis; sed quoad hæc omnia completur meritum antecedenter ad gratiam, quæ est ex merito, tanquam præmium minùs principale meriti: ergo meritum vt est meritum ad gloriam, etiam completur in *esse* meriti gloriæ antecedenter ad gratiam, quæ datur propter ipsum; & consequenter ius ad gloriam subsistit ex causis antecedentibus meritum quoad totam sui rationem: sed hoc esset falsum, si gratia subsequens meritum compleret ipsum in ratione meriti: compleret autem si ex natura meriti non respiceret gloriam, nisi dependenter ab illa gratia: ergo, &c.

Ius ad gloriā merito conueniēs subsistit, tantum ad causas antecedentes meritum.

71 *Confirmatio. Conditiones meriti ex Patribus.*

Confirmatur, ad completam rationem meriti, neque Scriptura, neque Patres requirunt aliud, quàm bonum opus fieri in gratia cum reliquis circumstantiis, & per gratiam Christi; ad effectum præmij consequendi nō requirunt etiam, quàm vt homo decedat in gratia: ergo alia dispositio ordinans hominem ad præmium ab his diuersa non exigitur ex natura meriti, quantùm ad acceptationem diuinam, tam antiquam, quàm etiam vltimatam, qua coniungitur fini, seu præmio: hæc autem saluantur absque eo quòd gratia antiqua restituatur: ergo non habet rationem dispositionis necessariæ, etiam consequentis hoc modo.

Secunda confirmatio. Dispositio ad formam exigitur in ordine ad effectū eius.

Confirmatur secundò: Dispositio necessaria consequens formam se tenet ex parte formæ in ordine ad suum effectum; sed non ita se habet gratia, quæ datur propter merita: ergo non se habet vt dispositio necessaria. Maior patet, minor probatur, quia ad acceptationem personæ, in ordine ad merita, & in ordine ad gloriam, non concurrit gratia data meritis, & consequens ad completum *esse* meriti: quia gratia, ex qua acceptatur antecedenter homo, vt possit mereri vitam æternam, adiuncto ipso merito in opere, est illa, per quam acceptatur persona, ea acceptatione quæ requiritur ad fundandum completum ius meriti: illa autem est sola antecedens: ergo etiamsi non daretur gratia meritis, non inde tolleretur efficacia meritorum ad gloriam consequendam.

Non sic se habet gratia data ob merita.

72 *Tertia confirmatio.*

Confirmatur tertiò: gratia datur per se propter meritum tanquam præmium, & non solùm propter gloriam: ergo non datur solùm vt dispositio hominis ad gloriam per meritum. Antecedens patet, tum, quia perfectio gratiæ comparata ad opera habet illum excessum vt sit dignum præmium operibus; tum, quia gratia si non esset præmium distinctum etiam ex diuina ordinatione debitum operibus per se in *esse* præmij, & non dispositionis ad gloriam (loquor semper de gratia, quæ acquiritur per opera) respectu eius meritum non esset meritum, sed tantùm respectu gloriæ, & in tantum respiceret gratiam, inquantum esset dispositio debita ex iure meriti ad gloriam: non sic autem Tridentinum *sess. 6.* locis citatis loquitur de merito, vt *canone 32. & 24.* vbi de gratia & vita æterna loquitur respectiuè ad meritum, tanquam de diuersis præmiis. Præterea, non esset ratio cur gratiæ augmentum statim tribueretur meritis, sed reseruaretur vsque ad terminum conferendæ gloriæ; si gratia tantùm esset dispositio ad gloriam, & non speciale operum præmium, & distinctum in statu viæ: neque esset ratio cur datetur reprobatis, nisi principaliter respiceret opera tanquam præmium hoc modo. Quòd ergo sit dispositio ad gloriam vt præmium, conuenit illi præcisè, quæ est dispositio ad meritum, nempe gratiæ antecedenti, vel illa quæ iustificat lapsum, & resuscitat merita eius. Vnde Augustinus de gratia, & libero arbitrio: *Cui daret*, inquit, *coronam iustus Iudex, nisi prius dedisset gratiam misericors Pater? & quomodo esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium?*

Gratia datur meritis vt præmium.

Trident.

Non esset ratio cur tribueretur augmentū gratiæ in via, si esset solùm dispositio ad gloriam.

Augustin.

impium? quomodo ista debita redderentur, nisi prius illa gratuita donarentur? &c. Ergo illa est gratia, quæ disponit ad gloriam, quæ iustificat impium, & quæ donat merita; neutrum horum conuenit gratiæ vt comparatur ad merita tanquam effectus, & præmium eorum: ergo non est gratia, quæ habet rationem dispositionis simpliciter ad gloriam; minùs autem dispositionis necessariæ; ac proinde quamuis non resurgat, manet suum ius meritis per gratiam, quæ iustificat in pœnitentia.

73 *Secũda ratio, & probatio minoris præmissæ.*

Secundò ergo probatur minor principalis præmissa, nempe gratiam non esse necessarium vt reuiuiscat per modum principij in ordine ad gloriam attingendam; quamuis merita plenè reuiuiscant per pœnitentiam. Probatur autem primò sic: non est necessarium vt reuiuiscat gratia in *esse* principij præcisè attingendi obiectum beatificum in via, quia meritum non coniungit in effectu ad præmium gloriæ, nisi supposita finali perseuerantia, quæ est conditio necessaria, & lege statuta, vt præmium proximè detur merito, & adiuncta statui viatoris, cui constitutum est præmium dandum non in via, sed merendum in via, dandum verò in patria, sublato omni impedimento peccati, aut pœnæ debitæ: ergo ex iure meriti non reuiuiscit gratia illa in ratione principij, quo attingatur præmium, nisi in patria, quando confertur ipsum præmium.

Gratia finalis est qua requiritur, vt merito cõiungatur præmium.

In via non requiritur alia cõsequens meritum.

Responsio.

Dices: ex hoc sequi non dari etiam gratiam operibus in via.

Impugnatur. Gratia datur meritis in via vt tranium, & non ve dispositio ad gloriam.

Contrà; sequitur non dari per modum principij attingentis gloriam, vel necessarij ad gloriam, sed ex alio capite & intentione dari, nempe vt est præmium supremum, & vltimum, quod attingit quis in statu viæ, & ad quod acceptantur eius opera vt meritum, sicut in præcedentibus dictum est; quòd si in illa perseuerat iustus vsque in finem, etiam attingit per eam finem, quia in statu patriæ habet omnem operationem, quæ ipsi competit ex natura formæ: non sequitur tamen quando iustus eam ex demerito amittit in via, quod reuiuiscat vt principium necessarium ad gloriam, saltem in via, quia id esset omnino superfluum.

Si gratia est forma diuersa à charitate, non requiritur, vt reuiuiscat in patria.

Deinde gratia si statuatur forma in essentia animæ, & non operatiua, vt in schola Diui Thomæ tenetur, non est necessarium vt gratia debita meritis etiam reuiuiscat in patria, aut in via in *esse* principij, quo attingatur finis; sed sufficit vt charitas reuiuiscat in patria, quæ est principium fruitionis, & non in via, ex sola hac ratione.

74 *Secunda probatio Suppleri posse gratiam deperditam in patria.*

Secundò probatur, quia, vt in nostra schola tenetur, potest conferri præmium essentiale, & suppleri defectus huius principij, etiam modo connaturali potentiæ per habitũ eleuatæ, quamuis gratia non sit proportionata quoad intensionem graduum præmio: ergo neque ex necessitate gratiæ in *esse* principij sequitur gratiam collatam aliàs meritis reuiuiscere in via, aut patria. Antecedens hoc aliàs probabitur suo loco. Consequentia est bona.

Responsio.

Dices: quamuis id Deus potest, tamen non sequitur ita efficere secundùm præsentem prouidentiam, qua hominem eleuat per habitus, & iustificat.

Impugnatio. Gratia eleuat potẽtiam ad meritum.

Contrà, non solùm eleuatur potentia per habitus in ordine ad gloriam, sed etiam in ordine ad meritum in gradu excedente etiam habitum, qui habetur in via per concursum gratiæ actualis, & liberum arbitrium, vt sequitur gratiam, eique coagit ad opus bonum: verbi gratia, si quis iustificetur per actum contritionis, & post iustitiam infusam continuet eundem actum, & maiori conatu, & intensione, vel eliciat actum longè perfectiorem; gradus gratiæ habitualis est inferior merito, & gratiæ, quæ est ex merito; quia vtraque sequitur mensuram suæ dispositionis præuiæ: ergo prouidentia ordinaria in via non eleuat potentiam ad actum per gratiam habitualem, qua est principium eius, secundùm mensuram perfectionis actus: ergo ex vi eleuationis per habitus non sequitur prædicta proportio gradualis inter habitum & actum: ergo neque in patria. Patet consequentia, quia gratia actualis in patria præter habitum necessaria est, vt attingatur obiectum beatificum, quod voluntariè mouet in ordine ad actum non solùm beatificum, sed etiam ad alios actus, vt sunt illuminationes, & alia eiusmodi, quæ non debentur Beatis ex vi suæ beatitudinis.

Potentia eleuata in via attingit actũ supernaturalem excedentẽ habitum.

Requiri gratiã actualem in patria.

Et transeat quòd voluntas non exigat excitationem in patria, vel etiam quod necessariò agat quantùm est ex se, & per modum naturæ, vt alij volunt, tamen obiectum liberè mouet in ordine ad actum, & diuina voluntas: potest ergo manere in patria etiam ex prouidentia ordinaria, attingentia obiecti, deficiente habitu in gradu proportionato fruitioni. Quòd si vlteriùs prouidentiam in patria coniiciamus quoad eleuationem potentiæ ex statu viæ, eleuatur potentia, verbi gratia, ad actus supernaturales, qui antecedunt gratiam iustificantem sine omni habitu, sicut etiam ad actum meriti simul cum habitu, vt dictum est. Accedit præterea quòd non sit connaturale potentiæ principium, ad quod dicit tantùm potentiam obedientialem, vt plerique tenent, qui in opposita sententia sunt: illud ergo principium est connaturale potentiæ in supernaturalibus, per quod ex diuina prouidentia ordinaria eleuatur potentia eius obedientialis, vt cum illis loquar. Sed ex debito meriti requiritur præmium essentiale in gradu proportionato merito; non debetur autem restitutio gratiæ deperditæ, neque in via, neque in patria: ergo ex debito meriti debetur concursus specialis, quo attingat potentia præmium destinatum operibus, & non restitutio gratiæ per modum principij: subsumptum ex parte probatum est ex dictis, & ampliùs probatur. 75

Eleuatur potentia quandoque in via sine habitu.

Illa est eleuatio connaturalis quã diuina prouidẽtia ordinaria præscribit.

Tertiò, prouidentia ordinaria Dei sequitur naturam mediorum, per quæ reducitur in effectum: sed media, per quæ viuificatur lapsus, sunt Sacramenta, verbi gratia, Baptismi & pœnitentiæ. Ponamus aliquem Catechumenum fuisse iustificatum per fidem ex charitate operantem, vel per actum contritionis perfectæ, & postea lapsum viuificari per Sacramentum. Sed hæc media sunt, quantùm est ex vi Sacramentorum, & dispositionis præsentis, nata tantùm causare regulariter eundem effectum in omnibus, vt per se constat: ergo non habent ex natura sua causare in eo qui lapsus est à iustitia, nisi eundem effectum, quem in aliis causant, siue iustis, siue iniustis, quantùm ad gradum gratiæ. Eodem modo dicendum de contritione etiam extra Sacramentum. Sed Deus non confert regulariter alium effectum, nisi qui ex prima sui institutione

76 *Tertia ratio. Ex efficacia ordinaria Sacramẽtorum.*

Eundem effectum causat Sacramẽtum, quantum est ex virtute Sacramenti.

Sacramẽtum dat effectum iuxta mensuram dispositionis, & qui competit ei ex institutione regulariter. Trident.

tione conuenit Sacramento, & dispositioni, in qua suscipitur: ergo non confertur ex vi prouidentiæ præsentis alius effectus, quàm sit gratia sacramentalis, iuxta mensuram dispositionis præsentis. Hæc doctrina videtur Tridentini *sess. 7. cap.7.* vbi mensuram gratiæ iustificantis refert in Sacramenti efficaciam, quæ ex communi Theologorum regulariter limitatur ad determinatum, & in modum dispositionis, & gradum. Neque pœnitentia aliter causat, nisi primam gratiam, & remissionem peccati, & pœnæ æternæ in pœnam temporalem commutationem. Et hanc eandem doctrinam tanquam certam communis Theologorum sententia supponit, qui docent ex ratione allata de efficacia Sacramenti hominem non resurgere, nisi ad gratiam, quæ debetur Sacramento, & dispositioni præsenti, quantùm est ex efficacia & virtute Sacramenti. Vnde qui statuunt dependentiam meriti ad gratiam quoad mensuram perfectionis in gradu, ex hoc principio negant redire merita, nisi quoad eandem mensuram, quam recipit quis ex vi dispositionis præsentis, & Sacramenti, quæ sententia quoad hoc quod docet de proportione gratiæ ad Sacramentum, & dispositione cum qua quis resurgit, est magis certa, quàm gratiam antiquam restitui: nam effectus regularis Sacramenti est limitatus, & certus, eodem modo de effectu operum, siue vt præcedunt iustitiam per modum dispositionis, siue etiam vt subsequuntur per modum meriti, gratia eis correspondens præcisè non excedit gradum perfectionis in ipso opere.

Sententia cõmunis antiquorum.

Gratia ex operibus non excedit perfectionem in opere.

77 *Confirm.* *Gratia Sacramẽti confertur ex opere operato, gratia meritorum non est nata sic conferri.*

Confirmatur, quidquid confertur per Sacramentum, confertur ex opere operato, & per modum Sacramenti, sed gratia proportionata meritis viuificatis, nequit conferri ex opere operato: quia sic non conferretur ex debito meritorum, quod est ex opere operantis, sed ex debito meritorum Christi præcisè, & virtute Sacramenti, quod meritum Christi applicat: ergo graria illa antiqua, quæ fuit ex meritis, non restituitur virtute Sacramenti, minùs etiam ex efficacia dispositionis intra, vel extra Sacramentum, vt per se constat. Sed quidquid gratiæ recipit viuificatus, recipit à Deo per hæc media, & secundùm eorum efficaciam & acceptationem: ergo non confert aliam gratiam quàm illam, quæ eis regulariter in omnibus, quibus applicantur, correspondet. Quæ doctrina mihi certior videtur, & magis reduci ad principia certa, quàm quòd gratia meritorum reuiuiscat per Sacramenta.

Responsio.

Dices, non conferri gratiam illam virtute Sacramenti, aut dispositionis, sed gratia, qui sit effectus ipsis proportionatus, & delet peccatum; tunc autem sicut merita reuiuiscunt ad gloriam, sic etiam reuiuiscunt ad gratiam antiquam, quæ est debita meritis.

78 *Impugnatur.* *Non reuiuiscere gratiam perditam ex debito gloria, aut meritorũ.* *Promissio gratia facta operibus non extenditur ad eius conseruationem, aut restitutionẽ.*

Contrà, ex nulla dependentia meritorum ab illa gratia in ordine ad præmium essentiale hoc colligi potest, vt patet ex dictis, neque etiam ex debito fundato in meritis respectu gratiæ amissæ. Ergo summouetur ratio sufficiens id asserendi. Probatur antecedens quoad secundam partem: quia promissio diuina facta meritis quantùm ad augmentum iustitiæ, non extenditur ad gratiam rediuiuam, sed ad augmentum gratiæ statim conferendũ ad augmentum iustitiæ receptæ, ex qua ipsa merita facta sunt idonea ad hunc effectum; sed dato illo augmento completur in re promissio; ergo & cessat meritum in ordine ad gratiam sibi debitam, quam neque Deus conseruare promisit adueniente peccato, minùs autem restituere amissam, quia peccantem iustificat merè gratis, & non ex debito, vt fides est, & iustificat per Sacramentum, vel in ordine ad Sacramentum, & sine vllis eius meritis; quæ locutio generalis vniuersaliter intelligenda est. Sed si conferret gratiam ex titulo meritorum antiquorum, non esset verum quòd solùm gratis iustificaret: ergo non est dicendum quòd conferat illam gratiam. Patet subsumptum, quia per nomen iustificationis præsentis quæ datur peccatori, comprehendit Concilium Tridentinum non solùm remissionem peccati, sed etiam renouationem per dona & gratiam: vt patet ex definitione iustificationis *sess.6. cap.4. & cap.7.* & ex doctrina illius capitis septimi, in quo exprimit, & declarat Concilium quid in ipsa iustificatione peccatoris, & per eam recipitur: totum autem dicit *cap.* 8. conferri gratis respectiuè ad merita peccatoris: ergo si iustitia, ad quam resurgit peccator, est ex meritis eius etiam in parte, non est verum ipsum iustificari gratis ex toto, & renouari interiùs, sed ex meritis: ergo non reuiuiscit ei iustitia, quam demeruit ex peccato.

Iustificatio gratis fit.

Non fieret gratis si gratia ex titulo meritorũ resurgeret.

Deinde, Concilium dicens hanc iustificationem fieri gratis, quia neque fides, neque opera, quæ præcedunt iustificationem, ipsam iustificationis gratiam promeretur; opera autem solùm confert peccator, se disponens in ordine ad iustificationem de suo: quia Sacramentum, quod est altera causa iustificationis, non operatur in virtute operum peccatoris, sed in virtute operum solius Christi, tanquam causæ meritoriæ. Ratio autem Concilij est præcisa & adæquata per causam etiam præcisam, & adæquatam, quia in causis præcisis si affirmatio est causa affirmationis, negatio etiam est causa negationis; dans ergo rationem cur iustificetur peccator gratis, & non per merita, est, quia opera quæ antecedunt gratiam iustificationis, ipsam iustificationis gratiam non promerentur: ergo supponit hæc ratio nullam causam esse iustificationis, nisi dispositionem præuiam, & Sacramentum, & alias causas, quas assignat minutim per omnia genera *in cap.7.* Ergo censet iustificationem, vt comprehendit dona & renouationem interiorem hominis, esse adæquatè ex causis assignatis, vel falleret secundùm consequens ratio data à Concilio. Ergo supponit non renouari peccatorem etiam in parte per aliquid concurrens, ex parte peccatoris, nisi per dispositionem specificatam à Concilio *cap.6.* ergo neque merita antiqua per modum meriti, neque per modum dispositionis concurrunt ad iustificationem peccatoris: ergo neque gratia deperdita propter eadem merita restituitur, quæ est sententia Doctoris, & antiquorum Theologorum, & magis conformis principiis vniuersalibus fidei, ex quibus procedit Concilium. 79

Causa præcisa iustificatio est Sacramẽtum & dispositio.

Illa causa excludit aliã quãcumque.

Quarta conclusio est, non redire gratiam deperditam, siue ex meritis fuit, siue etiam ex aliis mediis. Hæc est contra Nominales, & Suarem & Vasquem *locis citatis*, & sufficienter probata est ex dictis. Eam tenet Doctor in littera, & omnes antiqui, vt patet ex fundamentis, & assertione eorum. Eandem etiam tuetur Henricus, licèt ex 80

Quarta cõcl. *Non redire gratiam deperditam.* *Cõmunis sententia veterũ Theologorum.*

Falsum fundamentum Henrici. ex fundamento falso; putat enim omnes resurgere pares in gratia quando iustificantur per Sacramentum, quia putat, si gratia augeretur ex dispositione peccatorum, tunc non saluari nos gratis iustificari, cuius contrarium docet Tridentinum, & suo loco fusiùs probatur.

Suarez interpretatur Doctorem aliter. Immeritò Suarez explicat Doctorem in eam sententiam trahens, quasi non negauerit gratiam, licèt in hac vita non detur, dari eam in patria, neque consequenter negari potuisse, cùm dicat merita quoad præmium essentiale in integrum reuiuiscere.

Reiicitur. Contrarium enim supponit Doctor, & ratio eius: quia dicit quòd non resurgat quia priùs habita est. In quo discernit inter ius ad gratiam, & gloriam: quia nempe ius meriti extinguitur solutione. *Ius meriti ad gratiam solutione extinguitur.* Ergo cùm gratia sit meritis collata, & demerito peccantis perditur, sibi perditur, & non Deo, & consequenter quantùm est ex parte iustitiæ, non potest prætendi eius restauratio ex merito: gloria autem nunquam fuit collata, ideóque manet ius meriti ad gloriam in diuina acceptatione, quando meritum ipsum reuiuiscit. Videatur Doctor in §. *Ad secundum dico quòd præscindendo illud quod in gloria*, &c. *Ratio Suaris.* Neque ratio Suaris vrget pro prætensa interpretatione, vrget primò, quia Doctor dicit dari augmentum charitatis, aut gratiæ actibus meritoriis remissis saltem in termino. Secundò quòd gratia sit dispositio ad gloriam. Tertiò, quia datur de facto ad visionem beatam lumen proportionatum meritis in Patria; ergo similiter gratia, aut charitas.

81 *Soluitur. Præmium non solutum aliter se habet ad meritum, aliter verò solutum.* Respondetur ex ratione præmissa, actum meritorium remissum fundare ius ad gratiam, quæ si non datur statim post ipsum actum, sed in termino, semper manet ius illud, donec detur gratia; nec peccatum subsequens actum delet nisi gratiam, quam supponit in subiecto. Eadem ergo ratio erit de actu remisso quoad debitam gratiam, & gloriam, si gratia non detur in via. Idem dicendum de lumine gloriæ, quod non datur in via, modò cadat sub merito; non est eadem ratio de iustitia viatoris, quam extinguit eius peccatum, & in re ipsa est concessa periculo recipientis, aut lucro. Quòd verò gratiam appellet Doctor dispositionem ad gloriam, non intelligit proportionari in gradu ad gloriam, sed necessariò requiri in specie.

Immeritò etiam præfatus author negat hanc sententiam aliquo fundamento subsistere, vt patet ex dictis, quia magis concordat principiis de iustificatione, quæ fit gratis; & probatur aliis rationibus, quas hîc prætermittimus, quia possunt apud alios videri, & completus tractatus huius difficultatis dependet ab alia de eleuatione, quam inferiùs differemus de beatitudine.

Argumenta contra præmissas conclusiones soluuntur ex dictis: nam omnia reducuntur ad ea quæ iam sunt impugnata, vt quòd gratia sit dispositio ad gloriam, quòd gratia sit hominis acceptatio ad gloriam, quòd sit principium gloriæ: hæc omnia ex proposito *suprà* impugnauimus, ac proinde non est quòd in specie ad ea iterum respondeamus, eadem principia replicando, ex quibus impugnantur.

82 *Obiectio Suarez.* Sed obiicit Suarez, hominem in via esse capacem gratiæ rediuiuæ, modò auferatur peccatum.

Responsio. Respondetur nullum subiectum esse capax formæ, nisi respectiuè ad agens quod eam communicare potest. loquor de capacitate, quæ reduci potest ad actum: *Capacitas subiecti respicit agens.* in proposito autem gratia illa deperdita neque per Sacramentum restituitur, neque etiam per merita mortificata, quorum virtus respectu gratiæ expirauit, quando gratia est collata; illa enim virtus conuenit ipsis, qua sunt meritum, quod expirat solutione debiti.

Secunda obiectio. Secundò vrget, meritum non constituere formaliter iustum, seu filium, sed esse causam moralem huius, inquantùm verò quis acceptatus est ad gloriam, in tantum etiam in eo filiatio, & acceptatio ad hæreditatem: ergo etiam gratia. *Correspondentia gloriæ ad filiationem per gratiam.* Vnde distinctio illa, quam assignat in §. iam citato Doctor, de gloria inquantùm correspondet meritis, & de eadem inquantùm correspondet gratiæ præcisè, in qua resurgit, vel quæ data est absque meritis, non facit ad propositum: quia gloria vt correspondet meritis, non admittit illam distinctionem, in qua nulla est portio, quæ correspondet meritis, & non gratiæ ex ratione adducta de filiatione.

83 *Responsio. Distinctio Doctoris sustinetur ex Trident.* Respondetur eandem distinctionem admitti à Tridentino *cap. 16.* vbi distinguit in gloria illud quod filiis Dei promittitur misericorditer per Christum, ab eo quod Deus ipsorum meritis reddit. Gloria ergo vt est hæreditas sic correspondet adoptioni, & filiationi; vt verò est merces, respondet meritis vt præmium, & sicut illa diuersa sunt secundùm ius, titulum, & fundamentum; *Diuersi tituli ex quibus confertur gloria & crescit.* sic etiam gloria potest crescere secundùm vnum titulum, non crescendo secundùm alterum, verbi gratia, si quis habet plura merita, & peccat, & postea pœnitens in ipsa pœnitentia decedat; alter verò meritis minoribus perseuerans in gratia decedat, hic habebit gloriam ex gratia maiorem, minorem ex meritis. Ille verò maiorem ex meritis, minorem ex gratia, vel vnus habebit maiorem gratiam, minora merita, alter è contra. potest ergo maior esse gloria ex meritis, minor ex gratia; & minor adoptio, & maior merces, quia hæc secundùm diuersos titulos conferuntur, qui in eodem gradu non semper se adæquant. *Acceptatio diuina ad gloriam duplex.* Æquiuocant autem aduersarij, quando dicunt acceptationem diuinam fundari in gratia, quia vel intelligunt de acceptatione diuina per adoptionem, & hæc tanta est, quanta est mensura gratiæ; vel intelligunt de omni acceptatione, etiam qua ordinatur iustus ad gloriam tanquam ad coronam iustitiæ, & sic acceptatur iustus propter merita ad gloriam acceptatione speciali, quæ respicit medium iustitiæ, & non acceptatione gratiæ tantùm.

Obiectio tertia. Gratiam conferri posse variis titulis. Obiicies tertiò, non est inconueniens vt gratia detur ex diuersis titulis, verbi gratia, Baptismi suscepti à ficto, & pœnitentiæ, quando idem per pœnitentiam delet peccatum fictionis. Item, quando iustus suscipit Eucharistiam, recipit gratiam virtute Sacramenti, & etiam meriti: ergo non repugnat etiam vt conuersus à peccato recipiat per se gratiam virtute Sacramenti, & aliam virtute meritorum, sublato impedimento peccati.

84 *Responsio. Debet titulus ex causa sufficienti iustificare.* Respondetur, non esse inconueniens recipere gratiam ex diuersis titulis, quando applicatur causa per se efficax ad gratiam conferendam, vt Baptismus susceptus à ficto, cuius effectus integer est suspensus, ob indispositionem ex parte subiecti; quia congruum est, vt suo loco tractaui

tractauimus, vt eius effectus conferatur, cùm sit Sacramentum non iterabile; sed alia Sacramenta, quæ iterari possunt, non dant suum effectum hoc modo. Neque valet argumentum à simili, si Baptismus ficto dat effectum: ergo pœnitentia; quia alia est institutio huius & illius Sacramenti; & quia idem Sacramentum potest denuò applicari, congruum fuit vt effectus eius non daretur ficto, non ita effectus Sacramenti initerabilis, quamuis & de hoc sit controuersia. Ad propositum, gratia in via datur vt præmium operibus, & constituta est in potestate liberi arbitrij, vt eam conseruet, vel certè amittat ex demerito: si ergo amisit ex demerito, non est congruum vt ei restituatur, nisi per media ordinaria, nempe Sacramentum, & alia opera denuò facta; quia his potest viator damnum reparare gratiæ, acquirendo nouam.

Baptismus dat gratiam ficto, quamuis pœnitētia non ita det gratiam ficto.

Gratia deperdita nequit recuperari, nisi per media ordinaria, quæ ipsam nō continent.

85 Quòd autem dicatur, merita antiqua esse dispositionem sufficientem ratione iuris ad gloriam, iam impugnatum est. Neque est qualecumque impedimētum ipsum peccatum respectu gratiæ receptæ; sed demeritum, ex quo gratia vt fuit donata deperdi iustè potest ob ingratitudinem, & ex alia parte, quia promissio de danda gratia, ipsius collatione fuit adimpleta, non manet ius aliquod meriti quoad gratiam receptam, quod fuit retributum; quamuis autem peccatum sit etiam demeritū respectu gloriæ, & suspendat eius retributionem: tamen quia promissio facta meritis respectu præmij gloriæ, non fuit completa; ideò ius antiquum, & per peccatum suspensum, reuiuiscit: quia non est impedimentum perpetuum, sed quod aufertur per gratiam pœnitentiæ. Et totum hoc ex prouidentia ordinaria Dei, circa iustificationem, & gloriam colligimus, cuius congruam rationem habemus ex natura misericordiæ, & iustitiæ diuinæ, ex quibus diuersitas in re ipsa discernitur. Dicere autem quòd merita antiqua habeant ex natura meriti efficaciam, ad restituendam gratiam demerito amissam, videtur omnino liberum, & non sufficiente ratione dictum; quia merita non ideò reuiuiscunt ad gloriam, quasi postquam transierint, habeant efficaciam de nouo, qua solùm ipsis conuenit dum sunt; sed quia fundarunt ius in persona, quando fuerunt, quod ius manet in diuina acceptatione, adhuc non retributum, non ita se habet ius ad gratiam collatam, quod præsenti collatione eius retribuitur, & extinguitur. Spectando ergo materiam iustitiæ, disparitas hæc est manifesta; neque vlla ratione conuinci potest dari gratiam ex iure operum, & iam amissum, ex eo quòd manet ius ad gloriam ex solo hoc titulo statim post pœnitentiam: quia ad summum reuiuiscere potest vt dispositio ad gloriā, ex debito ipsius gloriæ, & non ex debito operum, quod in ipsis est respectu gratiæ tanquam præmij in via, loquendo de hoc debito tanquam diuerso, vt loquitur Tridentinum; nam hoc dato quòd gratia sit necessaria vt dispositio ad gloriam, non sequitur vt statim reuiuiscat ex titulo gloriæ; sed ad summum tantùm detur vt medium assequendæ gloriæ in patria, quando confertur: ius enim remotum in operibus, seu ratione operum, manet simul cum peccato in via, quando tollitur impedimentum peccati per pœnitentiam, & datur gratia sanctificans, quæ est dispositio antecedens necessariò, ipsum idem remotum fit proximum per gratiam tum collatam. Ergo ad hunc effectum non requiritur dari aliam gratiam, quæ sit proportionata operibus, vt finis attingitur in patria, donec ipsa gloria conferatur. Quòd neque tum etiam detur ex iure operum, seu meritorum ad gloriam, iam probatum est, quia ius ex operibus ad gloriam non inducit aliud, quàm eiusdem gloriæ retributionem, quæ per alia media, & modo, tribui potest, sine gratia habituali in eodē gradu proportionata, quamuis gratia in aliquo gradu requiratur, vt dispositio antecedens ad gloriam debitam meritis.

Ratio cur gratia non restituatur.

Merita antiqua non efficacia ad suū effectum.

Non requiritur vt reuiuiscat gratia in via qua disponit ad gloriam.

Obiicies quartò: peccatum præteritum fuit deletum quoad culpam, & pœnam per pœnitentiam: sed hoc falsum esset si maneret priuatio gratiæ collatæ in pœnitente; ergo hæc restituitur. 86

Obiect. quarta.

Respondetur ex communiori Theologorum, gratiam non restitui, nisi secundùm mensuram præsentis dispositionis; ideò hoc incommodum incurrit ipse pœnitens ob demeritum, recompensatur per pœnitentiam, quatenus restituatur gratia per Sacramentum, aut contritionem gratis ex Dei misericordia, quæ est sufficiens ad iustificationem, & amicitiam Dei restituendam. Non refert ergo quòd maneat in eo hæc pœna, quæ non impedit salutem, sicut manet in eo pœna temporalis ob peccatum commissum. Neque est inconueniens vt Deus nō restituat peccatorem ingratum ad pristinum gradum ex toto: quia licèt per Baptismum remittatur peccatum originale, verbi gratia, non ideò restituitur iustitia originalis, cuius illud fuit priuatio; sed iustitia tantum adoptionis æquiualēs, quantum ad effectum salutis. Nam alius modus est institutionis hominis, alius autem eius restitutionis per diuinam sapiētiam constitutus, alius modus iustificationis per Baptismum, quæ est plenaria, alius autem per pœnitentiam ob ingratitudinem peccatoris, manente pœna temporali. Non refert ergo vt peccator sua ingratitudine patiatur illud incommodum, quia periculo, aut lucro recepit præmium gratiæ per merita, quod sibi conseruare potest, aut amittere.

Responsio. Nullum esse inconueniens, non restitui peccatorē ad gratiam perditam.

Obiectio quinta, Tridentinum *sess. 6. cap.* 14. dicit iustitiam recuperari per pœnitentiam; ergo redit integra. 87

Obiect. quinta.

Respondetur, negando consequentiam. Concilium enim loquitur de iustitia secundùm speciem, & iuxta ea quæ præmisit in superioribus vsque ad cap. 8. inclusiuè de natura, modo, causis iustificationis, & dispositione ad eam requisita ex parte peccatoris adulti.

Soluitur. Et explicatur Concilium.

Alia argumenta, quæ contra reuiuiscentiam integram meritorum opponuntur, per hæc soluta sunt, quia fundantur in illa proportione iustitiæ sanctificantis ad gloriam, & merita.

In reliqua parte huius articuli docet Doctor, peccatorem non habere commodum ex lapsu: sed incommodum; tum, quia fecit dispendium gratiæ; tum, quia extinxit ius proximum ad gloriam; tum, quia contraxit maculam cum pœnæ consequentis debito; tum, quia tempus, quo durauit illud, detraxit operibus & meritis, quæ multiplicare posset. Hìc Doctor cum communi negat opera peccatoris esse meritoria vitæ æternæ, quod supponit Tridentinum *sess. 6. cap. 8. & cap. 16.*

Dispendiū ex peccato.

De operibus factis in peccato.

Hinc explicantur aliqui Patres, Author libri *de vera & falsa pœnitentia*, *cap.* 14. Augustinus sæpè

sæpè contra Pelagianos, vt *lib.4.contra Iulianum cap.3.* vbi dicit si virtutes essent in paganis, non fore infructuosas, & Hieronymus in Aggæi primum, *seminastis*,&c. vbi videntur admittere hæc opera bona peccatorum retribui aliquo præmio, quod intelligit D. Thomas de præmio temporali, sed aliquid ampliùs videtur insinuare illi Patres, potissimùm Augustinus *loco citato*, quia loquitur de fructu ad salutem: quod intelligi potest quantùm ad meritum de congruo, quia illa opera disponunt saltem remotè vt impetretur gratia conuersionis. Sed authoritas illa *lib. de vera & falsa pœnitentia*, est durior. *Pium*, inquit, *est credere, vt recepta Dei gratia, quæ in eo destruit mala priora, etiā remuneret bona, vt cùm destruxerit quod suum non inuenit, amet, & diligat bonum, quod etiam in peccante plantauit*, &c. Sed hæc intelligenda sunt de dispositione, quæ proximè concurrit ad ipsam iustificationem, nisi quis vellet dicere etiam intuitu prædictorum tanquam de congruo Deum liberaliter tribuere iustificato maiorem gratiam operandi meritum, & alia dona, & protectionem aliquam specialem, quibus in iustitia magis constanter operetur suam salutem. Hæc aliquo modo dici potest remuneratio quædam ex diuina liberalitate, & non ex merito propriè dicto, quod plurimùm inuitat ad benè operandū peccatores. Quantùm verò ad præmium gratiæ sanctificantis, & gloriæ, supponit Concilium non tribui illis operibus.

Explicantur Patres.
Opera bona in peccato facta disponunt ad pœnitentiam.

89 Deinde Doctor respondendo ad secundum argumētum, docet non redire gratiam, redire verò opera quoad ius ad gloriam, non etiam redire ius quod ratione gratiæ solius fūdabatur ad gloriam: distinguit hæc per litteras *A*, & *B*. per *A*, designat gloriam correspōdentem gratiæ; per *B*, gloriam correspondentem operibus & meritis. Circa hæc aduertendū est portionem gloriæ correspōdere per modum hæreditatis gratiæ sanctificantis, alteram portionem meritis. Gratia autem sanctificans duplex est quantùm ad modum, quo confertur: nam alia gratis confertur vt iustificās, seu delens peccatum; & gratia quæ per Sacramenta ex operato confertur, vtramque hanc non redire docet Vasquez, sequēs in hoc Doctorem. Alia est gratia habita ex meritis, & de hac non loquitur hîc Doctor præcisè, sed de tota gratia, quam habuit lapsus, quātumlibet hanc non discernat ab ea quæ gratuitò data est in prima parte huius litteræ. Cæterùm ratio, quam subiungit, videtur referre tantùm gratiam datam sine meritis & gratuitò; *Igitur*, inquit, *reuiuiscunt merita: sed non reuiuiscit prior gratia (id est, quam habuit ante lapsum) quia priùs habita, & istud est satis consonum diuinæ iustitiæ: quia gratia prior fuit tantùm donum Dei: merita verò erant aliquo modo opera hominis*, &c. Hæc ratio non videtur comprehendere gratiam, quæ fuit ex meritis; quia illa non est gratuitò data, sed ex meritis; ergo ratio hæc videtur tantùm referre gratiam gratuitò datam, & non aliam. Hinc aliquis sumeret fundamentum interpretandi Doctorem, quasi non loqueretur hîc de gratia debita ex meritis, sed tantùm de gratuitò data, & consequenter non negare gratiam datam ex meritis reuiuiscere. Sed hæc interpretatio licèt in modo loquendi præmisso haberet aliquam apparentiam, non videtur esse secundùm mentem Doctoris, qui negat dari gratiam secundam, id est, pœnitenti reuiuiscenti in vllo gradu, nisi secundùm mensuram dispositionis præsentis, in qua resurgit, & Sacramenti, vt patet in verbis præcedentibus.

Responsio ad secundū.
Gloria correspōdēs gratiæ diuersa ab ea quæ meritis correspondet.
Locus obscurus litteræ.
Solutio.

Sed contrà vrget ratio præmissa, quia neque illa gratia est donum Dei, vt comparatur ad merita; neque per *donum Dei* intelligit Doctor, quasi à solo Deo producatur, per hoc, inquam, esse donum Dei: quia acceptio hæc vocabuli non esset ad propositum præsentis difficultatis. Deinde loquitur de gratia, quatenus tribuit ius in ordine ad gloriam: sed gratiæ, quæ est ex meritis, non videntur Doctores admittere ius ad diuersum gradum gloriæ separatum ab ipsis meritis, seu iure meritorum, & gloriæ correspondentis: ergo neque gratia data meritis est donum Dei, etiam respectiuè ad gloriam. 90

Replica.

Respondetur, vtramque gratiam comprehēdi à Doctore sub *dono Dei* etiam respectiuè ad portionem gloriæ correspondentē: quia gratiæ sanctificāti & habituali per accidens est, in quātùm constituit hæredem, vt siue gratis conferatur per modum primæ iustificantis à peccato, siue etiam conferatur per modum secundæ gratiæ, & augmenti ex meritis: nam gratia, quæ confertur etiā ex Sacramento, iustificato, est per modum augmenti, & non primæ gratiæ, licèt vt correspōdet Sacramento detur gratis. Verum est gratiā, quæ correspondet meritis, dari per modum augmenti, quia supponit statum iusti. Siue ergo sic, siue sic conferatur gratia, conuenit ei ex se, vt adiunctam habet adoptionem, cōstituere in gradu sibi proportionato hominem acceptatum ad hæreditatem, & hoc ex dono Dei, seu acceptatione (non verò ex natura formæ) vt vult Doctor. gloria ergo, vt præcisè refertur ad gratiam sanctificantem, datur per modum hæreditatis; vt autem confertur operibus, datur vt præmium, quoad hunc gradum operibus debitum, redit ius ad gloriam, non quoad gradum correspondentem gratiæ, vt constituit hæredem: quia nempe ipsa gratia antiqua, in qua fundatur hoc ius, deperditur peccatori, ob suum demeritum, quia iam collata est: non ita ius fundatum in operibus, quia manet in diuina promissione nondum completa, & acceptatione secundùm illam promissionem: hinc reuiuiscit per gratiam, quæ datur per pœnitentiam. Ex quo patet intellectus litteræ, quem Doctor prætendit.

Soluitur & explicatur Doctor.
Gratia tribuit ius ad hæreditatem quocūque modo causetur.
Gratia vt est adoptio correspondet diuersus gradus gloriæ ab eo qui correspondet meritis.

Sed obiicies, gloria vt correspondet per modum hæreditatis gratiæ, non fuit collata; ergo saltem gratia reuiuiscit in ordine ad gloriam debitam, quam etiam Christus nobis meruit, sicut meritum reuiuiscit ad gloriam. 91

Obiectio.

Respondetur, ius ad hæreditatem non separari ab ipsa gratia, quæ constituit hæredem formaliter per adoptionem, ius verò ratione operum manet in persona, cui adquiritur transeunte opere, licèt ratione operis acquiritur, ideò manet; est enim ex operibus, tanquam ex causa efficiente, cuius effectus manere potest, non manente ipsa causa. Ius ad hæreditatem per gratiam est effectus formalis gratiæ, quia ipsa adoptio & filiatio ideo manet non manente gratia. Christus meruit nobis hæreditatem mediante gratia conferendam modo dicto.

Soluitur.
Ius fundatū in gratia non separatur à forma.
Ius ex operibus manet illis transeuntibus.
Ratio diuersitatis huius.

Mox subiungit Doctor duo corollaria, quæ patent ex littera. In secundo asserit merita mortificata aliquando facere in acceptatione diuina ad inspirandam pœnitentiam lapso, quod pium est credere, & commodè reduci potest ad

ad locum Pauli *ad Hebræos 6.* iuxta quorundam interpretum sententiam.

Asseritur necessitas gratiæ ad pœnitentiam & merita.

Aduertendum est hîc Doctorem exigere gratiam Dei præuenientem ad pœnitendum: quin ad meritum, vt ex modo loquendi suprà in ratione differentiæ assignatæ inter reuiuiscentiam gratiæ, & meritorum patet. *Merita,* inquit, *erant aliquo modo opera hominis,* &c. quia nempe principaliter sunt dona Dei per gratiam.

SCHOLIVM.

Peccata remissa redire in recidiuante quoad circunstantiam ingratitudinis, ita communis cum D.Thom.3.part. quæst.88. art.2. resoluit etiam Doct. maius beneficium esse innocentiam, quàm pœnitentiam, quod tenent Bonau. hîc art.1. quæst.2. Gabr. quæst. vnic. art. 3. oppositum tenet D.Thom.3. part. quæst.88. art.1. & 2.2. quæst.106. art.2. Rich. hîc art.1. qu.5.

DE tertio [f] articulo principali, dico quòd peccatum dimissum redit tanquam circunstantia aggrauans hoc peccatum, in quod recidiuat, & hoc dupliciter. Primò, quia quantò aliquis recipit ab alio beneficium sibi magis indebitum, tantò sibi magis tenetur lege gratitudinis, etiamsi beneficium receptum sit minus, & per consequens, magis, si beneficium est æquale: sed existenti in peccato mortali nullius est Deus debitor, nisi pœnæ: igitur si sibi gratiam confert, hoc erit donum maximè gratuitè, & liberaliter datum, & præcipuè si est gratia æqualis gratiæ collatæ alij innocenti. Igitur iste ex lege gratitudinis est Deo specialiter obligatus propter hoc donum liberaliter collatum: & per consequens offendens post contra eum, grauiùs peccat propter ingratitudinem. 14

Peccatũ remissum redire ratione ingratitudinis.

Secundò, quia quantò aliquis tenetur pluribus obligationibus ad aliquid, tantò, si transgreditur, grauiùs peccat: sed pœnitens quotiescumque dignè pœnitet, obligat se saltem voto ad non peccandum in posterum, quia sine tali proposito non est digna pœnitentia, & præter hoc, est astrictus ad non peccare eadem lege, qua innocens: igitur si pòst peccat, transgreditur duplicem legem obligantem ad non transgrediendum, scilicet & illam generalem, & istam specialem de promisso seruando; quod maximè obligat de promisso facto Deo, & de aliquo pertinente ad honorem Dei.

Contrà, [g] illud non aggrauat, quo non existente imò posito eius opposito, esset peccatum æquè graue, vel grauius: sed si iste non fuisset priùs pœnitens, imò semper innocens, & nunc peccaret, grauiùs peccaret quàm modò: ergo, &c. Probatio minoris, quia cadens à statu innocentiæ grauiùs peccat, quàm cadens à statu pœnitentiæ: tum, quia maius beneficium recipit iste, cui Deus conseruauit innocentiam, quàm cui concessit pœnitentiam post peccatum: tum quia innocens minorem habet occasionem cadendi. 15

Maius beneficium cõseruare innocentiam, quàm inspirare pœnitentiam.

Item, non oportet cadendo à pœnitentia simul necessariò peccare duobus peccatis: ergo possibile est quòd peccet vnico peccato tantùm: sed illo vno æquè grauiter posset peccasse priùs cadendo ab innocentia; quod patet comparando illud ad quamcunque intensionem malitiæ conuenientem peccato: igitur, &c.

De quo D. Th. 2. 2. q. 106. art. 2.

Ad primum, [h] concedo quòd simpliciter maius beneficium diuinum est conseruare innocentiam, quàm concedere post peccatum, pœnitentiam. Vnde maius beneficium contulit Deus suæ Matri, quàm Magdalenæ. Vnde singularis gloria, & ornatus est in Beatis de nunquam cecidisse in peccatum. Et tunc ad argumentum, maiorem nego, quia possibile est aliquod peccatum habere nunc vnam circunstantiam aggrauantem, nunc aliam, & illa quæ ibi aggrauat, potest esse grauior, quàm illa quæ hîc aggrauat: & istæ circunstantiæ duæ possunt esse repugnantes: & ita hîc pœnitentiam præcedere aggrauat, quia tribuit ingratitudinem. Consimiliter ab innocentia cadere aggrauat propter ingratitudinem, & innocentia & pœnitentia modo quodam repugnant: sed cadere ab innocentia simpliciter magis agrauat.

Contra hoc [i] arguitur per illud *Luc. 7.* vbi Christus quæsiuit à Simone de duobus debitoribus, quorum alteri creditor plus dimisit, alteri minus, quis creditorem plus diligeret? respondit; *Æstimo, quòd is, cui plus donauit,* quod Christus approbans dixit: *Rectè iudicasti.* Sed innocenti nihil donat Deus hoc modo, peccatori autem multa donat: ergo peccator plus Deo tenetur; quare magis ingratus est simpliciter quando recidiuat. 16

Respondeo, donare potest intelligi absolutè prout est actus voluntatis liberaliter communicantis, vel donare, id est, condonare, siue remittere, vt accipitur cùm dicitur, donauit peccata. Primo modo verum est, quòd cui plus donatur, ille magis tenetur donanti, & hoc modo, dico quòd Deus innocenti maius donum dedit, quàm cui dimittit

An plus donatur innocenti quã pœnitenti.

dimittit peccatum. Secundo modo pœnitenti donat plus quàm innocenti: quia innocens non habet quod sibi remittatur; & si tunc sumatur maior, quòd ille plus tenetur diligere cui plura donantur, id est, remittuntur: verum est comparando duos, quorum vni pauciora donantur, & alteri plura; & hoc si non esset beneficium aliud datum, nisi hoc quod est donare, vel remittere. Sed nullus est cui Deus pauca donat, quia pauca commisit, quin sit eidem aliud beneficium datum maius quàm donare, id est, remittere plura, scilicet præseruare eum ab aliis, in quæ cadere potuisset, & cecidisset, nisi præseruatus à Deo fuisset.

17 Et hoc consonat Glossæ Augustini super illud; *& commissa, & non commissa donantur*; quia nullus est, qui aliqua committat, quin alius posset eadem committere, nisi præseruaretur: igitur ille cui dimittitur, tenetur plus diligere, supple ex causa remissionis. sed alius tenetur diligere ex alia causa, quia non habuit dimittenda; quod sine præseruatione diuina esse non potest: & hæc causa requirit simpliciter maiorem gratitudinem.

Cui plus dimittitur plus diligit, cæteris paribus.

Exemplum huius, si aliquis ex liberalitate concedit alicui omnia sua, vt eis vtatur ad libitum: alteri verò concedit aliqua mutuò, & pòst, quando debet illa reddere, remittit sibi; quis eum plus diliget? Dico, quòd primus, quia maius beneficium recepit: & tamen plura remittit alteri; sed quòd primus nihil habeat sibi dimittendum, hoc est ex beneficio illius, qui omnia sua liberaliter ei concessit. Vnde non est vera illa propositio simpliciter: *cui plus dimittitur, plus diligit dimittentem*, nisi de illo dimittente, per cuius beneficium non stat, quòd iste non tenetur ad tot ad quot ille.

COMMENTARIVS.

92 *Articulus tertius.*

DE *tertio articulo principali dico*, &c. In hoc articulo resoluit quæstionem titularem de reditu peccatorum quoad circumstantiam ingratitudinis; & explicat fundamenta Hugonis, & aliorum ex Scriptura & Patribus obiecta; & respõdet deinde ad principalia argumenta posita ad initium quæstionis. Probat primò ratione ingratitudinis aggrauari peccatum, & sic aliquo modo redire peccatum dimissum, quæ est conclusio communis, quam insinuat Tridentinum *sess. 14. cap. 1. & 8.* docens ob ingratitudinem peccatoris remanere pœnam temporalem ex peccato commisso post Baptismum, idque exigere diuinam iustitiam, & clementiam. Probat Doctor hanc conclusionem, quia ex beneficio indebito peccatori, quod Deus confert, remissionis peccatorum, sine vllo merito pœnitentis, tenetur peccator lege gratitudinis eum non offendere; & quantò maius est hoc beneficium, tantò maior incurritur obligatio: peccatori autem nihil debet Deus præter pœnam, quam ex peccato suo incurrit quantùm ad debitum: ergo, &c.

Summarium.

Redire peccata remissa, quoad circũstantiam ingratitudinis.

Prima ratio.

Lege gratitudinis obligari relapsum.

Secundò probat, quia ex pluribus titulis obligatur peccator Deo, nempe gratitudinis & voti, seu promissionis non peccandi de cætero, quod votum debet is qui dignè pœnitet habere, vt antiquum remittatur ei peccatum. Transgreditur itaque, & legem generalem gratitudinis, & illam specialem voti, seu promissionis; hanc rationem sequitur etiam Gabriel, Ioannes de Medina, *C. de pœnitentia, tract. 1. q. 9.* Suarez autem *sectione 3. in principio.* Vasquez *notatione in art. 2. q. 88.* impugnant hanc rationem, quia votum non peccandi non est promissio facta Deo, sed tantùm propositum, quod non inducit obligationem vllam voti, aliàs quodlibet peccatum post pœnitentiam factam esset transgressio voti.

Secunda ratio.

Teneri etiam ex voto emendationis.

Impugnatur prædicta ratio.

93 Cæterùm ratio Doctoris est bona, neque intendit votum esse in suo rigore, aut promissionem: quia suprà *d. 17. quæst. vnica, §. continet etiam qualiter*, &c. dicit non requiri ad qualitatem confessionis, nisi displicentiam peccati, & propositum abstinendi ampliùs, & obediendi Ecclesiæ; hoc propositum hîc appellatione *voti*, & *promissionis* exprimit, quia est votum, & promissio implicita secundùm æquiualentiã, quantùm est ex determinatione voluntatis, quæ debet esse absoluta, & quantùm est ex parte pœnitentis ad non peccandum amplius, quæ voluntas est bona, & actus virtutis, non pœnitentiæ, quia non est dolor de peccato commisso, & hæc voluntas accedit actui pœnitentiæ, tanquam circumstantia eius, ex iis quæ *suprà in loco citato* explicuimus cum Tridentino, probando debere esse actum explicitum regulariter. Ad aliam autem virtutem non spectat quàm ad fidelitatem; quia non ad gratitudinem, vt vult Suarez, vel insinuat, dicens, ratione eius non incurri aliam obligationem quàm gratitudinis; hoc autem nequit esse verum: quia ille actus exigitur, vt circumstantia doloris, & supponitur ad beneficium remissionis peccatorum, & iustificationis, ex quibus concessis oritur obligatio gratitudinis præcisè, tanquam ex beneficio speciali in re dato, sicut ex vocatione etiam ad pœnitentiam Oportet ergo illum reducere ad aliquam virtutem, neque apparet alia, cui magis proportionatur, quàm fidelitas latè sumpta, prout comprehendit non solùm promissionem strictè sumptam, sed etiam pactum. Vnde sicut Deus non remittit peccatum sine emendatione in proposito firmo voluntatis, & affectu, eo modo quo etiam exigit satisfactionem, in affectu saltem; ita hoc propositum habet rationem pacti obligantis ex fidelitate in genere sumpta, specialiter autem obligat vt opponitur obligationi, quæ est ex circumstantia ingratitudinis generali; sicut ergo ex pacto remissionis concedendæ obligatur peccator ad propositum illud habendum ex pacto, & hoc specialiter; ita etiam transgressio, & contemptus propositi est transgressio pacti, licèt ipsum propositum non sit promissio obligans Deo sub speciali ratione voti.

Respondetur, & explicatur Doctor.

Quid intendit per votũ, & promissionem.

Votum illud spectat ad fidelitatem, nõ ad gratitudinem.

Votum illud reduci ad pactum.

voti. Per specialem ergo obligationem fundatam in proposito, non intendit Doctor illam, quæ est voti; sed illam quæ est pacti, vt distinguitur à circumstantia generali ingratitudinis, quia propositum illud de non peccando denuò exigitur ex pacto remissionis, & ad eius obseruantiam in effectu tenetur pœnitens ex lege fidelitatis, seu fidei seruandæ Deo, ad quam magis obligatur quàm Paganus, cui nullum remissum est peccatum, & hæc circumstantia est generalis, siue remittatur peccatum adulti per pœnitentiam ante Baptismum, & per ipsum Baptismum, siue etiam baptizati post Baptismum.

Exigitur ex pacto remissionis.

94 g *Contra illud non aggrauat*, &c. Proponit duas obiectiones contra conclusionē positam. Prima, quia innocens grauiùs peccat si labitur etiam contra gratitudinem, quàm peccator, quia cadens à statu innocentiæ grauiùs peccat, quàm cadens à statu pœnitentiæ; tum, quia maius beneficium ille recepit à Deo: tum, quia minorem habuit occasionem peccandi.

1. Obiectio. Contra conclusionem.

Innocens magis obligatur ex gratitudine.

Secunda obiectio est, quia cadens à statu pœnitentiæ non necessariò peccat duobus peccatis; ergo possibile est, vt vnico tantùm peccato peccet: sed illo peccato, quantùm ad malitiam lapsus, posset peccare innocens grauiùs: ergo, &c. has duas obiectiones monet Doctor, vt resoluat vter ratione sui status, & beneficij recepti, sit magis obligatus Deo: nempe innocens præseruatus, aut pœnitens ratione gratiæ pœnitentialis, ad quam fuit restitutus. Deinceps toto hoc §. disserit hanc disparitatem status, & beneficij recepti, & obligationis consequentis.

2. Obiectio. Ex eadē comparatione.

95 h *Ad primum concedo*, &c. Docet præseruationem innocentiæ, ne quis labatur, esse maius beneficium, quàm concedere gratiam pœnitentiæ. *Vnde maius*, inquit, *beneficium concessit Deus Beatæ Virgini eam præseruando, quàm Magdalenæ, dando ei pœnitentiam, & singularis gloria est in Beatis, & ornatus, ex beneficio innocentiæ, quam non habent alij, qui salui facti per pœnitentiam.* Vt clariùs procedamus explicare oportet mentem Doctoris, ipse intelligit statum innocentiæ non solùm quoad gradum gratiæ sanctificantis primò concessæ, sed etiam vt includit reliqua omnia consequentia, & donum perseuerantiæ, & reliqua adiutoria tam intrinseca, quàm extrinseca, quibus præseruatio à peccato per Dei gratiam specialem confertur, sicut obseruantiam legis, victoriam tentationum, & concupiscentiæ, hoc patet, quia non agit Doctor præcisè de prima gratia, quæ fuit primò collata, quia hæc non est innocentia, nisi tantùm inchoatiuè; sed de eius conseruatione per gratiam Dei, & donum speciale, quo Deus præueniendo dat opera, per quæ conseruatur, & augetur. Et innocentiam hoc modo esse maius beneficium docet Doctor, quàm sit gratia pœnitentiæ, quia, vt infrà docet explicans illud Euangelij de duobus debitoribus, vter illorum magis diligeret creditorem, & respondet Simon, *Æstimo quòd is cui plus donauit*, &c. *Nullus est*, inquit Doctor, *cui Deus pauca donat, quia pauca commisit, quin sit ei aliud beneficium datum maius, quàm donare, id est, remittere plura, scilicet præseruare eum ab alijs, in qua cadere potuisset, & cecidisset, nisi præseruatus à Deo fuisset*, &c. quod optimè confirmat auctoritate Augustini lib. 50. homil. 23. *Regebam*, inquit, *te mihi vt adulterium non committeres, suasor defuit, vt suasor deesset ego feci; locus & tempus defuit, & vt hæc deessent ego feci; affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, vt non consentires ego terrui*, &c. (loquitur in persona Dei.) *agnosce ergo gratiam eius, cui debes, & quod non admisisti. Mihi debet iste* (supple peccator) *quod factum est, & dimissum vidisti: mihi debes & tu* (supple præseruatus) *& quod non admisisti, nullum est enim peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, à quo factus est homo*, &c.

Ad primam. Maius beneficium est præseruatio in innocentia, quàm restitutio post lapsum.

Exponitur quid per donum præseruationis comprehendit.

August.

Item lib. 2. Confessionum, cap. 7. *Gratiæ tuæ deputo, quòd peccata mea tanquam glaciem soluisti, gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci*, &c. *& omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci. quis est hominum, qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem, & innocentiam suam, vt minùs amet te, quasi minùs ei necessaria fuerit misericordia tua, qua donas peccata conuersis ad te?* Et infrà; *& ideò te tantundem, imò magis diligat, quia per eum qui me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari*, &c. 96

Sequitur ergo in hoc principia Augustini, & loquitur de innocentia, vt habetur ex præseruatione Dei, & vt subest dono perseuarandi, & quatenus per tale donum datur beneficium speciale diuersum ab ipsa prima collatione iustitiæ, & dicit hoc beneficium esse maius, quàm hominem lapsum restaurare, ac proinde fundare maiorem obligationem gratitudinem cæteris paribus. Comparando ergo duos ad se inuicem, quorum alter præseruatur à lapsu hîc & nunc, vel semper Deo disponente, & præparante eius voluntatem, qua per amorem iustitiæ fugiat peccatum, & obseruet Legem; alter verò in eadem occasione labatur, præcisè in ratione beneficij maius, & perfectius est, quod recipit præseruatus, quàm illud quod recipit lapsus, vt expresse Augustinus docet in vltimo loco citatus, vt patet ex vltimis verbis. Vnde Cyprianus epistola 3. *Primum fœlicitatis genus est, non delinquere; secundum verò delicta cognoscere & retractare.* Et Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis part. 14. cap. 4. *Si magnum est aliquando surgere, maius certè est nunquam cecidisse; si bonum est sanatum esse, melius est nunquam fuisse corruptum*, &c.

Comparatio vtriusque beneficij.

Cyprianus.

Hugo.

Confirmatur ratione, quia præseruari à peccato ex dono Dei est beneficium speciale; quia & ad fructum præseruari, & ad salutem, magis facit, & perfectius coniungit fini, & perfectius etiam continet effectum gratiæ pœnitentialis quantùm ad liberationem a peccato, quia eminentiori modo liberat præueniendo, ne incurratur. Hoc patet in Beata Virgine, quæ præuenta est hoc modo quoad originale, & actualia, vt suo loco tractatur; patet in Apostolis, quibus datum est ex eiusmodi priuilegio ne peccarent mortaliter post aduentum Spiritus sancti; patet etiam in aliis, quibus hoc est concessum; patet in simili, quia non deficere in fide est beneficium singulare Ecclesiæ Romanæ, quo aliis supereminet. In beatitudine non posse peccare est similiter perfectio illius status, vt supereminet statui viatoris: quia sic etiam magis acceditur ad diuinam perfectionem, & participationem eius à creatura, magis redditur conformis legi, & subiecta Deo, in qua subiectione consistit eius perfe- 97

Probatur ratione.

Præseruatio eminētius cōtinet gratiam pœnitentialē.

Præseruatio Virginis.

Præseruatio Apostolorum post aduentū Spiritus sancti.

Indefectibilitas fidei Romanæ.

Indefectibilitas beatitudinis.

perfectio. Ergo, cæteris paribus, ex hoc beneficio magis oritur obligatio gratitudinis, quàm ex gratia pœnitentiali. Præterea, considerando actum secundum per gratiam præseruantem, quis constituitur etiam non solùm in statu meriti, sed etiam effectu meriti, quando præseruatur: ergo in hoc excedit peccatorem, qui labitur, quantùm ad coniunctionem ad finem salutis, ita vt non solùm sit præseruatus à lapsu in ratione nocumenti, sed etiam habet fructum suæ iustitiæ, quantùm ad meritum gratiæ, & gloriæ:. vnde etiam hic tenetur ad gratias agendas magis ex præseruatione sui, quàm aliàs.

Perfectius coniungit fini.

98 *Distinguunt alij beneficiũ quoad perfectionem rei, & quoad indigentiam subiecti.*

D. Thomas 2.2.*quæst.*106. *art.*2. Richardus *in præsenti dist. art.*1. *quæst.* 5. Sotus *dist.* 16. *quæst.*1. *art.* 4. Caietanus *super D. Thoma*, & alij distinguunt beneficium ex parte subiecti, cui confertur, & ex parte ipsius rei collatæ, vt quæ sit in se ipsa maior gratia, verbi gratia, & sic innocentia maior est, quàm gratia pœnitentialis: sed ex parte subiecti, quia maior est indignitas respectu gratiæ in peccatore ratione peccati, sic etiam crescit beneficium ex hoc capite vt maius sit.

Impugnatur.

Beneficium ex commodo pensandum.

Cæterùm ratio Doctoris, & authoritas Augustini probăt contrarium: quia beneficiũ attenditur penes cõmodum eius cui donatur: maius autem est commodum ex præseruatione à peccato, quàm ex liberatione à peccato incurso, & superat tam in dato, quàm etiam in modo dandi beneficium; quamuis ergo verum sit peccatum incursum inducere indignitatẽ positiuam, vt ita dicam, quia confertur gratia inimico, & quoad hoc fit excessus: tamen hic ipse excessus attenditur perfectiùs & eminentiùs in præseruatione, qua quis præuenitur ne fiat inimicus, vnde donum præseruationis non respicit amicum, & iustum tantùm pro statu præsenti, sed ex fine suo respicit peccatum quod inesset, & ne inesset datur ipsa gratia præseruationis, tanquam remedium peccati præueniens, & sicut maius est præuenire peccatum ex parte subiecti, ne insit, ita etiam præseruatio vt respicit peccatum, quod inesset, maius est beneficium, & inducit maiorem obligationem gratitudinis, & consequenter peccatum innocentis, cæteris paribus, esse grauius ex hac circumstantia ingratitudinis.

Præseruatio respicit peccatum, vt remedium præueniens ne insit.

Obiectio.

Sed obiicit Sotus quòd secundum peccatum non solùm sit contra beneficium pœnitentiæ receptæ, sed etiam contra omnia beneficia priora etiam innocentiæ: ergo peccatum contra pœnitentiæ beneficium est etiam contra innocentiam receptam in Baptismo.

99 *Soluitur. Agitur de innocentia, vt est ex dono perseuerãtia.*

Respondetur, hoc argumentum non tangere scopum quæstionis, aut sententiæ, quam præmittit Doctor, quia non agitur hîc de innocentia, vt est commune beneficium ex Baptismo, tam lapso, quàm præseruato; sed de innocentia, vt habetur ex dono perseuerantiæ, & præseruationis, & qua est singulare donum, & priuilegium datum, etiam per specialem gratiam, ex qua redundat obligatio gratitudinis maior, quàm sit illa, quæ est præcisè ex gratia pœnitentiæ in lapso. hinc etiam excluduntur illa quæ alij Doctores moderni huic quæstioni admiscent: nempe si gratia pœnitentialis sit maior, eam esse maius beneficium, quàm sit gratia minor innocenti data: quia beneficium etiam crescit ex hoc capite, id quidem verum est; sed per accidens se habet ad quæstionem, quæ disseritur, & præcisè versatur in comparatione innocentiæ, vt habetur per præseruationem ad gratiam pœnitentiæ, vt donatur post lapsum. Et quæritur an maius beneficium sit præuenire sic hominem ne labatur, quàm lapsum iam restaurare. Non est ergo dubium quin maius beficium recepit qui præseruatus est, ratione cuius tenetur ad gratiarum actionem ex titulo speciali præseruationis, ad quam non tenetur lapsus ex illo titulo. Vnde si labitur innocens, aggrauatur eius peccatum ex illo titulo speciali gratitudinis debitæ, ex quo non aggrauatur peccatum alterius, qui caruit illo beneficio: sed vlteriùs comparando vtrumque ad peccatum, in quod vnus lapsus, & à quo alter fuit præseruatus; & comparando præterea ipsam restaurationem à peccato, ad præseruationem ab eodem, sicut hæc excedit in ratione beneficij, ita etiam fundat titulum maioris obligationis quoad gratitudinem, quam fundet restauratio à peccato incurso: quia simpliciter eminentiori modo liberatus est à peccato per sui præseruationem, sine qua illud incurrisset, quàm alter vt liberatur ab incurso: quia hæc liberatio includit peccatum, & offensam incursam, alia verò non ita; sed præuentionem gratuitam ab incurrendo peccato, & hic sensus est quæstionis quæ ad alias circumstantias, ex quibus crescere potest beneficium, non trahitur.

Sensus veru & scopus quæstionis.

i *Contra hoc arguitur per illud Lucæ 7. &c.* 100

Obiectio. Ex parabola de debitoribus.

Obiicit contra dicta parabolam illam de duobus debitoribus, quibus dimissa sunt inæqualia debita. Vter eorum ex dono accepto magis diligat creditorem? & respondet Simon, quòd *is cui plus donauit*: sed innocenti nihil dimittit Deus, quia non habet quod dimittat; peccatori autem plura dimittit: ergo hic recidiuus magis est ingratus.

Donum dupliciter sumi.

Respondet Doctor *donari* sumi dupliciter. Primò, vt est actus voluntatis liberaliter se communicantis, & non ex vllo debito eius, cui se communicat. Alio modo sumitur pro condonare, seu remittere debitum incursum.

Respondet plus donari primo modo innocenti; quia præuentus est ne in debitum incurreret. Secundo modo plus condonatur peccatori: quia per remissionem liberatur à debito incurso; neminem autem esse cui Deus pauca donat primo modo, quod probat authoritate Augustini, subiungit exemplum morale satis commodum, ex quo sequitur quòd donum quantò magis excludit onus, & minùs admiscetur ei iustitiæ, tantò magis est liberale, & inducens obligationem gratitudinis. Quamuis autem per peccatum magis sit indignus gratia peccator, quantùm ad vocationẽ ad pœnitentiam, tamen ipsa remissio peccati etiam admiscet iustitiam aliquo modo, quia exigitur à peccante satisfactio tam interior per dolorem, quàm etiam exterior per confessionem, & erubescentiam, & vlteriùs pro pœna temporali, quæ ipsi manet post remissionem peccati: quamuis hæc vt procedunt à peccatore ante remissionem, vt suprà dictum est *in hac quæst. art.* 1. non habeant condignitatem, seruatur tamen aliqua ratio iustitiæ vindicatiuæ in iis ad puniendum peccatum. Donum autem collatum innocenti, quo præser

Donum magis liberale, cui minùs admiscetur oneris.

Onus gratiæ pœnitẽtialis.

præseruatur, est merè liberale, sine vllo eius merito præueniente, neque inducens obligationem vllam satisfactionis: ergo ex modo collationis, & gratia illa collata, consurgit in eo debitum maioris gratitudinis. Rectè ergo Doctor infert illud dictum non esse verum: *cui plus dimittitur, plus diligit*, nisi vt refertur ad eum qui donat debita, & per cuius beneficium non stet vt minùs debens non debeat tot in reipsa, quot magis debitor: quia nimirum per gratiam creditoris confertur ipsi beneficium, quo præuentus non incurrat tot debita, quot alter, & hanc sententiam Doctoris ex parte tenet Suarez in tertio gradu innocentiæ, quem assignat.

Explicatur parabola.

101 *Necessitas gratiæ asserta à Doctore.*

Ex dictis in hoc articulo satis patet sententia Doctoris quoad necessitatem gratię Christi præuenientis, siue ad meritum & perseuerantiam in bono, siue etiam ad resurgendum à peccato, & eius remissionem. hæc enim ipse refert in gratiam Dei specialem, non in vires liberi arbitrij. Vnde, sicut aliàs dictum est *d.14.q.2.* non est locus calumniæ, quam moderni intentant; quia verba eius, & discursus clarus est, *in hac quæst. art. 2. & 3.* vbi per se hanc quæstionem tractat. in aliis verò locis supponit id quod fides & Theologi communiter docent, & differit tantùm de eo quod in quæstionem venit pro occurrenti materia, sicut in loco præfato, vbi docet quomodo actus pœnitentiæ circumstantionatus haberi possit absque eo quòd procedat elicitiuè à gratia, seu charitate inhærente. Vnde rectè, vt multi interpretantur, sub *communi influentia*, præfato loco expressa, comprehendit omnia concurrentia ad actum pœnitentiæ, præter solam gratiam inhabitantem, & sanctificantem, quam excludit ab actu contritionis, vt habet rationem dispositionis prioris ad ipsam gratiam iustificantem.

SCHOLIVM.

Circunstantias ingratitudinis, inobedientiæ & contemptus, comitari omne peccatum, & sic non esse specialia peccata, nisi formaliter tendatur in ipsarum obiecta, vt si ideò offendis benefactorem, vt nihili habeas eius beneficia, & de circunstantia inobedientiæ, quia est essentialis tanquam genus in omni peccato, certum est non fieri peccatum speciale, nisi per formalem intentionem contraueniendi præcepto, quis operetur. Tamen de aliis circunstantiis generalibus satis probabile est, quòd non petant voluntarium directum, vt tribuant specialem malitiam in re, quæ tamen in ordine ad confessionem non censetur specialis, quia de ea constat semper confessori, quoad communem rationem eius, & fortè sic vult Doctor de quo latè in materia de peccatis, in illa quæst. an ad scandalum requiritur, ruinam spiritualem proximi formaliter intendi, de quo 1.2. quæst.72. & 2. 2. quæst.43.

AD secundum dico[k] quòd possibile est recidiuantem peccare pluribus peccatis, 18
vel quasi pluribus[l], si ex deliberatione agat contra legem communem, & contra legem gratitudinis, & contra legem promissi: sed communiter non sic peccatur, quia peccans communiter non appetit, nisi delectationem, licèt inordinatè, & vellet illi delectationi non esse annexas tot prohibitiones, & isto modo, omni peccato coniungitur inobedientia, & contemptus, & odium Dei, & ingratitudo, & huiusmodi, non quòd peccator habeat tunc actum elicitum pertinentem ad singula istorum: sed implicitè inquantùm vult aliquid, ad quod quodammodo concomitantur hæc omnia. Concedo ergo quòd possibile est peccare recidiuantem vnico peccato.

Quomodo omni peccato coniungitur odium Dei, inobedientia, ingratitudo, &c.

Et quando infers, ergo posset æquè grauiter peccasse primò quando cecidit ab innocentia; Concedo quantùm est ex parte libidinis, & inordinationis formalis in peccato: sed non quantùm est ex parte istius circunstantiæ ingratitudinis, & multiplicioris obligationis, peccasset tamen tunc grauius quantùm ad aliam circunstantiam, quia magis ingratus est cadendo ab innocentia, quàm à pœnitentia.

Contrà; esto quòd iste decies pœnituit, & qualibet vice de decem peccatis mortalibus, post decimam pœnitentiam recidiuat cum tanta libidine peccans, cum quanta in primo peccato, tunc hoc peccatum erit centies grauius primo peccato, quia ratione cuiuslibet peccati dimissi tenetur non cadere, & in ratione cuiuslibet, est specialis ingratitudo in cadendo, & ratione pœnitentiæ cuiuslibet, in qua * promisit non peccare, tenetur non peccare.

** Promisit scilicet obligatione gratitudinis, non aliter.*

Respondeo, nulla noua culpa est ita grauis ex aliqua circunstantia respiciente pœnitentiam præcedentem, quòd illa circunstantia æquiparetur grauitati peccati in se, siue in propria malitia, nec fortè in centesima parte. Tamen concedo quòd sicut ista circunstantia ingratitudinis, & promissi aggrauat; & ita grauius est, quantò fuit priùs collatum bonum magis indebitum, quod erat regulariter in eo, qui grauiùs peccauerat, & quantò pluries promisit; quod regulariter accidit in eo, qui pluries pœnituit.

Sed quid est simpliciter grauius[l], vel cadere respiciendo ad maius beneficium, vel magis indebitum præstitum, vel ad plura promissa de non cadendo? Respondeo, 19

absolutè plus ligat præceptum legis naturæ pertinens ad gratitudinem, quàm ista obligatio noua, contracta per propriam promissionem; nisi fortè istud principium, vel præceptum, *serua promissa*, magis obliget quàm istud: *Esto gratus benefacienti secundùm gradum eius in benefaciendo.*

In isto articulo restat dubium. Nunquid oportet in speciali confiteri peccata præcedentia tanquam circunstantias aggrauantes? Respondeo, quòd quanquam hoc sit licitum, & fortè vtile: non tamen videtur necessarium illa confiteri in speciali: quia inquantùm aggrauant, possunt exprimi sufficienter in confessione absque expressione illorum peccatorum priùs dimissorum in speciali, scilicet dicendo de multis, & magnis peccatis aliàs pœnitui, & credo quòd Deus mihi remiserat, & ideò nunc fui magis ingratus in peccando.

20 *Ad arg.* 1. Ad argumenta. [m] Ad primum patet quòd illa parabola ad hoc principaliter tendit, quòd eadem pœna exigitur à seruo illo, qui noluit dimittere conseruo suo, quæ fuisset exacta ab eo propter delictum principale; quod enim ibi dicitur, *Tradidit eum tortoribus, donec redderet vniuersum debitum*; intelligo ad propositum, quia non redderet vniuersum debitum, nisi soluendo pœnam damnationis, pro eo mittatur in illum carcerem damnatorum; & ita ad propositum, recidiuans eidem pœnæ damnationis adiudicatur, quam habuisset propter peccata priora, & priùs dimissa, & æqualem quantùm ad durationem, quia donec reddat, &c. sed non sequitur quòd æqualem quantùm ad intensionem; & ita dicendum est ad omnes auctoritates Sanctorum fundatas in illa parabola Saluatoris, quòd peccata illa redeunt, id est, quòd obligatio ad damnationem redit, & aggrauata propter remissionem illorum peccatorum præteritorum.

21 *Ad* 2. Ad secundum [n] isto modo est intelligenda auctoritas Iacobi, quantùm ad damnationem, quæ est generalis pœna omnium peccatorum mortalium, *factus est omnium reus*; vel aliter, & in idem redit quantùm ad auersionem à fine vltimo, quæ est communis omni peccato mortali. Sed non est intelligendum, quòd factus est omnium reus quantùm ad grauitates speciales singulorum, & nullo modo quantùm ad illas grauitates easdem in numero, vel in specie.

Arg. 3. Ad aliud, vno modo potest dici quòd si contritus priùs, contemnit postea confiteri, peccat nouo peccato mortali in illo contemptu; nec tamen redit culpa dimissa per contritionem, neque, inquam, redit quantùm ad malitiam, nec quantùm ad reatum: sed semper sola pœna manet temporalis debita illi, licèt pœna damnationis debeatur nouo peccato mortali.

Alio modo posse dici, quòd quando pro peccato habetur pœna completa (intellige completa quantùm ad tres partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, satisfactionem) tunc commutata est pœna damnationis in pœnam temporalem; non sic autem de peccato, de quo habetur contritio sine aliis duabus partibus pœnitentiæ. Sed prima responsio est conuenientior, quia peccatum in contritione simpliciter deletur, ita quòd non manet, nisi obligatio ad pœnam temporalem; & si pòst sequatur contemptus satisfactionis, seu confessionis nouum peccatum mortale est, & aggrauatum propter culpam priorem in contritione dimissam.

Contritio tollit culpā, & mutat pœnā æternam in tēporalē ante alias partes.

22 *Ad* 4. Ad aliud dico, quòd non potest redire eadem tenebra numero saltem per naturam: quia ita non potest esse eadem negatio, sicut nec eadem affirmatio, posita interruptione hinc, & inde. Ad probationem dico, quòd ad vnitatem priuationis non sufficit vnitas subiecti, & habitus oppositi: sed requiritur vnitas continuitatis eiusdem in subiecto eo modo, quo potest habere *esse* in subiecto; patet hoc per simile, quia ad vnitatem negationis non sufficit vnitas affirmationis; nam non Socrates, quod est negatio vnius numero affirmationis, potest esse non solùm plura numero, sed in pluribus specie, & genere: & tot esse, quot sunt entia quæ non sunt Socrates; ita & priuatio potest esse eiusdem formæ, & tamen non eadem: potest etiam esse in eodem subiecto plurificata, si sit interruptio, sicut & habitus eius est plurificatus, si cum interruptione inesset illi subiecto; siue enim positiuum, siue priuatiuum, vel negatiuum, idem numero reparare, hoc (sicut dicetur in materia de resurrectione) solius est potentiæ infinitæ Dei, cui sit gloria, &c.

Eadem tenebra naturaliter non potest redire.

Ad vnitatē priuationis quæ requirantur?

d. 43. q. 3. & 4.

COMMEN

COMMENTARIVS.

102 *Responsio ad secundam obiectionē præmissam.* k AD *secundum dico quòd possibile est recidiuantem,*&c. Hic respondet secundæ obiectioni *suprà* factæ, qua opponitur, recidiuantem posse peccare vnico peccato tantùm, quod esset æquè graue, vel grauiùs, quàm esset peccatum cadentis ab innocentia.

Responsio. Respondet primò, posse peccantem facere contra plures leges eodem actu, vel pluribus, si intendat sic agere, vt contra legem gratitudinis, promissionis, iustitiæ, & sic de reliquis circumstantiis generalibus: sed hoc non contingit communiter, quia peccans non intendit per se, nisi delectationem inordinatam, & vellet non esse coniunctam prohibitionem.

Doctrina cōmunis. Hìc tradit doctrinam communem Theologorum, quam sequitur D. Thom. 3. *p.q* 88. *art.* 4. *&* 2.2. *q.*107. *art.* 2. D. Bonauentura *dub.* 3. hic circa literam Magistri, Altisiodorensis *lib.*4. *Summe, tract.*6. *q.*2. Durandus *in præsenti distinctione*, & alij communiter: nempe circumstantiam generalem non dare speciem actui, nisi quando est per se intenta. *Circumstantia generalis non dat speciē actui, nisi sit intensa specialiter.* Contrarium huius docet Abulensis *quæst.*141. *&* 142. *in Matth.*18. Ioannes de Medina *C. de pœnit. tract.*1. *q.*9. communis tenenda est; rationem eius variè assignant Doctores.

103 *Ratio præmissa sententia declaratur.* Hæc quam adducit Doctor est optima, quia circumstantia generalis tantùm implicitè, & concomitanter se habet ad actum in specie, inquantùm vult aliquid, ad quod illæ circumstantiæ sequuntur ex generali ratione, non autem ex speciali. Quod sic intelligitur, quia circumstantiæ generales in specie consideratæ ex propria lege, & præcepto spectant ad materiam propriæ virtutis: verbi gratia, offensæ, ad materiam charitatis in specie; inobedientiæ, ad materiam propriam; ingratitudo in specie, ad virtutis oppositæ materiam, in qua præceptum in specie obligat, quando peccatum est directè contra materiam præcepti, vltra quàm ex natura præcepti non extenditur. *Quare dicātur generales.* Dicuntur tamen hæ circumstantiæ generales in aliis materiis, quatenus hæ ex consequenti, & concomitanter faciunt aliquo modo, & reducuntur ad materiam illarum virtutum implicitè tantùm, & vt media tanquam ad finem extrinsecum, ad quem ordinantur; & qui contemnit medium, dicitur interpretatiuè contemnere finem, licèt contemptus medij in tantum est peccatum in propria specie, in quantum opponitur proprio præcepto, & bonitati intrinsecæ, non autem bonitati finis extrinseci: quia finis præcepti extrinsecus, non cadit sub præcepto: sicut ergo finis est generaliter intentus, etiam per præcepta virtutum particularium, sic transgressio huius, aut illius virtutis includit concomitanter, & implicitè contemptum finis per modum circumstantiæ generalis respicientis opera, quæ ad finem ordinantur: hoc ergo est circumstantias generales quodammodo sequi implicitè, vel concomitanter se habere ad quodlibet peccatum in materia huius, aut illius virtutis in particulari, cui non competit dare circumstantiam generalem aliis virtutibus, quia aliæ ad ipsam non ordinantur vt ad finem, neque ex natura rei, neque ex vniuersali, aut particulari intentione legislatoris. Charitas autem est finis legis, subiectio creaturæ ad Deum, finis etiam generalis obseruantiæ mandatorum; gratitudo finis beneficiorum.

Contemptus medij est interpretatiuè cōtemptus finis.

Dicitur præterea concomitanter, & implicitè se habere illas circumstantias generales ad actum peccatoris, quia neque ex scientia, neque ex intentione, neque ex regula ad eas refertur actus.

Hoc posito, respondet ad argumentum, admittendo consequentiam, & ad subsumptum admittit grauiùs posse peccare pœnitentē ex ratione duplicis obligationis, nempe gratitudinis, & fidelitatis, seu pacti transgressi, vt suprà declaratum est in secunda ratione Doctoris, tamen innocens cadens peccaret grauiùs, quantùm ad circumstantiam ingratitudinis. 104 *Responsio ad obiectionem.*

Obiicit deinde, si peccans sæpiùs iterauit peccatum, & postea pœnituit etiam iterando pœnitentiam, vt si peccauerit decies, & decies etiam pœnituit, deinde recidiuat; sequitur quòd hoc vltimum peccatum esset decies grauius primo peccato: quia ratione cuiuslibet peccati dimissi tenetur non cadere, & ratione etiam promissi, seu pacti. *Obiectio.*

Respondet, quòd circumstantia aggrauans peccatum nequeat in malitia comparari ad peccatum in propria malitia. Admittit tamen quantùm ad aggrauationem, quæ est ex circumstantia, magis aggrauari, & in tantum aggrauari peccatum, in quantum beneficium maius, & non debitum, fuit illatum. *Responsio.*

Dices, si circumstantia aggrauat peccatum, ergo confert ei aliquam malitiam: ergo hæc comparabilis est ad malitiam ipsius peccati in grauitate, quando grauitas circumstantiæ multiplicatur. Consequentia patet, quia circumstantia mutans speciem etiam aliquando aggrauat peccatum in specie magis, quàm ipsum obiectum. 105 *Replica.*

Respondetur, circumstantiam aggrauantem se habere ad peccatum, vt accidens in proprio genere, quod nequit comparari substantię actus, quam supponit, & cuius malitia crescit ex circumstantia: sed circumstantia mutans speciem licèt talis sit respectu operantis, inquantum ipse ex alio fine, verbi gratia, homicidij, interfecit eum quem nouit esse Sacerdotem: tamen respicit actum illum, inquantum est materia propriæ virtutis, vt Religionis; & licèt indirectè accedat, quantùm ad intentionem homicidæ, directè tamen cadit in materiam ex propria prohibitione, qua comprehendit personam sacram, & eius immunitatem. *Soluitur.*

l *Sed quid est simpliciter grauius*, &c. Respondet grauius esse peccatum ex ingratitudine, quàm ex transgressione illius propositi, quod habuit pœnitens. Quod propositum hìc appellat promissionem, intelligi debet modo *suprà* explicato: quia alioquin si intenderet promissionem strictè sumptam, & factam Deo, non cohæreret doctrinæ præcedenti, in qua dicit malitiam ex circumstantia ingratitudinis non posse comparari ad peccatum in se in grauitate, si enim votum, aut promissio strictè sumpta hìc per eum intelligeretur, esset peccatum nouum, seu circumstantia mutans speciem, quod idem est, vt ipse supponit *suprà* in responsione ad secundam obiectionem, neque dubitaret consequenter dicere grauitatem huius excedere grauitatem, quæ ex circumstantia ingratitudinis tantùm aggrauaret. Quod autem dicit gratitudinem magis obligare 106 *Grauius est peccatum ex propria malitia, quàm ex circumstantia voti.*

Gratitudinis maior est obligatio, quàm promissionis latè sumpta. obligare ex præcepto legis naturæ, quàm promissionem, vt ipse sumit, latè sumptum, est etiam verum, quia gratitudo in omni lege, & statu obligat, & vniuersalius se habet, quàm promissio altè sumpta, à qua aliquando potest quis resilire ex rationabili causa, non ita ab obligatione gratitudinis. Deinde subiungit non esse necessarium in specie confiteri hanc circumstantiam aggrauantem, sed consultum esse vt in genere confiteatur, non declaranda peccata aliàs remissa. *Circumstantiā ingratitudinis in genere confitenda.*

107 *Ad argumēta principalia. Ad primum.* m *Ad argumenta. Ad primum patet*, &c. Hoc argumentum est ex parabola illa Matthæi, in qua paterfamilias seruum, cui dimisit omne debitum, quia non remisit conseruo suo debitum minus, tradidit tortoribus, repetens debitum dimissum.

Responsio. Respondet intelligi debere de pœnæ debito, nempe damnationis, quantùm ad durationem illius pœnæ, quæ reuiuiscit per peccatum subsequens in æquiualenti: quia pœna ei debita est æterna quoad durationem, non verò redit pœna prior in se ipsa quoad intensionem, neque in indiuiduo. Et sic explicat etiam authoritates Sanctorum, qui dicunt redire priora peccata remissa per subsequens, nempe quoad durationem pœnæ, seu, vt alij dicunt, quoad pœnam materialiter aggrauatam per circumstantiam ingratitudinis, ex prioribus peccatis remissis. Non requiritur enim vt parabola quoad omnia accommodetur in rigore, sed quoad principale significatum, quod in proposito est denotare rigorem diuinæ iustitiæ in eos, qui non faciunt misericordiam: quia *iudicium sine misericordia his qui non faciunt misericordiam*, &c. Repetit ergo ab illo seruo crudeli in alium conseruum pœnam huius peccati de rigore, quam aggrauat prior venia data, & condonatio facta debiti, & ob illam circumstantiam ingratitudinis priora peccata dicuntur in nouissimo puniri, non verò in seipsis. Alia loca Scripturæ, quæ huic quæstioni accommodantur, vt Psalm. 108. *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius.* Psalm. 37. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, &c. Psalm. 38. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*, &c. explicantur, vel de pœna temporali, vel de pœnis malæ consuetudinis, & concupiscentiæ, quæ ex peccatis sunt, & in peccata cōputrescunt, quando eis consentitur, vel de pœna etiam subtracta iustè misericordiæ ob circumstantiam ingratitudinis, & de damnatione ob peccata nouissima, & contemptum misericordiæ præstitæ. Videantur interpretes. *Explicatur parabola de seruo.*

n *Ad secundum*, &c. patet responsio ex dictis, quo modo *qui in uno deliquerit factus sit omnium reus*, &c. quam authoritatem aliqui intelligunt, quantùm ad materiam fidei. Ad propositum autem intelligitur, quoad auersionem à fine vltimo, quæ est communis omni peccato mortali. Alij dicunt redire hanc pœnam damni etiam in specie, & gradu eandem, loquendo de ipsa vt priuatio est gloriæ: quia putant eandem esse æqualem in omnibus peccatis. Sed de hac agemus infrà *dist.* 50. *q.* 6. Interim dicta solutio Doctoris satisfacit præsenti difficultati: nam qui dicunt redire eandem, non dicunt redire ex iustitia diuina per modum pœnæ priorum peccatorum: sed tantùm redire in pœnam vltimi peccati; ex natura verò rei necessariò redire eandem, quia est priuatio, in qua nulla datur latitudo, cùm excludat vniuersim formam; qua ratione Philosophi antiqui dicebant omnia peccata esse paria. 108 *Ad secūdum responsio.* *Pœna damni qua ratione redeat.*

Ad tertium à ratione nempe, quia per contritionem remittitur peccatum in ordine ad alias partes pœnitentiæ; si eas contemnat postea pœnitens: ergo vel reddit idem peccatum, vel remittitur sine sufficienti satisfactione. Ad hoc, inquam, respondet dupliciter: sed secundam responsionem ipse reiicit, & meritò. Prima itaque tenenda, peccatum scilicet remissum non redire: sed peccare de nouo pœnitentem contra præceptum affirmatiuum Sacramenti. 109 *Ad tertium à ratione.*

Ad quartum, patet ex litera: & sic finitur tractatus de pœnitentia, iuxta ordinem Magistri, quem sequitur Doctor. Sit laus Deo, Beatissimæ eius Matri, & omnibus Sanctis, specialiter sanctis Patribus Francisco, & Antonio, sub cuius octaua finem habuit, 18. Iunij 1636.

DISTINCTIO XXIII.

De Sacramento Vnctionis extremæ.

A *De vnctionis extremæ Sacramento. De tribus generibus vnctionis, de his Hug. lib. 2. de Sacram. p. 15. cap. 1.*

PRÆTER præmissa est etiam aliud Sacramentum, scilicet vnctio infirmorum: quæ fit in extremis, oleo per Episcopum consecrato. Et sunt tria genera vnctionis. Est enim vnctio quæ fit chrismate; quæ dicitur principalis vnctio, quia in ea principaliter Paracletus datur. Vnde & propter abundantiam gratiæ duos liquores mixtos habet, oleum scilicet, & balsamum, oleum conscientiæ, balsamum bonæ famæ. Chrisma verò Græcè, vnctio Latinè dicitur. Nec tamen omne oleum ad vnctionem sanctificatum chrisma vocatur, sed illud solum quod miscetur cum balsamo, quo capita Regum & Pontificum vnguntur, quo etiam baptizatos Sacerdos vngit in vertice, & Pontifex per impositionem manus confirmandos vngit in fronte. Est & alia vnctio,

qua

qua catechumeni & neophyti vnguntur in pectore, & inter scapulas in perceptione Baptismi. Tertia verò vnctio est quæ dicitur oleum infirmorum, de qua nunc agitur.

A quibus institutum sit hoc Sacramentum.

HOc Sacramentum vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Iacobus, *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* In quo ostenditur duplici ex causa Sacramentum hoc institutum, scilicet ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem. Vnde constat eum qui hanc vnctionem fideliter deuotéque percipit, & in corpore & in anima alleuiari, si tamen expedit vt in vtroque alleuietur. Quòd si fortè corporis valetudinem illi habere non expedit, illam quæ est animæ, sanitatem in hoc Sacramento acquirit. Et sicut in aliis Sacramentis, ita & in isto aliud est Sacramentum, aliud res Sacramenti. Sacramentum est ipsa vnctio exterior; Res Sacramenti, vnctio interior, quæ peccatorum remissione, & virtutum ampliatione perficitur. Et si ex contemptu, vel negligentia Sacramentum hoc prætermittitur, periculosum est & damnabile.

B *Hug. ibid. cap. 2. Iacob. vlt. c.*

De iteratione huius Sacramenti.

QVærunt aliqui, Si hoc Sacramentum iterari possit, cùm Baptismus, & alia quædam Sacramenta semel suscepta, non iterentur? Augustinus dicit. [Sacramentum non iterandum, & Sacramento non faciendam esse iniuriam.] Sed hoc dicit, vbi agit de Sacramento Baptismi, & Confirmationis, & Ordinationis. Vnde non videtur illud generaliter accipiendum, sed de Sacramento Baptismi, Confirmationis, & Ordinationis, quæ nullatenus sunt repetenda, quia semel tantùm, & non sæpiùs datur Baptismus, Confirmatio, & Ordinatio: Sacramento verò altaris, & pœnitentiæ, & coniugij, sæpè iterari videtur, quia sæpè Sacramentum corporis percipitur, frequenter pœnitentia agitur, coniugium sæpè contrahitur. Quare ergo vnctio similiter non potest iterari? Si morbus non reuertitur, medicina non iteretur. Si verò morbus non potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Sicut oratio iterari potest, ita & vnctio iterari posse videtur. Vtraque enim illic cõmemorat Iacobus, & vtrumque alteri cooperatur ad conferendam alleuiationẽ corporis & animæ. Cur ergo negatur vnctionem super infirmum posse iterari ad impetrandam sæpiùs sanitatem mentis & corporis, cùm propter infirmitatem eadem sæpè iteranda sit oratio? Quidam autem de omni Sacramento intelligi volunt quòd non sit iterandum, scilicet secundùm totum illud quod pertinet ad Sacramentum, dicentes quædam Sacramenta sæpiùs posse suscipi, quædam verò non. Nec tamen quæ sæpiùs sumuntur, totaliter iterantur, vt Sacramentum Altaris & Vnctionis, quæ licèt sumantur sæpiùs, tamen quia non iterum benedicitur eadem hostia, vel idem oleum, non iteratur Sacramentum cum iniuria. Sed dicet quis, sic & Baptismus non iteratur, etiamsi aliquis frequenter baptizetur, dum eadem aqua non iterum benedicatur. Sed aliud est, inquiunt illi, de benedictione aquæ, qua fit Baptismus, & aliud de benedictione panis & olei. Potest enim Baptismus celebrari in aqua, etiam non

C *Hugo ibid. cap. 3. Lib. 2. contra Parm. epist. c. 13. & hab. 1. q. 1. quod quidam.*

Aliorum opinio. Hug. lib. 4. sentent. cap. præter supradicta.

Obiectio.

Responsio.

benedicta, quia illa benedictio pro reuerentia tantùm fit & decore, non virtute Sacramenti. Sed corpus Christi non potest confici, nisi de pane consecrato, nec vnctio illa fieri potest, nisi de oleo ab Episcopo consecrato. Ideóque illa sanctificatio ad virtutem Sacramenti pertinere videtur. In coniugio quoque semel tantùm benedicitur quisque, non sæpiùs. [Benedicitur enim, vt ait Ambrosius, cum prima, & non secunda vxore.] Si ergo cùm dicitur Sacramentum non esse iterandum, nec iniuria ei esse facienda, rationem dicti referas ad sanctificationem rei, qua Sacramentum expletur, de omni Sacramento generaliter id verum est. Si verò ad susceptionem Sacramenti, de quibusdam verum est, quòd non iterantur crebra susceptione; de aliis verò quibusdam non, quia frequenter sumuntur, vt hoc vnctionis Sacramentum, quod in omni penè Ecclesia sæpè repetitur.

Amb. in fine commēt. super 1. Cor. 7. & in gl. super illud eiusdem cap. Nubat tantùm in Domino.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm extrema Vnctio sit Sacramentum nouæ legis.

D.Thom. *in suppl. q. 29. art. 1. & hic qu. 1. art. 1.* Richard. *art. 1. qu. 1. & per totum.* D.Bonauent. *art. 1. & 2. per totum.* Suar. *tom. 4. disp. 39. sect. 1.* Bellarm. *l. 1. de Sacram. vnct. cap. 4.*

1 *Argum. 1.* CIRCA hanc [a] distinctionem vigesimamtertiam, quæro hanc quæstionem includentem totam materiam distinctionis: Vtrùm extrema vnctio sit Sacramentum nouæ legis? Quòd non: omnia Sacramenta nouæ legis sunt instituta à Christo, suprà *dist. 2. quæst. 1.* sed istud videtur institutum fuisse à Iacobo in sua Canonica 5. cap. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros, & orent super eum, &c.*

Argum. 2. Item Sacramentum vnum habet vnam materiam, & vnam formam: hoc autem, secundùm quòd ministratur ab Ecclesia, habet multas materias, quia multas vnctiones: & multas formas, quia multas orationes coniunctas multis vnctionibus. Oppositum Magister in littera.

COMMENTARIVS.

De extrema vnctione. IN hac distinctione agit Doctor cum Magistro, de extrema vnctione, quod est Sacramentum commune institutum adultis, ad exitum ex hac vita. *Ratio dispositionis. Trident.* Concilium etiam Tridentinum seruat eandem methodum *sess. 14.* vbi proximè post illam de pœnitentia, subiungit de extrema vnctione doctrinam: *Visum est*, inquit, *sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de pœnitentia, adiungere ea, quæ sequuntur de Sacramento extremæ Vnctionis, quod non modo pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummatiuum existimatum est à Patribus*, &c. *Est consummatio Pœnitentiæ.* *Origen.* Sic Origenes *homil. 2. in Leuiticum* coniungit Pœnitentiæ hoc Sacramentum. Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdotio* asserit Sacerdotes habere potestatem remittendi peccata per hoc Sacramentum, in quo affinis est Pœnitentiæ Vnctio. *Chrysost.* Hanc distinctionem cū tota doctrina de hoc Sacramento vnica quæstione comprehendit breuiter noster Doctor.

a *Circa hanc distinctionem*, &c. In hac quæstione proponit duas conclusiones. 1 *Partitio.* Prima docet possibilitatem, & congruitatem, & institutionem huius Sacramenti. Secunda verò rationem eius comprehendit, quoad omnia quæ ad ipsum spectant, Materiam, formam, effectum, Ministrum, &c.

SCHOLIVM.

Respectu finalis remissionis venialium, conuenit esse, & de facto est, Sacramentum institutum in lege noua, scilicet extrema vnctio, pro hoc est locus Iacob. 5. & Marc. 6. Nicænum ex Arabico Latinè redditum cap. 69. Cabilonense can. 48. Flor. in instruct. Armen. Trid. sess. 14. can. 1. patres quos citat Bellarm. l. 1. de Sacram. vnct. cap. 4.

2 HIc sunt duo videnda. [b] Primò, quòd possibile est esse aliquod Sacramentum nouæ legis, quod sit signum efficax finalis remissionis venialium, quod congruit, & quod

quod hoc factum est. Secundò, quòd extrema vnctio est tale Sacramentum, & de tali ratione extremæ vnctionis. Primum sic, possibile est Deum finaliter remittere venialia: ergo possibile est sibi institui signum efficax istius remissionis. Consequentia patet, quia possibile est hominem instituere signum efficax practicum cuiuscumque operis sui: ergo multò fortiùs est Deo possibile; & ita potest quodcumque signum sensibile, cuius institutio non includit contradictionem, instituere tanquam signum practicum efficax istius effectus.

Hoc etiam congruum est, recessurum scilicet ab hac vita, finaliter à venialibus absolui: quia ista non remissa essent impedimentum gloriæ consequendæ, & non remissa possunt esse vsque ad exitum, quia peccator quasi continuè peccat talibus peccatis. Hoc etiam factum est. Probatur ex illo verbo Iac. 5. *Si in peccatis est, remittentur ei;* non intelligit de mortalibus, quia hæc non remittuntur, nisi in Baptismo, vel Pœnitentia: ergo de venialibus. Sit ergo prima conclusio, quod respectu finalis remissionis venialium, conuenit esse, & potest esse, & est Sacramentum nouæ legis. *Non est de mortalibus, per se, sed per accidēs est. Conclus. 1.*

COMMENTARIVS.

b HIc sunt duo videnda, &c. Hìc primum ostendit possibilitatem institutionis, & congruitatem eius, nempe ad remissionem peccatorum non mortalium, quia illa sunt materia pœnitentiæ, sed venialium. Deinde subdit conclusionem primam, quæ talis est: *Prima cōclusio.*

Sit ergo prima conclusio, quòd respectu finalis remissionis venialium conuenit esse, & potest esse, & est Sacramentum nouæ legis.

SCHOLIVM.

Definit extremam Vnctionem, & declarat optimè particulas omnes definitionis, ministrum, subiectum, effectum, dispositionem, materiam, formam, &c. quod ait effectum esse remissionem venialium, tenet D. Bonau. hìc art. 1. q. 1. Richard. art. 1. q. 5. 6. Durand. q. 1. Alens. 4. p. q. 5. memb. 7 art. 2. Nauar. c. 22. n. 13. quod intellige de effectu primario; quia habet alios effectus secundarios, vt curationem corporis, excitationem deuotionis, &c. Suarez tom. 4. d. 41. sect. 1. & Bellarm. lib. 1. de Sacr. Vnct. putant eius effectum non esse venialium ablationem.

DE secunda [c] conclusione principali dicendum, quòd illud Sacramentum vocatur extrema vnctio; cuius assignari potest ratio talis, *Extrema vnctio est vnctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione diuina efficaciter significans curationem finalem venialium.* Ista ratio apparet bona, quia non est in se falsa, *ex 5. Metaph. c. 17.* quia nulla pars eius repugnat alteri. Exponendo ergo partes, primò ponitur quòd est *vnctio*, cuius cōgruentia est, quia istud signum sensibile congruit effectui, scilicet interiori vnctioni curatiuæ; subditur, *hominis infirmi*; ideò non debet conferri sano, nec qualitercumque exposito periculo mortis, quia non ei cui imminet mors ex periculo extrinsecæ violentiæ, vt armorum, vel submersionis, vel huiusmodi; nec qualitercumque infirmo, sed periculosè, ita quòd probabiliter immineat sibi exitus de statu viatoris ad terminum. 3 *Conclus. 2. Definitio Sacramenti extremæ vnctionis. Text. 54. Tantùm infirmato periculosè ministrāda est vnctio.*

Quod additur, *pœnitentis:* patet, quia nullus est capax istius Sacramenti dignè, nisi sit in gratia: istud enim Sacramentum non est remedium acquirendi gratiam, quia ad hoc sunt tantùm Baptismus, & Pœnitentia. Et ex hoc excluduntur non vtentes ratione, vt paruuli, & qui non habent materiam pœnitentiæ, saltem qui non habent pœnitentiam de venialibus, vt perfectè innocentes: quia etiam non vtentes ratione non possunt esse pœnitentes; excluduntur furiosi, & amentes; & hoc nisi per voluntatem præcedentem expressam præsumantur illud velle. *Vngendus debet esse in gratia, vel pœnitere.*

Quod additur, *in determinatis partibus:* istæ partes sunt organa potentiarum, per quarum actus peccatur frequenter venialiter, vtpote organa quinque sensuum, & potentiæ motiuæ. Et hoc aliquando respectu eiusdem sensus, vel potentiæ geminatæ, vt organa potentiæ visiuæ, vt oculi duo, organa potentiæ auditiuæ duæ aures, organa potentiæ olfactiuæ nares, organa potentiæ tactiuæ manus. Et sic istis prædictis, sicut geminantur organa, ita geminantur vnctiones; organum gustus est lingua, in qua non fit propter abominationem tollendam, vnctio: sed exteriùs super os; propter autem organum potentiæ generatiuæ fit vnctio ad lumbos, iuxta illud Gregorij super illud Lucæ: *Sint lumbi vestri præcincti, &c. Viris*, inquit, *luxuria in lumbis est.* Propter organum motiuæ quantùm ad progressiuam, quæ est principalis motiua, fit duplex inunctio in duobus pedibus tanquam organis ad illum motum ordinatis. 4 *Vngenda sunt organa sensuum. Cap. 12. Quæ partes vngendæ?*

Alia

Alia motio, qua frequenter peccatur, est motio linguæ, iuxta illud Iacob 3. *Qui non offendit verbo, hic perfectus est vir*, & multa alia ibi. Et contra istud est vnctio oris, ita quòd ipsa est remedium contra duplex peccatum veniale, sicut lingua congruit in duo opera naturæ, 2. *de Anima*, in gustum scilicet & loquelam. Sunt ergo vndecim vnctiones, scilicet partiales, sed aliquæ sunt geminatæ quasi vna, ita quòd sunt septem principales, quinque in organis quinque sensuum, sexta in organo principali potentiæ motiuæ progressiuæ, septima in organo principali generatiuæ.

Text. 88. Vnctio extrema perficitur 11. vnctionibus partialibus.

COMMENTARIVS.

2 *Definitio extremæ vnctionis.*

C DE *secunda conclusione principali*, &c. Definit extremam Vnctionem, quòd sit *vnctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote, simul certa verba cum debita intentione proferente, ex institutione diuina efficaciter significãs curationem finalem venialiũ*, &c. Hanc definitionem explicat deinceps per singulas particulas, in reliqua parte huius quæstionis; cuius methodum sequentes, explicabimus particulas definitionis, simul respondendo ad dubia, quæ in hac materia mouentur.

In primis, quia in priori conclusione docet esse Sacramentum nouæ legis, ideò in hac definitione non comprehendit rationem genericam Sacramenti, quia subintelligitur: vt si dicatur, *Extrema vnctio est Sacramentum noua legis, vnctio hominis infirmi*, &c. Vnctionem esse Sacramentum negarunt plures hæretici, vt Armeni, teste Guidone Carmelita, de Armenis, in sua summa. Idem refert de VValdensibus, sicut & Æneas Syluius de origine Bohemorum *cap.* 35. ita Lolardi, vt refert Trithemius in Chronico Hirsaugiensi anno 1315. Flagellantes apud Lutzenburgum. Thaboritæ apud Syluium. VVitclefus *lib.* 4. *Trialogi cap.* 25. Hos sequitur Lutherus *de captiuitate Babylonica, cap. de extrema vnctione*, vbi negat esse Sacramentum propriè dictum, licèt non reiicit ritum. Caluinus *lib.* 4. *Institutionum* negat omnino esse Sacramentum. Kemnitius, VVitembergenses, Melanchton, & alij huius temporis nouatores, qui Ecclesiasticas traditiones contemnunt.

Error hæreticorum.

3 *Esse Sacramentum noua legis.* Trident. Florent.

Vnctionem esse Sacramentum nouæ legis definit Florentinum, & Tridentinum *sess.* 14. *de hoc Sacramento*, & alia quæ mox citabimus. Huius vnctionis non habetur in Scriptura alia mentio, nisi tantùm Marci 6. & Iacobi 5. In priori loco habetur, quòd Apostoli vngebant infirmos oleo, & curabant. Hoc testimonio Marci probant aliqui Doctores Catholici institutionem huius Sacramenti, tanquam illis verbis contentam; vt VValdensis *tom.* 2. *de Sacramentis, cap.* 163. Noster Castro *de hæresibus v. extrema vnctio*. Petrus de Soto, *lect.* 1. de hoc Sacramento, quia aliqui Patres etiam videntur parem facere vnctionem, de qua agit Marcus, & Iacobus, vt Victor Antiochenus *ad cap.* 6. *Marci*. Beda, Theophylactus, OEcumenius.

Probatio ex Scriptura.

Meliùs Doctor hanc probationem sumit, ex illo loco Iacobi, quæ est etiam sententia D. Thomæ *in hac distinct. quæst.* 1. *artic.* 1. *qu.* 3. *ad* 1. & communior Theologorum, & videtur Tridentini *cap.* 1. *de hoc Sacramento*, dicentis, tantùm ibi fuisse insinuatum apud Marcum, commendatum verò, ac promulgatum fuisse à Iacobo.

Insinuatur à Marco, promulgatur à Iacobo.

4 *Rationes congrua.*

Variis autem coniecturis id probant Bellarminus & Suarez, locò citato à Scholiaste *sect.* 1. quia in illo loco non fit mentio aliqua efficaciæ Sacramentalis, sed tantùm curationis corporalis. Secundò, quia Apostoli non erant Sacerdotes & instituti ministri huius Sacramenti. Tertiò, quia verisimile est, non fuisse baptizatos, quos vngebant, quia pauci tunc baptizati erant, multos autem ægrotos curarunt Apostoli. Sacramentum hoc nequit ministrari nisi baptizatis: quia Baptisma est ianua Sacramentorum. Quartò, quia non solùm decumbentes in periculo mortis, sed & alios ægrotos minoris periculi verisimile est curasse. Quintò, non legitur Apostolos exegisse tunc pœnitentiam ab ægrotis. Sextò, Illa curatio ordinata est ad effectum confirmandæ fidei, & recipiendæ prædicationis Apostolorum de Aduentu regni Dei, & Christi, ac proinde congruentia institutionis huius Sacramenti pro tunc cessare videtur.

Non vtebantur Apostoli Marci 6. Sacramento.

Septimò, addi potest, quòd & olei sanctificati vsus legitur in vitis Sanctorum ad curationem corporalem, & eiectionem Dæmoniorum, vt Simeon Metaphrastes docet in vita S. Patherij. Fortunatus Pictauiensis in vita Germani Parisiensis. Gregorius Turonensis *lib.* 6. *Instit. Francorum cap.* 7. Beda *ad cap.* 8. *Luca*. Tertullianus *in lib. ad Scapulam, cap.* 4. docet Proclum Christianum sanasse oleo Antoninum Imperatorem, qui non fuit Christianus, quod etiam patet, vt notat doctissimus Pamelius in eundem locum ex vita Hilarionis apud Hieronymum ex Ruffino *lib.* 2. *historia cap.* 4. de discipulis sancti Antonij. Videatur Ruardus in artic. 12. Louaniensem. Iansenius in 6. Marci.

Vsus olei sacri ad curationem.

Probatur ergo primò ex illo loco Iacobi, in quo exprimuntur omnia, quæ in specie requiruntur ad rationem veram Sacramenti: vt est vnctio ipsa per oleum, vbi designatur materia, oratio fidei designat formam, quæ est deprecatiua, per alleuiationem infirmi, & remissionem peccatorum designatur effectus & gratia Sacramentalis ex efficacia vnctionis per oleum, & orationem fidei data. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesia, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei alleuiabit infirmum, & si in peccatis sit, remittentur ei*, &c.

5 *Locus Iacobi de Sacramento intelligitur.*

Respondent hæretici primò, illam epistolam Iacobi non esse Canonicam, quia Hieronymus *in lib. de Ecclesiasticis scriptoribus*, ait veteres dubitasse de eius authore; & quia Eusebius *lib.* 3. *cap.* 23. dicit ab aliquibus censeri notham, seu adulterinam.

Responsio hæreticorum.

Contrà, Eusebius *ibidem* dicit in plurimis Ecclesiis esse receptam. Traditio autem Ecclesiarum excedit fidem paucorum, quorum auctoritas obscura est. Deinde hanc epistolam cum cæteris annumerarunt Patres vt Scripturam Canonicam, vt rectè probat Bellarminus *lib.* 1. de

6 *Impugnatio.*

de hoc Sacramento, *cap*. 3. & communis contra hæreticos de Canonicis Scripturis, inter quas Tridentinum eam comprehendit *sess*.4. Clemens *can.vlt. Apost*. Innocentius I. *Epist*. 3. Gelasius primus *in Concil*. 70. *Episcoporum*. Laodicenum *can.vlt*. Carthagin. IV. *can*.47. Florentin. & Trident. Origenes *hom*. 2. *in Leuiticum*, & *sept. in Iosue*. Athanasius in Synopsi Epiph. *hæres*. 76. Hieronymus *Epistol. ad Paulinum*. Augustinus *lib*. 2. *de doctrina Christiana*. Chrysostomus *lib*. 3. *de Sacerdotio*. Cyrillus Alexandrinus *de adoratione in Spiritu lib*.6. Victor Antiochenus *ad cap*. 6. *Marci*, & reliqui posteriores. Sed & Ignatius *epistola ad Ephesios* citat testimonium ex hac Scriptura. *Superbis*, inquit, *resistit Deus, humilibus autem dat gratiam*. Dionysius Areopagita *Cælestis Hierarchiæ cap*. 1. vt rectè notauit Maximus *in commentarijs*. Eam reddidit atticam, Clemens Alexandrinus, teste Cassiodoro *diuinarum lectionum lib*.1. *cap*. 8. Hippolytus martyr *in lib. de consummatione sæculi* citat locum illius Epistolæ ex cap.4. *Iudicium enim fiet sine misericordia huic, qui non facit misericordiam*, &c. D. Antonius Eremita *epistola prima*, inserit illud: *Si quis videtur religiosus esse non refrænans*, &c. Anacletus *epistola* 1. Alexander primus *epistola* 2. Vrbanus primus *epistola ad omnes Episcopos*. Innocentius primus *epistola ad Exuperium Tholosanum cap*.7. Sixtus III. *de malis doctoribus, & operibus fidei*. Leo magnus *serm*.2. *de Quadragesima, cap*.4. citant eandem epistolam sub nomine Iacobi. Ad eam alludit Tertullianus *de orat.cap*.8. *aduersus Iudæos cap*. 2. Cyprianus *lib. contra Nouatum* verba eius citat. Philaster *de hæresibus cap. de Apocryphis* eandem inter Canonicas enumerat. Ad eam alludit Concilium Mileuitanum *cap*.7 Arausicanum II. *cap*.25. Prosper *de passionibus & prædictionibus Dei*, eam expresse citat, sub nomine Iacobi, & *lib*. 1. *de vocat. gentium. cap*. 24. & plerique Patres quos nunc omitto. Inter quos est Hieronymus lib. contra Iouinianum cap. 24. *Transeamus ad Iacobum*, inquit, *qui frater Domini dicebatur*, &c. *Hic primus Episcopus ex Iudæis Ierosolymæ credentis Ecclesiæ, ad quem Paulus cum Tito Barnabáque pergebat, loquitur in epistola sua. Nolite errare fratres mei dilecti: omne datum bonum*, &c. Eandem vt canonicam Scripturam recipit Eusebius Cæsariensis in fati assertores apud Damascenum *in paral. lib*.1. *cap*.9. & *lib*.3. *cap*.45. qui sunt authores, quos hæretici in adiutorium sui erroris vocant. Didymus Alexandrinus *ad primum caput huius epistolæ*. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 4. Basilius Magnus *in Asceticis*. Nazianzenus *carmine de Canonicis Scripturæ libris*. Ambrosius serm.7. *in Psalm*.118. & *tractat. de quadraginta duabus mansionibus*, & omnes Patres.

Epistola Iacobi recepta in Canone Scripturæ.

Eius translatio in linguâ Græcam.

7 Secundò respondet Lutherus, quòd Iacobus non habuit auctoritatem instituendi Sacramenta. Hæc responsio absurda est, & impudens: quia neque institutum à se Sacramentum proponit Iacobus, sed instituti Sacramenti commendat vsum, neque error, quem intentat Lutherus in Apostolum, cadere potuit.

Secunda responsio Lutheri. Reiicitur.

Tertia responsio est in eo loco commendari oleum quod habuit tantam virtutem ad sanandos infirmos à morbo corporali, ad instar eius quod in vsu fuit Apostolis, *Marci* 6. Hæc responsio impugnatur ex textu, quia etiam huic oleo tribuit Apostolus remissionem peccatorum. Videatur Bellarminus loco præfato.

Tertia responsio. Refellitur.

Secundò probatur veritas ex traditione. Innocentius primus epistola prima ad Decentium Eugubinum cap. 8. dicit, *hoc esse Sacramentum, & non dari pœnitentibus: nam pœnitentibus*, inquit, *istud infundi non potest: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi*, &c. Intelligit pœnitentes, qui ad publicam pœnitentiam faciendam segregabantur, & quibus non dabantur alia Sacramenta, donec per pœnitentiam satisfaciebant, & per manus impositionem admittebantur ad communionem. His dicit non posse hanc vnctionem ministrari; quia est Sacramentum, & sicut reliquæ negabantur, ita & hoc Sacramentum. 8

Probatio ex traditione.

Pœnitentibus publicè non dabantur Sacramenta.

Hoc decretum Innocentij renouatur in VVormaciensi *can*.72. Cabilonensi II. can. 48. *Non itaque contemnenda est huiusmodi medicina, quæ animæ, corporisque medetur languoribus*, &c. Aquisgranense II. sub Ludouico *can*. 8. monet vt hoc Sacramentum non contemnatur, in quo saluatio infirmorum continetur. Moguntinum sub Rabano, *can*. 26. expresse traditur in Senonensi, *cap. de extrema vnctione*. Moguntino *cap*.34. Florentino & Tridentino citatis.

Idem insinuare videtur Dionysius Areopagita, *cap. de Ecclesiastica Hierarchia, in fine*, vbi loquitur de vnctione viuorum, quæ post communionem fiebat, & sanctificante hominem. Author libri de rectitudine Catholicæ conuersationis inter opera Augustini tom. 9. in principio, cuius verba expressa sunt, éstque vetus author. Alcuinus *lib. de diuinis officiis cap. de infirmis*. Amalarius *lib. de Ecclesiastic. officiis, cap*. 12. Petrus Damiani *sect*.1 *de ædificatione templi*. Bernardus *in vita nostri Sancti Malachiæ*. Hugo Victorinus *lib*.2. *de Sacramentis, part*.15. *cap*.1.2. & 3. Magister cum omnibus Theologis *in præsenti distinctione*. Quia verò hæc veritas olim non fuit impugnata, ita non est mirum si Patres non ita frequenter eam exponunt, quam consuetudine notam supponebant, neque necessitas eam tuendi, aut explicandi fusiùs vrgebat, cùm ipsa littera Iacobi clarissima sit, eandem tam Ecclesia Græca, quàm Latina semper retinuerit in vsu. Vt patet ex Florentino, in quo receptum est decretum vnionis Armenorum, quod admissum fuit etiam à Græcis. Censura Ieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani in confessione Augustana admittit septem tantùm esse Sacramenta, non plura, neque pauciora, inter quæ enumerat extremam Vnctionem, sicut & reliqui Græci moderni. 9

Obiiciunt hæretici eandem esse vnctionem apud Marcum & Iacobum. 10

Obiectio.

Respondetur, negando assumptum, ex rationibus suprà præmissis. Dices, aliquos Patres coniungere has duas vnctiones. Respondetur, coniungere ex eo quòd vnctio Sacramentalis habeat quandoque effectum sanationis, si expediat animæ, & sic æquiparatur vnctioni, qua vtebantur Apostoli. Vnde Victor Antiochenus citans *in cap*.6. *Marci*, etiam auctoritatem Iacobi. *Oleum autem inter alia*, subdit, *& laborum molestias mitigat, & lumen fouet, & hilaritatem conciliat. Oleum igitur quod in sacra Vnctione adhibetur, & Dei misericordiam, & morbi sanationem, & cordis illuminationem denotat*, &c. Rectè etiam commemorant Patres vtramque vnctionem simul, quia Sacramentum quod in extrema vnctione

Satisfit obiectioni.

Proprietates olei.

vnctione consistit, fuit insinuatum, & præfiguratum in priori vnctione quæ legitur apud Marcum.

11 *Secunda obiectio. Solutitur.* Obiiciunt secundò: Iacobum vti verbis, quæ denotant salutem tantùm corporalem; vt ἐγείρω.

Respondetur, non solùm dicere Iacobum alleuiari infirmum; sed etiam remitti ei peccata, si in ipsis est. Vnde licèt illud verbum ἐγείρω, significet excitationem corporalem, aut eleuationem; hìc tamen pertinet ad animam, vt excitatur à torpore, somnolentia, mœrore, quæ propinquos morti grauant, quia confertur: ergo quibus, hæ molestiæ superantur patienter, & anima, iis non obstantibus, disponitur ad finem, rectè dicitur excitari, & alleuiari. *Alleuiat animam.*

Obiiciunt tertiò, illa verba Iacobi non pertinere ad alios, nisi suæ ætatis homines, doctrina autem de Sacramentis comprehendit etiam posteros.

Solutio. Respondetur, falsam esse maiorem, quia verba Iacobi continent doctrinam absolutam, & non limitatam, remissio enim peccatorum, non ad illos solos pertinet, qui tum viuebant, sed etiam ad posteros, sicut & verba præcedentia.

12 *Obiectio.* Obiiciunt quartò, quòd Iacobus moneat inungi quoslibet infirmos, nos autem inungimus solos moribundos; ideóque rectè appellamus extremam vnctionem Sacramenti.

Solutio. Respondetur Iacobum loqui iuxta ritum, & institutionem Sacramenti. Vnde in verbis ipsius non est necessarium singula exprimi, quæ per traditionem seruabantur. Deinde ex verbis Iacobi rectè insinuatur ritus, quem seruat Ecclesia: *Ritus.* quia dicit vocari debere Presbyteros ad infirmum, ac proinde supponit esse infirmum, qui per se nequit grauatus accedere ad Presbyteros, sicut contingit in aliis Sacramentis, quæ ministrantur in Ecclesia. Nostra præterea vnctio, de qua loquimur, dicitur extrema respectiuè ad alias vnctiones, quæ fiunt in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quamuis dici sic etiam commodè respectu subiecti extremè laborantis possit. *Dicitur extrema.*

13 *Obiectio.* Obiiciunt quintò, ritum vngendi desumptum fuisse partim ab Hæreticis Valentinianis, partim ab Ethnicis, de illis agit Irenæus *lib. 1. c. 18.*

Solutio. Ritus hæreticorum diuersus. Respondetur, diuersos esse ritus: nam Valentiniani vngebant iam defunctos, vt constat ex Epiphanio *hæres. 37.* & vngebant oleo aqua permixta, vt seruiret etiam pro Baptismo. Vtebantur etiam verbis quibusdam Hebraicis, & inauditis. Quantùm ad aliud de Ethnicis, nihil facit ad propositum, quia posset dici ritum baptizandi fuisse eodem modo desumptum ab Ethnicis, quia post mortem lauabant corpora defunctorum.

14 *Debet esse infirmi.* d *Vnctio hominis infirmi pœnitentis,* &c. Quòd esse debeat hominis infirmi patet ex dictis; videatur Doctor in litera. Quòd etiam sit pœnitentis patet, quia datur post viaticum, & supponit pœnitentiam, quæ est Sacramentum per se institutum, & necessariũ ad remissionem mortalium peccatorum; & vt suo loco diximus, *dist. 17.* præceptum pœnitentiæ obligat in fine vitæ, & periculo mortis. *Supponit pœnitentiam.* Pœnitentia ergo præmittenda est existenti in peccato mortali, vt patet ex omnibus locis, ex quibus necessitas pœnitentiæ adstruitur, quod nunc supponimus; ideóque illa particula *Pœnitentis* intelligitur respectiuè ad eum, qui habet mortalia peccata, quoad necessitatem, quoad venialia verò tantùm, non exigitur pœnitentia, quia remissio horum fit virtute ipsius Sacramenti. Reliqua quæ hìc dici possint, infrà explicabuntur de effectu huius Sacramenti.

Excludit Doctor infantes, qui non habent vsum rationis, & perfectè innocentes, qui non habent peccata venialia, vt Beata Virgo non habuit, vnde negaret Doctor consequenter hoc Sacramentum dari potuisse Beatissimæ Virgini. Contrarium huius docuerunt alij, quos *supra* citauimus, *dist. 4. quæst. 6.* vbi agitur de Baptismo Virginis in fine. *Nõ datur infantibus. An fuerit Virgo eius capax?*

Si dicas, potuisse habere alios effectus, vt gratiæ, alleuiationis, &c. in Beatissima Virgine, sicut fuit capax etiam Baptismi. 15

Respondetur, negando consequentiam, quia gratia quæ datur in hoc Sacramento est remissiua peccati, & supponit proinde subiectum capax esse pœnitentiæ, quæ non potuit esse in Virgine. *Negatiua pars sustinetur.* Baptismus autem habuit alios effectus, vt characteris, propter quos dari potuit, & gratia etiam quam confert Baptismus illi non repugnabat; vt aliàs dictum est *loco citato,* gratia autem huius Sacramenti habet annexam remissionem venialium, quæ aliàs non fuerunt deleta, vel saltem fuisse venialia, vt patet ex forma Sacramenti, quæ deprecatiua est, ipsius remissionis: *Disparitas inter Baptismum, & Vnctionem.* *Per istam sacram vnctionem,* &c. *remittat tibi Deus quidquid per linguam commisisti.* quæ verba supponunt peccatum fuisse, quæ forma verificari non potuit, circa Virginem, neque consequenter Sacramentum. Idem dicendum videtur de adulto baptizato in extrema infirmitate iam moribundo: quia remissio venialium in eo spectat ad Baptismum, & non sunt materia vnctionis, quæ limitatur ad peccata commissa post Baptismum; sicut & pœnitentia, cuius hæc est consummatiuum ex Tridentino in doctrina de extrema Vnctione.

Dices, alios effectus, vt alleuiationis animæ, & gratiæ augmentum conferri virtute Sacramenti; ergo eius est capax. 16

Respondetur, Sacramentum non posse conferre effectum, nisi ei, qui est capax veritatis formæ: quæ non potest verificari circa peccata deleta per Baptismum; neque consequenter conferri Sacramentum. In his ergo respicit Doctor ad veritatem formæ, vt determinat vnctionem, quæ sine forma nihil conferre potest. Quin etiam ad Orationem fidei, quæ intelligitur forma Sacraméti principaliùs, aliqui referunt hanc efficaciam, vt Victor Antiochenus *in Marci 6.* alludens ad verba Iacobi Apostoli. *Dici tamen potest,* inquit, *Orationem hæc omnia efficere, oleum autem eorum omnium quæ fiunt, externum tantùm Symbolum esse,* &c. saltem id constat nullum Sacramentum confici, aut conferri posse, sine sua forma.

Aliud ergo est alleuiationis, & gratiæ subiectum esse capax, aliud verò vt per hoc Sacramentum conferuntur, quando forma nequit verificari circa subiectum. 17 Vel aliter posset responderi, Sacramentum dare gratiam, cui annexa est remissio venialium, si insint, & sic non repugnare subiecto non habenti peccatum: quia significat remissionem peccati in *facto esse,* & cæteros effectus adiungit, si subiectum indigeat. *Pars affirmatiua probabilis.* Excludit præterea Doctor furiosos & amentes, nisi aliàs habuerint voluntatem præteritam

susci

suscipiendi Sacramentum, intelligit eos, qui non fuerunt semper tales.

18 *De subiecto vnctionis in quo fit.*

e *In determinatis partibus*, &c. Explicat benè hanc particulam, & septem vnctiones, quas etiam Florentinum enumerat. Dubitant aliqui si omnes sint essentialiter requisitæ, aut necessitate præcepti, vel si in aliqua determinata requiratur vnctio.

Requiri, vt fiat in quinque sensibus.

Quantùm ad primum communiter tenetur vnctionem quinque sensuum esse necessariam. Aliqui negant vnctionem renum, aut pedum necessariam esse etiam necessitate præcepti, potissimum in mulieribus causa honestatis. Doctor non tangit hoc punctum in terminis, videtur tamen insinuare omnes esse necessarias: quia absolutè loquitur, & sine limitatione. Deinde infrà §. *ista ratio posita completa est*, &c. vocat omnes septem vnctiones principales, & §. *alia vnctio*, &c. Concilium etiam Florentinum absolutè, & sine vlla limitatione loquitur. Et quoniam res est dubia, sequenda est praxis sanctæ Romanæ Ecclesiæ: sed respondent plures Theologi Concilium docuisse tantùm materiam, quæ ex ritu sanctæ Romanæ Ecclesiæ fuit in vsu. Et sic etiam intelligitur Doctor, neque debet de facili vsus, & praxis Ecclesiarum approbata vocari in dubium sine aliqua speciali Ecclesiæ declaratione expressa. Non probatur itaque mihi quod asserit noster Fauentinus disputatione vnica de hoc Sacramento, dubio extremo, vbi sequens rigorem verborum Concilij, & Doctoris, contendit omnes has vnctiones esse necessarias, & essentiales, præsumens omissionem vnctionis renum, & pedum in aliquibus Ecclesiis inductam esse ex sententia D. Thomæ, quod nequit esse verum: quia consuetudo antiquior esse videtur, & plures Doctores eam approbant, & ritus diuersi Ecclesiarum, & forma accommodata vnctioni sufficienter interpretantur institutionem huius Sacramenti, & quamcunque vnctionem, æquiualentem, & formam accommodatam sufficere.

Vnctio renum, & pedum non est essentialis.

19 *Ritus Græcorum.*

Quamuis autem ritus Ecclesiæ Romanæ tutissimus, & certissimus sit, Græci non inungunt renes; sed tantùm frontem, genas, mentum, qua vnctione comprehendunt vnctionem quinque sensuum. Vngunt prætereà pectus, manus, & pedes, vnctio pectoris denotat vnctionem cordis, ex quo exeunt praua desideria. Forma etiam Græcorum huic vnctioni accommodata, non exprimit aliquem sensum in specie, verbi gratia, *quidquid per visum commisisti*, &c. Sicut exprimit forma Latinorum; ex sensu autem formæ expresè, quæ denotat materiam, colligi rectè potest vnctio accommodata, quæ sufficiens erit, modò subiiciat materiam sufficientem formæ verbali, & vsitatæ.

Varij Ecclesiarum.

Eandem consuetudinem refert Albertus Magnus in hac distinctione in corpore, vbi ait diuersarum Ecclesiarum, & Ordinum diuersum esse vsum; quia in quibusdam Ecclesiis vnguntur loca plura, in aliis pauciora. Et in respõsione ad secundum dicit, in quibusdam Ecclesiis inungi tantùm extremitates, vt os, nares, oculos, & aures, in quibus sunt organa sensuum. Tamen alij præter hæc inungũt scapulas, & pectus, & renes, in quibus est delectatio venereorum.

20 *Ritus Ecclesiæ Herbipolensis.*

Nicolaus Serrarius *de extrema vnctione, cap. 9.* ait in Ecclesia Herbipolensi non inungi renes. Cæterùm quod ibi asserit, non requiri vnctionem in partibus determinatis; sed sufficere si vngatur aliqua pars corporis (quia nomine *carnis* seminarium vitiorum intelligitur consueto modo loquendi Scripturæ) non cohæret sententiæ scholæ communis, neque ritui Ecclesiarum, qui necessariò vngendos esse sensus docent; atque institutionem Sacramẽti id postulare affirmant; in quo conuenit Ecclesia tam Græca, quàm Latina, & formulæ, & orationes adiectæ ministerio Sacramenti, hoc ipsum insinuant, vt quibus benedicitur oleum, & orationes, quæ ante, & post inunctionem adiiciuntur, præterea forma, qua vtitur Ecclesia Romana, idem expresè significat, & congruum etiam est, & consonum aliis Sacramentis, quibus vnctio interuenit, quæ in determinatis partibus fit, vt confirmatio in fronte, vbi sedes est pudoris.

Serrarius singularis.

Debet fieri in partibus determinatis.

Fundamentũ Serrarij soluitur.

Neque ratio, quam pro hac opinione ex forma Ambrosiana, & Veneta, quæ non exprimunt determinatas partes, contrarium probat: quia licèt in forma non exprimatur aliqua pars determinata, non sequitur, quin vnctio fiat in parte determinata, aut pluribus. Vnde in Missali Ambrosiano in benedictione olei infirmorum id insinuatur: *Infunde*, inquit, *sanctificationem tuam huic oleo, vt ab his quæ vnxerit membra fugatis insidijs aduersariæ potestatis, susceptione præsenti olei, sancti Spiritus gratia salutaris debilitationem expellat, & plenam conferat sospitatem in nomine Domini Nostri Iesu Christi*, &c.

Ritus Ambrosianus benedicendi oleum.

21 *Ritus Mechliniensis.*

Dubium est, si plures vnctiones requirantur? Ratio huius dubij fundatur ex rituali Mechliniensi *cap. 9. de extrema vnctione*, vbi ex decreto, & sententia facultatis Louaniensis Theologorum ita decernitur: *In morbis contagiosis, & peste grassante, vt periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum, magis ad vnctionem expositum, aut detectum, dicendo, Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum, & tunc preces, quæ præmittendæ, & subiungendæ forent, poterunt in Ecclesia coram Venerabili Sacramento deuotè legi*, &c. Hoc decretum supponit requiri vnctionem alicuius organi sensus, & sufficere in casu necessitatis, vnum organum inungere.

Non requiri in casu vnctionem integram sensuũ

Confirmatur ex proportione ad Sacr. Pœnit.

Plures instantiæ possunt haberi ex proportione huius Sacramenti, ad Sacramentum pœnitentiæ, vt quòd confessio integra aliquando non requiratur, neque verbalis, quando non suppetit commoditas in præsenti periculo, sed sufficiunt nutus, aut signa, aut testimonium voluntatis præteritæ, si æger nequeat pro se respondere: ergo similiter congruum fuit, vt hoc Sacramentum ita institueretur, vt in casu necessitatis expressæ in decreto, & concurrẽtium infirmorum, vbi necessitas huius Sacramenti, & aliorum, præ multitudine languentiũ exposceret, vt ita ministrari possit in vna vnctione; quæ in tali necessitate esset sufficiẽs materia Sacramenti; quamuis aliàs non sufficeret, quia id præsumendũ videtur de diuina misericordia, vt institutionem vtilitati, & necessitati languẽtium accõmodarit, cuius in iis, quæ sæpissimè occurrunt, ratio habita fuit.

22 *Obiectio.*

Dices proportionem debere seruari in ipsa vnctione, seu materia proxima, vngendo omnes sensus leuiter, alioquin forma quæ verificatur ex praxi Romanæ Ecclesiæ (cuius illa de qua agimus est forma, etiam expresso sensu respe-

ctiuè ad vnctionem factam, non esset vera, aut proportionata.

Soluitur. Respondetur id quidem magis securum esset, & si fieret, tolleretur omnis difficultas decreti; aut si vnctio fieret eo modo, quo Græci vngunt in forma crucis, vngendo frontem, genas, & mentum. Cæterùm auctoritas sacræ facultatis, & Prælatorum illius Prouinciæ probationis loco mihi est. Et probatur vnctio illa sufficiens materia respectu formæ, vt profertur, & exprimitur in decreto; quia vnctio organi non ita præcisè requiritur, quin in loco vicino (cùm alioquin in ipso organo nequit, vt si persona careat organo, vel ex alia ratione congrua non possit organum inungi) facta non sufficiat, vt rituales docent & praxis.

Materiã præscriptam sufficere, neque derogare veritati formæ.

23 Deinde vnctio Græcorum talis est vt nullum in specie organum sensus inungat, sed per vnctionem factam in facie in modum Crucis, vt in fronte, genis, & mento comprehendat vnctionem organorum sensus. Et quantùm ad institutionem, materiámque sufficientem, & quantùm ad intentionem proportionatam Ministri: sic ergo in illo casu necessitatis quantùm ad institutionem, & etiam intentionem vngentis, vnctio illa in vno organo extenditur ad reliqua ob vicinitatem, & quia ex intentione vngentis sensus ille, vt pars pro toto substituitur, & non vt particularis, & seorsim extra casum, repetita accommodata forma inungi solet, dicendo, *quidquid per visum, verbi gratia, commisisti*, &c. Deinde forma ipsa collectiuè expressa, vt in decreto exprimitur, hunc sensum exponit, & non illum, quem aliàs repetita ad singulos sensus facit. Non est autem de ratione huius formæ, vt exprimat etiam sensus, vt patet in forma Ambrosiana apud B. Bonauenturam in præsenti distinctione. *Vngo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vt more militis vncti præparatus ad certamen aëreas possis superare potestates*, &c. Richardus, Paludanus, Gabriel vsum huius formæ Mediolani referunt.

Forma Ambrosiana.

24 Liber etiam Sacramentorum Venetus, vt refert Palacius in præsenti distinctione, approbatus à Leone X. habet hanc formam. *Vngo te oleo sancto, vt hac vnctione protectus, fortiter stare valeas aduersus aëreas cateruas. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, &c. Antiquus Codex Halitgarij, vt refert Serrarius, hanc formam habet. *Vngo te oleo sanctificato, vt more militum, & præparatus ad luctamen, aëreas possis superare cateruas*, &c. Forma etiam Græcorum, vt exponit Arcudius *lib. 5. de hoc Sacramento cap. 5.* consistit in illa deprecatione. *Pater sancte, medice animarum, & corporum, qui misisti vnigenitum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, omnem morbum sanantem, & à morte liberantem, sana quoque hunc seruum tuum, à corporali spirituali que infirmitate, qua continetur*, &c. Hæc sunt verba, quibus Græci vtuntur in actuali ministerio olei.

Forma ritualis Veneti approbati. *Forma Halitgarij.* *Forma Græcorum.*

25 Ex his formis & praxi antiqua Ecclesiarum, ex quibus sensus substantialis, seu essentialis formæ colligi licet sine præsumptione erroris, sequitur quòd non exprimat forma necessariò nisi vnctionem, non autem eam fieri in sensu. Neque forma Græcorum exprimit explicitè ipsam vnctionem, sed implicitè, quatenus adhibetur vt instrumentum curationis spiritualis, quæ ex natura actionis sufficienter cognoscitur; ergo ex natura, & essentia formæ non est, vt supponat vnctionem fieri in singulis organis, maximè in casu expresso Decreti; sed sufficit vt vnctio præmittatur, vel adiungatur in aliquo organo, quod aliis substituitur, sicut & in materia ablutionis Baptismatis, sufficit ad veritatem formæ enunciantis totum hominem ablui, vt forma exprimit ipsam ablutionem; sufficit, inquam, vt in aliqua parte principali abluatur. Similiter ergo ad veritatem huius formæ, quam exprimit Decretum, sufficit, vt vnctio fiat in aliquo organo, ad annunciandum vnctionem substantialem, vt importatur per formam, quantùm ad essentialem significationem, & quantùm etiam ad veritatem formæ huius particularis deprecatiuæ, qua postulatur remissio peccatorum, quæ per sensus omnes committuntur.

Forma veritas permanet non expressa sensu, aut vnctione. *Instantia ex forma Baptismi.*

Confirmatur tam ex verbis Iacobi, quàm etiam ex proportione, & similitudine huius Sacramenti ad Sacramentum pœnitentiæ, cuius est consummatiuum: efficaciam huius Sacramenti, vt alleuiat infirmum, & remittit peccata, præcipuè tribuit Iacobus orationi fidei, id est, formæ Sacramenti; *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*, &c. 26

Confirmatio *Ex Iacobo.*

Hæc verba magis exprimunt efficaciam orationis fidei, seu formæ Sacramenti, eique principaliùs tribuit effectum saluationis, quod & Victor Antiochus, suprà citatus, videtur asserere.

Efficacia primaria vnctionis in forma.

Deinde in hac seruat proportionem cum Sacramento pœnitentiæ, cuius præcipua vis consistit in forma, vt docet Florentinum, & Tridentinum, ideóque in casu, vt dictum est, valet sine integra confessione ad remissionem peccati. Neque refert si dicatur ideò pœnitentiam principaliùs consistere in forma, quia instituta est in forma iudiciali, cuius præcipua pars est sententia Iudicis: non ita se habet extrema vnctio: hoc, inquam, non refert, quia institutio explicanda est seruando proprietatem scripturæ, quæ eam docet: potuit enim Deus sic, vel sic instituere; sed qualis fuerit institutio de facto colligimus ex proprietate verborum; verba autem magis exprimunt efficaciam Orationis fidei, seu formæ, vel, vt ita dicam, principalius in ea consistere efficaciam huius Sacramenti, vt patet ex loco Iacobi.

Proportio ad Sac. Pœnitentiæ. *Pœnitentiæ virtus præcipuè in forma.*

Deinde ipsa forma magis explicitè continet effectum, quàm vnctio, licèt vtrique conueniat hæc efficacia. 27

Hoc ergo dato, seruatur proportio præmissa in casu Decreti, vt sicut forma pœnitentiæ sit principalis efficaciæ, ita & forma extremæ Vnctionis, & sicut ad pœnitentiam sufficit in casu confessio non integra in re, ad effectum remissionis omnium mortalium; ita etiam vnctio non integra omnium organorum sufficiat in casu necessitatis, vt forma deprecatiua, in qua principalis efficacia Sacramenti consistit, det effectum completum Sacramenti, nisi quis diceret sufficere simpliciter vnctionem vnius organi, etiam extra casum necessitatis ad effectum Sacramenti, licèt sic ministrans peccaret: tamen meliùs videtur dici ob communem auctoritatem Doctorum, & praxim, solùm in casu sufficere, neque decretum illud aliud importet,

quis

quia decernit tantùm in casu necessitatis, de reliquo supponens ordinarium modum ministrandi Sacramentum.

28 *Dubium.* Sed quid dicendum de ministro, An debeat sub conditione ministrare Sacramentum hoc modo, in illa Ecclesia, in qua viget Decretum?

Intentio Ministri qualis esse debeat. Respondet Suarez *disput.41. sect.3.* ita magis consultum esse: dubius enim manet circa decretum, an rectè subsistat, & an Sacramentum validè hoc modo ministretur propter communem sensum Scholæ, & praxim Ecclesiæ. *Debet esse absoluta ex regula Decreti.* Respondetur tamen, sicut non implicatur in decreto vlla conditio, sic etiam neque minister debet eam concipere in sua intentione: sed sequi debet formam decreti, conformando se Ecclesiæ, cuius est membrum, & quæ ministerium fieri absolutè præscribit, non sub conditione: nam sicut ex sententia D. Thomæ, & plurium Doctorum, ministrari potest Sacramentum cum absoluta intentione, omissis quibusdam vnctionibus, quæ sunt in vsu Ecclesiæ Romanæ (quia consuetudo aliarum Ecclesiarum particularium illas vnctiones non habet:) ita etiam consuetudo Ecclesiæ Belgicæ ex matura discussione proueniens, eandem auctoritatem sortitur, vt ex ea interpretemur valorem Sacramenti collati hoc modo in casu necessitatis tantùm.

29 *Sententia quorũdam de efficacia primæ vnctionis.* Vel certè si quis dicat primam vnctionem prolata forma Sacramenti tribuere totum effectum, tunc illa erit essentialis, reliquæ tantùm integrales, & necessitate præcepti addendæ, cui præualet in casu necessitatis consuetudo contraria, & ipsa necessitas, ex qua emanauit. *Casus excludit conditionem quandoque.* Vnde sicut Sacerdos debet, & potest ministrare hoc Sacramentum agonizanti, de quo dubitat, si superuicturus sit vsque ad tempus, quo omnes vnctiones in sensuum organis finiantur, nec propterea desistere debet, aut concipere intentionem sub conditione si ille victurus sit, donec perficiatur talis vnctio, saltem in sensibus, ita posset hinc interpretari quamcunque vnctionem, vel in vnico tantùm sensu prodesse infirmo, aliàs non liceret ministrare Sacramentum ei, quem statim præsumit expiraturum. *Moribundo ministranda sine conditione.* Hæc ergo praxis non parùm fauet Decreto: nam si integra vnctio sensuum esset essentialis materia, non videtur posse attentari ministerium Sacramenti, quando præsumitur periculum probabile non perficiendi, quæ sunt de essentia eius.

Sanctus Thomas, & alij Doctores asserentes vnctionem in sensibus integram esse necessariam, non verò in reliquis, fundantur præcipuè in praxi Ecclesiarum, in quibus vnctio integra in sensibus datur, non ita reliquæ, & sic præsumunt reliquas non esse essentiales, illas verò sic. Perinde ergo interpretari licet ex illa praxi, qua ministratur agonizanti, qui iam præsumitur moriturus, dari in casu completum Sacramentum.

30 *Probatio ex ritu.* Deinde, ratio ipsa desumpta ex modo, & ritu ministrandi Sacramentum idem confirmat, quia ad singulas vnctiones dicitur forma Sacramenti ex vsu Ecclesiæ Romanæ: ergo supponit in singulis vnctionibus esse necessariam, & sufficientem materiam; aliàs non posset integra forma dici, nisi in sensu Sacramentali, in quo est efficax, & supponit materiam requisitam, & *Repetitio formæ supponit in singulis vnctionibus materiam.* essentialem. Et hoc supponit Doctor responsione ad secundum, dicens hoc Sacramentum non esse vnum vnitate indiuisibilitatis, sed integritatis, & habere partiales effectus.

Si autem vnctio omnium organorum esset materia essentialis perficienda ante collatum effectum Sacramenti, sequeretur Sacramentum esse formaliter vnum vnitate indiuisibilitatis: quia sensus Sacramentalis nequiret perfici, seu ipsum Sacramentum, nisi completa materia essentiali requisita. *Vnctio est vna integraliter.* *Ab inconuenienti.* Sicut in Baptismo, licèt tres immersiones adhibeantur, tamen in ratione materiæ Sacramentalis censetur vna ablutio respectiuè ad formam, quæ non finitur ante tertiam ablutionem: si autem proferatur forma ad primam solam ablutionem, illa erit Sacramentalis tantùm, & non reliquæ.

Sic ergo se habet materia vnctionis, vt præmissa vnica saltem in illo casu Decreti forma integrè possit proferri, quia illa vnctio substituit sufficientem materiam respectu formæ; in qua non requiritur expressio sensuum, aut partium, vt patet ex dictis, essentialiter, sed tantùm vnctionis ad Summum, & effectus Sacramenti, vt ex forma Græcorum Ambrosiana, Veneta, & Hatilgarij citata patet, quæ æquiualet formæ Ecclesiæ Romanæ, quæ, licèt sit expressior quantùm ad organa, & partes in ipsa comprehensas, tamen si sine iteratione proferretur in quantùm deprecatiua est, exprimendo solùm vnctionem cum effectu remissionis peccatorum, nihil obstare videtur, quin esset efficax, sicut aliæ formæ, quæ in hoc æquiualent, licèt non exprimant sedes, vel instrumenta particularia, quibus peccatur, neque adhibent vnctiones in omnibus partibus, in quibus ex ritu Romano adhibetur. 31 *Instantia applicatur.*

Ex quibus colligitur expressionem partium, seu organorum non esse de essentia formæ Sacramenti, neque ad veritatem eius requiri, vt in singulis partibus, quæ in ipsa forma exprimuntur, fiat vnctio, quod concedit Suarez quantùm ad vnctionem lumborum, & sequitur ad præmissam sententiam, quæ solùm requirit vnctionem sensuum. Hoc non obstante forma illa non esset falsa, quamuis non comprehenderet partes non inunctas, quia significatio eius principalis refertur ad remissionem omnium peccatorum absolutè, & expressio organorum, aut partium, in quibus viget radix peccati, se habet materialiter quantùm ad sensum primarium formæ, qui refertur absolutè ad peccata commissa, materialiter autem ad partes, seu instrumenta peccandi: aliàs aliæ formæ iam præmissæ non essent sufficientes, quæ non exprimunt hæc, & habent efficaciam remissionis peccatorum commissorum in iis partibus, quæ non vnguntur. 32 *Expressio organorum non est de essentia formæ.* *Significatio primaria formæ.*

Ergo similiter est vera forma illa in Decreto præscripta, quamuis non præmittatur vnctio, nisi in vno tantùm organo modo dicto, quia exprimit materiam proximam, & effectum vniuersalis remissionis, deprecatiuè, neque comprehendit aliquam particulam quæ non subsistat, quoad sensum, & veritatem, quamuis non exprimat vnctionem fieri in singulis partibus, neque requiratur. Ac proinde intentio ministri ea vtentis non debet implicare conditionem expressam vllam, sed debet esse absoluta. Doctores autem scholastici explicantes natu- 33 *Explicantur Scholiastici.*

ram

ram huius Sacramenti, & definientes eius essentialia, sequuntur ritum Ecclesiæ Romanæ in iis, in quibus non discordat ritus aliarum Ecclesiarum, illud asserentes esse de essentia Sacramenti, in quo conueniunt ritus Ecclesiarum, illud, in quo discordant, non esse essentiale, neque aliam regulam certiorem habere poterant, cùm nulla particularis declaratio Ecclesiæ extet in contrarium, vsus autem Ecclesiarum communionis Catholicæ permissus censetur fundatus, quod in proposito casu dicerent, si vidissent Decretum & praxim Ecclesiæ Belgicæ.

In reliquo huius paragraphi declarat optimè Doctor congruentiam vnctionum in determinatis partibus.

SCHOLIVM.

Materiam extremæ vnctionis esse oleum oliuarum ab Episcopo consecratum. Prima pars patet ex loco Iacobi, & vtraque pars ex Florentino Decret. Eugen. Trident. sess. 14. de extrem. vnction. cap. 1. & D. Thom. hîc quæst. 1. art. 2. D. Bonauent. art. 1. quæst. 3. Paludan. quæst. 1. Durand. quæst. 2. Quare Victoria summ. num. 216. vitandus est, quòd dicat non requiri necessariò benedictionem. An verò per Presbyterum ex commissione Papæ benedici possit oleum, non est certum: sed multi aiunt, multique negant, tam hîc, quàm agentes de materia confirmationis. Explicat formam, quæ est deprecatiua, quam ponunt Florent. & Trident. supr. An autem sufficeret indicatiua, non conuenit.

5 *Materia extremæ vnct. non petit balsamum.* SEquitur, *Cum oleo* [f]: nec oportet ibi esse aliquid confectum ex oleo & balsamo, vt in materia confirmationis; quia confirmatio est ad confessionem, & confirmationem fidei: & ideò in confirmato requiritur non tantùm puritas conscientiæ significata per oleum; sed odor bonæ famæ significatus per balsamum. Sed hîc, qui habet exire in breui de vita ad terminum, sufficit conscientia pura. Consecratio [g] autem Episcopalis est necessaria ad hoc, vt sit materia apta; quia communiter in Sacramentis consistentibus in vsu, solus Baptismus non requirit materiam specialiter consecratam; quia Christus tactu mundissimæ carnis suæ, quando voluit à Ioanne baptizari, totam aquam consecrauit, hoc est, in vsum istum dedicauit.

Quod autem sequitur [h], *ministrata à Sacerdote*, exprimit ministrum idoneum, non solùm qui licitè exerceat, sed qui solus Sacramentum ministret, ita quòd si alius attentaret, nihil facit; sicut si non Sacerdos attentet conficere, nihil facit. Determinatio autem huius ministri habetur per illud Iac. 5. *Inducant Presbyteros.*

6 Quæ sequuntur [i], *verba debita, & simul cum intentione debita proferente*, pertinet ad formam huius Sacramenti, & simultatem eius cum materia, & intentione ministri. Simultas, & intentio exposita sunt satis suprà in materia de Baptismo. Forma autem hæc septuplex ad 7. vnctiones principales est. *Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, parcat tibi Dominus quicquid narium, linguæ, tactus, vel huiusmodi vitio deliquisti.*

Forma extremæ vnctionis, & est deprecatoria.

Ista ratio posita completa est, quia continet susceptiuum; quia hominem pœnitentem infirmum, & hoc in partibus determinatis priùs expressis, & materiam remotam, scilicet oleum consecratum ab Episcopo; vel proximam, ipsam vnctionem factam cum oleo: & hoc septenariam principalem, & vndenariam, computando omnes partiales. Continet etiam formam, quia certa verba, id est, septem orationes à Sacerdote cum septem vnctionibus principalibus proferendas. Continet etiam ministrum, quia Sacerdotem, & hoc colligitur, vt dictum est Iac. 5. *vngentes oleo sancto, &c.*

7 *Ad arg. 1. d. 2. q. 1.* Ad primum dicitur hoc Sacramentum fuisse institutum à Christo, vt suprà patuit *dist. & quæst. prædictis.* Iacobus autem non erat nisi promulgator, siue præco huius Sacramenti à Christo instituti.

Ad 2. Extrema vnctio, qua vnitate est vnum Sacramẽtum? Ad secundum dico, quòd est vnum Sacramentum vnitate integritatis, sed non vnitate indiuisibilitatis; sicut effectus eius non est vnus indiuisibiliter; quia non remissio vnius venialis, sed vnus vnitate plenariæ remissionis omnium venialium, vt omnibus remissis nihil remaneat retardans à perceptione beatitudinis, quam nobis concedat, &c.

COMMEN

COMMENTARIVS.

34 *Materia remota oleum oliuarum.*

f *SEquitur, cum oleo*, &c. Nempe in definitione præmissa. In hac autem particula exprimitur materia remota huius Sacramenti, nempe oleum oliuarum simplex sine mixtura balsami: cuius congruentiam rectè Doctor assignat in litera: nam, vt de materia Confirmationis *suprà d.* 7. ostensum est ex Patribus, congruentiam mixtionis esse, vt ostendatur nitor conscientiæ, & odor famæ, ille per oleum oliuarum, hic verò per balsamum, & illa duo requiri in Christiano viatore in ordine ad Deum, & ad Ecclesiam, cuius est membrum; ita etiam exeunti è vita, & desinenti esse membrum Ecclesiæ militantis, sufficit bona conscientia in ordine ad Deum, cui soli subiicitur, & sic desinit congruentia mixtionis balsami.

Congruentia ex proportione significationis.

35 *Oleum oliuarum simplex.*

Debet esse oleum oliuarum, vt definit Florentinum, & communis Theologorum sententia tenet: & per *oleum* intelligitur communi modo loquendi, & proprietate Scripturæ oleum oliuarum simplex, quia illud est vsuale, sicut per aquam, quæ dicitur materia Baptismi, intelligitur naturalis per frumentum triticum. Accedit quòd Patres etiam proportionem ad significandum nitorem conscientiæ ad quem ordinatur hoc Sacramentum tanquam complementum pœnitentiæ, & totius vitæ Christianæ, tribuunt soli oleo oliuarum, cuius vsus est in Chrismate conficiendo.

Si admisceatur balsamus non derogat.

Non asserit Doctor simpliciter si balsamus admisceatur, tolli materiam Sacramenti; sed non requiri necessitate Sacramenti, *Nec oportet*, inquit, *ibi esse aliquid confecti ex oleo, & balsamo*, &c. supple non est necessarium. Congruentia etiam, quam adducit, non probat aliud: quia certum est Chrisma significare nitorem conscientiæ, vt *dist.* 7. probatum est: ergo non derogat mixtio illa balsami efficaciæ huius Sacramenti, & significationi, quæ desumitur ex proportione materiæ: quamuis non requiratur, neque etiam videtur antiquæ praxi fuisse contrarium aliquando ad hunc effectum vti Chrismate, quia Innocentius I. ita loqui videtur, & Concilium Aquisgranense videtur alludere ad Fabiani epistolam, in qua agit de confectione Chrismatis, dicens ex traditione Apostolica debere Episcopos feria quinta in Cœna Domini conficere oleum, in quo saluatio infirmorum creditur. Vide Suarez *disputat.* 40. *sect.* 1.

36 *Benedici debet ab Episcopo.*

g *Consecratio autem Episcopalis est necessaria*, &c. Declarat illam definitionis particulam (*consecratam ab Episcopo:*) huius congruentiam optimam subiungit, qua etiam vtitur D. Thomas, D. Bonauentura, Paludanus, Durandus in hac distinctione.

37

Dubitatur an hæc benedictio requiratur necessitate materiæ, & non solius præcepti. Negat Victoria requiri ad essentiam materiæ, *in summa de Sacramentis, num.* 216. Contrarium docet communis Theologorum, & patet ex Florentino, & Tridentino, quæ assignantes materiam essentialem assignant, & dicunt absolutè materiam huius Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum. Supponit Innocentius I. & VVormatiense, & Aquisgranense citata, traditio omnium Ecclesiarum, quæ non vtuntur nisi oleo benedicto. Hæc quæstio reducitur ad eadem principia, quibus *dist.* 7. probatur, necessariam esse benedictionem Chrismatis, vt sit materia idonea ad confirmationem.

Reijcitur contrarium.

In Ecclesia Græca benedictio olei fit à Presbyteris, vt docet Arcudius ex consuetudine antiqua: sed hoc idem per omnia dicendum est, sicut diximus de benedictione Chrismatis ex delegatione, quia minister ordinarius benedictionis huius est Episcopus, extraordinarius ex delegatione Sacerdos. Aliqui dubitant si benedictio olei fuerit determinata à Christo. Respondetur affirmatiuè, quia materia instituta est oleum benedictum, vt traditio & definitio Ecclesiæ docet. Quantùm autem ad formam benedictionis probabilius iudico, omissis opinionibus variis, hanc benedictionem quoad substantiam ex diuina institutione debere in specie esse proportionatam effectui, ad quem ordinatur oleum, ita quòd non quæcumque benedictio sufficeret, sed illa in specie, quacumque forma verborum concipiatur, qua designatur finis, & hoc etiam ex diuina institutione, modò autem exprimatur finis ad quem exorcizatur oleum, sufficit, forma verborum quæ determinatur ab Ecclesia, iuxta ritum receptum.

38 *Benedictio potest delegari Sacerdoti.*

Benedici est ex institutione Christi.

Qualis debeat esse.

h Quod autè sequitur: *Ministrata à Sacerdote*, &c. Hæc particula est de fide quantùm ad necessitatem ministri, excludendo omnes non Sacerdotes, ita communis Theologorum præter solum VValdensem *tom.* 2. *de Sacramentis, c.* 163. qui docet in necessitate ministrari posse à clerico inferiori, aut à laico. Patet conclusio ex Iacobo, Florentino, & Tridentino *can.* 3. *& can.* 4. de hoc Sacramento, quam indicant etiam Patres citati *suprà*. Potest à pluribus fieri hoc Sacramentum, quoad vnctiones, & formas partiales. Supplendo, si idem minister eas non perficiat, vt docent frequentiùs Theologi: quin etiam non improbabiliter Richardus *art.* 12. dicit posse à pluribus ministrari simul, ita vt vnus aures, alius oculos, proferendo formam inungat. Videatur D. Thomas, Richardus, Durandus, Soto, *in præsenti distinctione*, & alij.

39 *Sacerdos minister est.*

A pluribus potest conferri.

i *Quæ sequuntur, verba debita*, &c. Hæc particula continet formam Sacramenti, vt est in vsu Ecclesiæ Romanæ, quæ sine dubio est certa, & sufficiens. Alias formas superiùs assignauimus, vt Græcam, Ambrosianam, Venetam. Superest difficultas, an debeat necessitate Sacramenti hæc forma esse deprecatiua. Affirmat D. Thomas *hîc quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 2. & cum eo Capreolus, Sotus, & videtur magis recepta sententia. Contrarium docent Albertus *art.* 4. Richardus *art.* 1. *q.* 4. *ad* 2. Paludanus *quæst.* 1. *art.* 2. Durandus *quæst.* 3. *n.* 7. quamuis in dubium vocet si indicatiua & deprecatiua æquiualeant in rigore verborum.

40 *Forma Sacramenti.*

Dubium.

Deprecatiua.

De hac quæstione nihil hîc agit Doctor, sed supponit formam, quæ in vsu Ecclesiæ Latinæ deprecatiua est, sic etiam deprecatiua est forma Ecclesiæ Græcæ. Cæterùm non videtur præiudicandum Ecclesiis, & ritibus antiquis approbatis, maximè cùm forma Ambrosiana sit indicatiua, quia sicut in materia proxima huius Sacramenti, quantùm ad vnctionem in determinatis partibus, ex diuerso ritu Ecclesiarum admittuntur aliquæ vnctiones, quæ fiunt in Ecclesia Latina non esse essentiales necessitate Sacramenti; ita ex eodem motiuo non debemus præiudicare

Etiam nō deprecatiua valet.

care Ecclesiæ Ambrosianæ, & Venetæ, quæ vtuntur forma indicatiua; maximè, cùm illud rituale Venetum fuerit à Leone X. Summo Pontifice approbatum.

41 *Prima obiectio.* Obiiciunt primò ex D. Thoma, formæ Ambrosianæ verisimile esse, adiungi aliquam particulam deprecatiuam, in qua consistit forma; illam verò indicatiuam non esse formam, sed cæremoniam quandam.

Soluitur. Respondetur, Albertum antiquiorem habere indicatiuam, quam *suprà* expressimus, esse formam, quæ in Sacramento per modum formæ profertur. quod etiam asserit D. Bonauentura D. Thomæ coætaneus, & posteriores Doctores. quod maximè verisimile est, quia in forma vera, cuius vsus est, debet fieri vnctio: si ergo in Ecclesia Ambrosiana vnctio fiat simul proferendo illa verba, signum est locum formæ tenuisse. Sed hoc dubium eliditur in forma Veneta.

Secunda obiectio. Obiiciunt secundò. Florentinum & Tridentinum, quæ deprecatiuam formam proponunt.

Responsio. Respondetur Concilia proponere formam, quæ est in vsu Ecclesiæ Latinæ, & certam, non præiudicare tamen ritui aliarum Ecclesiarum, quem non corrigunt: quæcumque ergo forma æquiualens sufficit: talem esse formam Ambrosianam, & alias similes, præsumendum est, aliàs Ecclesia, & Concilia eam correxissent, cuius ignorantia prætendi nequit in tanta temporis diuturnitate, & maximè id constat in forma Veneti ritualis à Sede Apostolica approbati.

42 *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò. Formas indicatiuam, & deprecatiuam non esse æquiualentes.

Soluitur. Respondetur esse æquiualentes in sensu substantiali, quem intendit Christus, & differentiam esse tantùm grammaticalem: nam ad sensum substantialem sufficit, vt exprimatur ad summum efficacia Sacramenti, materia proxima, & effectus eius, quæ in prædictis formis explicantur.

Replica. Dices, orationem fidei, quam intendit Iacobus, esse intelligendam deprecatiuam.

Soluitur. Respondetur id non colligi ex verbis Iacobi, ita vt indicatiua non sit sufficiens, quia per orationem fidei intelligitur quæcumque forma sufficiens Sacramenti; & sic Patres loquuntur quandoque de forma Pœnitentiæ, quamuis nequeat esse deprecatiua, cùm sit exercitium potestatis iudiciariæ.

Quarta obiectio. Obiicies quartò congruentias, quas adducunt Doctores, probantes formam debere necessariò esse deprecatiuam. Prima congruentia est, quia hoc Sacramentum nullum habet effectum infallibilem, qui non possit impediri, vel propter obicem recipientis, si est effectus gratiæ, vel quia effectus ipse est indifferens, vt salus corporis, quæ non datur semper, quia non expedit.

43 *Responsio.* Respondetur hanc rationem non esse admittendam; quia, vt constat ex Tridentino *sess.* 7. *de Sacramentis in genere*, omnia Sacramenta legis nouæ conferunt suum effectum certò, & infallibiliter non ponenti obicem; nullum autem Sacramentum habet efficaciam tollendi obicem suum in quacúque forma detur: ergo quantùm ad effectum gratiæ, & infallibilem, eadem est efficacia extremæ vnctionis, sicut & aliorum Sacramentorum, quantùm ad illum effectum; quoad obicem tollendum non habet efficaciam, etiam vt ministratur in forma deprecatiua.

Efficacia Sacramentorum certa.

Non tollit obicem.

Alia cōgruentia. Secunda congruentia est, quia hoc Sacramentum datur extremè indigenti, & propriis viribus destituto, qui iam incipit exire de foro Ecclesiæ, & in solius Dei manibus constitui; & ideò conuenienter debet orationibus Ecclesiæ adiuuari, Deóque commendari.

Soluitur. Respondetur hoc Sacramentum dari viatori, & constituto sub potestate Ecclesiæ, de quo non est dubium: quia Sacramenta sunt instituta in remedium viatoribus. Deinde Sacramentum operatur suum effectum in virtute meritorum Christi, & non Ecclesiæ. Orationes etiam Ecclesiæ applicantur in benedictione materiæ Sacramenti, & in formulis precum, quæ ante, & post Sacramentum adiunguntur, & in formula commendandi animam. Vnde, sequitur hanc congruentiam non probare formam Sacramenti debere necessariò esse deprecatiuam.

Datur viatori Sacramentum.

Operatur ex meritis Christi.

Tertia congruentia, quia hoc Sacramentum ordinatur per modum indulgentiæ ad obtinendum id, quod in iudicio pœnitentiæ obtineri non potuit per modum iustitiæ, propter imperfectam hominis satisfactionē, aut dispositionem. 44

Tertia congruentia.

Responsio. Respondetur operari Sacramentum effectum suum ex propria institutione, ex qua habet præcisè applicatum valorem meritorū Christi, non verò applicantur per clauem potestatis eo modo, quo dispensantur indulgentiæ. Vnde hæc ratio non conuincit intentum, quamuis enim ostendant præmissæ rationes congruentiam formæ deprecatiuæ, tamen non probant necessitatem, ita vt indicatiua sit nulla.

Causa per modū Sacramenti.

Si dicas, misericordiam operari in hoc Sacramento solùm, in aliis etiam partim iustitiam, vt in Sacramento Pœnitentiæ, ac proinde hîc congruit formam esse deprecatiuam. Admitto differentiam vtriusque Sacramenti hanc esse: sed etiam misericordia applicatur tota in Baptismo, & sola, si meritum subiecti attendatur, quod nullum est. Si autem loquamur de meritis Redemptoris, sic iustitia in quolibet Sacramento operatur, quia in meritis Christi habent efficaciam, vt à causa meritoria. Quamuis ergo formula Ecclesiæ Romanæ sit optima & maximè congrua, cui cohæret forma Græcorum, quæ etiam datur per modum deprecatiuæ. Non debemus tamen aliis Ecclesiis præiudicare, donec certior aliqua declaratio hac in re emittatur ab Ecclesia, cùm ex approbatione Leonis X. suppetat argumentum de valore formæ indicatiuæ, ac proinde per eam seruari institutionem Christi; & adduci possunt ea, quæ de forma Confirmationis suo loco disseruimus *dist.* 7.

Misericordia, & iustitia operantur in Sacramentis.

Ex institutione diuina significans, &c. Hanc particulam non explicat hîc Doctor, quia suprà *dist.* 2. *q.* 1. *conclus.* 2. docuit omnia Sacramenta nouæ legis instituta esse à Christo, & in specie reprobat modum dicēdi eorum, qui dicunt pœnitentiam, & extremam vnctionem instituta esse à Iacobo Apostolo. Hîc etiam responsione ad primum docet hoc Sacramentum fuisse institutum à Christo Domino. Fuit contraria sententia Hugonis *lib.* 2. *de Sacramentis*, quem secutus est Magister *in hac dist.* D. Bonauentura, Alensis 4. *q.* 8. *memb.* 2. *art.* 1. Altisiodorensis *lib.* 4. *Sum. tract.* 7. *cap.* 1. 45

Institutū Sacramentum à Christo.

Aliqui negāt.

Prior sententia est de fide, & cōmunis Theologorum. Patet ex Tridentino *sess.* 7. *de Sacramentis in genere, can.* 4. *& sess.* 14. *de hoc Sacramento, can.* 1. *& cap.* 1. Hæc difficultas in genere est probata *d.* 2. *cit. & dist.* 1. *q.* 2. de tempore autem institutionis

Affirmatiua sententia definita.

Tempus institutionis.

stitutionis non ita constat. Superiùs ostensum est non fuisse institutum, *Marci 6.*(quamuis aliqui authores contrarium affirment)sed insinuatum, vt dicit Tridentinum; quo modo intelligi debent, quæ dicit obiter Doctor, *dist.2. qu.1.cit.* faciens mentionem illius vnctionis,quà vtebantur Apostoli, *Marci 6.* nam in hac quæstione, in qua per se agit de hoc Sacramento, argumentum ex Scriptura desumptum, reducit tantùm ad locum Iacobi, quem dicit in responsione ad primum huius quæstionis, fuisse promulgatorem, seu præconem Sacramenti à Christo instituti, non quòd solus fuerit promulgator, sed quia in libris Canonicis solus de hoc Sacramento reliquerit testimonium.

Efficaciter significans curationem finalem venialium, &c.

46 *Effectus Sacramenti. Triplex est.* Hæc clausula continet effectum Sacramenti, quem etiam in prima conclusione expressit, & in responsione ad secundum. Tres effectus numerantur in genere huius Sacramenti, nempe alleuiare infirmum, sanare corpus, si expediat, & remittere peccata, patent ex Iacobo. *Controuersia circa effectum remissionis.* Circa hos effectus, qui consistunt in alleuiatione, & remissione peccatorum, est controuersia inter Scholasticos, quis sit effectus principalis Sacramenti, an gratia remissionis venialium, an aliud?

Prima sent. Prima sententia est,hoc Sacramentum primariò institutum esse ad tollendas reliquias peccatorum, ita D. Thomas in præsenti distinctione, (D. Thomas.) quem sequitur Capreolus, Sotus, tenuit etiam Albertus art. 1. & 2. & plures alij suæ scholæ; *Reliquiæ peccatorum.* per reliquias autem peccatorum aliqui intelligunt peccata siue mortalia, siue venialia, quæ non sunt remissa per alia Sacramenta. Alij intelligunt reatum pœnæ temporalis. Alij prauos habitus. Alij pronitatem ad peccandum, torporem, & difficultatem benè operandi.

Sententia Doctoris & aliorum. Secunda sententia est Doctoris, nempe effectum primarium huius Sacramenti esse remissionem peccatorum venialium. quam tenet D. Bonauentura *art. 1. quæst. 1.* Richardus *art. 1. quæst. 5.* Alens. 4. *part. quæst. 5. memb. 7. art. 2.* Altisiodorensis *lib. 4. Sum. cap. de extrema vnctione quæst. 1.* Durandus *in hac dist. qu. 1.* Gabriel *in supplemento quæst. 2. cap. 2.* Maior *quæst. 1.* Carthusian. *quæst. 2.* Nauarr. *cap. 22. num. 13.* asserens esse communem, quam plures alij etiam docent.

Modus remittendi. Circa modum remissionis aliqui docent hoc Sacramentum remittere venialia inquantùm excitat ad eorum detestationem formalem, aut virtualem. Ita D. Bonauentura, Durandus, Vignerius *in Summa cap. 16.* Alij dicunt remitti virtute huius Sacramenti etiam immediatè sine vlla dispositione, quod magis conforme est veritati, & Doctori.

Sententia Suaris. Tertia sententia est Suarez, qui docet effectum primarium huius Sacramenti esse confortare animam infirmi contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis, inquantùm dat robur; secundarium verò effectum esse disponere animam ad ingressum gloriæ. Ita *disp. 41. sect. 1.*

47 *Prima concl.* Prima conclusio. Effectus primarius huius Sacramenti non est tollere reliquias peccatorum, vt hæ reliquiæ distinguuntur ab ipsis peccatis, tanquam aliquid diuersum à macula peccati. Probatur in primis, quia vel illæ reliquiæ peccatorum essent pœna temporalis debita peccatis remissis;sed hæc pœna non tollitur nisi per opera satisfactoria hìc, aut in altera vita per passionem purgatorij,vt constat ex iis, quæ Tridentinum docet *sess. 14. cap. 8. & 9.* & fusiùs ex dictis *suprà* de hac materia satisfactionis *dist. 15.* neque vllum Sacramentum est per se institutum ad deletionem huius pœnæ, præter solam pœnitentiam, ad quam spectat hanc pœnam ordinare per opus pœnitentiale iniunctum. *Non tolli pœnam temporalem per Sacramentum vnctionis.*

Secundò, idem probatur quoad habitus vitiosos physicos, qui virtute Sacramenti non delentur, vt patet in conualescentibus, neque tales habitus sunt materia alicuius Sacramenti saltem primaria, sicut neque fomes tollitur virtute etiam Sacramenti:neque habitus illi,neque fomes impediunt ab ingressu gloriæ, à quibus ipsa gloria renouat. *Non tolli habitus vitiosos physicos.*

Tertiò, neque reliquiæ peccatorum rectè dicuntur ipsa peccata mortalia,aut venialia relicta post alia Sacramenta, aut de nouo commissa: quia Tridentinum distinguit inter hos effectus Sacramenti *cap. 2.* nempe inter delicta, si qua expianda, & reliquias peccatorum, neque propriè peccata dicuntur reliquiæ peccatorum vt discernitur inter peccata, & reliquias. *Alius modus reiicitur.*

Secunda conclusio, effectus principalis huius Sacramenti non est roborare infirmum contra difficultates extremas: est contra eandem sententiam, vt explicatur à Suarez, Probatur, effectus Sacramenti primarius est in aliqua iustitia habituali, & effectu sibi connexo, qui statim absoluta forma, & materia confertur; sed alleuiatio animæ contra difficultates, quæ occurrunt ex morbo, aut ex tentationibus Dæmonis, quæ in exitu occurrent, fit per gratiam actualem, cuius est excitare, & alleuiare animam per lætitiam spiritualem, & fiduciam diuinæ misericordiæ: hi enim sunt effectus gratiæ actualis, & non habitualis, cuius non est præuenire voluntatem; sicut gratia excitans præuenit: ergo non in hac consistit effectus primarius huius Sacramenti. Maior patet ex communi doctrina de effectu Sacramentorum. Minor probatur ex Tridentino, quod hunc effectum refert in solam excitationem, docens modum quo alleuiatur anima. *Et ægroti animam*, inquit, *alleuiat, & confirmat* (subiungit modum) *magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus subleuatus, & morbi incommoda, & labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit*, &c. 48 *Secũda concl.* *Effectus primarius Sacramenti est gratia habitualis.* *Alleuiatio fit per gratiã actualem.*

Secundò, effectus Sacramenti primarius est certus, & infallibilis, & omnibus confertur; sed extrema vnctio sæpè confertur iis, qui amiserunt vsum sensus, & voluntatis, in quibus pro eo statu nequit esse vlla excitatio voluntatis ad actum secundum:ergo effectus primarius Sacramenti non consistit in illa excitatione præcisè. 49 *Secunda ratio. Ex certitudine & capacitate effectus Sacramenti.*

Confirmatur, non magis conuenit huic Sacramento roborare excitando ad spem, & fiduciam diuinæ misericordiæ, quàm viatico confortare ad perseuerantiam in charitate, & gratia, quam recepit, vel etiam pœnitentiæ finali confortare ad pacem conscientiæ, & serenitatem cum spiritus consolatione, ex quibus etiam nascitur fiducia diuinæ misericordiæ principaliter, quoad *Confirm. Inductione ex aliis.*

 vitam

vitam anteactam, & remissionem peccatorum; sed effectus primarius horum Sacramentorum in his non consistit, sed in gratia habituali: ergo similiter dicendum est in proposito. Ex quibus patet ad fundamentum præfati authoris ex Tridentino, & aliis.

50 *Fundamentũ fiduciæ.* Admittimus enim hoc Sacramentum institutum esse ad finem superandi tentationes in exitu vitæ, & ad confortandum animam infirmi contra easdem, per fiduciam diuinæ misericordiæ, quæ non solùm fundatur in virtute huius Sacramenti, sed magis in virtute aliorum, & speciatim pœnitentiæ, per quam applicatur misericordia ad remissionem peccatorum, quæ damnationem inferunt, vt sunt mortalia, cuius pœnitentiæ & vitæ Christianæ hoc Sacramentum est consummatiuum, & eius efficacia, quantùm ad gratiam actualem consistit in excitatione illius fiduciæ, & resistentia contra tentationes, & alias molestias, à quibus alleuiatur anima in eo statu per auxilium gratiæ actualis, quod tempore opportuno datur, nisi infirmus ponat obicem.

Cæterùm quia effectus Sacramenti primarius in gratia habituali consistit, quæ statim datur si dignè recipiatur Sacramentum, & à qua ipsum Sacramentum in *esse* signi practicè primariò recipit veritatem, ille erit effectus primarius Sacramenti, iuxta ea quæ ei competunt, quando infunditur; quis autem sit hic effectus gratiæ habitualis, patebit ex sequenti; oportet ergo ad veritatem practicam Sacramenti saluandam, vt in vltimo instanti completi Sacramenti infundatur effectus eius, quando subiectum est capax, hoc autem non contingit de effectu gratiæ actualis, quæ tempore congruo datur, vt est robur contra tentationes, quando vrgent infirmum agonizantem.

51 *Tertia concl. Effectus primarius Sacramenti.* Tertia conclusio, effectus primarius huius Sacramenti est gratia habitualis, vt habet annexam remissionem peccatorum venialium per se, an autem mortalium, postea videbimus. Hæc est Doctoris, & magis communis.

Ratio. Ex forma expressione. Probatur, ille est effectus primarius huius Sacramenti, qui exprimitur per formam Sacramentalem; sed remissio peccatorum exprimitur per formam, qua vtitur Ecclesia Romana, & Græca: ergo hæc remissio est effectus primarius Sacramenti. Minor patet ex vtraque forma. Maior probatur, quia forma Sacramentorum exprimit effectum Sacramenti primarium, quia expressior est in significando. Et patet discurrendo per reliqua Sacramenta: ergo idem dicendum est in hoc Sacramento.

Secunda ratio. Trident. Secundò, hunc primum effectum statuit Tridentinum *cap.* 2. de effectu huius Sacramenti. *Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac reliquias peccati abstergit*, &c. Secundo autem loco statuit alleuiationem animæ per excitationem fiduciæ in diuina misericordia, & *canone* 2. eundem ordinem seruat. *Si quis dixerit sacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos*, &c. *anathema sit*; in quo definitur dari gratiam habitualem in hoc Sacramento, & mox subiungitur tanquam proximus effectus illius gratiæ, remissio peccatorum.

52 *Catechismus Romanus.* Item Catechismus Romanus de hoc Sacramento: *Docebunt igitur pastores hoc Sacramento gratiam tribui, qua peccata, & in primis leuiora quidem, & vt communi nomine appellantur, venialia remittit: exitiales enim culpæ pœnitentiæ Sacramento tolluntur: neque enim hoc Sacramentum primario loco ad grauiorum criminum remissionem institutum est; sed Baptismus tantùm & Pœnitentia vi sua id efficiunt*, &c. Ex Concilio, & forma Sacramenti colligitur dari gratiam remissiuam peccatorum tanquam effectus primarius, & immediatus extremæ vnctionis. Et hoc loco declaratur illa peccata primariò intelligi venialia, & per se, non autem mortalia: quia hæc per se spectant ad Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ. Vnde & rituale Romanum de hoc Sacramento prohibet illud dari peccatori manifesto, qui scilicet noscitur esse in peccato mortali: ergo remissio peccatorum intelligenda est primariò de venialibus. *Rituale Romanum.*

Probatur ratione: hoc Sacramentum est consummatiuum pœnitentiæ, vt dicit Tridentinum, nempe eo modo, quo confirmatio dicitur complere, aut consummare Baptismũ: ergo supponit, per se loquendo, pœnitentiam validam in re, aut æstimatione. Consequentia probatur; quia pœnitentia est medium necessarium ad salutem existenti in peccato mortali, vt patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1. *& cap.* 4. & aliàs probatum est. Si loquamur de perfecta contritione, non remittit peccatum nisi in voto Sacramenti Pœnitentiæ. si de attritione, non remittit per se peccatum, nisi vt coniungitur Baptismo & Pœnitentiæ Sacramento. Quòd si remittatur per accidens in aliquo Sacramento viuorum, requiritur necessariò bona fides: ergo nequit remitti peccatum mortale per se, nisi per Baptismum & pœnitentiam: ergo hic effectus per se non competit extremæ vnctioni. Probatur consequentia, quia vsus Ecclesiæ, & ritus ministrandi hoc Sacramentum supponit Pœnitentiam veram, aut præsumptam ante hoc Sacramentum. 53 *Ratio ex necessitate Pœnitentiæ. Est medium necessariũ ad salutem.* Trident.

Deinde, quodlibet Sacramentum potest applicari in ordine ad proprium effectum per se eius: ergo infirmis per se hoc Sacramentum ministrari potest non præmissa pœnitentia, si effectus per se eius esset remittere mortale, & consequenter præmitti deberet viatico contra ritum Ecclesiæ; quo securius in statu gratiæ reciperet Sacramentum Eucharistiæ. Vel præmissa sola vnctione posset ministrari viaticum peccatori sine pœnitentia contra determinationem Ecclesiæ, & Tridentini *sess.* 13. *cap.* 7. quia ad fructum & dignam sumptionem Eucharistiæ non requiritur nisi status gratiæ, qui acquiri potest per Sacramentum Vnctionis, si per se institutum est ad remissionem cuiuscunque peccati siue venialis, siue mortalis. 54 *Supponit pœnitentiam.* Trident.

Præterea, non obligaret præceptum pœnitentiæ finalis contra omnes, si hoc Sacramentum haberet per se efficaciam ad remissionem peccati mortalis, sicut de fide est habere efficaciam remittendi peccata, prout docet Iacobus, & Tridentinum, & communis Doctorum, quidquid intelligatur nomine peccatorum, siue venialia, siue etiam mortalia, siue reliquiæ peccatorum. De fide, inquam, est Sacramentum habere efficaciam circa peccata. Probatur sequela, quia quando duo remedia ordinata sunt per se ad eundem effectum, quorum quodlibet est efficax, neutrum eorum dicit necessitatem medij, si vtrumque est remedium lege ordinaria, & sine vlla subordinatione præscriptum, neutrum determinatè *Æquiualentia non habẽt determinatã necessitatem.*

determinatè obligat, verbi gratia, ad remissionem peccati venialis est Sacramentum Pœnitentiæ: sunt & alia plura remedia, vt docet Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. & ideò necessitate remissionis peccati venialis, non magis tenetur quis vnum adhibere, quàm aliud. Dixi plura remedia lege ordinaria statuta, & non subordinata, vt excludatur instantia de Sacramento in re, & voto, quia remissio data per Sacramentum in voto subordinatur ipsi reali Sacramenti susceptioni ex lege.

Trident.

Ratio limitationis.

55 Sed neque Pœnitentia in sua efficacia subordinatur extremæ Vnctioni, neque extrema Vnctio Pœnitentiæ quoad effectum per se vnctionis, cùm sit vltimum Sacramentum exituri è vita, & statu viatoris; neutrum etiam operatur effectum in virtute alterius, sed ex propria institutione vtrumque est remedium lege ordinaria institutum ad suum proprium, & per se effectum: ergo si extrema Vnctio ex sua institutione remittit peccatum mortale, tollitur necessitas Pœnitentiæ in extremo in ratione medij, & præcepti.

Probatur consequentia: quia obligationem pœnitentiæ in peccatore, & in extremis colligunt Doctores vt plurimùm ex præcepto naturali, quo quis tenetur prouidere saluti in eo tempore, quod supremum est viatori; sed prouideret sufficienter per extremam Vnctionem, si effectus eius ex institutione esset delere omnia peccata etiam mortalia in eo statu, & fine vitæ. Imò quod amplius est, securiùs per extremam Vnctionem prouideret; quia hoc Sacramentum non exigit dispositionem peccatoris aliã, quàm fidem, & spem, per se loquendo; quinetiam datur iis, qui non sunt compotes suiipsius, & in iis habet effectum ex opere operato: ergo posset dari peccatoribus in ordine ad hunc effectum, quos Ecclesia nouit esse impœnitentes; quod omnino absurdum est, & contra ritum Ecclesiæ, qui supponit necessitatem pœnitentiæ ante hoc Sacramentum: *Fuit enim pœnitentia hominibus*, inquit Trident. *qui se mortali aliquo crimine inquinassent quouis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria.* Ita *cap.* 1. & idem *cap.*4. vbi docet: *fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum. Ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, cum voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur*, &c. & infrà docet contritionem perfectam non iustificare, nisi cum voto Sacramenti Pœnitentiæ, neque imperfectam sine ipso Sacramento. Eadem est doctrina Concilij *sess.6.cap.*14. de necessitate Pœnitentiæ ad recuperandam iustitiam per peccatum post Baptismum amissam: si ergo extrema Vnctio haberet ex propria institutione hunc effectum, rectè posset administrari peccatori impœnitenti, & saltem extra sensum constituto, cùm tum non posset pœnitentiam agere, neque ad effectum huius Sacramenti requiritur pœnitentia formalis, loquendo de effectu per se eius.

Obligatio pænitētia in extremis.

Trident.

Necessitas Pœnitentia.

56 His itaque suppositis de necessitate pœnitentiæ ad remissionẽ per se mortalis, sequitur quòd eatenus est pœnitentiæ consummatiuum, quatenus delet illa, quæ pœnitentia non delet, etiam quà est medium ad salutem, & qua fructuosè suscipitur: oportet ergo vt habeat aliquam efficaciam circa materiam pœnitentiæ ex propria institutione, & suppleat quod subterfugit pœnitentiam fructuosam, alioquin non esset ratio cur diceretur consummatiuum Pœnitentiæ magis quàm aliorum Sacramẽtorum à Patribus, vt Concilium dicit, Patres hoc ei tribuere; ideóque, vt idem Concilium docet, remittit per se peccata, si quæ sunt: & patet ex forma Ecclesiæ Latinæ. Hæc autem peccata non sunt mortalia, vt iam probatum est: ergo venialia, quæ non sunt confessa, & quibus gratia pœnitentiæ non repugnat, intelliguntur per hoc Sacramentum deleri, quo sensu est consummatiuum pœnitentiæ, & non aliter, inquantùm remittit peccata.

Delere venialia.

Est consummatiuũ Pœnitentia.

Confirmatur ratio præmissa ex forma Sacramenti; peccata mortalia nequeunt remitti nisi simul, neque Ecclesia vtitur clauibus in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem partialem mortalium, neque vti potest, quamuis Sacramentum institutum sit per se ad remissionem mortalium; impium enim est dimidiatam à Deo veniam exspectare; ideóque confessio integra mortalium exigitur, quia mortalia connexa sunt remissione: sed in hoc Sacramento extremæ Vnctionis iteratur tam vnctio, quàm forma, quæ est deprecatiua remissionis peccatorum, ad singulas partes determinatas, in quibus fit vnctio, & completur tam vnctio, quàm forma in suo sensu sacramentali ad singulas partes ex ritu Ecclesiæ Romanæ: ergo intelligitur ex hoc modo ministrandi Sacramentum, formam verificari præcisè quoad ea peccata, quæ remissione non sunt connexa, qualia sunt venialia, aliàs non deberet proferri forma seorsim, donec compleretur vnctio in omnibus partibus, & proferri deberet copulatiuè quoad omnes partes simul, seu collectiuè.

57 ***Confirmatio ex forma, & materia iteratis.***

Mortalia cõnexa sunt remissione.

Non venialia.

Dices, non dari effectum Sacramenti, nisi post vltimam vnctionem.

58 ***Responsio.***

Contrà: In primis hoc non cohæret Sacramentorum doctrinæ; per quam tenetur completa forma, & materia in eodem instanti dari effectum, si non sit obex. Deinde, si non datur effectus Sacramenti nisi completa vltima vnctione, & prolatione formæ, sequitur non esse proferendam formam vsque ad vltimam vnctionem; quia omnis prolatio prior est inutilis & falsa: quia non habet effectum signatum tunc, neque postea, quia Sacramentum, quod est in vsu, non dicitur aliquid causare, quando iam transiit, nullum post se effectum relinquens, in cuius virtute fiat effectus remissionis.

Impugnatur.

Non esset iteranda forma & materia, si effectum haberet post vltimã Vnctionem.

Sed quando vltima vnctio fit simul cum sua forma, non sunt formæ, aut vnctiones priores; neque earum effectus est vltima vnctio, quæ particularis est, & idem de forma: neque virtute, aut significatione continet priores: neque est ordo essentialis inter ipsas vnctiones & formas, quin incipiendo ab illa, quæ est vltima, consueto modo valeret Sacramentum completis reliquis: & magis patet ex sententia eorum, qui dicunt plures simul proferendo formas, & vngendo distinctas partes perficere Sacramentum validè posse; tunc enim non seruaretur necessariò ordo vnctionum, sicut in reipsa nulla vnctio, aut forma connotat aliam.

In vltima Vnctione priores non contineri virtute.

59 Alij probant conclusionem magis destruendo fundamenta aliorum, & impugnando illam efficaciam, quæ dicitur remissionis reliquiarum peccatorum originalis & actualis: sed quia Concilium

cilium *in cap.* 2. comprehendit hunc modum dicendi, magis congruit explicare, quid nomine *reliquiarum* intelligi posset; quamuis *in can.* 2. qui ex illo capite desumptus est, loquatur Concilium de remissione peccatorum absolutè, non addendo illam particulam *reliquiarum.*

Effectus primarius est remissio iuxta communem sententiam.

Illud solùm aduerto sententiam communem scholæ constituere effectum primarium huius Sacramenti in remissione, vt distinguitur ab alleuiatione, quâ confertur robur aduersus tentationes, & apud Apostolum, & Concilium Tridentinum, enumerari hos effectus tanquam diuersos, & Concilium statuere effectum remissionis primo loco, ac proinde intendit esse primarium: quia effectum primarium cuiuscunque Sacramenti semper primo loco enumerat; secundarium non ita, & id poscit ordo doctrinæ, quia specificatio Sacramenti, & efficacia debet declarari in ordine ad hunc effectum primarium.

Contra hanc conclusionem sunt plures rationes, quæ periude etiam impugnant fundamenta allata.

60 *Prima obiect.*

Obiicitur primò quòd hoc Sacramentum non sit medium vnicum, & necessarium ad remissionem venialium, licèt per se illa remittat, quia pœnitentia etiam remittit illa: ergo effectus eius primarius non est remissio venialium.

Responsio.

Respondetur distinguendo antecedens. Non est vnicum medium quoad peccata venialia, quæ non cadunt sub pœnitentia per contritionem, & confessionem, nego, quia, vt dictum est, in hoc consummat extrema vnctio pœnitentiam: licèt ergo pœnitentia habeat efficaciam ad remittenda venialia, limitatur eius efficacia ad actus pœnitentis, prout comprehendunt ipsa peccata, & per confessionem subdantur clauibus tanquam materia absolutionis; aliter autem virtus Pœnitentiæ Sacramenti non extenditur ad venialia.

Aliter remitti venialia per pœnitentiam, & vnctionem.

61 *Quomodo spectant ad hoc Sacramentum.*

Alterum membrum distinctionis est, quoad peccata venialia, quæ non cadunt sub pœnitentia, hoc esse vnicum medium in eo statu, quod non dependet à dispositione, seu actibus pœnitentis, quos tamen aliquando habere non potest; quia sæpissimè ministratur Sacramentum infirmo, qui non est integer sensu, aut sui compos; sicut ergo Sacramentum est efficax in eo casu, ita remittit venialia, quæ per nullum aliud remedium tunc remitti possunt. Accedit quòd hoc sit vltimum remedium viatoris ipsum disponens ad gloriam, ac proinde cùm nihil magis impediat gloriam quàm peccatum, ideò tollit sua efficacia peccata venialia per se tanquam vltimum eorum remedium; congruum autem fuit, vt in potestate Ecclesiæ esset aliquod remedium remittendi hæc peccata, quam diu quis est in statu viæ, & subditus Ecclesiæ, & possit ipsum disponere ad gloriam. Vnde ex hoc loco Iacobi Chrysostomus *suprà* citatus, & Beda probant Sacerdotes habere potestatem remittendi peccata, & clarum est hoc Sacramentum remittere peccata ex efficacia sua, vt patet ex dictis, etiam in casu, quo nequit applicari pœnitentia, aut aliud remedium remissionis.

Disponit ad gloriam, & tollit impedimentum.

Valet vt vltimum remedium.

62 *Secunda obiectio.*

Obiicitur secundò. Non oportuisse institui aliquod Sacramentum ad remissionem venialium; quia remitti possunt sine gratiæ infusione. Hæc ratio est D. Thomæ; vnde patet eum non requirere ad remissionem venialis infusionem gratiæ sanctificantis, quod *suprà* etiam docuimus cum Doctore *dist.* . . *quæst.* . .

Responsio. Plura remedia venialis.

Respondetur, licèt aliquando remittatur veniale homini in via sine infusione gratiæ, per alia media: tamen remitti etiam per infusionem gratiæ, vt patet in pœnitentia, quando hæc peccata cadunt in confessionem. Aliquando etiam per Eucharistiam, cuius hic etiam est effectus, quorum efficacia in hoc non est inutilis: in termino autem vitæ, quo quis innititur solùm diuinæ misericordiæ, neque reflectit ad alia media remissionis venialium, aut aliquando reflectere nequit, necessarium est hoc medium remissionis: necessitate dico gloriæ obtinendæ, quia, vt superiùs diximus, in hac materia peccata debent remitti homini existenti in gratia, venialia, inquam, in statu viæ, locus enim remissionis peccatorum non est altera vita, in qua non est vllum meritum acceptatum ad remissionem, neque in potestate Ecclesiæ relictum, per quod subuenire posset, præter opera satisfactoria, & indulgentias; quæ respiciunt tantùm pœnam animarum purgatorij, & non remissionem peccati.

Remittuntur in via.

Obiicitur tertiò. Si hoc Sacramentum per se institutum sit ad hunc finem remissionis peccatorum, non oportere exspectare finem vitæ, sed aliquoties in plena sanitate illud recipere. 63 *Obiectio 3.*

Respondent quidam apud Suarem hoc Sacramentum recipi ad plenam curationem venialium, quæ nequit fieri, dum vita durat. Contrà replicat, inde sequi quòd hoc Sacramentum sic deberet recipi post vitam, aut nunquam deberet recipi integris sensibus, quia infirmus postea peccabit venialiter, & quando aliquod remedium per se institutum est ad remissionem peccati, non respicit nisi illud, quod inest, non verò futurum. Hæc benè dicta sunt. Sed responsio aliter interpretari debet de curatione finali peccatorum, quæ supersunt pœnitentiæ, viatico, & aliis remediis. Quòd si postea peccauerit infirmus venialiter, aut mortaliter, non remittitur virtute Sacramenti, sed per alia media, quia si compos est peccati, erit & pœnitentiæ. Sacramentum autem non ideò non est efficax ad remissionem, vt idem author admittit, licèt putet hunc esse secundarium eius effectum. Vnde ex hac ratione non conficitur non esse primarium: nam gratia Sacramentalis, quæcunque illa sit, ordinatur ad liberationem à peccato, vt omnes cōcedunt, siue quod inest remittendo, siue quod inesse potest per excitationem præueniendo; tamen non derogat libertati, quin homo sui compos peccare possit: neque hoc etiam derogat efficaciæ Sacramenti.

Responsio.

Explicatur præmissa responsio & efficacia Sacramenti.

Quòd autem præfatus author vrget consuetudinem, qua datur hoc Sacramentum homini, dum sui est compos, non refert plurimùm ad intentum: quia id præcipitur, quo vberiorem effectum Sacramenti acquirat per propriam dispositionem, & magis reuerenter recipiat illud: quod intelligitur de gratia sanctificante quæ datur de præsenti, cui, vt diximus, est annexa remissio omnium venialium. Cæterùm non requiritur ad Sacramenti necessitatem, vt vigente sensu illud recipiatur, sicut neque ad efficaciam Baptismi, vt conferatur infanti, vel adulto, quamuis in hoc habeat vberiorem effectum ex propria dispositione.

Quādo ministrari potest, aut debet?

Alij respondent, vt dicit, conuicti rationibus præmissis, 64

præmissis, quæ iam solutæ sunt, non dari Sacramentum absolutè ad remissionem peccatorum venialium, sed vt sunt impedimentum gloriæ, nè statim homo euolet in cœlum.

Replica. Contrà replicat. Quia etiam pœna temporalis sic deberet remitti, cùm sit impedimentum. Deinde, sic deberet in omni mortis periculo hoc Sacramentum recipi, quia idem finis & ratio vrget etiam in periculo violento. Prætereà, pœnitentia in eo casu sufficit; ergo non est necessitas instituendi hoc Sacramentum propter eandem remissionem.

Soluitur. Respondetur authores illius responsionis, quicunque sunt, non ignorasse purgatorium, & pœnas temporales in eo solui pro peccatis. Vnde illa additio, vt statim euolet homo in cœlum, non videtur alicuius Theologi ex proposito data, sed magis inuenta, vt esset locus replicæ. Ad quam respondeo, aliud esse impedimentum, quod in hac vita remitti debet, quale est impedimentum peccati, quod per Sacramentum tollitur ex Iacobo, & Tridentino; aliud verò impedimentum pœnæ, de qua alia lege statutum est secundùm diuinam iustitiam, vt soluatur hîc, aut in purgatorio quod superest, solutionem autem habet in specie determinatam ipsa lege; ideò non subest per se huic Sacramento, sed pœnitentiæ, & operibus satisfactoriis, quæcunque illa sint.

Duplex impedimentum gloriæ. Alia est lex ordinans pœnam à lege peccati.

65 Ad aliud quod perinde vrget, siue dicatur effectus primarius, siue secundarius huius Sacramenti remissio peccatorum. Respondeo quòd ideò non ministratur existenti in periculo violento mortis, quamuis tunc subest tentationibus dæmonum, & impugnationi: quia ita institutum est. Congruentia institutionis facilis est: quia tunc non grauatur eius libertas per morbum, quin alia remedia adhibere possit sui plenè compos, & integer sensu. At infirmus corpore & grauatus per infirmitatem aliam habet dispositionem sensuum phantasmatum, & virium, quibus distrahitur, ideóque requirit excitationem specialem. Peccat autem probatio secundùm sensum diuisionis, seu accidentis: quia quando Sacramentum habet diuersos effectus per se, licèt vnus sit primarius, & alius secundarius, non debet conferri per se nisi in eo statu, quo attingit vtrumque. Licèt ergo gratia remissionis venialium sit effectus primarius huius Sacramenti quoad gratiam sanctificantem. Habet præterea effectum alleuiandi infirmum per gratiam roborantem, & excitantem, quæ virtute Sacramenti confertur, & per se intenditur: non debet ergo probari ex congruentia solius finis partialis institutio, & collatio digna Sacramenti nisi addatur integer eius finis.

Non datur in periculo violento mortis. Tantùm infirmis periclitantibus datur. Congruentia optima huius. Sacramentum respicit statũ, in quo attingere possit cõpletum effectum.

66 Quando autem Theologi loquuntur de fine primario huius Sacramenti, seu effectus remissionis, intelligunt finem, qui ex sensu primario, & expresso formæ exprimitur: qui etiam finis trahit secum effectum secundarium, qui consistit in robore, & excitatione infirmi contra tentationes ad cócipiendam fiduciam diuinæ misericordiæ ex effectu remissionis peccatorum omnium, tam per pœnitentiam, quàm etiam per hoc Sacramentum; gratia ergo ipsius remissionis, quæ fit in hoc Sacramento per ablutionem peccatorum, qua impediunt languentem ab ingressu gloriæ, trahit secum gratiam actualem Sacramenti, & excitantem contra molestias morbi, & tentationes occurrentes, tanquam medium ordinatum ad ingressum gloriæ per remotionem impedimenti vlterioris, quod imminet succumbendo peccato: nam eo ipso quòd detur remissio impedimenti, quod inest, ad hunc effectum ingressus gloriæ, vt finis ipse huius remissionis in re consequatur, prouidetur de hoc medio ex intentione primaria, quâ remissio ipsa fit in hunc finem.

Effectus primarius trahit secundarium.

Sicut in aliis Sacramentis, gratia excitans ad finem Sacramenti se habet vt medium, verbi gratia, in Eucharistia ad perseuerandum, & nutriendam charitatem datur gratiæ actualis auxilium tempore congruo, in quo auxilio non consistit primarius finis Sacramenti, seu effectus; sed in gratia sanctificante, vt datur ex fine perseuerantiæ, qui est specialis huius Sacramenti finis, ex quo consequitur effectus gratiæ actualis, tanquam secundarius, seu potiùs vt medium, quo gratia habitualis Sacramenti attingat suum finem ad quem datur.

Gratia excitãs est mediũ ad finem primarium Sacramenti.

Sic in proposito gratia sanctificans in remissionem peccatorum datur in hoc Sacramento ad finem ingressus in vitam, quam consequitur gratia actualis, vt medium attingendi illum finem, ex intentione scilicet primaria finis, propter quem gratiæ sanctificantis à peccatis, ad ingressum vitæ, concessæ: nam remissio ipsa non attingit proximè finem, quamdiu homo subest periculo lapsus; ideóque hoc medium exigit, vt coniungatur suo fini, neque aliter discurrendum est in hoc Sacramento quantùm ad gratiam excitantem, quàm in aliis Sacramentis seruata proportione, quorum effectus primarius non consistit in gratia actuali, sed in habituali sanctificante, cui subordinatur actualis tanquam medium, quo attingat finem, ad quem datur primariò, sicut vniuersim gratia actualis operans, & excitans ordinatur ad gratiam sanctificantem inducendam, augendam, & conseruandam, non secus ac ipsa opera, ad quæ datur, sic ordinantur ad iustitiam habitualem: plenitudo enim legis charitas, & obseruantia legis per opera; fugiendo malum, & sequendo bonum. Gratia autem datur ex Patribus ad supplendam infirmitatem nostram, quam ex peccato incurrimus, & cui succumbimus in obseruantia mandatorum, nisi præparetur voluntas à Domino ad bonum per hanc gratiam excitantem. 67

Finis gratiæ excitantis.

Quod si quis obiiciat formam Ambrosianam & Venetam, quæ non facit mentionem remissionis sicut & forma Romana. 68

Obiect. 4.

Respondetur ex dictis æquiualenter facere mentionem remissionis, in illis verbis, *vt more militis præparatus ad certamen*, &c. Vbi designatur gratia sanctificans tollens impedimentum peccati, ex qua conceditur gratia actualis vt medium ad victoriam. Illa tamen est fundamentum, qua conceditur plena innocentia finalis à peccatis, quæ grauant militem, & ad finem victoriæ conceditur, & per eam magis capax est diuinæ protectionis, & gratiæ auxiliantis, quam impediunt peccata.

Explicatur forma Ambrosiana.

Quarta conclusio. Hoc Sacramentum remittit mortalia per accidens, accedente dispositione congrua, & bona fide suscipientis, non remittit verò per se mortalia ex propria institutione, sed solùm venialia. Hæc conclusio est contra Suarem, *disput.* 41. *sect.* 1. *conclus.* 2. Bellarminum *libro* 1. *de hoc Sacramento cap.* 8. & alios, qui compre- 69

Remittit mortalia tantùm per accidens.

comprehendunt sub efficacia per se huius Sacramenti remissionem mortalium, sicut & venialium.

Conclusio quoad primam partem probata est *dist.9.* hoc esse commune Sacramentis viuorum, & satis congruit huic Sacramento; quoad secundam verò partem, nempe, hunc non esse effectum per se huius Sacramenti, probata est in fundamento conclusionis præcedentis ex necessitate pœnitentiæ ad remissionem mortalis, quæ sola est per se secunda tabula post naufragium, per quam saluari potest peccator à mortalibus.

70 *Prima obiectio ex natura Sacramenti.*

Obiicitur primò. Quòd si hoc Sacramentum remitteret sola venialia, quòd non posset probari esse Sacramentum: ergo intelligenda sunt etiam mortalia nomine peccatorum.

Responsio.

Respondetur negando antecedens, cuius probatio est illa, ad quam *suprà* respondimus *obiectione 2.* contra præcedentem conclusionem, vbi ostensa est necessitas huius remissionis, & quando fit mediante Sacramento fieri per gratiam sacramentalem, vt habet illam remissionem annexam.

Secunda obiectio ex conditionali particula.

Obiicitur secundò. Quòd si intelligerentur illa: *Si in peccatis est*, &c. de solis venialibus, non esset locus conditionali, quia omnes habent venialia.

Responsio non esse conditionalem.

Respondetur, particulam, *Si*, non necessariò intelligi importare conditionem, aut dubium, quando coniungitur rei factæ, vt patet ex oratione prima Ciceronis in Catilinam. *Si illustrantur*, inquit, *si erumpunt omnia non dubitat fuisse illustrata, & erupta, sed supponit tanquam probata, & certa, vt inde Catilina mores mutet.* Non dubitat Iacobus si in peccatis sunt infirmi, quia, vt docet cap. 2. *In multis offendimus omnes.* & Ioannes Apostolus. *Si dixerimus quòd peccatum non habemus, mendaces sumus, & veritas in nobis non est.* Vnde Patres Mileuitani, & posteriores contra Pelagianos docent Sanctos verè orare: *Dimitte nobis debita nostra*, &c.

71 *Non intelligi de mortalibus.*

Deinde, si per peccata intelligeret Iacobus tantùm mortalia, ratione quorum verificaretur illa conditionalis, non esset locus probandi in hoc Sacramento peccata venialia dimitti; quod non admittunt præfati authores. Sed non habemus fundamentum ex Scriptura, neque aliunde remitti venialia per vnctionem nisi illa verba, quibus vtitur Tridentinum, ad probationem huius effectus remissionis peccatorum. Si ergo per conditionalem importantur sola mortalia (quæ contingunt regulariter non esse, quia remittuntur per priora Sacramenta ritè suscepta) tota hæc clausula refertur ad mortalia tantùm, de quibus esse potest duntaxat dubium, & non ad venialia, quæ regulariter inesse supponit hæc ratio, quæ proinde seipsam destruit, vt ille textus refertur ad remissionem venialium, aut reliquiarum peccatorum; forma autem Romana absolutè profertur, & non conditionatè. ergo respectiuè ad venialia, de quibus non est dubium regulariter ea inesse.

72 *Secunda responsio. Intelligi de venialibus conditionalem.*

Respondetur secundò. Licèt particula *Si* intelligatur conditionaliter, textum intelligi de venialibus; quia ex aliis Scripturæ locis, vt patet, & ex doctrina Ecclesiæ, mortalia remittuntur directè per Baptismum, & pœnitentiam, quæ ad hunc effectum habent necessitatem medij; vnde qui conscius peccatorum talium accederet ad Sacramentum vnctionis sine pœnitentia, esset sacrilegus.

Responsio.

Dices debere accedere cum bona fide.

Impugnatur

Contrà. Hinc colligitur quòd peccatum mortale non deleatur per hoc Sacramentum directè, sed tantùm per accidens, quatenus dans gratiam supposita dispositione pœnitentis requisita, tollitur mortale; neque enim intelligo quod dicit Suarez, hoc Sacramentum delere mortale, non per accidens, neque per se, ex primaria institutione, sed medio quodam modo: quatenus scilicet institutum est ad tollendum impedimentum gloriæ, vt ad ipsam gloriam disponit, ex fine tollere impedimentum peccati mortalis, & venialis. *Assertio obscura.*

73 *Impugnatur doctrina præmissa.*

Hoc non intelligo, quia finis extrinsecus non dat efficaciam medio, sed medium ipsum se habet vt causa, per quam acquiritur finis. Talis ergo est efficacia Sacramenti, qua medium institutum est ad finem, qualem habet ex institutione. Quidquid autem habet ex institutione causat per se, & ex opere operato. Vnde si non haberet efficaciam ad delẽdum mortale ex propria institutione, illud non deleret, nisi per accidens, accedente bona fide, eo modo quo cætera Sacramenta, quæ dicuntur viuorum, illud tollunt. Si autem ex propria institutione habet illam efficaciam, iam per se simpliciter tollit, quia gratia sacramentalis, vt datur ad finem tollendi impedimenti, habet annexam hanc virtutem tollendi impedimentum, neque aliter Pœnitentia, aut Baptismus tollunt de facto peccatum per se, nisi quia dant gratiam ad tollendum hoc impedimentum salutis per se; quòd autem non tollunt ipsum peccatum in euentu, & de facto, per accidens est, & ex statu subiecti; nempe si insit in peccato: quia ad veritatem Sacramenti sufficit per se dare gratiam quæ per se remissiua est peccati. *Efficacia Sacramenti est ex institutione.* *Exemplum in alijs.*

Cætera etiam Sacramenta dant gratiam, cui annexa est sublatio impedimenti peccati mortalis, si ipsa gratia non habet obicem peccati in subiecto. Peto ergo an peccatum mortale sit obex gratiæ huius Sacramenti? si non sit obex, ergo habet per se annexam remissionem eius ex efficacia Sacramenti; ac proinde potest accedi ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, non secus ac ad pœnitentiam, & Baptismum; si autem peccatum mortale notum statuit obicem gratiæ, quæ datur in vnctione, prout de facto statuit, sequitur quòd huic gratiæ non sit specialiter talis remissio, nisi vt est annexa gratiæ, verbi gratia, Eucharistiæ per accidens. Vnde quòd dicatur hoc Sacramentum disponere ad gloriam, intelligi debet secundùm mensuram, & modum suæ institutionis, & non aliter. 74

75 *Obiectio.*

Dices, hæc sententia est magis pia, & fundata in diuina misericordia, & commendat efficaciam & reuerentiam Sacramenti, magisque inducit homines ad eius receptionem, & ministrandi sollicitudinem. Respondetur, non debere ita commendari efficaciam eius, vt contemnantur media salutis necessaria, vt est pœnitentia de mortalibus: quia hoc perniciosum esset, & pietati, & saluti animarum: neque vltra regulas præscriptas Scripturæ, & Conciliorum, in quibus expressè disponuntur media salutis necessaria, præsumendum est de diuina misericordia: sed sectanda sunt toto conatu quæ sunt certa. *Quomodo diuina misericordia commendatur?* *Sequenda regula Ecclesiæ certa.*

certa. Nam S. Augustinus sub finem vitæ ita commendauit pœnitentiam, vt dixerit, neminem, quantumlibet sanctè vixerit, debere egredi ex hac vita sine pœnitentia, neque vnquam legimus dari aliquam tertiam naufragij tabulam inter sacramenta. Sufficit autem vt hoc Sacramentum remittat per accidens mortale ad reuerentiam eius, & vtilitatem etiam in hoc specialiter commendandam.

76 *Responsio ad principalē obiectionem.*

Respondetur ergo ad primarium argumentum remissionem peccatorum, de quibus loquitur Iacobus, esse effectum per se, & primarium huius Sacramenti, & intelligi venialia solùm ex dictis. Ad illud obiectum ex vi conditionalis, respondetur intelligi commodè posse de venialibus: quia sæpè accedere quis potest ad hoc Sacramentum ita dispositus per plenam pœnitentiam, & viaticum, quorum efficacia extenditur ad remissionem venialium etiam omnium, quæ præcesserunt ex cura, & diligenti discussione, & frequenti eleuatione mentis per amorem, fidem, spem, contritionem in Deum, vt omnia peccata quoad culpam & pœnam deleant, etiam venialia: nam laboriosa pœnitentia lacrymosa, & continuata aliquando perducit ad innocentiam Baptismalem, vt supponit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 2. & hic est finis pœnitentiæ perfectæ. Vnde sicut quis per continua opera satisfactoria potest in hoc mundo redimere totam pœnam temporalem, vt non patiatur vllum purgatorium in altera vita; ita etiam ex hoc sequitur etiam impetrare posse remissionem venialium per pœnitentiam, & alia media ante hoc Sacramentum; conditionalis ergo illa excepit eos, qui per alia media non satisfecerunt pro peccatis venialibus, dum accedunt ad Sacramentum. Ex his etiam patet ad Tridentinum, vbi dicit, *si quæ sunt delicta*, sequitur enim modum loquendi Apostoli; patet etiam ad formam Sacramenti quæ distribuit pro materia subiecta quæ sunt venialia: *Quidquid per oculos commisisti*, &c. Tridentinum autem dicens, *si quæ sunt delicta*, &c. non intelligit, nisi id quod Iacobus per peccata intelligit, non autem antonomasticè pro mortali.

Fundamentū conditionalis vbiecta. *Vinus Pœnitētia innocentia Baptismalis restauratio.*

77 *Dubiū quando datur effectus Sacramenti.* *Prima sententia.*

Dubitatur quando Sacramentum hoc confert suum effectum? Variæ sunt sententiæ. Prima docet dare suum effectum, quando complentur omnes vnctiones, & non prius; hæc est sententia D. Thomæ *quæst.* 1. *huius distinctionis art.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. quem sequitur Paludanus, Sotus, Ledesma, Suarez, vt probabilem, *disput.* 41. *sect.* 2. sed variè explicatur. Sotus dicit post vltimam vnctionem, quæcumque illa sit, ex intentione ministri dari effectum gratiæ sanctificantis, de qua quæritur. Suarez docet dari post completam vnctionem quinque sensuum, quia putat alias vnctiones non esse sacramentales, sed cæremoniales, ex vsu quarumdam Ecclesiarum.

Dari simul in vltima vnctione.

Secunda sententia Doctoris.

Secunda sententia est, dari effectum Sacramenti partialiter, ita vt singulæ vnctiones cum suis formis dent effectum proprium. Hanc puto esse Doctoris responsione ad secundum, quod est vltimum. Videtur Adrian. *in quæst.* 4. de hoc Sacramento, & Medinæ *C. de confessione, quæstione de integritate absolutionis*, & probabilem censet Suarez.

78

Fundamentum huius *suprà* præmisimus, quia ad singulas vnctiones completur sensus substantialis formæ, & subiicitur materia. Vtraque applicatur per modum signi sacramentalis infallibilis veritatis, & consistentis in vsu; ad cuius proinde veritatem requiritur, vt effectus eius detur in vltimo instanti completi sui *esse*, quando non supponitur obex: neque illa forma, aut vnctio præmissa, dicit ordinem ad alias vnctiones, aut eandem formam repetitam in significando; neque est repugnantia ex parte effectus, nempe gratiæ, vt est remissiua peccatorum venialium per se, quia non repugnat hæc dimitti seorsim, & successiuè, inter quæ non est connexio, quantùm ad remissionem, sicut inter mortalia: neque est repugnantia ex parte peccatorum mortalium, siue dicamus illa per se, aut per accidens remitti, virtute huius Sacramenti, quia tolluntur omnia per gratiam primæ vnctionis directè vel indirectè ex incompatibilitate, quam habent cum effectu eius, directè quidem illa, quæ per organum vnctum committuntur: indirectè quæ per alia organa, aut interiùs in ipsa mente consummantur. Non secus ac quidam asserunt peccata mortalia in casu remitti posse per absolutionem, quæ cadit directè in venialia, vt si detur à simplici Sacerdote, quando alius minister nequit haberi, vel certè quando tolluntur peccata reseruata indirectè per absolutionem à non reseruatis, in casu particulari.

Probatur ex forma, materia, & ritu ministrandi.

Secundò, ritus ministrandi ipsum Sacramentum id suadet, quia in nullo Sacramento repetitur eadem forma cum iteratione materiæ absolutè, nisi in hoc Sacramento, quia vel significatio sacramentalis consistit in vtrisque, vel in altera, ex coniunctione alterius, vt suo loco diximus, quibus positis, Sacramentum applicatur quoad omnem efficaciam quam habet: ergo ex contrario sensu, ex iteratione materiæ, & formæ huius Sacramenti, sequitur diuersitas effectus, & efficaciæ. 79 *Secunda ratio ex ritu.*

Dices, fortè non esse eandem formam, & materiam, sed diuersas. *Responsio.*

Contrà, à fortiori ergo habent diuersos effectus, & neutra in virtute alterius est efficax. *Impugnatur.*

Dices, omnes formas partiales, & vnctiones facere vnam integram indiuisibilem materiam, & formam Sacramenti, quibus completis datur effectus, & non antea. *Responsio.*

Contrà, vnctiones diuersæ supposita sententia contraria, qua essentialiter requiruntur, vt requiri docent præfati authores, non faciunt vnam, & eandem vnctionem: quia quælibet determinatè, & essentialiter respicit suum proprium subiectum, & propter diuersitatem instrumentorum peccandi necessariò iterantur, quæ instrumenta sicut diuersa sunt in actione & virtute, ita etiam vt diuersa vnguntur. Ergo vnctiones neque in ratione specifica vnctionis sacramentalis, neque etiam ratione subiecti proximi, & proprij cuiusque vnctionis faciunt vnum. 80 *Impugnatur.* *Vnctiones ex materia, & subiecto diuersa.*

Idem probatur de forma, quia vel ex sensu suo substantiali & essentiali refert subiectum vnctionis in expressa sua significatione, vt si dicatur: *Quidquid per visum commisisti*, &c. vel non requiritur essentialiter ad sensum formæ, vt exprimatur subiectum vnctionis; sed tantùm dicatur: *Quidquid commisisti*, &c. si primum dicatur, sequitur eadem ratio, quam pro diuersitate vnctionis adduxi, nempe formas vt diuersas, & inquantùm diuersas requiri, quia vt quælibet exprimit proprium subiectum vnctionis, nequit *Formæ similiter expressio vnctioni accommodata.* *Primum disiunctum.*

nequit etiam in significatione coalescere cum alia, sicut neque hæ orationes, *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*, &c. quamuis exprimant partes quæ ad idem corpus viuum spectant: quælibet enim ex his significat suum significatum per modum totius in *esse* significati, & in modo significandi, quamuis coalescat in vnum Sacramentum totale per modum pastus integri; eodem modo quælibet forma vnctionis absolutè significat in ordine ad subiectum proximum vnctionis, siue ipsam vnctionem, siue effectum sacramentalem, ad quem profertur; ergo nequit coalescere cum alia in significando.

81 *Secundū disiunctum.* Si autem dicatur alterum disiunctum, nempe illam expressionem non esse de essentia formæ: vt, *per visum*, &c. à fortiori sequitur intentum: quia eadem forma etiam repetita, nequit cum seipsa componere, quia compositio est vnio disiunctorum: ergo sicut completur in prima vnctione sensus essentialis formæ, ita etiam datur effectus proportionatus: quia supponit materiam sufficientem, aliàs nequiret proferri verè, & sacramentaliter.

Idem cum seipso non componit.

Responsio reijcitur. Si dicas, omnes vnctiones esse vnam, & integram materiam requisitam essentialiter, sequitur perinde formam non posse proferri, nisi semel in vltima vnctione, vel certè simul protrahendo eius prolationem vnicam per singulas vnctiones.

Vel dicas, quare non posset similiter pluries repeti forma Baptismi, Confirmationis, & aliorum Sacramentorum, super eadem omnino materia; si dicas formam pœnitentiæ iterari super eadem omnino materia, vt si eadem peccata sæpiùs quispiam confiteatur.

82 Contra, hoc nihil est, quia materia, qui sunt actus pœnitentis, variatur, & fit diuersum numero Sacramentum, & habet diuersum effectum: ergo cùm quælibet prolatio formæ vnctionis sit prolatio eius sacramentalis, (id est, qua instituta est à Christo in ordine ad effectum causandum ipsa forma, & sic etiam intendit Minister proferre sacramentaliter) sequitur poni omnia requisita ad effectum eius, cui non supponitur obex ex parte subiecti: quia supponimus subiectum esse capax de se effectus Sacramenti, & manere in eodem statu, vt si non sit sui compos. Deinde sensus sacramentalis formæ completur, quando completur sensus quem habet de rigore sermonis: ergo etiam sensus sacramentalis huius formæ toties completur, quoties integrè profertur præmissa vnctione.

Sensus de rigore sermonis est sacramentalis.

83 *Hoc Sacramentum non est vnum indiuisibiliter.* Tertiò denique, licet Sacramentum extremæ Vnctionis numeratur tanquam vnum inter septem Sacramenta, non sequitur esse vnum vnitate indiuisibilitatis, sed sufficit vt sit vnum vnitate integritatis, quæ vnitas consurgit ex diuersis partibus, non solùm in *esse* actionis, & verborum, sed etiam in ratione signi, & signati. Hoc patet in Sacramento Eucharistiæ, & in Sacramento Ordinis, quæ similem vnitatem tantùm habent, & in quibus formæ, & materiæ partiales habent singulæ suos effectus distinctos: ergo similiter in proposito non tollit vnitatem proportionatam Sacramento Vnctionis, vt sit hoc modo tantùm vnum, quæ singulæ eius partes integrant vnum totale Sacramentum completæ remissionis peccatorum, disponens hominem ad exitum.

Accedit vltimò sic esse magis congruum institutioni, & fini huius Sacramenti: quod ministratur validè infirmis etiam agonizantibus (vt patet ex praxi, & ritualibus) quo eius effectus daretur partialiter, & quælibet vnctio cum sua forma esset efficax: quia sic semper fructuosè ministratur, & pericula mortis imminentis sic poscunt: nam si Sacramentum esset solùm efficax in vltima vnctione, sæpè frustraretur suo effectu, & fructu, cùm illa ante mortem nequeat perfici, neque videtur alioquin potuisse ministrari sine peccato Sacramentum, quando probabiliter videtur infirmus expiraturus ante completum Sacramentum quoad totum essentiale requisitum ad effectum Sacramenti. *Congruentia ex fine & institutione.*

84 Vnde vt euitetur hoc inconueniens, Sotus dicit illam esse vltimam vnctionem completiuam Sacramenti, quæ est talis ex intentione Ministri, quod rectè impugnat Suarez *præfato loco*, quia efficacia propria, & institutio Sacramenti non dependet, neque limitari potest à Ministro, aut eius intentione, quæ nequit aliquid facere substantiale quod alioquin non sit substantiale. Verùm quod subinde ex hoc deducit vnctiones in lumbis, & aliis partibus præter organa sensuum non esse sacramentales, sed tantùm cæremoniales, in quibusdam Ecclesiis inductas, non videtur mihi verum, aut congruè dictum: quia ille ritus est Ecclesiæ Romanæ, vt patet ex Florentino & Tridentino, quæ sine discrimine vllo annumerant illas vnctiones aliis sacramentalibus, seu iis quas putat ille author esse essentiales, sine vllo, inquam, discrimine, aut limitatione assignant formam, materiam, & effectum huius Sacramenti: quibus annumerari non deberent cæremoniales in eadem forma, & materia, neque vnquam Ecclesia Romana confudit cæremonias cum substantia Sacramenti: neque vnquam vsa est materia, & forma Sacramenti ad alios effectus, loquendo de materia proxima, nisi ad effectus sacramentales.

Quid Sotus de vltima vnctione? *Impugnatur.* *Sentētia Suarez.* *Impugnatur.* *Vnctionem in renibus esse sacramentalem, non cæremonialem.* *Ritus nō confundi cū substātia Sacramenti.*

85 Præterea, si excludantur duæ illæ vnctiones cum repetitis formis ab efficacia Sacramenti, aut substantia eius, dicendo tantùm esse cæremoniales, eadem libertate possunt dici cæteræ omnes esse cæremoniales. Ritus enim Ecclesiæ Romanæ seruat integram traditionem Apostolorum Petri & Pauli, ac proinde nunquam adhiberet illas vnctiones cum propriis formis, nisi essent sacramentales. Neque refert quòd omitti possint, vel omittuntur in quibusdam Ecclesiis, & circa personas determinatas; quia hinc non colligitur, nisi tantùm vnctionem in illis partibus esse materiam liberam, neque essentialiter requiri, ac proinde ex congrua ratione honestatis Christum instituisse, vt omitti possint: tamen si adhibeantur, erunt efficaces, sicut cæteræ vnctiones, & ex hoc ritu omissionis earum vnctionum sequitur confirmari sententiam quam propugnamus: nam si illæ vnctiones adhibitæ, vt mihi omnino certum est, sunt efficaces, & habeant effectum proprium, qui alioquin non datur sine ipsis, aut aliis æquiualentibus: eodem modo cæteræ vnctiones, & formæ non sunt minoris efficaciæ: ergo etiam similiter habebunt proprium effectum quando complentur.

Romana Ecclesia seruat traditionem. *Omissio ipsarum non probat esse rituales, sed liberas.*

Respondet ergo Suarez ad casum positum de vltima vnctione, dari gratiam sacramentalem 86 *Suarez.*

quando

Dari effectum per vltimam sensuum vnctionẽ in virtute priorum. quando vltima vnctio sensus finitur, & illam agere in virtutem omnium præcedentium quæ essentialiter requiruntur, iuxta modum quo disseruit de modo agendi Sacramentorum, quæ consistunt in vsu. Quòd si non finiantur simul, illa quæ erit vltima, agit in virtute reliquarum.

Impugnatur. Hunc modum agendi *in d.* 1. suo loco impugnauimus, & quidquid sit de Sacramento, cuius significatio consistit in indiuisibili, nequit hæc *Disparitas inter vnctionem & Baptismum in significãdo & causando.* doctrina applicari extremæ Vnctioni, quæ integratur ex diuersis vnctionibus, & formis iteratis, quarum quælibet est completæ significationis sacramentalis independenter ab alia; non ita verò se habent forma & materia Baptismi, verbi gratia, quia nulla pars formæ est completæ significationis sacramentalis sine alia, neque ablutio vlla nisi vt accedit forma completa, & complete prolata. Ergo maxima est disparitas. Dato etiam quòd ille modus causandi sit proprius Sacramenti, vltima autem vnctio cum sua *Vltima nõ æquiualet prioribus.* forma neque significatione, neque in ratione actionis, aut prolationis æquiualet prioribus: ergo non includit illas in sua virtute, neque illæ vltimam.

87 *Aliud dictũ impugnatur.* Quod addit de vltima, quæ in reipsa contingit, vt si infirmus moriatur, antequam compleantur vnctiones omnium sensuum, videtur sine fundamento, & liberè dici: nam si significatio practica, & ex instituto Sacramenti essentialiter consistit in omnibus simul, & in nulla seorsim, sequitur non applicari Sacramentum, *Non dari effectum nõ completo essentiali Sacramenti.* quà tale est, nisi omnes compleantur, sicut non applicatur Baptismus in vllo casu, quo deficiat aliqua particula essentialis formæ. Si enim significatio sacramentalis supponit essentialiter formas repetitas, aut iteratas, sequitur non compleri illam significationem, donec totum eius fundamentum, seu materia ponatur in esse; aut si oppositum dicatur, sequitur intentum, nempe quamlibet vnctionem cum sua forma habere significationem sacramentalem, vt præmissum est.

Ex his facilis est responsio ad fundamenta opposita.

88 *Prima obiectio. Ex communibus regulis Sacramẽtorum.* Obiicitur primò, nihil asserendum esse in hoc Sacramento præter communem legem Sacramentorum, nisi traditio Ecclesiæ, aut principia tradita id probent: communis autem lex Sacramentorum, quæ in vsu consistunt, est vnicam gratiam conferre quando complentur; extremam autem Vnctionem dare toties gratiam partialem per singulas vnctiones & formas, aut tollere vnum peccatum sine alio est valdè extraordinarium.

Responsio. Aliter Sacramentum indiuisibile, aliter diuisibile causant, & perficiuntur. Respondetur, concedendo maiorem & minorem in iis Sacramentis, quæ sunt vnum vnitate indiuisibilitatis, & negatur in aliis, quæ sunt vnum tantùm vnitate integritatis; nam & in Eucharistia in *fieri* quælibet forma habet significationem, & efficaciam propriam, & in Sacramento Ordinis, idem dicendum etiam in Sacramento Vnctionis, & hoc ex ratione generali formæ sacramentalis, & efficacia, & ex ratione & ritu speciali ipsius vnctionis, quo vtitur Ecclesia Romana; hinc negatur subsumptum.

89 Dices, formæ partiales in Eucharistia sunt indicatiuæ, in ordine verò imperatiuæ; extremæ Vnctionis tantùm deprecatiuæ. Vnde singulæ *Replica ex modo significandi formæ.* non significant actualem efficaciam, neque deprecatiuæ habent veritatem ex qua necessariò debeat poni effectus ad singulas particulas precationis, sed satis est quòd pro illo tempore, pro quo petitur, & completur oratio, ponat effectum: ergo dispar est ratio de vnctione & ordine.

Soluitur. Respondetur, formam esse deprecatiuam, indicatiuam, aut imperatiuam, nihil facere ad eius veritatem ex instituto Christi, conuenientem: hæc enim veritas fundatur in assistentia Dei, *Significationis practicæ fundamentũ.* quæ ponit effectum formæ infallibiliter, completo sensu formæ: completur autem sensus perfectus formæ, quando supposita vnctione correspondente profertur sacramentaliter, vt fit in proposito. Argumentum haberet aliquem locum si præter formas repetitas daretur alia forma completa huius Sacramenti verbalis, quam partiales formæ, seu potiùs ipsa forma, quæ iteratur, componeret, quia dici posset significationem sacramentalem primò fundari in illa forma: sed in proposito non datur talis, neque formæ vnctionis componunt aliquid per modum vnius orationis completæ, ex quo negatur assumptum.

Obiicitur secundò: effectus huius Sacramenti est indiuisibilis, ita vt per partes nequeant dari: quia in remissione peccatorum est connexio inter peccata mortalia; inter venialia verò licèt non sit talis connexio, tamen idem veniale committitur aliquando per plures sensus: ergo nequit remitti, nisi quando fit vnctio omnium sensuum, per quos committitur. 90 *Secunda obiectio. Ex indiuisibilitate effectus.*

Respondetur, negando primum suppositum, nempe mortalia remitti per se virtute Sacramenti huius. *Responsio.*

Ad secundum suppositum negatur etiam: quia non est idem veniale, sed diuersa, tot enim sunt appetitus interiores sensitiui, quot sunt sensus, vt bene Doctor aliàs; & consequenter tot sunt etiam delectationes inordinatæ in voluntate, quotquot in appetitu, licèt idem sit obiectum, secundùm diuersas tamen rationes delectabilis, secundùm inclinationem particularem huius, aut illius sensus mouet appetitum correspondentem, ex qua motione sequitur diuersa delectatio in voluntate, sicut etiam in appetitu; diuersus etiam consensus, vt applicat hunc, vel illum sensum ad perceptionem obiecti ob delectationem consequentem ex tali perceptione, & diuersam. Non erit ergo idem peccatum veniale, sed diuersa numero, etiam per diuersos actus voluntatis applicantis diuersè sensus ad idem obiectum sub diuersis rationibus delectabile; quòd si obiectum afficiat vnum tantùm sensum, ita vt voluntas vtatur aliis potentiis in ordine ad illam delectationem, tunc peccatum erit vnicum, & deletur per vnctionem illius sensus, in quo principaliter committitur, ex quo patet ad rationem obiectam. Alia dubia circa subiectum huius Sacramenti, Ministrum, præceptum omitto, quæ legi possunt apud Authores passim, & Summistas; hæc enim potiora sunt quæ tetigit Doctor in litera, & spectant ad essentiam Sacramenti. *Circa idem obiectũ committi plura peccata venialia simul.*

DISTINCTIO XXIV.

De Sacramento Ordinis.

A *Hug. lib. 2. p. 3. c. 4. Quare septem sunt ordines. Esai. 11. a Clem. Papa in epist. 2. ad Iacobum Apostol. de sacris vestibus, & habetur dist. 23. c. Tales. Matth. 7. a*

NVnc ad considerationem sacræ Ordinationis accedamus. Septem sunt spiritualium officiorum gradus, siue ordines: sicut ex sanctorum Patrum dictis apertè traditur, & capitis nostri, scilicet Iesu Christi exemplo monstratur, qui omnium officia in semetipso exhibuit, & corpori suo, quod est Ecclesia, eosdem Ordines obseruandos reliquit. Septem autem sunt, propter septiformem gratiam sancti Spiritus, cuius qui non sunt participes, ad gradus Ecclesiasticos indignè accedunt. Illi verò, in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus sancti, cùm ad Ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur.

Quales assumendi sunt ad clerum.

B TAles autem ad ministerium spirituale eligendi sunt Clerici, qui dignè possint dominica Sacramenta tractare. Meliùs est enim Episcopo paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui ordinatori graue onus inducant. Tales enim decet esse ministros Christi, qui septiformis gratia Spiritus sancti sint decori, & quorum doctrina, & conuersationis forma, eadem gratia in aliis transfundatur, ne cœlestes margaritas spiritualium verborum officiorúmque diuinorum sordidæ vitæ pedibus conculcent. In Sacramento ergo septiformis Spiritus septem sunt gradus Ecclesiastici, scilicet Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes; omnes tamen Clerici vocantur, id est, sortiti. Corona enim signaculum est, quo signantur in partem sortis ministerij diuini. Corona regale decus significat; quia seruire Deo regnare est. Vnde ministri Ecclesiæ, Reges esse debent, vt se & alios regant: quibus Petrus ait; *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium*, &c. Summitas capitis desuper nudatur, vt eorum mens ad Dominum libera monstretur, quæ reuelata facie gloriam Dei contempletur. Summitas enim capitis est eminentia mentis. Denudatio capitis est reuelatio mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tondentur etiam capilli vsque ad reuelationem sensuum, scilicet oculorum & aurium: vt vitia in corde & opere pullulantia doceantur præcidenda, ne ad audiendum & intelligendum verbum Dei præpediatur mens, pro quo seruato reddetur in excelsis corona. Tonsuræ autem Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis exortus videtur: qui priùs crine seruato, deinde ob vitæ continentiam caput radebant, & capillos in igne sacrificij ponebant. Hinc vsus inoleuit, vt qui diuinis cultibus mancipantur, quasi Nazaræi, id est, sancti, crine posito inueniantur. Sicut ad Ezechielem dicitur, Fili hominis sume gladium acutum, & duc super caput tuum, & barbam. In Actibus etiam Apostolorum, Priscillam & Aquilam hoc fecisse legimus. Paulus quoque, & alij quidam discipuli Christi hoc fecerunt. Rectè ergo in quibuslibet gradibus

De corona & tonsura. Hugo lib. 2. parte 3. c. 1. 1. Petr. 2. b 2. Cor. 3. d

Hugo vbi suprà c. 2. Isid. lib. off. Eccles. c. 4. Num. 6. b Ezech. 5. a Act. 18. c 1. Cor. 11. c Isid. lib. 7. etym. c. 12. & allegat.

dibus constituti, Clerici vocantur, quorum nomina & rationes nominum Isidorus exponens, ait, *Cleros* & clericos hinc appellatos esse credimus, quia Matthias electus est sorte: quem primum per Apostolos legimus ordinatum. κλῆρος enim Græcè, Latinè *sors*, vel *hæreditas* dicitur. Ideò ergo dicti sunt clerici, quia sunt de sorte Domini, vel quia Deum patrem habent. Generaliter verò clerici nuncupati sunt omnes, qui in Ecclesia Dei deseruiunt: quorum gradus & nomina sunt hæc, Ostiarius, Lector, &c.

dist.21.cap. Cleros. Act.1.d Numer.3. & 18.

De Ostiarijs.

C

[OStiarij idem & Ianitores sunt, qui in veteri Testamento electi sunt ad custodiam templi, vt non ingrederetur in illud immundus. Dicti autem ostiarij, eo quòd præsint ostiis templi. Ipsi enim tenentes clauem, omnia intus, & extra custodiunt, atque inter bonos & malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respuunt.] Vnde & eis cùm ordinantur, claues Ecclesiæ dantur ab Episcopo. Et dicitur eis, Sic agite, tanquam rationem Deo reddituri pro rebus quæ clauibus istis recluduntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes & emendentes eiecit de templo. Ipse enim se ostiarium significans dicit, *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.*

Isid. lib. 7. etym. c.12. in fine. 1.Para. 26. a Ex IV. Concil. Carth. cap.6. De consecr. dist.23.cap. Ostiarij, & Hugo vbi suprà c.5. Ioan.2. c Ioan.10. b

De Lectoribus.

D

SEcundus est gradus Lectorum. [Lectores à legendo, sicut Psalmistæ à Psalmis canendis vocati sunt. Illi enim prædicant populis quid sequantur: isti cantant, vt excitent ad compunctionem animos audientium: licèt quidam lectores ita miserabiliter pronuncient, vt quosdam ad luctum, & lamentationem compellant. Iidem etiam pronunciatores vocantur, qui porro antè nunciant; quia tam erit clara eorum vox, vt etiam longè positorum aures adimpleat.] Ad lectores autem pertinet lectiones pronunciare, & ea quæ Prophetæ nunciauerunt populis prædicare: vt iam ex officio in Ecclesia legat prophetias & lectiones. Vnde & ei vidente populo, traditur ab Episcopo codex diuinarum lectionum, & dicitur, Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleueris officium, partem cum his qui benè verbum Dei ministrauerunt. Qui ad hunc gradum prouehitur, literarum scientia debet esse instructus, vt sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distinctè legat: ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Attendat quid indicatiuè, quid interrogatiuè sit legendum, vbi sit in oratione facienda distinctio. Hæc enim malè seruata, intellectum turbant, & alios ad risum prouocant. Auribus & cordi consulere debet vox lectoris. Hoc officium impleuit Christus, cùm in medio seniorum librum Esaiæ aperiens distinctè ad intelligendum legit, *Spiritus Domini super me*, &c. Ex quo lectoribus datur intelligi, quia gratia spirituali clarere debent, qui aliis verbum Dei annunciant. Hic ordo formam, & initium à Prophetis accepisse videtur: quibus dicitur, *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam.*

Hugo ibidem cap. 6. Isid. lib. 7. etym. c.12. & dist.21. c. Cleros. Idem lib.2. de off. c.11. & dist.25. cap. Perlectis. Ex Concil. Carth. IV. cap. 8. Dist. 23. c. Lector. Luc.4. c Esai.61: a Esai.58. a

De Exorciſtis.

E

Hugo vbi ſupra c. 7. Iſid. lib. 7. Etym. c. 12. & in cauſa diſt. 21. c. Cleros. *Diſt. 25. cap.* Perlectis. *Luc. 4. d Ex Concil. Carth. IV. c. 7. & Iſid. vbi ſuprà cap. 13. & diſt. 13. cap.* Exorciſta. *Marc. 7. d Matth. 8. d Luc. 8. d Diſt. 21. cap.* Decretis. *Gloſſ. 3. Reg. 4. & Ioſephus lib. 8. antiq. cap. 2.*

TErtius eſt ordo Exorciſtarum. [Exorciſtæ autem ex Græco in Latinum adiurantes, vel increpantes vocantur. Inuocant enim ſuper catechumenos, & ſuper eos, qui habent ſpiritum immundum, nomen Domini: adiurantes per eum, vt egrediatur ab eis.] Ad Exorciſtam pertinet exorciſmos memoriter retinere, manúſque ſuper energumenos & catechumenos in exorcizando imponere. Debet autem habere ſpiritum mundum, qui ſpiritibus immundis imperat: & malignum expellere de corde ſuo, quem expellit de corpore alieno: ne medicina, quam alij facit, ſibi non proſit, & dicatur ei: Medice cura teipſum. Hi cùm ordinantur, accipiunt de manu Epiſcopi librum exorciſmorum: & dicitur eis, Accipite, & habetote poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, vel catechumenos. Hoc officio vſus eſt Dominus, quando ſaliua ſua tetigit aures, & linguam ſurdi, & muti, dicens, *Effeta*, quod eſt Adaperire: per hoc docens nos ſpiritualiter debere aperire aures præcordiorum hominum ad intelligendum, & ora ad confitendum: vt pulſo dæmone Spiritus ſanctus vas ſuum recipiat. Hoc etiam officio vſus eſt Chriſtus, cùm dæmoniacos multos ſanauit. Hic ordo à Salomone videtur deſcendiſſe; qui quendam modum exorcizandi inuenit, quo dæmones adiurati ex obſeſſis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati Exorciſtæ vocati ſunt. De quibus Chriſtus in Euangelio, *Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia: filij veſtri*, ſcilicet Exorciſtæ, *in quo eijciunt?*

De Acolytis.

F

Hugo vbi ſuprà c. 8. Iſid. c. 12. lib. prææleg. diſt. 21. c. Cleros. *Ioan. 1. a Diſt. 25. cap.* Perlectis. *Ex Concil. IV. Carth. cap. 6. Ioan. 8. b Exod. 27. c Leuit. 6. b & 23. a Exod. 25. a*

QVarto loco ſuccedunt Acolyti. [Acolyti verò Græcè, Latinè ceroferarij dicuntur, à deportandis cereis, quando legendum eſt Euangelium, vel ſacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria, & deportantur ab eis, non ad effugandas aëris tenebras, cùm Sol eo tempore rutilet, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum: vt ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua legitur; *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*] Ad Acolytum pertinet præparatio luminarium in ſacrario. Ipſe cereum portat: ipſe vrceolum cum vino, & aqua ſuggeſta, pro Euchariſtia, Subdiaconis præparat. Hi cùm ordinantur, cùm edocti fuerint ab Epiſcopo qualiter in officio ſuo agere debeant, ab Archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo, & vrceolum vacuum. Hoc officium Dominus ſe habere teſtatur, dicens; *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Huius officij formam illi gerebant in veteri Teſtamento: qui lucernas candelabri componebant, & accendebant igne cœleſti, ad illuminandas tenebras aquilonares.

De Subdiaconis.

G

Iſid. ibid. Hugo vbi ſuprà c. 9. & in Decret. diſt. 21. cap. Cleros.

QVintus eſt ordo Subdiaconorum. [Græcè Hypodiacones vocantur, quos nos Subdiacones dicimus. Qui ideò ſic appellantur, quia ſubiacent præceptis & officiis Leuitarum. Oblationes enim in templo à fidelibus ſuſcipiunt, & Leuitis ſuperponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos Nathinnei vocabantur, id eſt, in humilitate Domino ſeruientes.] Ad Subdiaconum pertinet calicem, & patenam ad altare Chriſti deferre,

& Leui

& Leuitis tradere, eísque ministrare. Vrceolum quoque & aquamanile, & manutergium tenere, Episcopo, & Presbyteris & Leuitis, pro lauandis ante altare manibus aquam præbere. His lex continentiæ imponitur: quia altari propinquantes, vasa corporis & sanguinis Christi portant. Vnde illud implere debent, *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Ad hos etiam pertinet tantum de oblationibus ponere in altari, quantum sufficere possit populo: nec non corporalia, & pallas, & substratoria lauare. Hi cùm ordinantur, accipiunt de manu Episcopi patenam, & calicem vacuum: ab Archidiacono verò vrceolum cum aquamanili, & manutergium. Hoc officio vsus est Dominus, quando linteo se præcinxit, & mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit, & linteo tersit. *1. Esd. 2. b* *Dist. 25. cap.* Perlectis. *Isid. de gen. off. lib. 2. cap. 10. &* *Gregor. in regist. epist. 42. lib. 1.* *Esa. 52. d* *Ex Concil. Carth. IV. cap. 5.* *Ioan. 13. a*

De Diaconis.

Diaconorum ordo sextum tenet locum, propter senarij perfectionem. *H*
Hic ordo in veteri Testamento à tribu Leui nomen accepit, vel traxit. Dicuntur enim & Leuitæ. Præcepit quippe Dominus Moysi, vt post ordinationem Aaron, & filiorum eius, prorsus tribus Leui ad diuini cultus ministeria ordinaretur, & consecraretur Domino: & seruirent pro Israël coram Aaron, & filiis eius in tabernaculo. Ipsique gestarent arcam & tabernaculum, & omnia vasa eius: & in circuitu tabernaculi excubarent: & in transportando tabernaculo ipsi deponerent, rursúmque componerent. A vigintiquinque annis, & suprà iussi sunt seruire in tabernaculo: quam regulam in nouo Testamento sancti Patres constituerunt, quia hæc ætas ad ferenda onera est robusta. [Leuitæ ergo ex nomine auctoris vocati sunt. De Leui enim Leuitæ exorti sunt, à quibus in templo mystici Sacramenti mysteria explebantur. Hi Græcè Diacones, Latini ministri dicuntur: quia sicut in Sacerdote consecratio, ita & in Diacono mysterij dispensatio habetur.] Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, scilicet in Baptismo, in chrismate, in patena, & calice, oblationes quoque inferre, & disponere in altari. Componere etiam mensam Domini, & vestire, crucem ferre, & prædicare Euangelium, & epistolam ad populum. Nam sicut lectoribus vetus Testamentum, ita Diaconibus nouum prædicare præceptum est. Ad ipsum etiam pertinet officium precum, & recitatio catechumenorum nominum. Ipse præmonet aures habere ad Dominum: ipse donat pacem, & ipse annunciat. Quod autem huic ordini à Moyse statutum est, hoc etiam in nouo Testamento repræsentatur, cùm Diacono super læuum humerum stola ponitur, & casula in diebus ieiunij complicatur; quia quicquid laboris & sustinentiæ in hac vita toleratur, quasi in læua portatur, donec in dextra, id est, in æternitate, requies habeatur. Hic ordo ab Apostolis celebratus est, quando (vt legitur in Actibus Apostolorum) septem viros plenos Spiritu sancto ad hoc officium elegerunt, & oratione præmissa manus eis imposuerunt. Vnde & consuetudo inoleuit, vt in omni matrice Ecclesia septem Diacones circa Christi aram, quasi septem columnæ, assistant. Hi sunt septem Angeli tuba canentes in Apocalypsi: qui quales esse debeant, Apostolus docet Timotheo scribens. Hi, cùm ordinantur, solus Episcopus eis manum imponit; quia ad ministerium applicantur. Ponit eis orarium, id est, stolam super læuum humerum, vt per hoc intelligant se accepisse iugum Domini suaue: quo ad sinistram

Hug. lib. 2. part. 3. cap. 10. *Num. 3. b & 8. d & 18. a* *Num. 4. a* *Numer. 18. a* *Dist. 78.* *Isidor. 7. Etym. c. 12.* *Dist. 21. cap.* Cleros. *Dist. 25. cap.* Perlectis. *Num. 4. a* *Isidor. vbi suprà c. 8.* *Act. 6. b* *De consec. dist. 2. cap.* Episcopus. *Apoc. 8. a* *1. Tim. 3. a* *Ex Concil. Carth. IV. cap. 4. & Isidorus de gen. off. c. 8.*

dist.23.cap. Diaconus. Matt.11.d 1.Tim.3.b Matt.26.c pertinentia, diuino timori subiiciant. Accipiunt & textum Euangelij, vt intelligant se esse præcones Euangelij Christi. Hi autem antequam ordinentur, probentur, vt docet Apostolus: & sic ministrent nullum crimen habentes. Hoc officio vsus est Christus, quando post cœnam Sacramentum carnis & sanguinis discipulis dispensauit, & quando Apostolos dormientes ad orationem excitauit, dicens, *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Luc.22.d

Presbyter.

I Hugo cap. 11. lib. prælegato. Isidor. 7. etym. c.13. dist.12.cap. Cleros. Sap.4.b Dist.23. Para.1.suprà. Act.8.cap.19.a

SEptimus est ordo Presbyterorum. [Presbyter Græcè, senior interpretatur Latinè. Non modò pro ætate, vel decrepita senectute, sed propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt, Presbyteri nominantur, qui morum prudentia, & maturitate conuersationis præcellere debent in populo. Vnde scriptum est, *Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Ideò autem etiam Presbyteri Sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, qui licèt sint Sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent sicut Episcopi: quia ipsi nec chrismate frontem signant, nec paracletum dant: quod solis deberi Episcopis lectio Actuum Apostolorum demonstrat. Vnde apud veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt: quia illud est nomen dignitatis, hoc ætatis.] Sacerdos nomen habet compositum ex Græco, & Latino, quod est *sacrum dans*, siue *sacer dux*. Sicut enim Rex à *regendo*, ita Sacerdos à *sacrando* dictus est: consecrat enim, & sanctificat. Antistes verò Sacerdos dictus est ab eo, quod antè stat: primus enim est in ordine Ecclesiæ. Ad Presbyterum autem pertinet Sacramentum corporis & sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere, & dona Dei benedicere; qui cùm ordinantur, inunguntur eis manus, vt intelligant se accepisse gratiam consecrandi, & charitatis opera debere extendere ad omnes. Accipit & stolam, quæ vtrumque tenet latus, quia debet esse munitus armis iustitiæ contra aduersa & prospera. Accipit etiam calicem cum vino, & patenam cum hostiis, vt per hoc sciat se accepisse potestatem placabiles Deo ostias offerendi. Hic ordo à filiis Aaron sumpsit initium. Summos enim Pontifices, & minores Sacerdotes instituit Deus per Moysen, qui ex præcepto Dei, Aaron in Summum Pontificem, filios verò eius vnxit in minores Sacerdotes. Christus quoque duodecim elegit discipulos priùs, quos & Apostolos vocauit, quorum vicem gerunt in Ecclesia maiores Pontifices. Deinde alios septuaginta, & duos discipulos designauit, quorum vicem in Ecclesia tenent Presbyteri. Vnus autem inter Apostolos Princeps extitit Petrus, cuius Vicarius & successor est Pontifex Summus: vnde dicitur Apostolicus, qui & Papa vocatur, scilicet pater patrum. Qualis autem eligi debeat Presbyter, Apostolus scribens Timotheo ostendit, vbi nomine Episcopi Presbyterum significat. Hoc autem officio vsus est Christus, cùm seipsum in ara crucis obtulit, idem Sacerdos & hostia, & quando post cœnam panem & vinum in corpus suum, & sanguinem commutauit. Ecce de septem Ecclesiæ gradibus breuiter elocuti, quid ad quemque pertineat, insinuauimus. Cúmque omnes spirituales sint, & sacri, excellenter tamen canones duos tantùm sacros ordines appellari censent, Diaconatus scilicet, & Presbyteratus, quia hos solos primitiua Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus.

Dist. 25. cap. Perlectis. Rom.6.c Isid. lib. 2. de gen. off. cap.7. Dist. 21. post princ. Exod.29.a Matt.10.a Luc.10.a Matt.16.c 1.Tim.3.a Matt.27.f Hebr.9.e Matth.26.

habemus. Apostoli enim in singulis ciuitatibus Episcopos & Presbyteros ordinauerunt. Leuitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus. Subdiaconos verò, & Acolytos procedente tempore Ecclesia sibi constituit. *1.Tim.3.b Actuū 6.b De ætat. & qualit. ord. c. A multis.*

Quid sit quod hîc dicitur Ordo?

K

SI autem quæritur, Quid sit quod hîc vocatur Ordo? Sanè dici potest signaculum esse, id est, sacrum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato, & officium. Character ergo spiritualis, vbi fit promotio potestatis, ordo, vel gradus vocatur. Et dicuntur hi ordines Sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est, gratia confertur, quam figurant ea, quæ ibi geruntur.

De nominibus dignitatis, vel officij.

L

SVnt & alia quædam non ordinum, sed dignitatum, vel officiorum nomina. Dignitatis simul & officij nomen est Episcopus. [Episcopatus autem vocabulum inde dictum est, quòd ille qui Episcopus efficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens, σκοπεῖν enim Græcè, Latinè intendere dicitur. Episcopi autem Græcè, Latinè speculatores interpretantur. Nam speculator est præpositus in Ecclesia dictus, eo quòd speculetur atque prospiciat populorum infra se positorum mores, & vitam. Pontifex est princeps Sacerdotum, quasi via sequentium. Ipse & summus Sacerdos nuncupatur: ipse enim Leuitas & Sacerdotes efficit: ipse omnes Ecclesiasticos ordines disponit.] *Isid. lib. 7. etym. c. 12. & dist. 21. c. Cleros. August. 19. de ciu. Dei, cap. 19. Ezech. 33. b Dist. 21. c. Cleros, quasi per totum.*

De quadripartito ordine Episcoporum.

M

[ORdo autem Episcoporum quadripartitus est, scilicet in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, & Episcopis. Patriarcha Græcè Summus Patrum interpretatur: quia primum, id est, Apostolicum tenet locum: vt Romanus, Antiochenus, Alexandrinus: sed omnium Summus est Romanus. Archiepiscopus, princeps Episcoporum. ἀρχὸς enim Græcè, Latinè princeps dicitur. Metropolitæ autem à mensura ciuitatum dicuntur. Singulis enim prouinciis præeminent, quorum auctoritati & doctrinæ cæteri Sacerdotes subiecti sunt. Solicitudo enim totius Prouinciæ ipsis Episcopis commissa est. Omnes autem superiùs designati ordines Episcopi nuncupantur.] Nota quòd Archiepiscoporum nomine, Primates superiùs significasse videtur, & Metropolitanorum, quos nunc Archiepiscopos dicimus. Horum autem discretio à Gentilibus introducta videtur, qui suos Flamines, alios simpliciter Flamines, alios Archiflamines, alios Protoflamines appellabant. [Sacerdotes enim Gentilium Flamines dicebantur: qui habebant in capite pileum, in quo erat breuis virga, desuper habens aliquid lanæ: quod cùm per æstum ferre non possent, filum tantùm in capite ligare cœperunt. Nudis enim capitibus eis incedere nefas erat. Vnde à filo, quo vtebantur, Flamines dicti sunt, quasi filamines. Sed festis diebus filo deposito pileum imponebant pro Sacerdotij eminentia.] [Vates à vi mentis appellati sunt, cuius significatio multiplex est. Modò enim Sacerdotem, modò Prophetam, modò Poëtam significat. [Cantor verò vocatur, qui vocem modulatur in cantu. Huius sunt duo genera, Præcentor, & Succentor. Præcentor qui vocem præmittit in cantu. Succentor, qui *Isid. ibid. & in can. eodē. Constātinopolitanus. Hierosolymitanus. 2.Cor.11.g Isidor. ibid. & in can. præalleg. Hug. lib. 2. p. 3. c. 11.*

qui ſubſequenter canendo reſpondet. Concentor autem dicitur, quia conſonat. Qui autem non conſonat, nec concinit, concentor non erit.] His breuiter tractatis admonendi ſunt Chriſti miniſtri, quatenus ſicut excellunt ordinis dignitate, ita præcellant vitæ ſanctitate, vt plebs eis commiſſa: eorúmque diſciplinis edocta, gratanter eis obediat, & eorum imitatione de die in diem proficiat, à quibus diuina Sacramenta percipiunt, & Miſſarum ſolemnia audiunt. Miſſa autem dicitur, vel quia miſſa eſt hoſtia, cuius commemoratio fit in illo officio: vnde dicitur, *Ite, Miſſa eſt*, id eſt, ſequimini hoſtiam, quæ miſſa eſt ad cœleſtia, tendentes poſt eam, vel quia Miſſus cœleſtis venit ad conſecrandum dominicum corpus, per quem ad altare cœleſte defertur hoſtia. Vnde & dicitur, *Miſſa eſt*.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm in Eccleſia ſint ſeptem Ordines, eo modo, quo Ordo, vel ordinatio ponitur Sacramentum?

D. Bonau. *hic 1. part. art. 2. q. 2.* D. Thom. *in Supplem. q. 24. art. 3.* Richard. *hic art. 3. q. 2.* Bellarm. *lib. de Sacram. Ordin. cap. 2.* Ruard. *tom. 2. art. 17.* Vaſquez *3. part. diſp. 225. cap. 2. & diſp. 240. cap. 3.* Gabr. *hic, quæſt. vnic.* Maior. *q. 1. & 2.* Nauar. *Sum. cap. 22.*

1 CIRCA iſtam vigeſimamquartam diſtinctionem quæro vnam quæſtionem tantùm: Vtrùm in Eccleſia ſint ſeptem Ordines, eo modo, quo Ordo, vel Ordinatio ponitur Sacramentum? Quòd non, quia tunc in Eccleſia eſſent tredecim Sacramenta, quia præter Sacramentum Ordinis ſunt alia ſex. *Argum. 1.*

Argum. 2. Prætereà, quilibet Ordo habet characterem ſibi proprium: ergo illis ſeptem correſponderent ſeptem characteres; conſequens eſt falſum, quia aut illi eſſent eiuſdem ſpeciei, quod eſt falſum, quia plura accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſunt eſſe ſimul, & ſemel in eodem ſubiecto, *ex 5. Metaph.* aut alterius ſpeciei; & hoc videtur inconueniens, quia in ſpeciebus eſt eſſentialis nobilitas maior, & minor: non ſic videretur aſſignari poſſe eſſentialis excellentia in iſtis characteribus.

Argum. 3. Præterea, in primitiua Eccleſia tantùm videntur fuiſſe duo Ordines, ſcilicet Sacerdotium, & Diaconatus. Siquidem in Actibus Apoſtolorum non legimus alios fuiſſe Ordines tunc in Eccleſia: ergo nec nunc ſunt, quia Eccleſia poſt tempus Apoſtolorum nullum Ordinem ſuperaddit: quia in iſto Sacramento, ſicut & in aliis, oportet inuenire inſtitutionem eius à Chriſto.

Argum. 4. Præterea, Dionyſius *5. Eccleſiaſticæ Hierarch.* ponit tantùm tres Ordines, ſcilicet Epiſcopatum, Sacerdotium, & Diaconatum.

Argum. 5. Præterea, Iſidorus *Etymolog. lib. 7. c. 12.* ponit Epiſcopatum eſſe Ordinem: ſed nullus eſt iſtorum ſeptem; ergo ſunt plures. Idem de Epiſcopatu habetur *in Canone diſt. 21. cap. Cleros.*

Argum. 6. & 7. Præterea, prima tonſura videtur Sacramentum, & quia ſignum ſacræ rei, & quia habentes iſtam tonſuram, gaudent priuilegio clericali, quod videtur proprium ordinatis. Oppoſitum Magiſter in litera.

SCHOLIVM.

Refutat definitionem Ordinis, quam ponit D. Bonau. tribus rationibus. Ponit deſcriptionem Ordinis vt ſic, ex Auguſt. ac duplicem eius acceptionem: vt verò hìc tractatur, affert duas definitiones eius, vnam ſecundùm negantes Epiſcopatum eſſe Ordinem, aliam iuxta id aſſerentes.

2 CIrca [a] quæſtionem hanc ſunt quatuor videnda. Primò, quid ſit Ordo, ſecundùm quòd loquitur de Ordine. Secundò, quot ſunt Ordines in Eccleſia, iſto modo loquendi. Tertiò, ſi Ordo eſt Sacramentum. Quartò, quomodo ſunt vnum? De [b] primo dicitur,

dicitur, quòd *Sacramentum Ordinis est potestas spiritualis ad aliquem actum exequendum in Ecclesiastica Hierarchia*: & per consequens secundùm ordinem diuersitatis ad tales actus in Ecclesia, essent ordines distinguendi.

Quid sit ordo?

D. Bonau. art. 2. primæ partis huius dist. q. 2.

In 2. parte dist. art. 2. quæst. 3.

Refutat definitionẽ S. Bonau.

Contrà, ex ista descriptione sequitur, quòd Episcopatus sit Ordo, quod est contra eos. Patet enim quòd Episcopatus est potestas ad aliquem actum in Ecclesia, vtpote ad actum confirmandi, & conferendi Ordines sacros: & non tantùm potestas congruè exercendi, sed simpliciter exercendi, quia non Episcopus si attentet istos actus, vt videtur, nihil facit.

Secundò, sequitur quòd sub Ordine sacerdotali non sit aliquis Ordo in Ecclesia, quod est contra omnes. Probatio consequentiæ: nam potestatem spiritualem, loquendo de potestate spirituali simpliciter, non habet Diaconus, vel Subdiaconus: quia etsi aliquid congruè possit facere, quod non faceret congruè laicus: tamen, si laicus attentaret illud facere, simpliciter faceret. Tertiò sequitur, quòd Sacerdotium sint duo Ordines, quia Sacerdoti competit duplex potestas spiritualis, scilicet conficiendi Eucharistiam, & absoluendi pœnitentem, quæ non sunt vna potestas; quia vna videtur prior fuisse altera: cùm in cœna contulit Deus primam: secundam autem non, nisi post resurrectionem, Ioan. 20.

3

Intelligendum ergo, quòd vno modo accipitur Ordo, sicut eum describit Aug. 19. de Ciuit. Dei, cap. 13. quòd *Ordo est rerum parium, dispariúmque vnicuique sua loca tribuens, congrua dispositio*. Isto modo accipimus communiter *Ordinem*, cùm dicimus entium in vniuerso esse ordinem: & ita loquitur Aristot. 12. Metaphys. text. 52. *Omnia ordinata sunt aliqualiter*, & declarat quomodo. Hoc modo etiam accipitur *Ordo* in politiis benè dispositis, vbi personarum parium, & imparium in illa politia, congrua dispositio dicitur esse Ordo illius politiæ, à quo ipsa dicitur esse ordinata. Sed alio modo gradus præeminens in tali politia dicitur Ordo: & sic persona in gradu præeminenti dicitur habere ordinem, sicut dicitur habere gradum, quasi Antonomicè, quia qui sunt in gradu inferiori, non dicuntur sic habere gradum.

De Ordine vide Veril. lib. 1. dist. 20. & dist. 44 & lib. 3. dist. 31. lib. 4. dist. præsenti.

Dupliciter sumitur Ordo.

Hoc modo in Ecclesia, quæ est politia ordinata, congruè est Ordo secundùm istam duplicem acceptionem. Nam secundùm primam, tota Ecclesia est ordinata, illa congrua dispositione parium, & imparium vniuscuiusque in suo loco. Secundo modo persona habens gradum eminentem in Ecclesia, dicitur habere ordinem: & licèt hæc duo signata ponant se mutuò, quia vbi est Ordo primo modo in politia, ibi est gradus eminens, & ita Ordo secundo modo: tamen hoc signum, & illud non sunt idem, vt satis patet. Sicut ergo loquimur de Ordine hîc, accipitur pro secundo significato, non pro primo.

4

Vlteriùs, gradus eminens in Ecclesia dicitur in ordine ad actum Ecclesiasticum eminentem; non sic quidem, quòd gradus sit potestas exequendi actum illum, vt dixit prior opinio improbata: sed quòd gradus sit disponens de congruo, vel simpliciter ad exequendum, vel debitè illum actum, vt sic possit Ordo, vt hîc loquimur de Ordine, dici gradus præeminens in Ecclesia disponens ad actum aliquem Ecclesiasticum eminentem: & quia specialiter actus eminentes in Ecclesia sunt actus respicientes Sacramenta; ideò potest specialiùs dici, quòd est gradus disponens ad aliquem actum sacramentalem.

Gradus eminens in Ecclesia est respectu actus sacramentalis.

Ex hac ratione, quasi generali, posset inquiri specialior ratio Ordinis, vt hîc loquimur de Ordine: sed in hoc est quædam controuersia. Qui enim ponunt Sacerdotium esse simpliciter supremum Ordinem, negando Episcopatum esse Ordinem, ex quo Sacerdotium est gradus disponens ad Eucharistiam consecrandam, tanquam ad actum excellentiorem conuenientem illi gradui: & ratio omnium Ordinum inferiorum, vel graduum, debet accipi in ordine eorum ad istud primum, diceretur, quòd esset congrua descriptio Ordinis, quòd est *gradus eminens in Ecclesia disponens de congruo ad actum aliquem, ad consecrationem, vel dispensationem Eucharistiæ pertinentem*.

Rich. D. Thom. & D. Bonauẽtura, & alij.

Alij dicentes Episcopatum esse Ordinem, quia sibi competit aliquis gradus in Ecclesia, qui non competit Sacerdoti; non restringunt rationem Ordinis, quia disponat ad actum eminentem pertinentem ad Eucharistiam: sed in genere, quòd sit gradus eminens in Ecclesia disponens ad actum aliquem sacramentalem exequendum. Et isto modo potestas, quam addit Episcopatus supra Sacerdotium, respicit aliquem actum sacramentalem, videlicet confirmare, & Ordines conferre, qui actus sunt proprij Episcopo.

Altisiod. 4. p. Summæ, c. 1. de hoc Sacram. Gotf. 4. p. Sum. c. 1.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1 *Ordinis multiplex acceptio. Augustin. Prima acceptio.* IN hac distinctione agit Doctor de sacris Ordinibus; in sequenti de inhabilitate eorum suscipiendorum, aut in eis ministrandi. Ordo plura significat. Primò dispositionem plurium inter se, quo modo definitur ab Augustino 9. *de Ciuit. c.* 13. vt notauit infrà Doctor, *Parium dispariúmque rerum, vnicuique sua loca tribuens, congrua dispositio.* Talis est Ordo inter membra vniuersi ex Philosopho 12. *Metaphysic tract.* 52. sic est dispositio in Republica benè ordinata. *Secunda acceptio* Alio modo dicitur gradus eminens in politia, vt Ordo Senatorius, Ordo Equestris. *Vltima acceptio.* In Ecclesia est vterque Ordo, tam dispositionis, quàm eminentiæ: sed adhuc etiam specialiùs sumitur pro consecratione ministrorum, ad actum aliquem exercendum, potissimùm circa corpus Christi verum proximè, aut remotè; & sic sumitur ex vsu præsentis disputationis; vocatur etiam manuum impositio, Græcis χειροτονία, quæ etiam significat electionem. Hanc distinctionem duabus quæstionibus explicat Doctor: quarum prima est de Sacramento; secunda verò de inhabilitate ad Ordinem.

2 a *Circa hanc quæstionem sunt quatuor*, &c. Diuidit quæstionem in quatuor articulos. Primus est de acceptione vocis. Secundus, de numero Ordinum. Tertius, an Ordo sit Sacramentum. Quartus, de vnitate Ordinis.

3 *D. Bonau. Definitio Ordinis.* b *De primo dicitur*, &c. In hoc articulo adducit definitionem, quam S. Bonauentura tradit *artic.* 2. *prima parte huius distinctionis*, *q.* 2. nempe quòd *Ordo sit potestas spiritualis ad aliquem actum exequendum in Ecclesiastica Hierarchia*, &c. *Impugnatur.* Hanc impugnat: quia sic comprehenderet Episcopatum contra opinantem, quia est potestas ad actum spiritualem, nempe confirmandi, & ordinandi. Secundò, quia sequeretur, quòd sub Sacerdotio non esset potestas aliqua, simpliciter loquendo, ad quam necessitate actus, quantùm ad valorem actus datur potestas spiritualis simpliciter. *Ratio explicatur.* Hæc ratio eò tendit, vt probet non sufficere dare potestatem quocumque modo spiritualem, vt sit Ordo. Quia si Pontifex ex priuilegio dat licentiam, vt Clerici inferiores exerceant officium Subdiaconi etiam in Missa cantando epistolam, & ministrando aquam; illa quædam potestas est, vt licitè exerceatur actus: tamen non est potestas Ordinis, & sic similiter de actibus inferiorum Ordinum; requiritur enim vt sit potestas permanens, & indelebilis. Hoc etiam intendit D. Bonauentura, quamuis in definitione eam non exprimat. *Tertia ratio est ad hominem.* Tertiò vrget, quòd in Sacerdotio essent duo Ordines, nempe potestas spiritualis in corpus Christi verum, & altera in corpus mysticum, quæ potestates seorsim conferuntur. Conclusionem huius rationis ipse admittit infrà, vt videbimus: sed hîc vrget contra opinantem, qui contrarium videtur supponere *in* 2. *part. distinct. art.* 2. *quæst.* 4.

4 *Definitiones Ordinis secùdùm varias opiniones. Prima definitio.* In reliquo subiungit acceptionem vocis, quam suprà ex ipso præmisi. Deinde subiungit definitionem Ordinis, iuxta varias sententias circa Episcopatum, An sit Ordo, necne: nempe quòd *Ordo sit gradus eminens in Ecclesia, disponens de congruo ad aliquem actum ad consecrationem, seu dispensationem Eucharistiæ pertinentem.* *Secunda definitio.* Qui asserunt esse Ordinem Episcopatum, dicerent esse *ad actum aliquem sacramentalem exercendum*, sine illa limitatione *ad consecrationem*, &c.

SCHOLIVM.

Prima sententia dicens Episcopatum esse Ordinem & Sacramentum, quia non est potestas iurisdictionis: & ponit duos modos explicandi; vnus, quòd includit Sacerdotium, & sic est eo perfectior, quia in actum eius, & in alios potest. Secundus, quòd condistinguatur ab eo; & sic licèt illud supponat, est tamen eo imperfectior. Ponit sententiam negantem esse Ordinem, sed altercantem an possit à Papa tolli: quam altercationem putat Doctor variam, tenendo non esse Ordinem, quia certum est quòd potestas iurisdictionis tolli potest. In primam inclinat Doctor, quia impugnat secundam: & sic eum sequitur Bassol. hîc; & sic eum intelligit Bellarm. lib. 1. *de Sacram. Ordin. c.* 5. *& hoc puto verius. Ita Altisiod. lib.* 4. *Sum. tract.* 8. *q.* 1. *Palud. hîc q.* 6. *art.* 3. *& q.* 7. *art.* 3. *Durand. q.* 5. *Supplem. Gabr. hîc quæst. vnic. art.* 3. *dub.* 9. *Maior. q.* 1. *Nauar. c.* 22. *n.* 18. *noster Med. lib.* 1. *de sacrorum hom. contin. c.* 34. *Bellarm.* suprà *dicens esse Patrum. Vasquez* 3. *part. tom.* 2. *disp.* 240. *c.* 3. *dicens recentiores in hoc conspirasse, canonistæ c.* Cleros 21. *dist. & cap.* Perlectis 25. *dist.*

5 *An Episcopatus sit Ordo?* DE c secundo articulo, innitentes dictis Dionysij, & Isidori allegatis ad primam partem; & canonistæ dicunt Episcopatum esse propriè Ordinem. Ad quod videtur esse ratio, cùm Episcopo conueniat quædam potestas specialis inquantùm Episcopus: aut illa erit Ordinis, & tunc propositum: aut iurisdictionis, & tunc posset auferri per superiorem, quod videtur inconueniens, quia consecratio alia multo minor consecratione Episcopi, non potest auferri, quin semel consecratum semper maneat consecratum. Probatur *Extrà de consecratione Ecclesiæ, vel altaris, c. aqua. in Gloss.*

Duo modi dicendi, tenendo Episcopatũ esse Ordinem. Ista via posset dupliciter teneri, comparando Episcopatum ad Sacerdotium. Vno modo sic, quòd gradus potest dici eminens, vel propter vniuersalitatem actuum, quos respicit, vel propter nobilitatem actus, quem respicit. Ista distinctio patet in aliis politiis, vbi alicui competunt plures actus, & alicui pauciores, tamen nobilior potest

sibi

sibi competere: vt iudex potest sententiare, qui est actus nobilior, quàm multi alij, qui conueniunt personæ inferiori. Sed cui competit vniuersalitas ad actus, ei competit etiam actus nobilior, quia in vniuersalitate actuum comprehenditur ille actus nobilior: & ex hoc videretur, quòd gradus ille, qui respicit vniuersalitatem actuum, sit simpliciter superior quàm ille, qui respicit præcisè actum nobilissimum: & sic diceretur Episcopatus simpliciter superior Ordo, quia habet Ordinem ad omnes actus Ecclesiasticos, Sacerdos non ad omnes, licèt ad nobilissimum.

Et tunc argumentum cuiusdam Doctoris contra istam conclusionem, quod est: Vnus Ordo non dependet ad alium quantùm ad necessitatem Sacramenti: sed si non Presbyter ordinaretur in Episcopum, nihil esset factum: concludit magis oppositum. Nam quantò Ordo Episcopatus intimiùs includit Sacerdotium, & alios gradus inferiores; tantò est simpliciter perfectior, quia essentialiùs respicit actus istorum inclusorum. *Hoc idem D. Thom. dist. præsenti, art. 3. q. 2. Rich. dist. præsenti, artic. 5. q. 2.*

6 Tenendo tamen istam conclusionem, scilicet quòd Episcopatus esset propriè Ordo, & alius à Sacerdotio, posset adhuc dici, quòd non esset nobilior: quia etsi includendo Sacerdotium, & Episcopatum, sit eminentia gradus, quia ad plures actus, quàm per alterum solum: tamen illud, quod præcisè addit Episcopatus supra Sacerdotium, non est ita excellens gradus sicut Sacerdotium: quia per illud, quod sibi superadditur, non conueniunt sibi actus ita nobiles, sicut conueniunt Sacerdoti per Sacerdotium. *Episcopatus quomodo excellentior, & non excellentior Sacerdotio?*

Nec haberent isti pro inconuenienti, quòd imperfectior Ordo præsupponat, & hoc necessariò, vt recipiatur post Ordinem perfectiorem, quando imperfectior addit aliquam vniuersalitatem ad actus Ecclesiasticos, quam non includit ille, qui est perfectior, sed tantùm Ordinem ad actum perfectiorem.

Alij contradicunt conclusioni, quam tenent illæ duæ viæ: quia negant Episcopatum esse Ordinem propriè dictum, & ideò nec Ordinem superiorem Sacerdotio, vt dicit prima via: nec eo inferiorem, vt dicit secunda. Nec dicit ibi characterem imprimi, sed an sit delebilis à Papa deponente Episcopum: vel non delebilis propter consecrationem, cum qua confertur, altercantur inter se: sed vana videtur altercatio, negando Episcopatum esse Ordinem: quæcumque enim iurisdictio in Ecclesia, vel per superiorem suspendi potest, ita quòd si tempore suspensionis attentet aliquid facere, nihil facit: vel potest totaliter pro omni tempore tolli. *D. Thom. dist. præsenti, q. 3. art. 2. Rich. eadem dist. art. 4. q. 2. & 3. Rich. dist. 25. a. 2. q. 3. Soto q. 1. art. 2.*

7 Saltem [d] quidquid sit de ista controuersia de Episcopatu, actus nobilissimus in Ecclesia simpliciter est consecratio Eucharistiæ: & ita supremus gradus siue nobilissimus propter nobilitatem actus, ad quem disponit, est Sacerdotium: & per consequens isto modo accipiendo descriptionem Ordinis iuxta primam descriptionem positam in primo articulo, & distinctionem Ordinis in Ecclesia, tantùm sunt septem Ordines: quorum primus est gradus disponens ad consecrationem Eucharistiæ, & est Sacerdotium. Secundus gradus est disponens ad dispensationem Eucharistiæ, saltem sanguinis, & est Diaconatus. Tertius est disponens ad oblationem materiæ Eucharistiæ consecrandæ, & est Subdiaconatus. Et patet ratio, quare tres isti gradus Sacramenti dicuntur Ordines, quia immediatè disponunt ad actum aliquem, vel ministerium circa Eucharistiam, vel eius materiam exhibendam. *Sacerdotiũ est gradus nobilissimus in Ecclesia. Ad quos actus disponunt tres Ordines sacri?*

Vlteriùs, aliqui alij gradus disponunt ad actus aliquos remotè se habentes ad Eucharistiam: vel ergo ad conuenientem dispositionem in populo ad orandum, & suscipiendum: vel remouendum impedimentum, seu dispositionem inconuenientem. Primo modo dispositio conueniens pertinens ad effectum, est deuotio, & ad hanc deuotionem attendit Acolytus illuminando cereos. Alia dispositio est pertinens ad intellectum, scilicet cognitio, & ad hanc agit Lector. Remouere prohibens est arcere indignos, ne approximent: vel ergo indignos homines, & hoc pertinet ad officium Ostiarij: vel dæmones, & hoc pertinet ad officium Exorcistæ. *Ad quæ ministeria disponunt quatuor Ordines minores?*

Ex dictis apparet, quòd non est proprius actus Diaconi legere Euangelium, & Subdiaconi Epistolam: sed isti sunt remoti, & minus perfecti actus eorum: perfectissimi autem, & proprij illorum Ordinum sunt, quos habet vnus immediatè circa Eucharistiam dispensandam; alius circa materiam eius offerendam. *Legere Euangeliũ, & Epistolam, an sint primi actus Diaconi, & Subdiaconi.*

COMMENTARIVS.

5 *An Episcopatus sit Ordo?*

Sententia negatiua.

c DE *secundo articulo, innitentes, &c.* Respondens ad secundum articulum de numero Ordinum, differit primò de Episcopatu, an sit Ordo sacramentalis. Partem negatiuam docent omnes antiqui Theologi præter solum Altisiodorensem. Magister *in hac dist. cap. Et alia.* Eam insinuare videtur Alexander 4. *p. Sum. quæst.* 20. *membr.* 8. *artic.* 1. *& q.* 21. *membr.* 4. *ad* 4. vbi negat Episcopatum esse Ordinem nouum, sed ampliari potestatem clauis, quæ sequitur ad Ordinem Sacerdotij per consecrationem Episcopalem. D. Thom. *in hac dist. q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. Richardus *artic.* 5. *q.* 2. Albertus *eadem distinct. artic.* 39. D. Bonauentura *in* 2. *parte distinctionis, art.* 2. *q.* 3. asserens esse communem sententiam. Eam tuentur Capreolus *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. Thomas de Argentina *quæst. vnica, art.* 2. *ad* 5. *&* 8. Ferrariensis 4. *contra Gentes, cap.* 76. Sotus *quæst.* 1. *huius art.* 2. Turrecremata *in can.* 1. *dist.* 21. *& in canonem Cleros.* Syluester *in Summa verb. Episcopus, quæst.* 1. Abulensis *in* 16. *Matth. quæst.* 74. Citatur etiam noster Doctor *in præsenti litera.*

6 *Doctor inclinat in affirmatiuam*

Cæterùm non rectè citatur, vt benè notauit Scholiastes: quia si spectamus discursum, ex quo debet mens eius colligi, tenet affirmatiuam, pro qua discurrit, licèt non exprimat conclusionem propter reuerentiam antiquorum Theologorum, & communem sententiam, vt dicit D. Bonauentura; primus tamen ex Theologis posterioribus eam vocauit in dubium, quam in neutram partem resoluit; sed abstinet ab ipsa controuersia eam relinquens in propriis fundamentis, & transit ad illud, quod erat certum in scholis de numero Ordinum. *Alij contradicunt*, inquit, *conclusioni, quam tenent istæ duæ viæ: quia negant Episcopatum esse Ordinem propriè dictum: sed an sit delebilis propter consecrationem, cum qua confertur, altercantur inter se: sed vana videtur altercatio negando Episcopatum esse Ordinem, quæcumque enim iurisdictio in Ecclesia, vel per superiorem suspendi potest, ita quòd si tempore suspensionis attentet aliquid facere nihil faciat, vel potest omnino pro omni tempore tolli, &c.*

7 Quibus verbis insinuat se manere in ratione adducta pro opinione affirmatiua, quam infrà adducemus, & quam hìc non putat solui, & postea subdit excusando se à controuersia: *saltem quidquid de ista controuersia de Episcopatu, &c.* & in responsione ad quartum quod est ex authoritate Dionysij, Isidori, & Canonis. *Patet*, inquit, *ex secundo articulo, qui enim negant Episcopatum esse Ordinem, exponunt eos accipere Ordinem pro sacramentali, &c.* vbi tantùm adducit responsionem Theologorum antiquorum, non propriam. Deinde, si ex consequentia Doctrinæ argumentari libet, infrà ait, *Sed in Sacerdotio videtur probabile*, inquit, *quod ibi sint duæ formæ partiales, in quarum altera confertur potestas conficiendi Eucharistiam: in reliqua potestas absoluendi in pœnitentia, &c.* quod & suprà fusiùs docuit *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 3. admittens etiam duos characteres partiales, qui integrant vnum totalem: in hac autem litera ideò docet in Sacerdotio duas ordinationes partiales, quia etiam correspondet singulis sua propria materia, & sua propria forma. Sed in Episcopatu idem etiam patet habere

Ex consequentia Doctrina.

materiam, & formam diuersam à materia, & forma Sacerdotij: ergo sequendo hæc principia idem diceret, si propriam sententiam exponeret, quia in hac cõclusione de particulari charactere Sacerdotij recedit à fundamento Theologorum, quo negant Episcopatum esse Ordinem, quia est officij & dignitatis tantùm, in quo confertur potestas, & non character, quæ est ratio Magistri, & originariè fundatur in quibusdam authoritatibus Hieronymi, quas ita explicant Theologi antiqui, vt potestas hæc siue absoluendi in Sacerdote, siue Episcopalis collata in consecratione, non sit character, sed illa consequatur ad characterem Sacerdotalem immediatè, vt dicit Alensis, hæc autem mediatè; vel certè vt sit actus characteris, vt alij dicunt, prima potestas, secunda verò, quæ est Episcopalis, supponat characterem Sacerdotij tantùm, & sit potestas Officij, & dignitatis, seu iurisdictionis faciendi actus Hierarchicos.

In Sacerdotio esse duplicem characterem

Præterea, suprà assignans definitionem Ordinis in articulo primo huius quæstionis, in secunda definitione comprehendit Episcopatum. Et doctrina eius, qua explicat varias acceptiones Ordinis in vltima & particulari acceptione eius, omnia quæ ibidem exprimit, conueniunt Episcopatui, quia *est gradus eminens in Ecclesia disponens ad actum aliquem Ecclesiasticum eminentem, & quia specialiter*, inquit, *actus eminentes in Ecclesia sunt actus respicientes Sacramenta, ideò potest specialiùs dici, quòd est gradus disponens ad aliquem actum sacramentalem*, &c. quæ omnia conueniunt Episcopatui. 8

In secũda definitione Ordinis comprehẽdit Episcopatum.

Quòd si obiiciatur definitionem, quam ipse propriam assignat *in* 5. *artic.* excludere Episcopatum per illam particulam, *cui conuenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendam*, &c. Respondetur *in articulo secundo*, iam se excusasse à resolutione ipsius controuersiæ, & tantùm definire ordinem *in* 3. *articulo*, vt comprehendit quatuor Minores, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum, & prout consequenter præcisè ad Eucharistiam ordinatur. Cæterùm sententiam præmissam assertiuè tenet in Reportatis. 9

Obiectio.

In Reportatis tenet affirmatiuam.

Hanc eandem sententiam tenent Altisiodorensis *lib.* 4. *Summæ, tract.* 8. *q.* 1. Omnes Canonistæ *in c. Cleros, dist.* 21. *& c. Perlectis, dist.* 25. vt citat Doctor. Accedunt posteriores Theologi, Durand. *in hac dist. q.* 5. Paludan. *q.* 6. *&* 7. Bassolis *quæst. vnica.* Mayron. *quæst.* 2. Gabriel *in Supplemento.* Nauarr. *in Summ. cap.* 22. Petrus de Soto *de institutione Sacerdotum, lect.* 4. Michaël de Midina *lib.* 1. *de sacrorum hominum continentia, c.* 3. *&* 4. *& cap.* 16. & communiter recentiores. Bellarmin. *lib. de Ordin. c.* 5. Vasquez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 224. *cap.* 4. Caiet. *tomo opusculorum, tract.* 11.

Sententia affirmans Episcopatum esse Ordinem.

Prima conclusio huius articuli sit, Episcopatum esse Ordinem sacrum à Christo Domino institutum. Probatur, 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij*, &c. & 2. ad Timoth. 1. *Vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, &c. Hinc intelligitur communiter Ordinatio Timothei in Episcopum, qui est gradus Ordinis Sacerdotalis. 10

Episcopatus est Ordo? Prima ratio ex Scriptura.

Dionysius. per manus enim impositionem designatur gradus, quem recipit. Vnde Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. cap. 5. *Manus*, inquit, *impositio docet eos, qui sacris Ordinibus mancipantur, sacras omnes actiones quasi sub Deo efficere, vtpote quem habeant operationum suarum in omnibus ducem & rectorem. Item manuum impositione indicatur protectio Principis & perfectoris Dei, qua internè illi ipsi, quibus manus imponitur, tanquam filij ab eo gubernantur, qua virtutem, & robur ipsis largitur, & aduersarias potestates repellit*, &c. Hieron. Hieronym. in c. 59. Isaiæ ait ordinationem à Græcis vocari *χειροτονίας*; id est, manuum impositionem. Vide in præfatum locum Chrysostomum, Theodoretum, OEcumenium, Theophylact. Augustin. in lib. quæstionum noui & veteris Testamenti q. 93. *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Insufflatio, inquit, hæc (de qua Ioannis 20.) *gratia quedam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habentur.* Vnde Paulus dixit: *Noli negligere gratiam*, &c. Ambrosius lib. de dignitate Sacerd. cap. 5. *Quis dat frater Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Responde, sine dubio Deus? sed tamen per hominem dat Deus*, &c.

11 *Ordinatio Pauli. & Barnabæ. Aliqui negant.* Item *Actorum* 13. habetur Ordinatio Pauli, & Barnabæ Episcopalis, *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentésque eis manus dimiserunt illos*, &c. Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 34. sect. 1.* negat, hîc agi de impositione manus consecratoriæ, sed deprecatoriæ; quod etiam quidam intelligunt, vt *Contrarium probatur.* Vasquez *disput. 235. cap. 3. tom. 3.* Sed hæc interpretatio multùm eneruat argumentum ex Scriptura probans Ordinationem esse Sacramentum, quod potissimùm ex hoc, & loco citato desumitur. Chrysostomus autem in hunc locum *homil. 27.* docet fuisse ordinatos. Idem supponit Leo Papa. Leo Papa epistola 81. aliàs 79. ad Dioscorum *Fuisse Ordinatos.* Alexandrinum. *Præter auctoritatem*, inquit, *consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quòd cùm Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Euangelium mitterent Gentibus prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus quanta, & dantium & accipientium deuotione curandum sit, ne sanctæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum*, &c. Dederunt ergo ex Leone Spiritum sanctum per manus impositionem & Sacramentum. Et libri rituales ex hoc capite sumunt argumentum, non debere ordinationem fieri nisi sub missam, *Omnia ad Sacramētum requisita cōcurrerunt.* quæ est consuetudo communis Ecclesiæ. Et ratio ipsa suadet, quia missio fuit visibilis, & in facie Ecclesiæ ad Apostolatum, seu prædicationem, & per signum visibile, quod denotat, vt patet ex primo loco, Sacramentum gratiæ, & *Modus dandi Spiritū sanctum in primitiua Ecclesia.* collationem Spiritus sancti: nam per impositionem manus in primitiua Ecclesia consueuit dari Spiritus sanctus ab Apostolis in confirmatione & ordinatione, *Actorum 8. & 19. 1. ad Timoth. 4. & 5. & 2. ad Timoth. 1.* Manus autem impositio, & oratio fuit signum communicationis Spiritus sancti: vt *Actorum* 8. Vnde Hieronymus *in Isaia cap. 58. χειροτονίας*, interpretatur manus impositionem, quæ cum vocis imprecatione ordinationem perficit. Hieron.

12 *Obiectio 1. Vasquez ex supputatione temporis.* Neque rationes in oppositum conuincunt. Primò, quia vel illa Ordinatio accidit postquam primò ascendit Ierosolymam anno 3. post conuersionem, vel accidit post annos quatuordecim, quando iterum ascendit Ierosolymam. Sed quidquid dicatur, sequitur eum fuisse Apostolum electum à Christo, vt ipse testatur *ad Galat. 1.* & ordinatum, cùm statim post conuersionem se contulit in Arabiam, antequam vllum Apostolum videret, aut ab eo aliquid disceret: ergo non est dicendum, quòd non fuerit ordinatus Episcopus, antequam missus est hoc loco Antiochiam; nam hoc ipso, quòd fuerit Apostolus, sequitur fuisse Episcopum sua electione, sicut & cæteri Apostoli.

Respondetur: Neque anno 3. conuersionis, neque anno 14. contigisse hanc ordinationem, sed tempore intermedio, nempe anno Christi 44. & secundo Claudij Imperatoris, quo vniuersalis fames totum orbem oppressit, quo eodem anno per Paulum, & Barnabam Antiocheni factam collectam miserunt Hierosolymam, & redeuntes Paulus & Barnabas tunc missi sunt, & ordinati: quamuis autem antea Paulus iuerit in Arabiam, deinde reuersus Damascum prædicauit, inde missus Ierosolymam confidenter agebat, licèt per quindenam ibi hæserit propter insidias paratas Iudæorum. Deinde missus est in Tarsum, mox conquisitus à Barnaba deductus est Antiochiam, in quo plures primùm receperunt fidem, quam prædicarunt discipuli dispersi in persecutione, qua Stephanus occubuit; & hæsit ibi annum vnum: tamen toto illo tempore non legitur Ecclesias fundasse, aut ministros eis proposuisse, aut consecrasse, donec hac vltima missione simul cum Barnaba profectus est, post hanc vltimam vocationem, & consecrationem post quatuordecim annos fundatis Ecclesiis ascendit Ierosolymam, vt conferret Euangelium, quod prædicauit, ne in vanum curreret, vt ipse testatur, cum Petro & aliis Apostolis, qui dexteras coniunxerunt. 13 *Responsio. Quando contigit hæc Ordinatio Pauli.* *Antea nec ministros consecrauit, neque Ecclesias fundauit.*

Habemus ergo & ipsam consecrationem per manus impositionem, & ieiuuio præmisso. Habemus secundò signa, & prodigia confirmantia sermonem, quæ aliàs à Paulo facta non leguntur, in hac missione facta; nam cùm primùm ascenderet Ierosolymam, narratur tantùm vocatio, & constantia in prædicando. Habemus etiam ordinationem, & institutionem Ministrorum, & Ecclesias fundatas. Item in ea ordinatione insinuari ritum ipsum eundem seruatum, quo ipsi ordinati sunt, vt capite sequenti. *Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.* Nam sic etiam ipsi ordinati dicuntur: vnde hîc non defuit ordinatio, quam designat verbum Græcum *χειροτονήσαντες*. Quomodo enim constituissent Presbyteros, nisi per ordinationem. Additur prætereà, ieiunium, & hic sermo est non solùm de Presbyteris simplicibus, sed etiam de maioribus, seu Episcopis, quorum idem tunc nomen fuit, vt postea videbimus. 14 *Signa ordinationis.*

Deinde habemus exitum huius missionis *cap. 14.* nempe eos venisse Antiochiam, exposituros Magnalia, quæ Deus per ipsos peregit. *Et inde*, inquit, *nauigauerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ Dei in opus, quod compleuerunt*, &c. nempe sicut in ea Ecclesia receperunt vltimam vocationem ad Apostolatum, & ordinationem, congruum fuit, vt totius vocationis exitus, & fructus ad eam referrent primùm, prout 15 *Ab exitu missionis idem patet.* *Regressus eorum Antiochiam.*

prout fecerunt, in qua etiam aliquot annis prioribus Petrus Apostolus sui Primatus Cathedram fundauit, & ipsa prærogatiua Cathedræ Petri eminebat tum cæteris. *Cùm autem venissent*, inquit, *& congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis*, &c. Ad rationem autem, seu congruitatem: Respondetur, sicut & ipse Christus primùm elegit Apostolos, antequam ordinauit eosdem, qui primùm ordinati sunt Sacerdotes in Cœna, & vt probabilior fert sententia, Episcopi, quando *Ioannis* 20. in ipsos insufflauit, dicens: *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Ita etiam licèt Paulus fuerit à Christo vocatus ad Apostolatum, & prædicationem Euangelij: tamen hanc vocationem priuatam dici; non autem publicam, & in facie Ecclesiæ: neque dedisse ei tum ordinationem. Quando autem Spiritus sanctus in Ecclesia Antiochena iussit segregari Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsit eos, tunc hæc vocatio tum à Christo, facta est in facie Ecclesiæ, & per Ecclesiam conferentem gradum ordinationis.

Responsio ad rationem ex congruentia.

Diuersa vocationes Pauli.

Vocatio publica in facie Ecclesia.

16 Præterea, quod amplius est, epistola Anacleti ipsum consecrationis mysterium dicitur Iacobus dictus frater Domini accepisse à Petro, Ioanne, Iacobo Apostolis, quando ordinatus est Episcopus Ierosolymitanus, & hinc colligi tres Episcopos requiri ad ordinationem Episcopi, vt hinc pateat consecrationem à munere Apostolatus diuersam esse, neque eo ipso, quo vocati sunt Apostoli, statim ipsa electione Christi ordinationem Sacerdotalem accepisse. Habetur etiam in martyrologio Bedæ hæc consecratio facta 27. mensis Decembris. Non est ergo cur negetur Apostolus Paulus, & si à Christo electus fuerit ad hoc munus, accepisse consecrationem in Ecclesia Antiochena, in qua tunc versabatur, & quam constat fuisse primariam ex Cathedra Petri eo tempore.

Ordinatio Iacobi.

Vocatio ad Apostolatum diuersa est ab ordinatione.

17 Obiicies secundò, tunc non fuisse vllos Apostolos, aut Episcopos Antiochiæ, qui munus consecrationis præstarent: quod magis congruè tantis viris debuit dari ab ipso Petro.

Secunda obiectio ex defectu consecrantium. Responsio.

Respondetur, negando suppositum: quia non est verisimile illam Ecclesiam Antiochenam multitudine fidelium, & authoritate Cathedræ Petri fuisse destitutam maioribus Sacerdotibus, seu Episcopis eo tempore consecratis: quia autem vocatio Pauli fuit immediata à Christo, & per Spiritum sanctum reuelantem Ecclesiæ munus, ad quod assumptus est, non derogat eius authoritati, quòd reciperet ab aliis ordinationem, qui etiam baptizatus est ab Anania: nec minùs congruum fuit eum consecrari ab aliis, qui non ad munus Apostolatus electi sunt, quàm benedici, si iam esset consecratus & ordinatus, non solùm Apostolus, sed & Episcopus, quia benedictio fit à maiori, non à minori.

Non derogat dignitati Pauli consecratum fuisse à non Apostolis.

18 Cæterùm Leo Papa dicit hanc consecrationem factam ab Apostolis, & Arator Poëta *lib. 2. poëmatum*, ait factam à Petro. Aliqui id incredibile ferunt, cùm Lucas mentionem Petri non fecerit. Et quod ait Leo, difficile aiunt, quia non leguntur Apostoli Antiochiæ fuisse præter Petrum, Paulum, & Barnabam, neque constat tunc Petrum fuisse Antiochiæ. Verùm cùm hoc anno solutus vinculis ab Angelo Ierosolymis dicitur Petrus venisse Antiochiam, & inde Romam, vt constat ex Baronio *tom. 2. anno* 44. Benè potuit ipso Antiochiæ existente hæc consecratio contigisse, neque adeò fidem excedunt, quia hoc eodem anno coniicitur missio, & ordinatio Pauli & Barnabæ: quòd autem non fiat mentio eius in hoc loco, sic etiam neque mentio eius fit *Actorum* 9. à Luca, quando Paulus venit post tres annos suæ conuersionis Ierosolymam videre Petrum, vt ipse fatetur *ad Galatas* 1. Quod Leo asserit, facilè per hoc intelligitur, nam si Petrus fuerit tum Antiochiæ, facilè nomen honoris plurale Petro accommodatur, nisi dicere mauis eum intelligere ipsos discipulos, & Episcopos, qui sæpiùs in Scriptura Apostoli dicuntur; quamuis particularium tantùm Ecclesiarum curam habentes: nam *ad Philipp.* 2. Epaphroditus Episcopus Philippensis appellatur à Paulo Apostolus *ad Romanos* 16. Andronicus, & Ianias eius cognati nobiles fuisse in Apostolis dicuntur, 2. *ad Corinth.* 8. eos vocat Apostolos Ecclesiarum, gloriam Christi: hac ergo ratione discipuli Episcopi consecrantes Paulum dici potuerunt Apostoli à Leone.

Leo. Arator. Probabile est fuisse consecratum ab Apostolis.

Petrum hoc anno fuisse Antiochia.

Explicatur Leo.

Quod vlteriùs obiicitur ex verbis Pauli *ad Galatas* 1. se nihil recepisse ab Apostolis, intelligitur quantùm ad doctrinam, quam recepit à Christo, & quantùm etiam ad statum vocationis, quæ fuit etiam à Christo immediatè, consecrationem tamen accepit ab Ecclesia, cui Deus commisit ministerium ordinarium Sacramentorum, neque apparet fundamentum aliquod dispensationis necessarium à lege ordinaria. 19

Alia obiectio soluitur.

Secundò probatur conclusio, quia sancti Patres quando loquuntur absolutè, & sine discrimine de Sacerdotibus, intelligunt Episcopos. Vnde Chrysostomus *in libris de Sacerdotio*, & Ambrosius *de dignitate Sacerdotali*, loquuntur de Episcopis solùm. Anacletus epistola 3. cap. 1. *Sacerdotum, fratres, Ordo bipartitus, & sicut Dominus illud constituit, à nullo debet perturbari*, &c. & infrà: *ampliùs quàm illi duo Ordines, nec nobis à Deo collati sunt, neque Apostoli docuerunt.* Eusebius Papa epistola 3. asserit Episcopos successisse Apostolis: quod in vniuersum alij Patres, & Doctores affirmant, vt Damasus *in epistola* 4. Innocentius I. *epistola ad Decentium Eugubinum cap.* 3. Ioannes III. *in epistola ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ.* Accedit vlteriùs quòd omnes damnarunt hæresim Aëtij, qui sustulit distinctionem inter Episcopatum, & Sacerdotium simplex, vt patet ex Epiphanio *hæres.* 75. & Augustino *de hæres. hæresi* 53. Quod si probatur iure diuino hæc differentia, sic etiam sequi videtur probari Episcopatum esse Ordinem. 20

Secunda probatio conclusionis.

Patres per Ordinem Sacerdotum primariò intelligunt Episcopos.

Anacletus.

Episcopos succedere Apostolis.

Damnatur hæresis negãs distinctionem inter Episcopum, & Sacerdotes.

Tandem vt cætera omittam, quæ à citatis fusiùs tractantur, Tridentinum *sess.* 23. agens de ordinatione, videtur expressè hanc veritatem docere: nam *cap.* 1. docet sacrificium, & Sacerdotium coniuncta esse, & *cap.* 3. Ordinem esse Sacramentum propriè dictum *cap.* 4. esse indelebilem, *cap.* 5. tandem ad Hierarchiam Ordinis præcipuè spectare Episcopos, quibus tantùm competit confirmare, & Ordines cõferre, neque in 21

Trident.

in ordinatione eorum, aut Sacerdotum, aut aliorum Ordinum requiri consensum populi, aut magistratus; ac tandem subdit: *Hæc sunt quæ generatim sacræ Synodo visum est Christi fideles de Sacramento Ordinis docere*, &c. Ergo sicut discernit Episcopatum à gradu Sacerdotij, per actus sibi specialiter competentes, vt est confirmatio, & ordinatio, comprehendit Episcopatum inter Ordines. Quod etiam præfert titulus ipsius sessionis, *Vera*, inquit, *& Catholica doctrina de Sacramento Ordinis ad condemnandos errores*. Neque enim hîc agit Concilium de Ecclesiastica Hierarchia, nisi præcisè, vt constat ex diuersis gradibus Ordinis, quà Sacramentum est, inter quos enumerat Episcopatum; aliàs etiam comprehenderet cætera, quæ ad compagem, & regimen corporis mystici, siue ex institutione Christi, siue ex Canonibus inducta sunt. Primò Vicarium Christi, qui est caput Ecclesiæ visibilis ex diuina institutione.

Episcopatum esse Ordinem.

Agit tantùm de Hierarchia Ordinis, & non iurisdictionis.

22 Deinde ex institutionibus Patrum, & Conciliorum, Patriarchæ, Primates, Metropolitani spectant ad corpus mysticum tanquam primarij Ministri. Ergo sequitur tantùm agere de Hierarchia mystica, vt præcisè consistit in diuersis gradibus Ordinis, quà Sacramentum est; & consequenter comprehendere Episcopatum sub ordine, quà est Sacramentum: quò spectat can. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit*, &c.

23 Vltimò probatur ratione Doctoris, vel potestas Episcopi spiritualis est Ordinis, vel iurisdictionis. Si Ordinis, ergo intentum. Si iurisdictionis tantùm, ergo auferri potest, aut suspendi per superiorē, quod videtur omnino inconueniens.

Argumētum à ratione.

Richardus videtur admittere per degradationem amitti ex toto potestatem Episcopalem, ita vt si aliquid attentet, non possit esse validum. Contra hoc sunt antiqui Canones, quibus præcipitur hæreticos in suo gradu admitti ad Ecclesiam abiecta hæresi; & id potissimùm de Episcopis sanxiuit VII. Synodus actione 1. huius decreti, nulla esset ratio, si dignitas Episcopalis fundaretur in sola iurisdictione amissibili, & separabili à persona, quia certum est extra Ecclesiam, nullam dari iurisdictionem in aliqua hæresi; ac proinde Ordinatio Episcoporum ab hæreticis esset nulla, si consisteret in iurisdictione mera, quæ non esset potestas Ordinis; vnde receptio Episcoporum in suo gradu supponit priorem ordinationem validam fuisse, neque posse innouari; ac proinde potestatem ordinis: nunquam enim solita est Ecclesia recipere aliquem in eo gradu, quem inualidè recepit. Vnde Augustinus perinde asserit contra Donatistas Ordinem acceptum in hæresi valere, sicut & Baptismum *lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13. & cap. 11. lib. 1. de Baptismo, cap. 1. epistola 50. & de bono coniugali, cap. 18. & 24.* & aliàs sæpè.

Sententia Richardi.

Impugnatur. Episcopatus gradum non deleri. Supponūt antiqui Canones de recipiendis hæreticis.

Ordinationē in hæresi factam tenere.

24 Hinc etiam Tridentinum *sess. 7.* docet Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem, ex quo habent esse initerabiles, recipiendo ergo Episcopos ordinatos ab hæreticis, & non per nouam ordinationem, supponitur fuisse priorem validam, & non iterabilem, ac proinde impressisse characterem huius Ordinis. Vnde idem Tridentinum sess. 23. cap. 4. *Quoniam verò in Sacramento Ordinis, sicut in Baptismo, & Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, meritò sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt noui Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinatos, laicos effici posse*, &c. Posteà subdit id esse Ecclesiasticam Hierarchiam confundere: *Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere.* Hæc verba ex causali referunt doctrinam in initio capitis datam; de impressione characteris, & eius indelebilitate. Item errores contrarios, quibus, in verbis præmissis, per veritatis oppositæ declarationem, aduersatur. Ergo supponit in ordinatione Episcopi imprimi characterem, & potestatem, quam habet ordinandi cæteros, & confirmandi, in qua eminet Sacerdoti, esse potestatem Ordinis, & non iurisdictionis.

Trident. De Sacr. in genere can. 9.

In Episcopatu imprimi characterem.

Sotus admittit in Episcopatu imprimi characterem, vel extendi, non tamen dari gratiam, ideóque non esse Sacramentum. 25

Responsio. Impugnatur. Ordinationē Episcopi conferre gratiā.

Contrà, hoc videtur absurdum imprimi characterem Ordinis per Sacramentum, & non dari gratiam: quia sicut character ille est potestas actiua ad actus eminentiores, quàm sint actus, ad quos ordinatur Diaconus, & Subdiaconus, mirum est si in his datur gratia, in ordinatione Episcopi non ita, in qua maior est necessitas gratiæ. Deinde non rectè cohæret imprimi characterem ex opere operato, & signum imprimens non esse Sacramentum. Quia Baptismus non ideò tantùm est Sacramentum, quia confert gratiam, sed etiam, quia confert characterem. Vnde, quando imprimit solum characterem, supposito obice, per modum Sacramenti operatur.

Prætereà, huic doctrinæ aduersatur Tridentinum: quia *sess. 7. de Sacramentis in genere*, docet omnia Sacramenta nouæ legis causare gratiam, *can. 2. 6. 7. & 8.* subinde definiens *canone 9.* prædicta tria Sacramenta etiam imprimere characterem in anima. Deinde *sess. 23. cap. 3. & canone 4.* definit per ordinationem dari gratiam, dari Spiritum sanctum, sub qua ordinatione comprehendit Episcopatum, vt visum est. 26

Alia impugnatio eiusdem ex Tridentino.

Respondent alij in Episcopo quidem esse aliquam superiorem potestatem ex diuina institutione, & sic hunc gradum collatum esse ordinem lato modo sumptum, vt dicit gradum eminentiæ: sed non esse ordinem strictè sumptum diuersum ab ipso Sacerdotali charactere.

Respōsio aliorum.

Contrà, Concilium distinguit ordinem, qui imprimit characterem in Episcopatum & Sacerdotium, & potestatem ad actus, quos potest Episcopus, vt sunt Ordinatio, & Cōfirmatio, tribuit Episcopo, qua est in Ordine superiori, & supponit esse potestatem Ordinis, vel eos actus esse prouenientes ab Ordine propriè dicto; & refert eos in ipsum characterem, non aliam diuersam institutionem diuinam: ergo nulla fingi hîc potest diuersa institutio diuina ab ipso Sacramento, quod imprimit characterem, neque potestas etiam diuersa ex diuina institutione in Ordine ad præfatos actus, ab ipsa potestate Ordinis, seu characteris, vt est potestas actiua.

Impugnatur.

Neque valet instantia, qua dicitur Sacerdos recipere characterem Sacerdotalem, & potesta- 27

Diuersitas inter potestatem ligandi, & soluẽdi, & inter potestatem Episcoporum.

tem Ordinis in ordine ad corpus Christi verum, quam consequitur potestas ligandi & soluendi per modum iurisdictionis, & non ex vi characteris, quia & hoc non est certum, quia potiùs hæc potestas est Ordinis, & supponit characterem partialem, vt infrà dicit Doctor. Et quidquid sit de hoc, hæc potestas est remota, nequitque in actum reduci sine potestate recepta ab Ecclesia: quia, vt diximus, non debuit derogare iurisdictioni Ecclesiæ, cui concessæ sunt claues fori externi; sed non ita se habet potestas confirmandi, & ordinandi in Episcopis, qui validè eam exercere possunt, renitente Ecclesia, & per omnia imitatur potestatem Ordinis: ergo nequit dici potestas iurisdictionis, cuius nullum modum, aut formam sequitur. Ac proinde, vt Concilium insinuat, est potestas Ordinis: nam nulla ratione diceretur imprimi character Ordinis in Episcopi consecratione, qui character est potestas actiua, nisi habeat actus sibi proprios, & independentes ab Ecclesia, & omni iurisdictione proximè & remotè: hi autem actus sunt præfati, qui validè fiunt ex potestate Ordinis, sicut & consecratio hostiæ à Sacerdote degradato, potestatem enim iurisdictionis meræ esse in Episcopis, aut aliis independentem, & proximè, & remotè ab ipsius Ecclesiæ iurisdictione, non rectè cohæret, & perinde derogat potestati absolutè iurisdictionis, quam habet Ecclesia; sicut si Sacerdos haberet potestatem absoluendi sine vlla subordinatione proxima, aut remota ad Ecclesiam. Potestatem autem Ordinis non dependere ab Ecclesia, expedit, quantùm ad valorem sui actus: quia completam potestatem habet ex ipsa ordinatione.

28 *Reijcitur Vasquez.*

Vasquez *disput.*240. *cap.*4. *in fine*, hanc rationem, quam adducit noster Medina *libro de sacrorum hominum origine & continentia, cap.*16. videtur contemnere, sicut & instantiam de Episcopis titulatis tantùm, qua probat iurisdictionem Episcoporum, & aliorum dependere ab Ecclesia, & vniuersali potestate Vicarij Christi. Cæterùm diuisio potestatis in illam, quæ est Ordinis, & iurisdictionis vulgaris, est apud Theologos & Canonistas, sicut & differentia earum; quòd vna sit stabilis & independens, altera autem non ita: sed auferri, aut limitari possit iuxta voluntatem Principis, à quo dependet, & legis: loquendo de vtraque potestate, vt est in inferioribus, & non in capite. Impugnatio autem Vasquez est, quia putat ex vi ordinationis habere Episcopum potestatem, saltem remotam in foro externo, vel proximam, qua possit excommunicare, si haberet subditos, eo modo, quo Sacerdos absoluere, modò haberet subditos. Vnde Titularis Episcopus si transiret in suam ciuitatem in qua habet titulum, posset excommunicare sine vlteriori auctoritate Pontificis; & signum à posteriori est, quia nullus Episcopus potest excommunicare, aut dicere, *Ego te excommunico nomine Summi Pontificis, aut absoluo nomine Summi Pontificis*, sicut neque Sacerdos absoluit in foro interiori nomine, aut authoritate alterius, sed solius Christi.

Ex differentia vulgari, & natura vtriusque potestatis.

Eius fundamentum.

29 *Soluitur.*

Respondetur tamen hanc impugnationem non facere contra Medinam: quia non loquitur Medina de potestate, quam habet Episcopus ex vi Ordinis, sed solius iurisdictionis: vnde siue habeat remotam illam ex vi Ordinis, aut quocumque modo vocetur, erit Ordinis, & non iurisdictionis, sicut etiam potestas absoluendi est potestas Ordinis, vt confertur Sacerdoti in sua ordinatione. Nihil enim contendit Medina, nisi potestatem illam, quam habet Episcopus ex sua ordinatione, ad actus, qui inualidè ab alio quocumque non Episcopo consecrato fierent, non esse iurisdictionis, sed Ordinis: quia illa nequit limitari, aut auferri. Ipse etiam Vasquez admittit potestatem, quam habet Sacerdos in foro interiori ex ordinatione esse potestatem Ordinis.

Impugnatio nō facit contra Medinã.

Quantùm ad potestatem iurisdictionis, de qua Medina, intellectam, prout ipse intelligit, non est dubium eam auferri posse, vt patet in deposito, aut degradato, qui nequit excommunicare: quod perinde dicendum de merè titulato, qui si transiret in suam ciuitatem, vel non, censetur merè titulatus, sed ordinarius; vel certè si alius in eadem ciuitate exercet plenam iurisdictionem, nequit ille excommunicare, sicut neque absens excommunicare potest, neque absoluere ciuem ab alio, qui in ciuitate ordinariam potestatem habet, excommunicatum.

Soluitur instantia facta.

30 *Recipiens authoritatem, eam exercet in propria persona, & nomine, si est ordinaria.*

Quòd autem absoluens non dicat authoritate Romani Pontificis se absoluere in casibus propriis, ideò est, quia habet authoritatem iure ordinario, & non delegatam tantùm. Cæterùm non sequitur quin authoritas illa ipsi conueniat ab Ecclesia, & Pontifice: nam Sacerdos etiam in persona propria, & vt iudex absoluit, licèt per potestatem traditam à Christo: vnde valet, si dicat; Absoluo te ab omnibus peccatis tuis, non inde sequitur authoritatem, in qua absoluit, non esse Christi, aut dependentem ab Ecclesia. Vnde Parochi, Archidiaconi, & alij, quibus iure ordinario olim licuit excommunicare, id faciebant ex authoritate Ecclesiæ, & Conciliorum, atque Pontificis: ergo signum illud, quod adducit præfatus author, nihil conuincit. Neque Medina negat Episcopum ex sua ordinatione habete maiorem capacitatem iurisdictionis externæ in corpus mysticum, quàm habet Sacerdos: est enim Hierarcha, & actus Ordinis, quibus generat Sacerdotes ministrósque alios Ecclesiæ, supponunt illam capacitatem; sed est Ordinis, & non propria iurisdictionis externæ in actu, sed in potentia, & ratione eminentiæ gradus, in quo constituitur per sui ordinationem.

31 *Dubium. An diuersus sit character? Conclusio affirmans.*

Dubitatur, an character Episcopalis sit diuersus à Sacerdotali, an potiùs extensio illius ad actus Episcopales? Aliquibus placet esse eundem extensum; aliis verò placet esse diuersum characterem, licèt necessariò ex parte subiecti præexigat characterem Sacerdotalem; quæ connexio non est in aliis ordinibus ex parte rei. Magis placet hæc sententia de rigore locutionis, quoniam Anacletus sic distinguit duos Ordines Sacerdotum, in Episcopos & Presbyteros. Leo Papa *in epistola* 84. *aliàs* 82. Subdiaconatum numerat quartum in ordine, vbi comprehendit Episcopatum vt primum. Isidorus etiam, & habetur *cap. Cleros, dist.* 21. hanc distinctionem sequitur, sicut & Tridentinum locis citatis, quòd Episcopum supra Sacerdotem tanquam diuersum ordinem statuit. Probatur etiam sic consequenter dici debere, tenendo hanc sententiam, quam defendimus; quia illa extensio vix commodè applicari potest huic proposito, aut etiam explicari, tenendo Episcopatum esse distinctum ordinem; quidquid enim sit de illa extensione prout fit in quantitate, hic talis esse nequit,

Extensio propriè sumpta. nequit, vt benè probat Medina, quia quantitas non extenditur per additionem noui gradus ad priorem; sed ratione subiecti per nouam dilatationem eiusdem formæ prioris. In proposito non ita fit, sed additur noua potestas ordinis; ergo nouus character.

32 *Extensio relationis ad diuersos terminos.* Si loquamur præterea de eadem extensione, prout ab aliquibus explicatur in relationibus, quando vna ad diuersos terminos dicitur extendi, vt paternitas, quæ fuit ad priorem filium, extenditur ad cæteros. Hæc sententia dependet à quibusdam fundamentis, quæ impugnationem patiuntur in Scholis, vt quòd accidens indiuiduetur à subiecto; quòd solo numero distincta non possint esse in eodem subiecto, de quibus hîc non est agendum: *Excluditur similitudo extensæ relationis.* sed similitudo non currit, quia in eo casu requiritur, vt termini sint eiusdem rationis, nempe specificæ, & procedant secundùm eundem modum causandi à generante per generationem. Hic autem actus potestatis Sacerdotalis, & Episcopalis sunt diuersi ordinis, & speciei: ergo nequit eadem potestas extendi ad vtrosque, sicut neque eadem relatio est in patre ad filium, vt sunt idem in *esse* hominis, & vt vnus procedit ab alio.

33 *Reijcitur similitudo extensionis scientiæ.* Per hoc etiam patet ad instantiam de extensione habitus scientiæ totalis ad plures conclusiones: quia id affirmantes asserunt habitum non multiplicari in specie, & ei correspondere ex parte obiecti aliquam rationem vnam formalem, quocumque modo explicetur, sub qua respicitur ab habitu, sit abstractionis, aut alia; hic autem neque character Sacerdotalis virtute includit Episcopalem, aliàs non esset adhibendum aliud signum sensibile diuersum in *esse* Sacramenti ad impressionem huius, neque etiam character Sacerdotalis extendi potest ad actus Episcopales, sicut idem principium applicatum diuersis conclusionibus, quas includit, eas continet in seipso, quantùm ad veritatem, & extrema, seu terminos inuariatum. Tenendo itaque Episcopatum esse diuersum, & propriè dictum Ordinem, nequit propriè saluari per solam extensionem characteris Sacerdotalis; aut hæc veritas Theologica satis explicari per præmissas instantias dubias, & præsenti conclusioni non adeò congruentes ex suis principiis, ex quibus deducuntur.

34 Probatur ergo imprimi nouum characterem, & specie diuersum in Episcopi ordinatione. Suppono conclusionem præmissam cum suis fundamentis: quia hîc tantùm disseritur cum iis, qui admittunt eandem conclusionem. Et *Probatio conclusionis à priori ex materia, forma, effectu.* sic argumentor: diuersa sunt Sacramenta quantùm ad efficaciam, & institutionem, & quantùm ad res, vt subsunt institutioni, Ordinatio Sacerdotis, & Episcopi; vtraque imprimit characterem, quæ est potestas actiua in ordine ad actus proprios, qui sunt alterius rationis: forma verborum significans potestatem traditam est omnino diuersa, quia exprimit effectum potestatis, seu ipsam potestatem traditam in ordine ad actus suos proprios. Ordinatio Sacerdotis non tribuit neque exprimit implicitè, aut explicitè potestatem Sacerdotalem, neque Episcopalis Sacerdotalem, licèt illam supponat tanquam necessariam ex parte subiecti capacis Sacramenti, sicut Baptismus supponitur necessariò ad confirmationem, cuius dicitur à Patribus complementum. Ergo vtrumque Sacramentum habet etiam suos effectus tam gratiæ, quàm characteris diuersos, sicut Baptismus, & Confirmatio.

Probatur consequentia: diuersitas effectus in proposito sumitur ex diuersitate signi sensibilis, & verborum, & institutionis, quæ concurrunt in proposito, supponendò ordinationem Episcopi esse Sacramentum, & imprimere characterem. Diuersitas etiam potestatis sumitur in ordine ad diuersitatem actus, ad quem datur; ergo, &c. Diuersitas characteris in proposito sumitur etiam in ordine ad Sacramentum proprium, & diuersum, à quo imprimitur, & eadem diuersitas, vt est potentia actiua suo modo siue moralis, siue Physica, sumitur etiam in ordine ad actus diuersos specie, & proprios, ad quos præcisè ordinatur. Sicut ergo Confirmatio, licèt supponat Baptismum, & sit eius complementum, quia ordinatur ad constituendum perfectè Christianum, & ad professionem fidei receptæ in Baptismo, quia per aliud Sacramentum, & institutionem diuersam datur, non dicitur character eius esse extensio characteris baptismalis, neque id conuenit Tridentino, aut Florentino, quæ numerant characteres diuersos impressos in his Sacramentis. Sic similiter cùm Tridentinum asserit in Ordine imprimi characterem, ea diuersitate, qua characteres aliorum Ordinum à se inuicem distinguuntur, ita character Sacerdotalis distinguitur ab Episcopali. Nam eadem videtur esse ratio differentiæ propter diuersitatem actuum, & ordinationis, quæ reperitur, tam in his, quàm in aliis Ordinibus, & diuersitatem institutionis. 35 *Probatio consequentiæ.* *Exemplum à confirmatione.*

Dices, fortè vtrumque characterem facere vnum integrum ordinem eo modo, quo potestas data Sacerdoti in corpus Christi verum, & potestas in corpus mysticum, faciunt vnum integrum characterem, ita vt Ordinatio Episcopi sit perfectio quædam Sacerdotij, & Episcopus sit perfectus Sacerdos. Ita Vasquez *cap. 5.* sequens Durandum. 36 *Responsio.*

Contrà, ad propositum conclusionis nihil refert, modò teneatur hæc ordinatio esse Sacramentum propriè dictum. Cæterùm non consequenter videtur id dici; nam ea ratione veteres Theologi negarunt Episcopatum esse Ordinem propriè dictum, ne concederent esse diuersum Sacramentum à Sacerdotio. Sed quidquid dicatur, manet ratio præmissa, quia neque ex characteris naturâ id colligitur, neque ex alio vllo capite characterem Sacerdotalem, & Episcopalem facere vnum magis, quàm Baptismalem, & Confirmationis, neque institutio cohæret, neque Sacramenta, seu signa sensibilia; quia hæc non ordinantur ad eundem effectum, neque character ad eosdem actus; imò maiori fundamento posset dici character Subdiaconatus extendi ad Diaconatus, quia hic gradus potest supplere alterum, & Presbyter officium Diaconi; sed neque Episcopatus, si seorsim dari possit, suppleret Sacerdotium, neque Sacerdotium potest supplere Episcopatum, neque Episcopus inquantùm Episcopus absoluit, aut consecrat, sed inquantùm Sacerdos, neque è contra Sacerdos inquantùm Sacerdos ordinat, & confirmat, sed inquantùm Episcopus. Neque Patres statuentes differentiam inter Episcopum & Sacerdotem, tanquam inter diuersos Ordines, hunc modum admittunt: nunquam enim Patres diuiserunt *Impugnatur.* *Principia colligēdi diuersitatem characterum.*

Ordinem Presbyteratus in duos Ordines: diuidunt tamen Ordinem Sacerdotum in Episcopatum & Sacerdotium; vt Anacletus citatus, Isidorus, Leo Papa.

37 *Responsio Vasquez.* Sed respondet Vasquez Anacletum intendisse tantùm excludere Coëpiscopum tanquam Ordine diuersum. Leo verò intendit maiori iure Episcopum teneri ad continentiam, quàm reliquos. *Impugnatio. Retorquetur solutio.* Contrà, hoc ipsum euincit contrarium, nam si voluit Anacletus excludere Coëpiscopum, qui inter Sacerdotes numerabatur, & distinxit duos Ordines Sacerdotij; intendit duos esse, & tanquam diuersos numerari. *Anacletus.* *Amplius*, inquit, *quàm isti duo Ordines Sacerdotum, nec nobis à Deo collati sunt, neque Apostoli docuerunt*, & quamuis inter Episcopos numeret Primates, subdit: *Episcoporum Ordo vnus est, licèt sint Primates illi.* Deinde Leo numerat quatuor Ordines, Episcopatum, Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum: intendit ergo diuersos esse Ordines, & si continentiæ obligatio ex ordine nascitur, & præ reliquis ex Episcopatu ob eminentiam eius; sequitur illum esse ordinem diuersum ex mente Leonis, atque inducentem nouum titulum, & diuersum à reliquis. Deinde Isidorus ita explicari nequit, qui ex proposito differentiam, & nomina Ordinum tradit.

38 *Responsio impugnatur.* Si dicas loqui eum de Ordine latè sumpto, quia ibi enumerat aliquos gradus, qui non sunt Ordines strictè dicti. Hoc plurimùm eneruat argumentum probandi Ordinem esse Sacramentum desumptum ex Patribus, quod supponit Tridentinum *sessione* 23. nam eodem modo loca eorum interpretari licet de Ordine latè sumpto pro gradu dignitatis tantùm, non verò strictè.

Epiphanius. Epiphanius loco præfato: *Dicere*, inquit, *ipsum Episcopum, & Presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile? Episcoporum enim Ordo patrum generator est, patres enim generat Ecclesiæ, Presbyterorum verò* (supple Ordo) *non potens generare patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen patres*, &c. Ecce quomodo distinguit duos Ordines ad propositum argumenti præmissi, ex diuersitate potestatis, & *Trident.* vt cæteros Patres omittamus, Tridentinum *sessione* 23. *cap.* 4. numerat Episcopum, Ordinem alium à Presbyteratu, & distinctionem ex diuersitate functionis probat.

Fundamentū Vasquez. Neque contra hoc plurimùm vrget ratio præfati authoris, nempe ex communi sententia scholæ solùm enumerari septem Ordines.

39 *Soluitur. Veterum scopus & sententia.* Respondetur, nempe sic enumerari ex sententia veterum, qui negabant Episcopatum esse Ordinem propriè dictum, & tenendo tamen conclusionem, sequitur Ordinem Sacerdotum esse duplicem.

Cæterùm hoc extraneum est intentioni veterum, qui tantùm enumerabant Ordines respectiuè ad ministerium Eucharistiæ; & sic etiam constituebant: Noster autem Doctor eundem numerum tradit omittendo Episcopatum, quem si adderet, diceret esse alium Ordinem. Cùm ergo de reipsa constat, non est quòd numerus auctus scrupulum ingerat.

Instantia desumpta ex duplici potestate Sacerdotij soluitur. Ad instantiam, quam adducit Vasquez de Sacerdotio, quod ex duplici potestate partiali complet integrum Sacramentum, iam responsum est ex vsu Ecclesiæ dici vnum Ordinē, non ita Episcopatum, & Sacerdotium; congruum etiam erat, vt habens potestatem in corpus Christi verum, illúdque conficiendi, etiam haberet potestatem in corpus mysticum remittendi peccata, quatenus hæc requiritur ad dignam sumptionem Sacramenti, cuius ministerium primò competit Sacerdoti ex officio, & suo gradu; proinde etiam eidem potestas reconciliandi peccatores concessa fuit, vt disponens ad vsum legitimum Sacramenti: non ita est in proposito: quia vsus vnius potestatis non ordinatur ad actum alterius, ideóque nequit vna dici compleri per aliam, aut vtraque potestas coire in vnam. *Congruentia potestatis ligandi & soluendi in Sacerdotio.*

Contra conclusionem præmissam obiicitur primò Hieronymus variis in locis, in quibus videtur non admittere differentiam inter Presbyterum, & Episcopum iure diuino; sed tantùm humano, prout docuerunt Aërius, VVitclefus, & alij. Aliqui tamen constituunt differentiam in his, nempe hæreticos damnasse ordinationem Episcoporum, quatenus Ecclesiæ negabant potestatem constituendi hoc ministerium, neque licitum esse iure humano, quod non docuit Hieronymus, sed tantùm iure diuino non fuisse introductum. Ita Soto, & Vasquez affirmantes, Hieronymum in illa sententia fuisse; sed hoc vltimum tenuisse hæreticos, indéque reprehendit Vasquez nostrum Medinam, *cap.* 4. qui hanc moderationem impugnat, statum tamen videntur impugnare hæretici, idque ex Scriptura, vt ipsis videtur, quia non fuit secundùm institutionem diuinam, cuius mentio non habetur in Scriptura, vt ipsi mentiebantur, quibus Patres vicissim respondebant ex Scriptura, sed huic quæstioni non insisto, quia eximere hac ratione Hieronymum parùm iuuat. 40 *Obiectio ex Hieronymo.* *Interpretatio Hieronymi secūdùm aliquos.* *Sotus. Vasquez.* *Sensus hæreticorum.*

Primus locus Hieronymi tomo 6. in Commentariis Epistolæ ad Titum cap. 1. in illa verba: *Huius rei gratia reliqui te*, &c. *Idem est ergo Presbyter*, inquit, *qui & Episcopus, & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur, postquam autem vnusquisque eos, quos baptizabat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus Presbyter electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur*, &c. 41 *Loca Hieronymi subijciuntur.*

Item Epistola ad Euagrium quæst. 85. & prima ad eundem ait. *Quòd autem posteà vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista vsque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium nouerint, & Archidiaconum vocent.* Citatur etiam & in Dialogis contra Luciferianos, quem locum aliàs explicuimus distinctione 7. Propter has auctoritates multi existimant Hieronymum fuisse in prædicta sententia, vt noster Medina Castro verb. Episcopus aduersus hæreses. Vasquez distinct. 240. cap. 1. & alij. *Epistola ad Euagrium.*

Respondent alij & meliùs Hieronymum non fuisse in illa sententia: nam epistola 54. ad Marcellum docet Episcopos successisse Apostolis, & Epistola 85. ad Euagrium, c. 2. in Michæam, Epistola 1. ad Heliodorum, *Diaconatum*, tertium gradum *Eximitur Hieronymus.*

gradum constituit inter Ordines Ecclesiasticos in Isaiæ cap. 19. super illud: *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti*, &c. intelligit quinque ordines Ecclesiæ, tres Ministrorum, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, duos alios plebis, nempe fidelium Baptizatorum, & Catechumenorum in Ieremiæ cap. 13. vocat Episcopos primum ordinem, reges Ecclesiæ, & filios de stirpe Dauid: Sacerdotes verò secundum gradum in honore Ecclesiastico. Item, in *Matthæi* 25. asserit Apostolos constituisse Presbyteros, & Episcopos per singulas ciuitates. *Contra Iouinianum*, *cap.* 19. docet Episcopos potiori iure teneri ad cælibatum, sicut & Presbyteros, & Diaconos, quin etiam *in Dialogis contra Luciferianos* docet manuum impositionem spectare ad Episcopum, & *Epistola* 85. etiam ordinationem esse Episcopi, & non Presbyteri. Ex his locis intelligendus est Hieronymus, non voluisse æquiparare vtrumque gradum, quasi distinctio esset solùm ex lege humana, & consuetudine inter vtrumque ordinem.

42 *Episcopi fuerunt in Ecclesia ante schisma.* Quod confirmari potest: quia hanc differentiam constituit Hieronymus inductam esse ex occasione schismatis; de qua agit Paulus *in 1. ad Corinth. cap. 3.* Sed eodem anno, nempe Christi 57. scripsit etiam Paulus primam ad Timotheum, in qua de ordinatione Episcopali agitur, vt suprà visum est: ergo distinctio vtriusque Ordinis præcessit schisma. Accedit ex Simeone Metaphraste in Itinerario Petri antequam Romam veniret (de qua re Baronius anno 44.) plures ab eo constitutas Ecclesias, & ordinatos Episcopos; quod contigit ante schisma. Præcessit etiam ordinationem tam Iacobi, quàm Pauli, & Barnabæ: de qua superiùs egimus: ergo nequit intendi à sancto Hieronymo Scripturarum, & Historiarum peritissimo, qui etiam de scriptoribus Ecclesiasticis illam ordinationem Iacobi in Episcopum Hierosolymorum docet; nequit, inquam, intendi differentiam Episcopatus ex causa schismatis inuentam esse, aut etiam prælationem: quoniam & hæc etiam iure diuino inducta est. Quoniam *in Epistola ad Euagrium*, *& Nepotianum* docet sicut ab Aaron summo Sacerdote cæteri differebant Sacerdotes, ita etiam ab Episcopo differre Presbyteros.

43 *Scopus Hieronymi.* Quid ergo aliud intendit Hieronymus? Respondetur intendere supercilium Episcoporum deprimere, qui dominantur in Clero, & sui gradus authoritatem in contemptum aliorum conuertunt, & potestatem concessam absolutam gubernandi Ecclesiam solis Episcopis, sine *Absolutam gubernationē intendit esse iuris humani.* consensu, aut concessu Sacerdotum fuisse ex occasione schismatis inductam, non verò ex diuina ordinatione: quamuis enim Episcopi primum gradum semper iure diuino obtinuerunt: tamen etiam Presbyteri in regimine Ecclesiæ commune ius habebant, in suo tamen gradu, & assistebant Episcopis, donec factionibus, & schismati locum præberent, & in partes traxerint plebem, vt quis diceret, *ego sum Apollo, ego Cephæ, ego Pauli*, &c.

44 *Communis primùm fuit administratio seruato gradu.* Primùm ergo considebant etiam Presbyteri cum Episcopis, vt patet in Concilio Hierosolymitano, in quo actum est de Legalibus; vbi etiam cum Apostolis conuenerunt seniores, qui & Presbyteri; sed postea quia Presbyteri subducebant se tanquam absolutos Episcopis, hæc subordinatio instituta est, quæ fuit iuris diuini interpretatio, & primæ institutionis, quam sicut secundùm gradum tenent in Hierarchia, ita etiam primò, qui est Episcoporum, deferrent, & suum gradum tenerent; quod plurimùm commendat Ignatius Martyr *Ignatius.* discipulus Apostolorum, & vt fertur ordinatus à Paulo Antiochiæ Episcopus super Christianis gentibus ad fidem conuersis, monet Epistola ad Trallianos, ad Tarsenses, ad Smyrnenses, hunc ordinem, & subiectionem Presbyteri ad Episcopum, & tanquam diuini Iuris, & institutionis exponit. Vnde in Epistola ad Philadelphios: *Boni sunt*, inquit, *Sacerdotes, & sermonis Ministri, melior autem est Pontifex, cui credita sunt Sancta Sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei*, &c. in Epistola ad Smyrnenses: *Laici Diaconis*, inquit, *subijciuntur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, & ipse Patri*, &c. & in reliquis Epistolis idem cum solicitudine admonet.

Ex his patet ad loca præfata Hieronymi eum 45 velle tantùm commune officium, & nomen fuisse Episcopis, & Presbyteris ante schisma: non verò ordinem, aut gradum, cùm Episcopi soli ordinationem, & Chrisma, vt ipse docet, conficiant, quod non potest Presbyter. Hoc *Exponitur locus Epistolæ ad Euagriū.* tantum intendere videtur mihi in Epistola ad Euagrium: nam Ecclesiam Alexandrinā caruisse Episcopis ordinatis, vsque ad Heraclam, nec est credibile, neque concordat historiæ Ecclesiasticæ, aut Conciliis, in quibus priuilegium antiquitatis huic Sedi præ reliquis Patriarchalibus tribuitur, seu authoritatis, quod non subsisteret, si vsque ad Heraclam Pontificibus careret. Constat autem ex certis historiis & monumentis in eadem Sede præcessisse vndecim Pontifices, *Episcopi qui præcesserunt Heraclam in Sede Alexandrina.* quorum primus numeratur Anianus successor Sancti Marci, vt patet ex historia Eusebij *lib. 2. cap. 23.* cui cæteri in hoc consentiunt. Secundus Abilius *lib. 3. cap.* 12. Tertius Cerdo *cap.* 16. Quartus Primus *lib. 4. cap.* 1. Quintus, Iustus *cap.* 4. Sextus Eumenes *cap.* 5. Septimus Marcus *cap.* 10. Octauus Eladion *cap.* 18. Nonus Agrippinus *lib. 5. cap. 9.* Decimus Iulianus *ibid.* Vndecimus Demetrius *cap.* 21. quem secutus est Heracla.

Sed audire præstat ipsum Hieronymum de 46 hoc Demetrio *lib. 2. in Apologia contra Ruffinum, cap. 5.* Hic enim Demetrius se opposuit Origeni, primùm damnans eius promotionem contra Canones ad Presbyteratum: quia fuit exectus, eam promotionem recepit in Palæstina à Ioanne Hierosolymitano. Deinde, propter errores eum communione priuauit. In quem Origenes in quadam sua Epistola proinde inuehitur, de qua Hieronymus sic loco præfato agit: *Cùm illa*, inquit, *Epistola* (supple Origenis) *tota Demetrium Alexandrinæ vrbis Pontificem laceret, & in totius Orbis Episcopos, & Clericos inuehatur, & frustra ab Ecclesijs excommunicatum se esse dicat*, &c. Hæc Hieronymus, admittens Demetrium fuisse Pontificem illius Sedis, sicut & Episcopos à cæteris Clericis probè distinguit. Quid autem speciale habuerit promotio Heraclæ quoad gradum Pontificalem præ Demetrio, & anterioribus, ego non inuenio. Coniicio tantùm ex verbis Hieronymi ad Euagrium mutatam esse for- *Causa mutationis regiminis in Ecclesia Alexandrina.* mam regiminis illius Ecclesiæ; quam communi consensu regebant Presbyteri considentes prioribus Episcopis vsque ad Heraclam, &

Diony-

Dionysium eius successorem, quænam autem fuerit ratio, aut causa huius mutationis, conii-cere libet ex iis, quæ tunc acciderunt, nempe ad schisma ortum causa Origenis, quod primum fuisse videtur in Ecclesia Alexandrina. *Schisma in causa Origenis.* Sublato enim Demetrio, cuius sententia rata fuit ab aliis Ecclesiis, Heraclas successor impensè fauit Origeni. Sed Dionysius eius successor, licèt Origenis fuerit discipulus, exemplum Demetrij secutus est.

47 Ob has ergo causas videntur varia studia in Clero oborta, dum Heraclas acta sui Prædecessoris in Origenem dissimularet, & contrà Dionysius renouaret; in partes autem diuiso Clero, summa rerum ad Pontifices ipsos reuocata est; & hanc tantùm regiminis, non ordinis, aut gradus Pontificalis mutationem insinuare vult Hieronymus ad Euagrium, & in vniuersum finis eius, vt Episcopi sua præeminentia non abutantur in contemptum Sacerdotum, quibus par nomen, & authoritatis communicata potestas fuit ante schisma in primitiua Ecclesia, quin etiam vsque ad Heraclam, & Dionysium Alexandriæ vsque ad schisma in causa Origenis; congruit autem vt in illa Ecclesia præ cæteris hic mos seruaretur in memoriam primi eius fundatoris Marci, qui non fuit Episcopus, sed Ecclesiam nomine D. Petri fundauit. Dici etiam potest fortè electionem Episcopi Alexandrini aliàs spectasse ad Presbyteros; sed suborto schismate reuocatam fuisse ad Metropolitas, & Episcopos per Ægyptum, nam de electione videtur etiam loqui specialiter Hieronymus, tanquam fuerit mutata.

48 Ex his patet ad alia Hieronymi citata, quæ occasionem dedisse videntur antiquis Theologis, vt Episcopatum Ordinem esse negarent, sed tantùm Officium, & dignitatem.

Aliæ obiectiones soluuntur. Secundò obiicit Sotus communem Ecclesiæ & Doctorum sententiam, qua numerantur septem tantùm Ordines.

Respondetur, vt suprà, sub Sacerdotio contineri Episcopatum tanquam primum gradum Hierarchiæ, vt patet ex Anacleto, & Tridentino.

Tertiò obiicit Ordines Ecclesiasticos constitui tantùm in Ordine ad Eucharistiam.

Respondet Doctor in litera, si Episcopatus est Ordo, non definiri Ordinem respectiuè ad Eucharistiam, vt patet ex secunda definitione, quam in primo articulo statuit.

Episcopatum respicere Ordinem ad Eucharistiam. Respondet secundò Mayrones etiam Episcopatum respicere Eucharistiam mediatè, quia ordinat ministros eius, hoc autem sufficit, vt dicat illum Ordinem mediatum, vt patet in aliis Ordinibus, qui mediatè tantùm respiciunt Eucharistiam. Hæc responsio est etiam bona: quia actus primarius Episcopatus est consecrare ministros Eucharistiæ. Ab hac responsione etiam non abhorret Doctor, &c. *art.* 2. vbi respondens ad argumentum D. Thomæ, & Richardi, dicit: quantò Ordo Episcopatus intimiùs includit Sacerdotium, & alios gradus inferiores, tantò est simpliciter perfectior: quia essentialiùs respicit actus istorum inclusorum.

Quarta obiectio. Obiicitur quartò. Quòd Episcopatus, si esset Ordo, non dependeret à Sacerdotio, quia alij Ordines à se inuicem non dependent.

49 Respondet Doctor loco iam citato, tantùm inde probari perfectionem Episcopalis Ordinis super reliquos: Episcopatus enim vniuersalitate potestatis excedit reliquos. Vnde sicut dicit maiorem potestatem super corpore mystico Ecclesiæ, cuius compago, seu vnio maximè respicit corpus verum Christi, quod vnit mediante charitate membra inter se, & Christo: ita etiam congruum fuit, vt hæc potestas tantùm posset acquiri supposita potestate in corpus verum Christi. *Sacerdotium supponit Episcopatus.* Et quòd Hierarcha sicut consecrat ministros Eucharistiæ, etiam ipse in sui ordinatione supponat Sacerdotium, quod confert alioquin, aliàs non haberet Hierarcha potestatem completam in corpus Christi mysticum, nisi etiam haberet in corpus verum: hinc Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia, *Pontificum Ordo*, inquit, *primus, idem summus & vltimus, purgat, illuminat, & perficit*, &c. *Dionysius.* Debent ergo Episcopi purgare, & habere potestatem sacrificandi, & remittendi peccata, in qua communicant Presbyteris; perficiunt verò chrismando, & ordinando, & regendo Ecclesiam. *Episcopus purgat, illuminat, perficit.*

Ex hoc patet ad aliam rationem, qua probatur character Episcopalis includere Sacerdotalem. Respondetur supponere; sicut illuminatio, & purgatio supponuntur ad perfectionem. *Ideò supponit Sacerdotium.*

50 Obiicitur quintò, quòd Episcopus ordinatur in Dominica die, Sacerdos autem in Sabbato: ergo Episcopatus non est Ordo alius, aliàs eodem tempore cum aliis daretur. *Quinta obiectio.*

Respondetur sequi contrarium, quia Episcopatus in die Dominico confertur, propter dignitatem eius. *Soluitur.* Sed etiam alij Ordines aliquando in Dominica conferuntur, vt patet de iis, quibus datur facultas suscipiendi Ordines extra tempus. *Ordinatur die Dominico ob dignitatē.* Videatur *cap. Quod à Patribus, dist.* 45. *cap. Quod die Dominico, eadem, & cap. Dilectionis, dist.* 77.

Vltimum argumentum est, quia neque materia, neque forma propria est huic Sacramento; ergo, &c. Ad quod respondetur, negando antecedens.

51 Secunda conclusio. De materia huius Sacramenti est impositio manus. *Secunda conclusio. Materia Episcopatus est impositio manuum; Fit à tribus Episcopis.* Hæc est communis; colligitur ex dictis 1. *ad Timotheum* 4. & 5. & infrà ampliùs patebit. Forma verò est, quæ dicitur, dum manus impositio fiat: fit autem manus impositio tam in Ecclesia Græca, quàm Latina à tribus Episcopis; proinde Doctores essentialem esse cæremoniam tradunt. In Ecclesia autem Latina præterea manum imponentes simul proferunt formam: *Accipe Spiritum sanctum:* *Forma.* quæ verba vt coniuncta materiæ designant gradum Episcopalem; neque refert quòd eadem dicatur in consecratione aliorum, vt Presbyteri: quia vt coniuncta est huic, aut illi materiæ, designat gradum, ad quem ordinat. Hæc est forma Græcorum ex Arcadio libro 6. cap. 8. *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt, supplet, creat, seu promouet, N. Deo amabilissimum Presbyterum in Episcoporum*, &c. *Forma Græcorum.*

52 Quamuis autem hæc forma in consecratione Presbyteri, & aliorum rectè cohæreat iis, quæ in Rituali Græco ab eodem citantur *cap.* 2. tamen sequendo dispositionem, & ritum consecrandi Episcopum, quem *ibidem* vltimo loco subiicit, mihi dubium est, si sit forma consecrandi Episcopum: *Dubium an præmissa forma sit consecratiua.* tum quia ante consecrationem illa forma legitur in schedula à chartophilace, quam porrigit consecranti. Tum quia non profertur à consecrante, neque ab aliis Pontificibus. Tum etiam quia ritus consecrandi videtur

videtur in ea actione consistere, qua consecrans imponit & manum & librum Euangeliorum capiti eius, qui consecratur, vnà tangentibus aliis Episcopis assistentibus librum, & facta trina cruce à consecrante in capite ipsius consecrandi, subiicit orationes ibi expressas, in quarum prima hæc habentur, quæ efficaciam manus impositionis exprimunt: *Tu Domine omnium, & hunc qui suffragijs electus est, & dignus factus qui subiret iugum Euangelicum, & pontificiam dignitatem per manum mei peccatoris, & præsentium ministrorum, & Episcoporum aduentu, & virtute, ac gratia sancti tui Spiritus corrobora*, &c. Sequuntur & aliæ orationes, quæ, vt videtur, continuata impositione manus, & libri, dicuntur, quibus finitis aufert librum Euangeliorum, deponens illum in sacra mensa, imponitque consecrato humerale, seu pallium Archiepiscopale, quod designat potestatem traditam, & quo vtuntur Græci Episcopi eum amplexatur, & salutatur ab aliis Episcopis, &c.

Hanc formulam posse dici consecratiuã.

Ritus Græcorum.

53 *Dubia circa eundem ritũ.*

Vel ergo forma nulla est essentialis, ita vt efficacia ordinationis Episcopalis consistat in sola impositione, & non in verbis: quia Orationes prædictas solus consecrans dicit: quamuis cæteri assistentes imponant manus. Vel si forma illa precatoria sit sufficiens, & essentialis; alterum è duobus sequitur: vel dici debere ab assistentibus, sicut ritus fert Ecclesiæ Romanæ, vel certè impositionem manus, vt ab ipsis est, non essentialem esse, quia exhibens materiam debet etiam proferre formam, vt communis sententia fert Theologorum. Illud etiam inconueniens est, quia ad ordinationem Episcopi ex traditione Apostolica, vt superiùs dictum est, requiruntur tres Episcopi, eorúmque manus impositio, neque discernitur efficacia manus impositionis, vt est ab vno magis, quàm ab aliis. Vel vltimò tandem dicendum erit, rituale illud debere in aliquo non expresso suppleri. Supponit autem Arcadius formam, quam assignat, ab vno tantùm dici, seu à primario consecrante. Quòd si ita contingat (non quòd fides authoris mihi suspecta sit, sed quia in re ignota dissero iuxta communia principia de materia, & forma Sacramentorum tradita) dicerem potiùs impositionem manus esse Sacramentum in recto, & sufficere vt forma designans eius efficaciam à primario consecrante, nomine omnium dicatur. Sed hoc aliis magis expertis relinquo.

Forma Sacramentalis dici debet à consecrantibus.

54 *Summarium textus.*

d *Saltem quidquid sit de ista controuersia*, &c. Omittens controuersiam, si Episcopatus sit Ordo, néne; subiicit septem Ordines esse, quorum numerum & diuersitatem, & rationem benè exponit in litera. Constituit tres Ordines, qui immediatè disponunt ad Eucharistiam, & communi vocabulo dicuntur maiores Ordines. Altera pars minores Ordines, quia remotè tantùm disponunt ad Eucharistiam. Hæc distinctio Ordinis in septenarium numerum est Ordinis, vt describitur in prima definitione tradita in articulo primo. Ex hac litera sequuntur conclusiones sequentes.

Prima conclusio textus.

Sacerdotium est Ordo & Sacramentum.

Sacerdotium est Ordo & Sacramentum legis nouæ à Christo Domino institutum. Hæc de fide est, & ab omnibus Catholicis contra huius temporis Nouatores asseritur. Patet ex Tridentino, & aliàs dictis de ministro Eucharistiæ, & Pœnitentiæ. Patet etiam ex Florentino. Patet passim ex Patribus, & Conciliis antiquis, quæ plura circa Ordinationem decernunt: non est quod ex multis pauca decerpamus.

55 *Secunda conclusio Diaconatus est Ordo, &c.*

Diaconatus est Ordo & Sacramentum à Christo Domino institutum. Durandus *in hac distinctione* negat Diaconatum esse Ordinem; quem sequitur Caietanus *tom. 1. Opusculorum, tract. 11. art. vnico.* Cæterùm conclusio est communis Scholasticorum omnium, & videtur satis etiam declarata à Tridentino *sessione 23. cap. 4.* vbi Ordinationem & Confirmationem, & alios actus Episcopalis Ordinis non posse à reliquis inferioris Ordinis fieri, & *can. 6.* damnat negantes Hierarchiam esse in Ecclesia, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, &c. Præter ergo Episcopos, & Presbyteros, etiam ministri spectant ad Hierarchiã Ordinis, quà Sacramentum est. *Ad Philipp. 1.* & aliàs commemorat Paulus Diaconos inter Ordines. Ignatius Martyr in suis Epistolis citatis, perinde commemorat Diaconum, qui sicut ex sua ordinatione subest Presbytero, ita etiam Superior est populo, in quo exercet etiam actus prædicationis, ministerij, Eucharistiæ, & Baptismi, reconciliationis publicæ pœnitentium.

Sententia negans.

Impugnatur. Trident.

Ignatius.

Item, ordinantur Diaconi per manus impositionem, & recipiunt characterem indelebilem. Vnde Clemens *lib. 8. constitut. cap. 46. Scitis enim*, inquit, *planè, eos qui à nobis per Orationem, & manuum impositionem Episcopi, Presbyteri, Diaconi nominati sunt differentia, nominum differentiam rerum declarare*, &c.

Clem. Rom.

56 *Fundamentũ Durandi.*

Rationes etiam Durandi nihil obstant. Obiicit enim solum Sacerdotium habere effectum spiritualem, quem attingit; Diaconatum verò esse dispositionem ad effectum illum, sicut Catechismus ad Baptismum.

Soluitur.

Respondetur Diaconatum habere effectum proprium, & immediatum, nempe characterem, & gratiam in anima, ordinari vlteriùs ad functionem sacram in gradu ministerij.

Obiectio.

Dices primò Diaconos ordinatos fuisse ex occasione.

Soluitur.

Respondetur id verum esse; sed antea fuisse institutum Sacramentum. Vnde ritus ipse, quo instituti sunt cum impositione manuum, & oratione, sunt cæremoniæ diuinæ ordinationis. Ignatius ad Trallianos: *Oportet*, inquit, *& Diaconos mysteriorum Christi ministros per omnia placere, nec enim ciborum, & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores; quid enim Diaconi, quàm imitatores Angelicarum virtutum? qui purum, & inculpatum ministerium illis exhibent*, supple, Sacerdotibus, *vt Sanctus Stephanus Beato Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro*, &c.

Ignatius.

Officiũ Diaconi.

Secunda obiectio.

Secundò obiicit quòd Ordo sit potestas actiua ad actum Sacramentalem, sicut Baptismus potestas passiua ad eorum susceptionem.

Soluitur.

Respondetur hunc characterem potestatem actiuam esse, non ad conficiendum Sacramentum; nam omnis actio, ad quam exigitur gratia, necessariò potest subesse Sacramento; talis est ministratio Diaconi, & actus, qui eidem ex sua ordinatione conueniunt.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertiò, materiam huius Sacramenti esse traditionem libri Euangeliorum, qui tunc non erat scriptus, quando primi Diaconi sunt ordinati. Ergo.

Soluitur.

Respondetur materiam esse impositionem manuum,

manuum, & omnem actionem, per quam traditur potestas, exteriùs, de quo infrà dicetur.

57 *Tertia conclusio.* Subdiaconatus est Ordo sacer, & Sacramentum legis nouæ institutum à Christo. Hæc est communior in schola: eam tradit Florentinum: supponit etiam Tridentinum *sessione 23. cap. 2.* *Trident.* *Aliqui negăt esse Ordinem.* licet Magister *in præsenti distinctione*, Hugo de sancto Victore, Gratianus, Martinus Ayala negent esse Ordinem Sacramentum. Sed hæc sententia magis fundatur in eo, quòd desit probatio oppositi, quàm in aliqua vrgenti ratione. *Probatio.* In primis Subdiaconatum præcessit in lege veteri, & ministerio templi simile quoddam Officium, vt Nathanæi, teste Isidoro *lib. 9.* Magist. *in hac distinctione.* Gratian. *in cap. Cleros, distinctione 21.* *Habuit figuram in lege veteri.* in institutione Sacramenti Ordinis Christus imitatus est figuram, quæ præcessit in lege Moysaica, addens rationem Sacramenti, & potestatem ad actus altioris Ordinis: ergo non est inconueniens vt Subdiaconatus etiam sit Ordo Sacramentum.

58 *Vsus eius antiquus.* Secundò, antiquissimus vsus eius est in Ecclesia, cuius initium non habetur, insinuat esse institutionis diuinæ, & non humanæ tantùm. *Can. Apostolicus.* *Canon 42.* Apostolorum mentionem habet Subdiaconi, *Ignatius.* Ignatius *in Epistola ad Antiochenses* salutat Subdiaconos. *Clemens.* Clemens Romanus *libro 8. constitut. cap. 5.* *Tertia ratio.* Deinde Subdiaconus est minister Episcopi, quamuis Sacerdotis immediatus in quibusdam actionibus: ergo par ratio est de vtroque. *Est Ordo sacer.* Item, Subdiaconatus inter Ordines sacros numeratur ab Ecclesia, eique adiuncta est continentia, sicut & aliis maioribus: quod sufficit ad interpretandum esse Sacramentum: quia alioquin neque Ecclesia ei tam rigidam, & æqualem cum aliis continentiam iniungeret, nisi quia res sacra est, & sua institutione Sacramentum. Item, quia etiam Ordinatus ab Episcopo hæretico seruat Ordinationem; quod non esset verum, si Subdiaconatus esset inductus per Ecclesiam, tanquam munus in auctoritatis concessione fundatum, nullam enim habet hæreticus.

59 *Obiectio.* Obiicies Subdiaconatum olim conferri potuisse à Chorĕpiscopo, qui non erat Episcopus Ordinatus. Primum patet ex Canone Concilij Antiocheni; secundum verò ex Epistola Damasi.

Responsio. Respondetur facilem esse solutionem, dicendo quòd minister Ordinarius ordinandi Subdiaconum sit Episcopus, ex commissione verò Sacerdos, vt aliàs dictum est de confirmatione, & eius ministro.

Chorĕpiscopi aliquando Ordinati Episcopi. Respondetur etiam Canonem primò Antiocheni loqui de Chorĕpiscopis, qui erant etiam Episcopi Ordinati; sed sine plebe, quibus non permittit Ordinationem, Presbyteri, aut Diaconi sine conscientia Episcopi, vel Ecclesiæ cui adiacens inuenitur. Aliqui impugnant hunc intellectum Canonis, *ex Epistola 4.* Damasi. Sed patet ex ipso tenore Canonis, in quo primum dicitur Chorĕpiscopos, de quibus loquitur, recepisse manuum impositionem ab Episcopis, *Non poterant ordinare Diaconos, & Presbyteros sine licentia Episcopi.* posse ordinare Subdiaconos, Exorcistas, Lectores, non tamen Presbyteros, aut Diaconos præter conscientiam Episcopi; quod supponit illos potuisse cum consensu Episcopi ordinare Presbyteros, & Diaconos: ergo fuerunt Episcopi ordinati, sine tamen plebe; & ratio cur subtracta fuerit Ordinatio Presbyteri, & Diaconi, fuit, quia in his erat tunc iurisdictio gubernandi, & dandi Sacramenta, vt in Diacono baptizandi, & ministrandi Eucharistiam, prædicandi, *Ratio prohibitionis.* imponendi manum reconciliatiuam fori externi; ac proinde sine licentia Episcopi loci, aut Ecclesiæ, non licuit eos ordinari. Damas autem loquitur de Chorĕpiscopis sui temporis, *Interpretatio Damasi Papa.* qui non ordinabantur Episcopi: quia vsus ille ordinandi Chorĕpiscopos, vt veros Episcopos, cessauit propter abusum, & insolentiam Ordinatorum, de quibus proinde plura statuerunt Concilia & Pontifices, donec mos ipse, & ex toto Chorĕpiscopi cessarit.

Obiicies secundò, olim Subdiaconatum non fuisse Ordinem sacrum: ergo non est Sacramentum. 60 *Secunda obiectio.*

Responsio. Respondetur negando consequentiam. nam aliud est esse Sacramentum Ordinis, & aliud esse sacrum, Subdiaconatus inter maiores fuit semper computatus, sed ideò non fuisse semper sacrum interpretatur Bellarminus, quia aliquando non licuit Subdiaconis tangere vasa sacra: vt patet ex Concilio Laodiceno *cap. 21. & in can.* nullus Acolytorum, *distinct. 24.* nunc autem maiores Ordines contingunt res sacras. *Bellarmin.* *Cur non licuit Subdiaconis tangere vasa sacra?* Respondetur tamen Canones non prohibere contactum calicis vacui, & patenæ Subdiacono, quia in hoc est eius ministerium. Sed ad summum intelligi debent isti Canones de tactu sacrorum vasorum, quando continent corpus, & sanguinem Domini, quia ille contactus, & ministerium soli Diacono, qui est minister dispensationis institutus, permittitur.

Alia adducitur differentia Ordinis sacri ex adiuncta continentia, quæ etiam comprehendit Subdiaconos ab initio Ecclesiæ, vt aliqui contendunt ostendere partem affirmatiuam, quia sub appellatione Diaconorum veniebant, vt constat ex Canone Trullano 13. vbi agens de lege hac continentiæ in Ecclesia Latina non memorat alios, quàm Episcopos, Presbyteros, Diaconos, quamuis lex hæc in Ecclesia Latina dudum antea comprehendebat Subdiaconos. 61 *Ordo sacer ex continentia adiuncta dicitur.* *An fuit indicta ab initio Subdiaconis.* Alia est sententia, quæ dicit hanc obligationem non fuisse ab initio Ecclesiæ in Subdiaconis, vt patet *ex cap. A multis*, de ætate & qualitate & Ordine perficiendorum, quod est Innocentij III. vbi colligere videtur ex decreto Vrbani II. *Canon. Nullus ad Episcopatum distinct. 60.* Subdiaconatum non fuisse Ordinem sacrum ab initio, & ab hoc dici sacrum, quòd ei continentia sit adiuncta. *Sententia negatiua.* Ex hoc patet ad argumentum, nempe aliud esse Subdiaconatum esse Sacramentum, & aliud esse Ordinem sacrum, quo quis Deo in continentia consecratur.

Alia differentia adduci potest Ordinis sacri ex prædicto Canone Vrbani: nempe illum dici antiqua consuetudine sacrum, ex quo ascendere liceret ad Episcopatum, vel ex eo assumere Episcopos, tunc autem non licuit, vt patet ex decreto Vrbani ex Subdiaconatu assumere; quod reuocatum est: sed prior differentia magis placet, quæ an sit Iuris diuini, aut solius humani Ecclesiastici, plurimùm controuertitur inter Doctores, & requirit longam discussionem decretorum. 62 *Alia differentia Ordinis sacri.*

Quatuor Ordines minores sunt Sacramentum à Christo institutum; imprimunt characterem, & dant gratiam. Hanc supponit Doctor; quorum munera benè explicat. Eandem tenent omnes 63 *Quarta conclusio.*

antiqui

Durandus negat. antiqui Scholastici vsque ad Durandum: nam præcipuum fundamentum præter authoritatem Hieronymi, vnde negant Episcopatum esse Ordinem, est, ne cogerentur vllum præter septem Ordines admittere, & Ordinem respectiuè ad ministerium proximum, aut remotum Eucharistiæ constituunt. D. Thomas *in 4. in hac distinct. quæst. 2. artic. 2.* D. Bonauentura, Richardus, & alij docent in quo Sacramento dari gratiam imprimi characterem. Patet ex Florentino in De- Florent. creto vnionis Armenorum, vbi tradit doctrinam de Sacramentis propriè dictis, assignans materiam, & formam eorum. In sexto autem, qui est Ordo, similiter procedit, exprimens quidem materiam esse id, quod traditur, ponens exemplum de Presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu, & addit in aliis Ordinibus idem esse intelligẽdum.

64 Probatio ex Tridentino. Tridentinum *sess. 7. de Sacramentis in genere, Canon. 1.* docet esse septem Sacramenta, non plura, nec pauciora. & *Canon. 9.* in tribus imponi characterem, Baptismo, Confirmatione, Ordine: agit deinceps de quolibet Sacramento in specie, vt *in illa sessione*, de Baptismo, & Confirmatione *sess. 13.* de Eucharistia, *sess. 14.* de Pœnitentia, & extrema Vnctione *sess. 23.* de Ordine; *in cap.* autem 2. docet diuisionem Ordinis in septem gradus: & docet ab ipso Ecclesiæ initio illos Ordines fuisse in vsu, vt Subdiaconatum, & quatuor minores: quamuis ille inter maiores connumeratur. & *cap. 3.* docet imprimere characterem; quem ordinem doctrinæ seruat etiam *Canon. 1. 2. & 3.* Ergo ex mente Concilij omnes prædicti Ordines sunt propriè Sacramenta à Christo Domino instituta; nam, vt aliàs dixi, hîc agit tantùm de Hierarchia Ordinum in Ecclesia, & sicut negat suffragium populi requiri ad ordinationem maiorum, ita etiam per omnia constituit de aliis minoribus.

Negatiua sententia. Contra hanc communem sententiam tenent Durandus, & Caietanus citati. Nauarr. *in Summ. c. 22.* noster Michaël de Medina *lib. 1. de continentia, c. 46.* Inclinat Dominicus Soto *in dist. præsenti, q. 1. art. 4. & dist. 25. quæst. 1. art. 2.* Sequitur Vasquez *disput. 237. cap. 2.* Arcudius *lib. 6. cap. 9.*

65 Prima obiectio. Obiiciunt aliqui, quòd hi non sunt Ordines sacri, neque omnes sunt pro ministerio altaris, sed populi.

Responsio. Respondetur primum non probare quidpiam, vt patet ex dictis. Secundum est falsum, vt patet ex Doctore, quia mediatè ordinantur ad ministerium Eucharistiæ.

Secunda obiectio. Ab antiquis aliquos numerari gradus abolitos, & alios qui non sunt Ordines, alios præteriri. Obiiciunt secundò, alios etiam Ordines, qui non sunt in vsu, numerari à Patribus, vt fossariorum, Psalmistatum, seu cantorum, quorum meminit Ignatius *in epist. ad Antiochenos*, Epiphanius post hæresim 80. memorat laboratores, seu fossarios. Concilium Laodicenum *Canon. 24.* facit mentionem cantorum. Deinde Patres antiqui, qui proximè Apostolis successerunt, non faciunt mentionem Acolyti, & inter Ordines Ecclesiasticos Diaconissas statuunt, quas certo instituebant ritu. Item sub IV. Concilio Carthaginensi Acolytus ordinabatur accepta materia ab Archidiacono. Clem. Roman. *lib. 8. Constitut. cap. 26.* negat Exorcistam esse Ordinem, sed gratiam tantùm gratis datam. Item Concilium VII. generale *Canon. 14.* dat licentiam ordinandi Lectores in suis monasteriis Abbatibus. Ex aliis Canonibus, & modo instituendi.

66 Responsio. Respondetur leui omnino fundamento hos authores eniti contra communem sententiam, ex eo enim quòd aliqui Patres enumerent inter Ordines, aliqua etiam officia instituta in Ecclesia, quæ etiam quandoque ordinatis cõferebantur, aut aliis, licet etiam aliqui quosdam Ordinum gradus omittant, alios recenseant, quorum scopus est diuersus ab enumeratione Ordinum, aut designandis iis seorsim ab aliis, non hinc, inquam, colligenda traditio est, licèt in hoc faueat, inquantùm vsum antiquũ officij, & gradus probare inde licet, & nõ esse recens inuentum. Traditio enim maximè petenda est ab vsu stabili, antiquo & continuato Ecclesiæ Romanæ, quæ est magistra veritatis, & conseruatrix traditionis, & Scripturarum. Imprimis vt procedamus à traditione, habemus omnes Ordines commemorari ab Ignatio prẹter solos Acoluthos. *Saluto*, inquit, *sanctum Presbyterum, saluto sacros Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, laborantes, Exorcistas, Confessores*, &c. Ita epistola ad Antiochenos. Hic discipulus Apostolorum ex occasione salutandi clerum suum (fuit enim Episcopus Antiochenus à Paulo Apostolo, vt quidam volunt, cõstitutus) commemorat officia, & gradus suæ Ecclesiæ, in quibus Ordines omnes enumerat, præter Acoluthos, quos tamẽ non excludit, neque Ordines ab officiis discreuit, quia non erat id sui instituti: leue ergo argumentum est, inde colligere minores nõ esse Sacramẽtum. Patrum institutũ aliud fuit à scopo quæstionis. Traditio petenda ab Ecclesia Romana. Ignatius cõmemorat Ordines præter solos Acolytos.

67 Testimonium Ignatij ad propositũ facit. Imò potiùs dicendum est illam sedem fundatam ab Apostolis Petro, & Paulo, vt commemorat ipse Ignatius recepisse, & obseruasse eandem traditionem, quam tenuit, & recepit ab iisdem Apostolis Ecclesia Romana circa sacros Ordines: nam si Lector, Exorcista, Ostiarius fuerunt gradus, & non officia, sed Sacramenta in clero Romano, fuerunt sine dubio, & Antiochiæ; quin etiam in illa Ecclesia fuisse etiã Acoluthos, quamuis eos expressè non commemorat Ignatius, qui sub nomine Subdiaconorum intelligi possunt; nam Subdiaconus non solùm proximum gradu Diacono importat, sed aliquando reliquos ex vi vocis, quia reliqui subsunt Diacono, non refert tamen vt omissos Acoluthos dicamus: quia sicut non omnes Ordines cõnumerat, quia nõ Episcopatum; ipse enim tũ erat Episcopus; ita neque omnia officia recẽsuit: quia omisit cursorẽ, de quo agit in epistola ad Polycarpum. Acolytos intelligi nomine Subdiaconi.

Cyprianus, & Epiphanius exprimũt Acoluthum. De Acolutho agit Cyprianus *lib. 2. epistol. epist. 8.* Epiphan. *hæresi 80. sub finem*, recenset inter Ordines Lectorem, Exorcistam, Ostiarium.

68 Traditio Romana. Ordines suo gradu, & dispositione enumerantur. Cæterùm traditio non ex his nobis magis inquirenda, sed ex obseruatione Ecclesiæ Romanæ, quæ Ordines impermixtim aliis Officiis, & seorsim exponit, quod declarationis locum obtinet. hinc Cornelius Papa in epistola ad Fabium Antiochenum: *Is ergo*, inquit, *qui Euangelium vindicabat, nesciebat in Ecclesia vnum Episcopum esse debere, vbi videbat esse Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolytos quadraginta duos, Exorcistas, & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos*, &c. agit contra Nouatum, seu, vt alij vocant, Nouatianum, qui schisma contra Cornelium suscitauit, & se ipsum à tribus Episcopis seductis, & rudibus, & crapula oppressis ordinari fecit, vt patet ex eadem epistola, probat vnum caput esse debere in Ecclesia Romana (qui fuit ipse Cornelius legitimè assumptus, & ordinatus) cuius ministros in sacris Ordinibus enumerat, quos, & in verbis sequentibus ab aliis discernit personis

piis: post enim minores Ordines subdit; *Viduas, & alios morbo, & egestate afflictatos mille & quingentos, quos omnes Domini gratia, & benignitas abundè sustentat. Sed nemo ex tanta ministrorum multitudine, tamque in Ecclesia necessaria, nemo ex tanto egentium numero*, &c. *nemo denique ex maxima illa, & innumerabili populi frequentia, istum quem dico Nouatum, ab ea desperata mentis cæcitate, & contumacia auertere, & ad Ecclesiam denuò reuocare potuit*, &c.

In his Cornelius consuetudinem, & numerum ministrorum in Ecclesia Romana, necessarium exponit: *Sed nemo*, inquit, *ex tanta ministrorum multitudine, tamque in Ecclesia necessaria*, &c. non ergo recens inuentum proponit; sed quod traditione seruatum est.

69 Conc. Rom. sub Syluestr. Item in Concilio Romano II. sub Syluestro *cap.* 1. enumerantur prædicti gradus Ordinis, *cap.* autem 3. ordinatur, vt Presbyter contra Episcopum non dicat testimonium, neque Diaconus aduersùs Presbyterum, neque Subdiaconus aduersùs Diaconum, neque Acolytus aduersùs Subdiaconum, neque Exorcista aduersùs Acolytum, neque aduersùs Lectorem Exorcista, neque Ostiarius aduersùs Exorcistam, vt Subordinatio in Hierarchia debita seruetur, ne inferior contra superiorem insurgat, & subditur *in eodem Canone* numerus testium, qui aduersùs singulos requiritur in iudicio. Contra Episcopum septuaginta duo, contra Presbyterum quadraginta quatuor, contra Diaconum triginta sex, cõtra Subdiaconum, & reliquos, septem. In hoc ergo Canone supponitur numerus Ordinum, Subordinatio vnius ad alium, & qualitas & exemptio qua omnes in iudicio gaudent.

70 Trident. & Florentin. Accedit communis sententia Scholæ, & maximè omnium Florentinum, & Tridentinum, quæ Sacramentum sine vlla limitatione absolutè in hos gradus subdiuidunt, nihil autem hæc Concilia comprehendunt sub doctrina cuiuslibet Sacramenti, tanquam partem, & speciem eius, nisi quod participat rationem ipsius Sacramenti. Hanc ergo traditionem conseruauit Ecclesia Romana: quod autem Vasquez asserit, seu obiicit, quòd Acolytorum, & Exorcistarum non sit mentio facta à Patribus, qui proximè post Apostolos vixerunt, nihil probat, quia in Ecclesia Romana Cornelius, & Syluester, qui eos gradus numerant, inter cæteros, non tanquam recens inuentum proponunt; sed vt antiqua consuetudine, & traditione firmatum. Quin etiam Ignatius meminit loco citato Exorcistas, sed & antiqui Canones alios Ordines præter Maiores commemorant.

Can. Apost. Canon primus & secundus Apostolorũ agens de ordinatione ministrorum, *Episcopus*, inquit, *à duobus, aut tribus Episcopis ordinetur. Presbyter ab vno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici*, &c. Sub hoc, *reliqui Clerici*, comprehenditur non vnus gradus Subdiaconatus; sed reliqui: terminus enim pluralis extenditur ad plures gradus Ordinis, non ad personas: quia in prioribus alij gradus maiores in singulari exprimuntur, vt denotetur gradus, non in plurali, quamuis personas plures in Ecclesia in singulis gradibus ordinatas fuisse constet.

71 Caius Papa. Eius statutum. Inter instituta Caij Papæ refertur, vt per omnes gradus ascenderetur ad maiores, si quis Episcopus fieri mereretur, vt esset primùm Ostiarius, Exorcista, Lector, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur; quod Decretũ ita intelligendum est, non quòd ordinem Hierarchicum ipse primus instituerit in Ecclesia, qui ab ipso Christo institutus est, vt docet Tridentinum; sed decreuit vt ad supremum non ascenderetur nisi per alios, vt Hierarchia à Christo instituta seruaretur in ordinatione, & assumptione personarum.

Eodem modo statuit Anacletus, vt Episcopus consecraretur à tribus Episcopis, non quòd ille primus huius Decreti author fuerit, cùm ex Apostolico Canone iam citato emanauerit: Alexãder I. vt aqua misceatur vino in calice, quamuis hæc traditio antiquior fuerit, sicut & ritus. Sic etiam in aliis decreta extant Pontificum Romanorum confirmantia, & retinentia antiquam traditionem, quæ non licet ita interpretari, vt sic decernentes existimentur nouam legem, aut ritum instituisse; sed antiquum cõseruare in praxi & vsu, ne decidat ex negligentia, aut ignorantia: quod ergo Cornelius, & Cyprianus primùm inueniantur mentionem facere Acolytatus, non sequitur anteà non fuisse in vsu, & institutione Christi, cùm nec illi vt rem nouam proponant, sed vt Ordinarium ritum in Ecclesia retentum. Alioquin eadem facilitate traditio impugnabitur; cuius fundamentum ex Scripturis Canonicis non habetur expressum, & in eos tantùm velut authores, & inuentores referretur, qui primùm eius mentionem faciunt, quod est omnino inconueniens. Anacletus. *Traditiones renouãtur, & retinentur.* Alexander I. *Inconueniens secludendum.*

72 *Pontifices decernendo retinẽt traditionẽ, aut corrigunt abusum.* Accedit præterea decreta antiquorum Pontificum circa ritus Sacramentorum vel declarare traditionem, vel certè corrigere abusum. Sic Stephanus Papa de Baptismo hæreticorum non iterando ad Cyprianum decernit *nihil innouandum esse, præter id quod traditum est.* Eodem modo Victor Papa de celebrando Paschate. Sic Fabianus de conficiendo chrismate quotannis, & plura alia exempla suppetunt huius generis: sufficit ergo ad probationem legitimam traditionis Apostolicæ, vt ab antiquis Pontificibus mentio eius habeatur, non tanquam rei nouæ, aut tum primùm à se institutæ, quando potissimùm nulla quæstio suborta tum in Ecclesia frequentiorem sermonem de ea poscebat: sed mentio eius fiat tanquam ex vsu notæ, & receptæ.

73 *Antiqui Canones insinuant traditionẽ præmissam.* Ad confirmationem etiam eiusdem traditionis non obscurè faciunt antiqui Canones *can.* 4. Niceni: *Omnibus interdicit sancta Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque vllis Clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam.* Arelatense II. canon. 13. *Nullus cuiuscumque Ordinis Clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus, quacumque ex occasione faciente propriam relinquat Ecclesiam*, &c. vbi sub appellatione Clericorum comprehẽdi videntur alij, non soli Subdiaconi. Canon Carthaginensis IV. suo Ordine explicat hos gradus, & ordinationem eorũ, vt fieri debet ab Episcopo. Subiungit post Ostiarium (qui vltimus est incipiendo ab Episcopatu, vt incipit Concilium) Psalmistam, quia autem non est Ordo, dicit iussu Presbyteri posse sine alia Ordinatione suũ munus exercere, quoad reliquos priores gradus hoc non affirmat; vnde colligitur non esse Ordinem. Can. Niceni. Can. Concil. Arelat. Can. Carth.

74 *Responsio ad obiectionem.* Ex his patet ad obiectionem, quia antiqui Patres, qui vel alia officia, & ministeria connumerant Ordinibus, non discernũt inter hæc, neque ex proposito agunt de solis Ordinibus, sicut alij,

quos

quos citauimus: ideò cumulatoriè agunt tam de Ordinibus, quàm etiam reliquis officiis, inter quæ etiam Diaconissæ numerabantur, quæ ob honestatem mulieribus præponebantur in quibusdam ministeriis, quæ non decebant Clericum exercere. Quod additur de Acolytho, & eius ordinatione ex Concilio Carthaginensi. Respondetur, licèt materia, circa quam porrigebatur ab Archidiacono, potestas tamen conferebatur ab Episcopo ordinante, siue per manuum impositionem, siue per aliam cæremoniam, cui accedebat porrectio materiæ, circa quam iussu Episcopi facta ab Archidiacono, qua porrectione facta, & illo tangente materiam, Episcopus eum ordinabat: quamuis autem Canon id non exprimat, subintelligitur: quia Canon Apostolicus citatus præcipit ordinationem Clericorum fieri ab Episcopo, & Clemens Romanus *lib. 3. Constit. Apostolicarum, cap.* 41. An autem hæc ordinatio exigat vt ipse Episcopus porrigat instrumenta, posteà dicetur.

Acolythus ordinabatur ab Episcopo.

Apud Græcos vt admittit etiam Arcudius, Lector per manus impositionem ordinabatur, & patet ex Concilio VII. generali *canon.* 14. Concilium etiam Sardicense *canon.* 10. mandat, vt nemo ex foro assumatur Episcopus, nisi priùs fuerit probatus in officio Lectoris, Diaconi, & Presbyteri. Vnde colligere licet Lectoratum inter Ordines computari, *In Euchologio, seu Rituali* etiam *Græco*, quem citat Arcudius, habetur modus ordinandi Lectorem.

Ordinatio Lectoris. Concil. VII. generale. Concil. Sardicense. *Rituale Græcū tradit modum ordinandi Lectorem.*

75 Hinc patet ad plura exempla Sanctorum, quæ adducit Arcudius ex vitis ipsorum, In quibus non fit mentio aliorum Ordinum minorum in ordinatione eorumdem, vt Chrysostomi, Eutychij Constantinopolitani Patriarchæ, Cæsarij Arelatensis, Ioannis Cabilonensis, & aliorum. Cæterùm hoc argumentum ad summum probat non esse connexionem necessariam inter Ordines, qualis est inter Presbyteratum, & Episcopatum. Prætereà non numeratur, plerumque in illis vitis ordinatio in Subdiaconum, qui tamen Ordo est secundùm omnes, paucis exceptis, & fit mentio Lectoris. Aliquando etiam neque Diaconi mentio fit. Quòd ergo aliqui vel studio populi, vel aliquo vehementiore impulsu Spiritus sancti ab aliquibus viris Sanctis fuerint per saltum ordinati, non derogat conclusioni, aut veritati, quam secūdùm praxim Ecclesiæ Romanæ defendimus: quæ neque eiusmodi ordinationes per saltum probauit, tanquam legitimè factas, licèt validas.

Ad exempla Sanctorū, quæ obijcit Arcudius.

76 Extat epistola I. Syricij Papæ ad Hymerium Tarraconensem Episcopum, in qua abusum damnat. Potest etiam dici nomine Ordinum expressorum venire reliquos non expressos, qui simul dabantur, & sine interstitiis, vt Lectoratus, & reliqui inferiores, Acolytatus & Subdiaconatus, vt patet ex eadem epistola; nam primo loco agens de his, qui ab infantia baptizati sacræ militiæ adscribuntur, præcipit vt Lectoribus eorum ministerio socientur, per triginta annos: vbi non facit mentionem Exorcistarum. Tamen secundo loco agens de grandæuis baptizatis, qui ad Ordines admitti petunt, statim à Baptismo, *Lectorum*, inquit, *& Exorcistarum numero socientur*, &c. In priori ergo loco sub appellatione Lectorum comprehendit Exorcistas: quia non intendit diuersum ritum ordinandi inducere, aut præscribere, docet simul ordinandos Acolytos, & Subdiaconos: rectè ergo in antiquis Canonibus per expressionem vnius Ordinis comprehēduntur reliqui, qui simul dabantur, vt *canone* 10. Constantinopolitani sub Adriano Pontifice, & Basilio Imperatore celebrati, vbi decernitur vt in officio Lectoris annum vnum compleat (supple promotus) in Subdiaconi verò duos, sitque Diaconus tribus annis, &c. sub appellatione Lectorum intelliguntur reliqui: appellatione Subdiaconi Acolytus: & quamuis præfatus asserat in Ecclesia Græca non esse illos Ordines in vsu, hoc non probat non esse Ordines: sed nō esse necessarios multiplicato numero aliorū ministrorū in gradibus superioribus, qui supplere possūt inferiores.

Syricius damnat ordinationē per saltum. *Per Ordinem expressum superiorē intelligitur etiam inferior.* Conc. Constantinopol.

Ecclesia tamen Latina retinuit semper antiquam institutionem, & satis constat ex Ignatio *suprà* citato, hos gradus fuisse in vsu Ecclesiæ Antiochenæ: omnes enim commemorat præter Acolytos, seu ceroferarios. Eosdem commemorat Epiphanius in compendiaria doctrina, quam subiicit post hæresim 80. Sed & Simon Thessalonicensis in libro de Sacramentis agens de manuum impositione, quæ intra, & extra Sanctuarium fiebat; agit de deputatis, seu ceroferariis, quibus manus extra Sanctuarium imponebatur, dicens: *Quæ sanè nescio cur non exercetur. In Ecclesia verò Thessalonicensium paulò antè in vsu erat, & in antiquis Ritualium exemplaribus reperitur scripta*, &c. *supple, manus impositio ceroferarijs*; quin etiam idem Arcudius modum ordinationis ceroferarij transcribit ex antiqua Rituali Cryptæ ferratæ, quam rectè ordinationi Acolyti quadrare docet. Ex quo patet intellectio antiquorum Canonum præmissa; nempe per Ordines expressos comprehendi alios, qui fuerunt etiam ex vsu Ecclesiæ tam Græcæ, quàm Africanæ; quem vsum semper retinuit Ecclesia Romana. 77

77 Ignatius. Epiphan. Simō Thessalonicen.

Ad locum Clementis Romani respondetur, eum loqui de illis Exorcistis, qui per gratiam gratis datam receperunt potestatem in dæmones in primitiua Ecclesia: non de aliis, qui hanc potestatem per sui ordinationem accipiunt.

Respondetur ad Clemētem Romanum.

SCHOLIVM.

Ordinationem (Ordo enim propriè est ipse gradus, seu character inuisibilis) esse Sacramentum. Hanc supponit Doctor. Ita Dionys. 5. Eccles. Hierar. Leo epist. 81. Gregor. lib. 4. in lib. Reg. c. 5. Concil. Chalced. can. 2. act. 15. Flor. Decret. Eugen. Trident. sess. 13. can. 3. de quo Bellarm. lib. 2. de sacr. Ordin. Castro v. Ordo. *VValdens. tom. 2. c. 123. ponit descriptionem ordinationis longam, sed valde vtilem, & doctrinalem.*

De tertio articulo dico, quòd loquendo propriè de Sacramento, Ordo non est Sacramentum: quia omne Sacramentum est signum sensibile, & Ordo (vt dictum est) quidam gradus est spiritualis: tamen accipiendo Sacramentum pro signo 8

Ordo est res, & Sacramentum. inuisibili, sicut aliquid dicitur res, & Sacramentum, hoc modo potest dici Sacramentum, quia signum conuenientis gradus executioni actus debiti illi gradui, & etiam signum illius actus conuenientis tali gradui.

Descriptio ordinationis Sacramenti. Quid [f] ergo est sextum Sacramentum? Dico quòd ordinatio, cuius descriptio potest esse ista. *Ordinatio est institutio alicuius in gradu Ecclesiæ præeminente, cui conuenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta à ministro idoneo, certa verba proferente, & simul cum intentione debita ministerium gradus illius, aliquo signo visibili repræsentans, ex institutione diuina efficaciter signans gratiam præeminentem, qua ordinatus dignè aliquod ministerium exequatur.*

Describitur Sacerdotiū. Et secundùm vniuersalem istam rationem ordinationis possunt proportionaliter accipi rationes speciales Ordinum; puta ordinationis in Sacerdotem: *institutio in gradu Ecclesiæ simpliciter præeminente disponens habentem ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, facta ab Episcopo certa verba, cum intentione debita, proferente.*

Episcopus solus est minister in sacris Ordinibus. Et si circa particulas huiusmodi descriptionis particularis, quæras, quis est minister idoneus? Respondeo, dico quòd Epicopus, & solus in sacris Ordinibus. In aliis autem non sacris aliquando ex commissione aliqui priuilegiati, vt Abbates.

9 *Sacerdotiū habet duas formas partiales, & duas materias, de quo d. 19. n. 9.* Si [g] quæras quæ verba, vel quæ forma? Respondeo, illa quam Episcopi habent in suis libris Episcopalibus [h]. Sed in Sacerdotio videtur probabile, quòd ibi sint duæ formæ partiales, in quarum altera confertur potestas conficiendi Eucharistiam: in reliqua potestas absoluendi in pœnitentia: & istis coniunguntur duæ materiæ, hoc est, duo signa visibilia propria; formæ primæ traditio calicis, & patenæ cum hostia. *Accipe potestatem celebrandi,* &c. secundæ formæ, impositio manus Episcopi super caput. *Accipe Spiritum sanctum:* vt sic Episcopus concorditer agat summo Episcopo Christo, qui, vt dictum est priùs, contulit potestatem Apostolis tam conficiendi, quam absoluendi. Ex hoc etiam patet quomodo sunt septem Ordines, qui sunt * institutiones in ordinibus: & illi septem dicuntur contineri sub Sacramento Ordinis, vel magis propriè sub Sacramento ordinationis, inquantùm est vnum Sacramentum.

** Al. ordinationes.*

COMMENTARIVS.

78 [c] DE *tertio articulo dico*, &c. Ordinem dicit esse ipsum gradum, qui est res, & Sacramentum: ordinationem verò, seu collationem huius gradus esse ipsum sensibile signum, & nouæ legis Sacramentum. Hanc veritatem *Error VVitclefi.* Sacramēti Ordinis negauit VVitclefus, loquendo de Sacramento visibili ab Ecclesia collato per ritum externum, referens ordinationem ad gratiam inuisibilem benè viuendi, ita VVilhelmus VVidefordus contra ipsum, recensens errores ipsius damnatos in Cōcilio Constantiensi *Aliorum hæreses.* sub titulo de Sacramento Ordinis, errore 8. & 9. VValdensis *tomo 2. c. 123.* citantur à quibusdam VValdenses, sed præcipuè Lutherus *de captiuitate Babylonica, cap. de Ordine.* Illyricus *in confessione Antuerpiensi, cap. 11.* Kemnitius *in 2. parte examinis,* negant Sacramentum Ordinis. Et licèt Caluinus *lib. 4. Institut. cap. 14. & c. 29.* admittat ordinationem ministrorum esse Sacramentum, tamen ita de efficacia, & natura Sacramenti disserit cum aliis, vt nihil in re ipsa asserat, quod Catholicam veritatem sustineat, aut veram naturam Sacramenti.

79 *Conclusio fidei Florent. Trident.* Conclusio tamen posita est de fide, nempe ordinationem esse Sacramentum legis nouæ. Definitur in Florentino, & Tridentino. Patet ex Scriptura Ioannis 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,* &c. Patet *Actorum 6.* habetur Ordinatio Diaconorum per manus impositionem, *Actor. 13.* Ordinatio Pauli, & Barnabæ, *Actor. 14.* hi ordinarunt alios, *1. ad Corinth. 12. Ad Ephesios 4.* dicitur Deus distribuisse in Ecclesia ministros ad ædificationem corporis mystici, nunquid omnes Apostoli? vbi negatur hæc ministeria esse communia, *1. ad Timoth. 4. & 5. 2. ad Timoth. 1.* vocatur impositio manus ipsa ordinatio ad designandum materiam sensibilem, quæ adhibetur in ordinatione, per modū Sacramenti.

Clemens Romanus lib. 2. constitut. Apostolicarum, cap. 27. *Quicumque laicus sine Sacerdote aliquid operatur, inaniter operatur.* & infrà: *Si igitur Christus non vindicat sibi priuatim gloriam sine Patre, quomodo potest seipsum in Sacerdotium proijcere, non accepta dignitate à præstantiore? aut illa facere quæ solis Sacerdotibus licent?* lib. 3. cap. 1. negat laico opus aliquod Sacerdotale, replicans illud Pauli ad Hebr. 5. *Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Domino; huiusmodi namque gratia per impositionem manuum Episcopi datur,* &c. cap. 11. citato, reseruat ordinationem solis Episcopis faciendam. *lib. 8. cap. 46.* differentiam Ordinum in reipsa, & non ex voluntate humana, sed diuina institutione statuit. 80 *Clem. Rom. Laici à sacris ministerijs exclusi.* Dionysius Areopagita *de Cœlesti Hierarchia cap. 5.* Ignatius *suprà* citatus: Basilius Magnus *lib. 2. de Baptism. cap. 8.* Nazianzen. *orat. 21.* quæ est in laudem Athanasij: *Secundùm magnum Dei Consilium ac præscientiam, in magnum hunc Sacerdotum ordinem coaptatur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant, numerum adscribitur, ac sacrosanctæ statutionis & ordinis honore afficitur, cunctisque Ecclesiasticorum graduum muneribus deinceps perfunctus (vt quæ media sint, resecem) Alexandrino populo præficitur,* &c. Dionys. Ignatius. Basilius. Nazianz.

Nyssenus Orat. de sancto Baptismate: *Eadem etiam verbi vis Sacerdotem augustum, & venerandum facit, nouitate benedictionis à cōmunitate vulgi segregatum.* & infrà: *Inuisibili quadam vi, & gratia* 81 Nyssenus.

tia inuisibilem animam in melius transformatam gerens,&c. Chrysostomus lib.3.de Sacerdotio. *Sacerdotium in terra peragitur, sed in rerum cœlestium classem, & ordinem referendum est, atque id per quam meritò, quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata persona, sed ipse Paracletus eiusmodi ordinem disposuit*,&c. Theodoretus in 1.ad Timoth.c.5. *Manus citò nemini imposueris*, &c. *Oportet*, inquit, *priùs examinare vitam eius, qui ordinatur: deinde in ipsum inuocare gratiam Spiritus*, &c. Chalcedonense *canon*.2. vocat ordinationem gratiam non venalem, ac proinde statuit ordinantibus Episcopis ob pecuniam pœnam depositionis.

Chrysost. Theodoret. Conc. Chalcedon.

82 Bracharens.

Bracharense II. *Placuit, vt de ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiant, sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dant, non aliquo pretio gratia Dei, & impositio manuum venundetur, quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens: Anathema sit danti, & accipienti*,&c. Idem docet Tharasius in epistola ad Adrianum probans ex professo, qui vendunt Ordines, vendere gratiam Spiritus sancti, quæ in Ordine confertur, quæ est sententia Canonum præmissorum.

Patet ex epistolis decretalibus Anacleti, Zepherini, Cyricij, Innocentij I. *epist*.11. Leonis *epist*.81.& 87. Gelasij *epist*.16. Anastasij II. ad Anastasium Imperatorem: ex Hieronymo item citato, & Augustino, qui asserunt Ordinem esse indelebilem. Ille *in Dialogo contra Luciferianos*, hic verò *lib. 2. contra epistolam Parmeniani, c.*13. *de bono coniugali, cap.*24.*lib.*1.*de Baptismo,cap.*1. Gregor.*ad cap.*10.*lib.*1.*Regum.* & *ad cap.*16. Ex antiquis ritualibus tam Græcis, quàm Latinis, in quibus Ordinatio per modum Sacramenti celebratur: vt patet ex antiquo Ordinario Romano, & aliis authoribus, qui ante 700. annos de ritibus scripserunt: quos omnes, & alios Patres abundè citant moderni. Conclusio etiam satis probata manet in superioribus. Hæc de conclusione Doctoris sufficiant.

83 *Censura Soti reÿcitur.*

Cæterùm Sotus dicit *dist*.24.*artic*.1. modum loquendi, seu distinctionem positam inter Ordinem & ordinationem gratis inuentam asserit: quia, inquit, materia sensibilis, & forma, sunt sensibile signum potestatis, quæ confertur.

Ordo gradũ, ordinatio Sacramentũ designat.

Sed hæc diligentia illius authoris superuacanea est: nam licèt Ordo iuxta consuetudinem præsentem sumatur pro ipsa ordinatione, appellatione causæ per effectum: tamen in propria locutione Ordo designat potestatem traditam per Sacramentum, & gradum quo constituitur quis in gradu eminenti in Ecclesia ad ministerium sacramentale. Ordinatio verò significat collationem illius dignitatis per Sacramentum sensibile, seu ipsum Sacramentum in vsu: & sic vocant antiqui Patres collationem gradus ordinationem, non Ordinem. Zepherinus Papa *epist*.2.author *comment.in epistolam ad Timoth.c.*4. inter opera Ambrosij, Hieron.& Augustin. Innocentius, Leo Magnus, Gelasius, Bracharense II. citati. Primasius *in* 1.*ad Timotheum,cap.*5. & appellatio, quæ Græcis etiam est in vsu, manuum impositionis, quæ ex Scriptura est, eandem proportionem seruat, appellando mysterium ab actione, per quam potestas datur: non gratis ergo distinctio præmissa adducitur, quam vel ratio ipsius Soti comprobat: nam si in ma-

Modus consuetus Patribus.

Retorquetur ratio.

teria, & forma sensibili consistit significatio & efficacia Sacramentalis, effectus verò, seu res collata in potestate, & gratia debent propriis appellationibus discerni.

84 *Definitio Ordinis.*

f *Quid ergo est sextum Sacramentum?*&c. Hic definit ordinationem: quòd sit *institutio alicuius in gradu Ecclesia praeminente*, &c. Hanc definitionem assignat Doctor ordinationis, vt disponit ad Eucharistiam, excludendo Episcopatum. Cæterùm hæc definitio, vt rectè Mayrones, potest etiam comprehendere Episcopatum, quia ordinando ministros, sic disponit ad Eucharistiam mediatè, sicut alij gradus inferiores Sacerdotio disponunt solùm mediatè.

Definitio Sacerdotij.

Aduertendum prætereà ex verbis sequentibus de facili hanc definitionem accommodari ad ordinationes singulas in specie, vt Doctor applicat eam ad Sacerdotium, quòd sit *institutio in gradu Ecclesiæ simpliciter praeminente disponens habentem ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, facta ab Episcopo*, &c.

85 *Definitur tãtùm potestas consecrandi.*

Circa hanc tamen definitionem Sacerdotij, quam assignat: Aduertendum est eam tradi iuxta sententiam, quæ asserit characterem Sacerdotalem esse simplicem, & conferri præcisè in Ordine ad Eucharistiam, potestatem autem, quam recipit per claues absoluendi, esse dignitatis, & non characteris: tradit enim Doctor illam definitionem respectiuè ad potestatem consecrandi, de qua nulla est controuersia, eam scilicet fundari in charactere.

Suppletur definitio per additionẽ alterius potestatis.

Cæterùm tenendo Sacerdotij duplicem esse characterem, alterum conferendi corpus verum Christi, alterum ligandi, & soluendi, præmissa definitio debet suppleri addendo, *& ad absoluendum, & ligandum*,&c. vt comprehendat tam completam ordinationem, quàm etiam integrum characterem, seu effectum. Hanc quæstionem problematicè decidit Doctor *infrà*, §. *Si quæras*,&c.& *dist.*19.*suprà*, vt *ibidem* disseruimus.

Circa eas particulas definitionis præmissæ ordinationis in genere, supersunt tantùm explicanda illa, quæ comprehendunt ministrum, formam, & materiam.

De Ministro Ordinationis.

86 *Sententia cõmunis antiquorum.*

F*Acta à ministro idoneo*, &c. supple institutio. Quis sit minister idoneus ordinationis? Respondet Doctor solum Episcopũ esse ministrum idoneum quoad Ordines sacros, & intelligit, vt videtur, necessitate Sacramenti, quia dicit in minoribus ministrum ex commissione esse posse simplicem Sacerdotem. Idem docet S.Thom.*in* 4.*dist.*25.*q.*1.*art.*2. Richard.*art.*1.*q.*1.Capreolus *dist.*7.*quæst.*2.*ad* 3. *Durandi*, Syluester *v.Ordo* 3. Adrianus *in* 4.*quæst.de Sacramento Confirmationis*, *artic.*3. Idem docet de omnibus Ordinibus. Couarruuias *lib.*1.*variarum,cap.*1. D. Bonauentura *dist.*25.*q.*1.*artic.*1. & alij veteres videntur in hac sententia fuisse quoad Ordines sacros, quoad alios autem posse conferri per Sacerdotem simplicem non Episcopum.

Fundatur in praxi quam videbant Ecclesia.

Hanc sententiam tenuerunt præfati Doctores, cuius fundamentum est institutio Christi, quam ex praxi Ecclesiæ, & Canonibus eius interpretabantur talem esse: nam quoad Ordines minores concessum est Iure communi Abbatibus eos conferre suis subditis, *cap. Quoniam, dist.*69.

Facultas Abbatum dandi Minores, & tonsuram.

dist.69. vbi permittitur eis, quando ipsi ab Episcopis manus impositionem receperunt, dare tonsuram, & lectoratum suis tantùm subditis: & *cap. Contingit, de ætate & qualitate ordinandorum*, vbi communiter interpretes, & *cap. Abbates, de priuilegijs in 6.* Hanc facultatem restringit Tridentinum, *sess.23. de reformat. cap.1.* ad proprios Religiosos. Ex hac concessione admittunt antiqui Theologi Ordines minores posse concedi à simplici Sacerdote ex commissione tantùm: quia omnes Canones reseruant potestatem ordinariam ordinandi solis Episcopis, tanquam ministris Ordinariis, vt docet Florentinum, & Tridentinum locis citatis.

Restrictio. Trident.

87 *Facultatem dādi maiores nō inueniri in Canonibus expressam.*

Hoc autem non inuenitur in Canonibus concessum quoad alios Ordines sacros, seu maiores, alicui simplici Sacerdoti: alioquin idem tenerent præmissi Doctores de his, sicut tenent simplicem Sacerdotem posse ex commissione confirmare, & Ordines minores conferre. Primum sustinentes ex dispensatione Gregorij Papæ. Secùndum verò ex priuilegiis Iure expressis; nam eadem ratio interpretandi institutionem, vtrumque perinde suadet.

Dixi in canonibus receptis non fuisse expressum talem vsum concedendi simplici Sacerdoti conferre sacros Ordines: quia licèt hæc facultas data legitur Chorèpiscopis, seu, vt sonat vox, Episcopis villanis, & ruralibus *in can.13.* Ancyrani, & *can.10.* Antiocheni, qui aggregatur Trullanis, probabilius iudico illos fuisse ordinatione Episcopos, licèt non authoritate regiminis, & independentiæ quoad subiectionem, & limitationem potestatis. Quod colligi videtur manifestè ex Canone Antiocheni. *Qui in villis*, inquit, *& vicis, constituti sunt Chorèpiscopi, tametsi manus impositionem ab Episcopis susceperunt, & vt Episcopi sunt consecrati; tamen placuit sanctæ Synodo, scire eos oportere modum proprium retinere*, &c. & infrà: *constituere autem his permittitur Lectores, & Subdiaconos, & Exorcistas*: & posteà, *non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare præter conscientiam Episcopi ciuitatis, vel Ecclesiæ, cui adiacens inuenitur, seu ipse, seu regio, in qua præesse dignoscitur*, &c. licèt autem hoc Concilium non sit alicuius authoritatis, in quo Eusebiani sub Iulio I. consederint contra Athanasium; tamen quoad hunc Canonem non videntur aliud decreuisse, nisi quod in vsu fuerit, seu ritu Ecclesiæ, qui ad Arianismum, aut causam Athanasij non spectabat.

Chorèpiscopos fuisse ordinatos Episcopos.

Concil. Antiochen.

Pseudoconcilium fuit.

88 *Canonem citat Damasus. Decernit Pōtificare extra Chorepiscopos.*

Hunc citat Canonem proinde Damasus *in epistola 5. Decretali*, quæ est contra Chorepiscopos, ex qua aliqui contendunt Chorepiscopos non fuisse consecratos Episcopos: sed licèt verum sit eum Chorepiscopos abrogare: tamen magis inuehitur in eorum ordinationem in præiudicium authoritatis Episcopalis, & iurisdictionis, quatenus officia etiam ordinationis suæ, non contenti prima institutione, & termino à Canonibus posito exercebant; & ordinationem contra Canones factam reprehendit: quia vt concedit Canon præmissus, & ipse iuxta tenorem eius, aliquando ordinabantur à pluribus Episcopis, iuxta præscriptum, quo ordinari debet Episcopus *ex Canone Apostolorum 1.* hanc improbat, quia in villis non debent secundùm Canones ordinari Episcopi contra dignitatem gradus, & in eadem ciuitate non possunt ordinari duo Episcopi iuxta eosdem Canones, contra vnionem debitam, & dispositionem Hierarchiæ, quo argumento magis impugnatur ordinatio tanquam non legitimè facta, quàm quòd fuerit inualida. Item, dicit quòd aliquando ab vno tantùm Episcopo ordinabantur: quod etiam est contra Canones, & ordinationem Episcopalem.

Decretalis summarium, & interpretatio.

Hinc tamen non videtur colligi, quin valida fuerit eorum consecratio, si ille Episcopus habuerit in hoc commissionem, vt infrà videbitur; quia Gregorius Magnus ob necessitatem indulsit Augustino, vt solus consecraret primos Episcopos in Anglia. Et quidquid sit de hoc, saltem id tantùm sequitur aliquos Chorepiscopos, vtpote sic consecratos ab vno, non fuisse veros Episcopos, quod de aliis non sequitur. Tertiò inducit argumentum ex eo, si consecrabantur sine titulo, & absolutè esse contra Canones: non sequitur tamen quin consecratio fuerit valida, licèt nullam acceperint per eam potestatem præter solam characteris, neque hac illis licuisse vti contra Canones. Canon ergo præfatus Antiocheni videtur clarè loqui de vera consecratione prædictorum, licèt limitata fuerit eis potestas propter subiectionem ad Episcopos ciuitatum, quibus iuri, & in villis tantùm substituebantur.

Cōcessio Gregoriana.

89 *Decretū Damasi non fuit receptum.*

Accedit ad confirmationem horum Decretum Damasi non fuisse vsu receptum, etiam in ipsa Ecclesia Occidentali, vt patet ex epistola Nicolai I. ad Rodulphum Episcopum Bituricensem, cap.1. *A Chorepiscopis*, inquit, *asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum effectas; quos quidam Episcoporum deponunt, quidam verò denuò consecrant. Nos verò dicimus nec innocentes oportere percelli, nec vllas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes. Ad formam septuaginta Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia? Sed quia sacri Canones, ne omnes sibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas Episcoporum ad Chorèpiscopos videatur transferri, fiat vilior honor Episcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas vlterius fieri*, &c.

Decretū Nicolai I. Fuisse Episcopos consecratos.

Ex hac responsione patet primò declaratio Canonis Concilij Neocæsariensis, quem citat Damasus, qui est 13. vbi dicitur Chorepiscopos ad formam septuaginta fuisse institutos, cum hoc tamen officia Episcopalia gessisse docet Nicolaus: ac proinde fuisse eos consecratos Episcopos, & consecrationes ab eis factas Presbyterorum, licèt fuerint contra Canones id prohibentes, esse validas, indéque prohibet sic ordinatos denuò reordinari, aut etiam deponi ex alia parte innocentes. Quòd si Chorepiscopi essent tantùm Presbyteri ordinatione, non valeret ordinatio ab eis facta contra Canones: quia omnes concedunt non posse Presbyterum ordinare alios Presbyteros, aut Diaconos, nisi ex commissione, quæ sublata est omnino per Canones; tenet tamen ipse consecrationem factam Presbyteri, & Diaconi à Chorepiscopis validam fuisse, quamuis contra Canones, qui terminum posuerūt auctoritatis Chorepiscoporum ob honorem Episcopalis dignitatis, ne vilior fieret, si dignitas eius ad Chorepiscopos transferretur in omnibus. Vltimò tandem prohibet ampliùs ordinationes tales fieri à Chorepiscopis: cui consonat Canon Antiochenus citatus; quia docet illos consecratos fuisse Episcopos quantùm ad Ordinem, sed limitat authoritatem, quoad ordinationem

Ordinatio facta à Chorèpiscopis retenta.

nationem Presbyterorum, & Diaconorum, sine scientia, seu consensu Episcopi. Itaque in hoc consensu valebat ordinatio, quia limitatio fit ad consensum, non ad potestatem aliàs ordinandi validè. Sic ergo intelligendus est Damasus, improbans ordinationem eorum contra Canones, non verò quòd fuerit inualida, & reprehendens præsumptionem, & abusum, quo ex arrogantia Iura Episcopalia ex integro sibi arrogabant contra Canones, sine dependentia, & subiectione.

90 Ex his ergo patet argumentum præmissum ex ordinatione facta à Chorepiscopis nihil concludere contra antiquos Theologos citatos: nam vt valeat hæc ratio, & teneat consecratio facta à Chorepiscopis, necessum est dicere eos fuisse ordinatione Episcopos, cùm Canones passim eis ademerint potestatem ordinandi Presbyteros, & Diaconos, sine qua inualidè ordinarent, sicut Sacerdos simplex inualidè sine commissione confirmaret. Quod ergo Subdiaconi ordinatio eis permittebatur, inde fuit, non quòd fuerint solùm Presbyteri, sed quòd iurisdictio eorum fuerit ad hoc limitata, vt cederent in reliquis ipsis Episcopis, eorúmque dignitati; & iuxta hanc sententiam antiquorum Theologorum dixi aliàs *in distinct.* 7. Sacerdotem simplicem non posse ex commissione ordinare Diaconum saltem, quidquid de Subdiacono sit, cuius rationem ibi assignaui, iuxta congruentiam, quam tradit D. Thomas *distinct.* 25. & quam supponit hîc Doctor. Benè ergo & consequenter antiqui Theologi sequentes praxim Ecclesiæ, & Canonum perinde senserunt de sacris Ordinibus, non posse eos conferri, nisi ab Episcopo ordinato: quia ex ordinatione, quæ fiebat à Chorepiscopis, non valet argumentum, vt patet ex dictis; neque aliud quidpiam suppetit, quod fuit in vsu Ecclesiæ ante præfatos Theologos.

Correctio eius quod dicitur dist. 7.

91 Dico ergo primò hanc conclusionem tenendam esse quoad Presbyterium, quod necessitate Sacramenti debeat ordinari ab Episcopo, neque possit ex commissione ordinari à simplici Sacerdote. Hæc conclusio est antiquorum Theologorum. Contrariam docet Aureolus apud Capreolum *in* 4. *distinct.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. *in secundo argum.* Glossa *in cap. Peruenit, distinct.* 95. *& in cap. Manus, distinct.* 5. Innocentius IV. *in cap.* 4. *de consecratione.* Panormitan. *in eodem.* Angelus *in summ. v. Ordo* 2. Eandem sequi tenentur, qui Chorepiscopos nunquam fuisse Episcopos ordinatione existimant: à quibus tamen ex dictis conferebatur aliquando Presbyteratus. Turrianus *in annot. ad Canon.* 54. Niceni. Ayala *de tradit. Ecclesiast.* 3. *part. consid.* 4. & alij moderni.

Episcopus necessitate Sacramenti est minister Ordinationis Sacerdotalis. Sententia cōtraria aliorum.

Probatur conclusio primò, quia vbi nulla praxis, aut interpretatio extat in contrarium Conciliorum, Patrum, aut Pontificum, aut ritus approbati, & recepti, institutio diuina debet intelligi iuxta congruentiam rei, & vsum seruatum, & debitam dispositionem Hierarchiæ Ordinum, & eminentiam gradus Sacerdotalis. Sed in primis nunquam legitur concessio facta Sacerdoti simplici ad ordinandum alium in pari gradu. Quia quod dicitur de Chorepiscopis, iam impugnatum est: ipsi enim fuerunt ordinatione Episcopi consecrati.

Probatio conclusionis.

Ex praxi & congruentia.

De reliquo nihil aliud inuenitur in contrarium concessum à Pontificibus, & Conciliis, & consuetudo opposita rectè interpretatur institutionem factam, qua exigitur hanc ordinationem necessariò fieri per Episcopum: nam aliàs congruentia, & necessitas, quæ postulabant dispensari, vt Sacerdos simplex ordinaret non solùm in minoribus, sed etiam in Subdiaconatus, & Diaconatus gradu, & confirmaret; postulabat etiam vt fieret commissio etiam ad Ordinandos Sacerdotes, saltem vbi non posset esse recursus ad Episcopos, vt in Indiis, & huiusmodi partibus remotis, quando pauci erant ministri, & soli sine Episcopis: non legitur tamen facta: ergo non potuit fieri, aliàs ad ædificationē Ecclesiæ fieri deberet in ea necessitate; & quia concessione facta non sequeretur aliqua perturbatio Ecclesiasticæ Hierarchiæ, magis quàm ex concessione confirmandi, & ordinandi Diaconos, & Subdiaconos, quæ facta perhibetur: & magis exposcebat illa necessitas Sacerdotes, quàm hos ministros: ergo, &c.

Si dicas argumentum esse ab authoritate negatiua, quæ non concludit. 92

Respondetur in materia dogmatica, qualis est præsens, concludere. Accedit casus expressus necessitatis in Ecclesia, quæ sollicitè prouidet, non solùm de potentia ordinaria; sed etiam de absoluta, agendo quod potest, sicut fecit concedendo potestatem ordinandi alios ministros inferiores, non tamen Sacerdotes.

Deinde, congruentia rei idem probat primò: quia cæteri Ordines inferiores necessitate Sacramenti conferuntur à maiori, nempe vel ab Episcopo, vel à Presbytero ex commissione; nec Diaconus potest ordinare Subdiaconum, aut alium Diaconum, etiam ex commissione: ergo neque etiam Sacerdos Sacerdotem ex eadem ratione. Probatur consequentia, quia ideò negamus Diaconum posse ordinare ex concessione; tum quia non apparet vsus, aut ritus contrarius; tum quia Canones reseruant ordinationem Episcopo, tanquam ministro Ordinario, tum quia ex ordinatione sua Diaconus licèt sit Superior gradu aliis, tamen nequit ministros qui sunt superiorum graduum, per se ordinare, vt Sacerdotis, & Episcopi; sed Sacerdos etiam subordinatur Episcopo, qui est Hierarcha, & cuius est potestatem dare in corpus Christi verum, & in corpus mysticum, neque character Sacerdotalis per se extenditur ad alia Sacramenta, quàm ad Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, & Extremam Vnctionem, ex commissione autem ad Confirmationem, quæ est consummatio Baptismi; & quasi accessoriè se habēs: ad nullum horum accessoriè se habet Sacerdotium, sed principaliter; collatio autem inferiorum Ordinum tanquam ministrorum accessoriè se habet ad Ordinem Sacerdotij; vnde ex commissione ab eo dari possunt. Ordinatio autem Sacerdotis non ita se habet ad Sacerdotium alterius: ergo ex dispositione Hierarchiæ, eiúsque Ordine, & ex eminentia gradus Sacerdotalis, atque adeò ex natura ipsius potestatis receptæ, spectat eius collatio ad eum, qui est primus, & summus in ordine, & Hierarcha, & habens primariam potestatem ad ædificationem Ecclesiæ ex diuina institutione.

Probatio ex congruentia rei.

Diaconus nequit ordinare ex commissione.

Cur ad Episcopum solum spectat dicta ordinatio.

Confirmatur; illa Ordinatio fieret ex vi characteris Sacerdotalis, aut ipsius concessionis, aut vtriusque simul. Non primum, quia si sufficeret 93

Confirmatio.

 solus

Sacerdos nequit ex vi characteris aut cõceßionis aut vtriusque ordinare aliũ Sacerdotem.

solus character Sacerdotalis, etiam validè ordinaret Sacerdos sine vlla concessione, quod negatur, reiecta sententia Panormitani, & aliorum asserentium iure diuino non esse differentiam inter Presbyterum & Episcopum. Non solius concessionis, quia sic etiamsi fieret Diacono, posset ordinare, quod non admittitur. Non vtriusque, quia character Sacerdotalis non includit alium remotè, aut proximè. Non remotè; quia sic tantùm includit gradus inferiores propter sui eminentiam, ad quam vt ad finem, & per modum ministrorum inferiores ordinantur. Non proximè, quia sic etiam validè ordinaret sine concessione, & potestas Ordinis esset par in Sacerdote, & in Episcopo quantùm ad ordinationem Sacerdotis, nihilque ei accederet per concessionem, quantùm ad valorem actus.

94 *Secunda conclusio. Explicantur antiqui.*

Dico secundò Sacerdotem posse ordinare Diaconum, & Subdiaconum ex commissione Pontificis Romani: quamuis hæc sit contra antiquos Theologos, & Doctorem, quantùm ad assertionem; non est tamen contra mentem ipsorum, & fundamenta, quibus tenent Sacerdotem simplicem posse confirmare, & conferre minores Ordines, quia nempe ex dispensatione iam facta id colligant. Quod perinde dicerent in proposito, si vidissent concessiones posteriorum Pontificum, quæ factæ sunt. Huius concessionis mentionem facit Victoria *in summa num.* 235. quæ facta est Cistercienſibus, quantùm ad Subdiaconatum. Maior. *in 4 distinct.* 7. *quæst. vnica*, vbi etiam affirmat priuilegium extensum ad Diaconatus collationem. Nauarr. *lib. 5. in Consilijs, cons.* 13. Vasquez citat concessionem Innocentij VIII. Eam habes apud Rodriquez *in Bullario, bulla* 5. Sub hoc Pontifice, aliqui ferunt hanc concessionem factam esse Prælatis nostris in India in prima conuersione Indorum, quando soli illic laborabant: quam in specie ego non legi. Fundamentum conclusionis est concessio facta; quæ ritè interpretatur institutionem diuinam, congruentia autem institutionis tacta est in conclusione præcedenti: quoniam hi sunt ministri Sacerdotis, de quibus dispar est ratio, ac de ipso Sacerdote.

Sacerdotem ex commissione validè ordinare Diaconum, & inferiores. Concessiones in hac factæ.

95 *Tertia conclusio. Minister ordinationis Episcopalis tres Episcopi.*

Dico tertiò ministros Ordinationis Episcopi esse de Iure tres Episcopos, vt constat ex decreto Anacleti, *epistola* 2. *Decretali cap.* 1. Damasus idem supponit loco citato. Nicenum I. *Canone* 4. Nicenum II. *Canone* 3. Carthaginense II. *Canone* 12. Arelatense I. *Canone* 21. Africanum sub Bonifacio *cap.* 16. Aquisgranense *cap.* 9. & plures alij, quos citat Vasquez *disp.* 243. *cap.* 6.

An necessitate Sacramẽti.

Dubitatur an hi plures requirantur vt ministri solemnitatis, an verò vt necessitatis? Paludanus *in tractatu de potestate Papæ apud Antoninum 3. parte titulo* 14. *cap.* 16. §. 9. dicit esse tantum solemnitatis; quem sequitur Anton. *ibidem*. Syluest. *v. Consecratio* 1. Contrariam sententiam defendit Vasquez asserens ministros Ordinarios de Iure diuino esse saltem tres Episcopos, ex commissione verò duos, aut vnum tantùm. Controuersia hæc oritur ex vario modo loquendi Canonum, & Patrum. Canon primus Apostolorum dicit, vt à duobus, aut tribus Episcopus ordinetur, & Clemens Romanus *libro 3. constitut. cap.* 20. *lib.* 8. *cap.* 27. aliàs 33. Quòd si tres non requirantur, nequit probari necessitate Sacramenti duo requiri. quia Canones, qui pro secunda sententia afferuntur, requirunt ad minimum tres Episcopos.

Sententia varia.

Canones varij.

Deinde hanc necessitatem declarat Simon Cananæus, apud Clementem loco vltimo citato. 96
Quod si necessitas, inquit, *coegerit ab vno ordinari, quod propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum*, &c. de ordinato autem ab vno statuit, vt tam ordinans, quàm ordinatus deponatur in casu, scilicet in quo neque est necessitas, aut Commissio plurium Episcoporum, vt sic ordinatio fiat ab vno. Concilium Arausicanum I. *Canone* 21. statuit vt ordinatus contra voluntatem à duobus loco vnius substituatur, & loco alterius ordinantis alius ordinetur de nouo; depositio ergo, quam vt pœnam statuit Simon ei, qui ordinatur ab vno, videtur supponere ordinationem validam esse: sic institutio Ordinati à duobus, iuxta mentem Arausicani, loco alterius ordinantis, & sine noua ordinatione videtur similiter agnoscere Sacramentum fuisse validum. Aliter enim de ordinato substituto loquitur, & de alio substituendo alteri; quia præcipit, vt hic ordinetur, & non ille.

Arausicanũ.

Item, Gregorius Magnus dispensauit cum Augustino Episcopo Angliæ, vt patet ex responsione ad interrogata illius, *cap.* 8. vt solus ordinaret primos Episcopos qui deinceps concurrerent ad ordinationem reliquorum, iuxta præscripta Canonum.

Indultum Gregorij.

Videtur ergo mihi saluari, & conciliari meliùs Canones dicendo esse vel solius præcepti diuini ordinationem hanc celebrari à tribus saltem, tum ob eminentiam gradus, in quo quis ordinatur Hierarcha, concurrentibus cæteris ad eius ordinationem, vt communio inter Pontifices seruetur, & solemnitas ipsa ordinationis eminentiam gradus denotet, & consensus fratrum magis in ipso concursu plurium ordinantium manifestetur, & caueantur pericula, si vni soli commissa ordinatio esset. Vel certè ex his ipsis motiuis esse institutionem Apostolicam congruam diuinæ institutioni. Ac proinde si ab vno, vel à duobus fieret ordinatio, confici Sacramentum, licèt talis ordinatus maneat suspensus ab officio, & vsu gradus suscepti. 97

Resolutio dubij.

Esse præcepti diuini vt ordinatio fiat à tribus.

Vel esse institutionẽ Apostolicam.

Si dicatur esse præcepti diuini, nihil obstat, quin Sacramentum non obseruato tali præcepto teneat, quia respicit tantùm solemnitatem actus, & non substantiam: proinde tenet ordinatio, licèt indebitè, & illicitè facta, & sic saluari possunt ea, quæ originem huius reducunt ad diuinam ordinationem; quamuis ex alia parte non sint multiplicanda præcepta, nisi constet de lege lata; hoc autem præceptum, vt immediatè latum à Deo, non mihi occurrit, cùm ex sola traditione notum fieri possit, de qua non constat.

Si est præcepti diuini concernit tantùm solemnitatẽ.

Primus Canon, qui extitit in hoc, est ille Apostolorum, qui absolutè loquitur ordinationem à tribus, aut duobus perficiendam statuens, non exprimens casum necessitatis, quando fit à duobus magis quàm si fiat à tribus. Eodem modo loquitur Clemens, & apud eum Simon Cananæus locis citatis, iuxta tenorem illius Canonis, qui non facit mentionem diuinæ institutionis. Si ergo à duobus fiat, valet ordinatio iuxta hunc Canonem, & consequenter saluatur diuina institutio, quoad substantiam Sacramenti, & 98

A duobus facta videtur valida.

& ministri requisiti. Quòd ergo alij posteriores statuerint præcisè ordinationem faciendam esse saltem à tribus, ita vt à duobus facta non teneat, intelligendum est hoc non requiri ad substantiam Sacramenti, sed esse ordinationem Ecclesiasticam, quia substantia Sacramentorum nequit variari ab Ecclesia, vt supponit Tridentinum *sess.21.cap.2.*

99 *Interpretatio Canonũ, qui à tribus faciendam statuunt.* Quòd ergo posteriores Canones irritam faciunt ordinationem, quæ non fit à tribus saltem, nequit referri ad nullitatem Sacramenti collati à duobus contra Canonem Apostolicum: sed ad suspensionem ab vsu Sacramenti, & ab honore gradus Episcopalis, cùm Canon Apostolicus perinde ratam habeat ordinationem factam à duobus, vel à tribus, sub disiunctione loquens.

Decretum Anacleti. Neque obstat Anacletus *in 2. sua Decretali,* de ordinatione Iacobi, quam dicit à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis factam, & subdit: *Successoribus videlicet dantibus formam eorum, vt non minùs, quàm à tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus vllatenus Episcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur,* &c. hoc, inquam, exemplum non inducit necessitatem ordinationis à tribus faciendæ, cùm Canon permittat à duobus fieri, neque contra diuinam institutionem præscriberet Canon, si à tribus necessitate Sacramenti fieri oporteret. *Explicatur.* Neque Clemens, neque Simon Cananæus ipsum Canonem, vel secundùm præscriptum eius ordinationem à duobus factam haberent ratam.

100 Illam ergo formam ordinandi à duobus, vel tribus saltem dederunt Apostoli; suo autem exemplo vsi sunt forma, quam posteà retinuit Ecclesia. Neque verba illa Anacleti, quibus dicit se respondere, *Prout Dominus tribuit, & vt à Beato Petro Principe Apostolorum fuit instructus,* &c. sonant illud, quod prætendit Vasquez, nempe ex eo quòd dicat, *Prout Dominus tribuit,* manifestè colligi formam illam ordinationis per tres concurrentes à Domino fuisse traditam, quia verba illa in plano sensu nihil indicant tale; sed assistentiam, & gratiam Domini, qua responsionem formauit: sicut illa verba Concilij Hierosolymitani: *Visum est Spiritui sancto, & nobis,* &c. non denotat reuelationem immediatam, sed assistentiam, qua Spiritus sanctus regit Ecclesiam, neque verba referuntur ad formam, quam exponit, tanquam ipsa à Domino fuerit tradita, & necessitate Sacramenti tres concurrerent, quia Canon citatus oppositum docet. Referuntur ergo ad personam ipsius Pontificis respondentis, prout Dominus ei tribuit responsionem.

101 Neque Anicetus Papa replicans verba Anacleti in epistola ad Episcopos Galliæ, colligit institutionem diuinam ex illis verbis Anacleti, *Anicetus.* sed ex exemplo Apostolorum. *Si autem non minùs,* inquit, *quàm à tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus Episcopus* (supple Iacobus) *patet profectò eos formam instituente Deo tradidisse, non minùs quàm à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere,* &c. Illa autẽ verba: *Instituente Domino,* &c. saluo tenore Canonis præmissi, referenda sunt ad congruitatem institutionis diuinæ, non ad substantiam, neque probabiliùs ad præceptum: quia non præscriberent Apostoli ritum communem consecrandi Episcopum per duos contra diuinum præceptum, minùs contra substantiam Sacramenti, si alioquin exigerentur tres Episcopi ad munus hoc conferendum.

Respondet Turrianus *lib. 1. pro Canonibus Apostolorum, c.22.* intelligendum esse Canonem de duobus simul cum Metropolitano, qui sunt tres, & sic concordat Anacletum, & Canonem Apostolorum: quam responsionem etiam sequitur Vasquez. Sed contrà, Canon Apostolicus non intendit illum sensum, quia formam statuens ordinandi, & differentiam inter ordinationem Episcopi, & Presbyteri, seu reliquorum, dicit absolutè Episcopum ordinandum à duobus, aut à tribus Episcopis, can. 2. Presbyterum, & reliquos ordinandos esse ab vno Episcopo. Differentia ergo in forma ordinationis Episcopi, & Presbyteri absolutè intelligenda est. Deinde Simon Cananæus loquitur de duobus Episcopis ordinantibus in oppositione ad vnum ordinantem. 102 *Responsio Turriani.* *Vasquez.*

Item, Canones Apostolici priùs videntur facti, quàm dignitas Metropolitana fuerit inducta, quia in illis nulla fit mentio huius dignitatis, quæ posteà ex ordinatione sanctorum Apostolorum per Clementem promulgata est, vt patet *ex epistola Anacleti 2.* & *epistola 1.* ipsius Clementis, & *epistola 1.* Stephani Papæ I. ergo Canon Apostolicus non comprehendit Metropolitanum. Accedit quòd ordinationes factæ à Paulo, & Barnaba, quando ordinarunt Presbyteros, seu Episcopos Ecclesiis, quas simul fundarunt, non possint intelligi factæ à tribus, cùm ij soli tum in iis locis erant Episcopi. *Canon Apostolicus præcessit ordinationẽ Metropolitani.*

Prætereà, arguendo ad principale, Canones, qui prohibent ordinationem hanc fieri à minùs, quàm à tribus Episcopis, totum hoc negotium referunt ad solos Canones, non ad vllam institutionem diuinam, & vt plurimùm inuoluunt etiam consensum Metropolitani, vt patet *epist. 2.* Innocent. I. *ad Victricium Rothomagensem.* Ioannis III. *epistola vnica, ex cap. 1.* Concilij Regiensis. Ipsa decreta passim habentur, *dist. 64. & 65.* pœnæ item Decretorum, quibus ordinatur ordinatio ab vno facta inanis, non sunt intelligendæ quoad nullitatem Sacramenti, sed prout etiam sæpè eadem verba extenduntur ad suspensionem ab exercitio, & dignitate Ordinis; vt *distinct. 70. & 71.* ordinatur de quibusdam ordinationibus illicitis, licèt aliàs validis, & quibus talis pœna adiecta legitur. 103 *Canones referunt institutũ ad Ecclesiam.* *Quid intendit pœna adiuncta.*

Item, Anacletus videtur in prædicta epistola in initio hunc ritum referre in authoritatem Apostolicam: *Ordinationes Episcoporum,* inquit, *authoritate Apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint Prouincia, Episcopis sunt celebrandæ,* &c. & subiicit ritũ ordinandi. Dicit ergo omnes Comprouinciales debere adesse, & etiam concurrere ad ordinationem; quòd si autem adesse simul non possunt, *Assensum tamen,* inquit, *suis precibus præbeant, vt ab ipsa ordinatione animo nõ desint,* &c. Rationem autem huius infrà post medium assignat. *Porro quòd Episcopus non ab vno, sed à cunctis, consensu, aut præsentia Comprouincialium est ordinandus, & nullatenus minùs quàm à tribus, ceteris consentientibus cunctis idcirco instituente Domino fieri iubetur, ne quid contra fidem Ecclesiæ vnius tyrannica authoritas moliretur, & regula, vel fides confunderetur credentium,* &c. Verba illa *instituente Domino,* vel ad consilium, & congruitatem, vel ad præceptum referenda sunt; sicut & similia Aniceti *suprà*; nam Anacletus dicit 104 *Anacletus intẽdit ordinationem Apostolicam esse.* *Ratio ad idem tendit.*

authori

auctoritate Apostolica ritum ordinationis per omnes Episcopos Prouinciæ, aut saltem tres fuisse sancitum. Inde nequit deduci omissionem huius ritus esse substantialem, neque contra institutionem primariam Sacramenti; licèt dicamus esse contra institutionem diuinam secundariam, seu præcepti, vel certè contra congruitatem institutionis. ideóque illa particula, *Idcirco instituente Domino fieri iubetur*, &c. non excedit naturam præcepti. Perinde enim comprehendit consensum omnium Comprouincialium, sicut & ordinationem fieri à tribus saltem; & ratio inferiùs subiuncta, *ne tyrannica auctoritas vnius confundat fidem*, &c. non aliam necessitatem videtur exprimere, quàm præcepti vel diuini, vel Ecclesiastici: nam omnes præsentes debent concurrere ad ordinationem ex vi præsentis decreti, hoc autem certum est non requiri necessitate Sacramenti.

Dubium. Sed petes quare non possent dici etiam tres esse, minister ordinarius, & duo, aut vnus minister ex commissione, & extraordinarius.

105 *Soluitur.* Respondeo, in primis Canon Apostolicus docet duos esse posse absolutè. Secundò, quamuis Anacletus, & alij Canones requirant tres, exigunt etiam vt ordinationem celebrent, quando alij non possunt conuenire, & cum consensu aliorum propriis literis expresso, ergo ex commissione. Vnde Innocentius I. suprà citatus *Innocent. I.* cap. 1. in Epistola ad Victricium: *Extra conscientiam Metropolitani*, inquit, *nullus audeat ordinare Episcopum: integrum enim est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur, nec vnus Episcopus ordinare præsumat Episcopum, ne furtiuum præstitum beneficium videatur, hoc enim & Synodus Nicena constituit, atque definiuit*, habetur dist. 64. *Glossa.* cap. 5. &c. *Ideò*, inquit glossa, *dicit furtiuum, quia quod ad omnes spectat, isti surripiunt, nil tamen vnus iure confert*, &c. Supponit nempe ordinationem ab vno factam non subsistere Iure: licèt valeat ordinatio, quantùm ad effectum Sacramenti. *Potiùs ergo*, inquit glossa, *hoc dicendo respexit similitudinem facti, quàm rei essentiam.*

Martinus. Item, eadem distinct. ex Concilio Martini Papæ cap. 7. *Episcopum oportet maximè quidem ab omni Concilio constitui. Sed si hoc pro necessitate, aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus tres eligantur, & omnium præsentium, vel absentium subscriptiones teneantur, & sic postea ordinatio fiat*, &c. Idem habet Concilium Antiochenum *cap. 16.* decernens aliter factam ordinationem nihil valere. *Concilium Antiochenū.*

106 Cùm ergo perinde ad ordinationem requiratur per Canones ad hoc vt valeat subscriptio, & consensus absentium, & licentia Metropolitani, sicut & concursus trium Episcoporum ordinantium, sicut primum nequit interpretari necessarium necessitate Sacramenti, ita etiam illi tres concurrentes non exiguntur necessitate Sacramenti, & perinde ordinant ex commissione tam Metropolitani, quàm aliorum Comprouincialium, sicut duo possunt ordinare ex commissione. *Tres ordinãt ex commissione.*

Non posse dici Episcopum ordinare ex commissione necessitate Sacramenti. Accedit vltimò ad confirmationem, quòd non possit hic dici Episcopum ordinare alium ex commissione, ita vt hæc commissio facta vni, aut duobus Episcopis sit necessaria necessitate Sacramenti, eo modo, quo requiritur commissio in Sacerdote simplici ad ordinandum, & confirmandum: quia hæc commissio requiritur in Sacerdote, qui non habet potestatem proximam ordinandi, aut confirmandi sine ipsa, sed solam remotam ex proprio charactere. Episcopus autem ex suo charactere est in potestate proxima ad ordinationem, vt minister ordinarius eius ex Tridentino, quod non limitat hanc potestatem ad solos Ordines inferiores, sed absolutè ad ordinationem: tenendo ergo Episcopatum esse Ordinem, intelligi debet potestas etiam proxima ordinandi Episcopum esse in Episcopo, accessus autem, seu concursus aliorum in eodem gradu, & ordine, non videtur extendere gradum, seu potestatem Episcopatem ad aliquem actum Ordinis, ad quem non est ex se in completa potestate; quia ad hoc exigitur superaddi aliqua potestas diuersæ rationis, non autem eiusdem gradus, vt patet in reliquis. *Episcopus habet potestatem proximam ordinandi.*

Resolutiuè ergo videtur magis probabiliter dici, referendo hunc ritum ad diuinam institutionem, esse solius præcepti, vt Episcopus ordinetur à pluribus, & non minùs, quàm à duobus, aut tribus, cum consensu, & commissione aliorum, vt saluetur canon Apostolicus, qui ordinandum à duobus, aut tribus docet. Cæterùm necessitate Sacramenti id non exigi, sed solius præcepti. Vel dicendum est iuxta aliam viam esse dispositionis Apostolicæ, secundùm congruentiam diuinæ institutionis; quia constituitur in gradu Hierarchico, cuius authoritas in hoc limitari debuit propter pericula, quæ exprimit Anacletus, si vnus solus ordinaret sine concursu aliorum, & assensu tam Metropolitani, quàm etiam reliquorum Comprouincialium.

Dico quartò Episcopum etiam excommunicatum & hæreticum, & suspensum, esse sufficientem ministrum ordinationis. Hæc est communis Scholasticorum, & patet ex Hieronymo, & Augustino citatis *suprà*, qui Ordinem collatum in hæresi permanere docent. Canones etiam posteriores, qui non admittunt Ordines collatos ab hæreticis, vt Innocentius I. *Epist.* 18. & Leo *Epist.* 38. aliàs 40. & alij posteriores intelliguntur quantùm ad gradum & functionem; nam anteriora Concilia, vt Nicenum, teste Hieronymo, eos in suo gradu recipiebant conuersos. 107 *Quarta conclusio. Excommunicatus & hæreticus validè ordinant. Interpretatio Canonum.*

Dico quintò Episcopum etiam degradatum validè ordinare. Hæc etiam patet ex dictis *suprà* probando Episcopatum esse Ordinem. Aliqui apud Richardum *distinct.* 25. *art.* 1. *quæstione* 4. existimarunt contrarium, ex eo quòd putarint per degradationem ei auferri potestatem. Citant aliqui pro eadem sententia nostrum Doctorem, ex eo quòd dixerit *art. præced.* §. *Alij contradicunt conclusioni*, &c. Quòd si Episcopatus non sit Ordo vanam esse controuersiam, an auferri possit, cùm omnis iurisdictio collata ab Ecclesia possit suspendi à Pontifice. Vasquez autem censet hanc vt probabiliorem docuisse Doctorem *disput.* 243. *cap.* 2. Cæterùm, vt *suprà* ostensum est, Doctor in hac re magis inclinat in sententiam Canonistarum, nempe Episcopatum esse Ordinem, potissimùm ex ea ratione, qua est indelebiles: cùm omnis potestas iurisdictionis in Ecclesia possit auferri à membris eius, per Pontificem, & hanc potestatem, si esset solius iurisdictionis, ita conferri dicit, respiciendo ad argumentum, quo alij indelebilem putant; quia confertur cum benedictione: consecratio Ecclesiæ semper manet, & vasorum sacrorum, quamdiu 108 *Quinta conclusio. Degradatus validè ordinat. Sententia Doctoris. Potestas Episcopalis si esset iurisdictionis posset auferri.*

res

res ipsa est integra. Hanc rationem non censet Doctor efficacem: quam etiam improbat ipse Vasquez: quia, vt benè aduertit, permanentia benedictionis, est ex ordinatione Ecclesiæ, quæ posset mutari. Idem ergo Doctor supponit de Episcopatu, si esset solius iurisdictionis.

109 *Replicat Vasquez.* Cæterùm contra sententiam Doctoris replicat Vasquez potestatem Episcopalem esse Iuris diuini, & institutionis, proinde manere in Episcopo degradato.

Responsio. Respondeo hoc quidem rectè dici, tenendo hanc potestatem esse characteris, & sic cessat controuersia: quia character Ordinis indelebilis est. Verùm antiquiores non ita docent hanc potestatem esse Iuris diuini, qui negant esse Ordinis, sed esse Iuris humani, & Officij. *Sententia Antiquorum.* Vnde eo ipso quòd censeant esse indelebilem, in eo gradu solùm, quo consecratio Ecclesiæ indelebilis est, supponunt non esse Iuris diuini, & institutionis immediatè; sed Iuris Ecclesiastici, vt docere videtur Magister in litera, *Magister.* asserens esse nomen dignitatis, & officij, ex superintendentia gregis, & partiri in quatuor gradus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Metropolitanorum, & Episcopatus. Reliqui simpliciter sunt Iuris Ecclesiastici, à quibus non discernit Magister Episcopatum. Ad quam sententiam alludit Doctor, & ad fundamentum eius præmissum. Posset enim Ecclesia conferre Archiepiscopo dignitatem cum aliqua benedictione speciali, qua non obstante, per degradationem desineret dignitas Archiepiscopalis.

110 *Confirmatur consequentia Doctoris.* Vt ergo consequentiam Doctoris bonam probemus, peto ex quibus locis Scripturæ, Patrum, aut Conciliorum deducatur Episcopatum esse institutionis diuinæ, nisi ex iis tantùm, ex quibus probatur esse Ordinem, vt superiùs dictum est? Dato ergo quòd non esset Ordo, difficulter probatur eius institutio à Deo per modum potestatis; vnde antiqui Doctores, qui hoc tenent, meritò non recurrunt ad institutionem diuinam.

Excluditur instantia desumpta ex potestate clauis Sacerdotij. Deinde, nequit esse exemplum in potestate, quam recipit Sacerdos in sui ordinatione; quia vel hæc est characteris, vt nos cum Doctore probabilius iudicamus, quem sequitur etiam Vasquez. Vel certè adhæret characteri inseparabiliter, vt alij referunt. Et quidquid dicatur, non est potestas completa independenter ab Ecclesia dante ei per suam authoritatem complementum, quo possit validè in actum, & sine qua nihil efficeret. Potestas autem Episcopalis ad ordinandum, & confirmandum est proxima, & completa: ergo vel est characteris, vt verè est, vel certè dependet ab Ecclesia, in qua vt includit suum caput, residet plenitudo potestatis.

111 *Cur non sit proxima?* Vnde, sicut aliàs dictum est suo loco de potestate clauium, Deus non voluit tribuere completam omnino potestatem seu proximam Sacerdotibus in corpus mysticum, & independentem, sicut contulit potestatem in corpus verum, ne præiudicaret plenitudini potestatis, & dispositioni Hierarchiæ Ecclesiæ; ita similiter videtur non instituisse potestatem per modum iurisdictionis in Episcopo, quæ non dependeret ab Ecclesia; quia perinde hoc præiudicaret supremæ iurisdictioni datæ Petro, & eius successoribus; ideóque sequitur illam potestatem ordinandi, & confirmandi in Episcopo esse Ordinis tantùm.

Neque sequitur etiam exemplum ex potestate, quam recipit Vicarius Christi immediatè à Deo; quia hæc, vt patet ex Scriptura, collata est Petro, & eius successoribus: quamuis autem Episcopi succedunt Apostolis, id intelligitur quoad gradum suæ ordinationis, & non potestatis vniuersalis, quam habebant Apostoli, quia hæc limitata est in Episcopis. *Aliud exemplum excluditur.* Videtur ergo consequentia Doctoris bona, data sententia asserente Episcopatum non esse Ordinem: quia extra propositum non occurrit aliud exemplum talis potestatis immediatè à Deo collatæ per modum iurisdictionis independenter ab Ecclesia, & suo capite; neque auctoritates, quibus adstrui posset, probant hanc potestatem Episcopalem esse solius iurisdictionis, & non characteris, magisque innititur sententiæ grauium Doctorum, quàm Scripturis, aut Patribus, aut Conciliis, quorum opinioni nihil præiudicare intendo; sed vim illius consequentiæ, quam elicit Doctor, tantùm explicare.

Dico sextò, proinde dicendum esse de ordinatione facta ab Episcopo degradato, siue quoad sacros Ordines, siue quoad minores. Contrarium huius docet Vasquez loco citato, quia licèt teneat minores etiam Ordines conferri validè ab Episcopo degradato, tamen quia putat hos non institutos à Christo, sed ab Ecclesia, & non esse Ordines propriè, ideò dicit degradatum eos conferre validè: quia Ecclesia non priuauit eum auctoritate, quam contulit vt hos conferret. 112 *Ordinatio in minoribus fit ex vi characteris.* *Vasquez.*

Impugnatur eius ratio. Verùm tenendo sententiam, quam *suprà* defendimus, nempe Ordines minores esse propriè dictos Ordines, eadem ratio militat in his, sicut in maioribus ratione characteris indelebilis, & eo ipso quòd collati à degradato valeant, non benè argumentum sumitur, esse veros Ordines: quia pœna degradationis importat priuationem officiorum, beneficiorum, & priuilegij Clericalis integram absque spe restitutionis, & abolet omnem iurisdictionem Ecclesiasticam in persona degradata. *Omnis iurisdictio cessat in degradato.* Ergo ex natura sua debet potestatem conferendi minores Ordines, si est collata ab Ecclesia, & non fundata in charactere; nec requiritur alia declaratio Ecclesiæ quoad nullitatem Ordinum collatorum, præter eam, quæ ad naturam huius pœnæ spectant, & statuta sunt. Vnde rectè sequitur minores ideò conferri à degradato, quia collatio eorum fundatur in charactere, & non in potestate data ab Ecclesia, qua spoliatur ex integro degradatus. *Collatio minorum fundatur in degradato.*

De Forma Ordinationis.

g *Si quæras quæ verba, vel quæ forma?* &c. 113 *Forma ordinationis.*

Respondet formam ordinationis consistere in illis verbis, quibus vtuntur Episcopi conferendo potestatem, & quæ habentur in libro Pontificali: quibus exprimitur collatio potestatis, respectiuè ad materiam, seu instrumenta, in quibus exercetur, in iis Ordinibus, qui per traditionem instrumentorum conferuntur. Ecclesia Latina vtitur verbo imperandi, *Accipe hoc, vel illud*, &c. *Latina forma.* Quia hoc verbo commodissimè exprimitur potestas, quam ordinans habet ad conferendum gradum ordinato. Græci verò, sicut in Baptismi forma, non exprimunt, ex ritu antiquo ministrum (cuius causam, & vocatio- *Ritus Græcorum quoad formam.*

nem

nem explicui *distinct.* 3. de forma Baptismi vtentes verbo indicatiui in tertia persona, *baptizatur.* Sic etiam in forma ordinationem vtuntur verbo indicatiui tertiæ personæ. ἡ θεία χάρις, &c. προχειρίζεται, &c. *Diuina gratia creat, seu promouet*, &c.
Arcudius. Vide Arcudium *lib. 6. cap.* 8. non ergo necessitate Sacramenti, vt quidam voluerunt, Latina vtitur verbo imperandi: quia constat apud Græcos ordinationem esse legitimam, & validam, qui aliter consueuerunt verbo indicatiui, exprimentes causam principalem, subintelligentes ministerialem Ordinis. Formam Græcorum superiùs explicuimus: quæ talis est: *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat, seu promouet*, &c. *N. Venerabilem Subdiaconum in Diaconum, Venerabilem Diaconum in Presbyterum, Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum*, &c. Et sic variatur forma iuxta diuersitatem gradus, & subiecti ordinati ad ipsum: expressio autem gradus anterioris, in quo fuit ordinatus, non est essentialis: quia, vt aliàs dictum est, potest conferri Ordo per saltum, vt Diaconatus sine Presbyteratu, validè, præter solum Episcopatum, qui supponit essentialiter Presbyteratum.

Forma Græcorum.

114 Aduertendum tamen, vt suprà aliàs notaui sequendo ritum Euchologij, seu Ritualis Græci, quem *in initio lib. 6. cap. 2.* præmittit Arcudius, hanc formam esse in vsu Græcorum, quando ordinant Diaconum, & Presbyterum duntaxat, non verò in aliis ordinationibus, quæ celebrantur sola manus impositione cum oratione deprecatiua, vt patet ex præscripto *ibidem* ritu: quæ oratio exprimit munus, ad quod assumitur persona, & postulat gratiam ministerij, quod conceditur.

Vsus illius formæ iuxta præscriptum ritualis.

Quamuis autem prædicta forma habeatur in ordine consecrandi Episcopum, mihi ambiguum est, si sit consecratoria, vt aliàs dixi; nam dispositio ipsa, & Ordo, quem tenet Euchologium in ritu consecrandi Episcopum, dubium mouet, si omnia, quæ interueniunt, exprimit: primò dicit adduci consecrandum à tribus præsentibus Pontificibus ad consecrantem. Secundò asserit Præfectum scriniorum, seu Chartophylacem offerre Pontifici schedulam, in qua hæc scripta sunt: *Suffragio, & approbatione Deo amabilissimorum Metropolitanorum, vel Episcoporum*, &c. *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & imperfecta perficit, promouet N. amabilissimum Presbyterum in Episcopum à Deo custodita ciuitatis N. Oremus igitur pro ipso, vt veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus*, &c. Subiungit.

An sit forma consecratoria Episcopi?

Ritus consecrandi Episcopũ ex Euchologio.

115 Hac igitur porrecta charta Pontifici, & Chartophylace, vel Archidiacono dicente *attendamus.* Pontifex vnà cum pallio imposita manu recitat quæ sunt scripta, ita vt à circumstantibus omnibus audiatur, cunctis tam iis, qui in sanctuario, quàm qui sunt extra respondentibus ter: *Kyrie eleison.* Pontifex aperit librum Euangeliorum, & imponit capiti, ac ceruici illius, qui ordinatur, simul vnà tangentibus aliis quoque Pontificibus: deinde facta trina cruce in capite illius, impositáque manu sic precatur.

Domine Deus noster, &c. *Tu Domine omnium, & hunc qui suffragiis electus est, & dignus factus, qui subiret iugum Euangelicum, & Pontificiam dignitatem, per manum mei peccatoris, & præsentium ministrorum, & Coëpiscoporum aduentu, & virtute gratiæ sancti tui Spiritus corrobora*, &c.

Ex his sequitur primò dictam formam, vt traditur primò à Chartophylace scripta, non esse Sacramentalem. Secundò sequitur, vt profertur à Pontifice consecrante imposita manu, & pallio capiti eius, qui ordinatur, & legente scripta, si referuntur hæc verba ad formam schedulariam, non esse Sacramentalem: quia tunc impositione manus, & prolatione formæ perficeretur consecratio, quia & materia supponitur, & prolatio formæ perficitur, quam terminat responsio Cleri dicentis ter *Kyrie eleison:* forma enim determinat materiam tantùm, quæ simul adhibetur. Et hoc dato, sequitur aliud inconueniens; nempe impositionem libri Euangeliorum, manúsque aliorum Pontificum esse tantùm cæremonialem, quæ nequeunt referri à forma antecedenter prolata, & terminata per prolationem *Kyrie eleison.* Hoc autem esset contra Canones Apostolorum, Niceni, & aliorum Conciliorum, in quibus requiritur concursus aliorum Pontificum ad consecrationem ordinandi, & contra illam clausulam orationis sequentis, *qui subiret iugum Euangelicum, & Pontificiam dignitatem per manum mei peccatoris, & præsentium ministrorum & Coëpiscoporum*, &c. Item dicta oratione sequitur in rituali. *Et dicto* Amen *dicit vnus ex eis qui vnà consecrant, Pontificibus*, &c. Supponitur ergo eos concurrere ad consecrationem, & consequenter forma deprecatoria, quæ simul cum impositione manus profertur, ipsámque tam consecrantis principalis, quàm etiam concurrentium manus impositionem exprimit, videtur esse consecratoria.

Sed adhuc restat dubium, quod aliàs suprà motum est, quomodo saluari possit concursus ad consecrationem ex parte assistentium, cùm formam non proferant, sicut in Ecclesia Latina consueuit ab omnibus proferri simul cum impositione manus, & ex alia parte Sacramentorum ministerium nequit esse diuisum, aut materia conferri ab eo, qui non profert formam, quamuis pauci contrarium asserant, vt Caiet. Paludanus, Marsilius, vt visum est, de Baptismo. 116 *Dubium.*

Dicendum in Ecclesia Græca fuisse veram ordinationem, quia nullus de hoc hactenus videtur rectè dubitasse, neque in Concilio Florentino, neque aliàs contrarium obiectum est Græcis. Ritus etiam consecrandi antiquus non debet vocari in dubium. Similiter Canones, qui præscribunt consecrationem Episcoporum fieri debere à pluribus concurrentibus, perinde obseruauit Ecclesia Græca. Dicendum ergo videtur aut ordinationem hanc Episcopalem consistere in recto in manus impositione, & licèt requiratur forma verborum, vt ex Florentino patet, sufficere in hoc Sacramento, vt dicatur à principali consecrante, & hoc esse specialis institutionis, quam interpretari licet ex praxi & ritu Ecclesiæ Græcæ, in qua est vera ordinatio Episcopalis; ex diuerso enim ritu Ecclesiarum colligitur etiam institutio substantialis Sacramenti, neque est necesse, vt suppetat instantia in aliis Sacramentis; quia institutio omnium non est eadem, & quod per differentiam vnius ab alio substituit, non est requirendum in aliis: sufficit enim, vt aliunde colligatur propria institutio huius, aut alterius Sacramenti.

Vera ordinatio in Ecclesia Græca.

Resolutio dubij.

Videmus enim aliquam differentiam esse in concursu inter principalem consecrantem & alios, vt in Eucharistiæ consecratione inter Episco- 117

Differentia inter principalem consecrantem, & alios accedentes

Episcopum, & Sacerdotes tunc ordinatos, qui concurrunt ad consecrationem vtriusque speciei, quæ consecratio aliquo modo est ab Episcopo, vt causa principali, seu primaria, ab aliis cum proportione aliqua causæ accessoriæ, & minùs primariæ; vnde nascitur differentia in communione, quòd hæc fiat sub vtraque specie ab Episcopo, quia est principalis consecrans, ab aliis tantùm sub vna specie fit communio laica; quamuis aliàs de iure diuino consecrans primariò, & seorsim teneatur ad communionem sub vtraque specie; eodem modo cum inter consecrantes Episcopum sit talis Ordo, vt vnus sit principalis consecrans, reliqui vt assistentes, licèt hìc concurrant in eo, quod primarium est, nempe ad impositionem manus, per quam Patres, & Concilia in recto exprimunt hanc ordinationem; non esse tamen de necessitate Sacramenti, vt proferant formam, quæ licèt essentialis sit, sufficit in hoc Sacramento, vt à principali consecrante proferatur, & id fortè requiri.

118 Concilium etiam Carthag. IV. *cap.* 2. de ordinatione Episcopi cõsentit Rituali citato. *Episcopus*, inquit, *cùm ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem super caput, & ceruicem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant*, &c. Illa verba, *fundente super eum benedictionem*, &c. referunt prolationem formæ, quæ intelligenda est illa, quæ dicitur, dum tenetur liber, & imponitur manus ab omnibus. Rectè ergo colligitur ab vno tantùm prolatam valere, & esse illam deprecatiuam in Ecclesia Græca, quæ simul cum impositione libri, & manuum dicitur.

Forma ab vno tantùm consecrãte dicitur.

Aliud mihi in hoc non occurrit, nisi fortè hinc argumentum quis sumeret pro opinione antiquorum Theologorum, dicendo hinc colligi Episcopatum non esse Ordinem, cùm forma illa à Græcis non proferatur nisi ab vno, & principali consecrante præter ritum communem Sacramentorum: sed ex alia parte non magis inde licet colligere nõ esse Sacramentum, quàm oppositum ex ritu Ecclesiæ Latinæ, in qua forma ab omnibus profertur simul cum impositione manus, concurrentibus aliis fundamentis, quibus colligitur esse verum Sacramentum.

De materia Ordinis.

Et simul cum intentione debita ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans, &c.

119 PAucis verbis dirimit controuersiam de materia huius Sacramenti, an sit impositio manus, an traditio instrumentorum? Tota controuersia refertur ad diuersos ritus Ecclesiarum, & diuersos Canones, in quibus nunc vnum, nunc alterum, nunc vtrumque explicatur. Græci ordinationem appellant, *manus impositionem* à cæremonia, nempe per quam datur potestas Ordinis, & per solam manus impositionem ordinant Lectorem, Subdiaconum, Diaconum, Presbyterum & Episcopum, peracta verò ordinatione porriguntur instrumenta in aliis præter Episcopatum; hæc satis consonat Scripturis *suprà* citatis, ex quibus probatur Ordo esse Sacramentum; & satis indicant antiqua Concilia, & Patres, Nicenum, & Neocæsariense *canon.* 9. Antiochenum, & Ancyr. *Canon.* 10. Synodus VII. *Canon.* 14. Clemens *lib.* 8. *Constitut. c.* 16. & hanc probat Arcudius *lib.* 6. *cap.* 3. *& sequent.* Bellarm. *lib. de sacro Ordine, tomo* 2. *cap.* 9. Hossius *de Sacramento Ordinis, cap.* 50. Durandus *in hac dist. quæst.* 2. *artic.* 3. Altisiodorensis 4. *part. de Sacramento Ordin. cap.* 1. D. Bonauentura *in hac dist. part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 4. & noster Doctor *sequentibus*, idem docet quoad ordinationem Sacerdotis requiri manus impositionem.

Materia ordinationis.

Ritus Græcus in manuum impositione statuit materiam.

Ex altera parte. Concilium IV. Carthag. tres Hierarchicos Ordines docet conferendos per manus impositionem, Subdiaconatum, & reliquos per traditionem instrumentorum. Florentinum per collationem instrumentorum conferri Presbyteratum, & reliquos. Idem etiam patet ex Pontificali Romano, & vsu Ecclesiæ Occidentalis, cuius ritum sequentes plures Scholastici hanc partem definiunt, eámque de fide esse contendunt aliqui moderni, ita vt aliter ordinatio facta sit inualida.

Concil. Carthagin.

Florent.

Ritus Ecclesiæ Romanæ.

Sed temperandus est hic rigor, & concedendum in vtraque Ecclesia validam esse ordinationem: vnde tenendum cum Doctore non requiri ad materiam Ordinis, nisi vt fiat signo visibili, per quod ministerij illius gradus repræsententur, prolata debita forma. Ad idem videtur mihi respexisse Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 3. dicens, *sacram ordinationem verbis, & signis exterioribus perfici.* Dicit *signis*, quia sicut traditio potestatis per signa externa variis modis fit, vt impositione manus, traditione instrumentorum, alterutrum sufficit, quando est proportionatum signum traditæ potestatis. 120

Materia est signum sensibile denotans traditionem potestatis.

Trident.

Dixi *proportionatum signum*; quia non se habet traditio instrumẽtorum, sicut impositio manus in ratione signi proportionati eodem modo, & in eadem vniuersalitate proportionis: quia traditio instrumentorum non est proportionatum signum nisi respectiuè ad potestatem, per quam ministerium per ipsa instrumenta exercetur circa aliquod subsistens de præsenti; ideò est solum signum proportionatum, qua repræsentetur ministerium circa corpus Christi verum, vt contingit in potestate consecrandi, & reliquis inferioribus gradibus, qui ordinantur ad ministerium Altaris. Non est autem signum proportionatum ad repræsentandam potestatem in corpus mysticum, quæ per talia instrumenta non exercetur; ideò in consecratione Episcopi sola manus impositio cum libro Euangeliorum super caput eius posito denotat potestatem, quam recipit confirmandi, & ordinandi ministros Ecclesiæ. Sic etiam quando confertur potestas Sacerdoti in corpus Christi mysticum, non adhibentur instrumenta, sed impositio manus, quæ etiam se sola esset sufficiens materia in cæteris Ordinibus.

Quid sit signum proportionatum?

Differentia inter manus impositionem, & traditionem instrumentorum.

Aduertendum autem est ad colligẽdum, quæ sit ex his materia essentialis, quæ verò tantùm solemnitatis, & non Sacramentalis (quam intelligo per non essentialem) quando vtraque adhibentur in ordinatione, iuxta diuersum ritum Ecclesiarum, & respiciendum esse ad formam ordinationis verbalem: nam illa præcisè est materia sacramentalis, quam determinat forma, & cui coniungitur; illa autem sola acciden- 121

Discernitur materia essẽtialis à Rituali.

talis, seu solemnitatis, quæ nequit referri ad formam simultate, aut continuatione actionis non interruptæ per aliam, quæ non spectat ad substantiam Sacramenti. Quod patet ex communi regula de coniunctione necessaria formæ, & materiæ Sacramenti saltem morali, si non rigorosa physica.

Exempli gratia, impositio manus, quæ fit ab Episcopo, cõcurrentibus Sacerdotibus aliis præsentibus super caput eius, qui ordinatur Sacerdos; quia fit sine vllis verbis, est tantùm dispositio, seu Ritus Ecclesiasticus, & non materia sacramentalis. Item, impositio manus, quæ fit Diacono, dicendo: *Accipe Spiritum sanctum*, ita etiam, vt plerisque placet, erit cæremonialis, & non sacramentalis; quia illa verba non ordinant ipsum ad aliquod ministerium particulare sui gradus: sed forma posteà prolata, quæ exprimit ministerium sui gradus simul cum traditione instrumentorum, est consecratiua, nec subsistere videtur, quod aliqui dicunt, in vtraque impositione dari gratiam sanctificantem: quia Ecclesia nequit hanc gratiam conferre, nisi per signa sacramentalia, qualis non est illa impositiò manus, aliàs perficeretur Sacramentum ante traditionem, & ante prolationem formæ.

Ritualis materia.

Opinio quorumdã reijcitur.

Aliud præterea exemplum est ipsa traditio instrumentorum, vt fit in Ecclesia Græca, completa iam ordinatione; hæc traditio est solemnitatis, qua ordinatus designatur ad exercitium actuale potestatis receptæ, & ministerium. Ex quibus facilè deprehendi potest materia sacramẽtalis ex Ordine ad formam verbalẽ, qua confertur potestas: neque dici debet Ritus Ecclesiarum esse contrarius in substantia Sacramenti.

122 His positis probatur conclusio Doctoris, quia Ordinatio in Ecclesia Græca celebratur per manus impositionem, & verba exprimentia potestatem traditam; in Ecclesia autem Latina partim per impositionem manus, partim per traditionem instrumẽtorum modo dicto: sed in vtraque Ecclesia habetur verum Sacramentum, de quo nemini dubium esse debet. Ergo institutio Christi; & consequenter tam vna, quàm altera materia est sufficiens huius Sacramenti.

Probatio conclusionis.

Confirmatur, quia Christus instituendo Sacramenta designauit materiam ex communi vsu proportionatam ad significandum effectum Sacramenti; sed tam manus impositio, per quam confertur Spiritus sanctus ad effectum potestatis, & gratiam ministerij, in gradu, ad quem assumitur minister in eadem potestate, habet sufficientem proportionem ad designandum potestatem traditam: ergo est sufficiens materia Sacramenti. Simili modo traditio instrumentorum cum forma exprimente potestatem tradi, habet ex communi vsu tam fori, quàm Ecclesiæ proportionem ad designandam potestatẽ, quæ exercetur per instrumenta: ergo erit sufficiens materia. Exempla varia suppetunt de inauguratione Regum, & Principum, & Magistratus, de inuestitura etiam, vt per certa instrumenta, & ritus fit: rectè ergo similiter traditio instrumentorum in ordinatione significat potestatem traditam: rectè etiam materia huius Sacramenti constituitur in signo visibili repræsentante potestatem dari ordinato. Canones autem, qui nunc loquuntur de sola manus impositione, nunc de sola traditione instrumentorum, non sunt intelligendi præcisiuè, aut exclusiuè, quasi altera sola esset materia ex diuina institutione, sed intelligendi sunt de materia sufficiente, & quæ in vsu est, aut fuit, iuxta particularem Ritum Ecclesiarum.

Confirmatio.

Vtrãque materiam designare traditionem potestatis.

Non mihi placet modus, quo aliqui moderni concordant, vt saluent impositionem manuum esse materiam essentialem in ordinatione; dicunt enim Concilia non intendisse dare completam doctrinam Sacramentorum, sed aliqua statuisse pro illorum temporum necessitate, & Ecclesiæ vtilitate; quamquam enim dici id posset de Patribus, aut Conciliis, quando incidenter loquuntur, & non ex scopo principali de Sacramentis, nequit dici de iis, qui per se hoc argumentum, & ex instituto explicarunt, prout fecit Florentinum, Tridentinum, & Carthag. IV. quia esset defectus in doctrina, qui admitti non debet. 123

Modus loquẽdi quorũdam corrigitur.

Deinde, quod similiter dicunt omnes cæremonias, vt manus impositionem, etiam vnctionem, vt quidam volunt, & traditionem esse materiam, ita tamen vt in prima cæremonia manus impositionis imprimatur character nouus, & distinctus: similiter in cæteris, vel certè extendatur character, prout aliqui cum Durando dicunt Sacerdotalem extendi ad Episcopalem; de quo *suprà* egimus, & dari diuersam potestatem. Hic, inquam, modus explicandi videtur mihi satis voluntarius, & non fundatus. Primò, quia & forma verborum non determinat illas materias vt diuersas, quæ tantùm dicitur, cùm traduntur instrumenta. Præter regulam autem est, vt materia sola ad scita, licèt aliàs esset sufficiens, fiat sacramentalis sine forma verbali requisita. Secundò, nequit specificari potestas data per characterem, nisi habeat suum actum correspondentem: per impositionem primam manus, quæ fit, verbi gratia, Sacerdoti; & idem de vnctione eius, non cõfertur potestas conficiendi, quæ est prima, & primaria, quam recipit; sed hæc datur, cùm fit traditio instrumentorum, & materiæ, & simul dicitur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. quæ est forma huius Sacramenti, per quam confertur potestas adiuncta illa materia; non datur similiter potestas in corpus mysticum ligandi, & soluendi, quæ supponit potestatem offerendi, si diuersa est; sed in Sacerdote nulla est alia potestas præter has: ergo neque character. Idem similiter de Diacono dicendum, nullam potestatem tribui, donec recipiat instrumenta, & profertur forma suæ ordinationis: ergo doctrina præmissa non cohæret communibus regulis de materia, & forma Sacramentorum. Accedit tertiò non referri formam Sacramenti seorsim ad materias discretas, & interruptis actionibus non cohærentes, eo modo.

Aliorum sententia reijcitur.

Potestas non datur inchoatiuè, sed completo Sacramento.

Meliùs ergo diceretur omnes illas cæremonias per modum vnius materiæ cumulatiuè supponi, & ex intentione ordinantis, & Ecclesiæ ad maiorem expressionem potestatis conferendæ, quam plures illæ cæremoniæ, ceu signa exprimunt, & omnes etiam per modum vnius determinari à forma Sacramenti: neque hoc est contra naturam collatæ potestatis, vt per plura signa concurrentia per modum vnius tribuatur, neque contra naturam Sacramenti, ad quam nihil requiritur, nisi proportio sufficiens inter materiam, & formam, & debita coniunctio; sufficit autem vt sit moralis: quia Sacramenta, quæ sunt in vsu, id tantùm postulant: quamuis ergo omnes 124

Probabilior modus defendenda prioris sententia.

Potestatis traditio per plura signa, & actiones fieri potest.

omnes illæ actiones successiuè fiant, quia aliter humano modo nequeant fieri, cùm tamen supponantur in ordine ad formam per modum vnius materiæ ex intentione conferendæ potestatis, sic etiam determinantur per modum vnius materiæ per formam, quamuis simul cum vltima actione proferatur.

125 Hoc tenendo in Ecclesia Latina tam impositione manus, quàm traditione instrumentorum ordinatio fit, licèt in Græca fiat per solam impositionem manus, & fieri posset per alteram materiam horum. Et tunc dicendum est ad Florentinum, Concilium specificasse illam actionem traditionis, cui copulatur forma, non exclusisse manuum impositionem, vt ei coniungitur.

Præfertur sententia cõmunis.

Cæterùm, quia plures Doctores negant manuum illam impositionem esse Sacramentalem, sententia Doctoris, & reconciliatio in ea fundata videtur magis sequenda; quia si manus impositio prædicta esset materia necessitate Sacramenti essentialis, ita vt quidam volunt, sine illa nihil fieret, Concilium deberet in recto eam exprimere, & non solùm materiam accessoriam traditionis, quæ se sola non sufficeret, data priori sententia de necessitate manus impositionis: nisi quis dicat per verbum *Traditionis* Concilium voluisse comprehendere reliquam materiam ex natura rei coniunctam; quamuis in forma verborum non discernat inter Hierarchicos, & cæteros Ordines inferiores, supponens ea, quæ nota sunt ex ritualibus, & Pontificali Romano, ad quod se remittit, & in quo exprimitur forma ordinandi, vt comprehendit tam impositionem manus in Hierarchicis, quàm etiam traditionem.

126 *Dubium. An necessarius sit contactus instrumentorum. Affirmans sententia.*

Dubitatur, An contractus instrumentorum ex parte ordinandi requiratur de necessitate Sacramenti. Affirmatiua communiter tenetur cum D. Thoma *in hac distinctione quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 3. Paludanus *quæst.* 1. Anton. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16. Syl. *v. Ordo* 2. *quæst.* 5. Hossius *in Confessione Catholica, cap.* 50. Angelus *v. Ordo* 1. Viguerius *in institutionibus moralibus, cap.* 16. Caiet. *tract.* 16. Valentia *quæst.* 1. *de hoc Sacramento, puncto* 5. Sotus etiam *in hac distinct. quæst.* 2. *art.* 2. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 10.

Negant alij.

Negatiuam docuit Albertus *in hac distinct. art.* 38. *ad* 2. quam sequitur Vasquez *disput.* 246. *cap.* 2. citans Sotum, Caietanum, & Victoria. Priori sententiæ fauet praxis, & Pontificale Romanum, vbi statuitur, quando plures sunt ordinandi, vt bini tangant materiam successiuè porrectam cum iteratione formæ. Secundæ sententiæ fauet communis sententia Theologorum, qua tenetur pueros ante vsum rationis ordinari validè, quam *infrà* tractabimus *quæst.* 2. *sequentis distinct.* Hoc enim dato non videtur tactus materiæ necessarius, quia in his nequit ille tactus esse propriè receptio materiæ, aut potestatis per eam traditæ, per quam posset dici perfici reciprocè traditio: quia cùm in illis non sit vsus liberi arbitrij, ille tactus merè passiuus, & physicus non videtur concurrere ad traditionem per modum receptionis, & maximè necessitate Sacramenti, ad quod si requireretur tactus per modum receptionis, deberet esse actus humanus. Videantur Theologi citati. Neque ergo ex natura traditionis actiuæ, vt designat potestatem conferri, satis probari potest oppositum, neque etiam ex natura ordinationis requiritur concur-

Vtriusque probabilitas & fundamentum.

sus ordinati, cùm hæc fieri possit per impositionem manus, & prolationem formæ, quidquid sit de veritate speculatiua, sequenda est praxis Pontificalis in vsu.

h *Sed in Sacerdotio videtur probabile quòd ibi sint duæ formæ partiales, &c. & istis coniunguntur duæ materiæ, &c.* Hanc sententiam superiùs insinuauit *distinct.* 19. asserens duplicem characterem imprimi in Sacerdotio, quorum alter sit potestas in corpus Christi verum, alter in corpus mysticum: hinc consequenter dicit hoc Sacramentum duplici forma, & materia constare, quas in textu explicat. 127

Duplex materia, & forma Sacerdotij.

Alij docent Sacerdotem ordinari quando traduntur instrumento, & profertur forma, quam primo loco statuit Doctor. *Accipe potestatem offerendi*, &c. D. Thomas *in hac dist. quæst.* 2. *art.* 3. Richardus *q.* 2. *art.* 3. Sotus *quæst.* 1. *art.* 4. *conclus.* 5 *& distinct.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2. Capreolus *hac distinctione art.* 3. *ad* 3. *contra primam conclusionem.* Supplementum Gabrielis *quæst.* 1. *art.* 1. Syl. *v. Ordo* 2. *q.* 4. *distinct.* 3. Angelus *v. Ordo* 1.

Sententia negans.

Conclusionem Doctoris (quamuis priorem etiam probabilem censet) vt veriorem tenent Bellarmin. *de Ordine cap.* 9. Vasquez satis diffusè *disput.* 239. *cap.* 3. *& sequentibus.* Reginaldus *cap.* 2. Coninck *vb.* 7. Fornarius *de Ordinis materia & forma, vbi in additionibus* Victorellus. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 6. insinuat Suarez *tom.* 4. *in* 3. *partem sectione* 1. *disput.* 42.

Senteñtia Doctoris affirmat.

Probatur, quia ad hanc ordinationem ex Scriptura, Conciliis antiquis, & Patribus requiritur manus impositio, vt fusè probat Bellarminus *suprà*, & Arcudius loco citato: sed manus impositio, quæ primò fit Sacerdoti ab Episcopo, & aliis Sacerdotibus præsentibus iuxta ritum Ecclesiæ Romanæ, fit sine vllis verbis, quæ designarent potestatem vllam, & potestas ipsa offerendi traditur, quando instrumenta dantur, & profertur forma. *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. vt constat ex Florentino: ergo manus impositio, quæ fit simul prolata altera forma, *Accipe Spiritum sanctum, quorum*, &c. illa erit essentialis. 128

Probatio.

Impositio manus requiritur in Sacerdotio.

Dices illam impositionem priorem spectare ad materiam. Contrà, id negant assertores prioris sententiæ, maximè post Florentinum; & eo etiam dato, sic argumentor, nequit illa manus impositio extendi vltra significationem formæ, quæ completur præcisè, sicut & traditio instrumentorum, in concedenda potestate offerendi, quæ est circa corpus verum Christi: sed vltra illam accipit Sacerdos potestatem in corpus Christi mysticum, tanquam diuersam, quæ nullo modo exprimitur in priori forma, & materia; ergo hanc recipit per manuum impositionem consequentem, simul cum forma, quæ eam exprimit eam per verbum imperatiuum, *Accipe*: quod denotat tradi tum ipsam potestatem nouam.

Responsio impugnatur.

Conditio instrumentorũ, & verba prolata non conferunt potestatem in corpus mysticum.

Confirmatur, per potestatem offerendi sacrificium nihil recipit ordinatus ex vi formæ & materiæ, qua illa potestas datur, quod non receperunt Apostoli in cœna, quando sunt ordinati Sacerdotes: tum enim ordinatos esse Sacerdotes, docet Tridentinum *sess.* 22. *c.* 1. *& Can.* 2. per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, definit quoad hanc potestatem offerendi sacrificium fuisse institutos. Sed Apostoli non rece- 129

Confirmatio. Potestas data offerendi sacrificium limitatur ad formam, & materiam. Trident. Apostoli priùs ordinati cum potestate offerendi, quam ligandi.

perunt tunc potestatem remittendi peccata; ergo neque Sacerdos ordinatus eam recipit per formam,& materiam, qua datur ei potestas offerendi præcisè. Maior probatur, quia eandem potestatem recipit ordinatus per materiam, & formam præscriptam, quam receperunt Apostoli. Deinde, materia limitat formam,& contrà forma materiam: sed materia tradita nequit referri ad potestatem ligandi, neque vsus eius est, nisi circa oblationem tantùm cuius est materia, neque forma exprimit aliam potestatem, quàm offerendi sacrificium, vt patet ex verbis eius expressis. Ergo significatio etiam practica ad aliam potestatem non refertur.

Significatio formæ, & materia limitata ad sacrificium.

130 *Potestas ligandi & soluendi data post resurrectionem.*

Minor principalis probatur ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1. *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: quam etiam tam insigni facto & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam vniuersorum Patrum consensus semper intellexit*, &c. quod suo loco fusiùs probatum est: ergo non anteà fuit communicata hæc potestas. Idem docet Concilium *cap.* 6. *& cap.* 8. *Canon.* 3. *& Can.* 9.

Reijciuntur quædam sententiæ.

Et hinc euacuatur sententia Capreoli, ciúsque responsio, dicentis in cœna hanc potestatem communicatam fuisse Apostolis: euacuatur etiam solutio Soti dicentis implicitè Sacerdotem recipere potestatem remittendi peccata, quando recipit potestatem offerendi: quia, vt dictum est, Apostoli receperunt plenam potestatem offerendi in cœna, & non remittendi peccata ante resurrectionem, cùm dicta sunt eis illa verba, *Ioannis* 20. vt Concilium ex communi Patrum consensu definiuit.

131 *Potestas clauium debuit dari per signũ sensibile.*

Deinde, hæc potestas conferri debet per signum sensibile, & per modum Sacramenti: ergo explicitè debet significari, & conferri, & non tantùm implicitè.

Euacuatur etiam sententia, quæ dicit hanc potestatem non fundari in charactere Ordinis, vel non spectare ad characterem completum Sacerdotij: quia potestas completa data per formam, & materiam sensibilem in Ordine ad conficiendum Sacramentum fundatur in charactere. Vnde Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 4. ex hoc probat Episcopatum esse primum gradum in Hierarchia ordinationis, quia Episcopus solus ordinat ministros Ecclesiæ, & confirmat vt Ordinarius minister; sed Sacerdos est minister pœnitentiæ, & etiam extremæ Vnctionis, in quantum præcisè recipit claues, & potestatem in corpus Christi mysticum, quæ non competit ipsi ex sola potestate in corpus verum Christi, éstque minister necessitatis, ita vt Episcopus non in quantùm Episcopus, sed in quantùm Sacerdos ordinatione per potestatem clauium absoluat, vel vngat. Ergo ex definitione Ordinis, quo dicitur quis constitui in gradu eminenti ministerij in Ecclesia, hæc potestas est potestas Ordinis & characteris: aliàs negabo vniuersim characterem in reliquis, & mirum sanè videtur, vt in aliis asseratur, & in hoc negetur.

Trid. Ratio colligendi Episcopatum esse Ordinem. Potestas clauium in Sacerdote extendit se ad duo Sacramenta.

Argumentũ ex definitione Ordinis.

Responsio impugnatur.

Quòd si dicas Ordinis characterem definiri præcisè ad Eucharistiæ ministerium. Contrà, Ordines inferiores remotè respiciunt hoc ministerium; sed hìc etiam remotè potestas absoluendi disponit ad Eucharistiæ dignam sumptionem, sicut pœnitentia disponit ad eandem: ergo etiam in hoc dicit ordinem mediatum ad dignam ministrationem, & receptionem Eucharistiæ.

Secundò ad idem, & ad conclusionem principalem, Trident. *sess.* 23. agit de Sacerdotio vt est Ordo, & imprimitur in eo character: vnde *cap.* 3. docet conferri in eo gratiam tanquam per Sacramentum ipsa ordinatione, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur. & *cap.* 4. imprimi characterem; quod aliàs definiuit *sess.* 7. *de Sacram. in genere*, *Canon.* 9. Sed *in cap.* 1. *sess.* 23. comprehendit in Sacerdotio legis nouæ, non solùm potestatem offerendi, sed etiam remittendi peccata, tanquam diuersam; ergo hæc potestas est ordinis & characteris. Probatur subsumptum: postquam docuit coniunctionem Sacerdotij, & Sacrificij, & vetus Sacerdotium Aaronicum translatum esse in Sacerdotium visibile, & externum legis nouæ, subdit: *Hoc autem ab eodem Domino Saluatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorúmque successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, ministrandi, corpus & sanguinem eius, nec non & peccata dimittendi, & retinendi, sacræ literæ ostendunt, & Catholica Ecclesia semper traditio docuit*, &c. Item Canon. 1. *Si quis dixerit non esse in nouo Testamento Sacerdotium visibile, vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum corpus, & sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi*, &c. anathema sit.

132 *Secunda probatio conclusionis.* Trident.

Potestas ligandi & soluendi est Ordinis.

Vtramque potestatem coniungit Trid. in Sacerdotio, vt est Sacramentum,

Can. 1.

133 *Processus cõsilij doctrinalis.*

Ex his verbis, doctrina, & definitione Concilij non obscurè sequitur conclusio. Primò, illas potestates esse diuersas constat ex stylo Concilij, & hìc & aliàs, nam *sess.* 13. *&* 22. in quibus præcisè agit de Sacramento, & sacrificio Ordinis, non facit mentionem alterius potestatis, quàm illius, quæ est ad conficiendum, & offerendum mysterium, supponens hunc esse actum completum talis potestatis, & nullum alium habere. *In sess.* 14. agit præcisè de potestate altera, quæ est remittendi, & retinendi peccata per claues, quorum hic actus est proprius, neque ex vi alterius procedens; sed ex præcisa ordinatione, qua recipit clauem, & mediante ipsa claue, *sess.* autem 23. vbi agit de Sacerdotio, vt est Ordo, & visibile, & externum Sacramentum Sacerdotij, in Ecclesia Euangelica, dicit comprehendere vtramque potestatem, tanquam diuersam, *Nec non*, inquit, *& peccata dimittendi, & retinendi.* Supple in Sacerdotio potestatem traditam esse à Domino, &c. nempe in Sacerdotio visibili, & externo, quod verbis & signis exterioribus perficitur, sicut & cætera Sacramenta, *ex cap.* 3. dat gratiam per modum Sacramenti, in quo etiam imprimitur character *ex cap.* 4. ergo à primo ad vltimum potestas dimittendi, & retinendi peccata spectat ad Sacerdotium visibile, & externum, qua Ordo est, & confertur per signa, & verba externa dat gratiam per modum Sacramenti, & vt per ordinationem dicto modo communicatur, & imprimit characterem: ergo diuersum à charactere, qui imprimitur, dum confertur potestas consecrandi, per rationes, quæ *suprà* de charactere Episcopali adductæ sunt.

Redeun

134 *Regressus ad dicta, per consequentiam illationis.* Redeundo autem ad dicta, probatum est hanc potestatem non conferri per priorem formam, & materiam, quæ applicantur per traditionem calicis, & materiæ Sacrificij, neque per verba, quibus confertur potestas sacrificandi; quia illa non designant potestatem remittendi, aut retinendi, quæ spectat ad Sacerdotium visibile, & externum, vt patet ex Concilio, etiam in quantùm per ordinationem confertur externam, & visibilem, & in quantùm verbis, & signis externis perficitur; ergo datur hæc potestas per aliam materiam, & formam visibilem: hæc autem sunt impositio manus cum traditione expressa huius potestatis per verba: *Accipe Spiritum sanctum*, &c. quæ denotant & potestatem in ordine ad remissionem, & retentionem peccatorum, & eius tum collationem per verbum imperatiui iuxta ritum Ecclesiæ Romanæ vsitatum in collatione gradus Ordinis.

Materia & forma quibus datur potestas clauium.

135 *Confirmatio.* Confirmatur ex ipso Concilio *sess. 14. cap. 3.* de extrema Vnctione, vbi dicit ministrum huius Sacramenti esse *Episcopum, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum*, &c.

Responsio. Si dicas impositionem primam intelligi, in qua concurrunt etiam Sacerdotes præsentes.

Impugnatur. Contrà: hoc non admittitur à contrariæ sententiæ authoribus, neque illa impositio, vt aliàs dictum, est consecratiua: quia sine verbis fit, sed traditio instrumentorum, quæ cum verbis fit. Sed ipsum Concilium optimè declarat *sess. 23. canon. 4.* de qua manuum impositione loquitur. *Si quis*, inquit, *dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustrà Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum, aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit*, &c.

Sensus Concilij.

136 In hoc Canone potissimùm agitur de sacra ordinatione Sacerdotij, vt ex fine Canonis apparet: quam etiam potissimùm hæretici impugnāt: ergo supponit Concilium hanc fieri, & dari Spiritum sanctum, cùm illa verba proferunt Episcopi, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. & consequenter manuum impositio Presbyterij priori loco expressa à Concilio, intelligitur illa, quæ simul fit cum verbis prædictis, quæ habent rationem formæ: vnde non rectè negatur dari gratiam per illa verba, aut etiam non dari per modum ordinationis, & virtute Sacramenti, hoc est, materiæ & formæ applicatæ; cùm Concilium expresè supponat dari, neque aliter quàm ex vi ordinationis, qua Sacramentum est: neque enim minister aliter conferre potest Spiritum sanctum, quàm per Sacramenta, & ministerialiter. Alia breuitatis gratia omitto, quæ hîc dici possunt, iuxta varias coniecturas quorundam circa hanc formam, & materiam prædictam.

Dari Spiritū sanctum per verba, quibus confertur potestas clauiū.

Minister nequit dare gratiam nisi per Sacramenta.

137 *Conclusio prædictorum.* Ex dictis sequitur has potestates esse Ordinis, & diuersas, & spectare ad completum Sacerdotium. Item, ordinationes has partiales imprimere characteres partiales, quamuis hoc vltimum negauerit Vasquez *cap. 6.* ex eo quòd putet characterem non esse potentiam actiuam, sed per modum habitus disponere subiectum in ordine ad se, seu per modum dispositionis: conferri autem potestatem nouam per vltimam formam, & materiam, ad absoluendum, quæ est relatio rationis: sed non videtur hoc consequenter dictum, quia character Sacerdotalis est potestas actiua moralis: & ordinatio ex ratione sua per modum effectus imprimere characterem, vt patet ex Concilio: si ergo ordinatio est noua, debet esse character nouus aliquo modo, vel per extensionem, vt quidam dicunt, prioris, vel certè in sua entitate. Deinde non est maior ratio, vt imprimatur character in prima ordinatione partiali, vt ita dicam, quando confertur potestas consecrandi, quàm vt imprimatur in secunda ordinatione: nam quidquid datur per primam materiam, & formam, tantùm disponit in ordine ad potestatem consecrandi, cuius materia & forma est signum practicum: sed non minùs requiritur etiam dispositio subiecti in ordine ad secundam potestatem, cùm perinde ex natura sua sit indelebilis, & pertineat ad Ordinem Sacerdotij sicut prima, neque iterari possit sicut nec prima, & confertur per ordinationem distinctam, sicut prima, quæ ordinatio iuxta præsentem institutionem nequit saluari sine charactere.

Vasquez reijcitur.

Vtraque ordinatio Sacerdotis habet characterem proprium.

Ostenditur paritas inter vtrumque.

Item, sicut datur effectus gratiæ diuersus per secundam formam, & materiam, vt patet ex Concil. *Canon. 4. cit.* quid incommodi erit dari etiam characterem diuersum, aut extendi priorem, vt alij volunt: nam quæcunque ratio probat dari characterem in Ordine, perinde extenditur ad vtramque hanc, quibus completur integrum Sacerdotium, & completum.

Gratia noua Sacramentalis infert nouum characterem.

138 *Prima obiectio.* Obiicitur primò, inconueniens esse Sacerdotium per partes dari: hoc argumentum est Armacani nostri *lib. 11. de quæst. Armenorū, c. 15.*

Respondet VValdensis. Respondit VValdensis eum timuisse, vbi non erat timendum, quia sicut puer non dicitur per partes recipere humanitatem, dum crescit, ita etiam Sacerdotium non datur per partes, quamuis diuisim recepta altera potestate crescat; fortè alludit ad extensionem characteris per alteram potestatem.

Secunda responsio. Respondetur Sacerdotium per partes dari iuxta ritum Ecclesiæ Romanæ, & per partes datum fuisse Apostolis à Christo; hoc autem nullum inconueniens est: quia sicut includit in se diuersas potestates principales in ordine ad diuersa Sacramenta conficienda, ita etiam has potestates includit tanquam veras partes, quæ successiuè dari possunt, sicut datæ sunt Apostolis, & de facto dantur in Ecclesia Romana.

Sacerdotium per partes & successiuè dari.

139 *Obiectio secunda.* Obiicit secundò Sotus Florentinum, quod non facit mentionem in ordinatione Sacerdotis manus impositionis, aut illius formæ.

Responsio. Respondetur Concilium expressisse quod primarium erat, cætera remittendo ad Pontificale Romanum: nam cùm diceret in genere Ordinis materiam esse illud, per cuius traditionem Ordo confertur, subiicit exemplum in Sacerdotio, Diaconatu, & Subdiaconatu; agit ergo de Sacerdotio, vt conuenit cum aliis, & formam eius assignat, quæ proportionata est materiæ assignatæ, non tamen excludit aliam formam, & materiam Sacerdotij, quæ alioquin constat ex Tridentino, & Patribus. nam in Superioribus pœnitentiæ, & extremæ Vnctionis ministrum ait esse Sacerdotem, cui hoc competit ex sua ordinatione, & fortasse, inquit Bellarminus, in hoc vltimo non errabant Armeni.

Explicatur Florentinum. Certum est Tridentinum non discordare Florentino, explicās contra Nouatores gradum Sacerdotij. Addi potest Florentinum explicuisse mare

materiam & formam, de qua nulla fuit dubitatio inter Theologos, & abstinuisse à quæstione controuersa, remittens modum, & Ritum ordinationis ad Pontificale: quia non ita intentionis eius erat, assignare materiam, & formam Sacerdotij, sicut Ordinem esse Sacramentum. Hac etiam ratione abstinuit à controuersia altera, nullam faciens mentionem Episcopatus, quia nulla fuit necessitas. Tridentinum autem propter errores Nouatorum explicuit clariùs, quod à Florentino ex causis expressis est omissum.

134 *Tertia obiectio.* Obiicit tertiò Maior, *cap. Presbyter, de Sacramentis non iterandis*: vbi dicitur ordinationem factam Presbyteri nullatenus esse iterandam, quamuis impositio manus sit omissa, sed cautè supplendum esse, quod omissum est.

Responsio. Supplenda est manus impositio, non iteranda. Respondetur rectè hoc decerni: quia si loquatur de secunda manus impositione, separatim conferri potest ei, qui per traditionem instrumentorum, & formam proportionatam accepit potestatem conficiendi Eucharistiam. *Prior consecratio.* Hæc enim de facto confertur post communionem, quando iam Sacerdotes nouelli consecrarunt simul cum Episcopo, per potestatem priùs traditam offerendi. Separari ergo possunt, & separatim datæ sunt illæ potestates Apostolis, neque ordinatio prior iteranda est, cùm datur posterior. Ita respondet Bellarminus, existimans hanc posteriorem, seu secundam manus impositionem intelligi.

Aliter respondetur. Aliter & meliùs Vasquez intelligit illud caput de prima manuum impositione, quæ fit ante traditionem, in qua etiam concurrunt præsentes Sacerdotes, quia in illo capite dicitur Ritus ab Apostolis introductus, non verò agitur de manuum impositione posteriori, quæ est materia Sacramenti. Hanc expositionem confirmant postrema verba capitis. *Suspensio autem manuum debet fieri, cùm oratio super caput effunditur ordinandi*, &c. Loquitur ergo textus de manuum impositione, cui succedit suspensio, quando oratio effunditur super caput ordinãdi. Vnde Glossa in illud verbum *suspensio*, &c. *Quando Episcopus*, inquit, *incipit orationes ad benedicendum Sacerdotem, tunc Presbyteri omnes, qui primò tangebant caput, debent eleuare manus, ita quòd non tangant caput ordinandi*, &c. hæc autem suspensio manuum non fit in secunda impositione, cùm datur potestas absoluendi, & retinendi. De priori itaque intelligitur textus. *Suspensio manuum*, inquit, cùm vnam tantùm imponat Episcopus ex Carthaginensi I V. *cap.* 3. Hæc etiam manus impositio est Ritus Apostolicus, sed Ecclesiasticus, & non institutus à Christo: quâ etiam Latina, & Africana Ecclesia vtebantur, non exprimitur in Rituali Græco.

Obiicit vltimò Maior, & Angelus in aliquibus Pontificalibus non haberi secundam manuum impositionem, aut formam illam: *Accipe*, &c. ergo signum est non fuisse eam in vsu, neque consequenter necessariam esse. 135 *Vltima obiectio.*

Respondetur, haberi in Ordinario antiquo Romano, & in Pontificali, & nunc post Tridentinum, non esse locum dubitationi, *ex canon.* 4. *cit.* Non refert ergo, si in particularibus Ecclesiis non inuenitur in Pontificalibus, quod non concesserim, cùm nullius Ecclesiæ Ritum specialem illi authores memorent, & certum sit in Pontificali Romano contineri ab octingentis annis, quo ordinarium antiquum emanauit; iuxta Ritum aliàs obseruatum. Videndum etiam esset, qua forma ordinabantur Sacerdotes, iuxta Ritum illius Pontificalis, quem ipsi citant, quia nos non negamus, quin per formam accommodatam, & materiam possit simul dari vtraque potestas, & Sacerdotium completum, prout confertur in Ecclesia Græca per impositionem manuum, & formam superiùs positam, quâ ipsi vtuntur; ita enim Rituale Græcum: *Pontifex*, inquit, *imposita manu vnà cum pallio clara voce enunciat: Diuina gratia, quæ semper infirma curat, & quæ desunt supplet, promouet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum*, &c. *vbi impositio manus habet rationem materiæ, & verba rationem formæ.* *Responsio.* *Rituale antiquum Romanum.* *Posse simul dari vtramque potestatem in alia forma.*

Aduertendum tamen, vt forma & materia sit sufficiens, qua simul confertur vtraque potestas, debere eas referri absolutè ad ordinationem completam, in qua vtraque potestas confertur simul & totus gradus, & non debent referri particulariter ad alteram tantùm potestatem, quia sic illam designatam conferret, sicut contingit in Ritu ordinationis, quem sequitur Ecclesia Latina, in hoc imitans Christum institutorem Sacramentorum, qui has potestates seorsim contulit Apostolis, vt dictum est. Vnde sicut in Ecclesia Græca per ordinationem visibilem impositionis manus, & verba prædicta, simul confertur gradus completus Sacerdotij, vt continet absolutè vtramque potestatem; sic etiam per verba, & signa externa, seorsim conferuntur in Ecclesia Latina: vnde colligere licet potestatem remittendi perinde per signa, & verba conferri in vtraque Ecclesia, & in ipsa ordinatione, sicut confertur potestas offerendi; vtraque verò complectitur totum, quod exprimit forma Græca. 136 *Notabile sequendum in praxi.*

SCHOLIVM.

Ordinationis Sacramentum esse vnum vnitate generis propinqui, non vnitate specifica, eo modo quo dicitur tres esse virtutes morales, non in specie, sed in genere, de quo lib. 3. dist. 36. ponit etiam aliam rationem vnitatis ordinationis, sed hæc præcipua.

10 SEd [i] tunc de quarto qualiter est Sacramentum Ordinis vnum? Respondeo, vnitate generis propinqui, sicut virtutes morales dicuntur esse tres secundùm genus, iustitia, fortitudo, temperantia, & in prima diuisione virtutis moralis hæ primò occurrunt: tamen in speciali quælibet istarum vlteriùs diuiditur, vt dictum est *lib.* 3. *Dist. 36. quæst. vnic.*

Est etiam alia vnitas inter Ordines. Congruum est enim priùs recipere Ordinem inferiorem, quàm superiorem, nec tamen ille Ordo est simpliciter necessarius, ita

quòd

quòd si prætermittatur, nihil fit, vt apparet *Extrà de clerico per saltum promoto*, vbi habetur quòd non est iterandum quod est factum: sed quod fuit prætermissum, cautè est supplendum: & per consequens non nihil fit in collatione Ordinis superioris, etsi non fuerit Ordo inferior priùs collatus: ista tamen vnitas Ordinis non est illa, propter quam Ordo, vel ordinatio est vnum Sacramentum, sed magis vnitas prior, scilicet generis.

Cap. vnico. An teneat Episcopatus ante Sacerdotium datus, ait Bassol. alij negant.

Ad argumenta. Ad primum dico, quòd in diuisione illa primaria Sacramenti in septem, Ordo, vel magis ordinatio est ibi tantùm vnum membrum; licèt possit vlteriùs diuidi in quædam specialia contenta sub ipso: quia illa prima diuisio non est in species specialissimas, sed in quædam propinquiùs contenta sub ipso. 11

Ad arg. 1.

Ad secundum, concedo plures esse characteres, & probabiliùs quòd alterius speciei, vt apparet ex actibus, ad quos isti gradus disponunt; qui gradus vel sunt character, vel habent proprios characteres necessariò correspondentes. Cùm arguitur de illa excellentia specifica, potest concedi quòd eo modo quo characteres sunt entia, habent talem excellentiam. Si etiam ponerentur eiusdem speciei, illa improbatio quòd tunc non essent simul, non concluderet: illa enim propositio non est vera de relationibus etiam realibus, &, sicut dictum est *suprà dist. 6. quæst.* 10. characterem non oportet ponere formam absolutam.

Ad 2. An characteres Ordinum sint eiusdem speciei?

COMMENTARIVS.

137 *De vnitate Ordinis.*

SEd tunc de quarto, &c. In hoc quarto articulo agit de vnitate Ordinis, & respondet ad argumenta. Vnitatem dicit esse generis propinqui, vel etiam Ordinis, & attributionis, quia, vt superiùs dixit, immediatè, vel mediatè ordinantur ad Eucharistiam; loquitur autem de Ordine, vt comprehendit Sacerdotium, & reliquos inferiores: de quibus hactenus tractauit. Alij statuunt vnitatem perfectionis, vt Durandus. Alij potentialis: sed parùm refert. Ex hoc patet ad primum argumentum.

Ad secundum, docet quemlibet Ordinem habere proprium characterem, de quo *suprà* egimus *in principio, artic.* 2. dicit vnum excedere alium in perfectione, & esse diuersæ speciei, sicut sunt actus, ad quos ordinantur, & reiicit improbationem, quæ adducitur in altero disiuncto argumenti; nempe si essent eiusdem speciei, non posse esse simul: quia plura accedentia solo numero distincta nequeunt esse simul; hoc negat in relationibus. Hinc non sequitur eum admittere characteres esse eiusdem speciei: quia sic vnus sufficeret; tantùm reiicit illam impugnationem.

Characteres esse diuersæ speciei.

SCHOLIVM.

In primitiua Ecclesia, intelligendo per hanc, ipsum tempus Apostolorum, vel ei vicinum, rarus videtur fuisse vsus quorumdam Ordinum; quia pauci erant tunc fideles: tamen Cornelius creatus ann. 254. epist. ad Fabianum, ponit tunc Romæ fuisse Diaconos septem, Subdiaconos totidem, Acolytos 42. Exorcistas cum Lectoribus & Ostiarijs 52. Iidem numerantur in Concil. Rom. sub Sylu. c. 3. & in Concil. Carthagin. IV. & licèt ponat Psalmistam can. 10. aduertit, non esse Ordinem. Isidor. 7. etym. 12. Rabanus de instit. cleric. c. 6. Hugo 2. de sacr. p. 3. cap. 5. Florent. & Trident. hæc 7. tantùm ponunt & explicant. De quo Castro v. Ordo. *Vasquez 3. part. tom. 2. disput. 236. & seq.*

AD [k] tertium dico, quòd in primitiua Ecclesia erant pauci credentes, & ideò pauci ministri sufficiebant ad dispensandum eis Eucharistiam: & ideò non oportuit tunc ministros in singulis gradibus institui. pòst autem multiplicata est fides, & etiam concomitabatur deuotio ad communicandum quotidie, & tunc fuit necessitas habendi multos ministros ad singula ministeria ad Eucharistiam pertinentia: & ideò tunc Ecclesia multos ministros in singulis gradibus instituit. 12

Ad 3.

Nec tamen tunc de nouo instituti sunt illi Ordines; imò Magister in litera dicit quòd Christus actus singulorum Ordinum in seipso exercuit; & etiam quòd antiquitus præfigurabantur in quibusdam gradibus correspondentibus eis in lege Mosaïca. Sed Ordines ab antiquo instituti, tunc quando multiplicatus est numerus fidelium, collati sunt ministris, quos priùs non oportuit conferri alicui: quia non fuit priùs necessarium eius ministerium.

Hæc est etiam ratio, quare modò in Ecclesia non sunt in singulis Ordinibus determinati ministri; quia etsi modò sit multiplicata multitudo fidelium, tamen est * immutata lætitia deuotione. Vnde multi vix semel in anno volunt communicari; & ideò circa Eucharistiam dispensandam non oportet modò tot ministros assistere.

** Aliàs diminuta.*

Et propter hoc quatuor Ordines non sacri simul conferuntur, ita quòd nullus est deputatus ad ministrandum in gradu inferiori, quasi ille sit sibi proprius, & alius alij.

Ad 4. Ad aliud Dionysij, Isidori, & Canonis patet ex dictis in secundo articulo: qui enim negant Episcopatum esse Ordinem, exponunt eos accipere Sacramentum pro Sacramentali.

COMMENTARIVS.

138 k AD *tertium dico*, &c. Vide Scholiũ, & quæ dicta sunt de quatuor Ordinibus minoribus *art.* 2. eorúmque antiquitate, & institutione: vtramque congruentiam multiplicandi ministros, vel non multiplicandi, rectè assignat ex fine, ad quem ordinantur; nempe ministerij, & frequentatione Eucharistiæ. Ad quartum patet ex dictis *art.* 2. de Ordine Episcopatus.

SCHOLIVM.

Primam tonsuram non esse Ordinem, nec Sacramentum; sed quatuor minores vtrumque habere. Ratio primæ partis; quia non habet vllum actum, vel ministerium, nec à Concilijs inter Ordines numeratur. Ratio secundæ est opposita. Ita D. Thom. hîc quæst. 2. artit. 1. D. Bonau. art. 2. q. 1. Richard. art. 4. quæst. 1. Gabr. quæst. vnic. art. 2. Alij multi tenent cum Caiet. tom. 1. opusc. tract. 11. post princ. Nauar. cap. 22. num. 18. Durand. hîc quæst. 2. nec tonsuram, nec minores esse Sacramenta.

Ad 5. Primã tonsuram non esse Ordinẽ, nec Sacramentum. AD[l] vltimum nego primam tonsuram esse Ordinem: & cùm dicis, est signum sacræ rei. Respondeo, non est signum practicum efficax rei sacramentalis, id est, gratiæ, quomodo intelligendum est Sacramentum esse signum rei sacræ, vt dictum est *dist.* 1. Quod additur ibi de priuilegio clericali, non valet: quia laici conuersi in Religionem gaudent priuilegio clericali, & potuit legislator illud priuilegium dedisse Principi, vel alicui simpliciter laico: falsa est igitur illa propositio, quòd illud priuilegium est proprium ordinato.

COMMENTARIVS.

139 l AD *vltimum, nego primam tonsuram*, &c. Ex Theologis Angelus *in Summa, v. Ordo*, 2. *num.* 1. Maior *in hac distinct. quæst.* 1. Eckius *in hom. de Ordinibus*. Sequuntur affirmatiuam cum Canonistis *in cap. Cùm contingat, de ætate, & qualitate ordinandorum*. *Tõsuram non esse Ordinem* Conclusio posita Doctoris est communis Theologorum *in hac distinct.* vbi S. Thomas *quæst.* 3. *artic.* 1. *quæst.* 2. D. Bonauent. *part.* 1. *dicto art.* 1. *q.* 2. Richard. *art.* 1. *q.* 2. Durand. *q.* 4. Altisiodorensis *in Summa lib.* 4. *tract.* 8. *q.* 1. & reliqui moderni; vt Vasquez *disput.* 236. *c.* 1. quam supponit Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. vbi agnoscit clericalem tonsuram esse tantùm dispositionem ad reliquos Ordines, quos discernit in maiores, & minores. Ratio autem sumi potest ex doctrina præmissa Doctoris *artic.* 1. de variis acceptionibus Ordinis, & ex definitione assignata Ordinis strictè sumpti, in quo quis constituitur in gradu eminenti ad ministerium cum potestate determinata, nullum autem ministerium, aut gradum peculiarem habet clericus circa ministerium templi, aut altaris. Huc etiam tendunt rationes ab aliis Doctoribus assignatæ. Quòd verò dicatur quandoque Ordo, vt in capite citato, intelligitur vox latè sumpta, vt comprehendit quemuis gradum clericalem, in quo discernitur clericus a laico, quamuis ille gradus sit institutionis Ecclesiasticæ tantùm. *Alij gradus non Ordines.* Idem dicendum de variis aliis gradibus inductis ab Ecclesia, vt de Psalmistis, quos aliqui intelligunt eosdem esse cum clericis, quorum officium est idem, nempe in Ecclesia canere, vt Bernardus, Abbas, Innocentius, Anchoranus in prædictum caput.

DISTINCTIO XXV.

De dispensatione Sacramenti Ordinis.

A

In epist. 18. c. 3. ad Alex. aut. Episc. & 1. q. 1. c. Arrianos. Ep. 22. c. 3. & 1. q. 1. Ventũ est, SOLET etiam quæri, Si hæretici ab Ecclesia præcisi & damnati possint tradere sacros Ordines, & si ab eis ordinati, redeuntes ad Ecclesiæ vnitatem, debeant reordinari. Hanc quæstionem perplexam ac penè insolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimùm dissentire videntur. Videntur enim quidam tradere

dere hæreticos sacros Ordines dare non posse, nec illos, qui ab eis ordinari videntur, gratiam recipere. Dicit enim Innocentius, Arrianorum clericos non videri suscipiendos, cum Sacerdotij, vel ministerij alicuius dignitate, quibus solum Baptisma ratum esse permittit, quod in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti percipitur. Dicit etiam eos non posse dare Spiritum sanctum, quem amiserunt, & ordinatos ab hæreticis caput habere vulneratum, & eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse; nec illum aliquid accepisse: quoniam in dante nihil erat, quod ille posset accipere. Tradit etiam venientibus ab hæreticis per manus impositionem laïcam tantùm tribuendam communionem: nec ex his aliquem in clericatus honorem, vel exiguum subrogare. Gregorius etiam dicit [sacrilegam esse Arrianorum consecrationem, cùm ex eorum manu communio percipitur.] Cyprianus etiam dicit, [Omnia quæcumque faciunt hæretici, carnalia, & inania, & sacrilega esse: & eorum altaria falsa, & illicita Sacerdotia, & sacrificia sacrilega: qui more simiarum, quæ cùm homines non sint, formam imitantur humanam: vultum Ecclesiæ Catholicæ, & auctoritatem sibi vendicant, cùm ipsi in Ecclesia non sint, & cùm sint sacrilegi, Sacerdotium administrant, & altare ponunt: cùm nec sacrificari oblatio illic possit, vbi Spiritus sanctus non sit: nec cuiquam Dominus per eius preces, & orationes prosit, qui Dominum ipsum violauit.] Hieronymus quoque asserit [omnia quæ offeruntur ab hæreticis contaminata esse in conspectu Domini: quia licèt sancta videantur specie sui, tamen quia contacta sunt ab illo, qui pollutus est, polluuntur omnia.] Idem, [Odit Deus sacrificia hæreticorum, & à se proiicit: & quoties in nomine eius congregati fuerint, detestatur fœtorem eorum, & claudit nares suas.] Idem, [Illi offerunt panem sacrilegum, &c.] Leo etiam testatur, [extra Ecclesiam nec rata esse Sacerdotia, nec vera esse sacrificia.] Idem etiam dicit, [per crudelissimam vesaniam in Alexandrina sede omnium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificij oblatio, defecit chrismatis sanctificatio: & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria.] His, aliisque testimoniis astrui videtur Sacramenta Ecclesiastica, præcipuè corporis, & sanguinis, ordinationis, & confirmationis, per hæreticos non posse ministrari.

& c.Perfectionem. Lib. 3. dial. c. 31. & alleg. 1. q. 1. cap. Superueniente.

Cyprianus martyr in ep. cõtra hære. & ponitur 1. q. 1. cap. Si quis inquit, *circa medium. Ad eũ locũ Aggæi 2.* Interroga Sacerdotes, *& habetur 1. q. 1. c.* Sic pop. *Idem super Amos ad c. 5. ad eum locum,* Odi & proieci festiuitates, *& in canon. ibid. cap.* Odi. *Idem lib. 2. ad cap. 8. Oseæ, & ponitur 1. q. 1. c.* Illi offerunt. *Leo ad Anatol. Constant. Episc. q. 38. c. 2. & habetur 1. q. 1. cap.* In Ecclesia. *Idem Leoni Aug. & est 73. & habetur 1. q. 1. c.* Manifestum.

B

Auctoritates ponit, quæ videntur præmissis obuiare.

CОntrà autem alij sentire videntur, quòd ab hæreticis etiam præcisis sacri Ordines, sicut & Baptismus, tradi valeant: nec ab hæreticis redeuntes, qui illic ordinati sunt & baptizati, iterum ordinandi sunt, sicut nec baptizandi. Vnde Augustinus, [De hæreticis etiam damnatis, quod quidam dicunt, Baptisma quod accepit, non amittit, qui recedit ab Ecclesia, iùs dandi, quod accepit, amittit: multis modis apparet inaniter dici. Primò, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui illud Baptisma amittere non potest, ius dandi possit amittere. Vtrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur: illud, cùm baptizatur, istud, cùm ordinatur. Ideò non licèt in Catholica Ecclesia vtrumque iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes, etiam præpositi, pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt: etsi visum est opus esse, vt eadem officia gererent, quæ agebant, non sunt rursus ordinandi. Sed sicut

Lib. 2. contra epistol. Parmeniani, c. 13. tom. 7. & habetur 1. q. 1. cap. Quod quidam.

Baptismus

Baptiſmus in eis, ita in eis manſit ordinatio integra: quia in præciſione fuerat vitium, quod in vnitate pacis eſt correctum, non in Sacramentis, quæ vbicumque ſunt, ibi vera ſunt. Et cùm ipſi expedire videtur Eccleſiæ, vt præpoſiti eorum venientes ad Catholicam ſocietatem, honores ſuos ibi non adminiſtrent: non eis tamen ipſa ordinationis Sacramenta detrahuntur, ſed ſuper eos manent. Ideóque non eis manus imponitur: ne non homini, ſed ipſi Sacramento fiat iniuria. Sicut autem in Baptiſmo eſt ius, quod per eos dari poſſit: ſic in ordinatione ius dandi eſt: vtrumque quidem ad perniciem ſuam. Sed aliud eſt non habere, aliud perniciosè habere, aliud ſalubriter habere.] Idem, [De his qui ab Eccleſiæ vnitate ſeparati ſunt, nulla iam quæſtio eſt, quin & habeant, & dare poſſint: ſed perniciosè habent, perniciosèque dant, quia extra vinculum pacis ſunt. Neutri Sacramento facienda eſt iniuria. Sicut non rectè habet qui ab vnitate recedit, ſed tamen habet, & ideò redeunti non redditur: ſic etiam non rectè dat qui ab vnitate recedit, & tamen dat; & ideò qui ab eo accipit, venienti ad vnitatem non iteratur.] Idem, [Aliud eſt non habère aliquid, aliud eſt non iure habere, vel illicitè vſurpare. Non ergo ideò non ſunt Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ, quia eis illicitè vtuntur, non modò hæretici, ſed etiam omnes impij: ſed illi corrigendi ſunt & puniendi, illa autem ſunt agnoſcenda & veneranda.] Item Gregorius, [Quod dicitis, vt qui ordinatus eſt, iterum ordinetur, valdè ridiculum eſt. Vt enim baptizatus ſemel, iterum baptizari non debet, ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem Ordine non valet iterum conſecrari.] His, aliíſque auctoritatibus videtur aſſeri, in omnibus impiis, etiam in hæreticis præciſis, & damnatis, Chriſti Sacramenta permanere, cum iure dandi. Poſſunt enim dare, ſed perniciosè: & quibus dederint, non ſunt iterum ordinandi: quæ præmiſſis ex oppoſito obuiare videntur.

Auguſt. in eiſdem lib. & cap. Epheſ. 4. a

Aug. lib. 3. de Bapt. cōtra Donat. cap. 10.

Ioan. Rauēnat. Epiſcopo, & eſt ep. 32. lib. 2. regiſt. habetur diſt. 68. c. Sicut ſemel. *& habetur 1. q. 1. parag.* Opponitur autem.

Determinatio præmiſſæ contradictionis auctoritatum.

C

Prima opinio & falſa.

HÆc autem quidam ita determinant. Dicunt enim hæreticos accepta Sacerdotali, vel Epiſcopali vnctione ab Eccleſia recedentes, Baptiſmi quidem dandi ius retinere: ſed non habere facultatem tribuendi ſacros Ordines, vel conſecrandi dominicum corpus, poſtquam præciſi, & damnati ſunt ab Eccleſia. Sicut degradatus Epiſcopus non habet poteſtatem largiendi ſacros Ordines: facultatem tamen baptizandi non amiſit. Quòd verò Auguſtinus ait, intelligunt dictum de hæreticis, qui non ſententia Eccleſiæ, ſed prauitate ſenſus ſui à fidei veritate ac doctrinæ vnitate diuiſi ſunt: qui licèt tales ſint, ius tamen ordinandi & conſecrandi habent. Et qui ab eis ordinantur ante manifeſtam præciſionem, etiamſi cum eis apertè exierint, & ſententia Eccleſiæ damnati fuerint: tamen ſi redierint, iterum ordinandi non ſunt. Et vbicumque legitur de ordinatis ab hæreticis, quòd ſeruatis ordinibus miniſtrare valeant, vel iterum ordinandi non ſint: de huiuſmodi accipiendum dicunt. Nam poſtquam præciſi fuerint, & damnati iudicio Eccleſiæ, ius ordinandi & conſecrandi eis detractum aſſerunt: vt degradatis, vel excommunicatis. Alij verò dicunt Sacramenta ab hæreticis & præciſis ſecundùm formam Eccleſiæ celebrata, vera eſſe & rata, quia recedentes ab Eccleſia, ius dandi & conſecrandi non perdiderunt: & qui ſic ab hæreticis ordinantur, cùm redeunt, iterum ordinandi

Secūda opinio probabilis.

ordinandi non sunt. Quæ verò ab hæreticis aliter quàm in Ecclesia fiunt, falsa sunt & inania: & qui à talibus ordinari videntur, non munus, sed vulnus accipiunt. Et secundùm hanc differentiam variè de his loquuntur Doctores. Quidam verò dicunt eadem Sacramenta ab hæreticis præcisis posse celebrari, quæ à Catholicis, si ab illis forma Ecclesiæ seruetur: & ab eis celebrata vera esse & rata, quantùm ad se; quantùm verò ad effectum, falsa esse & inania, & in his qui malè tractant, & in his qui malè suscipiunt: & ideò irrita & falsa: quia quod promittunt, & conferre creduntur, non tribuunt. Damnanda etiam dicuntur: quia illicitè dantibus, vel accipientibus sunt in iudicium. Polluta etiam dicuntur, non quantùm ad se, sed propter indignam hæreticorum tractationem. Ideò Gregorius communionem Arrij vocat execrationem: & Innocentius Bonosij ordinationem, damnationem: non quòd ita in se sint, sed quia malè dantes, vel accipientes tales facit. Sicut etiam Hieronymus sacrificia eorum panem luctus vocat, non quantùm ad se, sed quantùm ad effectum. Nonnulli verò tradunt illos hæreticos, qui in Ecclesia ordinati sunt, ius ordinandi & consecrandi, etiam cùm separati fuerint, habere. Qui verò in schismate, vel hæresi positi, ab eis ordinati & inuncti fuerint, illo iure carent. Ideóque cùm ordinare volunt, vulnus potiùs infligunt, quàm gratiam conferant.

Tertia opinio.

Tom. 6. ad cap. 2. & 4. super Ose.

Quarta opinio falsa, & videtur esse Gratiani.

De simonia, vnde dicitur, & quid sit?

D

DE simoniacis verò non est ambigendum quin sint hæretici: qui tamen ante sententiam degradationis & ordinant, & consecrant. Et licèt simoniaci propriè dicantur, qui instar Simonis Magi inpretiabilem gratiam pretio conducere volunt, & qui pro ministerio sacro pretium recipiunt in modum Giezi, Giezitæ vocandi sunt: omnes tamen & dantes & accipientes simoniaci dicuntur, & vtrique eadem sententia percelluntur.

Hug. lib. 2. de Sacram. part. 10. tract. de Simoniacis. Act. 8. d 4. Reg. 5. f

De his qui scienter à simoniacis ordinantur.

E

DIffert tamen inter eos qui ordinantur à simoniacis scienter, & eos qui ignoranter. Qui enim scienter à simoniacis se permiserint consecrari, imò execrari, eorum consecratio omnino irrita est. Qui verò ordinantur à simoniacis, quos cùm ordinantur, nesciunt esse simoniacos, qui & tunc pro Catholicis habentur: eorum ordinatio misericorditer sustinetur.

Vrbanus Papa 1. q. 1. Si qui à sim.

De his qui dicunt se emere corporalia, non spiritualia.

F

SI verò aliqui obiecerint, se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex consecratione proueniunt: penitus desipere probantur. Nam quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit.

Pasch. 1. q. 3. cap. Si quis obiecerit.

Distinctio simoniacorum.

G

SImoniacæ autem hæresis tripartita est distinctio. Alij enim simoniacè à simoniacis ordinantur; alij simoniacè à non simoniacis; alij non simoniacè à simoniacis. Vnde Nicolaus Papa, Statuimus decretum de simoniaca tripartita hæresi, id est, de simoniacis simoniacè ordinantibus, vel ordinatis, & de simoniacis simoniacè à non simoniacis, & de simoniacis non simoniacè

1. q. 1. cap. Statuimus decretum.

simoniacè à simoniacis. Simoniaci simoniacè ordinati, vel ordinatores, secundùm Canones, à proprio gradu decidant. Simoniaci etiam simoniacè à non simoniacis ordinati, similiter ab officio remoueantur. Simoniacos verò non simoniacè à simoniacis ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio permittimus permanere. Quod intelligendum est de his, qui ordinantur à simoniacis, ignorantes eos esse simoniacos. Hos facit simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio simoniaci.

Alexander Papa de his qui violenter à simoniacis, vel ab hæreticis ordinantur.

H *Alexander secundus. 1. q. 1. c.* Erga simoniacos. 1. q. 1. Constat. *Nō tenetur hic Magister.*

SImiliter cùm decernit Alexander Papa simoniacos omnino damnandos, ac deponendos, subintelligendum est, nisi violenter quis attractus fuerit. De his enim, & à quibuslibet hæreticis violenter ordinatis, dicit Innocentius, quòd possunt habere aliquem colorem excusationis, si statim discedunt ab eis, & pessimo eorum conciliabulo renunciant.

De ætate ordinandorum ita decreuit Nicolaus Papa.

I *Dist. 77. & 78. quasi per totum.*

SAcri, inquit, Canones sanxerunt, vt Subdiaconus non ordinetur ante quatuordecim annos, nec Diaconus ante vigintiquinque, nec Presbyter ante triginta. Deinde si dignus fuerit, ad Episcopatum eligi potest: quod nos etiam pari modo seruari iubemus. Item Fabianus, Si quis 30. ætatis non impleuerit annos, nullo modo Presbyter ordinetur, etsi validè sit dignus: quia & ipse Dominus triginta annorum baptizatus est, & sic cœpit docere.

Luc. 3. c Matth. 4. d Luc. 4. b

QVÆSTIO I.

Vtrùm pœna Canonica impediat à susceptione, & collatione Ordinum?

D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6. Richard. *hic art.* 2. *quæst.* 3. & 4. D. Bonau. *art.* 2. *per totum.* Suarez *tom.* 5. *disp.* 11. *sect.* 3. & *disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 25. *vbi de Excommunicatione.* & *disp.* 33. *sect.* 3. *de Interdicto. disp.* 31. *de eo qui in censura Ordines suscepit.*

1 *De impedimentis Ordinum. Argum. 1.*

CIRCA hanc distinctionem vigesimamquintam, quæro de suscipiente Ordines duas quæstiones. Prima est, Vtrùm pœna Canonica impediat à susceptione, & collatione Ordinum? Quòd non; excommunicatus, vel irregularis si attentet conficere, conficit: ergo à simili Episcopus excommunicatus, vel irregularis; si attentet ordinare, & facere quod facit Ecclesia, ordinat: & iste qui suscipit, si intendit ordinari, ordinatur. Consequentia patet per locum à simili; quia simile videtur hinc inde: & etiam per locum à minori, quia quod non impedit executionem actus nobilioris, non videtur impedire executionem actus minùs nobilis.

Argum. 2. Præterea, irregularis non excluditur à perceptione aliorum Sacramentorum, quin, si intendat recipere, recipiat: nec ergo istius. Consequentia patet à simili. Antecedens patet, quia irregularis potest accipere Sacramentum Pœnitentiæ, alioquin præcluditur sibi salus.

Argum. 3. Præterea, nulla pœna Canonica magis excludit ab aliquo gradu, vel actu Ecclesiastico, quàm hæresis; sed hæresis non excludit, vt habetur 1. q. 1. *Quod quidem.*

2 *Ratio opp.* Oppositum 1. q. 1. de cætero, & cap. proximo, *Simoniacos omnino damnamus.* & pòst, *talem susceptionem, vel collationem irritam decreuimus.* Et c. Si qui, *qui scienter se à simoniacis consecrari, imò execrari permiserint, eorum consecrationem omnino irritam decreuimus.*

Præterea,

Prætereà, Ecclesia potest dare potestatem conferendi Ordines, vt patet, quia consecrandi Episcopum: ergo potest auferre: ergo aliam pœnam Canonicam potest infligere Episcopo, propter quam non possit conferre Ordines. *Ratio 2.*

Prætereà, Ecclesia illegitimat personas ad contrahendum matrimonium, ita quòd si attentant, nihil faciunt: ergo multò magis potest reddere Episcopum illegitimum ad actum spiritualem, ita quòd si attentet, nihil facit. Consequentia probatur, quia magis videntur subesse Ecclesiæ illa quæ sunt de Iure positiuo, quàm quæ sunt de Iure naturali, & diuino: sed quæcumque ordinatio Ecclesiæ per istas dignitates Episcopatus, & huiusmodi, videtur pertinere ad Ius positiuum Ecclesiæ; saltem adeò non videtur esse de lege naturæ, & diuina, sicut matrimonium. *Ratio 3.*

SCHOLIVM.

Definit pœnam Canonicam, & diuidit in septem species, depositionem, degradationem, infamiam, irregularitatem, excommunicationem, interdictum, & suspensionem: & singulas pro breuitate, cui studet, exactè explicat.

IN [a] ista quæstione primò est videndum de pœnis Canonicis, de quibus quærit quæstio. Secundò, qualiter excludant ab Ordinis collatione, vel susceptione [b]. Circa primum, pœna Canonica, vt intelligimus in proposito, est pœna inflicta per Canones, prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu Ecclesiastico, qui aliàs sibi liceret. Hoc vltimum additur, quia si aliàs non liceret sibi, non est pœna: quia non est pœna laico, quòd non possit conficere, quia hoc aliàs sibi non competit: sed Sacerdoti ordinato pœna esset. Dixi autem *secundùm Canones*, quia siue à Canone infligatur, siue à iudice, non à Canone: tamen ad hoc vt sit iusta, debet secundùm Canones infligi. Dixi autem *prohibens*, vel *arcens*, quia pœna, de qua loquimur, vel intelligitur arctare tanquam prohibito tantùm, vel si aliquo modo vlteriùs, de quo dicetur *in secundo articulo*, iste modus continetur sub *arcere*, vel *arctare*. 3 *Quid pœna Canonica?*

In speciali septem sunt huiusmodi pœnæ Canonicæ, videlicet depositio, degradatio, infamia, irregularitas, excommunicatio, interdictum, & suspensio. De istis, & per Ordinem dicendum est, & singulis in se, & qualiter incurruntur, & quali remedio remittuntur: & comparando eas ad inuicem secundùm grauitatem, & permanentiam. *Septem pœnæ Canonicæ.*

Prima [c], scilicet depositio est maxima, quia totalis amotio à statu clericali: etsi degradatio sit amotio ab omni gradu clericali, tunc idem est depositio, & degradatio. Si autem degradatio sit depositio tantùm à determinato gradu, reseruato tamen gradu alio, sicut à Sacerdotij gradu remanet gradus clericalis; tunc degradatio est quædam partialis pœna respectu depositionis. 4 *Depositio & degradatio in quo differunt?*

Sed quomodo depositus amouetur à statu & gradu clericali? Respondeo, non quòd character Ordinis sibi tollatur, nec per consequens Ordines suscepti: sed tollitur licentia exercendi actum cuiuscumque Ordinis, & etiam priuilegium illud, quod competit ordinatis. Vnde talis traditur Curiæ sæculari, ita quòd & quantùm ad actus Ecclesiasticos, & tutelam personarum Ecclesiasticarum, & quantùm ad forum, totaliter excluditur de numero personarum Ecclesiasticarum.

Ista [d] pœna qualiter infligitur? Respondeo, nunquam à iure, sed præcisè infligenda est à iudice. Forma autem, secundùm quam infligenda est, habetur *Extrà de pœnis, c. Degradatio.* & est hodie *in 6. lib.* [e] Causæ autem propter quas infligenda est, sunt peccata enormia, vtpote hæresis, schisma, reuelatio confessionis: de primo *Extrà de hæreticis, Ad abolendam:* de secundo *Extrà de schismaticis, Ad scindendos, in 6. lib.* de tertio *Extrà de pœnit. & remiss. Omnis vtriusque sexus.* *Degradatio non infligitur nisi ab homine. Forma degradandi habetur c. Degradatio, de pœnis in 6.*

Qualiter [f] remittitur ista pœna? Respondeo, non nisi per restitutionem in integrum, ab eo qui potest restituere, qui ponitur solus Papa, quamuis legitimè depositus non legatur posteà restitutus.

Secunda [g] pœna est infamia, quæ est status læsæ dignitatis, quantùm ad vitam, & mores; sicut fama est status illæsæ dignitatis quantùm ad vitam & mores. Hæc autem læsio diuersimodè incurritur. Vbi sciendum quòd non est idem esse infamem, & infamatum. Infamatus est qui de crimine aliquo publicè accusatur. Infamis autem non est propter talem impositionem criminis, sed vel per crimen publicum publicè commissum, vt fortè si publicè periurauit, vel quodcumque aliud crimen publicè commisit, propter quod Ius determinat aliquem fore infamem: vel quia à iudice, coram quo probatur crimen eius, iudicatur infamis: ita quòd omnis infamis est 5 *Infamia quid sit? Infamis & infamatus quomodo differant?*

publicè notatus de crimine; quod Ius punit pœna infamiæ. Sed quandoque non est in iudicio de hoc conuictus, & tunc est infamis tantùm à Iure, & non à iudice: quandoque conuictus, & tali pœna à iudice punitus, & tunc est vtroque modo infamis, & à Iure, & à iudice. Ex istis patet secundum, qualiter infamia contrahatur. Prima enim infamia contrahitur ex impositione criminis infamatorij: secunda, incurritur à Iure, vel iudice puniente tale crimen tali pœna.

6 *Qui incurrant infamiam.*

Sed [h] quæ est causa propter quam incurritur infamia secundo modo? Respondeo, 6. q. 1. *Infames: Omnes infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant:* ergo illæ leges sæculares, punientes crimen infamiæ, sunt Canonicæ, & illæ leges habentur *ff. de his qui notantur infamia, per totum.*

Remedium contra infamiam.

Quod [i] remedium contra istam pœnam? Respondeo, contra infamiam primo modo, quando aliquis est infamatus, est purgatio Canonica, vt habetur *Extrà de purgatione Canonica, Ex tuarum:* illa enim purgatio totaliter tollit illam infamiam, vel infamationem. Contra infamiam secundo, vel tertio modo, quæ quasi est eadem, licèt à diuersis Iure, & iudice, non est remedium, nisi restitutio in integrum ab eo, qui potest sic restituere, *Extrà de testibus, Testimonium: in gloss. Arcetur* *. Ista pœna est simpliciter grauior quantùm ad vitam ciuilem, quàm depositio, nisi depositio includat istam: quia hæc prohibet ab omni actu legitimo, etiam post actam pœnitentiam, quia talis persona vilis est, *Extrà de reg. Iuris. Infamibus portæ dignitatis patere non debent.*

** Aliàs habetur.*

In 6.

7 *Irregularitas quid sit? Ex triplici capite oritur.*

Tertia [l] pœna est irregularitas; & ista est inhabilitas ad susceptionem, & executionem actuum Ordinum [m]. Ista incurritur frequenter à Iure; quamuis posset aliquando infligi à iudice secundùm Iura [n]: incurritur autem à Iure ex quibusdam criminibus: & ex quibusdam non criminbus, & ex quibusdam, quæ quandoque possunt esse crimina, quandoque non crimina [o]. Ex criminibus quatuor pertinentibus ad Ordines, vel actus eorum, quorum vnum est simonia: aliud furtum in Ordine: tertium ministerium in Ordine non suscepto: quartum contumacia in non seruando pœnas Ecclesiasticas.

Ex quatuor criminibus circa actus Ordinum.

Solus Papa dispensat in simonia Ordinis sciēter contracta.

Simonia vel potest esse in Ordine, vel in beneficio. Quod si in Ordine, & scienter, ita scilicet, quòd ordinatus sciat se simoniacè ordinari, solus Papa dispensat, *Extrà de simonia, Nobis, &* 1. *q.* 1. vt argutum est ad oppositum: ex quo enim legislator consecrationem eorum omnino non irritat, sibi soli conuenit relaxare. Si autem est ignorans ignorantia inuincibili, vtpote alius de quo penitus nescit, pretium dedit vt ordinaretur, non efficitur irregularis, nisi postquàm constiterit sibi, exequatur actum Ordinis sic suscepti. Vnde postquàm sibi constat de Ordine sic suscepto, suspensus est ab actu illius Ordinis, quousque à tali suspensione liberetur.

COMMENTARIVS.

Ordo & diuisio distinctionis 25.

IN hac distinctione agit Doctor de impedimentis, seu inhabilitate, quibus persona excluditur à receptione Ordinis, aut ministerio in receptis. Diuiditur in duas quæstiones; quarum prima continet inhabilitatem ex pœna Canonica; secunda verò impedimentum ex sexu, & ætate.

1 *Summarium, & dispositio quæstionis.*

a *In ista quæstione, &c.* Diuidit quæstionem in duos articulos. In primo agit de definitione, & diuisione pœnæ Canonicæ, breuiter, & clarè comprehendens fundamenta legum, & earum resolutionem. In secundo articulo agit de effectu pœnæ Canonicæ quoad impedimenta Ordinis conferendi, aut etiam in eo ministrandi; quem amplius declarat in responsione ad argumenta principalia, quæ idem tangunt.

2 *Pœna Canonica latè sumpta.*

b *Circa primum, pœna Canonica, &c.* Hic sumit pœnam latè, vt comprehendit tam censuras propriè dictas, vt est excommunicatio, suspensio, interdictum, quàm etiam impedimenta, seu priuationes per Canones inductas, quæ sunt ad actus spirituales, seu Ordinis, & dicuntur pœnæ latè sumptæ, siue propter delictum incurrantur, siue ob inobedientiam; & pœna hoc modo sumpta est genus respectu censuræ. Sic etiam intelligenda est illa particula definitionis *punitum* per correlationem ad pœnam latè sumptam. Ex quibus patet definitio: sunt autem septem pœnæ hoc modo sumptæ, vt in litera patet.

Prima scilicet depositio est maxima, &c. Hæc pœna inuenitur propriè in Ecclesiasticis personis, vt est spiritualis, quia est priuatio gradus, & functionis eorum ab Ordine, ab officio, & consequenter à beneficio, quod datur propter officiū: & quando est depositio ex toto, aufert etiam statum, seu priuilegium clericale; excommunicatio, & interdictum priuationem inducunt eorum, quæ communia sunt omnibus fidelibus: suspensio in aliquo conuenit cum depositione, quòd illa etiam sit clericorum, & propter delictum, sicut depositio; tamen depositio reddit personam perpetuò inhabilem ex natura propria huius pœnæ, & per restitutionem personæ in pristinum gradum, potest tantùm tolli: quamuis legitimè depositus nunquam, aut rarò restituitur; suspensio verò non reddit personam inhabilem simpliciter; & tolli potest per dispensationem. Hac ergo ratione dicit Doctor hanc esse maximam pœnam, tum quia extensiuè tollit omnem gradum Ecclesiasticum, & etiam, quando est ex integro, statum clericalem, & natura

3 Depositio. *Eius effectus.* *Differentia eius ab alijs.* *Reddit personam inhabilem perpetuò.*

tura sua est perpetua, & irreuocabilis ex vsu Canonum, & Ecclesiæ, licet simpliciter reuocari posset à Pontifice per restitutionem personæ in integrum.

4 *Comparatur ad degradationem.* Dicit præterea depositionem, & degradationem, quando est ab omni gradu, & priuilegio Ecclesiastico, esse easdem: quando verò degradatio est ab vno gradu tantùm, vt depositio à Sacerdotio manentibus reliquis, degradationem esse partialem depositionem. *Duplex acceptio degradationis.* In prima acceptione degradationis loquitur in sensu, & modo Canonistarum, & quorumdam Canonũ, qui vtramque synonymè aliquando capiunt, & perinde significat degradatio depositionem à quocumque gradu, siue sit propriè ordo, siue ordo latè sumptus pro quocumque gradu eminenti in Ecclesia, etiam officij & dignitatis, vt patet *ex cap.2. de pœnis in 6. cap. Tuæ, de pœnis*, vt *ibidem.* *Degradatio in vsu Theologorum.* Abbas *c. Ne Clerici, vel vouentes.* In secundo loco distinguens degradationem à depositione, loquitur in sensu Theologico, quatenus degradatio est depositio à gradu ordinis propriè dicto, & priuationem eius infert, quantùm ad vsum, & exercitium, & in quantùm eam inferre potest. *Ratio nominis.* Nam sicut gradus propriè dictus denotat ordinationis effectum, in ordine ad ministerium Sacramentorum proximè, aut remotè, & potissimùm Eucharistiæ; ita degradatio propriè dicta est motus ad amotionem dicti gradus quoad vsum, non verò quoad deletionem simpliciter, vt rectè Doctor *in §. seq.* de quo dictum est *in quæst. præced.*

5 *Alia acceptio degradationis.* Alij discernunt inter hæc, quòd depositio, quando est totalis amotio ab ordine, officio, & statu clericali, se habet vt sententia lata in ordine ad degradationẽ realem, quæ fit per quandam solemnitatem, quæ est executio sententiæ latæ, & per eam consignatur persona iudici sæculari punienda iuxta leges fori ciuilis, & qualitatem criminis. Hæc etiam distinctio rectè probatur *ex c. Degradatio, de pœnis in 6.* quod citat Doctor, *& c. Nouimus, de verbor. significat.* quamuis dici posset degradationem, seu ipsam depositionem actualem fieri per sententiam, reliqua spectare ad solemnitatem, & formam executionis.

6 *Infligitur ab homine, non à iure.* d *Ista pœna qualiter infligitur*, &c. Respondet nunquam a Iure infligi hanc pœnam, nempe vt est amotio ab omni statu, & priuilegio Ecclesiastico; sed à iudice infligi: quæ est sententia communis; & patet ex forma, quæ traditur *in c. Illo citato, Degradatio, de pœnis*; quæ requirit actionem iudicis, & sententiam; talis est: *Forma eius ferendæ.* *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & exuimus te omni ordine, beneficio, ac priuilegio clericali*, &c. Debet autem iudex Ecclesiasticus efficaciter pro eo intercedere, vt citra mortis periculum, sententiam circa reum moderetur iudex ciuilis, *ex cap. Nouimus, de verborum significatione.*

Quot requiruntur personæ ad sententiam ferendã. Ad Episcopi depositionem requiruntur præter Metropolitanum duodecim Episcopi ad sententiam ferendam. Si Sacerdos deponatur, sex, præter proprium Episcopum. Panormitanus *in cap. Non potest*, &c. *de re iudicata.* Si est Diaconus, aut Subdiaconus, tres, 15. *q.7. c. Felix. & c. Degradatio in 6. de pœnis.* Si non est in sacris, sufficit Episcopus cũ Capitulo. Panormit. *suprà.* Syluest. *v. Degradatio.* Hic numerus requiritur tantùm ad sententiam ferendam, qua lata, Episcopus aut Metropolitanus potest procedere ad executionem per realem degradationem, vt docet Panormitanus *cap. Qualiter 2. de Accusationibus.* vide *cap. Si quis, cap. Felix, cap. Si autem* 15. *q.7.*

Nouissimè Tridentinum *sess.* 13. *de reformatione, cap.4.* statuit ad degradationem Presbyteri, & reliquorum inferiorum posse substitui alias personas, quando nequit haberi numerus Episcoporum à Canonibus præscriptus. *Statuit Tridentinum.* Ad verbalem depositionem procedere potest Vicarius generalis Episcopi; ad realem autem solus Episcopus, vt *ibidem* decernitur.

e *Causæ autem propter quas infligenda est*, &c. Enumerat causas aliquas, ob quas infligenda est ex Canonibus; sed in tertio casu non intelligitur degradatio realis à statu clericali, quia textus id non comprehendit, cùm dicat depositum à gradu Sacerdotali, detrudendum esse in monasterium ad agendum pœnitẽtiam perpetuam. 7 *Causa ob quam depositionis. Tertiũ exemplum quomodo intelligendum?* Pœnæ autem restringendæ sunt: intendit ergo degradationem ab ordine, & verbalem, vt est depositio simplex & perpetua, non respectiua ad degradationem actualem, & realem. Voluit enim exemplũ vtriusque degradationis subiicere ex Canonibus, non comprehendendo omnes casus: nam cùm hæc pœna à iudice feratur, plures circumstantiæ concurrere possunt, quæ crimen aliàs simplex dignum faciant hac pœna; neque certa regula statui potest: quod supponit etiam Doctor dicens crimen esse debere atrox, & illa exempla subiicit. Additur etiam à Doctoribus crimen falsificantis literas Apostolicas, *Ad falsariorum, de crimine falsi.* Item, calumniæ grauis contra Episcopum, *cap. Si quis Sacerdotum* 11. *q.1.* quamuis autem glossa *in cap. ad Abolendam*, dicat, vltra tres casus hæresis, falsificationis literæ Papæ, & conuicij in Episcopum non solere tradi curiæ sæculari. Panormitanus tamen *in cap. Nonimus*, dicit pro crimine atroci, & pernicioso degradari posse: & id supponere videtur Tridentinum, & praxis. Huic pœnæ degradationis, quantùm ad effectum priuationis priuilegij clericalis, affinis est pœna clerici diffidati, *in c. Pro humani, de homicid. in 6.* vt docet Geminianus *ibidem*; quia hic est extra omnem protectionem Ecclesiasticam; & habet eundem effectum, quem degradatio, & traditio personæ iudicio sæculari; imò amplius quod diffidatus aliquando à priuato possit interfici.

f *Qualiter remittitur ista pœna?* &c. Hæc resolutio est communis; & patet *ex dist. 50. cap. 1. & 2.* 8 *Modus & forma restitutionis depositi.* Restituitur autem per traditionem solemnem omnium instrumentorum, & aliorum; quæ ablata sunt per degradationem. Degradatus etiam non alleuiatur oneribus Ordinis sacri, quia manet inhabilis ad matrimonium, & obligatus ad officium diuinum, quia pœna aufert honores, & non onera.

g *Secunda pœna est infamia*, &c. De infamia, & fama aliqua dicta sunt generaliter *distinct. 15. quæst.4.* ad effectum restitutionis famæ. 9 *Pœna infamiæ.* Hic autem agitur de infamia, vt est impedimentum Canonicum, & inducit irregularitatem.

Primò definit quòd sit infamia, & fama; & patet definitio *ex l. Cognitionem, ff. de varijs, & extraordinarijs criminibus*: vbi dicitur quòd *fama sit illæsa dignitatis status, vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus*: *Definitio famæ.* *infamia* verò per argumentum à contrario est *status, seu qualitas læsa dignitatis, vita & moribus reprobatus.* *Definitio infamiæ.*

Differentia inter infamatũ, & infamem.

Secundò discernit infamem, & infamatum; infamari enim quis potest per accusationem sui de aliquo crimine: sed non ideò erit infamis, hoc est, non incurret pœnam infamiæ, nisi ipsum peccatum sit publicum, & notoriè commissum, & vltra hoc requiritur vt sit tale peccatum, cui à Iure, vel à iudice talis sit annexa pœna. Ita vt, inquit Doctor, omnis infamis est publicè notatus de aliquo crimine: quod Ius punit pœnâ infamiæ; nam etiamsi quis committat aliquod crimen notorium, cui de iure non sit annexa talis pœna, erit quidem in opinione hominum indignus officiis, & dignitatibus ex natura rei; non tamen per pœnam canonicam, aut ciuilem infamiæ, sine adminiculo Iuris infligentis pœnam ob tale factum; ideò collatio officij, & dignitatis in ipsum erit valida.

10 *Incurritur infamia à iure, ab homine, ab vtroque. Infamia facti.*

Dicit tertiò, aliquando incurri infamiam ipso Iure, aliquando per sententiam iudicis infligentis, scilicet talem pœnam secundùm Ius; aliquando ab vtroque: vbi tangit diuisionem vulgarem infamiæ in illam, quæ est facti, & eam, quæ est Iuris. De priori habetur *cap. Licet*, &c. *de testibus*, & *cap. Licet*, &c. *de probationibus.* De infamia Iuris habetur *cap. Infames, 3. q. 7. in l. 1. 2. 3. ff. de his qui notantur infamia.* Infamia facti vocatur à Doctore infamia Iuris: quia nempe ex sententia legis incurritur absque sententia iudicis, aut Ordine iudiciario. Hæc ipsa dicitur facti, nempe ex ipso delicto, cui annexa est ex sententia lata legis, & incurritur sine vlla actione iudicis. Vt quando lex dicit; *Ipso iure, ipso facto, eo ipso, absque alia declaratione*, &c. Ad hanc ergo incurrendam non requiritur notitia publica, sed commissio delicti, licèt sit occultum: excipitur si lex inurat ipso facto pœnam ob delictum notorium, & manifestum: tunc enim pœna non extenditur vltra materiam expressam: quia pœnæ sunt restringendæ. Quòd si delictum fiat publicum, & notorium, tunc incurritur pœna legis; quæ etiam retrahitur ad tempus commissi delicti quantùm ad effectum nullitatis actuum, quia lex annullat, vt fiunt ab infami. Excipiuntur actus publicæ administrationis, qui tenent ex titulo existimato, ne Respublica, aut alij ex fraude particularis, patiatur damnum: actus tamen particulares, qui respiciunt fauorem personalem, declarantur irriti, vt ordinatio recepta, quantùm ad vsum, *distinct. 81. tantis Daniel*, &c. cadit dignitatibus, *de excessibus Prælatorum, c. Inter dilectos, reg. infamibus, de reg. Iuris in 6. & 3. quæst. 7.*

Infamia Iuris. De infamia facti.

Quãdo incurritur, & quis eius effectus?

Exceptio.

11 *Dubium. Resolutio.*

Sed quid agendum tali, quando crimen est occultum? Respondetur secundùm Panormitanum *in cap. vt si Clerici*, &c. *de iudicijs*, quòd renuntiare debet Prælatus, vt euadat sententiam infamiæ. Hoc quidem benè, si sine suiipsius proditione, & nota renuntiare potest, abstinere tenetur quantum potest ab illis actibus, ad quos ex pœna incursa redditur inhabilis ipso facto: tamen nemo in seipsum pœnam hanc legis exequi tenetur cum tam graui detrimento: sollicitare ergo debet sui restitutionem prudenti modo, quo sibi & conscientiæ consulat; nam licèt dominio suæ famæ ex legis sententia priuetur; tamen non priuatur vsu, & possessione facti, donec crimen fiat notorium: quamuis lex etiam crimini quomodocumque perpetrato talem pœnâ inducat, ad quam sufficit conscientia facti, & reipsa inducit effectus legales, scilicet priuationem acquisitæ dignitatis, & inhabilitatem acquirendæ: quia tamen his annexa est possessio actualis famæ, quam nemo tenetur per se ipsum abdicare, antequàm sit conuictus notoreitate facti, aut sententia, & Ordine iudiciario seruato, non tenetur exequi pœnam legis in præiudicium actualis possessionis famæ: sed tenetur quantum potest abstinere ab actibus legitimis, & prouidere sibi procurando restitutionem.

Infamis non tenetur se prodere.

Noster Castro *lib. 2. de lege pœnali, cap. 15.* quamuis *conclus.* 4. teneat pœnam ciuilem ipso Iure latam contra crimen etiam occultum tenere: excipit in fine pœnam infamiæ, ex eo quòd infamia dependeat à communi opinione, quæ manet integra ei, cuius crimen non est notorium, sed occultum. Cæterùm infamia, vt hîc sumitur per modum pœnæ priuantis officiis, & dignitate, & inhabilitantis ad eas acquirendas; longè differt ab infamia, qua quis diffamatur apud alios de crimine commisso, vt rectè Doctor aduertit in initio huius textus. Crimen ergo perpetratum consummat causam pœnæ per sententiam latam ipsius legis, & superueniens eius cognitio publica illud habet, vt tollat etiam actualem possessionem famæ, quantùm ad actus legitimos, quibus talis priuatur. 12

Reijcitur limitatio præmissa.

Infamia Iuris est, quando interuenit sententia, & processus iudiciarius; requiritur autem sententia definitiua ad eam incurrendam, nec sufficit interlocutoria, *l. Verbum, C. Ex quibus causis.* & *cap. vltimo, de temporibus ordinandorum*; vbi glossa & communiter Doctores, & *in cap. Vestra*, & *cap. vltimo, de cohabitat. clericor. & mulier. cap. 1. de exceptionibus*, &c. Ad infamiam vt pœna canonica requiritur processus iudiciarius *ex capitulo citato de temporibus ordinandorum. Si proposita crimina*, inquit, *ordine iudiciario comprobantur*, &c. ordo autem iudiciarius exigit accusationem. Vnde Abbas *in cap. Inquisitionis*, &c. *de accusat.* dicit non valere sententiam per viam inquisitionis datam, sine ordine iudiciario. Requiritur itaque ad hanc infamiam incurrendam factum Iure notatum tali infamia, & sententia infligens pœnam, vt actu incurratur. Hoc autem contingit, vel quando delictum non fit notorium, nisi per processum iudiciarium, & sententiam declaratiuam. Vel quando lex ipso facto non imponit pœnam, sed præscribit imponendam per sententiam iudicis. 13 *Infamia Iuris.*

Quid ad hãc infamiam incurrẽdam requiritur?

Ex quibus patet triplex modus incurrendi hanc pœnam, quem præscribit Doctor, nempe ipso Iure, vel à iudice, vel ab vtroque simul. Ipso Iure, quando lex ipsa trahit, & applicat pœnam ipso facto sine sententia iudicis: à iudice verò quando lex non comprehendit sententiam latam, sed ferendam à iudice. Vtroque modo quando delictum est occultum, ex quo incurritur ipso facto pœna, & per processum iudicialem probatur, & fit notoria per sententiam publicam, & declaratiuam: quia tunc completè amittitur fama quoad dominium, & possessionem etiam facti, ita vt sine iniustitia possit quilibet de crimine loqui in publico, quod aliàs non liceret, quamdiu crimen non fuit probatum, & sententia lata, licèt contra charitatem in hoc offendi posset in aliquibus circumstantiis. 14 *Triplex modus incurrendi infamiam.*

Sed.

15 *Causa ob quam incurritur infamia.*

Sed quæ est causa propter quam? &c. Hic textus patet ex allegata lege; citat autem duos textus *cap. Infames, & cap. Omnes verò infames*, &c. qui habentur *6. quæst. 1. & cap. Beatus Petrus, eodem.* Aduertendum cum glossa *in cap. Omnes*, non omnem infamiam Iure ciuili inductam esse receptam à Iure Canonico, qualis est illa, quam incurrit vidua intra luctum nubens.

Diuisio infamiæ in ciuilem, & Canonicam.

Hæc infamia Iuris ciuilis reddit impedimentum Canonicum, in quantùm per Canones est recepta in Ordine ad hunc effectum. Præterea, sunt alia crimina, ob quæ ipsi Canones infligunt infamiam directè, & numerantur *cap. Infames.* Hinc habetur diuisio illa infamiæ in ciuilem & Canonicam, &c.

16 *Resolutio infamis. Purgatio Canonica. Pœnitentia.*

i *Quod remedium contra istam pœnam?* &c. Resolutio hæc communis est, purgatio Canonica tollit infamiam ex opinione criminis, quæ dicitur vulgaris, & non probatur legitimè. Infamia ex publico peccato tollitur per pœnitentiam, si alioquin non est speciali pœna infamiæ notatum. Hæc etiam Canonica est ex dicto capitulo quamdiu persona in tali statu perseuerat. Infamia ciuilis tolli potest directè per Principem, qua cessante, cessat etiam impedimentum Canonicum indirectè, nisi aliàs peccatum, ob quod incurritur, notatur infamia per Canonem in specie: pœnitentia non sufficit ad tollendam infamiam, quæ est pœna specialis per legem; sed requiritur restitutio in integrum, vt benè Doctor, & communis. Maior est hæc pœna, quàm depositio quoad vitam ciuilem, inquit Doctor, nisi ipsa depositio includat infamiam. depositio nempe realis ob crimen, & verbalis indirectè includit infamiam, seu eam infert ipso Iure; non tamen quæuis depositio ab aliquo gradu infert infamiam, vt si contingat aliquem malè promoueri, bona tamen fide ex parte eius, licet aliunde irrepat vitium; v. g. si suspensus ab Ordine ordinet ignorantem, esse eum suspensum. Alio modo intelligi potest, nempe depositionem directè, & ex intento legis inducentis talem pœnam, loquendo de completa, etiam indirectè trahere infamiam, quam lex infamiæ concurrens directè infert. Cæterùm si non est depositio completa, non necessariò infert hanc pœnam nisi Iure, aut facto eadem causa concurrat & depositionis & infamiæ. De hac materia videantur Doctores in textus citatos, & in materia de accusatione, de testibus, de electione, de exceptionibus, de infamia, & irregularitate ex ea redundante, de censuris, vbi Suarez copiosè hanc materiam tractat, *disput.* 48.

Restitutio à Principe.

Grauitas huius pœnæ.

Depositio quando inducat infamiam.

17 *Pœna irregularitatis quid sit.*

l *Tertia pœna est irregularitas*, &c. Hæc definitio ita intelligitur, vt irregularitas per se, & directè sit inhabilitas suscipiendi Ordines, etiam primam tonsuram, & reddit personam ex Iure Ecclesiastico inhabilem ad statum clericalem, & Ordinis. Hæc inhabilitas personam directè respectiuè ad Ordines, & per se afficit, siue vt Ordinem suscipiat, siue vt in eo ministret, ex quo possumus colligere differentiam huius impedimenti ab aliis, primò à depositione, & suspensione etiam perpetua ab Ordine, cum quibus magis communicat irregularitas; quia irregularitas respicit primò, & per se personam, ita vt per accidens sit, an sit laicus, an Ecclesiasticus, reddendo ipsam incapacem Ordinis positiue, & ministerij, directè quantum fieri potest ab Ecclesia. Depositio verò realis, & verbalis, sicut & suspensio etiam perpetua per modum priuationis, sic habent auferendo gradum, & vsum, vt depositio, quem aliàs habuit; vel solum vsum, vt suspensio, non statuendo impedimentum positiuum per modum inhabilitatis, per quod subiectum fieret incapax positiuè, sed solùm priuationem eius gradus, quem habuit, aut certè vsus: sicut ergo in Physicis diuersa sunt in reipsa subiectum constitui incapax formæ, quod denotat defectum potentiæ proximè ad eius receptionem, & subiectum solùm priuari forma, quam habet: ita & in moralibus diuersa sunt subiectum reddere incapax positiuè auferendo ipsam capacitatem ad formam, & subiectum informatum priuari forma quam habet, siue eam priuando quantùm ad *esse*, siue quantùm ad vsum: intelligo semper prout aliàs dictum est, inhabilitatem, & priuationem, vt ab Ecclesia induci possunt: quia non agitur de iis, quæ ex diuina institutione spectant ad Sacramentum, characterem, & eius potestatem, quod aliquoties aduertisse sufficit, ne quæ dicta, aut dicenda sunt, ad hæc referantur. Irregularitas ergo est inhabilitas positiua, vt dixi, ad Ordinem, & vsum eius in genere, vel in particulari, iuxta naturam eius prout lege est præscripta respectiuè ad vnum, seu ad plures.

Affecit personam.

Differentia eius à depositione & suspensione.

Impedimentum priuatiuum.

Aliud est subiectū fieri formæ, aliud verò priuari.

Irregularitas est impedimētum positiuū.

m *Ita incurritur frequenter à Iure, quamuis*, &c. Diuidit hanc pœnam per ordinem ad causam efficientem in eam, quæ à Iure infligitur, & eam, quæ aliquando à iudice infligi potest. De primo membro nulla est controuersia. De secundo, scilicet an possit imponi ab homine, est dubium. Negatiuam partem tenet Soto *in* 4. *distinct.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. Ledesma *q.* 26. *art.* 2. Noster Castro *libro* 2. *de lege pœnali, cap. vlt.* Nauarr. *in Summa cap.* 27. Couarr. *Clem. vnica de homicid. in* 1. *part.* Suarez *disput.* 40. *sect.* 4. *dub.* 2. Et in eandem sententiam citari etiam potest Doctor, sicut ibi explicuimus, *distinct.* 13. *quæst.* 2. §. *Restat ergo videre in fine:* vbi ait pœnam irregularitatis non incurrere concubinarium celebrantem, vsurarium, infamem, qui pœnituit, & celebrat ante restitutionem etiam, non fieri irregularem, quia talis pœna non est Iure expressa, ac proinde non est amplianda. Tenendo ergo hanc sententiam, quæ est frequentior Iuris prudentium, quæ fundatur *in cap. Is qui, de sentent. excommunic. in* 6. & in vsu Ecclesiæ intelligit Doctor, quantum est ex natura pœnæ non repugnare simpliciter, quin à iudice imponi possit secundùm Iura, quia nullum Ius id prohibet: illud verò capitulum citatum intelligi potest de irregularitate Iure incursa, de qua tantùm quæstio interrogabat: An scilicet celebrans in Ecclesia polluta factus sit irregularis; neque hoc speciale est in irregularitate, sed commune omnibus pœnis, quarum nulla incurritur ex vi Canonis, nisi in ipso Canone expressè comprehendatur per sententiam latam, vt communis est sententia.

18 Diuisio prima per causam efficientem. An possit induci ab homine. Sententia negatiua.

Expositio Doctoris.

Non repugnare vt feratur ab homine.

Expositio cap. Is qui. Nulla pœna incurritur ex Canone ipso facto nisi per sententiam latam.

Sicut ergo iudex est lex viua, neque aliunde per Canones potestas eius limitatur quoad hanc pœnam, magis quàm quoad aliam, neque alioquin excedit potestatem eius ordinariam, nisi ostendatur limitatio, aut reseruatio huius potestatis, quæ inter Canones non inuenitur. Sequitur ex hoc capite posse imponi à iudice secun

19 Iudex est lex viua.

secundùm Iura, id est, in crimine simili, in quo Ius talem pœnam imponit. Et saltem dubium non est, quin Romanus Pontifex ob delictum hoc, vel illud priuatæ personæ hanc pœnam imponere possit per modum sententiæ. Illud ergo solùm obstat, quòd ex vsu, & consuetudine hæc pœna à solo Canone infligatur. An autem hic vsus inducat vim legis, incertum est; quamuis in praxi sit sequendus, & iam videtur hæc pœna soli Romano Pontifici reseruari statuenda. Neque video quid summoperè repugnent aliqui ex prædictis Doctoribus huic sententiæ, qui dicunt aliquam irregularitatem esse propriè censuram: vt Soto, & Corduba, aliíque quidam recentiores: siue enim medicinalis, siue merè vindicatiua dicatur, non videtur excedere potestatem iudicis, sicut neque aliæ censuræ, vt suspensio etiam perpetua ab Ordine; quidquid etiam dicatur de irregularitate ad susceptionem Ordinum, irregularitas ab vsu Ordinum non videtur excedere in ratione pœnæ suspensionem perpetuam, aut depositionem ab Ordine, quæ possunt fieri ab homine.

Romanus Pōtifex eam potest infligere.

Tenendo esse censuram posse ab homine ferri.

Irregularitas quoad vsum Ordinis æquiualet suspensioni perpetuæ.

20 Neque alioquin desunt aliqua exempla Iuris, quæ possunt commodè de hac pœna intelligi:& continent priuationem Ordinis per verbum futuri, quæ est nota sententiæ ferendæ, sicut verbum præsentis, & præteriti sententiæ latæ, ex communi *in l. Si quis maior, C. de transaction.* Abbas, Decius *c. At si Clerici*,&c. *de Iudicijs.* Tiraquellus *in l. Si vnquam, C. de reuocat. donat. cap. Si qui Episcopi malè ordinantes, ordinationis Ius ampliùs non habebunt*;&c. *cap. Si de his, eodem, vana est habenda ordinatio cap. quoniam, distinct.* 47. *de Clericis vsurarijs*, &c. *deijciatur à clero,& alienus existat à regula*, id est, extra regulam Ecclesiasticam, quod est esse irregularē ex communi interpretatione vocis. *cap. Quoniam, dist.* 48. *cesset à clero, præcipitabitur à statu sui cleri. c. Clericus qui, distinct.* 46. vt intelligit Maiolus, denotant irregularitatem ferendam, non latam tamen: *cap. Cùm illorum, de sentent. excommunic.* vbi agitur de ordinatis in excommunicatione in perpetuum deponendis. Item 41. *q.* 3. *cap. Si quis Episcopus*, vbi decernitur pœna irregularitatis in Episcopum, Presbyterum, & Diaconum, qui in excōmunicatione præsumserint facere oblationem, vel matutinum, & vespertinum sacrificium, quasi in officio suo agere sicut priùs: non liceat ei in Concilio spem reconciliationis habere, nec vltra recolligi, &c. In quibus verbis non intelligitur reconciliatio ab excommunicatione, quia hæc pœnitenti non negatur; sed dispensatio ab irregularitate, vt communis cum Glossa; est idem canon 4. Antiocheni, & in Concilio Martini Papæ 37. Item *cap. Theagualdum. eodem titulo*, vbi in Concilio Nicolaus Papa depositis Coloniensi, & Treuirensi, ab omni dignitate Ecclesiastica, statuit eandem pœnam: *Definientes*, inquit, *quòd si iuxta præcedentem consuetudinem tanquam Episcopi ausi fuerint aliquid de sacro mysterio contingere, nullo modo liceat eis neque in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis.* Hæc sententia licèt secundùm Canones hîc fertur à iudice, & intelligitur de irregularitate.

Exēpla quibus ab homine lata videatur. Verbum futuri est nota sententiæ ferendæ.

Nicol. Papa.

21 Alio modo intelligi potest Doctor, videlicet non intendere hîc irregularitatem imponi per sententiam iudicis, nisi lato modo, nempe in re dubia per declaratiuam, qua definit in hoc, aut illo casu dubio interuenire irregularitatem secundùm iura. Hæc interpretatio concordat, & ipsi Doctori loco suprà citato, & communi sententiæ, & praxi; ideóque tenenda: vnde illa verba eius; *Quamuis posset aliquando infligi à iudice secundùm Iura*, id tantùm important, cùm enim Iura non inducunt, neque faciunt mentionem irregularitatis incurrendæ, sed ex sententia lata incursæ, vt communiter interpretes in caput citatum: ita iudex non imponeret secundùm Iura hanc pœnam aliquando, nec posset secundùm Iura, cùm nec arbitraria sit, neque Iura sub iudicis arbitrio eam disponunt, sicut disponunt alias pœnas, quæ ab homine imponi possunt. Vnde quòd dicat tantùm aliquando & secundùm Iura, referri debet ad hoc tantùm quòd in casu dubio requiratur sententia eius declaratiua.

Secūda expositio Doctoris.

Intendit declaratiuam sentētiam in casu dubio.

Posset etiam tertiò explicari, eum hîc intelligere suspensionem perpetuam, quæ æquiualet irregularitati; quia agens de suspensione videtur sentire eam esse ad tempus tantùm: irregularitas autem est perpetua ex natura sua, & difficilis dispensationis.

Tertia explicatio.

n *Incurritur autem à Iure ex quibus criminibus?* &c. Diuidit secundò irregularitatem ex materia, seu causa, ob quam incurritur, in tria membra. Primò, vt est ex crimine. Secundò, vt est ex non crimine. Tertiò, vt est ex iis, quæ aliquando sunt crimen, aliquando non. Hoc tertium membrum generali diuisione reduci potest ad duo prima, sicut reducit D. Thomas 2.2. *quæst.* 64. *art.* 7. *ad* 3. *& quæst.* 108. *art.* 4. *ad* 2. Richardus *in præsenti distinct. art.* 4. *quæst.* 3. *ad* 1. & communis: quia tamen in ordine ad effectum moralem, & dispensationem diuersa ratio habetur irregularitatis quando est coniuncta culpæ, ab ea, quam habet sine culpa, ideò distinguit vt tertium membrum. 22

Diuisio irregularitatis ex materia.

Reducitur ad duo membra. D. Thom.

Ratio diuisionis in tria membra.

Dubitari solet an irregularitas ex culpa sit censura? Partem affirmatiuam docet Soto *in distinct.* 22. loco citato, & alij. Hinc infert, quando in Bulla Cruciatæ datur facultas absoluendi à censuris, comprehendi irregularitatem ex culpa.

An sit censura quando ex culpa est? Sententia affirmatiua.

Respondetur tamen oppositum esse sequendum; vt patet ex cap. *Quærenti*, &c. *de verborum significatione*, vbi sub censura non comprehenduntur, nisi excommunicatio, suspensio, interdictum: sub quibus non comprehenditur irregularitas. Secundò, quia à censuris datur potestas absoluendi, irregularitas autem non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, vt constat. Deinde tertiò, quia in Bulla Cruciatæ, & aliis similibus exprimitur concessio, seu facultas absoluendi à censuris, & peccatis reseruatis tanquam diuersa à facultate dispensandi in votis, & irregularitatibus, in quibus additur concessio noua. 23

Præfertur negatiua.

Probatio.

Irregularitas dispensatur, non absoluitur.

Dices, Beneficia Principis largissimè interpretanda esse, *l. de benef. de constit. Princip.* priuilegia esse amplianda, *cap. Olim*, &c. *de verborum significatione.*

Obiectio.

Respondetur limitari priuilegia ad formam verborum, & rigorem, & materiam subiectam. Irregularitas non venit nomine censuræ; sublatio eius non venit appellatione absolutionis, sed dispensationis: sicut ergo potestas absoluendi à censura nequit extendi ad id, quod non est

Soluitur.

est censura; & sicut potestas absoluendi nequit exerceri nisi per absolutionem, quæ in alia forma, & modo fit differenti à dispensatione, per quam tollitur irregularitas; sic etiam neque potestas absoluendi à censura comprehendit irregularitatem, in qua per potestatem datam dispensatur, non absoluitur.

24 *Irregularitas ex crimine.* o *Ex criminibus quatuor pertinentibus ad Ordines*, &c. Primum crimen est Simonia in Ordine, scienter commissa. Hanc inducere irregularitatem probat *ex 1.q.1. cap. de cætero*, & locis citatis in argumento ad oppositum, in eodem titulo. *Summarium textus.* Plura capita eandem pœnam habent. Deinde, dicit dispensationem spectare ad solum Pontificem, *ex cap. Nobis, de Simonia.* Ita discernenda est allegatio Doctoris. Tertiò dicit, quòd si, ignorante illo, commissa sit Simonia ab alio, qui pretium in fauorem eius dedit, eum non effici irregularem, nisi cùm constiterit de errore, quia tunc manet suspensus ab Ordine, donec liberetur. Quòd si in eo statu exequatur actum Ordinis, manet irregularis.

Glossa aliorũ, & assertio cõtra primum dictum. Quoad primum, qui putant ex *cap. Is qui, de sentent. excommun. in 6.* non incurri irregularitatem, nisi pœna sit Iure expressa. Item, non posse imponi consequenter ab homine, negant illa Iura comprehendere irregularitatem, sed pœnam depositionis, aut degradationis, aut suspensionis; & hoc consequenter, quia vt constat ex illo titulo plures continent sententiam etiam iudicis, & eadem forma verborum exprimitur modus pœnæ; aliàs dicendum esset, hanc pœnam posse aliquando esse à iudice. Sed *Impugnatur ab inconuenienti.* oritur inde inconueniens, nempe pœnam irregularitatis vix probari posse ex antiquis Decretis fuisse in vsu, cùm nullam eius sub propria appellatione mentionem faciant, sed vtantur vocabulo *depositionis, suspensionis, eiectionis, irritationis*, & huiusmodi.

25 *Eorumdem alia sententia. Non incurri per Simoniã. Iura inducere pœnam directè ob Simoniam.* Secundò dicunt per Simoniam per se non incurri irregularitatem in Ordine, sed ratione excommunicationis, aut suspensionis adiunctæ, aut interdicti. Hoc etiam non videtur subsistere: quia decreta antiqua loquuntur expresse de ipsa Simonia, ob quam inducunt pœnas, vt patet percurrendo illum titulum *causa 1. q. 1.* vel ergo in antiquis Decretis non includitur hæc pœna, vel incurritur propter peccatum Simoniæ. Item, *Extra de Simonia, cap. Nobis*, &c. in *fine*, vbi electio Simoniaca dicitur reprobata, & dispensari non posse cum electo per Episcopum. Dispensatio autem supponit irregularitatem. Item *cap. per tuas*, &c. decernitur vt simoniacè ordinatus Diaconus non ascendat ad superiores Ordines; neque in susceptis ministret, nisi fuerit dispensatus, *c. Si quis ordinauerit*, &c. *in fine*. Ordinatus simoniacè manet ab Ordine suspensus donec fuerit dispensatus; per illam autem suspensionem intelligi potest irregularitas, quia suspensio non propriè dispensatur, vt censura. Ex quibus patet ordinatum simoniacè incurrere hanc pœnam ob ipsam simoniam, & non solùm ob censuram annexam.

In Iure autem nouo, vt *Extrauaganti* Pauli II. *Cùm detestabile.* Simonia realis punitur excommunicatione, & reliquis censuris, & pœnis contra simoniacos quolibet modo latis. Tridentinum *sess. 21. cap. 1.* easdem pœnas contra simoniacè ordinantes statuit. Item, Decretalis Sixti V. contra malè promouentes, & promotos, quam licèt quoad alia Clemens VIII. reduxit ad terminos Iuris communis; tamen quoad pœnam in malè promotos, & promouentes simoniacè, reliquit in suo vigore: per hæc ergo Iura reuiuiuiscit pœna irregularitatis, si vnquam lata fuit contra Simoniacos in Ordine. Videtur ergo dicendum quòd suspensio per modum pœnæ latæ in Iure antiquo contra malè promotos simoniacè, & quæ ab aliquibus dicitur perpetua, non differat ab irregularitate, neque esse propriè censuram, sed illam suspensionem medicinalem, & temporariam, quæ supponit contumaciam, esse censuram. 26 *Dispositio Iuris noui, circa Simoniam in Ordine.* Paulus II. Sixtus V. Clem. VIII.

27 *Tertia cõclusio Doctoris.* Tertium dictum Doctoris tenet Felinus *in cap. Per tuas, de Simonia*, asserens esse communem. Et patet argumento *cap. Nobis fuit*, &c. *de Simonia*, quem citat Doctor *gloss. in cap. de Simoniacè, eodem titulo.* *Contra opinio.* Contrarium huius docent aliqui ex fundamento suprà allegato, quia nempe illa pœna non est Iure expressa; ita Nauarrus *in Summa cap. 25.* & alij posteriores. Sed *Probatio conclusionis.* contrà licèt ipse non contrahat irregularitatem: tamen quia Simonia ex culpa aliorum interuenit, in odium eius hæc videntur statuta expresse, vt ex titulo de Simonia variis capitulis continetur æquiualenter in beneficiis, & officiis, quibus interuenit Simonia ex culpa aliorum, nesciente promoto, quæ officia debent dimitti, & resignari, quando constat de Simonia. Hæc autem Iura non sunt noua decreta; sed declaratio antiquorum, quæ perinde comprehendunt, vel à fortiori Simoniam in Ordine commissam quomodocumque, nisi in fraudem ordinati fiat, ordinationémque ipsam irritam statuunt. Vide Glossam cum additione *c. At si Clerici*, &c. *de iudiciis*, vbi illas pœnas intelligit de irregularitate. *Glossa.*

SCHOLIVM.

Accipientem beneficium simoniacè teneri restituere. Extra. Cùm detestabile, de Simonia, c. Si quis 1. q. 1. *non tamen tenetur ad id iure diuino; tum quia aliàs si eo ignorante fieret Simonia, ad id teneretur, tum etiam, quia per alia peccata homo non efficitur iure diuino incapax beneficij. Ita Nauar. c. 23. num.* 103. 104. *Couar. reg.* Peccatum, *part. 2. §. 8. Alia tamen spiritualia simoniacè accepta non tenetur quis dimittere ante sententiam, quia hoc Iure non habetur. Less. lib. 2. c. 35. dub. 29. 30. docet Doctor an incurratur irregularitas in furtiua Ordinum susceptione, & in administratione in Ordine non suscepto, vel in censura, & per clara & expressa Iura.*

Simoniacus [p] autem in beneficio non sic grauiter punitur: tamen ex quo sibi constat quòd simoniacè illud obtinuit, tenetur resignare, & toto tempore quo tenet, iniustè 8 *Simoniacus in beneficio*

tenetur resignare, & restituere. iniustè tenet, & tenetur ad restitutionem omnium, quæ percepit. Hæc probantur de Simonia in diuersis capitulis.

Quæ pœna suscipientis furtiuè Ordinem? De furto in Ordine, distinguo; quia aut prohibetur per excommunicationem, ne quis accedat nisi de illo Episcopatu, & priùs legitimè examinatus, & receptus: aut non est talis excommunicatio, vel prohibitio: in vtroque casu furtiuè se ingerens, est irregularis, sed in primo indispensabiliter, nisi per Papam: in secundo dispensabiliter per Episcopum. Probatur *Extrà de eo, qui furtiuè Ordines suscepit, in 1. cap. & 2. in text. & in gloss.*

Quæ pœna ministrãtis in Ordine nõ suscepto? Quæ pœna ministrãtis in censura? De tertio crimine, quòd ad ipsum sequatur irregularitas, habetur *Extrà de Clerico non ordinato ministrante, per totum.* De quarto, habetur *Extrà de Clerico excommunicato, vel deposito ministrante, per totum.* Et hoc intellige maiori excommunicatione, quia, vt habetur *ibidem, c. Si cel.* licèt in minori excommunicatione celebrans grauiter peccet, nullius tamen irregularitatis notam incurrit. Intellige etiam postquàm sciuit se esse excommunicatum. Si enim haberet ignorantiam inuincibilem, non tenetur cauere ab actibus Ordinum; nec exercendo illos, incurrit irregularitatem, vt habetur *ibidem, Extrà Apostolicæ, in gloss.* vtpote si quis excommunicauit alium per literas, & à tempore sigillationis literæ, voluit eum statim esse excommunicatum, ille non tenetur se habere pro excommunicato quousque litera ad eum peruenerit.

Non seruãs interdictum vel suspensionẽ an irregularis? Si autem non sit ignorantia inuincibilis, nec omnimoda incertitudo, vt si per famam, vel rumorem publicum deuenerit ad eum notitia de excommunicatione, irregularis est, licèt cum eo mitiùs agatur. Probatur *Extrà de translatione Episcoporum, Inter corporalia.* Sic etiam si non seruetur pœna interdicti, vt habetur *Extrà de excessibus prælatorum, & subditorum, Tanta*; tamen illud capitulum benè posset exponi. Sequitur etiam non seruantem suspensionem, vt habetur *Extrà de sententia, & re iudic. Cùm æterni. & Extrà de sententia excommunicatio. cùm medicinalis.*

COMMENTARIVS.

28 *De Simonia in beneficio.* P. SImoniacus *autem in beneficio*, &c. Hìc agit de eo, cui collatum est beneficium simoniacè, ipso tamen ignorante, dicit eum dum sciuerit, teneri ad resignationem beneficij, & ad restitutionem fructuũ: quia, nempe non fecit illos suos, cùm collatio ipso Iure fuerit nulla; vide Scholium, & authores, quos citat *Extrau. detestabile.* Reliqua huius literæ patet ex Canonibus allegatis. Aliqui in superiori sententia manentes negant eum, qui censura innodatus suscipit Ordines, fieri irregularem propriè, sed suspensum: vt Suarez *disput. 42. de censuris, sect. 3. casu 7.* sed Iura aliter disponunt, & interpretari debent, vt communis Doctorum, & glossæ intelligunt.

SCHOLIVM.

Exactè explicat, quomodo serui illegitimi, & turpiter mutilati, vel infirmi, sint irregulares, per expressa Iura. Vide Summistas v. Irregularitas. *Enriquez lib. 14. c. 8. Suarez tom. 5. disp. 49. & duabus seq.*

9 *Serui quare irregulares.* SEquitur [q] etiam irregularitas tria non crimina, vtpote seruitutem *dist. 54.* vt *Extrà de seruis non ordinandis, per totum.* Ratio autem, quia seruus est possessio domini, & ideò non debet ab eo auferri ipso inuito. Quando autem ordinatur, fit inhabilis ad quosdam actus seruiles: quia si de facto fuit ordinatus domino inscio, nec de nouo consentiente, debet sibi reddi: tamen dominus non debet eum actibus dedecentibus Ordinem suum applicare, sed debet seruire domino suo in actibus decentibus statum suum.

Illegitimi quare irregulares? Sequitur [r] etiam illegitimatum, *Extrà de filijs Presbyt. non ordinandis, c. 1. & 2.* & ratio, quia præsumuntur imitatores paternæ incontinentiæ: tales præsumuntur etiam malè morigerati, quia malè educati: tamen cum eis satis faciliter dispensatur; vnde Benedictus XI. cum quodam tali sine dispensatione ordinato, & in Ordinibus ministrante, posteà faciliter dispensauit, sicut ipse vidi Bullam dispensationis.

Turpiter mutilati, & infirmi, irregulares sunt. Sequitur [s] etiam tertium non crimen, scilicet turpem, vel enormem mutilationem, vel infirmitatem; vt habetur *Extrà de corpore vitiatis non ordinandis, cap. Exposuisti,* & *55. distinct. Si Euangelica, & præcedenti*; & *Extrà de Clerico debilitato.* Quòd si non sit mutilatio deformis, nec ipse fuerit in culpa illius mutilationis, non excluditur, vt habetur *dist. 55. Si quis à medicis, & duobus cap. seq.* Si autem fuerit in culpa, vt si seipsum mutilauerit, vt *ibidem* habetur, *Si quis absciderit*, cum tali vix dispensatur. Vnde Nicolaus IV. cum difficultate magna dispensauit cum quodam tali, quamuis Religioso. Consimiliter est dicendum de infirmitate enormi, vel non enormi.

COMMENTARIVS.

29 *Irregularitas ex nō crimine.* q SEquitur etiam irregularitas tria non crimina, &c. Ex conditione seruitutis, vt opponitur libertati, oritur irregularitas, quamdiu est obnoxius seruus domino, seu seruituti subiectus. *Ex seruitute.* Patet *distinct.* 54. *ex toto titulo de seruis non ordinandis, Authent. Si seruus, C. de Episcopis & Clericis.* Ex communi Theologorum *in hac distinct.* Ratio, quam assignat Doctor, est Leonis Papæ *epist.* 1. *cap.* 16. habetur *capitulo Generalis, & cap.* 1. Ordinatus inscio domino, & inuito, si repetatur, debet reddi, nisi sit Sacerdos, *cap. Ex antiquis*; sed peculium reddere debet. Hæc irregularitas tollitur per manumissionem, aut quacunque via restituatur libertati seruus.

30 *Irregularitas ex illegitimatione.* r *Sequitur etiam illegitimatum*, &c. Hæc irregularitas patet ex textu citato, & *in* 6. *in cap. consuluit*, &c. iuxta glossam, *de seruis non ordinandis, cap. Per venerabilem*, &c. *qui filij sint legitimi, & distinct.* 56 per multos textus in principio, intelliguntur illegitimi, qui non nascuntur ex matrimonio vero, aut probabili, etiam ex bona fide alterius coniugis, quæ sufficit ad legitimationem prolis, modò matrimonium non fuerit clandestinum. *Qui sint illegitimi, aut legitimi filij.* *cap. Ex tenore, qui sint filij legitimi, cap. Cum inhibitio*, &c. *de clandestino desponsat.* Legitimantur nati ex soluto, & soluta, qui habiles erant ad matrimonium, ipso superueniente, *cap. Tanta*, &c. *qui sint filij legitimi.*

31 *Irregularitas ex mutilatione.* s *Sequitur etiam tertium*, &c. Irregularitas ex mutilatione aliquando est cum culpa, aliquando sine culpa. Cum culpa fit etiam per voluntarium indirectum, vt quando ipse dedit mutilationi in parte, aut in toto membro causam, etiam occulto, vt si absciderit sibi partem, membrum aliquod, aut partem membri, tunc est irregularis; vt patet *cap. Qui partem, distinct.* 55. Quoad partis non notabilis abscissionem requiritur voluntas directa, & non sufficit indirecta, vt docet Nauarr. *c.* 27. vt si in duello aliqua pars digiti fuerit abscissa ab alio, non facit irregularem: quia longè atrocius est, vt quis in seipsum ferrum stringat, quàm vt ab alio incidatur. Voluntas ergo directa, vt habet actum, est, quæ punitur in illo textu. Quod si causam dedit, vt membrum etiam occultum abscindatur integrè, vt si fiat Eunuchus ex pœna delicti, fit irregularis secundùm eundem; qui citat Hostiensem, & Ioannem Andream, & communem sententiam. Et patet ex *cap. Ex parte*, &c. *de corpore vitiatis*, &c.

Oppositum huius est etiam probabile, si rigor Canonum, & proprietas inspiciatur, qui videntur semper loqui de voluntate directa, vt indicat quandam in seipsum ferocitatem, vt patet *ex Canon.* 22. *&* 23. *Apostol. cap. Hi qui, distinct.* 55. *& cap. Maritum* 33. *distinct.* &c. *cap. Qui partem.* 32 Prior sententia, quia communis, securior est. Ad irregularitatem ex voluntate directa culpabili sufficit, vt pars membri abscindatur. Ad irregularitatem ex voluntate indirecta requiritur totum membrum abscindi. *Probabile est requiri voluntarium directum.* Si mutilatio fiat sine culpa, incurritur quando ex carentia membri inducitur notabilis difformitas, & indecentia, vel certè inhabilitas ad sacrum ministerium. Est communis, & patet ex titulis citatis à Doctore.

Quando autem neutrum horum inducitur, non incurritur irregularitas. 33 *Canon.* 22. *Apostolorum*: vbi dicitur Eunuchos factos sine sua culpa non esse irregulares. *cap.* 1. *&* 2. *de corpore vitiatis.* Vbi definitur eos defectus, qui non inducunt impedimentum ministerij, aut deformitatem, non inducere irregularitatem. Item, *c. Si partem. cap. Lator. cap. Præcepta, distinct.* 55. impedimentum vsus Ordinis, & deformitas in laico inferunt irregularitatem simpliciter: in clerico verò ne ascendat ad Superiores Ordines; in ordinato quoad vsum si superueniat, respectiuè ad vsum illius Ordinis tantùm, ad quem impeditur, vel quem nequit sine scandalo exercere. *Effectus irregularitatis in diuersis subiectis.* Si tamen aliquem actum Ordinis exercere potest sine scandalo, ad eum non fit irregularis. Vt si Sacerdos, si careat manibus, nequit celebrare, potest tamen audire Confessiones. Si sit surdus, nequit hoc, potest illud, potest solemniter exercere officium Diaconi, & Subdiaconi, nisi ad hæc sit impeditus.

Irregularitas ex morbo. Morbus similiter incurabilis inducit irregularitatem, quando habet annexum impedimentum perpetuum, aut deformitatem. Patet ex Canonibus citatis *de corpore vitiatis, & de clerico ægroto, distinct.* 55. requiritur vt sit incurabilis, vt inferat hanc irregularitatem, & vt impedimentum, aut deformitas sit perpetua. irregularitatis, quæ ex vitio corporis incurritur, ad solum Papam spectat dispensatio, vt tenet communis.

SCHOLIVM.

Hæc litera habet aliquot dicta. Primò, docet occisores & mutilatores esse irregulares. Secundò, ait occidentem in sua iusta defensione fieri irregularem, quod tenent D. Thom. 2.2. *q.* 64. *art.* 7. *ad* 3. *gloss. cap.* Sicut dignum. §. Clericus, *de hom. facit Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *quod verum est Iure antiquo, sed oppositum est iure nouo Clem. vnic. de hom. & tenet communis. Couarr. ibi* 3. *part.* §. 1. *Nauarr. cap.* 27. *n.* 207. *Castro* 2. *de leg. pœn.* 4. *Summistæ v.* homicid. *Tertiò, ait casualiter occidentem, si dat operam rei illicitæ, esse irregularem. Quod intellige, si opus quod exercet, est prohibitum ob periculum homicidij, non aliter. Ita D. Thom.* 2.2. *q.* 64. *art.* 8. *vbi Caietan. Syl. v.* Homicid. 2. §. 2. *Ang. ibi num.* 1. *Suarez tom.* 5. *disp.* 45. *sect.* 6. *citans multos. Couarr. de hom.* 2. *part.* §. 4. *num.* 9. 10. *Herrera* 2. *d.* 32. *quæst.* 15. *Emanuel Sum. cap.* 166. *Sotus de iust. quæst.* 1. *art.* 9. *ex quibus D. Thom. & alij sine vlla limitatione tenent hoc dictum, & habetur cap.* Dilectus, *cap.* Ioannes, *cap. fin. de hom. Item cap* Continebatur, eod. *Opposita sentent. est probabilis valde. Henriquez lib.* 4. *cap.* 11. §. 11. *citans multos, Salon.* 2.2. *q.* 64. *art.* 8. *Bannes & alij.* Quartò, *ait irregularitatem homicidij voluntarij*

voluntarij non tolli nisi per Baptismum, intellige nisi adueniat dispensatio, vt explicat infrà dist. 33. quæst. 2. fin. aliæ enim nonnullæ irregularitates tolluntur, aliter, vt si cesset infirmitas, ætas puerilis, ignorantia.

10 SEquuntur [f] etiam duo, quæ quandoque possunt esse cum culpa, quandoque sine culpa, videlicet homicidium, & bigamia. Sub homicidio continetur mutilatio actiua enormis alterius hominis: & de ista materia habetur *Extrà de homicidio voluntario, & inuoluntario: & 55. distinctione cap. vltim. 50. distinct. Miror*, & hoc propter horrorem sanguinis effusi. *Vide Abul. 2. Reg. c. 7.* Vnde etiam Dauid non permisit Deus ædificare domum nomini suo, multo sanguine effuso, 2. *Reg.* 7. sed de hoc distingue de voluntario & inuoluntario: voluntarium nunquam deletur nisi per Baptismum, & tunc est ratio congrua, quia deletur ratio, quia non ampliùs habetur horrori iam nouus homo factus, per Baptismum. Si autem simpliciter est inuoluntarium, vtpote alius irruit in gladium istius, in nullo nocet. *distinct.* 28. Si autem inuoluntarium secundùm *quid*, vtpote non potuit euadere mortem nisi occideret, irregularis est, *ibid. distinct.* 50. *de his.* Sed facilis est dispensatio. Si autem est casuale, & dedit operam rei licitæ, & adhibuit debitam diligentiam, nullam pœnam incurrit: altera illarum conditionum prætermissa, incurrit pœnam. De bigamia, quæ simpliciter inducit irregularitatem, vt dicetur inferiùs in materia de matrimonio, habetur *Extrà de bigamis.* *Dist. 33.*

COMMENTARIVS.

35 *Irregularitas ex defectu significationis.* f SEquuntur etiam duo, &c. Agit de irregularitate, quæ est ex homicidio, & bigamia; dicit etiam contingere aliquando ex culpa, aliquando sine culpa. Ad distinctionem huius à priori: nam licèt mutilatio sui ipsius contingat cum culpa, vt superiùs supponit; quia tamen rarò contingit, & in moralibus frequenter contingentium habetur ratio, ideò in diuisione generali eam reducit ad irregularitatem, quæ est ex indecentia, & deformitate; ex quibus primariò resultat: quamuis etiam culpa ipsa puniatur in mutilatione se in parte, aut toto membro.

Contingit quandoque cum culpa, & sine culpa. Hæc autem irregularitas, quæ ex defectu Sacramenti, seu significationis vt in bigamia, vel ex defectu lenitatis, vt in homicidio contingit, est frequenter cum peccato; aliquando etiam sine peccato, quod sufficit ad præsentem differentiam, quæ accidentalis est, & non substantialis, quia per accidens est vt coniungatur culpa, licèt in ordine ad dispensationem obtinendam plurimùm spectatur tam culpa, quàm modus culpæ, quo quis homicidium committit directè, aut indirectè.

36 *Triplex genus homicidij.* Distinguit autem Doctor tria genera homicidij, nempe voluntarij simpliciter, voluntarij secundùm *quid*, & voluntarij casualis. Voluntarium simpliciter est, quando occisio intenditur in se, vel in sua causa proxima, & ineuitabili mortis: *Voluntarium directè.* v.g. cùm quis intendit alium occidere directè, vel etiamsi non concipiat occisionem inferendam directè, intendit tamen actionem, quæ per se est illatiua mortis ineuitabiliter, vt percutere aliquem gladio, & quantum potest, & vbicunque potest, aut eum præcipitare ex turri, aut propinare venenum per se lethiferum, quia vult causam proximam, vult etiam effectum, si sequatur quantùm est ex se. *Est quandoque contra iustitiam, aliquando contra charitatē.* In homicidio autem voluntario ex stylo Iuris distinguunt Doctores homicidium, vt est contra iustitiam, & homicidium licitum, vel certè illicitum, vt si fiat contra charitatem; v. g. cùm iudex occidit secundùm iustitiam reum, cui ex lege talis pœna debetur, est homicidium licitum. Cùm verò occidit ex odio aliquem, secundùm tamen iustitiam, & ob demeritum, peccat contra charitatem, & non contra iustitiam: quia talis pœna debetur ex lege: homicidium autem voluntarium vtroque modo inducit irregularitatem, vt dicit Doctor, & patet ex legibus citatis.

Sed in ordine ad irregularitatem, eiúsque reseruationem, homicidium voluntarium intelligitur homicidium iniustè factum: quod Pontifici soli reseruatur, vt patet ex tenore Iubilæi, Cruciatæ, & Priuilegiorum, in quibus facultas dispensandi in hoc homicidio reseruatur Pontifici, & ex Concilio Tridentino *sessione* 24. *cap.* 6. quantumlibet homicidium sit occultum. 37 *Homidium iniustum & voluntarium inducit irregularitatem reseruatam Pontifici. Trident.* Vnde colligunt Doctores, quando conceditur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta illa, quæ est ex homicidio voluntario, intelligi tantùm homicidium iniustè perpetratum directè volitum in se, vel in sua causa proxima: ac proinde in cæteris ex delicto occulto posse dispensari per alios, vt communiter Doctores, nisi deducantur ad forum publicum: deducitur autem ad forum publicum per denunciationem, & accusationem instituto processu iudiciario, quando probari nequit crimen, recidit ad eundem statum, in quo fuit priùs, quantùm ad facultatem dispensandi, quia non mutatur status eius, vt quidam volunt, maximè deficiente plena, & semiplena probatione. *Dispensare posse in cæteris ex homicidio occulto. Limitatio.*

De homicidio voluntario hoc sensu loquitur Doctor, quando dicit homicidium voluntarium nunquam deleri, nisi per Baptismum, quia *infrà distinct.* 33. *quæst.* 2. supponit tolli per dispensationem, sicut & bigamiam quæ etiam post Baptismum manet, vt *ibi* docet. 38 *Hæc irregularitas quomodo indispensabilis.* Imò etiam in Ordine ad summum Pontificem dispensatio hæc reputatur in eo sensu impossibilis, quo est validè difficilis dispensatio, neque concedenda nisi ex grauissimis causis. Vnde Tridentinum citatum hoc ipsum significare voluit *sessione* 14. *cap.* 7. *Trident.* dicens *nullo tempore ad sacros Ordines promoueri possit*, &c. *omni Ordine perpetuo careat*, &c. Vide *cap. Miror, distinct.* 50. *cap. Inquisitionis*, &c. *de accusat. cap. Non ab homine*, &c. *de iudic.*

39 Ad homicidium voluntarium hoc modo reducitur homicidium etiam aliquando indirectè volitum

Homicidium voluntarium præsumptione fori. volitum præsumptione fori, vt si quis alium vulnerauit, aut percusserit non intendens eum interficere, aut mutilare, secuta morte, aut mutilatione incurrit irregularitatem homicidij voluntarij, præsumptione fori, quæ in facto fundatur, non tamen in conscientia est homicida voluntarius, hoc modo, quia rei veritas secundùm conscientiam attenditur, & voluntas percutientis, quæ requiri potest ex circumstantiis, & confessione ipsius, nempe ex modo & aliis concurrentibus; quamuis ergo præsumptione fori habeatur homicida voluntarius ex proposito, quia voluntatem ex ipso facto præsumit: tamen in conscientiæ foro aliter iudicandum est: licèt irregularis sit ex delicto in vtroque foro: tamen non est ex proposito, aut intentione homicida; quod requiritur ad homicidium voluntarium, modò adhibuit moderamen conforme intentioni; neque ex natura actionis præuidere potuit, aut debuit secuturam mortem, aut mutilationem, aliàs in vtroque foro esset homicida voluntarius, quia intentio illa esset ficta, quando sufficiens cautela non adiungitur, aut modus, per quem ex natura actionis præcauetur effectus mortis, aut mutilationis, qui ex casu sequitur. *Quomodo de irregularitate iudicandũ sit in eo casu.*

40 Addit præterea Doctor homicidium voluntarium secundùm *quid* inducere irregularitatem; vt quando fit cum defensione inculpatæ tutelæ: hoc verum erat tum, quando hæc scripsit, Iure antiquo: sed posteà sublata est hæc iregularitas per *Clement. vnicam, de homicid.* &c. Hoc homicidium dicitur à Canonistis homicidium ex necessitate. Glossa *in cap. De his, dist.* 50. Archidiacon. & Præpos. *ibidem*, glossa *in cap. Sicut dignum, de homicid.* Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. quam necessitatem diuidunt in euitabilem, quæ non excusat ab irregularitate, & ineuitabilem, quæ excusat. v. g. si mutilando euaderet, tunc occidendo fieret irregularis, & peccaret; si etiam defensio transeat in aggressionem, non excusatur, quia in illo excessu non est defensio, neque necessaria est ad euasionem mortis, tamen occidens etiam in eo casu non censetur homicida voluntarius primo modo: vnde irregularitas quæ ex tali homicidio incurritur, reducitur à quibusdam ad eam, quæ est ex homicidio casuali. *Defensio inculpatæ tutelæ.* *Quomodo intelligenda.*

Quoad tertiam speciem, quæ est homicidij casualis, doctrina circa hoc, quam tradit Doctor, est communis, videatur *cap. Dilecta*, &c. *cum tribus sequentibus*, *cap. Ioannes*, *cap. vltimo, de homicidio*: vbi Doctores, & Theologi *in hac distinct. & 1.2. quæst.* 73. *& 2.2. q.* 64. *art.* 8. Couarr. *Clement. Si furiosus* 2. *part.* Nauarr. *cap.* 27. Hîc culpatur potissimùm negligentia ad euitandum homicidium, & eiùs periculum. Circa autem irregularitatem ex homicidio his tribus modis prouenientem formantur regulæ generales, & casus à Doctoribus in specie, quæ passim occurrunt in Summistis, quas hîc proinde omitto breuitatis causa: nam sufficit aliqua in genere dicere ad declarationem textus, cùm tractatus integer sine prolixitate nequit exhiberi. Est prætereà irregularitas alia homicidij, quæ non est ex delicto, sed ex defectu lenitatis, seu significationis, quam vocant Sacramenti, vt quando iudex occidit malefactores secundùm pœnam legis. Circa hæc omnia videatur Suarez *de censuris, disp.* 44. *& seq.* vbi diffusè hanc materiam tractat. Quoad regulas generales & casus particulares, de irregularitate ex bigamia agit Doctor *infrà distinct.* 33. *q.* 2. quam ibi breuiter explicabimus. 41 *Irregularitas ex homicidio casuali.* *Irregularitas ex defectu lenitatis.*

SCHOLIVM.

Excommunicationem esse à Iure, & ab homine, sed non posse ferri nisi pro peccato mortali graui; quam comitatur contumacia. Est communis, & prima pars habetur 11. *q.* 3. c. Nemo Episcoporum. *& docet Leo epist.* 89. *Idem est de suspensione & interdicto, vt tenet Suar.* 5. *tom. disp.* 4. *sect.* 4. *contra Nauar. c.* 27. *n.* 165. *& alios. Secundam partem de contumacia tenet D.Th.* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiuncula* 3. *Soto* 5. *de iust. q.* 6. *art.* 2. *Nauar. c.* 27. *n.* 9. *&* 11. *Couarr.* c. Alma mater. *part.* 1. *§.* 9. *n.* 4. *& seq. ab excommunicatione ab homine, solus excommunicator, vel eius superior, absoluit ab excommunicatione Iuris non reseruata, omnis confessor, ex* c. Nuper. *de sentent. excomm. Ric.* 4 *dist.* 18. *art.* 9. *q.* 3. *Gab. quæst.* 3. *art.* 3. *Bo. q.* 6. *fin. Soto dist.* 22. *quæst.* 3. *art.* 2. *Summistæ v.* Absolutio. *Syl. Ang. Caietan. Suarez tom.* 5. *disp.* 24. *sect.* 4. *& communis. Scotus tamen parui facit textum citatum ad propositum.*

QVarta [a] pœna est excommunicatio, de qua quid sit, dictum est *distinctione decima nona*, *quinto articulo solutionis*; & hoc de excommunicatione maiori, quæ est, simpliciter excommunicatio: minor siquidem non est excommunicatio, nisi secundùm *quid*: quia secundùm *quid* excludit à communione fidelium, puta in Sacramentis. 11 *Num.* 15.

Vnde etiam incurritur, patet, quia quandoque à Iure, quandoque à iudice. Et quidem à Iure quandoque erat possibile dicere numerum, imò erat paruus numerus, quando fuerunt decretales compilatæ sub Greg. IX. sed hodie quis numerare sufficiat, & cùm crescant in infinitum, crescentibus moribus capitum, non oportet circa hoc membranas implere. *Cõtra multitudinem censurarum.*

Hoc tamen dico, quòd nec à Iure, nec à iudice debet infligi, nisi pro peccato mortali: nec pro quocunque, sed graui, cum quo etiam concomitatur contumacia: quia quamdiu aliquis est paratus satisfacere pro culpa, & audit Ecclesiam, quare habendus est sicut Ethnicus, & publicanus? cùm secundùm Christum pœna ista infligatur quasi vltima, illi, qui non vult audire Ecclesiam, qui est finaliter contumax. *Quando sit excommunicatio ferẽda? quæ eius materia*

Quis

Quis excõmunicare poteſt? Quis autem ſit miniſter Iuris inferendo hanc pœnam, dictum eſt *ſuprà diſt.* 19. vbi priùs, quia ad ſimpliciter excommunicandum, nullus eſt niſi cui ſubſunt omnes fideles: ergo nec aliquis alius, niſi vt commiſſarius auctoritate illius.

12 Qualiter [r] relaxatur? Reſpondeo, quòd per abſolutionem factam ab illo, qui excommunicauit, ſi eſt excommunicatio à iudice, vel à ſuperiore eius. Si autem eſt à Iure, per abſolutionem eius, qui Ius condidit, nec hoc ſolùm, vt dicunt multi, ſed per abſolutionem cuiuſcumque Sacerdotis, quando legiſlator non reſeruauit ſibi iſtam abſolutionem, & probant per *capitulum Extrà de ſententia excommunicationis, Nuper.* Sed illa probatio parùm cogit: quia non ſequitur; *ille non reſeruat: ergo conceſſit*, loquendo de forma conſequentiæ, etiam ſecundùm Iura: quia poſſe abſoluere cadit ſub illa regula, *Quod non eſt conceſſum, videtur eſſe prohibitum*; quia non competit alicui abſoluere à ſententia commiſſa à ſuperiore, niſi ſit ſibi conceſſum.

Rich. 18. diſtinct. art. 9. q. 1. & 3. & D. Th. ibid. art. 2. quæſt. 5. De tranſlatione Epiſcoporũ inter corporalia.

Comparando autem iſtam pœnam ad præcedentem, hæc ſimpliciter eſt grauior, quantùm ad intentionem, quia excludit ab omni communione aliàs licita: illa tantùm ab his, quæ pertinent ad Ordines; ſed iſta reputatur leuior, quia faciliùs remittitur; ſed hoc eſt ad oppoſitum: iſta enim ideò faciliùs remittitur, quia grauiſſima eſt, & à pluribus excludit: illæ autem duæ pœnæ, ſcilicet irregularitatis, & excommunicationis, poſſunt eſſe & publicæ, & priuatæ: & quoad hoc quòd poſſunt eſſe priuatæ, ſunt minùs graues, quàm alterutra præcedentium, quæ duæ ſemper ſunt publicæ.

Excommunicatio eſt grauior irregularitate.

COMMENTARIVS.

42 *Quarta pœna excommunicatio.*

u QVarta pœna eſt excommunicatio, &c. Vide Scholium, quod ſummariè fundamentum huius doctrinæ exponit: quoad numerum verò vide Toletum *in Summa, lib.* 1. *c.* 14. & deinceps. Suarez *tom.* 5. *de cenſuris.* Reginaldum *in praxi lib.* 9. Sayrum *de cenſuris, lib.* 3. & Nauarr. *in Summa, c.* 27. Summiſtas *verb. Excommunicatio.* Fertur ob peccatum mortale, & graue, cui annexa eſt contumacia, & idem de interdicto, & ſuſpenſione. Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de reformat. cap. Præſenti* 5. *q.* 2. *c. Veritatis*, &c. *de dolo & contumacia, cap.* 2. *de teſtibus cogendis, cap. Honoratus d.* 75. Auguſt. *de corrept. & gratia, cap.* 15. *cap. Nullus.* 11. *quæſt.* 3. Eſt communis. Abbas *in cap. vltimo, de cohabitatione clericorum, & mulierum.* Felinus *in cap. Apoſtolicæ*, &c. *de exception.* ideóque non pro omni peccato etiam mortali ferenda eſt, ſed pro graui, cui annexa eſt contumacia, vt dicit Doctor; & ratio, quam aſſignat, eſt efficax: quia hæc poteſtas data Eccleſiæ explicatur in illo loco, quem inſinuat Doctor *Matth.* 18. & eius exercitium declaratur fieri debere contra eos, qui non audiunt Eccleſiam, qui ſunt contumaces; vt docet D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 2. *artic.* 1. *quæſtiunc.* 3. Noſter Caſtro *lib.* 2. *de lege pœnali, concl.* 4. Couarr. *in cap. Alma mater.* Nauarr. *in Summa, cap.* 27. *num.* 9. & 11. Soto *in* 4. *diſtinct.* 22. *quæſt.* 1. *artic.* 2. & *lib.* 5. *de Iuſtitia & Iure, quæſt.* 6. *artic.* 2. Suarez *diſput.* 4. *ſect.* 5. Quin etiam hæc cenſura non debet fieri, niſi in caſu, quo alia remedia, & monitiones nullum habeant effectum. Vnde Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 14. in caſu concubinatus clericorum ſic ordinat procedendum, vt primò admoneantur. Secundò, niſi emendati fuerint, priuentur tertia parte fructuum. Tertiò, priuatione beneficij, officij, portionum, penſionum, & inhabiles fiant ad dignitates, officia, beneficia. Quartò, tandem excommunicentur, ſi in delicto hæſerint, aut intermiſſum conſortium repetant. *Quis autem ſit Miniſter iuris?* &c. vide *diſtinct.* 19.

Supponit peccatum graue, & contumaciam. *Ratio optima Doctoris.* *Vſus debitus excommunicat.* Trident. *Regula procedendi contra concubinarium.*

43 *Quis abſoluere poteſt ab excõmunicatione.*

x *Qualiter relaxatur?* &c. Tenet communem ſententiam de abſolutione ab excommunicatione non reſeruata *ex cap. Nuper*, &c. *de ſentent. excommunicat.* ſed probationem ex illo capite dicit non eſſe efficacem, quantùm ad vim conſequentiæ, quia ſimpliciter non ſequitur: conditor Canonis non reſeruat; ergo conceſſit. Non ſequitur, inquam, per ipſa Iura, ex regula, *Quod non eſt conceſſum, videtur eſſe prohibitum.* & clarum eſt rationem prædictam non tenere vniuerſaliter in materia iuriſdictionis, neque ex natura rei, neque etiam de Iure, vniuerſaliter loquendo, quod requiritur ad vim conſequentiæ: non ex natura rei, quia inferior nequit diſpenſare in lege ſuperioris, vt Parochus in ſtatuto Epiſcopali, aut Epiſcopus in lege Pontificia; neque conſequenter poteſt propria auctoritate tollere effectum legis, aut pœnam, quæ ex lege eſt auctoritate propria: non ſequitur eadem conſequentia vniuerſaliter ſecundùm Iura, vt patet de diſpenſatione legum, & irregularitatum; aliàs ſequeretur quòd Epiſcopus poſſet diſpenſare in gradibus prohibitis; verbi gratia, contrahendi matrimonium, eo ipſo quòd non ſit prohibita diſpenſatio: ſæpè enim in lege non ſit expreſſa mentio conceſſionis: verbi gratia, *in cap. Dilectus*, &c. *de temporibus ordin.* expreſsè dicitur, quòd Archiepiſcopus non potuerit diſpenſare cum Epiſcopo, vt eodem die tres ſacros Ordines conferret: *Quia huiuſmodi diſpenſatio*, inquit Pontif. *à Canone minimè eſt permiſſa*; vbi gloſſa colligit non poſſe Epiſcopos diſpenſare in Iure ordinario, niſi in caſibus ſibi permiſſis.

Ratio capitis nuper, reycitur. *Etiam non prohibita reſeruantur ſuperiori.* Gloſſa.

Ante autem declarationem illam Pontificis non legitur prohibitio ſpecialis facta in illo caſu, aut reſeruatio expreſſa poteſtatis, præter illam ſolam, quæ ex vi legis, vt à poteſtate ſuperiori emanauit, orta eſt. Simile eſt illud Tridentini *ſeſſ.* 7. *de Sacram. in genere, canon.* 13. vbi negatur poſſe Epiſcopos, aut alios Prælatos Eccleſiæ habere poteſtatem mutandi, aut innouandi Ritus communes Eccleſiæ, miniſtrandi Sacramenta. Videantur Doctores *in capitulo, & ſi Clerici*, &c. *de iudicijs*, &c. cum gloſſa. Ratio ergo Pontificis *in c. Nuper, de ſentent. excommun.* intelli 44

Explicatur ratio Pontificis.

Intelligitur de absolutione ab excommunicatione.

intelligenda est de absolutione ab excommunicatione, quia id conceditur, vel supponitur concessum ex vsu & praxi Ecclesiæ, cuius optima congruentia est illa, quam Doctor *infrà* insinuat §. *Comparando*, &c. de facilitate remissionis, seu absolutionis ab excommunicatione; *ideò*, inquit, *faciliùs remittitur, quia grauissima est, & à pluribus excludit*: ob periculum itaque animarum, & quia non debet protrahi absolutio, quando reus satisfacit, & se disponit *cap. Qua fronte*, &c. *de appellat.* ideò ex intentione Ecclesiæ auferenda, est, & hæc potestas ad Prælatos ordinarios emanat, non ex propria auctoritate, sed ex Ecclesiæ, & Pontificis indulgentia. Diuersam rationem ab hoc inducit potestas dispensandi in lege, aut aliis pœnis. Ideóque non valet illud axioma: *Quidquid potest Papa in vniuersali Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi prohibeatur*, &c. Fallit enim in pluribus quia plura potest Pontifex circa irritationem aliquorum actuum, quod nequit Episcopus: plura impedimenta statuere, & inhabilitates, quod nequit Episcopus. Item, statuere circa ministerium Sacramentorum plura, quæ nequit Episcopus. Idem patet in dispensationibus etiam.

SCHOLIVM.

Definit interdictum, ac diuidit, ponitque eius causam efficientem, & auferentem. Ponitur enim & aufertur quandoque à Iure, quandoque ab homine. Definit etiam, ac diuidit, ponitque eodem modo causas effectiuas, & destructiuas suspensionis. Omnia sunt clara, & per expressa Iura, resoluta. Vide Summistas, v. Interdictum, *& v.* Suspensio.

QVinta [y] pœna est interdictum, quæ est arctatio à quibusdam actibus Ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo quibusdam talibus. Et licèt ista pœna aliquando possit infligi loco, & non personæ, quandoque personæ, & non loco, quandoque vtrique; & sicut infligitur, ita est seruanda: tamen vt est distincta pœna à cæteris, frequentiùs infligitur loco, & non personis, nisi dum in loco sunt, vt scilicet in tali loco non liceat celebrare solemniter diuina, nec alios interesse. 13 *Quid interdictum? Interdictũ aliud personale, aliud locale, aliud mixtum.*

Et ista pœna interdicti quandoque contrahitur à Iure, quandoque à iudice. A Iure occurrit exemplum de receptantibus vsurarios extraneos, *Extrà de vsurarijs: Vsurarum voraginem*, & est hodie *in 6. lib.* A iudice propter causas innumeras; communiùs propter inobedientiam communem populi terræ [z]. Relaxatur per illum, qui posuit interdictum: quandoque etiam relaxatur in certis casibus à Iure, vt patet *Extrà de sentent. excomm. cap. Alma mater Ecclesia*, & est hodie *in 6. lib.*

Sexta [a] pœna est suspensio, quæ est prohibitio àb aliquo aliàs conueniente, & hoc ad tempus; in hoc distinguitur ista, pœna specialiter contra alias: hæc [b] autem est multiplex, quia quædam est suspensio ab officio: quædam à beneficio, quædam ab ingressu Ecclesiæ: & vltra quandoque incurritur ipso Iure, vt habetur *Extrà de sent. & re iudic. Cùm æterni.* & *Extrà de sentent. excomm. Cùm medicinalis.* Et etiam in suscipiendo Ordines ab Episcopo, qui renuntiat loco, & dignitati tali: quia qui executionem non habet, executionem non confert, & ita si Ordinem confert, suscipiens tamen, executionem non habet, ideò est suspensus. De hoc 1. *quæst.* 7. *Daibertum*, & *Extrà de ordinat. ab Episc. qui renunc. cap. 1. in gloss.* Similiter de ordinato scienter simoniacè, vt dictum est suprà: frequenter autem infligitur à iudice nunc illa, nunc ista. Tollitur autem per relaxationem factam talis suspensionis ab eo, qui eam tulit, vel à superiori eius. *Suspensio quid sit? Est multiplex.* *Ordinatus scienter simoniacè, vel ab Episcopo qui renunciauit, est suspensus.*

COMMENTARIVS.

45 *Quinta pœna. Interdictum definitur. Eius effectus.*

[y] Q*Vinta pœna est interdictum*, &c. Definit interdictum quòd sit *arctatio à quibusdam actibus Ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo illis actibus.* Dicitur *arctatio*, seu *prohibitio*, seu *priuatio*, quæ communis est omnibus pœnis. Dicitur *à quibusdam actibus Ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo*, &c. vt comprehendat vsum tam actiuum, quàm passiuum, quia vtrumque modum aliquando includit hæc pœna, quoad laicos passiuum, quoad clericos actiuum etiam. Dicit etiam *ab aliquibus actibus*, &c. quia quidam actus excipiuntur, vt conferre Baptismum, & Chrisma, pœnitentiam, viaticum, prohibetur extrema vnctio, sepultura, & iuxta aliquos matrimonium, & Ordo, si conferendus sit laicis, & diuina officia. Differt hæc pœna ab excommunicatione quoad actus, quibus priuat, quòd excommunicatio sit priuatio eorum, ratione communionis. Interdictum verò priuat directè vsu illorum actuum, & per se quatenus res sacræ sunt, & independenter à communione membrorum, quam spectat excommunicatio. Differt à suspensione, quòd hæc priuat vsu actiuo, & respectiuè ad personas particulares, nempe Ecclesiasticas. Interdictum cõprehendit vtrumque vsum, & etiam communiter, seu vsum eorum, quæ communia sunt populo, & clero. *Differentia eius ab alijs.*

Interdictum diuidit in locale, personale, & mixtum, si dirigatur ad locum erit locale: si ad personam, personale; vtrumque potest esse generale, & particulare: quorum differentia & natura ex forma interdicti colligi potest, & quia de natura pœnæ est, vt non comprehendat nisi eos, ad quos dirigitur, tunc spectanda est 46 *Eius diuisio.*

est proprietas verborum, & quid importatur per subiectum, ad quod dirigitur pœna; nam si clerus interdicitur, non comprehenditur populus, neque si populus, comprehenditur clerus; neque etiam alij, qui non sunt membra populi; sed omnes & singulos illius corporis tantùm comprehendit pœna. Circumstantia sententiæ, & materia spectanda est, vt verus sensus eius comprehendatur: vt, v. g. Si interdicatur clerus, quia ex vsu Ecclesiastico sæpè hæc vox sumitur pro clero sæculari solo; aliquando etiam vt comprehendit regularem; dubium esse potest an in odiosis appellatione cleri veniant Regulares, spectanda est forma sentetiæ, & materia vt intelligatur, si sententia etiam ad regulares extendatur: nam quando in materia, seu causa non communicant, sic etiam in pœna non videntur comprehendi, nisi aliud forma sententiæ declaret. Non comprehendi autem in odiosis nomine cleri Regulares, docet Syluester *Interdictum* 5. Sed in hoc regula generalis assignari nequit; spectanda enim est forma sententiæ, vt *cap. Si sententia, de sententia excommunicationis in 6.* Vbi nomine cleri comprehenduntur Regulares. Sed casus ille ad totam communitatem oppidi spectabat, cuius onera sentire debebant; quando autem causa est particularis cleri secularis, tunc non videntur comprehendi Regulares nomine cleri, nisi aliàs ex sententia ipsa constet, vel certè in causa communicent.

Comprehendit subiectum ad quod dirigitur.

An Regulares comprehendantur in clero quoad odiosa.

47 Interdictum mixtum est, quando non solùm locus interdicitur, sed etiam æquè specialiter persona determinatè, vel indeterminatè, vel communitas; aut certè quando primariò persona interdicitur, vt Princeps, & locus ad quemcumque peruenerit; quod interdictum dicitur à quibusdam ambulatorium, vel deambulatorium. Eius mentio fit *in c. Non est vobis*, &c. *de sponsalibus*, & *c. Dilectis filijs*, &c. *de appellationibus.* Interdictum generale locale non includit interdictum generale personale, neque è contra, per se loquendo, quamuis à iudice coniungi possint. patet *cap. Si sententia, allegato.* Interdictum particulare personale non infert interdictum particulare locale; at contra interdictum particulare locale infert particulare personale: nempe eius qui dedit causam interdicto locali, qui simpliciter est interdictus vbique, donec satisfacienti relaxatur pœna, ex dicto capitulo, *Si sententia*, &c. Idem dicas de interdicto generali locali inferre personale, quoad eos, qui causam interdicto dederunt, quia locus non interdicitur nisi ratione delicti personarum, quos pœna primariò comprehendit ex suo motiuo & causa: vbique enim dans causam subest pœnæ, nisi relaxetur.

Interdictum mixtum.

Dans causam locali comprehenditur pœna.

48 z *Relaxatur per illum, qui posuit interdictum*, &c. Hîc adducit etiam moderationem Bonifacij VIII. in causa interdicti, quæ habetur *cap. Alma mater*, &c. *de sentent. excomm. in 6.* Primò quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ ministrandum tempore interdicti. Secundò, quantùm ad officia diuina, & Missas celebrandas ianuis clausis, & submissa voce, non pulsatis campanis in loco interdicti. Tertiò, de suspensione interdicti in festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, & Assumptionis Beatissimæ Virginis, vt continetur in constitutione; & hoc est quod intendit Doctor de relaxatione interdicti in certis casibus.

Moderatio cap. Alma mater.

Pœna eorum, qui violant interdictum si clerici sunt, habetur *c. Is cui. de sent. excomm. in 6.* & *cap. 1. eod.* & *cap. 1. de sententia, & re iudicata*, &c. Vnde colligunt Doctores incurrere eos irregularitatem, si Missas, si officia diuina celebrant cum solemnitate, exceptis casibus concessis; si ministrent Sacramenta, quæ prohibentur.

Pœna violantium.

a *Sexta est suspensio*, &c. Definit suspensionem, quòd sit *prohibitio ab aliquo aliàs conueniente, & hoc ad tempus*, &c. non tollit ergo potestatem, sed vsum eius, *& hoc*, inquit, *ad tempus*, &c. Quibus verbis significat distinctionem huius pœnæ ab aliis. Loquitur de suspensione, qua est merè pœna diuersa ab aliis; nam vt fertur per modum censuræ, supponit contumaciam, & includitur in excommunicatione, tanquam pars in toto; neque habet tempus limitatum, cùm dependeat à conditione ponenda ex parte suspensi: nempe correctione, aut emendatione; qua autem est mera pœna vindicatiua, non imponitur: nisi quoad tempus. Idem docent Canonistæ, Innocent. *c. 1. de excessibus Prælatorum.* Abbas *in cap. Reprehensibilis*, &c. & *c. Sæpe*, &c. *de appellat.* Patet *ex c. Eos*, &c. *de tempor. ord. in 6. c. fin. eod. cap. Si quis ordinauerit*, &c. *de Simonia, c. Cùm in cunctis*, &c. *de elect. c. Cùm Medicinalis*, &c. *de sentent. excom. in 6. c. Sacro*, &c. *de sentent. excomm. c. 1. de sentent. & re iudicata in 6. c. fin. de offic. iudic. delegati*, &c. *in 6. Clem. Multorum*, &c. *de hæreticis, Clem.* &c. *de vita & honestat. clericorum.* Ex quibus patet hanc pœnam vt plurimùm à Iure latam esse temporariam, nisi in casu contumaciæ, & satisfactionis exhibendæ; qualis est illa, quæ fertur *cap. Quia sæpè*, &c. *de elect. in 6. & c. Præsenti*, &c. *de officio iudicis ordin. cap. Exigit. & cap. Felicis*, &c. *de censibus in 6.* 49

Sexta pœna suspensio definitur.

Duplex acceptio suspensionis.

Vt merè est pœna durat ad tempus.

Quòd si suspensio perpetua feratur, potiùs habet rationem depositionis, quàm suspensionis; vel certè non plurimùm differt à depositione, vel ab aliis pœnis quæ perpetuæ sunt. Quòd si quis velit cum aliis dari suspensionem perpetuam; tunc intelligendus est Doctor notasse differentiam, quæ vt plurimùm conuenit suspensioni, eique soli, quod in re morali sufficit: nam cæteræ pœnæ non limitant tempus ex natura sua, quia excommunicatio, & interdictum manent, quamdiu causa eorum manet, & non tolluntur, nisi per absolutionem, seu relaxationem, posita satisfactione. Irregularitas, infamia, per sententiam, sunt etiam natura sua perpetuæ, sicut & depositio, & degradatio, neque ex se desinunt, sed per dispensationem, & restitutionem; suspensio autem temporaria ex natura sua desinit, & finito tempore finitur etiam pœna, absque vlla sententia iudicis, aut officio, aut declaratione. Per hoc ergo rectè statuitur hæc differentia à Doctore in re morali; nam cætera, quæ conueniunt suspensioni, conueniunt etiam in toto, vel in parte aliis pœnis: præter differentiam annotatam. 50

Perpetua non differt ab alijs.

Proprium suspensioni vt sit temporaria.

Expirat cum tempore.

b *Hæc multiplex est*, &c. Ab officio, beneficio, ab ingressu Ecclesiæ, ab executione Ordinis suscepti ab eo qui executionem dare non potuit, & idem de Ordine scienter suscepto à simoniaco. Non commemorat Doctor suspensionem ab Ordine; quia hæc includitur in suspensione ab officio absolutè lata, quæ priuat omni vsu Ordinis, iurisdictionis, & muneris Ecclesiastici, vt communis tradit, *cap. Cùm dilectus*, 51

Eius diuisio.

Suspensus ab officio manet suspensus ab Ordine.

ctus,&c.*de consuetud.* Panormitanus *Clement.capientes, cap. Caueant,* &c. *de sement. excommunic. in 6.cap.vltim.de cleric.excommun.iniuste,* suspensus ab officio, & idem de suspenso ab Ordine, exercens actum Ordinis fit irregularis, *cap.Cum aterni, de sententia, & re iudicata in 6.* Hæc suspensio ab officio intelligitur ab Ordine, & iurisdictione, non tamen à beneficio; vt glossa *in Clement.Capientes.* Patet ex praxi, quia sæpè fertur suspensio ab officio, & beneficio simul, quæ additio esset superflua, si suspensio ab officio esset etiam à beneficio. Suspensus à beneficio non ideò est suspensus ab officio. glossa *in cap. Vnitoniensis,*&c.*de elect.* Panormitan.*cap.Cùm dilectus,*&c.*de consuetud.* Limitat Nauarrus quando iurisdictio non competit solùm ratione beneficij, *cap.27.in Summa.* Suspensus à beneficio est suspensus à perceptione fructuum: quando simpliciter fertur suspensio, intelligitur maior, id est, suspendi ab omnibus, quia nihil limitat, & oportet effectum suum habere determinatum, aliàs esset inefficax.

Non includit suspensionem à beneficio.

Nec à beneficio suspensus est ab officio.

Limitatio.

Absolutè lata comprehendit omnia.

Suspensus ab Ordine minori est suspensus à maiori, non è contrà. Ostiens. *c. Dilectus filius,*&c. *de tempor.ordin.* cum communi. Suspensus à minori non potest ascendere ad maiores: suspensus à collatione minorum, nequit conferre maiores. è contra si à maiori conferendo tantùm, potest etiam minores conferre. Abbas *in cap. final.de Apostat.* & alij. 52

Suspensus ab Ordine.

Suspensus ab ingressu Ecclesiæ nequit exercere in ea Ordinem, aut audire in ea diuina. Ioannes Andreas, Geminian. Anc. *in c.Is cui,*&c. *de sentent. excommunic.in 6.* nequit in ea sepeliri, aut in cœmeterio eius, nisi pœnitens absoluatur, potest tamen omnia extra illam percipere Sacramenta. Plura circa hæc vide apud Doctores, & Summistas.

Suspensus ab ingressu Ecclesiæ.

SCHOLIVM.

Quinque pœnas vltimas, id est, infamiam, irregularitatem, excommunicationem, interdictum, & suspensionem, non irritare collationem Ordinum. De degradatione si fiat circa Episcopum, id est dubium, iuxta dicta dist. præced. n.6. si enim teneatur non esse Ordinem, consequenter dicendum collationem Ordinum ab Episcopo degradato, esse nullam. Hanc tamen non tenet Doctor, vt ibi notaui, quia multò magis est Ordo, quàm Ostiariatus, & Lectoratus.

De [c] secundo articulo principali certum est de quinque pœnis vltimis, quòd non prohibent à collatione, vel susceptione Ordinum de facto; vt probatur per August. 1.*q.*1. *Quod quidam.* & est ratio, quia cum illis pœnis potest stare, & ratio ministri, & suscipientis, & intentio, & alia necessaria hinc inde: de Iure autem prohibent, ita quòd illicitè attentetur contrarium: tamen si attentatur hoc, fit quod intenditur. Ratio autem istius negationis est, quia Ecclesiæ collata est potestas ordinandi sibi ministros, vt colligi potest ex Apostolo 1.*ad Timoth.cap.*3. vbi describitur quales debent Diaconi ordinari. De prima autem pœna, scilicet degradatione, maximè si fiat circa Episcopum, dubium est vtrùm excludat conferre Ordines de facto: sed pro & contra habetur *quæst.præcedente, artic.*2. 14

Ad argumenta. Ad primum concedi potest quantùm ad quinque pœnas primas: sed si teneatur quantùm ad sextam pœnam, quòd Episcopus depositus simpliciter non est Episcopus, tunc quoad illum casum neganda est similitudo in consequentia: quia character Sacerdotij tolli non potest, nec per consequens Sacerdotium, sicut Episcopatus. 15 *Ad arg.1.*

Ad aliud, non sufficit intentio nisi sit minister idoneus, qualis non est depositus secundùm illam opinionem. *Ad 2.*

Ad tertium, non est simile, quia pœnitentia est Sacramentum generale: & ideò ab illo nullus excluditur, nec de facto, nec de Iure: alia Sacramenta, quæ includunt aliquid excellentiæ, benè possunt alicui negari propter delictum, hoc exigens. *Ad 3.*

Ad illud de hæresi verum est, quòd non excludit de facto, sed de Iure excludit; si talis etiam non sit condemnatus. Si verò sit præcisus, & condemnatus ab Ecclesia, non confert Ordines, si Episcopatus non sit Ordo, & possit simpliciter auferri, sicut haberent respondere illi, qui tenent Episcopatum non esse Ordinem, sed quandam dignitatem additam super Ordines, quæ ad iurisdictionem magis spectat.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum, concedo quòd simoniaci ordinatio est irrita quantùm ad executionem: tamen Ordinem recipit; & ideò non indiget nisi vt eius suspensio relaxetur. 16 *Ad ratio in opp. Ad 1.*

Ad secundum, consequentia non tenet, quia ministro Ecclesiæ datum est, vt sit minister in conferendo, non in auferendo. *Ad 2.*

Ad tertium tangetur inferius, quomodo Ecclesia potest personas illegitimare, & sic inhabilitare, ne sint idoneæ ad contrahendum matrimonium; sed hìc, ex quo collatus est character, non est similis potestas ad auferendum illis. Et cùm arguitur quòd est illud magis secundùm legem naturæ quàm istud, verum est, vt matrimonium contractum sit ratum: sed non vt quæcumque personæ, nullo obstante impedi- *Ad 3.*

pedimento, possint illud matrimonium contrahere. Magis enim est de lege naturæ, quòd Deus illud, quod imprimit naturæ, quod non repugnat peccato nec formaliter, nec tanquam causæ demeritoriæ, perpetuò remaneat in anima, quàm quod quicumque, & quæcumque sint habiles ad contrahendum matrimonium. Et ideò inhabilitatio aliqua personarum ad istum actum, non est ita contra legem naturæ, sicut characterem alicui impressum deleri.

COMMENTARIUS.

53 *Secundus articulus. Conclusio.* c DE *secundo articulo principali*, &c. Hæc conclusio est certa, & de fide, quantùm ad primum membrum, has pœnas non impedire, quin ordo validè conferatur: quòd verò illicitè talis suscipiat Ordinem nisi ignorantia excuset, certum est ex communi Theologorum eum peccare mortaliter, quia contrà prohibitionem Ecclesiæ in re grauissima transgreditur, & sacrilegè suscipit Sacramentum. Hoc ipsum patet ex rigore pœnæ, & Canonum. Addit præterea Doctor dubium esse si Episcopus degradatus conferat validè Ordines, ob controuersiam, quam suprà explicuimus *distinct. præced. quæst. vnica, artic.* 1. vbi defendimus partem affirmatiuam; & aliàs de ministro Ordinis, explicando definitionem *art.* 2. Idem ipsum dixi de Episcopatu, ac de aliis, excepta prima tonsura; quamuis aliqui etiam hanc validè conferri à degradato Episcopo existimant, quia non inuenitur Ecclesia annullasse collationem eius: sed tenendo tonsuram non esse Ordinem, & potestatem eius conferendæ ab Ecclesia esse; magis consequenter dicendum spectando rigorem Iuris collationem esse omnino inualidam, quia degradatus amittit officium, & iurisdictionem eam conferendi. Quòd si casus aliquis offerri possit, vbi talis tonsura ab Ecclesia non iteratur: dicendum est fieri validam per ratihabitionem, quæ retrotrahit actum, & non aliter ex vi primæ collationis à degradato.

Dubiũ aliàs resolutum.

Per hæc patet ad primum argumentum, & secundum argumentum. Ad tertium patet ex litera. Ad quartum patet ex dictis ordinationem esse validam etiamsi fiat à præciso, & condemnato Episcopo. Ad reliqua patet ex litera, & ex dictis in responsione ad vltimum sumit legem naturæ latè vt comprehendit perfectionem eius, siue naturalem, siue supernaturalem, & modum agendi causæ primæ imprimentis characterem vt indelebilem, qui non subest corruptioni morali, aut naturali causæ creatæ.

QVÆSTIO II.

An sexus muliebris, aut ætas puerilis impediat susceptionem Ordinum?

D. Thom. *in addit. q.* 39. *art.* 1. *&* 2. *& hîc quæst.* 1. *art.* 2. D. Bonau. *art.* 2. *per totum.* Richard. *art.* 3. *&* 4. *per totum.* Vasquez 3. *part. disp.* 245. *c.* 2. *& disp.* 246. *cap.* 1. Bellarminus *lib. de Sacram. Ordin. cap.* Coccius *tom.* 2.

1 *Argum.* 1. SECVNDÒ quæro, an sexus muliebris, aut ætas puerilis impediat susceptionem Ordinum? Quòd non, ad Galat. 3. *In Christo Iesu non est seruus, neque liber: non est masculus, neque fœmina:* ergo nulla differentia est inter fœminam, & masculum in lege Christi, sicut nec circa seruum, & liberum: ergo illud Sacramentum legis Euangelicæ, quod potest masculus recipere, & fœmina, sicut seruus, & liber.

Argum. 2. Præterea 32. *dist. Presbyter* fit mentio de Presbytera, & 27. *quæst.* 1. Diaconissam non debere ordinari ante 40. annos.

Argum. 3. De ætate etiam puerili arguitur, quia non prohibet aliorum Sacramentorum susceptionem, vt Baptismi, & Confirmationis: & videtur potissimè ad propositum esse de Confirmatione, quia illud Sacramentum datur ad dignè confitendum fidem Christi; iste actus non potest competere nisi adulto, sicut nec actus ordinationis: ergo, &c.

2 *Ratio opp.* Oppositum 23. distinctione, *Sacratas Deo fœminas, vel monachas sacra vasa, vel sacratas pallas contingere, incensum circa altare ferre, perlatum est ad Apostolicam Sedem, quæ omnia reprehensione, & vituperatione plena esse, nulli rectè sapienti, dubium est. Omne ministerium mulieris vituperio plenum est.*

Præterea 1. ad Corinth. 11. *Turpe est mulieri tonderi.* ergo & Ordinem recipere: quia tonsura concomitatur Ordinem aliquem, vt signum signatum. Præterea *de vita, & honest. cleric. cap. Si quis, & dist.* 23. *ibi*, habetur quòd clerici non nutriant comam, sed tondeantur. Præterea de ætate puerili habetur in canon. dist. 77. *Subdiaconus non minùs viginti annorum ordinetur.* *cap. Prohibete, &c. seq*

SCHO

SCHOLIVM.

Pueros & ratione carentes inhonestè ordinari; pueros tamen rationis vsum habentes licitè ordinari minoribus, sed non sacris, vtrisque tamen validè, etiamsi suscipiens vsu rationis careat. D.Thom. hîc quæst. 1. art. 1. quæst. 2. Bon. art. 2. q. 2. Ric. art. 4. q. 2. Palud. q. 3. Gab q. 1. q. 2. Sotus q. 1. art. 2. conc. 3. Syl. v Ordo 4. q. 1. Durandum hîc q. 2. tenentem paruulos ante vsum rationis incapaces esse ordinationis.

HIc [a] breuiter dico, quòd excludi ab Ordine, vel Ordinum susceptione, vel non posse suscipere Ordines, potest intelligi tripliciter, videlicet vel non posse debitè, & honestè: vel non posse licitè, quia est contra præceptum: vel nullo modo posse etiam de facto, ita quòd si attentetur fieri, nihil fiat. Primo modo puer, & non habens discretionem non potest recipere Ordines, quia non potest cum debita reuerentia recipere talem gradum, qui confertur in Ordine. Secundo modo puer non potest recipere Ordinem sacrum, licèt possit illo modo recipere Ordines inferiores. 3 *Tripliciter potest quis excludi ab Ordinibus.*

Primum probatur, quia susceptioni Ordinis sacri annexum est votum continentiæ, vt habetur *Extra.* sed puer, & non habens discretionem, non potest in istud votum tacitè, vel expresſè. Secundum probatur, quia non inuenitur prohibitio arcens pueros à susceptione Ordinum non sacrorum.

De [b] tertio modo non posse, dico quòd istud non inuenitur in puero, & hoc respectu cuiuscunque Ordinis, etiam sacri: quia potestas exequendi aliquem actum, vel gradus, quo quis potest istum actum exercere, potest duratione præcedere actum illum, vel potentiam propinquam ad actum illum; Ordo non est nisi gradus disponens ad ministrandum in determinato gradu Ecclesiastico, vt dictum est *dist. præcedenti:* ergo ille potest competere antequàm solutis impedimentis sit in potentia propinqua ad exercendum illum actum: nec ibi requiritur consensus ad impressionem characteris, sicut nec in minoribus Ordinibus. *De ætate & qualit. à multis. & 28. dist. loquitur de habentibus vsum rationis, ex cap. nullus. de temp. ord. 6. & ex Trid. sess. 23. c. 11*

COMMENTARIVS.

1 a HIc breuiter dico, &c. Distinguit triplicem modum suscipiendi Ordines. Primus est de susceptione cum debita reuerentia, & dispositione, hoc est, honestè, & debitè. Secundus modus est suscipiendi Ordines licitè, & secundùm leges. Tertius modus suscipiendi validè, & quoad effectum.

Prima conclusio. Secunda conclusio. Tertia conclusio. Prima conclusio Doctoris est puerum primo modo ante vsum rationis non posse suscipere Ordinem. Secunda neque Ordinem sacrum secundo modo, posse tamē Ordinem non sacrum. Tertia, posse Ordinem suscipere tertio modo.

Infans ordinatus non tenetur ad continentiam. Prima conclusio per se patet. Secunda quoad primam partem est communis: D. Bonauent. *in hac dist. art. 2. q. 2.* Richardi *art. 4. q. 2. ad 3.* Maioris *dist. 24. q. 2.* Paludan. *in hac dist. q. 3.* & aliorum. Ratio Doctoris est manifesta: quia votum continentiæ, quod est adiunctum Ordini sacro, neque tacitè, neque expresſè emitti potest ante vsum rationis, & libertatis; quia debet esse promissio facta Deo altero istorum modo, ab eo qui obligatur per proprium actum emissa. Vide Vasquem *disp. 246. c. 3. tom. 3. in 3. partem.* Aliqui tamen non improbabilem docent, si rationis compos ratam habeat ordinationem factam, & exerceat actum Ordinis, obligari ad continentiam, quia illa ratihabitio, & exercitium important consensum in Ordinem susceptum cum onere adiuncto ex lege, siue diuina illa sit, siue humana; quod maximè tenet, si in pubertate id contingat. *Limitatio conclusionis.*

Secunda pars conclusionis patet, quia Iure antiquo septennis potuit recipere primam tonsuram. *cap. Nullus Episcopus, de tempor. ordinandorum in 6.* deinceps etiam insigniri minoribus. *cap. De ijs, &c. dist. 28.*

2 *Infantes validè ordinari* b *De tertio modo non posse dico,* &c. Hic statuit tertiam conclusionem, nempe paruulos posse ordinari validè ante vsum rationis. Est communis. Aliqui tamen antiqui negarunt infantem esse capacem Ordinis apud D. Thomam loco citato in scholio, quos postmodum secutus est Durandus *in hac dist. q. 2.* Fauet Petrus de Soto *lect. de sacramento Ordinis,* quantùm ad Ordines maiores tantùm. Paludanus requirit consensum parentū, aut tutorum, sine quo etiam Baptismus collatus infanti esset nullus per eundem quem suprà de Baptismo paruulorum impugnauimus, S. Thomas, & S. Bonauentura negant Episcopatum posse conferri infanti; quia in Episcopatu recipitur potestas in corpus mysticum, & cura pastoralis, ad quas exigitur consensus recipientis. *Sententia cōtraria Durandi. Aliorum sententia secunda. Tertia sententia excipit Episcopatum.*

3 *Probatio conclusionis contra primam & secundam.* Conclusio patet contra Durandum & Paludanum, ratione Doctoris, quia ad recipiendam potestatem Ordinis non requiritur, vt quis possit illum actum statim exercere, vel vt actus potestatis concomitetur per ipsam potestatem; Ordo enim est gradus disponens ad ministerium: ergo potest inesse, & communicari gradus, antequam quis aptus sit exercere actum. Per similem rationem *cap. Maiores, de Baptismo,* docet cum communi Pontifex infundi virtutes in Baptismo infantibus quoad habitum, licèt non quoad vsum ante ætatem adultam: similiter ergo potest esse potestas Ordinis in habitu, licèt impediatur vsus eius pro statu infantili: quia in hoc nulla est ex parte rei repugnantia. Confirmatur etiam ita contingere quantùm ad diuinam institutionem: quia non requiritur consensus, vt patet in Ordinibus minoribus, in quibus etiam traditur potestas in ordine ad actum exercendum: & probatur à posteriori *Cap. Maiores, de Baptismo. Confirmatio*

cap. de Clerico per saltum promoto, &c. vbi Innocentius III. præcipit eum, qui Ordines minores suscepit ante annos discretionis, & posteà ordinatus est Sacerdos, sine eo, quòd prius fuerit Diaconus, præcipit, inquam, vt ordinetur Diaconus; non præcipit, vt iterum conferantur ei Ordines minores: ergo supponit talem ordinationem fuisse validam ante annos discretionis. Innoc. III.

4 *Secunda probatio. Non requiri cõsensum infantis.* Secundò, consensus infantis, neque vt materia, neque vt forma, neque vt conditio requiritur ad effectum ordinationis, loquendo etiam de consensu in se, aut in voluntate parentum: ergo validè ordinatur. Antecedens patet, quia materiam, & formam clarum est non includere talem consensum, neque etiam vt conditio requiritur, quia in materia & forma Sacramenti non colligitur specialis dependentia ordinationis à tali consensu magis, quàm aliorum Sacramentorum: sed infans est capax Baptismi, Eucharistiæ, & Confirmationis independenter à consensu proprio, aut parentum, vt communis tenet: ergo etiam ordinationis, & vt dictum est instantia de capacitate ad minores Ordines, probat non requiri talem consensum ad recipiendam potestatem characteris: ergo ex nullo capite requiritur. *De Episcopatu idem dicendum.* Idem dicendum est de Episcopatu, vt dictum est, quia etiam conferri potest per consecrationem ei, cui non confertur aliqua Ecclesia in titulum; quamuis per hoc non recipiat potestatem proximam in corpus mysticum, Præterea, potestas quam recipit Sacerdos ligandi & soluendi, est potestas remota, & per D. Thomam est dignitatis, & non Ordinis. Si ergo conferri potest infanti, ita etiam potestas Episcopalis, quamuis esset solius dignitatis: nos autem superiùs diximus esse Ordinis: proinde eadem est ratio de ipsa, & de aliis.

Obiicit Durandus absurdum esse infantem fieri Sacerdotem, aut Episcopum. 5 *Obiectio.*

Respondetur esse absurdum, id est, illicitum: non tamen absurdum, id est, inualidè fieri. *Soluitur.*

Obiicit secundò requiri consensum. *Secunda obiectio.*

Respondetur ex dictis contrarium constare, vt patet de ordinatione in minoribus: neque ergo ex ratione potestatis huius, neque ex ratione potestatis in genere requiritur talis consensus, quando potestatis collatio fit per imperium, & independenter à voluntate recipientis. In adulto verò aliud dicendum est, quia vniuersim requiritur consensus eius præsens, aut præteritus ad valorem cuiuslibet Sacramenti, & hoc ex diuina institutione: in genere quoad Sacramenta, quæ consistunt in vsu: nam ex communi regula permittitur suo arbitrio, cui non derogat institutio Sacramentorum. *Soluitur.*

SCHOLIVM.

Mulieres Iure diuino esse Ordinis incapaces. D. Thom. hìc q. 2. art. 1. Bon. art. 2. q. 1. Sotus q. 1. art. 1. & oppositum vt hæresim referunt PP. Ambros. in 1. Tim. 3. Epiphan. hær. 49. tribuit eam Peputianis, Quintilianis. August. hær. 27. qui verò tenent minores esse ab Ecclesia tantùm institutos, non negarent posse dari fœminis; de quo Vasquez 3. p. disp. 245. c. 2. & disp. 237. c. 2.

4 ISTud [c] tamen non posse tertio modo, est in muliere; quod non est tenendum tanquam præcisè per Ecclesiam determinatum, sed habetur hoc à Christo: non enim Ecclesia præsumpsisset totum sexum muliebrem priuasse sine culpa sua, actu, qui posset sibi licitè competere, qui esset ordinatus ad salutem mulieris, & aliorum in Ecclesia per eam: quia hoc esse videretur maximæ iniustitiæ, non solùm in toto sexu, sed etiam in paucis personis: nunc autem si de lege diuina licitè posset competere mulieri Ordo Ecclesiasticus, posset esse ad salutem & earum, & aliorum per eas. Et quod dicit Apostolus 1. ad Timoth. 2. *Docere mulierem non permitto*, intelligens de doctrina publica in Ecclesia; non est dictum Apostoli tanquam statuentis: sed, *non permitto*, quia nec Christus permisit.

Cuius argumentum euidens accipitur, quia nec matrem suam posuit in aliquo gradu Ordinis in Ecclesia, cui nulla alia potuit, vel non poterit in sanctitate æquiparari. Ratio autem naturalis huic dicto consonat, quam Apostolus innuit 1. ad Corinth. 14. Nam natura non permittit mulierem, saltem post lapsum, tenere gradum eminentem in specie humana, siquidem est dictum sibi in pœnam peccati sui Genes. 3. *Sub viri potestate eris.*

5 *Vide infr. d. 43. q. 3. artic. 1. in opin. Rich.* Contra hoc [d], vbi idem agens & passum eiusdem speciei, ibi est idem effectus; sed Episcopus est idem agens, & pono quòd eodem modo intendat hìc, & ibi, vir & mulier, & anima viri & mulieris, passa eiusdem speciei: ergo si Episcopo aliquid agente, anima viri recipiet characterem, sequitur quòd ipso idem agente circa mulierem, ipsa idem recipiet.

Respondeo, maior est vera de agente inducente formam, & agente naturali: sed si voluntariè agat & contingenter, non est verum quòd idem agat, sed poterit non agere. Si autem non inducat, sed tantùm facit quendam actum, ad quem alius inducat, qui voluntariè inducit in illud passum, in quo proponit inducere, maior non est vera: & ita est in proposito. Et istud argumentum est bonum ad probandum quòd minister nullum actum necessarium facit, ad quem necessariò sequitur effectus Sacramenti, sed tantùm contingenter, vt in pluribus ex pactione diuina.

Ad argumenta. Ad primum dico, quòd quantùm ad gloriam consequendam, & ad gratiam habendam, non est distinctio in lege Christi, inter fœminam & masculum: quia tantam gratiam habere, & tantam gloriam attingere potest illa, sicut iste: sed quantùm ad gradum excellentem habendum in Ecclesia, benè decet esse distinctionem inter virum, & mulierem in lege Christi, quia hoc consonat legi naturæ. 6 *Ad arg. 1.*

Ad secundum, fortè in Græcia vxor Presbyteri potest dici presbyterissa, vbi Sacerdotes vtuntur licitè matrimonio prius contracto: sed apud nos Latinos, vbi castitas, non coniugalis, sed simpliciter est Ordini annexa, presbyterissa potest dici aliqua bona matrona vidua, vel perfecta inter alias mulieres: vel fortè in collegio illa, quæ præest omnibus aliis, vt Abbatissa inter moniales: sed ista non habet per hoc gradum altiorem Ordinis; imò nec præëminentiam respectu alicuius viri. Consimiliter potest dici ad illud de Diaconissa, quòd illa, cui competit ex ordinatione Abbatissæ, vel collegij legere homiliam in matutino, potest dici Diaconissa: sed ille non est actus alicuius Ordinis. *Ad 2. Presbyterissa dicitur vidua, & deuota matrona.*

Ad aliud potest dici, vt dicit Gratianus *dist.* 4. in istis moribus vtentium in contrarium, nonnullæ leges abrogatæ sunt, vt posteà probatur ibi per multa exempla, & maximè quando mores contrarij innituntur rationi nouæ. Ita hìc. In primitiua Ecclesia pueri non erant statim instructi in his, quæ pertinent ad cultum, vel officium diuinum; & imò benè adulti erant in talibus satis rudes: nunc autem pueri statim in talibus erudiuntur, & exercentur: & ideò sufficientiùs instructus est aliquis modò tredecim annorum in talibus actibus, quàm tunc fortè erat rusticus vigintiquinque annorum. & ideò non mirum, quòd decreta illa de ætate seruanda abrogata sunt. Et esto quòd de Iure ad omnino debitè sustinendum, deberent seruari (quod non credo tamen) nec simpliciter necessarium est necessitate præcepti illa obseruare, nec simpliciter necessarium necessitate facti, quin si hoc prætermisso, Ordo conferatur, verè suscipitur, & gradus determinatus ministrandi in Ecclesia confertur ab illo, qui pro tempore isto, ex ore infantium, & lactentium perficit laudem, cui sit laus in sæcula sæculorum. Amen. *Ad 3.*

COMMENTARIVS.

6 *Hæresis Kataphrygum.* ISTud tamen non posse tertio modo, &c. Kataphryges, seu Montanistæ, Quintilliani, Pepusiani, qui iidem sunt apud Epiphan. *hæresi* 49. mulieres ordinabant in Diaconissas altaris; imò & in Sacerdotes, quod refert Augustinus *lib. de hæresi, cap.* 27. De Pepusianis, qui sic dicti sunt à pago, in quo nati dicuntur Montanus, Quintilla, & Priscilla, Pseudoprophetissæ dicti sunt ab his Quintilliani & Priscilliani. Cataphrygæ à Phrygia, Artotyritæ à pane & caseo, quæ mysteriis adhibebant.

Conclusio fidei. Conclusio posita est de fide; vnde Patres citati, quantùm ad Ordinem Diaconatus, Presbyteratus, & Episcopatus, tanquam ex fide eum tenent, contrarium pro hæresi damnantes; quod & vniuersalis traditio Ecclesiæ docet, nunquam hanc potestatem explicans in Ordine ad mulieres: quam rectè probat Doctor ex Paulo 1. ad Timoth. 2. *Mulier in silentio dicat cum omni subiectione, docere autem mulieri non permitto: neque dominari in virum; sed esse in silentio.* Subdit rationem, quia nempe primatus ad virum spectat. *Adam enim,* inquit, *primus formatus; deinde Eua. & Adam non est seductus: mulier autem seducta in præuaricatione fuit,* &c. *Mulierem esse incapacē Ordinis.*

7 Insinuat Apostolus duplicem rationem, vnde mulier silere debeat in Ecclesia: quia subiecta viro est primùm ex creatione, quia ei in adiutorium facta est: deinde in pœnam peccati; vt patet Genes. 3. *Sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.* August. *lib.* 11. *de Gen. ad literam, c.* 37. ex diuina ergo institutione mulier subiecta est viro; ac proinde nequit esse capax gradus eminentis in Ecclesia, in quo præesset viro, aut publicè doceret ex officio; ex quo loco etiam Epiphanius meritò impugnat prædictam hæresim. Sic etiam alius locus, quem citat 1. *Cor.* 14. idem probat: *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit* (supple Genes. 3.) *si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Vide Ambros. & Anselm. quod suprà dixit, *non permitto,* hìc dicit *non permittitur,* vt ostendat illud esse legis. Ex lege autem Sacerdos, & Diaconus, & Episcopus in Ecclesia docent ex officio: ergo cùm hæc nequeant mulieres ex lege diuina, sequitur nullo modo capaces esse huius eminentiæ in Ecclesia, & qua præessent aliis, & qua docere possent, & deberent ex lege. *August.*

8 *Ratio, & congruitas.* Duplex ratio huius à Doctore assignata est congruentissima: quia sine iniuria vniuersus sexus non posset excludi ab hoc gradu, si esset eius capax; & quia talis gradus in lege Euangelica collatus non fuit vlli mulieri, etiam sanctissimæ Matri, neque in lege naturæ, aut Mosaïca potestas fuit sacrificandi in mulieribus.

Dicendum secundò, quòd neque tonsuram clericalem potest Ecclesia conferre mulieri: quod est contra Paludanum, & Almainum *in præsenti distinct. q.* 2. & 3. licèt hæc tonsura sit ex institutione Ecclesiæ, & non sit Ordo, tamen est dispositio ad Ordinem; ac proinde vt talis est, debet fieri in subiecto capaci; sicut ergo nequit Ecclesia exorcizare, aut benedicere fontem vini, verbi gratia, tanquam materiam Baptismi, quia non est capax illius benedictionis disponentis ad Sacramentum: sic etiam neque potest dare tonsuram clericalem, quæ est dispositio præsupposita ex Ritu ad Ordines, nisi subiecto *Sunt incapaces tonsuræ clericalis.*

Ordinis capaci: quia dispositio præuia debet fieri circa subiectum capax formæ.

9 *Obiectionis solutio.* d *Contra hoc vbi idem agens*, &c. Responsio huius obiectionis, & differentia inter agens voluntarium, seu liberum, & naturale, patet ex litera: quando dicit ad actionem ministri non necessariò sequi effectum Sacramenti: excludit necessitatem naturalem, & necessitatem ineuitabilem, non necessitatem ex pacto, & suppositis requisitis ex parte subiecti.

Ad primum argumentum patet responsio ex litera.

10 *Quid Diaconissæ, & Presbyteræ?* Ad secundum, Nomenclatura illa ex Ordine quem assumebant mariti, patet ex Concilio Turonensi *canon.* 13. & 20. ex Altisiodorensi *canon.* 21. Gregorio *lib.* 4. *Dialogorum, c.* 22. In Ecclesia Latina post obitum virorum non licebat Diaconissæ, Subdiaconissæ, Presbyteræ, Episcopæ transire ad secundas nuptias, quia tenebantur voto castitatis, quando maritis licentiam dabant recipiendi Ordines: vt patet ex Altisiodorensi, & ex Concilio Romano sub Gregorio. De his intelligit Petrus Lombardus, & post eum D. Thomas, verba Apostoli 1. *ad Timoth.* 3. *Mulieres similiter pudicas*, &c. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, OEcumenius de Diaconissis, quarum vsus fuit in Ecclesia.

Fuerunt autem alterius conditionis Diaconissæ, quæ præerant mulieribus, & seruiebant in iis, quæ ob honestatem non decebant Diaconos, de quibus agit Chrysostomus, & alij citati, Clemens *lib.* 8. *constit. cap.* 19. & 20. *canon.* 19. Nicen. *cap.* 11. Laodiceni. Ignatius *in epist. ad Antiochenos.* De his agit fusiùs noster Medina *lib.* 4. *de continentia sacrorum hominum.* Vasquez *disp.* 245. *cap.* 3. quocumque modo sumatur Diaconissa nullam potestatem Ordinis habuit, vt patet ex dictis, aut habere potuit. 11 *Alius vsus Diaconissarū.*

Ad tertium patet ex litera: de ætate, & qualitate ordinandorum præter dicta vide statutum Trident. *sess.* 23. *de reform. c.* 11. 12. 13. 14. &c. Hæc sufficiant de Sacramento Ordinis. prolixius posset quis hærere in hac materia: sed nobis ex instituto præsenti ad declarationem literæ Doctoris visum est non extendere tractatum, quia materia hæc passim apud Summistas, & casus eius particulares legi possunt. Et qui plura appetit, legat Doctores citatos tam in scholiis, quàm in commentariis citatos, quia breuitas temporis, & sequentis materiæ abundantia nos vocant, &c. 12

DISTINCTIO XXVI.

De matrimonio secundùm causam formalem.

A CVM alia Sacramenta post peccatum, & propter peccatum exordium sumpserint, matrimonij Sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum à Domino: non tamen ad remedium, sed ad officium. Refert enim Scriptura Genes. 2. in Adam misso sopore, atque vna de costis eius sumpta, & exinde muliere formata, virum in spiritu intelligentem; ad quem vsum mulier facta esset, post ecstasim prophetice dixisse, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.*

Genes. 2. d

Matt. 19. a

De duplici institutione coniugij.

B COniugij autem institutio duplex est. Vna ante peccatum ad officium facta est in Paradiso, vbi esset thorus immaculatus, & nuptiæ honorabiles: ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent. Altera post peccatum ad remedium facta extra Paradisum, propter illicitum motum deuitandum. Prima, vt natura multiplicaretur. Secunda, vt natura exciperetur, & vitium cohiberetur. Nam & ante peccatum dixit Deus, *Crescite & multiplicamini*: & post peccatum, omnibus penè hominibus per diluuium consumptis. Quòd verò ante peccatum institutum fuerit coniugium ad officium, post peccatum verò ad remedium concessum, Augustinus testatur, dicens, Quod sanis est ad officium, ægrotis est ad remedium. Infirmitas enim incontinentiæ, quæ est in carne per peccatum mortua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum. Si verò non peccassent primi homines, sine carnis incentiuo, ac feruore libidinis ipsi ac successores eorum conuenirent. Et sicut remunerabile est aliquod bonum opus, sic coitus eorum bonus esset & remunerabilis.

Hebr. 13. a *Hugo lib. 2. de Sacram. p. 11. c. 3.*

Genes. 1. d

Genes. 9. b

Super Genes. lib. 9. c. 7. tom. 3. Ibid. cap. 3. & 10.

rabilis. Quia verò propter peccatum lethalis concupiscentiæ lex membris nostris inhæsit, sine qua carnalis non fit commixtio, reprehensibilis est, & malus coitus, nisi excusetur per bona coniugij. *Rom. 7. d*

Quando secundùm præceptum, quando secundùm indulgentiam contractum sit coniugium.

C

PRima institutio habuit præceptum, secunda indulgentiam. Dicimus enim ab Apostolo, humano generi propter vitandam fornicationem indultum esse coniugium: indulgentia verò, quia meliora non eligit, remedium habet, non præmium, à quo si quis declinauerit, meretur exitiale iudicium. Quod secundùm indulgentiam conceditur, voluntarium est, non necessarium, alioquin transgressor esset, qui illud non faceret. Et potest sanè intelligi illud sub præcepto dictum hominibus primis ante peccatum, *Crescite & multiplicamini.* Quo etiam post peccatum tenebantur, vsquequo est facta multiplicatio, postquàm secundùm indulgentiam matrimonij contractus fuit. Ita etiam post diluuium, quo vniuersum penè humanum genus deletum est, secundùm præceptum dictum est filiis Noë, *Crescite & multiplicamini.* Multiplicato verò homine, secundùm indulgentiam contractum est, non secundùm imperium.

Hugo lib. 4. Sentent. tractat. de cōiugio, c. 1. 1. Cor. 7. a Genes. 1. d Genes. 9. b

Quibus modis accipiatur indulgentia.

D

INdulgentia autem diuersis modis accipitur, scilicet pro concessione, pro remissione, pro permissione. Et est permissio in nouo Testamento, de minoribus bonis, & de minoribus malis. De minoribus bonis est coniugium, quod non meretur palmam, sed est in remedium. De minoribus malis, id est, de venialibus, est coitus qui fit causa incontinentiæ. Illud enim coniugium, scilicet indulgetur, id est, conceditur: illud verò, id est, coitus talis, permittitur, id est, toleratur, ita quòd non prohibetur.

Quòd nuptiæ sint bonæ.

E

FVerunt autem nonnulli hæretici nuptias detestantes, qui Tatiani appellati sunt. [Hi nuptias omnino damnant, ac pares fornicationibus, aliísque corruptionibus faciunt: nec recipiunt in suorum numero, coniugio vtentem marem, vel fœminam.] Quòd autem res bona sit coniugium, non modò ex eo probatur, quòd Dominus legitur coniugium instituisse inter primos parentes: sed etiam quòd in Cana Galileæ nuptiis interfuit Christus, eásque miraculo commendauit, aqua in vinum conuersa. Qui etiam posteà virum dimittere vxorem prohibuit, nisi causa fornicationis. Apostolus etiam ait, Virgo non peccat, si nubat. Constat ergo rem bonam esse matrimonium: alioquin non esse Sacramentum. Sacramentum enim sacrum signum est.

August. de hæresibus, c. 25. tom. 6. Damascenus lib. 100. Hæresum, c. 45. & 46. Hugo 4. Sent. c. 3. Genes. 2. d Ioan. 2. a Matt. 19. b 1. Cor. 7. g

Cuius rei Sacramentum sit coniugium.

F

CVm ergo coniugium Sacramentum sit, & sacrum signum est, & sacræ rei, scilicet, coniunctionis Christi & Ecclesiæ, sicut ait Apostolus, Scriptum est, inquit, Relinquet homo patrem & matrem; & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Vt enim inter coniuges coniunctio est secundùm consensum animorum, & secundùm permixtionem corporum:

Ephes. 5. g Genes. 2. d

rum: sic Ecclesia Christo copulatur voluntate, & natura, quia idem vult cum eo: & ipse formam sumpsit de natura hominis. Copulata est ergo sponsa sponso spiritualiter & corporaliter, id est, charitate ac conformitate naturæ. Huius vtriusque copulæ figura est in coniugio. Consensus enim coniugum copulam spiritualem Christi & Ecclesiæ, quæ fit per charitatem, significat. Commixtio verò sexuum, illam significat, quæ fit per naturæ conformitatem.

Qualiter intelligendum sit illud; mulier illa non pertinet ad matrimonium, cum qua non est commixtio sexuum.

G *Quoad sententiam accedunt verba eius lib. 5. contra Iul. c. 10. & 27. q. 2. cap.* Non est. *In epist. 90. in resp. ad a. 4. ad Rustic. Narbo. epist. & ib. cap.* Cùm societas. *In soliloquijs, tit. 1. c. 10. sententialiter tom. 1. vbi dicitur,* sine contactu corporum vxor haberi nõ potest. *Ephes. 5. g*

INde est quòd quidam doctorum dixerunt, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, quæ non experitur carnalem copulam. Ait enim August. [Non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexus.] Item Leo Papa, [Cùm societas nuptiarum ita à principio sit instituta, vt præter commixtionem sexuum non habeat in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum: non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur non fuisse nuptiale mysterium.] Item Aug. [Non est perfectum coniugium sine commixtione sexuum.] Hoc si secundùm superficiem verborum quis acceperit, inducitur in errorem tantum, vt dicat sine carnali copula non posse contrahi matrimonium: & inter Mariam & Ioseph non fuisse coniugium, vel non fuisse perfectum: quod nefas est sentire. Tanto enim sanctius fuit atque perfectius, quanto à carnali opere immunius. Sed superiùs posita, ea ratione dicta intelligendum est, non quin pertineat mulier illa ad matrimonium, cum qua non est permixtio sexuum: sed non pertinet ad matrimonium, quod expressam & plenam tenet figuram coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Figurat enim illam vnionem Christi & Ecclesiæ, quæ est in charitate: sed non illam, quæ est in naturæ conformitate. Est ergo & in illo matrimonio typus coniunctionis Christi & Ecclesiæ; sed illius tantùm, qua Ecclesia Christi charitate vnitur: non illius, qua per susceptionem carnis capiti membra vniuntur. Nec ideò tamen minùs sanctum est coniugium, quia, vt ait Aug. [In nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas ventris.] Est etiam coniugium signum spiritualis coniunctionis & dilectionis animorum, qua inter se coniuges vniri debent. Vnde Apostolus ait, Viri, diligite vxores vestras, vt corpora vestra.

Lib. de bono coniugali, cap. 18. tom. 6.

Ephes. 5. c

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm matrimonium fuerit immediatè institutum à Deo?

D. Thom. *in suppl. q. 2. art. 2. & hic q. 2. art. 2.* D. Bon. *art. 1. q. 2.* Rich. *art. 1. q. 3.* Dur. *q. 3.* Palud. *quæst. 4.* Bellar. *lib. 3. de Matr. cap. 2. & 3.* Castro *v. Matrim.* Sanchius *lib. 2. de Matr. d. 4. & 9.* Patres citandi *Schol. 5.* Coccius *in thesauro tom. 2. lib. 9. art. 1.*

1 *Arg. 1.* CIRCA istam vigesimam sextam distinctionem, quæro: Vtrùm matrimonium fuerit immediatè institutum à Deo? Quòd non, Gen. 2. ait Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Et sequitur: *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* vbi dicit gloss. quòd tunc institutum fuit Sacramentum Matrimonij, & Saluator allegat hoc in Euangelio: ergo Adam instituit illud, & per consequens non immediatè fuit à Deo institutum. *Matth. 19.*

Præterea

Prætereà, circa institutum à Deo nullus inferior Deo, potest aliquid immutare: sed Ecclesia immutat aliquid circa matrimonium, quia aliquas personas, quæ aliàs essent legitimæ ad contrahendum, illegitimat: ergo. *Arg. 2.*

Contrà, Matth. 19. ait Christus Pharisæis. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos.* & sequitur, *quod Deus coniunxit, homo non separet.* *Ratio opp. Matth. 19.*

SCHOLIVM.

Ponit quinque conclusiones, quarum prima est, marem & fœminam indissolubiliter iungi ad procreandam prolem, religioséque educandam, est honestum. Probat quatuor rationibus: docet tamen actum hunc non esse essentialiter bonum, nec malum, sed vtroque modo posse fieri, & ponit circumstantias bonæ procreationis. Prima est finis. Secunda, determinatarum personarum. Tertia, perpetuitas vinculi. de obiecto & circumstantijs bonitatis moralis agit Doctor. 2. d. 7. §. Ad solutionem, & d. 40. & quodl. 18. §. de primo. Quod ait hìc, num. 4 nullum actum esse de se bonum, nisi amare Deum, nec de se malum, nisi odium Dei; sumit valdè strictè actum de se bonum, pro eo cuius obiectum est bonum simpliciter necessarium & perfectissimè conueniens, & hoc sensu fides & spes non habent actus de se bonos, quia obiecta harum, vt distinguuntur ab obiecto amoris, aliquid includunt, quod non est simpliciter necessarium, scilicet reuelationem, & beatitudinem formalem.

AD [a] solutionem quæstionum tractandarum de matrimonio, sunt hìc quædam necessaria præmittenda. & sit hæc prima [b] conclusio principalis. Ad procreandam prolem debitè educandam, marem & fœminam vinculo indissolubili sibi mutuo copulari & obligari, honestum est. Secunda conclusio est, marem & fœminam potestatem suorum corporum sibi mutuo tradere pro vsu perpetuo ad procreandam prolem debitè educandam, honestum est. Tertia conclusio, istam donationem mutuam à Deo institui, & approbari congruum est. Quarta conclusio, isti contractui donationis mutuæ, aliquod Sacramentum annecti, congruum est, & ita factum est. Quinta, in matrimonio necessarium est plura distincta concurrere, & quæ? 2 *Conclus. 1. Conclus. 2. Conclus. 3. Conclus. 4. Conclus. 5.*

Ad [c] probationem primæ conclusionis sit hæc prima conclusio præuia. Hominem velle procreare prolem in specie humana, est actus rectè circumstantionabilis. Hoc probatur, quia non est actus de se malus, vt non possit rectè circumstantionari, sicut est dare alienum. Probatur, tum quia non magis secundùm naturalem inclinationem est, quòd alia animalia conseruent suam speciem, quàm homo suam; imò tantò magis ipse, quantò ista species est perfectior: non autem potest saluari regulariter in isto statu mortalitatis, nisi per propagationem: tum quia si homo esset immortalis, adhuc secundùm rectam inclinationem naturæ, competeret sibi communicare perfectionem suam, eo modo quo esset sibi possibile: hoc autem est propagando: tum tertiò ex creditis, quia de illicito non datur præceptum. sed *Genes. 1. & 9.* datur præceptum de propagatione, *Crescite, & multiplicamini:* tum quartò, quia honestum est agere ad reparationem ruinæ Angelicæ, & restaurationem illius supernæ ciuitatis Ierusalem, secundùm prædestinationem diuinam: sed electi prædestinati ad reparandum ruinam illam, non producuntur communiter in *esse*, nisi per propagationem: ergo. 3

Et [d] sic patet, quòd iste actus non est de se malus, sed nec de se est sufficienter bonus bonitate morali, quia nullus actus est sufficienter bonus moraliter, ex ratione agentis, vel obiecti, nisi amare Deum, quod non potest esse contra rectam rationem; imò necessariò est secundùm rectam rationem, quòd talis actus tendat in tale obiectum; hoc autem est, quia obiectum est finis vltimus secundùm se volendus, & à quolibet ordinato ad finem illo modo, quo potest finem amare: sed procreare prolem, patet quòd non est finis vltimus, sed aliquid ordinatum, vel ordinabile ad finem: & per consequens potest homo rectè, & non rectè ordinare illud in finem: ergo est actus circumstantionabilis rectis circumstantiis. *Quia charitas non agit perperam. 1. Cor. 13.*

Prætereà [e] probatur vtrumque simul, quia ille actus est de se malus, cuius obiecto repugnat esse bonum, siue cuius obiectum repugnat actui, & actus agenti: & per oppositum, ille est de se bonus, cuius obiectum est simpliciter bonum necessarium, & perfectissimè conueniens agenti: sed neutrum istorum conuenit huic actui, quia eius obiectum non est bonum vltimum, nec repugnat sibi esse bonum: ergo de se nec malus, nec perfectè bonus moraliter: quia nullus actus est perfectè bonus ex genere tantùm, siue ex solo obiecto, nisi amare Deum: nec malus ex genere, siue ex solo obiecto, 4 *Procreare prolem de se nec bonus actus, nec malus.*

Vide Scot. 2.d.7.n.11. & d.40. & quodl.18.§. De primo. obiecto, nisi odire Deum: & neutrum actum oportet specificare. Nec est circumstantionabilis, quia ex genere habet iste actus, qui est amare Deum, quòd sit bonus, & odire, quòd sit malus. Vnde loquendo de amore amicitiæ, Deus non potest nimis amari: nec aliquis potest Deum benè odire.

Prima circumstantia actus moralis, finis. Hæc [f] est ergo prima conclusio in probando primam conclusionem principalem, quòd velle procreare prolem est actus circumstantionabilis rectis circumstantiis [g]. Secunda conclusio sit hæc: Prima circumstantia requisita ad bonitatem moris istius actus, est circumstantia finis, sicut vniuersaliter est in moralibus: & est ista, velle procreare prolem religiosè educandam ad ampliandum cultum diuinum. Hoc probatur per rationem, quia perfecta operatio humana est finis hominis. 1. *Ethic.* ad finem *Cap.12. & inde.* autem debent alia ordinari: ergo ad hunc finem debet quilibet velle prolem. Ista probatur ex creditis, quia quilibet debet sic diligere proximum ex charitate, sicut seipsum, id est, ad idem; sed quilibet debet diligere se ad honestam conuersationem, & diuinum cultum: ergo & proximum suum, & maximè prolem, cui specialiter tenetur. Confirmatur per August. 9. super Genes. dicentem, *Bonum prolis dicitur non ipsa proles, sed spes, & desiderium, quo proles quæritur, vt religiosè educatur, vel informetur.*

5 *Secũda circumstantia.* Sequitur [h] secunda circumstantia, quæ est, quòd iste actus debet esse determinatarum personarum, maris scilicet, & fœminæ; non quòd esse maris, & fœminæ sit circumstantia, sed includitur necessariò in actu, qui est procreare prolem: sed determinatarum dico esse circumstantiam ex parte causarum agentium. Nam vaga coniunctio est contra bonum prolis, quod est finis hîc intentus: contra bonum familiæ, & contra bonum ciuitatis.

Vaga commixtio est contra bonum prolis, familiæ, & ciuitatis. Primum probatur, quia proles non religiosè educaretur, tum ex parte parentum, quia non haberent determinatam notitiam suæ prolis, saltem pater, & ita non esset sollicitus suæ proli debitam impendere disciplinam: nec è conuerso proles patri debitam reuerentiam, & timorem filialem, propter quem timorem filius magis obedit patri, & magis ab eo disciplinam recipit, quàm ab alio.

Bonum familiæ in quo consistit? Secundum probatur, quia bonum familiæ consistit in aliqua firma adhæsione principalium personarum familiæ, aliàs esset bonum vagum. & propter hoc, dicit Philosophus 8. *Ethic.* quòd homo naturaliter est animal coniugale, & domesticum. Nec *Cap.12.* etiam aliquæ personæ diligentiã adhiberent circa necessaria sibi mutuo & proli: ergo.

6 Tertium probatur, quia amicitia ciuium, vt plurimum est ex determinata propinquitate in certo gradu: sed ibi nulla esset propinquitas noua certa, quæ esset causa amicitiæ: ideò propter ista rectè reprehendit Arist. politiam Socratis 3. Pol. quia pro statu naturæ lapsæ, multò melior est illa, quam ipse ordinat, & pro omni statu fuisset contra rectam rationem vaga coniunctio maris cum fœmina.

Ista etiam circumstantia satis patet ex creditis per Scripturam sacram: nam Genes. 2. dicitur: *Erunt duo in carne vna.* & Christus idem dicit Matth. 19. & Apostolus 1. Corinth. 7. *Vnusquisque suam vxorem habeat propter vitandam fornicationem.* Et esto quòd ista determinatio non probaretur per rationem naturalem esse simpliciter necessariam, ita quòd eius oppositum repugnat manifestè rationi naturali, saltem hæc affirmatiua satis patet secundùm rationem naturalem, scilicet, quòd *honestum est, personas sibi inuicem esse determinatas ad actum istum.*

7 Sequitur alia circumstantia, scilicet quòd *personas istas sibi inuicem ad istum finem* *Tertia circumstantia, Indissolubilitas vinculi ad procreandam prolem est honesta.* *vinculo indissolubili obligari, honestum est.* Hoc probatur ex præcedenti, quia si determinatio ad commorandum, & mutuo seruiendum, valet ad debitam prolis educationem, & ad bonum familiæ, & ciuitatis, multò magis ad hoc valet perpetua adhæsio determinatarum personarum ad inuicem: non autem perpetuò adhærerent sibi propter multas occasiones, & displicentias occurrentes, nisi ad talem adhæsionem essent sibi inuicem vinculo indissolubili obligatæ.

Et esto quòd non posset probari ista conclusio (quæ principalis est in isto articulo). esse simpliciter necessaria ex ratione naturali euidenter: probatur tamen sicut proposita est, primò, quòd marem & fœminam sic obligari ad talem finem, est honestum, & rationi naturali consonum.

Dupliciter aliquid est de lege naturæ. Et ex hoc patet solutio cuiusdam quæstionis, an talis obligatio sit de lege naturæ, quia (sicut dictum est *suprà dist.* 17.) propriissimè de lege naturæ est principium practicum per se notum, & conclusio demonstratiuè descendens ex tali principio: secundariò autem de lege naturæ est verum euidenter consonum talibus principiis, & conclusionibus, licèt non necessariò sequens. & hoc modo marem & fœminam obligari ad finem prædictum est de lege naturæ, vt patet ex dictis.

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione incipit tractatus de Sacramento matrimonij,& extenditur vsque ad distinctionem trigesimam secundam inclusiuè; quem ordinem sequuntur Sententiarij. De eadem materia agitur *lib. 4. Decretalium, & 6. sub titulo de spons. & matrimon. in Decreto, causa 23.* Summist. *verb. Matrimonium.v.Sponsalia.* Plures Doctores differunt in particularibus tractatibus. Thomas Sanchez præ reliquis copiosè tribus tomis, in quibus diffusè examinat difficultates omnes, quæ ex natura contractus, promissionis, Sacramenti, obligationis mutuæ spectant ad hanc materiam. Nos sequentes literam Doctoris explicabimus ea, quæ ad substantiam matrimonij pertinent, & impedimenta. Subinde incidenter dubia resoluentur, prout ipse textus occasionem dabit, reliqua remittendo ad alios, qui in specie plura tradunt, casus proponentes, qui ex natura contractus aliquo modo huc pertinent.

Authores qui tractant de matrimonio.

1 a *Ad solutionem quæstionũ tractandarum*,&c. In quæstione præsenti Doctor subiicit fundamentum totius materiæ, explicans matrimonium in ratione contractus,& in ratione Sacramenti, qualificans contractum ex substantia, ex fine, ex institutione legislatoris, quantùm ad officium naturæ, ex institutione eiusdem in ratione Sacramenti, ac proinde subiicit quatuor conclusiones, quarum tres primæ agunt de ipso, quà est contractus legitimus; vltima verò, quà est Sacramentum.

2 Vt ergo has conclusiones ordine suo prosequamur, illud præmittendum, hunc contractum vocari matrimonium magis, quàm patrimonium, pluribus de causis. Primò, vt mater efficiatur mulier nubens. S. Augustinus *lib. 19. contra Faustum, cap. 16.* Secundò, quia matris in procreandis filiis magis apparet officium, ratione laboris, educationis, lactationis in tenera ætate, & nutritionis in vtero. Nomen autem patrimonij ad bona externa spectat, in quibus magis apparet officium viri. Tertiò, quòd in generatione filiorum certior sit mater, quàm pater, *cap. Ex literis*,&c. *de conuersione infidelium.* Hinc Couarr. *epitom. in 4. decret. part. 2. cap. 1.* asserit Iurisconsultos filios, seruos, aut liberos, non ex patre, sed ex matre diiudicare. Vnde illud vulgare, *Partus sequitur ventrem.* & tenet glossa *cap. 1. de coniug. ser. l. Et seruorum, ff. de stat. hom.* Dicitur etiam hic contractus connubium à velamine, quo teguntur coniuges cùm benedictionem recipiunt, quasi à nube, qua teguntur, cœlum, vt Isidorus *lib. 9. orig. cap. de coniugijs*, vel ob pudorem, vt annotauit Ambrosius *lib. 1. de Abraham, cap. 9.* cui fauent verba Achimelech ad Saram vxorem Abraham dantis ei velum, quo se obtegeret, *Genes. 20.* vel vt solis maritis se obnoxias sciant, 30. quæst. 5. Dicitur præterea coniugium à communi iugo, quod in vitæ societate, & indissolubili communione ferre debent.

Nomenclatura, seu ratio nominis.

Dicitur connubiũ à velamine.

3 Matrimonium,& nuptias plures antiqui hæretici damnabant, tanquam illicita. Saturninus apud Irenæum *lib. 1. contra hæres. cap. 22.* docuit nubere,& generare à Satana esse. Item Marcion, vt Tertullianus *lib. 1. contra eundem.* Clemens Alex. *lib. 3. Stromat.* Hieronym. *contra Iouinianum, lib. 1. circa initium.* Idem Tatianus, vt patet ex Irenæo *lib. 1. cap. 3.* Epiphan. *hæres. 46.* Theodoreto Adamiano *apud August. hæres. 31.* Hierarax *apud Epiphan. hær. 67.* Apostolici, vt refert Augustinus *hær. 4.* Priscillianus *apud Leonem Papam epist. 93.* Eustathius *apud Concilium Gangrense, & Socrat. lib. 2. Inst. c. 33.* Manichæi etiam damnant nuptias, vt patet ex August. & Theodoreto. Idem error refertur plurium aliorum, vt Bogomili: ita Euthymius *Pan. 2. parte.* Fuit Albigentium *apud Anton. part. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.*

Hæretici dãnantes nuptias.

Contra hos omnes militat prima, secunda, & tertia conclusio Doctoris cum suis probationibus;& veritas fidei definita in Concil. Gangrensi *can. 1. 9. 10. & 14.* in Bracharensi I. *can. 11.* Toletan. I. *in confessione fidei, can. 50. Apostolorum.* Clem. Roman. *lib. 6. c. 8. & c. 28.* Ignatius *in epistola ad Philip.* Iustin. *orat. ad Antoninum pium.* Irenæus *lib. 1. cap. 30.* Clemens Alexand. *lib. 3. & 4. Stromatum.* Athan. *serm. contra omnes hæret. & epistola ad Annum Monachum.* Cyrillus Hierosolymitanus *catechef. 4.* Basilius *de vera Virginitate.* Epiphanius *locis citatis.* Nazianzenus *orat. 11. in laudem Gorgoniæ sororis, & orat. 31.* in illud: *Cùm consummasset Iesus hos sermones*, &c. Origen. *homil. 11. in Exod. lib. 8. in epistolam ad Romanos.* Nyssen. *lib. de Virginitate, cap. 8.* Chysostomus *in cap. 5. ad Ephes. in secundam epistolam ad Titum, homil. 2. in Psalm. 43.* Cyrillus Alexandrin. *in Ioan. c. 22.* Theod. *locis citatis, & in epitome Decretorum diuinorum, cap. de Matrimonio.* Iustinus Imper. *Authent. 22. de nuptijs.* 4

Veritas fidei.

Patres Græci.

Item Martialis Papa *epistola ad Tholosanos, cap. 9.* Innocentius I. *epistola 22.* Leo I. *epist. 93. cap. 7. epist. 92. cap 4.* Gregor. Magn. *homil. 36. in Euangel. & in 4. Psalmum pœnitentialem.* Gregorius VII. *lib. 1. epist. 48.* Lucius III. *cap. Ad abolendam*,&c. *de hæreticis.* Alij Pontifices *titulo de sponsalibus & matrimonio.* Prætereà Florentin. *in Decreto vnionis septimum Sacramentum*, &c. Tridentin. *sess. 24. in doctrina de hoc Sacramento*, eandem veritatem docet, & supponit in Canonibus fidei. 5

Pontifices Romani.

Neque secus Patres Latini eandem tradunt. Tertull. *lib. 1. aduersus Marcionem, c. 29. de anima, c. 21. & 27. contra Valentinianos, cap. 30.* Cyprianus *de disciplina & bono.* Lactant. *in epitome diuinarum Instit. c. 8.* Ambros. *lib. 6. in Lucam, cap. 8. in cap. 5. epistola ad Ephes.* Hieronymus *ad c. 19. Matth. & loco citato.* Augustin. *in toto lib. de nupt. & concupiscent.* cæterique Patres, & Doctores Catholici. Argumentum ex Scriptura subiicimus *conclus. 3.*

Patres Latini.

b *Prima conclusio principalis: Ad procreandam prolem debitè educandam, marem & fœminam vinculo indissolubili sibi mutuo copulari & obligari, honestum est*, &c. Hanc conclusionem optimè probat Doctor per duas alias, quarum prima est de actu quoad substantiã; secunda verò de actu quoad circumstantias: quoniam actus ex substantia, seu obiecto malus nequit per vllas circumstantias reddi bonus; ideò primò probat hunc actum contractus non esse malum ex se, aut obiecto, ac proinde esse circumstantionabilem in genere moris, vt sit completè bonus: subiungit ergo sequentem. 6

Prima conclusio principalis.

c *Ad probationem primæ conclusionis sit hæc prima conclusio præuia: hominem velle procreare prolem* 7

Contractum non esse malũ ex obiecto.

lem in specie humana est actus rectè circumstantionabilis, &c. Probat primò, quia non est de se malus, ita vt non possit circumstantionari, sicut est dare alienum, quia hoc est ex obiecto malum, & contra iustitiam; non ita contractus mutuus matrimonij; quia vtraque coniux habet potestatem sui corporis, & transferre potest per contractum in alterum; in quo contractu seruatur medium iustitiæ, tam in reipsa, quàm secundùm rectam rationem: velle ergo procreare prolem interueniente hoc contractu legitimo, non est contra iustitiam, sicut est dare alienum contra iustitiam. Vel aliter intelligi potest ratio absolutè, & vniuersaliter, nempe sic velle non esse contra vllam legem, aut malum ex obiecto, sicut est malum dare alienum: nempe ex obiecto, quod est contra iustitiam.

Non esse contra iustitiam.

Antecedens est manifestum, quia velle procreare prolem non est contra iustitiam, vt dictum est, non est contra temperantiam: quia licèt interueniat concupiscentia, seu delectatio, concomitanter se habet, & per accidens, ex infirmitate naturæ pro hoc statu, quæ delectatio non vitiat actum, quia alioquin nec liceret bibere, comedere, videre, aut exercere aliquem actum, ad quem sequeretur talis delectatio, aut concomitanter se haberet quantùm ad intentionem operantis; aut in vniuersum exercere actus secundùm affectum commodi, quod omnino est falsum, & contra rationem rectam formatum ex principiis naturalibus, & creditis.

Non esse contra têperantiam.

8 Deinde affectus passionis in tantum est ex lege fugiendus, aut temperandus, quatenus inducit in peccatum: affectus enim ille de se est necessarius, neque potest esse subiectum legis, aut prohibitionis, nisi vt voluntarius in sua causa, aut per consensum sequentem: sed in proposito sicut velle procreare prolem, & propagare speciem, non est malum, aut vetitum; ita etiam neque delectatio, quatenus in hoc sistit; potest esse vetita, sicut neque delectatio ex cibo est vetita lege temperantiæ, inquantùm ordinatam intentionem conseruandi vitam propriam per alimentum necessarium concomitatur, aut sequitur. Ergo sic eam velle, aut permittere, non est contra temperantiam. Deinde, non est contra Religionem, quia hic est finis procreandi prolem, vt educetur in cultum Dei multiplicandum; medium autem ordinatum ad finem, maximè quod in re necessarium est, & vnicum, non repugnat fini, à quo sumit speciem: ergo vniuersaliter vera est ratio Doctoris, quia ille actus intantùm esset malus, inquantùm repugnaret alicui legi huius, aut illius virtutis in specie. Non repugnat iustitiæ, temperantiæ, aut Religioni; minùs autem repugnat aliis: ergo est actus circumstantionabilis, & non prohibitus.

Passio quanam fugienda.

Non est contra Religionē contractum.

9 Secunda ratio Doctoris est ex inclinatione naturali, quam cætera viuentia habent ad propagationem suæ speciei, & quæ indita est homini, qui sicut est in specie perfectiori; ita etiam magis eidem conuenit velle propagationem eius modo ordinato; quæ propagatio in statu mortalitatis nequit regulariter haberi, nisi per marem & fœminam. Si etiam esset homo in statu immortalitatis, id est, innocentiæ, conueniret sibi velle propagationem suæ speciei modo sibi possibili, id est, per concursum maris & fœminæ, aliter enim non est possibilis ei propagatio. Hæc ratio est etiam manifesta, Philosophus 2. *de anima, cap.* 8. naturalissimum opus viuentium dicit esse generare sibi simile. *Ethic. c.* 12. Hominem magis esse coniugalem, quàm politicum, quia vehementiùs inclinatur ad illam vitæ consuetudinem, quæ est inter coniuges: quàm ad eam, quæ est inter ciues, & 2. *OEconomia, cap.* 2. dicit matrimonium à Deo approbari.

Secunda probatio.

Inclinatio naturalis ad propagationē.

Philosoph.

Præterea, sicut Deus, & natura nihil superfluè agunt, ita etiam neque virtutem, aut appetitum rebus communicant nisi propter operationem; & perfectionem tam propriam, quàm vniuersi. Sed differentia sexus, & virtus generandi indita est à Deo homini, & appetitus propagandi: ergo ordinatus vsus eorum est secundùm naturam hominis, & bonum vniuersi, & finem intentum à Deo, & natura. Patet consequentia, quia perfectionis est in rebus habere virtutem agendi sibi simile, & propagandi suam speciem: virtus enim actiua est perfectio simpliciter, quæ inuenitur formaliter in causa prima, & inquantùm causa inferior magis communicat in hac virtute, & excedit cæteras, tam in perfectione effectus, quàm in modo agendi; excedit etiam easdem in entitate, quia perfectio virtutis, & actionis redundat in causam: *actio enim sequitur esse*; & à posteriori hinc Philosophi colligunt perfectionē creatoris, & creationis, vt est ens in perfectione primum, & simpliciter, colligunt, inquam, per viam motus, & dependentiæ. Hæc perfectio attribuitur inferioribus secundùm perfectissimam rationem, quam includunt, nempe secundùm formam: ergo vsus talis perfectionis est secundùm perfectionem, & inclinationem naturæ propriæ perfectissimam, & secundùm subiectionem, & ordinem causarum inferiorum ad primam: vnde colligitur etiam spectare ad bonum vniuersi. 10

Differentia sexus.

Appetitus est ad finem operis.

Virtus est imperfectio simpliciter.

Competit secundùm formam.

Spectat ad bonū vniuersi.

11 Hoc probo, quia creatio rerum secundùm speciem spectat ad bonum vniuersi: ergo & conseruatio; sed in specie humana hæc conseruatio nequit haberi via naturali nisi per propagationem, & secundùm leges positas, & ordinarias creationis, & conseruationis in statu mortalitatis, in quo indiuiduum conseruari nequit, quia subest corruptioni internæ, & externæ, in viuentibus corporeis: ergo propagatio speciei per generationem est bonum vniuersi.

Creatio, & cōseruatio rerū ad bonum vniuersi ordinantur.

Confirmatur ex ratione Doctoris, quia si homo esset in statu innocentiæ, qui fuit immortalis, fieret generatio per propagationem; sed in eo statu minùs requireretur talis propagatio: quia species perfectè conseruaretur in ipsis propagantibus, qui nullo modo deficerent: ergo à fortiori in statu mortalitatis propagatio magis spectat ad bonum naturæ, & vniuersi, in quo statu nequit haberi aliter propagatio speciei, aut eius conseruatio. *Frustrantes* (inquit Irenæus lib. 1. cap. 3. loquens de Saturnino, & Marcione) *antiquam plasmationem Dei, & obliquo accusantes eum, qui masculum & fœminam ad plasmationem hominum fecit*, &c.

Prima confirmatio.

Propagatio esset in statu innocentia.

Irenæus.

Confirmatur secundò, quia cætera animantia subiecta sunt homini, *Genes.* 1. & ad vsum eius fuerunt creata, & non propter seipsa; sed in aliis animantibus viget propagatio: ergo etiam debet vigere in homine. probatur consequentia, quia medium volitum propter finem tantùm,

Secunda confirmatio.

Ex propagatione eorum quæ ad vsum condita sunt hominis.

tantùm, tamdiu est in vsu, quamdiu conducit ad finem: ergo generatio animalium ideò conseruatur quantùm ad vsum humanum est necessaria: sed nisi propagatio fieret humana in hoc statu, talis vsus deficeret: ergo quamdiu propagatio est in animantibus, tamdiu intenditur etiam à Deo propagatio in homine.

12 *Tertia probatio ex præcepto.*

Tertia ratio Doctoris est ex præcepto diuino. *Crescite & multiplicamini*, Genes. 1. & 9. quia hoc præceptum in priori loco datur pro statu etiam innocentiæ, & immortalitatis. In secundo verò loco pro statu mortalitatis & peccati. Deus autem nihil inordinatè præcepit, aut imponit necessitatem peccandi; ergo velle propagationem secundùm præceptum Dei non est vetitum ex se. Tertullianus lib. 1. aduersus Marcionem cap. 29. *Tunc denique coniugium exercitè defendentes, cum inimicè accusatur spurcitiæ nomine in destructionem creationis: qui proinde coniugium pro rei honestate benedixit, incrementum generis humani, quemadmodum & vniuersum conditionis in integros & bonos vsus. Non ideò enim & cibi damnabuntur, quia operosius exquisiti in gulam committunt: vt nec vestitus ideò accusabuntur, quia pretiosius comparati in ambitionem tumescunt: sic nec matrimonij res ideò despuentur, quia intemperantiùs diffusæ in luxuriam inardescunt. Multùm differt inter causam, & culpam, inter statum, & excessum. Ita huiusmodi non institutio, sed exorbitatio reprobanda est, secundùm censuram institutionis ipsius, qui ait, Crescite, & multiplicamini*, &c. hæc verba soluunt obiectiones hæreticorum, & calumnias, & confirmant superiùs dicta. Vide Augustinum *de Gen. ad litteram lib. 9. cap. 7.*

Tertull.

Quarta probatio ex fine prædestinationis.

Quarta ratio Doctoris est ex fine prædestinationis, quæ electio ad gloriam effectum sortiatur, per propagationem electorum. Hæc etiam Theologica optima est: quia gratia supponit naturam, quæ de lege ordinaria, nequit esse, nisi per propagationem.

13

d *Et sic patet quòd iste actus*, &c. In hoc textu tangit doctrinam moralem, & differentiam inter actum charitatis in genere morali, & cæterarum virtutum actus. Primò dicit velle procreare sibi simile non esse de se malum: quam propositionem hactenus probauit, nec esse de se sufficienter bonum bonitate morali. Supponit generare prolem, aut velle generare prolem ad propagationem speciei esse perfectionis, vt superiùs dixit, & esse etiam bonum morale quando fit ex obedientia præcepti, *Crescite & multiplicamini*, &c. tamen dicit non esse sufficienter bonum bonitate morali, donec accedant circumstantiæ, de quibus infrà tractat; quia licèt ex obiecto, si fiat ex motiuo honesto obedientiæ, aut iustitiæ (vt insinuat Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro*, &c.) actus ille sit bonus; tamen non ita est ex obiecto bonus, quin si fiat ex alio motiuo non honesto, possit reddi malus, aut saltem non honestus, sicut & actus aliarum virtutum: quia ad rationem honesti requiritur in actu, vt fiat ex regula recta, & ex ipso motiuo honesti, iuxta Philosophum 2. *Eth. cap. 4. & Eth. cap. 12.* multi enim iustum faciunt, sed non iustè, quando scilicet non ex motiuo iustitiæ, & propter ipsum operantur. Requiritur ergo vt actus sit bonus, vt circa obiectum, vt subest regulæ, & secundùm dictamen regulæ rectæ versetur, quia electio recta dicitur, quæ est con-

Ad completā honestatem requiruntur circumstātiæ.

formis rationi rectæ: electio ergo potest esse præter rationem rectam, vt si sit de obiecto sub ratione aliqua indifferenti, & non vetita, vt patet ex Philosopho citato. Potest etiam esse de obiecto cum repugnantia ad rectam rationem; & sic erit malus, quamuis alioquin circa obiectum ipsum, qua participat rationem honesti, posset esse actus bonus.

Item, licèt actus ex obiecto esset bonus, potest vitiari per circumstantiam malam: quia non solùm ab obiecto actus recipit qualitatem; sed etiam à circumstantiis, in quibus voluntas deficere potest ex sua libertate; quo defectu actus est simpliciter malus, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu secundùm illud, quod ex Dionysio sumitur: neque bonitas obiecti indifferentis, seu creati ita necessitat voluntatem, vt circa finem & circumstantias inordinatè non possit velle, quorum bonitas neque formaliter, neque virtualiter includitur in bonitate obiecti ex genere proprio. Hinc voluntas vt intendit finem, potest ex sua libertate applicare media inordinata ad finem, vt furari ad dandam eleemosynam. Potest etiam, vt operatur circa media, intendere malum finem, vel addere alias circumstantias vitiantes, vt abstinere à cibis necessariis ad conseruationem vitæ, vel abstinere ob vanam gloriam, quod genus virtutis statuit August. variis in locis fuisse in Philosophis quantùm ad apparentiam, ob finem vanæ gloriæ, vt *lib. 3. contra Iulianum, cap. 4.* 14 *Actus ex circumstantia vitiatus.*

Ex his patet probatio subiuncta Doctoris: *quia nullus*, inquit, *actus est sufficienter bonus moraliter ex ratione agentis, vel obiecti, nisi amare Deum*, &c. actum esse sufficienter bonum intelligit, quando est completus ex obiecto, & aliis concurrentibus in bonitate, ita vt ampliùs nequeat vitiari. Vnde sicut in ratione boni non ordinatur ad aliud, quàm ad suas causas, ex quibus participat bonitatem, si ex causa integra sit bonus, est completè bonus, & ampliùs nequit vitiari ab eo, quod non est causa eius. Hinc infert quòd nullus actus est sufficienter bonus moraliter ex ratione agentis, & obiecti, nisi amare Deum, vt inde deducat velle procreare sibi similem in natura non esse actum completè bonum, ex sola conuenientia agentis, & obiecti, nisi addatur finis, & cæteræ causæ, ex quibus participat bonitatem completam, quæ ampliùs nequeat vitiari, vel quâ posita ipse actus nequit fieri malus: quia nempe iam completus est in suo *esse* naturali, & morali ex integra causa, & in nullo deficiente: quia ergo generare prolem est actus circa obiectum indifferens, id est, creatum, quod ordinari potest in finem; ideò, vt dicit, non habet completam bonitatem ex obiecto, sed potest benè, vel malè ordinari, & sic est circumstantionabilis benè, vel malè: ad probandam ergo completam bonitatem huius actus, non sufficit probare non esse malum ex obiecto, vel esse bonum, ad hoc vt liceat, nisi vlteriùs probetur esse bonum etiam ex aliis concurrentibus, quæ dignificant, qualis est finis. 15

Completè bonus nequit vitiari.

Propagatio requirit circumstantias vt sit bona completè.

Per oppositum huius dicit amorem Dei, 16

Actus charitatis est bonus completè ex obiecto solo. nempe amicitiæ esse simpliciter bonum, quia est actus charitatis, quia est circa obiectum tale in particulari, qui est finis vltimus, & non ordinabilis ad alium, éstque circa obiectum, vt est bonum summum, & secundùm affectum amicitiæ, vt est proprium amati: hinc nequit charitas vitiari, quod proprium & peculiare ipsi est: vt patet ex Apostolo 1. ad Corinth. 13. *Charitas non inflatur, non agit perperam, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*, &c. In quibus verbis excludit omnem malitiam à charitate, & tribuit ei opera reliquarum virtutum, sicut ipsa est plenitudo legis, ad quam lex, & Prophetæ ordinantur. *Nequit vitiari.*

17 *Notabile. Differentia virtutum aliarum vt fidei, & spei à charitate.* Ad explicationem autem huius difficultatis, & textus, aduertendum est, licèt conueniant virtutes Theologicæ in hoc, quòd Deus in se sit obiectum illarum: tamen fides, & spes connotant aliquas conditiones requisitas ex parte obiecti, & modi tendendi in obiectum, vt fides reuelationem & propositionem ipsius reuelationis per regulam congruam, *qui enim citò credit, leuis est corde.* Non sufficit ergo reuelationem credibilis in re ipsa contingere, nisi accedat propositio debita reuelationis, vt actus fidei sit circumstantionatus: spes similiter supponit fidem, & vltra hoc arduitatem, & possibilitatem acquirendi finis per media ordinata ad finem: ideò potest vitiari per præsumptionem, si sine mediis velit finem, & iis contemptis, quia non rectè fundatur. Hæ ergo virtutes quamuis tendunt in finem supernaturalem, & Deum in se, quia modus tendendi limitatur ex conditione præscripta, & determinatione ex parte obiecti, ea neglecta, aut deficiente, actus ipsarum vitiari potest.

Modus tendendi charitatis in Deum. Charitas verò absolutè, & sine vlla limitatione, aut conditione determinante, tendit in obiectum, quatenus est summum bonum ipsius amati, & secundùm affectum amicitiæ, non commodi; ideóque nequit vitiari; quia & obiectum nullam dicit limitationem, quin amari debeat summè, & propter se; neque charitas, cùm sit affectus amicitiæ, dicit ex parte tendentiæ aliquam conditionem limitantem, cùm feratur in obiectum absolutè, qua est summum amabile; & ideò *ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus*, &c. sine vlla limitatione, aut reseruatione, vt sonat præceptum diuinæ charitatis.

18 *Ratio ob quā charitas nequit vitiari.* Hæc doctrina peruia est ex Doctore *in 3. dist.* 23. 27. 31. ex hoc ergo habet charitas, vt nequeat vitiari, quia est affectus amicitiæ tendens in summum bonum absolutè, & qua est bonum necessarium, & ipsius amati bonum: ac proinde non limitatur ad vllam circumstantiam obiecti, vt priores virtutes, ex qua deficeret actus, vel deficere posset.

Repugnat charitas actualis peccato actuali. Ex hoc etiam habet actualis charitas Dei vt nullo modo consistere possit cum actuali peccato simul; quia amor Dei absolutus secundùm affectum amicitiæ, nequit compati cum offensa actuali eius, aut auersione ab ipso amato: quia id repugnat quantùm ad peccatum commissionis, & idem de peccato omissionis, quia amor amicitiæ perfectæ conformat amantem amato, eiúsque rectæ, & ordinatæ voluntati. nequit ergo esse repugnans in eo quod est contra manifestam eius voluntatem. Et hæc repugnantia est physica, & contradictionis ex modo tendendi in obiectum absolutè, & propter se, eo modo quo scientia & fides non se compatiuntur in eodem intellectu simul de eodem, aut fides, & opinio cum formidine, *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, &c. Ioannis *epistola* 1. *cap.* 3. quod plerique intelligunt de natiuitate per charitatem: sicut ergo charitas fertur in Deum absolutè, & propter se secundùm affectum amicitiæ ex suo motiuo determinatur ad hæc duo, nempe vt non referat, aut ordinet suum obiectum ad aliud, tanquam ad finem; quia obiectum non est sic ordinabile, cùm sit finis vltimus, & sic excludit illam peruersitatem, quæ consistit in vsu fruendorum; quam Augustinus summam vocat. Dixi non ordinare obiectum ad aliud tanquam ad finem perficientem, quia ordinat aliquando tanquam ad medium ordinatum ad se vt ad finem, & perfectibile per ipsum, qui non est propriè vsus, quia non sistit in illo voluntas ordinantis; sed reducit ipsum in finem; vsus enim propriè mediorum est, quæ diliguntur tantùm propter finem, vt benè Doctor *in 3. dist.* 26. §. *Ad quæstionem* 5. *Repugnantia hæc est physica.* *Quomodo charitas ordinatur ad aliud.*

Respondeo, &c. hoc modò charitas imperat actus aliarum virtutum, & è contra hæ actum charitatis: in vtroque ordine manet idem finis vltimatus, nempe charitatis, quæ ordinat virtutes media ad hunc finem; virtutes imperant charitatem, vt per eam attingant eundem finem. 19

Habet etiam charitas ex motiuo suo, vt sicut est absoluta prosecutio summi boni per affectum amicitiæ, vt comprehendat in se virtute fugam absolutam omnis peccati, qua est offensa Dei in genere, & non tantùm sub ratione vlla particulari. Ex quibus patet actum eius non posse vitiari: quæ difficultas fusiùs tractatur in materia de virtutibus in genere, & in specie de ipsa charitate.

Hic ergo, vt concludam, scopus Doctoris est, solum actum charitatis ex obiecto suo participare completam bonitatem, ita vt repugnet ei vitiari, reliquarum virtutum actus non participare ab obiecto suo sufficientem, aut completam bonitatem hoc modo, quin vitiari possit per finem, vt actus virtutum moralium, vel per circumstantiam, vt actus aliarum Theologalium: quamuis ex scopo literæ, & discursus agit primariò de actu virtutum moralium, qui ex obiecto suo non habet, quin ordinari posset ad malum finem, vel in ordinatione eius ad finem etiam bonum deficere in aliqua circumstantia, & modo ordinandi in debito. *Scopus Doctoris.*

e *Præterea probatur vtrumque simul*, &c. Definit quis sit ille actus, qui ex obiecto suo est per se malus, & ex obiecto suo per se bonus, vt distinguitur ab actu indifferenti ad bonum, & malum. Loquitur autem præcisiuè de illo actu, qui necessariò habet bonitatem completam, & malitiam ex obiecto suo, ita vt repugnet ampliùs in his compleri. Dicit ergo actum charitatis solùm esse ex obiecto suo per se bonum, ita vt ampliùs nequeat vitiari, ac proinde esse necessariò bonum; actum autem odij Dei tantùm esse necessariò malum ex suo obiecto, reliquos actus esse indifferentes ex obiecto suo ad bonum, 20 *Explicatio textus.*

num,& malum, siue ex obiecto, siue ex circumstantiis, & maximè à fine, *nullus actus*, inquit, *est perfectè bonus moraliter ex genere tantùm, siue ex solo obiecto, nisi amare Deum; nec malus ex genere, siue ex solo obiecto, nisi odire Deum, & neutrum actum oportet specificare, nec est circumstantionabilis*, &c. loquitur de amore amicitiæ, & de odio, vt opponitur charitati, & est actus inimicitiæ. Dicit ergo actum charitatis, qui est amor amicitiæ Dei in se, & propter se esse bonum per se ex obiecto, & non circumstantionabilem circumstantia finis, quæ addat speciem actui, quia ex obiecto suo habet, cùm sit vltimus finis, vt non sit ordinabilis ad alium finem extra obiectum suum talis actus. Eodem modo actus odij inimicitiæ, vt opponitur charitati contrariè, debet esse Dei in se, & propter se, hoc est, vltimi finis, & sic neque ordinabilis est ad alium finem; quia respicit finem vltimum absolutè per modum fugæ, sicut charitas eundem absolutè respicit, & propter se, non propter aliud; actus autem aliarum virtutum moralium respicit obiectum ordinabile ad aliud, & idem de vitiis oppositis: ideò possunt specificari, & circumstantionari per finem, cuius gratia aliquid fit, diuersum & extrinsecum à suo obiecto.

21 *Obiectio.* Dices, actus quilibet vitiosus ex obiecto habet, esse completè malus: ergo disparitas inter odium & alios actus malos non rectè assignatur.

Soluitur. Respondetur actus aliorum peccatorum habere quidem malitiam ex genere determinatam: sed non ex motiuo suo: quia actus peccaminosus non est de malitia, vt obiecti motiuo, quia peccatum non est obiectum prosecutionis; sed aliquod bonum concupiscibile, & delectabile, quod respicit conditionem obiecti materialis, & substrati; hoc autem concupiscibile supponit affectum inordinatum sui ipsius, seu operantis, quo se ipsum amat inordinatè tanquam finem, & ideò non est amor absolutus obiecti propter obiectum, aut in eo sistens; sed amor obiecti propter ipsum operantem. Deinde actus peccaminosus est etiam ordinabilis ad finem extrinsecum, vt est circa obiecta creata. *Odium Dei inimicitiæ completè est malum.* Amor ergo amicitiæ Dei, sicut & odium inimicitiæ contrarium sunt ex motiuo suo ipsius finis vltimi, qua finis vltimus est, & non ordinabilis ad alium, siue sit operans, siue alius finis, diuersus ab operante, ideóque sistunt præcisè in suo motiuo, & propter ipsum, ex quo habent, vt non possint circumstantionari ab alio fine extrinseco, neque consequenter ab aliis circumstantiis, quæ ex genere suo supponunt finem in actibus humanis; hæc differentia amoris amicitiæ satis declarata est in superioribus. De odio verò contrario, seu inimicitiæ eadem regula seruatur propter oppositionem contrariam circa idem obiectum formale. *Odium Dei per accidens ex affectu commodi.* Vnde non agit Doctor hîc de odio Dei per accidens, quatenus infert incommodum, v.g. vt vindicat peccata damnatorum: quia illud odium non est oppositum charitati contrariè, sicut odium inimicitiæ; sed est odium procedens ex affectu commodi, & amore inordinato sui ipsius, & specificatur ab incommodo pœnæ; per accidens autem tendit in Deum, vt vindex est, & non aliter, & ex formali motiuo pœnæ illatæ; respicit autem Deum indirectè qua causa est pœnæ.

Aduertendum tamen est, iuxta sententiam Doctoris non esse possibile odium Dei contrarium spei, aut charitati: id est, ex motiuo finis vltimi, vt docet *in 2. dist.* 43. & idem supponit *in* 4. *dist.* 49. *q.* 9. & 10. vbi asserit beatitudinem non posse esse obiectum nolitionis formale, aut miseriam volitionis, quæ est sententia D. Thomæ 2.2. *quæst.* 34. *art.* 1. asserentis si consideretur Deus præcisè secundùm se, & ea, quæ in ipso sunt, non esse possibile odium eius sub illa ratione: & patet ex August. *in Ench. cap.* 104. vbi ait nos non posse velle miseriam, aut nolle beatitudinem; ergo minùs possumus nolle Deum secundùm se, vt est obiectum illarum virtutum, in quo est summa ratio boni, & nihil mali. Voluntas enim nequit prosecutiuè ferri in malum, qua malum, neque per odium ferri in bonum, qua absolutè bonum est. 22 *Non dari odium Dei contrarium spei, aut charitati.*

f *Hæc est ergo prima conclusio*, &c. nempe minùs principalis, qua probatur velle procreare prolem, non esse actum malum ex obiecto, neque sufficienter bonum, sed circumstantionabilem; cuius completa bonitas accipitur à fine, & aliis circumstantiis. 23 *Prima conclusio minùs principalis. Procreatio bona ex obiecto indifferens ex fine.*

g *Secunda conclusio sit hæc*, &c. Scilicet minùs principalis. *Prima circumstantia requisita ad bonitatem illius actus est circumstantia finis.* Hic finis est educatio recta prolis ad ampliandum cultum diuinum. 24 *Secunda conclusio.*

Probat fidem requiri ad bonitatem huius actus, *ex* 1. *Eth. cap.* 12. quia perfecta operatio humana est finis hominis; ad finem debent cætera ordinari, finis enim se habet in agibilibus, sicut principium in speculabilibus. 2. *Phys.* & voluntas ex appetitu finis mouetur primò ad agendum; ergo & voluntas ordinata procreandi mouetur à fine, vt actus sit ordinatus. Hunc finem statuit esse religiosam educationem ad ampliandum cultum diuinum. *Finis debitus procreationis.*

Tripartitum bonum coniugij statuit Augustinus *de Gen. ad literam, lib.* 9. *cap.* 7. Fidem, prolem, Sacramentum. *In fide*, inquit, *attenditur, ne propter vinculum coniugale cum altero, vel altera concubatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benéque nutriatur, religiosè educetur; in Sacramento autem, vt coniugium non separetur*, &c. Vinculum & fides sunt effectus coniugij. Susceptio, & educatio prolis est eius finis primarius; vnde idem Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupiscent. cap. 15. *Manet*, inquit, *vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur*, &c. *& cap.* 24. *Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, Proles, fides, Sacramentum*, &c. Est sententia communis & Patrum, & Scholasticorum, hunc esse finem primarium matrimonij: quod probat Augustin. *lib.* 9. *de Gen. ad literam*, mulierem in adiutorium factum primo parenti ad procreationem. 25 *August. Triplex bonum matrimonij. Propagatio, & educatio prolis finis primarius.*

Probat autem Doctor primò. Ex præcepto charitatis necessariò prolem esse educandam religiosè: & confirmat ex Augustino, quamuis verba hæc præcisa non mihi occurrant, æquiualenter tamen illa habet in locis citatis sæpiùs replicata, *& in libro de bono coniugali*, adeò vt hunc finem ad castitatem thori requirat; per quem coniugium venialem reddat commixtionem. *Finis patet ex præcepto charitatis.*

h *Sequitur secunda circumstantia*, &c. Vt sit determinatarum personarum; quia concubitus vagus est contra bonum prolis, quod est 26 *Matrimonium vnius cū vna debet esse.*

 finis

finis matrimonij contra bonum familiæ, contra bonum ciuitatis, vt optimè probat in litera. Deinde idem probat ex Scriptura, *Erunt duo in carne vna,* Genes. 2. Matth. 19. 1. ad Corinth. 7. *Vnusquisque suam vxorem habeat.*

Debet esse insolubile. Sequitur alia circumstantia, requiri, vt interueniat vinculum indissolubile inter coniuges: quod deducit ex prioribus rationibus. Doctrina est communis, & clara. Tandem quærit vtrùm hæ duæ conditiones sint de lege naturæ, & respondet non esse de lege naturæ sicut principium practicum: sed sicut conclusio consona euidenter legi naturali. De hoc ampliùs dicemus *conclus. 3.* *Vt consonũ est de lege naturæ.*

SCHOLIVM.

Secunda conclusio, honestum est marem & fœminam tradere sibi mutuo dominium suorum corporum perpetuò ad generandam prolem, debitè educandam. Hanc explicat, & probat alijs duabus conclusionibus.

8 AD [1] probationem secundæ conclusionis principalis sit hæc prima conclusio: Obligationem illam indissolubilem expedit ex actu volũtatis personarum obligatarum innasci. Hoc probatur, quia vel sic nascetur, vel ex impositione legislatoris sine actu voluntatis eorum; sed primum est vtilius, & magis consonum rationi naturali: quia ex quo obligatio debet esse indissolubilis, expedit quòd modus, quo fit, sit conueniens indissolubilitati eius; sed si cogerentur à legislatore sibi inuicem coniungi, minùs placerent sibi mutuo, & ita esset maior occasio dissensionis futuræ: quia sicut dicitur 20. quæst. 3. *Præsens, quod quis non eligit, profectò non diligit: quod autem non diligit, facilè contemnit.*

Secunda conclusio est hæc; marem & fœminam transferre in se inuicem potestatem corporum suorum pro vsu perpetuo ad istum finem, honestum est, & hoc contractu mutuæ donationis. Hoc patet ex præcedenti, visa ratione contractus mutuæ donationis; dicitur enim contractus, quasi simul tractus duarum voluntatum: & per consequens necessariò requirit actus voluntatum concordes in translatione mutua corporum, sicut in permutationibus, & venditionibus communiter accidit. Nec hoc sufficit, sed oportet istos actus per aliqua certa signa mutuo exprimi: alioquin neutri constaret de actu voluntatis alterius: & neuter vult transferre, nisi pro quanto concipit alium velle in ipsum transferre.

Contractus quid. *Ad matrimonium requiritur signũ extrinsecum consensus.*

Si ergo ex præcedenti conclusione expedit illos obligari per proprias voluntates, & non sine signis expressis: ergo expedit ibi esse contractum, ex quo nascitur illa obligatio; sed contractus ille non potest esse, nisi mutuæ donationis, vel permutationis (quod idem est) potestatis corporum pro vsu perpetuo ad istum finem: nam potestatem sui corporis, quæ sua est, nullus transfert in alium, nisi per actum voluntatis suæ; quia per illum fit dominus, & desinit esse dominus, & sic facit alium dominum; & per consequens illud, quod alius acquirit in corpore alterius, transfertur in ipsum per actum voluntatis liberè transferentis: & hoc cum signo extrinseco euidenti, in quo habetur ratio contractus prædicti. Forma istius contractus est: *Do, si des, vel, do, vt des.*

Contractus matrimonij est mutua permutationis.

COMMENTARIVS.

27 *Secunda conclusio principalis.* AD *probationem secundæ conclusionis*, &c. Subiicit duas conclusiones ad probationem primæ conclusionis; quæ talis est: *Marem & fœminam potestatem suorum corporum sibi mutuo tradere, pro vsu perpetuo ad procreandam prolem debitè educandam, honestum est,* &c. In hac conclusione duo exprimuntur, nempe mutua traditio, & contractus perpetuus. Debere esse mutuam traditionem per voluntarium, & mutuum consensum probat: quia alioquin si esset à solo legislatore, esset onerosum, & repugnaret Societati pacificæ, quæ requiritur inter coniugatos, per illud: *Adhærebit vxori sua*, &c. quam societatem meritò Augustinus *libro de bono coniugali, cap. 6.* appellat primam generis humani: præiudicaret etiam contrarium procreationi, & educationi prolis, quæ inter discordias coniugum negligitur.

Debet interuenire mutuus consensus, & traditio.

Secundum probat ex ratione generica contractus: quia nequit perfici nisi per mutuũ consensum, & translationem, sine qua nequit dominium corporum trãsferri in se mutuo; ex quibus deducit §. *Sequitur*, conclusionem principalem: nam sicut quisque potestatẽ sui corporis habet, ita etiam in alterum transferri, aut ab eo acquiri nequit sine traditione, & voluntate domini.

SCHOLIVM.

Tertia conclusio, congruum fuit prædictam mutuam traditionem corporum à Deo approbari. Ratione innuit, quòd matrimonium non videtur esse de Iure naturæ strictè obligante, sed quòd est valdè consonum naturæ. Quod habet expressè num. 18. quod etiam sentit Sotò hîc, quæst. 1. & 1. de iust. quæst. 4. art. 4. & sic expedit confirmari Iure positiuo diuino. Innuit etiam indissolubilitatem matrimonij compleri Iure positiuo, quo secluso, tantùm esset dissona Iuri naturali solutio, quod tenet D. Thom. 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. D. Bonau. artic. 3. quæst. 2. Durand. quæst. 2. Richard. artic. 2. quæst. 2. Nauar. 3. consil. de conuers. infid. cons. 1. num. 14. Henriquez lib. 11. cap. 2. num. 3. Caietan. tom. 1. Opusc. tract. 28. de matrim. quæst. vnic.

Tertia [k] conclusio principalis probatur sic; nulli obligarent se communi obligatione, saltem difficili, nisi ad hoc esset aliquid astringens, vel sicut lex naturæ, vel sicut lex positiua diuina, vel humana. Lex enim naturæ, etsi obliget ad indissolubilitatem vinculi prædicti præmisso tali contractu; tamen non lex naturæ euidentissima, sed secundo modo dicta: illud autem, quod non erit de lege naturæ, nisi secundo modo, non est omnibus manifestum: ergo expedit necessitatem illius præcepti à lege positiua diuina determinari. 9

Conclus. 3. probatur. Indissolubilitatem non esse de lege naturæ strictè, sed esse valdè consonam ei.

Esto etiam, quòd ad hoc obligaret præceptum legis naturæ primo modo dictæ, puta principium practicum manifestum, vel conclusio, adhuc expediret ponere ad hoc præceptum diuinum; quia minùs obediunt homines soli legi naturæ, quàm Deo præcipienti: quia minùs timent, & reuerentur conscientias proprias, quàm auctoritatem diuinam. Nec expedit determinationem istam primo modo fieri à lege positiua humana, quia leges positiuæ humanæ variæ sunt apud diuersos: ista autem indissolubilitas debet esse vniformis apud omnes.

Præcepto naturali expedit apponi positiuũ.

Hoc [l] factum est, vt patet *Genes. 2. & Matth. 19.* vbi Christus allegat Deum dixisse, quòd Adam protulit *Genes. 2.* quia dixit per os Adæ, vt præconis, & ideò dixit Deum coniunxisse, supple marem & fœminam, coniunctione matrimoniali: quia præcepto, quod protulit per os Adæ, dicens, *Adhærebit*, &c. 10

Sed [m] intelligendum est, quod aliud est præcipere contractum illum, & aliud præcipere adhæsionem perpetuam præmisso primo contractu. Primum benè expedit præcipi pro tempore illo, pro quo esset necessitas propagationis, & maximè si homines essent difficiles ad hoc sine præcepto: sed pro alio tempore, pro quo non est necessitas, non oportet præcipi: & hinc est, quòd Deus post lapsum bis dedit præceptum de contrahendo, *Genes. 1.* & iterum deletis omnibus post diluuium, præter octo animas. Sed præceptum secundum expedit dari pro semper, quia illam indissolubilitatem ostensum est esse consonam legi naturali, in prima conclusione: & minùs seruaretur, nisi super hoc esset præceptum diuinum, sicut dictum est in secuudo articulo.

Indissolubilitas obligat pro semper, præceptum contrahẽdi, non. Genes. 8. & 9.

Ad [n] hanc conclusionem tertiam ponitur ratio talis: nullus potest rem alterius domini alteri obligare, nisi de consensu, vel approbatione illius, cuius est; sed corpus cuiuscumque est Dei, iure creationis: ergo nullus potest transferre illud in dominium alterius, nisi inquantùm Deus approbat: ergo si translatio est honesta ad istum finem, vt patet ex prima & secunda conclusione principali: sequitur quòd congruum est Deum istam translationem corporum approbare.

Rich. 27. dist. artic. 1. q. 2.

Sed diceretur hîc, quòd licèt homo ex creatione tenetur Deo in omnibus, quæ potest, Deus tamen non tantum exigit ab homine, sed dimittit eum libertati suæ: solummodò exigit, vt seruet præcepta Decalogi. Vnde potest quis se vendere in seruum, licèt de hoc non inueniatur specialis approbatio diuina in Scriptura, in qua venditione ita transfert potestatem sui corporis in alium, sicut in contractione matrimonij. Consimiliter patet de translatione dominij omnium suarum rerum: & tota ratio est, quia in quibus Deus non obligat sibi hominem, vel sua, relinquit ea voluntati hominis

Potest quis se vendere in seruum, exẽplo Paulini. & Exod. 21. & Deut. 15.

COMMENTARIVS.

28 *Tertia conclusio.* *Institutio matrimonij à Deo.*

k TErtia conclusio principalis, &c. Est autem tertia conclusio, *Hanc dationem mutuam à Deo institui, & approbari congruum est*, &c. Optimè probat hanc conclusionem ab onere, & difficultate contractus, quem lex naturalis non inducit, vt principium notum, neque vt necessariò deductum, sed vt consonum legi naturali: hoc autem non est notum omnibus, quia in his, quæ consona sunt legi naturali, plures consuetudines contrariæ inductæ sunt apud Gentes: oportet ergo regulam superiorem magis manifestam proponi, quæ est lex diuina inducens hanc obligationem: quia lex humana, quæ apud diuersos diuersa est, & mutabilis, non sufficit, vt hic contractus vniformiter & indissolubiliter teneret in toto genere humano. Quòd si diceretur etiam contractum, & vinculum eius esse de lege naturæ strictè sumpta, adhuc expediebat à Deo institui, & præcipi vt magis teneret formidine pœnæ: magis enim obediunt homines Deo præcipienti, quam legi naturali; quatenus scilicet eam distinguunt à lege Dei, vel non apprehendunt esse ex Deo.

Necessitas huius institutionis.

29 *Author institutionis, & quādo facta. Prima sententia.*

l *Hoc factum est vt patet Gen. 2. Matth. 19.* &c. Aliqui dicunt matrimonium esse institutum ab Adamo. Augustinus *de ciuitate Dei, lib. 14. cap. 2.* Magister *in hac dist.* Alensis 4. *part. q. 2. memb. 2.* & plures alij Theologi, & Canonistæ, quos citat Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 4.* & hæc institutio colligitur ex illis verbis Adami: *Erunt duo in vna carne*, &c. Alij docent fuisse institutum à Deo per illa verba: *Crescite & multiplicamini*, &c. quam supponit D. Thomas, & alij *in hac distinctione*, & sequitur ipse Sanchez. communis autem est sententia à Deo fuisse institutum. Præmissæ sententiæ vix habent controuersiam, quia institutio matrimonij ad vtraque verba referri potest, vt benè Doctor *infrà, conclus. 5. §. Per hoc patet ad quæstionem istam.* Prima tamen institutio referenda est ad illa verba Adami, non quòd ille fuerit institutor, sed præco diuinæ institutionis, vt dicit hìc Doctor, & probatur manifestè *ex illo Matthæi* 19. vbi Christus refert verba Adami tanquam à Deo dicta, scilicet per Adamum. *Non legistis: quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam, fecit eos? & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*, &c. In creatione mulieris ex costa viri non fuit institutum matrimonium, quod consistit in contractu, ac proinde requirit vtriusque consensum, significabatur tamen Augustinus *de bono coniugali, cap. 1.*

Secunda sententia. *Resolutio.* *Prima institutio.* *Adam præconius.* *In creatione Euæ significatum nō institutum.*

30 *August.*

Prima itaque naturalis humanæ societatis copula vir & vxor est: quos nec ipsos singulos condidit Deus, & tanquam alienigenas iunxit, sed alteram ex altero creauit; signans etiam vim coniunctionis in latere; vnde illa detracta formata est: lateribus enim sibi iunguntur, qui pariter ambulant, & pariter quo ambulant intuentur, &c. tunc ergo primùm institutum est matrimonium, quando Adam consensit in vxorem à Deo sibi adductam; qui consensus per illa verba eius designatur, atque institutio ipsa diuina, vt Christus dicit; *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Vnde illa verba Adami, & Dei ordinationem sonant, & ipsius consensum. In reliquis etiam locis, in quibus præcipitur coniunctio, approbatur contractus, & institutio confirmatur; ex quibus satis colligi potest, licèt ipsa per priora verba primùm data sit, quia approbatio, & confirmatio diuina, & præceptum vim habent institutionis, quam supponunt, & includunt.

Vasquez de hoc Sacramento, *disput. 1. cap. 2.* docet matrimonium solo iure naturæ, non humana, aut diuina voluntate fuisse institutum in *esse* contractus: in *esse* tamen Sacramenti à Deo fuisse institutum, nō intelligit ius præceptiuum, sed facultatem; verùm quamuis facultas sit à natura, vt condita est, & supposito fine, quo in vtroque sexu factus est homo, vt rectè signauit Doctor in fine huius textus respondendo ad rationem quorumdam, ad procreandam prolem. Et Augustinus locis citatis potissimùm *de Genesi ad literam, lib. 9. in primis capitibus*; explicans mulierem non aliter datam in adiutorium homini, nisi ad hoc. 31

Sententia Vasquez. *Matrimonium Iure naturali, non diuino institutum.*

Communis sententia refert contractum in diuinam institutionem tanquam in causam, sicut & Patres, & Scriptura, quam non rectè explicare videtur præfatus author, dicendo intelligendam esse, vel de actuali contractu, vel de ipsius naturæ creatione, cui hæc facultas inest. Quia Scripturam intelligunt Patres, vt indicat contractum ex diuina institutione esse, quod verba Christi clarè important. Vnde Bonifacius VIII. *in 6. de voto, & voti redemptione*, &c. *Matrimonij verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore ipsum in Paradiso, & in statu innocentiæ instituente, vnionem & indissolubilitatem accepit*, &c.

Sustinetur contrarium. *Institutio est per voluntatem diuinam.*

Probatur sententia communis: quidquid sine diuina voluntate, & institutione extrinseca, & positiua à dono creationis diuersa conueniebat primo homini, potuit illud cognoscere perfectè sine vlla reuelatione; sed Adam non dixit illa verba tanquam ex scientia naturali, sed Prophetica, vt significat Christus *Matth. 19.* illa verba referens in ipsum Deum tanquam ea dicentem. Quod docet etiam Tertullianus *lib. de anima, cap. 21.* & cæteris omissis Trident. *sess. 24.* in doctrina de hoc Sacramento. *Matrimonium*, inquit, *perpetuum, indissolubilémque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus instinctu pronunciauit: Hoc os ex ossibus meis*, &c. Ergo matrimonij institutio non est Iuris naturæ solius in eo rigore: sed diuinæ institutionis. Minor est communis; & patet *Ecclesiast. 17.* vbi loquens de primis parentibus: *Et disciplina*, inquit, *intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, sensu repleuit cor illorum*, &c. & Genes. 2. patet, quia nominibus propriis vocauit cætera animantia. Eusebius *lib. 11. de præparat. Euangelica, cap. 4.* Chrysostomus *homil. 14. in Gen.* Hugo de Sancto Victore *lib. de sacr. part. 6. cap. 12. & 13.* Magister *in 2. distinct. 23.* vbi cæteri Scholastici. D. Thom. 1. *part. q. 94. art. 3.* ergo ex virtute illius scientiæ posset cognoscere matrimonium, si esset solius Iuris naturæ, neque cognitio naturalis, aut verba ex ea dicta possint referri ad Prophetiam, neque ad instinctum Spiritus sancti. Minùs autem in Deum tanquam in personam eius 32

Probatio. *Ex reuelatione facta primo parenti.* *Scientia naturalis primorū parentum.*

eius dicta. Sicut ergo verba Adami dicta sunt ex reuelatione, sic etiam sequitur institutionem matrimonij eum primùm cognouisse ex sola reuelatione diuina, & voluntate. Ac proinde nequit referri in Ius naturæ, modo dicto seclusa Dei voluntate, nisi eo modo, quo *suprà* dictum est fuisse consonam legi naturali.

33 *Secunda ratio. Sola differentia sexus non probat institutionem prætensam.*

Secundò, ex sola creatione maris & fœminæ in differentia sexus non sequitur eos habuisse facultatem se committendi, aut multiplicandi genus humanum tanquam ex se, quia licèt cognouerint facultatem naturalem procreationis ipsis non deesse: tamen non potuerunt naturaliter scire, & absque reuelatione Dei voluntatem in hoc esse, vt vel multiplicarentur homines, vel vt per propagationem ab ipsis multiplicarentur: quia & Deus aliter posset multiplicare, siue per creationem, siue etiam per propagationem ex aliis creatis primùm in differentia sexus, à quibus ipsum genus propagaretur.

Prædestinationē non sciuit Adā naturaliter.

Neque potuerunt scire finem huius propagationis, nempe cursum diuinæ prædestinationis, & electionis: ergo etiam neque media ad hoc à Deo ordinata determinatè saltem; neque consequenter genus humanum in ipsis constitutum fuisse, neque modum etiam, per quem propagari debet, & dependenter à sua voluntate, & consensu, seu per contractum: quia hanc necessitatem propagationis Deus, vt legislator, inducere potuit independenter ab ipsorum consensu; quo casu non esset matrimonium in ratione contractus, sed tantùm in ratione officij naturæ ad propagationem.

Neque modū contractus.

34 *Tertia ratio. Ex varijs modis quibus institutio fieri potuit.*

Tertiò, potuit matrimonium institui citra obligationem viri, vt posset plures vxores habere, sicut dispensatum est cum quibusdam Patriarchis: ergo non potuerunt cognoscere matrimonium, quà est contractus vnius cum vna tantùm. Item, potuit matrimonium institui per contractum ad tempus, verbi gratia, quamdiu maneret fœcunditas in vno, vel altero tantùm; hoc non potuerunt cognoscere, neque ex natura facultatem habere ad matrimonium, vt est vinculum perpetuum: ergo matrimonium, vt est vnius cum vna sola, & perpetuum vinculum inducit, non est Iuris naturæ solius, sed diuinæ institutionis, à qua est contractus quoad substantiam, sicut & modus eius. Sicut enim lex naturalis strictè sumpta est inuariabilis, & indispensabilis, ita etiam nequit immutari, aut determinari per positiuam voluntatem Dei.

35 *Quarta ratio. Ex impedimentis.*

Quartò, plura possunt esse impedimenta matrimonij, vt votum, consanguinitas, affinitas, & eiusmodi. Ergo sequitur matrimonium non esse Iuris naturalis strictè sumpti, esset autem Iuris naturalis strictè sumpti, si ex sola natura esset, & non à diuina institutione, & voluntate; vnde sequitur voluntatem, quam habuerunt primi parentes ad contractum, & quem habent cæteri, supponere institutionem contractus per diuinam voluntatem, quà non solùm differentiam sexus constituit, sed etiam quà voluit contractum ad finem propagationis, & legem ipsi statuit, & modum.

Hæc autem didicit Adamus per diuinam reuelationem, vt patet ex dictis, non instinctu naturali: nam & differentia sexus, quæ est medium remotum, non potuit esse principium cognoscendi medium proximum constitutum in contractu, neque finem, vt ponendum in effectu per applicationem mediorum, neque ipsum contractum esse medium, nisi ex Dei ordinatione, & voluntate cognita, sicut neque ex eo procreari debuisse prolem: nam differentia hæc potuit à Deo induci ad alium finem diuersum vt de facili constat: quamuis de facto is fuerit primarius finis, qui tamen variis modis haberi posset sine matrimonio in ratione contractus indissolubilis & perpetui, & dependentis à voluntate contrahentium: quia posset esse in voluntate parentum, aut aliorum constitui cum eodem onere.

Differentia sexus mediū est remotum.

Ex alio fine fieri potuit.

Locus autem Isidori, quem citat Vasquez, non loquitur de illa facultate distincta ab ipso contractu in effectu, sed de ipso contractu: ideóque intelligi debet de lege naturali latè sumpta, vt loquitur Doctor, cuius institutionem supponit illa facultas, vt dixi; imò vniuersaliter facultas ad omnem contractum supponit ipsum contractum esse legitimum, seu firmum aliqua lege: quia potestas inducendi obligationem alteri per contractum, supponit necessariò legem, per quam contractus firmatur, & teneat, verbi gratia, legem publicam, si est politicus, aut legem naturalem, aut diuinam: si ex his teneat, priùs ergo contractus debet sua lege fulciri, quàm quis fiat habilis, vt mediante contractu acquirere possit Ius alterius, quod non acquiritur nisi per contractum, & legem qua tenet: sic ergo matrimonium debuit priùs institui in *esse* contractus, quàm personis accresceret ius, seu facultas contrahendi matrimonium; hæc autem lex fuit ipsa diuina voluntas instituens propagationem hominum fieri, non aliter quàm per talem contractum determinatum ab ipso Deo, & institutum. 36 *Explicatur Isidorus.* *Facultas ad contractum supponit legem.*

m *Sed intelligendum est, quòd aliud est*, &c. Aliud docet esse præceptum contrahendi matrimonium, aliud verò de insolubilitate post contractum: vnum scilicet affirmatiuum, quod obligat non pro semper; sed quando est necessitas multiplicationis, qualis fuit *Genes.* 1. & 9. intelligit de obligatione non in genere, sed in singulis suppositis. Præceptum de insolubilitate est negatiuum, quod obligat semper, & pro semper post contractum matrimonium, nisi in certis casibus. Hæc est mens Doctoris. 37 *Præcepta diuersa matrimonij.*

Nescio proinde vnde Vasquez *loco citato, c.* 3. eum aliter interpretatur, quasi dixerit non semper durasse præceptum matrimonij, sed aliquando reuocatum fuisse, eo quòd nisi reuocatum fuisset, non esset post diluuium renouatum, nihil enim tale ait Doctor: sed loquitur de obligatione quoad singulos in particulari, non verò quoad communitatem hominum, aut Reipublicæ. Quod clariùs, & expressis verbis *infrà* declarat *concl.* 5. §. *Per hoc patet, v. Et est institutio*, &c. cuius verba sunt: *Et est institutio per modum præcepti affirmatiui, ita quòd obliget semper, sed non ad semper, sed tempore necessitatis; non tantùm in principio, sed adhuc videtur eodem modo obligare, si paucitas in filijs ex aliqua causa incideret, puta ex bello, peste, vel clade, & huiusmodi*, &c. & subiungit hoc præceptum esse à Deo per legem positiuam, & etiam naturalem modo *suprà* dicto, scilicet quantùm ad euidenter consona legi naturali, & ipsi naturæ. Deinde tale esse dicit præceptum de insolubilitate, & esse negatiuum obligans semper, & pro semper, nisi ipse legislator aliter disposuerit, quæ est sententia com- *Reijcitur interpretatio Vasquez.* *Sententia vera Doctoris.*

muni

munis D. Thomæ hìc, & aliorum, quos citat Sanchez *lib.2.dispat.3.*

38 *In potestate propria sunt quæ Deus nõ reseruauit sibi.*

n *Ad hanc conclusionem tertiam*, &c. Instat contra rationem aliorum, quam rectè soluit, quamuis ex dono creationis corpus sit sub dominio Dei, tamen cùm ipse non seruauit sibi aliqua lege dispositionem eius, sequitur illam reliquisse voluntati humanæ, sicut reliquit vt ex causa se venderet in seruum; & consequenter etiam vt potestatem sui corporis in alternam transferat, & suarum rerum.

SCHOLIVM.

Quarta conclusio, congruum fuisse rationem Sacramenti iungi mutuæ translationi corporum. Motis varijs quæstionibus de ratione Sacramenti in Matrimonio, resoluit primò, non fuisse Sacramentum in statu innocentiæ, vel lege Mosaïca, & respondet ad loca legis nouæ, quibus probatur esse Sacramentum.

11 DE [o] quarta conclusione sit hæc prima conclusio specialis: Contractui prædicto congruum est annecti collationem gratiæ, quia contractus prædictus est difficilis, cùm ex eo nascatur obligatio valdè difficilis, cuius difficultas coniuncta est honestati, vt probatum est priùs: ad honestum autem, & difficile, congruum est gratiam conferri.

Datio gratiæ per signum sensibile, valdè congrua pro contractu matrimonij.

Secunda [p] conclusio est hæc: Congruum est in aliquo signo sensibili ad hoc à Deo instituto regulariter conferri, quia, vt dictum est *suprà*, in generali de Sacramentis *distinct.* 1. expedit talia signa esse instituta pro statu isto.

Tertia [q] conclusio: Expedit Sacramentum propriè dictum coniungi contractui prædicto. Patet ex duabus præcedentibus, quia signum efficax gratiæ tunc collatæ. Sed intelligendum est, quòd circumscripta consideratione de ratione Sacramenti, in proposito, possunt communiter veritates de matrimonio ostendi per rationem contractus, & obligationis. Hæc autem ratio Sacramenti annexa, difficultates nouas videtur adducere; puta à quo, & vbi fuit institutum? Quæ forma, qualiter vna, quis minister, & qualiter vnus, & quis effectus sit Sacramenti?

Variæ quæstiones de Sacramento Matrimonij.

De primo non potest dici, quòd Sacramentum Matrimonij sit institutum in statu innocentiæ, *Genes.* 2. quia omnia Sacramenta habent efficaciam à passione Christi exhibita, vel præuisa: si autem status innocentiæ stetisset, passio Christi nec fuisset ex-
12 hibita, nec præuisa. Nec apparet, quòd sit Sacramentum legis Mosaïcæ, nec inuenitur vbi in lege Euangelica institutum sit. Christus enim *Matth.* 19. approbauit, quòd institutum fuit, *Genes.* 2. & Paulus 1. *ad Corinth.* sic docuit vsum, vel actum sequentem contractum matrimonij.

Cap. 7.

Cap. 5. ad Ephes.

Diceret ergo aliquis, quòd illud ad Ephes. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, intelligitur de Sacramento extensè accepto, pro signo sacræ rei; cuius tamen non est causa, nec signum aliquod efficax: non enim est matrimonium signum efficax respectu coniunctionis Ecclesiæ ad Christum: sed si aliquo modo, est signum efficax, ita potest esse votum virginitatis signum coniunctionis Ecclesiæ virginis ad Christum.

COMMENTARIVS.

39 o DE *quarta conclusione sit*, &c. Subiicit suo ordine tres conclusiones, ex quibus probatio huius quartæ principalis congrua sumitur.

Prima cõclusio Congruitas gratiæ adiũctæ.

Prima conclusio: *Contractui prædicto congruum est annecti collationem gratiæ.* Hanc probat ex regula generali desumpta ex infirmitate naturæ, & necessitate gratiæ ad opus difficile, & arduum coniunctum honestati, hoc est, ad opus virtutis: quæ probatio fundatur *in artic.* 7. *Concilij Dispolitani*, & in variis definitionibus Patrum, & Conciliorum contra Pelagianos, quæ in materia de gratia, & auxiliis, passim occurrunt. Vnde admonendi sunt, quos aliàs impugnauimus *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 2. & aliàs calumniam esse asserere Doctorem in ea esse sententia, vt negauerit necessitatem gratiæ siue ad pœnitentiam, siue ad opera virtutum moralium, vt aliquoties aliàs admonuimus, & ex præsenti conclusione manifestum supponit, & in fine assumit: *ad honestum autem, & difficile*, inquit, *congruum est gratiam conferri*, &c. nempe ex infirmitate naturæ ad bonum virtutis in hoc statu peccati; & consequenter ex necessitate gratiæ propter adimplendam legem, & opera virtutis, quale docuit in præcedentibus esse hunc contractum ex obiecto, fine, & aliis circumstantiis.

p *Secunda conclusio: Congruum est in aliquo signo sensibili ad hoc à Deo instituto regulariter conferri*, &c. Hanc conclusionem remittit ad dicta *d.* 1. *q.* 2. vbi congruitatem instituendi signa Sacramentorum cum reliquis docuit: videantur quæ ibi dicta sunt. 40

Secunda conclusio. Dari per signum sensibile.

q *Tertia conclusio: Expedit Sacramentum propriè dictum coniungi contractui prædicto*, &c. In prima conclusione loquitur generatim de gratia operatiua ad opus virtutis. In secunda conclusione loquitur de eadem gratia, vt confertur virtute

Tertia conclusio. Illud signum esse Sacramẽtum.

virtute Sacramenti tam habitualis, quàm actualis, pro congruitate operis, & temporis. In hac concludit signum illud, per quod regulariter confertur hæc gratia, esse Sacramentum propriè dictum; quod sequitur ex duabus præmissis. Deinde subiungit hanc veritatem, nempe matrimonium esse Sacramentum propriè dictum, esse alterius rationis, & probationis à veritate contractus, & obligationis; quia ex diuersis principiis oriuntur, ideòque ad resolutionem, & probationem huius tertiæ conclusionis mouet interrogationem completam ex singulis, quæ ad naturam Sacramenti requiruntur: vt à quo, & quo tempore institutum? quæ forma? qualiter vna? quis minister? & qualiter vnus? & quis effectus sit Sacramenti? Subiungit prætereà rationes dubitandi, quòd non in statu innocentiæ, aut legis veteris, aut Euangelij: quia non apparet sufficiens probatio *ex Matth.* 19. neque *ad Ephesios* 5. ergo, &c.

Matrimoniū esse Sacramētum propriè dictum.

SCHOLIVM.

Matrimonium esse Sacramentum institutum, Matth. 19. Quod Deus coniunxit, &c. *Ita Sotus hîc quæst. 2. art. 2. Bassol. Tartaret. hîc. Verac. 1. p. spec. art. 1. Vict. supr. num. 241. ex Chrys. ibi dicente*, cum auctoritate legem inducit; *esse autem Sacramentum, definitur in Florent. decr. Eugen. in Trident. sess 24. cap. 1 habetur ex PP. Iren. lib. 1. cap. 1. Leon. cap. 1. Chrys. suprà, & in ad Ephes. 5. Ambros. 1. de Abraham. 7. Augustin. lib. de fide & oper. 7. & de bon. coniug. cap. 18. & 24. Vide Bellarm. 3. de matrim. c. 2. 3. quod tangit Doctor, an sufficit filiam silere dum parentes pro ea contrahunt; communis ait ex cap. Vnic. §. fin. de despons. impub. Vide Sanchium 1. de Matrim. d. 23. sub dubio relinquit sententiam asserentem verba Sacerdotis esse formam Sacramenti Matrimonij, sed sine eis valere Matrimonium. Ita tenent Canus 8. de loc. cap. 5. ad 3. Enchir. Concil. Colon. §. de ministro. Petr. Ledesm. de Matrim. q. 42. art. 1. dub. 4. concl. 4. & vlt. ait ante Trident. fuisse probabilem sent. Sed Zephalus cons. 540. num. 47. ait sine verbis parochi, nec stare Sacramentum, nec Matrimonium: verius tamen & communius, sine omni parocho valere Matrimonium & Sacramentum, vbi Trident. non tenetur, nec eius verba requiri, vt valeat, vbi tenetur.*

SEd [r] quia communiter tenet Ecclesia Sacramentum Matrimonij esse septimum inter Ecclesiastica Sacramenta, & de Sacramentis Ecclesiæ non est aliter sentiendum, quàm sentit Ecclesia Romana, *Extrà de hæreticis. Ad abolendam.* Ideò dici potest, quòd contractui matrimoniali annexit Deus Sacramentum propriè dictum, saltem pro lege Euangelica, alioquin non esset Sacramentum nouæ legis: & tunc oportet dicere, quòd institutum fuit à Christo, sicut vniuersaliter dictum est *suprà* de Sacramentis Ecclesiasticis. 13

Matrimoniū esse Sacramentum nouæ legis. Dist. 2. q. 1.

Vbi autem non inuenitur planiùs, quàm *Matth.* 19. & licèt ibi tantùm approbauerit contractum institutum, *Genes.* 2. & per consequens illud non instituit: instituit tamen Sacramentum. Quod potest accipi ex illo verbo, quod addidit, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; vt non intelligatur ibi coniunxisse pro instituisse præcisè contractum matrimonij: sed coniunxisse ex tunc gratiosè per institutionem Sacramenti concomitantis illum contractum coniungentem. Forma autem est aliquod signum sensibile institutum à Deo, ad significandum efficaciter gratiam, tunc collatam.

Sed [s] hîc est dubium. Vel enim Deus instituit ita indeterminatum signum, vt sit signum efficax gratiæ, sicut indeterminatum signum requisitum ad contractum: vel magis determinauit illud, quod debet esse efficax gratiæ, quàm ex impositione humana determinetur signum sufficiens ad contractum; & si sic, vel determinauit aliqua verba præcisè, puta, *accipio te in meam*, vel *in meum:* vel determinauit indifferenter quæcumque verba exprimentia talem consensum. 14

Ad matrimonium an requiritur determinatū signum, vel verba.

Et inter ista multum interest, quia si determinauit strictissimè illud, scilicet quòd forma huius Sacramenti consistit in verbis præcisis, sequitur quòd multoties est contractus matrimonij sine Sacramento, etiam in lege Euangelica: quia multoties contrahitur per alia verba, quàm per ista. Si etiam determinauit verba, sed indifferenter consensum istum exprimentia, quæcumque sint ista, adhuc tamen, cùm contrahatur quandoque inter mutos sine verbis; sequitur quòd alicubi est contractus iste sine Sacramento. Nec istud est absurdum, quia possibile est, quòd vsque ad legem Euangelicam frequenter contrahebatur, vbi tamen nunquam fuit Sacramentum, vt hîc loquimur, scilicet propriè.

Si autem non determinauit, quòd sit Sacramentum gratiæ magis, quàm ex impositione humana determinetur signum sufficiens ad contractum, tunc potest dici, quòd in quocumque contractu in lege Euangelica comitatur Sacramentum, quia illud signum, quod requiritur ad contractum, est ex institutione diuina Sacramentum.

15 *Forma Matrimonij est vna integritate, non indiuisibilitate. dist. 8. quæst. 2.*

Ex [t] hoc patet secundum, qualiter sit vna forma, quia vna vnitate integritatis, non vnitate indiuisibilitatis: verba enim hinc inde expressiua consensus sunt vnum signum integrum, & respectu contractus, & respectu gratiæ: nec est inconueniens plures formas particulares esse vnius Sacramenti, sicut dictum est *suprà* de Eucharistia de forma super panem, & vinum.

Quis minister Matrimonij.

De [u] ministro est aliud dubium, quia vt plurimùm ipsimet contrahentes ministrant sibiipsis hoc Sacramentum, vel mutuo, vel vterque sibi [x]. Sed nec hoc requiritur necessariò, si in omni contractu est Sacramentum: quia aliquando patres contrahunt pro filiis, vel filiabus, præsentibus eis, nō exprimentibus signa propria: si ergo ibi est Sacrmentum, oportet dicere, quòd minister huius Sacramenti potest esse indifferenter quicunque potest esse minister in contractu matrimonij. Sed qualiter vnus minister? potest dici sicut priùs de vna forma.

Quis effectus Matrimonij?

Sed [y] quis effectus? Dico quòd duæ gratiæ in animabus contrahentium: & hoc nisi sit obex peccati mortalis hinc, & inde. Non enim sufficit ad gratiam percipiendam, quòd contrahens non sit fictus respectu Sacramenti: sed oportet, quod priùs pœnituerit, quia istud Sacramentum non dat primam gratiam. Secundus effectus est vnio animarum contrahentium: sed primus effectus totalis est vnus, scilicet gratiosa coniunctio animarum.

Sed ex opere operantis tantùm, nisi realiter accipiatur Sacramentum.

Si [z] autem stringendo formam ad certum signum, & ad ministros determinatos, oporteat consequenter dicere, quòd non omnes contrahentes in lege Christiana recipiunt Sacramentum, potest tamen dici, quòd percipiunt gratiam, si aliàs non sit obex, quia Deus assistit ibi propter difficultatem contractus honesti: non tamen tantam gratiam, quantam perciperent cum Sacramento, maximè si impossibilitas non excuset.

COMMENTARIVS.

39 *Quando institutum Sacramentum.*

r SEd quia communiter Ecclesia, &c. statuit cōclusionem fidei, nempe Matrimonium esse verum Sacramentum nouæ legis: quam probat *ex cap. Ad abolendam*, &c. *de hæreticis*, & *Matth.* 19. institutum docet à Christo per verba *suprà* allegata, vbi approbauit Matrimonium in ratione contractus; & adiunxit esse Sacramentum. Conclusio patet ex Florentino *in decreto vnionis* ex Tridentino *sess.* 7. *can.* 1. 7. & 8. *sess.* 24. in doctrina de Matrimonio. & *can.* 1. Videantur Patres citati in scholio.

Florent. Trident.

Institutio Sacramenti Matth. 19.

Aduertendum, circa probationem ex Scriptura, Doctorem non reiicere probationem illam ex Paulo *ad Eph.* 5. dicit enim nullibi planiùs, quàm *Matth.* 19. hanc institutionem reperiri. Aliqui referunt institutum Sacramentum *Ioan.* 2. Sed meliùs dicitur ibi approbatum fuisse matrimonium: quamuis aliqui Patres doceant, sua præsentia Christum sanctificasse nuptias: vt Cyrillus Alexand. *lib.* 2. *in Ioannis cap.* 22. Damascenus *lib.* 4. *Orthod. fidei, cap.* 25. Euthym. *in panoplia, part.* 2. *cap.* 22. Martialis Papa *epistola ad Tholosanos, c.* 9. Sed hi Patres non institutionē Sacramenti intendunt; sed contra hæreticos probare nuptias esse licitas, & sanctas, quas Christus sua præsentia honorauit. Planiùs ergo videtur ex scopo sermonis Christi *Matthæi* 19. institutio Sacramenti, vbi differit de contractu, & reprobat polygamiam, & præfert cælibatum matrimonio; quam sententiam sequitur Adrianus *q.* 1. *de matrimonio.* Antoninus 3. *part. tit.* 1. *cap.* 2. Victoria *in Summa*, Sotus *in hac dist. q.* 2. *art.* 2. & alij, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.* 2. *de matrimonio disput.* 4. *in fine.*

Christus sua præsentia nuptias approbauit.

40 *Significatio figuralis Matrimonij, non est sacramentalis propriè.*

Eandem conclusionem probant etiam communiter moderni ex loco citato Pauli: quamuis autem matrimonium, qua significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, sit Sacramentum communiter dictum: tamen non hac ratione est Sacramentum propriè dictum: sed qua causat gratiam: nam hanc esse peculiarem rationem Sacramenti nouæ legis, docent Florentinum *in decreto vnionis.* Tridentin. *sess.* 7. *can.* 2. vt fusiùs suo loco tractauimus, & insinuat Doctor *suprà* agens de hac Pauli auctoritate.

Vasquez reiicit argumentum ex loco Pauli desumptum.

r Argumentum ex hoc loco Pauli conatur euacuare Vasquez *disput.* 2. *cap.* 6. quatenus aliqui contendunt locum intelligi de solo matrimonio inter Christianos, ad quos loquitur Paulus, quod impugnat *ex cap. Gaudemus, &c. de diuortijs, &c. ex epistola* 92. *Leonis Papæ, cap.* 4. ex quibus colligit matrimonium, vt primò institutum est, significasse hanc coniunctionem Christi cum Ecclesia; quamuis autem Paulus loquatur ad fideles; ratio tamen eius etiam ad matrimonium infidelium extenditur; *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Verba etiam Christi *Matth.* 19. ad matrimonium indifferenter referuntur, vt fuit Iudæorum, & infidelium. Quod etiam intelligit Innocentius III. *cap. de infidelibus, de consanguinitate, & affinitate*, quo confirmat bigamiam, quam non diluit Baptismus, vt *infrà dist.* 33. dicetur, quæ incurritur ex defectu significationis, quam ex polygamia incurrunt: tandem ita videtur concludere satius fuisse Theologis hanc auctoritatem omisisse, quàm ea probatione niti.

Eius fundamentum.

Contra hoc est: quia Tridentinum *cap. de matrimonio*, vtraque hac auctoritate, quas adducunt, & Doctor & Theologi, vtitur, asserens Christum Sacramentorum institutorem sua passione promeruisse gratiam, qua coniuges sanctificaret, idque Paulum Apostolum insinuasse in verbis prædictis, potissimùm illis verbis: *Sacramentum hoc magnum est*, &c. 41 *Impugnatur.*

Respondet Vasquez id quidem verum esse, neque obstare dictis, nam hoc ipso quòd *Responsio.*

matrimo

matrimonium fuit semper signum vnionis Christi cum Ecclesia per amorem, conueniens valdè fuit vt ipse Christus passione sua hoc signum perficeret, efficerétque, vt non solùm amore naturali, sed etiam charitatis, coniuges significarent vnionem prædictam. Cùm verò Concilium veritatem aliquam ex loco Scripturæ ex professo confirmat, quæ in eo expressè contineatur, vel efficaciter ex eo deducatur, loquitur alio modo, vt *sess.* 13. *cap.* 4. agens de transubstantiatione, & *sess.* 14. *cap.* 5. agens de præcepto confessionis, quod colligit *ex Ioannis* 20. *Quorum remiseritis*, &c. in hoc autem *sess.* 24. veritatem Catholicam ex constanti & perpetua Ecclesiæ traditione solùm deducit, & definit.

42 *Impugnatio.*

Hæc responsio meritò non placet. Primò, quia supponit in loco prædicto Pauli non contineri hanc veritatem, aut insinuari, cuius contrarium affirmat Concilium. Deinde, neque Paulus, neque Concilium loquuntur de congruentia dandæ gratiæ, aut conuenientia sola, sed de facto. Non rectè ergo explicantur per hoc quòd congruum fuerit Christum meruisse sua passione gratiam Sacramentalem dari in matrimonio. Quod autem addit Concilium, aliàs vti locis Scripturæ aliter, vt in exemplis allatis, quàm vtatur hoc loco, non est verum: quia aliis Scripturis non vtitur aliter, quàm ad absolutam definitionem veritatis fidei, iuxta veram interpretationem earum, quam Patres, & Ecclesia intellexit; ita etiam hoc loco Pauli iuxta mentem Apostoli vtitur asserens Apostolum innuisse gratiam huius Sacramenti maximè per illa verba, *Sacramentum hoc magnum est*, &c. Interpretatur autem Concilium sensum Apostoli illum esse, & Scripturam illam ita absolutè interpretatur, vt contineat hanc veritatem, quam innuit Paulus; non enim discurrit Concilium, sed absolutè declarat, & definit hæc, nempe perpetuum, & indissolubilem nexum matrimonij diuini Spiritus instinctu pronunciasse primum parentem in verbis præfatis. Secundò, Christum Dominum *Matth.* 19. apertiùs docuisse illud vinculum esse tantùm duorum. Tertiò, Christum Sacramentorum institutorem sua passione nobis meruisse gratiam, quo illud vinculum confirmaret, & sanctificaret. Quartò, quòd hoc Paulus Apostolus insinuat in præfato loco, ac tandem ex hoc per consequentiam deducit: *Cùm igitur matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Christum gratiam præstet, meritò inter legis nouæ Sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri, Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt*, &c. Quibus verbis ex tertia & quarta definitione præmissa, quæ absolutam & indubitabilem assertionem continent, confirmat veritatem vniuersalis traditionis Ecclesiæ, tantum abest vt veritatem Catholicam, vt præfatus author asserit, ex sola traditione deducat, & definiat: vt è contra veritatem traditionis ex loco Pauli confirmet, & deducat.

Paulus & Trid. loquuntur de facto, non de congruentia.

Idem modus loquĕdi Concilij hic & aliàs.

Deductio Concilij.

Fit ex loco Pauli.

43

Neque aliter procedit in locis allegatis, vt *sess.* 13. *cap.* 4. ex verbis Christi, & perpetuum sensum Ecclesiæ, & veritatem transubstantiationis colligit *sess.* 14. *cap.* 1. ex institutione pœnitentiæ per modum tribunalis & potestate iudiciaria per claues data colligit præceptum confessionis integræ. Eodem modo in proposito ex loco Pauli veritatem traditionis: meritò ergo Catholici Doctores hunc locum vrgent, neque ideò reprehendi possunt, cùm Concilium ita declaret in eo Paulum insinuare institutionem, & gratiam Sacramentalem, volens officia mutua & debita inter maritos, & vxores in Christo commendare, & participent eam vnionem, quam significat matrimonium, nempe Christi ad Ecclesiam, & diligant se inuicem, sicut Christus Ecclesiam perfecta charitate, qua eam mundauit, & sibi desponsauit. Vnde 1. *ad Corinth.* 7. monet, vt quæ nubant, nubant in Domino.

Idem est processus eius in alijs locis allegatis.

Sensus Pauli.

Scribit ergo Paulus Christianis de veritate, & nexu matrimonij, comprehendens non solùm ea, quæ matrimonio adiuncta sunt ex prima institutione; sed etiam quæ coniuncta sunt ex institutione Christi, & Sacramenti; nam hæc potiora sunt, & quoad indissolubilitatem contractus, vt insinuat ipse *ad Corinth. loco citato* matrimonium inter infideles solui in fauorem fidei, quando alter coniugum in infidelitate perseuerat, nec sine præiudicio fidei cohabitare velit. Inter Christianos non ita: quia manet insolubile.

Item, matrimonium Christianorum habet perfectiorem significationem, qua Sacramentum est, quàm fuerit significatio eius ex prima institutione, quæ participat suum signatum per gratiam Sacramentalem, quam prius non habuit, & communicat in forma cum vnione significata Christi cum Ecclesia mediante charitate. Si Paulus Christianis scribit, non debuit solùm commendare matrimonium in iis tantùm, quæ ei conueniebant in priori statu, nihil intendens de eo, quod ipsi competit in statu Sacramenti, & quod potius est; quia sic esset mancus in doctrina, si non innueret legem in specie, qua Christiani obligabantur ad mutua officia, præter illam, quæ generalis ab initio fuit: comprehendit ergo vtrumque; sed ex scopo magis agit de matrimonio Christianorum, quod & lege generali primæ institutionis obligat ad mutua officia, & ex lege speciali Sacramenti. 44

Matrimoniũ fidelium perfectius significat.

Congruentia ex ratione.

Vnde dicit *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Verumtamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam diligat sicut seipsum*, &c. nempe *Sacramentum magnum* non solùm ex magnitudine rei significatæ, quamuis in forma non communicabat matrimonium in *esse* contractus significato, sed sola significatione, eo modo quo Sacramenta veteris legis significabant gratiam, quam in *esse* formæ non continebant. Sed etiam dicitur matrimonium Christianorum magnum, quia gratiam & charitatem, qua Christus vnitur Ecclesiæ vt sponsæ, in se ipso continet, qua est Sacramentum; nec est nudum signum vt antè fuit, sed signum continens significatum. Diligere autem vxorem vt seipsum, charitatis diuinæ præceptum & effectum designat. Vnde Apostolus combinat vbique, & signum & signatum quasi inseparabilia in matrimonio, prout de ipso loquitur, nempe de matrimonio Christianorum, similitudinem retinens dilectionis per charitatem, quæ debet esse inter coniugatos, sicut inter Ecclesiam & Christum, *Viri*, inquit, *diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam*: quomodo autem dilexit Ecclesiam: nempe per charitatem; 45

Matrimoniũ quibus ex causis magnũ est Sacramentum.

Matrimoniũ fidelium communicat in forma significato.

& seipsum tradidit pro ea, &c. *Maiorem autem charitatem nemo habet, quam vt quis ponat animam suam pro amico suo*, &c. Ioan. 15. Christus tradidit se ipsum pro Ecclesia ex hac charitate diuina, & supernaturali, cuius similitudinem, & communicationem vult Paulus esse in coniugatis, quoad mutua officia: ideò manet *infrà*, vt vir diligat vxorem sicut seipsum, quod est charitatis. *Qui suam vxorem*, inquit, *diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet, sicut Christus Ecclesiam*, &c. vbi repetit similitudinem institutam, vt denotet communicationem debere esse in forma.

46 *Responsio ad rationes oppositas.* Ad fundamenta ergo opposita. Respondetur matrimonium, vt primò erat contractus, & non Sacramentum, habuisse significationem, & fuisse Sacramentum latè sumptum, & de hoc nulla est quæstio. Cæterùm Paulus hîc ex scopo loquitur de matrimonio Christianorum secundùm omnia, quæ ipsi conueniunt, siue ex prima institutione diuina, siue etiam ex institutione Christi, qua Sacramentum est causans gratiam, & perficitur significatio contractus, vt de speculatiua fieret practica, & de mero signo denotante vnionem Christi cum Ecclesia per charitatem, de qua vnione hîc agit Paulus, translatum est per Christi institutionem, vt communicaret in forma vniente, quæ est charitas, eámque contineret, & daret per modum effectus, cum maiori firmitate, quàm habebat primùm, vt erat contractus ciuilis tantùm. *Scopus Pauli.*

Interpretatio vera Doctorum. Benè ergo Doctores Catholici interpretantur, qui dicunt Paulum hîc loqui de matrimonio Christianorum tantùm, ad quos loquitur, & quibus iam notum erat mysterium coniunctionis Christi cum Ecclesia; quod in similitudinem trahit Paulus ad declarandum conformitatem, quæ debet esse inter signum & signatum; neque refert quòd matrimonium aliàs significabat vnionem Christi cum Ecclesia, & quòd verba aliqua Pauli, vt sunt illa *Genes.* 2. possint aliquo modo intelligi de matrimonio latè sumpto, etiam quod non est Sacramentum propriè dictum; hoc, inquam, non refert, tum quia non verba, sed scopus & materia subiecta est attendenda.

47 *Significatio æquiuoca non variat nomen signi.* Deinde, signum, quod perficitur in sua significatione respectiuè ad idem signatum, non mutat nomen, aut appellationem, quamuis æquiuocum sit, vt patet ex definitione æquiuocorum, quorum nomen commune est, & idem de vniuocis. Vsus autem signi ex re substrata intelligitur; sic Patres dicunt Christum per contactum suæ sanctissimæ carnis sanctificasse aquas ad effectum Baptismi; sanctificauit etiam eas per institutionem Sacramenti: aqua autem per diuersas suas sanctificationes inducit diuersam rationem signi in ordine ad sanctitatem veram significandam, quamuis non variat nomen, etiam in *esse* signi. Sic panis, & vinum à quibusdam Patribus, vt suo loco diximus, sunt symbola corporis & sanguinis ante consecrationem, per oblationem sui, post consecrationem Sacramentum etiam dicitur panis, quamuis in vna acceptione denotetur signum, in altera denotetur signatum, vt subest accidentibus panis, & vini, & sumitur per modum pastus spiritualis. Suppositio autem, seu signi multiplicis acceptio colligitur ex materia subiecta, & scopo loquentis. *Exempla.*

Ad propositum, Apostolus loquens de matrimonio Christianorum, quod includit non solùm rationem Sacramenti propriè dicti, sed etiam contractus, & sub vtroque modo significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per diuersam institutionem, & diuersum modum significandi in ordine ad idem significatum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, & consequenter sub vtroque modo est Sacramentum, seu signum sacrum: ideóque Apostolus non mutat appellationem, seu vocem, quamuis scopus eius sit loqui de matrimonio Christianorum, quod vtramque significationem inuoluit, nec tam alludit ad verba primi parentis *Gen.* 2. quàm ad verba Christi Domini *Matth.* 19. vbi verisimilius est tum accessisse contractui rationem Sacramenti propriè dicti per Christi institutionem. Si ergo matrimonium, qua Sacramentum est propriè dictum, est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia communicans in forma coniunctionis, & simpliciter in omni casu in vinculo solubili, si est consummatum, rectè deprehenditur ex scopo Apostoli, & venit nomine *Sacramenti magni* antonomasticè: quia stat pro famosiori significato absolutè posito, & ex materia subiecta, vt dixi, quod est Matrimonium inter Christianos sub vtraque ratione consideratum. 48 *Applicatio prædictorum.*

Non valet ergo consequentia: Matrimonium ex prima institutione significat coniunctionem Christi cum Ecclesia: ergo ex secunda institutione non significat eandem. Loca, quæ adducit Vasquez, tendunt ad similem formam arguendi, nam ex priori affirmatiua vult contendere hîc non agi de matrimonio Christianorum, quæ est fallacia secundùm æquiuocationem: nam contractus ipse ciuilis est Sacramentum, seu signum illius coniunctionis; qua verò eleuatur ad *esse* Sacramenti, idem etiam significat, sed perfectiori modo: sub vtraque ergo ratione dicitur Sacramentum per diuersam institutionem, & appellatione *Sacramenti magni* venit Matrimonium in perfectiori significatione Sacramenti strictè sumpti. 49 *Fallacia consequentiæ.*

Hæc etiam veritas rectè colligitur ex illo loco Pauli 1. ad Timotheum 2. *Saluabitur autem* (supple vxor) *per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*, &c. id est, continentia thori, vbi supponit hæc bona per Matrimonium dari Christianis. Hunc etiam locum inefficacem esse dissserit Vasquez: quia non constat Apostolum per sanctificationem intellexisse peculiarem sanctitatem collatam in Matrimonio. Sed hæc interpretatio humilis est, quasi verò Apostolus supposita institutione Sacramenti per Christum, quam ipse nouit, negligeret bonum Sacramenti ex institutione redundans, & tantùm ageret de dilectione, quæ ex natura contractus ex prima institutione conueniret. Videantur Patres citati à Scholiaste, ex quibus probatur conclusio. 50 *1. ad Timoth. 2. eadem veritas continetur.* *Responsio reijcitur.*

Prædictam fidei conclusionem negant hæretici, vt Lutherus *in lib. de captiuit. Babylonica, c. de Matrimonio.* Caluinus *lib. 4. institutionum, cap.* 19. Beza *in Annot. ad cap. 5. ad Ephesios.* 51 *Hæresis.*

Catholici etiam Doctores aliqui non rectè senserunt in hac materia. Durandus *in hac distinct.* *Sententia quorundam falsa.*

distinct. q. 3. affirmat *ex cap. Ad abolendam*, esse de fide esse Sacramentum; dicit tamen non conferre gratiam suscipientibus: sed dici æquiuocè Sacramentum, vt comparatur ad alia sex, quæ dant gratiam. Citat in eandem sententiam Iurisperitos, Gotfredum *in Summa, tit. de Sacramentis.* Hostiensem *lib. 1. eodem tit.* Bernard. *in cap. Cum in Ecclesiæ, de simonia.* Glossam *in cap. Honorantur 32. quæst. 2.* Hæc sententia nequit sustineri; vt patet ex Canonibus citatis Florentini, & Tridentini. *Aliorum sententia.* Alij etiam volunt matrimonium fuisse Sacramentum etiam ante legem nouam; sed vel intelligendi sunt de Sacramento latè sumpto, vel non rectè cohærent Tridentino, quod definit matrimonium esse Sacramentum legis nouæ à Christo institutum, vt *sess. 7. can. 1.* & expressissimè *sess. 24.* in doctrina de hoc Sacramento; vbi supponit non dedisse gratiam ante institutionem Christi, *can. 1.* Superest itaque vt fundamentis eorum respondeamus.

52 *Obiectio hæreticorum.* Obiiciunt hæretici non colligi ex Scriptura, & potissimùm ex loco Pauli *ad Ephesios.*

Soluitur. Respondetur negando antecedens quoad vtramque partem.

Dices, in Græco non inueniri Sacramentum, sed mysterium.

Respondetur Sacramentum Latinè idem significare, quod mysterium Græcis, vt probatum est *dist. 1. quæst. 2. in principio.*

Secunda obiectio. Obiiciunt secundò, matrimonium repugnat Sacerdotio, non sic vnum Sacramentum alteri.

Soluitur. Respondetur repugnare ex Iure Ecclesiastico ratione status, vel, vt alij volunt, Iure diuino, si præcedat Sacerdotium, de quo iam non dissero. Ob eminentiam ergo status, & puritatem diuini cultus prohibetur matrimonium Sacerdotibus, qui munditiam ferre debent ad altare, & non implicare se negotiis sæcularibus, *2. ad Timoth. 2. Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, & diuisus est, 1. ad Corinth. 7.*

Tertia obiectio. Obiiciunt tertiò matrimonium fuisse inter Ethnicos, & infideles.

Soluitur. Respondetur fuisse in ratione contractus, non autem Sacramenti propriè dicti.

53 *Quarta obiectio.* Obiiciunt quartò Syricium vocare matrimonium, immunditias, *in epistola ad Hemerium Tarraconensem.*

Soluitur. Respondetur eum reprobare matrimonia sacrilega Sacerdotum. Deinde, licèt matrimonium, cuius vsus sit legitimus, non sit immunditia quoad peccatum; est tamen immunditia quoad indecentiam: quia *tribulationem carnis sentiunt huiusmodi*, ex Apostolo. Et inquinamentum quoddam, ex Apocalyps. 14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, &c. Ideò Apostolus dicit Virginem, quæ manet, esse *sanctam corpore & animo*, &c.

Obiectio Durandi. Obiicit Durandus alia Sacramenta ex institutione esse signa, & non naturâ suâ, sicut matrimonium; ab aliis applicantur semper res externæ, non ita in matrimonio. Non confert gratiam primam, sicut Baptismus, neque secundam: quia aliàs sequeretur quòd qui primùm vixerunt in gratia, & continentia, eadem gratia ipsis augeretur per matrimonium, quod non est credibile, quia transeunt ad statum imperfectiorem. Item, quod est argumentum Iurisperitorum, in matrimonio pactum interuenit de dote: ergo si est Sacramentum, fit simonia. Ecclesia mutat plura circa matrimoniū, quod nequit circa Sacraméta; Sacramenta ab aliis ministris conferuntur, non ita matrimoniū: ergo, &c.

Respondetur rationes istas esse inanes, & nullius probationis. 54 *Responsio ad primum.* Ad primum dictum, est matrimonium esse ex diuina institutione in ratione contractus, & quidquid sit de hoc, in ratione Sacraméti propriè dicti est signum ex institutione.

Responsio ad secundum. Ad secundum, respondetur conferre gratiam ex opere operato, quinetiam ex opere operantis, quia est actus de se honestus, & meritorius, si fiat cum debitis circumstantiis; neque refert quòd transitur de statu perfectiori ad statum minùs perfectum; quia ille prior status est consilij, non præcepti, neque tenetur quisque sequi semper perfectiora, sed operari bonum, & obseruare legem; quamuis autem assumens statum matrimonij consummati non habeat meritum cœlibatus, habet tamen meritum matrimonij, si illud debitè obseruet.

Ad tertium. Ad tertium: Pactum de dote non esse propter Sacramentum, sed propter onera contractus.

Ad quartum. Ad quartum, respondetur Ecclesiam non mutare materiam Sacramenti, quæ est contractus legitimus, sed statuere circa ipsum contractum, vt lege reguletur, & tollantur abusus, & vt fiat legitimus sine fraude, & detrimento.

Ad quintum. Ad quintum, respondetur quodlibet Sacramentum habere propriam, & diuersam rationem; hoc autem Sacramentum similiter, quia in contractu consistit, qui debet per consensum partium, quo obligantur, perfici; ideò perficientes contractum, perficiunt & Sacramentum.

Obiicit præterea, matrimonium fieri validum inter infideles. Ad hoc responsum est. 55 *Alia obiectiones.*

Obiiciunt hæretici perniciosum esse non constare de materia & forma Sacramenti; inter Doctores Scholasticos non constat de materia, & forma matrimonij: ergo non est Sacramentum.

Respondetur constare inter Catholicos contractum legitimum inter coniugatos esse Sacramentum; an autem sic, vel sic habeat rationem formæ, aut materiæ, non est res fidei, sed quæstio disputabilis.

An fidelis cū infideli matrimonium sit Sacramētum. Petes primò, vtrùm matrimonium fidelis cum infideli sit Sacramentum ex parte ipsius fidelis saltem. Supponitur matrimonium fore legitimum vel ex dispensatione, vel alia ratione saltem ex suppositione quòd esset legitimum in ratione contractus, vtrùm esset Sacramentum ex parte fidelis. *Prima sententia.* Negatiuam partem tenent communiter moderni, vt Vasquez *loco cit. c. 10. n. 113.* Sanchez *disput. 8.* Angles *1. de matrimon. q. 12.* Henriquez *lib. 11. de matrimonio, cap. 2.*

56 *Secunda sentētia præfertur.* Affirmatiuam docet Sotus *in hac dist. quæst. 2. art. 2.* Eckius *in lib. homil. hom. 73. de Sacramentis*; & est magis conformis nostro Doctori *infrà in hoc §. versu, Ex hoc patet*, &c. vbi dicit dari duplicem formam partialem huius Sacramenti: & probatur; quia fundamentum oppositæ sententiæ stat in opposito, quatenus putat Sacramentum matrimonij esse vnicum vnitate indiuisibilitatis; quod non esse verum, ibi probabimus. *Probatio.* Secundò, consensus, vt procedit personaliter à quolibet coniuge, inducit obligationem contractus passiuam, & actiuam ex parte eius; ergò sic præcisè perficit Sacramentum in ipso: sed nihil deest ex parte baptizati, quin fiat contractus eius signum sensibile causans gratiam in ipso, quia

quia est contractus legitimus, & matrimonialis, quo transfert potestatem sui corporis in alium, & vicissim acquirit potestatem alterius per mutuum consensum: ergo perficit ex parte sua Sacramentum, quia ipse sibi ministrat Sacramentum, & non alter, licèt non posset ministrare sine consensu concurrente ex parte alterius; quia nequit poni contractus legitimus sine concursu vtriusque. Sufficit ergo vt sit baptizatus, & ponat contractum legitimum ex parte sua per verba expressum, contra hoc nullum sequitur inconueniens, supponendo contractum esse, aut fieri legitimum.

57 *An matrimonium infidelium conuersorũ fiat Sacramentum.* Petes secundò: An matrimonium infidelium, quando baptizantur, fiat Sacramentum?

Sententia affirmatiua. Affirmatiua pars tenetur à pluribus; sed bifariam. aliqui docent, sine vllo consensu nouo, aut ratificatione fieri Sacramentũ. Ita D. Thom. *in 4. dist. 39. quæst. 1. art. 1. ad primum.* Paludanus *in hac dist. q. 4. art. 3.* & plures eius discipuli. Couarruuias *2. part. de matrimonio, q. 1.* Alij docent, si interueniat nouus consensus, seu ratificatio, fieri Sacramentum. Capreolus *in hac dist. quæst. vnic. art. 3. ad 5.* Eckius citatus. Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 5.* Henriquez *lib. 11. de matrimonio, cap. 8.* Sanchez *lib. 2. disput 9.*

Sententia negatiua præfertur. Respondetur tamen negatiuè, & hoc magis conforme est Doctori *infrà d. 39.* vbi docet matrimonium infidelium fieri ratum post Baptismum, eo quòd impedimentum fidei per Baptismum tollatur, quod esset fortius ligans in ordine ad Deum, si alter coniunx nollet manens infidelis cohabitare fideli baptizato. Suscepto autem vtrimque Baptismo, tollitur impedimentum hoc. Vide ipsum §. *Hic sunt duo videnda, &c. In responsione ad secundum dubium,* quod in fine mouet. Hanc sententiam tuetur Vasquez *disput. 2. de matrimonio, cap. 10. num. 117. & sequentibus in responsione ad hoc dubium.* Conink *disput. 24. dub. 2. conclusione 6.* Ledesma *de matrimonio, quæst. 59. artic. 2. ad 3.* Cornexus *disput. 2. dub. vltimo, in responsione ad vltimam obiectionem.*

58 *Probatio.* Probatur, quia regula generalis de Sacramentis, quæ consistunt in vsu, seruanda est, quando nullum inconueniens sequitur, aut aliqua ratio ex particulari ratione Sacramenti vrget. *Sacramenta causant. Vt sunt in se, aut suo effectu.* Illa autem regula est, vt Sacramenta, quando non sunt in se, aut vllo suo effectu disponente ad gratiam, non conferant gratiam, sed inter infideles præteriit contractus matrimonij, neque nunc est, dum baptizantur, neque vllus eius effectus positiuè disponit ad gratiam Sacramenti, quia Sacramentum non fuit positum, cùm contractus non fuerit inter baptizatos; neque proinde ex vi Sacramenti, quòd non receperunt ipsis debetur effectus Sacramenti, eo modo quo dicitur in aliis dari ficto, recedente fictione, applicato tamen priùs in reipsa Sacramento sensibili, cuius effectus fuit impeditus: ergo ex hac parte non debetur effectus Sacramenti matrimonij, nisi ei, cui applicatur ipsum Sacramentum.

59 *Matrimoniũ non innouari per conuersionem.* Sed neque per Baptismum applicatur hoc Sacramentum de nouo, neque applicari potest, quia contractus iniri nequit, qui est completè consummatus secuta translatione mutua, & vinculo insolubili, cùm non sit in potestate coniugum maius vinculum inducere per contractum, licèt aliàs vinculum illud esset solubile ex causa; neque possunt coniuges transferre potestatem sui, quæ iam translata est, cùm nullus potest Iure disponere de re non sua per contractum legitimum.

Neque Baptismus illi vinculo concedit aliam firmitatem, nisi quòd sit ratum, hoc est, non possit dissolui, quia semouetur impedimentum fidei, quo ex mente legislatoris esset solubile; sumpto autem Baptismo, iam remouetur illud impedimentum, quo amoto manet vinculum insolubile, & ratum ex lege simpliciter, & absolutè, quod aliàs tantùm fuit ratum sub conditione, nisi scilicet interueniret impedimentum fidei fortiùs ligans, quàm erat vinculum matrimonij inter infideles; ergo ex ratione peculiari matrimonij, vt celebratur per modum contractus, vel vt est Sacramentum annexum, non suppetit fundamentum conferendæ gratiæ matrimonialis infidelibus conuersis; & magis videtur consonum rationi, vt dicatur Deum per fidem, conuersionem, & Baptismum eorum supplere hanc gratiam, quàm vt detur gratia Sacramenti ex opere operato, nullo adhibito Sacramento. *Quomodo fit ratũ per Baptismum.*

Obiicies: Matrimonium non fuit ratum ante Baptismum, post Baptismum fit ratum: ergo fit Sacramentum, sicut venditio rei priùs facta, ita tamen vt non sit simpliciter firma; sed ad nutum partium posse rescindi, si superueniat aliqua circumstantia, per quam reddatur irreuocabilis, per eam simpliciter fit firma. 60 *Obiectio.*

Respondetur ex dictis, coniugium infidelium fuisse ita ratum ex lege, vt in potestate eorum non sit ex voluntario tantùm consensu illud rescindere, aliàs non esset verum matrimonium, aut secundùm legem; non fuit autem firmum simpliciter, & insolubile in ordine ad legem fidei, nisi ex conditione, & secluso impedimento, quod remouet Baptismus, qui est Sacramentum fidei. *Responsio.*

Obiicies: Qui sentiunt onera, debent sentire vtilitatem. *Obiectio.*

Respondetur eos esse incapaces vt sentiant vtilitatem per Sacramentum, cuius non sunt capaces, sicut neque contractus de nouo. Non desunt alia media, quibus sibi subuenire possunt. Vnde, qui dicunt Baptismum esse consensum virtualem, aut præterea requiri ratificationem, aut consensum nouum; ideò ad hæc recurrunt, vt fingant materiam & formam necessariam Sacramenti; & consequenter sine hoc consensu non posse acquirere gratiam sacramentalem. Ex ratione autem dicta nequit inter ipsos saluari materia, qui supponit quemque eorum esse sui iuris, & non in potestate alterius: quod dici nequit de iam coniugatis, qui celebrarunt contractum legitimum, qui non est suspensus, aut impeditus, neque posito Baptismo ampliùs impediri potest, si est consummatum matrimonium. Vnde si baptizarentur seorsim vtroque inscio, non minùs esset matrimonium eorum ratum; quamuis neque virtualiter, neque implicitè, neque explicitè consentiret alteruter in matrimonium alterius. *Soluitur. Contractus nequit innouari. Supponit partes esse sui iuris.*

Petes: An inter fideles possit separari à matrimonio ratio Sacramenti, ita vt sit tantùm contractus legitimus, & non Sacramentum? 61 *Dubium.*

Respondetur negatiuè, quia inter fideles contractum habere rationem Sacramenti non dependet *Resolutio non separari in*

fidelibus contractū, & Sacramentum. pendet ab eorum voluntate, sed ab institutione Christi, quam ipsi separare nequeunt à Sacramento.

Aliud dubiū. Sed quid, an esset validum matrimonium, tam in *esse* contractus, quàm in *esse* Sacramenti?

Resoluitur. Ex natura intentionis. Respondetur ex natura intentionis eorum hoc esse resoluendum: nam si intendunt contractum stabilem, & mutuam corporum translationem ad finem matrimonij intentum, sicut in lege naturæ, aut aliàs institutum est, quamuis excluderent rationem Sacramenti, siue per errorem particularem, siue alio modo, salua tamen intentione absoluta contractus est Sacramentum, quia ratio Sacramenti annexa est contractui ex institutione legislatoris, quæ ab eorum voluntate non dependet, nisi inquantùm contractus legitimus ab eis procedit. Supposito autem contractu inter tales implicitè etiam voluntas eorum intendit Sacramentum, sine quo nequit esse contractus legitimus inter tales. Vnde nolitio Sacramenti non detrahit contractui hoc modo concepta, neque consequenter Sacramento, estque tantùm conditionata in effectu & practicè.

Si tamen talis sit nolitio Sacramenti, vt prædominetur absolutè voluntati contrahendi, neque insit nisi cum conditione non perficiendi Sacramentum, & in casu, quo necessarium sit perficere Sacramentum, desisteret voluntas contrahendi, tum voluntas contrahendi non est absoluta, sed implicat conditionem repugnantem intentioni contractus, quam fortiùs intendunt, quàm ipsum contractum; ideóque nihil fit ex defectu requisitæ intentionis.

Prædicta resolutio est Doctoris *infrà in hoc tract. 5. Si autem non determinauit*, &c. vbi dicit quòd omnem contractum, legitimum scilicet, concomitatur Sacramentum in lege Euangelica, id est, inter baptizatos, quia illud signum, quod requiritur ad contractum, est ex institutione Sacramentum; hoc est, independenter à contrahentibus, & non ex eorum voluntate.

62 *Dubium. Eius intentū.* ¶ *Sed hic est dubium*, &c. Hìc mouet dubium de forma huius Sacramenti, & loquitur de forma, vt comprehendit etiam materiam, nempe de forma inducendi obligationem contractus, in quo consistit Sacramentum; vel de causa efficiente vinculi eo modo, quo Florētinum in Decreto vnionis loquitur. Quod autem est causa efficiens vinculi, est etiam causa gratiæ sacramentalis. Dubium ergo mouet Doctor circa formam hoc modo sumptam, quomodo cadat sub institutione Christi, & sacramētali, vt sit signum gratiæ efficax: an scilicet institutio præscripserit formam tantùm indeterminatam, non immutans contractum, sed tantùm determinans omnem contractum legitimum, & ex humana impositione signo expressum: an potiùs determinauit aliqua verba præcisè, sine quibus non fieret Sacramentum, quamuis aliàs sufficerent ad contractum humanum, & legitimum; & an præter signa requiruntur ipsa verba? Inter ista statuit discrimen, non resoluit tamen quid in facto contigit; quamuis mens eius colligatur ex discursu inclinari in hoc, quòd non determinauit strictiùs verba, quàm vt ad contractum indifferenter exigantur, neque etiam signa.

In qua forma institutū est Sacramentū?

Prima responsio. Respondet, si determinauit verba strictissimè, id est, sub determinata forma, & strictiùs quàm exigantur ad contractum, semper contingeret matrimoniū celebrari in Ecclesia absque eo quòd fieret Sacramentum: quia contractus sæpè celebratur sub differente forma verborum.

Respondet secundò: Si determinauit verba, sed indifferenter exprimentia contractum, sequi inter mutos fieri contractum sine Sacramento: nec istud est absurdum, nempe contractum separari à Sacramento, quia vsque ad legem Euangelicam ita fuit separatum, & etiam inter infideles est contractus sine Sacramento. *Secunda responsio.*

Respondet tertiò: Quòd si non determinauit requiri aliud signum, quàm sit sufficiens ad contractum ex impositione humana in quocumque contractu in lege Euangelica comitari Sacramentum. In his responsionibus nihil resoluit Doctor; sed consequenter quid dicendum sit, exponit. Propter varias sententias Doctorum in hac quæstione, quia D. Thomas *in 4. dist. 1. q. 1. artic. 3. in quinta ratione, & eius solutione*, videtur negare per solos nutus perfici Sacramentum, quamuis fiat contractus legitimus: neque adeò certum est contractum inter baptizatos non separari quandoque à Sacramento, vt quando contractus de præsenti fit per procuratores absentium: quam sententiam docet Durandus *in præsenti dist. quæst. 3.* Caietan. *tom. 1. opusculorum, tract. 12. de contractu matrimonij, q. 2.* Victoria *in Summa de matrim. num. 244.* Canus *de locis lib. 8. cap. 5. ad 3.* Viguerius *in suis institut. cap. 16.* Barthol. Ledesma *in 2. edit. dub. 18.* & probabilem docet Sotus *in 4. dist. 27. artic. 3. ad finem.* Lopez *2. p. instructorij de matrim. cap. 35.* Petrus Ledesma *de matrim. quæst. 42. artic. 1. dub. 7.* asserens fieri Sacramentum, quando posteà per præsentes ratificatur contractus. Superiùs etiam dixi *in litera præcedenti 2. petitione*, matrimonium inter infideles conuersos ratificari per Baptismum, quamuis non transeat in Sacramentum, vt nunc loquimur de Sacramento. 63 *Tertia responsio.* *Aliquādo celebrari contractum sine Sacramento.* *Vt quando fit per procuratores.*

Meritò ergo Doctor in litera negat matrimonium inter mutos fieri Sacramentum, si verba propriè dicta, vt distinguuntur à signis, & nutibus, requiruntur ad matrimonium ex diuina institutione, vt fiat Sacramentum: quia tamen nihil differit nisi ex suppositione institutionis hoc, vel illo modo factæ determinatè quoad verba, vel indeterminatè, vt comprehēdit etiam quæcumque signa ex humana institutione significantia contractum legitimum de præsenti, immeritò Sanchez *lib. 2. de matrimonio, disp. 31. q. 2.* eum citat pro sententia, quam asserit D. Thomas, cùm nihil resolutiuè in hoc tradat, nisi rationem Sacramenti pensandam esse ex natura institutionis, & modo, quo facta est.

Tertia responsio est magis sequenda ex principiis Doctoris, quia in textu præcedenti docet, quòd institutio matrimonij in *esse* Sacramenti facta est *Matth. 19.* vbi Christus Dominus loquitur de matrimonio, nihil innouans in contractu, sed absolutè prout ex prima sua institutione tenebat: ergo institutio ibi facta non limitat contractum aliter fieri, vt sit Sacramentum inter fideles baptizatos, neque ad hoc aliquid requiri magis, quàm vt præcedat Baptismus, & fiat contractus legitimus iuxta primam institutionem; rectè deducitur etiam id solum sufficere ad Sacramentum; sic etiam neque Paulus *ad Ephes. 5.* alludens tam ad verba primi parentis, quàm ad eadem repetita, & confirmata à Christo aliquid speciale in contractu designat: 64 *Sententia magis conformis Doctori.* *Institutio Sacramenti non variat formā contractus.*

ſignat: de quo loquitur ſolùm abſolutè, & vniuerſaliter iuxta primam inſtitutionem; ſed ex Doctore, & communi, muti non erant inhabiles ad hunc contractum, quin legitimè inter illos transigi poſſit, & ſaluari finis, & reliquæ eius circumſtantiæ, neque nunc ſunt inhabiles, vt idem aſſerit; & patet ex *cap. Tua fraternitati*, &c *de ſponſalibus, & matrimonio*, &c. *Surdi*, inquit, *& muti poſſunt contrahere matrimonium ſine verbis*, &c. & vt patet ex verbis præcedentibus, loquitur de matrimonio, quod fit etiam Sacramentum inter fideles, docens perfici per conſenſum; ſed verba requiri quoad Eccleſiam, exprimentia conſenſum, *& cap. Cùm apud Sedem Apoſtolicam*, &c. *eodem*; neque Pontifex æquiuocat, vt ſumat matrimonium in ratione nunc contractus, nunc Sacramenti. Hoc idem inſinuat Florentinum, dicens verba regulariter requiri ad matrimonium; loquitur autem de matrimonio quà eſt Sacramẽtum: nam tradit communem, & particularem doctrinam de Sacramentis legis nouæ; quamuis autem in principio doceat hæc Sacramenta perfici in tribus, rebus vt materia, verbis vt forma, & perſona miniſtri, &c. intelligit verba, vel æquiualentia in hoc Sacramento ſufficere, ſicut neque verba ita præcisè attribuit formæ, vt condiſtinguitur à materia, quin etiam habeant quandoque rationem materiæ, vt in Sacramento Pœnitentiæ confeſſio, & in hoc ipſo Sacramento iuxta communem ſententiã modernorum Theologorum, etiam habeant rationem materiæ, vt exprimunt conſenſum mutuũ, quà habet rationem materiæ.

Muti & ſurdi legitimè contrahunt. *Verba nõ eſſe neceſſaria ad valorem.* Florentin.

65 *Dubium.* Dubium eſt an in potentibus loqui requirantur verba, neceſſitate Sacramenti, aut ſaltem ex præcepto?

Prima ſententia requiri verba eſſentialiter. Prima ſententia docet requiri verba neceſſitate Sacramenti tanquam conditio per ſe requiſita, non inſtitutione diuina, ſed Eccleſiæ inhabilitantis perſonas ad contractum aliter, quàm per verba perficiendum, dummodo loqui poſſint, & habere conſenſum. Pro hac citantur plures à Sanchez *diſput. 31. quæſt. 1.* Fundamentum huius eſt *ex cap. Tua*, &c. *ſuprà citato*, vbi requiruntur verba in ordine ad Eccleſiam, tanquam forma contrahendi. *Sed neceſſaria ſunt quantum ad Eccleſiam verba conſenſum exprimentia*, &c. quod neceſſarium eſt in contractu per legem, quæ formam ſonat, & textus conſtituit diſcrimen inter mutos, & valentes loqui. Idem ſupponitur *cap. Licèt*, &c. *de ſponſa duorum*, & *cap. Si inter*, &c. *de ſponſal.*

Secunda ſententia. Secunda ſententia docet ſi præceſſit tractatus de matrimonio, non requiri verba in ipſo contractu; ſecus autem ſi non præceſſerit. Alij dicunt ſufficere verba ex parte alterius.

66 *Prima concluſio. Non ſufficere cõſenſum internum.* De primo non ſufficere conſenſum merè internum ad matrimoniũ, ſiue in *eſſe* contractus, ſiue in *eſſe* Sacramenti: requiritur ergo, vt ſit expreſſus per verba, aut ſigna. Patet, quia hoc vniuerſaliter requirit lex ad contractum humanum, qui ad alterum dirigitur, vt ei innoteſcat, nequit autem innoteſcere niſi per verba, aut ſigna. Sacramentum etiam requirit materiam, & formam ſenſibilem: ergo, &c. Quid ſi per reuelationem internam innoteſcat conſenſus mutuus, & perficiatur?

Non ſufficit reuelatio. Reſpondetur, ſine ſpeciali Dei diſpenſatione non tenere, quia contractus regulatur per legem ordinariam, vt ſit legitimus, quia de eius valore debet cognoſcere reſpondendo de contractu humano in genere, in ſpecie autem Eccleſia de matrimoniali.

67 *Secunda concluſio. Matrimoniũ validè fit per ſigna.* Dico ſecundò matrimonium validè contrahi per ſigna æquiualentia verbis. Hæc eſt communis tam Doctoris in præfatis reſponſionibus, quàm Theologorum, quos citat Sanchez abundè loco citato. Eam inſinuat Florentinum, cùm dicit regulariter verba requiri, *Conſenſus*, inquit, *per verba regulariter expreſſus facit matrimonium*, &c. Patet, quia ante Tridentinum ſponſalia ſecuta copula tranſibant in matrimonium: vt patet *cap. Is qui, de ſponſalib.* ſi copula ſubſequebatur animo maritali.

Ad fundamenta primæ ſententiæ reſponſio. Ad fundamenta in oppoſitum reſpondetur *in cap. Tua*, non ſtatui formam, ſed inſinuari id, quod regulariter fit, & ad probationem matrimonij faciliorem facit: nam cùm Pontifex dicat conſenſum efficere matrimonium, intelligit de conſenſu exteriùs expreſſo; cuius rationem poſteà reddit, *quia muti & ſurdi*, &c. Interrogatus enim Pontifex an ſolis verbis, & quibus contrahatur matrimonium? Reſpondet per conſenſum fieri matrimonium: *nam ſurdi & muti*, &c. *& pueri*, per verba ſine conſenſu non contrahunt, *in c. Licèt, & alio citato*, ſupponuntur verba tanquam ſigna, quæ regulariter adhibentur, & gratia exempli.

68 *Tertia concluſio, perfici Sacramẽtum abſque verbis.* Dico tertiò perfici etiam Sacramentum per matrimonium nutibus, & ſignis contractum inter valentes loqui: eſt Doctoris in tertia reſponſione; & patet ex dictis, quia ſi verba tantùm requiruntur regulariter, & non de neceſſitate contractus legitimi inter tales, & baptizatos, perficitur totum, quod requiritur ad materiam & formam Sacramenti ſine verbis.

69 *Quarta concluſio. Non requiri verba ex præcepto, modò ſubſit cauſa rationabilis.* Dico quartò, licèt valde congruum ſit, vt matrimonium per verba celebretur, ſecluſo ſcandalo non videtur eſſe de præcepto diuino, aut Eccleſiaſtico, modò ſubſit aliqua cauſa ſufficiens, quia recedere à communi forma, quæ eſt in vſu, & in re graui, ſi fiat ex contemptu, peccatum eſſe poſſet: ſi tamen ex cauſa excuſante, qualis in puellis eſt pudor, non eſt peccatum: quia onera non ſunt aggrauanda niſi lex ſit expreſſa; non apparet autem vlla lex in contrarium, quæ præcipiat verba adhibenda eſſe. Vide Sotum *diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. concluſ. 2.* Sanchez *loco citato q. 3.* Parochi autem curare debent vt per verba celebretur, ad efficaciorem probationem: quia res grauis eſt, & ſæpè ſubiecta litibus, & dolis.

70 *Dubium de materia & forma quæ ſint?* Dubitatur ſecundò de materia & forma huius Sacramenti iuxta proportionem, qua aſſignantur in aliis, & vt vniuerſale dictum Florentini ſaluetur. Hæc quæſtio non tangitur à Doctore, & varias ſententias continet.

Prima ſententia Catherini. Prima eſt, actus contrahentium eſſe materiam, verbum Dei ſanctificans matrimonium, eſſe formam. Cather. *in opuſculo de matrimonio, quæſt. 1.* intelligit illa verba *Geneſis 2. Matth. 19.* aliàs citata, in quibus inſtitutio Matrimonij tam in *eſſe* contractus, quàm Sacramenti habetur. Hæc ſententia, ſi intelligatur de forma ſigni totali, quæ eſt per inſtitutionem, non facit ad ſcopum huius quæſtionis. Intellectu verò de forma partiali, reiicitur ab omnibus; quia Deus eſt inſtitutor Sacramentorum, non miniſter; qui autem applicat formam Sacramenti, eſt miniſter. Deinde, tam inſtitutio reſpicit formam, *Reiicitur.*

quàm

quàm materiam: ergo per eam non discernitur forma à materia.

Secunda sententia. Cõsensum esse materiam, verba formã. Reijcitur. Secunda sententia asserit consensum internum esse materiã, verba quibus exprimitur esse formam. Ita Capreolus *art.* 3. *ad* 7. Nauarr. *in Summa.* Glossa *in cap. Tua, de sponſ.* & alij. Hæc impugnatur, quia materia debet esse sensibilis per se, vel per aliud; illud autem, per quod redditur sensibilis, sunt verba, quæ substituuntur consensui, vt signum externum, per quod exprimitur, sicut confessio per verba explicatur. Verba ergo supponunt pro consensu, vt spectat ad Sacramentum, ac proinde nequeunt ponere alteram partem, vt diuersam à materia.

71 *Tertia sententia reijcitur.* Alij dicunt consensum vnius, vt supponitur alteri, esse materiam; sed hoc est per accidens, vt vnius consensus priùs explicetur, quàm alterius: forma autem Sacramenti debet in aliquo per se consistere. *Quarta sententia reijcitur.* Alij dicunt materiam esse personas contrahentes, vt res est translata: sed hæc est materia *circa quam*, non autem *ex qua*, sicut in quolibet contractu aliud est res subiecta, aliud ipse contractus, qui inducit obligationem. Sicut ergo Sacramentalis significatio est annexa contractui, ita etiam debet materia, & forma in ipso contractu discerni, & distingui à re, de qua fit, & à ministris, qui sunt ipsi contrahentes.

Quinta sententia præfertur. Ideóque sententia illa, quæ discernit in contractu mutuam dationem per modum materiæ, & mutuam acceptationem, per modum formæ, quæ acceptatio complet contractum, magis apposité loquitur; & hæc est frequentior modernorum.

Contractus est materia, conformitas ad legem forma. Posset tamen etiam aliter designari materia & forma, & fortè magis ad propositum: quia contractus legitimus est materia, seu fundamentum significationis Sacramentalis; dici ergo potest actum mutuæ translationis, & acceptationis esse materiam, conformitatem autem ad legem esse formam, per quam determinatur ad contractum legitimum, & in his duobus perfici materiam, & formam Sacramenti: quorum vnum sine altero nequit fundare significationem Sacramentalem.

72 *Obiectio. Soluitur.* Si dicas illam conformitatem ad legem non esse sensibilem. Respondetur esse sensibilem, vt contractus exteriùs explicatur per formam conuenientem, & conformem legi; & sine hac contractus esset nullus, quamuis esset mutua datio, & acceptio. Quod dat ergo formam contractui intrinsecè vt sit conformis legi tanquam regulæ, illud potest dici forma contractus, vt comparatur ad significationem Sacramentalem, quæ aduenit contractui legitimo, vt legitimus est, non immutatâ eius naturâ. Hæc autem forma facilè discerni potest à materia, quia materia contractus, vt perficitur in actibus contrahentium, necessariò comprehendit tam dationem, quàm acceptionem, sine quibus nequit consistere, vt versatur in mutuo consensu. Requirit autem vlteriùs hæc materia, vt teneat, & compleatur actu, vt datio & acceptio fiat conformiter ad legem, quæ dat firmitatem, & stabilitatem contractui, aliàs ex mutuo consensu posset dissolui: ergo hæc conformitas magis dicenda est forma, quia dat vltimum actum: loquor autem de conformitate passiua, quæ est regulati ad regulam; & sicut in omni contractu politico, aut ciuili forma contractus validi discernitur in ordine ad legem, ita etiam hîc videtur similiter dicendum.

t *Ex hoc patet secundum*, &c. Respondet formam huius Sacramenti esse vnam vnitate integritatis, non indiuisibilitatis: quia verba hinc inde, vt sunt expressiua consensus, sunt forma respectu contractus, & respectu Sacramenti; neque est inconueniens hoc, vt patet in Sacramento Eucharistiæ, vt concurrant plura signa partialia ad integritatem eiusdem Sacramenti, quorum quodlibet habet propriam efficaciam. 73 *Forma est vna vnitate integritatis.* Contrarium huius docet Petrus Ledesma *de matrimonio, quæst.* 42. *art.* 1. *dub.* 3. *ad* 3. quem sequitur Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, disp.* 10. *n.* 5. Enriquez ab eo citatus. Conink *disp.* 24. *dub.* 2. *conclus.* 6. *Sententia aliorum.*

Probatur conclusio Doctoris. Tenenda est sententia Doctoris, quia licèt coniunctio mutua, seu contractus, significent coniunctionem Christi cum Ecclesia, vt dicit Ledesma, aut naturæ assumptæ cum supposito diuino, sub hac ratione non est Sacramentum nouæ legis, quia & hanc coniunctionem non causat, sed supponit. De ratione autem Sacramenti nouæ legis est causare suum significatum. Deinde, eandem significationem habuit, antequàm institueretur Sacramentum. Dicitur autem Sacramentum vt causat gratiam.

74 *Ex diuersitate effectus.* Duplex autem gratia hîc causatur, & per duplicem causam, nempe per vtrumque consensum mutuum verbis expressum; quæ diuersitas consensus constituit contractum, qui ex his integratur; neque datur aliquid sensibile causatiuum gratiæ diuersum in ipso contractu, quàm vterque consensus verbis expressus, vt etiam diuersi sunt. *Ex diuersitate causæ.* Deinde, siue minister sit vterque sibi ipsius Sacramenti, siue alteri (vt communiter tenetur ipsos esse ministros) non ministrat sibi, aut alteri, nisi per consensum proprium, qui est in potestate ipsius; ac proinde respectu illius saluatur intẽtio requisita in ministro; quia actio, vt procedit à ministro, est applicatio, seu ministerium Sacramenti, non aliter. *Ex diuersitate vinculi.* Vinculum prætereà est diuersum in ipsis, qui est effectus contractus, quia vir non habet potestatem sui corporis; sed mulier, neque viciſſim, mulier sui, sed vir. Vinculum ergo vnius respectu alterius est obligatio, qua alteri tenetur, cùm nullus ad seipsum obligari possit per iustitiam, quæ est ad alterum: & quamuis correspondeat obligatio similis in altero, planè diuersa est, & ex diuersa numero causa, nempe ex consensu proprio eius. Ex quibus patet veritas conclusionis.

Instantia autem contra hoc, quam adducit Ledesma, non probat; dicit enim species Eucharistiæ seorsim significare, & perfici. 75 *Obiectio.*

Soluitur. Respondetur diuersitatem non inde primò probari, sed ex natura intrinseca formæ diuersæ, & materiæ, & ex diuersitate effectus: quod ergo causæ diuersæ ad suos diuersos effectus simul cõcurrant, non tollit diuersitatem in causis. *Causa diuersitatis.* Accedit vltimò, quòd diuersi consensus applicantur diuersis subiectis per modum signi sensibilis, etiam differentis, & in eis causant diuersos effectus gratiæ, ita vt in vno possit causari gratia, eâ non causatâ in altero propter obicem. Ac proinde supponitur diuersa dispositio in vtroque; quin etiam in vno maiorem, in altero minorem gratiam causat Sacramentum ex eadem ratione. Patet ergo diuersitas partialis à Doctore asserta: ex diuersitate signi, partiali,

tiali,ex diuersitate ministri, ex diuersitate subiecti,ex diuersitate dispositionis.

76 *De ministro. Sententia quorundam.*

u *De ministro est aliud dubium*, &c. Hîc differit de ministro huius Sacramenti; Canus *de locis lib.8.cap.5.in solut. ad 3.* docet Sacerdotem esse ministrum Sacramenti. Et matrimonia clandestina ante Tridentinum fuisse Sacramentum, sed contractum legitimum. Idem supponere videtur author Enchiridij Concilij Coloniensis, quod tamen Concilium non asserit.

Ipsos contrahentes esse ministrum.

Contraria sententia,quam tenet Doctor, est communis Theologorum.D.Thomæ *in hac dist. quæst.2.* Soti *ibidem art.3.* Bellarmin. *lib.1.de matrim.cap.6.*Henriquez *lib.11.cap.2.*Suar.*tom.1.de Sacram.disput.16.sect.1.*Angles *flor.1.part.quæst.1. de essentia matrim.disput.26.art.4.diffic.2.*Vasquez *disput.3.de matrimon.in cap.3.* & alij plures:quos sequitur,& citat Sanchez *lib.2.disput.6.*& patet, quia matrimonia clandestina ante Tridentinum erant Sacramentum, vt patet ex dictis,& docet ipsum Tridentinum *sess. 24. c. 1. de matrimon.in decreto reformationis.* Florent. docet causam efficientem matrimonij esse consensum contrahentium: ergo ipsi sunt ministri. Ad matrimonium ratum post Tridentinum requiritur solùm præsentia Parochi, & testium,qui fidem faciant de matrimonio,& reprobatur tantùm clandestinum, quod aliàs fuit validum; non requiritur ergo vt Parochus proferat aliqua verba necessitate Sacramenti; quod tamen necessarium supponitur in ministro Sacramenti. Ad Matrimonium, qua Sacramentum, requiritur solùm vt contractus sit legitimus; hoc autem contingit vt est ab ipsis contrahentibus secundùm legem.

Probatio ex matrimonio clandestino valido.

Quale est peccatum cõtrahentium in peccato.

Aliqui hinc inferunt contrahentes in peccato mortali committere duplex peccatum,nempe quia ipsi indignè recipiunt, & indignè ministrant. Ita Nauarr. *de Pœnitent. dist.6. cap.1. ad 5.* Petrus Ledesma *quæst. 42. art.3. ad vltim.* Probabilem censent Suarez, & Sanchez citati. Alij hoc negant vniuersim in ministro non consecrato, aut solemniter ministrante. Prior sententia videtur magis probabilis ex præcepto, quo quis tenetur sancta sanctè tractare.

Fundamentum Cani non vrget, quia asserit Sacerdos: *Ego vos coniungo in nomine Patris, & Filij*,&c. Respondetur idem esse *coniungo*,ac declaro, & approbo tanquam legitimum matrimonium, seu legitimè coniunctos.

77 x *Sed nec hoc requiritur necessariò*, &c. Hîc tangitur difficultas,An matrimonium possit celebrari per alium nomine contrahentium?

Respondet autem Doctor ex suppositione quòd in omni tali fidelium, seu baptizatorum fiat Sacramentum, non solùm per parentes nomine filiorum, validè contrahi,sed etiam per quoscumque, qui possunt esse ministri in contractu legitimo.

Matrimoniũ validè fieri per procuratorem.

Sequitur ergo primò contractum hunc validè fieri posse per procuratorem. Patet *cap. finali de procuratoribus in 6.*in quo præscribuntur hæ conditiones, Prima est, vt ad hoc habeat mandatum speciale, neque satis est generale ad negotia peragenda, quia grauitas & pondus negotij non venit per mandatum generale. Idem dicendum de sponsalibus,qua sunt dispositio ad Matrimonium. *l.Orat.ff.de sponsal.* requiritur, vt sit mandatum de certa persona, vt *ibidem* gloss. *ff.de rit.nupt.l.Generali.*

Conditiones requisitæ.

Secunda conditio.

Secunda conditio vt per se exequatur mandatum,non per alium,nisi hoc eidem fuerit specialiter demandatum; quia nempe eligitur industria personæ.

Tertia conditio.

Tertia conditio est, vt mandatum non sit reuocatum ante contractum; licèt reuocatio fiat etiam inscio procuratore, & persona, cum qua contrahitur. Quod speciale est in hoc contractu: quia requiritur consensus domini ad contractum hunc, vt sit validus. Potest enim in cæteris Ius commune supplere consensum domini,in hoc non ita,quia fulcitur Iure diuino,& naturali,& dependet à consensu personali. Vnde si reuocatio sit merè interna, non valet contractus matrimonij in foro conscientiæ, quamuis in foro externo requiratur probatio reuocationis per testes. Quocumque enim modo deficiat consensus, annullatur contractus.Reuocatur etiam mandatum per factum contrarium,vt si ipse dominus contrahat cum alia, vel certè mandatum dederit de contrahendo cum alia: quia hæc nequeunt consistere cum priori mandato,& consensu.

Reuocato mandato nihil fit.

Necessarius est consensus domini.

Quòd si incidat in amentiam,aut dormiat etiam, vel interim aliud agat, nisi reuocauerit priorem consensum, valet matrimonium contractum per procuratorem; ita rectè Sanchez *disput.11.* Verba procuratoris debent exprimere mandatum, dicendo, talis te accipit in suam, mediante me, supple procuratore constituto ad hoc specialiter. 78

Debet exprimi mandatũ in forma contractus.

Quòd si dominus fictè dedit mandatum, sufficit vt iterum per se consentiat; antequàm contractus sit initus: si reuocauerit similiter,sufficit vt iterum reuiuiscat consensus reuocatus per nouum,antequàm contractus sit initus. Requiritur vt hic contractus per procuratorem fiat coram Parocho & testibus, post Tridentinum, vbi receptum est. Ita communiter moderni; quia hæc est conditio essentialis. Non requiritur,vt procurator ostendat mandatum Parocho, & testibus, neque si impedimentum aliquod notum Parocho interueniat, quod dispensatum est ante contractum, vt dispensationem exhibeat Parocho,quia sufficit eius præsentia,& testium, nec dant aliam formam contractui, qui aliàs validus est,& secundùm legem.Requiritur tamen,vt de contractu constet per scripturam, aut alia via, qua probari possit in facie Ecclesiæ. Non requiritur etiam vt procurator per scripturam instituatur ad hoc munus.Diuersitas sexus non obstat: quia etiam mulier potest in hoc contractu esse procuratrix.Si excedat mandatum, contractus est nullus, intellige in aliquo substantiali, cui annexus fuit consensus mandantis domini: vt si certam dotem præstituit, sine qua non dat consensum. Quòd si conditio apposita est accessoria, seu ex forma communi, quam non exigit essentialiter contractus, neque inuoluit consensum mandantis tanquam substantialem, eius omissio non annullat contractum: quia neque per se intenta est aliter, quàm comitatur contractum, neque etiam ab ea de lege dependet contractus.

Debet adesse parochus & testes.

Potest mulier procurare in matrimonio.

Dubium.

Dubitatur an post Tridentinum valeat matrimonium contractum per procuratores? Aliqui negant cum Bartholomæo Ledesma.

Respon

79 *Responsio. Vel matrimonium post Trid. factum per procuratorem.*

Respondetur affirmatiuè, & constat ex praxi Ecclesiæ: Trident. enim nihil statuit nisi præsentiam Parochi, & testium, vt matrimonium in facie Ecclesiæ probari possit; neque reuocauit contrahendi facultatem per procuratores; quæ ex Iure antiquo fuit licita, & ex natura ipsius contractus. Et sequeretur magnum inconueniens, si retraheret hanc facultatem maximè inter Principes, & personas absentes; ex quo plura emolumenta redundant, neque alioquin fierent, nisi matrimonium ratum esse possit per procuratores, cum re infecta nemo subiret lubens periculum, si negotium ex consensu alterius in præsentia penderet: Parochus autem, & testes sufficienter præsentes sunt contractui, quando per procuratores nomine absentium celebratur in eorum præsentia, & sic seruatur forma statuta à Tridentino huic contractui.

Esse Sacramentum.

Sequitur ex aliàs dictis hoc matrimonium esse Sacramentum, quæ est communior sententia, quam docet Doctor in tertia responsione suprà præmissa, licèt plures eam negent, quos suprà citauimus, admittentes esse legitimum contractum, & ratum, non tamen Sacramentum: de qua difficultate iam egimus.

80 *Effectus Sacramenti.*

y *Sed quis est effectus?* &c. Conclusio Doctoris est communis; & patet ex Tridentino & Florentino citatis. Rectè reducit effectum Sacramenti ad gratiosam coniunctionem animarum contrahentium: sic Tridentinum in doctrina de matrimonio dicit Christum addidisse gratiam coniunctioni huic. Diuidendo autem effectum Sacramentum ab eo, qui est ipsius contractus iuxta primam institutionem, est gratia Sacramentalis, quæ perficit illam côiunctionem, vt sit ex vera, & supernaturali charitate.

z *Si autem stringendo formam*, &c. Respondet iuxta sententiam quæ asserit ad Sacramentum requiri consensum expressum per ipsos contrahentes, hoc dato, sæpiùs contingere contractum sine Sacramento. Quam sententiam plures tenere *suprà* ostendimus, imò propter auctoritatem tenentium hanc sententiam, docet Sanchez *loco citato* expedire, vt ij, qui per procuratores cantrahunt absentes, vt iterum præsentes per se ipsos contrahant; & Florentinum interpretari potest, quoad illud, quod dicit regulariter fieri contractum per verba, alludere ad formam *cap. Tua fraternitati*, &c. *de sponsalibus*. Sed quidquid de hoc sit, asserit Doctor in casu contractus sine Sacramento Deum assistere contrahentibus ad illum actum honestum, dando eis gratiam, nempe ex opere operantis, & per excitationem; non ex opere operato, neque recipere tantam gratiam, quantam reciperent per Sacramentum, quod nempe dat gratiam ex opere operato iuxta dispositionem, & gradum eius, quo crescente crescit etiam gratia, vt commune est omnibus Sacramentis. 81

Non fieri Sacramentum per procuratores multi tenent.

SCHOLIVM.

In matrimonio sunt tria, ipsum matrimonium, contractus eius & Sacramentum. Primum est vinculum indissolubile ex mutua translatione corporum ortum. Secundum mutui actus translatiui corporum ad generationem. Tertium, ijdem actus expreßi verbo (si hoc requiritur) quatenus ex Dei institutione causant gratiam. Sacramentum tantùm sunt actus: res tantùm gratia: Sacramentum & res simul vinculum. Dubius videtur Doct. an verba sint necessaria ad hoc Sacramentum: & communis negat, & fauet Flor. suprà, dicens causam efficientem, regulariter esse mutuum consensum per verba expressum: multi tamen in potentibus loqui, dicunt verba esse necessaria, de quo Sanchius lib. 2. de Matrim. disp. 31.

De [a] quinta conclusione, quæ applicat significata ad voces, dico quòd aliud est matrimonium, & aliud contractus matrimonij, & aliud Sacramentum Matrimonij. Matrimonium est illa obligatio mutua, vel vinculum illud, de quo dictum est in prima conclusione principali. Contractus autem est ille actus mutuus voluntatum, de quo dictum est in secunda conclusione principali. Sacramentum est signum efficax gratiæ concomitans actum illum; de quo Sacramento dictum est in tertia conclusione principali. Et patet distinctio istorum per se. Primum enim est permanens in animabus coniugum, & est relatio tantùm realis extrinsecus aduenieus: vel quod verius videtur, relatio rationis, quia nihil est ibi, nisi dominium nouum, & noua seruitus per nouam commutationem: sed dominium tale, vel seruitus nihil reale ponit in domino, vel seruo. 16

Matrimonium semper manet, dum manēt coniuges, & est relatio rationis.

Secundum etiam tantùm est in *fieri*, & est actio vel passio interior, vel exterior: vel magis constans ex actibus interioribus & exterioribus duarum personarum: & habet se istud ad matrimonium primo modo dictum, sicut causa in *fieri*, quemadmodum generatio ad paternitatem: vel magis, sicut baptizari, vel ordinari ad characterem, sicut patet suprà.

Contractus est causa vinculi matrimonij.

Tertium autem similiter est in *fieri*, & simul est, & non est cum primo, & ideò non semper manet cum secundo: nec oportet dicere, quòd hoc nomen *matrimonium* sit æquiuocum ad ista tria; imò, quòd tantùm significet primum, & pro aliis duobus accipiatur tantùm in obliquo specificans illa, vt pro secundo dicatur contractus matrimonij, & pro tertio Sacramentum Matrimonij, vbi non est constructio intransitiua, sed

Matrimoniū propriè significat tantùm vinculum.

ſed tranſitiua. Si autem omnino concedas, quòd hoc nomen matrimonium ſignificet illa tria, non erit contentio de nomine, quia hoc erit æquiuocè.

17 *Definitio matrimonij.* Poſſunt autem hæc tria ſic deſcribi, *Matrimonium eſt vinculum indiſſolubile inter marem & fœminam, ex mutua tranſlatione poteſtatis corporum ſuorum in ſe inuicem facta ad procreandam prolem debitè educandam.* Secundum ſic, *Definitio contractus matrimonij.* *Contractus matrimonij eſt maris & fœminæ mutua tranſlatio corporum ſuorum, pro vſu perpetuo ad procreandam prolem, debitè educandam.*

Definitio Sacramenti matrimonij. *Sacramentum matrimonij eſt expreſsio certorum verborum maris & fœminæ, ad ſe inuicem ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum ad prolem debitè procreandam, ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans gratiam conferendam, mutuo contrahentibus ad coniunctionem mutuam animorum gratioſam.* Vel ſi verba certa non ſint præcisè forma huius Sacramenti, nec etiam contrahentes ſint præcisè miniſtri, ponatur in principio, loco illius expreſſio certorum verborum, exhibitio certorum ſignorum maris & fœminæ, vel aliquid generalius ſignificans traditionem mutuam poteſtatis corporum maris & fœminæ ad prolem debitè procreandam.

COMMENTARIVS.

82 *Triplex acceptio matrimonij.* a DE *quinta concluſione*, &c. Iuxta traditam in prioribus concluſionibus doctrinam diſtinguit tria in matrimonio, ſeu ipſum matrimonium docet ſumi tripliciter.

Primò, pro vinculo, qui eſt effectus contractus, & conſiſtit in relatione mutuæ obligationis, ſeu dominij, & ſeruitutis, qua hinc inde corpora traduntur in poteſtatem in ordine ad finem contractus; quæ relatio eſt moralis, ſeu rationis, & permanens.

Secundò ſumitur matrimonium pro ipſo contractu in *fieri*, ex quo manet illud vinculum.

Propria acceptio. Tertiò ſumitur pro Sacramento ſenſibili cauſante gratiam. Acceptio autem vocis pro his tribus eſt æquiuoca, ſi æquè primò illa importet. Vel magis ſumitur pro ipſo vinculo in recto, pro aliis verò vt connotantur in obliquo; ita tamen vt matrimonium abſolutè prolatum ſupponat pro vinculo, & per modum ſpecificantis reliqua, ſumatur in obliquo, dicendo contractus matrimonij, Sacramentum matrimonij. Hæc acceptio eſt magis ex ſtylo Canonum. Vnde Tridentinum ſumit matrimonium pro ipſo vinculo *in cap. doctrinali, & cap. 1. de reformat. matrim. ſeſſ. 24. & ſequentibus.*

83 *Conſiſtere in vinculo.* Matrimonium autem conſiſtere eſſentialiter in vinculo, docet S. Thomas *in 4. d. 27. q. 1. art. 2.* Victoria *in Summa de matrimonio, num. 246.* Ledeſma *in 4. 2. p. quæſt. 46. art. 1.* Barthol. Ledeſma *de matrimonio, dub. 15.* Petrus Ledeſma *ead. q. 44. art. 3. concl. 1.* Sanchez *lib. 2. de matrimonio, diſp. 1. num. 6.* Henriquez *lib. 11. cap. 8.* relationem verò *Sitne realis, aut rationis relatio.* hanc eſſe rationis, docet Paludanus *in præſenti diſt. q. 1. art. 2. q. 3. art. 3.* Sotus *diſt. 27. q. 1. artic. 1. ad 2.* Alij, vt Sanchez, Henriquez, Ledeſma, eſſe realem, quæ fundatur in actione præterita, prout primo loco aſſerit Doctor; ſed prior ſententia *Eſſe rationis.* videtur magis, & ſecundùm mentem Doctoris, & ſecundùm veritatem, quia actio præterita conſenſus non inducit vinculum ex natura actionis phyſicæ, ſed quà moralis eſt, & ſubeſt legi, & inſtitutioni; ideóque ſub hac ratione, quæ realis non eſt, aut phyſica, ſed moralis, nequit relinquere effectum phyſicum, qualis eſt relatio realis, ſed quid dicatur, non plurimùm refert.

Iuxta præmiſſas acceptiones matrimonij, in triplici ſuppoſitione pro vinculo, pro contractu, pro Sacramento, ſtatuit tres definitiones matrimonij; quarum prima eſt matrimonij vt ſupponit pro vinculo: ſecunda, vt ſupponit pro contractu. Tertia verò vt ſupponit pro Sacramento. In vltima autem definitione aduertit accommodandam eſſe definitionem ſententiæ, quæ aſſerit verba non requiri, aut vt contractus ineatur per ipſas perſonas, iuxta ea, quæ ſuperiùs præmiſit in hac litera de forma, & miniſtro. Prima definitio datur per cauſam formalem, *Vinculum indiſſolubile*, &c. per materialem, *maris & fœminæ*, &c. per efficientem, *ex mutua tranſlatione*, &c. per finalem, *ad procreandam prolem*, &c. ideóque eſt completa definitio. 84 *Definitiones matrimonij, iuxta præmiſſas acceptiones.* *Prima definitio.*

Secunda definitio. Secunda definitio eſt ſimiliter completa, in qua ponitur *tranſlatio*, loco generis ſe habens ad contractum *corporum*, &c. materiam contractus deſignat. *Maris & fœminæ*, perſonas contrahentes. Reliqua vſum, & finem contractus.

Tertia definitio. Tertia ſimiliter completa eſt: in qua expreſſio verborum deonta remotum fundamentum ſignificationis ſacramentalis, *maris & fœminæ*, &c. miniſtrum Sacramenti. *ad ſe inuicem ſignificantium*, &c. ſupple verborum, denotant formam contractus, quod eſt fundamentum proximum ſignificationis ſacramentalis; *ex inſtitutione diuina*, &c. efficaciam Sacramenti, & effectum: *ad coniunctionem mutuam animorum gratioſam*, &c. denotat finem, & differentiam huius gratiæ ſacramentalis, vt diſcernitur ab aliis: quia gratia baptiſmalis eſt ad regenerationem, & ſic de aliis Sacramentis, quæ ſicut inſtituuntur contra differentes morbos viatoris, & infirmitates, ita conferunt gratiam ad hunc finem; matrimonium verò ad finem deſignatum, & proprium.

SCHO

SCHOLIVM.

*Hæc litera ait primò, matrimonium institutum ante lapsum. Secundò, præceptum de eo esse affirmatiuum, obligans tantùm tempore necessitatis, tunc, & nunc. Tertiò, hunc contractum compleri per legem positiuam Dei. Quartò, licet sit consonus valdè legi naturæ, non tamen esse de lege naturæ strictè, quia non concluditur necessariò euidenter, ex aliquo principio naturæ. Quintò, indissolubilitatem esse completiuè de lege positiua Dei. Gen.*1. Adhærebit vxori suæ. *& Matth.*19. Quod Deus coniunxit, &c. *Circa secundum, aliqui putant in lege noua cessasse illud præceptum, oppositum tamen verius, quia est naturale, & Christus nullum tale abrogauit. Ita D. Thom. hîc q.*1. *Palud. q.*3. *Dur. quæst.*2. *Sotus q.*1. *art.*2. *Henriq. de Matr. lib.*11. *c.*1. *n.*5. *Pet. Ledes. de Matr. q.*41. *art.*2. *Angles hîc q.*1. *art.*2. *diff.*3. *vnde alijs pereuntibus, obligaret Monachos. Ita Sotus, Angles, citati, & Mol. tom.*1. *iust. tr.*2. *disp.*22. *Quòd verò Matrimonium consummatum Sacramentum semel validum, sit omni casu indissolubile, contra sectarios asserentes fornicatione vxoris solui, quibuscum errat Caiet. in Mat.*19. *probant latè Coccius, tom.*2. *lib.*9. *art.*3. *Bellarm. lib.*3. *de Matr. cap.*16. 17. *habetur ex Mat.*5. *Mar.*10. *Rom.*7. 1. *Cor.*7. *& docent Patres in hæc duo loca, Ambr. Chrysost. Theodor. OEcum. Anselm. D. Thom. Aug. de adult. coniug. cap.*4.

PEr [b] hoc patet ad quæstionem istam applicando, contractus siquidem matrimonij institutus est à Deo ante lapsum. Genes.2. *Hoc nunc os ex ossibus meis.* &, *Crescite, & multiplicamini.* Et post lapsum Genes.3. *Multiplicabo conceptus tuos, & ærumnas*, dixit dominus Euæ. & Genes.9. *Crescite, & multiplicamini.* 18

Contractus matrimonij ante lapsum fuit.

Et est institutio per modum præcepti affirmatiui, ita quòd obligat semper: sed non ad semper, sed tempore necessitatis: non tantùm in principio, sed adhuc videtur eodem modo obligare, si paucitas in filiis ex aliqua causa accideret, puta ex bello, peste, vel clade, & huiusmodi. Et hoc probat quomodo iste contractus est à Deo per legem positiuam diuinam institutus, & etiam aliter est ab ipso, scilicet vt imprimente legem naturæ cordibus hominum: de qua lege naturæ est iste contractus, licèt non primò, nec vt necessarium notum, tamen vt secundariò consonum.

Secundum, scilicet obligationem indissolubilem, instituit Deus ex lege sua positiua, Genes.2. *Adhærebit vxori suæ.* Adhærebit, inquam, id est, non momentaneè accipiet. Instituit etiam imprimendo legem naturæ, non solùm quantùm ad euidenter necessaria ex lege illa, sed quantùm ad euidenter consona illi legi: & quòd sic instituerit, probatur in principio primæ conclusionis. & istud præceptum secundum habet vim negatiui, quia obligat semper, & ad semper, nisi per legislatorem fiat specialis dispensatio, vt dicetur *dist.*34. Tertium, scilicet Sacramentum Matrimonij, instituit Deus, sicut dictum est in quarta conclusione principali.

Indissolubilitas Iure positiuo Dei completur.

COMMENTARIVS.

85 b *PEr hoc patet ad quæstionem, illam, &c.* Hæc litera superiùs explicata manet, continet institutionem, & præcepta matrimonij, quorum alterum est præceptum affirmatiuum, quod obligat semper, non pro semper, sed in circumstantiis particularibus, vt si deficeret alioquin propagatio ex paucitate hominum. Quærunt moderni, An si soli Religiosi superessét ex viris, tenerentur contrahere matrimonium, non obstante voto castitatis? Sed dubium hoc, quantùm ad casum, est speculatiuum; quia diuina prouidentia in hoc non deficeret. Quantùm ad moralitatem autem versatur in eo, an obligatio voti sit strictior, quàm propagationis in casu necessitatis, obligante præcepto.

Institutio & præceptum matrimonij.

An præceptũ hoc in casu obliget Religiosos?

Respondetur præceptum hoc affirmatiuum fortiùs obligare accedente circumstantia, in qua concurreret cum voto; quia quantùm ad finem religionis magis facit propagatio ad cultum diuinum multiplicandum, quàm particularis obseruantia voti, seu personalis: vnde præcepta eiusdem virtutis diuina, & naturalia, qualia sunt hæc, quando concurrunt in eadem materia, & opponuntur, tunc illud præualet quod magis spectat ad bonum commune, & particulare, & sublimiùs attingit finem, seu perfectiori modo, quàm aliud: obseruantia voti personalis est propagatio diuini cultus, vt particularem personam concernit, & in particulari persona perficitur, non verò in communitate; ac propagatio diuini cultus in communitate per multiplicationem eius respicit vniuersaliùs, & consequenter perfectiùs finem virtutis, seu cultus. Deinde, votum in casu concurrente necessitate communi esset nullum: ergo etiam votum emissum non præuisa necessitate, si in casu superueniret, cedit præcepto matrimonij. Hinc infertur si necessitas Reipublicæ id exigeret ad seruandam pacem & fidem in Republica, vt filius Regis duceret vxorem, aliàs professus religionem, eum ad hoc teneri, & ad acceptandam dispensationem voti à Summo Pontifice, & per eum posse obligari vt matrimonium & regimen assumeret, non solùm ratione scandali, sed ob necessitatem communem conseruandæ fidei in regno, quæ ipsius personam exigeret.

Præceptum fortiùs obligat, quàm votum.

Quod facit ad bonum commune fortiùs obligat, cæteris paribus.

Propagatio in eo casu magis attingit finẽ.

Necessitas publica præualet voto.

SCHO

SCHOLIVM.

Ex dictis haberi rationem institutionis matrimonij, esse procreationem, non delectationem, nec incontinentiæ vitationem. Inclinat in sententiam tenentem actum coniugalem petitum ob alium finem, quàm procreationis, non esse sine culpa veniali: quam tenent D. Thomas dist.31.q.2.art.2. Magist.ibi. D.Bonau.art.2.q.2. Rich.art.3.q.2.& est communis, quam expressè tenent August. de bon. coniug.c.10.tom.6. & 5. contra Iul.c.7.tom.7.in Enchir.c.78. tom.3.Gregor.32.moral.c.18.19.20. Anselm.& D.Thom.in 1.Corinth.7.vbi Paulus id tantùm indulget.

19 SEd [e] hîc est dubium, quia ex omnibus conclusionibus istis, & ex ista solutione non habetur nec ratio contractus matrimonij, nec obligationis, nec institutio diuina respectu eius, nisi propter principalem finem, scilicet procreare prolem debitè educandam: hæc autem institutio dicitur fuisse in officium: sed præter hoc, matrimonium fuit institutum in remedium, scilicet vitandæ incontinentiæ post lapsum.

Ratio institutionis matrimonij fuit procreatio, non delectatio.

Vnde ergo primò est honestas contractus huius, vel obligationis isto modo, vel institutio, vel approbatio diuina respectu eius ad istum finem? Respondeo, non apparet facilè, quòd secundùm rectam rationem debeat quis in illo actu præcisè ad delectationem aspicere: imò magis oppositum videtur consonum rationi; ergo magis tolerandum, quia non videtur inueniri ibi finis laudabilis, nisi procreatio prolis. Ratio etiam naturalis non videtur concludere aliquam honestatem in actu illo, nec per consequens in obligatione, vel cum contractu obligatorio mutuo ad illum actum: nec per consequens, quòd legislator rectè debeat talem contractum, vel obligationem approbare, vel instituere.

Quid [d] ergo si dicatur, quòd quicumque volens vti corpore suo ad delectationem peccati, ne vtatur iniustè cum non sua? potest commutare corpus suum pro corpore alterius, quo iustè vtatur tanquam suo: & tunc ista datio honesta erit propter illam iustitiam: præsupposito tamen tali fine licito, nec oportebit tunc, quòd de licentia diuina vtatur se, vel corpore suo ad talem actum, ad hoc, vt licitè vtatur, quia (vt dictum est) excludendo secundam rationem ad tertiam conclusionem, Deus vnicuique commisit se, & sua, in quibus non obligauit eum sibi. Si hoc non sufficiat, nec iustitia ad illum actum erit magis laudabilis, quàm iusta coniunctio, vel commutatio ad vnum alium actum, qui non esset laudabilis, puta commutatio ad vtendum alio ad locum alium, pro simili vsu, & è contra.

20 Saltem potest hîc recurri ad institutionem Dei, qui non ex laudabilitate actus propter alium finem, quàm propagationem, sed ex infirmitate post lapsum, & pronitate ad istum actum indulsit, non approbauit actum istum, & hoc ad vitandum maius malum: & ista indulgentia posita, contractum ordinatum ad actum istum instituit, & si non lege naturæ impressa, saltem lege positiua, & hoc tam quantùm ad contractum, quàm quantùm ad obligationem.

In veteri lege non inuenitur matrimonium præceptum, nisi ad procreationem.

Sed difficile est inuenire, vbi quoad contractum, quia nunquam in veteri Testamento inuenitur contractus præceptus, vel laudatus nisi ad procreationem prolis: semper enim mandatum diuinum est ad hoc, *Crescite*, &c. quod non est nisi propagando, saltem in nouo Testamento certificati sumus de hoc, propter alium finem, scilicet propter vitandam fornicationem. 1. Corinth.7. *Hoc autem secundùm indulgentiam dico*, &c. & verisimile est, quòd ista indulgentia non fuerit primò facta in noua lege, sed à principio humani lapsus.

Epilogus dictorũ hac dist.

Sic [e] ergo ex primis conclusionibus habetur de institutione matrimonij, & obligationis in ordine ad finem propagandi prolem, & institutio Sacramenti concomitantis illum contractum: sed institutio contractus ad vitandam fornicationem non habetur ita per rationem naturalem; imò vix tanquam licitum ex institutione diuina, nisi vt indulgente. Iustitia tamen ibi per rationem in indissolubilitate, & Sacramentum concomitans contractum illum eodem modo concomitatur, vt priùs, de matrimonio instituto propter primum finem.

Ad arg.1.

Ad argumenta. Ad primum patet ex prima conclusione: quia Adam sicut præco protulit illa verba, *Hoc nunc os ex ossibus*, &c. sicut manifestè exprimit Christus, *Matth.*19. dicens de Deo, qui fecit masculum & fœminam, & dixit, *Quamobrem adhærebit homo*, &c. Ad secundum, Ecclesia circa materiam habilem, vel inhabilem aliquid immutat: sed non circa illud, quod est essentiale contractui matrimonij præsupposita materia idonea.

Ecclesia nõ immutat quod est essentiale matrimonio.

COMMENTARIVS.

86 *Finis secundarius matrimonij.* e SEd hic dubium est, &c. Hactenus egit de matrimonio, & fine eius principali; hîc agit de fine secundario, quatenus ordinatum est in remedium infirmitatis contra fornicationem, quod aliàs ex fine primario fuit in officium ad propagationem naturæ, & diuini cultus. *Qualiter intenditur?* Quærit Doctor de honestate huius finis, & quomodo contractus ad eum finem ordinari possit ex natura rei, aut institutionis diuinæ. Aduertendum autem est aliud esse ordinare contractum ad delectationem, aliud autem ad remedium infirmitatis, & secundùm iustitiam. *Delectatio nõ est finis.* Ordinare contractum ad finem delectationis non est secundùm rectam rationem, si sistatur in illo fine præcisè, imò magis oppositum videtur consonum rationi. Nec ratio naturalis concludit in illo actu aliquam honestatem ex obiecto. Ita Doctor. Et patet, quia non est honestas temperantiæ, neque iustitiæ, neque alterius virtutis, si præfigatur solùm delectatio tanquam finis actus, & contractus. *Qualiter peccaturus si intendatur sola.* Imò plures Doctores statuunt inordinationem, quia peruersum est extrahere actum à suo fine præstituto per legem naturalem, & positiuam; hic autem est finis matrimonij, nempe soboles, & remedium concupiscentiæ tantùm. Vnde aliqui dicunt illud esse peccatum graue ex genere suo. Alij peccatum saltem esse veniale; quos videre licet apud Sanchez *lib. 2. disput. 29. quæst. 2.*

87 *Non esse peccatum sic intendere.* Doctor non reprehendit actum, sed dicit non esse honestum ex obiecto, aut secundùm rectam rationem, quamuis non sit contra rectam rationem; nam aliud est non apponi honestatem actui, & aliud actum aliàs non prohibitum exerceri, qui est toleratus, licèt non bonus: quando ergo non excluditur positiuè finis, licèt expresè non intendatur, non inde sequitur actum esse vitiatum ex obiecto, quem contractus legitimus reddit non prohibitum. quòd autem expresè intendatur delectatio in contractu, & actu coniugali, non videtur prohibitum, aliàs esset prohibitio grauis ex genere, quod omnes communiter negant contra asserentes esse peccatum mortale, & meritò: quia esset sententia nimis dura; vera tamen, si sola intentio delectionis excluso alio fine matrimonij daret causam contractui finalem. Quòd si ergo ex contractu legitimo matrimonij adhibito debito fine, nempe primario, & secundario, reddatur delectatio concomitans non illicita; sic eam velle, qua scilicet non est illicita, & per Sacramentum redditur venialis, vt sæpiùs dicunt Patres, potissimùm Augustinus, non videtur esse peccatum contra vllam prohibitionem, licèt non apponat expresè honestatem, quia sic est obiectum indifferens ad bonum, & malum. *Delectatio fit venialis per Sacramentũ.* Sicut faciens iustum non peccat, quamuis non habeat honestatem iustitiæ, nisi iustè, id est, ex motiuo iustitiæ, id faciat.

d *Quid ergo si dicatur*, &c. Hîc determinat de honestate illius finis secundarij, &c. duplicem autem statuit, nempe ex iustitia, & debito obligationis mutuæ, ne vtatur indebitè suo corpore, cum non sua. 88 *Duplex honestas ex fine secundario.* *Iustitia.* Aliam honestatem adiungit ex diuina institutione post lapsum, nempe vt est remedium concupiscentiæ, ne in maius malum incidat, nempe in fornicationem. Hæc honestas est temperantiæ, quæ vocatur continentia thori, aut coniugalis, & potest esse materia voti, sicut patet de facto esse in quibusdam religionibus militantibus. *Temperantia.* Hanc vocat Doctor ex Paulo indulgentiam, 1. *ad Cor.* 7. vbi hic finis secundarius matrimonij exprimitur, *propter fornicationem tamen vnusquisque suam vxorem habeat*, &c. *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*, &c.

e *Sic ergo ex primis conclusionibus*, &c. 89 *Potestas Ecclesiæ vt extenditur ad matrimoniũ.* Recapitulat dicta, & respondet ad argumenta. Ad secundum, dicit Ecclesiam posse aliquid circa materiam habilem, vel inhabilem immutare, hoc est, circa personas, quæ subiectæ sunt Ecclesiæ, statuere aliquam solemnitatem contrahendi, sine qua personæ reddantúr inhabiles ad contractum, & consequenter ipse contractus nullus; nequit tamen immutare materiam essentialem contractus, quin si legitimus est inter personas habiles, teneat in *esse* contractus, & Sacramenti.

DISTINCTIO XXVII.

De matrimonio secundùm causam efficientem.

POST hæc aduertendum est, quid sit coniugium, & quæ sit efficiens causa coniugij, & causa propter quam contrahi debeat, & quæ sint bona coniugij, & quomodo excusetur coitus carnalis, quæ sunt legitimæ personæ ad matrimonium. Sunt & alia plura in matrimonio consideranda, quæ sub compendio perstringemus. A

Quid sit coniugium?

SVnt ergo *nuptiæ, vel matrimonium, viri mulierisque coniunctio maritalis, inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.* Ad indiuiduam consuetudinem vitæ pertinet, quòd absque consensu alterius neuter B *Gloss. 1. Corinth. 7. circa illud.*

De quibus autem, 27. quæst. 2. in princ. continentiam profiteri poteſt, vel orationi vacare: & quod inter eos, dum viuunt, vinculum coniugale permanet, vt alij ſe copulare non liceat, & vt inuicem alter alteri exhibeat, quod quiſque ſibi. Hac autem deſcriptione legitimorum, & fidelium tantùm matrimonium includitur.

De conſenſu, qui efficit coniugium.

C Efficiens autem cauſa matrimonij eſt conſenſus, non quilibet, ſed per verba expreſſus: nec de futuro, ſed de præſenti. Si enim conſentiunt in futurum, dicentes, *Accipiam te in virum, & ego te in vxorem*, non eſt iſte conſenſus efficax matrimonij. Item, ſi conſentiant mente, & non exprimant verbis, vel aliis certis ſignis, nec talis conſenſus efficit matrimonium. Si autem verbis explicant, quod tamen corde non volunt, ſi non ſit coactio ibi, vel dolus, obligatio illa verborum, quibus conſentiunt, dicentes, *Accipio te in virum, & ego te in vxorem*, matrimonium facit.

Auctoritatibus probat, quòd ſolus conſenſus faciat matrimonium.

D Qvòd autem conſenſus matrimonium faciat, ſubditis probatur teſtimoniis. Ait enim Iſidorus. [Conſenſus facit matrimonium.] Item, Nicolaus Papa, [Sufficiat ſolus ſecundùm leges eorum conſenſus, de quorum coniunctionibus agitur: qui ſolus, ſi fortè in nuptiis defuerit, cætera etiam cum ipſo coïtu celebrata fruſtrantur.] Item, Ioan. Chryſoſtomus, [Matrimonium quidem non facit coïtus, ſed voluntas: & ideò non ſoluit illud ſeparatio corporis.] Item, Ambroſius, [Non defloratio virginitatis facit coniugium, ſed pactio coniugalis.] Ex his apparet, quòd conſenſus, id eſt, pactio coniugalis, matrimonium facit, & ex tunc coniugium eſt, etiam ſi non præceſſit, vel ſecuta eſt copula carnalis.

17. quæſt. 2. in princip. vbi ſupra cap. Suffic. In opere imperfecto homil. 32. ad cap. 19. Matth. in medio. Lib. de inſtit. virginis, cap. 16. Ibid. c. Cū initiatur.

Quando incipiat eſſe coniugium?

E Qvòd enim ab ipſa deſponſatione, in qua pactio coniugalis exprimitur, coniuges ſint, Sanctorum teſtimonia probant. Ait enim Ambroſius, [Cùm initiatur coniugium, coniugij nomen aſciſcitur: cùm coniungitur viro, coniugium eſt, non cùm viri admixtione cognoſcitur.] Item Iſidorus, [Coniuges veriùs appellantur à prima deſponſationis fide, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus.] Item Auguſtinus, [Coniux vocatur, (ſcilicet Maria) ex prima deſponſationis fide, quam concubitu nō cognouerat, nec fuerat cogniturus, nec peierauerat, nec mendax manſerat coniugis appellatio; vbi non fuerat, nec futura erat carnis vlla commixtio. Propter quod fidele coniugium ambo parentes Chriſti vocari meruerunt, non ſolùm illa mater, ſed etiam ille pater eius, ſicut coniux matris eius: vtrumque tamen mente, non carne.] Ex his euidenter inſinuatur, quòd ex tempore, quo intercedit conſenſus voluntarius ac maritalis, qui ſolus coniugium facit, veri coniuges ſunt ſponſus, & ſponſa.

Lib. & cap. citatis.

Lib. Eth. 9. c. vltimo.

Lib. 1. de nupt. & cōcupiſcentia, c. 11. tom. 7. Matt. 1. 2. d Luc. 2. g Luc. 3. c

Secundùm quoſdam non eſt coniugium ante carnalem copulam, ſed ſponſi, & ſponſæ ſunt.

F Qvidam tamen aſſerunt verum coniugium non contrahi ante traductionem, & carnalem copulam: nec verè coniuges eſſe aliquos, antequam intercedat commixtio ſexus: ſed à prima fide deſponſationis vir ſponſus,

sponsus, & mulier sponsa est, non coniux. Sponsos autem, & sponsas coniuges frequenter appellari dicunt, non quia sint, sed quia futuri sunt, cuius rei sponsionem inuicem fecerunt. Et secundùm hoc verba præmissarum auctoritatum intelligenda fore tradunt.

Qua ratione nituntur?

G

QVòd verò inter sponsam, & coniugem plurimùm intersit, ex eo astruunt, quia licèt sponsæ ante carnalem copulam inconsulto, vel nolente sponso monasterium eligere, quo facto, sponso etiam licet aliam ducere. Coniugatus verò, vel coniugata, nec continentiam nisi ex communi consensu seruare valet, nec monasterium petere, nisi vterque continentiam pariter profiteatur. Quòd verò liceat sponsæ monasterium eligere, auctoritatibus Sanctorum probatur. Ait enim Eusebius Papa, [Desponsatam puellam non licet parentibus alij viro tradere: tamen licet sibi monasterium eligere.] Item Gregorius, [Decreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit, nullo penitus censuerunt damno mulctari.] Refert etiam Hieronymus, quòd Macarius inter Christi Eremitas præcipuus, celebrato nuptiali conuiuio, cùm vespere thalamum esset ingressurus, ex vrbe egrediens transmarina petiit, & eremi solitudinem sibi elegit. Beatus enim Alexius similiter ex nuptiis diuina gratia vocatus, sponsam deseruit, & nudus Christo famulari cœpit. His auctoritatibus, & exemplis liquet, licere sponsis sine consensu suarum sponsarum, & è conuerso, continentiam profiteri.

Quòd spōsa potest monasteriū eligere, nō exquisito sponsi consensu. 27.quæst.7. c. Desponsatam. *Lib.6. Reg. epist.20.quæ est in ordine epist. regist.184. & habetur vbi suprà cap.* Decreta. *In vitis Patrum, p.1. in vita Sācti Macarij Rom.* 27.quæst.2. *Exēpla ponit in eodē.*

Quòd coniugatus, vel coniugata nequeant continentiam profiteri, sine alterius consensu.

H

HOc autem coniugatis nullatenus licet. Non enim potest vir melioris vitæ propositum sumere sine vxoris consensu, & è conuerso. Vnde Gregorius scribens Theotistæ patritiæ, [Sunt qui dicunt, Religionis gratia coniugia debere solui: verùm sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, tamen lex diuina prohibuit. Si verò vtriusque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? Sic enim multos Sanctorum nouimus cum suis coniugibus, & priùs continentem vitam duxisse, & pòst ad sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse. Si verò continentiam, quam vir appetit, mulier non sequitur, aut quam vxor appetit, vir recusat, coniugium diuidi non potest, quia scriptum est, *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir. Similiter & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier.*] Idem, Agathosa latrix præsentium, questa est virum suum contra voluntatem suam in monasterium esse conuersum. Quapropter experientiæ tuæ præcipimus, vt diligenti inquisitione discutias, ne fortè eius voluntate conuersus sit, vel ipsa mutare se promiserit. Et si hoc repereris, & illum in monasterio permanere prouideas, & hanc sicut promisit, mutare vitam compellas. Si verò nihil horum est, nec quondam fornicationis crimen (propter quod licet vxorem dimittere) prædictam mulierem commisisse cognoueris, ne illius conuersio vxoris relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus vt maritum suum illi, etiamsi iam tonsuratus est, reddere debeas, omni prorsus excusatione cessante: quia nisi fornicationis causa virum vxorem dimittere nulla ratio concedit. Postquam enim copulatione coniugij viri & mulieris vnum

Lib. 9. Regist. epist. 39.post medium, & 27. quæst.2. c.Sunt qui. *Matth.5.c, & 19. b 1.Cor.7. a Ibidem c.* 44. *& 27. quæst.2.cap.* Agathosa, *& quatuor cap. sequentibus. Matth.5.c, & 19. b*

27.quest.2. c. Si quis. Ex Synodo Eugen. IV. & in dec. eius c. 36. & 27.q.2. Si vir.

corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte remanere in sæculo.] Item, ex VIII. Synodo, [Si quis coniugatus conuerti ad monasterium velit, non est recipiendus, nisi priùs à coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Tales ergo coniuges tunc sine culpa sequuntur Christum relicto sæculo, si habent ex pari voluntate castitatis consensum.] Item, [Si vir & vxor diuertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine consensu Episcopi fiat: vt ab eo singulariter prouiso constituantur loco. Nam vxore nolente, vel altero illorum, etiam pro tali re matrimonium non soluitur.] Item, Augustinus, [Si abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam: & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.] Item, Nicolaus Papa, [Scripsit nobis Taberga Regina, Regia se velle dignitate, vel maritali copula exui, & sola vita priuata esse contentam desiderare. Cui rescripsimus, non hoc aliter fieri posse, nisi eandem vitam vir eius Lotharius elegerit.] Ex his patet, quòd coniugati sine communi consensu monasterium eligere, continentiam profiteri, vel habitum Religionis sumere non valent; & si fecerint, reuocari debent. Sponsi verò possunt sine communi consensu monasterium eligere. Vnde videtur inter sponsum & sponsam coniugium non esse. Ideóque asserunt à prima fide desponsationis coniuges appellari, non re præsentium, sed spe futurorum: quia ex fide, quam ex desponsatione sibi inuicem debent, posteà efficiuntur coniuges. Præmissas autem auctoritates, quibus asseritur quòd consensus matrimonium facit, ita intelligi volunt, vt consensus, vel pactio coniugalis non ante coïtum faciat matrimonium, sed in coïtu. Sicut enim defloratio virginitatis non facit matrimonium, nisi præcedat pactio coniugalis, ita nec pactio coniugalis, antequàm adsit copula carnalis. Ex pactione ergo coniugali sponsi & sponsæ fiunt ante coïtum, in coïtu verè efficiuntur coniuges. Facit etiam pactio coniugalis, vt quæ priùs erat sponsa, in coïtu fiat coniux.

Lib. 1. de adulterinis coniugijs, c. 1. 2. & 3. & 27.q.2. Si abstines.

Responsio ad prædicta cum determinatione superiorum.

I HIs autem ita respondemus: Fit aliquando desponsatio, vbi est compromissio viri & mulieris de contrahendo matrimonio: non est autem ibi consensus de præsenti. Est & desponsatio habens consensum de præsenti, id est, pactionem coniugalem, quæ sola facit coniugium. In illa ergo desponsatione, vbi est pollicitatio contrahendi matrimonium, sponsi tantùm & sponsæ fiunt, non coniuges: & talibus sponsis licet sine communi consensu continentiam profiteri, & monasterium eligere. In ea verò desponsatione, vbi est consensus de præsenti, coniugium contrahitur, & ab illius desponsationis prima fide veri coniuges appellantur. Secundùm hanc distinctionem desponsationis, de sponsis variè loquuntur Doctores.

Quomodo accipiatur sponsa in subditis capitulis?

K ALiquando enim sponsas vocant, quæ talem habuerunt desponsationem, vbi fuit pactio coniugalis de præsenti, & illæ verè coniuges sunt. Vnde Gregorius, [Si quis vxorem desponsauerit, vel subarrhauerit, quamquam postmodum præueniente die mortis eius, nequiuerit eam ducere

Quòd sponsam dimissam alius cognatus nõ

in vxorem, tamen nulli de consanguinitate eius licet accipere eam in coniugio, & si inuentum fuerit factum, separetur omnino.] Item Iulius Papa, [Si quis desponsauerit vxorem, vel subarrhauerit, & vel præueniente die mortis, vel irruentibus quibusdam causis eam non cognouerit, nec frater eius, nec vllus de consanguinitate eius eandem sibi tollat in vxorem vllo vnquam tempore.] Item Gregorius, [Qui desponsatam proximi sui puellam cœperit in coniugium, anathema sit ipse, & omnes consentientes ei: quia secundùm legem Dei mori decernitur. Nam diuinæ legis mos est sponsas appellare coniuges: vt in Euangelio, *Accipe Mariam coniugem tuam.* Et in Deuter. *Si quis alterius sponsam in agro, vel quolibet loco oppresserit, vel adduxerit in domum suam, moriatur: quia vxorem proximi sui violauit: non quæ iam vxor erat, sed quæ à parentibus vxor fieri debebat.*] Ex his colligitur, quòd sponsæ quædam coniuges sunt ante commixtionem sexuum. Sed fortè illud mouet quòd in fine capituli dicitur, *Non quæ iam vxor erat, sed quæ vxor fieri debebat.* Quod non ita intelligi debet, quasi vxor verè non fuerit, ex quo pactio coniugalis intercessit: sed quia nondum traducta fuerat, nec res vxoria intercesserat, scilicet concubitus coniugalis.

potest ducere. *27. quæst. 2. cap.* Si quis vxorem. *Vbi suprà cap.* Si quis desponsauerit. *Ibidem, cap.* Qui desponsatam. *Deuter. 22* *Matth. 1. d* *Deut. 22. d*

Quòd aliter accipitur in his alijs capitulis sponsa.

L

HÆc etiam sponsa est, quæ sic viro desponsata est, vt non intercesserit consensus de præsenti, sed sponsio futuri. Secundùm quem modum illud decretum intelligitur: *Si quis sponsam filij oppresserit, & pòst filius eius eam duxerit, pater posteà non habeat vxorem, nec mulier virum: filius qui patris facinus ignorauit, aliam ducat.* Si coniux illa fuisset (quod vtique foret, si in sponsalibus pactio coniugalis intercessisset) non permitteretur sponso aliam ducere. Mœchis autem pœna non nubendi ex rigore infligitur, vt alij terreantur. Idem ex eodem, Quidam desponsauit vxorem, & dotauit, & cum ea coïre non potuit, quam clanculò frater eius corrupit, & grauidam reddidit, decretum est, vt quamuis nupta non potuerit esse legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit: sed mœchus & mœcha fornicationis quidem vindictam sustineant, licita verò eis coniugia non negentur. De illa desponsatione hoc intelligi debet, vbi non fuit consensus coniugalis de præsenti, alioquin non liceret eis alia sortiri coniugia. Secundùm hoc etiam illud intelligi debet, *Statutum est à sacro conuentu, vt si quis sponsam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, & sine spe coniugij maneat.* Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alteri non negetur. Apparet hanc fuisse desponsatam sine pactione coniugali de præsenti; & ideò non fuisse coniugem, cui viuente sponso, alteri nubendi licentia non negatur. Sunt enim quædam nuptialia pacta de futuro, ex quibus sponsi & sponsæ vocantur, nec exinde coniuges sunt. Et est pactio quædam coniugalis de præsenti, quæ sponsum & sponsam etiam coniuges facit. Et vtraque pactio, desponsatio, vel sponsalia interdum dicuntur: propriè tamen sponsalia dicuntur quædam solemnia pacta nuptialia.

Ex Concil. Triburien. cap. 45. & habetur 27. quæst. 2. cap. Si quis sponsam. *Ibidem, cap. 41. & habetur vbi suprà cap.* Quidam desponsauit. *Ex Concil. Toletan. vbi supra cap.* Statutum.

Quare non statim tradantur sponsæ?

M

DE nuptialibus pactis, vbi est tantùm sponsio futuri, ait Augustinus, institutum est, vt iam pactæ sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspirauit sponsus dilatam.

Lib. 8. confess. c. 3. & vbi supra c. Institutū

Quæ sponsa sit vidua mortuo sponso, & quæ non?

N ET est sciendum, quòd illa sponsa quæ tantùm in futuro est pacta, mortuo sponso non remanet vidua, quia non fuerat vir eius. Vnde si quis eam duxerit, ad sacros Ordines conscendere non prohibetur, quia non duxit viduam. Viduæ enim maritus æquè sicut bigamus, Sacerdos fieri prohibetur. Ex tali autem copula nullus arcetur à sacris Ordinibus.

27.quæst.2. cap. Quod autem.par. Item, si sponsa.

Qui alterius sponsam eo mortuo ducit, ad sacros Ordines accedere potest.

O SEcundùm hoc intelligendum est, quod ait Pelagius Papa, de illo qui mortuo sponso eius sponsam ducit in vxorem. Nihil est, inquit, quantùm ad hunc articulum attinet, quod ei obuiet de Canonicis institutis, quin ad sacros Ordines promoueri valeat. Si verò talis sponsa fuisset, inter quam & sponsum eius consensus de præsenti intercessisset, eo mortuo vidua remansisset, cui copulatus in coniugio, vlteriùs ad sacros Ordines non accederet, cùm viduam duxerit. Non est ergo ambigendum, quin solus de præsenti consensus coniugium efficiat, & exinde veri coniuges appellentur. Ideò post talem consensum, si quis alij se copulauerit, etiamsi carnis commixtio illic sequatur, ad priorem copulam reuocandus est.

Dist. 34. c.vltimo.

Magister hic non tenetur.

QVÆSTIO I.

Vtrùm conuenienter dicatur matrimonium viri, mulierísque coniunctio maritalis, inter legitimas personas, vitam indissolubilem retinens?

D. Thom. *Supplem.quæst.44.art.3.* D. Bonau. *dist.26.art.2.quæst.3.& hic meliùs art.1.q.1.* Richard.1.q.1. Argent. *quæst.1.art.1.* Sanchius *lib.2.de Matrim.disp.1.2.& 3.*

1 QVÆRO duo circa istam vigesimam septimam distinctionem. Primò de definitione matrimonij, quam ponit Magister in litera, Vtrùm sit conueniens, cùm dicit, quòd *matrimonium est viri, mulierísque coniunctio maritalis inter legitimas personas, vitam indissolubilem retinens?* Videtur quòd non, quia aut coniunctio accipitur ibi pro coniunctione passiua: aut pro relatione. Non primo modo, quia illa transit transeunte & cessante actu contrahentium; & etiam omnis passio est ad aliquem terminum: & tunc oportet dare terminum aliquem inductum per istam coniunctionem; quod non est verum, quia nihil est ibi nouum nisi respectus rationis. Nec secundo modo; quia cùm sint duæ relationes, vna viri ad mulierem, & alia è conuerso. 3. Physic. *eadem est via*, &c. ergo sequitur quòd essent duo matrimonia, vel quòd matrimonium non sit essentialiter vnum. Contrà Magister in litera.

Definitio matrimonij, ex Magistro.

SCHOLIVM.

Explicat benè definitionem matrimonij, remittendo se ad dicta quæst.præced.num.17. Consistit in duabus relationibus mutuis viri ad mulierem, & è contra: ex quibus fit integritate vnum Sacramentum, vnusque contractus.

2 AD [f] istam quæstionem patet ex dictis ad quintam conclusionem præcedentis quæstionis, quia ista definitio matrimonij debet intelligi, sicut explicata est per definitionem, vel descriptionem positam ibi, quia si matrimonium accipiatur propriè pro illa coniunctione, tunc debet intelligi coniunctio habitualis idem, quod obligatio. Si autem accipiatur ibi pro contractu propriè, tunc coniunctio potest accipi pro actu

actu coniungendi, vel passione, quæ includit vtrumque actum, scilicet intrinsecum, & extrinsecum personarum in actu suo coniunctarum.

Ad argumentum dico, quòd intelligendo matrimonium propriè, coniunctio intelligitur pro relatione; & cùm dicis, quòd illa esset terminus motus, non sequitur, quia, illa mutatio præuia, qua erat ibi, erat per actum voluntatis non derelinquentem aliquid inductum, & secundùm actum causandi signum, exteriorem, à quo etiam nihil derelinquebatur. Cùm autem dicis de dualitate, responsum est priùs, quia matrimonium est vnum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis: & ita est vniuersaliter in omni contractu, quia contractus includit duas partes, scilicet assensum huius, & illius, & in vtroque etiam duos actus, scilicet interiorem, & exteriorem significantem illum interiorem.

COMMENTARIVS.

CIrca hanc distinctionem quærit duo. Primum, an definitio tradita à Magistro sit bona? Secundum, de causa efficiente matrimonij, quæ breuiter expedit ex dictis *in dist.26.*

f *Ad istam quæstionem patet*, &c. Responsio hæc patet ex definitionibus matrimonij secundùm varias eius acceptiones. Hæc definitio Magistri habetur apud Gratian. 27.*quæst.2.in principio, & ff. de ritu nuptiarum, & §.1. Institut. de patria potestate.* satis patet eius explicatio ex prima, & secunda definitione *suprà* expressis. Ad argumentum patet in litera, & ex dictis circa essentiam matrimonij *conclus.5.præced. distinct.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm consensus expressus per verba sit causa sufficiens matrimonij?

D.Thom.*Supplem.quæst.45.art.3.& hic quæst.1.art.2.*D.Bonau.*art.1.quæst.1.*Richard.*art.1.q.2.*Argent. *quæst.1.art.2.* Sanchius 2.*de Matrim.disput.24.25.& disput.30.31.*

SECVNDO quæro, An consensus expressus per verba sit causa sufficiens matrimonij? Quòd non, quia tunc nullus posset esse certus de matrimonio, sicut nec de consensu alterius: non enim videt quis voluntatem alterius. Consequens est inconueniens, quia nullus posset tunc vti certitudinaliter actu matrimonij sine periculo. 1 *Argum.1.*

Præterea, 32.*q.2. Honorantur, in textu, & in Glossa. & Extrà de sponsalibus, Tua.* sufficit expressio parentum pro filiis. *Argum.2.*

Contrà, Magister *in litera, & Extrà de sponsalibus, Tua nos, in fin. Sine consensu*, &c. *nequeunt matrimonium facere:* consensus autem tacitus, non sufficit ad Sacramentum, quia non est ibi signum sensibile. *Ratio opp.*

SCHOLIVM.

Consensum expressum per verba esse dispositionem, seu lato modo causam efficientem matrimonij: de alijs signis, præter verba, nihil affirmat, an sufficiant, necne: de quo dist. præced. num.14.

SOlutio [g] istius quæstionis patet ex secunda conclusione primæ quæstionis, quia ibi habetur qualiter contractus mutuæ donationis potestatis corporum est honestus: & qualiter se habeat ad vinculum derelictum inter coniuges; & tunc ad formam quæstionis, non est dicendum, quòd sit propriè causa efficiens illius vinculi: sed est dispositio præuia, sicut baptizari, & ordinari est præuia dispositio ad characterem: consensus autem expressus verbis sufficientibus, includendo ista duo, nihil aliud est, quàm contractus matrimonij: & ideò se habet ad matrimonium, sicut iste contractus. 2

Ad [h] primum argumentum dico, quòd potest ibi esse certitudo talis, qualis requiritur in actibus humanis: in aliis enim contractibus, puta venditionis, vel commutationis rerum, non requiritur certitudo demonstratiua: sed sufficit probabilis, & vt in pluribus: & talis est in proposito, ex suppositione istius propositionis, *quilibet habendus est verax, de quo non habetur euidens signum oppositi.* & ista est de lege naturæ, id est, consona legi naturali, quòd *pro fideli & veraci quilibet habeatur, quousque per experientiam,* *Ad arg.1. Idem 15.d. q.4.artic.2. & d.29.cõtra Gotf. Quilibet habendus bo-*

nus, donec probetur malus. *tiam, vel per testimonium aliorum, fuerit certitudinaliter contrarium æstimatum.* Si autem aliquis dicat se fraudasse personam secum contrahentem, de hoc *infrà dist.*30.*q.*1.

Ad 2. Ad secundum, concedo quòd ad contractum sufficit parentes contrahere pro filiis: & sufficeret sine quibuscumque verbis contractus per literas. Siquidem in aliis contractibus emptionis, & venditionis firmior contractus habetur in literis, quàm in verbis nudis. Sed an in istis signis, aliis à verbis, vel exhibitis ab aliis, vel à contrahentibus saluetur ratio Sacramenti, tactum est in conclusione quarta solutionis præcedentis.

COMMENTARIVS.

1 g *Solutio istius quæstionis patet ex secunda conclusione*, &c. Hæc solutio patet ex dictis in locum citatum. Negat consensum expressum per verba esse causam efficientem propriè dictam respectu vinculi, &c. Sed dispositionem præuiam, sicut baptizari, & ordinari ad characterem, intelligit causam efficientem physicam non esse, sed moralem, seu imitari modum causandi dispositionis præuiæ, vt comparatur ad formam sequentem: de hoc modo causandi, quem tribuit *dist.* 1. *q.* 4. §. *Ad primam ergo quæstionem*, &c. Sacramentis, *ibidem* diximus.

2 *Certitudo cõtractus.* h *Ad primum argumentum*, &c. Benè explicat certitudinem necessariam ad contractum, & fundamentum talis certitudinis, vt innititur fidei humanæ, & veracitati, adhæret autem alia certitudo ex lege publica, per quam fraus, & dolus excluditur, de qua *infra dist.* 30.

Ad secundum, respondet hunc contractum fieri posse per parentes nomine filiorum, & ex consensu ipsorum, fieri etiam posse per literas. *Fieri per literas, & parentes.*

Hanc sententiam tenet etiam Felinus *cap. Ex parte, &c. de rescriptis.* Couarruuias 4. *Decret.* 2. *p. cap.* 4. plures pro ea referens. Nauarr. *lib.* 4. *consil. cons.* 2. aliàs 6. Molina *tom.* 2. *de Iustit. & Iure, disput.* 254. Sotus *in hac dist. q.* 1. *artic.* 3. Patet *ex l. Mulierem, ff. de ritu nuptiarum, l. Sufficit, ff. de sponsalibus.* Glossa *in cap. Nec illud*, 30. *quæst.* 5.

An sit autem Sacramentum, relinquit Doctor sub resolutione data *concl.* 4. *dist.* 26. Esse Sacramentum probatur iisdẽ rationibus, quibus probatum est contractum per procuratores initum esse Sacramentum: quia in hoc Tridentinum nihil innouauit; est autẽ contractus legitimus, modò adhibeatur Parochus, & testes: ergo Sacramentum inter baptizatos: nam epistola lecta coram Parocho, & testibus, & altero præsente acceptante, completur contractus legitimus. *An sit Sacramentum.*

DISTINCTIO XXVIII.

An consensus de futuro, addito iuramento, coniugium efficiat?

A HIc quæri debet, Vtrùm consensus de futuro, addito etiam iuramento, coniugium efficiat? Vt si quis promittat, vel etiam iuret alicui, se vsque ad tempus placitum illam ducturum, & illa promittat, vel iuret se illi nupturam: nunquid talis sponsio eos coniuges facit? Si mutato proposito alter, vel vterque ad alienam copulam transit, nunquid ob priorem sponsionem iuramento subnixam, secundæ fœderationis pactum scindetur? Considera, quia longè aliud est promittere, & aliud facere. Qui promittit, nondum facit. Qui ergo promisit se in vxorem ducturum aliquam, nondum eam duxit in vxorem, & quæ spopondit se nupturam, nondum nupsit. Quomodo ergo coniuges appellari possunt, qui nondum contrahunt, sed in futuro se contracturos iurando promittunt? Item, Si ex vi iuramenti ad futurum pertinentis mox efficiuntur coniuges: cur iurant in futuro se facturos, quod in præsenti efficiunt? Item, Si ex quo iurant, mox efficiuntur coniuges, tunc rem hanc efficiunt quam iurant se facturos. Ideo dico quòd coniugium tunc non fuit, sed futurum promittitur. Si verò ille pòst vxorem duxit, & illa marito nupsit, coniugium vtrimque fuit, & non potest dissolui. Præcedens ergo mendacium, vel periurium, pœnitentiâ est corrigendum, sed coniugium sequens non est dissoluendum. Non autem sic est, quando iuramentum coniugij præsentis consensus attestatione

tione firmatur: quia post talem consensum si quis alij se copulauerit, etiam si prolem procreauerit, & irritum debet fieri, & ipse ad priorem copulam reuocari.

Quæ videntur obuiare præmissis.

PRæmissæ autem sententiæ videtur obuiare illud, quod leges tradunt. Si quis tactis diuinis Scripturis iurauerit mulieri se eam legitimam vxorem habiturum, vel etiam si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illi legitima vxor, quamuis nulla dos, nulla alia scriptura interposita sit. Sed hîc ostenditur, quid fieri, vel esse debeat, non quid tunc fiat. Non enim per illud iuramentum tunc fit vxor, sed fieri debet, quia iuratum est. Potest & de illo iuramento hoc dictum intelligi, vbi de præsenti consentiunt, ac se inuicem suscipiunt. Illi etiam sententiæ, qua dictum est, solum consensum facere coniugium, videtur obuiare quod Euaristus Papa ait, Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui super fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus sponsetur, & legibus dotetur, & à Sacerdote (vt mos est) benedicatur, & à paranymphis custodiatur, ac solemniter accipiatur. Item, ita legitima scitote esse connubia, aliter verò præsumpta, non coniugia, sed adulteria, vel fornicationes sunt, nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima. Hoc autem non ita intelligendum est, tanquam sine enumeratis non possit esse legitimum coniugium: sed quia sine illis non habet decorem, & honestatem debitam. In huius enim Sacramenti celebratione, sicut in aliis, quædam sunt pertinentia ad substantiam Sacramenti, vt consensus de præsenti, qui solus sufficit ad contrahendum matrimonium: quædam verò pertinentia ad decorem & solemnitatem Sacramenti, vt parentum traditio, Sacerdotum benedictio, & huiusmodi: sine quibus legitimè fit coniugium, quantùm ad virtutem, non quantùm ad honestatem Sacramenti. Sine his ergo non quasi legitimi coniuges, sed quasi adulteri, vel fornicatores conueniunt, vt illi qui clanculo nubunt, & vtique fornicatores essent, nisi eis suffragaretur voluntas verbis expressa de præsenti, quæ legitimum inter eos facit matrimonium. Nam & consensus occultus de præsenti per verba expressus coniugium facit, licèt non sit ibi honestus contractus, sed matrimonium non sanxit consensus, qui in occulto fuit. Si enim alter alterum dimiserit, non cogitur iudicio Ecclesiæ redire, & commanere quasi cum coniuge, quia non potest probari testibus contractus, qui in occulto est factus. Quòd si ipsi qui in occulto sibi consenserunt, eundem consensum voluntariè in manifesto profiteantur, tunc vtique propria voluntas suffragatur: & legitima vota succurrunt ad sanciendum coniugium, quod priùs occultè fuerat contractum. Voluntas ergo verbis expressa in occulto ad hoc suffragatur, vt fiat coniugium: manifestè verò expressa suffragatur, vt sanciat & roboret, ac liberum sit Ecclesiæ de hoc iudicare, si expedierit.

B *In auth. quibus mod. nat. eff. legit. parag. pen. col. 6. & allegatur 30. q. 5. Si quis.* Determinatio. *30. quæst. 5. c.* Aliter. *Quæ ad necessitatem, quæ ad decorem pertineant Sacramenti.*

De qua re sit consensus ille, an de carnali copula, an de cohabitatione, an de alio?

HIc quæritur, cùm consensus de præsenti matrimonium faciat, cuius rei consensus sit ille: An carnalis copulæ, an cohabitationis, an vtriusque? Si cohabitationis consensus matrimonium facit, tunc frater cum

C *27. quæst. 2. c.* Sufficiat, *parag.* Sed quæritur.

cum sorore, pater cum filia potest contrahere matrimonium. Si carnalis copulæ, tunc inter Mariam & Ioseph non fuit coniugium. [Proposuerat enim Maria in virginitate manere, nisi Deus aliter facere iuberet: secundùm quod videtur Angelo dixisse: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, me non cogniturам proposui. Neque enim quia virum tunc non cognoscebat, necesse erat inquiri, quomodo posset habere filium: sed quia se nunquam cogniturам proposuerat.] Dicit enim Beda, quòd in virginitate manere disposuerat. Si ergo contra suum propositum pòst consensit in carnalem copulam, videtur facta voti rea mente, etsi non opere violata. Dicamus ergo quòd consensus cohabitationis, vel carnalis copulæ, non facit coniugium: sed consensus coniugalis societatis, verbis secundùm præsens tempus expressus: vt cùm vir dicit, *Ego accipio te in meam, non dominam, non ancillam, sed coniugem.* Quia enim non ancilla, vel domina datur; ideò nec de summo, nec de imo à principio formata est, sed de latere viri, ob coniugalem societatem. Si de summo fieret, vt de capite, videretur ad dominationem creata: si verò de imo, vt de pedibus, videretur ad seruitutem subiicienda. Sed quia nec in dominam, nec in ancillam assumitur, facta est de medio, id est, de latere, quia ad coniugalem societatem assumitur. Cùm ergo sic conueniunt, vt dicat vir: *Accipio te in meam coniugem*; & dicat mulier, *Accipio te in meum virum:* his verbis, vel aliis idem significantibus exprimitur consensus, non copulæ carnalis, vel cohabitationis corporalis, sed coniugalis societatis: ex qua oportet eos cohabitare, nisi fortè causa Religionis pari voto corporaliter separentur, vel ad tempus, vel vsque in finem.

August. de sancta virginitate, c. 4. tom. 6.
Luc. 1. d
Lib. 1. comment. supr. Luc. cap. 3. ad caput 1. Lucæ.
Ecce in quã rem fuit ille cõsensus.
Quare de latere viri facta sit mulier?
Genes. 2. e
Sup. lib. 2. d. 18. lit. E.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm solus consensus de præsenti expressus verbis causet matrimonium?

D. Thom. *in addit. quæst. 45. art. 3.* D. Bonau. *hic art. 1. per totum.* Richard. *art. 1. per totum.* Sanchius *lib. 2. de Matrim. disput. 30. 31.*

1 *Argum. 1.* QVÆRO circa istam vigesimamoctauam distinctionem, Vtrùm solus consensus de præsenti expressus verbis causet matrimonium? Quòd non: omne vinculum, vel contractus, ad quem licitè potest sequi carnalis copula, est matrimonium, vel matrimonij contractus; sed post consensum expressum verbis de futuro, licitè sequitur copula carnalis, quia tales non dicuntur fornicarij, quia subsequente copula carnali, Ecclesia simpliciter dicit esse matrimonium inter illos: ergo. Hoc confirmatur *Extrà de sponsalibus, Is qui.*

Argum. 2. Prætereà, impletio promissi sicut & fidelitas, est de lege naturæ: non autem est per illum actum, quia ille actus non est forma contrahendi, nec Sacramenti: ergo priùs fuit matrimonium: ergo promissio est vinculum indissolubile, & maximè si confirmatur iuramento, quia seruare iuramentum est de lege naturæ.

Prætereà, non est medium quantùm ad contractum istum inter sponsalia, & matrimonium: sed quando apponitur iuramentum, excedit contractus firmitatem sponsalium, quia sponsalia habent firmitatem suam sine iuramento: ergo quando apponitur iuramentum, est contractus matrimonij: ex promisso ergo cum iuramento, surgit vinculum indissolubile: ergo matrimonium. Contrà Magister in litera.

SCHOLIVM.

Solum consensum de præsenti, verbis, vel signis expressum, non verò de futuro, etiam cum iuramento, facere matrimonium.

RESpondeo [a] sicut patet ex secunda conclusione primæ solutionis, contractus matrimonij, qui scilicet inducit obligationem, vel vinculum, quod dicitur vinculum matrimoniale, est datio, etsi non liberalis, cùm sit tamen datio pro alio recipiendo, quæ est permutatio, est traditio saltem mutua potestatis corporum; sed nullus promittendo tradit illud, quod promittit, imò est contradictio; quia promissio est de tradendo in futurum, consensus autem de futuro expressus signis conuenientibus tali consensui, non est nisi promissio: ergo impossibile est ibi esse traditionem, nec per consequens contractus matrimonij. 2 *Arg. 3.*

Si quis autem vellet facere vim de Sacramento concomitante contractum, posset dicere, quòd propria forma huius Sacramenti, siue consistat in verbis tantùm, siue in signis aliis, non tamen consistit nisi in signo repræsentatiuo, non autem prognostico: nec intendere pro futuro, est sufficiens intentio in ministro ad ministrandum Sacramentum: sed oportet quòd intendat pro præsenti, sicut signum significat. In Sacramentis enim veritatis, minister non ministrat idoneè, si mentitur: ergo non est Sacramentum si est consensus de futuro tantùm, propter defectum intentionis ministri; & mendacium est, si vtitur signo repræsentatiuo. Si autem vtitur signo prognostico, etsi non mentiatur, tamen deficit intentio requisita, & signum debitum requisitum.

Ad primum argumentum dico, quòd maior non est vera, nisi intelligatur de vinculo indissolubili, ante actum copulæ carnalis; istud autem etsi fiat indissolubile per actum illum, non tamen erat priùs indissolubile. 3 *Arg. 1.* *Copula post sponsalia nō facit matrimonium in re, sed in foro Ecclesiæ.*

Et si quæras isto supposito secundùm præsumptionem Ecclesiæ, quid secundùm veritatem, est vinculum indissolubile; nunquid actus sequens causat vinculum indissolubile? Respondeo veritas præualet præsumptioni simpliciter, & in quocunque iudicio, si appareat quòd æqualiter possit esse veritas nota, sicut illud vnde oritur præsumptio. In veritate ergo si iste in actu sequenti sponsalia non mutat consensum sponsalium, in consensum matrimonialem, non efficitur matrimonium per istum actum: quia iste actus, nec ex natura rei, nec ex lege diuina est forma sacramentalis, nec matrimonij in proposito. Ecclesia tamen cui non potest innotescere animus exercentis actum illum, præsumit quòd iste noluit peccare mortaliter: & ideò, quòd talis procedat à consensu sponsalium, ad nouum consensum matrimonialem, & illo affectu cognoscat istam.

Et per hoc ad illud, quod adducitur Extra. Concedo enim, quòd si non mutetur consensus prior in matrimonialem secundùm veritatem, non est matrimonium, licèt Ecclesia sic præsumat. 4

Ad secundum dico, quòd promissio, etsi sit de lege naturæ seruanda, tamen non attingit ad contractum dationis: & ideò quantumcumque teneatur soluere promissum, res tamen manet sua: si autem det alteri, data est, nec potest posteà ab illo, cui dedit, auferre, vt reddat promissum: nec tenetur ad restitutionem. quia nihil sibi abstulit: sed debet de impossibilitate reddendi promissum pœnitere, siue de defectione promissionis. Ita est hîc: ergo illa propositio maior, quòd vinculum indissolubile perueniens ad istam obligationem, est matrimonium, vera est de indissolubili de iure, & de facto, sicut est, quando datio facta est perpetuò: promissio autem, etsi sit indissolubilis de Iure, tamen dissolubilis est de facto per dationem sequentem. *Ad 2.* *Res vni promissa, & alteri data, est secundi.*

Ad tertium dico, quòd in sponsalibus est gradus in firmitate, & firmitas iuramenti addita sponsalibus per consensum, & de futuro, licèt magis certificet, non tamen exit certitudinem, & firmitatem sponsalium. *Ad 3.*

COMMENTARIVS.

IN distinctione præcedenti quæstione prima egit de definitione Magistri, & de ipsa coniunctione, seu vinculo; in quæstione verò secunda egit de causa efficiente, qui est consensus viri & mulieris. In hac autem distinctione quæstione vnica, An debeat esse de præsenti, vel sufficiat consensus de futuro,

a *Respondeo sicut patet*, &c. Conclusio hæc est communis, & patet ex dictis *dist. 26.* cuius rationem optimè assignat ex intrinsecis, & essentialibus huius contractus; quia inducit vinculum cum traditione, & permutatione corporum: quæ traditio nequit fieri per consensum de futuro, quia est promissio de traditione facienda, 1 *Requiri consensum de præsenti.*

cienda, non autem fit ipsa traditio, quod perinde probat non fieri Sacramentum, sicut nec contractum de præsenti, vt patet ex litera.

Matrimonia præsumpta annullat Trid. Ad primum respondet secundùm Iura antiqua, quæ disponunt sponsalia subsecuta copula transire in matrimonium, coram Ecclesia: sed per Tridentinum *sessione* 24. *cap.*1. *de reformat. matrim.* hæc matrimonia præsumpta sunt annullata, vbi fuit receptum Tridentinum. *Præsumitur cõsensus maritalis per copulam.* Ad argumentum ergo respondet negando maiorem, nempe copulam esse licitam, nisi præcedat consensus maritalis de præsenti, stante Iure, etiã antiquo; quamuis autem contractus ille, qui fuit de futuro tantùm, reddatur insolubilis, tamen contractus ipse ante coitum non fuit insolubilis; quia Ecclesia præsumit consensum, qui debet inesse, nempe actum illum non procedere animo fornicario, sed per legitimum consensum de præsenti, & matrimonialem. *Sine consensu erat matrimonium nullum* Et sic secuta copula insolubilitas matrimonij solùm fundatur in præsumptione, & non in veritate: quia nequit vinculum fundatum in consensu de præsenti induci per copulam, nisi ipso consensu comitante, aut præcedente: quod optimè notat in textu §. *Et si quæris*, &c. quæ est sententia communis.

2 *Promissio non sufficit sine datione de præsenti.* Ad secundum optimè respondet ad matrimonium requiri ipsam dationem fieri: nam promissione sola posita adhuc manet res possessa in dominio promittentis, & si facto eam alteri conferat, perpetuò valet collatio, licèt priorem promissionem violet, & ad eius impletionem reddatur impotens: v.g. contractis sponsalibus cum vna per promissionem de futuro, contrahit matrimonium de præsenti cum altera, & sic redditur inhabilis, vt impleat promissionem factam alteri. Dicit ergo promissionem fieri insolubilem de Iure, non tamen de facto, nisi secuta datione.

Ad tertium, optimè respondet, iuramentum confirmare contractum non excedere naturam eius, aut mutare: adiectum ergo sponsalibus confirmat quod factum est, non mutat illum contractum, nec transfert in matrimonij contractum: quia sequitur naturam actus, cui adicitur.

3 *An simultas consensus requiratur.* Dubitatur an simultas temporis requiratur ad consensum mutuum de præsenti, vt sit validus?

Prima sententia. Aliqui affirmant, vt Panormitan. *cap. Dilectus*, &c. *de sponsalibus, in fine.* Ioannnes Andreas *cap. Si inter*, &c. *eod.* Couarr. 2. *part. de matrim. cap.* 4. Anchar. *cap. Ex literis* 2. *eod.* & alij quidam.

Secunda sententia. Secunda sententia docet non referre quanto tempore distent consensus, modò prior permaneat. Nauarr. *in summa c.*22. *n.*80. quia sufficit vt moraliter se mutuò determinent, & sint simul.

Prima conclusio. Spectãda circumstantia. Dico primò non requiri simultatem physicam semper, aliquando requiri, & vtrumque esse pensandum ex natura consensus, & intentione consentientium, prout temporis circumstantia, & aliæ conditiones adiectæ transeunt in substantiam actus, vel ab iis abstrahit ex intentione consentientis: v.g. quando ipsæ personæ contrahunt de præsenti personaliter, consentiens non censetur nisi ipse id exprimat, consensum alterius exspectare; sed absolutè consentire hîc, & nunc, & pro illo solo tempore.

4 Item, si intendat exspectare consensum alterius pro aliquo tempore, illud tempus etiam limitatur per consensum, vt eo transacto, si determinatum sit, non maneat consensus prior limitatus, ex voluntate consentientis ad tempus determinatum, intra quod, si alter consentiat, valet contractus. *Quando limitatur consensus ad tẽpus.*

Item, si conditio aliqua importatur per consensum datum, cuius adimpletio exigit moram, & deliberationem, manet prior consensus ex natura, nisi reuocatur, per illud tempus, quo expirante non censetur moraliter manere, sicut neque conditione negata per partem.

Item, si consentiens præuiderit difficultates obstantes matrimonio cum absente, censetur moram intendere illis difficultatibus expediendis necessariam. *Variæ regulæ. Prima.*

Item, consentiens per procuratorem, aut literas, aut nuncium, censetur dare moram necessariam transactioni. *Secunda.*

Item, consentiens hoc modo non censetur consentire, nisi alter cum necessaria solemnitate consentiat: v.g. post Tridentinum, vt alter præstet consensum in præsentia Parochi, & testium, quòd si casu horum facultas non habeatur, nisi pro determinato tempore, eo autem exspirante, non censetur consensus datus esse suspensus, sed desiisse. *Tertia.*

Item, qui consentit per procuratorem, si re infecta regreditur procurator, etiam domini consensus non manet suspensus, qui consensum suum obligauit actui procuratoris, non aliter. Vnde si persona absens interim consensum suum præbet, absente procuratore, nihil fit; quia ille consensus non sequitur formam contractus per procuratorem ineundi. *Quarta.*

Aliud dicendum est, si per epistolam, aut nuntium aliquis consentit in absentem, quamuis enim neget consensum præsente nuntio, aut etiam rescribat, renuens contractum; si interim antequam nuntius, aut epistola peruenire possit, pœniteat facti, & suum consensum præstet coram Parocho; & testibus, valet contractus; quia non dependebat à nuntio, aut epistola aliter quàm ab organo referente consensum datum alterius mittentis, qui consensus manet suspensus, donec nuntius, aut epistola ad mittentem peruenerit. Non potest ergo regula certa dari de tempore, quo permanere censeatur consensus datus suspensus; sed totum dependet ex modo consentiendi, & circumstantiis, quæ in re morali occurrunt, hîc, & nunc: quamuis non sit necessaria simultanea existentia consensuum semper, loquendo de physica, sed vt benè dicit Doctor *distinct.*26. *conclus.*4. & 5. quidquid sufficit ad contractum legitimum, valet hîc; modò cõsensus non sit expressè, aut implicitè reuocatus per se, aut actum contrarium, vel alia motiua, quæ si primò occurrerent, consentienti non præstaret consensum, & quibus occurrentibus ipso facto, aut per intentionem contrariam cedit. Quamuis autem consensus mutuus requiratur, sufficit vt secunda sententia dicit, quòd sint mutui in habitu, seu virtualiter, & moraliter ad rationem contractus, & Sacramenti, quia voluntas prior semper censetur manere donec reuocetur. 5 *Quinta.* *Consensus per nuncium, & literas non dependet ab ipsis.* *Sufficit permanentia in habitu.*

Dubitatur secundò, an Deus posset inducere obligationem vinculi matrimonij de potentia absoluta sine consensu partium? Vel an Ecclesia, vel Respublica etiam independenter ab eodem consensu id possit de facto. 6 *An Deus per legem inducere possit vinculum matrimonij.*

Quantùm

Sententia negatiua.

Quantùm ad primum, aliqui tenent partem negatiuam, vt supplementum Gabrielis *in* 4. *distinct*.27. *quæst*.1. *art*.1. Adrian. *in* 4.*quæst*.2. *de matrimonio*. Petrus Ledesma *de matrimonio*, *q*.45. *art*.1. *dub*.1. *concl*. 3. Probabiliorem sentit Sanchez *lib*.2. *disput*.26. Cornechus *de matrimonio*, *disput*.3.*dub*.1.*quæst*.2.

Præfertur affirmatiua.

Dico primò affirmatiuam esse magis consonam Doctori *in dist*.26.*concl*.2. docet magis consonum esse vt induceatur hæc obligatio per mutuum consensum, quàm quòd à legislatore instituente, supple à Deo, induceretur, supponens induci potuisse. Et in fine conclusionis primæ, & aliàs docet vinculum hoc esse de lege naturæ tanquam consonum, non verò necessarium, sicut principium, aut conclusio necessariò sequens, & *dist*.27. *quæst*. 2. non loquitur de hoc consensu verbis expresso, tanquam de causa præcisa simpliciter, & sine qua nequiret induci; causa autem efficiens non inuoluens imperfectionem, suppleri potest à Deo. Quod ergo consonum est tantùm legi naturali, obligationem non inducit ex natura sua, sed ex mente legislatoris: vnde *suprà distinct*.26. *concl*. 1. probatum est matrimonium institutum esse, contra Vasquez, à Deo.

7 *Est communior sententia.*

Conclusio est magis communis Theologorum: eam tenet Soto *in* 4.*dist*.27. *quæst*.1. *art*.2. Henriquez *lib*.12.*cap*.1. Victoria *relect.de matrimonio*, *part*.2.*num*.4. Ledesma 2.*part*.4. *quæst*.47. *art*.1. noster Angles *in flor.in* 4.1. *de matrimonio*, *quæst*.1.*distinct*. 27.*art*.2. Ludouicus Lopez 2.*p*. *instruct.cap*.39. Conick *disput*.24.*dub*.5.& probatur primò. *Quod Deus coniunxit, homo non separat:* Ergo Deus coniunxit; ergo etiam sine ipsorum consensu posset etiam eos coniungere.

Prima probatio.

Ex potestate suprema Dei.

Probatur ex ratione *suprà* præmissa: quia Deus potest de potentia absoluta inducere obligationem, quam de potentia ordinaria inducit independenter à voluntate creaturæ, & consensu, quia potestas eius est independens à creatura, aut eius voluntate, quantùm ad obligationem legis latæ, & ferendæ, cùm sit absolutus dominus creaturæ, potest dare potestatem mutuam, & dominium, & seruitutem corporum ad procreationem, & hoc perpetuò sine consensu coniugum, & ad hoc obligare vinculo indissolubili, & illud matrimonium repræsentaret coniunctionem Christi ad Ecclesiam, & naturæ assumptæ ad Verbum, imò ex hoc etiam sequitur veritas prædicta argumento à matrimonio spirituali ad corporale: vnio autem naturæ humanæ ad suppositum, & Christi ad Ecclesiam facta est Dei voluntate ante consensum humanæ voluntatis Christi: ergo similiter & hoc vinculum potest per solam Dei voluntatem induci sine consensu viri, & mulieris.

8 *Secunda ratio. Tollitur causa repugnantia.*

Secundò, nihil obstat: ergo, &c. Probatur antecedens: quia in primis ratio Sanchez excluditur, qua dicit consensum esse causam formalem huius vinculi; hoc autem non est verum, quia communi consensu Doctorum, consensus est causa efficiens solùm, & distinguitur à suo effectu, nempe à vinculo, quod inducit, & pro quo per ipsum etiam supponit matrimonium, vt *suprà* visum est *distinct*. 26. *concl*.5. repugnat autem causam formalem & efficientem concurrere in idem respectu eiusdem effectus siue physicè, siue moraliter, quia ex modo & genere causandi differunt, cùm causa efficiens extrinsecè se habeat ad effectum, causa formalis è contra intrinsecè, & actio causæ efficientis terminetur ad formam, & eius vnionem: nulla autem forma seipsa vnitur ex propria virtute. Consensus præterea, vt est actualis, transit, vinculum manet.

Consensus causa efficiẽs vinculi, non formalis.

Vtraque genere differt.

9 *Consensus nõ est causa materialis.*

Per idem impugnatur responsio aliorum, qui dicunt esse causam materialem, vt Corneius, seu fundamentum vinculi, quod dependet à consensu sicut paternitas à generatione. Contrà, paternitas non dependet à generatione, vt à fundamento, seu subiecto inhærentiæ, sed vt à ratione fundandi, quia nempe generatio requiritur, vt ponatur terminus paternitatis in *esse*, scilicet filius, sine quo nequit paternitas esse; sed in proposito non ita se habet consensus ad vinculum, quod inter personas resultat posito consensu, & eo præterito manet: quia perinde inesset per solam Dei voluntatem, vel per actum voluntatis aliorum, si Deus institueret sic, tradendo hanc potestatem Reipublicæ, aut parentibus: ergo non præcisè ita dependet à voluntate propria coniugum, quin de potentia absoluta aliter fieri possit.

Vinculum nõ est ex solo cõsensu parentum: sed ex lege contractus.

Confirmatur, vinculum hoc non sequitur præcisè ex consensu coniugum; sed ex lege, quia, vt est contractus legitimus, inducit vinculum. Vnde impediti, aut inhabiles ad contractum, quantumlibet consentiant, non inducunt vinculum: & contrahentes alio modo, quàm sit præscriptum per legem, similiter non inducunt vinculum: ergo consensus ipsorum in virtute legis inducit vinculum, & non ex propria natura; ergo, vt inducit, vel non inducit, continetur perfectè in voluntate legislatoris, & consequenter potest disponere legislator de vinculo independenter à voluntate contrahentium.

10 *Voluntatem alligari posse alteri absque proprio consensu.*

Tertiò, non magis repugnat voluntatem filiorum obligari voluntati parentum quantùm ad contractum, seu consensum matrimonialem, quàm obligari voluntati parentum quantùm ad peccatum, & pœnam, imò hoc magis repugnat; sed voluntas omnium alligata est voluntati Adami quantùm ad peccatum: ergo à fortiori potest voluntas filiorum obligari parentibus quantùm ad contractum. Confirmatur, quia in aliis rebus, in quibus Deus non reseruauit sibi potestatem in filios, quamdiu sunt sub patris potestate, potest contrahere pater nomine filiorum, & contractus est validus sine ipsorum consensu: quia voluntas ipsorum est alligata, & obligata voluntati parentum, vbi lex non eximit eos à parentibus; sed potestas Dei excedit paternam: ergo à fortiori habet alligatam voluntatem creaturæ suæ absolutæ dispositioni. Probatur consequentia, quia contractus matrimonialis non ex natura contractus ita præcisè exigit consensum, quin suppleri possit per alium, statuente id lege: neque quà matrimonialis est, quia sic non specificat aliud quàm indiuiduam vitæ societatem; sicut autem societas politica ab habente absolutam potestatem institui potest, & fulciri legibus independenter à voluntate subditorum, ita à fortiori, cùm Deus habeat plenam, & absolutam potestatem cum dominio perfecto in corpus, animam, & voluntatem coniugum, independenter ab eorum consensu: potest etiam hanc societatem ad finem procreationis instituere.

Confirmatio ex aliis similibus.

Deus habet potestatem voluntatis creatæ, & cõsensus.

Dices requiri mutuum amorem.

Responsio impugnatur. Contrà: etiam quātùm ad obligationem mutui amoris potest esse independenter à consensu proprio coniugum, licèt actus ipse nequeat esse sine consensu: amor autem mutuus, qui est effectus contractus, est ipsum vinculum societatis indiuiduæ, & indissolubilis, siue sequatur affectus, siue non, vt patet ex Tridentino *sess.* 14. *cap. Doctrinali*, vbi primò vocat nexum indissolubilem, deinde amorem naturalem; *Gratiam verò*, inquit, *quæ naturalem illum amorem perficeret*, &c. nempe quo sunt duo in carne vna. Siue autem amor sit in affectu, & voluntate coniugum correspondens illi, siue non, nihil facit ad essentiam matrimonij, quod perinde manet inter odientes insolubile, & inter amantes per affectum. Ex his patet ad fundamenta oppositæ sententiæ. *Trident.*

11 *Obiectio.* Obiicies primò: Vinculum hoc consistit in relatione, & fundatur in consensu mutuo.

Soluitur. Respondetur ex dictis, negando alteram partem antecedentis: est enim ex consensu de facto tanquam ex causa morali efficiente, non solùm vt consensus est à voluntate contrahentium, sed vt est secundùm legem, & habet annexam voluntatem legislatoris specialem in ipsa lege contentam: quæ voluntas perinde posset hoc vinculum inducere per aliam causam, vt per consensum parentum, & Reipublicæ, aut alio modo independenter ab omni consensu proprio. Hoc ergo vinculum consistit in relatione reciproca ad finem matrimonij, quæ ex mera voluntate Dei induci posset. *Vinculũ non esse ex solo consensu, sed etiam ex lege.*

12 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò: Nequit Deus inducere vinculum Religionis ortum ex voto sine consensu, & actu voti: ergo neque similiter hoc.

Soluitur. Obligatio, quæ est per votum, potest induci per legem. Respondetur primò negando antecedens: quia votum inducit obligationem ex virtute Religionis, cuius est actus: Deus autem potest suo præcepto inducere eandem obligationem in specie ex motiuo etiam Religionis, & imponere obseruantiam trium virtutum Euangelicarum citra consensum eius, cui imponeretur talis obligatio.

Secunda responsio. Differētia inter votum & matrimoniũ. Respondetur secundò, negando consequentiam, quia votum essentialiter includit promissionem, quia nequit esse sine proprio actu promittentis; at vinculum matrimonij consistit in dominio, & seruitute, vt dictum est, quæ ex mera potestate Dei supremi domini potest induci sine actu coniugum; & talis obligatio esset vsus dominij supremi, & dispositio libera de re propria, quæ non ligatur voluntati creaturæ, nisi tantùm ex condecentia, & non necessitate.

13 *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò: Matrimonium est essentialiter coniunctio animorum; hæc autem nequit fieri sine consensu: ergo, &c.

Responsio. Respondetur argumentum hoc fallere secundùm æquiuocationem: aut minorem esse falsam, quia coniunctio animorum habitualis, qua sunt duo in carne vna, est de essentia matrimonij, seu ipsum vinculum matrimonij, quæ coniunctio de facto manet, siue dissentiant quoad effectum coniuges, siue non dissentiant; supponit de facto consensum, seu contractum in *fieri* tanquam causam efficientem; de possibili tamen inesset sine tali consensu, Deo solo operante.

Obiicit quartò Corneus: Deus nequit coniungere dissentientes: ergo nequit sine consensu eorum coniungere: quia si posset supplere consensum, posset supplere dissensum. Probatur antecedens, dato quòd Deus tribuat mutuam potestatem corporum inter dissentientes, & illi præterea consentirent in impedimentum prolis, quando fieret traditio, esset contra substantiam matrimonij: ergo. 14 *Quarta obiectio.*

Respondetur negãdo antecedens: sicut enim Deus habet dominium perfectum in creaturas, ex quo sequitur, aut sequi potest vinculum, perinde habet dominium prædictum independenter à consensu, & dissensu ipsorum. Ad probationem antecedentis respondetur, admittendo etiam casum, & negando assumptum; quia sicut vinculum in eo casu non dependeret à voluntate ipsorum, ita etiam nec ab inordinata voluntate in impedimentum prolis; neque hoc esset contra substantiam matrimonij in casu conclusionis, quamuis de facto sit contra substantiam matrimonij, vt fit per contractum, & mutuum consensum, ex quo inducitur vinculum tanquam ex causa: nam sicut contractus legitimus nequit stare contra legem contractus; ita etiam non compatitur cum voluntate positiua impediendi finem intrinsecum contractus, qui per legem determinatur; ideò annullat contractum; sed in eo casu matrimonium non consisteret in contractu per consensum coniugum, ideò ad vinculum eius nihil faceret eorum peruersitas, aut repugnantia, quia vinculum teneret independenter ab ipsis, sicut tenet de facto in iis, qui supposito contractu procurant venena sterilitatis, aut alio modo impediunt prolem, quod non dissoluit contractum, aut vinculum per voluntatem antecedentem tenens, independenter à voluntate consequente peruersa contra finem contractus. Sic ergo in casu expresso, nullo modo ab eorum voluntate dependeret vinculum matrimonij, sed esset ex necessitate imposita per voluntatem diuinam, & staret finis præfixus ex eadem voluntate, non obstante repugnantia ipsorum. Posset etiam aliter responderi ad prædictum argumentum: sed hæc responsio sufficit, quia est per causam intrinsecam, & à priori. *Responsio.* *Conditio irritans contractum.*

Dico secundò neque Rempublicam, neque Ecclesiam posse inducere hanc obligationem independenter à consensu contrahentium: quia Deus hoc sibi reseruauit, & instituit absolutè contractum per consensum viri, & fœminæ, cui alligauit contractum, ita vt sine illo nequeat de facto iniri. Est etiam vinculum indissolubile, quod nequit Ecclesia, aut Princeps dissoluere; patet veritas ex dictis, & Trident. *sess.* 24. *de matrimonio, cap.* 9. Est communis Doctorum, vide Sanchez *disput.* 27. vbi citat Doctores, & patet resolutio ex verbis Christi, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, &c. 15 *Obligatio matrimonij nequit à Republica induci.*

Dubitatur tertiò, vtrùm requiratur consensus parentum, quando contrahentes sunt filijfamilias, ad valorem contractus? Partem affirmatiuam docet Cassanæus *in Catalogo gloriæ mundi, part.* 12. *consid.* 36. & Ioannes Odeldochius 4. *classe actionum, act.* 26. 16 *An sit necessarius consensus parentum.*

Dico illum consensum parentum non esse necessarium ad valorem matrimonij. D. Thomas 2.2.*q.*104.*art.*5.*in corpore, &* 3.*p.q.*61.*art.*10. *in*

in corpore. Couarr.1.*part.de matrimon.cap.*3.& est communis Theologorum; quam sententiam supponit Doctor *dist. praeced. q.*2. vbi dicit, consensum expressum per verba esse sufficientem causam matrimonij, & assertiuè docet *dist. sequenti ad vltimum argumentum.* Patet *ex cap. Virum,*&c.*de regularibus,* vbi dicitur filium in electione propositi non cogi sequi voluntatem parentum,& *cap.Sufficiat* 27.*quaest.*2.vbi habetur consensum contrahentium sufficere ex Trident. *sess.* 24.*cap.*1. *de matrimonio:* vbi anathema fert, *Ac proinde,* inquit, *iure damnandi sunt illi, qui vera & rata esse negant,* supple matrimonia clandestina, antequàm Concilium ea irritauit, *vt eos sancta Synodus anathemate damnat, quique falsò affirmant, matrimonia à filijsfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, & irrita facere posse,* &c. Ratio est, quia filijfamilias peruenientes ad aetatem legitimam habent dominium sui corporis, & possunt vouere Religionem, & alia facere, quae personalem obligationem inducunt, & non realem.

Non requiri cõsensum parentum.

Trident.

17 *Obiectio.*

Obiicies, *cap. Aliter* 30.*q.*5.quod est Euaristi Papae, vbi exigit ad legitimum matrimonium filijsfamilias, consensum parentum. Aliqui existimant olim hoc obtinuisse impedimentum irritans.

Responsio.

Respondetur tamen per legitimum non intelligi ratum, sed quod secundùm leges fit licitè, & cum requisitis solemnitatibus, quas ibi describit Pontifex; nam ad matrimonium legitimum in hac acceptione requirit, vt vxor dotetur, & à paranymphis viro tradatur, & quòd coniuges biduo, aut triduo vacent orationi ante consummationem matrimonij; quamuis sine his matrimonia sint rata, vt per se constat. Haec interpretatio patet *ex c.Nostrates,*&c.quod est Nicolai Papae eadem, vbi eaedem cõditiones exponuntur, & dicit esse peccatũ has non obseruare.

Dispositio circa consensum parentum.

Ad idem spectant quaedam Iura ciuilia, quae interdicunt matrimonia filiis sine consensu parentum, vt *l.*2.*ff.de ritu nupt. l. In sponsalibus,ff.de sponsalibus, l. Ea quae patris, ff. eodem.* quia glossa *in l.*2.*ff.de ritu nupt.* notat hoc potius esse consilij, quàm praecepti, & si esset praecepti, non refert, cùm factum, licèt illicitè attentetur, teneat, neque leges irritum esse decernunt, aut declarant. Vnde *l. Filius emancipatus,ff.de ritu nuptiarum,*&c. validè contrahit filius emancipatus, & filius ei natus est haeres.

DISTINCTIO XXIX.

Consensus coniugalis qualis debeat esse.

A

OPORTET autem consensum coniugalem liberum esse à coactione. Coactus enim consensus, qui nec consensus appellari debet, coniugium non facit, sicut testatur Vrbanus Papa, scribens Sanctio Regi Arragonum in haec verba: De neptis tuae coniugio, quam te cuidam militi daturum necessitatis instanti articulo sub fidei pollicitatione confirmasti, hoc aequitate dictante decreuimus: vt si illa virum illum omnino (vt dicitur) renuit, & in eadem voluntate persistit, vt viro illi se prorsus deneget nupturam: nequaquam eam inuitam, ac renitentem eiusdem viri cogas coniugio copulari. Idem, Si verum esse constiterit, quod nobis Legati Iordanis principis retulerunt, scilicet quòd ipse coactus, & dolens filiam suam flentem, & pro viribus renitentem, Raynaldo desponsauerit: quoniam legum & Canonum auctoritas talia sponsalia non approbat, ne ignorantibus leges & Canones nimis durum videatur, ita sententiam temperamus, vt si princeps cum assensu filiae id quod coeptum est, perficere voluerit, concedamus. Sin autem, Legatus noster vtrasque partes audiat, & si nihil fuerit ex parte Raynaldi, quod ampliùs impediat, ab ipso Iordane Sacramentum, quo constent haec, quae dicta sunt, accipiat. Et nos Canonum & legum scripta sequentes, deinceps non prohibemus, quin alij viro, si voluerit praedicta eius filia tantùm in domino nubat. Ex his apparet, coniugium fieri inter consentientes & spontaneos, non inter renitentes & inuitos. Verumtamen qui inuitè, & coactè coniuncti sunt, si posteà ab aliquo temporis spacio sine contradictione, & querimonia cohabitauerint, facultate discedendi, vel reclamandi habita, consentire videntur: & consensus ille consequens supplet, quod praecedens coactio tulerat.

31.*q.*2.*cap.* De neptis.

Ibidem cap. Si verum.

Quis consentire dicatur?

B *In lib. Pandectarum.* Consentire autem probatur, qui euidenter non contradicit: secundùm illud, In sponsalibus eorum consensus exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen semper patri filia consentire, nisi euidenter dissentiat. Item, Sponsalia, sicut nuptiæ, consensu fiunt contrahentium. Et ideò sicut in nuptiis, ita & in sponsalibus patrisfamilias filiam consentire oportet: quæ si patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur.

Qvæstio Vnica.

Vtrùm consensus coactus sufficiat ad contrahendum verum matrimonium?

D. Thom. *in addit. quæst.* 45. *art.* 4. D. Bonau. *hîc art.* 1. *quæst.* 1. Richard. *art.* 1. *quæst.* 1. Durand. *quæst.* 1. Sanchius *lib.* 4. *de Matrim. disp.* 15. 16. *& per totum librum.*

1 *Mag. A, B. Argum.* 1. Circa istam vigesimam nonam distinctionem quæro, Vtrùm consensus coactus sufficiat ad contrahendum verum matrimonium? Quòd sic; quia baptizatus timore pœnarum sufficienter consentit, ita quòd verè recipit Baptismum; vnde & cogendus est ad obseruantiam fidei iam susceptæ, *Extrà de Baptismo, & eius effectu. Maiores.* ergo à simili in proposito, cùm ibi sit matrimonium spirituale, sicut hîc carnale; imò consequentia videtur tenere à minore, quia minùs videtur requiri libertas ad carnale, quàm ad spirituale matrimonium.

Argum. 2. *Cap.* 9. Præterea, nullus metus impedit, nisi qui potest cadere in constantem virum; sed vir constans est fortis, & fortis est impauidus. 3. *Ethic.*

Præterea, *Extrà de his quæ vi, metúsque causâ fiunt, Ad aures*, electio facta per metum, si sit iuramento firmata, est obligatoria: ergo a simili in proposito.

Argum. 3. Præterea, coactio facta per metum non est nisi quædam inductio efficax ad illud, quæ non est simpliciter coactio: sed blanditiæ ita efficaciter inducere possunt, sicut terrores, vel minæ: ergo consentiens propter aliquas blanditias, vel delitias allicientes non contraheret matrimonium; consequens est falsum: ergo.

2 *Argum.* 4. Præterea, *Extrà de despons. impuberum. Tua nos.* pater filium nondum adultum, cuius voluntas non potest discerni, cui vult, potest matrimonio tradere, & postquàm filius ad perfectam ætatem peruenerit, debet hoc adimplere: & hoc habetur, *ff. de sponsal. l. Sed quæ patris.* dicitur de filia, quòd tunc solùm dissentiendi à patre licentia conceditur sibi, si indignum moribus, vel turpem sponsum pater ei eligat: & probatur hoc à simili, quia Papa potest suos filios cogere ad contrahendum matrimonium spirituale, puta ad recipiendum Episcopatum; ergo.

Ratio opp. Contrà Magister in litera. Præterea, fauorabilius est matrimonium spirituale, quàm carnale; sed consensus coactus impedit professionem Religionis, vt habetur 20. *q.* 3. *præsens:* ergo & hîc.

Præterea, quòd filius non possit cogi à patre ad contrahendum matrimonium, habetur *Extrà de desponsf. impub. cap.* 1. *extrà de his, quæ vi, metúsque causa fiunt, c.* 1. *& in Gloss.* matrimonium contractum per metum non tenet, nec obligatus est, qui hoc facit, etsi iuret.

SCHOLIVM.

Sententia tenens matrimonium metu ad id incusso contractum, esse validum, si motum patiens, intus consentiat, censeri tamen ab Ecclesia non consensisse. Hanc refutat Doct. expressis Iuribus, & ratione. Ita omnes Canonistæ, cap. 2. *de his quæ vi. D. Thom. hîc quæst. vnic. artic.* 3. *D. Bonau. art. vnic. q.* 1. *Sotus quæst.* 1. *art.* 3. *Henriquez lib.* 11. *cap.* 9. *Nauar. cap.* 22. *num.* 51.

Hic

HIc [b] dicitur, quòd simpliciter non potest aliquis cogi ad consensum, sed tantùm secundùm *quid*, scilicet per metum pœnarum, quas vult euadere. Tunc arguitur, sed pœnas quas timet, sufficienter euadit consentiendo tantùm verbo extrinseco: ergo si vltra hoc consentit animo interiùs, isto consensu consentit, non ex metu; & per consequens ille consensus est liber, & non coactus: & ita obligat. Sed tamen iudicio Ecclesiæ non est matrimonium, quæ talem præsumit in matrimonium non consensisse, sed tantùm in prolatione verborum, ad periculum quod metuit, euadendum. 3 *Gotf. quodl. 13. q. 15.*

Contra hoc, quicumque cogitur ad aliquid, quod non potest esse sine alio absque peccato mortali, cogitur ad illud aliud, & hoc accipiendo coactionem similiter hinc inde: sed iste, per te, cogitur ad dicendum verba exteriora ad exprimendum consensum per metum; illa autem verba non possunt esse sine consensu illo interiori sine peccato mortali, quia proferens illa sine illo, perniciosè mentitur: ergo sic, per te, potest cogi ad proferendum verba sic, & ad consensum interiorem. Maior probatur multipliciter, tum quia iste metus, qui excusat, est ille, qui potest cadere in constantem virum secundùm Iura; sed in virum constantem non potest cadere metus maioris incommodi, quàm peccati mortalis: tum etiam, quia nullus metus potest cadere rectè in aliquem, nisi ad subeundum minus malum, vt fugiat maius malum: sed pati quamcumque pœnam, est minus malum, quàm peccare mortaliter. Idem etiam posset probari de licito, & illicito, quia metus non potest inducere aliquem ad aliquid, nisi vt est licitum: quia magis necessarium est vitare illicitum, quàm fugere pœnam; siquidem plus à causa superiori determinatur aliquis ad fugiendum illicitum, quàm ad pœnam cauendam, quia Deus per affectionem iustitiæ retrahit hominem ab illicito: affectio autem commodi inclinat ad pœnam vitandam. *Metus peccati mortalis maximè cadit in constantem virum.*

Hæc ratio tota confirmatur duplici exemplo. Primò, si alicui non liceret consentire interiùs, nullus metus deberet eum inducere ad proferendum verba exteriùs: sicut esset de Religioso, qui nullo modo induci debet ad dicendum hæc verba, quia aut est consentiens animo, & sic peccat mortaliter contra votum: aut non consentiens, & sic peccat mortaliter mendacio pernicioso: ergo nullus alius inducitur sufficienter per metum ad dicenda ista verba, nisi vt distinguitur à Religioso, quia licet sibi consentire interiùs. 4 *Religiosus coactus dicere verba matrimonij, an peccet mortaliter.*

Aliud exemplum, si quis violentiam inferens isti, vt accipiat illam, & etiam per violentiam exigeret ab eo tale iuramentum, *iuro ad sancta Dei Euangelia, quòd sine metu consentio in istam*; nullo modo debet ex aliquo metu ad istud iuramentum induci, quia est peccatum mortale iurando mendaciter: ergo à simili nullo metu potest iste induci ad accipiendum istam verbo exteriùs, nisi vt sic accipere est licitum, non est autem licitum, nisi vt coniungitur consensui interiori.

Si dicas, per istas rationes probari potest, quòd non debet dicere verba propter quemcumque metum, nisi consentiat animo, tamen si consentit, tenetur: quia ad illum consensum non inducit eum sufficienter metus. Contrà, nec ad verba exteriora cogitur simpliciter, sic quòd alius moueat linguam suam: sed quia imminet sibi aliud magis vitandum, scilicet mors; ideò dicitur cogi ad sic loquendum: ergo à simili cùm immineat sibi maius malum, quàm consentire in istam, vtpote mors, vel peccatum mortale, metu cogitur ad consentiendum in istam. 5

Confirmatur istud, quia oppositum daret occasionem multis mentiendi perniciosè. Confirmatur etiam per exemplum: si quis in magno periculo proiiciat merces in mari, ne submergatur, ex metu proiicit, & si esset actus alius sine quo non posset esse proiectio, vel absolutè, vel sine peccato mortali, ad illum similiter cogeretur.

Secundò, peccat opinio in hoc, quod dicit Ecclesiam præsumere non esse consensum, quia præsumit ipsum ex metu tantummodò consensisse exteriùs, non interiùs in animo; hoc falsum est, quia Ecclesia semper præsumit pro meliore parte, sicut habetur *Extrà de reg. iur. Estote misericordes, & extrà de scrutinio in ordinibus faciendo, cap. vnico*: quis præsumitur idoneus, quando non probatur inidoneus: & apparet manifestè, quia Ecclesia copulam carnalem sequentem sponsalia præsumit esse ex affectu matrimoniali, quia præsumit sponsum, & sponsam non peccare mortaliter in illo actu: ergo à simili hic. *Ecclesia præsumit pro meliore parte.*

COMMENTARIVS.

IN hac distinctione agit de consensu coacto, & quid valeat ad matrimonium: deinceps autem in sequentibus de reliquis impedimentis irritantibus, quorum numerum, & rationem exactè explicat, *dist.*42. ac proinde in eum locum differemus illum tractatum, qui euidentiam habet ex iis, quæ in specie ad singula spectant.

1 *Prima sententia.*

b *Hic dicitur, quòd simpliciter non potest*, &c. Hanc sententiam allegat S. Thomas *in præsenti dist. quæst. vnica, art.* 3. *quæstiunc.* 1. *in corpore.* D. Bonauentura *art.* 1. *q.* 1. *in corpore.* Pro ea in margine Doctoris citatur Gotfredus *quodl.* 13. *q.* 15.

Asserta eius tria.

Tria continet hæc sententia, quæ impugnatur à Doctore. Primum est, quòd talis sibi prouidere sufficienter potest, dicendo verba, seu consentiendo per verba, non autem corde. Secundum est, quòd si corde consentiat, matrimonium valere in foro conscientiæ. Tertium est, non valere in foro externo, aut iudicio Ecclesiæ, quia Ecclesia præsumit eum non consensisse in matrimonium; sed in verba tantùm, vt euaderet pœnam. Primum & tertium hîc impugnat. Secundum verò infrà §. *De secundo dico*, &c.

Mendacium graue, & perniciosum.

Primum impugnat, quia talis consentiens in verba tantùm, peccat mortaliter, mentiendo perniciosè in re graui: hoc autem nullo modo licet ad euadendam etiam mortem, aut alias pœnas, quia est maius malum peccatum mortale, quod separat à Deo, quàm vllum malum pœnæ;

Metus nõ excusat.

metus autem non excusat, quia nequit inducere ad aliquid, quod non est licitum. Deinde, metus, de quo agunt hîc Doctores, est cadens in constantem virum, hic autem non mouetur nisi ad licitum. Deus secundùm affectionem iustitiæ determinat prohibendo peccatum mortale; metus secundùm affectum commodi ad fugiendam pœnam; obligatio autem orta ex affectu iustitiæ, non cedit commodo.

2 *Religiosus nequit ex metu consentire exteriùs in matrimoniũ.*

Confirmat duplici exemplo. Primum est de Religioso, qui obligatur voto castitatis, hic neque coactus potest licitè exteriùs consentire in matrimonium, quia id ei prohibitum est, cùm non possit habere consensum internum correspondentem, impeditus per votum: ergo alter non Religiosus ideò potest exteriùs consentire in verba, quia etiam debet habere consensum internum. Aliud exemplum, si proferatur iuramentum, quòd non ex metu, vel coactus consentiat, tunc qui profert iuramentum, peccat mortaliter.

Confirmat secundò ab inconuenienti, & scandalo: quia multis daretur occasio mentiendi ex hac doctrina, etiam perniciosè. *Scandalum.*

Confirmat tertiò de proiiciente merces in mare, voluntariè quidem simpliciter, sed inuoluntariè secundùm *quid*, nempe ex metu mortis imminente. *Voluntarium secundùm quid est simpliciter voluntarium.* Hoc exemplum impugnat fundamentum oppositæ sententiæ, quo dicit neminem posse cogi ad consensum. *Non tollitur per metum.* Rationes hæ sunt receptæ ab omnibus.

3 *Præsumptio Ecclesiæ est in partẽ meliorem.*

Tertium, quod est de præsumptione, quam interpretatur esse Ecclesiæ, optimè refutat. Quia Ecclesia semper præsumit pro meliori parte, quia in re dubia præsumit bonum, quod sine peccato fieri potest, vel ex duobus malis minus malum. Primum patet ex Iure allegato in textu, *Estote misericordes*, &c. *de reg. iuris, cap. vnico, de scrutinio in ordinibus faciendo*, &c. quo quis censetur idoneus, quando non inuenitur non idoneus, neque præsumit vllum delinquere in facto, quando per legitimas probationes non constiterit, *l. Merito, ff. pro socio.* Tertium exemplum patet *ex cap. Is qui fidem*, &c. *de sponsalibus.*

Ex duobus malis sic etiam minus malum benignè præsumit secundùm charitatem, & iustitiam. Ex his autem minus malum sicut est eligendum, *c. Cùm Dauid, c. Si aliquid, dist.* 22. *c. Duo mala, dist.* 23. ita etiam præsumi debet. Ex quo sequitur responsio ad obiectionem Durandi *in hac dist. quæst.* 2. *Obiectio Durandi.* Dicit enim Ecclesiam aliquando præsumere deterius, vt in fauorem secundi matrimonij publicè contracti præsumebat mentiri eum, qui dixit se contraxisse aliàs cum prima.

4 *Soluitur.*

Respondetur minus malũ esse mentiri, quàm duo matrimonia contra iustitiam, & reuerentiam Sacramenti contrahere. Deinde, non præsumit Ecclesia nisi de delicto, quod ipse propria confessione fatetur, nempe contraxisse cum secunda, sciens se inhabilem ad contractum; in quo contractu ex confessione propria mentiebatur perniciosè proferens verba sine legitimo consensu, quem habere non potuit, dato quòd priori vxori manebat obligatus adhuc viuenti; inter duo autem mendacia illud magis præsumendum erat, quod in probatione deficiebat, & minùs obstabat Sacramento, quod in facie Ecclesiæ fuit publicum, neque admitti debuit prior contractus in præiudicium eius, nisi sufficienter probaretur: neque consequenter allegatio non probata in præiudicium secundæ vxoris, & contractus, de quo constabat.

SCHOLIVM.

Voluntatem non posse absolutè violentari, quia violentum est totaliter ab extrinseco; & contra inclinationem passi, & velle, sic non potest inesse voluntati, saltem per creaturam. Explicat tamen optimè quomodo cogitur ad aliquid volendum simpliciter liberè, metu tamen impellente.

6 *De consensu coacto. Cap.* 2.

Explicat rationẽ violenti.

AD c quæstionem igitur duo sunt videnda: primò, qualiter possit esse consensus coactus; secundò, si ille sufficiat ad contractum matrimonij. De primo, contradictio est, voluntatem simpliciter cogi ad actum volendi, quia cùm *violentum sit*, ex 3. Ethic. *cuius principium est extra, non conferente vim passo*, intellige passo vim, id est, violentiam non conferente, non negatiuè, sed contrariè, id est, conferente, quod est dictu, violentum est quod est totaliter à principio extrinseco, quod est contra inclinationem

nationem passi, & velle non potest sic inesse voluntati, quia tunc nolens vellet, vel volens nollet, & sic sequitur propositum.

Voluntas non potest violentari.

Potest ergo habens voluntatem cogi ad aliquam passionem, vtpote ligatus hîc cogitur remanere: vel ad aliquam actionem instrumentalem, quæ tamen non est actio sua, vtputa, si aliquis manu mea percutiat, ita posset facere manu ærea; sed ad actionem voluntatis elicitam, vel imperatam, quæ propriè est actio humana, non potest cogi nisi secundùm *quid*, metu scilicet maioris mali, quàm sit ille actus: & est ista coactio possibilis in homine virtuoso, quando non leui æstimatione, sed certitudinaliter; saltem certitudine sufficiente in actibus humanis, scit malum sibi inferendum, quod maius est inconueniens sibi, quàm actum istum displicentem elicere: & potest benè esse, quòd secundùm rectam rationem sit sibi maius inconueniens, vtpote mors, vel sustinere carcerem, vel captiuitatem, mutilationem enormem, stuprum, & similia mala. Cùm ergo iste sit dominus voluntatis suæ, potest & velle aliquod, quod aliàs nollet: & imperare actum aliàs nolitum, antequàm incurrat ista mala: & hoc secundùm rectam rationem. Vnde talis metus dicitur posse cadere in constantem virum; sed nullus metus potest inducere aliquem ad peccatum mortale secundùm rectam rationem, quia non potest esse maius malum, quod imminet quàm sit istud peccatum: quia nulla pœna solùm peior est, quàm culpa mortalis.

Quæ mala causent metum viri constantis? Secundùm rectã rationem potest quis ex metu contrahere.

COMMENTARIVS.

5 *Violentum.*

c AD *quæstionem igitur duo sunt videnda*, &c. Explicat definitionem *violenti*, & naturam eius ad propositum, quo doceat modũ coactionis in voluntate; videatur *in 2. dist.* 18. *in 4. dist.* 43. *quæst.* 2. & aliàs sæpè docet *violentum* consistere in passiuo. Aduertendum est *cogi*, & *violentari* in rigore distingui, vt aduertit Durandus *in 2. dist.* 16. *quæst.* 4. quia *violentum* tam in animatis, quàm inanimatis dicitur: *Coactio* verò respectiuè ad voluntatem. Angestus *coactionem* refert *cap.* 3. *moralium* ad appetitum elicitum voluntatis, *violentum* verò ad inclinationem naturalem. Plures tamen Theologi, & Philosophi non multum inhærent huic distinctioni, & synonymè per accommodationem vtrumque sumunt in ordine ad voluntatem, vt dicant violentari, quando cogitur. *Coactio* tamen vt plurimum in moralibus attenditur secundùm *voluntarium*, & *inuoluntarium* in actu, & denotat respectum ad causam efficientem, vt subest motiuo fortiori impellenti ad actum, qui non est absolutè voluntarius, sed ex metu maioris mali ei imminentis. Doctor autem hîc sumit synonymè *coactionem* & *violentiam* respectiuè ad voluntatem.

Distinguitur à coactione.

Sumuntur quandoque synonymè.

Definitio violenti.

Definitionem *violenti* statuit ex Philosopho 3. *Ethic. cap.* 2. illa verò verba, *Passo non conferente vim*, explicat contrariè, id est, repugnante passo secundùm suam inclinationem naturalem ad actionem, quæ est ab extrinseco agente tota: nam eo ipso quòd passum repugnat secundùm inclinationem passi, id est, qua passum est, sequitur actionem non esse ab ipso: quia virtus innata, si agat actione immanente, agit ad formam connaturalem subiecto, cùm ordinetur ad perfectionem subiecti, & sui ipsius conseruationem. Vasquez 1. 2. *disput.* 25. *cap.* 3. dicit illam particulam *passo non conferente vim*, referri ad inclinationem actiuam, non verò passiuam. Contrarium communiter docent interpretes. Hanc quæstionem in materia de actibus humanis tractaui suo loco, quæ etiam prælo destinata est, ideóque eam in prædictum locum remitto, & supponi debet, vt propria ipsius materiæ discutiantur.

Respicit inclinationem passiuam.

6 *Voluntas in actu nequit violentari. Probatio.*

Resolutio Doctoris in hoc præsupposito est, voluntatem simpliciter non posse cogi, hoc est, violentari ad volitionem, quia sic vellet nolens, aut nollet volens. Volitio & nolitio, seu actus elicitus vt comparatur ad potentiam nudè sumptam, & in sensu diuiso, absque omni alio actu, est ipsi connaturalis: quia est potentia vniuersalis respiciens bonum, aut malum in genere per fugam, & prosecutionem, ideóque connaturale ipsi est velle bonum quodcunque, & fugere malum; nequit autem nolle bonum sub ratione boni, aut velle malum sub ratione mali.

Cogi potest ad passionem.

Secundò, hinc deducit, licèt cogi posset ad aliquam passionem, vt si quis detineatur in aliquo loco violentè, vel ad aliquam actionem instrumentalem, vt si manus alicuius, aut caput in alium per agens extrinsecum incutiatur, qui actus nati sunt imperari à voluntate, & fieri ab extrinseco, etiam voluntate repugnante: tamen nequit violentari voluntas ipsa ad actum vllum humanum elicitum, aut imperatum, quà actio humana est, id est, procedens à voluntate per actum imperantem, & per modum principij non potest, inquam, nisi secundùm *quid*, quia si nequit cogi ad actum elicitum, sic etiam nequit cogi ad actum imperatum, qui solùm est à voluntate mediante actu elicito.

7 *Cogi potest secundùm quid.*

Tertiò, docet cogi posse voluntatem secundùm *quid* per metum maioris mali imminentis, & ista coactio possibilis est in homine virtuoso, aut studioso, quia secundùm rectam rationem potest velle aliquid, quod aliàs nollet, aut imperare, vt euitet inconueniens graue, vt mortem, mutilationem, stuprum, & similia mala; & hic metus dicitur cadere in constantem virum. Concludit autem quòd nullus metus potest aliquem inducere ad peccatum mortale: cuius ratio est, quia voluntarium ex metu simpliciter fit ex electione, & simpliciter est voluntarium, secundùm *quid* tantùm inuoluntarium, ideóque non excusat à peccato mortali, aut veniali, respectiuè ad materiam alterutrius. Vnumquodque enim simpliciter, & absolutè dicitur secundùm id quod est in actu, & re ipsa, si comparetur

Metus cadens in virum constantem.

Non excusat à peccato.

tur ad id quod est in apprehensione tantùm, causa metus in apprehensione est; actus, aut gestum ex metu est in ipsa re, & liberè per electionem: quando est prohibitum, & contra rectam rationem, nequit excusari per causam in apprehensione, quæ etiamsi in re ipsa applicaretur, deberet refutari per obseruantiam legis, & secundùm rectam rationem: quia vir fortis, & constans debet sequi rectam rationem.

Quæ conditiones metus viri constantis.

8 Duas conditiones metus cadentis in constantem virum assignat Doctor necessarias, vt metus ille annullet contractum matrimonij. Prima conditio est, vt malum sit graue, & quòd secundùm rectam rationem eligi non possit à viro forti, & constante. Hæc est communis, & patet, *l. Metum, §. 1. ff. de eo quod met. causa*, inconstantis autem, & leuis animi est modicam rem timere. Hæc grauitas attenditur ex natura mali in se, vt patet in exemplis, quæ Doctor subiicit, non autem respectiuè ad minus malum; & patet ex verbis legis, vbi dicitur, *metum autem non vani hominis, sed qui meritò, & in hominem constantissimum cadat ad hoc edictum pertinere dicimus*, &c. requiritur ergo vt malum sit graue, & in se tale, non autem ex vana, & non fundata æstimatione patientis, aut metuentis.

Debet malum esse graue absolutè.

Exempla metus mortis.

Exempla huius metus aliqua subiicit Doctor, vt *mortis.* est communis, *cap. Cùm dilectus*, &c. *De his quæ vi, met. causa*, &c. *l. Nec timorem, ff. de eo quod metus causa.* Secundum est, *Incarcerationis.* habetur *l. Timorem, citato.* est communis Doctorum, distinguunt tamen aliqui, si incarceratio sit diuturna, & grauis dare causam viro constanti, id est, timendi; si autem sit breuis, non ita. Sed hoc reducendum est ad circumstantias damni, in vita, bonis, fama, libertate; & coniiciendum quando carcer sit graue malum. Tertium est captiuitatis malum, quod procul dubio æquiparatur carceri, imò excedit carcerem; estque seruitus, & amissio libertatis. Quartum est mutilatio enormis. *cap. Si quis absciderit, distinct.* 55. Huc etiam reuocatur grauis cruciatus corporis. *cap. Cùm dilectus*, & grauis verberatio. Quintum est stuprum. Ita communiter. & *l. Istis.* 8. *ff. eodem:* quia in virgine amissio virginitatis est graue malum.

Incarcerationis.

Qua ratione est graue malum.

Captiuitas.

Mutilatio.

Stuprum.

Æstimationis detrimentum.

9 Idem dicunt Doctores & benè, de vidua, seu quacumque muliere honesta propter æstimationis detrimentum. Reliqua ex his coniicienda relinquit Doctor, vt est metus infamiæ, amittendi status, fortunæ, & huiusmodi, quæ nequeunt certa regula determinari, sed arbitrio iudicis explicanda sunt, quando Iura ipsa ea non exponunt.

Aduertendum est secundò hæc mala etiam cadere in virum constantem, quamuis non in persona propria timeantur, sed filiorum, parentum, amicorum, affinium. Vide Sanchez *lib. 4. disput.* 5.

Secunda conditio requisita ad hunc metum.

Secunda conditio est, vt illa mala immineant certò, hoc est, secundùm prudentem & fundatam æstimationem, quæ sufficit ad electionem rectam in actibus humanis. Est communis sententia Doctorum *in hac distinct.* & patet *ex l. Nec timorem, ff. de eo quod met. causa*, &c. & *l. Metum.* glossa *in cap. Audientes*, &c. *de his quæ vi*, &c. sufficit vt sciat probabiliter malum inferendum, siue de præsenti, siue de futuro post aliquod tempus, cùm nequit aliis mediis obstare sine contractu præsenti. Non sufficit vana suspicio mali inferendi, vt si timeatur malum ab eo, qui neque per se, nec per alium illud inferre potest, & probabiliter inferetur, siue sequatur effectus, siue non ex alia causa incognita. Requiritur etiam vt timens non possit occurrere malo per alia media: quia non est constantis timere mala, quæ per alia media effugere potest de facili.

Requiritur certitudo probabilis.

Non excusat vana suspicio.

Intelligitur hic metus cadens in constantem virum respectiuè ad personas, & qualitatem earum secundùm vigorem animi, & constantiam, vt bene Sanchez iuxta communem sententiam *lib. 4. disput.* 3. vnde minor causa ad incutiendum timorem fœminæ, quæ ex natura sua pusillanimis est, & inconstans, requiritur, quàm in viro, in sene etiam, & puero, quàm in eo, qui virili ætate floret. Et attendendum est quid fœmina constans iuxta communem conditionem facere debet secundùm rectam rationem, & sic de aliis: quia iuxta hanc limitationem extenditur illud axioma, Metus cadens in constantem virum ad singulos iuxta communem statum sexus, conditionis, ætatis, quæ iudicis arbitrio definienda sunt, & quantùm ad æstimationem periculi, & quantùm ad causam datam respectiuè ad personam iuxta conditionem communem sui status, non verò defectum particularem ipsius, aut pusillanimitatem, aut corruptionem phantasiæ, & iudicij sequentis; arbitria enim danda sunt iuxta regulam communem, aut legis, aut prudentiæ. 10

Attendenda qualitas personæ timentis.

Regula discernendi dubia.

SCHOLIVM.

Probat ex causa formali, efficienti, & finali, matrimonij, consensum ad id requiri, omnino liberum, & non coactum.

Ex causa efficienti, formali, & finali consensus matrimonij requiritur sine coactione.

7 DE[d] secundo dico, quòd consensus isto modo coactus in istam non sufficit ad contractum matrimonij; vt expressè habetur *Extrà de despons. cap. Cùm locum*, &c. *Veniens.* 2. & *cap. Consultationi.* Sed quæ est ratio istius? Respondeo, & à causa formali istius contractus: & à causa efficiente, à qua est, quòd contractus habet talem formam: & à causa finali, propter quam efficiens dedit isti contractui talem formam. Primum patet, quia iste contractus est datio, & licèt non liberalis, quia dat vt detur sibi æquale, est tamen libera datio, quia contra dationis rationem est, quòd non sit libera.

Secundò à causa efficiente; quia Deus talem instituit istam translationem summè liberam: vnde non est istud ab Ecclesia determinatum, sed tantùm expressum. Patet enim

enim quòd etiam in lege naturæ erat istud requisitum in contractu matrimonij. Genes. 2. *Adhærebit vxori suæ.* Sed non adhæret quis illi, quod inuitè tenet. & *Gen.* 24. dicitur de Abraham, qui dixit illi seruo suo, *Si noluerit mulier tecum venire, tunc liber eris à iuramento,* & cùm peteret ille Rebeccam, dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus voluntatem eius,* & statim quæsierunt parentes, *Vis ire cum homine isto?* Respondit, *ibo.* Tertiò ex parte finis, quæ est proles procreanda, ex quo nascitur indissolubilitas vinculi. Ad istum competit istam dationem esse simpliciter liberam, quia (vt dictum est, & habetur 20. *q.* 3. *præsens*) *quod quis non diligit, facile contemnit.*

Dist. 36. in 2. concl. princip.

COMMENTARIVS.

11 *Secunda conclusio.*

d DIco *secundò, quòd consensus isto modo,* &c. Respondet ad quæstionem, dicendo matrimonium hoc modo contractum esse nullum in vtroque foro, scilicet conscientiæ, & externo. Hæc conclusio est communis Theologorum, & Canonistarum contra Cardinalem *cap. 2. de his quæ vi,* &c. vbi dicit non esse ipso Iure nullum, sed rescindendum, sicut cæteri contractus. Patet ex *cap. Cùm locum, cap. Veniens* 2. *cap. Consultationi,* &c. *de sponsal.* Probat præterea ratione, primò à causa formali, quia ille contractus est datio, ac proinde debet esse libera. Secundò à causa efficiente contractus, & instituente, qui est Deus, qui talem formam tribuit contractui matrimonij, vt probat *Genes.* 2. & 24. & fuit talis forma eius in lege naturæ. Tertiò, ex parte finis, quia ad educationem prolis hoc fuit necessarium. *Quod quis non diligit facile contemnit.* 20. *quæst.* 3. & *matrimonia coacta infelices exitus habent, cap. Requisiuit,* &c. *de sponsal.*

Matrimoniū ex hoc metu est nullū iure.

Probatio.

Limitatio quorumdam.

Aliqui limitant conclusionem, quando cum certa fœmina contrahendi ingeritur metus, contractum esse nullum, oppositum esse dicendum, quando cum incerta persona: quia permanet libera electio quoad determinatam personam inter incertas, quia sic valet electio, *cap. 2. de elect. in 6.* & inter plures datur consensus electiuus. *l. Serui elect. ff. de legat.* 1. Sic tenet Abbas *cap. Cum terra,* &c. *de elect.* Felin. *cap. Cum præsentia,* &c. *de probat.* Euerardus *in locis topicis, loco à matrimonio spirituali ad corporale.*

12 *Reijcitur.*

Respondetur tamen conclusionem absolutè intelligendam, quia coactio debet abesse, & huic contractui cum certa persona ex incertis metus cadens in constantem virum dat causam, & non libera electio requisita; quia cum nulla contraheret si metus abesset; ergo ex causa metus contrahit, vt patet ex canonibus citatis, quorum decisio non procedit ex vlla præsumptione consensus, sed absolutè ex metu tanquam causa irritante, qui in proposito similiter datur; vnde secundùm rectam rationem ex metu illato vir constans mouetur vt contrahat cum vna ex incertis, non contracturus alioquin si metus & causa metus abesset. Ita Couarr. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 3. citans alios.

Decisio non fundatur in præsumptione.

Maior libertas ad matrimoniū, quàm ad electionē.

Ad obiectionem respondetur, ad electionem minus requiri libertatis, quàm ad matrimonium: quia lex potest restringere ad determinatas personas, electionem in iis faciendam, non ita in hoc contractu, in secundo casu. *l. Serui,* &c. illa libertas est respectiua, & non plena, qualis requiritur ad matrimonium, & respicit circumstantiam, & non substantiam contractus.

Aliorum limitatio.

Alij etiam limitant ad casum, in quo consanguinei, & amici non sint præsentes, quia alioquin his præsentibus non præsumitur metus. Sed neque hæc limitatio admittenda est, nisi quando præsentia ipsorum submoueret causam metus, atque adeò ipsum metum; vt quando possint, vel velint submouere periculum, & id constaret ei, cui incutitur metus: in eo casu tantùm allegans metum, tenetur ad probationem illum fuisse iustum & fundatum per clariores probationes. Felin. *cap. Causam matrimonij,* &c. *de officio delegati.*

Reijcitur.

Hinc infertur primò requiri metum grauem cadentem in constantem virum, vt patet ex dictis, & decisione Canonum, etiam in foro conscientiæ ad annullandum contractum, & consensum matrimonij, nec sufficere leuem, quamuis ex dispositione timentis ille metus sit ipsi grauis ex causa in re ipsa leui. Est contra Nauarr. *in Summa latina, cap. 22. lib. 1. cons. tit. de his quæ vi,* &c. *cons.* 1. & 3. *de reg. cons.* 84. & patet, quia hic metus debet esse ex natura causæ grauis, & secundùm rectam rationem, cui debet cedi: vt benè Doctor, & reliqui: quia de hoc tantùm in Canonibus fit mentio: ergo eius ratio solùm habenda est. Secundò, quia casibus particularibus, & per accidens ex corruptione particularis personæ non est prouidendum in præiudicium matrimonij, & ex opposito daretur materia scrupulis. 13

Sequela dictorum.

Contra Nauarr.

Obiicies: Metus leuis virum inconstantem ita necessitat, sicut grauis virum constantem: ergo aut vterque dirimet, aut neuter. *Obiectio*

Respondetur negando consequentiam ex dictis: quia metus causa sufficiens in re, & secundùm rectam rationem subsistere debet, & non tantùm in corrupta apprehensione. *Solutur.*

Obiicies secundò, Metus qui sufficit ad alios contractus rescindendos irritat matrimonium; sed metus grauis ex causa etiam leui sufficit ad primum: ergo etiam ad secundum. 14 *Obiectio.*

Respondetur negando paritatem inter alios contractus, & hunc quoad causam propositam; nam alij contractus ratione iniuriæ factæ rescinduntur. Hic autem ex defectu libertatis, quæ maior in eo requiritur, quantùm ad valorem contractus, vt non sit irritus, in quo discordat ab aliis contractibus, qui non sunt irriti, sed irritandi. Cæterùm vt matrimonium sit irritum ipso Iure requiritur, vt causa metus sit grauis ad inducendum illum effectum, in quo ab aliis discordat. *Solutur.*

Matrimoniū coactum irritat defectus libertatis.

Petes an metus cadens in constantem virùm debet solùm intelligi, quando metus est iniustè illatus, vel etiam intelligatur metus iustè illatus in ordine ad hunc effectum matrimonij irriti? 15

An debeat esse iniustè illatus?

Doctores distinguunt metum per causam intrinsecam, aut naturalem extrinsecam a metu, qui *Diuersa causa metus.*

qui incutitur à causa extrinseca libera, per iniuriam & coactionem: v. g. si quis ex metu Dei, aut inferni, aut mortis, aut causa intrinseca naturali, vt est abundantia humoris, vel ex bello, fera, peste, naufragio, incurrat periculum, & contrahat matrimonium, aut voueat religionem, valet matrimonium, quamuis ex metu mortis contractum: & sic de voto, & iuramento, quia ille metus non est à causa libera, seu ab homine incussus, sed ex naturali necessitate, aut causa intrinseca, cuius rationem proinde non habet lex, neque causæ metus impellunt per se ad matrimonium, sed merè per accidens ex libera electione contrahentis; non ex necessitate per se directa ad matrimonium, quod non cadit sub effectu ipsorum.

Metus ex causa intrinseca.

Ex causa extrinseca.

Metus autem à causa extrinseca libera incussus potest aliquando esse iustus, aliquando iniustus, & per se tendere in matrimonium tanquam effectum, aliquando verò solùm per accidens.

16 *Iniustè illatus irritat.*

De metu iniustè illato constans est sententia Doctorum annullare matrimonium, non ita tamen de metu iustè illato. Aliqui docent hunc metum non irritare matrimonium: v. g. si quis latroni dicat, nisi duxeris meam filiam, te accusabo, matrimonium tenet. Item, si quis similiter intentet malum, quod lege inferre potest nisi ducat alter vxorem, si ducat, matrimonium tenet. Hanc sententiam tuetur Sanchez vt probabiliorem *disput.* 13. *lib.* 4. citans alios Doctores per consequentiam doctrinæ.

De iustè illato dubium.

Prima sententia.

Secunda sententia.

Alij docent quando lex incutit metum, valere matrimonium, si incutiat ad extorquendum matrimonium, vt quando violator virginis cogitur eam ducere, aut contrahens sponsalia ea complere suo tempore, tamen si lex non incutiat metum ad finem matrimonij contrahendi, tunc metum incussum à iudice directè ad contractum irritare matrimonium. Hanc tenet Sotus *in hac distinct. quæst.* 1. *art.* 3. noster Corduba *in Summa quæst.* 171. *puncto* 1. Angles *in* 1. *part. de matrimonio, q.* 3. *de consensu coacto.* Barthol. Ledesma *dub.* 23. & alij.

Tertia sententia.

Tertia sententia est, quam probabilem etiam docet præfatus auctor, metum iustè illatum annullare matrimonium, quam tenet Couarruuias *loco citato*, & plures Canonistæ, & alij quos citat Sanchez sententia prima.

17 *Præfertur vltima sententia.*

Hæc vltima sententia magis conformis est Doctori in litera, quia libertas hæc matrimonij est, vt neque Ecclesia, neque Respublica possit directè & per se cogere ad matrimonium; & hanc libertatem habet contractus ex diuina institutione, vt in litera sequenti patebit; sicut ergo nulla humana potestas potest derogare libertati matrimonij, sic nulla lex iusta potest inducere per metum directè, & per se ad matrimonium contrahendum. Ita tenet glossa *in cap. Veniens* 2. *de sponsalibus.* Gotfredus *in Summa de his quæ vi in* 2. *solut. ad l. si mulier*, &c. *de eo quod metus causa.* Hostiensis *cap. Veniens*, &c. *de sponsal.* Ioannes Andreas *ibidem.* Ancharanus, Henricus, Abbas, Præposit. Alexander de Næuo. glossa *in cap.* 1. *de his quæ vi*, &c. asserentes hanc esse prærogatiuam matrimonij ob summam eius libertatem vltra alios contractus, qui tenent ex culpa, quæ metui causam dedit. Idem patet *ex cap. Gemma*, &c. *de sponsal. cùm itaque liberа matrimonia esse debent*, &c. patet ex fine matrimonij, nempe pacificæ societatis, & rectæ educationis prolis, quibus obest matrimonium coactum, & extortum.

18 *Lex nequit directè cogere ad matrimonium, potest per accidens.*

Dixi superiùs directè, & per se non posse legem aliquam obligare ad matrimonium per coactionem: quia per accidens, & ex alia circumstantia potest cogi quis ad matrimonium per legem indirectè, quia potest compellere ad implendam promissionem, & contractum initum liberè, per sponsalia directè, potest inferentem iniuriam cogere ad debitam satisfactionem, vt si virginem deflorauit, ad eam ducendum, vel dotandum, si per vim, aut dolum eam seduxit; & simpliciter ad ducendam illam, quam violauit per vim; quia in his casibus alia restitutio iniuriam passæ non est congrua, nisi ducatur, & Iura decernentia coactionem inferendam, non respiciunt directè libertatem matrimonij, sed culpam per se adiunctam violantis contractum, aut inferentis iniuriam, & voluntatem eius, vt huic oneri liberè se subiecit, vel per contractum, vel inducendo damnum, quod resarciri debet per condignam restitutionem, & sic lex respicit directè medium iustitiæ seruando; indirectè verò, & per accidens matrimonium, vt in eo consistit æqualitas reddenda parti læsæ. Vnde libertas matrimonij non potest præiudicare legi naturali iustitiæ, quæ fortiùs ligat. Per hoc concordari potest secunda sententia, & tertia, nam reus facti per consensum voluntarium seipsum ligauit ordinationi legis, cui est obnoxius, & causa metus ab intrinseco oritur, nempe ex facto in quod consensit, & quod ex lege exigit talem ordinationem hîc & nunc ex hoc consensu antecedente in sponsalia, vel in damnum partis læsæ iniustè illatum, quod nequit aliter resarciri, quàm per matrimonium: consensit etiam in matrimonium, ad quod obligatur ex facto, vel contractu, proindéque coactio sequens in ipsius priori consensu fundatur, & causa eius ab intrinseco oritur, neque est metus cadens in constantem virum, quia secundùm rectam rationem tenetur ad matrimonium ex consensu priore, & secundùm affectum iustitiæ, sicut tenetur ad euitandum peccatum.

Quomodo per accidens cogat lex?

Libertas matrimonij non derogat iustitia læsa.

19 *Obiectio.*

Dices, matrimonium non solùm debet esse liberum, quantùm ad priorem contractum, seu consensum, sed etiam debere esse liberum, dum actum perficitur: ergo si adhibetur coactio, redditur nullum. Vnde Couuar *suprà* citatus asserit siue iustè, siue iniustè incutiatur metus, irritare matrimonium, prout docet Abbas *c. Requisiuit, de sponsalib.* Ledesma *in* 1. *part.* 4. *q.* 49. Gutierez *de iuramento* 1. *part. q.* 57. Manuel. 2. *tom. Summ. cap.* 93. Vega *lib.* 3. *Summa.*

Responsio.

Respondetur negando antecedens simpliciter in illa generalitate, quia libertas matrimonij non excludit, vt dixi, ordinationem legis ex suppositione contractus prioris, seu damni illati inductam, vt patet expresè Exodi cap. 22. *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem*, &c. vbi lex diuina derogat libertati matrimonij ex suppositione delicti, & habetur *Extra cap.* 1. *de adulterijs, & stupro:* vbi etiam *cap.* 2. quod est Gregorij Papæ, per intrusionem in monasterium, & excommunicationem punitur nolens ducere virginem à se seductam, & corruptam, quæ pœnæ sunt graues, & coactionem inducunt ad matrimonium, quia meritò timendæ.

Gregor.

dæ. Item, *cap. Ex literis 2. de sponsalibus.* Alexander III. sponsalia iurata sub excommunicatione seruanda præcipit.

Alexander III.

20 *Seclusa culpa & consensus lex non obligat ad matrimonium.*

Hinc ergo colligitur quòd libertas matrimonij non præiudicet potestati legis, quæ supponit obligationem, ex facto, aut contractu ad matrimonium ineundum: quando verò non supponitur talis obligatio ex parte rei, nullum erit matrimonium ex metu inductum à lege: v.g. si delictum mereatur ex lege directè pœnam capitis, aut carceris, & nullo modo tendit in matrimonium, non potest iudex, aut magistratus compellere ad matrimonium; & si compellat, erit nullum. nec refert quòd delictum mereatur tales pœnas, & iustè imponantur: quia non iustè punitur delictum, quod ex se non tendit in matrimonium per coactionem ad matrimonium, quod liberum esse debet ex diuina institutione. Quòd si iudex, aut magistratus directè procedat ad pœnam legis, id est, capitis, aut carceris, quæ debetur delicto, rectè potest reus ex libero suo consensu redimere illam pœnam per contractum matrimonij, & iudex, si eam potestatem habet, pœnam sic commutare, & matrimonium tenebit: quia metus pœnarum non tendit in matrimonium, vt est à iudice, aut lege, sed in delictum commissum, cui debentur: redemptio autem earum procedit ex libero, non coacto consensu rei, ad quem non compellit iudex.

Si redimat pœnam per contractum valebit.

21 *Soluuntur rationes aliorum.*

Ex his patet ad fundamentum primæ sententiæ, quæ fundatur in eo, quòd metus iustè incutiatur: v.g. cùm quis dicit latroni, te accusabo, nisi duxeris filiam vxorem, quia oritur talis metus ab extrinseco, & ex natura delicti.

Responsio ad casum intentantis accusationem.

Respondetur, licèt oriatur metus ex natura delicti, tamen iniustè torqueri directè ad matrimonium inducendum hoc modo: quia nec minas intentans habet ius aliquod ex tali delicto inducendi contractus matrimonialis, aut acquirendi aliquod lucrum ex taciturnitate, neque ob causam frustrati lucri, aut contractus accusandi: & si accusatio ex hoc motiuo præcisè sequatur, peccat accusans contra iustitiam, quia & accusatio ipsa, quæ debet fieri ex motiuo iustitiæ, abstrahitur à suo fine, & apponitur iniustè finis lucri, aut commodi proprij, quod nequit expectari ex delicto alterius, quod nullum ipsi damnum intulit, aut intulit reo debitum præ standi lucri, aut ineundi contractus.

22 *Secunda obiectio soluitur.*

Obiicies secundò. In eo casu non dicitur incutere metum, sed auferre: ergo coactio ab ipso non est.

Respondetur, licèt non incutiatur metus, vt oritur ex delicto, & lege; tamen incutitur metus per se à minitante publicationem delicti ad finem executionis pœnæ: quis enim hoc ignoret? & ille metus incussus directè tendit ad matrimonium contra iustitiam, & libertatem talis contractus.

Tertia obiectio.

Obiicies tertiò. *l. Si mulier 21. in principio, ff. de eo quod metus causa*, &c. vbi ita habet. *Si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se ingratam, cùm de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in seruitutem redigatur, cessat edictum, quia hunc sibi metum ipsa infert*, &c. vbi ponderanda est Iurisconsulti ratio: *quia hunc sibi metum ipsa intulit*, &c. quasi sentiat eo ipso, quo quis delictum commisit, concipere timorem nemine incutiente: *Fugit enim impius nemine persequente*, &c.

Ingratitudo liberta obnoxia seruituti.

Respondetur hunc textum non esse ad propositum: quia serua à patrono restituta libertati, ob ingratitudinem est obnoxia patrono, & meritò periclitatur de suo statu, ac proinde ipsa causam dedit, quam redimere potest recompensando iniuriam illatam. Sic in proposito violans virginem per vim, aut dolum etiam dat causam timori, & obnoxius debito matrimonij, sicut serua ingrata debito seruitutis. Si tamen delictum non tendit in matrimonium, neque iudex, neque accusator potest intentare coactionem ad matrimonium, siue in processu, siue in executione, quando delictum ipsum non tendit in matrimonium ex natura delicti. Vnde si iudex intentet pœnas lege debitas reo nisi ducat filiam suam in vxorem, matrimonium erit nullum, quia licèt pœna sit debita, & metus pœnarum ex delicto oriatur; tamen executio est iniusta, vt per se tendit in matrimonium, & contra libertatem eius. Quòd si reus, vt dictum est, ex proprio consensu orto ex metu iustè pœnæ offerat matrimonium ad redemptionem pœnæ, erit validum matrimonium: quia iudex non infert pœnas, neque intentat directè ad matrimonium, sed ad finem legis, & executionem debitam iustitiæ, quam remittere potest per satisfactionem oblatam, ad quam ipse nec minis, nec opere cogit. 23

Responsio.

Disparitas casus.

Obiicies quartò. Metus excommunicationis iustæ non cadit in constantem virum, qua ipse est in culpa, ex qua pœnam, aut metum eius patitur; ergo similiter in casu proposito metus non est viri constantis. 24

Quarta obiectio.

Respondetur negando consequentiam, vel distinguendo, metus eius vt procedit ex delicto & lege, concedo, quia est iustus; vt applicatur per modum coactionis ad matrimonium, negatur: quia sic est violentus, vt refertur ad delictum furti, & legem, quæ non respiciunt ad matrimonium, neque ad illud dirigi possunt. Vnde perinde est ac si sollicitetur ad peccatum, intentata accusatione delicti; licèt metus accusationis esset ex delicto: nequit tamen intentari ad delictum aliud committendum; quia esset iniustum. Eodem modo est iniusta accusatio intenta in finem contrahendi matrimonij, quando delictum non tendit ad matrimonium.

Quintò obiicies. Metus iustus non rescindit cæteros contractus: ergo neque irritat matrimonium. 25

Quinta obiectio.

Respondetur antecedens esse dubium, quod negat Molina *tom. 2. de Iustitia & Iure, disp. 326.* Sotus *lib. 8. q. art. 7.* Bartol. *l. Metum præsentem, ff. de eo quod metus causa*, &c. asserunt enim metum cadentem in constantem virum annullare ipso Iure contractus ex eo procedentes: & quidquid de hoc sit, negatur consequentia, quia, vt dictum est, sæpe, metus hic nec iustus est, quia contra libertatem matrimonij, & est cadens in constantem virum, vt intentatur in ordine ad matrimonium: qui metus omnium consensu annullat contractum matrimonij sequentis ex ipso, quidquid sit de reliquis contractibus.

Soluitur.

Sextò adducitur *cap. de regularibus*, &c. *de simonia*, &c. vbi præcipitur Monachum ob simoniam detrudendum esse in strictius monasterium, & certum est ibi debere emittere professionem, 26

Sexta obiectio.

fessionem, quæ matrimonium est spirituale, vt docet Nauar. *in prima editione conf. de reg. conf.* 27. *in* 2. *lib. conf.* 8. *de his qua vi*, &c. Noster Manuel *in Summa* 2. *tomo, cap.* 8.

Respondetur. Respondetur, quamuis id lex constituerit in simoniacos monachos, aut monachas, *cap. Quoniam, de simon.* quod est Lucij III. in Concilio generali, rectè Ecclesiam id statuisse in pœnam delicti, quod fuit etiam contra sui status professionem, & ex antiquis Decretis, quibus simoniaci ad arctam pœnitentiam obligantur: potest autem Ecclesia aliquem cogere ad matrimonium spirituale, quod directè ipsi subest, & maximè ratione delicti; potest & idem etiam soluere: non ita ad matrimonium corporale. Disparitas etiam est in casu, quia supponitur metus latronis esse iustus, vt intentatur ad matrimonium, quod non admittitur. Deinde patet disparitas, quia sicut in Ecclesiæ potestate est pœnitentiam indicere ob delictum simoniæ; ita etiam præscribere modum pœnitentiæ: non ita licet ex lege, aut facto homini priuato cogere ad matrimonium ex delicto, quod non tendit lege, aut facto ad matrimonium. Quod confirmatur *ex cap. Veniens* 2. *de sponsalibus*, &c. vbi decernitur matrimonium esse irritum, ad quod pater coëgit iuuenem repertum in eodem lecto cum filia, quamuis delictum ipsum cadat in matrimonium, vel saltem præsumi posset. Ratio autem est, quia præsumitur metus ex authoritate priuata incussus irritare matrimonium, & esse cadentem in constantem virum, quamuis delinquens fuerit in culpa: ergo à fortiori metus intentatus ob delictum, quod non tendit in matrimonium, incussus à priuata persona irritabit matrimonium.

Petes quid dicendum sit, quando pater puellæ, aut virginis seductæ intentat accusationem stupratori eius, aut mulier per vim oppressa per viam iustitiæ similiter intentat accusationem damni passi, nisi eam ducat oppressor, an matrimonium ex tali metu sit irritum? *Dubium.*

Respondetur negatiuè ex dictis, quia & pars læsa habet adminiculum legis, & iustè potest accusare, & delictum ipsum ex lege tendit ad matrimonium, & metus ille habet causam ab intrinseco ratione talis delicti. *Resoluitur.*

SCHOLIVM.

Tenet consensum coactum, Iure diuino irritare matrimonium. Ita D. Thom. hic quæst. vnic. art. 3. *quæstiunc.* 1. *Gabr. q.* 2. *art.* 2. *Sotus q.* 1. *art.* 3. *verf.* 7. *arg. Angles hic q.* 3. *de consensu coacto. Veracruz* 1. *part. spec. art.* 8. *concl.* 1. *Couar.* 2. *part. cap.* 3. *num.* 6. *Hæc intelligi debet, sicut dixi distinct.* 26. *de indissolubilitate, quòd scilicet consensus coactus irritet completiuè Iure diuino positiuo, principiatiuè Iure naturali. Opposita sententia tenens Iure tantùm Ecclesiastico irritare, est valdè probabilis. Fortè concordari possunt ambæ, si dicamus Iure diuino requiri plenam libertatem ad hunc contractum, & maiorem quàm ad vllum alium, explicationem tamen huius relictam Ecclesiæ, & fortè vltimatam determinationem libertatis requisitæ. Ad tertium, docet malum proximi sufficere ad metum cadentem in virum constantem. Quàm graue hoc malum esse debet, & quàm intimus, & charus ille proximus, puto arbitrio boni viri determinandum. De quo vide Sanchium lib.* 4. *de Matrimonio, disput.* 4.

8 Dicit [e] etiam quidam, quòd posset dici, Ecclesiam illegitimare personam aptam etiam pro tempore illo, pro quo est coactio: quia sicut potest illegitimare simpliciter, ita etiam in casu, vel ad tempus. Sed hoc non credo, imò statutum Ecclesiæ hoc requirit ad naturam istius contractus ab efficiente determinatam propter finem, ad quem est.

Rich. præsenti dist. art. 1. *q.* 1.

Contra hoc [f], si iste coactus metu simpliciter consentit in istam, (vt dictum est priùs) verè consentit: quia ex quo virtuosus est, vt vitet peccatum mortale, consentit interiùs concorditer verbis exterioribus: ergo cùm per actum voluntatis transferatur dominium, iste transfert potestatem sui corporis in illam.

Prætereà, si quis ex metu peccati mortalis, contraheret matrimonium simpliciter, puta si ex præcepto diuino, vel hominis superioris, si posset hoc præcipere, simpliciter contraheret: & tamen metus peccati mortalis est ita metus, & ita cadens in constantem virum, sicut aliquis metus pœnæ, imò multò magis.

Prætereà, non tantùm sibi potest quis timere malum, sed etiam proximo: ergo si malum immineat huic mulieri, vel peccati, vt si dicat pro firmo, quòd se prostituet statim, nisi ducatur: vel pœnæ, vt si dicat quòd alius, vel ipsa occidet se, nisi ducatur; iste vt vitet ista mala, accipit eam, videtur quòd sit contractus matrimonij, & tamen ibi est metus: ergo.

9 Ad [g] solutionem istorum, posset accipi ratio ex Sacramento: quia requiritur libera intentio in ministrando hoc Sacramentum: sed istud non est ita notum, sicut de libertate requisita ad contractum. Ad primum, concedo quòd iste cui imminet metus peccati mortis, vel carceris, secundùm rectam rationem debet dicere verba matrimonialia, quæ exiguntur ab eo, & ex consequenti debet consentire interiùs concorditer verbis: nec tamen per istum consensum transfert potestatem sui corporis in illam:

illam: quia nullus consensus est translatiuus, nisi merè liber. Et si dicas, saltem iste liberè habet actum voluntatis: ergo quantùm est in se, transfert. Respondeo, non liberè habet, quia non nisi ex metu habet, licèt metus non sit causa effectiua, sed causa vehementer inductiua; sicut non liberè loquitur verba exteriora, sed ex metu. Vel posset dici, quòd Deus, qui est superior Dominus in ista translatione, non ratificat eam, nisi sit merè libera.

Et per hoc posset responderi ad istud argumentum, iste scit se non transferre corpus suum, quia non liberè consentit, & signo exteriori ostendit se transferre: ergo mentitur. Respondeo, ostendit se transferre quantùm in se est: sed scit se non transferre, quia scit hæc non ratificari à superiori.

Qui consentit in matrimonium coactè, an mentitur, sciens non esse matrimoniū verì?

Si dicas; ergo ad hoc, quòd non mentiatur, oportet dicere, *Accipio te in meam, si Dominus permiserit.* Respondeo, ista conditio semper intelligitur, quantumcumque sit absoluta locutio: & isto modo debet intelligi absolutè verbum eius, *Accipio te in meam*, supple quantùm in me est, præsupposita violentia ista: & si Deus ratificaret per talem consensum, qualem nunc habeo traditionem corporis mei fieri, traderem tibi meum, & in tantum trado, quantum tradi potest per talem consensum. 10

Ad [h] secundum, dico quòd contrahens ex obedientia, propter metum peccati mortalis, contrahit, vt seruet iustitiam; & ideò ex mera electione, & tunc videtur cessare ratio contra primam opinionem; quia ita diceret ille, quòd coactus ad verba ex mera electione, consentit ad verba ex iustitia, quia consensum illum habet zelo iustitiæ, ne scilicet peccet.

Matrimonium initio metu nō irritatur. Vide Sāch. lib. 4. de matr. d. 15

Ad [i] tertium, si tantummodò timeatur pœna in proximo, dico quòd non posset ex tali metu esse consensus sufficiens ad matrimonium: sed si timeatur peccatum in proximo, & hoc valdè certitudinaliter, opus perfectum esset, si quis illam acciperet, ne peccaret: & si acciperet, teneret matrimonium, quia esset consensus liber ex charitate.

Ad [k] primum argumentum principale, non est simile propter tria. Primò, quia conditio baptizati efficitur melior: non sic matrimonio astricti. Secundò, quia voluntas superioris ratificat per talem consensum coactum, aliquem fieri filium Ecclesiæ: non sic autem in matrimonio. Tertiò, quia in Baptismo non est ita propriè matrimonium, sicut adoptatio. Potest autem benè sufficere minùs de voluntario in adoptato, quàm in contrahente matrimonium. Vnde non habens vsum rationis potest adoptari, sed non desponsari. 11

Ad arg. 1. Quare tenet Baptismus ex consensu coacto, matrimoniū non?

Ad secundum, fortis non est omnino impauidus, quia hoc est audacis in nullo pauere: sed est impauidus, & pauet, vt recta ratio dictat: dictat autem ratio recta plus debere timere mortem, quàm carcerem, & peccatum mortale, quàm actum istum aliàs displicibilem.

Ad 2. Fortis rectè timet, audax non.

Ad tertium, in inductione per terrores, multum est de inuoluntario, & parum de voluntario; è conuerso autem in inductione per blanditias, & delitias: ibi enim multum est de voluntario, & parum de inuoluntario; quia in primo si voluntas dimittatur sibi, statim resilit: in secundo autem, si iam allecta dimittatur sibi, forsitan prosequeretur illud, ad quod allecta est: & ideò non sic est inuoluntaria coactio per blanditias, sicut illa quæ est per minas, & terrores; & ratio est, quia frequenter voluntas concordat appetitui sensitiuo, qui ab aliquo magis conuenienti patiens, magis, & magis inclinatur, & è conuerso patiens ab aliquo disconueniente, magis, & magis fugit. 12

Ad 3. Inductio per blanditias, & delicias, non annullat matrimonium.

Ad vltimum, illud caput potest exponi de *debere*, de congruo: non autem de necessitate præcepti; & ad illud, quod adducitur *de ff.* dico quòd ita loquitur Ius ciuile, sed Ius Canonicum est contrarium. Vnde illud Pauli, *Filij obedite parentibus*, non intelligitur quo ad istud: quia in isto non tenetur filius obedire patri. Quod autem adducitur de matrimonio spirituali, non est simile, quia non tantam auctoritatem habet pater corporalis super filium ad matrimonium carnale, quantam habet pater spiritualis, super filium respectu matrimonij spiritualis: & ratio congrua est, quia hic efficitur contrahens melioris conditionis, non sic autem ibi.

Ad 4. Ly debet non assert præceptum Ephes. 6. Filij an teneantur obedire parentibus quoad matrimonium contrahendum.

COMMENTARIVS.

27 *An sit impedimentum Iuris Ecclesiastici.*

c DIcit etiam quidam, quod posset dici, &c. Hæc est sententia Richardi *in hac distinct. art.*1. *quæst.*1. *in corpore*, vbi tenet probabiliter dici posse Ecclesiam illegitimare personam pro tempore, quo durat coactio; ac proinde matrimonium esse irritum, si adhibeatur coactio ex Iure tantùm Ecclesiastico: quam sententiam tenet Durandus *hîc quæst.* 2. Paludanus *quæst.*1.*art.*3.*conclusione* 2. Sotus *quæst.*1.*art.*3. Arboreus *lib.*11.*Theosophiæ*,*cap.*15. Ledesma 2.*p.*4. *quæst.*49.*art.*3. Henriquez *lib.*11.*de matrim.cap.*9. & alij, quos sequitur Sanchez *lib.*4. *de matrimon. disput.*14.

Sententia affirmatiua.

Esse Iuris diuini, & non Ecclesiastici.

Conclusio Doctoris est negatiua, quam tenet D. Thomas *in hac distinct. quæst. vnic. art.* 3. *quæstiunc.*1.*in corpore.* D. Bonauentura *q.*1. Richardus *loco citato.* Gabriel. *in* 3.*distinct.*39.*quæst.*1. *art.*2. *conclus.*8.*in supplemento hac distinct. quæst.*2.*art.*2. Almain *quæst.* 1. Carthusianus *quæst.* 2. Anton. 3.*part.Summæ tit.*1.*cap.*7. Veracruz 1.*part.speculi, art.*8.*conclus.*1. Angles *in flor.*1.*part.de matrimon. quæst.* 3. *art.* 1. *difficult.*1. Bartholom. Ledesma *dub.*23.*de matrim.conclus.*3. Molina *tom.*2. *de Iustitia & Iure*, *disput.*326.*ad secundum.* Sotus docet esse valdè probabilem. Couuar. *in* 4.*decret.*2.*part. cap.*3. Victoria, & alij, qui magis adhærent primæ sententiæ.

28 *Probatio.*

Huius conclusionis fundamenta, & probationem adducit Doctor in textu præcedenti, vbi probat matrimonium coactè contractum esse Iure diuino inualidum ex causa formali, finali, & efficiente. Confirmatur, Iura, quæ citantur, & solum mentionem faciunt huius metus cadentis in cōstantem virum, non continent inhabilitatem hanc, quam dicit prima sententia inductam ab Ecclesia, tanquam per eam primò institutam, neque alibi extat vllus Canon continens institutionem huius inhabilitatis Iure Ecclesiastico, & anterior: ergo nequit institutio referri in Ecclesiam. Antecedens patet, quia illi Canones declarant metum constantis viri irritare matrimonium, & nihil in hoc statuunt, quia agunt de matrimonio contracto, non autem contrahendo. Institutio autem Ecclesiastica reducitur semper ad suam originem, quando est noua, vel si ex traditione est Apostolica, illa traditio habetur ex Conciliis, & antiquis Patribus; casus autem præsens non ita reducitur, neque Ecclesia se remittit in illis Canonibus ad aliquod Ius antiquum, aut traditionem: ergo ex natura contractus, & prout primùm institutum est, debet referri illa explicatio, non verò ad institutionem Ecclesiæ.

Canones referunt hoc in ius diuinum.

29 Probatur consequentia, quia in primis *c.Cùm locum*, &c. *de sponsalibus*, &c. intelligi debet iuxta rationem, & causam, quam adducit Pontifex irritati matrimonij ex metu viri constantis. Hæc ratio præcisè desumitur ex natura ipsius contractus, & Sacramenti; *Cum locum non habeat*, inquit, *consensus, vbi metus, vel coactio intercedit, necesse est, vt vbi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, & vbi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, & sequatur exitus, qui de inuitis solet nuptijs prouenire*, &c. Vbi Pontifex primùm sumit rationem ex natura consensus liberi à coactione, quod est consonum Iuri naturali, & ex institutione Iuris diuini positiui. Deinde, fundat rationem quatenus per consensum liberum hoc modo perficitur tanquam per causam. Hanc eandem rationem assignat Innocentius III. *cap.Tuæ fraternitati*, &c. *de sponsalibus & matrimon.* &c. vbi quæritur, an solis verbis contrahatur matrimonium?

Causa irritans.

Respondet, matrimonium verè contrahi per legitimum viri & mulieris consensum, &c. requiri verba in ordine ad Ecclesiam, & surdos & mutos posse contrahere matrimonium per mutuum consensum. Ex quibus Doctores colligunt contractum matrimonij ex diuina, & non Ecclesiastica institutione fieri per consensum mutuum verbis, aut signis expressum; quia consensus est qui inducit contractum, in quo consistit matrimonium, siue fiat Sacramentum, siue non; de quo *suprà* dictum est: ergo nullum est fundamentum interpretandi Pontificem *in c.Cùm locum*, allegando eandem causam, ex qua declarat matrimonium coactum esse nullum, loqui secundùm institutionem Ecclesiæ, cùm causa ipsa allegata contineat diuinam institutionem, & quæ determinauit de natura huius contractus.

Causa impedimenti est diuini iuris.

Item, Pontifex assignat aliam rationem, quam *suprà* Doctor expressit ex causa finali: *ne per timorem*, inquit, *dicat sibi placere quod odit, & sequatur exitus, qui de inuitis solet nuptijs prouenire*, &c. cui concordat illud 20.*q.*3.*cap.* Præsens, *quod quis non diligit, facilè contemnit*, &c. *& cap.* Requisiuit, &c. dicitur *libera esse matrimonia, cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere*, &c. Cùm ergo matrimonium sit indiuidua vitæ societas per amorem mutuum, ad finem educandæ prolis, ideò Deus instituit illud in consensu libero vtriusque, per quem contractus firmaretur, ne inuiti à fine destinato resilirent. Eodem modo etiam instituit, vt idem consensus liber à coactione, quod non minùs ad talem finem facit, & ad mutuum amorem cum pacifica cohabitatione. Primum citra controuersiam est diuinæ institutionis: ergo & secundum: nam quod aliqui moderni doceant matrimonium non potuisse institui sine mutuo consensu, ideò id docent, quia vel consensus est causa formalis, vel materialis, & requisitus ad hunc nexum ex fine, ad quem tendit: quod à fortiori probat consensum non esse debere coactum hac coactione, de qua loquimur: qui verò dicunt posse induci, aut potuisse vinculum à Deo, sine dependentia à voluntate coniugum; ideò de facto docent non fuisse sic institutum, quia non congruebat fini præscripto. Vnde id rectè Doctor colligit *ex illo Gen.*2. *Adhærebit vxori suæ*, &c. relinquendo, scilicet patrem, & matrem, non adhæret autem nisi libera, & non coacta voluntate eam accipiat. Et huius libertatis exemplum rectè statuit *Gen.*24. in Rebecca, cuius voluntas explorata fuit antequàm parentes consensum præstiterint in matrimonium eius cum Isaac: ergo hæc institutio ex præfatis Canonibus non colligitur esse Ecclesia

30 *Probatio à causa finali.*

Effectus ad eam legem pertinet, per quam determinatur causa.

Declaratio reducenda ad suum fundamentum.

Ecclesiastica, sed diuina ex fine, & causa contractus assignata *in prædicto cap. Cum locum*; ex quibus procedit declaratio.

31 *Contractus Iure diuino nullus nequit esse matrimonialis.*

Secundò probatur conclusio: Contractus Iure diuino, & naturali nullus nequit esse legitimus matrimonij, aut fieri legitimus per Ecclesiam; sed contractus coactus per metum viri constantis est nullus lege diuina, & naturali; ergo nequit esse ex eadem lege legitimus matrimonij. Sumo contractum latè, vt obnoxius est restitutioni, & solubilis, aut irritari potest. Maior est certa. Minor recepta ab omnibus: quia tales contractus sunt ipso humano Iure nulli, aut irritandi, quia per eum res non transit in iustam possessionem alterius: aut dominium, cùm hoc requirat translationem liberam, & antequàm irritetur contractus, qui eam possidet, tenetur eam restituere ex diuino & naturali Iure, quo quis nequit priuari re sua iniustè. Probatur consequentia, quia contractus matrimonij ex natura sua est insolubilis ex diuina institutione: ergo nequit fundari in aliquo solubili; & quod diuina lege, aut naturali irritum est, aut irritandum: ergo non ex sola Ecclesiastica, aut humana institutione est nullus, sed ex diuina, qua habet vt fiat per consensum legitimum, & irreuocabilem, siue per humanam legem, siue etiam per propriam voluntatem; ea enim ratione, qua inducta est diuisio rerum, & proprietas, Deo approbante in Decalogo, manet res in proprietate sui domini, nisi ipse eam iustè transferat, & per liberum consensum, quando lex aliter non disponit in pœnam negligentiæ, aut delicti, & hoc ad communem pacem, & societatem legitimè seruandam.

Nequit fundari in vinculo solubili.

32 *Responsio.*

Dices inde sequi quòd etiam consensus metu leui, & inconstantis extortus annullat matrimonium, quia cæteri contractus tali metu facti sunt obnoxij restitutioni in foro conscientiæ, quia deficit translatio libera.

Impugnatur.

Contrà Non sequitur, sed argumentum à fortiori concludit dato antecedente; & peto qua lege consensus coactus non transferat dominium in foro interno animæ? non alia quàm ex lege illius fori propria, quæ est diuina, & naturalis, quæ iudicat de occultis: ergo contractus nullus illa lege non potest esse matrimonialis inducens vinculum insolubile, nisi ipsa lege, & voluntate legislatoris suppleatur. Sed consensus coactus per metum viri constantis non inducit contractum legitimum in foro conscientiæ obstante diuina lege: ergo neque matrimonialem; cur autem metus leuis non annullat contractum matrimonij, non est ex institutione Ecclesiæ, sed ex diuina institutione, quam per declarationem Ecclesiæ cognoscimus, quæ declarat requiri consensum liberum à coactione, quæ cadat in virum constantem, ad valorem matrimonij; quod non annullatur per metum viri inconstantis, & leuis, quia id non declarat Ecclesia, imò excludit per exceptionem solius metus cadentis in constantem virum, diuina institutio ex declaratione Ecclesiæ est petenda, quæ institutio congrua fuit propter præceptum & necessitatem propagationis, & ad excludendos prætextus faciles ad soluendum matrimonium, quod Deus voluit esse insolubile, nisi in casu præfato, aut quando deest circumstantia lege statuta, vt contrahentes sint habiles.

Cur matrimonium ex leui metu factum teneat?

33 *Tertia probatio.*

Tertiò. Omnis ratio & congruentia, quæ probat necessitatem consensus proprij coniugum, ita vt parentes pro filiis infantibus contrahentes, aut tutores non perficiant matrimonium pupillorum nomine, quamuis alij contractus valeant nomine ipsorum, omnis, inquam, talis ratio reducitur ad necessitatem consensus liberi ipsorum coniugum ex diuina institutione; sed perinde etiam probatur necessarium esse illum consensum liberum esse à coactione prædicta ex diuina institutione, ex qua consensus coactus non reputatur pro vero consensu, & libertatis necessariæ ad contractum in foro conscientiæ: quia consentiens licèt sit voluntarius, tamen electio eius magis specificatur à motiuo coactionis, tanquam à fine operantis, quàm à translatione rei, in quam non consentit, nisi vt præcisè est medium liberandi seipsum à coactione graui, quæ infertur, & eius causa, quæ applicatur. Consensus autem liber in matrimonio, & personalis ideò requiritur, quia vinculum amoris naturalis per indiuiduam societatem, quæ prima est in genere humano, inducitur per matrimonium: ergo requiritur consensus in eo gradu liber ex diuina institutione, quo specificatur à suo fine principaliter, & vt ex eius motiuo procedit, non autem ex motiuo contrario, & solicitante perpetuum dissidium, & odium inter contrahentes, contra naturam specificam huius contractus, & finem matrimonij à Deo institutum, & lege inseparabilem: qui enim determinat finem, determinat etiam media ad finem in eo gradu, quo sunt media, & non aliter. Alias rationes non contemnendas pro hac conclusione vide apud Sanchez loco præfato.

Coactio à causa magis specificatur, quàm à fine contractus.

Requiri consensum à fine specificatum.

Media sequuntur naturam finis.

34 *Prima obiectio.*

Obiicies primò. Quia metus cadens in constantem virum aut annullaret contractum Iure diuino, & non Ecclesiastico ex defectu libertatis, aut ex iniuria illata: sed vtrumque horum perinde reperitur in metu leui: ergo signum est Iure Ecclesiastico induci hoc impedimentum, non verò Iure diuino, aut naturali.

Responsio.

Respondetur primariò ex defectu libertatis requisitæ Iure diuino, vt *suprà* probatum est, & consequenter ratione iniuriæ illatæ, per coactionem talem. Neutrum inuenitur in eo gradu in metu leui, cuius causa est in apprehensione erronea, & non subsistit in re ipsa, aut in recta ratione; ac proinde non tollit libertatem in eodem gradu, quo metus constantis viri, quia etiam ob hunc metum Iura dant actionem in foro externo, non ita ob metum leuem. Magna ergo est differentia vtriusque. Ratio adducta perinde vrget etiam in sententia propria: quare enim Ecclesia annullarit contractum matrimonij ex metu viri constantis, & non ex metu leui initum, nisi ex diuersitate præmissa: lex enim debet respicere ea quæ in recta ratione communiter fundantur, & non quæ ex accidenti in hoc, aut illo eueniunt ex propria infirmitate, aut corruptione. Sicut ergo Ecclesia habet rationem vnius, & non alterius metus, quantùm ad nullitatem matrimonij, iuxta primam sententiam, ita Deus perinde instituendo contractum voluit esse liberum à coactione proueniente à metu graui, & non à metu leui; & hoc declarat Ecclesia ex prima institutione contractus in consensu libero hoc modo.

Differentia inter metum leuem, & grauem.

35 *Ecclesiam nõ potuisse inducere*

Quod amplius est, dico Ecclesiam non potuisse hanc differentiã inducere: quod suppositio

quod

cere hoc impedimentum.

quòd vinculum hoc sit indissolubile ex diuina institutione, & alligatum contractui legitimo, qui excluderet defectum libertatis, & iniustitiam, sicut Ecclesia nequit facere, quin contractus etiam initus per consensum extortum per metum leuem non sit obnoxius nullitati in foro conscientiæ, quia est contra legem diuinam, ita etiam ex ratione communi contractus, matrimonium esset nullum, nisi Deus specialiter exciperet coactionem grauem. Quia si contractus non est legitimus, qui fit contra legem positiuam humanam, à fortiori non erit legitimus, qui fit contra legem Dei fortiùs ligantem. Sicut ergo Deus solus excipere potuit hunc contractum, ne irritaretur per metum leuem in foro conscientiæ, ita etiam instituit, vt per solum grauem fieret ipso Iure diuino nullus: ex quo patet ad rationem adductam.

36 *Secunda responsio. Matrimoniũ esse nullum si metus dedit causam.*

Responderi potest secundò, Iure diuino irritari in foro conscientiæ matrimonium quocunque metu extortum, si ipse metus sit tota causa consensus, & Ecclesiam nihil circa hoc mutasse, asserens metum cadentem in constantem virum reddere matrimonium nullum: quia Ecclesia sequitur præsumptionem fori externi, qui fundatur in causa metus, quando est leuis, non præsumitur coactio repugnans libertati; quando verò grauis, contrarium præsumitur; si tamen metus ex causa leui sit adeò grauis in affectu interno, vt tollat omnino spontaneum consensum, ita vt nullo modo patiens vellet contractum nisi ex terrore, tunc tollitur consensus liber requisitus ad matrimonium, *cùm locum non habeat consensus, vbi metus & coactio intercedit*, &c. *cap. Cum locum*, &c. *de sponsalibus*, &c. & plena libertate debet gaudere matrimonium loco citato, vt procedat ex electione spontanea, & non coacta, Ius enim statuens discrimen inter metum leuem, & grauem, innititur præsumptioni, vt dixi, ex natura causæ, vbi autem veritas in foro occulto conscientiæ (de quo nequit sciri publicè nisi ex natura causæ applicatæ) elidit præsumptionem; in foro perinde conscientiæ standum est veritati rei, & non præsumptioni, vt patet in simili casu præsumptionis, quo sponsalia per copulam ante Tridentinum transibant in matrimonium, quia Ecclesia præsumebat copulam maritali consensui inniti: si tamen in veritate animus non fuit maritalis, sed fornicarius, matrimonium erat in foro conscientiæ nullum. Sic etiam ficto animo proferens verba exprimentia exteriùs, nullum contrahit matrimonium, quamuis in facie Ecclesiæ præsumitur consentiens, & matrimonium tenet: quia in foro conscientiæ veritas præualet præsumptioni. *c. Tua*, *cap. Is qui fidem*, &c. *de sponsalibus*. Sicut ergo reliqui contractus metu ex leui causa initi, in foro conscientiæ non tenent, si metus solus dedit causam contractui, ita neque matrimonium, quod requirit maiorem libertatem, valebit: vbi enim cæteri contractus propter metum sunt rescindendi, matrimonium erit nullum.

Declaratio Ecclesiæ innititur præsumptioni.

Exemplum de matrimonio præsumpto.

Aliud de ficto.

37 *Metus ex causa leui potest esse grauis in persona.*

Metus autem ex causa leui quoad affectum potest esse ita grauis respectiuè ad personam, vt eundem effectum inducat, quantùm ad priuationem libertatis, quem metus grauis in viro constante operatur. Hinc etiam Doctores metum grauem respectiuè ad personam attendi debere dicunt propter libertatem requisitam consensus spontanei, sine quo non valet contractus. Hanc sententiam tenet noster Roderiquez *2. tomo Summæ, cap.* 8. Decius *reg. in omnibus causis* 29. *ff. de reg. iuris*. Nauarr. *in Summa Latina cap.* 22. *lib.* 3. *consil. cons.* 84. *de regul. lib.* 1. *de his quæ vi*, &c. *cons.* 1. 3. 5. & 9. Iacobatius *de Concilijs*, *lib.* 4. *art.* 4. *in tomo* 11. *tract. Iuris*. Veracruz *prima parte speculi art.* 8. Probabilem tenet Ledesma *in* 4. 2. *part. q.* 46. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 9. Salzedo *super regula* 592. & probabilem etiam docet Sanch. *lib.* 4. *disput.* 17. maximè dicendo metum irritare matrimonium ex Iure diuino.

38 *Declaratio prioris responsionis.*

Aduertendum tamen metum grauem in affectu, licèt ex causa leui in æstimatione prudentum, aliquando esse, aliquando verò leuem, siue ex causa leui, siue ex causa graui, respectiuè ad consensum præstitum. Tenendo ergo hanc sententiam dicendum est vniuersaliter illum metum esse grauem ex quacunque causa oriatur grauem dico in affectu, & præiudicantem libertati consensus, qui non est solùm impulsiuus per modum excitantis ad consensum, sed dat causam finalem consensui, ita vt nullo modo daretur consensus nisi ad summouendum causam metus, & ipsum metum, & nullum sit motiuũ operandi propositum voluntati, quod affectat propter se, nisi tantùm summotio metus, & causæ eius hîc & nunc; talis autem consensus est simpliciter coactus, & vt est matrimonij, non est ipsius propter se, sed vt est medium summouendi metum. Econtrà siue causa leuis, siue grauis sit, modò metus sit leuis in affectu, & solùm excitans ad consensum, qui aliàs fit propter finem intrinsecum ipsius contractus, tunc non dat causam contractui finalem, & valet in foro conscientiæ quantumlibet in foro externo præsumatur nullus ob causam metus grauis; & si dicatur Ecclesiam induxisse impedimentum inhabilitatis in casu coactionis grauis ex causa, esset nullus: tamen tenendo sententiam quam sequimur erit validum matrimonium; quia consensus spontaneus est, vt respicit suum motiuum finale, & ex mera electione, licèt ad eum excitet metus leuis in affectu; v. g. aliquis contrahens sponsalia accedit animo maritali ad sponsam, quam omnino vult ducere: si adiiciatur ad hoc metus ex causa graui, non potest esse grauis in affectu, quia talis non est repugnans, sed potiùs promouet interiùs consensum, quem habet, in suum finem: metus autem est circa nolitum, & repugnans appetitui elicito voluntatis: in proposito casu voluntas non est repugnans, sed inclinata in consensum: ergo, &c.

Quando metus leuis dat causam finalem irritat.

Metus ex graui causa in voluntate inclinata aliàs non irritat matrimonium.

39 *Deum nihil noui constituisse circa consensum coactum.*

Hinc sequitur Deum non instituisse aliquid speciale circa contractum matrimonialem, quantùm ad libertatem necessariam consensus, præter id quod commune est cæteris. Doctores autem & Ecclesia loquentes præcisè de coactione viri constantis, innituntur præsumptioni fori externi. Ex quo patet ad argumentum in oppositum, vna vel altera via, dicendo scilicet quòd ex diuina institutione tantùm metus cadens in constantem virum annullet matrimonium, attendendo tantùm ad merum rationabilem, vt ex eo est consensus, vel dicendo ex secunda responsione omnem metum ex quacunque causa ortum, qui dat causam, & finem consensui, annullare contractum secundùm veritatem, & in foro conscientiæ, non secundùm præsumptionem.

Responsio problematica.

Obiectio.

Obiicies secundò: Baptismus requirit consensum adulti, tamen coactus sufficit: ergo etiam coactus non irritat Iure diuino matrimonium.

Responsio. Aliter cōsensus ad Baptismum, aliter requiritur ad matrimonium.

Respondetur non requiri consensum adulti ad Baptismum, vt materia, & forma, sicut ad matrimonium; sed vt conditionem, ideóque consensum coactum sufficere, per quem inclinatur voluntas efficaciter ad receptionem eius: non ita in matrimonio, quia requiritur vt perficiatur contractus eius per consensum mutuum personalem, & liberum, in forma, & materia, ex diuina institutione; est enim contractus onerosus, ad quem Deus instituit hominem debere de libero suo consensu excludente coactionem grauem induci, & hoc requirit finis, & ratio specifica huius contractus.

40 *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò: Nihil magis contrariatur contractui, quàm dolus & error; sed hic non irritat matrimonium, nisi sit personæ, aut conditionis: ergo metus non irritat, nisi solo Iure Ecclesiastico.

Responsio.

Respondetur negando consequentiam; ad antecedens verò dicetur *dist. sequenti*: quis error, & quo Iure dirimat matrimonium, nempe vtrumque Iure diuino, & non Ecclesiastico dirimere ex defectu libertatis, & consensus; sicut metus grauis, qui magis repugnat libertati consensus, quàm ignorantia, & error, quia metus positiuè repugnat, error verò solùm priuatiuè, & ex defectu intellectus.

41 *Obiectio contra conclusionem ex libertate absoluta contractus.*

f *Contra hoc, si iste coactus metu simpliciter*, &c. Obiicit contra conclusionem principalem, primò, quia consensus coactus, supple ex metu, est absolutus, & transfert dominium; est enim conformis verbis, per quæ exprimitur, quæ sunt signa consensus absoluti, & non conditionati. Debet autem proferens verba habere consensum conformem, & absolutum, ne mentiatur perniciosè, vt *suprà* probauit §. *Hic dicitur*, &c.

Secunda obiectio.

Secundò contrahens ex metu peccati validè contrahit: ergo etiam contrahens ex metu pœnæ, vel damni.

Tertia obiectio.

Tertiò, contrahens ex metu mali in proximo validè contrahit, siue sit peccati, siue pœnæ.

42 *Responsio ex libertate intentionis requisita in ministro.*

g. *Ad solutionem istorum*, &c. Respondet primò ex ratione Sacramenti, ad quod requiritur intentio libera in ministro: *Quamuis hoc*, inquit, *non sit ita notum, sicut notum est requiri libertatem ad contractum.* Ministri huius Sacramenti sunt ipsi contrahentes, vt dicit *distinct. 26.* meritò dicit non esse notum libertatem in eo gradu requiri ad intentionem ministri; sicut ad contractum: quia intentione, coacta etiam, ministri, saluatur intentio Christi, & Ecclesiæ: quod sufficit ad perficiendum Sacramentum, adhibitis materia, & forma.

Ministri huius Sacramēti sunt ipsi contrahentes.

Cæterùm in hoc Sacramento est ratio specialis, quia contrahentes ministrant Sacramentum, inquantùm contrahunt, si sunt baptizati: quidquid ergo requiritur ad contractum validum, requiritur ad Sacramentum. Quia tamen manifestior est ratio desumpta ex natura contractus, quàm Sacramenti, & ministri intentione, licèt hìc coniuncta sint; ideò dicit non esse ita notum primum, sicut est notum secundum.

43 *Secunda responsio.*

Hoc ergo præsupposito respondet secundò ad primum, quòd ille, cui incutitur metus peccati mortalis, aut carceris, seu alterius pœnæ, secundùm rectam rationem, debet dicere verba matrimonialia exteriùs, & habere consensum conformem interiùs. Intelligit metum peccati mortalis secundùm rectam rationem, illum qui est mendacij perniciosi, si fictè diceret verba sine consensu debito, quem repræsentant, quando scilicet est constitutus in ea perplexitate, vt vel mentiatur dicendo verba fictè, vel certè det consensum per metum. *Perplexitas consentientis.* Negat autem per talem consensum transferri potestatem corporis, vel ex defectu consensus liberi requisiti ex ratione communi contractus; vel quia talis in specie non ratificatur à superiori domino, qui est Deus.

Hæc solutio trimembris patet ex responsione præmissa ad primum argumentum oppositæ sententiæ, secundùm vtramque viam ibi assignatam: consensus ergo ille, licèt sit absolutus, impeditur per metum; est autem absolutus, quamuis imbibat conditionem præsuppositam legis annullantis, quia est absolutus, quantùm est ex parte consentientis in talibus circumstantiis; ex quo patet ad replicam, vide textum.

h *Ad secundum dico*, &c. Respondet ad secundam obiectionem, nempe si consensus fiat ex zelo iustitiæ, & ad euitandum peccatum, tenere consensum, & contractum factum, quia nempe hìc consensus est ab intrinseco, & secundùm rectam rationem, & non ex commodo, sed ex iustitia, de quo superiùs diximus: verbi gratia, quando aliquis contrahit cum concubina metu diuinæ offensæ, & ne ampliùs in peccatum incidat: vel aliquis timore scandali contrahat, & huiusmodi. 44 *Responsio ad secundum.*

Hinc infertur primò, quòd si aliquis ex metu reuerentiali contrahat, validum esse contractum, si ille consensus fiat ex motiuo iustitiæ seruandæ, aut morem gerendi, præcepto patris, aut consilio superiorum, & voluntati: quòd si consensus sit ex metu reuerentiali, cui adiunguntur minæ, & periculum damni grauis, est cadens in constantem virum, & annullat matrimonium: quia metus ille ex affectu commodi procedit, & non iustitiæ. Vide plura de hoc apud Sanchez *lib. 4. disput. 6.* *Illatio. Cōtractus ex metu reuerētiali est validus.*

Infertur secundò, quòd si aliquis metu graui contraxit matrimonium, quòd si eodem metu inductus fuerit ad consummationem eius, si consummatio facta sit ex affectu iustitiæ, & spontanea ne peccaret, valere matrimonium, *cap. Is qui fidem*, &c. *de sponsalibus*, &c. & communiter Doctores *in præsenti distinct.* vt D. Thomas *artic. 3. quæstiunc. 2. ad 2.* D. Bonauentura *quæst. 2.* Richardus *artic. 2. quæst. 2.* Paludanus *quæst. 1. artic. 4.* Glossa *in cap. consultationi*, &c. *eodem.* Summistæ *verb. Matrimonium*, qui dicunt per copulam spontaneam animo maritali habitam matrimonium nullum ex metu ratificari. 45 *Secunda illatio. Matrimoniū contractū ex metu validatur per cōsensum sequentem.* Ratio est, quia metus in casu proposito mutat rationem causæ, quam habuit in priori contractus, quia in illo fuit causa non solùm compulsiua, sed etiam finalis, & dans speciem actui, id est, consensum specificans ex solo affectu commodi ad remouendum damnum; in casu copulæ sequentis ex animo maritali, est solùm excitans, & consensus maritalis est nouus, & diuersus, & conceptus ex regula iustitiæ ad euitandum peccatum, quia aliàs non liceret habere copulam ex vi prioris consensus coacti: consensus ergo maritalis superueniens specificatur ab ipso contractu, & fine eius, ratificat priorem contractum, &

Secuta copula animo maritali ad vitandum peccatum validat matrimoniū.

& reddit copulam licitam, est concomitans cum consensu alterius coniugis, qui manet aliàs suspensus, & nullus donec accedat consensus patientis coactionem.

46 Idem dicendum si ex vtraque parte fuit coactio, modò superueniat consensus maritalis mutuus in ordine ad copulam. Hoc matrimonium ita ratificatum per consensum præmissum, non est matrimonium præsumptum, sed reale, & secundùm veritatem rei, vel in foro conscientiæ, vel aliquando etiam in foro externo, vt si metum passus affirmet se de nouo consentire in contractum, qui aliàs nullus erat per consensum priorem, & metum, asserens se consentire in copulam non ex coactione, quæ infertur, sed ne illicita sit, & ad salutem animæ suæ, & ne ex facto sequatur scandalum. Tunc matrimonium erit validum in foro exteriori supposito vero consensu maritali. Si verò adhibeat consensum internum tantùm, & factum externum, erit saltem matrimonium verum in foro conscientiæ, licèt aliqui id negent.

47 *Dubium de valore huius matrimonij in foro externo.*

Dubium est, si in foro externo, & coram Ecclesia fiet verum matrimonium. Idem etiam dubium non obstantibus præmissis manet etiam quoad valorem matrimonij in foro conscientiæ. Qui dicunt inhabilitari personas pro eo tempore, quo durat coactio; consequenter dicerent, quòd neque in foro interno, neque externo valeat matrimonium: quia consensus maritalis non perficit contractum, quia inhabiles sunt personæ ad contrahendum per legem; ideóque donec recedat coactio, nullus consensus erit legitimus: hæc satis consequenter dicta sunt, & patet in aliis impedimentis irritantibus, quamdiu persistunt, non valere matrimonium. Hanc tenet Sanchez *disput.* 18. *lib.* 4. Aliud fundamentum esse potest, nempe durante coactione non posse copulam haberi ex consensu maritali: ergo etiam neque in foro conscientiæ valebit matrimonium in casu præmisso ex vtraque causa.

Prima sententia.

Sententia affirmans esse matrimoniū secuta copula.

Alia sententia tenet matrimonium in foro externo valere, *cap... de eo qui duxit in matrimonium*, &c. vbi glossa *in cap. consultationi*, cum glossa *cap. Ex literis; de sponsalib. impub.* quibus præsumitur matrimonium subsecuta copula, ex ratione aliàs allegata; quia nempe Ecclesia præsumit consensum maritalem, qui debet inesse secundùm rectam rationem, & legem. Pro hac facit Paludan. Supplementum Gabrielis *hîc dubio* 3. Sotus *quæst.* 1. *art.* 3. Angles *suprà* citatus, & Barthol. de Ledesma *dub.* 23. Vega *lib.* 2. *Summæ casu* 513. & probabilem censent Henriquez & Sanchez citati. Idem de sponsalibus quando copula sequitur etiam coacta olim transiuisse in matrimonium, docent Couarr. 4. *decret.* 1. *cap.* 4. Cuccus *lib.* 1. *Institut.* Maior. *tit.* 10. Hostiensis *cap. Is qui fidem*, &c. *de sponsalibus*, &c. Ioannes Andreas *ibidem*; dicens fœminam posse solùm allegare contra præsumptionem se vim passam, non autem virum, qui opprimi nequit.

48 *Prima conclusio esse dubiā præsumptionem.*

Dico primò præsumptionem in hoc casu esse dubiam, quia eadem causa manens elidit præsumptionem, nempe coactio. In prædictis autem Iuribus fundatur præsumptio in copula spontanea, ad quam vis exterior non compellebat, & cessante coactione. Vnde sicut Ecclesia nequit præsumere consensum spontaneum ex causa metus in contractu sequente, quia metus ille præsumitur causa consensus, ita etiam supposita perseuerantia eiusdem coactionis ad consummationem matrimonij coacti, manet dubia præsumptio in facto externo consummationis, quamdiu voluntas subest coactioni: quia ex offensione libertatis offenditur, & deliberatio, & iudicium obscuratur in operante, de quo aliter præsumendum est in repentinis, & coactis, aliter verò quando spontaneè, & ex deliberatione operatur.

Dico secundò, quidquid sit de præsumptione, matrimonium esse validum in foro conscientiæ modò præcessit consensus maritalis, quia nihil deest requisitum: copula enim ex consensu maritali prouenit. Ad rationem primam in contrarium aliàs dictum est, Iure diuino reddi matrimonium coactum nullum ex defectu libertatis, non autem Iure Ecclesiastico: quia Ecclesia declarat secundùm Ius diuinum, & non statuit. Ad secundum respondetur, sicut in potestate libera hominis est non peccare exercendo actum, ad quem compelletur; sic etiam consentire in actum, vt fieri debet sine peccato, hunc consensum ex casu, & occasione metus sollicitat, libera verò electio, & recta ratio in homine constante causat, excitat, vt dixi, metus, & coactio, non verò specificat. In moralibus autem facilis est distinctio inter causam excitantem, & specificantem actum: verbi gratia, stipendium oblatum Sacerdoti, vt sacrificium hîc & nunc offerat, vel præceptum superioris; tamen oblatio ab his non specificatur intrinsecè, sed à cultu Dei, neque refert, vt idem medium, quod habet diuersam efficaciam, ad diuersos fines, cadat simul sub duplici electione, quarum neutra communicat alteri: verbi gratia, vt quis emat equum ad vecturam, & arandum. Sic in proposito consummans ex metu, & coactione matrimonium, intendit summouere metum, & libertatem suam; consummans similiter animo matrimoniali intendit summouere peccatum, & sic consummatio ex vtroque fine simul contingere potest, quia vt fit animo maritali, est medium proportionatū etiam ad summouendam coactionem secundùm rectam rationem eligibile, & ille finis erit secundarius, & extrinsecus actus, intrinsecus verò recta ratio, & honestas actus. Dici ergo potest metum esse solùm causam excitantem, & non specificantem actum, nisi secundùm *quid*, & remotè, vt nempe concipitur secundùm rectam rationem, & ex fine primario intrinseco.

49 *Secunda conclusio, valere in foro conscientia.* *Responsio ad oppositam rationem.*

Causa excitans & specificans actum diuersa est.

Dico tertiò, matrimonium ex metu coactum posse ratificari aliis modis, vt fiat præsumptum. Primò, per cohabitationem mutuam, & spontaneam, cessante errore, metu, & causa eius, manente altero in sua libertate, vt recedere possit absque impedimento, & reclamare contra factum ex coactione. Quia his omnibus concurrentibus non præsumitur aliqua cohabitationis causa sufficiens, nisi ratificatio prioris contractus. Ita communiter Doctores. Si autem error, quo putaret priorem contractum fuisse validum, subsit, aut ipse metus durat, aut causa metus, & subiectio inde proueniens, aut defectus eorum, quæ ad recessum, aut reclamationem sunt necessaria; cohabitatio ex his sumet interpretationem, & non ex ratificatione. 50

Tertia conclusio. Alijs modis ratificari matrimonium.

Ratificatur etiam si cessantibus dictis impedimentis spontaneè, & in plena libertate existentis se complectantur vt coniuges. Hæc omnia

nia habent locum post Tridentinum, modò Parochus, & testes adhibiti sunt præsentes contractui, & ignorantes impedimentum metus, & coactionis: illi ergo actus omnes significant ratificationem matrimonij ab vtrisque.

51 *Ad tertiam obiectionē responsio.* i *Ad tertium*, &c. Supple obiectionem superiùs factam, respondet, si timetur pœna in proximo, & timor ille sit grauis, seu cadens in virum constantem, irritare contractum. Si verò timeatur peccatum tantùm, vt prostitutio, & huiusmodi, esse opus perfectum si ducatur persona, in qua est periculum, & valere matrimonium, quia procedit ex electione libera, & secundùm charitatem. Hæc responsio quoad vtramque partem patet ex dictis.

52 *Responsio ad argumenta principalia. Diuersitas inter metum, & blanditias.* k *Ad primum argumentum*, &c. Respondet ad argumenta præliminaria: quoad primum, & secundum patet responsio ex litera.

Ad tertium, negat paritatem inter inuoluntarium ex terrore, & inuoluntarium ex blanditiis, ad sollicitandum, scilicet consensum voluntatis. Hæc doctrina est communis, blanditiæ enim non annullant actum ex natura sua, vt tenet D. Bonauentura *hic quæst.* 1. Richardus *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. Durandus *quæst.* 2. *ad* 1. D. Thomas 1. 2. *q.* 6. *art.* 6. Aduertendum tamen id intelligendum esse ex natura actus; si tamen procedat à tali persona, qua solet damnum inferre, aut illaturus meritò præsumitur, & potest inferre, & solet, quando voluntati eius non ceditur, tunc blanditiæ eius, & illecebræ, vt habent coniunctum timorem tantùm, & grauem, possunt causare inuoluntarium ex metu, & contractum eo metu factum irritare. *Metus illecebris coniunctus irritat contractum.* Felinus *cap. Causam matrimonij*, &c. *de officio delegati.* Ioan. Andreas *c. fin. qui clerici, vel vouen.* Abb. *cap. Cùm dilectus*, &c. *de his quæ vi*, &c. Sotus *in hac distinct. part.* 1. *art.* 2. Manuel *tomo* 1. *Summ. cap.* 23. Henriquez citatus. In hoc casu idem dicendum est, quod de contractu ex metu per causam expressam, & minas; quia metus implicitus eundem effectum inducit, etiam in viro constante, & perinde derogat libertati consensus. Idem docent aliqui de precibus, quando sunt instantes, importunæ, & sæpiùs inculcatæ, quarum fastidio cedit voluntas per coactionem. Sed attendendum est, si metus coniungatur cadens in constantem virum, vt si sint à Principe, qui æquo animo non fert repulsam.

Ad vltimum patet responsio ex litera, & iis quæ diximus *suprà in hoc casu dist.* 28. *dub.* 3. vbi iuxta glossam citatam interpretantur leges ciuiles, quibus statuitur, vt filij ex consensu parentum ineant matrimonium, de consilio id ordinare, non de præcepto. Doctor autem hîc admittere videtur esse præcepti; sed per Canones illa Iura fuisse correcta. Quod etiam verum esse, quantùm ad libertatem filiorum, patet ex ibidictis. Aliqui etiam docent quandoque illas leges fuisse receptas per Ecclesiam, & statuisse impedimentum dirimens: sed hoc etiam fuit per posteriores Canones sublatum. 53 *Ad vltimū.*

Argumentum ex matrimonio spirituali, licèt in aliquibus teneat, non tamen in omnibus concludit, nisi vbi ex natura actus, & legum præscriptione æquiparantur in proposito ex natura actus, vt quando quis eligitur sine suo consensu ad Episcopatum, & Pontifex cogit ad subeundum onus, conditio electi fit melior; at in matrimonio corporali fit deterior. *Argumētum ex spirituali matrimonio nō semper concludit.*

DISTINCTIO XXX.

Quid excludat consensum?

NEc solùm coactio impedit, vel excludit consensum, sed etiam error. Non autem omnis error consensum impedit. Est enim error alius personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ, quando hic putatur esse homo ille, & est alius. Error fortunæ, quando putatur esse diues, qui pauper est, vel è conuerso. Error conditionis, quando putatur esse liber, qui seruus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus, qui malus est. Error fortunæ, & qualitatis coniugij consensum non excludit. Error verò conditionis coniugalem consensum euacuat; de qua conditione postmodum tractabimus. Error quoque personæ consensum coniugalem non admittit, [vt si quis fœminam nobilem in coniugium petat, & pro ea alia ignobilis tradatur ei, non est inter eos coniugium, quia non consensit vir in istam, sed in aliam.] Vt si quis promitteret mihi se venditurum aurum, & pro auro auferret mihi aurichalcum, & ita me deciperet: nunquid dicerer consensisse in aurichalcum? nunquam volui emere aurichalcum, nec ergo in illud consensi: quia consensus non nisi voluntatis est. Sicut ergo error materiæ excludit consensum, ita & in coniugio error personæ.

A Multiplex error.

29. quæst. 1. post princ. vbi totū ponitur quod hic habetur, vsque ad para. seq. Dist. 36. huius.

Oppositio Genes. 29. d Solutio.

Sed obiicitur de Iacob, qui pro Rachel septem annis seruierat, & supposita est ei Lia, nunquid error personæ exclusit coniugium, cùm non in eam, sed in Rachel consenserit? Sed quod ibi factum est, in mysterio gestum non improbè traditur; ibi tamen etsi non præcessit, secutus est consensus, nec ex illo concubitu, qui consensum præcessit, fornicarij iudicantur, cùm ille maritali affectu eam cognouerit, & illa vxorio affectu debitum persoluerit, putans lege primogenitarum, & paternis imperiis se illi iure copulatam. Excusatur etiam, quia Dei consilio in mysterio ita actum est. Hodie etiam excusaretur ille, cui inscio vxoris soror lectulum eius ingressa se subiiceret, quæ cum sine spe coniugij perpetuò manere censeatur, ille tamen qui cognouit eam per ignorantiam, excusatur: quod per simile probatur. Si enim diabolus transfigurans se in Angelum lucis credatur bonus, non est error periculosus. Quòd autem vir ille in illam mulierem non consenserit, ex simili ostenditur. Si quis hæreticus nomine Augustini, vel Ambrosij, alicui Catholico se offerret, eúmque ad suæ fidei imitationem vocaret: si ille assentiret, in cuius sententiam fidei diceretur consensisse? Non in hæreticorum sectam, sed in integritatem fidei, quam ille hæreticus se mentiebatur habere. Error verò fortunæ consensum non excludit. Quæ enim nubit pauperi, putans illum esse diuitem, non potest renunciare priori conditioni, quamuis errauerit. Nec error qualitatis, vt si quis ducat vxorem meretricem, vel corruptam, quam putat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere.

34. quæst. 1. & 2. cap. In lectum.

1. Cor. 11. c

De coniugio Mariæ & Ioseph.

B Præmissis aliquid addendum est de modo illius consensus, qui inter Mariam, & Ioseph intercessit. Sanè credi potest, non solùm Mariam, sed etiam Ioseph apud se disposuisse virginitatem seruare velle, nisi Deus aliter iuberet, eósque sic consensisse in coniugalem societatem, vt vterque de altero, reuelante Spiritu sancto, intelligeret quòd virginitatem seruare vellet, nisi Deus aliter inspiraret; sed illam voluntatem verbis non expresserant, posteà verò expresserunt, & in virginitate permanserunt. Consensit ergo Maria in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam, nisi de eadem specialiter Deus præciperet: cuius etiam consilio in maritalem consensit copulam, quia virginitatem seruare volebat: & ideò non aliter consensisset in coniugalem societatem, nisi familiare Dei consilium habuisset; de qua Augustinus sic ait, Beata Maria proposuit se seruaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit in ore. Subiecit se diuinæ dispositioni, proposuit se perseueraturam virginem, nisi Deus aliter ei reuelaret. Committens ergo virginitatem suam diuinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in vtroque obediendo, posteà verò simul cum viro labiis expressit, & vterque in virginitate permansit.

Augustin. lib. 23. contra Faustũ. Manich. c. 8. & 9. tomo 6.

Libr. de Nupt. & Concup. 1. cap. 11. & 12. & habetur 27. q. 2. cap. Beata Maria.

Quòd perfectum inter eos fuit coniugium.

C Inter quos, vt ait Augustinus, perfectum fuit coniugium, perfectum quidem non in significatione, sed in sanctitate. Sanctiora sunt enim coniugia pari voto continentium. Vnde Augustinus, [Quod Deo pari voto & consensu voueratis, ambo perseueranter reddere debuistis: à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem perseuera. Non quia pariter temperabatis

In epist. ad Editiã, quæ est 199.

batis à commixtione carnali, ideò maritus tuus esse destiterat: imò verò tantò sanctiùs coniuges manebatis, quantò sanctiora concorditer placita seruabatis.] Perfectum ergo fuit Mariæ, & Ioseph coniugium in sanctitate. Perfectum etiam fuit secundùm triplex bonum coniugij, fidem scilicet, prolem, & Sacramentum. Omne enim nuptiarum bonum, vt ait Augustinus, impletum est in illis parentibus Christi, fides, proles, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum: Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui sine peccato futurus erat. Et licèt non intercesserit coniugalis concubitus, coniuges tamen verè fuerunt mente, non carne, sicut & parentes: quamuis Ambrosius dicat perfectum fieri coniugium per carnalem copulam. [In omni, inquit, matrimonio coniunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat, & perficit coniunctorum commixtio corporalis.] Sed intelligendum est coniugium perfici commixtione corporali, non quantùm ad veritatem, vel sanctitatem coniugij, sed quantùm ad significationem; quia perfectiùs vnionem Christi, & Ecclesiæ tunc figurat.

Lib. 1. de nuptijs & concup. c. 1. & 12. tom. 7. & habetur 27. q. 2. cap. Omne, itaque.

Lib. de Patriarchis, c. 11. & 12. tom. 4. & habetur 27. q. 2. cap. In omni.

De causa finali coniugij.

D

EXposito, quæ sit efficiens causa matrimonij, consequens est ostendere ob quam causam soleat, vel debeat contrahi matrimonium. Est igitur finalis causa matrimonij contrahendi principalis procreatio prolis: propter hoc enim instituit Deus coniugium inter primos parentes, quibus dixit, *Crescite & multiplicamini*, &c. Secunda est, post peccatum Adæ vitatio fornicationis: vnde Apostolus, Propter fornicationem vnusquisque habeat vxorem suam, & vnaquæque habeat virum suum. Sunt & aliæ causæ honestæ, vt inimicorum reconciliatio, & pacis redintegratio. Sunt etiam & aliæ causæ minùs honestæ, propter quas aliquando contrahitur, vt viri, mulierísque pulchritudo, quæ animos amore inflammatos sæpe impellit inire coniugium, vt valeant suum explere desiderium. Quæstus quoque & diuitiarum possessio frequenter est coniugij causa, & alia multa, quæ cuique diligentiam adhibenti facile est discernere. Nec est assentiendum illis, qui dicunt non esse coniugium, quod propter has causas minùs honestas contrahitur. Constat enim ex præmissis coniugium fieri ex communi consensu verbis de præsenti expressis, quamuis amor ad hoc attraxerit. Cuius rei documentum præstat Iacob, qui Rachel decoram facie, & venusto aspectu amauit, cámque multùm diligens, ait, Seruiam tibi pro Rachel septem annis: In Deuteronomio etiam legitur, Si videris in medio captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueríſque vxorem habere, introduces eam in domum tuam, &c.

Genes. 1. c

1. Cor. 7. a

Dist. 27. & 28.

Gen. 29. c

Deut. 21. b

Quòd malus finis non contaminat Sacramentum.

E

ET licèt fine non bono contrahatur coniugium, quando species contrahentis mouet animum, coniugium tamen bonum est: quia vita mala, vel intentio peruersa alicuius Sacramentum contaminat. Habuit autem coniugium Mariæ, & Ioseph alias causas speciales, scilicet vt virgo solatio viri sustentaretur, & vt diabolo partus celaretur, vt Ioseph esset testis castitatis, defendens eam ab infamia suspicionis, ne vt adultera damnaretur.

Gloss. Matth. 1 circa illud, Cùm esset desponsata, ex Hieron. & Origen. ibidem.

QVÆ

QVÆSTIO I.

Vtrùm ad contractum matrimonij requiratur consensus sequens rationem non erroneam, siue apprehensionem?

D. Thom. *in addit. quæst.* 51. *art.* 1. *& hic quæst.* 1. *art.* 1. D. Bonau. *art.* 1. *quæst.* 1. *&* 2. Richard. *art.* 1. *q.* 1. Argent. *quæst.* 1. *art.* 3. Sanchius *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 18. 19.

1 QVÆRO circa istam trigesimam distinctionem duas quæstiones. Prima: Vtrùm ad contractum matrimonij requiratur consensus sequens rationem non erroneam, siue apprehensionem? Quòd non, *Genes.* 29. de Iacob & Lia, in quam non consensit, nisi ex errore credens eam esse Rachelem: & tamen videtur fuisse matrimonium, alioquin copula carnalis fuisset fornicatio. Quòd si excuses eum per ignorantiam, licèt non fortè sufficientem, quia non inuincibilem. Contrà, saltem in crastino potuisset eam repellere, tanquam non suam.

Argum. 1.

Argum. 2. Prætereà, *Genes.* 27. Isaac ex errore benedixit Iacob, credens ipsum esse Esau: & tamen posteà dixit: *Benedixit ei, eritque benedictus:* ergo à simili in proposito.

Argum. 3. Prætereà, Sacerdos credens baptizare vnam personam, si baptizaret aliam, esset baptizata: ergo error non ibi impedit, & pari ratione nec hîc.

Argum. 4. Prætereà, plus obest coniugi moralis malitia in coniuge contra legem diuinam, quàm pœna seruitutis; sed apprehensio erronea quoad istam malitiam, si sequatur consensus in istam personam, non impedit contractum matrimonij: ergo nec error in conditione seruitutis.

Contrà, Magister in litera.

SCHOLIVM.

Triplicem errorem annullare matrimonium, scilicet personæ, conditionis peioris, & consensus correspondentis in altero contrahente: & dat rationem solidam pro singulis.

2 AD [a] istam quæstionem dico *ex* 2. *concl.* 1. *q. dist.* 26. quòd iste contractus est donationis liberæ, & voluntariæ, sicut dictum est *dist. præced.* ignorantia autem, & maximè illius conditionis, quæ requiritur ad actum voluntatis, causat inuoluntarium secundùm Philosophum 3. *Ethic.* & secundùm August. 8. de Trin. cap. 4. *Nihil est amatum, vel volitum, nisi priùs cognitum.*

Cap. 3. *&* 10. *de Trin. Nihil volitum, quin præcognitũ, ex August. Triplex error irritans matrimonium.*

Ex [b] hoc sequitur breue corollarium, quòd error, siue apprehensio erronea quantùm ad omnem conditionem requisitam, per se, ad contractum, facit contractum nullum esse: sunt autem in genere tres tales conditiones, duæ ex parte personarum. Vna, quòd hæc persona putetur esse illa: alia, quòd persona serua credatur libera. Tertia conditio est error sibi correspondens, ex parte contractus, puta si credatur aliam personam simili contractu contrahere: cùm tamen in rei veritate non contrahat, quia non intendit dare, sicut alia intendit accipere.

3 De [c] primo errore patet: quia impedit omnem venditionem, & traditionem rerum. Puta, si ematur aurum, & venditor vendit aurichalcum, ita hîc intelligitur, quòd *B* det potestatem sui corporis, si alia det, aliàs nihil fit.

Secunda [d] conditio est hîc specialis, quia hæc est permutatio potestatis corporis pro potestate corporis: seruus autem non potest dare potestatem sui corporis liberæ, sicut illa è conuerso: & illa nesciens seruitutem eius, per consequens non consentit scienter in seruum, nec vult commutare potestatem sui corporis pro potestate corporis, quam seruus non potest facere, quia non habet illam.

Error cõditionis melioris non impedit matrimonium.

Et [e] ex hoc sequitur aliud corollarium, quòd error conditionis melioris non impedit, nec seruitus, si non sit ignota.

Tertia [f] conditio generalis omni contractui est, quia si vnus contrahit animo simplici, & alter dolosè vtens signis contractus sine animo contrahendi, non est contractus: quia deficit ibi principalior causa, scilicet actus mutuus voluntatis, sine quo causa minùs principalis, scilicet signum exteriùs, non sufficit.

COMMENTARIVS.

Hic agit Doctor de consensu inuoluntario ex errore personæ,& conditionis,&c. Diuidit eam in duas quæstiones;quarum prima resoluit quid inferat error. Secunda verò quærit de matrimonio inter Beatissimam Virginem, & sponsum eius Ioseph.

Ordo & diuisio huius distinctionis.

1 a *Ad istam quæstionem*,&c. Supponit primò quæ disseruit *dist. 26.* circa naturam huius contractus: deinde consensum liberum,qui est eius materia, posse impediri, ex Philosopho, & Augustino.Per ignorantiam,si concernat conditionem illam, quam respicit actus voluntatis, sumit ignorantiam quà inuoluit errorem, quia ignorantia non tollit actum voluntatis, nisi vt est coniunctus error, & apprehenditur aliqua conditio in obiecto,quam intendit consentiens, & sine qua non fieret consensus, quæ apprehensio est erronea,& cum falsitate. Hæc autem est ignorantia antecedens dans causam actui: de qua vide Doctores *in 2.dist.22.*vbi etiam eam diuidit Doctor in antecedentem, concomitantem,& consequentem. Antecedens facit actum inuoluntarium considerata dispositione voluntatis, quæ non daret consensum,si adesset scientia opposita. Concomitans facit non voluntarium, quia nihil volitum quin præcognitum: non tamen facit inuoluntarium, quia si scientia opposita adesset, non prohiberet actum fieri, consequens est pœna peccati. Antecedentem *ibidem* vocat in secunda diuisione ignorantiam, cui coniunctus est error, & potest esse facti in se, vel quoad aliquas circumstantias, vel quoad aliquod consequens. Concomitantem autem vocat nescientiam,quamuis ignorantia illa facti in ordine ad peccatum contingat: tamen in ordine ad contractum non contingit, quia nequit contractus iniri de re omnino ignota. Sed contingit ignorantia alicuius circumstantiæ, vt personæ & qualitatis, & conditionis fortunæ, quæ respiciuntur specificè à cõsensu, aut supponuntur,siue ad circumstantiam contractus à contrahente: & habetur *c.vnico, 29.q.1.* Magister autem *in hac dist.* distinguit in quatuor species errorem ad propositum. In errorem personæ, vt cùm vna persona pro alia supponitur, vt Lia supposita est Racheli. Secundus error est conditionis: verbi gratia, seruilis, vt cùm quis contrahere intendit cum libera, quæ tamen est serua. Tertiò, error contingit in qualitate,vt cùm putat se contrahere cum nobili, pulchra, virgine,&c. & contrahit cum ignobili, deformi, & corrupta. Quartus error est quoad fortunam,& diuitias,quæ est qualitas extrinseca.Antecedentem ignorantiam appellant Iuristæ, si est cum dolo, *dolum dantem causam contractui*. Concomitantem, posteriorem vocant *cadentem in contractum*.

Quando error impedit libertatem.

Diuisio ignorantiæ,vt cõparatur ad actum.

Antecedens.

Concomitans.

Quomodo se habet ad contractum.

Diuisio erroris à Magistro facta.

2 b *Ex hoc sequitur breue corollarium*,&c. Statuit conclusionem,& fundamentum commune, nempe omnem errorem cõtra conditionem per se requisitam ad contractum facere contractum nullum. Conclusio hæc certissima est, & communis, quia talis error est substantialis: omnis conditio per se requisita ad contractum legitimum est substantialis. Ille error tollit consensum liberum,& necessarium ad contractùm, *l.Si per errorem,ff.de iurisd. omn. indic.* & errantis nullus est consensus, nec voluntas, *l. Cùm testamentum, & l.Non idcircò,C.de Iuris,& facti ignorantia.*

Prima cõclusio, error annullans contractum.

Hinc deducit triplicem errorem annullare matrimonium. Primus error est personæ, vt in casu contigit, quo Iacob duxit Liam, putans esse Rachelem. Secundus error circa conditionem personæ, nempe qui ducit cum serua matrimonium, putans esse liberam. Tertius error annullans est circa consensum alterius coniugis, vt quando defecit consensus verus, & contraxit fictè, & animo fornicario, non maritali.

Error annullãs matrimonium triplex est.

c *De primo errore patet*,&c. Probat errorem in persona annullare matrimonium,quia annullat contractum emptionis, & venditionis, vt si quis substituat aurichalcum pro auro. 3

Error persona annullat.

Sed dices:Contractus venditionis,& emptionis non attendit, nisi qualitatem secundùm iustitiam commutatiuam. Vnde vendens aurum non obligatur ad hoc,aut illud in indiuiduo, sed in specie ad aurum: ergo similiter in proposito perinde est siue Francisca, siue alia sit in indiuiduo, modò seruetur æqualitas, & ratio proinde non concludit.

Obiectio.

Respondetur, sicut consensus ementis respicit rem in specie, vsum, & commoditatem secundùm naturam suam, per quam cadit in contractum,ita illum fieri nullum,si alia res supponatur diuersæ speciei, licèt eiusdem possit esse valoris,non eiusdem tamen vsus, aut commoditatis: quia error est circa substantialem conditionem, & materiam, circa quam fit contractus. Ita in proposito, materia, circa quam fit contractus, est indiuidua persona, pro cuius corpore transfert consentiens suum corpus, dirigendo consensum ad personam indiuidualem, ad ineundum indiuiduam cum ipsa, & personalem societatem indiuisibilem; ideò fit dolus in substantia contractus quoad materiam, quam respicit consensus per se, & sic annullat,sicut emens aurum non intendit aurichalcum. Ratio ergo Doctoris rectè concludit.

Responsio. Sustinetur ratio Doctoru.

Hinc infert, quòd si error sit concomitans, ita vt si sciret contrahens eam,cum qua contrahit non esse Franciscam, cui se per actualem consensum cõiungit;sed aliam æqualis, aut melioris conditionis,eam duceret, adhuc matrimonium esse nullum; quia consensus actualis de præsenti est causa matrimonij, *ex dist.27.q.2. & dist.28.quæst.vnica*,non sufficit autem habitualis: quia talis non transfert dominium corporis in aliam. Consensus autem præsens dirigitur tantùm ad Franciscam,& non ad aliam:ergo.Deinde, consensus ex errore antecedente non ideò matrimonium annullat, quia infert vim libertati,sicut coactio facit,aut quia scientia,quam tollit error, si adesset, tolleret omnem consensum, quem nunc habet voluntas ex dispositione consentientis: sed quia tollit consensum actualem requisitum de præsenti,& directũ ad personam, quæ cadit sub consensu, tanquam materia: sed perinde id facit ignorantia, seu error concomitans:ergo. Non enim ad valorem contractus attenditur quid facturus esset consentiens,si abesset error. Sed quid de præsenti per scientiam actualem, qua regulatur eius consensus,præstet; & quamuis ignorantia illa, quæ dicitur concomitans,ita se habeat,quantùm ad dispositionem 4

Error persona concomitans annullat contractum.

habitua

habitualem voluntatis, quæ non transit in expressum consensum cum alia, neque consequenter reducitur ad actum; est tamen antecedens ignorantia, vt consensus actualis ex ea causatur, vt præcisè dirigitur ad Franciscam; neque illa dispositio indifferens informatur per alium consensum, quàm per hunc directum ad personam indiuiduam, quæ sub actuali notitia cadit, quam sequitur voluntas.

5 *Dubium.* Sed quid si ipsa Francisca tunc præsens simul cum alia, ad quam dirigit ex errore vir suum consensum, reciprocè præstaret suum, per verba de præsenti quid fieret?

Resoluitur. Respondetur matrimonium esse nullum, & cum Francisca, & cum alia: quia verba, aut signa externa requiruntur ad matrimonium, siue vt contractus est, siue vt Sacramentum, & debent respicere eandem personam, & non diuersas, tam consensus, quàm verba, per quæ exprimitur. Verba autem diriguntur ad personam substitutam ex errore proferentis, licet consensus quantùm ad intentionem respiciat Franciscam: quin verò ipse consensus ad personam substitutam ex eodem errore dirigitur, licèt intentio Franciscam respiciat.

6 *Obiectio.* Obiicies errorem personæ in aliis contractibus non annullare contractum, vt si quis vendat seruum sub nomine Pauli, licèt vocetur Petrus. Vel si quis in venditoris nomine erret, aut si sericum Granatense vendat pro alio, aut è contra.

Soluitur. Respondetur errorem in nomine serui non facere ad contractum, modò ipsa serui persona distrahatur, quia ille error non est circa materiam, quæ est persona serui; sic etiam si quis contrahat cum Maria præsente, intendens personam eius, non irritat contractum, si in nomine erret: quia ille error non respicit consensum, qui dirigitur ad personam præsentem in indiuiduo, & quæ per se intenditur. Si tamen substitueretur alia persona vel in hoc, vel in illo contractu, quando emens velit personam indiuiduam propter vsum eius, contractus esset nullus, quia error est in materia. Dixi quando emens velit, seu intendit personam indiuiduam propter vsum particularem eius, & industriam, sibi aliquo modo notam; quia si intenderet tantùm emere seruum, sufficit vt persona æquiualens illi reddatur: sicut etiam quando intendit sericum Granatense; modò aliud sit æquale, quantùm ad substantiam, vsum, & commoditatem. Idem dicerem de seruo etiam, seruata æqualitate in re commutata, matrimonium tamen in hoc specialiter distat ab aliis, necessariò dirigatur ad personam indiuiduam, ex natura transmutationis, quæ interuenit, & consensus requisiti.

Quando error personæ, aut rei annullat contractum.

7 *Error conditionis annullat.* d *Secunda conditio est hic specialis*, &c. Probat conditionem seruitutis annullare matrimonium, quando liber contrahit ex errore conditionis, intendit non seruitutem adscriptitiam, qualem habent illi, qui ad certas operas tenentur dominis, vt qui colunt terras nunquam inde recessuri, & quibus tantùm sumptus & victus cedit: neque etiam originariam seruitutem, quibus obnoxij sunt filij illorum; sed seruitutem propriè dictam, qua quis est obnoxius voluntati domini, vt cùm vendat, & omnia acquirat domino, non sibi, aut filiis, aut vxori.

Seruitutis differentia.

Errorem talis conditionis annullare matrimonium definitum est *cap. 2. & 3. & finali de coniugio ser. & cap. Si quis ingenuus 29. quæst. 2.* & per totam quæstionem idem supponitur. *Probatio conclusionis.* Conclusionem probat Doctor ratione, ex eo quòd liber intendat commutationem sui corporis liberam facere, pro potestate libera corporis alterius; sed seruus non potest hanc liberam facere, quia est obnoxius domino per seruitutem, qui eum vendere potest, etiam extra patriam: ergo liber non censetur consentire scienter in seruum; & sic ex defectu consensus liberi contractus est nullus. *Ratio ex intentione.* Patet vltima consequentia: quia est maxima inæqualitas quoad materiam transmutationis in ordine ad finem intrinsecum matrimonij, vt educandæ prolis, cùm omnia acquirat seruus domino, eiúsque alendæ, sicut & vxoris, & indiuiduæ societatis, quæ abstraherent à consensu, si scirentur; consensus autem matrimonialis contraria his intendit ex natura ipsius consensus, vt respicit finem contractus: ergo eorum error reddit consensum nullum, de quo non est dubium, quamuis dubium sit qua lege id fiat, an diuina & naturali, an verò sola lege humana? *Inæqualitas contractus.*

Plures tenent lege Canonica tantùm irritari matrimonium ex errore conditionis, pro qua citatur D. Thomas *in 4. dist. 36. quæst. vnic. art. 1. ad 3.* tenent D. Bonauentura *art. 1. quæst. 2.* Durandus *quæst. 2. ad 1.* Paludanus *dist. 30. quæst. 1. art. 2.* Supplementum Gabrielis *conf. 3. & dist. 36. quæst. 1. art. 2.* Sotus *distinct. 35. art. 2. post primam conclusionem.* & plures Summistæ, *verb. Matrimonium, verb. Impedimentum*; & alij, quos citat Sanchez *lib. 7. disput. 19. quæst. 2.* quam vt probabiliorem sequitur, licèt contrariam sentiat etiam probabilem. 8

Quale sit impedimentum? Prima sententia esse Iuris Canonici.

Dico Iure naturali, & diuino errorem conditionis irritare matrimonium. Hanc supponit Doctor in litera præcedenti asserens hunc errorem esse circa conditionem per se requisitam ad contractum; & huc tendit ratio eius, quam *suprà* præmisimus. Idem expressè docet *dist. 41. quæst. vnica. §. Ex dictis breuiter colligo*, &c. vbi connumerat hoc impedimentum inter ea, quæ ex natura contractus irritant; & distinguit impedimenta, quæ Iure naturali, aut diuino irritant, ab aliis, quæ Iure tantùm Ecclesiastico: & hæc recenset *§. Sequenti eiusdem quæstionis.* Hanc tenet Magister *in hac dist.* Mayrones cum aliis nostræ Scholæ. Angles *1. part. de matrim. quæst. 1. art. 1. dub. 1. conclusione 1.* Almainus *in 4. dist. 36. quæst. vnica.* Palacios *dist. 30. quæst. vnica.* Petrus de Soto *lect. 3. de matrimonio.* Glossa *in cap. fin. de coniug. ser.* vbi etiam Hostiensis, & Gotfredus. Couuarr. *4. decret. 1. part. cap. 3.* Antonius Cuccus *lib. 5 instit.* Maior. *tit. 12.* Syluester *verb. Matrimonium 6. quæst. 2. dist. 1.* *Esse Iuris diuini.*

Conclusio hæc non ex eo probatur, vt quidam putant, quòd seruitus repugnat contractui matrimonij; quia huius contrarium *infrà* probabimus cum Doctore *dist. 36.* Sed probatio peti debet ex ea ratione, quam adducit Doctor, nempe ex defectu consensus per se requisiti ad contractum, quem talis error impedit. In proposito autem deficit talis consensus: ergo contractus ex natura rei deficit. Minor probatur; error circa personam de naturali Iure impedit contractum, vt communiter Doctores contra glossam *29. quæst. 1.* asserentem Iure tantùm Ecclesiastico dirimi, & error in qualitate, quando redundat 9

Error redundans in personam irritat matrimonium.

redundat in personam, vt posteà videbimus, etiam irritat matrimonium; sed error conditionis redundat in personam: ergo etiam eodem Iure impedit, quo error personæ impedit. Probatur subsumptum: quia contrahens non solùm intendit contractum, sed etiam æqualitatem ex vi præsentis consensus, ita vt transfert liberam potestatem sui in alium, ita etiam acquirat liberam potestatem alterius. In contractu enim oneroso nequit interpretari alius eius consensus, quo sibi præiudicaret, quin per se intendat seruando medium iustitiæ recipere æqualem in commutatione, neque solùm personam respicere tanquam materiam contractus, sed etiam quoad æqualitatem dati, & accepti, seruando medium rei: ergo consensus eius præsens ex errore antecedente conditionis non solùm & præcisè respicit personam, sed etiam æqualitatem in commutatione, & sic personam, vt ei affixa est hæc conditio, qua seruatur talis æqualitas.

10 *Quantitas spectat ad substantiam contractus in iustitia commutatiua.*

Confirmatur, in iustitia commutatiua, quæ versatur in medio in re ipsa, quantitas spectat ad substantiam contractus, absolutè loquendo, quando aliud non excipitur per formam, & ad materiam commutationis, vt si quis vinum, aut granum in specie mutuauit, acquirit Ius recipiendi tantum in specie, quantum mutuauit: sed in proposito persona libera ex errore antecedente transferens potestatem liberam sui corporis in aliam, quam putauit liberam, contrahit secundùm iustitiam commutatiuam, vt versatur in medio ipsius rei: ergo consensus eius non est trahendus ad inæqualitatem in re ipsa ex vi contractus, neque ex lege, neque secundùm rectam rationem. Probatur consequentia, quia contractus bonæ fidei, cui dolus causam dedit, est ipso Iure nullus, secundùm communem Doctorum. Si autem est stricti Iuris, est irritandus; quando autem in cæteris contractus est irritabilis, in matrimonio est nullus; quia aliter subueniri nequit huic contractui, quia validè transactus fit insolubilis, ac proinde ad eum requiritur consensus legitimus, & per legem regulatus, vt valeat, qui in præsenti casu non inuenitur in persona libera, cuius consensus dirigitur ad personam, quà libera putatur, & secundùm æqualitatem rei.

Contractus bonæ fidei, cui dolus causam dedit, ipso Iure est nullus.

11 *Non esse contractum legitimum.*

Patet eadem consequentia quoad legem non esse consensum legitimum: quia lex diuina & naturalis excludit dolum, & inæqualitatem notabilem in commutatione, prout per dolum causatur, & non per consensum eius, qui patitur; & magis respiciat hunc contractum secundùm naturam contractus legitimi, & iuxta ordinarium modum contrahendi secundùm æqualitatem regulariter, quàm ex accidenti annexo. Ordinarius modus, quem respicit prima institutio, est libera, & æqualis translatio; quia contractus institutus est ante conditionem seruitutis. Idque concedere debent aduersarij, qui docent Ecclesiam instituisse hoc impedimentum propter iniustitiam, quæ per dolum fit personæ liberæ, & propter necessaria detrimenta, quæ fini matrimonij in alenda, & educanda prole eueniunt.

Prima institutio matrimonij.

Eliditur præsumptio in contrarium.

Hinc etiam patet tertium, nempe consensum personæ liberæ secundùm rectam rationem summouere hæc impedimenta, & detrimenta, quia neque præsumptione Iuris, aut facti potest consensus eius illa includere: quia præsumptione Iuris & facti censetur exceptus dolus, & iniuria notabilis redundans in finem ipsius contractus: finis autem contractus est educatio debita prolis, & remedium infirmitatis, vt *suprà distinct. 26.* præmisimus cum communi. Ergo consensus liberæ personæ ex dolo non censetur ad contrarium horum se extendere, secundùm rectam rationem, ex præsumptione facti, aut Iuris, consequenter deest consensus liber requisitus.

Prætereà secundò, conditio implicita in consensu tantum operatur, quantum conditio eadem, si esset expressa, modò includatur ex natura ipsius tanquam intrinseca, vt respicit materiam contractus: sed si exprimeretur hæc in consensu *Si es liber*, annullaret contractum: ergo etiam vt includitur ex natura consensus etiam annullat contractum. Maior probatur; quia consensus liberi ex dolo causatus includit illam conditionem hîc & nunc, & ex natura sua respicit personam cum tali limitatione: quia ex natura commutationis eodem modo respicit acceptum, quo respicit datum secundùm æqualitatem; vt autem est datio, est libera sui corporis translatio, & non reseruata: est etiam translatio onerosa, ita vt recipiat similiter tantum, quantum dat: ergo non refertur ad personam serui, nisi ea libertate, qua propriam respicit, vt sicut dominium sui liberum transfert, ita dominium liberum alterius exspectet, neque aliter dominium sui liberum tradit nisi alterius respiciat.

12 *Secunda probatio. Conditio implicita quid operatur.*

Consensus inuoluit conditionem contrariam seruituti.

13 *Confirmatio.*

Confirmatur, quia liber nequit transferre dominium sui aliter quàm liberè, si contrahat cum libera, nisi intendat ingressum Religionis; quod soluit matrimonium sequente professione in fauorem Religionis, vel in fauorem fidei, si sunt infideles, quando alter conuertitur ad fidem, nec cohabitare potest. Cæterùm contractus etiam in his casibus requirit liberam translationem, sine qua esset nullus, licèt obligatio & vinculum inde sequens soluatur ex institutione Dei speciali. In priori enim casu, licèt non teneatur talis consummare matrimonium, tamen tenetur translationem facere absolutam, & liberam suiipsius: quia tenetur eam facere vt potest, & ex vi contractus exigitur, & in casu quo non ingrederetur Religionem, aut in ea non emitteret professionem, perinde teneretur coniungi, ac si non intenderet Religionem, quando contraxit; quia conditione reseruata, & intenta, non adimpleta, redit contractus ad suam naturam, & obligatio remota fit proxima; quod non esset verum, nisi contractus ex natura sua, vt fit, & fieri debet inter liberos, includeret liberam translationem ex natura consensus: sed consensus liberi in personam serui, quam putauit liberam, & ex dolo causatus, seu errore, non debet aliter interpretari, quàm per modum consensus liberi, & inter liberos, quantùm ad naturam ipsius consensus, vt fit, & respicit intrinsecè suum obiectum, aut materiam circa quam: ergo nullam inducit obligationem, quando materia in re ipsa est impedita per seruitutem repugnantem translationi liberæ, quæ solùm fieri potest per talem consensum, & regulariter fit.

Contractus liberi debet esse libera translatio sui.

Tertiò. Non inuenitur aliqua lex per modum statuti inducens hoc impedimentum, sed quid 14 *Tertia ratio.*

quidquid in hoc edidit Ecclesia, per modum declarationis decreuit. Ergo potiùs recurrendum est ad legem diuinam, & naturalem, quàm ad Ecclesiasticam non scriptam. Patet antecedens ex legibus, quæ huc spectant; & probatur consequentia. quia 29. *quæst. 2. cap. Omnibus nobis*, &c. valor matrimonij inter liberum, & seruum decernitur ex lege diuina; quia omnibus vnus pater est, &c. vna lex in ordine ad Deum, & intendit Canon matrimonium scienter contractum nota conditione ante contractum, vt ibi glossa, & patet ex *cap. 5. Si fœmina*, &c. *Si fœmina ingenua acceperit seruum, sciens quòd seruus esset, habeat eum: quia omnes vnum patrem habemus in cœlis, vna lex erit viro, & fœmina*, &c. Ex quo sic argumentatur: quando regula generalis includit exceptionem, debet respectiuè ad eandem legem, & causam suæ veritatis referri, tã exceptio, quàm regula, nisi aliud apponatur; sed lex de coniugio seruorum scienter inito, per quam tenet, est diuina, vt patet in præmissis declarationibus: ergo etiam exceptio, quam continet, veritatem suam habet ex eadem lege diuina: ergo contractus cum errore conditionis initus, qui excipitur à regula generali diuinæ legis, debet excipi per ipsam diuinam legem: ergo omnes textus præfati tituli, qui supponentes per legem diuinam valere connubia inter liberum, & ancillam, & addunt limitationem illam, scienter contracta, vel per modum exceptionis, siue per modum limitationis materiæ, quam respicit ipsa lex à sensu contrario; consequenter, si non scienter sunt contracta inter liberum & seruum, non sunt rata lege diuina: ergo nulla.

Ex Canonibus qui declaratiri sũt.

Exceptio à regula eandẽ legem, & causam respicit.

Lege diuina excipi errorẽ conditionis.

Et confirmari potest per rationem aliàs factã de consensu coacto annullante matrimonium ex defectu libertatis; sed hîc similiter est defectus libertatis sicut & scientiæ requisitæ ad libertatem: ergo lex diuina, quæ annullat matrimonia non libera, eundem habet effectum, siue tollatur libertas per coactionem, siue tollatur per ignorantiam, cùm eadem causa subsit: & idem semper operetur: non minùs enim requiritur ad libertatem consensus, vt absit coactio, quàm vt adsit scientia requisita.

Confirmatio ex defectu libertatis.

15 Ex his facilis est solutio ad fundamenta oppositę sententiæ, quæ in eo versantur, quòd coniugium cum serua valeat cognita eius conditione: ergo etiam lege diuina, aut naturali non est irritum matrimonium ex errore conditionis. Patet consequentia, quia seruitus ex natura sua non aduersatur matrimonio, aut ex diuina lege.

Obiectio prima.

Respondetur negando consequentiam, ad cuius probationem patet ex dictis nullitatem huius contractus non prouenire per se ex conditione seruitutis, sed ex defectu consensus liberi, qui per se requiritur ad matrimonium.

Soluitur. Nullitas ex defectu consensus.

Obiicies secundò: Seruitus non impedit liberum vsum matrimonij, sed certis temporibus, quando dominus licitè occupat seruum: ergo non aduersatur naturæ matrimonij.

Secunda obiectio.

Responderi potest, quòd scienti, & nolenti non fit iniuria, quia quilibet potest iuri suo renuntiare cognita conditione seruitutis, si tũ contrahit, non ita verò quando ignoratur seruitus.

Responsio.

Respondetur secundò, hanc responsionem, etsi bonam, remotam esse. Dicendum ergo quòd ideò matrimonium est nullum, quia consensus liber & per se requisitus deficit.

Dices consensum hunc non esse erroneum circa substantiam matrimonij, quæ respicit personam, sed circa qualitatem, & sic esse inuoluntarium secundùm quid. 16

Replica.

Respondetur, esse errorem in substantia, quia in personam non fit cõsensus, nisi seruata æqualitate, & vt libera censetur, & vt excludirur graue detrimentum repugnans fini ipsius matrimonij, ideò error est in substantia cõtractus ex forma & natura consensus; quia hæc est ratio. Si dicas Ecclesiam annullare matrimonium liberi cum serua ex errore conditionis, cur Ecclesia illud annullet, & non annullat matrimonium ex errore qualitatis factum, quia nempe in iis, quæ per se sequuntur ad matrimonium fit maxima inæqualitas ex dolo in priori, non verò in qualitatis errore, quæ non cadit in contractum ex natura consensus, quæ respicit substantiam ipsius quoad finem cõtractus regularem, & sicut facit translationem liberam, ita etiam implicat necessariò vt tantum exspectet, quantum dat, neque aliter consensus eius præsens subsistit. Quando verò conditio est cognita, validè contrahitur, quia liber sicut habet dispositionem liberam sui quantùm ad translationem corporis, ita potest etiam consentiendo sibi ipsi præiudicare. Sicut aliter in contractu bonæ fidei, cui dolus dat causam, censetur, aliter verò quando nullus subest dolus, nam prior nullus est, posterior verò est validus; licèt altera pars ex propria voluntate cedat iure suo, minus accipiens quàm dat. Prior Iure naturali & diuino est nullus. Secundus verò non ita. Neque alia diuersitas est inter vtrumque, nisi quòd consensus in contractu vtroque est omnino diuersus in substantia, vt subest consensui, & intentioni.

Soluitur.

Cognita conditio non irritat matrimonium.

Hinc ergo applicando similitudinem ex commutatione, quæ fit in aliis rebus, ad propositum casum; ideò notabilis error in qualitate rei in cõtractu bonæ fidei irritat contractũ: & si est stricti Iuris, dat actionem læso, quia non sola substantia, aut quantitas, seu mensura, & pondus facit ad finem intrinsecum contractus, qui est vsus, & commodum ex re, sed etiam qualitas ad eũdem finem potissimùm facit, ac proinde error notabilis in qualitate derogat valori & æstimationi eius, & minùs vtilem ad vsum, & commodum exspectatum, & intentum facit, & talis error facit contractum nullum; quia nemo sibi præiudicare præsumitur Iure, aut facto cum notabili iniuria, & dolo alterius, & contra finem intentum contractus, nisi rem esse vitiatam cognoscat, & consentiat in ipsum sic affectam, quia tunc valet contractus. 17

Contractus bonæ fidei ex errore in qualitate nullus.

Sic ergo in proposito, finis contractus matrimonialis est indiuidua societas, seu vinculum insolubile, bonum prolis, remedium infirmitatis: & his notabiliter derogat conditio seruitutis, ideóque siue à Deo, siue per statutum Ecclesiæ irritatur contractus, qui fit cum ignorantia eius; quia, inquam, norabiliter derogat fini contractus cum graui detrimento. Sicut ergo contractus bonæ fidei in aliis rebus, qui ex dolo fit, & supposito errore in qualitate rei tãtùm, fuit nullus, quia error est in substantia, ideóque in substantia; quia in qualitate, quam spectat finis contractus, qui est vsus rei; ita in proposito error conditionis se habet ad finem matrimonij: ergo cõsentiens bona fide in seruum, quem putat liberum, non consentit præsumptione Iuris, aut facti

Applicatio doctrinæ præmissæ.

facti in seruum, errórque ille est in ipsa substantia contractus, vt ad suum finem est. Alius autem error in conditione non faciente ad finem præscriptum matrimonij non annullat contractum, vt error in qualitate, vt dicitur; quia hæc extrinsecus se habet ad contractum, vt ad suum finem per se reducitur.

Error in qualitate non irritat matrimonium.

18 Vnde sequitur intentum, quamuis autem seruitus est accidens personæ, vt persona distinguitur à suo statu; tamen vt comparatur ad contractum matrimonialem, & finem intentum eius, qua perficitur per consentientem bona fide in personam, quam putat liberam, non est accidens, aut circumstantia, sed conditio per se intenta hîc, & nunc per talem consensum. Instantia autem aduersariorum de valore matrimonij supposita scientia conditionis iam contracti, non est ad propositum, quia variatur casus, & consensus, sicut *suprà* diximus de contractu bonæ fidei, vt sit supposita scientia, aut dolo per varios consensus, quorum vnus includit per se qualitatem rei, alius excludit. Reliqua de coniugio seruorum, *infrà distinct.36.*

Error conditionis, quomodo ad substantiam reducitur.

Instātia reijcitur.

Ex dictis sequitur, quòd si ignorantia crassa conditionis fuerit causa consensus, etiam eam irritare matrimonium Iure diuino, seu tenendo sententiam, quam alij tenent, Iure Ecclesiastico, ex defectu consensus; nam ignorantia crassa eundem effectum, quoad nullitatem consensus inducit, quem metus ex causa leui, in affectu tamen grauis, quia per se requiritur consensus liber, ex quacumque causa deficiat, sine eo nihil fit. Hanc tenet Sanchez contra Sotum, & alios *lib.7.disput.19.quæst.2.*

Error ex ignorantia crassa irritat.

19 e *Et ex hoc sequitur aliud corollarium*, &c. Docet errorem in meliori conditione non annullare matrimonium, neque seruitutem cognitam illud annullare. Error in meliori conditione est, quando quis velit contrahere cum alia, quam putat esse seruam, & est libera, quæ conditio est melior. Idem docet *infrà dist.36. quæst.1. art.2. §.Dico ergo quantùm ad istum articulum*, &c. *versu, Sed si ancilla credit*, &c. vbi dicit errorem in meliori, & etiam æquali conditione non annullare matrimonium, quia in vtroque casu conditio contrahentis non fit deterior, sed melior in primo, æqualis in altero casu. Est communis sententia Canonistarum, & Theologorum, quos magno numero refert Sanchez *loco citato, q.3.* eámque rectè probat ratio præmissa: quia neque ex vi contractus, aut consensus sequitur aliqua inæqualitas, aut grauamen contra finem matrimonij, diuersum ab eo, cui non sit ipse obnoxius ex propria conditione: verbi gratia, si est seruus ducens ancillam, quam putauit esse liberam, nulla inæqualitas est in contractu, quæ sequitur ex errore, aut ad quam subsisteret rationabiliter consensus voluntatis repugnantis, Iuris, aut facti præsumptione, nisi hæc conditio redundet in personam, vt cùm ipsi solum est persona per libertatem nota: verbi gratia, si quis vellet alterutram ex filiabus, quarum vna est libera, altera serua, offerre seruo sub electione, & ille eligeret liberam, quam aliàs non nouit; si supponatur serua, est error personæ, quia consensus contrahentis dirigitur in liberam, quam solùm nouit ex libertate; vel si contrahat per procuratorem cum mandato speciali, vt suo nomine contraheret cum libera: quamuis aliàs non annullet matrimonium ex communi sententia, nisi consensus exprimat ipsam qualitatem per modum conditionis per se intentæ, & honestæ. Casus est, si aliquis primogenitam spopondit, & alter consentit eam accipere, quam aliter non nouit, nisi vt erat primogenita, tunc si supponatur secundogenita, matrimonium est nullum ex errore personæ, quia consensus viri determinatè fertur in primogenitam, quam aliter non nouit nisi per hanc qualitatem: neque refert si mortua priori secundogenita fiat primogenita; quia prima cognitio, & consensus ex ea sequens fertur in determinatam illam personam, quæ fuit primogenita.

Error in meliori conditione non irritat.

Sententia cōmunis.

Probatio.

Cōsensus non subsistit ad conditionem.

Error conditionis aliquādo redundat in personam, & irritat.

f *Tertia conditio generalis omni contractui est*, &c. Hæc conclusio patet ex dictis *dist.26. conclus.2.* in matrimonio enim requiritur consensus verus, sine quo nihil fit: neque hunc consensum potest supplere Ecclesia, licèt illum præsumat, donec contrarium probetur, & ad cohabitationem cogat; in aliis autem contractibus, quæ sunt secundùm legem humanam, & eius institutionem, aliquando lex ipsa supplet defectum consensus in pœnam doli, & tunc valet contractus virtute legis, vt quando contractus est stricti Iuris, neque adest impedimentum præter defectum consensus ex dolo. In contractibus tamen bonæ fidei requiritur consensus, & eius defectus non suppletur. De his intelligit Doctor ex defectu consensus fieri contractum nullum, non in aliis, quando lex ipsa supplet defectum consensus, qui deberet inesse, & præsumitur inesse. 20

Tertia cōclusio, ex defectu consensus irritatur matrimonium.

Lex supplet consensum, & quando.

SCHOLIVM.

*Coniugem credentem alteri coniugi, asserenti, quòd non consensit in matrimonium, non posse ei reddere debitum, nec ire ad alias nuptias: deponat ergo scrupulum, si vult vitare perplexitatem, sibique suadeat quod mentitur alter: non loquitur Doctor in casu, quo coniux tantùm dubitaret de valore matrimonij, vt ei imponunt quidam; hoc enim casu videtur probabilius quòd coniux dubitans speculatiuè, non practicè facta diligentia, potest reddere & petere debitum. De redditione habetur c.*Dominus, *de secund. nupt. de vtroque tenent Sotus 4. de iustit. q.5. art. vlt. fin. & dist.27. q.1. Henriq. lib.12. c.6. num.5.7. Emanuel 1. tom. Summ. c.243. Sanchium citans multos 2. de Matrim. disput.41. num.46.*

Sed g hîc sunt dubia. Primum, esto quòd aliquis ad exequendum libidinem, dicat verba, animo tamen, non intendens contrahere; alia persona simplici animo contrahens, nunquid obligatur? Videtur quòd sic: quia ex parte sua sunt, tam consensus, quàm verba, & ita tota causa obligationis. 4 *Dub. 1.*

Dub. 2. Præterea, esto quòd dolosè contrahens exprimat alteri dolum suum, ista persona simplici animo contrahens non potest recedere à contractu, quia exponeret se periculo fornicationis. Nec potest stare, quia non potest reddere debitum certitudinaliter ex parte sua, & probabiliter ex parte alterius, de quo præsumendum est melius, quia tunc exponeret se periculo fornicationis: ergo videtur in tali casu persona ista simplex esse perplexa.

Rich. 27. dist. artic. 1. q. 3. Ad primum dico quòd contractus matrimonij non claudicat; & ideò si secunda persona non dat, nihil fit, vt dictum est *in 1. quæst. conclus. 2.* Do vt des, vel, do si des. Et ideo si illa non dat, ista nihil facit; licèt ex parte sua non sit impedimentum facti, nisi ex consequenti.

Quid faciendum, quando alter coniux dicit se non consensisse. Sed de secundo est maior altercatio, quibusdam dicentibus, quòd ista persona non potest reddere debitum stante conscientia de dolo alterius: nec recedere, quia exponit se periculo fornicationis, vt dictum est. Dico tamen breuiter, quòd nullus est perplexus in lege diuina, etiam quocumque actu proprio posito; dum tamen non maneat aliquod peccatum mortale, per quod fiat perplexus: ista simplici animo contrahens cum doloso, nec tunc, nec multò magis pòst, habet aliquem actum, per quem sit perplexa: ergo simpliciter patet sibi via salutis.

5 Dico [h] ergo, quòd via tutior non est facere sibi conscientiam, quòd alter dolosè consenserit: imò, quòd tunc veraciter consensit, sed modò mentitur: & in hoc casu faciat, sicut vero coniugi. Si autem non potest tollere conscientiam, quam habet in verbo priuatiuo alterius coniugis, stante illa conscientia peccat mortaliter reddendo debitum, quia fornicatur: non reddendo autem, & multò magis recedendo, exponit se periculo peccati mortalis, quia fortè iste mentitur. Et probabilius est, quòd nunc mentiatur, quàm quòd mentitus fuerit in principali contractu: & tunc *Matth. 19.* ista, vel negat sibi, quod suum est: vel si recedit, mœchatur secundùm Euangelium. In magnam ergo brigam ponitur contrahens cum dolosè contrahente.

COMMENTARIVS.

21 *Duo dubia.* g SEd *hic sunt dubia*, &c. Primum dubium est, an bona fide contrahens obligetur ficto. Secundum dubium est, quid agere tenetur, quando fictus manifestat dolum?

Responsio ad primum. Ad primum, respondet matrimonium esse nullum ex vtraque parte, licèt persona, quæ consensum verum exhibet, non ponat ex parte sua impedimentum facti, quia præstat consensum vt debet, & exigitur ad contractum, quia *Deficiēte consensu nihil fit.* tamen alterius consensus deficit, non valet matrimonium.

Responsio ad secundum. Ad secundum, supponit regulam generalem, nempe in legem Dei neminem esse perplexum, supposito quocumque actu suo, dummodò non maneat aliquod peccatum mortale, per *Regula.* quod fiat perplexus. Hæc regula est verissima: quia sicut lex diuina est medium ad salutem dirigens, ita non inducit necessitatem peccan- *Vnde oritur perplexitas.* di, aut periculum: perplexitas ergo oritur ex alia causa extrinseca, nempe ex errore intellectus, qui non deponitur, vel ex prauo affectu voluntatis, qui non excluditur per debitam correctionem eius. Hinc colligit coniugi, quæ bona fide contrahit, patere viam salutis, & respondet ad dubium.

22 *Conclusio. Seruanda bona fides.* h *Dico ergo quòd via tutior*, &c. Respondet quòd tutior via sit conseruare bonam fidem, non credendo: inter duo enim mala minus malum est præsumendum; minus autem peccatum est mendacium, quod nunc præsumitur inito matrimonio, quàm mendacium, quod commisit fictè contrahens: quia hoc est perniciosum contra naturam contractus, illud verò non ita. Neque fidem tenetur dare coniunx in præiudicium sui iuris: ergo cohabitet bona fide tanquam coniugi.

Secunda conclusio. Quòd si conscientiam nequeat deponere, credendo verbo alterius, peccat si reddat debitum, & magis peccat si recedit, quia alter fortè mentitur, & se exponit periculo fornicationis, & aufert alteri quod suum est, si matrimonium subsistat. Hîc aliqui distinguunt dubium specula- *Dubium speculatiuū, & practicum.* tiuum, & practicum: aliqui dicunt cum dubio speculatiuo non posse coniugem reddere debitum, aut recedere. Pro hac citat Sanchez *lib. 2. disput. 41. q. 4.* nostrum Doctorem, Altisiodoren- *Varia sententia.* sem, Medinam, & alios. Alij dicunt posse reddere, & petere debitum in tali dubio. Alij docent teneri reddere debitum, & non petere: alij mitigant hanc sententiam, vt vera sit antequàm adhibeat diligentiam requisitam inquirendi veritatem, ea verò adhibita, posse reddere, & petere debitum.

Respondetur in primis non rectè allegari 23 Doctorem pro prima sententia, vt benè aduer- *Allegatio falsa.* tit Scholiastes, quia Doctor non loquitur de dubio, sed de conscientia. *Si autem*, inquit, *non potest tollere conscientiam, quam habet in verbo priuatiuo alterius coniugis, stante illa conscientia peccat mortaliter*, &c. Conscientia autem per ipsum *Conscientia.* *in 2. distinct. 37. quæst. 2. §. Ad quæstiones istas*, &c. est habitus, seu actus conclusionis practicæ. Ac proinde dicit determinatum consensum practicum, contra quem non licet agere. Si ergo illa, quæ est bonæ fidei, adhibet fidem allegationi ficti, iam habet conscientiam talem, qua non deposita, non licet operari, nec reddere debitum, nec petere, neque etiam recedere: quia conscientia illa non est adeò fundata ex motiuo suo, licèt ex credulitate formantis ipsam, & aliis motiuis inducatur, quia motiuum est veracitas dicentis, qui fatetur se mendacem in priori contractu; ac proinde indignum fide; neque tollitur obligatio simpliciter, quæ est

ex priori contractu ex natura motiui, quod perinde inclinat ad assensus contrarios; quod verò formans conscientiam adhæreat allegationi frustrati consensus prioris, est ex propria leuitate, non ex natura motiui: nec proinde euacuatur obligatio cohabitationis; licèt perplexa maneat persona credens, aut suspensa; manens etiam suspensa nequit operari: quia ad copulam supponitur, vt sit legitima, regula determinata vt fiat debito modo per vsum proprij iuris, & animo maritali; ac proinde assensus determinatus circa valorem matrimonij; licèt ex allegatione secunda negati consensus maneat aliqua formido de nullitate: hæc autem formido, sicut non transit in consensum determinatum; ita non inducit obligationem operandi secundùm illam, neque est actus aliquis medius in intellectu inter assensum, & dissensum; sed priuatio certitudinis in assensu, quam priùs habuit stante bona fide, antequam allegauit alter fictionem consensus.

Obligatio cohabitationis.

Quid sit formido, quam patitur bona fides.

24 Aduertendum ergo est ad discussionem casus præsentis, in intellectu non posse stare actum medium hìc & nunc inter assensum & dissensum huius veritatis, qui actus spectet ad iudicium practicum, seu regulam operandi; neque assensum & dissensum simul circa idem: quia vtrumque horum repugnat. Quòd si motiua sint paris efficaciæ, loquendo de contrariis, potest esse suspensio, & inquisitio veritatis, non tamen assensus determinatus conclusionis, nisi ex dispositione personæ, vt in præsenti casu, si est timida, & facilis inclinationis ad credendum potiùs malum, aut accedat imperium voluntatis, aut applicentur perfectiùs alia principia remota ad vnam partem magis, quàm ad aliam: ex quibus determinatur intellectus ad assensum, licèt apprehensio contrarij motiui dubitabilis faciat ne assensus ille sit omnino certus: est tamen determinatus, sicut actus fidei humanæ, aut opinionis, & regula, quam sequi debet voluntas operando determinatè.

Dispositio dubitantis.

Intellectus aut suspensus manet, aut assentiēs, aut dissentiens.

In proposito ergo casu si nullum aliud subsit motiuum dubitandi de nullitate consensus merè interni præter allegationem dicentis, neque ex factis, dictis, aut aliis indiciis, aut modis sit cognoscibile, distinctio dubij speculatiui, & practici non habet locum, quia nulla sunt principia remota, ex quibus speculatiuè oriri posset dubitatio hìc & nunc, sed hæ duæ regulæ immediatè applicantur, quæ sunt practicæ, vt *reddendum esse debitum matrimoniale*; *non esse mæchandum*, &c. inter quas non est locus suspensioni, quin alterutrum debeat sequi ex obligatione præcepti negatiui, & affirmatiui concurrentium; ex parte materiæ fides allegantis vacillat, & perinde ad assensus contrarios inclinat proximè: quòd si ergo perplexus vnum sequatur, aut alterum horum, secundùm illud debet operari iuxta conscientiam, quam format; quia non suppetit aliquod aliud medium inquirendæ veritatis; & hic est casus, quem decidit Doctor. Quòd si sint alia motiua, aut indicia, vt impedimenti affinitatis, aut si alter signa deceptionis aliàs ostendit, aut aliis se fictè contracturum manifestauit, tunc neque reddere debitum debet, neque petere etiam, donec examinetur veritas: quòd si ea examinata format conscientiam de nullitate matrimonij, perinde dicendum est, quidquid sit de veritate rei; si autem fidem non præstat allegationi, sed inhæret primo contractui per assensum determinatum, est secura, si oppositum aliunde non probatur sufficienter; quia innititur possessioni, & præsumptioni magis fundatæ, quæ est in fauorem matrimonij, & sicut Ecclesia prudenter præsumit de valore matrimonij, & de consensu requisito in eo casu, ita etiam persona, quæ bona fide contraxit, prudenter præsumit, & adhæret contractui, cùm nihil vrgentiùs præter dictum ficti opponatur, qui fide caret in præiudicium coniugis, & contractus in facie Ecclesiæ initi, neque oppositum probet sufficienter. 25

Nō rectè discerni in proposito dubium speculatiuū, & practicum.

Regula proxime operandi in casu proposito fictione allegata.

Adminicu'a allegationis.

SCHOLIVM.

Fictè contrahentem teneri verè contrahere. Ita Sotus hìc quæst. 1. vers. Respondeo stante. Nauar. cap. 22. num. 76. Medin. Summ cap. 16. §. 13. Henriq. lib. 11. cap. 11. Bannes 2. 2. q. 77. art. 3. dub. 1. Maior. 4. dist. 27. quæst. 1. videtur D. Thom. ibi. art. 2. quæstiunc. 4. ad 1. Ratio est, quia vix aliter satisfieri potest parti deceptæ, quia non potest aliud matrimonium inire, & si sunt æquales, etiamsi posset, grauiter maneret læsa in fama. Si tamen posset his damnis aliter sufficienter occurri sine eo, quòd deceptor contrahat, non video quare non sufficeret: quod tenet Petr. Ledesm. de matrim. quæst. 45. artic. 4 dub. 1. §. in hac difficultate. Secundò, ait defloratorem virginis teneri ei ad dotem iuxta consuetudinem patriæ. Puto loqui de deflorante per raptum, vel violenter, quia deflorans volentem ad id non tenetur: quia hæc defloratio non differt à simplici fornicatione; vt tenet Sotus 4. distinct. 28. quæst. 2. art. 4. col. 13. Suarez tom. 4. disput. 22. sect. 4. num. 6. Quòd nec etiam eo casu restitutio debeatur parentibus, tenent Sotus 4. de iustit. quæst. 7. artic. 1. ad 2. Nauar. lib. 2. de restit part. 4. cap. 3. Bannes 2. 2. quæst. 64. artic. 2. dub. 7. Salon. ibi controu. 5. Sanchius lib. 7. de Matrimonio, disput. 14. num. 11

SEd [i] nunquid iste dolosus erit immunis? Respondeo, stante illo dolo, in foro conscientiæ dicendum est sibi, quòd nullo modo reddat, nec petat, quia fornicaretur: & cum hoc dicendum est sibi, quòd de necessitate salutis tenetur satisfacere personæ læsæ, vt sibi reddat de suo, quantum sibi abstulit: erat autem istius de iure 6

Contrahens fictè an tenetur verè contrahere?

corpus dolosi, quia commutauit corpus suum pro corpore illius, sicut qui veraciter contrahit cum alia, quod est seruandum[k]: & ideò tenetur iste dolosus commutare dolum in verum contractum. Sed esto[k], quòd tempore intermedio contrahat cum alia veraciter. Respondeo, seruandum illud est cum satisfactione exteriori possibili, puta cum procuratione matrimonij conuenientis, sicut dicitur *Exod.* 22. & de impossibilitate reddendi huic, quod sibi debetur, est pœnitendum.

De deflorãte virginem. Quid[l] de dormiente cum virgine? Tenetur sibi ad certam restitutionem, secundùm morem dotis, quam solent accipere virgines in patria illa.

Si[m] arguatur contra solutionem istam de errore, quæ consistit in hoc, quod commutatio non est, nisi secundùm apprehensionem valoris commutati ad illud, pro quo commutatur. Contra hoc, aliquis potest aliquid dare, vel commutare expectans magnum sibi dari, cui tamen nihil reddetur, nec tamen propter hoc datio prima est nulla. Respondeo, quædam est datio non liberalis, expectans redditionem futuram: quædam est exigens dationem præsentem concomitantem, quæ propriè commutatio est. Prima benè tenet, etiamsi posteà non sequatur redditio expectata: quia in præsenti fit translatio solùm sub spe redditionis futuræ. Secunda nunquam est, nisi sit statim redditio concomitans: quia contractus commutatiuus est conditionalis: & si non expressa conditione, tamen vniuersaliter ex natura contractus subintellecta: & contractus conditionatus non est non stante conditione.

7 *Ad arg.* 1. Ad[n] primum argumentum, siue Iacob possit excusari à peccato, si cognouit Liam prima nocte, siue non, non est magna vis, quia non fuit confirmatus, sed postquàm deprehendit illam esse Liam, consensit nouo consensu propter illa verba Laban. *Genes.* 29. *Non est consuetudinis in loco isto, vt minores priùs tradantur ad nuptias:* & ex tunc fuit vxor eius. Aliàs benè concedo, quòd potuisset repudiasse eam, sicut non suam.

Ad 2. Ad secundum subditur ibi, quòd post egressum Iacob, & ingressum Esau, Isaac stupore vehementi, & vltra quàm dici possit admirans expauit: *Et quis ergo?* &c. Et tunc subiunxit: *Benedixi ei, erítque benedictus*; vbi ex textu datur intelligi, quòd fuerit raptus in illa admiratione vehementi: & in ea vidit Iacob esse iustè benedicendum: & ita licèt illam benedictionem primò ab homine, & humana cautela extortam dedisset: tamen posteà in ecstasi, à Spiritu sancto approbatam pronuntiauit, tanquam firmam, subiungens, *erítque benedictus.*

8 *Ad* 3. Ad aliud dico, quòd non est simile de Baptismo ignoranter collato, quia ibi non est contractus mutuus. Si tamen aliquis ad solutionem huius quæstionis acciperet rationem ex ratione Sacramenti, quòd non posset conferri ab errante; videtur probabile, quòd errans in baptizando circa personam, non baptizaret, sicut nec in matrimonio. Sed ista ratio non est posita ad solutionem quæstionis: nec talis error, quòd sit *A*, vel *B*, dum tamen intendat conferre Sacramentum illi personæ, quæ præsens est, videtur impedire collationem aliorum Sacramentorum, sicut hic impedit; non quòd impediat Sacramentum primò, sed quia impedit contractum donationis faciendum illi, cui non vult donare illud, quod hîc datur.

Error personæ in alijs Sacramentis non vitiat.

Ad 4. Ad vltimum dico, quòd malitia moralis non est aliquid per se requisitum, nec eius oppositum, ad istum contractum: & ideò non impedit ipsum: secus est de seruitute, propter rationem dictam in solutione quæstionis.

COMMENTARIVS.

16 i SEd *nunquid iste dolosus erit immunis*, &c. Resolutio hæc Doctoris plura continet. Primum, non debere dolosum petere, aut reddere debitum: quod patet ex dictis. Secundum est, eum teneri necessitate salutis ad satisfaciendum personæ læsæ, & de hoc nullum est dubium. Tertium, docet hanc satisfactionem esse, vt verè contrahat matrimonium; & ratio est, quia de Iure ad hoc tenetur, & ex vi contractus. Hanc docet S. Thomas *dist.*27.*quæst.*1.*art.*2.*quæstiunc.*4.*ad* 1. Maior *eadem dist.q.*1. Adrianus *in* 4. *quæst.*2.*de matrimonio.* Sotus *dist.*27.*quæst.*1.*art.*3. Petrus de Soto, & alij, quos citat Scholiastes. Quod regulariter verum est: quia illud matrimonium in facie Ecclesiæ tenebit, & mulier, quæ bona fide contraxit, tenetur semper continenter viuere, & patitur damnum in fama, quod aliter resarciri nequit, nisi per matrimonium verum contractum. His omnibus causam dedit fictus: ergo tenetur dare satisfactionem æqualem, quod nequit aliter, quàm per matrimonium. Accedit, si cognouit eam, alius titulus, ex quo obligatur in conscientia, neque debet absolui donec actu contrahat. Non desunt tamen, qui negant fictum teneri ad contrahendum denuò, nisi sequatur copula, vt si virginem duxit, eam non defloraui. Hostiens. *cap. Ex parte*, &c. *de sponsalibus.* Anton. 3.*p.tit.*1.*c.*9. Ledesma *in* 2. *p.*4.*q.*47.*art.*4. Excusant aliqui ab hac obligatione fictum, vt quando ipse dedit signa fictionis, quia fœmina in eo casu sibi imputare debet damnum, quod aduertens incurrit. Item, si

Teneri fictum ad cõtrahendum verum matrimoniũ.

Ratio huius.

Aliqui negãt nõ secuta copula.

Excusantia à matrimonio fictum

si-

sit magna inæqualitas inter fictum, & mulierem aut conditionis, aut sanguinis, quia in eo casu debuit etiam ipsa præsumere de fraude. Deinde, si scandalum magnum, aut exitus infelix ex matrimonio vero sequatur. Item, si fœmina decipiat virum fingens se virginem, quæ fuit corrupta, vel si fœmina cum alio mox decubuit, quia tunc obligatio prior extinguitur, nec iterũ reuiuiscit. Item, si ipsa noluerit matrimonium inire cum ficto, extinguitur obligatio.

27 k *Sed esto quòd tempore intermedio contrahat*, &c. Hæc conclusio est D. Thomæ, Soto, & communis, & regulariter intelligenda, quando scilicet damnum notabile intulit; quod aliter nequit resarciri.

28 l *Quid de dormiente cum virgine*, &c. Hæc etiam intelligenda est in causa seductionis, vt patet ex textu citato. Videantur authores citati apud Scholiastem.

29 m *Si arguatur contra solutionem istam*, &c. *Datio liberalis.* Rectè distinguit dationem liberalem cum exspectatione retributionis de futuro, à datione, quæ exigit commutationem de præsenti, qualis est matrimonialis. Intelligit dationem liberalem cum spe recipiendi de futuro, illam quæ fit non interueniente pacto, de satisfactione recipienda pro futuro: verbi gratia, si quis donet merè liberaliter, vt gratiam alterius ineat, à quo exspectat beneficia maiora, vt officium aliquod in Republica, aut huiusmodi. *Datio onerosa.* Si tamen datio illa non sit liberalis, sed onerosa interueniente pacto, aut contractu de satisfactione pro futuro, consurgit obligatio secundùm iustitiam, nisi aliàs contractus sit prohibitus lege.

Quomodo cõtractus cõmutatiuus inuoluit conditionem. Asserit prætereà in ratione subiuncta contractum commutatiuum esse conditionalem, etsi non conditione explicita, sed ex natura contractus subintellecta, quia nempe translatio non fit nisi cum onere recipiendi rem, pro qua res translata commutatur, intelligit Doctor conditionem generalem, quæ includitur in omni contractu, & explicatur per hoc, *si volueris, aut consenseris*; si autem conditio verbis exprimatur, dicitur conditio specialis, quia iam dat speciem contractui, & suspendit dispositionem factam, donec ipsa compleatur, eáque non completa nihil acquiritur iuris, quia dispositio illi alligatur; requiritur tamen vt conditio expressa aliter apponatur, si sit generalis, quàm includitur in ipso contractu ex lege: quia sic expressa non inducit vllum effectum, quem ipse consensus ex lege non inducat, neque suspendit consequenter contractum aliter, quàm ex vi legis suspensus est.

Conditio generalis. *Conditio specialis.* *Conditio expressa, quando specialis?*

30 Vnde hæ conditiones adiectæ in matrimoniali consensu, vt *si non es impeditus aliquo impedimento dirimente, vt consanguinitatis*, &c. *aut si consenseris*, nihil efficiunt, nec suspendunt contractum, quin sit absolutus, quia ipsa lege tales conditiones includit contractus, vt iis non positis, aut obstantibus fiat suspensus, & nullus. Si ergo contrahentes conantur seriò contractum, expressio talium conditionum, vt ex natura contractus inhærent, non suspendunt contractum. Quia tamen adiectio conditionis sit expressio voluntatis, & talis sit contractus, nempe purus, vel conditionatus, qualis est consensus: si adiectio illarum conditionum fiat ex alia causa, contractus erit suspensus, donec purificetur: verbi gratia, ad euitandum sacrilegium adiicitur conditio, si non es consanguineus, pro maiori reuerentia Sacramenti, ad euitandam pœnam, quæ in contrahentes cum tali impedimento est à Iure, vel ab homine lata, ad tollendum scandalum ex præsumptione in contrarium in re dubia, quando certum non est ipsis, aut aliis præsentibus eos non esse in gradu prohibito consanguinitatis, vel ex alio fine, & circumstantia, quæ ex qualitate personarum hîc & nunc concurrunt, expressio talis conditionis non est superflua, & alio modo adiicitur quàm ex lege importatur, ita vt sit expressio consensus conditionati, & non puri, & maneat consensus suspensus, vt in casu iam expresso, donec constet ipsis de veritate rei. Hinc sequitur veritas illius extremi assumpti in textu Doctoris, nempe *contractus conditionatus non est, non stante conditione*, &c. vniuersaliter esse verum loquendo de conditione latè sumpta, & quando conditio ex ipsa lege inhæret, vel de conditionato specialiter sumpto, qui propriè conditionatus est.

Conditio generalis expressa, quandoque habet effectum.

Ad maiorem huius intelligentiam non erit superfluum hîc adiicere breuiter aliquid de conditionibus, quæ ad matrimonium, eiúsque consensum adiici possunt, & quid operentur. De quibus alij Doctores in hac materia tractant, D. Thomas *in 4. dist.* 29. D. Bonauentura *dist.* 28. & latè moderni agentes de hoc contractu in specie. Thomas Sanchez *lib. 5. de matrimonio per totum*, & *Extra de conditionibus appositis*, plura huc spectantia traduntur, vt *cap.* 1. 3. 5. 8. *&* 7. in quibus plures casus matrimoniales deciduntur dependentes à conditione apposita. 31 *De conditionibus appositis.*

Conditionem etiam apponi tam ex parte consensus, quàm ex parte contractus non repugnat: quia sicut consensus est liber, ita etiam dari potest sub conditione, si aliàs non sit prohibita, & contractus tam matrimonialis, quàm alij admittunt conditiones. Consensus autem, vt inhæret conditioni, dicitur ex obiecto conditionatus, vt distinguitur à consensu puro, seu absoluto, cui non admiscetur conditio. *Non repugnant consensui, aut contractui.* *Cõsensus conditionatus, & absolutus.*

Adiiciuntur aliqua contractui variis modis. Primò, per modum temporis, vt do tibi equum in diem crastinum, ante autem tempus adiectum non transit in ius donatarij. Aliquando per modum oneris, do tibi equum, vt sis bonus. Aliquando per modum causæ. Do tibi equum, quia es amicus. Aliquando per modum specificationis, aut demonstrationis, vt do tibi equum, qui es fortis, &c. Aliquando per modum conditionis suspendentis consensum, & contractum, donec conditio ponatur, vt si quis contrahat cum Francisca, si patri placuerit, aut si dos consignetur tanta, &c. 32 *Varij modi adyciẽdi contractui limitationes.*

Aliæ sunt conditiones de futuro, aliæ de præterito, aliæ de præsenti, aliæ possibiles, aliæ impossibiles, impossibilitate rei, aut Iuris, vt sunt conditiones turpes, & reprobatæ Iure naturali, aut positiuo. Alia etiam est conditio necessaria euentura, alia contingenter. *Diuisio conditionis.*

Dico primò in omni contractu spectandam esse intentionem contrahentium, vt fertur in obiectum, seu materiam circa quam ipsius contractus: nam talis est dispositio, qualem inducit consensus disponentis de re sua, quæ in libera potestate est, vt eam sic vel sic transferat, hoc est, absolutè, non adiecta conditione, aut alia limitatione, vel aliter, his adiectis. 33 *Spectanda intẽtio adycientis.*

Requiritur vt sit efficax. Dico secundò requiri ad contractum, vt intentio hæc sit efficax ex natura sua, & operetur modo humano, id est, vt sit conatus per se requisitus ad commutationem, quantùm est ex dispositione præsenti contrahentis, & nō fictus, aut irrisorius; quia requiritur vt iniens contractum conferat ex parte voluntatis eum actum, qui essentialiter requiritur ad dationem onerosam, aut liberalem rei; aliàs non potest abdicare dominium eius, neque etiam acquirere per contractum dominium rei, in quod commutare intendit id quod est proprium, & sui iuris. Oportet ergo vt iniens contractum applicet se per actum ex genere suo requisitum ad contractum, si illum intendit, qui actus ex natura sua est consensus in rei commutationem, hoc vel illo modo, & natura sua efficax vniuersaliter loquendo, siue ille actus sit inhærens conditioni, siue non, vt absolutus; quod maximè notandum est circa conditiones ex natura rei impossibiles, vt posteà videbimus, & quæ cognoscuntur impossibiles.

34 *Debet respicere legem.* Dico tertiò, sicut vniuersaliter ad translationem rei requiruntur tria, nempe vt persona sit habilis ad transferendum, & persona in quam transfertur ad acquirendum dominium, & materia circa quam sit subiecta translationi; ita etiam in contractu hæc requiruntur; ac proinde non solùm spectato Iure naturali, aut Gentium, sed lege positiua, capacitas ex parte personarum, & materiæ inhæreat, ita vt legi positiuæ disponenti de rerum vsu, & dominio non repugnet: intentio ergo efficax, vt sit talis in gradu, quo requiritur ad contractum legitimum, debet respicere legem non solùm naturalem, sed etiam positiuam, vt sit vera intentio, & requisita ad contractum: verbi gratia, habens sacros Ordines in Ecclesia Latina, aut votum emittēs solemne Religionis, quantumlibet consentiat in matrimonium, non potest dici habere intentionem efficacem ad illum contractum, *Intētio respicit media.* ad quem est inhabilis, sicut vniuersaliter in moralibus, nullus potest intendere finem efficaciter, quantumlibet in obiectum feratur ardenter, quando nequit prosequi finem, aut ad hoc est inhabilis; ergo similiter nemo potest efficaciter intendere contractum supposita scientia requisita ad naturam talis contractus, nisi ad contractum intendat, iuxta præscriptum legis inhærentis contractui quoad substantiam, quia nullus potest inire obligationem ex iustitia per proprium actum efficaciter, nisi seruatis iis, quæ ad naturam huius obligationis spectant.

His ergo suppositis de natura consensus requisiti ad contractum in genere, & spectata rei veritate, & non sola præsumptione, & vt confusio euitetur ex variis Doctorum in hac materia limitationibus, & modis dicendi desumptis ex libertate, & modis operandi voluntatis, inquantùm potest actum habere absolutum, aut dependentem à conditione adiecta, facilior erit resolutio in reliquis.

35 *Cōsensus verus non stat cum conditione impossibili.* Dico quartò consensum ad contractum requisitum non posse admittere conditionem impossibilem vtroque modo *suprà* expresso, siue sit impossibilis ex natura rei, siue sit impossibilis ex lege irritante, modò præsupponatur in *Limitatio.* contrahente scientia de impossibilitate condi- *Probatio.* tionis. Hæc conclusio patet primò ex dictis, quia consensus in contractum debet esse ex natura sua efficax, & inducens obligationem iustitiæ per translationem rei intentam hoc modo, & acquisitionem alterius, pro qua commutatur, & hoc per viam contractus: ergo nequit inuoluere aliquid ex natura sua repugnans intentioni efficaci, & requisitæ ad illam translationem, & consequenter nequit suspendi ad illam conditionem, quæ ex natura, aut lege repugnat translationi, supposita eius cognitione; alioquin, vel idem actus inuolueret contradictionem, aut essent simul in voluntate duo actus incompatibiles. Vtrumque horum perinde repugnat. Si ergo vult efficaciter contractum, & translationem per ipsum fieri, nequit respicere id, quod est repugnans substantiæ contractus, *Exemplum.* aut translationi intentæ: sicut qui vult dare mutuum, nequit velle efficaciter dare mutuum retenta re sibi, aut eius proprietate, quoad vsum, & dominium: quia hoc intrinsecè repugnat substantiæ huius contractus: ergo idem dicendum de omni contractu, in eo qui syncerè, & efficaciter intendit contractum, non posse eum inuoluere aliquid repugnans substantiæ eius, quod scit repugnare, vel ex natura rei, vel Iure.

Hinc sequitur veritas illius axiomatis, seu communis regulæ: *Conditio quæ est de facto, aut* 36 *Prima illatio.* *Iure impossibilis, vitiat dispositionem, aut habetur pro non adiecta*, &c. si enim tollit intentionem contrahendi, irritat contractum; si autem non tollit, habetur pro non adiecta; vtrumque verum est, si supponatur scientia cōditionis, quantùm est ex natura contractus legitimi, & consensus requisiti eum irritare, aut pro non adiecta haberi; habetur autem pro non adiecta, quando intentio fuit seriò contrahendi; quia tum licèt adiiciatur conditio, non comprehenditur sub intentione, neque illam respicit, sed impertinenter, aut ioco adiicitur. Quòd si cadat sub intentione, repugnat consensui, & trahit voluntatem ad dissensum, seu non consensum, spectata rei natura, & modo, quo voluntas fertur in contractum per conditionem irritantem vtroque modo. *l. Non solum, 31. ff. De action. & obligat.* *Quia*, inquit, *omnium ea cogitatio est, vt nihil agi existiment apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem*, &c. nempe cum qua non potest esse contractus, aut translatio, vel ex natura rei, si taliter sit conditio impossibilis, vel certè inuiolata lege, quæ contractum irritat, vt si professus Religionem, matrimonium, sciens impedimentum, contrahat.

Conditio impossibilis irritat, vel habetur pro non adiecta.

Tollit intētionem.

Sequitur secundò si illa conditio sit ignota, *Secunda illatio.* quà impossibilis est, posse stare consensum, seu intentionem requisitam ad contractum ex natura actus, & intentionis, quæ suspenditur ad conditionem, qua existimatur possibilis, licèt in re ipsa sit impossibilis: quia ad concipiendam intentionem sufficit vt finis existimetur possibilis, respectiuè ad conatum præsentem voluntatis, & operantis; eodem modo ad suspendendum consensum sufficit vt conditio existimetur possibilis, & tunc nascetur obligatio hinc inde in opinione contrahentium, suspensa ad conditionem oppositam: quæ obligatio oritur ex conscientia erronea, deposito autem errore desinit.

Conditio impossibilis existimata possibilis quid operetur?

Dico quintò, conditionem impossibilem ali- 37 quando haberi pro non adiecta, vel ipso Iure, vel præsumptione in re dubia: ipso Iure habetur pro non adiecta in testamentis, quantùm ad institutionem hæredis, fideicommissum, legatum,

Quandoque habetur pro non adiecta.

tum, & donationem factam in causa mortis, vt constat *l. 1. 4. 6. 8. & 9. de conditionibus institutionum, & §. Impossibilis, Institut. de hered. instituend.* Quod intelligendum est in vtroque foro; quia siue fuerit consensus testantis dependens ab illa conditione, siue non, dispositio tenet ex lege supplente defectum consensus: quia res externæ subsunt dispositioni legis directè, quando illa dispositio habet iustam causam: quia mortuo testatore, nemo est, qui posset voluntatem eius interpretari, & ne dispositio ab eo facta reddatur inutilis, ad euitandas lites, ius supplet defectum, vel in pœnam testatoris, vel etiam in fauorem: in pœnam quidem, si conditio sit turpis: in fauorem vt dispositio eius sortiatur effectum.

Lex supplet consensum.

38 Quòd si constet adiectam esse conditionem ex errore, vel quia putabatur possibilis, aut licita, aliqui dicunt non valere testamentum, sed reddi irritum. Sed oppositum videtur, quia lex non confirmat dispositionem ex interpretatione, aut præsumptione, sed ex absoluta potestate, quam habet in bona testata, & supplens defectum testatoris, cuius voluntati succedit ordinatio legis in defectu, & sicut extenditur ad conditionem impossibilem ex scientia adiectam, ita etiam ad ipsam, si in re est impossibilis, videtur extendi. Aliud dicendum esset, si solùm præsumptioni lex inniteretur. Priorem tamen sententiam docet Gomezius *de legatis num. 65. ex l. seruo manumisso 58. de condictione indebiti*, & plures alij, tunc dicendum est legem non extendi nisi ad casus, quos comprehendit, cùm alioquin in cæteris irritat contractum per talem conditionem adiectam: quia præsumit dissensum.

Quid si adijciatur ex errore? Valet testamentum non obstante conditione.

Sententia negans.

39 In contractu matrimonij conditio impossibilis, aut turpis habetur pro non adiecta: quia præsumitur in fauorem matrimonij. *cap. fin. de conditionibus appositis*, & contrahentes seriò egisse in re tanti momenti, & sancta. Hæc ordinatio ideò innititur soli præsumptioni, quia nequit Ecclesia dare potestatē mutuam huius contractus sine consensu contrahentium, requiritur autem vt constet vel ioco illam conditionem adiectam, vel sciant contrahentes illam conditionem esse impossibilem, & ex ordinatione legis pro non adiecta reputari, & nihilominùs contrahunt scientes à Iure eam haberi pro non adiecta: quia tum præsumitur eam ioco, & impertinenter adiectam; vel etiam in dubio præsumuntur etiam validè per debitum consensum contraxisse, ne viuant in adulterio, aut certè irrisoriè agant in re sancta, & graui. Cæterùm in foro externo illa præsumptio valet, in foro verò interno, si nullus fuit consensus, nihil fit.

In matrimonio conditio impossibilis, & turpis habetur pro non adiecta.

40 Dubium est si contrahentes sciant statutum Pontificis, & velint nihilominùs contrahere per consensum alligatum conditioni, an valeat matrimonium? Ratio difficultatis est; quia illud *cap. finale* innititur præsumptioni, quæ non variat factum, & falsa est quando veritas non subest, quæ præsumitur.

Dubium. De conditione illa cū scientia statuti.

Respondetur valere matrimonium in re ipsa, si contrahentes habuerunt animum seriò contrahendi, hoc est, ineundi contractum; nam Ecclesiæ statutum in eo capitulo tantùm efficit, vt contrahentes non possint alligare consensum tali conditioni, quam voluit pro non adiecta haberi; sicut potest instituere alias solemnitates huius contractus, sine quibus contractus non esset legitimus. Ita etiam instituere, vt conditiones aliquæ habeantur pro non adiectis, & impossibilitare personas ad eas trahendas in contractum. Itaque intentio syncera ineundi contractum, refertur ad substantiam eius, & non ad conditionem eo casu appositam, quam de Iure nō potuerunt intendere, aut substantialem facere contra statuti dispositionem; potest autem intentio concipi primariò ineundi contractum legitimum, & apponi ex voluntate contrahentium secundariò illa conditio: vt respicit primarium finem, intentio valet & consensus ex ea datus, & conditio illa sicut non specificat intentionem, ita etiam neque consensum, & habetur pro non adiecta. Quòd si intentio primò respiciat ipsam conditionem, & accessoriè tantùm, aut secundariò contractum, tunc deest animus seriò contrahendi, & matrimonium est nullum; & si constat etiam de tali intentione Ecclesiæ, non præsumit de valore matrimonij. Tunc enim conditio non est apposita, sed primariò intenta ex dissensu, & magis ipse contractus est appositus conditioni, quæ primariò, vt causa dissensus intenditur, vel certè vt signum non consensus veri in contractum, sed frustratorij.

Si seriò agūt, non obstat.

Intentio seria ad substantiā contractus fertur, non ad conditionem.

Duplex modus concipiēdi intentionē.

Dices, in omni casu, quo intenditur conditio impossibilis, frustrari veram interpretationem contrahendi, ac proinde contractum esse nullum. 41

Obiectio.

Respondetur distinguendo antecedens, quando finis per se intentus est vinculum, seu ipse contractus, negando antecedens; quia potest subsistere talis intentio in ordine ad materiam non impeditam: & quia voluntas primariò mouetur ex fine, contractus de facto subsistit, quamdiu ratio finis non immutatur, neque affectus voluntatis circa finem. Quòd si vlteriùs addatur conditio impossibilis, habetur pro non adiecta: quia adiectio eius non est principalis causa operandi ex parte voluntatis circa contractum, neque medium inducendi contractum, qui per se intenditur, & à cuius intentione non distrahitur voluntas: illa ergo adiectio conditionis consequenter se habet ad intentionem absolutam contrahendi, quæ non vitiat factum ex intentione priori, & non est consequens ex natura rei, aut ipsius intentionis primariæ: sed merè ex libertate & impertinenter, ac otiosè, quia nullum inducit effectum.

Soluitur.

Cur habeatur pro non adiecta.

Exemplum esse potest in ministro Sacramenti, qui ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia, validè ministrat Sacramentum, quamuis ipse adiiciat aliam intentionem particularem ex errore conceptam, quæ quidem est contra veritatem Sacramenti: tamen non repugnat priori intentioni, per quam primariò mouetur ad operandum. Et sicut potest stare scientia in vniuersali: v. g. omnem mulam esse sterilem cum ignorantia particulari, an hæc mula sit sterilis in eodem intellectu: ita etiam in voluntate eadem potest esse intentio vniuersalis ineundi contractum hîc & nunc, cum alia particulari, & minùs principali concomitante, quæ non derogat priori, quæ magis principalis est, seu primaria: v. g. si hæreticus velit seriò contrahere matrimonium, & ex errore, quo vellet repugnare statuto Ecclesiæ in contemptum, adiiceret 42

Exemplum.

Aliud exemplum.

conditio

conditionem impossibilem, matrimonium in vtroque foro teneret, tum quia talis conditionis adiectio non esset ex fine principali, quo vellet contractum absolutè, & necessarium consensum, & adiicit conditionem ex fine extraneo, nempe contemptus, & non ipsius contractus; tum quia ex statuto Ecclesiæ adiectio talis conditionis esset frustratoria, si alioquin intentio contractus seria reducitur in actum per consensum proportionatum.

Adiectio conditionis, quãdo irritat, & quomodo? Quòd si verò intentio primaria contractus pendeat, aut inhæreat conditioni per se, tunc nihil fit; quia adiectio conditionis impossibilis principaliter intenditur ad frustrandum contractum: & quamuis intelligatur per modum prosecutionis, vt tendit in conditionem; tamen vt reducitur in contractum per conditionem sic intentam, est dissensus, seu non consensus in ipsum contractum. Et in eo casu non habet intentionem per se perficiendi contractus diuersam, ab ea, quæ adiicit conditionem impossibilem & frustratoriam contractus, vt non teneat.

43 *Vterque modus adiectæ cõditionis probatur.* Hos autem diuersos modos intentionis, vt respicit tam contractum seriò ineundum, quàm frustratoriè, non solùm possibiles esse, sed etiam in praxi contingere, patet: quia præsumptio Iuris ciuilis fundatur in possibilitate rei, & prout in plurimùm, vel secundùm rectam rationem contingit præsumptio in fauorem matrimonij, adiecta tali conditione, fundatur in eo quòd animus seriò contrahendi inesse possit, quamuis conditio adiiciatur, spectata scilicet intentione, quam debent contrahentes habere, & quæ vt in plurimùm inest. *Præsumptio vtriusque Iuris aliter fundata.* Præsumptio etiam Iuris ciuilis quoad vltimas voluntates, fundatur in contractu fauorabili, & ideò statuit secundùm intentionem, quæ præsumitur, & debet inesse. In aliis autem contractibus præsumit, ex conditione adiecta de impossibili, non fuisse consensum firmum in contractum, aut serium: ergo sicut vtraque præsumptio recta ratione fundatur; ita etiam intentio, vno, aut altero modo concipi potest. *Inconueniens.* Vnde si conditio impossibilis, quocunque modo adiecta, tollit intentionem absolutam, & necessariam ad contractum, nulla ratione posset Ecclesia declarare has conditiones haberi vt non adiectas; quia nequit supplere consensum requisitum hoc modo, aut immutare naturam eius in ordine ad matrimonium, quod non subest directè eius voluntati. Talis enim est consensus in contractum, qualis præcessit intentio contrahentis; & talis est intentio, qualis est finis primariò intentus, qui inclinat voluntatem ad contractum ineundum.

44 *Obiectio ex natura contractus vt exprimitur.* Dices, intentio non facit ad contractum, si non exprimatur: v.g. Si quis mutuatur animo vsurario, & intuitu lucri, nisi trahat in contractum, seu pactum talem intentionem, non redditur per eam contractus vsurarius; ad contractum enim requiritur consensus respectiuè ad contrahentem, seu partem expressus, vt inducit obligationem ex contractu; sed intentio seria contrahendi non exprimitur respectiuè ad partem, nisi vt inhæret conditioni: ergo non inducit obligationem absolutam, sed talem quæ nata est induci per contractum conditionatum, spectata natura ipsius conditionis adiectæ. Minor probatur, quia contrahens sub hac forma, *Ego te accipio in meam, si cœlum digito tetigeris, aut si detrahas lunam*, non exprimit alium consensum respectiuè ad alteram personam, quàm consensum inhærentem conditioni: ergo neque alia obligatio sequitur, quàm illa, quæ nata est ex natura expressa consensus de præsenti sequi.

Respondetur negando subsumptum; quia consensus vt inhæret præsumptioni Iuris, intelligitur ille qui procedit ex intentione seria contrahendi, cùm statutum Ecclesiæ impossibiliter ad talem conditionem, in præsenti contractu; ex natura autem facti præsumitur etiam inlens talem contractum, intendere obligationem connaturalem contractui, ac proinde debitam intentionem, sine qua nequit oriri. Ad probationem patet: quia forma illa vt exprimit consensum, ita etiam exprimit eundem, vt supponitur inhærere debitæ intentioni, siue subsit, siue non. Deinde, non solùm seria intentio exprimitur per verba, sed etiam per signa, vt si taliter contrahens se gerat vt sponsus, si acceptet dotem, si cohabitet, & in reliquis se gerat vt sponsum, & tanquam agnoscentem ex tali contractu in ea forma se obligatum sponsæ. Requiritur ergo ad expressionem intẽtionis frustratoriæ, & malignæ, præter consensum in ea forma expressum, vt interueniant alia, quibus declaret se non seriò agere. Non ita verò requiritur talis declaratio, quando inest debita intentio. Exemplum, quod proponitur de vsurario, non perinde se habet: quia intentio eius maligna non facit ad contractum quà maligna est; nec exprimitur, quæ neque Iure, neque facto ex vi contractus supponitur, ideò extranea est contractui, nullúmque effectum respectiuè ad contractum parit. 45 *Soluitur. Præsumptio iuris & facti. Exprimitur debita intentio per signa. Responsio ad exemplum.*

Superest ex prædictis declarandum, quid contineat statutum Ecclesiæ *in cap. finali*, de conditionibus appositis: potior enim difficultas iam tacta est; quomodo possit inesse voluntati animus, seu intentio efficax contrahendi, & seria simul cum conditione adiecta de impossibili, quæ non vitiat contractum. Dixi autem hoc contingere vel per diuersos actus modo explicato, vel per eundem etiam actum, qui primaria intentione fertur in ipsum contractum; ex secundaria verò, & ex alio motiuo extrinseco contractui in conditionem; quo casu conditio adiecta non redundat in contractum; neque consequenter illud vitiat, sed in ordine ad eum habetur pro non adiecta. Quantùm autem ad prædictum statutum varias eius interpretationes adducit Sanchez *lib. 5. disput. 3.* Durandus *in 4. dist. 39.* reuocat in dubium quomodo Ecclesia potuerit præsumere pro matrimonio, cui adiicitur talis conditio, cùm potiùs fundamentum præsumptionis in oppositum inclinet. Et Iura in cæteris contractibus similibus præsumant nullitatem, aut defectum consensus requisiti. Basilius *in tract. de impedimentis, cap. 17. §. Secundò colligo.* dicit spectato Iure naturali ita interpretandam esse; sed ex statuto Ecclesiæ *in dicto cap. finali, de condit. appositi.* &c. aliter dicendum esse de matrimonio. Alij cum Adriano *in 4. de matrimon. q. 3. dub. 7.* intelligendum esse de conditione impossibili, existimata tamen possibili. Alij intelligunt de conditionibus resolutiuis, & non suspendentibus cõtractum: suspenditur contractus, quando contractus non habet effectum; resoluitur autem in conditionem, quando à principio habuit effectum 46 *Declaratur cap. fin. de cõditionibus appositis. Variæ interpretationes dicti capituli. Suspendere contractũ, & resoluere.*

ctum obligationis, sed ad euentum conditionis.

47 Alij, vt Sotus *dist.29.* intelligunt præsumptionem illius statuti fundari, quando ex aliis signis præsumitur adfuisse consensum, alioquin conditionem impossibilem adiectam annullare contractum.

Alij, vt Lopez *in 2.part.instruct. de matrimon. cap.43.* docent consensum præsumi in matrimonium ex appetentia naturæ, quæ in illud inclinat, & eo ipso, quòd intelligatur conditionis impossibilitatem non esse voluntatem eam adiicientis, vt ab altero obseruetur, aut acceptetur, cùm voluntas non sit impossibilium, supple intentio, ex Philosopho.

Alij cum Couarr. *in 4.decret.2.part.cap.3.* docent statutum intelligi debere de conditionibus, non quæ sunt natura impossibiles; sed de impossibili respectiuè ad contrahentem. Priori modo dicitur ex se absolutè impossibilis. Secundò licèt possibilis sit, tamen respectiuè ad contrahentem sit impossibilis, vt si contrahat cum paupere sub cõditione, si montem aureum in dotem præstet. Hos modos optimè explicat, & impugnat Sanchez loco præfato: declinant enim in extrema, vt vel locum declarationi Pontificis non concedant, vel ex alia parte doceant, hoc statutum supplere posse consensum, cùm non sit, sed potiùs dissensus, quando à tali conditione pendet per se voluntas contrahentium, vel denique, vt Couarruuias, non rectè distinguunt conditionem in impossibilem à natura, & impossibilem respectiuè, cùm hæc eundum effectum habeat in contrahentibus, vt hîc & nunc intendunt finem, qui debet esse in potestate ipsorum.

48 *Explicat Sãchez.* Tandem ipse Sanchez quibusdam fundamentis præsuppositis docet in dubio præsumendum esse pro matrimonio, & in fauorem eius. *Fundamenta interpretationis.* Primum fundamentum est, quòd conditio impossibilis existimata possibilis suspendat contractum, & illum annullat adueniente scientia de impossibilitate talis conditionis: quia consensus ab ea pendebat ex intentione contrahentium. Secundum fundamentum est, vt nota sit contrahentibus tam conditionem esse impossibilem, quàm etiam statutum Ecclesiæ, quo habetur pro non adiecta. Tertium fundamentum est, in dubio præsumendum esse in fauorem matrimonij, quia in dubio sententia pro matrimonio ferenda est. *cap. fin. de sent. & re iudicata,* &c. quia sic tutius est contrahentibus. Ex quibus colligit cùm fideles scientes conditionem esse impossibilem, & pro non adiecta haberi ab Ecclesia, & recipientes Sacramenta velint ea recipere prout conuenit, & secundùm intẽtionem Ecclesiæ, videantur velle inire contractum seriò, & purè, & sic Ecclesia præsumit, nisi aliter de intentione constet. *Fauor matrimonij.* In hoc ergo fauor matrimonij statuitur in illo decreto, quòd conditio talis habeatur pro non adiecta, neque vitiet contractum, qui alioquin naturæ conditionis impossibilis relictus esset nullus.

49 *Resolutio hæc supplenda est.* Sed hæc resolutio, licèt valeat ad præsumptionem, qua fundatur valor matrimonij in foro externo: tamen nihil aliud continet, quod à reliquis discrepet, quantùm ad forum conscientiæ, in quo si defuit consensus requisitus, Ecclesia nequit supplere, neque intendit supplere, sicut Ius positiuum humanum potest supplere consensum in contractu ciuili, & reiicere huiusmodi conditiones, tanquam impertinentes ex potestate directa, quam habet in testatorem, & res eius, & sic contra voluntatem eius fauere testamento; nequit autem Ecclesia sic fauere matrimonio contra voluntatem contrahentium, quinetiam neque in foro externo fauere potest, si constet de nullitate consensus, licèt in dubio præferatur matrimonium.

Inhærendo ergo dictis. Dico de Iure naturæ matrimonium esse purum, quoties fuit intentio seriò contrahendi, & conditionem impossibilem adiectam non posse haberi pro adiecta, neque contractum initum cum tali intentione eam respicere, vel ei inhærere; quia id repugnat ex natura ipsius actus, qui est efficax, ac perinde nequit inhærere alicui impossibili cum scientia impossibilitatis eius: omnis intentio efficax reducitur in suum finem per media possibilia tantùm. Quamuis ergo dissensus in contractum matrimonij possit inhærere conditioni impossibili; tamen consensus nequit inhærere, si est expressus, & efficax, qualis requiritur ad translationem dominij. Neque perinde in ordine ad consensum iudicandum est ex natura rei respectiuè ad conditionem possibilem, & respectiuè ad impossibilem; quia possibilis potest adiungi etiam consensui, cùm non repugnet intentioni veræ contrahendi, & adimpleri possit; non ita impossibilis, quæ ex natura sua destruit intentionem seriò agendi, quando non supponitur error, nempe quo iudicaretur impossibilis, vt possibilis. In eo ergo stante in actu seria intentione contrahendi, & consensu ei conformi, conditio impossibilis habetur pro non adiecta in ordine ad substantiam contractus, & nihil operatur; perinde ergo inter fideles, & infideles valet matrimonium si seriò contrahant, non obstante tali conditione, quia ex natura contractus sic initi habetur pro non adiecta. Et si sunt fideles, notitia huius statuti, licèt in iis augeat præsumptionem in fauorem matrimonij, qua præsumitur eos seriò contraxisse, tamen ipse contractus non innititur tali scientiæ, sed veritati rei, & intentionis, quæ excludit conditionem, & trahit secum effectum consensus absoluti perinde ac si non adiiceretur conditio. 50 *Resolutio ex dictis. Quoties est vera intentio cõtractus valet, non obstante conditione, etiam de Iure naturæ.*

Vnde sequitur illud capitulum finale esse declaratorium partim, partim etiam habere rationem statuti. 51 *Declaratio statuti.* Est declaratorium quatenus docet conditionem adiectam contra substantiam matrimonij annullare contractum. Vnde si dicatur, *Contraho tecum si generationem prolis euitas:* quia licèt contractus sit fauorabilis, nequit saluari cum conditione contra eius substantiam, & finem intrinsecum, qui est generatio, & educatio prolis. *Conditio repugnans substantia cõtractus.* Item, si dicitur, *Contraho tecum donec inueniam aliam pulchriorem, aut ditiorem,* &c. quia vinculum est insolubile, & nequit fieri solubile. Item, si dicatur, *Contraho tecum, si pro questu adulterandam te prabeas,* &c. quia hoc est contra fidem, quæ est bonum substantiale matrimonij.

In altera parte dicitur, quòd conditiones turpes, & impossibiles, quæ non sunt contra substantiam matrimonij, habeantur pro non adiectis in fauorem matrimonij. Hîc supponitur cum talibus conditionibus expressis posse stare consensum contrahendi verum, quia per tales non vitiatur: quia, vt dictum est, Pontifex nequit supplere talem consensum. Reiicitur autem præsumptio legis ciuilis in contrarium, inquantùm *Eliditur præsumptio legis ciuilis.*

quantùm annullat contractum, qui per conditionem impossibilem, aut turpem celebratur, exceptis casibus, in quibus ordinatur, tales conditiones pro non adiectis haberi in fauorem vltimæ voluntatis, vt statuitur, *C. de instit. & subst. ff. de condit. instit. & C. de his, quæ pœn. nomin. in test. ff. de legat.* 1. Turpia. *cap. finali, de pactis*, &c. *iuxta legitimas sanctiones, Pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de Iure, vel de facto nullam obligationem inducit*, &c. vbi glossa has leges citat.

52 In proposito contractu matrimonij statuitur pactum de turpi, aut impossibili conditione haberi debere pro non adiecta, in fauorem matrimonij, quando non est contra substantiam eius, non obstantibus aliis statutis, quæ talia pacta irritant; & eodem modo voluit tales conditiones pro non adiectis haberi, sicut habentur pro non adiectis in causa vltimæ voluntatis Iure ciuili, & relinquendum esse matrimonium suæ naturæ, vt subiacet intentioni contrahentium, quæ si est in contractum, valet Iure naturæ; si verò non inest intentio contrahendi seria, nihil fit, etiam Iure naturæ, ob defectum consensus. Rationes, quæ militant contra hanc resolutionem adducit Sanchez loco citato, & soluit; faciliùs autem soluuntur dicendo Iure naturæ intentionem seriam contrahendi euacuare conditionem, ita vt nequeat haberi pro adiecta, quoad substantiam contractus cum tali intentione perfecti; ius verò ciuile in pœnam contrahentium annullat contractum cum talibus conditionibus expressum, quantumlibet intentio seria contractus inerat, exceptis iis casibus, quos ipsum ius excipit. Pontifex etiam excipit matrimonium, quæ exceptio spectat ad matrimonium fidelium. Quoad infideles verò, qui non subsunt legibus positiuis, irritantibus contractum hoc modo, validè contrahunt, non obstante conditione, si adest consensus contrahendi: si verò conditio adiiciatur in fauorem dissensus, nihil fit.

53 *Eadem est ratio conditionis impossibilis pro quacumque duratione adiectæ.* Dico sextò conditionem impossibilem tam de futuro, quàm de præsenti, & præterito perinde haberi pro non adiecta, si aliàs consensus saluetur modo *suprà* expresso. Est contra Syluestr. & alios, quos citat Sanchez *disput.* 4. qui hanc conclusionem tenet. *Probatio.* Patet, quia Pontifex *in cap. finali, de conditionibus appositis*, &c. absolutè loquitur, non limitando conditionem ad vllam differentiam temporis: ergo sic debet intelligi, non solùm comprehendere conditionem de futuro, sed etiam de præsenti, & præterito, quod negat prior sententia.

Deinde, finis Pontificis, & fauor matrimonij, & natura contractus, vt subest intentioni, perinde respiciunt quamcunque impossibilem; & perinde etiam conditio impossibilis de præterito & præsenti suspendit actum, si ab ea pendet, & significat dissensum. Deinde, in testamento conditiones prædictæ habentur pro non adiectis. *l. Si Mauia. 45. ff. de hæred. instit.* Conditio, si filia testatoris viuet in casu, quo nunquam habuit filiam.

Obiectio. Dices. Conditio de præterito, aut præsenti non est propriè conditio: quia non suspendit actum.

Soluitur. Respondetur, Pontificem spectare impossibilitatem conditionis, quæ æquè reperitur in conditionibus de præterito, & præsenti, & prætendere valorem matrimonij, non obstante tali conditione adiecta, ne vitiet contractum, sicut perinde vitiat contractus alios, siue sit de futuro, siue de præterito, aut præsenti, ad quod respicit Pontifex in illo contractu, ideóque, vt dixi, in causa testamenti habentur pro non adiectis per exceptionem, quamuis in aliis contractibus irritent lege factum.

Dico septimò conditionem Iure impossibilem haberi pro non adiecta, vt si quis contrahat sic, *Duco te in matrimonium; si inter sanguineos possit esse in gradu prohibito*, &c. Supposito quòd contrahentes non sunt in gradu prohibito, talis conditio habetur pro non adiecta, quia impossibile est quod Iure fieri nequit. *l. Nepos Proculo, ff. de verbor. signif.* & reiicitur similiter talis conditio à testamento. *l. 1. ff. de cond. instit. l. continuus, ff. de verbor. obligat.* vide Sanchez *dub.* 3. 54 *Iure impossibilis habetur pro non adiecta.*
Idem dico de conditione, quæ facto impossibilis dicitur, vt si pauperi dicatur, *contraho tecum, si dederis montem auri*, &c. quia possibilitas, aut impossibilitas conditionis spectanda est secundùm facultatem contrahentium, & illa simpliciter est impossibilis, quæ per eos nullo modo impleri possit, aut per alios sperari possit implenda. *Conditio impossibilis respectiuè ad contrahentes.* Alij contrarium huius docent, ex eo quòd talis conditio non sit simpliciter de natura impossibilis. Verùm dicta resolutio tenenda videtur, quia non refert quòd conditio sit possibilis per alias causas, quæ non sunt in facultate contrahentis, practicè loquendo; cùm neque in re, neque in exspectatione fundata sit in potestate contrahentis: quia contractus celebratur per media possibilia operanti; vnde illa quæ possibilia non sunt ipsi, habentur simpliciter impossibilia respectu eius. Aliud dicendum est, si conditio sit probabilis in opinione contrahentis: v. g. si quis dicat, *Contraho tecum, si es virgo*, &c. quæ licèt corrupta sit, & conditio illa in re sit impossibilis pro statu præsenti: tamen induit naturam probabilis in opinione contrahentis, non secus ac conditio impossibilis apprehensa vt possibilis, inducit conditionem in æstimatione erronea. Quòd si verò sciat certò non esse virginem, tum conditio illa habetur pro non adiecta, & pro impossibili. Si ergo conditio sit impossibilis natura, aut facto, aut Iure, aut transcursu temporis, vt quando ad præteritum non datur potentia, vt in vltimo casu, si supponatur scientia impossibilitatis, dico haberi pro non adiecta, & consensum serium non vitiari ex vi conditionis.

Dico octauò. Conditio necessaria de futuro adiecta matrimonio, seu contractui, non suspendit contractum, sed de præsenti est validus: ita communis Doctorum, quos citat Sanchez *disput.* 2. Limita primò, si addatur per modum conditionis, veram esse conclusionem; nam si addatur vt determinatio temporis, pro quo intenditur obligationem consummari, sic manebit suspensa vsque ad præfatum tempus, quo conditio adimplenda sit. 55 *Conditio necessaria de futuro non suspendit. Prima limitatio.* Limita secundò, si sciatur à contrahentibus necessaria, oppositum erit, si putetur contingens. *Secunda limitatio.* Limitant tertiò aliqui, si conditio sit certa in causis naturalibus, & proximis; *Tertia limitatio.* quia fundamentum conclusionis est, quòd effectus necessarius in determinatione causarum sit etiam in se præsens moraliter, vt in causis spectatur. Cæterùm sufficit vt effectus sciatur esse necessarius in dispositione primæ

primæ causæ, & immutabilis, vt si dicatur, *Contraho tecum, si Antichristus erit*; quia per fidem hæc determinatio est certior, quàm quòd effectus sit in dispositione causarum proximarum.

Quarta limitatio. Limita etiam si effectus ita sit necessarius vt impediri naturaliter non posset, vel saltem ita reputatur à contrahentibus. Non refert etiam si conditio diem certum non habet, modò necessariò sit euentura.

56 *Conditio possibilis de futuro suspēdit.* Dico nonò. Conditio honesta, possibilis, & futuro adiecta contractui matrimoniali ipsum suspendit vsque ad euentum conditionis; qua posita purificatur contractus, vt *contraho tecum si pater tuus vult*, &c. Et idem est, si sit de præsenti & præterito: quia sic statim valet contractus, si conditio subsit; aut irritus est, si desit. Patet prima pars conclusionis *ex cap. Super eo.* & *cap. de illis, de conditionibus appositis*, &c. *Declaratio.* Intelligitur conclusio de conditione apposita ipsi contractui, quando inhæret consensus substantialis ipsi conditioni, quo casu non refert si conditio adiiciatur: v.g. dependens à consensu alterius, vt patris, vel si adhæreat pactio de dote, conuersione ad fidem, vel huiusmodi: quia spectanda est iuxta mentem, & consensum contrahentis, & prout exprimitur ipse consensus, vt adhærens tali conditioni. *Obligatio in spe tenet.* Ex tali autem consensu oritur obligatio in specie, à qua nequit resilire contrahens, & ad euentum conditionis pendet quantùm ad consummationem, ita vt alter altero inuito nequeat resilire.

57 *Dubium. An purificata conditione transeat contractus in absolutum.* Dubitatur, an adueniente conditione in effectu transeat prior consensus in absolutam, ita vt non sit necessarius consensus alius de nouo, qui sit absolutus & independens ab omni conditione? Qua in re duæ sunt sententiæ. *Affirmatiua sententia.* Prima est Canonistarum communis, quæ docet non requiri nouum consensum. Innocentius *c. 1. & cap. Super eo, de conditionibus appositis.* Hostiens. *cap. 1.* Ioan. Andr. *ibid. & cap. de illis eodem.* Abbas *cap. De illis.* & reliqui *in præfatos textus.* Nauarr. *in Summ. Latina cap. 22.* Paludanus *in 4. distinct. 29. quæst. 2. art. 5.* Petrus à Soto *lect. 3. de matrimon.* noster Manuel *tom. 1. Summæ, in 2. edit. cap. 219.* Sanchez *lib. 5. disp. 8. quæst. 1.*

Secunda sententia est communis Theologorum, quam tenet D. Thomas *in 4. distinct. 29. quæst. vnic. art. 3. quæstiunc. 3.* D. Bonauentura *dist. 28. quæst. 3.* Durand. *quæst. 2.* Richardus *art. 2. quæst. 2.* Maior. *dist. 27. quæst. 4.* Adrianus *art. 1. conclus. 3.* Nauarr. *lib. 4. cons. tract. de sponsalibus, cons. 14.* Couarr. *in 4. decret. 2. part. cap. 3.* & reliqui Theologi. *Sententia Theologorum.* Prima sententia fundatur in valore, & natura contractus conditionati, purificata conditione, qui transit in absolutum: ergo similiter in proposito, cùm in matrimonio seruetur natura contractus legitimi: ille autem contractus est de præsenti, licèt sub conditione adimplenda: ergo non est contractus sponsalitius, vt docet secunda sententia; quia ille est promissio de futuro, non contractus de matrimonio pro præsenti, & Ecclesia talem contractum sub conditione admittit: ergo, &c. Secunda sententia fundatur in ratione Sacramenti, quod perficitur, dum contractus per consensum conditionatum tunc non fit quando conditio purificatur, & quia ratio Sacramenti debet esse sensibilis in vsu, quando perficitur.

58 *Sentētia media.* Inter sententias mediari possit, dicendo illum consensum conditionatum de præsenti transire in contractum absolutum, & ratum, adimpleta conditione, prout rationes primæ sententiæ rectè probant; quia consensus conditionatus purificata conditione transit in absolutum. *Esse contractum ratum.* *l. Hac venditio 7. ff. de contrahen. empt. & l. potior. 11. ff. qui potior. in pig. hab.* & supponitur *in illis tractatibus citatis de condit. appositis.*

Non esse Sacramentum. Tamen dicendum est talem contractum non esse Sacramentum: quia ex regula generali de Sacramentis requiritur vt materia, & forma sit in actu, & non in habitu ad causandum effectum Sacramentalem, & per ministros applicentur. Ministri autem Sacramenti Matrimonij sunt ipsi contrahentes, & per consensum conditionatum non ponitur materia, & forma Sacramenti in effectu, quia requiritur consensus absolutus de præsenti verbis expressus, vt fiat Sacramentum, cuius effectus neque per arbitrium ministri, neque alterius, cuius est conditionem adimplere, suppleri potest.

59 *Responsio.* Dices materiam, & formam Sacramenti consistere in consensu, seu contractu nihil immutato; sed hic contractus est legitimus, & inducit vinculum indissolubile: ergo & Sacramentum.

Impugnatur. Contrà, ex Florentino requiruntur res, & verba, vel his æquiualentia: requiruntur ergo hæc vt actu applicentur, & sint ad effectum Sacramenti. Sed consensus conditionatus non est completus, & inducens vinculum consummatum matrimonij quando est; quando verò impletur conditio, quæ etiam dormientibus contrahentibus impleri potest, tunc non est: ergo nequit esse materia Sacramenti, aut forma, aut tum applicari per intentionem ministri: ergo neque esse Sacramentum, quod requirit contractum completum, & consummatum; vt inducatur vinculum, cuius intuitu datur gratia. Potest ergo vinculum matrimonij induci absque eo, quòd Sacramentum, quod concomitanter se habet, conferatur; quia præter rationem legitimam contractus, requiritur vt sit completus, & absolutus de præsenti ex vi consensus, verbis expressi, vt sit Sacramentum.

Dices sequi etiam matrimonium factum per procuratores, aut literas, non esse Sacramentum, quia consensus præteritus absentis tunc non est.

60 *Soluitur.* Respondetur plures admittere: sed negatur consequētia, & paritas, quia non est præteritus, qui virtute manet in suo effectu; manet autem consensus domini expressus in mandato, & in literis, quæ æquiualent verbis de præsenti, non ita consensus conditionatus, qui neque completus est, sicut prior, neque manet in vllo suo effectu sensibili, qui ei æquiualeat, quando conditio purificatur: ergo magna est disparitas. *Disparitas inter contractum conditionatum, & absolutum per literas, aut procuratorem.*

Responsio. Dices, consensum conditionatum alligari conditioni, & tunc esse quando conditio impletur, sicut voluntas domini sic alligatur mandato, vt fiat Sacramentum virtute eius. Constituunt enim contrahentes consensum suum in arbitrio parentum: v. g. quando contrahunt cum ea conditione, si parentibus non displiceat, aut placeat.

61 *Impugnatur.* Contrà. In eius virtute perficitur Sacramentum, in cuius virtute perficitur contractus; sed contractus perficitur ex vi consensus conditionati præsentis, per contrahentes habiti, qui licèt pendeat

Conditio non est causa contractus. pendeat à conditione; tamen conditio ipsa tantùm est conditio, & non causa contractus, aut inducens obligationem, & vinculum, licèt consensus conditionatus non inducat vinculum completum donec ponatur conditio. Item, ipsi contrahentes ministri sunt Sacramenti, non verò causa, quæ ponit conditionem: non ita est alligatus consensus domini mandato, & consensui præsentis procuratoris, qui nomine illius exhibetur; sed alligatur tanquam causa suo effectui, & signo sensibili, per quod exprimitur; quamuis ergo conditio sit in arbitrio alterius, non tamen consensus de præsenti conditionatus est in arbitrio eius; sed tantùm est in potestate eius impedire subtracta conditione, ne ille consensus transeat in absolutum, neque induit personam contrahentis, sicut procurator personam mandantis: vnde potest quis vel per se, vel per alium suo nomine contrahere vinculum, & ministrare Sacramentum, vt *suprà d.26.* præmissum est.

62 *Quid conditio illa operetur?* Petes quid operetur conditio posita in arbitrio alterius: v.g. Si Pontifex dispensauerit in gradu consanguinitatis. Accipio te in meam, vel si patri placuerit.

Responsio. Respondetur primò, esse validum contractum, & non solius promissionis virtute, vt dicit Henriquez *lib.12. de matrim. cap. 13.* Alij verò dicunt, neque ratione promissionis valere, quia talis conditio pro impossibili, & non adiecta habetur, & promissio recedendi à Iure communi est nulla. Cæterùm responsionem datam tenet Nauarr. *lib.4. consil. cons.1.* Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 3.* Tabiena & Armilla *vers. sponsalia.* Adrian. *in 4. de matrimon. quæst. 3. dub. 10.* Sanch. *lib. 5. disput. 5. quæst. 1. & 2.* quia contractus ille non est inter impeditos, quà impediti sunt, sed qua conditione impleta tollitur impedimentum, & fiunt habiles: potest ergo suspendi vsque ad conditionis implendæ tempus, per quam transit in absolutum, & tollitur impedimentum.

Difficile pro impossibili iure reputatur. Aduertendum tamen illam conditionem haberi pro impossibili, quando non solet Pontifex in tali impedimento dispensare, vt quando est tale, vt non fiat dispensatio, nisi ob grauissimas causas, quæ non semper contingunt, vt quòd existens in sacris Ordinibus dispensetur ad matrimonium: hoc enim rarissimum est, & non fit sine graui causa. Ideóque si illa causa non subsit, neque spes fundatur obtinendæ dispensationis, reddit conditionem impossibilem in effectu, & moraliter, & consequenter contractum omnino nullum.

63 *Limitatio.* Conclusio itaque intelligatur quando dispensatio de facili conceditur, & subest legitima causa, & spes eius obtinendæ; quia sicut institutio spurij, si Princeps eum legitimauerit est valida, ita etiam alij contractus pendentes à voluntate Principis, vt venditio maioratus, si placeat Principi, votum Episcopi ad ingressum Religionis, si Pontifex dispensauerit. Et patet ratione præmissa, quia ipse contractus inuoluit conditionem, quæ in existentia posita tollit impedimentum, & contractus ipse intelligitur sicut inuoluit conditionem, ita tantùm inducere obligationem ex intentione contrahentium, pro tempore conditionis impletæ, sic autem nihil repugnat: ergo, &c.

Hoc ergo supposito, difficultas est, quando ita dependet à consensu alterius, vt conditione, quis eius consensus intelligi debeat, an primò rogatus, si sit dissentiens ipso facto soluatur contractus, & conditio censetur non impleta, quantumlibet post primum dissensum posteà consentiat. Communiùs tenetur conditionem respicere primum eius arbitrium expressum per dissensum, aut consensum, vt vel transeat in absolutum, vel certè fiat nullus contractus. *Quando censetur conditio data, vel frustrata?* *Sententia communis.*

64 *Responsio.* Respondetur tamen hoc decidendum esse secundùm naturam intentionis, & contractus ex vna parte, & circumstantias præuisas, quia non temerariè, sed humano modo admiscenda est conditio in hoc contractu, & quæ aliquid momenti habet respectiuè ad bonum contractus, vel contrahentium, vel aliorum. Vnde si præuisa difficultate, aut præsumpta, obtinendi consensus, v. g. parentum, celebratur contractus seriò, & vt debet, tunc comprehenditur etiam mora necessaria, & applicatio sufficiens, & matura mediorum requisitornm ad solicitandum consensum, quia ex intentione contrahentium in his circumstantiis alligatur consensus ad conditionem difficilem, licèt possibilem, ac proinde inuoluitur mora congrua superandæ difficultatis: sicut v. g. si consanguinei contrahunt sub conditione obtinendæ dispensationis, intendunt moram, & petitionem, & expensas necessarias, quibus redditur talis conditio, & nō aliter possibilis: & deinde debet constare sponsis de mediis applicatis, & subtracta, aut impleta conditione antequàm resilire posse censeantur, vel certè si negligentia, & contemptus mediorum interuenit, tunc censendi sunt renuntiasse conditioni, vel consensisse in irritationem contractus, vel certè in ratificationē, vt si animo maritali commisceantur, antequàm conditionem impletam, aut non impletum sciuerint, tūc censentur contraxisse de nouo per consensum absolutum, & renuntiasse conditioni priori. *Mora datur præuisæ difficultati superanda.*

65 *Casus de contractu cum duabus.* Addunt prætereà Doctores casum, in quo quis contrahat cum duabus sub conditione dotis, an impleta conditione vtraque simul, aut successiuè, valet contractus ille, si conditio simul, aut successiuè impleatur?

Resoluitur. Respondetur, si contractus simul fiat, & conditio simul adimpletur, fieri nullum, quia incertum matrimonium pro nullo habetur. *cap. Ex literis 2. de sponsalibus*, &c. *& ex regula vbi repugnantia. ff. de reg. Iuris.* vbi repugnantia inter se in testamento inuenirentur, neutrum ratum est. Ita etiam in propositò perinde se haberet contrahens, ac si simul cum consensu absoluto contraheret cum duabus. Quòd si simul contraxit cum duabus sub tali conditione, valet contractus cùm ea, quæ priùs impleuit conditionem, nisi adiecta fuerit determinatio temporis, ad quod tam contractus, quàm conditionis adimpletio determinatur: si enim tum ab vtraque simul conditio ponatur, perinde censendum est, sicut in priori casu, quia anticipatio conditionis non iuuat ante tempus adiectum, ad quod pendet contractus, & pactum conditionis.

De contrahente cum duabus successiuè. Quòd si successiuè ineatur talis contractus, semper valet prior, nisi reuocetur consensus, aut subtrahatur conditio, quia contractus cū secunda non valet, nisi priùs reuocetur prior initus. Aliqui tamen probabiliter docent secundū contractum valere, quia ipso facto reuocatur prior.

Dico

66 Dico decimò, cōditionem turpem haberi pro non adiecta *ex cap. fin. de conditionibus appositis*, quia inuitat ad peccatum. Tales sunt, si virgo inueniaris, explorando virginitatem per tactum illicitum, scilicet, si in primo coitu placueris, si tui copiam feceris ante contractum, &c. De conditionibus contra substantiam matrimonij dicemus *in sequenti distinct.*

Conditio turpis habetur pro non adiecta.

67 *Ad primum argumentum*, &c. Hæc responsio est communis, & patet ex ipso textu Iacob consensisse in Liam. Ad secundum respondet ex doctrina Augustini *lib.6.de ciuit.c.37.* Theodoretus *quæst.79.in Genes.* & sic supponitur hoc modo benedictionem initio non fuisse firmam, sed post ecstasim confirmatam, tanquam à Deo ratam. Alij docent mentem Isaac fuisse benedicere filium præsentem, quicumque fuisset. Ad reliqua patet ex litera.

QVÆSTIO II.

Vtrùm inter Mariam, & Ioseph fuerit verum matrimonium?

D.Thom.*3.part.q.29.art.2.& hic q.1.art.4.* D.Bonauent.*art.1.quæst.2.* Richard.*art.2.quæst.2.* Durand. *quæst.2.* Sanchez *lib.2.de matrim.disp.28.* Suarez *3.part.tom.2.disp.7.sect.1.*

SECVNDÒ [a] quæro, Vtrùm inter Mariam, & Ioseph fuerit matrimonium verum? Quòd non. 17.*quæst.*1. *Sunt quædam. Vouentibus non solùm nubere, sed velle nubere, damnabile est.* 1 *Argum.1.*

Præterea, *Numer.vlt.* habetur quòd mulieres debebant nubere viris suæ tribus: ergo Maria secundùm legem non potuit nubere, nisi viro de tribu sua; sed Ioseph erat de tribu Iuda, sicut habetur *Luc.2.Eo quòd esset de tribu, & de domo Dauid:* Maria autem erat de tribu Leui, quia cognata Elisabeth, *Luc.1.* *Argum.2.*

Præterea, Contrahens matrimonium in aliquid aliud consentit, quàm in cohabitationem: quia sic frater, & soror possunt consentire: ergo in carnalem copulam, quia nihil aliud videtur addere matrimonium super cohabitationem; sed in illam non poterat consentire, quia vouerat virginitatem. *Argum.3.*

Contrà Magister in litera, & accipitur ex Euangelio Matth. 1. *Cùm esset desponsata*, &c.

COMMENTARIVS.

a *Secundò quæro, &c.* Hac quæstione agit de matrimonio Virginis & Ioseph, vt inde colligatur vinculum coniugale rectè sine copula haberi posse, & cum intentione non consummandi matrimonij.

SCHOLIVM.

Inter Mariam & Ioseph fuisse verum matrimonium, ex Luc. 1. & 2. & authoritatibus, quas hic habet Magist. Ita D. Thom.3.p.q.29.art.1. August.23.contra Faust.8. Ambros.de instit. virgin.c.6.& in Luc.1.Basil.homil.25.de humana Christi gener. Bernard.hom.2.in Missus est. *Suarez tom.2.in 3.p.disp.7.sect.1.ait omnes Theologos docere hoc esse de fide. Sed noster Medin.5.de sacr.hom.cont.c.64.dicit oppositum probabiliter defendi. & Canisius in Mariali, lib.1.cap.5. ait esse arbitrariam quæstionem, quibuscum sentit Sanchius lib.2.de matrim. disput.28.*

HIc [b] sunt duo videnda: primò, quia ita est; secundò, quomodo? Primum patet ex auctoritatibus Magistri, quas ponit in litera, & ratione congrua ad hoc: quia vel erat præceptum vniuersale omnibus, qui erant in lege illa, de contrahendo matrimonium; quod videtur, quia pro benedictione erat fœcunditas, & pro maledictione sterilitas (patet ex multis locis Scripturæ) vel non fuit præceptum generale, quod patet ex hoc, quòd Ieremias & Ioannes Baptista remanserunt virgines: tunc beatæ Virgini fuit datum speciale mandatum de contrahendo cum Ioseph. 2 *Ierem. 2.*

Et [c] ad hoc possunt esse rationes congruæ, quæ accipiuntur ab Ambrosio super *Luc.1.* vt scilicet esset testis virginitatis Mariæ. Secundò, vt etiam ipsa non haberet occasionem mentiendi de virginitate sua: quia secundùm Ambrosium occasionem mentiendi indesponsata habuisset, desponsata non habuisset; vt sic tam testimonio, quàm ex præsumptione magis crederetur sibi de virginitate, & de mirabili conceptione filij sui. Congruum etiam fuit vt sibi de virginitate crederetur, ne notaretur infamis: quia non putauit Christus ortus sui fidem matris iniuriis astruendam: sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: ideò maluit Dominus aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare.

Vide D.Th. & Richard. & Bonau. & alios antiquos hic. *Congruentiæ pro cōiugio vero B.Virginis.*

Alia ratio, vt esset in obsequium Virgini, & puero siue in Ægyptum eunti, siue redeunti: quam rationem tangit Origenes, super illud Matth. 1. *Cùm esset desponsata.* Alia ratio assignatur ab Ambrosio, vt diabolus falleretur.

3 *Vide suprà dist. 10. q. 8. sol. 3. arg.* Sed hæc ratio videtur parui valoris. Quomodo enim non posset diabolus videre virginitatem matris, si habuisset virum, sicut si non habuisset? Debet ergo intelligi, quòd non potuit hoc videre, quia non fuit permissus, licèt naturali potentia intellectûs sui potuerit hoc videre: nec tunc ista ratio videtur magni momenti, quia æquè fuisset prohibitus, si non habuisset virum.

Aliæ rationes: quia Christus noluit incipere ab iniuria legis, ne daret occasionem Iudæis, & Herodi persequendi ipsum, cùm partus innuptæ lege damnetur: ne etiam virginibus sinistra opinione viuentibus daretur velamen excusationis, quòd ipsa quoque mater Domini infamata videtur. Istæ videntur bonæ congruentiæ ad propositum.

COMMENTARIVS.

1 *Diuisio quæstionis.* b HIc sunt duo videnda, &c. Diuisa quæstione in duos articulos; quorum primus docet matrimonium intercessisse inter Virginem & Ioseph. Secundus verò de modo, quo intercessit. Matrimonium intercessisse inter Virginem & Iosephum docent communiter Theologi, exceptis illis, qui ad calcem Scholij præcedentis citantur, quorum sententiam aliqui notant vt temerariam; alij vt erroneam, si referatur ad rationem illam, quà putat Gratianus non posse celebrari matrimonium, nisi sequatur copula. *Copula non spectat ad essentiam matrimonij.* Quæ ratio aduersatur dictis *suprà dist. 26.* de institutione matrimonij in paradiso inter primos parentes, inter quos fuit matrimonium verum & ratum, antequàm fuit consummatum: & patet *cap. vnico, de voto, & voti redemptione in 6.* Item, Florentinum in Decreto vnionis dicit causam efficientem vinculi esse consensum vtriusque verbis expressum. Et passim in Iure distinguitur matrimonium ratum à sponsalibus, & matrimonio consummato. *Potest esse inter steriles matrimoniū.* Patet etiam ex Trident. *sess. 24. can. 6.* Ratio autem Medinæ, qua putat matrimonium sine spe prolis non posse contrahi, videtur damnata primùm in VViclefo, qui id docuit, per Concilium Constantiense ratificans, & confirmans sententias in eum latas in Anglia, Bohemia, & in Concilio Romano, in quibus comprehenditur dictus articulus, & alij, qui non exprimuntur in Constantiensi.

2 *Fuit verum inter Virginē & Ioseph.* Matrimonium verum inter Virginem & Iosephum fuisse docet Augustin. *lib. 23. contra Faustum, c. 8. & lib. 1. de nupt. & concupiscentia, cap. 11.* quem sequitur Magister in præsenti distinctione, & cæteri Scholastici. Hanc veritatem Doctor breuiter, & fundatè in præsenti quæstione disserit. Primò ergo statuit probationem ex authoritatibus Patrum, quas adducit Magister in litera, potissimùm Augustini. Mox supponit quoddam dubitabile, *An in antiqua lege matrimoniū cœlibatui prælatum?* An scilicet necessitate præcepti generalis de contrahendo matrimonio in lege veteri omnes subdebantur, ita vt matrimonium præferretur cœlibatui, aut virginitati, aut an contrarium erat verum, in quod ipse inclinat, *Negatur.* nempe tale præceptum non fuisse generale, vt patet exemplo Ieremiæ, & Ioannis Baptistæ. *Exēplis confirmatur.* Hanc rationem adducit Hieronym. *lib. 1. contra Iouinianum*, addens Eliam, & Elisæum, Ioannem Euangelistam, Danielem, tres pueros, Ananiam, Azariam, & Abdenago, ex traditione Hebræorum, & omnes Apostolos reliquisse vxores, quotquot eorum erant coniugati, vt patet *Matth. 19.* Ignatius quoque Martyr *in epist. ad Philadelphios* addit Iesum Naue, Melchisedech, & Ieremiam. Damascenus *lib. 4. fidei Orthodoxæ, cap. 24.* Ambros. *lib. 1. de Virgin.* idem testatur de Helia. Epiphan. *contra hæres. hæres. 30.* asserit virginitatem in pretio fuisse apud Hebræos, adducens exemplum Iacobi fratris Domini, quem virginem dicit fuisse, & pro tali æstimatum. videantur Baronius *in apparatu*, & sub anno 64. in iis quæ scribit de Essenis ex Plinio, Iosepho, Solino.

Cætera autem, quæ videntur sonare benedictionem fœcunditatis, & maledictionem, aut pœnam sterilitatis, intelligi debent quoad eos, 3 *Explicatur Scriptura.* qui in thoro erant steriles, quia id ignominiæ, & pœnæ, seu peccato adscribebatur. Vnde *Genes. 30.* Rachel cùm peperit filium Ioseph: *Abstulit Deus*, inquit, *opprobrium meum.* Oseæ 9. *Da illis vuluam sine filijs, & vbera arentia.* Deus autem, *Deuter. 7.* obseruantibus legem promittit fœcunditatem in prole, & cæteris fructibus, neque maledictio illa potuit ad virginitatem extendi, aut interpretari, cùm ex prophetia Esaiæ: *Ecce Virgo concipiet & pariet*, &c. Sciebatur communiter Messiam promissum esse nascendum ex Virgine, & alioquin de cœlibatu Iudith præclarum testimonium habetur in Scriptura.

Quidquid in prædicta quæstione de benedictione fœcunditatis, aut maledictionis sterilitatis dicetur, asserit Doctor Beatæ Virgini datum esse mandatum speciale, quo nuberet Iosepho *infrà §. sequenti*, ex congruentia asserit factum.

4 *Congruentiæ huius matrimonij ex Patribus.* c *Et ad hoc possunt esse rationes congruæ*, &c. Adducit congruentias ex Patribus, quibus constare possit veritas matrimonij. Supponunt enim Patres matrimonium fuisse, & rationem eius initi, prosequuntur non solùm Ambrosius, & Origenes: sed & Basilius *de humana Christi generatione.* Hieron. in illud Matth. *Cùm desponsata esset*, &c. Chrysost. homil. 4. in Matthæum, c. 1. *Priusquàm conuenirent*, &c. Bernardus *serm. 2. de laudibus Virginis.* super *Missus est*, &c. Rupertus *lib. 11. de victoria verbi Dei, cap. 19.* illam rationem, quam assignat Ambrosius, nempe vt partus eius celaretur Diabolo, assumpsit tam ipse, quàm Hieronymus, quàm Origenes, Chrysostomus, Damascenus *lib. 4. de fid. c. 15.* Bernardus, ex Ignatio Martyre, quem pro ea citat Hieron. *loco citato*, & Origenes *hom. 6. in Lucam.* Hanc rationem difficilem esse dicit Doctor, aut non conuincere, *Ratio dubia.* quia si dimitteretur diabolus virtuti naturali, posset discernere ex natura rei virginem à corrupta: quòd ergo non vidit, ideò fuit, quia ipsi non licuit. Aliqui sustinent ex natura rei

tei non potuisse Dæmonem discernere hâc differentiam, ex opinione Medicorum, qui virginitatem negant cōsistere in aliquo positiuo. Alij esse veram ex medio extrinseco, quia Dæmon non potuit suspicari Virginem admisisse fornicationem, qui eius sanctitatem cognoscebat, per matrimonium autem fuisse elusum, ne curiosus indagaret. Contrà tamen est, quia etiam post partum, & in partu permansit virgo, & potuit ita discerni, si ei permitteretur.

5 *Explicatur.* Iuxta communiorem sententiam dici potest hoc medium fuisse cōmodum, supposita tamen prouidentia primaria, qua Deus voluit partum eius, & integritatem esse occultam, quia etiam per matrimonium exclusa esset suspicandi materia, quæ esset obuia, si Virgo innupta conciperet. Hoc autem non improbat Doctor: nam relictus Angelus suæ cognitioni naturali, cùm reseruaretur ei cognitio per causas proximas, & determinatas ipsi occultas, procederet per principia communia, & inclinaret se in conclusionem magis conformem, nempe ex fornicatione concepisse, quia illa naturaliter sequitur, vnde notam intentare posset, quam Doctor in vltima congruentia affert: supposita ergo occultatione, & matrimonio, vt medio idoneo ad illusionem Dæmonis, nō posset Dæmon intentare calumniam ex lege; imò inclinaretur ad suspicandum partum esse via naturali conceptum: & hoc tantùm intendunt Patres, ex quibus supponitur, matrimonium fuisse verum, & ratum, cùm illud vt medium respectu prædictorum, & aliarum congruentiarum, quas sub finem assignat Doctor, fuerit ex sententia Patrum ordinatum. Non enim loquuntur de alio matrimonio, quàm de eo, quod in lege fuit ordinatum in ratione contractus, vt differt à sponsalibus, & matrimonio consummato: quia sponsalitia non erant idoneum medium ad hunc finem, cùm perinde etiam sponsa in domo patris manens antequàm matrimonium fieret, eidem pœnæ subiaceret ex lege *Deuteronom.* 22. Dæmon autem grauidam, & parturientem videre potuit, & ex alia parte matrimonium non fuisse contractum, sed solam promissionem de futuro, seu sponsalitia, quibus suppositis non tolleretur calumniæ intentandæ fundamentum. Neque sponsa in domum sponsi transibat ante matrimonium contractum, vt testis est Philo *de legibus special.* neque transire de lege in potestatem eius potuit, cùm nullum ius ex solis sponsalibus in eam acquirere posset, sine matrimonio, nisi tantùm ex promissione futuri matrimonij, ex qua non redundat translatio sponsæ in ius sponsi, aut contrà, vt patet ex hactenus dictis.

Integritas Virginis fuit occulta diabolo.

Matrimoniū ad hoc etiam ordinatum fuit.

Pœna legis.

Ritus Iudæorum.

6 *Sponsalia inferunt de iure matrimonium.* Deinde, sponsalia ipsa inferunt de Iure matrimonium, cùm sint promissio futuri matrimonij, cui ex lege naturali seclusis impedimentis, & manentibus sponsalibus firmis, succedit obligatio matrimonij incundi: ergo sponsalia firma, & ex lege rata, inter Virginem, & Iosephum non potuerunt stabiliri, nisi secuto matrimonio; promissio enim illa erat adimplenda: nisi dicas fictè, & apparenter tantùm esse inita: sed huic euasioni repugnant ea, quæ dicta sunt quæstione præcedenti, quia promissio exterior necessariò supponit interiorem consensum, ne sit mendax.

Promissio adimplenda est.

Responsio. Dices, supposito voto castitatis, seu proposito hinc inde manifestato inter partes, saltem, Deo dispensante, potuisse interuenire promissionem externam, sine consensu interno.

Contra: Hoc nemo dicit, aut dicere potest, quia promissio externa significat consensum internum, qui si non insit, promittens contra mentem promittit, & consequenter mentitur. In mendacio autem Deus dispensare nequit. Deinde, Scriptura, vt videbimus, saluari nequit, sine sponsalibus saltem; sponsalia autem sine matrimonio absque peccato, si sunt, non soluuntur. Inter Virginem autem & Iosephum nunquam soluta sunt: ergo de necessitate præcepti naturalis adimplendæ promissionis inferunt matrimonium.

Impugnatur. Promissio significat consensum.

Tertiò patet eadem veritas ex Scripturis, Matth. 1. *Cùm esset desponsata Maria mater Iesu Ioseph*, &c. Luc. 1. *Desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*, &c. cap. 2. *Ascendit Ioseph in Bethleem cum Maria desponsata sibi vxore*, &c. *Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, &c. quæ verba propriè intelligenda sunt: sicut & alia similia. Neque simulatio, aut apparentia exemplo Scripturarū, aut traditione fundatur, quasi diceretur Ioseph maritus Virginis putatiuus; neque alioquin ad sacrificium, & cætera, quæ in lege præscribebantur, admitterentur, nisi constaret in facie Ecclesiæ veteris illos fuisse verè coniugatos. Nam vt refert Philo in solemni amicorum conuentu, mariti vxorésque nomina scribebantur in tabulis. Fuerunt etiam apud Hebræos Annales huius argumenti de genere, & familiarum antiquitate, quos incendit Herodes, ne ignobilitatem sui generis ei obiicerent alij, quam ex tabulis proferre non posset. Facit ad idem congruentia, quam adducit Doctor, quia Christus, qui non venit soluere legem, sed adimplere, ab iniuria legis incipere noluit: voluit ergo ex Virgine nasci, sed nupta, vt lex, & institutio seruaretur. 7

Fuisse coniugatos.

Scribebantur nomina coniugum in tabulis.

Annales cōbussit Herodes.

Deinde, ex hac ratione Euangelistæ deducunt genealogiam Christi ad Ioseph: quia Scriptura genealogias non texit sponsarum, quæ in eadem familia, ne hæreditates commiscerentur, nubebant. 8 *Genealogia Christi.*

Tandem, vt probabitur inferiùs, status virginitatis, & matrimonij non repugnant, & magis conforme est legi, vt Beata Virgo vtrumque teneret, sicut etiam cætera opera legis adimpleuit, vt purificationis, & oblationis secundùm legem, &c. ergo, &c. *Matrimoniū non repugnat virginitati.*

Sed obiicies plures Patres negare hoc matrimonium, vel supponere Virginem non fuisse nuptam, sed sponsam. Epiphan. hæres. 78. *Desponsata*, inquit, *Maria, & non nupta*, &c. Gregorius homil. 26. in Euangelia, *Habere*, inquit, *Mariam, sponsam voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit*, &c. Nyssenus in orat. in die Natalis Christi, dicit ex traditione, Mariam coniunctam Ioseph ex consilio Sacerdotum. *Quæ coniunctio*, inquit, *sponsalia non est egressa*, &c. Hieronymus in cap. 1. Matthæi, in illud: *Virum Mariæ*, &c. *cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum*, &c. *sponsi viri, sponsæ vxores vocantur*, &c. Bernard. homil. 2. de laudibus Virginis: *Virum*, inquit, *nominat, non quia maritus*, &c. *meritò appellatur* (supple vir eius) *quod necessariò putatur*, &c. sic Chrysostomus homil. in Matthæum, dicit Euangelistam nomine *coniugis* intendisse sponsam.

9 *Obiectio ex Patribus.* Epiphan. Gregor. Nyssenus. Hieron. Bernard.

10 *Respondetur.* Respondetur aliquos Patres loqui de Virgine iam desponsata, vt supponit Lucas, *cap.* 1. & tum fortè non fuit initum matrimonium de præsenti. Sic loquitur Origenes *hom.* 1. *in diuers.* super illud: *Inuenta est in vtero habens*, &c. vbi de Iosepho sic ait: *Qui penè licentia maritali, licèt eam non contingeret, futuræ tamen, vt putabatur, vxoris omnia nouerat*, &c. Vbi supponit matrimonium futurũ. Ad hoc facit quòd Beatissima Virgo in domo paterna conceperit Filium Dei post sponsalia inita; solebant enim post sponsalia ex Philone remitti virgines, quæ erant in templo educatæ, in domum paternam, dum nuptiæ parabantur, & hoc supponit lex *Deuteronomij c.* 22. Vt patet ex pœna constitutæ sponsæ in domo paterna, quæ fornicata esset ante nuptias. Nyssenus etiam citatus asserit dimissam esse Virginem ex templo post sponsalia cum Ioseph in domum paternam, donec nuptiæ pararentur: quamuis hoc sit controuersum. vide Vasquez *in* 3. *p. disput.* 125. *c.* 8. Suarez *in* 3. *part. tom.* 2. *disput.* 7. *sect.* 2. sic ergo intelligi possunt aliqui Patres. Sed alij, qui negant Virginem fuisse nuptam, aut fuisse vxorem, intelligendi sunt iuxta consuetudinem Scripturæ loqui de nuptiis, & matrimonio; secundùm communem legem, quæ etiam per copulam carnalem consummabantur, non verò de rato matrimonio, ad quod talis commixtio non sequitur: intendunt autem hoc matrimonium, cuius vsus non fuit in Virgine, quæ semper Virgo permansit, potiùs nomine sponsalium venire, quàm matrimonij, quod regulariter intelligebatur in illo populo de consummato. Et hoc modo loquendi excludunt nuptias, & matrimonium, astruúntque solùm sponsalia interuenisse, vt excluderent calumniam hæreticorum contra Virginis integritatem, & astruant conceptionem Filij Dei in vtero per obumbrationem Spiritus sancti, & non opere naturali.

Cõcepisse ante matrimoniũ post sponsalia.

Explicantur alij Patres.

SCHOLIVM.

Reiecto modo dicendi aliorum, dicit primò B. Virginem emisisse votum virginitatis absolutè, ex Luc. 1. *habetur cap.* Sufficiat, *&c.* B. Maria, 27. *quæst.* 2. *docet D. Thom.* 3. *part. q.* 28. *art.* 4. *ad* 1. *August. serm.* 14. *de Natiuit. Bern. serm.* 4. *de Assumpt. Ambros. in* 2. *Luc. Beda lib.* 1. *in Luc. c.* 1. *Greg. Nyssen. homil. de sancta Christi Natiuit. Dicit secundò, in contractu matrimonij non includi redditionem debiti, nisi sub conditione, si petatur, & B. Virgo certificata fuit à Deo, Ioseph id nunquam petiturum. Explicat optimè, ratione & exemplis, quomodo obiectum matrimonij non est copula, sed potestas ad illam, copula autem est effectus eius: vnde valeret matrimonium cum expressa intentione nunquam habendi copulam, vt in exemplo Scoti. Quod docent etiam D. Thom. dist.* 28. *quæst. vnic. art.* 4. *D. Bonau. q. vlt. Richard. art.* 2. *quæst.* 4 *Gabr. quæst.* 1. *art.* 4. *Sotus dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 2. *Henriquez lib.* 11. *de Matrim. c.* 15. *Suarez* 3. *part. tom.* 2. *disput.* 7. 8. 1.

4 *Vide Mag. in litera, & D. Thom. hic Rich. art.* 2. *q.* 1.

DE [d] secundo articulo, dicitur quòd Beata Virgo vouerat virginitatem sub conditione, scilicet nisi Deus aliter disponeret: & ideò licuit sibi matrimonium contrahere. Contrà, in omni voto quantumcumque absoluto videtur includi hæc conditio, *si Deo placet*: quia nullus debet offerre aliquid Deo, velit Deus, vel nolit, neque ordinatè intendit sic offerre: ergo cum conditione ista, sic intellecta, stat absolutè votum.

Maria vouit virginitatem absolutè. Luc. 1.

Dico [e] ergo quòd absolutè vouit virginitatem. Quod Sancti coniiciunt ex illo verbo suæ interrogationis ad Gabrielem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Si enim solùm non cognouisset sine proposito nunquam cognoscendi, nulla esset quæstio: quia in posterum cognoscenda si non esset sterilis, concepisset; & ideò fuit quæstio de modo supermirabili, quia firmissimè disposuerat, vel vouerat nunquam se cognoscendam à viro: & ad hunc intellectum exposuit Angelus respondendo, *Spiritus sanctus superueniet*, &c.

5 *Variatur hic litera in quibusdam.*

Quomodo ergo potuit contrahere matrimonium? Respondeo, in contractu matrimoniali est mutua datio corporum ad copulam carnalem non nisi sub conditione implicita, scilicet si petatur. Vnde contrahentes cum proposito statim vouendi castitatem, verè contrahunt: hæc autem conditio non præiudicat voto castitatis, posito etiam contractu matrimonij, nisi illa conditio ponatur in effectu: ergo vbi est certitudo simpliciter quòd nunquam ponetur in effectu, ibi in nullo præiudicat voto castitatis contractus matrimonij: sed hic fuit talis certificatio. Ex quo enim habemus Matth. 1. quòd Angelus instruxit Ioseph. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, multò magis, imò indubitanter concluditur quòd ipsa per Angelum, vel immediatè à Deo antequàm desponsaretur Ioseph, fuit certitudinaliter edocta; noli timere accipere Ioseph virum iustum in coniugem. Ecce enim Spiritus sanctus dabit eum tibi custodem, & testem virginitatis, qui tecum pari voto contineat, & in multis tibi ad virginitatis custodiam congruentibus obsequatur.

Maria fuit edocta quòd Ioseph nunquam peteret debitum.

Nec est mirum de ista probabilitate, quia quicquid factum est circa Ioseph per visionem Angelicam, totum factum est ratione Mariæ, quæ fuit immediata in illa ineffabili & mirabili conceptione, scilicet vnigeniti Filij Dei.

Exemplum

Exemplum istius potest haberi *Extrà de verbor. signif. Exijt*, & est hodie *in 6. lib.* vbi dicitur sententialiter, quòd retento dominio concedere aliis vsum, non est inutile, quia vsus ille necessarius est vtentibus. Et à simili in proposito, concedere potestatem sui corporis ad talem actum, si petatur, retento tamen vsu, quia certum est, quia ab illo non petetur, non est inutile. Hoc tamen exemplum patitur calumniam, quia non ita videtur, quòd vsus possit reseruari dominio tradito, sicut è conuerso: quia posterius magis traditur sine priori, quàm è conuerso: sed quoad hoc, videlicet quòd alicui potest competere vnum sine alio: in proposito autem nec vsum retinuit sibi auctoritate sua, sed certificata fuit quòd Spiritus sanctus vsum illum retineret, ita quòd nunquam ille alius, cui talis vsus debebatur, exigeret. 6

Aliud [f] exemplum, si quis contraxisset sponsalia cum iuramento, & posteà vouisset virginitatem; videretur consulendum illi quòd consummaret sponsalia contrahendo de facto, vt seruaret fidem iuramenti: & tamen vt seruaret votum, statim ante consummationem deberet anhelare ad Religionem: ergo isti licet dare potestatem sui corporis coniugi, verè contrahendo matrimonium ratum, & tamen cum intentione nunquam dandi vsum, quantùm est ex parte sui, etiam sine hoc, quòd sciat illum nunquam petiturum talem vsum: ergo multò magis licet sic contrahere, si sciret nunquam prædictum coniugem petiturum. *Cõsummare sponsalia, id est, cõtrahere matrimonium.*

Prætereà [g], adultera habet potestatem alterius coniugis, quia per matrimonium fuit sibi data, & indefectibiliter: tamen non habet, nec habere potest vsum corporis illius, propter peccatum suum: ergo peccatum potest perpetuò prohibere vsum, stante potestate data in matrimonio: ergo multò magis Spiritus sanctus propter aliquam causam honestam hoc potest.

Ad [h] primum argumentum principale dico, quòd illa auctoritas debet intelligi de volentibus nubere secundùm communem legem: non autem de illis, quibus constat certitudinaliter quòd nunquam vsus sequens talem actum, petetur. 7 *Ad arg. 1.*

Ad [i] secundum potest dici, quòd illa lex fuit data propter filias Salphaad: & hoc ne transferretur possessio de tribu in tribum, vt patet *ibidem Numer. vltimo:* ergo non obligauit nisi mulieres illas, ad quas deuoluebatur hæreditas paterna; sicut ad illas deuoluta fuit patre mortuo. Maria autem non fuit sic hæres, ideò licuit sibi nubere alteri alterius tribus. *Ad 2.*

COMMENTARIUS.

11 *Secundus articulus. De voto Virginis.* De *secundo articulo*, &c. Difficultas huius articuli consistit in tempore, quo votum absolutum virginitatis emisit Beatissima Virgo: nam ab hoc dependet resolutio huius articuli. Difficultas autem oritur præcipuè ex eo quod Doctor tetigit in principio præcedentis articuli, an matrimonium in lege antiqua præferebatur virginitati? Affirmatiuam partem videtur tenere D. Thomas *3. p. q. 28. art. 4. in corpore*, vbi dicit oportuisse tempore legis generationi insistere viros, ac mulieres: quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur. *Et in responsione ad primam*, asserit lege fuisse prohibitum non dare operam propagationi. Hinc deducit consequenter Beatissimam Virginem non vouisse virginitatem absolutè ante matrimonium, sed tantùm sub conditione, si liceret, aut placeret Deo, eámque habuisse in desiderio, quod diuinæ dispositioni commendauit. Accepto autem sponso votum emisit absolutum simul cum ipso. Ita etiam alij intelligunt sententiam S. Thomæ, quem sequitur Caietanus *q. 29. art. 1.* Sotus *in præsenti dist. art. 1. & 2.* Capreolus *art. 3. ad secundum Scoti*, &c. fuit sententia Alberti *art. 11. in corpore, & ad secundum.*

In lege matrimoniũ prælatum virginitati docet D. Thomas.

Votum Virginis ante matrimonium ex hac sentẽtia.

12 *Prima illatio.* Ex hac sententia consequenter infertur Virginem habuisse propositum absolutum obseruandi legem, per quam supponitur prohibitam fuisse permanentiam in virginitate, eo ipso, quòd propagatio fuerit in præcepto, & in ea iuxta statum illius temporis maior perfectio consistebat. Tum quia à lege quoad hoc non supponitur exempta, tum quòd perfectissima Virgo diuina gratia promouebatur. Sequitur secundò, quòd etiam sicut in legem consensit obseruandam, ita etiam in matrimonium antequàm fuerit irritum, aut consultum, consensit in ordine ad propagationem naturalem per copulam carnalem, licèt habuerit desiderium seruandi virginitatem, si licuisset; quod supponitur absolutè non licuisse. Tertiò, sequitur consequenter ante matrimonium initum non vouisse absolutè virginitatem, sed ad summum sub conditione. Quæ est sententia, quam hîc impugnat Doctor.

Secunda illatio.

Tertia illatio

e *Dico ergo quòd absolutè vouit virginitatem*, &c. Hæc est conclusio Doctoris, quam reputat Sotus *in 4. dist. 30. q. 1. artic.* Secundò esse singularem, & contra reliquos Theologos, sed in hoc aberrat, quia conclusionem tenet Magister in hac distinctione, dicit enim Virginem vouisse absolutè in corde virginitatem, licèt verbis eam non expresserit, ante contractum matrimonium, quando tam ipsa quàm sponsus votum nuncuparunt verbis expressum. Hugo de Sancto Victore *lib. de Mariæ perpetua virginitate, cap. 1.* docet ita fieri potuisse, vt Virgo in Deo fiduciam habens, indubitanter crederet se posse parentibus obedire in matrimonio contrahendo, *& votum*, inquit, *castitatis, cuius ipse solus conscius erat, inuiolatum conseruare*, &c. D. Bonauentura *art. vnico, q. 2. ad penult.* Richardus

13 *Conclusio Doctoris.* *Censura Soti eluitur.* *Conclusio est plurium Doctorum.*

dus *artic.1.q.1. ad 3.* Durandus secundùm modum posteriorem. Supplementum Gabrielis *q.2. art.2.conclus.7.* Maior *quæst.4.* Almainus *quæst.2.* Henricus de Gandauo *quodlib.9.q.11.* licèt enim conueniat in primo fundamento cum D. Thoma asserendo virginitatem in lege fuisse prohibitam, tamen asserit Beatam Virginem emisisse votum ante matrimonium, cognita diuina voluntate, & dispositione per reuelationem. Abulensis *in cap.30. Num.* Suarez, & Vasquez *locis citatis*, & interpretes moderni sacræ Scripturæ: quin etiam Augustinus *lib. de sancta Virginitate, cap.4.* vbi postquàm dixit Mariam Deo vouisse virginitatem. *Desponsata est*, inquit, *viro iusto non violenter ablaturo, sed contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat*, &c. Sic etiam Rupertus lib.3. in Cantic. *Quia*, inquit, *votum egregium Deo prima vouisti, votum virginitatis: attamen sponsi nomen admisisti, desponsari viro non renuisti*, &c. Hoc idem tenet Nyssenus iuxta traditionem illam, quam citat *loco suprà citato.* Imò supponit votum fuisse expressum verbis, & notum Sacerdotibus, quibus ipsa id in templo communicauit; ac proinde eos cogitasse de sponso Iosepho, qui virginitatis eius esset custos. Idem docet Abdias Babylonius in vita sancti Bartholomæi, qui docet votum hoc expressis verbis nuncupasse ante matrimonium.

Augúst. Rupertus. Traditio.

14 *Secunda probatio. Virgo prima votum virginitatis emisit.*

Secundò patet, quia probabile est Iosephum matrimonium contrahens emisisse votum virginitatis, & sic prior sententia tenet: sed plures Patres docent Virginem primam fuisse, quæ votum nuncupauit virginitatis: ergo tale votum eius præcessit matrimonium. Minor patet, quia id docet Abdias Babylonius *in loco citato.* Bernardus *homil. 3.* super *Missus est.* Rupertus *loco citato.* Fauet ratio D. Thomæ *loco cit. art.4. ad secundum*: vbi dicit decuisse sicut plenitudo gratiæ fuerit in Virgine, ita etiã consilium de perfectione in ea fuisse inchoatum. Ad quam rationem, & congruentiam respicere videtur Origenes in illud Matth. 13. *Et factum est cùm consummasset Iesus*, &c. *arbitrórque rationi consentaneum esse virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Christum, muliebris verò Mariam.* Ambros. de institut. Virginis. cap.5. *Egregia igitur Maria, quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christi vexillum leuauit*, &c. August. tract. 10. in Ioan. *Inde*, inquit, *cœpit dignitas virginum.*

Origenes. Ambrosius. Augúst.

15 *Tertia probatio à ratione.*

Tertiò probatur conclusio ratione Doctoris. Conditio illa, *si Deo placeret*, includitur in omni voto: quia non debet aliquid offerri Deo, velit, nolit. Debet enim votum, qui est actus Religionis, esse de eo, quod constat esse bonum, aliàs non esset in cultum Dei, neque acceptum, debet esse de meliori, &c. sed conditio generalis inclusa in voto non suspendit votum: ergo non facit conditionatum.

Conditio generalis. Non suspendit votum. Responsio.

Dices, illam conditionem in statu legis, quæ præcipiebat vacari propagationi filiorum ad cultum Dei, fuisse specialem ratione præcepti oppositi, ac proinde suspendere actum.

Impugnatur. Licuisse in lege seruare virginitatem.

Contrà, superiùs probatum est in articulo præcedenti, fuisse liberum seruare virginitatem, & cœlibatum, vt patet in exemplis allatis: aliàs Iudith non excusaretur, quæ mansit in cœlibatu, neque alij, qui erant virgines: ergo conditio illa non fuit specialis ratione præcepti talis, quod non non fuit, cùm votum nullum impedimentum habuit, ex quo adderetur conditio, aut causam motiuam eius adiiciendæ: votum enim, vt distinguitur a simplici desiderio, debet, quantùm est ex parte vouentis, inducere obligationem, aliàs esset fictum, nisi nuncupatio eius supponeret animum inducendi obligationem, & transferendi rem oblatam in ius speciale Dei. Sed hæc obligatio nequit suspendi à conditione communi inclusa in voto ex materia sua, & forma; ergo, vel Beata Virgo non emisit votum, quamuis in ea fuerit desiderium simplex ante matrimonium: vel certè emisit votum absolutum non obstante illa conditione, quæ etiam expressa nullam inducit obligationem magis, quàm si esset tacita.

Votum inducit obligationem. Non suspenditur per conditionem generalem.

Dices, præceptum legis obligasse descendentes ex tribu Iuda, & familia Dauid. 16

Responsio. Impugnatur. Præceptũ legis fuit vniuersale.

Contrà: Præceptum, si quod fuit in lege, comprehendit omnes eius obseruatores, & professores, fuit enim vniuersale: neque magis tribum Iuda, quàm reliquas. Deinde, Daniel, & tres pueri fuerunt de tribu Iuda, *Danielis 1.* qui manserunt virgines ex supradictis.

Deinde, si præceptum illud vrgeret in contrarium, Virgo vouere non posset, licèt desiderare posset conditionatè virginitatem sublata obligatione legis: ergo neque votum conditionatum emittere. Probatur sequela, quia tollitur materia voti stante diuino præcepto in contrarium. Deinde, quia votum est de meliori bono; sed matrimonium in casu præcepti præferebatur virginitati, & magis faciebat ad cultum Dei, quam ipse, supposito, seu dato, quòd fuerat præceptum, limitauit, quantùm ad modum, nempe per propagationem fieri: præceptum autem declararet voluntatem, & acceptionem diuinam, quæ ad cultum requiruntur, aliàs nullus esset cultus; vt patet, si quis iam vellet colere Deum per sacrificia Mosaïca, ille cultus esset reprobatus, quia Deus illum nunc prohibuit in lege noua: ergo etiam si præcepit vniuersaliter cultum fieri per propagationem, comprehendendo etiam Virginem, non potuit illa vouere castitatem, etiam conditionatè, per votum propriè dictum, vt distinguitur à desiderio simplici, quia materia absolutè fuit prohibita, sicut coniugatus consummato matrimonio nequit tale votum emittere repugnãte coniuge; quia est contra præceptum Dei, & emittendo peccaret, & esset nullum, & irrisorium, si diceret, *Ego voueo continentiam, si placet Deo.* Ergo perinde Virgo sciens se comprehendi sub præcepto contrario virginitati, non potuit vouere virginitatem sub conditione, *si placeret Deo*, &c. cui voluntas Dei expressa per præceptum supponitur manifesta, & certa ex lege, & per fidem diuinam.

Stante præcepto propagationis non potuit Virgo vouere cõditionatè. Modus colendi determinatus per præceptum. Votum illicitum obstante præcepto.

Dices, ex inspiratione speciali potuisse emittere votum conditionatum hoc modo, non cognoscendi virum, si Deo placeret, cum fiducia certa diuinæ prouidentiæ circa se, quam in reliquis est experta. 17

Responsio.

Contrà, motiuum conditionis expressæ, seu adiectæ, fuit certitudo præcepti, cui se subiectam esse nouit; aliàs nulla esset ratio cur Virgo adiiceret conditionem, sed cum hac scientia præcepti, & obligationis eius respectiua ad ipsam, non potuit emittere ordinatè votum, vel certè non potuit adiicere beneplacitum Dei, sed absolutè vouere: ergo vel absolutè vouit, vel

Impugnatur. Motiuum expressæ conditionis.

certè

certè nullo modo vouit, licèt conceperit desiderium vouendi. Probatur maior : inspiratio certa,& quam quis debet operando sequi, supponit illuminationem præuiam conformem ex parte intellectus,vt opus sit deliberatum, ea deliberatione, quæ requiritur ad votum : quia votum indeliberatum temerarium est, & non inducit obligationem. Vel ergo Virgo habuit illuminationem per reuelationem, qua se non comprehendi sub præcepto contrario legis didicit, vel certè cum ea dispensari in præcepto illo,quod fuit positiuum, vel non habuit talem reuelationem? Si primum dicatur, iam sublata est conditio specialis, quæ erat ex obligatione præcepti,& ratio eius adiiciendæ, & sic votum Virginis fuit absolutum, quod est intentum. Si dicatur secundum, illa illuminatio non sustulit scientiam legis,& præcepti,cui se nouit absolutè teneri : ergo non fuit sufficiens regula emittendi votum conditionatum.

Inspiratio supponit illuminationem.

18 Antecedens patet; quia aliàs esset error in virgine: nam si illuminatio illa determinaret assensum contractum scientiæ legis, seu dictamen, quo exprimeretur votum castitatis esse placitum Deo, hæreret in contradictorio scientiæ legis, & præcepti, quâ sciebatur non esse placitum, & cui voluntas virginis in proposito electionis debebat se conformare: ergo præter oppositionem vtriusque assensus practici, alter esset erroneus: non ille qui est scientiæ legis, & per diuinam fidem ex reuelatione vniuersali, cui nequit subesse error: ergo assensus ex illuminatione potiùs esset erroneus, vel deberet sic æstimari à virgine, ac proinde non esse sufficientem regulam operandi. Deinde,in ipsa voluntate esset duplex electio, nempe absoluta obseruandi præceptum, & altera nuncupati voti, quæ repugnant practicè; quia votum virginitatis, quod hîc & nunc de præsenti inducit obligationem, non potest compati, cum voluntate expressa, & absoluta violandi virginitatem per adimpletionem præcepti contrarij, quod sufficit ad tollendam materiam etiam voti conditionati de virginitate seruanda tam interiùs, quàm exteriùs; cuius materia est priuatio actus oppositi: licèt ergo desiderium simplex possit stare virginitatis seruandæ cum voluntate, & consensu absoluto matrimonij ad finem propagationis filiorum, & consequenter amittendæ virginitatis,nequit votum aliquod cum tali consensu consistere, quod propriè dici posset votum inducens obligationem, & egrediens naturam desiderij simplicitis; sicut v. g. votum continentiæ non potest stare in coniugato, etiam conditionatum cum proposito absoluto reddendi debitum coniugale; nam continentia absoluta dicit priuationem actus, & sicut cum actu in re ipsa nequit consistere, ita etiam neque votum eius de præsenti obligans potest stare cum absoluto proposito vsus matrimonialis: ergo similiter cùm virginitas consistat in priuatione omnis consensus in copulam,loquendo de interiori puritate virginali, nequit votum virginitatis consistere cum consensu absoluto in copulam per matrimonium, loquendo de virginitate perpetua,de qua loquimur, & cuius votum fuit in Virgine sanctissima.

Assensus contradictorij practici nequeunt inesse.

Duplex electio in voluntate cōtraria non fit.

Votum virginitatis conditionatum repugnat absolutè voluntati matrimonij.

Virginitas.

19 Deinde, fiducia illa diuinæ prouidentiæ vel probat votum fuisse absolutum, vel nullum fuisse; quia fiducia diuinæ prouidentiæ specialis contra communem regulam legis ordinariæ respicit media extraordinaria, quorum vnicum erat exemptio à lege,& præcepto, si quod fuit; ac proinde supponit intentionem finis, cuius gratia tale medium requirebatur : ergo vel virgo in hac fiducia concepit votum absolutum, vel certè conditionatum non concepit; quia ad illud non ordinabatur illa fiducia prouidentiæ extraordinariæ,& futuræ exemptionis.

Fiducia quibus medijs innititur.

Dices concepisse votum conditionatum, relinquens se dispositioni diuinæ quoad reliquum.

Responsio.

Contrà, dispositio diuina ordinaria fuit nota virgini, nempe præceptum nubendi ad effectum propagationis, à quo seipsam exemptam esse non cognouit, vt supponitur : ergo non potuit recedere à præcepto, donec ei constaret de diuina voluntate, & beneplacito : sed aliter non potuit constare quàm per reuelationem:per votum autem conditionatum recedebat à præcepto, quia illud importabat relaxationem præcepti,aut fiduciam eius futuræ: ergo hæc fiducia magis denotat suspensionem actus vouendi ignorata Dei voluntate, aut certè actum fuisse absolutum voti innitens tali fiduciæ:hoc non potuit congruè esse cum conscientia præcepti contrarij in Virgine: ergo magis congruè primum est dicendum; quia humilitati Virginis,& perfectæ conformitati in omnibus, ad diuinam voluntatem cognitam, non videtur congruere oppositum, aut emittere votum inducens obligationem solùm innitendo fiduciæ, quam ignorantia dispositionis futuræ,& specialis reddebat incertam. Vnde meliùs videtur asserendum interuenisse reuelationem specialem exemptionis ante votum emissum,vt dicit Henricus; & illud fuisse absolutum. Conari enim, & perficere in Virgine non separantur, ob eminentissimam eius perfectionem, & plenitudinem gratiæ; ac propterea non est præsumendum eam conatam fuisse illud, quod nouit sibi illicitum esse, & absolutè se perficere non posse, adimpleta lege.

Impugnatio.

Fiducia incerta non sufficit ad votū factum cōtra opus præcepti cogniti.

Conatus, & opus coniūcta in virgine.

Tertiò probatur conclusio.Puritas virginalis in Beatissima Virgine fuit supereminens,& post filium causa exemplaris, quoad alios, qui in hac perfectione excelluerunt: ergo votum eius fuit simpliciter absolutum. Antecedens patet, quia dicitur *Virgo Virginum*, iuxta illud Psalm. *Adducentur Regi virgines post eam*, &c. Et sic canit Ecclesia, *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo*, &c. Et illud Sedulij nostri in carmine Paschali, *Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo*, &c. Consequentia probatur: quia puritas virginalis excludit omnem consensum in copulam carnalem; sed si Virgo ex suppositione prætensæ legis emitteret votum conditionatum tantùm ob impedimentum præcepti, supponendo eius obligationem, haberet consensum in matrimonium absolutum ad finem etiam propagationis, per quem consensum impediretur votum eius,ne fieret absolutum : nam voluntas inhærens conditioni magis per se eligit conditionem,quàm actum operis oppositi, quem non habet nisi dependenter ab ipsa conditione, quæ præponderat respectiuè ad volentem. Quin imò ex hac sententia sequitur quòd ipsum matrimonium inierit per consensum in finem matrimonij,scilicet propagationem: nam ideò negatur emisisse votum absolutum virginitatis

20 Virginitatis puritas supereminens in virgine.

Vouens conditionatè præfert conditionem operi.

nitatis ante matrimonium; quia illud votum tolleret conſenſum debitum, & requiſitum ad matrimonium; quia eſſet contra finem lege intentum matrimonij: ergo ſequitur quòd ipſa conſenſerit in matrimonium ex fine matrimonij: ſed conſenſus abſolutus in copulam matrimonialem tollit votum conditionatum de oppoſito, & propoſitum etiam nubēdi ex hoc fine excludit puritatem virginalem interiorem, quæ conſiſtit in priuatione conſenſus in copulam: ergo tale votum non cadit in virginem; ſed debuit fuiſſe ſimpliciter ita abſolutum, vt nullo modo vnquam conſenſerit expreſsè in copulam carnalem, aut propagationem, imò, vt poſteà videbitur, ne quidem implicitè contrahendo matrimonium conſenſit.

Conſenſus in copulam tollit puritatem interiorem.

Non fuiſſe in virgine talem conſenſum.

Vltima probatio.

Votum abſolutum virginis non derogabat matrimonio.

Vltimò tandem, votum abſolutum virginitatis non derogat matrimonio Virginis cum Ioſepho, ergo tale fuit votum; nam eam habuiſſe votum abſolutum omnes concedunt, ex illo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* dubitatur tantùm de tempore, quo emiſit illud votum. Prædicta ſententia, quam hactenus impugnamus, docet poſt matrimonium fuiſſe emiſſum, quia Virgo ſuppoſito voto abſoluto, non poterat contrahere matrimonium: quia conſenſus in matrimonium non ſeparatur à fine contractus, qui eſt propagatio. Ex ratione tamen iam præmiſſa ſequitur conſenſum in matrimonium ſub hac ratione, id eſt, ſecundùm finem propagationis, ita repugnare voto conditionato ſicut & abſoluto, quantùm ad effectum tollendæ puritatis virginalis intentionis: ergo aſſerere quòd fuerit votum conditionatum, non conducit ad illum effectum, non purificata conditione, quia tam obligatio voti ceſſat, ſicut & obligatio contractus inhærentis conditioni, quando in re ipſa fruſtratur conditione.

Convinctus de tempore emiſſi voti.

21 Antecedens probatur à Doctore. §. *Quomodo ergo potuit*, &c. quia contractus matrimonij perficitur per mutuam dationem non niſi ſub conditione implicita, ſi petatur copula: data ergo reuelatione, & certitudine de ea nunquam petenda, non derogat virginitati, aut voto eius abſoluto; talem habuit certitudinem Virgo per diuinam reuelationem: ergo matrimonium hoc modo contractum non derogat voto abſoluto præmiſſo, quia nullum fuit periculum violandi voti. Antecedens patet ex Florentino, quantùm ad primam partem, nempe matrimonium fieri per conſenſum mutuum. Quantùm ad ſecundam partem etiam patet; quia vſus matrimonij non debetur niſi petenti, neque acquirit ius vllum non petens ad vſum præfatum, vbi enim nulla eſt petitio, nulla eſt mora debitoris. Stante ergo certitudine diuinæ reuelationis non ſecuturam petitionem ante matrimonium contractum, manet votum illæſum. Patet conſequentia: quia ratione vſus matrimonij opponitur matrimonium virginitati, non ratione contractus; nam primi parentes in paradiſo manſerunt virgines, quamuis contractum inierint, & habuerint dominium ſine vſu.

Ratio Doctoris.

Virgo habuit reuelationem non fore petitionem debiti.

Exemplum primorum parentum.

22 Probat exemplo Doctor idem antecedens *extra c. Exiit, de verborum ſignificatione in 6.* vbi definitur vſum rei ſine dominio non eſſe inutile, neque dominium conſequenter ſine vſu eſſe inutile.

Reſponſio.

Reſpondet tamen hoc exemplum non eſſe ſine difficultate, quia vſus, licèt poſſit ſeparari à dominio: tamen non ita videtur poſſe ſtare dominium ſine vſu; ad hoc tamen valet deciſio, vt illa ſeparari poſſe conſtet. *In propoſito Beata Virgo non retinuit ſibi vſum authoritate ſua, ſed certificata fuit, quod Spiritus ſanctus vſum illum retineret, ita quòd nunquam ille alius, cui talis vſus debebatur, exigeret*, &c.

Obiectio Vaſquez.

Vaſquez *diſputat. 125. cap. 7. ſub finem*, hoc exemplum ex Doctore adducit, & eo vti non vult, quia agitur ibi de vſu facti, non autem de vſu Iuris, qualis in propoſito reperitur. Deinde, per hoc, quòd certificata fuerit Virgo Ioſephum nunquam petiturum debitum, non inde colligitur ipſum vſum matrimonij fuiſſe impeditum, quin ſi peteret, ei deberetur.

Soluitur.

Reſpondetur tamen rationem illam, ſeu exemplum à Doctore adduci congruè ad explicandum dominium poſſe ſeparari ab vſu in genere; & licèt in præfata Decretali agatur de vſu facti, tamen exemplum habet non paruam proportionem ad vſum matrimonij; quia ſicut vſus facti ſemper manet, donec reuocetur à domino proprietario, ita libertas corporis ſui manet coniugi, donec petatur debitum, non petenti non tenetur, quinetiam petenti multis caſibus non debetur. Aliud autem quod dicit neceſſarium eſſe vſum matrimonij debere eſſe impeditum in propoſito.

Applicatio exempli.

Reſpondetur certitudinem diuinæ reuelationis, qua certificata eſt Virgo, nunquam fore, vt peteretur, æquiualere impedimento; quia votum nihil aliud poſtulat, quàm non conſentire affectu, & effectu in copulam; ad hoc autem ſufficit certitudo reuelationis prædictæ; quamuis nullum eſſet impedimentum diuerſum. Neque neceſſarium fuit vt Virgo conciperet diſſenſum reſpectiuè ad conditionem impoſſibilem, qualis fuit petitio, ſuppoſita reuelatione eius nunquam ſecuturæ; nam tam votum, quàm materia ſubſiſtit independenter à tali diſſenſu. Ad ſaluandum ergo votum Virginis, & excuſandum matrimonium ſuperueniens per contractum, ſine præiudicio voti, ſufficiebat illa reuelatio, & certitudo ex ipſa, per quam excludebatur periculum violandi voti. 23

Reuelatio facta æquiualet impedimento delicti.

Hìc enim agitur de excuſando matrimonio præſuppoſito abſoluto virginitatis voto, non autem agitur de obligatione voti, & debiti matrimonialis, virùm præponderat; & magis ſaluatur debitum matrimonij ſi dicatur non fuiſſe impeditum debitum, quamuis vſus eius ſuppoſita reuelatione non ſequeretur. Quòd ſi obligationem vtriuſque comparemus, tam debiti, quàm voti, certum eſt debitum magis obligare: v.g. in aliis, vt qui habet votum ſimplex caſtitatis, & contrahit; neque poſteà ingreditur Religionem, neque vult ingredi, aut ſeparare ſe ab vxore, tenetur reddere debitum, ſi petatur, non obſtante voto, quod tum primùm violauit, quando contraxit animo non ingrediendi Religionem, & cohabitandi; hoc enim votum, licèt inducat obligationem ex promiſſione, non tamen per illud transfertur dominium corporis ſicut in matrimonio fit. Vnde non videtur rectè colligi, vt ipſe colligit, ex ſimplici obligatione voti vſum matrimonij impediri reſpectiuè ad alterum coniugem petentem.

Obligatio debiti præponderat voto.

Alio ergo modo videtur hunc vſum in Virgine fuiſſe impeditum, tam ex reuelatione modo dicto, ſuppoſito priùs voto. Vnde Doctor 24

verbis

verbis allegatis dicit Virginem non propria authoritate retinuisse sibi vsum, sed Spiritum sanctum retinuisse vsum. Potest ergo dici fuisse etiam impeditum per iustitiam, & non solùm ex obligatione Religionis, seu voti. Ad cuius explicationem notandum est quod supponunt Doctores, matrimoniũ ordinatum esse ad finem propagationis, & constat ex aliàs dictis: hinc dicunt Virginem consentiendo in contractum ipsum implicitè consensisse in copulam, quia nempe propagatio, ad quam requiritur copula, est finis contractus; ac proinde consensus in contractum implicitè respicit finem eius lege præscriptum. Hoc autem competit matrimonio ex diuina institutione vniuersali, & regulariter: potuit ergo Deus instituere alium finem peculiarem huius matrimonij virginalis, sicut de facto constituit, sicut & ipsius integritatis, nempe Incarnationem Filij sui, ad quod institutum est in specie matrimonium Virginis; qui finis specificus principaliùs specificat contractum, vnde licèt consensus Virginis, vt refertur ad matrimonium secundùm regularem institutionem, & vniuersalem, esset consensus implicitus in copulam: quia tamen hoc matrimonium sortitur finem particularem, quà talis contractus est, etiam secundùm diuinam voluntatem illud specialiter ordinantem ad Incarnationem, consensus Virginis in ipsum contractum ne quidem implicitè ferebatur in copulam, sed potiùs in oppositum, vt suberat speciali institutioni Dei, quæ copulam exclusit. Neque hoc destruit finem vniuersalem matrimonij, quæ est propagatio, quia in hoc matrimonio perfectiori modo, & mirabiliori conseruatur sine opere viri, per Spiritum sanctum manente integritate Matris; copula autem non ordinatur ad finem matrimonij, nisi vt medium naturale multiplicandi naturam, vel vt remedium concupiscentiæ accessorium in natura lapsa. De hoc secundo nihil hîc dicitur, quia neque in Virgine fuit fomes, neque in Ioseph appetitus prædominans eius perfectioni, aliàs non eligeretur in sponsum Virginis.

Debitũ fuisse impeditũ per iustitiam.

Finis matrimony ex lege vniuersali.

Finis specialis matrimonij virginalis.

Incarnatio.

Cõsensus virginis in oppositum copula ferebatur.

Copula mediũ naturale propagationis.

25 Quantùm autem ad primarium finem matrimonij, hîc perfectiùs saluatur, vt dixi, & sine consensu in copulam, etiam implicito, secundario, vt alij volunt: quia ad pertingendum finem vniuersalem contractus, vt limitatur per specialem institutionem Dei, in hoc matrimonio Virginali copula non fuit medium, ideò consensus in ipsum finem non refertur ad copulam tacitè, aut expresè: & hoc modo intelligo illa verba Doctoris, vbi dicit Spiritum sanctum retinuisse sibi vsum, non verò Virginem propria auctoritate illum retinuisse. Quòd verò dicat sibi constitisse quòd non peteretur debitum, & eò reducat consensum Virginis, quasi liberum à copula, intelligo hoc modo, quia matrimonium regulariter, sicut transfert potestatem corporis, ita etiam fundat ius ad copulam ex natura communi contractus huius in specie. Ideóque donec præcessisset certitudo reuelationis nunquam fore vt vsus sequeretur, Virginem non potuisse contraxisse, supposito voto absoluto virginitatis: reuelatio ergo illa hunc effectum etiam habuit, vt matrimonium separaretur ab vsu, sicut & consensus. Vnde ex vtroque sequitur neque Virginem tacitè consensisse in copulam, ex eo quòd præcisè consenserit in contractum, neque etiam consensisse in contractum, vt inducit obligationem copulæ non impeditam.

Finis primarius matrimonij in virgine saluatur, sine vllo ordine ad copulam.

Obiicies: Virgo contraxit matrimoninm antequàm Filius Dei incarnatus est: ergo consensit in contractum vt lege communi, & institutione tenet: ergo consensus ille fuit tacitus in copulam, saltem vt in radice. 26

Obiectio.

Respondetur in primis, quidquid sit de antecedente, negando primam consequentiam: quia Virgo consentiens in contractum, ideò diceretur consentire in copulam; quia ex communi lege, & institutione contractus ad hanc ordinatur; sed Virgo non consensit tantùm ex regula illa communi, sed ex speciali reuelatione, & mandato in matrimonium hoc, quod ipsa contraxit, prout suberat speciali Dei voluntati illud ordinantis citra præiudiciũ voti, aut dispensationem in ipso. Si ergo contrahens de communi lege dicitur consentire in matrimonium, vt ordinatur ad finem propagationis per copulam, quia de lege vniuersali id coniunctum est matrimonio: ita etiam Virgo contrahens ex voluntate Dei speciali sibi reuelata in matrimonium cum Ioseph, consentit tantùm iuxta Dei voluntatem specialem, qua illud ordinatum est, vt medium seruandi voti, & ad alium finem, quem Deus præordinauit in specie talis matrimonij, qui fuit propagatio sine copula per virtutem Spiritus sancti. Neque refert quòd tum quando consensit in matrimonium, ille finis fuerit ignotus Virgini in specie, sicut & Incarnatio subsequuta, quia eo ipso, quòd consenserit in matrimonium sine præiudicio voti, & ex speciali reuelatione, & voluntate Dei, consensit in illud, prout suberat his, & iuxta finem, ad quem Deus illud ordinauit; hic autem finis excludebat ex natura rei, seu ex intentione ordinantis Dei, ipsam copulam: ergo ex consensu in contractum ad hunc finem specialem præordinatum non sequitur consensus in copulam. Vnde aliud est de matrimonio, quod contrahunt astricti voto, verbi gratia, Religionis, cum intentione ingrediendi post contractum; aliud verò de hoc Virginis matrimonio: quia illi consentiunt implicitè, seu in radice in copulam, quia nempe talis contractus non sortitur lege, aut institutione speciali alium finem, quàm vniuersalem, ideóque consensus expressus in contractum, vt legi subest, & institutioni vniuersali, intelligitur respicere finem vniuersalem eius. Sed matrimonium Virginis habuit specialem legem, & institutionem, quo attingeret finem propagationis altiori modo, & supernaturaliter: ideo Virginis consensus in ipsum non distrahitur à tali fine; neque respicit copulam, quæ non erat medium proportionatum ad talem propagationem.

Solutitur.

Virgo contraxit ex speciali mãdato, & reuelatione.

Cõsentit virgo respectiuè ad finem specialem.

Differentia inter consensum Virginis, & aliorũ votariorum.

Respondetur secundò, quamuis plures moderni sentiãt matrimonium Virginis fuisse contractum antè Incarnationem Christi, contrarium mihi tenere videtur Doctor in litera, in qua primò statuit conclusionem, nempe vouisse absolutè, & non solùm conditionatè virginitatem ante matrimonium: & hoc probat ex responsione eius ad Gabrielem annuntiantem Incarnationem cõplendam: *Quomodo fiet istud*, &c. quæ ratio vt sustineat conclusionem in extremo contradictorio priori sententiæ, quam impugnauit, videtur etiam hoc trahere vt annuntiatio 27

Cõsensus Virginis in matrimoniũ fuit post Incarnationem.

tiatio fuerit ante matrimonium facta, quia prior sententia docet matrimonio inito Virginé emisisse votum absolutum. Intendit ergo Doctor primum votum nuncupatum à Virgine fuisse absolutum. Quod probat ex illo textu, quæ probatio alioquin esset insufficiens, si annuntiatio subsequeretur matrimonium, cùm apud omnes constet tum fuisse votum absolutum.

28 *Probatio ex Patribus.* Huic sententiæ fauet traditio, quam refert Nyssenus, quæ docet Virginem post sponsalia remissam esse in domum paternam. Quam sententiam sequitur Baronius *in Apparatu.* Eam videtur tenere Tertullianus *de velandis Virginibus, cap.4.* dans rationem cur Angelus appellet virginem mulierem, eò quòd desponsata quodammodo nupta erat. *Ambros.* Ambrosius *de institut. virgin. cap.6.* in illa, *Antequàm conuenirent*, &c. Matth. 1. *Neque illud*, inquit, *moueat, quod ait* (nempe Euangelista) *quia Ioseph accepit coniugem suam; desponsata enim viro* coniugis *nomen accepit: cùm enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen adsciscitur*, &c. Initiatur autem per sponsalia de futuro. Origenes etiam, & Hieronymus idem docent *suprà* citati. Vide Maldonatum *in Matthæi* 1. qui alios Patres pro hac sententia citat.

29 *Probatio ex Scriptura.* Et ex circumstantia literæ videtur probari, *Antequàm conuenirent, inuenta est in vtero habens*, &c. Hæc conuenientia non fuit copula, aut consummationis matrimonij, vt omnes concedunt; ergo fuit cohabitationis, & contracti matrimonij, aliàs si fuisset matrimonium ante contractum, iam ex more transiret in domum mariti; ergo tantùm videtur conuenisse Iosephum ad matrimonium. Neque obstat quòd alij Patres citati aliàs dicant matrimonium eius fuisse ordinatum ad celandum partum eius diabolo, quia etiam id saluari potest, quamuis post conceptum filium præmissis sponsalibus contraxit posteà matrimonium. Tenendo ergo hanc sententiam, facilis est responsio ad saluandum consensum Virginis in matrimonium fuisse sine ordine ad copulam, etiam in radice; quia iam edocta de vniuerso mysterio, & finem contractus, ad quem ordinabatur, explicitè cognouit, & certa reuelatione didicit cætera.

30 *Exemplum de iurante sponsalia, & mox vouente Religionem.* f *Alius exemplum, si quis contraxisset*, &c. Hæc resolutio habetur *cap. commissum*, &c. *de sponsalibus*, &c. vbi de hoc casu interrogatus Pontifex respondet: *Tutius est ei*, inquit, *religione iuramenti seruata, priùs contrahere, & posteà si elegerit, ad Religionem migrare.* Consequentia Doctoris rectè tenet, quia si talis non obstante voto emisso Religionis, & absoluto, validè contrahat cum intentione seruandi voti, & nunquam reddendi debitum; *Applicatur.* quamuis altera pars id nesciat, sicut & nescit eam non postulaturam debitum; à fortiori Beata Virgo validè contraxit, non obstante voto, & licitè, maximè supposita circumstantia reuelationis, de cessione alterius quoad vsum.

An teneatur talis ad matrimonium. Circa casum illum dubitatur, an talis teneatur ad matrimonium ratione iuramenti? Doctor dicit non teneri, sed consultum esse vt iuramenti fidem obseruet; teneri autem probabiliter docet Richardus *in 4.dist.29. artic.2. quæst.4.* Idem docet Nauar. *cap. Non dicatis 12. quæst.1.* Ledesma *in 2.part.4.q.35.art.3.* Maiolus *lib.1.de irreg. cap.34.* noster Angles *de impedim. matrim. quæst.11.art.3.dub.1.* Vega *lib.1.Summæ.* Hæc sententia vera est, si alioquin scandalum, aut damnum partis sequeretur, non obseruato iuramento, & ex alia parte non subsit periculum consummandi matrimonium, & violandi votum ex parte iurantis sponsalia, & patet ex textu iam citato. *Sententia affirmatiua.*

Cæterùm eum non teneri contrahere ex vi iuramenti communiùs tenetur; quia iuramentum sortitur naturam, & conditionem actus, cui adhæret. *cap. Quemadmodum*, &c. *de iureiurando*, &c. & *l.finali, C.de non num. pecun.* &c. Sicut ergo contracto matrimonio rato potest transire ad Religionem; ita non obstante iuraméto, quod firmat sponsalia, potest idem facere ante contractum matrimonium; quia illa conditio, *nisi intrauero Religionem*, &c. tacitè includitur in contractu, neque excluditur consequenter per iuramentum, quod firmat sponsalia. Vide glossam *in dictum cap.* Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, Cardinalem *eodem.* Anchar. Abbatem, & reliquos interpretes. Limitanda tamen est sententia iuxta prædicta. Item, si alter etiam exclusit ingressum Religionis, quando iurauit, quia licèt cedant sponsalia professioni, aut ingressui Religionis, & per hoc dicuntur solui: tamen conditio illa exclusa est per appositionem contrarij, quod firmauit iuramento: verbi gratia, si teneatur inclusus, & dato iuramento spondet se contracturum matrimonium die determinato, ante quem nequit capessere Religionem; vel si iurat se non ingressurum Religionem, donec sponsalia consummet per contractum de præsenti, tunc tenetur matrimonium contrahere, secluso tamen periculo eius consummandi. 31 *Sententia negatiua.* *Limitatio.*

g *Præterea adultera habet potestatem*, &c. Hoc est tertium exemplum, quo Doctor probat, vsum posse impediri, manente potestate, quæ transfertur in contractu matrimonij: ergo etiam in Virgine potuit impediri vsus, quamuis contractus fuerit verus, & licitus. 32 *Exemplum in quo manet dominiũ sine vsu.*

Si dicas, hoc impedimentum superuenire matrimonio contracto, non ita impedimentum voti ante matrimonium contractum, quia hoc obstat matrimonio contrahendo tanquam impediens.

Respondetur illud quidem verum esse, neque exemplum in omnibus debere quadrare; intentum autem Doctoris est ostendere per exempla potestatem mutuam, quæ est in hoc contractu, ac proinde contractum posse iniri sine vsu subsequente, vel eo impedito per obligationem altioris finis, & virtutis; quod etiam in alia materia contingit: verbi gratia, quando quis debet alteri pecuniam, aut aliud, quàm vt videt debitor cedere hîc & nunc in præiudicium ipsius creditoris, aut alterius tertij, aut communis boni, aut in iniuriam præsentem Dei, vt si velit ea abuti in cultum falsum, non tenetur ipsi eam in his circumstantiis soluere; sed potest differre solutionem in aliam occasionem, quia charitas, aut Religio præualet obligationi iustitiæ in eo casu, vt si quis gladium alterius mutuò accepit, non tenetur restituere, si videt eum velle se, aut alios iugulare; quia in eo casu sicut deberet, si posset, gladium violenter abripere, ita etiam mutuatum retinere. Ad propositum, matrimonium quantùm ad vsum, sicut impeditur per votum absolutum castitatis, ita sequitur supposita reuelatione, & Dei ordinatione *Quartũ exẽplum ex mora solutionis in certis circumstantiis.* *Applicatur.*

tione speciali matrimonium Virginis, quod ordinatum est ad finem altiorem seruandæ castitatis, & Incarnationis (siue vt medium consequens, siue vt antecedens, iuxta diuersos modos sentiendi) & cedente parte suo iuri fuisse validum, & legitimum non obstante impedimento vsus. An autem matrimonium licitè contrahi possit animo ineundi Religionem, ad quam quis voto se adstrinxit, dicemus *infrà dist.* 38. vbi de hoc disserit Doctor.

33 *Illatio ex dictis, & recapitulatio.*

Ex dictis ergo hactenus colligitur matrimonium Virginis supposito voto fuisse licitum & legitimum, quamuis vsus copulæ fuerit impeditus. Primò cedente parte. Secundò, quia perfectiùs attigit finem etiam generalem contractus per altiora media, & efficaciora. Tertiò, quia ordinatum fuit ex Dei voluntate speciali ad Incarnationem, vt medium congruum antecedens, vel certè consequens, iuxta varias opiniones. Quartò, quia ordinatum est in finem communem Redemptionis generis humani. Quintò, quia substantia contractus in eo perfectissimè saluatur, etiam respectiuè ad finem primarium propagationis modo dicto: ergo nihil ei obstat. Ex quibus vlteriùs deductum est votum Virginis perfectissimè saluari sine vllo ordine ad copulam, siue in radice, siue voluntate expressa, & in hoc excedere alios, qui contrahunt cum animo non consummandi matrimonium: quia in his sicut regula contrahendi est illa, quæ est communis legis, & institutionis, ita etiam consentiendo in contractum tacitè consentiunt in finem eius, lege, & institutione præscriptum; quia hic est accessorius ad ipsum contractum, seu consequens ex natura contractus, vt subest legi generali, quæ respicit finem, vt per medium naturale copulæ attingi potest, & non aliter; quia ordo ad finem importat respectum ad media.

34 *Finis specialis matrimonij virginalis.*

Matrimonium autem Virginis ex Dei speciali ordinatione, & per virtutem Spiritus sancti ordinatum fuit in finem per media supernaturalia, & specialia, quæ excludunt ex natura sua propagationem naturalem, per quam debitum proximum, aut remotum labis originalis incurritur, à quo ex modo natiuitatis in vtero Saluator mundi debuit esse immunis: in matrimonium autem consensit Virgo vt his mediis supernaturalibus, & Dei institutioni speciali innitebatur, ideóque consensus eius nequit etiam tacitè, seu in radice, respicere copulam: consentit enim in matrimonium supposita Dei reuelatione, & prouidentia speciali circa illud, quod contrahere voluit ex Dei mandato; & prout ordinabatur in finem seruandæ etiam puritatis virginalis; quæ ratio mihi videtur fuisse potissima. Vnde aliqui Patres negant matrimonium Virginis ne præiudicarent eius puritati, quamuis *suprà* exposuimus eos loqui de matrimonio secundùm communem legem, & stylum Scripturæ, vt sequitur ex eo vsus, & consummatio in ordine ad finem naturalis propagationis: quæ intellectio eorum est realis; potest tamen intentio eorum huic accommodari, ita vt non solùm puritatem

Puritas virginalis.

Virginis voluerint saluare quoad effectum, sed etiam quoad omnem actum, qui quouis modo respiceret in se, aut in alio copulam, hoc est explicitè, vel implicitè, seu in radice. Virginem enim fuisse exemplar puritatis post filium, & excessisse Angelicam puritatem, facilè possemus ex Patribus probare eam esse, qua maior sub Deo nequit intelligi: sed tractatus hic ab aliis copiosus est, neque spectat ad præsentem materiam, in qua tantùm agitur de concordantia voti eius, & matrimonij: illud ergo disseruimus, quod neque etiam in radice consensus Virginis ad copulam coniugalem referri potuerit.

35 *Responsio ad argumenta principalia. Primum argumentum.*

h *Ad primum argumentum*, &c. Hoc primum argumentum tangit fundamentum sententiæ oppositæ, quam ante conclusionem exclusit, nempe in Virgine ante matrimonium non fuisse votum absolutum, aliàs non liceret ei contrahere; quin etiam hoc argumento vtitur Gratianus ad probandum, non intercessisse verum matrimonium: habetur apud eum loco citato à Doctore 17. *quæst.* 1. *cap. Vouentibus*, & 27. *dist. cap. Vouentibus:* vbi vtrobique citat Hieronymum. Magister etiam Sententiarum similiter citat Hieronymum authorem dictorum; meliùs Glossa ordinaria *in* 1. *ad Timoth.* 5. In illa *Habentes condemnationem*, citat Augustinum, cuius illa propria sunt verba, *de bono viduitatis, cap.* 8. *vel* 9. & habetur *cap. nuptiarum* 27. *quæst.* 1. Respondet autem Doctor intelligi *Soluitur.* hæc verba de matrimonio regulariter, & secundùm communem legem, & prout contrahitur in ordine ad vsum propagationis, & ille est sensus & intentum Augustini; docet enim eos peccare, quia fidem continentiæ fefellerunt: tamen negat eos esse separandos, & reprehendit asserentes eorum nuptias esse appellandas adulteria.

36 *Ad secundũ. Præceptum de non nubendo extra tribum.*

i *Ad secundum potest dici*, &c. Hæc responsio duo continet. Primum est interpretatio legis *Numer. vltimo.* Secundum est, Beatam Virginem non fuisse hæredem, ideóque ei licuisse nubere alteri diuersæ tribus. Quantùm ad primum Lyranus noster, & Abulensis docent legem fuisse vniuersalem, & non solùm respectiuè ad eas mulieres, quæ succedebant in hæreditatem deficiente prole mascula. Cæterùm quæstio *Intelligi quoad eas quæ erãt hæredes* mota, & ratio legis de non commiscenda hæreditate, interpretantur legem, sicut & exempla. nam Dauid duxit Michol filiam Saul ex tribu Beniamin, & filiam Regis Gethsari, 2. *Reg.* 3. Mahalon & Chelion duxerunt Moabitidas vxores *Ruth.* 1. Booz duxit Ruth *ibid. cap.* 4. *Deut.* 21. permittitur Iudæis ducere alienigenas *Exemplis patet.* virgines, modò non sint Chananææ, & *Iudic. vltim.* iurant reliquæ tribus se non daturas filias suas nuptui Beniamitis. Vnde alias id potuisse colligitur. Textus etiam Hebræus fauet huic interpretationi, qui specificat fœminas, ad quas deuoluebatur hæreditas, *Et omnis*, inquit, *fœmina hæreditans hæreditatem nubet viro ex tribu sua.* Ita Chaldæus, & Septuaginta. Eam sequitur Caiet. Vatablus, Burgen. Oleaster. Philo Iudæus *lib.* 2. *de Monarchia* asserit Tribum Sacerdotalem, & Regiam, quæ erat tribus Dauid, fuisse commixtam. Idem docet Epiphanius *hæres.* 78. & alij eum secuti: exemplum adducunt Aaron, qui duxit Elizabeth filiam Aminadab, qui fuit princeps tribus Iuda, & sororem illius Naason. Item, Ioiadas Pontifex duxit Iosabeth sororem Ochosiæ Regis Iuda, & filiam Ioram.

Secundum, quod tangitur in illa respon- 37

Mariã fuisse hæredem. sione, est, Mariam non fuisse hæredem, hoc autem non subsistit: quia parentibus grandæuis nata est, quibus constat non fuisse vllam prolem masculam iuxta communem sententiam, *Vnigenita fuit.* imò neque aliam præter solam Virginem, vt fusiùs probat Baronius *in apparatu*. Tertium etiam quod additur, licuisse Virgini nubere in alia tribu, sequeretur inconueniens; quia sic Christus non esset ex tribu Iuda, de qua constat fuisse Ioseph, vt patet ex illo: *Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, &c. Impugnatur etiam ex præmissa lege, quæ comprehendit fœminas hæredes, qualis fuit Virgo, non posse nubere extra tribum & *Fuit ex Tribu Dauid.* familiam suam. Rectè ergo colligitur Virginem & Iosephum non solùm fuisse ex tribu Iuda, sed ex eadem etiam familia; neque cohæret Scripturæ Mariam genere paterno esse ex tribu Leui tantùm, quia genealogia Christi tantùm deduci potest ex Virgine: ipsum autem fuisse ex familia Dauid, & de tribu Iuda, expressè constat ex Scriptura *ad Roman.* 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Ad* Hebræos 7. negauit Paulus eum fuisse sacerdotem Leuiticum, ac proinde non fuisse ex tribu Leui secundùm genus paternum matris: *In quo enim hæc dicuntur,* inquit, *de alia tribu est, de qua nullus altari præstò fuit*, &c. nempe de tribu Iuda, quæ non seruiuit altari.

38 Hæc traditio fuit etiam apud Iudæos, vt patet Ioan. 3. qui, vt impugnarent Christum non esse verum Messiam, dicebant: *Nunquid à Galilæa venit Christus? nónne Scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethleem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* &c. Psalm. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, &c. vbi promisit Deus Messiam venturum ex semine Dauid, quem locum *Act.* 2. Petrus interpretatur de Christo. Matthæi 1. *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*, &c. Fide ergo Catholica tenendum Mariam ex tribu Iuda, & familia ortam esse, sicut canit Ecclesia: *Natiuitas gloriosa Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid*, &c. & Paulus ad Hebræos 7. *Manifestum est quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster*, &c. vbi negat ortum ex tribu Leui, vt patet ex eodem loco. Hoc ergo ita intelligi debet: quia Christus genealogiam ex sola Virgine habuit. ipsa *Modus deducendi genealogiam.* etiam Virgo ex genere, & recta linea paterna descendit ex Abraham, Iuda, & Dauid, quia genealogia ex linea paterna desumi solebat, vt patet ex vsu Iudæorum, & stylo Euangelistarum, qui non prosequuntur genealogiam Christi, vt descendit ex Ruth, sed vt descendit ex Booz. Neque etiam genus Bersabee prosequitur, licèt eam exprimat Euangelista, sed prosequitur rectam lineam paternam. Idem colligitur ex verbis Pauli, qui negat Christum descendisse ex Leui; quod eo sensu verum est, quia ratio genealogiæ desumebatur ex linea paterna: nam Beatam Virginem fuisse cognatam Elizabeth, quæ erat ex tribu Sacerdotali, & Leuitica, constat, & Patres asserunt, vtrumque genus conuenisse in Christo ex parte matris: quia tamen sacerdotium Leuiticum solùm spectabat ad masculos descendentes, & non ad fœminas, rectè negat Apostolus eum fuisse de tribu Leui; vnde consequenter dici debet Virginem non fuisse ex tribu Leui ex linea paterna; sed ex linea materna, vt plerique docent iuxta antiquam traditionem ex Hippolyto martyre apud Nicephorum *lib.* 2. *histor. cap.* 3. Annam fuisse ex genere Sacerdotali filiam Mathan Bethleemitis sororem Sobe, quæ genuit Elisabeth, Elizabetham autem fuisse ex filiabus Aaron docet Lucas.

Responsio ergo præmissa rectè deseritur à Doctore, cui fortè occasionem dedit S. Augustinus contra Faustum, & ex eo S. Thom. *3. p. q.* 31. *art.* 3. *ad* 2. Dicit enim Augustinus *lib.* 23. *contra Faustum* (qui opponebat Ioachim patrem Virginis fuisse ex tribu Leuitica ex Scripturis apocryphis) hoc dato, vel vxorem Ioachim fuisse de tribu Iuda, vel matrem; quod sufficit, vt descendentia Christi ex hac tribu esset, & ex familia Dauid. Cæterùm expositio illa non est tenenda ex rationibus præmissis: quia genus, nomen, & genealogiam sortiebantur Iudæi ex patre; vt patet ex tota serie Scripturarum, in quibus gradus ascendentes, & descendentes enumerantur semper secundùm lineam paternam. 39

SCHOLIVM.

Mariam descendisse ex Dauid per Nathan filium eius ex Bersabee, colligitur ex Luc. 3. secundùm communem explicationem, Caiet. Iansen. Gagnei. Dionys. Carthus. Quod verò orta sit ex tribu Leui, tenet D. Thom. 3. part. quæst. 29. art. 2. ad 4. & clariùs quæst. 31. art. 3. ad 3. D. Bon. hîc art. 1. quæst. 2. Nazian. carmine de genealogia Saluatoris. Epiphan. hær. 78. Hilar. can. 1. in Mat. Aug. lib. 83. quæst. 61. Ambr. lib. de benedictionib. Patriar. cap. 3. 4. fortè Anna fuit ex tribu Leui, vt vult Niceph. 2. hist. cap. 3. ex Hippolyto, vel ipsa, vel Ioachim potuerunt habere matrem ex illa tribu.

8 ALiter [b] potest dici, quòd Maria fuit de vtraque tribu, scilicet Iuda & Leui: de tribu Iuda ex parte patris: & de tribu Leui ex parte matris. Siquidem *Lib. 4. c. 15.* Ioachim descendit ex Nathan filio Dauid, sicut patet per Dam. cap. 15. vbi ponit genealogiam sanctæ Dei genitricis: illa autem Anna præsumitur fuisse de tribu Leui, quæ scilicet fuit mater Mariæ, & per ipsam esset Elisabeth cognata Mariæ. Istud etiam primum de cognatione Iudæ probari potest per hoc, quòd Euangelium deducit Christum fuisse de tribu Iuda, deducendo Ioseph ex illa tribu; quod non esset verum, nisi Maria esset de illa tribu: & hanc rationem tangit Hieronym. super Matth. in principio.

Ad

Ad [1] vltimum patet *ex 2. artic. quæst.* quia consensus iste est in traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem procreandam: & per consequens in vsum, si petatur; sed hic fuit certitudo, quod nunquam vsus iste à coniuge peteretur. *Ad 3.*

COMMENTARIVS.

40 *Responsio vera, & sententia Doctoris. Cōmunis Patrum.*

k *Aliter dici potest*, &c. Hæc responsio est vera, & patet ex dictis, éstque magis communis, & recepta ab antiquis Patribus, quorum testimonium præferri debet. Iulius Africanus *in epistola ad Aristidem*, citatus ab Eusebio, *lib. 1. hist. cap. 6.* & Iustinus Martyr *in lib. quæstionum à Gentilibus propositarum, q. 131.* Hieronymus *in Matth. 1.* Beda in illud Lucæ, *Qui fuit Eli.* Nazianzenus *in carmine de genealogia Christi.* Ambrosius *lib. 3. in Lucam, cap. 1.* & alij posteriores. Sub controuersia est, An vterque Euangelista describat genealogiam Ioseph per lineam rectam, qui habuit duos patres; alterum naturalem, alterum legalem. An verò Lucas describat genealogiam Christi per lineam maternam, ita vt illa, *Qui fuit Eli*, referat ad Christum, & auum eius maternum, nempe Ioachim, qui perinde Eli dicitur. Matthæus verò genealogiam Christi per Iosephum, iuxta consuetudinem legis, quia putabatur Christi pater. Genealogiam Christi per auum maternum describi à Luca, plures authores moderni docēt. Ioannes Lucidus *lib. 2. de emendationibus temporum, cap. 9. & lib. 7. cap. 1.* Ioannes Annæus *in lib. de Chronographia Philonis*, noster Galathinus *lib. 7. de arcanis, cap. 12.* Iansenius *in concordia, cap. 14.* Arias Montanus *in Luca 3.* Epagnerus *ibidem.* Driedo *lib. 3. de dogmat. tract. 3. cap. 5. part. 4.* eandem citat. Sequitur Suarez *in 3. p. 2. tom. disput. 2. sect. 3.* Opposita sententia est communis Patrum, à qua non debet de facili recedi, & priorem impugnat Vasquez *tom. 2. in 3. part. disp. 127. cap. 3. & sequentibus.* Illud non leue videtur inconueniens, quòd præter stylum Scripturæ in texenda genealogia Lucas pergeret.

Aliqui affirmant Lucam scripsisse genealogiam Christi per lineam maternam.

Opposita sententia verior, & cōmunior.

Probatio ex stylo Scripturarum.

41 Secundò, quòd Christus per Mariam non descenderet per gradus enumeratos à Matthæo. Tertiò, quia sententia hæc est moderna, neque sequatur traditionem Patrum, aut antiquitatem, sed quasdam coniecturas, quæ non tam propriè in litera Euangelistæ fundantur. Quartò, quòd Beata Virgo orta ex stirpe Dauid, & vnigenita parentum non nupserit proximo sanguinis, ad quem hæreditas de lege spectabat; nam si in gradibus remotioribus, imò valdè remotis attingeret Iosephum in Nathan, qui dicitur ab aliquibus non fuisse naturalis filius Dauid, sed adoptiuus, sequeretur inconueniens dictum de translata hæreditate contra præscriptum legis, sequeretur etiam Christum non esse ex genere Dauid per naturalem descendentiam; quod omnino falsum est. Sed huic controuersiæ supersedeo, quia prolixum esset singula discutere: neque video magis insistendum esse rationi apparenti, quàm traditioni antiquæ Africani receptæ à Patribus.

Alia rationes.

l *Ad vltimum patet ex secundo articulo*, &c. Hæc responsio iuxta dicta superiùs intelligi debet, vt traditio mutua corporum ad prolem procreandam intelligatur conuenire matrimonio ex lege vniuersali, & institutione; hæc etiam saluantur in matrimonio Virginis; sed modo eminentiori, vt dictum est: quod ergo addit Doctor in illa, *& per consequens ad vsum*, &c. intelligitur respectiuè ad medium naturale procreationis, non autem ad medium supernaturale, quod in proposito fuit ex speciali Dei institutione; quà matrimonium hoc ordinatum est ad Incarnationem. Quòd si sistatur in fine tantùm vniuersali matrimonij, vsus eius supponit petitionem partis, quæ in proposito ex diuina reuelatione subtrahenda cognoscebatur, ita vt nunquam sequeretur ipsa petitio, neque vsus matrimonij: ex hoc etiam capite matrimonium Virginis non derogabat eius voto absoluto. 42 *Ad vltimum.*

Declaratur responsio.

DISTINCTIO XXXI.

De matrimonio quantùm ad bonum coniugij.

POST hæc de bonis coniugij quæ sint, & qualiter coitum excusent, dicendum est. Tria sunt principaliter bona coniugij. Vnde Augustinus, Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne post vinculum coniugale cum alio, vel alia coëatur: In prole, vt amanter suscipiatur, religiosè educetur: In Sacramento, vt coniugium non separetur, & dimissus, vel dimissa, nec causa prolis alteri coniungatur. *A*

Sup. Genes. lib. 9. cap. 7. tom. 3.

De duplici ſeparatione.

B Mat.19.b SEparatio autem gemina eſt, corporalis ſcilicet, & ſacramentalis. Corporaliter poſſunt ſeparari cauſa fornicationis, vel ex communi conſenſu cauſa Religionis, ſiue ad tempus, ſiue vſque in finem. Sacramentaliter verò ſeparari non poſſunt dum viuunt, ſi legitimæ perſonæ ſint. Manet enim vinculum coniugale inter eos, etiamſi aliis à ſe deſcendentes, adhæſerint. Vnde Auguſtinus, [Vſque adeò manent inter viuentes ſemel inita iura nuptiarum, vt potiùs ſint inter ſe coniuges etiam ſeparati, quàm cum aliis, quibus adhæſerunt.] Item, [Manet inter viuentes quoddam coniugale vinculum, quod nec ſeparatio, nec cum altero copulatio poſſit auferre: ſicut apoſtata anima de coniugio Chriſti recedens, etiam fide perdita Sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit. Redderetur enim redeunti, ſi amiſiſſet abſcedens. Habet autem hoc, qui receſſerit ad cumulum ſupplicij, non ad meritum præmij.] Item, [Quibus placuit ex conſenſu ab vſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit vt vinculum inter illos coniugale rumpatur, imò firmiùs hæret, quò magis ea pacta ſecum gerunt, quæ chariùs concordiúſque ſeruanda ſunt, non voluptariis corporum nexibus, ſed voluntariis animorum affectibus.] Et attende quòd tertium bonum coniugij dicitur Sacramentum, non quòd ſit ipſum coniugium, ſed quia eiuſdem rei ſacræ ſignum eſt, id eſt, ſpiritualis & inſeparabilis coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ.

Lib. 1. de nupt. & cõiug. cap. 10. tom. 7.
Ibidem.
Ibid. c. 11.
Hug. 4. Sẽt. cap. 5. para. Nũc quæ ſunt.

Hæc tria non adſunt omni coniugio.

C *Hug. lib. 2. de Sacram. p. 11. c. 8.* ET eſt ſciendum ab aliquibus contrahi coniugium, vbi hæc tria bona non comitantur. Deeſt enim fides, vbi vir cum alia, vel mulier cum alio coit. Hoc ergo bonum ita coniugio adhæret, vt ex eo, ſi adſit, ampliùs commendetur coniugium: ſi non adſit, non inde annihiletur. Quæ enim adultera eſt, non ideò coniux non eſt: imò ſi coniux non eſſet, adultera eſſe non poſſet: non enim eſt adulterium niſi cùm fides thori violatur legitimi; quod cùm fit, culpa committitur, Sacramentum verò non caſſatur. Bonum quoque prolis non omnibus adeſt coniugibus. Quidam enim pari voto continentiam ſeruant. Alij pro ætatis defectu, vel alterius rei cauſa generare non valent. Nec omnes illi etiam, qui prolem recipiunt, bonum prolis habent. Nam bonum prolis dicitur, non ipſa proles, vel prolis ſpes, quæ ad Religionem non refertur: verùm ad hæreditariam ſucceſſionem: (vt cùm quis hæredes terrenæ poſſeſſionis habere deſiderat) ſed ſpes ac deſiderium, quo proles ad hoc quæritur, vt Religione informetur. Multi ergo prolem habent, qui tamen bono prolis carent: nec ideò tamen coniugium eſſe deſinit. Sacramentum verò ita inſeparabiliter coniugio hæret legitimarum perſonarum, vt ſine illo coniugium non eſſe videatur, quia ſemper manet inter viuentes vinculum coniugale: vt etiam interueniente diuortio fornicationis cauſa, coniugalis vinculi firmitas non ſoluatur. Vbi verò non inter legitimas perſonas contrahitur coniugium, non adeſt illud bonum, quod dicitur Sacramentum: quia poteſt ſolui talium copula, de quibus pòſt dicetur. Quod verò coniugium ſit inter eos, qui coniugali affectu, non tamen gratia prolis, ſed explendæ libidinis cauſa conueniunt: nec fornicarij, ſed coniuges appellentur, oſtendit

Diſt. 34.

ostendit Augustinus, inquiens, [Solet quæri, Cùm masculus & fœmina, nec ille maritus, nec illa vxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur: ea fide media, vt nec illa cum altero, nec ille cum altera faciat id: vtrùm nuptiæ sint vocandæ. Et potest fortasse non absurdè hoc appellari connubium, si vsque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit: & prolis generationem, quamuis non ea causa coniuncti sunt, non tamen vitauerint, vt vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere malo aliquo agant ne nascantur. Cæterùm si vel vtrumque, vel vnum horum desit, non inuenio quomodo has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec aliquam dignam honoribus, aut suis facultatibus inueniat, quam in coniugio adducat, animo ipso adulter est, nec cum illa, quam cupit inuenire, sed cum ista, cum qua sic cubat, vt cum ea non habeat maritale consortium.] Ecce coniuges dicuntur, qui solius concubitus causa conueniunt, si tamen prolis generationem aliquo malo dolo non vitent.

Lib. de bono coniugali, c. 5. tom 6. & habetur 32. q. 2. cap. Solet quæri.

De his qui procurant venena sterilitatis.

QVi verò venena sterilitatis procurant, non coniuges, sed fornicarij sunt: vnde Augustinus, [Aliquando eousque peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam venena sterilitatis procuret: & si nihil valuerint, conceptos fœtus intra viscera aliquo modo extinguat, vel fundat, volendo prolem suam priùs interire, quàm viuere: aut si in vtero viuebat, occidi antequàm nasci. Prorsus si ambo tales sint, coniuges non sunt: & si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potiùs conuenerunt. Si verò ambo tales non sunt, audeo dicere, aut illa quodammodò est mariti meretrix, aut ille adulter vxoris.]

D

De nupt. & concup. lib. 1. cap. 15. tom. 7. & 32. quæst. 2. c. Aliquando.

Quando sunt homicidæ qui procurant abortum?

HIc quæri solet de his, qui abortum procurant, quando iudicentur homicidæ, vel non? Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est, & animam habet, vt Augustinus *super Exod.* asserit: [Informe autem puerperium, vbi non est anima viua, lex ad homicidium pertinere noluit.] Dicit etiam Augustinus, [Quòd informe puerperium non habet animam: ideóque mulctatur pecunia, non redditur anima pro anima. Sed iam formato corpori anima datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata. Nam si cum semine & anima existit de anima, tunc & multæ animæ quotidie pereunt, cùm semen fluxu non proficit natiuitati. Primùm oportet domum compaginari, & sic habitatorem induci. Cùm ergo lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima?] Item Hieronymus *ad Algasiam*, [Semina paulatim formantur in vtero: & tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa * confecta suas imagines membraque suscipiant.] His apparet, tunc eos homicidas esse, qui abortum procurant, cùm formatum est, & animatum puerperium.

E

32. quæst. 2. cap. Quod verò.

Aug. lib. q. sup. Exodum, c. 80.

Aug. lib. q. nou. & veter. c. 23. tom. 4.

Tom. 3. epistol. in solut. q. 4.

* *Al.* confusa.

De excusatione coitus, quæ fit per hæc bona.

CVm ergo hæc tria bona in aliquo coniugio simul concurrunt, ad excusationem coitus carnalis valent. Quando enim seruata fide thori causa prolis coniuges conueniunt, sic excusatur coitus, vt culpam non ha-

F

Hug. 4. Sctent. c. 4.

beat. Quando verò deficiente bono prolis, fide tamen seruata conueniunt causa incontinentiæ, non sic excusatur vt non habeat culpam, sed

Lib. de bono cõiugali, c.6.tom.6. venialem. Vnde Augustinus, [Coniugalis concubitus generandi gratiâ, non habeat culpam.. Concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum coniuge propter thori fidem venialem habet culpam.] *Ibid. c.7.* Item, [Hoc quod coniugati victi concupiscentia vtuntur inuicem, vltra necessitatem libe-

Matth.6.b ros procreandi, ponam in his pro quibus quotidie dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*,&c.] Vbi autem hæc bona desunt, fides scilicet & proles, non videtur coitus defendi à crimine. Vnde in sententiolis Sixti Pythagorici

Hier. sup. Ezech.c.18. in princ. legitur, Omnis ardentior amator propriæ vxoris, adulter est. Item Hieronymus, [Sapiens iudicio amat coniugem, non affectu: non regnat in eo impetus voluptatis, nec præceps fertur ad coitum. Nihil est fœdius quàm vxorem amare quasi adulteram. Qui dicunt se causa humani generis vxoribus iungi, imitentur saltem pecudes: & postquàm venter vxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores se vxoribus exhibeant,

Epist.1. cõtra Iouin.in fine, 32.q.4. cap. Origo quidem. *32.quæst.4.* Liberorũ. sed maritos.] Idem, [In matrimonio opera liberorum concessa sunt, voluptates autem quæ de meretricum amplexibus capiuntur, in vxore sunt damnatæ.]

De indulgentia Apostoli, quomodo sit accipienda?

G

1.Cor.7. a SEd si concubitus, qui fit causa prolis, culpa caret: quid Apostolus secundùm indulgentiam permittit? ita enim ait, *Hoc autem dico secuncundùm indulgentiam.* Cui enim præstatur venia, nisi culpæ? Per hoc etiam

Dist. 26. lit. d quidam probare volunt nuptias esse peccatum. Sed, vt prædictum est, indulgentia alia est concessionis, alia permissionis. Egerat Apostolus de nuptiis, & de carnali coitu: & ad vtrumque retulit illud, *Hoc autem dico secundùm indulgentiam.* Indulgentur enim nuptiæ secundùm concessionem, & concubitus nuptialis, qui fit tantùm causa prolis; Concubitus verò qui est præter necessitatem generandi ob incontinentiam, indulgetur secundùm permissionem, quia ibi est aliqua culpa, sed leuis. Ideóque non iubetur, nec conceditur, sed permittitur, quia non est laudabilis, sed venia-

De verbis Apost.& in gl. sup.illud 1. Cor. 7. Secũdùm indulgentiam. lis. De hoc Augustinus, sic ait, [Fortè aliquis dicet. Si veniam concessit Apostolus; ergo peccatum sunt nuptiæ. Cui enim venia, nisi peccato, conceditur? Planè quod infirmitati permisit secundùm veniam, audeo dicere peccatum esse: veniam namque concedens Apostolus, concubitum attendit coniugatorum, vbi est incontinentiæ malum. Incontinentiæ ma-

Quod sit malum incontinentiæ, lib. 1. de adul.cõiugijs. cap.12. & lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7. & de sancta viduitate c.4. sententialiter. lum est, quòd vir cognoscit vxorem etiam vltra necessitatem procreandi liberos, sed & ibi est nuptiarum bonum. Non enim quia incontinentia malum est, ideò coniugium. Vbi est concubitus præter intentionem generationis, non est bonum, non propter illud malum culpabile est hoc bonum, sed illud malum fit veniale propter bonum nuptiale, quod non reprehendit Apostolus, sed malum incontinentiæ.] Idem, [Concubitum qui non fit causa prolis, nuptiæ non cogunt fieri: sed impetrant ignosci, si tamen non ita sit nimius, vt impediat tempora quæ orationi debentur, nec immutetur in eum vsum, qui est contra naturam. Concubitus

Aug.lib. de bono cõiug. c.10.tom.6. enim necessarius causa generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille verò, qui vltra necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur, & hunc non exigere, sed reddere coniugi ne fornicetur, ad coniugem pertinet. Si verò ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt,

ciunt, quæ non est nuptiarum, cuius delicti non sunt nuptiæ hortatrices, sed deprecatrices. Decus quidem coniugale est castitas, procreandi & reddendi carnalis debiti fides, hoc est opus nuptiarum, quod ab omni peccato defendit Apostolus, dicens, *Non peccat Virgo si nupserit.* Cùm ergo culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptiis imputandus est, quid secundùm veniam concedit Apostolus, nisi quòd coniuges debitum carnis exposcunt, non propaginis voluntate, sed libidinis voluptate? quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Immoderata ergo progressio secundùm veniam conceditur. Quocirca & hinc laudabiles sunt nuptiæ, quia etiam illud, quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. Non enim iste concubitus, quo seruitur concupiscentiæ, agitur, vt impleatur fœtus, quem postulant nuptiæ. Omnino ergo in genere suo nuptiæ bonæ sunt, quia fidem thori seruant, & prolis suscipiendæ causa vtrumque sexum commiscent, & impietatem separationis horrent.] Sanctitati etiam coniugij nec coniux infidelis obesse potest, sed potiùs fidelis prodest infideli, vt Apostolus docet. Ex his ostenditur, quòd coniuges, qui causa prolis tantùm conueniunt, vel qui exigentibus debitum reddunt, defendit à peccato sanctitas coniugij, bonúmque nuptiale. Si enim absque peccato non posset fieri concubitus coniugalis, non præcepisset Dominus post diluuium eos copulari, dicens, *Crescite & multiplicamini*, cùm iam sine carnali concupiscentia non possint commisceri.

Idem ibid. cap. 11. *1. Cor. 7. g* *Aug. c. 14. lib. 1. de nuptijs, & concupisc. tom. 7.* *Aug. lib. 3. contra Iulianum haeret. cap. 16. tom. 7.* *1. Cor. 7. b* *Hug. 4. sen. cap. 4.* *Genes. 9. c*

Quòd non omnis delectatio carnis peccatum est.

H

SEd fortè aliquis dicet, omnem carnis concupiscentiam & delectationem, quæ est in coitu, malam esse & peccatum, quia ex peccato est & inordinata. Et nos dicimus illam concupiscentiam semper malam esse, quia fœda est, & pœna peccati: sed non semper peccatum est. Sæpè enim delectatur vir sanctus secundùm carnem in aliqua re, vt requiescendo post laborem: edendo post esuriem: nec tamen talis delectatio est peccatum, nisi sit immoderata. Sic & delectatio, quæ fit in coitu coniugali, cui adsunt illa tria bona, à peccato defenditur. Videtur tamen Beatus Gregorius aliter sentire, scilicet quòd sine peccato non possit fieri carnalis commixtio, dicens, [Vir cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua, Ecclesiam intrare non debet. Quamuis diuersæ hominum nationes de hac re diuersa sentiant, & alia custodire videantur. Romanorum tamen semper ab antiquioribus vsus fuit: post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paululum temperare. Nec hoc dicentes culpam deputamus esse coniugium, sed quia ipsa licita admixtio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest, à sacri loci ingressu est abstinendum: quia voluptas ipsa sine culpa nullatenus esse potest.]

Hugo ibid. *Gregor. in responsione ad 10. interrogationem Aug. Cantuariensis Angliæ Archiepiscopi in fine, 12. lib. regist. & habetur 33. q. 4. cap. Vir cum propria.*

Determinat auctoritatem.

I

HOc autem ne prædictis obuiet, intelligendum est in illis, qui non gratia prolis conueniunt, quorum voluptas non est sine peccato. Et vix aliqui reperiri possunt adhuc amplexus carnales experientes: qui non interdum conueniant præter intentionem procreandæ prolis. Hoc autem quoties fit, ab ingressu Ecclesiæ abstinendum est. Et quod ita intelli-

 gendum

Ibidem. gendum sit, Gregorius consequenter ostendit, [Si quis verò sua coniuge, non cupidine voluptatis raptus, sed tantùm creandorum liberorum gratia vtitur, iste profectò, siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo corporis dominici mysterio suo est iudicio relinquendus, quia prohiberi à nobis non debet accipere, quia in igne positus nescit ardere. Cùm verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habeant coniuges etiam de commixtione sua quod defleant. Tunc autem vir qui post admixtionem coniugis lotus aqua fuerit, etiam sacram communionem valeat accipere, cùm ei secundùm præfinitam sententiam Ecclesiam etiam licuerit intrare.]

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm sint tria bona matrimonij, quæ Magister ponit in litera, scilicet fides, proles, & Sacramentum?

D.Thom. *in addit. quæst.* 49. *art.* 2. *& hîc quæst.* 1. *art.* 1. *&* 2. D.Bonau. *art.* 1. *q.* 2. Richard. *art.* 1. *q.* 1. *&* 2. Durand. *quæst.* 2. Sanchius *lib.* 2. *de matrim. disput.* 29. *latè.* August. 9. *super Genes. ad lit.* 7. *& de bon. coniug. c.* 6. 7. *habetur c.* Omne itaque 27. *quæst.* 2.

1 QVÆRO [a] circa istam trigesimamprimam distinctionem, Vtrùm sint tria bona matrimonij, quæ Magister ponit in litera, scilicet fides, proles, & Sacramentum? Quòd non, quia Sacramentum est formaliter in se bonum: ergo non est aliis bonis bonum.

Argum. 1.

Argum. 2. Præterea, inter adulteram, & adulterum potest esse matrimonium, vbi tamen non est bonum fidei.

Argum. 3. Præterea, cum sterili potest esse matrimonium, vbi non est bonum prolis.

Argum. 4. Præterea, cùm matrimonium sit Sacramentum, non est bonum partiale matrimonij, quia idem non est pars sui.

Contrà Magister in litera.

COMMENTARIVS.

1 *De tribus bonis matrimonij.* a QVaro *circa istam trigesimamprimam distinctionem*, &c. Agit de tribus bonis matrimonij, quæ in præsenti distinctione explicantur à Magistro, & quæ statuit Augustinus *lib.* 9. *in Genes. cap.* 7. *de bono coniugali, cap.* 6. *&* 7. & refertur *cap. Omne itaque* 27. *quæst.* 2. Hæc autem bona sunt, Sacramentum, fides, & proles.

SCHOLIVM.

Impugnat sententiam tenentem, nullum se posse obligare ad actum carnalem, nisi habeat tria bona excusantia, scilicet bonum fidei, prolis, Sacramenti. Primò, quia in innocentia non requirerentur excusantia. Secundò, non fuerunt in matrimonio B. Virginis. Tertiò, magis priuatur quis vsu rationis per somnum, quàm per actum carnalem.

2 *Rich. præsenti dist. art.* 1. *q.* 1. *cap.* 18. HIc [b] dicitur, quòd contrahens matrimonium obligat se ad copulam carnalem, saltem sub conditione, si petatur, & certitudo de non petendo in paucissimis habetur. In isto autem actu priuatur homo magno bono, scilicet vsu rationis secundùm Philosophum 7. Ethic. *Talis*, inquit, *actus furatur intellectum sapissimè sapientis.* Vnde August. 14. de ciuit. cap. 16. *Voluptas, qua maior in corporus voluptatibus nulla est, in ipso momento temporis, quo ad eius peruenitur extremum, penè omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruitur:* nullus autem secundùm rectam rationem debet se obligare ad aliquid, in quo tantum malum patitur, nisi sit ibi aliquid bonum recompensans: ergo nullus debet contrahere matrimonium, nisi sint aliqua bona recompensantia istam iacturam vsus rationis: & hæc dicuntur à Sanctis excusantia illum actum carnalem: ista autem sunt bonum fidei, prolis, & Sacramentum.

3 Contra hoc, quia in statu innocentiæ fuisset matrimonium habens ista bona, nec tamen fuissent tunc posita, vt excusantia illum actum.

Præterea,

Prætereà, in matrimonio Ioseph, & Mariæ non oportuit ponere excusantia ista, nec vniuersaliter in spirituali matrimonio valet, cum pari voto castitatis coniugum.

Prætereà, multò magis priuatur homo vsu rationis per somnum, quàm per actum illum, & hoc tam intensiuè: vnde secundùm Philosophum 1. Ethic. *Fœlix non differt à misero, nisi secundùm medietatem vitæ, scilicet in vigilia.* quàm etiam extensiuè, quia somnus diu priuat; iste autem actus quasi momentaneè: ergo nullus secundùm rectam rationem debet se exponere somno, nisi essent bona excusantia, & maiora istis; quod tamen non conceditur. Cap. 17.

Dicitur, quòd sunt hæc bona excusantia, scilicet necessitas naturæ, & confortatio organorum: quia sine somno esset nimia fatigatio virium sensitiuarum, & per consequens impedimentum in intellectu: quia intellectus impeditur phantasia impedita. Aliter dicitur, quòd non patitur quis propriè damnum in somno, sicut in isto actu: quia post somnum vigoratur intellectus: post actum istum hebetatur; ita quòd per istum actum non tantùm priuatur quis illo bono, sed redditur minùs aptus, vel habilis ad illud, & alia post actum illum: oppositum autem est de somno. *Rich. vbi supr. sol. 3. argum.* *Idem.*

COMMENTARIVS.

2 b HIc dicitur quòd contrahens matrimonium, &c. Hæc sententia est satis communis Doctorum in præsenti distinctione, qui dicunt requiri aliqua bona excusantia matrimonium; tria autem detrimenta inducit matrimonium, nempe seruitutis perpetuæ. 1. *Cor.* 7. libidinis absorbentis mentem, & rectæ rationis vsum. Solicitudinis, qua placeatur coniugi, educetur proles, & eiusmodi; ideóque non deberet quis eligere secundùm rectam rationem hæc detrimenta, nisi aliquibus bonis compensari possint. Seruitus compensatur bono Sacramenti; impedimentum rationis compensatur bono prolis; solicitudo bono fidei compensatur. Ex his Doctor tantùm impugnat illud, quod asseritur de vsu matrimonij, quà rationem absorbet; hoc autem docet non esse per se connexum matrimonio, quia neque in statu innocentiæ, neque in matrimonio rato sine vsu interuenire possunt, vt de matrimonio Virginis, & de matrimonio, inter eos, qui pari voto se astringunt castitatis custodiendæ; non requiruntur ergo illa excusatiua, seu tanquam excusantia: nam ad honestatem actus spectant ratio eius formalis, & finis tam proximus, quàm remotus, eo modo, quo est finis.

Detrimenta matrimonij.

Impugnatio secundi.

3 Sacramentum est ipsum indissolubile vinculum, & forma permanens contractus: ius reddendi debitum, & mutuum est finis eius proximus, & medium, vt ordinatur ad finem remotum; proles verò est finis remotus; sine his nequit matrimonium consistere in *esse* actus honesti, neque generatio; ideò non debent dici propriè excusantia, sed specificantia intrinseca, & extrinseca, vt rectè etiam Doctor ait matrimonium ex his motiuis esse honestum. *dist. 26. in principio.* Si ergo matrimonium ex obiecto & fine, aliísque circumstantiis est actus honestus (sine quibus nequit esse honestus, neque matrimonium) non propriè dicuntur illa excusantia matrimonium in ratione actus honesti: excusatur namque actus, qui ex obiecto non habet bonitatem, sed potiùs malitiam, si circumstantia excusans non adesset, quæ quidem non est specificans actum, sed tollens aliquid, quod ad completam eius malitiam spectat, vt ignorantia, inaduertentia, leuitas materiæ, aut defectus libertatis, & huiusmodi.

Qualiter tria bona comparantur ad matrimoniũ?

Non rectè dicuntur excusantia cõtractum.

Quid sit excusare actũ?

4 Quando autem respondent Patres hæreticis impugnantibus matrimonium tanquam illicitum, & tria illa bona docent reperiri in matrimonio, quibus excusatur, intelligunt illa esse specificantia matrimonium, & excusantia à peccato, per quæ concupiscentia concomitans redditur venialis, & non peccaminosa, cùm matrimonium in eius remedium ordinetur in natura lapsa. Fulgentius epistola 1. de coniugali debito, & voto continentiæ à coniugibus emisso cap. 3. *Iustitia vtendi coniugij hæc est, vt non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi coniuges congruo tempore misceantur: in illis namque bonis, quæ fecit Deus, inuenitur casta copulatio vxoris, & viri; in quibus Dei operibus libido non potest inueniri: nec aliquando iustitiæ congruit, quæ non hominibus, ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ præuaricationis accessit: sed quia sine illa in corpore mortis huius proles humana non seritur, non eam affectant coniugia casta, sed tolerant, eique imponit nuptialis honestas modum, &c. sine qua non potest in carne peccati naturalis expleri fœcunditatis officium*, &c. vbi dicit coniugium esse opus Dei, & inquantùm est opus Dei, non inueniri in eo libidinem, quæ ex præuaricatione accessit, & excusatur per honestatem nuptialem in statu naturæ corruptæ, quibus rectè confirmatur ratio præmissa Doctoris, & ostenditur libidinem à peccato excusari per fœdus nuptiale.

Sensus Patrum.

Fulgentius.

Item Augustinus de Genes. ad literam lib. 9. cap. 7. *Denique vtriusque sexus infirmitas, propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, vt quod sanis posset esse officium, sit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum est, ideò connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum: imò verò non propter illud malum culpabile est hoc bonum, sed propter hoc bonum veniale est illud malum*, &c. Hinc ergo sequitur Patres non intendere aliud detrimentum, quod excusatur per nuptias, aut bona præmissa matrimonij, quàm detrimentum turpitudinis, & peccati, non autem offuscationis mentis, aut seruitutis, aut sollicitudinis; nam libido, quæ toleratur, & non affectatur, sed ad officium naturæ in coniugatis temperatur, nõ adeò mentem offuscat secundùm Patres. Seruitus autem, & sollicitudo educandæ prolis per se coniuncta sunt matrimonio, in quocumque statu, etiam innocentiæ, si perseueraret; quia essent duo in 5

Seruitus & educatio prolis per se coniũcta matrimonio.

carné

carne vna, & insolubiliter, & vir relinqueret patrem, & matrem, &c. & adhæreret vxori, & non alteri, & proles etiam Iure naturæ esset educanda, & hæc duo insunt matrimonio, vt est opus Dei, & vt ab eo præceptum fuerat in communitate.

6 *Tertia ratio sustinetur.* Tertia ratio Doctoris contra præfatam sententiam videtur rectè solui, & ipse acceptare solutionem; tamen vrgeri potest, quia aliud est aliquem se priuare vsu rationis, vel hebetare; aliud non conseruare in quocunque casu: v.g. martyres exponebant se tormentis, quæ aliquando offuscant rationem ex pœnæ vehementia; tamen in eo casu non tenebantur respicere ad damnum, seu vitæ, seu vsus rationis, vrgente præcepto in contrarium: ergo exercere actum, ad quem sequitur aliqua mentis hebetudo, si alioquin actus est necessarius necessitate præcepti, non est contra rectam rationem, aut ab intrinseco malum, quia illa hebetudo mentis neque per se intenditur, sed actus, cui est annexa, & qui in substantia est bonus, & laudabilis: sicut ergo somnum quis appetere potest, vt remedium suæ infirmitatis & salutis, ita etiam potest quis velle matrimonium etiam ad euitandum magis damnum, nempe periculum peccati grauis, & mortalis. Ex duobus autem malis, minus secundùm rectam rationem est præferendum, quamuis non sequatur aliquod aliud commodum præter fugam maioris mali. *Melius* autem *est nubere quàm vri*, secundùm Paulum: sicut ergo potest velle actum, ita etiam se obligare ad ipsum metu maioris mali; quod imminet ex propria fragilitate.

Hebetudo rationis aliquando permittenda.

7 *Priuatio vsus rationis quãdo illicita?* Deinde priuatio rationis, & mentis hebetudo, in tantum inducit damnum, in quantum hîc & nunc vitiat regulam operandi, aut eam tollit; sed quando actus est licitus, & honestus, & procedens ex regula antecedenti incorrupta, nullum patitur damnum rationis operans ex sola hebetudine concomitante, à qua neque dependet actus, neque vitiatur, aliàs omnis actus, cui annexa est voluptas, & delectatio, non posset exerceri, quia etiam aliquo modo rapit mentem. Deinde, non omnis concupiscentia est mala, sed quæ inclinat ad peccatum, & quæ illicita est ex hoc; omnis autem hebetat aliquo modo, seu distrahit mentem ad fortiorem imaginationem concupiscibilis, si est in gradu intento; sed vsus matrimonij, si legitimè fiat, non potest vitiari à passione, vel inclinare hæc ad peccatum, quia actus, vt dixi, in suum finem debitum relatus, est honestus & iustitiæ: ergo talis non corrumpit rectam rationem, licèt augeat voluntarium, & consequenter non infert damnum rationi rectæ, neque corrumpit principia eius, neque etiam necessariam aduertentiam ad legem, modò seruetur modus. Imò temperamentum ex se statuit copula coniugalis libidini, ne ad illicita prorumpat: quia ex illo bono hoc malum fit veniale secundùm Augustinum. Accedit non prohiberi libidinem, quia infert hebetudinem mentis, sed quia est contra temperantiam, hæc autem tollitur per matrimonium.

Concupiscentia qua vitãda, aut contemnenda?

Vsus matrimonij tẽperat libidinem.

Ad fundamentum huius sententiæ patet solutio ex dictis, quia neque matrimonium necessariò & semper includit copulam, qua inducat obligationem ad ipsam, quæ suspendi potest ab executione: neque prætereà hebetudo illa mentis, vt concomitans, infert damnum menti, vt format rectam rationem, sicut dictum est, & merè accessoriè, & concomitanter se habet, si actus fiat ex debita circumstantia finis.

SCHOLIVM.

Bonum intrinsecum, seu formam matrimonij pro vinculo sumpti, esse indissolubilitatem: bonum verò extrinsecum, seu finem, esse duplicem. propinquum, & est fides in iustè reddendo, & remotum ac vltimum, & est bonum prolis. De indissolubilitate matrimonij rati, reijcit duos dicendi modos, & resoluit id esse indissolubile vsque ad mortem naturalem, nisi Deus relaxet, quod facit per ingressum religionis. Quòd verò hoc ingressu tollatur vinculum matrimonij, tenet Trident. sess. 24. can. 6. quod ait Doctor de Ioanne Euangelista, vocato post nuptias, tenet Beda in proœmium Ioann. & multi idem tribuunt. Aug. & Hier. in eodem proœmio, sed Baron. tom. 1. an. 31. fol. 106. probat illud proœmium non esse istorum Patrum, sed de Alexio, id habent Metaphrastes, & Surius, ac etiam de D. Cæcilia, de B. Thecla post ratum conuersa per Paulum, testantur Ambros. lib. 2. de virgin. & Epiph. hær. 58. alia exempla habent Gregor. 3. dial. 14. & August. 8. confess. 6. & de Macario id refert Hier. vt habetur 27. quæst. 2. cap. scripsit.

4 *Text. 21.* AD [c] quæstionem ergo dico, quòd secundùm Philosophum 5. *Metaphys. cap. de perfecto*, bonum & perfectum idem est: duplex autem est perfectio rei, scilicet intrinseca, vt forma: & extrinseca, vt finis. Alicuius etiam potest esse duplex finis, scilicet remotus, & propinquus: & remotior est regulariter principalior, quia ad illum ordinatur propinquior [d]. Accipiendo ergo matrimonium pro isto vinculo de relicto ex primo contractu, forma eius est indissolubilitas, sicut tactum est *in 1. q. conclus. 1.* Et ista indissolubilitas dicit Sacramentum pro eo, quòd significat indissolubilitatem coniunctionis Christi & Ecclesiæ: ergo Sacramentum, vt hîc accipitur, est bonum intrinsecum matrimonij, quia eius prima perfectio est formalis: hæc autem ordinatur ad actum carnalem mutuò reddendum, si petatur; quæ redditio iusta est ex ista obligatione mutua præcedente: ergo huius matrimonij fides, id est, fidelitas, siue iustitia ad actum, ad quem coniuges mutuò obligantur, est eius bonum extrinsecum, sicut finis propinquus. Vltimò, iste actus ordinatur ad procreandum prolem debitè, vel religiosè

Duplex perfectio, intrinseca & extrinseca.

Sacramentũ est bonũ intrinsecum matrimonij.

Fides est bonũ extrinsecũ matrimonij, quia est finis eius propinquus.

religiosè educandam : ergo proles religiosè educanda, si sequatur, est bonum extrinsecum matrimonij tanquam finis principalis.

Sic ergo patet quomodo Sacramentum, vt hìc accipitur, est bonum matrimonij primum, & intrinsecum, & forma : Fides, id est, fidelitas in iustè reddendo actum debitum, est bonum eius, vt finis proximus, sed minùs principalis : bonum prolis est eius bonum extrinsecum, vt finis vltimus, sed principalis.

Sed [e] propter argumenta videndum est quomodo hæc tria sunt in quolibet matrimonio. Non enim videtur esse bonum Sacramenti in matrimonio rato non consummato : quia illud est dissolubile per Religionis ingressum, sicut patet *Extrà de regularibus, Ad Apostolicam:* nec bonum prolis videtur esse, vbi est impossibilitas ad susceptionem prolis : nec bonum fidei, vbi non seruatur fides, vt in adulteris. 5

De conuersione côiug. Ad Apostolicã, & c. Verum, & c. Ex publico.

Respondeo [f], Sacramentum, vt est bonum matrimonij (sicut dictum est) non accipitur pro Sacramento nouæ legis, quia illud est sensibile : ista autem indissolubilitas est quid spirituale in mentibus contrahentium. Sacramentum etiam matrimonij statim transit, quia consistit in *fieri:* ista autem indissolubilitas manet, & est in *esse* quieto, non in *fieri.* Sacramentum etiam est dispositio ad gratiam indignè suscipientibus : non autem ista indissolubilitas. Hoc enim est intrinsecum bonum omnis matrimonij nouæ legis, ita quòd impossibile est esse matrimonium formaliter sine illo, quod est forma eius. Sed alia duo bona non sunt intrinseca matrimonio, nec necessaria ibi formaliter : sed sunt ibi necessaria in obligatione & virtualiter. Bonum quidem fidei seruandæ in actu, reddendo coniugi quod suum est, & non dando alteri alienum : est enim necessariò in obligatione, & quantùm ad negatiuam, saltem est ibi obligatio semper, & ad semper ; quantùm autem ad affirmatiuam, dicetur in sequenti distinctione ; & ideò non seruans fidem peccat mortaliter. Tertium bonum, scilicet prolis, est ibi in obligatione sub conditione, si eueniat, vt suscipiatur gratanter, & religiosè educetur : ideò est ibi sub obligatione pro semper, & ad semper non impedire illud bonum studiosè.

Bonum Sacramẽti, seu indissolubilitas, est formaliter in matrimonio, bonum fidei & prolis tantùm virtualiter. Fides est in dando debitum coniugi, & in negando alteri.

Ex [g] his ad instantias. Ad primum dicitur vno modo, quòd indissolubilitas manet vsque ad mortem. Quod autem dicit Apostolus 1. Corinth. 7. *Si dormierit vir eius, soluta est mulier à lege matrimonij:* dicunt esse verum de morte ciuili, non tantùm de morte carnali, quia iste actus non competit, nisi viuenti vitâ ciuili : profitens autem vitam religiosam moritur ciuiliter. 6

Vide Rich. dist. 27. huius, artic. 2. quæst. 2.

Contra hoc, matrimonium esset consummatum, esset indissolubile omnino vsque ad mortem, ita quòd si coniuges etiam pari voto continerent, non dissolueretur vinculum inter eos, etiam per ingressum Religionis : ergo secundùm istam viam indissolubilitas ista competeret matrimonio : non ex contractu matrimonij simpliciter, qui est datio mutua : sed ex actu carnali superaddito ; quod non videtur probabile, quia iste actus non est aliquid noui contractus, nec per consequens aliquam nouam indissolubilitatem obligationis inducit.

Matrimoniũ ratum, quomodo indissolubile?

Aliter [h] dicitur, quòd per professionem Religionis non dissoluitur vinculum coniugale : sed si arguitur, quòd sponsa manens in sæculo potest alteri nubere, & esse vxor eius, & ita erit simul vxor duorum. Respondet, quòd hoc non est inconueniens, ita tamen quòd vnius tantùm spiritualiter, scilicet vinculo spirituali, alterius spiritualiter, & carnaliter : esset autem inconueniens, quòd esset duorum simul carnaliter : & secundùm hoc haberet consequenter concedere quòd vna posset esse vxor centum simul, isto vinculo spirituali : & tunc matrimonium vnde matrimonium, non determinaret quòd vna esset vnius, nec illa iustitia commutatiua, quæ ibi requiritur : nec videtur quòd illa copula carnalis sequens, aliquam nouam iustitiam commutatiuam tribuat.

Hēr. quodl. 5. quæst. 39.

Vxam simul vxorem esse duorũ, quomodocũque, est absurdũ.

Tertio [i] modo dici potest, quòd in matrimonio rato, etiamsi contrahens intendat non consentire in carnalem copulam, sed statim ad Religionem auolare ante consummationem, non est accommodatio, sed permutatio potestatis, non ad tempus, sed pro vsu perpetuo ; alioquin non esset verè matrimonium nouæ legis, & ex datione ista oritur vinculum indissolubile, nisi per mortem naturalem alterius coniugum, vel per reuocationem, seu relaxationem illius, qui statuit hoc esse sic indissolubile. Christus autem, qui istam indissolubilitatem induxit, *Matth.* 19. reprobans pro lege sua repudium Mosaïcum, ipse relaxauit istam indissolubilitatem, quando alter coniugum conuertitur ad Religionem. 7

Matrimonium ratum indissolubile vsque ad mortem naturalem, nisi Deus relaxet, quod facit per ingressum Religionis.

Vnde [k] Ecclesia nunquam attentasset post matrimonia rata non consummata, licentiare alterum ad Religionem, altero manente in sæculo, nisi Christus hoc instituisset:

tuiſſet: habetur autem hoc ex facto Chriſti vocantis Ioannem Apoſtolum, & Euangeliſtam ad Apoſtolatum à nuptiis, *Ioan.2.* cuius exemplum imitati ſunt ſancti Patres, Alexius, Theonas, & alij. Nec tamen illa nubens alij erit ſimul vxor duorum: ſed tantùm ſecundi, quia vinculum ipſius ad primum diſſolutum eſt per relaxationem Chriſti. Non autem præcisè per talem, vel talem mortem eius, quia diſſolutio, quæ eſt per mortem, eſt per defectum alterius extremi, nec requirit ſpecialem relaxationem legiſlatoris.

8 *Matrimonium ratum ſolui per ingreſſum Religionis eſt valde rationabile. Status virginalis præſtãtior coniugali. * Aliàs trigeſimum.*

Hæc [l] autem relaxatio Chriſti rationabilis fuit, quia rationabile eſt obligationem ad minus bonum, commutari in obligationem ad maius bonum, ab eo qui habet auctoritatem commutandi. Profeſſiò autem in Religione eſt obligatio ad maius bonum, quia ad ſpirituale. Vnde & Chriſtus ſtatum virginitatis intelligit non tantùm per carentiam actus, ſed cum propoſito continendi perpetuò: & iſtum prætulit ſtatui coniugali. Matth. 19. *Sunt eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum: qui poteſt capere capiat.* Vnde hæc caſtitas diuiſa contra coniugalem dicitur habere fructum centenarium, illa verò * trigenarium, ſecundùm Hieronymum contra Iouinianum.

Si [m] quæras, an iſta indiſſolubilitas conueniat matrimonio Euangelico propter rationem Sacramenti? Dico quòd in lege naturæ fuiſſet indiſſolubile: & tamen tunc non fuiſſet propriè Sacramentum annexum contractui matrimonij: & Chriſtus potuiſſet iſtam indiſſolubilitatem præcepiſſe in matrimonio ſuæ legis, licèt nullum Sacramentum adiunxiſſet illi contractui. Potuiſſet etiam Sacramentum adiungere contractui, ex quo tamen contractu non vellet naſci vinculum indiſſolubile, ſi voluiſſet repudium Moſaïcum approbare: eſt ergo iſta indiſſolubilitas à domino ſuperiori determinante contractum debere fieri pro ſemper, & obligationem debere ſequi pro ſemper; niſi ipſemet in aliquo caſu diſpenſet. Ad hoc etiam conſonat ratio naturalis recta.

9 *Cõditio contra aliquod ex tribus bonis matrimonij irritat.*

Ex [n] iſta ſolutione ſequitur corollarium notabile, quòd contrahentes ſub aliqua conditione repugnante alicui iſtorum trium bonorum, nihil faciunt, puta contra primum, accipio te in meam, donec occurrat magis placens. Contra ſecundum, accipio te in meam, ita vt non tenear tibi ſeruare fidem; nec affirmatiuè ad reddendum, niſi quando voluero: nec negatiuè, quin poſſim pro libitu meo alteri coniungi. Contra tertium, accipio te in meam, ſi procuraueris venena ſterilitatis, vel conſentias mecum in procuratione talium venenorum.

Conditio de non ſeruanda fide, dãdo debitum, non irritat.

Et ratio quare iſti contractus non ſunt matrimoniales, eſt, quia non tenent niſi ſub illa conditione, cùm ſint conditionales: ſed impoſſibile eſt quòd ſint matrimoniales ſub illa conditione, quia repugnat contractui matrimoniali: imò nullus contractus eſt, quia iſte non poteſt dare ſe contra præceptum ſuperioris. Prohibitio autem ſuperioris eſt de tranſlatione ſub iſtis conditionibus, quia præcepit tranſlationem, quæ debet fieri, ſub conditionibus oppoſitis fieri. Vnde quicumque attentauerint, non ſolùm peccant mortaliter, ſed obligantur ad recedendum ab omni vſu mutuo virtute talis contractus.

10 *Ad arg. 1.*

Ad [o] argumenta. Ad primum, patet quòd iſta non ſunt tria bona Sacramenti matrimonij: illud enim eſt quoddam ſignum concomitans contractum: ſed ſunt tria bona matrimonij vinculi indiſſolubilis manentis poſt contractum: & non eſt inconueniens illud eſſe bonum aliis bonis, & eſſe bonum vni iſtorum, tanquam bonitate intrinſeca, aliis tanquam finibus propinquiori & remotiori, ſeu principaliori.

Ad 2. Ad [p] ſecundum, patet ex ſolutione quæſtionis, quia bonum fidei eſt ſemper in obligatione, licèt non in executione.

Ad 3. Ad tertium, patet per idem, quia obligatio non eſt abſolutè ad bonum prolis, ſed ſub conditione, ſi eueniat, ad gratanter ſuſcipiendum, & religioſè educandum: & ad non procurandum ſtudioſè oppoſitum, ſcilicet ne eueniat. Tamen ſecundùm veritatem vbi eſt certa impoſſibilitas ad bonum prolis, non videtur actus ille coniugalis multùm excuſari per iſtud bonum; niſi fortè dicas quòd miraculoſè Deus daret fœcunditatem ſterili. Sed ſi nec illud eſt probabile, nec intentum ab iſtis vtentibus tali actu, alia duo bona excuſant: & tunc matrimonium eſt ibi tantùm vt in remedium, non autem vt in officium, de quo dictum eſt *diſt. 26. in ſolutione quæſtionis.*

Alia duo bona excuſant vt valeat matrimonium, ſed an actus eius ſit venialis dictũ eſt d. 26. fin.

Ad 4. Ad vltimum, patet quomodo æquiuocatur de Sacramento, quia vt eſt vnum bonum matrimonij, non eſt formaliter niſi indiſſolubilitas illius vinculi, vel obligationis: vt autem eſt Sacramentum matrimonij, eſt ſignum ſenſibile gratiæ collatæ dignè contrahentibus matrimonium, ad coniunctionem gratioſam animorum.

COMMEN

COMMENTARIVS.

8 c Ad quæstionem ergo dico, &c. Doctrina huius resolutionis est peruia: dicit primò bonum & perfectum idem esse ex Philosopho; perfectum autem est illud quod est ex integra causa, & cui nihil deest ad complementum sui, siue sumatur physicè, siue moraliter bonum & perfectum. Hic sumitur moraliter: bonum autem morale completur intrinsecè ex propria forma, quæ dicitur bonitas ex genere, & extrinsecè per finem tanquam per formam extrinsecè perficientem. Hæc duplex perfectio trahit secum reliquas circumstantias: nam bonum est illud, quod conuenit personæ operanti, aut subiecto, cui est bonum: quòd si ergo nihil ei deficiat perfectionis, quantùm ad formam intrinsecam, qua constituitur, & quantùm ad finem, seu formam extrinsecam, completur etiam per reliquas circumstantias, quæ ex parte rei exiguntur, vel ex natura actus, aut finis, & modo attingendi vtrumque. Distinguit finem in proximum, & remotum. Loquitur de fine *cuius gratia*, seu extrinseco. Proximus dicitur finis, *sub fine*, seu finis ordinatus ad vltimum, in quo sistit motus, & completur vltimatè bonum, v. g. cæteræ virtutes ordinantur ad charitatem, quæ est forma ipsarum dans vltimum complementum meriti. Dicitur autem finis ille, qui est proximus, quia potest esse motiuum electionis per se, & ex propria bonitate, in quo distinguitur à medio, quod tantùm est bonum vtile, & non intenditur propter se, sed propter finem, & inquantùm conducit ad finem, & ex motiuo tantùm finis eligitur.

Quid sit actus bonus & causa eius?

Ordo actus ad circumstantias.

Diuisio finis.

9 Præterea dicit finem remotum esse regulariter perfectiorem quàm proximum. Hoc patet, quia aliàs proximus non ordinaretur ex natura sua ad finem remotiorem, vt perficiendus per ipsum. Dicit autem *regulariter*; quia aliquando finis proximus est perfectior, & communicans perfectionem fini remoto, vt quando imperatur actus charitatis ad finem Pœnitentiæ, aut alterius virtutis, actus imperatus attingit bonitatem charitatis, vt finem proximum, & ordinat vlteriùs illam ad finem, seu bonitatem alterius virtutis, vt per charitatem perficiatur: quæ bonitas est finis remotus actus imperantis, & ordinantis charitatem: sic ipse *infrà in* 4. *dist.*48.*quæst.*2. §. *Sed illam rationem*, &c. Finem distinguit in perficientem, vt est beatitudo, & consequentem perfectionem, qualis est finis causæ se ipsam communicantis alteri, communicando effectum, qui dicitur finis causæ, qui eam non perficit, sed sequitur in alio, ex perfectione causæ, quæ effectum communicat alteri perfectibili extra se. Vide etiam *dist.*49. *quæst.*8. *ad* 4. vbi quatuor acceptiones finis designat. Prima est causæ finalis. Secunda est perfectionis vltimæ. Tertia est eius quod dicitur optimum. Quarta est illud quod vltimum.

Finis extrinsecus regulariter perfectior est.

Finis perficiens.

Varia acceptio finis.

10 d *Accipiendo ergo matrimonium*, &c. Sumit matrimonium pro vinculo relicto ex contractu, cuius formam intrinsecam, vt distinguitur ab obligatione ex aliis contractibus, dicit esse insolubilitatem ipsius vinculi: nam cæteræ obligationes sunt solubiles, vel ex consensu partium, vel per potestatem superiorem: hoc autem vinculum manet insolubile, & ratione huius insolubilitatis hoc vinculum dicitur Sacramentum, seu signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Ita Augustinus variis in locis, & de nuptiis & concupiscentia lib. 1. cap. 10. *Verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apostolus: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Huius proculdubio Sacramenti res est, vt mas & fœmina connubio copulati, quamdiu viuunt inseparabiliter perseuerent*, &c. cap. 21. *quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in Christo, & in Ecclesia: quod ergo est in Christo, & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris, & vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabilis Sacramentum*, &c. de bono coniugali cap. 7. 15. 24. de Genes. ad literam lib. 9. cap. 7. *In Sacramento autem* (supple attenditur) *vt coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, nec causa prolis alteri coniugatur*, &c. Perfectio itaque formalis, & intrinseca huius vinculi est eius perpetuitas, & insolubilitas.

Insolubilitas forma matrimonij.

August.

Finis extrinsecus proximus est fides, seu obligatio, qua sibi mutuò tenentur ad debitum, si petatur, & qua nequeunt aliis sui copiam facere. Finis autem principalis est procreatio, & educatio prolis, si suscipiatur, ad quem ordinatur copula ex natura contractus, tanquam ad principalem finem. Ex quibus patet quomodo, & quo ordine hæc tria bona spectant ad matrimonium.

Finis proximus extrinsecus matrimonij.

Finis principalis.

e *Sed propter argumenta videndum est*, &c. 11
Vt ostendat hæc tria bona esse in quolibet matrimonio, obiicit primò quòd bonum Sacramenti, seu insolubilitatis non sit in matrimonio rato, non consummato: quia illud solubile est per professioné in Religione approbata, *Extra de reg. cap. Ad Apostolicam.* Secundò obiicit bonum prolis non esse in matrimonio inter eos, qui sunt steriles: v. g. neque bonum fidei in coniugio adulterorum.

Obiectio.

f *Respondeo Sacramentum vt est bonum matrimonij*, &c. Dicit primò non sumi Sacramẽtum hîc vt signum sensibile gratiæ: quod patet etiam ex locis citatis Augustini. Distinguit vtrumque ab inuicem secundùm diuersas, & proprias rationes. Prima differentia, quia Sacramentum secundo modo sumptum est quid sensibile. Primo modo est aliquid spirituale: illud est transiens, hoc autem permanens: illud causat gratiam, hoc autem nequaquam: hoc bonum insolubilitatis est intrinsecum Matrimonio, reliqua autem non sunt intrinseca formaliter, sed in obligatione, & virtualiter quod est dicere obligationem esse intrinsecam ex lege, licèt non actus obligationis, fides scilicet, & educatio prolis, si contingat. 12

Differentia inter Sacramentum sensibile & mysticum.

g *Ex his ad instantias*, &c. Soluit obiectiones præmissas supposita doctrina iam tradita. Primò reiicit responsiones duas, quarum prima est Richardi *dist.*27.*art.*2. *quæst.*2. dicentis insolubilitatem esse perpetuam, & vsque ad mortem: sed per mortem intelligit non solùm naturalem, sed etiam ciuilem, quæ est per professionem, & sic intelligit Apostolum 1. *ad Cor.*7. Hanc impugnat, quia si matrimonium fuisset consummatum, maneret etiam insolubile quantumlibet coniuges pari voto continerent, aut 13

Soluitur obiectio.

Responsio Richardi.

Impugnatur.

Matrimoniũ consummatũ semper manere.

aut ingrederetur Religionem altera ex ipsis de consensu alterius, quia emissa professione manens in sæculo nequit coniungi alteri, quia vinculum manet. Subiungit ex copula hanc indissolubilitatem non oriri, quia nihil est contractus, aut nouam obligationem inducens, &c.

14 Arguit contra principia illius responsionis, quibus dicitur matrimonium per mortem ciuilem dissolui, quia non inducit obligationem, nisi vsque ad mortem, vel naturalem, vel ciuilem. Vnde hoc tenendo sequeretur obligationem, seu insolubilitatem matrimonij consummati non oriri simpliciter ex contractu, sed ex copula, quod non est probabile, quia copula sequens non est aliquid contractus, sed ex contractu, & eius obligatione oritur tanquam actus obligationis: ergo non dat contractui vt sit insolubile, tanquam scilicet addens nouam obligationem ex natura sua distinctam ab ea, quæ est ex natura contractus, quod verum est: licèt enim matrimonium firmetur per copulam (*cap. Ex publico*, &c. *de conuers. coniug. & ex pluribus alijs*, 27. *q*. 2.) quòd matrimonium consummatum sit insolubile, non prouenit hæc insolubilitas ex copula præcisè; sed ex vi contractus, vt consummatur per copulam, qua traditur possessio actualis corporum mutua per commixtionem, & fiunt duo in carne vna; insolubilitas autem proueniens est à lege Dei positiua, qua afficit primò contractum, vt firmatur per copulam, seu consummatur. Vide *cap. Lex. cap. Sunt qui dicunt. cap. Agathosa. cap. Si quis coniugatus. cap. Si vir & vxor*, &c. *cum tribus sequentibus*, 27.*q*.2. Lex ergo insolubilitatis matrimonij primò afficit ipsum vinculum, & non copulam, licèt, copula subsequuta, maneat vinculum omnino, & quauis causa insolubile ex eadem lege, vt *infrà* Doctor. §. *Tertio modo dici potest*, &c. vbi respondet ad instantias præmissas ex propria sententia.

Copula est actus obligationis, nō aliquid contractus.

Insolubilitas matrimonij est ex lege, vt afficit vinculum.

15 h *Aliter dicitur quòd per professionem*, &c. Hæc sententia est Henrici. Eam aliter defendunt alij, quòd si vterque coniunx ingrediatur, & professionem emittat, manere vinculum; non manere autem vinculum, si vnus solus profiteatur. Ratio disparitatis est, quia dum vnus solus profitetur, renunciat iuri suo: quando autem vterque simul profitetur, neuter renuntiat. Hæc est D. Thomæ *in* 4.*dist*.27.*q*.1.*art*.3. *quæstiunc*.3. *ad primum*. Paludani *q*.3.*art*.2.*conclus*.2. Palacios *disp*.2. Probabilem docet Sanchez *lib*.2.*disp*.20. Ledesma *in* 2.*p*.4.*q*.63.*art*.3. Sententiam Henrici sequitur Erasmus *in c*.7. 1.*ad Corinth*. Franciscus Torrensis *de sexta Synodo*, in eandem propendet. Claudius Espenceus *lib*.6.*de continentia*, *cap*.4. Glossa etiam *in cap*.2.*de conuers.coniug*. aliquos idem docere ait. Panormitan. *in cap.prædictum*, asserit aliquos dicere non statim dirimi vinculum, sed dum manens in sæculo contrahit matrimonium.

Responsio aliorum.

Matrimoniū ratum nō solui per professionem, si simul conuertantur coniuges.

16 Hanc sententiam rectè impugnat Doctor in litera ex huius contractus natura, qui non est vagus, sed vnius cum vna ex diuina institutione, & secundùm dictamen rectum legis naturalis; est enim indiuidua vitæ societas, & apertè definitum est contrarium in Tridentino sess. 24. de matrimonio can. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem alterius coniugis non dirimi, anathema sit*, &c. Eusebius Papa, vt habetur *cap. Desponsatam*, 27.*q*.2. *Desponsatam puellam non licet parentibus alij tradere, licet tamen illi monasterium sibi eligere*. Item, Gregorius *lib*.6. *Regesti*, *epist*.20. *ad Fortunatum*, & habetur *cap. Decreta legalia*, &c. idem docet *eodem titulo*. Alexander III. *cap. Ex publico*, &c. *de conuers.coniugat*. Innocent. III. *cap. Ex parte tua*, &c. *eodem titulo*. Ioannes XXII. *in Extrauaganti Antiqua*, &c. *de voto*, &c. Idem patet ex praxi, & vsu Ecclesiæ.

Impugnatio.

Trident.

Eusebius Papa.

Probatur ratione: quia hic contractus non est vagus, sed inter duos, vt *in commento*, *dist*.26. *quæst.vnica*, dictum est. Aduersarij etiam admittunt vinculum esse perpetuum ex natura sua, qua ratione tenent manere post professionem: ergo si manet, manet etiam obligatio cōtractus; sed hæc incompatibilis est cum alia obligatione, quam in sæculo manens possit superinducere: ergo, &c. Probatur minor, quia omnes Scripturæ, ex quibus probatur obligatio vinculi matrimonialis esse insolubilis, probāt similiter eam esse respectiuè ad vnum, vel vnam, & non ad plures, iuxta illud, *Erunt duo in carne vna*, *Gen*.2. *Matth*.19.1.*ad Corinth*.7.*ad Romanos* 7. ergo sequeretur quòd manens in sæculo non posset inire matrimonium. Deinde, obligatio manens semper viuit respectiuè ad personam cui manet: ergo habet semper eundem effectum quantùm ad ius, in quo fundatur; sed matrimonium ratum contractum inhabilitat partes ad ineundum aliud matrimonium ex natura sua, quia habet Sacramentum, & fidem annexam, quæ excludit in solidum obligationem similem cum altera: ergo si non extinguitur professione, perinde habet eundem effectum. 17

Probatio à ratione.

Monogamia

Obligatio manens semper viuit.

Dices manere quoad vinculum spirituale, non verò quoad corporale. 18

Responsio.

Contrà: Matrimonium principaliter consistit in societate indiuidua, vt fundatur in permutatione perpetua corporum: ergo vel manet quoad hoc, vel soluitur. Deinde non est ratio cur dicatur matrimonium non esse, tam perpetuum vinculum quoad permutationem corporum, quàm quoad vinculū spirituale, cùm matrimonij vinculum sortiatur obligationē in ordine ad finem, ad quem institutum est, qui, vt *suprà* declarauit Doctor, est debitum fidei, & procreatio prolis. Præterea, vinculum spirituale matrimonij vel intelligitur de amore mutuo cōiugum, & naturali, vel in significatione mystica, qua repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia; sed neutrum cōpatitur cum diuisione personæ, & carnis suæ per aliud matrimonium simul, quia amor ille naturalis est indiuiduæ societatis, quam non habet superinducens aliud matrimonium, in quo diuidit societatem, neque repræsentare potest vnionem Christi cum Ecclesia, vt vna sponsa: ergo nequit manere vinculum spirituale.

Impugnatio.

Non manere matrimoniū ratum quoad vinculū spirituale.

Deinde, si Pontifex dispensaret cum professa persona in voto, sequeretur vel eam posse repetere coniugem priorem, quia manet matrimonium ratum, & non impeditum, ac proinde reuiuiscit quoad totam obligationem, cùm sit perpetuum; vel non posset repetere, sed inire aliud matrimonium, & consummare: sic autem maneret obligata duobus, quod adeò absurdum est, ac dicere manere aliquem obligatum contractu legitimo, & non rescisso, & non manere; aut vendere equum, quem alteri vendidit denuò sine ipsius consensu illæso iure. Vel, vt clariùs dicam, rem, quæ transiuit in ius alterius, & ampliùs 19

Ab inconueniēnti.

In casu dispensationis.

pliùs non est propria, permutare de Iure cum alieno. Sed cõtractus matrimonij etiam rati perficitur de præsenti permutando corpora, ita vt per Apóstolũ vir non habeat potestatem sui corporis, sed mulier, neque mulier sui, sed vir: ergo manente iure partis, neque vir potest disponere de corpore suo, neque mulier de suo, illæso Iure.

20 Ex hoc sequitur impugnatio secundæ sententiæ, quia si professio alterius coniugum dirimit matrimoniũ ratũm in vna, sequitur etiam habere eundem effectum in altera, si simul ingrediãtur. Probatur sequela, quia ex textibus allegatis constãt professionem dirimere matrimonium ratum, vt patet ex Tridentino, quacumque lege id dirimat: dirimitur tamen in fauorem Religionis tanquam status perfectioris, cui hoc priuilegium datur absolutè, & sine consensu partis, cuius ius extinguitur; sed quod in fauorem conceditur Religionis professæ, perinde subleuat onus antiquæ obligationis, siue vnus coniugum, siue vterque participet eundem fauorem: ergo etiã perinde dirimitur matrimoniũ inter vtrumque, siue alter profiteatur, siue vterque; priuilegia enim, quæ absolutè ratione status, & eius intuitu cõceduntur independenter à personis, partipatione sola status communicantur: ergo & hoc priuilegiũ, quod tale est intuitu solius status.

Impugnatur secunda sententia.

Matrimoniũ ratum dirimi per professionem vtriusque coniugũ.

Priuilegium status, quomodo acquiritur.

21 Deinde idem patet ex ratione, seu fundamento sententiæ oppositæ, quia ideò dicit non dirimi matrimonium ratum in casu conuersionis communis coniugum, quia non censentur renunciare iuri suo: sed matrimonium, & eius vinculum ratum non potest dissolui per consensum eorum, neque ab eis ampliùs dependet eius perpetuitas, sed à lege instituente: ergo retentio, aut renuntiatio iuris per ipsos facta, non facit ad solutionem vinculi: vel ergo ex natura status Religiosi dirimitur, & professionis factæ, vel certè nullo modo dirimitur.

Retorquetur fundamẽtum opposita sententia.

Perpetuitas vinculi non dependet à consensu coniugum.

Responsio.

Dices, textus *suprà* allatos loqui tantùm de conuersione alterius ad Religionem, & per eam dirimi matrimonium, non verò quando vterque conuertitur.

Impugnatur. Professio dirimit.

Contrà: Textus allati dicunt matrimonium dirimi per professionem in Religione, quod verum etiam est, etiamsi alius reclamet contra conuersum: ergo causa tollens vinculum est ipsa Religio professa; ac proinde eundem semper effectum inducit in altero, & in vtroque. Deinde, à contrario sensu, si ingrediens Religionem dicitur renuntiare suo iuri in eo solùm, quòd ingrediatur, & profiteatur ex incompatibilitate status cum vinculo matrimonij rati, quod lex non vult tenere cõtra professionem; eodem modo dicendum videtur, quòd vterque assumens statum, cum quo illud vinculum est incompatibile ex lege, ipso facto renuntiet suo iuri per solam professionem superinductam, quæ lege repugnat. Aliud autem est de matrimonio consummato, quando coniuges simul conuertuntur, quia illud ipsa lege insolubile est, ac proinde semper manet: ergo eadem lex statuens contrarium quoad matrimonium ratum, habet suum effectum respectiuè ad vtrumque coniugem; quod probat ipsa exceptio.

Vterque renunciat iuri suo per professionem.

22 Deinde, si vterque post professionem consummaret matrimonium, non cõmitterent fornicationem, licèt copula esset sacrilega, & contra votum, si matrimonium esset ratum, & manens. Quid autem tum de ipsis disponendum esset secundùm diuinam legem, ex qua maneret vinculum matrimonij rati inter professos Religionem? An matrimonium sic consummatum præualeret voto, maximè secuta prole, an votum matrimonio spectato solo Iure diuino?

Casus si matrimoniũ ratum consummaretur post professionem vtriusque.

Dices præualere votum. *Responsio.*

Contrà: Matrimonium consummatum Iure diuino fortiùs ligat, & ideò vinculum eiùs manet etiam in professis, quia indelebile est: ergo etiam matrimonium ratum, si manet, in casu transit in consummatum: ergo perinde habebit eundem effectum insolubilitatis in quocumque casu: ergo nequit Pontifex dispensare, vt alter ipsorũ solutus à vinculo Religionis posset coniungi alteri; hoc autem videtur inconueniens, quia copula superinducta voto, quod simpliciter inhabilitat personas ad ineundum matrimonium, non videtur plus iuris tribuere partibus, quo eximantur à potestate plenaria superiori, quàm si non sequeretur, sicut qui post consummatum matrimonium professi sunt, nihil iuris noui in se acquirunt etiam interueniente copula, quia per votum facti sunt inhabiles ad acquisitionem noui iuris: ergo similiter illi facti sunt inhabiles ad acquisitionem noui iuris per copulam sequentem votum ipso voto. Quòd si nihil iuris acquirunt, manet eadem potestas Pontifici in eosdem, quæ fuit anteà. Non manet ex alio capite, quia iam consummarunt matrimonium. Et vt infrà dicetur de impedimento voti aliquando non fuit dirimens iuxta sententiam Augustini: sed fit tantùm dirimens Iure Ecclesiastico inhabilitante personas: ergo Iure diuino solo attento præualet matrimonium consummatum hoc modo: ergo si contractus manet in professis, idem nunc dicendum esset, quia Ecclesia nequit in contractum, nisi vt inhabilitat personas, & stãte contractu legitimo nequit tollere effectum eius ex diuino Iure cõuenientem. *Impugnatio.*

Ponatur, & iam alterum fuisse solutum à Religione per dispensationem, sequeretur eum non posse coniungi alteri, quia ligatus priori matrimonio maximè in sententia eorum, qui dicunt matrimonium ratum non esse dispensabile, quod communiùs tenent Theologi: ergo derogat eius libertati fauor Religionis, aliàs dirimentis matrimonium ratum, & peioris fit conditionis, ex eo quòd sit professus Religionem: quod non videtur dicendum, quia sublato vinculo Religionis tollitur onus, & impedimentum accessorium. Dicendum ergo solui matrimonium ratum per professionem Religionis. 23

i *Tertio modo dici potest, quòd in matrimonio rato*, &c. Hîc statuit conclusionem, per quam respondet ad instantias præmissas, nempe Iure diuino positiuo matrimonium ratum esse perpetuum, excepto casu professionis, quem exemit Christus à lege insolubilitatis; & hoc consonat rationi naturali rectæ. Hanc tenent Abulensis 1. *Reg. cap.* 8. *q.* 98. 103. 113. Victoria *de potestate Papæ proposit.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. *concl.* 1. Petrus de Soto *lect.* 12. *de matrim.* Ledesma *in* 2. *part.* 4. *q.* 63. *artic.* 3. Corduba *lib.* 1. *q.* 25. Angles *in flor.* 1. *p. q.* 1. *de essentia matrimonij*. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. c.* 8. & multi alij; quam vt probabiliorem sequitur Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. disp.* 19. Citari etiam possunt pro hac sententia Altisiodorensis *lib.* 4. *Sum. tract.* 9. *cap.* 2. D. Thomas *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. Richardus *artic.* 2. *q.* 2. Durandus *q.* 2. Paludanus *quæst.* 3. 24

Responsio Doctoris. Solui ratum Iure diuino in fauorem professionis.

quæst.3.art.3. & alij, qui asserunt Iure diuino naturali solui matrimonium ratum per professionem, quia non intendunt Ius naturale in rigore, sed vt consonum Iuri naturali contractus, & status Religionis, supposita institutione diuina contractus, & eminentia status Religiosi supra statum coniugalem; & hoc est, quod dicit Doctor, nempe hoc priuilegium Religionis esse consonum rationi naturali rectæ: *infrà*, §. *Hac autem relaxatio Christi*, &c. Eandem sententiam tenet Turrecremata *c. Sunt quidam*, *27.q.2.* Lancellotus *institut. Iuris canonici, lib.2. tit. de sponsalibus.* Couarruuias 4.*decreti*, 2.*p.cap.7.* nam fundamentum huius sententiæ est, quia mors spiritualis est professio in Religione ad Coloss. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo*, &c. & ratione naturali licitum esse à statu imperfectiori, ad perfectiorem fieri transitum nullâ tertio illatâ iniuriâ, quia hæc commutatio est minoris boni in maius non læsa iustitia, quod non excludit Dei ordinationem, & acceptationem, seu legem.

25 *Probatio conclusionis.* Probatur conclusio à Doctore, quia in contractu matrimonij non est accommodatio, sed permutatio potestatis, non ad tempus, sed perpetua; alioquin non esset verum matrimonium nouæ legis institutum à Christo, *Matth.* 19. & reuocatum ad primum statum suæ institutionis à principio, excluso repudio, quod in lege Mosaïca permittebatur. Hæc ratio patet ex dictis de natura & essentia matrimonij, & eius fine. In hac ergo lege Christus ipse dispensauit, aut non comprehendit casum conuersionis coniugis ad Religionem, non cōsummato matrimonio. Hoc insinuatur *in cap. Ex publico*, &c. *de conuersione coniugatorum.* Vbi Alexander III. in fine dicit: *Sanè quod Dominus in Euangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis, vxorem suam dimittere, intelligendum est secundùm interpretationem sacri eloquij, de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non potest*, &c. & respondet in casu proposito de matrimonio rato, quod solui dicit per ingressum Religionis, *& cap. Ex parte 2. eodem titulo*, dicitur Sanctos ex diuina reuelatione, quæ superat omnem legem, à matrimonio rato transisse ad statum perfectiorem.

Alexand. III.

26 *Confirmatio.* Confirmatur: nam copula carnalis subsecuta matrimonium ratum, quæ est eius cōsummatio, à sensu contrario reddit causam cur coniugatorum vnus nequit ad Religionem conuolare inuita altera, vt cōstat ex decretis Patrum, 27.*q.2.* & causam esse asserunt, quia iam consummato matrimonio facti sunt vna caro, & *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, quia illud est diuini Iuris, vt patet ex Canonibus allegatis: ergò quòd ex matrimonio rato alter possit ad Religionem transire, est Iuris diuini dispensantis in fauorem Religionis, & perfectionis huius status in tali matrimonio. Probatur consequentia, quia matrimonium ratum eādem legem sortitur cum consummato, excepto casu dispensationis, quia est perpetua permutatio corporum ex natura, vt patet, quia sic institutum in paradiso, est vnius cum vna, vt declarat Christus *Matthæi* 19. insolubilis extra hunc casum per consensum partium saltem; est etiam Sacramentū significans vnionem Christi cum Ecclesia, & est signum sensibile dans gratiam, vt patet ex Trident. *sess.*24. in doctrina de hoc Sacramento, & ei conueniunt bona tria matrimonij; sed matrimonium, vt est institutum primò, & secundùm legem illius institutionis, est fundamentum significationis sacramentalis, loquendo de contractu in *fieri*, & de Sacramento, vt est signū practicum gratiæ: ergo sicut institutio sacramentalis adhæret contractui secundùm primam institutionem, & sicut gratia sacramentalis datur ad supportanda onera matrimonij, & vtrumque saluatur in matrimonio rato, ita etiam vinculum eius sortitur eandem legem, & significationem, & finem, quæ habuit matrimonium ex prima sua institutione; hæc autem lex fuit vt esset vinculum perpetuum ex natura sua; quæ manet quoad ratum, nisi in casu excepto per Christum.

Ingressus Religionis soluit matrimoniū ratum ex dispēsatione diuina.

Conueniētia rati, & consummati.

27 *Eorum differentia.* Secundò probatur, quia matrimonium ratum non differt à consummato, nisi ratione copulæ; sed copula non est de essentia matrimonij, aut per se de substantia, sed perfectio accidentalis. Vnde matrimonium Virginis cum Iosepho fuit verum, & substantiale matrimonium, quamuis ratum, sicut & primorum parentum in paradiso. Deinde, si quis inito matrimonio rato, contraheret de præsenti cum altera, & illud consummaret, sequeretur, si copula esset de essentia matrimonij, posterius valere, contra declarationem Gregorij IX. *cap. Si inter virum*, &c. *de sponsalibus*, &c. imò sequeretur vlteriùs, si matrimonium ratum non esset insolubile Iure diuino, sed tantùm Ecclesiastico, posterius matrimonium esse insolubile: quia consummatum, quod Iure diuino in omni casu manet insolubile; Iuri autem diuino cederet præceptum Ecclesiasticum de insolubilitate matrimonij rati, quin etiam ipsum vinculum, si solubile esset, ex natura rei cederet alteri consummato incompatibili, quod Iure diuino est insolubile.

Dices, Ecclesiam contrahentes matrimonium ratum inhabilitasse suo præcepto ad aliud matrimonium. *Responsio.*

28 *Impugnatio. Insolubilitas matrimonij rati non est ab Ecclesia.* Contrà: Præceptum tale nullibi legitur latum ab Ecclesia, neque inhabilitas statuta. Demus etiam oppositum, si Ecclesia reuocaret tale statutum, vt potest, sequeretur matrimoniū ratum non esse ex natura contractus perpetuum, vt subest diuinæ legi: ergo tunc quantùm est ex parte diuinæ legis, solueretur per matrimonium aliud superueniens, & consummatum: quia adueniente strictiori vinculo, rumpitur minùs forte, Gloss. *in cap. Duobus modis*, &c. *de sponsa duorum*, &c. sicut sponsalia de futuro præmissa soluuntur per matrimonium de præsenti subsequens, vt ibi dicitur: hoc autem falsum est, nempe matrimonium ratum cedere matrimonio consummato, vt omnes concedunt: ergo eadem lege censentur, diuinâ, inquam, quæ statuit matrimonium ratum esse insolubile, & perpetuum ex natura sua, nisi in casu expresso ingressus Religionis, qui ab ipso legislatore eximitur, interpretante Ecclesia talem casum eximi.

Confirmatio. Confirmatur, sub institutione matrimonij, *Genes.2. Matth.*19. comprehenditur matrimonium ratum, vel non comprehenditur? Si primum; ergo lex matrimonij designata prædictis locis matrimonium ratum comprehendit; sed nulla alia diuina habetur matrimoniū consummatum esse indissolubile, quàm per illam legem, quam pro fundamento vinculi perpetui post consummationem adferunt Patres, & Pontifices: ergo perinde extenditur lex hæc vniuersalis ad matrimonium

Fundamentum indissolubilitatis cōprehendit ratū matrimonium.

monium ratum, quia vbi nihil excipit, aut distinguit, nec nos excipere, aut distinguere debemus; lex autem absolutè loquitur de hoc contractu, vt est inter duos permutatio corporum: ergo sic debet intelligi.

29 Si dicas quòd non comprehendatur: ergo neque cōtractus ille matrimonij rati sortitur aliam naturam lege diuina ab aliis contractibus, secundùm iustitiam commutatiuam initis: ex quo sequuntur absurda. Primum, non erit Sacramentum, quod est contra fidem, & Tridentinum, vt suo loco dictum est; quia nullum matrimonium est Sacramentum, nisi dum fit cōtractus de præsenti, & vt est matrimonium ratum per consensum de præsenti. Imò neque matrimonia olim præsumpta valebant in facie Ecclesiæ, nisi in virtute consensus antecedentis copulam; quia Ecclesia præsumebat illā copulam non esse fornicariam, sed maritalem; proindéque præsupposuisse consensum præsenté maritalem, per quem sponsalia transibant in matrimonium ratum, ex quo consensu sequebatur copula, aut præsumebatur sequi; nunc autem post Tridentinum Sacramentum semper perficitur per matrimonium de præsenti, quod dicitur ratum. Quòd verò non sit Sacramentum, nisi comprehendatur sub lege matrimonij expressa prædictis locis, aut sub institutione adiuncta (negando scilicet cōprehendi sub vna, negatur consequenter comprehendi sub altera) probatur vniuersim ex doctrina tradita de hoc contractu, quà est Sacramentum legis nouæ, quia institutio Christi accessit matrimonio, vt erat contractus institutus à Deo in officium naturæ in paradiso, quod optimè declarat Tridentinum *sess.24. in cap. Doctrinali.*

Absurda quæ sequuntur ex opposito. Sequitur non esse Sacramētum.

Trident.

Matrimonij, inquit, perpetuum, indissolubilémque nexum primus humani generis parens diuini Spiritus instinctu pronunciauit, cùm dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, &c. Quamobrem relinquet homo patrem suum, &c. & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, &c. Postea subiungens Christi declarationem *ex Matthæi* 19. qua hic contractus esse debeat duorum tantùm, iuxta primam institutionem, subdit Concilium; *Eiusdémque nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatum his verbis confirmauit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Tertio loco subiicit quomodo euexit contractum illum ad *esse* Sacraméti nouæ legis: *Gratiam verò, inquit, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem vnitatem confirmaret, coniugésque sanctificaret, &c. sua nobis passione promeruit.* Deinde, asserit hoc Paulum *ad Ephesios* 5. insinuasse: *Sacramentum hoc magnum est, &c.*

30 Ex quibus Concilij verbis, & consequentia doctrinæ eidem scopo infixæ, sic argumentor; primò asserit perpetuum, & indissolubilem nexum matrimonij fuisse prædictum à primo parente verbis præfatis. Secundò, Christum eam declarasse prophetiam, *Matthæi* 19. & declarasse nexum perpetuum (tollendo scilicet libertatem repudij in lege Mosaïca permissam ob duritiam cordis Iudæorum, & alia pericula) à lege Euangelica, in qua voluit nexum manere perpetuū, dicens, *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Tertiò, asserit Christum institutorem Sacramentorum sua passione gratiam nobis meruisse, qua naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem vnitatem confirmaret. Particula *illum*; refert, seu demonstrat antecedens, nempe perpetuum nexum, & indissolubilem prædictum ab Adamo declaratum, & confirmatum à Christo, esse Sacramentum, vt est in *fieri* per contractum. Tandem quartò, id insinuasse Apostolum per illa verba: *Sacramentum hoc magnum est, &c.* quibus declaratur etiam significatio mystica, ex qua tanquam ex motiuo, per institutionem Dei sortitur matrimonium perpetuitatem, & insolubilitatem nexus, ex August. *lib. de nuptijs & concupisc. c.* 10. *& de bono coniugali*, 7. *Quid, inquit, sibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis, quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi alicuius rei maioris quoddam Sacramentum adhiberetur, &c.*

Doctrina Cōcilij.

31 Ergo à primo ad vltimum sequitur, nisi matrimonium ratum comprehendatur sub institutione, & lege diuina prædictis locis expressa, non esse Sacramentum, quia Christus non dedit efficaciam hanc gratiæ, nisi matrimonio, de quo præfatis locis agitur; contrariū est contra fidem: ergo matrimonium ratum, & non consummatum comprehenditur in lege, & institutione illa generali; & consequenter est indissolubilis, & perpetuus nexus secundùm doctrinam Cōcilij, prædictionem Adami, Christi declarationem, & confirmationem, est Sacramentum, quod perficit amorem, seu societatem hanc primam generis humani (vt vocat Augustinus) naturalem, & indissolubilem vnitatem, vt dicit Concilium. Deinde, habet in se significationem sacramentalem, tam mysticam, quàm practicam, quam insinuat Paulus loco præfato. Imò omnia hæc perficiuntur in matrimonio rato, antequàm sequatur copula, quia collatio gratiæ sacramentalis, qua nexus ille amoris naturalis, & indissolubilis vnitas perficitur, & confirmatur, vt dicit Concilium, reliqua supponit in *fieri*, & eis accedit ante copulam.

Consequentia ex præmissa doctrina.

32 Optimè ergo docet in matrimonio rato fieri perpetuam permutationem corporum, & non temporariam, quantùm est ex vi legis vniuersalis. Imò, & vlteriùs addo ex vi vniuersalis legis, & institutionis, & Sacramenti practicè causantis gratiam, perinde matrimoniū ratum, & consummatum esse insolubile, & in hoc tantùm differre ratum, in quantùm contra legem vniuersalem ex priuilegio in fauorem Religionis, data est relaxatio ab insolubili, aliàs vinculo matrimonij rati; quæ non est data quoad matrimonium consummatum; sed manet subiectum legi in omni casu; ideóque magis insolubile est, quàm ratum: non comparando matrimonium ratum præcisè ad legem, sed ad priuilegium contra legem datam in casu particulari Religionis, quo sublato vtrumque eadem lege censerentur.

Ratū, & consummatū eodem modo se habent quoad legē vniuersalem.

Non ergo rectè, neque consequenter mihi videntur aliqui moderni tenentes copulam non esse de essentia, aut substantia matrimonij, asserere prædictis in locis Scripturæ citatis, tantùm intelligi matrimonium consummatum, ex eo quòd dicantur duo fieri in carne vna, quod per copulam, inquiunt, tantùm fit; quia illa loca, vt visum est, comprehendunt duos fieri in carne vna, etiam quantùm ad vinculum per matrimonium ratum, antecedenter ad copulam, vel aliàs: vnde suppetit fundamentum, ratum in quouis alio casu esse insolubile, aut esse Sacramentum institutum à Christo, aut significare coniunctionem Christi cum Ecclesia? Neque refert quòd in aliquibus locis Patres asserunt copulam facere matrimonium insolubile, quia loquuntur de matrimonio respectiuè ad

Per matrimonium ratum fieri duos in carne vna.

conuersionem ad vitam religiosam inter fideles, quod Christus manere voluit; matrimonium verò ratum, vt iam dictum est, sic respectiuè ad priuilegium vitæ religiosæ est solubile. Sicut olim etiam fuit matrimonium consummatum solubile in lege Mosaïca per repudium, vt plures tradunt, & matrimonium infidelis conuersi ad fidem, quando alter non vult ipsi cohabitare.

33 *Explicantur Canones.* Neque vrgent etiam quidam Canones citati à Gratiano 27. q. 2. vt *cap. Non est dubium*, &c. & *cap. Cùm societas*, &c. quia primum citatur ex Augustino, qui illud nullibi docet. *Non est dubium*, inquit, *illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse*; &c. Hic textus est corruptus, quia vltra verborum variationem, variatur etiam sensus; sic enim legitur apud Leonem (*Leo Papa. Restituitur Canon, eiusque sensus.*): *Cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium*, &c. Ita *epist.* 90 aliàs 92. *ad Rusticum, cap.* 4. loquitur de concubina, quam non facit vxorem coniunctio sexus, quia defuit fœdus nuptiale. Vnde *ibidem* docet nuptam superinductam per matrimonium concubinæ, esse legitimam vxorem, nisi priùs, quæ concubina fuit, per matrimonium legitimum fuerit coniuncta. Hic textus corruptus Gratiani multos decepit.

34 *Matrimoniũ fieri per consensum, non per copulam.* Ex quo sequitur oppositum eius, quod intendit, nempe matrimonium non fieri per copulam, sed per consensum. Quæ doctrina est communis Patrum, & ex ea sequitur intentum nostrum. Vnde Ambrosius (*Ambrosius.*) *lib. de instit. Virgin. c.* 6. & habetur *cap. Cùm initiatur, eodem. Cùm initiatur coniugium, tunc coniugij nomen adsciscitur. Non enim defloratio virginis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cùm iungitur puella, coniugium est, non cum viri*, aliàs virili, *admixtione cognoscitur*, &c. Idem docet Chrysostomus (*Chrysost. Author imperfecti.*), seu author imperfecti operis in Matth. & habetur *cap. Omnis res, eod. matrimonium non facit coïtus; sed voluntas.* Isidorus (*Isidorus.*) *lib.* 9. *etymolog. cap.* 7. habetur *cap. Coniuges, eodem. Coniuges*, inquit, *veriùs appellantur à prima desponsationis fide: quamuis adhuc ignoretur inter eos coniugalis concubitus.* Augustinus (*Augustin.*) *de nupt. & concupiscentia, lib.* 1. *cap.* 11. *Coniunx vocatur à prima fide desponsationis, quam concubitu non cognouerat Ioseph, nec fuerat cogniturus, nec peierat* (aliàs peieraret) *nec mendax manserat coniugis appellatio*, &c. Dicit prætereà fidele coniugium fuisse inter parentes Christi, mente, & non carne, id est, consensu, & non copula. Et in hoc matrimonio ipsorum assignat tria bona matrimonij, prolem, fidem, Sacramentum, iuxta ea, quæ *superiori dist.* 2. docuimus, nempe hoc matrimonium altiori modo, & ordinatione attigisse finem matrimonij, quamuis fuerit tantùm ratum. *Omne*, inquit, *nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat, sine vlla pudenda carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato*, &c. Hæc eadem doctrina est Pontificum de sponsalibus & matrimonio, matrimonium per solum consensum verbis expressum contrahi. *cap. Cùm locum. cap. Cum apud Sedem Apostolicam. cap. Tua fraternitati. cap. Tua nos duxit*, &c. Ex quibus locis deducitur hæc propositio: *Copulam non spectare ad vinculum, aut essentiam matrimonij.* & hæc, *matrimonium fieri per solum consensum*: ergo rectè deducitur sententia Doctoris, matrimonium scilicet ratum comprehendi sub institutione, & lege vniuersali matrimonij, & ex vi eius esse diuina ordinatione insolubile, licèt ex priuilegio Religionis soluatur, non autem ex natura sua, aut vi legis: quia consensus dirigitur immediatè, & proximè ad matrimonium, quà ratum dicitur, & inducitur vinculum; illud autem est de natura contractus, quod ei per legem propriam competit.

Secundum absurdum, quod sequitur ex doctrina hactenus impugnata, est, quòd si matrimonium ratum non esset lege diuina insolubile, quòd nulla alia insolubilitas eidem conueniret, quàm illa, quæ conuenit ei ex ratione iustitiæ commutatiuæ; sed hæc solubilis est per consensum partium, quo suo iuri quisque liberè potest renuntiare: ergo in specie perinde maneret solubilis, sicut in aliis fit, quantùm est ex natura iustitiæ, & obligationis sequentis. 35 *Secũdum absurdum ex sententia opposita sequĕr.*

Dices Ecclesiam tribuere illam firmitatem. *Responsio.*

Contrà, vt *suprà* dictum est, tale statutum Ecclesiæ nullum est, aut extat. Sed omnis dispositio refertur per modum declarationis iuxta naturam, quam sortitur contractus ex prima eius institutione, & secunda, per Christum, à quo etiam eleuatus est ad *esse* Sacramenti nouæ legis: & secundùm finem, qui ei præfixus est à Deo instituente ad significationem mysticam vnionis Christi cum Ecclesia: ergo declaratio Ecclesiæ non innititur propriæ auctoritati statuenti, seu disponenti talem indissolubilitatem, sed causis præmissis, quas in fundamentum veritatis declaratæ adsciscitur; quia, vt dixi, has causas vbique supponit tanquam notas, vel exprimit. Deinde, Patres exponentes hanc insolubilitatem ad easdem causas recurrunt, & non ad auctoritatem vllam humanam. Quinimò Ecclesia statuta humana legum ciuilium in præiudicium huius insolubilitatis declarat nulla, ob diuinam legem contrariam. *Ecclesia declarat insolubilitatẽ ex diuina lege, non statuit ipsa.* *Veritas declarata refertur ad causas, ex quibus est.*

36 Deinde ab eodem sumitur forma contractus, à quo est eius institutio, sed institutio eius est à solo Deo: ergo & forma; forma autem eius est sua insolubilitas, per quam ab aliis contractibus in specie distinguitur, qui sunt solubiles: ergo est à Deo, & non ab Ecclesia. Deinde, nequit dare formam, qui nequit supplere ipsum contractum, quia forma est potior pars contractus; Ecclesia autem nequit supplere contractum, aliàs posset supplere consensum, sicut in aliis contractibus contingit, quorum materia subest directè legislatori: ergo nequit dare formam. Demus ergo Ecclesiam subtrahere hìc & nunc formam contractus matrimonij rati, & quod amplius est, rescindere matrimonium illud pro futuro quantùm in se est, & sequi copulam inter coniuges, matrimonium in eo casu esset solubile, & non esset solubile. Esset solubile, quia formam irritaret Ecclesia, potestatẽ sua vtens: non esset solubile, quia matrimonium per copulam consummaretur; sublata autem firmitate, aut perpetuitate contractus, copula sicut non facit matrimonium, & nihil est contra *Forma contractus est à Deo.* *Ecclesia nequit supplere contractum.* *Casus.*

contractus, sic etiam nequit dare ei formam, aut perpetuitatem. Casus hic ponitur ad indagandum quid Ecclesia possit circa contractum.

Confirmatio.

Confirmatur ergo ratio præmissa, quia Ecclesia nequit quidpiam statuere, aut immutare circa matrimonium directè, vt omnes concedunt Theologi: sed tantùm statuere circa personas, quæ sunt materia remota, ipsas inhabilitando ad contractum ineundum, matrimonio autem legitimè inito subuenire nequit: ergo neque dare perpetuitatem, & formam matrimonio. Ratum autem est legitimum matrimonium, imò in eo completur totum, quod spectat ad naturam contractus, & vinculi: ergo Ecclesia nihil in hoc statuere potest, neque dare ei firmitatem, aut contrarium, &c.

Contractus non subest Ecclesiæ directè.

37 *Probatio conclusionis à posteriori.*

k *Vnde Ecclesia nunquam attentasset*, &c. Probat conclusionem à posteriori quoad secundam partem, scilicet solui matrimonium ratum per professionem Religionis: quia Ecclesia id approbat, & permittit: quin etiam declarat licitum, vt patet ex locis *suprà* citatis, cuius originem refert Alexander III. *cap. Ex publico*, &c. *de conuers. coniugatorum*, &c. ad interpretationem.

Ioannē Euangelistam non fuisse coniugatum.

Exemplum, quod subdit de Sancto Ioanne Euangelista Baronius, reiicit in annum 31. Domini *tomo* 1. *Annalium*, & Toletus *in cap.* 2. *D. Ioannis*, *annotat.* 13. Maldonatus etiam *in proœmio in Ioan.* sed malè ibi refertur Hieronymus *lib.* 1. *in Iouinianum*, dixisse Ioannem fuisse maritum, & virginem: nam Hieronymus id non asserit. *Petrus*, inquit, *Apostolus, Ioannes Apostolus, maritus & virgo. Sed Petrus Apostolus tantùm*, &c. *Ioannes Euangelista*, &c. verba illa, *maritus*, & *virgo*, non copulatiuè, sed diuisim referuntur; vt sensus sit Petrum fuisse maritum, Ioannem virginem, & inde prærogatiuam amplioris gradus Euangelistæ conuenisse Ioanni, quem virginem in antecedentibus probat. Author autem sententiæ præmissæ fuit Beda *in Prologo in Ioannem.* Et Rupertus *in cap.* 2. quam dicit fuisse communem author proœmij *in tractatus Beati August. in Ioannem*, & satis vulgaris est, sed non vera, vt *ibidem* probat Baronius ex August. Hieronymo, Ignatio, *epistola ad Philadelphios.* Putarem tamen à Græcis emanasse primum, qui epistolam Ignatij corruperunt in fauorem incōtinentiæ suorum ministrorum: quod notat etiam Baronius *tom.* 1. anno Christi 57. qui post Petrum addunt etiam Paulum, & cæteros Apostolos; quod falsum est; vt idem rectè probat præfato loco.

Vocatus à nuptijs Simon Apostolus.

Cæterùm ad propositum facit, quòd ille, qui vocatus fuerit à nuptiis, dicitur fuisse Simon Chananæus Apostolus, vt tradit Nicephorus *lib.* 8. *hist. cap.* 30. & approbat idem Baronius. Hic viso miraculo conuersionis aquæ in vinum secutus est Christum. Aliquem autem fuisse cognatum Christi videtur ex facto, quia alioquin neque Virgo, neque Christus vocaretur ad nuptias, Simonem autem fuisse cognatum Christi ex Virgine constat. Exemplum inde perinde valet, quamuis non in Ioanne contigerit. Alia exempla Sanctorum, quæ subiungit Scholiastes, fauent.

38 *Congruitas facti.*

l *Hæc autem relaxatio*, &c. Congruitatem relaxationis huius probat, quia minus bonum in maius commutare congruum, sicut & obligationem ad minus, in obligationem ad maius: quod intelligitur, secluso præiudicio notabili tertij: vnde cessat instantia de matrimonio consummato: quia Christus noluit inferre præiudicium graue coniugi, aut proli, seu detrimentum: & cum ista expressione alij Doctores proponunt hanc rationem, quam etiam ex scopo discursus comprehendit Doctor. Quod autem subiungit de eminentia virginitatis, & superare statum matrimonij, patet ex loco allegato, & communi Patrum sententia contra hæreticos damnantes virginitatem, & cœlibatum. Item in locum citatum Matthæi, etiam *in* 1. *ad Corinth. cap.* 7. ac nouissimè tandem ex Tridentini definitione *sess.* 24. *can.* 10. fructum centesimum virginitatis, de quo Doctor, tradit Hieronymus *lib.* 1. *contra Iouinianum*, *cap.* 1. *& in Apologia ad Pammachium, cap.* 1. Athanas. *in epist. ad Amman.* Theophilus Antiochenus *lib.* 2. *Apologiarum in Marcum.*

Non extenditur ad matrimonium consummatum.

Dignitas virginitatis super statu coniugij.

m *Si quæras an illa indissolubilitas cōueniat*, &c. Quærit an per rationem Sacramenti conueniat matrimonio illa indissolubilitas? Intelligit Sacramentum propriè dictum, quod est legis nouæ. Et respondet primò hanc insolubilitatem fuisse adiunctam matrimonio in lege naturæ, & Christum potuisse in lege Euangelica etiam instituisse contractum insolubilem, etiamsi matrimonio non adiunxisset Sacramentum; quinimò potuisse adiunxisse Sacramentum retento libello repudij legis Mosaïcæ, per quem erat solubile matrimonium etiam consummatum. Docet ergo hanc insolubilitatem conuenire matrimonio à Domino, superiori legislatore, qui voluit matrimonium vniri pro semper, & sic pro semper tenere inter coniuges, nisi in casu præmisso, quo ipse dispensauit: hoc autem patet ex dictis; & confirmari potest, quia si contrahatur matrimonium, etiam ratum, per expressam determinationem temporis, vt per annum, vel cum hac, *donec inueniam aliam, quæ magis placet*, erit nullus contractus *ex cap. finali de conditionibus appositis:* ergo matrimonium non est temporarium ex natura sua, vt legi subest, sed includit permutationem perpetuam. 39

Matrimoniū qua lege insolubile.

Ex prima institutione insolubile est.

Confirmatio.

Sensus autem Doctoris, & intentio est, insolubilitatem matrimonij fundari in diuina ordinatione, non in Sacramento, neque etiam in contractu seorsim sumpto: non negat tamen quin hæc ordinatio admittat motiuum significationis sacramentalis, tanquam causam finalem, ex qua inducta est perpetuitas, loquendo de Sacramento latè sumpto, vt scilicet matrimonium significat coniunctionem Christi cum Ecclesia: in quam rationem vbique Augustinus refundit hanc perpetuitatem, nempe vt in causam finalem: nam hæc ipsa significatio non conuenit matrimonio, nisi ex diuina ordinatione; & in casu, quo Christus non veniret in carnem, non conueniret, quia sic esset significatio falsa, aut difformis, non subsistente significato. Conuenit etiam eadem perpetuitas matrimonio, secundariò tamen, vt est Sacramentum nouæ legis, vt patet ex Tridentino; quæ ratio adiecta est contractui, vt perficeret amorem naturalem, & confirmaret indissolubilem vnitatem eius, vt ait Concilium. 40

Explicatur sententia Doctoris.

Cæterùm licèt ex his motiuis tanquam causa finali, conueniat insolubilitas Matrimonio, primariò tamen & simpliciter ei conuenit à causa superiori instituente, & efficiente principali, à qua etiam matrimonium sortitur vtram- 41

A causa efficiente primariò inest insolubilitas.

que significationem. Sic etiam in signis Sacramentalibus cæteris est distinguere efficaciam, aut significationem, respectiuè quidem ad finem particularem cuiusque, sed vt inest per institutionem à causa superiore. Et quamuis explicare liceat per finem Sacramenti ipsam efficaciam, & rationem formalem eius, tanquam à termino specificante: tamen efficacia originaliter refertur ad causam principalem, à qua inest efficacia ad finem ab ipsa præfixum. Hoc modo S. Augustinus exponit formam contractus, nempe insolubilitatem ex natura rei significatæ, vnionis scilicet Christi cum Ecclesia. Et Tridentinum perinde docet adiunctam esse gratiam sacramentalem contractui ad perfectionem, & confirmationem eius, vt repræsentat illam vnionem perfectiùs, quò magis ipse contractus per hanc rationem eleuatur ad perfectiorem statum supernaturalem. Vtrumque autem horum est à causa efficiente, & eleuante contractum.

Exemplum de Sacramentis.

Sententia legisperitorum reijcitur.

Ex quibus patet communis sententia Theologorum contra Iuristas asserentes insolubilitatem hanc conuenire matrimonio rato ex Iure Ecclesiastico, & consequenter solubilitatem in ordine ad ingressum Religionis ex eodem Iure conuenire, quos magno numero citat Sanchez *lib.* 2. *disput.* 13.

42 *Dubium. An possit Pontifex dispensare in voto? Sententia negatiua.*

Dubium superest, an possit Pontifex dispensare in matrimonio rato, siue ex causa, siue non supposita causa? Negatiuam partem tenent plures Theologi, inter quos primus citatur à modernis noster Doctor. Eam tenent communiter antiqui Theologi, & consequenter qui dicunt insolubilitatem Iuris esse diuini naturalis. Eam docet Paludanus *in* 2. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 2. & *quæst.* 3. *art.* 3. Almainus *de potestate Ecclesiæ, c.* 15. Victoria *in Summa.* Sotus *lib.* 7. *de Iustit. & Iure quæst.* 1. & *præfata dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. Corduba noster *lib.* 1. *qq. quæst.* 25. & *quæst.* 11. Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. & plures alij etiam ex Iuris interpretibus.

Sententia affirmatiua.

Secunda sententia est affirmatiua, quam consequenter tenent omnes, qui dicunt insolubilitatem matrimonij rati esse Iuris Ecclesiastici. Eandem docent communiter plures moderni, vt Anton. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 2. Caietan. *tom.* 1. *Opuscul. tract.* 18. Sanchez *disp.* 14. *lib.* 2.

43 *Non rectè citari Doctorē pro sententia negatiua.*

Quantùm ad citationem Doctoris factam pro prima sententia, non subsistit, neque vera est, quia in toto hoc paragrapho, vt patet per singula, quæ iam explicuimus, non tractat casum, sed differit quo Iure conueniat matrimonio rato esse insolubile, resoluens conuenire Iure diuino positiuo, & ex alia parte dicit eximi casum professionis in Religione. Rationem autem adducit à posteriori, quia aliàs nunquam Ecclesia licentiaret ad Religionem coniugem, post matrimonium ratum, nisi Christus ita voluisset, sumens fundamentum relaxatæ legis à Christo ex praxi Ecclesiæ, & præcisè differit de solubilitate matrimonij respectiuè ad hunc casum tantùm; à contrario ergo sensu perinde diceret ipse, si vidisset in praxi aliquam dispensationem Pontificis in matrimonio rato, aut Ecclesiæ, vt in omnibus similibus sustinet interpretationem legis diuinæ, iuxta sensum Ecclesiæ, & praxim. Et hoc supponit prædicta eius ratio, ex qua colligit relaxationem matrimonij in fauorē Religionis, quia ab Ecclesia id practicatur. Nō extant autē inter Canones, aut decreta, quæ ante Doctorem fuerunt in vsu Ecclesiæ, talis dispensatio, & sic non fuit occasio eius afferendæ, aut etiam differendi de hoc casu, sicut fuit in aliis, vt *suprà dist.* 27. dispensationem Gregorij sustinet de ministro Confirmationis, vt ibi visum est.

Doctor legem diuinam interpretatur iuxta vsum Ecclesiæ.

Posteriores Pontifices vsi sunt hac potestate. Martini V. & Eugenij IV. dispensationes allegat S. Antoninus a se visas. Nauarrus in Summa Latina *cap.* 22. refert se impetrasse ter, vel quater talem dispensationem factam à Paulo III. & Pio IV. Caiet. verò suo tempore sæpiùs fuisse dispensatum. Henriquez ait vna die Gregorium XIII. dispensasse cum vndecim.

Posse dispensari & fuisse dispensatum in rato.

His ergo suppositis, & assistentia Spiritus sancti, per quam Pontifices in regimine Ecclesiæ diriguntur infallibiliter, tollitur dubium, & sequenda est affirmatiua; hanc autem potestatem habet Pontifex ex plenitudine potestatis: & sicut matrimonium ratum cedit voto Religionis emisso solemniter, in quo tamen ex principiis Doctoris *infrà dist.* 38. dispensari potest, à simili etiam eius potestas extenditur ad matrimonium ratum, quod minoris vinculi est. 44

Potestas dispensandi sustinetur.

Obiectio.

Obiicies, Pontifex non potest immutare Sacramentum, quod annexum est matrimonio: ergo neque dispensare.

Soluitur.

Respondetur negando consequentiam, quia Sacramentum natura sua est transiens, & sic non impedit dispensationem.

Replica.

Dices. Non potest Pontifex, aut Ecclesia immutare naturam contractus directè: ergo etiam neque contractum initum relaxare; omnis enim res per quascumque causas nascitur, per easdem soluitur: ergo à contrario sensu nequit solui nisi per easdem causas, per quas nascitur.

Soluitur.

Respondetur negando consequentiam. Disparitas est, quia vinculum hoc Iure diuino annexum est consensui legitimo, & mutuo, neque aliter induci potest: sicut neque potest Pontifex directè inducere alicui obligationem voti personalis, neque iuramenti, quæ annexa est propriæ promissioni, quamuis horum obligatio possit ab ipso tolli, licèt vtrumque sit Iuris diuini, & annexum proprio consensui. Ex quo patet ad probationem allatam ex regula Iuris, quæ est Chrysostomi, seu auctoris operis imperfecti *in Matth. hom.* 32.

Obiectio.

Obiicies secundò. Nequit Pontifex dispensare in matrimonio consummato: ergo neque in rato. 45

Consummatum non posse dispensari.

Respondent quidam Canonistæ negando totum, sed malè, vt benè probat Couar. 2. *decret.* 2. *part. cap.* 7. & communis Doctorum; negatur ergo consequentia, quia Christus hanc potestatem non tribuit Ecclesiæ, vt matrimonium consummatum dissoluatur in præiudicium prolis, siue sequatur, siue non sequatur proles: quia casum non respicit lex vniuersalis, sed disponit absolutè; in proposito autem id congruè factum est in fauorem prolis. Alij dicunt matrimonium consummatum significare in effectu vnionem Christi cum natura humana, quæ insolubilis est, post Innocent. *cap. de Bigamis.* sed hoc accommodatè dicitur propter insolubilitatem, quæ ipsi ex lege vniuersali non relaxata competit, per ordinationem Christi in nouo Testamento. *Matth.* 19. reuocantis libellum repudij permissum in lege Mosaïca.

Petes

46 *An requiratur cauſa? Reſponſio. Requiritur cauſa diſpenſandi.*

Petes an requiratur cauſa vt diſpenſatio Pontificis ſit valida?

Reſpondetur non poſſe eum, ſicut neque in voto, diſpenſare ſine cauſa, quia (omiſſa ſententia Iuriſtatum, quam iam reiecimus, qui dicunt inſolubilitatem matrimonij rati eſſe Iuris humani) nequit Pontifex vti poteſtate diſpenſatiua in lege diuina illa, quæ eius diſpoſitioni hîc & nunc ſubiicitur, niſi vt fidelis diſpenſator in ædificationem, & interueniente iuſta cauſa, aliàs non ratificatur talis diſpenſatio à Deo, qui poteſtatem tribuit in ædificationem, & non in diſſipationem, aut deſtructionem. *Cauſa ſufficientes diſpẽſandi.* Varias cauſas huius diſpenſationis aſſignant Doctores, vt ſcandalum, impatitatem qualitatis, pericula ex odio, & diſſidiis, lepram, allegationem non habiti conſenſus; ſed res hæc iudicio diſpenſantis relinquitur; vniuerſaliter autem videtur ſufficiens cauſa impotentia ſuperueniens matrimonio rato contracto, & quidquid ſufficit ad relaxandum votum ſolemne Religionis, vel etiam annexum Ordini ſacro; non videtur ſufficiens conſenſus mutuus, niſi alia alia legitima cauſa ſubſiſtat.

47 *Non poſſe lege vniuerſali annullare matrimoniũ ratum.*

Ex his ſequitur quòd matrimonium ratum neque poſſit Pontifex vniuerſali lege annullare, aut facere vt matrimonio conſummato ſuperuenienti cedat, quia Iure diuino tenet matrimonium ratum, quod vnius eſt cum vna; ac proinde impedit Iure diuino matrimonium cum altera, donec dirimatur; ex alia autem parte poteſtas Pontificis tantùm exerceri poteſt in caſu particulari & neceſſario, & ſufficiente, extra quem non eſt conceſſa. *Tempus deliberandæ Religionis conceſſum coniugatis ante conſummatum matrimoniũ.* Sequitur ſecundò rectè, & rationabiliter Eccleſiam ſtatuiſſe tempus bimeſtris coniugibus ad deliberandum de ingreſſu Religionis. *c. Ex publico, &c. de conuerſione coniugatorum.* quia intra id tempus, ſpatium idoneum conceditur deliberandi, neque grauatur pars alterutra ex tali dilatione conſummationis matrimonij; quando enim Ius in re fauorabili præſcribit certum tempus, cuius initium determinatur, debet ab initio computari de momento in momentum. *Eius ſupputatio. Tempus probationis.* *l. 3. ff. de minor*, &c. ſic etiam tempus probationis præſcriptum à Tridentino *ſeſſ. 25. de regul. cap. 15.* debet computari, & tempus obligationis alterius rei debet etiam à momento inceptionis computari continuè; quia ille eſt modus vulgaris.

48 *Tempus aliquando à Iure præſcribitur.*

Diſtinguendum etiam eſt, quando tempus præſcribitur à Iure ſine miniſterio iudicis, & quando præſcribitur dependenter à miniſterio, & arbitrio iudicis: quia in priori caſu ſicut iudex non eſt ſupra legem, ita nequit præſcriptum tempus in lege reſtringere, aut dilatare: ſecus eſt in ſecundo caſu, ſi ſubſit cauſa legitima, & interpellatur eius officium: quia ideò tum lex admittit arbitrium iudicis, vt in caſu prouidere poſſit: tale autem eſt bimeſtre deſignatum, *cap. Ex publico*, vt docet ibi gloſſa, & tenet Nauarr. *in Summa*, *cap. 16.* Manuel *tom. 1. Summæ cap. 242.* quamuis de facili non debet iudex à termino præſcripto legis recedere. Intra illud tempus quando coniuges non cogitant, neque ſe diſponunt ad ingreſſum Religionis, probabile eſt ſecundùm aliquos teneri alterum petenti conſummationem matrimonij conſentire ex natura contractus, de præſenti obligantis; quia *Sententia probabilis.* ille terminus in fauorem Religionis conceſſus, non præſcribitur, quando deeſt animus, & deliberatio; quia hæc tantùm ſuſpendunt ius vtendi, quod ex contractu præſenti acquiritur, niſi conuentio præceſſerit in oppoſitum, aut conſuetudo; aut certè aliqua alia cauſa, quæ alias excuſat à redditione debiti, & hoc maximè verum eſt, ſi periculum continentiæ in altero petente ſubſit: nam quod lex præſcribit in fauorem Religionis, quando de ea nihil conſultatur, aut intenditur, non cenſetur velle id decernere in præiudicium, aut periculum partis non ſubſiſtente fine, ad quem præſcribit, & hoc conſonat Apoſtolo *1. ad Corinth. 7.* Oppoſitum huius à pluribus aliis cum D. Thoma *in 4. diſtinct. 27.* tenetur *quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 2.* & probabiliter etiam: quia illud tempus poteſt dici conceſſum abſolutè in fauorem Religionis ſi in caſu interim cogitet de Religione, & conſilium capeſſat, vt *infrà* etiam Doctor tenet.

Aliqui dicunt intra tempus bimeſtris teneri alterum coniugem profiteri, ne fiat præiudicium parti, ſi addatur annus prætereà probationis ſupra bimeſtre, quo exſpectare debet. Contrarium eſt magis commune & verius: quia *cap. Ad Apoſtolicam, &c. de regularibus*, &c. datur nouitio annus integer probationis, vt experiatur Religionem, cui non præiudicat matrimonium contractum, imò non derogat diſpoſitioni legis ordinariæ, & ipſum matrimonium, quod dirimitur per profeſſionem ingredientis hanc conditionem tacitè includit, qua excipitur redditio debiti vſque ad tempus idoneum, & vtriuſque conditio eſt par. Hæc ſententia maximè fundatur poſt ſtatutum Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 15.* vbi ſtatuit legem vniuerſaliter negatiuam de profeſſione facienda ante annum expletum nouitiatus, ac proinde excludit omnes caſus. Alij dicunt excipi hunc caſum, aut non comprehendi, ac proinde debere intra illud bimeſtre ingredientem profiteri, quamuis etiam non peruenerit ad annum 16. ætatis, alioquin eſſet intolerabile præiudicium parti expectare ſponſum, v.g. ſi duodecim annorum ingreſſa ſit, per quatuor annos, ac proinde Concilium non voluiſſe præiudicare, aut comprehendete hunc caſum. Hæc etiam probabilis eſt, quia lex ſpecialis *cap. Ex publico* non videtur comprehendi ſub generali Tridentini; quam tenet Nauarr. quem ſequitur etiam Cordub. *in qq. quæſt. 38.* & Henriquez *lib. 13. de excommunic. cap. 40.* docent profeſſum in Religione mendicante, & tranſlatum ad Monachalem, poſſe ante annum profiteri ex diſpoſitione *cap. Ad Apoſtolicam*, &c. *de reg.* cui non cenſetur derogare Tridentinum.

49 *Variæ ſententiæ circa præſcriptum tẽpus probationis in hoc caſu.*

Sed quid dicendum, quando copula vi extorquetur ante illud bimeſtre, an ſponſa violentiam paſſa poſſit ingredi Religionem? Non poſſe ingredi tenent Archidiaconus *cap. finali, diſt. 11.* Hoſtienſ. *in Summ. tit. de conuerſ. coniugat.* & fauet Couarr. *in 2. part. decret. cap. 7.* Probabiliorem cenſet Durandus *diſtinct. 27. quæſt. 2.* Probabilem autem Sotus *quæſt. 1. art. 4.* & alij plures. Ratio eſt; quia iam conſummatum eſt matrimonium. Sententia contraria eſt probabilior, niſi ſequatur proles, quæ alioquin ſine matre educari commodè nequit, quia dolus nemini debet patrocinari, aut quis iure ſuo priuari ſine propria culpa. Ita Paludanus *diſtinct. 27. quæſt. 3. art. 2. concluſ. 1.* Sanchez *lib. 2. diſput. 22.* & alij. Peccat autem ſponſus inferens violentiam, & probabiliùs mortaliter, quia ſtatuit impedimentum ſponſæ,

50 *Quid in caſu violentiæ adhibitæ?*

sponsæ, ne vtatur suo iure in re graui. Quando verò censetur matrimonium consummari, docet Sanchez *lib.2.disput.21.*

51 *De conditionibus appositis cōtra substantiā contractus.* n *Ex ista solutione sequitur corollarium notabile,* &c. Hæc doctrina desumpta est *ex cap.finali, de conditionibus appositis,* vbi explicantur hæ tres conditiones, quas proponit Doctor. & 32. *q.2. cap. Solet quæri*, &c. quam tenent communiter expositores, & Sententiarij *dist.29.* Ratio eius optimè assignata est à Doctore, quia isti contractus tenent sub his conditionibus, & non aliter; quæ conditiones voluntati Dei, & legi statutæ matrimonij repugnant, ideóque reddunt contractum nullum; quinimò in genere, omnis conditio repugnans contractus substantiæ facit irritum, *Irritant matrimonium.* in cōtractu autem matrimonij obligat vinculum, cuius forma est perpetuitas, vt diximus: ideò nequit induci ad tempus tantùm contra formam substantialem eius; fides etiam, & proles virtualiter includuntur in ipso contractu, ideò nequit tolli ad hæc obligatio stante contractu valido substantialiter. *Ratio huius.* Sicut ergo ex institutione Dei contractus matrimonij debet fieri sub oppositis conditionibus; ita hæ conditiones appositæ irritant matrimonium.

52 Intelligitur etiam conclusio de conditionibus istis, potissimùm vt sunt de futuro, quia id præ se fert textus, & exempla, & ratio assignata, quatenus suspendunt contractū, & in se repugnant substantiæ obligationis, quæ induci debet, seu iuri, quod quisque acquirit in alterum. Vnde conditiones illæ, si sunt de præterito, habentur pro turpibus, & non adiectis, & valet matrimonium. *Conditio de præsenti, & præterito quādoque induūt rationem futuræ.* Aduertendum tamen si conditio, quæ est de præterito, & præsenti, ita trahantur in pactum, vt afficiunt matrimoniū pro futuro, tunc induere conditionis futuræ naturam. vt si quis dicat: Contraho tecum si venena sterilitatis habes, quibus vtaris, & vt eis vtaris: regula ergo generalis est, quotiescumque trahitur in pactum conditio repugnans bono matrimonij, siue sit vinculum, siue fidei, siue prolis, irritare matrimonium, *Conditiones irritantes debent concurrere ad contractum vt fiat nullus.* vt alligatur contractus tali conditioni ex vi ipsius contractus, & pacto explicito, & in vim obligationis, & dum simul conditiones concurrunt cum matrimonio, quantùm ad obligationem etiam ad ipsas conditiones. Quòd si non concurrunt cum matrimonio, sed ante contractum matrimonij debeant impleri, tunc non vitiant matrimonij contractum, sed habentur pro non adiectis, & contractus absolutè, qui sequens est, initur independenter ab ipsis.

Debent exprimi in contractu. Aduertendum prætereà, si cōditio contra bonum matrimonij mente retenta non trahatur in pactum, non vitiare matrimonium; quæ est communis sententia. *Ratio.* Ratio autem est, quia contractus non procedit à tali intentione, quā maligna est, & tacetur, sed vel ab alia intentione legitima concomitante, vel certè ab eadem intentione substantialiter, quā inducit obligationem, vt verbis est expressa respectiuè ad alterum. *Intentio non expressa non vitiat.* Vnde consensus verbis expressus est legitimus inducens obligationem, & non mente retentus; sic illa intentio ea parte, qua non exprimitur, non facit ad contractum, neque illum vitiat. Ex hoc communiter Doctores asserunt contrahi validè matrimonium ab eo, qui intendit illud non consummare, quando illam intentionem non trahit in pactum externum. Et sic consequenter dicunt Beatissimam Virginem contraxisse absolutè matrimonium, cum intentione tamen seruandi voti, quam verbis non expressit.

53 *An conditio honesta irritet matrimonium.* Dubium tamen controuersum inter Doctores est, si conditio honesta expressa in contractu illum irritet; vt, contraho tecum si voueris castitatem, aut Religionem. *Sententia negans.* Valere matrimonium docet Paludanus *dist.30. quæst.2. art.1. conclus.2.* Abulensis *quæst.32. in cap.30. Numer.* Barbatius *cap.finali, de precarijs.* Supplementum Gabrielis *dist.28. quæst.1. art.3. dub.1.* Imola *in leg. vbi ita donatur. ff. de donat. causa mortis.* Vasquez *tom.2. in 3.part.disp.123.* *Sententia affirmans.* Contratiam sententiam communiùs tenent Doctores. D.Thom. *in 4.dist.28. quæst. vnica, art.4. ad 3.* D. Bonauentura citatur pro *eadem dist. quæst. vltima*, & alij, quos breuitatis causa omitto. Vide Sanchez *lib.5. disput.11.* Henriquez *lib.11. quæst. de matrimonio, c.4.* Nauar. *lib.4. cons. de sponsalibus, cons.18.* Couarruuias *in 4. decret. 2. part. cap.43.*

Quid senserit Doctor? Quid autem in hoc sentiat Doctor, non satis liquet, quia hîc agit de conditionibus turpibus contra finem matrimonij; in quæstione autem secunda præcedentis distinctionis magis fauet primæ sententiæ; quia tum in resolutione secundi articuli asserit Beatam Virginem emisso voto absoluto virginitatis consensisse in matrimonium cum Iosepho, & consequenter transtulisse potestatem sui corporis in ipsum quantùm ad ius, non autem quantùm ad vsum, quia vsus ille fuit impeditus per votum, ac proinde non potuit consentire in vsum. Exempla etiam quibus probat id licitum, & validum esse, eò tendunt, vt ostendatur ius mutuum in corpora separari posse ab vsu, etiam illæsa iustitia, in responsione autem ad vltimum licèt fauere videatur secundæ sententiæ, inquantùm dicit traditionem mutuæ potestatis fuisse quoad vsum, si peteretur, quamuis certum fuit, non fore vt vnquam peteretur: tamen intelligit finem mutuæ traditionis, non autem consensum in vsum, quia obligatio ex contractu insurgens ordinatur ad vsum tanquam ad actum suum legitimū, quamuis contingere posset legitimè impediri ipsum vsum, vt fuit impeditus in Virgine iuxta dicta ratione voti, vt non potuerit consentire in copulam in se, neque etiam in causam eius, hoc est obligationem vinculi non impeditam in executione, vel quoad vsum, vt infert ius proximum reddendi, & petendi debitum.

Sequitur ergo prima sententia magis ex mente Doctoris, & principiis eius inhæret, oppositis fundamento secundæ sententiæ, quibus probat separationem iuris possibilem ab vsu. 54 *Doctor primæ sententiæ magis fauet.* Quamuis autem dicat consensisse Virginem in matrimonium, & per consequens in vsum, si peteretur, intelligi debet modo dicto, hunc consensum fuisse tantùm quoad ius, non verò quoad vsum supposita reuelatione, qua consensus eius purificabatur ab vsu. Aliud enim est consentire in ius, quæ est mutua translatio specificatiuè, & aliud consentire in ipsum, vt executione non impeditur, quia non potuit consistere consensus hoc modo in mutuam translationem sine voti transgressione, vt ibi probatum est; neque talis consensus coniungi potuit cum voluntate absoluta, & expressa seruādi voti, ad quam tenebatur Virgo. Prætereà, *in hac distinctione, §. Contra hoc, si matrimonium esset consummatum,* &c. Docet matrimonij vinculum manere in conuersis post consummationem, non autem matrimonij rati,

rati, & vtrumque horum refert ad diuinam institutionem, supponens vinculi insolubilitatem ex ea esse, non verò ex copula: ex quibus patet eum sentire ius vinculij matrimonialis separare ab vsu.

55 *Probatur prima sententia.* Probatur ergo sententia prima, contractus matrimonij non irritat votum antecedens castitatis, aut Religionis: ponamus tale votum in vtroque coniuge præcessisse, & contrà votum castitatis in Religione emissum irritat matrimonium ratum, & soluit ex lege; ergo etiamsi tale votum trahatur in pactum, non irritat matrimonium. Probatur consequentia, votum vtriusque coniugis impedit vsum matrimonij, siue ante, siue post matrimonium concipiatur, loquendo de voto simplici: ergo potest stare vinculum cum tali voto, etiamsi trahatur in pactum. *Votum non derogat vinculo.* Probatur consequentia; quia conditio Iure inclusa, si exprimatur, non derogat contractui, quia eandem vim habet siue teneatur, siue exprimatur, vt hæc, *contraho tecum ea conditione vt non tenear ad debitum, si adulterium admiseris: contraho tecum ea conditione, vt liceat mihi intra bimestre ingredi ad Religionem ante matrimonij consummationem*, &c. *Includitur ipsa lege in contractu.* Illæ conditiones lege importantur ipsius contractus, & ideò expressæ non irritant matrimonium: ergo etiamsi addantur conditiones seruandæ castitatis, vel ingrediendi Religionem absolutè, non irritant matrimonium.

56 *Confirmatio.* Confirmatur, qui scientes votum mutuum castitatis, aut Religionis, & non exprimentes in contractu validè contrahunt ex secunda sententia; sed contractus non tollit impedimentum mutuum non petendi, & non reddendi debitum: ergo perinde valebit contractus, etiamsi illud impedimentum exprimatur. *Votum non expressum impedit vsũ.* Probatur consequentia, quia mutua translatio ius tribuit de nouo ratione contractus, quod habent coniuges eo modo, quo haberent idem ius, si præmisso matrimonio ex communi consensu vouerent; in hoc autem casu esset impeditus vsus manente vinculo mutuo: ergo etiam supposito impedimento, quo ipsi renunciant iuri suo, potest ex pacto seruandi voti, etiam iniri vinculum illud: haberet autem vinculum illum effectum, vt neuter, etiam dispensato voto, posset contrahere cum altero.

Secunda ratio. Separari vsũ posse à dominio. Præterea, vsus & dominium in matrimonio diuersa sunt, vt patet: quia in matrimonio consummato superueniente adulterio, vinculum, seu dominium manet idem, & insolubile; vsus tamen sequens deperditur, vel hoc modo, vel per professionem vtriusque in Religione. In matrimonio rato acquiritur de præsenti ex vi contractus dominium, non tamen acquiritur vsus, vsque dum transeat bimestre: vnde qui violentiam inferret ad vsum matrimonij extorquendum ante illud tempus, faceret iniuriam coniugij: ergo etiam potest quis acquirere dominium non acquisito vsu, tam quoad tempus, quàm etiam in perpetuum: nam si ad tempus separantur, possunt etiam ex natura impedimenti separari semper, si impedimentum est perpetuum.

57 *Soluitur obiectio ex capitulo finali de cõd. appositis.* Ad caput illud finale de conditionibus appositis respondetur, conditiones ibi assignatas opponi contrariè fini matrimonij, ac bono; ac proinde irritare contractum: conditiones autem honestæ castitatis, & Religionis opponuntur negatiuè tantùm, quia est cessio iuris proprij, quantùm ad vsum coniugij, quæ est in potestate coniugum; neutri enim debetur vsus, nisi in quantùm petit debitum, cui petitioni potest ipse renuntiare ex motiuo perfectionis virtutis, vt Religionis, aut ex motiuo castitatis; ac proinde conditiones expressæ non derogant fini matrimonij contrariè, sicut conditiones, quas enumerat Pontifex *in illo capitulo finali*: & possunt etiam post matrimonium sine peccato de communi consensu apponi; non ita conditiones contrariæ. *Conditio contraria, & negatiua aliter opponuntur matrimonio.* Possunt etiam iuxta sententiam oppositam mente intendi, dum contrahitur, sine peccato, quamuis non in pactum adduci: sed hoc ipsum confirmat nostram sententiam: quia si ita votum antecedens matrimonium impedit vsum matrimonij, vt contrahens cum intentione non vtendi sic teneatur contrahere propter obligationem voti, sequitur etiam in pactum posse hoc deduci, quia eatenus conditiones contrariæ matrimonio sunt contra substantiam eius, quatenus destruunt consensum requisitum ad matrimonium, vt deducuntur in pactum per appositionem contrariæ & prohibitæ à lege. Sed conditio honesta, de qua loquimur, non prohibetur lege matrimonij: ergo si deducatur in pactum, perinde erit.

Obiectio soluitur. Neque contra hoc est irritari matrimonium per talem conditionem, *contraho tecum ita vt non tenear reddere debitum, & vt teneris non petere.* Hæc conditio irritat contractum: quia contractus debet compleri in toto suo iure, quando non subest impedimentum quod de lege tenet, quale est votum castitatis, & Religionis: *Conditio adiecta debet esse honesta.* conditio autem non reddendi debitum, & non petendi, ex solo fine libertatis expressa, & detrahendæ obligationis, quæ ex contractu sequitur, non autem ad finem virtutis, aut perfectionis sequendæ, æquiualet contrariæ, quia lex Superioris non admittit talem conditionem, nisi reddatur honesta per alium finem, quem ipsa lex præfert vsui matrimonij.

58 *Obiectio.* Obiicies. Vsus matrimonij est ex iustitia: ergo conditio prædicta, quæ deducitur in pactum, est contra substantiam matrimonij, quia ex iustitia & pacto impedit ius, seu dominium, quod acquiritur per contractum.

Soluitur. Respondetur acquiri dominium per contractum aliquando separatum ab vsu: quia tantùm quis transfert dominium in alterum, in quantùm consentit in alterutrum, & potest consentire. *Translatio rei cum sue onere non derogat iustitiæ.* Vnde si vsus sui corporis est impeditus per votum, non transfert dominium sui corporis, nisi sub hoc onere; transfert enim vt potest, & non aliter. Vnde sicut ex vi contractus de præsenti transfertur dominium suspenso vsu de lege vsque ad spatium bimestris (etiam de iustitia: quia alioquin inferens vim intra illud tempus non peccaret contra iustitiam) ita etiam hæc conditio expressa in pacto non derogat matrimonio, aut permutationi dominij, quamuis separetur ab vsu ex Ecclesiæ determinatione, quæ illud spatium tribuit consultandæ Religioni: sed lex Dei etiam admittit impedimentum voti, quod natura sua perpetuum est: ergo etiam adiecta conditione voti valebit matrimonium quantùm ad translationem dominij, & non vsus, quæ separari possunt.

Replica. Dices separationem vsus à dominio quoad breue tempus non ita obstare fini, aut bono

matrimo

matrimonij, ſicut ſeparatio perpetua: ergo non eſt par ratio.

Soluitur. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ex natura contractus, quo acquiritur dominium, ſtatim perinde ſequeretur vſus, ſeu ius ad debitum exigendum, ſi eſſent diuina inſtitutione inſeparabiles, & conſequenter Eccleſia non poſſet ſtatuere impedimentum vſus præſentis: quod ergo Eccleſia ſtatuere poteſt quoad tempus ſecundùm legem Dei, hoc ipſa lex diuina ſtatuit in fauorem Religionis, & caſtitatis perpetuum, quod non derogat dominio in rem, cuius vſus à dominio ſeparari poteſt. Vnde & votum ſuperueniens matrimonio, non obſtante dominio, & obligatione, & ex eo velut radice redundante, præſtat tale impedimentum, ſiue alter coniugum per votum renuntiauit debito petendo, ſiue vterque.

Hæc diſtinctio conditionis oppoſitæ contrariæ, à conditione oppoſita negatiuè, ſatis inſinuatur à Doctore in illis verbis, quibus nullitatem contractus reducit ad oppoſitionem legis, qua præcipitur fieri ſub conditione contraria illis, quæ irritant matrimonium.

60 *Replica.* Dices: Pontifex non tam attendit turpitudinem illarum conditionum, quas exprimit *in cap. finali*, quàm oppoſitionem ad bonum matrimonij: ergo etiam conditio honeſta perinde oppoſita annullat contractum.

Solutio. Reſpondetur, duplicem oppoſitionem conſiderari poſſe, non ſolùm, vt dictum eſt, contrariam, & negatiuam; ſed prætereà eam, quæ ex lege deſtruit ſubſtantiam contractus, & quæ non deſtruit, licèt ſuſpendat executionem alicuius obligationis manente ipſa in ſua radice. *Conditiones quædam lege admiſſæ, aliæ reprobatæ.* Conditiones lege reprobatæ primo modo deſtruunt contractum, & faciunt irritum, quia non tenet, niſi vt lege firmatur. Conditiones ſecundo modo, aut per legem toleratæ, aut admiſſæ, non deſtruunt contractum, aut obligationem eius naturalem, licèt actum illius obligationis impediant. Contractus enim ea ratione, qua non eſt impeditus, valet, non eſt impeditus, qua acquiritur dominium, nempe à lege, vt per eam firmatur, quia admittit tales conditiones; non enim inhabilitat perſonas tales ad contractum, aliàs obligatus voto caſtitatis inualidè contraheret: neque extinguit contractus, vt firmatur lege, obligationem voti, aliàs non peccaret petendo debitum, quod eſt falſum, quia *Compatibilitas voti, & contractus.* vtrumque excludit votum; neque etiam votum ex alia parte excludit contractum, quia neque inhabilitat ad ipſum, loquendo de ſimplici; neque etiam obligatus voto peccat contrahendo, niſi exponat ſe periculo voti violandi, quia Virgo ſine peccato contraxit. Sic ergo lege vtrumque compatitur, & nemo redditur perplexus ex diuina lege citra propriam culpam; poteſt autem, vt *ſuprà* dictum eſt, poſt ſponſalia iurata vouere Religionem, & contrahere, (quia hæc compatibilia ſunt) & ea intentione vt ſtatim ingrediatur Religionem; poteſt etiam vouere caſtitatem: ergo contractus, vt ſubeſt legi, poteſt iniri cum tali impedimento vſus per ſolam tranſlationem dominij.

61 *Quiſque ſuo iuri poteſt renunciare.* Deinde, ſi loquamur de matrimonio, vt procedit à conſenſu particulari contrahentium, nihil repugnat vtrumque transferre dominium ſui corporis, retento vſu quantùm ad debitum coniugale copulæ, quia quiſque ſuo iure vti poteſt in iis, quæ propriæ diſpoſitioni permittit lex Superioris, non reſeruans aliquid libertati eorum. Vnde in lege Moſaïca, vbi permittebatur repudium, poterant illam conditionem trahere in pactum, quæ iure inerat; poſſunt ergo coniuges, quantùm eſt ex natura conſenſus particularis, renũtiare vſui, & acquirere dominium.

Ex his ergo duobus, nempe ex lege, & particulari conſenſu, infertur intentum, nempe conditionem illam honeſtam non repugnare ſubſtantiæ matrimonij, qua impeditur vſus eius, quia nec ei ex lege repugnat, nec etiam ex particulari conſenſu, qui illam admittit; aliter autem nequit repugnare. Quod ampliùs declarari optimè poteſt ex Doctore. §. *Ad quæſtionem*, vbi declarat hæc bona matrimonij, & modum, quo illi conueniunt. *Conditio honeſta non repugnat ex lege, aut conſenſu.*

In primis, conditio honeſta expreſſa in contractu, non obſtat vinculo, aut eius perpetuitati, niſi inquantùm lex ipſa eam importat, vt ſi eſt votum Religionis, quod dirimit matrimonium ratum. Secundò, non obſtat fidei: quia non tollit quin acquiratur dominium mutuum, ita vt cum alio nequeant coniuges ampliùs contrahere. Tertium bonum, quod eſt prolis, intantùm obligat, inquantùm proles ipſa ſequeretur: vnde & ſteriles poſſunt contrahere, aut ſenes, de quibus nulla eſt ſpes prolis; neque vllum eſt præceptum affirmatiuum, qua teneantur coniuges operam dare proli procreandæ; quod præceptum particulares perſonas hîc & nunc obliget, ſeclusis circumſtãtiis neceſſitatis illius procreandæ; aliàs non poſſent poſt contractum matrimonium renuntiare debito coniugali, aut ſeruare caſtitatem, quod eſt falſum: ergo ceſſio ab actu coniugali non eſt cõtra ſubſtantiam Sacramenti. Si etiam loquamur de illo actu, quatetenus eſt in remedium infirmitatis, non eſt dubium quin in cœlibatu ex Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 7. poſſit per alia media ſubueniri perfectiùs infirmitati, quàm per copulam; ſi illa remedia applicentur. Vnde colligitur talem conditionem expreſſam in pacto non repugnare contrariè ſubſtantiæ ipſius contractus, & remanere poſſe vinculum, & bonum fidei, non obſtante tali conditione expreſſa, & in his dominium perfectũ corporũ cum obligatione debiti in radice; licèt actus eius impediatur per conditionem, cuius impedimentum non eſt contra ſubſtantiam contractus, ſed eſt ceſſio libera ab actu, ſine quo manet contractus in ſubſtantia; neque refert quo titulo inducatur illud impedimentum, modò cum eo poſſit iniri contractus quoad ſubſtantiam; neque contractus ſuperueniens auferat impedimentum, ſed lege compatiantur: ſi ergo impedimentum vſus trahatur in conditionem, & pactum, nequit deſtruere naturam contractus, quia conditio appoſita cenſetur iure contractus importari, ſiue exprimatur, ſiue non exprimatur. Hinc ergo à poſteriori colligitur talem conditionem non eſſe contrariam ſubſtantiæ matrimonij. 62 *Vinculo non obſtat.* *Neque fidei.* *Non obſtat fini.*

o *Ad argumenta*, &c. Ad primum patet ſolutio, quia committit æquiuocationem, ſumendo *Sacramentum* pro ſigno ſenſibili gratiæ, quod comitatur contractum: illa ergo bona tria ſunt vinculi, quod dicitur Sacramentum in ſignificatione myſtica, quo repræſentat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, modo explicato. 63 *Ad argumenta principalia quæſtionis.*

Ad

§ *Ad secundum*, &c. Respondet bonum fidei, vt *supra* explicuit, esse quoad obligationem, ex quo patet ad tertium, inter steriles enim matrimonium excusatur propter duo prima bona, & propter obligationem prolis educandæ, si eueniat, & propter fiduciam etiam miraculi, si insit; & hoc quantùm ad officium naturæ: ex alia parte est ipsis in remedium infirmitatis, quo vti licet. Dicit autem alias vbi neque est probabilitas prolis secuturæ, neque intenditur miraculum à contrahentibus matrimonium, non excusari per bonum prolis. Loquitur autem in vulgari sensu Doctorum, qui dicunt ad ineundum matrimonium excusari personam ad detrimentum incursum per illud onus, ob illa tria bona, quorum tertium inter steriles esse non contingit. Excusantur ergo per duo priora vinculi, & fidei. Vnde insinuat non necessariò requiri in effectu (quod confirmat præmissa) neque etiam in expectatione, aut spe; sed matrimonium sine illo posse stare, licet non possit stare cum conditione apposita, qua procuratur non secuturam copulam; hoc est, obligando ad conditionem, qua impediretur proles ex copula sequente, quia id irritat contractum, aut si post contractum sequatur talis procuratio, est peccatum mortale.

Quomodo excusantur steriles.

Ad vltimum patet ex litera, & responsione ad primum.

DISTINCTIO XXXII.

De matrimonio quantùm ad causam finalem.

SCIENDVM etiam est, quòd cùm in omnibus aliis vir præsit mulieri, vt caput corpori (est enim vir caput mulieris) in soluendo tamen carnis debito pares sunt. Ideò Apostolus vtrique pariter præcipit in hac causa sibi inuicem subiici, inquiens, Vir debitum reddat vxori, similiter & vxor viro, quia mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, quia nec mulier ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem potestatem sui corporis habet, nec vir ad continendum, nec mulier potestatem habet sine mutuo consensu, sed alter alterius potestatem habet corporis: vt poscenti alteri non liceat alteri negare debitum. In hoc enim pares sunt, quia nec viro, nec mulieri corpus suum licet alij tradere: sed sibi inuicem debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio. Per quod non dominium tollitur viro, sed vitium. [Debent enim sibi coniugati non solùm ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, quæ prima est in ista mortalitate societas, verùm etiam infirmitatis inuicem excipiendæ ad illicitos concubitus deuitandos, mutuam quodammodo seruitutem: vt etsi alteri eorum continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit. Ad hoc enim neuter habet potestatem sui corporis, quod adeò verum est, vt etiam quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis & incontinentiæ causa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa non sibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas. Reddere enim debitum coniugale nullius est criminis: exigere autem vltra generandi necessitatem, culpæ est venialis. Fornicari verò, vel mœchari, puniendi est criminis.]

A *1. Cor. 11. a* *1. Cor. 7. a* *Lib. 32. cōtra Faustū, c. 31. & in lib. de bono coniug. c. 6. tom. 6. & 32. quæst. 2. Quicquid inter. Ibid. c. 7.*

Quòd neuter continere valeat, nisi ex communi consensu.

QVòd verò sine consensu vxoris vir continere non valeat, subditis probatur testimoniis. Ait enim Augustinus: si dicat vir, [Continere iam volo, Nolo autem, dicit vxor: non potest. Quod enim tu vis, illa non vult. Nunquid per continentiam tuam illa debet fieri fornicaria?

B *In epist. ad Ediciā, quæ est 199. in initio quo-*

ad sententiam, & habetur 33. q. 5. c. Si vir dicat. *Ibid. in forma paulò inferius. & 33. quæst. 5.* Secundùm verba. *In præfatione expo- sit.* *Psal. 147.* *Idē ad Armentarium epist. 45. in fine, tom. 2. & 3. q. 5.* Vna sola. *August. lib. 1. de adulterinis coniugijs, c. 3. Idē in quæstionibus Numerorū, lib. 4. c. 59. tom. 4. & 33. quæst. 5.* Manifestū est. *Num. 30.* *Ex Concil. Remen. 33. q. 5.* Qui vxorem.

Si alij nupserit te viuo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus tale damnum compensari, Redde debitum, & si non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debes vxori.] Idem, [Secundùm verba Apostolica, etiamsi vir continere voluisset, & tu voluisses, debitum tibi reddere cogeretur, & illi Deus imputaret continentiam, si non suæ, sed tuæ cedens infirmitati, nè in adulterij damnabile flagitium caderes: maritalem tibi concubitum non negaret, quantò magis te, quam magis subiectam esse decuerat, nè ipse quoque in adulterium, diabolica tentatione traheretur in reddendo huiusmodi debito, voluntati eius obtemperare conuenerat, cùm tibi voluntatem continendi acceptaret Deus, quia propterea non faceres, nè periret maritus. Quisquis ergo compatiens infirmitati vxoris, reddit, non exigit debitum: aut si propter propriam infirmitatem ducit vxorem plangens potiùs, quia sine vxore esse non potuit, quàm gaudens, quia duxit, securus expectat diem nouissimum.] Idem, [Vna sola causa esse potest, qua te ad id quod vouisti, non modò non hortaremur, sed etiam prohiberemus implere: si fortè tua coniux hoc tecum suscipere, animi vel carnis infirmitate recusaret. Nam vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu, & voluntate communi, & si præproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persoluenda promissio. Non enim Deus exigit si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potiùs vsurpare vetat alienum.] Idem, [Apostolus nec ad tempus, vt vacent orationi, nisi ex consensu voluit coniuges carnali inuicem fraudari debito. Idem manifestum est ita voluisse legem fœminam sub viro esse, vt nulla eius vota, quæ abstinentiæ causa vouerit, reddantur ab ea, nisi auctor fuerit vir permittendo. Nam cùm ad peccatum eiusdem viri pertinere voluerit lex, si priùs permiserit, & posteà prohibuerit, non tamen dixit vt faciat mulier quod vouerat, quia permissa iam priùs à viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia abnuit quod priùs concesserat: non tamen mulieri ex hoc iussum dedit, vt cùm priùs vir ei concesserit, posteà si prohibuerit contemnatur.] Ex his apparet, quòd vir vel mulier continentiam Deo offerre non potest sine communi consensu, nec alter alteri debitum negare debet. Si verò quilibet eorum alterum à suo iure absoluerit, ad præteritam seruitutem, nunquid reuocare poterit? Hoc enim videtur Augustinus suprà voluisse. Quibusdam videtur, quòd mulier non discedens à domo viri, quæ viro permittente continentiam vouerit vel promiserit, eodem prohibente soluere non valeat: & hoc propter dignitatem viri, qui est caput mulieris. Sed meliùs hoc intelligitur in tali casu, vbi vir concedit mulieri vouere continentiam, & ante votum prohibet implere. Si verò habitum mutauerit, non potest reuocari, secundùm illud, *Qui vxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur.*

Quibus temporibus cessandum sit à coïtu?

C *Lib. de q. nou. & vet. Test. tom. 4. q. 127. ad finem.*

Et licèt debitum poscenti semper sit soluendum, non licet tamen qualibet die poscere. Vnde Augustinus, [Christiano cum vxore sua aliquando licet conuenire, aliquando non. Propter processionis enim dies, & ieiuniorum aliquando non licet conuenire: quia etiam à licitis abstinendùm est, vt faciliùs impetrari possit quod postulatur.] Idem, [Quoties

enim vel dies natiuitatis, vel reliquæ festiuitates aduenerint, non solùm à concubinarum consortio, sed etiam à propriis vxoribus abstinere.] Item Ambrosius, [Si causa procreandorum filiorum ducitur vxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum vsum: quia & dies festi, & dies processionis, & ipsa ratio conceptus & partus, iuxta legem cessare vsum carnis his debere temporibus demonstrant.]

In serm. de Dominic. 2. Aduent. 33. q. 4. Christiano, & quotiescúque.

Hieronymus videtur dissentire à præmissis.

D

ILli autem, quod dictum est, reddere debitum non esse peccatum, videtur obuiare quod ait Hieronymus, [Quicumque vxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec carnes agni edere.] Item, [Si panes propositionis ab his, qui vxores suas tetigerant, comedi non poterant: quantò magis panis, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui coniugalibus paulò antè adhæsêre complexibus, violari atque contingi: non quòd nuptias condemnemus, sed quòd eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus.] Hoc capitulum maximè ad ministros Ecclesiæ pertinere videtur: quibus non licebat sacra officia celebrare, atque mysteria tempore coniugalis amplexus: quo etiam præsentia Spiritus sancti non datur. Vnde idem ait, [Connubia legitima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo, quo coniugales actus geruntur, præsentia Spiritus sancti dabitur, etiam si Propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur.]

Circa illud. 1. Cor. 7. Ne vos tētet Satanas. & 23. q. 4. Si can. In serm. de esu agni Paschalis, tom. 4. 33. q. 4. Sciatis. Ibidem 1. Reg. 21. b Ioan. 6. d Hieron. super Matth. 32. quæst. 2. Cōnubia.

Quibus temporibus non sunt celebrandæ nuptiæ?

E

NEc solùm in opere carnali obseruanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis: secundùm illud, *Non oportet à Septuagesima vsque in octauam Paschæ, & tribus hebdomadis ante festum sancti Ioannis, & ab aduentu Domini vsque post Epiphaniam celebrare nuptias: quod si factum fuerit, separentur.* Item Nicolaus Papa, Nec vxorem ducere, nec coniugia facere Quadragesimali tempore conuenire posse vllo modo arbitror.

38. quæst. 4. c. Nō oportet. Nicolaus Papa ad cōsulta Bulgarorum 33. quæst. 4. c. Nec vxorem.

Qvæstio Vnica.

Vtrùm sit simpliciter necessarium in matrimonio reddere debitum petenti?

D. Thom. *in addit. q. 53. art. 1. & hic q. 1. art. 1.* D. Bonau. *art. 2. q. 1. & art. 2. & 3. per totum.* Richard. *art. 1. q. 1. & 2.* Durandus *quæst. 1.* Sanchius *lib. 9. de matrim. disput. 1. & 2. latè, & per totum lib. 9.*

CIrca istam trigesimam secundam distinctionem quæro, Vtrùm sit simpliciter necessarium in matrimonio reddere debitum petenti? Quòd non: nullus obligatur simpliciter ad peccatum mortale; sed reddere illud debitum est peccatum mortale; tum quia priuat se maximo bono, scilicet vsu rationis, quod est maius bonum, quàm actus virtutis (agens autem actum contrarium actui virtutis, vel actum vitiosum, peccat mortaliter) sed priuare se actu virtutis est peccatum mortale: ergo & priuare se vsu rationis, quod contingit in actu illo: tum quia si non esset contractus matrimonij, talis actus esset peccatum mortale; sed nullus potest seipsum licentiare, & per consequens ex actu suo proprio non licet sibi, quod priùs non licuit: contractus matrimonij est actus istorum. 1

Argum. 1.

Præterea, contrahens matrimonium antequàm consummet, si intret Religionem, non tenetur reddere debitum, & tamen tunc est coniux. Et si dicas, mortuus est

Argum. 2.

ciuiliter. Contrà, ante professionem non est sic mortuus, & tamen illo tempore non tenetur reddere.

Argum. 3. Præterea, tempore obseruationis, & orationis sacræ, & ieiunij, non tenetur quis reddere debitum: quia tunc esset indispositus ad comedendum carnes agni, sicut habetur in litera: sed nullus fit inidoneus ad Eucharistiam propter actum illum, ad quem necessariò obligatur.

Argum. 4. Præterea, in loco sacro non tenetur quis reddere, quia maius malum sequitur quàm vitetur, scilicet interdictum loci, quod est malum commune quoad multitudinem, & malũ quodammodò reducibile in Deum, cuius cultus impeditur in loco illo.

Ratio opp. Contrà 1. Corinth. 7. *Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus; & vir vxori debitum reddat, & vxor viro.* & probat ibi, quia *vir non habet potestatem corporis sui, sed vxor, & è conuerso similiter.*

COMMENTARIVS.

Dispositio. a *CIrca istam distinctionem trigesimam secundam, &c.* In hac distinctione Scholastici cum Magistro tractant de debito coniugali; quam vnica quæstione Doctor transigit, exponens obligationem esse præcepti affirmatiui, & in duobus casibus in genere hoc præceptum non obligare.

SCHOLIVM.

Redde debitum coniugi petenti, esse actum iustitiæ ex præcepto affirmatiuo, obligante secundùm debitas circumstantias, non aliter: in duobus casibus in genere non tenetur quis illud reddere. Primus est, quando petens non habet ius, vt si est adulter: probabilius est tamen adulterum posse petere, quia non est priuatus ipso facto, sed priuandus, vt tenent Sotus dist. 36. q. vnic. art. 4. vers. Vtrùm verò. Palacius dist. 35. disp. 1. Henriquez lib. 11. de Matrim. cap. 15. num. 6. Item, non est ius petendi post ratum ad bimestre, cap. Ex publico, de conuers. coniug. mouet dub. an ingressus Religionem de licentia vxoris, ipsa non viuente continenter, sit extrahendus: & dicendum non posse profiteri, nisi altero coniuge votum continentiæ emittente, si est senex: & cogitur intrare Religionem, si est iuuenis, c. 1. cap. Cùm sis. *& cap.* Coniugatus, *de conuers. coniug. si aliter professus fuerit, est extrahendus.*

2 AD [b] quæstionem dico, quòd reddere debitum coniugale, potest intelligi dupliciter; vel propter duplicem finem, sicut matrimonium duplici de causa est institutum, vt dictum est *suprà quæst. 1. de matrimonio*; & propter primum finem, scilicet bonum prolis, reddere est dupliciter laudabile. Vno modo, quia ad finem laudabilem, scilicet ad bonum prolis. Alio modo, quia in se actus iustitiæ reddentis illi quod suum est, quia ad finem, ad quem debet esse. Propter secundum finem, scilicet causa vitandæ fornicationis, est laudabile tantùm secundo modo, scilicet, quia actus iustitiæ, istud tamen iustè redditum non esset iustum, nec illi deberet reddi, nisi Deus dispensasset propter pronitatem hominis post lapsum.

Reddere debitum est præcepti affirmatiui. Præscindendo ergo primum bonum laudabile, scilicet bonum prolis, si quæratur de redditione debiti vniuersaliter ex obligatione coniugum. Dico quòd est actus præcepti affirmatiui explicantis iustitiam commutatiuam. Præceptum autem affirmatiuum obligat semper, sed non ad semper, sed pro quando actus potest esse debitè circumstantionatus.

Ex duplici causa iustè negatur debitum. *Vide Rich. dist. 27. huius artic. 2. q. 2.* Et ita hîc in genere potest aliquis iustè non reddere debitum coniugi dupliciter. Vno modo, si coniux amisit ius petendi, vel non habet ius petendi pro tunc. Alio modo, quando obligatur ad non reddendum vinculo fortiori. Primum [c] contingit in fornicatione coniugis, maximè si alter tantùm fuerit fornicatus: tunc enim innocens potest lapsum, si sibi publicè constiterit, repellere, & amisit lapsus ius petendi, pro eo quòd non seruauit fidem: & ideò non est necessariò sibi fides seruanda, saltem affirmatiuè. Si autem vterque lapsus sit, tunc paria crimina pari vindicta sunt delenda. Sic [d] non habet ius petendi statim post matrimonium ratum, licèt adhuc

3 *Duo menses ad deliberandum, c.* Ex publico, de conuers. coniug. *Vide Rich. vbi suprà q. 2. & 3.* non amiserit, quia nondum peccauit, eo quòd post matrimonium ratum licet intrare Religionem: nec oportet statim, sed ad tempus potest stare in sæculo, & deliberare; & si teneretur statim reddere, teneretur facere se inhabilem ad Religionem.

Sed [e] esto post ingressum Religionis mulier remanens in sæculo non continet, vel timetur nè continere velit, nunquid vir professus extrahendus est de Religione, & sibi reddendus? 33. *quæst.* 5. habetur expressè, quòd *qui vxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur.* Sed contrarium videtur expressè haberi Extrà de conuersione coniugatorum, c. 1. *Laïcus vxoratus qui de licentia, & permissione*

sione vxoris Religionem ingressus professionem fecerit, vxore in sæculari habitu, vel in sæculo permanente, nec transeunte ad Religionem, aut perpetuam continentiam non vouente: dicimus quòd nisi vxor ad Religionem transierit, aut castitatem perpetuò seruare promiserit, vir potest, & debet de monasterio reuocari.

Si autem dicatur quòd debet intelligi quando mulier non renuntiat iuri suo, sed tantùm ad tempus, vt vir vacaret orationi; hoc est contra planum sensum literæ, quia habetur ibi quòd si de licentia, & permissione vxoris monasterium ingressus, professionem fecerit, quid de stricto rigore esset faciendum, an illa compellenda esset ad continentiam, an iste extrahendus, in casu isto, quia scilicet ignorante Episcopo factum est. Sed præsentibus Presbyteris, & Monachis, dubium est; quia ista videtur renunciasse iuri suo perpetuo quantùm ad debitum petendum, licentians eum publicè ad profitendum in Religione: non enim talis renuntiatio requiritur necessariò, quòd sit de scitu Episcopi: si ergo renuntiauit sufficienter, nihil iuris habet illa ad repetendum eum. Similiter coactio eius ad continentiam est aliquid licitum: & licèt pœnale, tamen debitum ex ista licentia data viro: coactio autem viri ad standum cum vxore, videtur ad illicitum inducere, quia ad peccatum mortale, cùm ille vouerit castitatem, & potuit vouere, quia licentiatus.

Saltem [f] de hoc cautum est in regula Fratrum Minorum, vbi, *de his, qui volunt vitam istam accipere, dicitur, Si vxores non habent, vel si habent, & iam Monasterium intrauerint vxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate diœcesani Episcopi, voto continentiæ iam emisso, & illius ætatis sint vxores, quòd non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Euangelij*, &c. Vnde prætermissis istis conditionibus, scilicet voto continentiæ emisso, vel saltem licentia data auctoritate diœcesani Episcopi, videtur quòd hodie fieret secundùm illud capitulum, scilicet quòd vir extraheretur, & redderetur vxori. 4

Et tunc quando dicitur quòd ipsa dicitur renuntiare iuri. Respondeo, non sufficienter, & perfectè quantùm ad forum Ecclesiæ, quæ determinauit modum debitum istius renuntiationis per votum continentiæ emissum, & licentiam datam auctoritate diœcesani Episcopi.

Et [g] quod tangitur de peccato mortali ipsius reuocati, posset dici quòd tenetur non petere, quia renuntiauit iuri suo, quantùm in se fuit; sed potest reddere, quia non potuit renuntiare iuri alieno. Et quia putauit se absolutum à iure illius, ideò pro tunc non peccauit: tamen quando constat sibi per Ecclesiam, quòd non fuit absolutus à iure vxoris, tenetur sibi reddere illud, cui non potuit renuntiare.

COMMENTARIVS.

1 *De debito coniugali. Esse honestũ, & in præcepto.*

b AD *quæstionem*, &c. Primò supponit actum coniugalem esse honestum, primò ob bonum prolis, tanquam ex fine. Secundò, quia est redditio debiti. Deinde hanc redditionem debiti esse præcepti affirmatiui; quod semper, & non pro semper obligat: obligat enim in certis circumstantiis, & non pro omnibus: obligat autem quando actus est debitè circumstantionatus. Vt autem decidatur quando incurritur hoc debitum, præter hoc quod dicit esse debitum, quando actus est circumstantionatus, adducit duos casus generales, quibus reddere debitum non tenetur coniux, vt inde ex regula contrariorum colligatur quando est debitum, & obligatio eius petenti. Quoniam autem hæc obligatio duobus tantùm modis impeditur, nempe ex amissione iuris petendi, vel ex concurrentia maioris præcepti hìc & nunc, cui cedit præceptum iustitiæ de reddendo debito: ita ad hos casus generales, seu regulas reducit excusationem negati debiti, vel quia ius amittitur, vel non ligat contra præceptum fortiùs obligans. subinde exponit aliquos casus, vt per exempla generales regulas confirmet, ad quas reliqua decisio in aliis similibus reducenda est in specie

Regulæ generales reddendi, vel negandi debiti.

2 *Amitti ius debiti per adulterium.*

c *Primum contingit in fornicatione coniugis*, &c. Hic subiicit exemplum primæ regulæ, & dicit per adulterium alterius, innocentem, si ei constiterit publicè, repellere posse adulterum, quia ius petendi amisit, quia violauit fidem, affirmatiuè, hoc est, quantùm ad redditionem debiti, quod ex præcepto affirmatiuo obligat, non tenetur innocens: tenetur tamen negatiuè, hoc est, quantùm ad negatiuum præceptum non commiscendi se alteri. Dicit autem Doctor eum amittere ius debiti, si adulterium eius sit notorium, seu publicum: videtur ergo per illa verba excludere sententiam iudicis esse necessariam, ad negandum debitum supposita notoreitate facti, seu publicitate, contra Hugonem citatum à Glossa *cap. finali, de adulterijs*, &c. quam sentit etiam probabilem Innocentius *c. penult. eod.* vbi Anchoranus. Turrecremata *cap. Agathosa 27. quæst. 2.* Supplementum Gabrielis *in 4. d. 35. quæst. vnic. art. 2. concl. 6. & in solut. ad 2. & 4.* Reiicere etiam videtur sententiam aliorum, qui negant requiri ad negandum debitum adultero, & amissionem iuris, aliud, quàm certam scientiam de eius adultero, quam tenent communiter Theologi *in 4. dist. 35.* vbi D. Thomas *art. 3. in corpore.* D. Bonauent. *q. 3.* Richard. *art. 1. q. 3.* & alij communiter. Hostiensis, Ioan. Andreas, Anchar. *in cap. Porrò*, &c. *de diuortijs.* Conclusio Doctoris sustinetur à Glossa *c. finali, de adulterijs.* Hostiens. *cap. Inquisitione*, &c. *de sent. excommunicat.* Archidiaconus *cap. In coniugio 32. q. 1.* Præposit. *cap. Ex parte*, &c. *de sponsalibus.*

Nõ teneri affirmatiuè ad debitum.

Teneri negatiuè.

An propria authoritate si est notorium.

Sentẽtia Hugonis negatiua.

Sententia aliorum Theologorum.

3 *Probatio contra primam sententiam.*

Probatur contra primam sententiam, quia amissio iuris debiti ob adulterium, est diuini Iuris, & imbibitur in contractu tanquam conditio adhærens: ergo ipso Iure diuino, quando factum est notorium, conditio habet effectum suum. Probatur consequentia, quia nihil obstat; obstare enim posset, vel scandalum, quod notoreitate tollitur, vel certè prætextus, & perturbatio debiti ordinis: quæ etiam notoreitate facti excluduntur; nam lex diuina contractus, & exceptio facta, in causa fornicationis dimitti posse vxorem, viro concedit propria auctoritate.

Deinde, sententia iudicis non requiritur, nisi in adminiculum iustitiæ seruandæ in causa dubia, ne temerè fiat, quod diuina lege sancitum est; pœna autem hæc ab ipsa lege est lata, & excluditur periculum, seu temeritas notoreitate facti. Deinde, non potest adulter agere contra coniugem, nisi iure possessorio, vel contractus præteriti; sed non primo modo, qua exceptio notorij defectus tituli obstat agenti iure possessorio, *cap. Ad decimas*, &c. *de restitut. spol. in 6.* ergo quando notorium est adulterium, deficit titulus adultero, vt agat iure possessorio. & *cap. Significasti*, &c. *de diuortijs*, negatur coniugi dimisso ob notorium adulterium restitutio, nec licet eidem agere ex contractu, quia lex ipsa contractus hoc ius tribuit innocenti, & *cap. Ex parte*, &c. *de sponsalibus*, &c. dicitur nemini licere dimittere vxorem sine manifesta causa fornicationis: ergo quando causa est manifesta, licet dimittere, & à fortiori negare debitum.

Adultero non datur actio deficiente titulo possessorio, & contractus.

4 *Impugnatur secunda sententia.*

Ex quo patet etiam contra secundam sententiam; negatio debiti coniugalis, & causa sufficiens eius negandi, sufficit etiam, & requiritur ad tollenda impedimenta, sed in casu cohabitationis coniugum nequit quandoque innocens commodè vti Iure suo: ergo requiritur adulterium posse probari, vel esse notorium, vt coniux neget debitum, & sine scandalo se separare, quod indicat prædictum capitulum; hoc enim requiritur ad negandam cohabitationem secundùm omnes; sed cohabitatio non obligat, nisi ex iure reddendi debiti: ergo quoties soluitur ius reddendi debiti, etiam soluitur ius cohabitationis: sed nequit hoc solui ex adulterio occulto: ergo neque soluendi debiti obligatio. Deinde, licèt hæc sit conditio quædam contractus, tamen in modum pœnæ Iure diuino est adiecta facto, seu violationi fidei ipsa lege, & non solùm ex natura contractus: perinde enim tenet, siue coniuges habeant, nō seruandi fidem intentionem internam, siue non habeant: ergo ex lege inest talis conditio, non aliter, quàm per modum pœnæ; sed delictum priuatum nequit pœna publica puniri, mulier autem, quæ obnoxia est violentiæ, nequit suum ius conseruare commodè, nisi per separationem saltem thori, quo casu priuat alium publicè debito; ac proinde sequitur scandalum, cum quo nequit acquirere ius negandi debiti: quia præceptum scandali fortiùs ligat. Sequitur etiam infamia alterius in crimine merè occulto, contra Iuris ordinem: ergo non videtur cum tanto damno adulteri posse negare debitum, quando crimen nequit probare testibus, aut aliis adminiculis, & quando nequit adhibere per separationem thori, aut cohabitationis media opportuna suo iuri seruando, & necessaria: quia lex, per quam acquiritur ius completum, concedit etiam media necessaria applicari posse.

Ex occulto adulterio non datur separatio.

Delictum occultū publica pœna non punitur.

Dices vxorem posse negare debitum priuatim, & non publicè. 5 *Responsio.*

Contra, negatio illa non eximit mulierem à violentia, quæ ipsi imminet, & inferri potest, & vt præsumitur inferetur ab altero, si thorum ineat: ergo si acquirit ius completum negandi debiti, acquirit etiam ius separationis thori, vel etiam cohabitationis, si necessarium est ad sui iuris conseruationem: hoc autem non permittitur: ergo etiam neque illud. *Impugnatur.*

Obiicies, ex hac sententia sequeretur quòd vir si teneretur ad debitum vxori adulteræ (tenetur autem in casu, quo illa non amisit ius petendi debiti) incurreret necessariò sine sua culpa damnum bigamiæ, quando ipsi certus est lapsus alterius: hoc autem damnum non tenetur incurrere: ergo. *Obiectio.*

Respondetur negando consequentiam, in eo casu ratione damni si intendat suscipere sacros Ordines non tenetur ad debitum, cùm ex culpa alterius tale damnum sequatur; sicut etiam non tenetur ad debitum reddendum, quando notabile aliud damnum sequitur.

Cæterùm, quia secunda sententia est satis communis inter Theologos, posset intelligi Doctor non de negatione priuata debiti, sed de negatione debiti, & eius amissione respectiuè ad forum externum, in quo crimen debet esse notorium, vt extinguatur ius debiti, & sine scandalo negetur. Addit ergo crimen notorium debere esse, vt comprehendat casum, in quo ex toto tam priuatim, quàm publicè extinguitur ius partis ad petendum debitum, & iuxta stylum Canonum, qui non audiunt non probantem, & compellunt ad debitum, præsumendo pro iure matrimonij, donec constet de fidei violatione. *Aliter explicatur Doctor cum communi.*

Sed quid si vterque fidem violauit? &c. Respondet tunc paria crimina pari vindicta esse puniendа: hæc est ratio Canonis, *de adulterijs & stupro. cap. Intelleximus*, vbi dicitur *paria delicta mutua compensatione tolluntur.* & *cap. Tua fraternitas. Paria crimina compensatione mutua delentur.* Loquitur vterque Canon in casu præmisso violatæ vtrique fidei. Doctor autem ideò dicit paria crimina pari pœna censenda, seu vindicta, quia seruitus, à qua adulterium liberat innocentem, per superueniens delictum renascitur, seu per mutuum, & vtrique priuantur iure libertatis, quod aliàs ex adulterio vnius alteri competit; vnde vir nequit obiicere vxori delictum, si ipse est in simili. Eodem modo, si vir vxorem ad adulterium compulit, aut tradidit: quia eo casu ipse est particeps criminis, & sibi præiudicat sciens & volens. Item, si fuerit cum ignorantia lapsus, vt qui putauit proprium esse coniugem, *cap. 1. de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ.* Item, si vxor violenter oppressa fuerit, *ff. ad legem Iuliam*, &c. *de adulter.* Itē, si putans virum mortuum alteri bona fide nupserit 34. *q.* 2. *Cùm per bellicam.* Item, si reconciliata est viro suo post adulterium 23. *q.* 4. *Si illic*, &c. nam in eo casu cessit alter iuri suo reconciliari: censetur autem, si interuenit copula post notū adulterium. 6 *Neuter est liber si in pari culpa sunt.* *Quibus casibus excusatur vxor.*

Dubitatur si sola suspicio adulterij sufficiat ad negandum debitum: quòd non, quia ex suspicione nemo debet priuari possessione sua. Sed contra hoc est Hieronymus *in cap. 19. Matth.* & habetur *dist. 32. q. 2. c. Dixit Dominus*, &c. vbi dicitur 7 *Quid iuris tribuat suspicio.*

citur *vbicunque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur vxor*, &c. & *cap. Ex literis*, &c. *de præsumpt.* vbi dicitur ex violenta adulterij suspicione posse ferri sententiam diuortij: hoc enim crimen, seu eius probatio sicut est occulta, & non peruia, plurimùm innititur indiciis, & præsumptioni: requiritur tamen vt suspicio sit violenta, & indicia, quæ in foro externo probata conuincerent reum: communiter enim Doctores asserunt suspicionem violentam sufficientem adulterij notitiam inducere. Quid sit autem suspicio violenta, & quibus mediis innititur, seu indiciis, habetur *prædicto cap. Ex literis*, &c. *de præsumpt.* vt si videatur solus cum sola, nudus cũ nuda in lecto iacens, horis, & locis suspectis, erit violenta suspicio, & his etiam æquiualens in iudicio prudentis viri. Ex quo patet ad rationem dubitandi: quia priuatur adulter iure ab habente auctoritatem, qualis est innocens.

Suspicio violenta æquiualet probationi

8 d *Sic non habet ius petendi statim post matrimonium ratum*, &c. Exponit casum alium, quem *suprà* tractauimus, nempe non teneri post matrimonium ratum reddere debitum. Patet *cap. Ex publico, de conuers. coniugat.* Aliqui moderni hoc limitant, si nempe aliàs coniux intendat Religionem, si autem non intenderit, teneri ad debitum petitum. Sed hæc ratio non satis fundatur, quia redditio debiti tunc tenet ex iustitia, quando accedunt circumstantiæ, in quibus obligat præceptum affirmatiuum de eo reddendo. In proposito autem non sunt illæ circumstantiæ, neque nascitur obligatio proxima, aut compatitur cum libertate, quam concedit Ecclesia per illud tempus coniugi: ergo petitio debiti potest repelli: neque refert quòd dum petitur debitum, non cogitet de Religione, quia, vt benè Doctor, huic negotio tempus idoneum deliberationi concedi congruit, imò & Ecclesia meritò concessit, & hoc consonum est Iuri diuino, quo licet ex matrimonio rato, & non consummato trãsire ad Religionem, qui transitus non temerariè, sed cum magna deliberatione in casu fieri debet: ergo requirit moram. Item, licèt pro tunc non cogitet, potest tamen cogitare pro reliquo tempore antequàm expiret: quin imò etiam prorogare tempus implorando auctoritatem iudicis, si causa subest, vt plures tenent.

Non teneri ante bimestre consummare matrimoniũ, aut reddere debitum.

Limitatio reijcitur.

Præceptum affirmatiuum quando obligat.

9 Dices, posset esse periculum incontinentiæ in altero coniuge: ergo in eo casu dum non cogitat de Religione, debet reddere debitum, si non ex iustitia, saltem ex charitate.

Obiectio.

Respondetur negando consequentiam, quia, vt benè Doctor, non tenetur consummando matrimonium, sibi impedimentum Religionis statuere. Plura alia etiam media suppetunt patienti periculum, vt sibi prouideat ne labatur, cui non tenetur, neque ex vi contractus, neque ex charitate condescendere coniux in tantum detrimentum, seu cum impedimento maioris boni sui, ad quod est liber à seruitute debiti. Vnde sicut illi qui amisit ius debiti coniugalis sua culpa per fornicationem, neque iustitiæ, neque charitatis obligatione tenetur innocens subuenire: ita neque etiam in casu nostro. Quamuis enim debitum, & obligatio ex matrimonio rato insit, non viuit ad vsum, & possessionem corporis alterius in præiudicium suæ libertatis, quæ tam lege diuina, quàm humana conceditur intuitu sublimioris boni. Vnde D. Thomas & alij asserunt hoc spatium bimestris datum esse ab Ecclesia non solùm causa Religionis, sed apparandis nuptiis, & huiusmodi. Hanc sententiam Doctoris tenet D. Thomas *d. 17. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 2.* D. Bonauentura *art. 3. quæst. 2.* Syluester Rosella *v. Debitum.* Tabiena *v. Matrimonium 3. q. 3.* Paludanus *d. 32. q. 1. art. 1.* Sotus *q. 1. art. 3.* Henriquez *lib. 11. de matrimon. cap. 15.* éstque communior, quamuis oppositum doceat Richardus *in dist. 27. quæst. 2. art. 2.* Nauarr. *in Summa Hispan. cap. 16.* & alij. Fundamentum eorum iam est impugnatum: est autem tale, nempe per contractum de præsenti transferri de præsenti dominiũ corporum: ergo quando non cogitat coniux de Religione, vsus etiam debetur de præsenti.

Soluitur.

Obiectio.

Respondetur dominium quidem transferri, sed non vsum, quia lege diuina hæc libertas data est in fauorem Religionis, cui tempus bimestris Ecclesia præscripsit. Oppositũ huius superiùs in præcedenti dixi esse satis probabile: sed vtraque sententia potest etiam esse vera, & referri ad diuersas circumstantias, aut dispositionem coniugis; nam potest esse suspensus de ingressu, aut cunctanter cogitare; & in hoc intelligitur præsens resolutio: quia non tenetur sibi statuere impedimentum; potest etiam repugnare ingressui, & tali dispositioni non fauet Ecclesia, & sic intelligitur resolutio prior, cessante possibilitate ingressus cessat consultatio, & facultas ad eam data, modò finis in re, & in spe esset.

Soluitur.

Vtraque sententia concordatur.

e *Sed esto post ingressum Religionis*, &c. Hic quærit quid agendum sit in casu, quo post matrimonium vir est ingressus Religionem, & in ea professus, manente vxore in sæculo, quæ non continet, aut timetur non velle continere, aut non posse continentiam seruare, An illi sit restituendus de rigore maritus professus, non obstante licentia tradita & professione secuta? Difficultas in hoc consistit, an magis est cogendus coniux in sæculo manens ad continentiam seruandam; an potiùs restitui debeat professus. Proponit rationes difficultatis primò ex Canonibus, vt patet in litera, qui indicant cogendum manentem in sæculo ad conuersionem. Secundò verò contrarium, nempe restituendum esse professum. Item, à ratione confirmat primum, quia ad renuntiandum suo iuri non requiritur scientia Episcopi, saltem si fiat præsentibus Presbyteris, & Monachis: si ergo renuncians sufficienter nihil iuris habet, consequenter magis cogendus est ad continentiam; quia licèt sit pœnalis, tamen supposito matrimonio consummato, & licentia data, est debita. At contrà, coactio viri professi videtur indebita, obstante voto licitè emisso. 10

Casus.

Manente in sæculo altero, & non continente, an professus restitui debeat.

Alterutra pars disseritur.

Qua in re tenet Durand. *in hac dist. q. 2.* tenere votum, & manentem in sæculo cogendum esse ad continentiam. Ita etiam glossa aliquos docuisse refert *in cap. 1. de conuers. coniugat. citato in litera.* Alij docent, si fuit conscia iuris vxor, non debere reuocari, sed ipsam esse cogendam. Si verò ignara, reuocari posse. Ita Hugo *cap. Qui vxorem 33. q. 2.* Albericus *in dictionario, vers. votum.* Astensis *cap. 2. Summa lib. 8. tit. 11. art. 2. q. 12.* fauet capitulum *Qui vxorem*, &c. citatum in litera glossa *ibid. cap. Agathosa 27. quæst. 2. cap. Seriatim, verb.* Post mortem, *dist. 32. c.* Ex parte 2. *de conuersione coniugat. & cap.* Veniens 3. *eodem.* Richardus *distinct. 27. art. 3. quæst. 4.* Syluest. Angelus; Tabiena, *verb. Matrimonium.* Sotus 11

Sentẽtia Durandi.

Sentẽtia Hugonis.

Tenere professionem, & cogendam partem ad cõtinentiam.

 dist. 27.

*distinct.27.q.1.art.4.*Henriquez. Ratio huius est, quia ignorantia Iuris facilè in mulieribus admittitur, & in militibus, & similibus personis, ideóque excusat. E contrà, si adest scientia, cùm disponant Iura votum professionis, vt valeat requiri, vt voto se adstringat continentiæ, etiam manens in sæculo; dando ergo licentiam censetur tacitè vouere. Vnde si vxor in eo casu sit suspecta, vt si est iuuenis, & sciens dispositionem Iuris, cogetur ad continentiam seruandam: non admittitur excusatio ignorantiæ Iuris in viris, quoad forum externum: vnde siue ignoret, siue sciat vir legis dispositionem, perinde etiam cogetur, modò licentiam tribuat vxori ad professionem iuxta hanc sententiam.

12 *Cautio in regula Minorũ expressa.*

f *Saltem de hoc cautum est in regula fratrum Minorum,*&c. Optimè & de Iure illa cautio Deo inspirante, & reuelante nostro Patri Seraphico adhibita est, non ab ipso inuenta, vt constat ex oraculo publico ipsius Christi respondentis aliis dubitantibus: sic enim ter asseruit, *Francisce nihil est de tuo,*&c. *Volo obseruetur ad literam, ad literam, ad literam, sine glossa, sine glossa, sine glossa,*&c. vt habetur *tomo primo Annalium.*

Requiri de Iure illam cautionem.

Quo vel potissimum ducor in sententiam Doctoris asserentis alteram harum conditionum requiri, ad cogendum manentem in sæculo, vt continentiam seruet, neque detur ei restitutio, nempe vel quòd emiserit votum continentiæ; vel quòd dederit licentiam auctoritate Diœcesani Episcopi, & alteram harum ex Iuris dispositione requiri ab Ecclesia, ne cogatur professus redire ad relictam. Vnde concludit Doctor rectè iis omissis restitutionem secuturam, & faciendam repetenti coniugem professum, quia Ecclesia aliàs sequetur dispositionem *c. 1. de conuersione coniugat.* his omissis,

13 *Duæ conditiones obseruandæ vt restitutio elidatur.*

Duæ ergo conditiones, quas in regula expressit Pater noster Franciscus, sunt, vt vxor etiam ingrediatur monasterium, nempe si iuuenis. Secunda *si illius sit ætatis, vt non possit de ea oriri suspicio*, quia senex, vt votum continentiæ emittat de licentia Diœcesani Episcopi, & his non obseruatis neminem admittendum ad Religionem, qui matrimonio sit obnoxius. Has autem conditiones Iure præscriptas meritò docet Doctor. Quoad primam habetur *cap. Cùm sis, de conuers. coniugat.* vbi dicitur, *ne virum, vel vxorem* (nisi vterque ad Religionem migrauerit) *transire permittas. Verùm si ita vxor senex est, & sterilis, quòd sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, vt ea in sæculo permanente ad Religionem transeat vir eiusdem.*

Prima conditio.

Item *cap. Vxoratus, eod. Vxoratus sine licentia vxoris inter vos nullatenus recipiatur, quæ integræ opinionis ita existat, quòd nulla marito suspicio habeatur, eam ad secunda vota velle migrare, vel quòd minùs continenter debeat viuere. Quòd si talis extiterit marito eius in consortio vestro recepto, ipsa publicè in conspectu Ecclesiæ continentiam professa in domo propria,*&c. *poterit permanere. Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat, voto continentiæ celebrato, ad sæcularium hominum se conuersatione remoueat, & in loco Religioso, vbi Deo seruiat, perpetuò commoretur,*&c. Idem habetur *cap. Ad Apostolicam,*&c. *eodem.* Idem etiam insinuatur *cap. Significauit nobis,*&c.

Requiri licentia Episcopi.

Alterum verò, quod est de licentia Episcopi, habetur 27.q.2. *Si vir & vxor,*&c. vbi dicitur. *Si vir & vxor diuertere pro sola Religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi licentia fiat,* &c. Idem supponitur *c. 1. de conuers. coniugat. & c. Significauit,*&c. nam primo loco dicitur, si vxor sit senex, satis esse votum continentiæ ab ea emitti interueniente Episcopi auctoritate, vbi gloss. *in verb. Reuocari*, vbi hanc sententiam tenet: *si vxor sit senex, requiri vt interueniat licentia Episcopi & votum continentiæ, si verò iuuenis, requiri vt Religionem ingrediatur etiam ipsa.* Quod tenent etiam Hostiensis, *cap. Cùm sis,*&c. *eod.* Ancharan. *ibid.* Ioannes Andreas, & alij. Idem etiam colligitur *ex cap. Significauit.*

Hinc ergo sequitur hanc conditionem requiri in facie Ecclesiæ, siue mulier ignorauerit legem, siue non, ad effectum professionis alterius coniugis, vt tollatur ius eius petendi; vnde cùm Iura id disponant, & congruè vt prouideatur sufficienter matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, ne fraus, aut vis in causa sit, & prospiciatur securitati vtriusque coniugis, quoad obligationem, quam habent vi contractus, & etiam transeũdi ad Religionem, ne votum eius subsit, aut professio iuri debiti, & ex parte solubile, quod natura sua perpetuum esse debeat. Cùm, inquam, Iura id disponant, receptio alterius absque his conditionibus, & cautione præmissa, obnoxia est restitutioni, ideóque recipientibus vxoratum illud incumbit, sicut & ipsi recepto, vt cautionem Iure præscriptam obseruent, vt patet *cap. Vxoratus.* 14 *Ratio præscripta conditionis.*

Quòd autem dicitur licentiâs tacitè vouere Religionem, si sciuit ius, ac proinde compellendum intrare, non subsistit: quia Iura exprimunt votum in facie Ecclesiæ expressum debere emitti; conditio autem exprimenda ex Iure adhiberi debet, neque tacita eam supplet. Vnde *cap. Vxoratus: Ipsa,* inquit, *in conspectu Ecclesiæ continentiam professa,* &c. ergo non sufficit implicitum votum. Probatur consequentia, quia ideò hoc sufficeret, quia Iura non ignorata inducunt, aut præscribunt tale votum: sed præscribunt votum explicitum, & in conspectu Ecclesiæ: nec illud solùm, sed etiam ingressum Religionis, si vxor sit iuuenis: & de qua oriri posset suspicio: ergo non extinguitur ius repetendi ex natura legis, nisi conditiones explicitè compleantur. *Impugnatio sententiæ oppositæ.*

Dices non esse in vsu, vt coram Diœcesano illæ conditiones expleantur, vel vt licentia Episcopi petatur, vt testatur Ioannes Andreas *in cap. 1. de conuers. coniugat.* & Cardin. *q. 2. eodem.* & Fredericus *cons. 57. in fine.* 15 *Responsio.*

Contra, licèt fortè non requiratur licentia Episcopi, vt coniuges communi consensu ingrediantur, quia sic nullum remanet periculum incontinentiæ, & ipsi Canones in casu sub disiunctione loquuntur de alterutra conditione, disponentes vt si vterque ingrediatur, & professionem emittat, sufficere: tamen quando alter manet in sæculo, exigunt vt votum emittant de licentia Episcopi, & absit periculum incontinentiæ per ætatem. Et contra hoc nulla est praxis, neque esset ordinata, quia matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, & obligatio mutua indè redundans exigit vt sine periculo extinguatur illa obligatio debiti, & cohabitationis; ideóque interueniat iudicium & examen Ecclesiæ, quod spectat de Iure ordinario ad Diœcesanum, aut eius Vicarium saltem; aliàs non rectè prouideretur periculo, aut securitati ingredientis Religionem, aut manentis in sæculo, iuxta superiùs dicta. Hoc enim iudicium & examen *Impugnatur. Requiri iudicium Ecclesiæ. Id spectare ad Episcopum.*

men non solùm est necessarium, sed etiam de Iure & consuetudine in omni casu diuortij spectat ad Episcopum, siue ex culpa fiat, siue etiam per consensum. Vnde, quando coniux ex adulterio alterius negat debitum, vt iure immunis sit à seruitute alterius, & coram Ecclesia nequit propria auctoritate deserere cohabitationem, nisi interueniat sententia per officium iudicis, & aliàs petens restitutionem eius auditur, donec sententia lata celebretur diuortium. Per ingressum autem Religionis, si vterque coniux impediatur, licèt non requiratur sententia, aut officium iudicis, potest tamen de iure suo ordinario inquirere de causa; quando autem manet alter coniux in sæculo, non solùm potest, sed etiam debet prouidere eius securitati, alioquin semper ingrediens suberit periculo restitutionis sui, si altera petat.

Causa diuortij ad Episcopum spectat.

16 *Renunciatio sine requisita solemnitate non tollit ius.*

Ex quibus patet responsio Doctoris ad obiectionem, quam pro opposito facit, dicens manentem alterum in sæculo non renunciare iuri suo sufficienter, & perfectè, seu requisita solemnitate, non interueniente licentia Diœcesani, quantùm ad forum Ecclesiæ, quæ determinauit modum debitum renuntiationis per votum continentiæ, & licentiam Diœcesani Episcopi. Qua in re Ecclesia prouidet scandalo, & prætextibus reuerentiæ Sacramenti, & securitati coniugatorum, quantùm ad debitam fidem seruandam quoad obligationem præcepti negatiui, & perpetuitati matrimonij spiritualis per votum, nè subsit restitutioni personæ professæ, & diuortio, aut separationi à Religione.

Dubium.

Dices, quid conducit votum, cùm aliàs in sæculo manens teneatur ex vi matrimonij consummati ad fidem seruandam, quæ est fortior obligatio, aliàs non esset restituendus professus contra votum professionis.

Soluitur. Effectus voti continentiæ in hoc casu.

Respondetur per votum perfectè renunciare suo iuri, & irreuocabiliter; ac proinde compelli posse ad eius obseruantiam, quando votum in conspectu Ecclesiæ est emissum; vnde quamuis senex sit, Ecclesia potest, si viuat incontinenter, compellere manentem in sæculo, vt profiteatur, vel certè includatur in monasterio, vt obseruet votum factum, aliàs etiam excluditur scandalum, quod esset, si Ecclesia approbaret ingressum ex sola licentia coniugis manentis in sua libertate, cuius saluti prouidere tenetur. Vnde sicut temerè facta in præiudicium Sacramenti annullare potest, ita etiam licentiam datam sine sufficienti, & secura cautione irritare in fauorem Sacramenti. Quòd si præcesserit cautio, tunc in fauorem Religionis agere contra non obseruantem fideliter cautionem per votum præstitam.

17 *Aliud dubiũ. An iure actionis debeatur restitutio?*

Dubitatur an iure actionis, aut ex solo officio iudicis conueniat remanenti in sæculo repetere coniugem professam? casus intelligitur quando sola licentia præcessit sine voto, & sine authoritate Diœcesani.

Responsio affirmatiua.

Respondetur, si res est integra, nempe ante professionem, antequàm incorporetur Religioni, iure actionis repeti posse coniugem reuocata licentia data. Quòd si est professus iure actionis, & non solùm ex officio iudicis ei competit: quia, vt dicit Doctor, non renunciauit iuri suo, vt debuit in facie Ecclesiæ, & vt Iura præscribunt: ergo ipsi manet ius actionis, & interpellandi officium iudicis. Quod tenet Abbas *cap. 1. de conuers. coniug.* Innocent. *cap. Quidam, eod.* Richard. *in hac dist. q. 3. art. 2.* Supplementum Gabrielis *q. 1. art. 2.* Guliel. noster Vorilon *q. vn. art. 2.* Palacios *in 4. dist. 27. disp. 2.* Angles *in flor. diff. 4. eadem dist. q. 1. de essentialibus matrimonij:* nam cessante iure actionis cessat etiam interpellatio, & officium iudicis; prout cessant, si præmissæ conditiones obseruentur.

g *Et quod tangitur de peccato mortali,* &c. Hic respondet ad alteram partem prioris obiectionis, & responsio confirmat, quod iam dictum est. 18
nempe ius debiti, & reuocationis manere coniugi in sæculo. Dicit ergo talem professum non posse petere debitum, sed teneri reddere: quia ipse suo iuri renuntiauit per professionem, & votum solemne Religionis. Ita etiam Paludanus *dist. 27. q. 3. art. 2.* Abbas *cap. Vxoratus, &c. de conuers. coniug.* Turrecremata *cap. Seriatim, dist. 32. art. 3.* Gabriel, & Palacios citati. Ex quo infertur professionem non esse irritam; sed suspendi effectum voti, quantùm ad redditionem, donec vxor moriatur. Est communis Doctorum tam Theologorum, quàm Canonistarum, exceptis paucis, qui volunt illud votum in Religione factum habere tantùm vim voti simplicis: & expressè colligitur *ex cap. Ex parte 2. &c. de conuers. coniugatorum*, vbi declaratur secundum matrimonium contractum ab eo, qui post professionem ad primam reuocatus est, & ea mortua contraxit, esse nullum, & cogendum esse ad monasterium regredi: quod non subsisteret, nisi prior professio esset valida, & patet *cap. Agathosa 27. quæst. 2.*

Restitutum non posse petere debitum.

Sed quid de eo, qui renitente, & contradicente vxore professus est? 19

Dubium.

Inuita parte professus non fit monachus.

Respondetur professionem esse inualidam, quia matrimonio consummato sine licentia alterius coniugis non licet diuino Iure transire ad Religionem, nisi quando per fornicationem, aut diuortium alter suo iure cadat. Cæterùm votum castitatis emissum tenet per modum voti simplicis, ita vt restitutus petere debitum non possit: quia renunciauit iuri suo quantum potuit. hoc patet *ex cap. Quidam. & cap. Placet, &c. de conuers. coniugatorum.* Limitat Nauarr. *in Summa cap. 12.* Hæc decreta vt intelligantur cum non posse exigere debitum quantùm ad violentiam, quod sonat verbum *Exigere,* non verò quantùm ad humilem, & pacificam petitionem, quam dicit licere reuocato. Eum sequitur etiam Henriquez *lib. 12. de matrim. c. 2. & lib. 11. c. 15.* Sed hoc non est dicendum, quia cum voto absoluto castitatis non compatitur licita petitio. Si ergo illud tollit exactionem, ex natura talis voti inducit etiam completam obligationem, quæ voto annexa est castitatis.

Tenetur voto simplici castitatis.

Limitatio Nauarri.

Reijcitur.

Non obligatur votarius in ordine ad Religionem.

Ex hoc etiam sequitur illud votum non obligare in ordine ad Religionem; neque professionem emissam & irritam inducere obligationem voti, etiam simplicis, ita vt talis, mortua coniuge, ad quam redijt, teneatur iterum regredi ad monasterium. Ratio est; quia votũ illud erat omnino irritum: ergo nullum effectũ inducit repugnante lege matrimonij; non sic autem votum castitatis, licèt non inducat effectum completum, quia nó potuit renunciare iuri alterius; inducit tamen effectum, quem potest, nempe renuntiationem iuris proprij petendi. Plura alia circa hæc clarè resoluit Sanchez *lib. 7. disp. 33.* & deinceps, quæ spectant ad materiam de voto.

SCHO

SCHOLIUM.

Secundus casus excusans in genere à debito reddendo, est periculum salutis propriæ, vel vitæ fœtus. Ita D.Thom.hic quæst.vnic. Richard.art.1.quæst.1. Sanchius lib.9.disput.24.num 1. imò tunc non liceret reddere, quamuis quoad salutis propriæ incommodum, graue periculum incontinentiæ in altero, reddentem excusaret. Secundò ait debitum reddendum leproso.quod intellige, quando inde non oritur euidens periculum infectionis. Ita D.Thom.hic quæst.vnic. art.1.D.Bonau art.2.quæst.1.Richard.art.2.quæst.2.Tertiò ait, accedere ad menstruatam esse culpam, & quidam, quibus fauet Gregor. respon.10.ad August. & habetur c.fin.dist.5.putant esse mortale (quibus videtur Doctor fauere, sed nihil asserit.) Ita Anton. Rub. de sponsal. num.14.& ibi Alex. de Neuo num.21. Alens.2.part.q.166.memb.2.ad 5. D. Bonau.art.3. quæst.1. Vorillon.Orbellis hic: Palacius dist.1. Alij volunt tantùm esse veniale. Palud.hic q.1. artic.3. Tabiena matrim.3.q.7.§.8.& Soto hic quæst.vnic.artic.2.fin. Oppositum tamen, scilicet nullum esse peccatum sic accedere, est communior sententia. Nauar.Summ.c.16.num.32. Castro 1.de leg.pœn.c.vltim. Sanchius 9.de matrim. disput.21. Ad tertium innuit esse veniale exercere actum coniugalem ante communionem.Ita Alens.2.part.q.166.memb.2.ad 3. Mayron.hic q vnic.fin. Tabiena v. Communicare *§.43. Armil. v.* Communio, *n.5. Manuel 1.tom.Summ.cap.65.& est certum si exerceatur causa voluptatis, si tamen causa generationis, vel vitandæ fornicationis, oppositum est satis commune, & probabilissimum.*

5 *Debitũ non est reddendum cum dispẽdio salutis propriæ, vel fœtus.* SEcundus [h] casus est, quando obligatur fortiori vinculo ad non reddendum, puta si vergat in detrimentum propriæ incolumitatis; tenetur enim magis diligere propriam incolumitatem, quàm istud debitum reddere alteri coniugi, vel sit causa occisionis fœtus in vtero prægnantis, vel sit causa aborsus. Ad hæc enim cauenda tenetur fortiori vinculo, quàm ad reddendum debitum isti. Vbi ergo est probabile periculum de extinctione fœtus, vel quòd nascatur aborsus, non tenetur reddere. Consimiliter maiori præcepto tenetur non agere; vnde proles nascatur leprosa, quæ posset aliàs procreari sana, quàm pro nunc satisfacere voluntati mulieris, pro quando vt in pluribus, puer nascitur leprosus; vnde non sine causa in lege Mosaïca accedens ad mulierem menstruatam, debuit mori: nec mors infligebatur ibi, nisi pro peccato mortali, & graui: nec est probabile quòd in lege Euangelica, quæ est lex castitatis, sit minùs prohibitus ad menstruatam accedere. *Leuit. 20. An peccet accedẽs ad menstruatã.*

6 *Leprosæ an debitũ reddendum sit à sano coniuge.* Si [i] obiicitur: ergo leprosæ non debet sanus reddere debitum, quia & est contra bonum prolis, quæ nascitur leprosa, & contra incolumitatem propriam, quia posset ex tali actu incurrere lepram; cuius tamen oppositum habetur *Extrà de coniugio leprosorum,cap.*1. vbi habetur: *Mandamus, vt vxores viros, & viri vxores, quæ lepræ morbum incurrunt, sequantur, & eis coniugali affectione ministrent: & ad hoc eos sollicitis exhortationibus inducere non postponas. Si verò ad hoc induci non poterunt, iniungas eis, vt vterque continentiam seruet. Quòd si mandatum tuum seruare contemnant, vinculo excommunicationis adstringas.* & cap. sequenti, *Si virum, vel vxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur est soluendum, cuius præcepti in hoc casu nulla exceptio inuenitur.*

Respondeo, quòd licèt coniugi leprosæ coniux sanus, vel leprosus, debeat reddere debitum secundùm ista capita, tamen non sequitur quòd tempore menstruorum, quia ibi non est contra bonum prolis, quòd procreetur leprosa; imò magis est contra bonum prolis, quòd nunquam procreetur de ista matre, si propter lepram vitetur: hæc autem etsi non procreabitur tempore menstruorum, procreabitur tamen posteà tempore competenti: & tunc sana, nunc autem leprosa. Si autem obiicias de periculo lepræ in sano reddente; posset dici quòd in illa coniunctione non est probabile lepram incurri, sed diuturna cohabitatio non præcipitur, quia ex illa potest sanus infici ab infirmo. Esto etiam quòd timeretur ex tali coniunctione infectio lepræ in sano reddente saltem ex frequenti, quoties leprosa peteret. Dico quòd ad talem pœnam se obligauit in contractu matrimonij. Vnde & alicubi Sacerdotes expressè ad ostium Ecclesiæ exprimunt illud. *Se obligauit, scilicet si ante contractum sciuit lepram. De laborãtibus morbo Gallico idẽ iudicium.*

7 *Ad arg.1. Vide in 3. d.15.q.1. Priuare se* Ad [k] argumenta. Ad primum nego minorem. Ad primam probationem, dico quòd perpetuus vsus rationis est maius bonum, quàm actus virtutis, & ideò qui per aliquem actum priuaret se sic vsu rationis, peccaret mortaliter: imò mortalissimè; sed carentia vsus rationis pro momento non est tantum malum, sicut actus oppositus actui virtutis, nec quodcumque priuans vsu rationis ad tempus, est peccatum: nam

nam nimia tormenta ita impediunt vsum rationis, sicut voluptates: & tamen martyres scienter se exponentes: talibus tormentis, non peccarunt, sed meruerunt. *Vsu rationis, quando peccatum.*

Ad secundam probationem, concedo quòd istis ante contractum non liceret talis actus, licet tamen post contractum; non quòd ipsi seipsos licentiare possint, sed faciunt quendam actum, quo facto Deus licentiat eos ad quendam actum sequentem, ad quem non licentiaret sine illo præuio: & ista responsio videtur benè persuadere, quòd iste vsus non est licitus ex sola iustitia, qua voluntate propria dant se mutuò, sed adueniente approbatione Superioris.

Ad [l] secundum, patet ex solutione, quòd coniux non habet pro tunc ius petendi. *Ad 2.*

Ad [m] tertium Apostolus non dicit absolutè abstinendum tempore sacro, sed consuluit ad tempus, vt vacent orationi, & iterum reducantur in seipsis, nè tentet eos satanas. Et quod adducitur de Hieronymo, & ponitur 33. quæst. 4. *Quicunque vxori debitum reddit, non potest carnes agni edere*; Respondeo, non potest omnino, cum reuerentia debita: & cùm dicis, non excluditur aliquis propter actum præcepti à communicando; nego, quia aliquis actus præceptus est, propter quem iste est minùs dispositus ad reuerenter percipiendum Eucharistiam. Si tamen loquaris de excludi ex necessitate præcepti: concedo quòd non, quia non video quo modo propter hoc solùm peccaret mortaliter, si perciperet corpus Domini. *Ad 3. Vtens noctè vxore non excluditur vir manè à cõmunicando necessariò, sed de congruo.*

Ad [n] vltimum dico quòd in loco sacro regulariter abstinendum est, quia non statim imminet periculum fornicationis, quin statim committi possit in loco non sacro. Si tamen diu oporteret eos commanere in loco sacro, negaret aliquis istum peccare si redderet debitum ibi petitum. Quod adducitur de interdicto loci; diceretur fortè, quòd propter actum occultum non est locus interdictus saltem publicè, vt oporteat cultum diuinum ibidem publicè prætermitti. *Ad 4. Vide sup. dist. 13. q. 2. An licet reddere debitum in loco sacro.*

COMMENTARIVS.

20 *Secunda regula generalis subtrahendi debitum.*

h SEcundus casus est, &c. Hìc proponit secundam regulam generalem, in qua præceptum affirmatiuum reddendi debiti non obligat, licèt alter petens habeat integrum ius, & non impeditum per se, sicut in prima regula perditur quantùm ad vsum. Hæc autem regula est desumpta ex natura ipsius affirmatiui, quod non obligat pro semper, sed aliquando concurrentibus circumstantiis requisitis. Vnde sicut communiter in omni materia concurrentibus præceptis contrariis, illud obtinet simpliciter, quod est superioris virtutis, aut fortiùs ligans, cui cedit præceptum minùs ligans. *cap. Duo mala, dist.* 13. ita etiam in proposito, quando concurrit vinculum fortiùs ligans, quàm sit præceptum de reddendo debito, ita cessat obligatio reddendi debiti: huius autem regulæ proponit aliquot exempla.

Exempla huius regulæ.

Primum exemplùm est, quando vergit in detrimentum salutis corporalis. Secundum est, si sit periculum occisionis fœtus, aut abortus. Tertium exemplum, quando vxor patitur menstrua, ob periculum prolis, nè nascatur leprosa, quæ potuit sana generari. Subinde alios casus tangit in responsione ad argumenta controuersos, quos ibi explicabimus, interim hos casus explicemus, quos in corpore proposuit.

21 *Probatur primum exemplum.*

Quantùm ad primum casum est communis omnium sententia in hac distinctione, quando scilicet est graue detrimentum salutis propriæ, non obligari reddere debitum, aut periculum graue, & probabile; & probatur, quia non tenetur reddere debitum ex iustitia, aut charitate: ergo nullo titulo. Non ex iustitia, quia non tenetur debitor creditori cum notabili vitæ suæ detrimento, v. g. ei reddere quod propriæ sustentationi præcisè est necessarium. Deinde, non tenetur ad vsum corporis sui, nisi ex præcepto propagandæ speciei generali, vel certè ex particulari, qua respicit commodum coniugis; non ex primo, quia non est illa extrema necessitas propagandæ speciei per particulares coniuges, hìc & nunc: non ex secundo, quia neque vxor, neque maritus est dominus vitæ, ideò neuter tenetur ad vsum corporum, nisi ad illum, qui non vergit in detrimentum vitæ. Hinc patet etiam, quòd neque ex charitate, quia quilibet habet debitum conseruandi vitam propriam in casibus, in quibus non est obligatio contemnendæ vitæ, inter quos nullo modo præsens casus annumeratur. *In periculo salutis corporalis cessat debitum in vsu.*

Dices alterum posse habere periculum incontinentiæ, & peccati. 22 *Responsio.*

Contrà: magis vrget periculum non occidendi, quàm illud, & illud non est extremum, quin per alia media summoueri possit. *Impugnatur.*

Hæc conclusio intelligenda est siue reddenti, siue petenti instet tale periculum. Excipiunt aliqui casum, in quo salus Reipublicæ dependeret ab illa copula; quo casu necessitatis contemni deberet propria vita, quia licèt præceptum vitæ conseruandæ obliget, non tamen in omni, & quibuscunque mediis, instat talis obligatio. Hinc infertur etiam periculum hoc debere esse proximum, & ex natura actus: vnde si sit periculum remotum, v. g. in quibusdam, quæ in partu ordinariè periclitantur, non censerem tale periculum tollere ius debiti; quia remotum est, & ex fine matrimonij & prolis oritur: aliàs nunquam talibus liceret copulari, nec matrimonium ipsorum esset in officium naturæ, aut remedium incontinentiæ, tum etiam, quia periculum non oritur proximè ex copula; sed per accidens ex prole si sequatur, quæ *Limitatio dictorum. Si bono communi noceat. Si periculum sit proximum.*

ſemper non ſequitur. Caſus autem particulares, in quibus periculum illud imminet ex natura actus coniugalis magis ſpectat ad Medicos decernere.

23 *Probatur ſecũdum exemplum. Perpendenda circumſtãtia, & natura periculi.*

Secundus caſus ſimiliter patet, quia tenentur prouidere ſaluti prolis, aut eam per ſe non impedire, quin ad perfectum perducatur; nam hic eſt finis matrimonij primarius. Qualis autem ſit culpa vſus matrimonij cum grauida, coniiciendùm eſt ex periculo prolis; aliqui enim dicunt eſſe venialem tantùm: ſed hoc non rectè, quia ſi abſit periculum prolis, non videtur adeſſe culpa, maximè ſi fiat ex animo licito, ſeu fine; quòd ſi ſit periculum prolis, ſeu aborſus, nequit eſſe culpa venialis: ſi enim periculum tantùm ſit remotum, cui caueri poteſt, & de facto caueatur, iam ſubmouetur per cautionem debitam adhibitam, & tunc vacat culpa: ſi autem ſit proximum, erit lethale, ſiue ſequatur mors, aut aborſus prolis, ſiue non. Reſolutio autem huius dependet ex natura periculi, quam aliis relinquo coniiciendam.

24 *Tertiũ exemplum controuerſum de menſtruata.*

Tertius caſus eſt controuerſus. Prima ſententia eſt nullum eſſe peccatum accedere ad patientem menſtrua, aut petere. Hanc tenet noſter Caſtro *de lege pœnali, lib.1.cap.vltimo.* Gloſſa *cap.Si cauſa, 33.quæſt.2.* Sequitur Nauarr. *in Summa, cap.16.* Si ratio honeſta petendi ſubſit, vt periculum incontinentiæ, aut auerſionis inter coniuges, ſi ſe ſubtrahant ab vſu matrimonij.

Sententia negans.

Affirmatiua communis eſt, & Doctorũ.

Cæterùm, ſententia, quam ſequitur Doctor, eſt communis antiquorum. Tenet Alenſis *2.p. quæſt.166.memb.2.ſolutione ad 5.* D.Thomas *hîc art.2.quæſtiunc.2.in corpore.* D.Bonauentura *art.3. quæſt.1.* à Tarantaſia *art.3.quæſt.3.* & plures alij. Probatur autem à Doctore ratione damni prolis, quæ leproſa, aut certè ſubiecta variis infirmitatibus naſcitur ex tali concubitu. Deinde, quia in lege Moſaïca illud ſeuerè, & ſub pœna mortis interdicebatur *Leuit.18. & 20.* quod præceptum non fuit cæremoniale, ſed morale: nam adiicitur aliis impedimentis matrimonij, & peccatis prohibitis contra caſtitatem, vt fatetur etiam Auguſtinus *lib.3. de peccatorum meritis, & remiſſ.cap.12.* ex Ezechiele *cap.18.* vbi etiam hoc vt morale proponit: *Qui ad menſtruatam,* inquit, *non accedit, & vxorem proximi ſui non violauerit,* &c. Quod non figuraliter dictum docet Auguſtinus, ſiue propter aliam cauſam, quæ ibi non exprimitur. & *lib.3.ſuper Leuiticum in c.18.* idem docet manifeſtè ex Ezechiele etiam in lege Euangelica id prohibitum aſſerens: *Hoc,* inquit, *quod ſuperius ſufficienter prohibuiſſet* (ſupple accedere ad menſtruatam) *quid ſibi vult, quod etiam hîc hoc iiſdem præceptis voluit adiungere? An fortè ne in ſuperioribus quod dictum eſt, figuratè accipiendum putaretur, etiam hîc poſitum eſt, vbi talia prohibita ſunt, quæ etiam tempore noui Teſtamenti, remota vmbrarum veterum obſeruatione ſine dubio cuſtodienda ſunt? Quod videtur etiam per Prophetam Ezechielem ſignificaſſe, qui inter peccata, quæ non figuratæ, ſed manifeſtæ iniquitatis ſunt, etiam hoc commemorat: Ad mulierem menſtruatam ſi quis accedat, & inter iuſtitiæ merita ſi non accedat. Qua in re non natura damnatur; ſed concipiendæ prolis noxium prohibetur,* &c. Quibus apparet ratio præmiſſa Doctoris, hoc nempe præceptum morale eſſe, & ob periculum prolis latum.

Damnũ prolis ex tali cõcubitu.

Præceptũ veteris legis fuiſſe morale.

Auguſtin.

25 Hieron.

Idem docet S. Hieronymus in præfatum locum Ezechielis, qui dicit ideò prohiberi, quia proles ex vitio ſeminis per menſtrua corrupti trahit infectionem, ex qua proles leproſa, & elephantica naſcitur. Clemens *in epiſtola ad Iulium, & Iulianum diſcipulos.* D. Gregorius *reſponſione 1.ad Auguſtinum Anglorum Antiſtitem,* & habetur *in cap.finali, diſt.5.* de hoc fuſiùs Tiraquellus *lib.15.Connub.num.128.* Sed reſpondet Caſtro illud præceptum fuiſſe partim iudiciale, vt declarat pœnam; partim cæremoniale, vt includit prohibitionem propter munditiam legalem. Sed hoc non quadrat expoſitioni S. Auguſtini, neque etiam textui, quia *cap.18.* non agitur de hoc præcepto in ordine ad cæremonias legis; ſed vt morale eſt, & coniungitur aliis, de quibus idem eſt iudicium. Neque interpretatio eius, quam adhibet Patribus, etiam quadrat Auguſtino, aut Hieronymo; dicit enim eos loqui de prohibitione ex conſilio, & ob indecentiam: illi enim cauſam præcepti aſſignant graue damnum prolis, & pœna adiecta declarat grauitatem præcepti, & eius obligationis, quia talis pœna non indicitur in lege, niſi ob graue peccatum, vt benè Doctor. Vnde ſi aliquod peccatum ex opere illo ſit, debet eſſe graue: quia præter damnum, quod explicuit Hieronymus, lepræ, & elephantici morbi, ſequitur etiam generatio monſtri; quod damnum infert, & parentibus, & maximè matri, præter ipſum damnum prolis: hoc autem contingit ex ſuperabundantia humoris noxij, ſicut & alij plures morbi infantum.

Clemens.

Reſpõſio aliorum.

Impugnatur.

Damnũ prolis, & parentum.

Obiicies: Experientia conſtare non ſequi illud damnum, & plures in eo caſu edi infantes, qui nihil damni patiantur: damnum ergo hoc, cùm ſit incertum, non tollit obligationem certam præcepti. 26 *Obiectio.*

Reſpondetur, ſufficere ad præceptum ſaluandum, quod ex natura actionis ſubſit periculum damni ſecuturi, vt præceptum vrgeat; nec referre quòd finis præcepti in his, aut illis ceſſet, niſi tollatur vniuerſaliter: certum autem eſt ex natura illius copulæ imminere periculum præfatum, perinde in lege noua, quàm in veteri, vt Leuinus Lemnius de occultis naturæ miraculis, & alij Medici aſſerunt. Ex Patribus autem citatis hic fuit finis præcepti, quod morale eſt, ac proinde manet in lege noua. Hinc rectè Doctor dicit vxorem non obligari ad debitum reddendum, quod vniuerſale eſt in omnibus caſibus, in quibus ipſa reddendo concurrit ad peccatum alterius. Sicut ergo matrimonium ordinatur primariò ad finem prolis & bonum, ita etiam ad tempus tenentur ceſſare à copula parentes, quando imminet tale periculum.

Reſponſio.

Non ceſſare finem vniuerſalem legis.

Dices, melius eſt proli naſci leproſam, quàm omnino non naſci: ergo ceſſatio illa non eſt in bonum prolis, quia nec parentes ſuo commodo cedere debent, quamuis proles ſic naſcatur, & ex alia parte naſci ſit ipſius bonum. 27 *Obiectio.*

Reſpondetur, prolem naſcituram, quamuis pro eo tempore non naſcatur, & meliùs ipſi eſſe non naſci tempore determinato, cùm aliàs ſit naſcitura, in quo patitur tale detrimentum, quàm in illo præciſè naſci, cum detrimento tali. *Reſponſio.*

Ad aliud ſimiliter dico, vſum matrimonij non eſſe commodum parentibus, niſi vt recta ratione, & lege regulatur: in propoſito ex lege ordinante matrimonium ad ſuum finem principalem, quod eſt bonum prolis, inhibetur talis copula, neque cum detrimento finis principalis

Finis ſecũdarius cum detrimento primarij non eſt amplectẽdus.

palis vsus ille est rectus, ex solo fine minùs principali. Vnde in casu, quo nascatur proles leprosa, non est dubium quin parentes vellent se non fuisse in causa, vt sic nasceretur, & si res integra esset omnino, in eo casu secundùm rectam rationem vellent postponere commodum ex copula tali incommodo prolis; quod etiam est graue incommodum ipsorum parentum, & speciatim matris. Quod ergo ipsi tenentur secundùm rectam rationem eligere, hoc lex statuit.

28 *Malum præuisum obligat, sicut & incursum.* Deinde, omne malum, quod obligat sub graui delicto ad remedium, si fieri, aut adhiberi potest, quando incurritur, illud idem vt præuisum in periculo, & causis, similiter obligat vt præueniatur; sed infirmitati prolis natæ tenentur parentes prouidere remedium, si commodè possunt: ergo etiam, ne nascatur talis, remouere causas hìc, & nunc, ex quibus nascitur, donec sine detrimento tali nasci potest, maximè quando per hoc non frustrantur ipso bono prolis, quia in aliis circumstantiis ædetur sine contagio tam graui. Vnde hæc prohibitio potest ex hac ratione reuocari ad ius naturæ, prouidendi bonum prolis: ideóque indignum est vt more bestiarum in se inuicem exardeant, cum tanto detrimento prolis, & sui ipsius nocumento, quorum etiam famæ detrahit, vt proles ex ipsis infecta, & monstruosa nascatur ex impotenti libidine. Meritò ergo Sancti Patres hunc casum esse prohibitum exponunt, & vt cohibendæ incontinentiæ alia remedia applicentur præter copulam, cui annexum est tale periculum.

Prohibitio reuocatur ad ius naturale.

29 *Obiectio de leprosis coniugibus.* i *Si obijcitur*, &c. Hìc obiicit contra vtrumque casum, nempe de abstinentia à copula ratione periculi, infirmitatis propriæ, & ratione menstrui fluxus, ne nascatur proles leprosa, aut aliis morbis obnoxia. Obiicit, inquam, inde sequi non posse coniugem sanum reddere debitum leprosæ; quia & est periculum prolis, quæ infecta ex vitio alterius nascetur; & periculum etiam propriæ salutis, ne eandem infectionem contrahat.

Responsio. Respondet ex decisione primi, & secundi capituli de coniugio leprosorum, licere reddere debitum, & petere, & ad rationem difficultatis

Ad primam obiectionem. Respondet primùm ex copula non sequi periculum illud infectionis, nisi sit frequens, sed ex cohabitatione diuturna, quæ non præcipitur ob periculum sani. Dato etiam opposito, dicit quòd ad hoc se obligauit sanus in contractu matrimonij: vnde, inquit, Sacerdotes expresse ad ostium Ecclesiæ illud exprimunt.

Ad secundam. Ad secundam rationem de infectione prolis dicit in hoc casu, quo aliter nequit sana procreari, meliùs esse vt infecta nascatur, quàm vt nullo modo nascatur; & negat consequentiam prioris casus ad hunc: quia modico tempore fluxus menstrui abstinendo à copula potest proles nasci sana, & hoc melius ipsi est, vt tardiùs procreetur sana, quàm vt anticipatè per modicum tempus ædatur infirma.

30 *Sententia communis.* Quantùm ad doctrinam traditam de redditione debiti leproso, conclusionem hanc Doctoris tenent D. Thomas *in præsenti dist. artic.* 2. *ad* 4. D. Bonauentura *art.* 2. *quæst.* 1. Richardus *artic.* 4. *quæst.* 2. Mayrones *dist.* 35. *quæst. vnica*, & communiter Theologi, quando non est periculum infectionis. & hanc exceptionem importat prima ratio Doctoris, quia negat ex copula sequi infectionem, sed ex diuturna cohabitatione, ad quam non censet teneri: idem diceret de copula, si iudicio medicorum periculum redundaret.

Altera autem solutio Doctoris est matrimonium inducere hanc obligationem, ac proinde esse onus ipsius contractus; vnde Presbyteri in aliquibus locis, inquit, ante fores Ecclesiæ, id exponunt. scio in Hibernia id in vsu fuisse, vt non solùm coniuges admonerentur huius obligationis; sed prætereà transiret in formam contractus, quæ fuit talis: *Accipio te in meum, & te in meam, cum omnibus conditionibus sanitatis & infirmitatis*, vel vt vulgari exprimitur *fad tshlainte, agus fad theaslainte*, quod idem sonat. Casus ergo potest intelligi, vel vt lepra præcesserit matrimonium, & sciatur à sano; vel etiam vt transit onus, hoc explicitum in ipsam formam contractus in casu, quo eueniret; vel tertiò vt contractui, tanquam inter sanos celebrato, non præuisa infirmitas sequeretur. In vtroque casu priori tenetur coniux sanus reddere debitum, quia vitium rei patefactum cognouit, & ei per consensum liberum, & absolutum adhæsit permutans corpus sanum pro leproso. Et idem dicendum in secundo casu, quando specificatur conditio in forma contractus, quæ æquè vtrumque afficit, & quisque se etiam iure suo spoliat in euentu, quo accideret: nam licèt in aliis infirmitatibus, quæ proximè tendunt ad mortem, & paruo tempore durant, fortè non liceret talis contractus contra Iuris diuini vinculum fortiùs obligans ad vitæ conseruationem: tamen in lepra, & aliis diuturnis, ex quibus periculum euidens, aut probabile vitæ non incurritur, hoc onus etiam in contractum, & eius formam transire potest; aliàs certè non liceret sano matrimonium contrahere cum leprosa, quam talem cognoscit, nisi iuri suo cederet.

Praxis in Hibernia seruata.

Circumstantia.

In tertio casu maior est difficultas: quia tunc neque præuidetur lepra, neque in contractum ex pacto trahitur ius seruitutis in casu lepræ magis, quàm vt vi contractus matrimonialis sequitur. Doctor loquitur absolutè, *Dico*, inquit, *quòd ad talem pœnam se obligauit in contractu matrimonij*, &c. quod & tenet Bassolis *quæst. vnica, art.* 3. Gulielmus Vorillon. *quæst. vnic. art.* 2. Hæc sententia satis patet *ex textu cap.* 2. *de coniugio leprosorum*. Loquimur autem in casu matrimonij consummati, aut etiam rati, quando coniux sana non ingrederetur Religionem, aut leprosa suo iuri non cederet. Dicit autem textus, *quoniam nemini licet, excepta causa fornicationis, vxorem dimittere, constat quòd siue mulier lepra percussa fuerit, seu alia graui infirmitate detenta, non est à viro propterea separanda, aut dimittenda*, &c. Quamuis hæc verba ad cohabitationem referri commodè possint: tamen faciunt ad propositum, quia minus periculum est infectionis in redditione debiti, quàm in cohabitatione: ergo si hæc nequit fieri ex causa lepræ, aut alterius morbi contagiosi sine periculo mortis incurrendæ, neque etiam subtrahi potest debitum, & perinde matrimonium ad vtrumque obligat. Deinde, fortiùs ligat matrimonij debitum, quàm periculum infirmitatis, quæ ad mortem non ducit, qualis est lepra, nisi sit horribilis cum defluxione membrorum: ergo hoc periculum non obligat.

31 *Resoluitur tertius casus.*

Teneri ad debitum.

obligat. Antecedens patet, quia licèt matrimonium sit institutum in officium naturæ, & non vt illam destruat, tamen vsus matrimonij tunc destruit, quando aliàs morbus de se inducit periculum mortis.

32 Præterea, illud non tollit redditionem iustam debiti, quod non obligat ad aliud ex præcepto strictiori, contra quod fieret peccatum cum transgressione eius reddendo debitum. Sed potest sanus, si velit contemnere periculum contagionis, reddendo debitum ex fine matrimonij, & sine vllo peccato, vt docent plures: ergo periculum hoc, quod non est mortis, sed infectionis, non tollit debitum vsum matrimonij. Subsumptum patet, aliàs sanus sciens lepram alterius non posset contrahere cum ipsa matrimonium licitè, non habens intentionem ingrediendi Religionem, aut non ingrediens post ratum: quod nullus dicit, lepra enim non inhabilitat ad matrimonium, neque ad finem eius, siue vt tendit ad prolem, siue etiam vt est remedium concupiscentiæ: qui autem contrahit absque animo vouendi Religionem, contrahit in ordine ad vtrumque finem, ex natura ipsius contractus, qui obligationem hanc inducit ad debitum: ergo citra culpam innocentis, quando cessat ingressus Religionis, neque contrahens esse liber à debito, non occurrente præcepto fortiori, quod nullum est in proposito; ac proinde potest vti iure suo in ordine ad vtrumque finem, idcóque hîc currit obligatio præcepti affirmatiui, quod incurritur, quando actus est circumstantionatus; est autem circumstantionatus perfectè, quando alter non cedit iuri suo, neque illud amittit ex propria culpa, aut ex ordinatione legis Superioris, neque occurrente præcepto fortiùs ligante, vt quando interuenit periculum infirmitatis inducentis ad mortem, aut periculum prolis, ac prætereà refertur actus ipse in finem, quem lege sortitur, nempe bonum prolis, & remedium concupiscentiæ: quamuis etiam infirmitas non diuturna hîc & nunc pro aliquo tempore excusaret alterum à debito, pro breui tempore, donec cessaret periculum; quia in hoc non facit iniuriam notabilem coniugi, tamen infirmitas diuturna, & quæ mortem non accelerat, non excusat à debito. Vnde hæc sententia etiam ex rationibus præmissis satis videtur probabilis, vt eam Doctor probabilem reddit, quamuis priorem etiam sequatur.

Lepra non inhabilitat ad matrimoniũ.

Circumstantia obligationis præcepti affirmatiui debiti.

33 Tenendo etiam hanc sententiam idem dicendum erit de cohabitatione, quamuis Doctores pro prima sententia Doctoris allegati teneant idem, quod Doctor iuxta illam asserit, nempe non obligari sanum ad cohabitationem; quæ est D.Thomæ, D.Bonauenturæ, & plurium aliorum, & frequentior, asserendo tamen non obstante periculo infectionis coniugem sanum ad debitum, ex vi ipsius contractus obligari; idem dicendum esset quoad cohabitationem, scilicet teneri, vt Canones citati magis exprimunt.

Quid de cohabitatione.

Alios casus assignant Doctores, in quibus est licitum aliquando negare debitum, vt si alter est nimius, & inordinatus in petendo; quod etiam vergit in detrimentum generationis, si alter est insanus mente, quia sic petitio illius est nulla, cùm non sit voluntaria; non supposita autem petitione, nulla est mora non reddentis: detrimentum etiam notabile temporale, & sic de reliquis, quæ ad prædictas regulas possunt reduci in genere; excommunicatio tamen non inducit suspensionem debiti, aut cohabitationis. Item, affinitas contracta, & alia eiusmodi, quæ legi possunt apud Summistas, sufficit petitio tacita saltem in vxore, vt obligetur vir ad debitum.

Alij casus frustrãdi debiti.

k *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Hoc argumentum videtur sumi secundùm sententiam Hugonis 33. *quæst.* 4. *cap. Vir cum propria*, &c. vbi asserit vsum matrimonij semper esse peccatum, saltem veniale. Omitto errorem antiquorum hæreticorum in hoc, qui damnabant nuptias ob vsum: hoc etiam argumentum explicatur *suprà* quoad doctrinam eius *dist. præcedenti*. §. *Hic dicitur*, de qua ibi dictum est. 34

Responsio ad argumenta principalia.

Respondet, dato scilicet quòd vsus coniugij priuaret vsu rationis; quoad modicum tempus non esse peccatum, vt patet in martyribus, quia aliud bonum præponderat, vt est propagatio speciei. Verum tamen est supponi in argumento falsum: quia non priuat vsu rationis, sed consideratione viuaciori eius.

Ad primum membrum.

Alia ratio insinuatur in argumento præmisso, nempe ideò vsum matrimonij non esse peccatum mortale, quia interuenit contractus; sed nullus potest se licentiare ad actum aliàs illicitum, si ex proprio actu se licentiat ad ipsum, id est, nullus ex propria auctoritate potest reddere sibi licitum, quod aliàs fuit illicitum: ergo neque per contractum matrimonij, qui consistit in proprio actu, & consensu fit licitus vsus eius.

Secundum membrum.

Respondet Doctor interueniente contractu per legem, & superiorem reddi licitum vsum: quod etiam verum est in reliquis contractibus permutationis. Hinc colligit vsum matrimonij non esse licitum ex iustitia priuata, quà procedit à voluntate priuata coniugum, sed vt firmatur per superiorem, nempe à Deo. Hanc difficultatem tractauimus *supra dist.* 26. de institutione matrimonij.

Soluitur.

Vsus matrimonij lege approbatus.

l *Ad secundum*, &c. Respondet ex dictis in prima regula, nempe ingredientem Religionem non teneri ad debitum, aut per spatium deliberationis, aut per tempus etiam nouitiatus: de quo casu aliàs *suprà* est dictum. 35

Ad secũdum.

m *Ad tertium*, &c. Hoc argumentum petit difficultatem, an tempore sacro obseruationis, & ieiunij, & sumptionis Eucharistię saltem ex præcepto teneatur coniux ad non reddendum debitum coniugale, quo mundiùs accedat, & perfectioti reuerentia ad Eucharistiam sumendam. Non desunt authoritates Patrum, qui id videntur reprobare, vt Hieronym. *in Apologia ad Pammachium, & lib.* 1. *contra Iouinianum, & in sermone in vigilia Paschatis*, & habetur 33. *q.* 4. *cap. Sciatis*, &c. Aliqui ergo dicunt esse culpam venialem, &c. Aliqui verò nullam culpam, si causa prolis exerceatur. Ideò Sanctus Gregorius *respons.* 1. *ad Aug.* & refertur *cap. Vir cum propria*, &c. *eodem. Talem*, ait, *suo relinquendum esse iudicio, quia à nobis*, inquit, *prohiberi non debet*, &c. Hæc sententia est satis communis. Doctor negat tantùm peccare mortaliter: considerandæ ergo circumstantiæ, & dispositio accedentis, & quid magis proficuum est suadendum: quia certa regula hîc præscribi nequit. Videantur quæ dicta sunt in prima parte huius commenti.

Ad tertium. An tempore ieiunij, orationis & cõmunionis negari possit debitum.

Gregorius.

Aliud

Aliud de diebus ieiunij abstinere est quidem Consilij causa orationis, vt Apostolus 1. *ad Corinth.7.* quod plures tenent; contrarium aiunt multi etiam esse peccatum veniale. Sed in hoc idem consequenter tenendum est, sicut in communione; nam causa voluptatis tantùm vti coniuge nequit carere culpa veniali; quod maximè verum est, quando præscribitur oratio, maceratio carnis, & accessus ad communionem, ad quæ illecebrosi minùs apti sunt, & Christiani non debent ita curam sui abiicere, vt semper in voluptate quouis tempore, & sine discrimine hæreant; sed aliquando vasa sua in munditia, & sanctitate possidere; neque videtur contemptu aliquo carere opera orationis, & mortificationis negligere, & diuini cultus decentiam, maximè cùm aliàs nullum incontinentiæ periculum notabile subsit.

36 *De delicto in loco sacro.* n *Ad vltimum*, &c. Quod petit difficultatem circumstantiæ loci sacri, dicit abstinendum esse regulariter; quia periculum incontinentiæ nequit pro paruo tempore ita imminere, quin vsus matrimonij extra locum sacrum exspectari possit; quòd si tamen diu ibidem commorandum esset, vt si coniuges in loco sacro obsidentur, tunc licitum esse vsum matrimonij, ob periculum incontinentiæ: dicit præterea, ex concubitu occulto non interdici Ecclesiam publicè. Primum dictum, scilicet regulariter non licere petere, aut dare debitum coniugale in loco sacro, tenent Paludanus *d.31.q.3. art.2.* Richardus *in dist.* 32. *art.3.q.*1. Supplementum Gabrielis *q.vnic.art.2.* Sotus *art.3. concl.3.* Caietanus, Armilla, Victoria, *verb. Matrimonium.* Nauarr. *c.*16. Rodriquez *in Summ.tom.2.cap.*243. Vasquez 1.2.*q.*72. *art.6. disp.*98. Valentia 2.2.*disp.6.q.*15. *puncto* 1. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 6. est contra Suarez 3.*p.q.*83.*art.*3.*disp.*81.*sect.*4. quia negat deformitatem specialem oriri in eo, quòd polluatur Ecclesia effusione sanguinis, aut seminis, quibus tantùm ob indecentiam coniunctum est interdictum loci. Probatur tamen contrarium, quia Canones Ecclesiastici prohibent hæc fieri in Ecclesia vt *cap. vnic. de consecratione Ecclesiæ in 6. cap. Ecclesijs, de consecrat. dist.*1. *& cap. Si motum, eod. cap. Significasti, de adult. & cap. final. de consecratione Ecclesia dist.* 68. eo ipso, quo violatur Ecclesia huiusmodi, violatur res sacra, & dedicata ad diuinum cultum, & reuerentia ei debita ex Iure Ecclesiastico: ergo erit sacrilegium; ac proinde, vt dicit Doctor, regulariter illicitum, & sicut grauis est violatio, qua Ecclesia interdicta est, ita etiam graue est peccatum, quod perinde ratione actus vt procedit à petente, & reddente in loco sacro vtrumque afficit. Non ita sacrilegium, quod committit astrictus voto castitatis petens debitum, non afficit reddentem, maximè si votum tantùm fuit de non petendo debitum: quia malitia huius actus afficit personam, cui interdicitur, & tenetur voto. Communis ergo sententia est accessum in Ecclesia ad actum coniugalem esse peccatum mortale extra casum necessitatis.

Primum dictum. *Secundum dictum.* *Primum tenent alij.* *Sententia Suaris.* *Habere deformitatem specialem.* *Esse mortale peccatum.*

Secundus casus, seu dictum Doctoris est, si diu maneant in Ecclesia, ita vt egredi non possint, carere culpa vsum coniugij: quam tenent Alensis 2.*part.quæst.*166.*memb.*2.*ad* 1. Albertus Magnus *in hac dist.art.*11.*ad* 2. Richardus *art.*3. *quæst.*1. & communior Doctorum, dicunt etiam plures in eo casu Ecclesiam non pollui, neque violari, quod probabile est: quam tenent Rosella, Syluester, Castro *lib.*1.*de lege pœnali, cap.*7. Couarr. 4. *decret.*2.*part. cap.*7. Henriquez, Sanchez *disput.*15.*lib.*9.*quæst.*1. 37 *Secundum dictum commune.*

Tertium dictum Doctoris patet, quia ad hunc effectum, qui est ex lege, ad publicum interdictum Ecclesiæ requiritur publica notitia per famam, aut confessionem coniugum. *Tertium dictum.*

DISTINCTIO XXXIII.

Qualis fides thori fuerit in Patribus antiquis?

QVÆRITVR hîc de antiquis Patribus, qui plures simul leguntur habuisse vxores, vel concubinas, vtrùm peccauerint? Ad quod dicimus; Pro varietate temporum varia inuenitur dispensatio conditoris. Ab exordio enim temporis inter duos tantùm, Adam, scilicet & Euam, inchoatum est coniugium, Deo per os Adæ dicente, *Homo adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*; & secundùm inchoationis modum inter duos tantùm per omnem successionem temporum contraheretur coniugium, si primi homines in obedientia perstitissent. Post eorum verò copulam filij & filiæ eorum matrimonio coniuncti sunt, sed vnus vni tantùm. Ideò autem fratres sororibus tunc sunt copulati: quia non erant aliæ mulieres, vel viri, quibus Adæ filij, vel filiæ iungerentur. Primus omnium Lamech duas legitur simul habuisse vxores: & hoc in eo arguitur, quia pro expletione carnalis voluptatis id fecisse perhibetur. Posteà verò cùm iam penè omnes homines falsis diis seruirent, paucis in cultu Dei permanentibus, consultum est à Deo

A 32.*quæst.*4. *c.*Recurrat nunc, *parag.*His ita. *Genes.*2. *d* *Genes.*4. *c* *Quis primò accepit duas vxores?*

plures in matrimonio copulare sibi, ne illis paucis deficientibus, cultus
32.quæst.4. c. Recurrat, in fine. & notitia Dei deficeret. Vnde Abraham viuente vxore ad ancillam intrauit, & ex ea genuit. Iacob etiam liberis, & ancillis se copulauit. Et filiæ
Genes.16.a Loth patre ebrio * vsæ sunt. Cùm enim cæteris in idololatria relictis, Abra-
* Al. abusæ. ham, & filios eius in peculiarem populum sibi Dominus elegisset, ritè
Genes. 29. 30. multarum fœcunditate mulierum populi Dei multiplicatio quærebatur, quia in successione sanguinis erat successio Religionis. Vnde etiam in
Genes.19.g lege maledicta erat sterilis: quæ non relinquebat semen super terram.
Deuter.7. e
Exod.23.d Hinc etiam Sacerdotibus coniugia decreta sunt, quia in successione fami-
Leuit.21.c liæ, successio est officij. Non ergo Abraham, vel Iacob deliquit, quia præter vxorem filios ex ancilla quæsiuit: nec tamen illorum exemplo præter coniugale debitum, fœcunditatem in aliqua licet alicui quærere, cùm illorum coniugia nostrorum æquentur virginitati: & immoderatus vsus coniugij nostri temporis, turpitudinem ferè imitetur fornicationis illius
Lib. de bono coniugali, cap. 15. tom. 6. contra Faustũ, lib.22. cap. 47. temporis. De hoc Augustinus sic ait, [Antiquis iustis non fuit peccatum, quòd pluribus fœminis vtebantur, nec contra naturam hoc faciebant: cùm non lasciuiendi causa, sed gignendi hoc facerent: nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant, nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum.] Idem, [Obiiciuntur Iacob quatuor vxores, quod quando mos
Ibid. c.48. & habetur 33. quæst.4. c. Obiiciũtur. erat, crimen non erat. Sic Patriarchæ coniugibus excipientibus semen suum miscebantur, non concupiscentia perficiendæ voluptatis, sed prouidentia propagandæ successionis, sicut Apostoli auditoribus suis admirantibus doctrinam suam condelectabantur non auiditate consequendæ
Actuũ 2. c Idem de bono coniugali, cap.13. laudis, sed charitate seminandæ veritatis.] Idem alibi, [Antiquis temporibus, cùm adhuc salutis nostræ mysterium velaretur, iusti officio propagandi nuptias contrahebant, non victi libidine, sed ducti pietate: qui multò faciliùs continere possent, & vellent. Vtebantur tamen coniugibus, & plures vni viro habere licebat, quas castiùs habebat, quàm nunc vnam quilibet istorum, in quibus videmus, quod secundùm veniam concedit
1.Cor.7.a Apostolus. Habebant enim eas in opere generandi, non in morbo desi-
Lib. 1. de Abraham Patriarcha, c. 4. & 32. quæst. 4. c. Dixit Sara. derij.] Item Ambrosius, [Dixit Sara ad Abraham, Ecce conclusit me Dominus, vt non pariam: Intra ergo ad ancillam meam, vt filium facias ex ea: & ita factum est. Considera primum quòd Abraham ante legem Moysi, & ante Euangelium fuit. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem præuenit. Non enim interdictum videbatur. Secundò considera,
Genes.16.a quòd non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore ancillæ contubernio coniugalem posthabuit thorum: sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis. Adhuc post diluuium raritas erat humani generis, erat etiam Religionis. Denique
Genes.19.g & Loth sancti filiæ hanc causam quærendæ posteritatis habuerunt: ne genus deficeret humanum, & ideò publici muneris gratia, priuatam cul-
Lib. de bono cõiugali, c.15. tom.6. pam prætexit.] Item Augustinus, [Iustus quamuis cupiat dissolui, & esse cum Christo, tamen sumit alimentum, non cupiditate viuendi, sed officio
Philip.1. consulendi, vt maneat quod necessarium est propter alios. Sic misceri fœ-
Ibid.c.16. minis iure nuptiarum officiosum fuit sanctis viris, nõ libidinosum.] [Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem humani generis, & vtrumque non est sine delectatione carnali: quæ tamen modificata, & refrænante temperantia in vsum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod autem in sustentando vitam illicitus est cibus,

hoc

hoc est in quærenda prole fornicarius, vel illicitus concubitus; & quod est in cibo licito immoderatior appetitus, hoc est in coniugibus venialis ille concubitus.]

Non præfertur virginitas Ioannis castitati Abrahæ.

QVòd verò castitas virginalis non præferatur in merito coniugali castitati Abrahæ, Augustinus ostendit, inquiens, [Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, & in Ioanne, qui passus non est, sic non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios genuit. Nam illius cœlibatus, & istius connubium, pro temporum distributione Christo militauerunt, sed continentiam Ioannes in opere, Abraham in solo habebat habitu.] [Melior est autem castitas cœlibum quàm nuptarum, quarum vnam Abraham habebat in vsu, ambas in habitu. Castè enim & coniugaliter vixit. Esse autem castus sine coniugio potuit, sed tunc non oportuit.] Item Hieronymus, [Quis ignoret, sub alta dispensatione Dei, omnes retro Sanctos eiusdem fuisse meriti, cuius nunc Christiani sunt? Quomodo Abraham antè placuit in coniugio, sic nunc virgines placent in castitate. Seruiuit ille legi, & tempori suo, seruiamus & nos legi, & tempori nostro, in quos fines sæculorum deuenerunt.] Ex his apparet, quòd sancti Patres ante legem sine peccato plures habuerunt vxores, vel concubinas. Eas enim nunc vxores appellat Scriptura, nunc concubinas. Rachel tamen & Lia ambæ vxores fuerunt, non concubinæ.

B *Lib. de bono coniug. c. 21.* *Idem ibid. cap. 22.* *Lib. 2. contra Iouin. parum post princip. & habetur 32. q. 4. c. Quis ignoret?* *1. Cor. 10. c* *Genes. 19. e, f*

Oppositio.

SI quis opponat, quòd fidem thori non seruabant illi Patres. Dicimus in hoc seruasse fidem thori, quia non aliis, sed propriis vxoribus, vel ancillis miscebantur. Ecce quæ fuerit consuetudo in hac re ante legem. Legis verò tempore interdixit Moyses carnalem copulam fieri cum matre, cum nouerca, cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nuru, & aliis quibusdam. Permisit autem diuortium fieri dato libello repudij, in quo vir scribebat causas, pro quibus vxorem repudiabat. Permisit autem aliam ducere dato priori libello, quod propter duritiam cordis eorum permissum Christus dicit. Non vt concederetur dissidium, sed vt tolleretur homicidium. Permisit fieri mala, ne fierent peiora, & hoc permittendo non Dei iustitiam demonstrauit, sed in peccatore minuit culpam.

C *Quæ erat consuetudo legalis.* *Leuit. 18. a* *Deut. 27. d* *Deut. 24. a* *Matt. 19. a* *Chrysost. in expos. 2. sup. Matth. 19. cap.*

Cui licebat plures habere, vel non?

SEd nunquid sub lege licebat habere plures vxores? Audi quid scriptum est in Deuteronomio, *Non habebit Rex vxores plurimas, quæ alliciant animam eius.* Super quem locum ait Augustinus, [Manifestum est Salomonem hoc præceptum transisse. Dauid autem plures habuit, nec præceptum præteriit. Permissum est enim Regi plures habere, non plurimas; quæ alliciant animam, multiplicatæ. Cùm tamen additur, *Vt non eleuetur cor eius*, alienigenas habere prohibitum esse videtur. Verumtamen multiplicatio vxorum generaliter prohibita est. Permissum est autem Regi plures habere, sed non multiplicare.] Veniente autem plenitudinis tempore, quo Christi gratia vbique est dilatata, reducta est lex nuptiarum ad priorem, honestiorémque institutionem, vt vnus vni in figura

D *Deut. 17. e* *Lib. 5. in Deut. c. 27. tom. 4.* *3. Reg. 11. a* *2. Reg. 12. c* *Galat. 4. a*

Christi, & Ecclesiæ coniungatur. Nec quæritur electio muneris in successione generis, sed in perfectione vitæ,& sinceritate * conscientiæ, & virginitas fœcunditati præfertur, & Sacerdotibus continentia indicitur.

* *Al.* sciētiæ.

De virginitate mentis, & carnis.

E

Lib. 2. de Virginib. parum antè medium, & habetur 32. quæst. 5. c. Reuera. *Lib. ad vir. lapsam, c. 4. & 32. q. 5. c.* Reuera. *Isid. in synonym. lib. 2. para. 3. Aug. lib. de bono cōiug. c. 16. tom. 6. 32. quæst. 4.* Sicut.

MElior est autem virginitas mentis, quàm carnis. Vnde Ambrosius, [Tolerabilius est mentem virginem, quàm carnem habere, vtrumque bonum est, si liceat: si non liceat, saltem non homini, sed Deo casti simus. Virgo prostitui potest, adulterari non potest, nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam.] [Idem, Non potest caro antè corrumpi, nisi mens antè fuerit corrupta.] Item Isidorus, [Non potest corpus corrumpi, nisi priùs animus corruptus fuerit. Mundata enim à contagione anima, caro non peccat.] In fine huius capituli aperitur quomodo verum sit, nisi anima priùs fuerit corrupta, corpus non posse corrumpi, scilicet peccato. Illud etiam Augustini aduertendum est. [Sicut, inquit, sanctius est mori fame, quàm idolothytis vesci, ita sanctius est defungi sine liberis, quàm ex illicito coitu stirpem quærere. Vndecumque verò nascantur homines, si parentum vitia non sectentur, & Deum rectè colant, honesti & salui erunt: semen enim ex qualicumque homine, Dei creatura est, & eo malè vtenti, malè erit, non ipsum aliquando malum erit.]

QVÆSTIO I.

Vtrùm fuerit licita aliquando bigamia?

D.Thom. *hic quæst. 1. art. 1.* D. Bonauent. *art. 1. per totum.* Richardus *art. 1. quæst. 2.* Sotus *quæst. 1. art. 3.* Gabr. *quæst. 1. art. 2.* Sanchius *lib. 7. de matrim. disput. 80.* Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 11.*

1 CIRCA istam trigesimam tertiam distinctionem, in qua Magister agit de matrimonio antiquorum Patrum, quæro de bigamia primò: & secundò de repudiatione vxoris. Circa primum quæro duo, primò quantùm ad legem naturæ, vel Mosaïcam, Vtrùm fuerit aliquando licita bigamia? Secundò, quantùm ad legem Euangelicam, Vtrùm bigamus ante Baptismum, posset post Baptismum ad sacros Ordines promoueri? Ad primum, arguitur quòd non: quia bigamia est contra legem naturæ. Quod probatur, tum ex illo verbo Genes. 2. *Erunt duo in carne vna*, vbi expressit legem naturæ de matrimonio: non ergo plures quàm duo: tum ex Glossa quadam interlineari de Lamech. *Accepit vxores duas*, &c. vbi habetur, quòd iste primus induxit bigamiam, quæ est contra legem naturæ.

Argum. 1. *Genes. 4.*

Argum. 2. Præterea (vt ita loquar) biuiria nunquam licuit, ita quòd mulier duos viros haberet: ergo nec è conuerso. Consequentia probatur, quia ad actus coniugales æquales iudicantur. 1. *Corinth. 7.*

Ratio ad opp. Patres antiqui habuerunt plures vxores.

Contrà, *Genes. 16.* Abraham habuit Saram, Agar, & Ceturam. & de Iacob, *Genes. 29. & 30.* qui habuit quatuor vxores; & de Dauid 2. *Reg. 5.* non est autem probabile, quòd isti sancti Patres in tali copula fecerint aliquid illicitum: ergo.

Præterea, Augustinus de bono coniugali versus finem. *Antiquis iustis non fuit illicitum, quòd pluribus fœminis vtebantur: neque contra naturam hoc faciebant, cùm causa gignendi hoc facerent: neque contra legem, neque contra morem: quia eo tempore nulla lege erat prohibitum.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

Ordo & diuisio quæstionis.

a Circa distinctionem trigesimam tertiam, &c. In hac distinctione in qua Magister agit de coniugio antiquorum Patrum, proponit duas quæstiones principales, quarum prima est de bigamia, secunda de repudio. Sed primam diuidit in duas. Primò quærens an fuerit bigamia licita in lege naturæ, aut Mosaïca. Secundò, An bigamus possit ordinari, vel an Baptismus tollat bigamiam, hinc secunda, quæ principalis, exponitur tertio loco.

SCHOLIVM.

Quantùm ad officium naturæ, & finem procreandi, videtur bigamia licita, solo Iure naturæ attento; tamen quantùm ad finem remedij concupiscentiæ, stricta iustitia petit commutationem vnius corporis pro vno: sed hoc videtur de Iure naturæ, tantùm inchoatiuè & fundamentaliter, completiuè autem & formaliter Iure positiuo superioris, scilicet Dei, vt dictum est de indissolubilitate dist. 26. est dicere polygamiam non esse Iure naturæ irritam: quod tenent Durand hîc quæst. 1. Abulens. 1. Reg. quæst. 25. & cap. 19. Matth. quæst. 30. Caiet. cap. 16. in Genes. Medin. lib. 4. de sacr. homin. contin. controuer. 1. cap. 9. Palacius hîc disput. 1. col. 16. Gabr. quæst. 1. art. 2. fin.

Hic [b] primò videndum est, quid requiritur ad strictam iustitiam commutatiuam in contractu matrimoniali, & hoc ex parte contrahentium: & quid vltra hoc additur ad completam iustitiam in tali contractu, & hoc ex parte superioris. Secundò, quid in casu sufficit ad iustitiam quantùm ad istam materiam, de qua quæritur, & qualiter istud sufficiens fiat completè iustum. 2

De [c] primo, dico quòd in omni commutatione quantùm est ex parte commutantium, & commutatorum, stricta iustitia requirit æqualitatem commutatorum, quantùm possibile est: & hoc ad illum finem, propter quem commutatur: ista autem commutatio in contractu matrimoniali fit propter duas causas. Vna, scilicet propter procreationem prolis: alia in remedium vitandæ fornicationis. Quantùm ad primum, corpus viri est maioris valoris quàm corpus mulieris, quia pro eodem tempore idem vir potest plures fœcundare, quàm eadem mulier possit à viris concipere.

Commutatio in matrimonio fit propter duas causas.

Quantùm ergo ad istum finem de stricta iustitia, videtur bigamia licita, vt vir cum tot corporibus mulierum corpus suum commutet, quot potest fœcundare, eo modo quo est eis possibile fœcundari, nec tamen in statu innocentiæ, quando matrimonium fuit præcisè in officium, fuisset bigamia, quia non fuisset tunc necessitas, quòd vir commutaret corpus suum pro pluribus ad plures proles procreandas: quia per simplicem commutationem vnius cum vna fuisset sufficiens procreatio, & nec vir, nec mulier fuisset tunc sterilis.

Quantùm ad secundum finem, qui tantùm est pro statu naturæ lapsæ, scilicet pro fornicatione vitanda, æqualis valoris sunt corpus viri, & mulieris: ideò de stricta iustitia pro statu naturæ lapsæ, considerando contractum istum, vt est ad vtrumque finem, requiritur commutatio vnius corporis pro vnico. Et addo, quòd completio iustitiæ in ista commutatione, non est nisi ex auctoritate superioris instituentis, vel approbantis talem commutationem: quia etsi res aliquæ sunt inferiorum dominorum, tamen commutatio earum licita, & iusta, talis vel talis, determinatur à legislatore; & multò magis in proposito, & de corporibus in comparatione ad Deum: ipse autem instituit, & pro statu innocentiæ, & pro statu naturæ lapsæ regulariter istam commutationem debere fieri vnius cum vno: in hoc ergo est completa iustitia. 3

In natura lapsa iustitia requirit commutationẽ vnius corporis pro vnico, id verò cõpletè à Deo fit.

COMMENTARIVS.

1 Controuersia.

b Hic primò videndum est, &c. In hoc puncto sunt diuersæ Doctorum sententiæ, quæ tamen magis versantur in diuersa Iuris naturalis, & positiui acceptione, quàm in re ipsa, vt concernunt materiam huius contractus, tres sententias in proposito excogitauit Sanchez *lib. 7. de matrimonio, disput.* 80. Prima est negatiua, nempe polygamiam non esse contra Ius naturæ in vxoribus, quin plures possint eidem coniungi. Pro hac citat Durandum *in hac dist. q.* 1. Gerson. *Alphabeto* 25. *lit. I.* Caiet. *in Genes.* 16. Abulensem 1. *Reg.* 8. *quæst.* 15. *& in Matth.* 19. *quæst.* 30. *in solut. ad* 1. *& quæst.* 30. *in corp. & ad* 1. nostrum Medinam *de sacrorum hominum continentia, cap.* 9. *controu.* 1. Veracruz 2. *part. speculat. art.* 15. *conclus.* 1. *&* 2. Palacios *in hac distinct. q.* 1. Doctorem nostrum *in* 2. *art. quæst.* 2. fortè *quæst.* 1. Supplementum Gabrielis *quæst.* 1. *artic.* 2. *in fine.* Secundam sententiam affirmatiuam docet esse Aureoli apud Capreolum *in hac dist. q.* 1. *artic.* 2. Victoriæ *in relect. de matrimonio priori, quæst.* 1. & Menochij *lib.* 2. *centur.* 5. *casu* 420. Petri de Le-

Prima sententia. Polygamiam non esse cõtra ius naturæ.

Secunda sententia affirmatiua.

desima *de matrimonio quæst.63. art.1. conclus.2. & duabus sequentib.* Tertia sententia, per ipsum, est media, quæ dicit non esse Iuris naturalis quoad principia necessaria: sed aliquo modo aduersatur naturæ, vt opponitur ipsis conclusionibus deductis ex primis, & vniuersalibus principiis, in quibus tamen Deus aliter ordinare potest, pro hac citat D. Thomam *hic quæst.1.* Richardum, Paludanum, Capreolum, & plures alios Doctores.

Tertia sententia media.

2 Cæterùm hæ sententiæ, si reducuntur ad sua principia, vix, aut omnino in re ipsa non differunt, nam prima excludit Ius naturale indispensabile. Secunda sub Iure naturali comprehendit etiam Dei ordinationem pro statu legis naturalis. Tertia intelligenda est de lege naturali consona, seu de conclusionibus, quæ non necessariò deducuntur ex primis principiis (nam hæ sunt necessariæ veritatis, sine quibus veritas principiorum nequit consistere) sed de conclusionibus licèt contingentibus, conformes tamen sunt principiis naturalibus, & conclusionibus primo modo sumptis: nam fides docet Deum in polygamia virorum ex pluribus vxoribus dispensare posse, ac proinde illud non esse contra Ius naturale strictissimè sumptum; sed tantùm contra Ius naturale latè sumptum, eo modo quo Doctor sæpiùs in superioribus dixit matrimonium, & debitum eius esse de Iure naturali hoc secundo modo, sicut & coniunctionem vnius cum vna tantùm.

Controuersia tollitur.

3 Exponemus ergo primò Doctorem, qui optimè hanc controuersiam reducit ad sua principia, & deinde facilis erit solutio fundamentorum præmissarum sententiarum, inquantùm repugnat magis verbis quàm re ipsa. Aduertendum ergo contractum matrimonij considerari posse secundùm regulas generales iustitiæ commutatiuæ, inquantùm est permutatio facta per consensum contrahentium. Alio modo considerari potest, vt subest Dei legi speciali disponenti circa ipsum specialiter. Lex generalis iustitiæ est, vt absit fraus, & ignorantia, & seruetur medium in commutationibus, aut secundùm æquiualentiam rei, aut certè secundùm æquiualentiam rectæ rationis. Hæc autem recta ratio in practicis sumitur à fine, seu ab ipsius rei commoditate, & fructu. Vnde hæc commoditas potest etiam æstimari secundùm rectam rationem, prout maior, aut minor est respectu permutantis: vnde emanant illa principia de damno emergente, aut lucro cessante, quæ trahi possunt in pactum: quia non tantùm appretiatur res secundùm communem eius conditionem aliàs, sed etiam prout suo domino valet, qui censetur non solùm rem permutare, sed etiam commoditatem certam & specialem, quam ex re ipsa hic & nunc carpit. De quibus dictum est distinctione 15. q.2. de contractu emptionis & venditionis. De matrimonio ergo, vt est contractus iustitiæ commutatiuæ, & in ordine ad finem suum, seu commoditatem contrahentium, possumus loqui secundùm legem illam generalem iustitiæ, aut secundùm legem specialem Dei determinantis medium permutationis, & positiuam.

Notabile.

Duplici lege regulatur matrimonij contractus.

Lex generalis commutatiuæ iustitiæ.

Commoditas ex re æstimabilis.

Hinc patet litera Doctoris. primò proponit hunc contractum posse considerari secundùm strictam iustitiam commutatiuam, vt dictum est, secundùm regulas generales sibi, & aliis contractibus communes. Secundò, posse considerari secúdùm ordinationem Superioris, nempe Dei, vt speciali lege aliquid ordinauit ad medium huius contractus, quæ ordinatio rectè vocatur à Doctore complementum iustitiæ, quia matrimonium, vt est contractus, seu medium iustitiæ commutatiuæ, communicat cum aliis, ita vt exigat fieri secundùm æqualitatem: vt autem in specie ab aliis distinguitur, habet specialem legem, quæ modum æqualitatis decernit, quæ lex dicitur in specie matrimonialis, & complet in hoc contractu, quoad illud, quod lex generalis non decernit.

Exponitur litera.

c *De primo dico, &c.* Statuit duas conclusiones, supposito principio vniuersali de medio, vt possibile est, & secundùm æqualitatem seruandam in iustitia commutatiua, & hoc in ordine ad illum finem, propter quem fit commutatio. In matrimonio autem duplex est finis, nempe primarius, quo ordinatur ad procreationem prolis: secundarius, vt ordinatur in natura lapsa in remedium concupiscentiæ. 4

Prima conclusio est, quantùm ad finem primarium corpus viri, sicut magis idoneum est ad generationem multiplicandam, ita excedere corpus mulieris, quia potest plures fœcundare, quamuis mulier à pluribus fœcundari non possit, aut certè rarissimè, vt aliqui dicunt, posse mulierem prægnantem superprægnari; sed hoc rarum est, & dato opposito, non æquiualet corpus mulieris, vt patet ex ratione Doctoris, & experientia.

Prima conclusio. Corpus viri excedit corpus mulieris in ordine ad generationẽ.

Secunda conclusio est, cõmutationem hanc, vt respicit finem secundarium, seruare æqualitatem inter duos tantùm; quia quoad hoc æquale est corpus vtriusque; vnde infert commutationem istam, vt est ad vtrumque finem cumulatiuè, seu copulatiuè, exigere vt sit vnius cum vna tantùm, & non cum pluribus. Hoc tamen dicit esse ex ordinatione Dei, per modum complementi iustitiæ huius contractus, vt contingit in aliis contractibus à legislatore eos habere suam firmitatem, & complementum. 5

Secunda conclusio. Quoad finem secundarium esse æqualia.

Dices, duo corpora in ordine ad finem secundarium æqualia sunt per iam dicta: ergo non sumunt complementum transmutata ab ordinatione extrinseca Dei.

Obiectio.

Respondetur, intelligere eum per complementum firmitatem, & stabilitatem contractus, ita vt neque aliter teneret, aut seruaretur medium; quia sicut est institutus à Deo ipse contractus, ita etiam & perpetuitas eius, & medium statutum, vt duo tantùm se inuicem permutarent, quia alioquin nolenti & volenti non fit iniuria, ideò sicut quis posset permutare aliquid, non seruata, aut expectata æqualitate rigorosa, quin per alia media compensari posset: verbi gratia, si plebeia Principi nuberet, consentiendo vt aliam etiam duceret, posset non solùm secundùm leges generales iustitiæ cedere iuri suo, sed etiam nuptiæ Principis essent sufficiens recompensatio inæqualitatis, quam aliàs pateretur.

Solutio.

Æqualitas à lege speciali Dei conueniens.

Quòd ergo vnius cum vna, quoad finem secundarium permutatio habeat non solùm firmitatem à Dei ordinatione statuente, sed etiam vt medium contractus sic seruetur, prouenit ab eadem, ita vt neque iuri suo altera pars validè cedat, neque defectus æqualitatis in permutatis, per aliud æquiualens compensari possit; & hoc 6

est

est quod vocat Doctor complementum iustitiæ generalis, quod nempe per regulas generales commutatiuæ non habeatur, quin ex consensu partium, & aliis viis sine offensione illarum possit iustitia commutatiua in hoc contractu seruari. Nam manendo etiam in principiis explicaris in statu innocentiæ, vt dicit Doctor, non esset bigamia: tamen hoc etiam ex lege Dei speciali eueniret, quia ibi cessaret finis secundarius matrimonij; & quantùm ad finem primarium excederet vir mulierem in ordine ad multiplicandam generationem, in statu etiam naturæ lapsæ, licèt quantùm ad finem secundarium æquiualeat corpus mulieris corpori viri, tamen excedit corpus viri, quantùm ad primarium finem, nempe fœcunditatis & procreationis, vt docet etiam August. *lib. 3. de doctrina Christiana, c. 12.* ergo comparando vtrumque secundùm diuersos fines præscriptos, si æqualitas iustitiæ rigorosæ, & strictæ in permutatis consideretur, est excessus in viro, quòd compensari posset in permutatione, vt fit ad finem secundarium per libertatem, qua vir alteram ducere posset: quod ergo non possit non est ex qualitate strictæ iustitiæ, vt est ex regulis generalibus; quia sic vir grauatur: sed ex ordinatione Dei statuentis complementum iustitiæ, & modum quo medium hoc seruari debeat, & non aliter.

Permutatio vt est ad vtrũque finem, aliter considerãtur secũdum medium.

SCHOLIVM.

Deum dispensasse cum Patribus veteribus in pluralitate vxorum, habetur cap. Gaudemus, *de diuort. & latè probat Bellarmin. lib. 1. de matrim. cap. 11. tenent D. Thom. hîc quæst. 1 art. 2. D. Bonau. art. 1. quæst. 3. Richard. art. 1. quæst. 2. Gabr. quæst. 1. artic. 3. Sotus quæst. 1 artic. 2. & communis, contra asserentes nunquam licuisse polygamiam. Explicat benè rationabilitatem huius dispensationis.*

De [d] secundo articulo, dico quòd dispensatio est Iuris declaratio, vel Iuris reuocatio. Potuit ergo Deus legem suam de commutatione ista vel declarare, vel in aliquo casu reuocare: & hoc rationabiliter, in casu illo, quando maius bonum prouenit ex reuocatione, quàm ex obligatione, seu obseruatione: tunc autem, quando erat necessitas multiplicandi genus humanum ad cultum diuinum, puta, quia pauci erant cultores Dei, necessitas fuit, vt multiplicarentur cultores Dei, quantum possent, quia in sola successione eorum, mansit fides, & cultus diuinus: ergo pro tunc rationabile fuit, dispensare, vt vnus commutaret corpus suum pro pluribus corporibus mulierum ad maiorem multiplicationem cultorum Dei, quæ sine hoc non fieret. Sic autem fuit dispensatum, vt præsumitur, de Abraham, & quibusdam aliis Patribus. 4

Quare dispensatum cum Patribus in polygamia.

Qualiter [e] autem ibi saluabatur iustitia, considerando contractum ex parte contrahentium, declaratur sic: Quando aliquid ordinatur ad duos fines, principalem scilicet, & minùs principalem, rationabile est vti illo, eo modo, quo magis valet ad finem principalem, licèt per hoc aliquid detrahatur fini minùs principali. Exemplum, cibus valet ad duo, scilicet ad delectationem, quæ est minùs principalis, & ad nutritionem, quæ est magis principalis: & conueniens est, vt aliquis vtatur cibo eo modo, quo magis expedit nutritioni, licèt in hoc detrahatur delectationi. 5

Duo fines cibi.

Ita contractus iste matrimonij, & est ad bonum prolis, vt ad finem principalem, & ad vitandum fornicationem, vt ad finem minùs principalem: ergo secundùm rectam rationem debent contrahentes sic commutare, vt commutatio plus valeat ad procreationem prolis, licèt minùs valeat ad illam redditionem. Sed hoc fit in commutatione vnius corporis viri pro pluribus corporibus mulierum: & sic hoc absolutè faciendum est in casu necessitatis, quia quando est valdè necessarius finis principalis, negligendus est finis minùs principalis.

Et [f] ex hoc patet quomodo ex parte partium est iustitia: quia secundùm rectam rationem vtraque pars debet velle aliquid de Iure suo dimittere in commutando, & recipiendo permutationem in comparatione ad finem minùs principalem, vt recipiat æquiualens in comparatione ad finem magis principalem, quem plus debet eligere, licèt debeat commutari aliquid de aliquo, quod esset sibi detrimentum remittere. Et quandoque est necesse in aliquo casu, quando scilicet ad talem remissionem tenetur, & complere licet, & debet, quando à superiori est hoc ordinatum. Hoc patet *Genes. 16.* quia coëgit Sara Abraham, vt intraret ad Agar ancillam suam, vt vel sic haberet filium de ancilla, quem de ipsa habere non poterat.

Si [g] obiicitur, quòd pro tempore moderno esset bigamia illicita. Respondeo, etsi illicita sit, eo quòd pro nunc non est à legislatore dispensatum, imò reductum est ad illud legis naturæ, *Erunt duo in carne vna*, per Christum, *Matth. 19.* tamen loquendo de iustitia ex parte contrahentium, & contractus, etiam modò non est illicita: sed pro tanto est illicita, quia nunc non est necessarius ille finis principalis, eo quòd multi vacant 6

Bigamiam non esse Iure naturæ irritam.

vacant generationi fidelium, quia fides multiplicata est. Cessante igitur necessitate detrahendi aliquid secundo fini, propter necessitatem primi finis, seruandus est contractus, ita vt seruetur ibi iustitia respectu vtriusque finis, scilicet quòd vnus habeat tantùm vnam, & è conuerso.

Si tamen contingeret casus per bellum, vel cladem, vel pestem, quòd multitudo virorum caderet, & multitudo mulierum remaneret, posset tunc bigamia esse licita considerando præcisè iustitiam ex parte commutantium: & deberent ex parte sua velle sic commutare mulieres cum viris plus pro minori, quantùm ad secundum finem, licèt pro æquali quantùm ad primum finem: nec deficeret ibi, nisi completio iustitiæ, quæ est ex approbatione diuina, quæ fortè tunc fieret, & Ecclesiæ specialiter reuelaretur.

7 *Ad arg.* 1. Ad [h] argumenta. Ad primum dico, sicut dictum est *suprà distinct.* 17. quòd aliquid est de lege naturæ dupliciter, scilicet primò, quod est verum practicum simpliciter notum lumine rationis naturalis, & ita potissimum gradum tenet principium practicum, notum ex terminis. Secundum gradum tenet conclusio demonstrata ex talibus principiis. Secundariò autem est de lege naturæ, quod regulariter consonum est legi naturæ primo modo dictæ. Circa primum nulla cadit dispensatio: & ideò eius oppositum semper videtur esse peccatum. Circa secundum in casu cadit dispensatio, in quo communiter oppositum videtur consonum legi naturæ. Et præcisè isto secundo modo est monogamia de lege naturæ, & bigamia contra illam: & sic concedo probationes illas, *Genes.* 2. & Gloss. *Genes.* 4.

Monogamia quomodo de iure naturæ, & quomodo polygamia, cōtra illud.

Nec sequitur tamen ex hoc, quòd in casu, oppositum non possit esse licitum, imò in casu est necessarium, præcipuè considerando iustitiam ex parte commutationis, & commutantium; quando propter necessitatem recta ratio dictat illo modo debere commutationem fieri, & quando præceptum diuinum adest.

8 Verumtamen de Lamech absolutè concedi potest, quòd peccauit mortaliter, quia contra legem naturæ, licèt secundo modo, & non in casu, in quo recta ratio dictaret illam legem reuocandam: nec superior dispensauit, imò fuit oppositum vtriusque.

Ad 2. Ad secundum dico, quòd nunquam fuit ex parte iustitiæ inter commutantes sic commutare, vt minùs eueniret finis principalior, & magis eueniret finis minùs principalis: quia finis principalis est magis intendendus: sed biuiria magis esset ad finem minùs principalem, & multò minùs ad finem principaliorem: quia eadem mulier infrà idem tempus à pluribus viris imprægnari non posset.

Biuiria magis contra legem naturæ, quàm polygamia.

Ad ratio. opp. Ad argumentum in oppositum, licèt de aliquibus sanctis Patribus præsumatur, quòd in contrahendo bigamiam, non peccauerint, quia vtraque ratio contrahendi ibi concurrit, scilicet necessitas, propter quam iustè erat sic contrahendum, & auctoritas diuina approbans, & præcipiens: tamen si aliqui sine istis causis, vel altera earum contraxerint, non est mihi inconueniens, quòd mortaliter peccauerint: quia non reputo eos fuisse tunc confirmatos.

COMMENTARIVS.

7 *Secundus articulus.* *Dispensatio quid sit?*

d DE *secundo articulo*, &c. Dicit dispensationem esse Iuris declarationem, aut Iuris reuocationem; sic definiunt dispensationem *esse Iuris relaxationem cognita causa, ab eo qui potest*, &c. Glossa *cap. Requiritis*, q. 7. Nauarrus *in Summa prælud.* 9. Innocentius *c. Dilectus*, &c. *de tempor. ordin.* vbi Ioannes Andreas, & Abbas *cap. fin. eodem.* Cardinalis *quæst.* 2. noster Rodriquez *tomo* 2. *quæstion. Reg. q.* 46. *art.* 1. Cæterùm aliquando sumitur dispensatio pro Iuris declaratione, *cap. Quin... vallis*, &c. *de iureiurand.* extremis verbis, vt notat Speculator *titulo de dispensatione*, paulò post principium. Sumit ergo Doctor dispensationem latè vt dicitur Iuris interpretatio per Principē facta, secundùm quam excluditur casus ab obligatione legis, quatenus ipsum non comprehendit ex mente legislatoris. Dicit alio modo sumi dispensationem pro Iuris reuocatione, in casu scilicet, vt posteà declarat, & sic sumitur strictè dispensatio, vt definitur à præfatis Doctoribus, & differt ab irritatione legis, & abrogatione: nam irritare est legem, quæ dependet à confirmatione Principis: verbi gratia, latam à ciuibus negata confirmatione cassare, vt vim obligandi non habeat: abrogare est legem factam, & obligantem omnino reuocare & cassare, vt ampliùs non obliget. Differt à derogatione, quòd hæc sit legis in parte, vt habetur *ff. de verborum significatione, l. Derogatur.* Differt etiam dispensatio à priuilegio, quòd hoc aliquando sine causa, & præter Ius concedi potest; dispensatio autem requirit causam cognitam, vt licitè fiat.

Dispēsatio latè sumpta. *Strictè sumpta.*

Differentia eius ab aliis. *Irritatio.* *Abrogatio.* *Derogatio.* *Priuilegium.*

His suppositis resoluit Doctor difficultatem principalem quæsiti, asserens Deum potuisse declarasse legem instituti matrimonij quantùm ad æqualitatem seruandam, & sic latè dispensasse in ea lege, vel certè reuocare, id est, relaxare ipsam legem in eo casu, & rationabiliter propter causam paucitatis hominum, & necessitatem

Dispensatio in polygamia.

tatem ampliandi diuini cultus per multiplicationem prolis, ita vt corpus vnius viri commutari possit pro pluribus mulierum, & sic dispensatum præsumitur cum Abraham, & aliis Patribus, inquit.

8 *Seruata fuit iustitia.* e *Qualiter autem ibi saluatur iustitia*, &c. Declarat deinceps Doctor qualiter cum polygamia dispensata saluari possit iustitia? & proponit hanc maximam, *Maxima.* nempe *quando aliquid ordinatur ad duos fines, quorum vnus est principalis, alius minùs principalis, rationabile est vti illo in ordine ad finem principalem, vt magis valet, quamuis aliquid detrahatur de fine minùs principali.* *Exemplum.* Subiicit exemplum de cibo, qui minùs principaliter ordinatur ad delectationem, magis principaliter ad nutritionem; debet vsus eius fieri ad nutritionem, quamuis cesset vsus in ordine ad delectationem, vt patet in infirmis, & stomacho languentibus. Ita in proposito se habet matrimonium ad procreationem prolis, vt ad finem principalem, ad remedium, vt ad finem minùs principalem, & occasionatum in natura lapsa ex peccato, & concupiscentia: ergo secundùm rectam rationem potest esse vsus eius inter partes, prout magis ordinatur ad finem principalem, quamuis in aliquo derogetur fini minùs principali. In polygamia autem attingitur finis principalis perfectiùs, licèt derogetur fini minùs principali: ergo secundùm rectam rationem potest esse vsus eius quoad finem principalem, cum aliquo detrimento finis minùs principalis, maximè in casu necessitatis finis principalis, aut multiplicationis hominum ad diuinum cultum, quando sunt pauciores, & hoc detrimentum finis minùs principalis seclusa aliàs prohibitione legis superioris contemni potest. *Detrimētum aliquod finis minùs principalis preferri debet ad saluādum principalem.*

9 *Explicatur Maxima præmissa.* Ad maiorem huius maximæ declarationem, intelligenda est primò, quando finis principalis est per se sufficiens ad intentionem secundùm rectam rationem, & electionem subinde medij. *Vt principalis sit sufficiēs per se.* Secundò, quando necessitas finis principalis vrget, neque attingi posset commodè sine detrimento finis minùs principalis, *Sit necessarius.* & his positis patet veritas principij, *Probatio Maximæ.* quia inter duo mala maius malum secundùm rectam rationem est fugiendum: ergo similiter in prosecutione idem est seruandum, vt maius bonum præferatur minori, & consequenter dispendium minoris boni postponatur dispendio maioris boni, secundùm rectam rationem. Patet consequentia: quia ideò malum fugiendum est, quia aduersatur bono, quod est amplectendum, & ideò minus malum permittendum, quia bonum, quo priuat, & cuius dispēdium affert, postponitur bono maiori, quo priuat maius malum: ergo si dispendium alterutrius necessariò sequi, & permitti debet, secundùm rectam rationem permitti debet dispendium minoris boni, hîc & nunc, vbi necessitas alterius imminet.

10 Sed in proposito ita se habet finis primarius matrimonij, & secundarius, tam ex natura rei, quàm etiam ex natura finis, & contractus, vt ad finem ordinatur: ergo idem sequitur. Probatur subsumptum, quia detrimentum finis primarij nequit aliter suppleri, quàm per bigamiam, aut polygamiam; *Finis principalis necessitas vltra finē secundarium.* detrimentum autem finis secundarij potest commodissimè suppleri per alia media, quibus summoueri potest periculum fornicationis, & quibus timentes Deum vtuntur, vt sunt ieiunia, oratio, maceratio corporis, & his mediis perfectiùs attingitur finis secundarius, quàm obsequendo concupiscentiæ, & maiori merito; quia per vsum matrimonij cedendo fragilitati, & ad satisfactionem concupiscentiæ tantùm, secundùm plerosque Patres, & Doctores vix abest peccatum aliquod, saltem veniale, éstque tantùm indulgentia infirmitatis, non opus honestum, nisi vt fit ex motiuo iustitiæ, seu debiti: ergo quantùm ad naturam rei non eadem est necessitas, aut possibilitas resarciendi detrimenti vtriusque finis: *Vnum, nō alterum resarciri non posse.* quia, vt dixi, finis primarij detrimentum hîc & nunc nequit aliter resarciri: non ita detrimentum finis secundarij, quod tantùm est ex periculo mali, quod tamen per alia media, & maiori fructu potest declinari: spectando ergo ordinato modo electionem finis, & hîc & nunc necessitatem multiplicationis hominum in cultum Dei, quando sunt pauci, ineuitabilitatem detrimenti finis primarij, ineuitabilitatem detrimenti finis secundarij, & seclusa alia ordinatione legis superioris, sequitur rectam rationem in eo casu, vt ordinatè procedit ex principiis desumptis à fine contractus, dictare admittendum detrimentum hoc finis secundarij ad maiorem perfectionem primarij, & in hoc casu necessariam ex vi contractus, vt in officium naturæ est institutus.

11 Probatur altera pars illius subsumpti principalis ex natura vtriusque finis, *Vtriusque diuersitas in ordine ad contractum.* quia procreatio est finis per se contractus, & ab intrinseco regulariter loquendo, scilicet de matrimonio, vt consummatur, & sequitur in omni statu viæ tanquam præscriptus ex primæua institutione, & est ideò in præcepto respectu communitatis, quinetiam respectu particularium in casu, quo deficeret homines ad propagationem apti, vt *suprà* aliàs dictum est, *dist. 26. quæst. vnic.* Sed finis secundarius, neque est x natura contractus prima institutione intentus, neque in omni statu, nempe innocentiæ, sequens ad contractum, neque in statu naturæ lapsæ per se sub præcepto, sed toleratus, & concomitans; per accidens autem in præcepto ratione periculi: ergo non est par ratio eius, & finis primarij, quantùm ad bonitatem intentam contractus, *Diuersa vtriusque intētio & obligatio.* quantùm ad legem obligantem per se ratione contractus, neque consequenter per se statutam contractui: quamuis enim permutatio corporum inducit obligationem debiti reddendi, si petatur, ex præcepto affirmatiuo, supposito composito contractu; tamen nulla est obligatio per se ineundi contractus in ordine ad finem satisfaciendæ cōcupiscentiæ, sicut est obligatio ineundi contractus modo explicato ad multiplicationem populi Dei: obligatio enim ad debitum reddendum oritur ex ipso contractu, & respicit vsum tantùm matrimonij: obligatio ineundi contractus respicit finem propagationis, & habet necessitatem præcepti: sicut ergo finis primarius & contractus, vt ad ipsum tendit, inuoluit talem necessitatem, ad finem autem secundarium nulla est necessitas præcepti per se, quia præceptum reddendi debitum, & petendi, oritur ex natura contractus, vt tendit in finem primarium, *Præcepta per se obligant ex primario, & non secundario.* licèt per accidens hîc & nunc ille finis non sequatur in effectu: tamen præceptum debiti ad finem illum per se tendit, & non ad secundarium: vnde ad finem secundarium nullum præceptum obligat per se: quamuis indulgeat

geat lex, vt vtens finem secundarium intendat, non tamen obligat ad talem finem per se intendendum ex lege speciali contractûs affirmatiuè: licèt negatiuè obliget, ne alteri commisceatur, (vel per accidens etiam ratione periculi, vt dixi, quando alia media negliguntur, & ceditur concupiscentiæ) & hoc ex fide, & iustitia ipsius contractus, vt est inter duos, secundùm legem Superioris, quam nunc excludimus in casu polygamiæ, in quo loquimur præcisè de contractu, vt innititur consensui contrahentium, & secundùm generales regulas iustitiæ, & rectæ rationis, seclusa illa speciali ordinatione Dei. Intentum enim Doctoris in hoc discursu est, probare dispensationem factam à Deo cum Patribus antiquis non derogare æquitati iustitiæ naturalis, & commutatiuæ, considerato contractu, vt innititur suo fini per se.

12 *Illatio dictorum.* Ex quibus sic breuiter sequitur intentum. Ille finis est primarius contractus, & per se eius, qui ex prima institutione, & in omni statu sequitur ad ipsum, & ex quo præceptum ineundi contractus tanquam ex motiuo sumitur, & ad quem præcepta iustitiæ, supposito contractu, primariò, & per se obligant: ergo vt comparatur ad finem secundarium, qui non est in præcepto, & magis toleratus, quàm præscriptus, debet secundùm rectam rationem præferri; & consequenter excludi dispendium finis primarij magis, quàm secundarij secundùm rectam rationem.

Responsio. Dices, Petens debitum in ordine ad finem secundarium vtitur iure suo, & negans peccaret contra iustitiam: ergo etiam finis secundarius cadit sub præcepto per se contractus.

Impugnatur. Contrà, Præceptum affirmatiuum reddendi debiti oritur ex natura contractus, vt est ad finem primarium, & ideò quando cedit petitio in periculum prolis, vt dictum est *superiori distinctione, regula secunda*, non obligat; quòd ergo petens iure suo vtatur, quod habet ex vi contractus, & dominio in corpus alterius, id prouenit ex lege contractus, vt in finem primarium tendit per se; quòd autem vtatur illo iure ad finem secundarium, est per accidens; non est ex natura præcepti, aut contractus, quamuis ex natura contractus acquirat dominium non impeditum in corpus alterius, & indulgetur talis vsus dominij.

Vsus matrimonij per se ordinatur ad primariũ, per accidens ad secũdarium.

13 *Restitutio nõ specificatur ab intentione creditoris.* Vnde licèt vsus dominij fiat in istum finem, non tamẽ ex natura præcepti dirigitur in talem. Sicut qui debet aliquid creditori, & illud restituit ex præcepto iustitiæ, quamuis sciat creditorem malè vsurum debito, neque restitutio, neque præceptum eius respicit talem finem, sed honestatem intrinsecam iustitiæ, qua suum alteri reddit. Sic etiam coniux reddens debitum petenti ex iustitia, quæ oritur ex contractu, seu potiùs præceptum ad hoc obligans non respicit finem secundarium intentum à petente, quamuis ille finis honestus sit per ipsum contractum, & toleretur; honestatur autem per contractum, vt contractus est ad finem primarium ex natura sua. Ideò Doctor *distinct. 26. §. Sed hîc est dubium*, &c. totam honestatem vsus matrimonij ad finem secundarium, quà est remedium infirmitatis, reducit in contractum ipsum, vt est ad finem primarium, & in diuinam institutionem; non approbantem talem vsum, sed indulgentem, & tolerantem ob infirmitatem, ad euitandum maius malum: sic dicunt Patres, vsum matrimonij ex hoc fine esse venialem, & Paulus indulgentiam, vt *ibidem* adnotauimus. Licèt ergo præceptum affirmatiuum de reddendo debito obliget ex natura contractus, vt refertur in finem primarium; non tamen extenditur ad secundarium finem vtentis, quamuis licitus sit. Considerando ergo naturam contractus, & legem eius, vt est ad finem suum, magis secundùm rectam rationem deberet eligi detrimentum finis secundarij, quàm primarij: ergo salua æqualitate quantùm ad finem primarium contractus, & per se eius, in casu necessitatis propagandi, potest saluari æqualitas iustitiæ quoad finem primarium, & per se, cum aliquo detrimento, & inæqualitate quoad secundarium, & hoc medium erit secundùm rectam rationem æquale, propter quod debet pars remittere aliquid de fine secundario, vt acquirat æquiualens in primario, maximè quando vrget necessitas finis primarij, nempe prolis, vt explicat Doctor applicando maximam adductam ad matrimonium, vt est contractum in ordine ad vtrumque finem.

Applicatur exemplum.

Finis secundarius toleratus, seu indultus, non præscriptus.

f *Ex hoc patet quomodo*, &c. Applicat prædictam doctrinam generalem, asserens seruari in casu polygamiæ medium rationis, attingendo bonum prolis, qui est finis primarius contractus, ob quem debet potiùs eligere detrimentum voluntarium finis particularis, quàm frustrari contractum fine primario, vt in aliis commutationibus fit: verbi gratia, si quis mutuauit pecuniam, si debitor nequit pecuniam, quæ magis vtilis esset, mutuanti restituere, secundùm rectam rationem debet eligere restitutionem in æquiualenti magis, quàm frustrari in toto. Et hoc necessarium est, & tenetur admittere si accedat mandatum Superioris; ita in matrimonio, quando vrget præceptum eius ineundi ad finem propagationis hîc & nunc, vt fuit in Patribus, & Deo dispensante in polygamia secundùm rectam rationem debet seruari æqualitas, quoad finem principalem, & eligi etiam cum detrimento finis minùs principalis. 14 *Applicatio doctrinæ præmissæ ad intentum.*

Adducit exemplum Saræ, *Genes.* 16. cogentis Abraham intrare ad Agar, vt vel sic haberet filium de ancilla, quem ex ipsa habere non potuit. Hinc intendit Doctor, & dispensationem Dei non sustulisse medium iustitiæ secundùm rectam rationem in contractu, superinducta polygamia; & secundò intendit polygamiam non esse contra Ius naturale contractus, vt Ius naturale comprehẽdit tam prima principia, quàm conclusiones necessarias sequentes; neque destruxisse etiam naturalem, aut æqualitatem contractus, vt fertur in suum finem primarium; neque detrimentum finis secundarij tollere medium, quod conuenit contractui secundùm rationem naturalem, vt formatur ex principiis iustitiæ commutatiuæ contractus, vt fertur in suum finem principalem; sed tantùm dispensare in lege sua positiua, qua primò voluit matrimonium esse duorum tantùm in carne vna. Vltimò intendit declarare æquissimam fuisse illam dispensationem, etiam spectato fine ipsius contractus principali, vt defluente scilicet vniuerso mundo in idololatriã, & vocato Abraham, vt fieret caput credentium, & pater, polygamiam, inquam, fuisse necessariam in eo casu, non quo simpliciter propagatio fieret hominum, sed quo 15 *Exemplum Saræ.* *Intẽtum Doctoris.*

Dispensauit Deus in lege sua positiua, quoad polygamos.

quo fieret in cultum Dei, & vera eius fide, quæ in aliis desiuit.

16 Augustin. Hoc confirmat Augustinus *de bono coniugali, cap.* 25. nam cùm in priori dixisset Sanctos Patres in pluralitate vxorum habuisse continentiam coniugij in animo, quantùm ad bonum fidei, quod versatur in copula vnius cum vna, ex obedientia, seu præcepto Dei habuisse æquiualens meritum talis continentiæ in polygamia. subdit; *Quæ cùm ita sint*, inquit, *hæreticus, siue Manichæis, siue quicumque alij, Patribus veteris Testamenti de pluribus calumniantur vxoribus, hoc esse argumentum, deputantes, quo eorum conuincant incontinentiam, satis superque responsum est: si tamen capiunt non esse peccatum, quod neque contra naturam committitur., quia non lasciuiendi, sed gignendi causa illis fœminis vtebantur, neque contra morem, quia illis temporibus ea factitabantur: neque contra præceptum, quia nulla lege prohibebantur*, &c. Idem habet *lib.* 22. *contra Faustum, c.* 47. *& sequenti.*

Eximuntur Patres veteris legis à calumnia.

Dicit ergo Sanctus Augustinus Sanctos Patres in polygamia non peccasse: tum quia diuino mandato contraxerunt; tum quia non peccarunt contra naturam, cùm ex sola voluntate procreandi liberos se coniunxerunt: non contra morem, quia illius temporis mos ille fuit, non contra legem, quia nulla lex id prohibet, nisi scilicet diuina, in qua Deus ipse dispensauit præcipiens Patribus, vt præsumitur, vt alias vxores causa liberorum assumerent.

17 Vnde sequitur ex parte virorum non fuisse contra naturam, aut eius principia, cùm causa liberorum plures vxores admittebant supposita diuina dispensatione, & necessitate primarij finis obtinendi; *Quia*, inquit Augustinus, *non lasciuiendi, sed gignendi causa illis fœminis vtebantur*, &c. Idem dicit de fœminis lib. illo 22. cap. 48. *Sed quid de viris loquar*, inquit, *quibus excellentissimum testimonium diuina voce perhibetur, cùm ipsas fœminas satis eluceat nihil aliud in concubitu appetiysse, quàm filios: quippe vbi se minimè parere viderunt, famulas suas dederunt viro suo, vt illas matres facerent carne, ipsæ fierent voluntate*, &c. Ex quibus colligitur secundùm sententiam Augustini, & licitè, hoc est sine læsione Iuris naturæ, à Patribus admissam esse polygamiam, ex finis principalis matrimonij intentione; & consequenter posse illum contractum in circumstantiis necessitatis procreationis populi, admitti inter pares cum detrimento finis secundarij, & hoc secundùm rectam rationem, vt benè Doctor. Aliud ergo est loqui de Iure naturæ, sumendo Ius naturæ strictè pro principiis, & conclusionibus necessariis, in quæ non cadit mutatio, neque dispensatio. Aliud loqui de Iure naturæ latè sumpto; vt dicitur consonum prioribus, secundùm rectam rationem: nam Ius naturæ hoc modo sumptum sicut in omnibus circumstantiis non dicit conformitatem ad principia, & conclusiones necessarias sequentes, ita etiam id quod in certis circumstantiis est consonum Iuri naturæ primo modo sumptum, in aliis circumstantiis non est consonum; in quibus materia ipsa mutatur: sic quotquot dicunt præcepta Decalogi esse indispensabilia, respondent ad exempla Scripturæ, ex quibus dispensatio probatur, non fieri tunc dispensationem, neque factam fuisse, sed declaratum materiam legis naturalis per tales circumstantias mutari, vt in iis non comprehendatur sub lege. Si ergo ita mutabilis est materia Iuris naturalis strictè sumpti per particulares circumstantias, non est mirum, si materia Iuris naturalis secundo modo sumpti per mutationem circumstantiarum, & ipsa mutetur, ita vt quæ aliàs fuit consona, in aliis circumstantiis non sit consona, neque consequenter Iuris naturalis, hoc secundo modo dicti.

Diuersa acceptio Iuris naturalis.

Dispensatio Iuris naturalis latè sumpta.

Ad propositum, cùm matrimonium ex natura contractus, & secundùm iustitiam eius ordinetur ad finem tam primarium, quàm secundarium, in iis circumstantiis, in quibus alterutrum sine detrimento alterius attingere potest, obligat secundùm naturam contractus in ordine ad vtrumque finem, & sic polygamia est contra Ius naturæ, quia finis primarius non derogat secundario in his circumstantiis, neque consequenter contrahentes debent ordinatè contrahere, vt consentiunt in vtrumque finem contractus, quem non debent abstrahere ab alterutro, neque sibi inuicem præiudicare. Hæ circumstantiæ sunt, quando nulla est necessitas multiplicationis populi Dei, neque consequenter pluralitatis vxorum ad hunc finem, qui est primarius, & ex cuius tantùm necessitate liceret dicta pluralitas. In circumstantia necessitatis finis primarij aliter euenit, quia magis consonum rectæ rationi, vt vsus contractus fiat iuxta exigentiam finis primarij, quàm finis secundarij cum detrimento primarij, vt constat ex dictis *suprà*, cùm præceptum matrimonij siue diuinum, siue naturale vrgeat ad ineundum contractum, & in ordine ad finem primarium, magis consonum legi naturæ strictè sumptæ, vt ineatur eo modo, quo subuenit necessitati, & detrimento finis primarij, quàm vt fauet fini secundario cum detrimento prioris, & hoc in his circumstantiis, magis consonum rectæ rationi, & electioni, quàm contrarium. Vnde sequitur polygamiam in talibus circumstantiis non esse contra Ius naturæ, considerando iustitiam in hoc casu, & circumstantiis ex parte contractus, & contrahentium, & supposito diuino mandato, & dispensatione in lege positiua, qua vetatur polygamia. Hæc doctrina desumitur à Doctore in responsione ad primum argumentum, quæ optimè declarat illud quòd dicit Augustinus *suprà*, Patres ex polygamia non peccasse contra Ius naturæ, aut positiuum Dei. Tertium autem quod dicit Augustinus de more, aut consuetudine, posteà videbimus. 18

Polygamia, quibus circumstātijs est consona legi naturali, & quibus dissona.

Ex his facilis est responsio ad ea, quæ obiiciuntur pro sententia negatiua, qua dicitur polygamiam esse contra Ius naturæ strictè sumptum. 19

Contra quam sententiam vrget, quòd hoc Ius sit indispensabile; è contra tamen dispensatum esse constat ex dictis, & supponitur *Deuteron.* 20. Item in ea lege, qua licebat fratri superstiti suscitare semen defuncto ex superstite eius vxore.

Obiiciunt ergo primò ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed*

Obiectio pro prima sententia.

sed vir. Similiter & vir, &c. absque mutua autem corporum permutatione non consistit matrimonium; nequit autem res vni tradita, reddi alteri: ergo repugnat naturæ matrimonij, vt vir corpus suum per matrimonium tradat pluribus in solidum.

Responsio. Respondetur Apostolum loqui de matrimonio, vt reformatum est in lege noua, iuxta primæuam institutionem eius, & sic excludere polygamiam, non autem agit de matrimonio in casu nostro, & supposita diuina dispensatione, & necessitate propagationis in cultum Dei. Ad assumptum, concedo non posse consistere matrimonium sine mutua permutatione; hæc tamen permutatio in casu polygamiæ non fuit in solidum, quantùm ad finem secundarium, & prout fit in monogamia; sed fuit permutatio prout exigebat finis primarius matrimonij, & secundùm medium rectæ rationis in iis circumstantiis declaratis, quoniam corpus viri in ordine ad finem primarium æquiualet pluribus corporibus mulierum in ordine ad generationem. & licèt non fuerit in solidum hæc permutatio corporis viri cuilibet ex pluribus, ita vt illi soli deberetur, fuit tamen sufficiens in ordine ad generationem ex ipsa, & ea permutatio in ordine ad finem intentum, & per se matrimonij æquiualebat corpori mulieris; & negatur consequentia.

Quomodo seruata æqualitas in polygamia?

20 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò: Mulier nisi in solidum traderet suum corpus viro, non esset legitimum matrimonium de Iure naturæ, neque validum vllo Iure: ergo similiter, vt validum sit, debet vir in solidum permutare corpus suum.

Responsio. Respondetur negando consequentiam, & paritatem in his circumstantiis, quia corpus mulieris redditur ineptum ad finem primarium matrimonij, si pluribus viris adhæreat, & nunquam licuit, aut licet per se contractus hic, vt est ad finem secundarium tantùm cum destructione primarij ex natura rei, illa autem permutatio esset tantùm ad secundarium cum exclusione primarij.

Tertia obiectio. Soluitur. Obiicies tertiò: Tolleretur obligatio debiti, quæ est de substantia matrimonij. Respondetur, quoties mulier exigeret debitum, aut obligationem eius pro tempore congruo, & ordinatè, vt est ad finem primarium, quod in hoc casu ad substantiam matrimonij spectat. Inter plures autem seruaretur ordo, vt seruauit Iacob inter Rachelem, & Liam, vt benè Augustinus *cap. 49. contra Faustum.*

21 *Quarta obiectio.* Obiicies quartò: Contra primum principium naturæ est, vt vir erga vxorem id faciat, quod circa se nollet fieri; nollet autem vxorem alteri nubere simul: ergo perinde est contra primum principium, vt ipse ducat alteram, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Deinde, illud est de Iure naturæ ad matrimonij substantiam spectans, quod ex prima sui institutione eidem competit; sed illud est, vt vir sit vnius vxoris tantùm: ergo, &c.

Responsio. Respondetur distinguendo maiorem, in iis, quæ inferunt præiudicium simile vxori, concedo: in aliis, nego, in quibus de lege & iustitia aliquid competit viro, quod non vxori; & concessa minori, negatur consequentia ex dictis.

Ad vltimum respondetur distinguendo maiorem: in quibuscumque circumstantiis extraordinariis, nego; regulariter concedo. Patet distinctio ex doctrina Augustini, & Doctoris *supra* explicata.

Alia argumenta pro sententia media, quam vocat Sanchez, de repugnantia bigamiæ ad finem secundarium, facile concedo, quia id admittit Doctor; neque huic opinioni aduersatur; in iis tamen circumstantiis, in quibus potest vterque finis attingi. Cæterùm in aliis circumstantiis, in quibus supposita diuina dispensatione finis primarius debet præferri secundario, & huius detrimentum aliquod postponi, vt necessitati finis primarij subueniatur, tunc hoc detrimentum finis secundarij est eligibile secundùm rectam rationem, vt contractus finem primarium sine dispendio sortiatur. *Secunda sententia cohæret.*

g *Si obijcitur, quòd pro tempore moderno,* &c. Docet nunc polygamiam esse illicitam, quam reuocauit Christus, *Matth.* 19. & cessante necessitate finis principalis ex multiplicatione fidelium; ac proinde non debet præiudicari fini secundario: si tamen actus eueniret, vt viri deficerent in Ecclesia, tunc polygamia non esset contra Ius naturæ, & accedente complemento iustitiæ huius contractus polygamiæ in hoc casu, scilicet diuina dispensatione, & approbatione, quæ fortè Ecclesiæ reuelaretur, esset licita polygamia; perinde ac fuit licita Patribus. 22 *Illicita polygamia in lege noua.*

Hinc confutatur hæresis improba Lutheri, & Anabaptistarum, qui contendunt exemplo Patriarcharum pluralitatem vxorum esse licitam: de quibus vide latè Bellarminum *lib.* 1. *de matrimonio, cap.* 9. 10. *&* 11. & passim Theologos *in hac distinctione.* Quem errorem damnauit Syricius Papa *epistola* 1. & Innocentius I. *epistola* 9. & multi alij, vt patet *ex titulo de sponsa duorum, de diuortijs, de sponsalibus & matrimon:* quæ passim occurrunt, & *cap. An non.* 24. *quæst.* 3. *ex Genes.* 2. *Matth.* 19. vbi communiter Patres, & expositores, Hieronymus, Chrysostomus, Beda, Anselmus, Theophylactus. Hieronym. etiam *contra Iouinianum, lib.* 1. Ambros. *in lib. de viduis.* Augustin. *lib.* 1. *de nuptijs & concupiscentia, cap.* 9. quinimò verba Christi id clarè continent Matth. 19. *Erunt duo in carne vna,* &c. & Paulus *locis citatis suprà,* semper loquitur de hoc contractu, vt est tantùm duorum. Definit Tridentinum *sess.* 24. *cap. Doctrinali, & can.* 2. & hanc fuisse primæuam institutionem huius contractus, aliàs cum Doctore explicatum est, *dist.* 26. *& dist.* 31. §. *Ad quæstionem,* &c. Hinc omnes, & meritò reiiciunt expositionem Caietani in illa 1. *ad Timoth.* 3. *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum,* &c. qui asserit tunc multos habuisse plures vxores: quod & historiæ repugnat, & Euangelio: *in Marci etiam* 10. ait legem de vxoris vnitate nullibi haberi in Canonicis libris. & *in Matth.* 19. contrarium etiam declarat Trident. *sess.* 24. *in c. Doctrinali. Hoc autem vinculo,* inquit, *duos tantummodo coniungi, & copulari, Christus Dominus apertius docuit, cùm postrema illa verba tanquam à Deo prolata referens dixit: itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* quæ verba habentur *Matth.* 19. *& can.* 2. damnat non solùm asserentem licere Christianis plures vxores habere: sed etiam

Error Lutheri, & Anabaptistarum. *Sententia Caietani reiicitur.* Trident.

etiam asserentem id nulla lege diuina esse prohibitum; alludit nempe ad verba Christi, *Matth.* 19. præmissa *in cap. Doctrinali*; in quibus hanc prohibitionem contentam esse docet: sicut & *Genes.* 2. *ex eodem cap.* idem asserit Innocentius I. *epistola* 3. *ad Exuperium, cap.* 6. Augustinus *lib.* 1. *de adulterin. coniug. cap.* 11. & Patres citati. Quod fusè probat Arboreus *lib.* 1. *Theosoph. cap.* 1.

23 *Sententia Abulēsis reiicitur.* Reiicitur sententia Abulensis *in Matth.* 19. *quæst.* 15. asserentis, nunc Gentilibus licitam esse vxorum pluralitatem; contrarium enim constat *ex c. Gaudemus, & cap. Quanto*, &c. *de diuortijs*, &c. *Non esse licitam polygamiam Gentilibus.* & lex Christi generalis obtinet contra polygamiam, qua reducitur matrimonium ad primum statum, & institutionem, vt sit vnius cum vna, & non cum pluribus. *Dubium.* Dubium tamen est si olim etiam polygamia licuit Gentilibus. *Licuisse olim putāt aliqui.* Licuisse aliqui putant probabile: vt Bellarm. *lib.* 1. *de matrimonio, cap.* 11. & Valentia 4. *part. disp.* 10. *q.* 1. *puncto* 5. Ledesma 2. *part.* 5. *quæst.* 67. *artic.* 2. Negant autem Sotus *in hac distinct. quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 7. noster Angles *in floribus* 1. *part. de matrimonio, q.* 7. *art.* 1. *difficultat.* 3. Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 2. *& lib.* 12. *c.* 6. Bartholomæus Ledesma *de matrimon. dub.* 72. *conclus.* 6. quos sequitur Sanchez. Et ratio est, quia finis dispensationis in illis cessauit, nempe multiplicatio populi Dei. *Limitandum quoad fideles.* Sed hoc limitandum iudico quoad eos, in quibus non fuit cultus Dei secundùm legem naturæ, aut fides. In aliis autem, in quibus conseruabatur adhuc fides, perinde etiam viguit finis dispensationis: & hoc indicare yidetur Augustinus *lib.* 22. *contra Faustum, cap.* 27. cùm dicit morem fuisse illius temporis, quamuis ambiguum sit, an alludat ad genus Abrahæ tantùm, an ad alios; quamuis ratio hæc, quam adducit, videatur extēdi tantùm ad ipsum Abrahamum, per quam excusat Patres à peccato; & coniicere licet, Pharaonem, & Abimelech, qui Saram in vxorem suam assumpserunt, non fuisse cœlibes, sed etiam habuisse alias; quando autem incepit hic mos, incertum est. *Lamech primus polygamus.* Lamech legitur habuisse duas vxores: in quo, vt dicit Doctor *responsione ad primum in fine*, iuxta secundam sententiam præmissam, ait posse concedi eum peccasse: quia contra Ius naturale, & diuinum; quòd pro illo tempore ante diluuium non videtur fuisse dispensatum, cùm non viguerit idololatria ante diluuium, neque necessitas dispensandi. *Tertullian.* Tertullianus *exhortatione ad castitatem, cap.* 5. *Numerus matrimonij à maledicto viro cœpit, primus Lamech duabus maritatus, tres in vnam carnem effecit*, &c. Idem Isidorus *lib.* 2. *de offic. Eccles. cap.* 19. Nicolaus I. *ad Lotharium*, & habetur 24. *quæst.* 3. *cap. An non districta*, &c. Lamech, & flagitium initiatus esse dignosceris.

Dubium. Si petas, an matrimonium cum pluribus repræsentet coniunctionem Christi cum Ecclesia.

Respondetur quòd non, vt vnius cum vna sponsa; sed quà indissolubile, sic repræsentare. *In polygamia reperiri aliquid Sacramenti.* Significat etiam ex parte vxorum vnionem omnium Ecclesiarum Gentium cum Christo, vt refert Augustinus *de bono coniugali, cap.* 18. & habetur *cap. Acutius, dist.* 26. Hinc euacuatur argumentum, quod aliqui obiiciunt ex defectu significationis in polygamia. Significat etiam vnionem plurium animarum ad Christum mediante charitate.

h *Ad argumenta*, &c. *Ad primum.* Hæc responsio patet ex litera, & ex dictis in corpore quæstionis, quorum est recapitatio quædam, quantùm ad resolutionem principalem. 24 *Ad argumenta principalia.* *Ad secūdum.* Ad secundum pariter respondet, nunquam licuisse de lege diuina, aut naturali vni vxori coniungi simul duobus; & ratio patet ex litera, & ex dictis. *Augustin.* Augustinus *lib.* 3. *de doctrina Christiana, c.* 12. *Sufficiendæ prolis causa erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo; & ideò vnam fœminam maritos habuisse plurimos honestum non erat: non enim mulier eo est fœcundior; sed meretricia potiùs turpitudo est*, &c.

Ad vltimum, respondet vtramque causam requiri, vt licita sit polygamia, nempe necessitatem finis principalis, & diuinam approbationem, & sine istis dicit, vel altera illarum, nempe diuina dispensatione, sine qua non licet; & si præcesserit illa dispensatio, quamuis non sit necessitas finis, sufficit ad contrahendum cum pluribus sine peccato; *Sola dispensatio sufficit.* non tamen sufficit sola necessitas finis principalis sine dispensatione: præsumitur autem Sanctos Patres per diuinam dispensationem, & ex necessitate finis principalis concessam ita contraxisse: quod docet Innocentius III. *cap. Gaudemus*, &c. *de diuortijs*, & passim interpretes contra Manichæos.

25 *De secundis nuptijs.* Hactenus de polygamia, & pluralitate vxorum simul. Obiter dicendum, an secundæ nuptiæ sint licitæ mortuo marito, vxori superstiti, & soluto matrimonio. *Hæresis Cataphrygum.* In hoc fuit hæresis Montani, & Cataphrygum, qui damnabant secundas nuptias. Augustinus *de hæres. cap.* 26. in quo *Error Tertulliani.* errore fuit Tertullianus *lib.* 1. *de Monogamia.* vt idem Augustinus *hæres.* 86. & Catharin. *hæres.* 38. Nouatiani *ex canone* 8. *Niceni.* *Veritas fidei.* Contrarium est de fide, & patet *ad Roman.* 7. *&* 1. *ad Corinth.* 7. *Si dormierit*, inquit, *vir eius, cui vult nubat*, &c. 1. *ad Timoth.* 5. *Volo iuniores nubere.* Nicenum citatum; Florentinum *in Decreto vnionis Armenorum*, consuetudo vniuersalis Ecclesiæ. Augustinus *lib.* 1. *contra aduers. legis & Prophet.* Hieronymus *in Apolog. contra Iouinianum.* Chrysostomus *homil.* 20. *in epistolam ad Ephesios.* *Non datur benedictio in secundis nuptijs.* Verum est benedictionem denegari in secundis nuptiis, quando alteri coniugi in prioribus nuptiis est data, ne repetita in contemptum cedat: nihilque obstat contractui, quia per mortem alterius superstes soluitur obligatione legis, quæ tantùm pro viatoribus data est. Verùm est aliquos Patres improbare secundas nuptias, non tanquam illicitas, sed vt ex nimio affectu libidinis ineantur. Cæterùm in iis vterque finis matrimonij seruatur, & Sacramentum vt causans gratiam, quod non esset verum, si essent illicitæ. Deest quidem significatio perfecta coniunctionis Christi cum Ecclesia, vt *in quæstione sequenti* dicetur; & quamuis aliquæ leges ciuiles statuerint pœnas in secundas nuptias, correctæ sunt per Canones tanquam illicitæ contra libertatem matrimonij.

QVÆSTIO II.

Vtrùm bigamus ante Baptismum, posset post Baptismum ordinari?

D.Thom.*4.dist.27.q.3.artic.2.c.*Acutiùs,*dist.26.quod est* August.*& c.fin.28.dist.* Canonistæ *cap.* Gaudemus,*de diuort.gloss.c.1.dist.26.*Bellarm.*lib.1.de cler.c.24.* Henriquez *lib.14.cap.17.*Sanchius *lib.7. de matrim.disp.83.num.3.* Suarez *tom.5.disp.41.sect.1.* Syluest. *v.* Irregularitas, *quæst.28.*

1 *Argum.1.* AD [1] secundum, arguitur quòd sic, quia secundùm Hieronym. in epistola ad Oceanum, & ponitur dist. 26. cap.1. *Si ante Baptismum coniugem habuit, qua habuit virum, non imputatur ei, cui prorsus nouo, nec stupra, nec alia quæ ante fuerant, obsunt.*

Argum.2. Præterea *dist.* 50. habetur, *Si quis viduam.* & hìc in Gloss. quòd *si ante Baptismum occidit, post Baptismum potest promoueri:* ergo à simili de bigamia ante Baptismum.

Ratio aduer. Contrà, Augustinus super epistolam ad Titum,& ponitur dist.26.cap.2. *Acutiùs intelligunt, qui nec eum qui catechumenus, vel Paganus ante Baptismum habuit vnam, & post Baptismum aliam, ordinandum censuerunt.* Præterea ibidem, *cap. Vna tantùm.* & est Ambrosij de offic. *Ante Baptisma, iterata coniugia prærogatiuæ ordinationis, impedimenta generant.*

COMMENTARIVS.

1 *De bigamia. Controuersia inter Augustinũ & Hieronymum.* [i] AD *secundum arguitur,* &c. In hac quæstione agit de irregularitate ex bigamia, an per Baptismum tollatur, & tangit controuersam quæstionem olim inter Augustinum,& Hieronymũm; ideóque proponit in argumentis subiectis quæsito vtriusque auctoritatem. Tenuit autem Hieronymus bigamiam ante Baptismum contractam in casibus, in quibus post Baptismum induceret irregularitatẽ, per Baptismum deleri *in loco citato* à Doctore, *& 1.ad Timoth.3.* & habetur 28.*quæst.3.cap.1.& in epist.ad Tit.1.cap.* Quem sequitur Maior *in 4.dist.25.q.1.* Glossa ordinaria, & Lyranus *in 1. ad Timoth. 3.* Oppositum tenet August.*loco citato* à Doctore.

SCHOLIVM.

*Bigamia (id est, irregularitas ex defectu significationis Sacramenti) non tollitur per Baptismum. Ita Augustin.de bono coniug.18.& habetur c.*Acutiùs,*dist.26.Ambros.lib.1.de offic. c.vlt.habetur c pen.dist.26.D.Thom.4.dist.27.q.3.art.2.Iuristæ,c.*Gaudemus,*de diuort.Vide Bellarm.1.de cler.c.24.Henriq.lib.14.c.17.n.2.est contra Hieron.vt habetur c.1.26.dist.*

2 *Bigamia nõ tollitur per Baptismũ, irregularitas homicidij sic. Hẽr.quodl. q.20.* HIc [k] sunt duo videnda. Primò,quid tenendum. Secundò,propter quam causam. De [l] primo, concordant omnes, quòd bigamus, siue ante Baptismum, siue post, est irregularis, sicut habetur expresse per capita allegata ad oppositum: homicida tamen ante Baptismum, post Baptismum non est irregularis, sicut habetur expresse in Gloss. dist.50. *Si quis viduam.* vbi Gloss. super illud verbum, *Post Baptismum*, arguit à contrario sensu: ergo si ante Baptismum conscius est homicidij,non obest. Quod autem dicitur ab aliquibus, nullum posse contrahere irregularitatem ante Baptismum; cuius rationem assignant, quia tunc non potest aliquid habere priuationem, quando non est natum habere habitum, sicut catulus ante nonam diem non potest esse cæcus: sed ante Baptismum non est homo capax ordinis.Probatur *Extrà de Presbytero non baptizato, cap. Si quis Presbyter non fuerit baptizatus, baptizetur, & posteà ordinetur.*

3 *Cap. vnico.* Ex quo patet, quòd nihil recepit priùs, quando videbatur ordinari Sacerdos: nam si recepisset Ordinem, non esset posteà reordinandus, sicut habetur *Extrà de clerico per saltum promoto*; vbi dicitur quòd recipiens Ordinem posteriorem sine priori, recipiat posteà Ordinem prætermissum, non iterando posteriorem priùs receptum.

Reijcitur ratio Hẽrici. Potest poni impedimentum habitus, quando non est priuatio eius, Sed hæc ratio non valet: quia etsi priuatio non possit inesse alicui, nisi quando natum est habere habitum; tamen impedimentum habendi habitum pro tempore, quo deberet inesse, potest præcedere tempus habendi habitum: sicut patet in exemplo adducto, quia catulus ante nonam diem potest habere aliquod impedimentum, ne habeat visum, tempore quo sibi competeret: irregularitas autem non est priuatio propriè eius, quod est habere Ordines: sed magis est impedimentum, ne quis sit capax Ordinis pro tempore, quo sibi competeret; ergo potest esse ante Baptismum.

Esto

Esto etiam, quòd priuatio non possit inesse, tamen causa priuationis potest inesse, quando habitus non est natus inesse: & ita hæc irregularitas, quæ est causa priuandi, vel carendi Ordine pro tempore congruo. *Causa priuationis potest inesse, quando habitus nequit inesse.*

COMMENTARIVS.

2 *Ordo quæstionis.* k HIc sunt duo videnda, &c. Diuidit quæstionem in duos articulos: in primo resoluit, quid sit tenendum, in secundo cur non deleat Baptismus irregularitatem hanc ex defectu Sacramenti, seu significationis, sicut tollit alias ex culpa, vt homicidij, vel etiam illam, quæ est ex homicidio licito in iudice, quæ est ex defectu significationis, vt lenitatis.

3 *Conclusio. Manet post Baptismũ irregularitas bigamiæ.* l De primo concordant omnes, &c. Statuit conclusionem, nempe Baptismum non tollere irregularitatem ex bigamia, quam dicit communem. Est Augustini *in epistolam ad Titum:* & habetur *dist. 26. cap. 2. lib. de bono coniugali, cap. 18.* & habetur *cap. Cautius, 28. q. 3.* Aduertendum circa citatiõe priorem, Doctorem desumpsisse illam *ex Glossa ordinaria in epistolam ad Titum,* & ex Gratiano *dist. 26. cap. Acutius, & in collectaneis.* Bedæ *in eandem in c. 1.* Verba tamen sunt Augustini *ex lib. de bono coniugali, c. 18.* est Ambrosij *lib. 1. de officijs, c. vltimo:* & habetur *dist. 26. cap. Vna tantum.* Innocent. I. *epistola 22. cap. 2. ad Episcopos Macedoniæ:* & habetur *cap. Deinde, dist. 26. & epistola 2. ad Victricium Rothomagensem, cap. 5.* habetur *dist. 34. cap. 13. & dist. 50. c. 8. Si quis viduam.* Idem etiam habetur *c. 14. & 15. eodem.* Idem docetur *cap. Gaudemus, &c. de diuortijs,* &c. Quam sententiam Canonistæ sequuntur in illos textus, & Theologi *in 4. dist. 27.*

Secunda conclusio. Tollit Baptismus irregularitatem homicidij. Secunda conclusio est, homicidam ante Baptismum, post Baptismum susceptum non manere irregularem; vt patet *dist. 50. cap. Si quis viduam, v. Post Baptismum,* & Glossa per argumentum à contrario: quia limitatio adiecta homicidio, &, non adiecta bigamiæ diuersitatem hanc inducit: dicitur enim ducens viduam absolutè non admitti ad Ordines, non limitando statum, aut tempus; homicidium tamen post Baptismum factum inducere irregularitatem, & non aliàs. Hæc sententia est communis, cuius rationem *in articulo sequenti* benè assignat Doctor, cur scilicet non maneat irregularitas, seu impedimentum ex homicidio post Baptismum ex defectu lenitatis, maneat autem bigamiæ impedimentum.

4 *Impugnatur ratio Henrici.* In reliquo huius articuli impugnat quoddam dictum Henrici, seu rationem eius pro illa communi sententia: dicit enim nullam irregularitatem incurri ante Baptismum, quia tunc non potest habere priuationem, quando non est capax habitus: ante Baptismum non est capax Ordinis, vt patet *de Presbytero non baptizato, cap. Si quis Presbyter.* Sic etiam catulus non est cœcus ante diem nonum, quia non est capax priuationis, aut habitus ante illum diem: ergo idem de irregularitate. Hoc dictum non impugnat Doctor, quia ipse etiam, & communis admittit neminem esse irregularem antè Baptismum, quia iurisdictio Ecclesiæ non extenditur in infideles, neque inhabilitates, qui foris sunt; ad quos proinde impedimenta per Canones inducta non spectant. Et hanc veritatem supponit impugnatio Doctoris: impugnat ergo non dari sufficientem rationem per hoc ipsius conclusionis, & impugnatio est clara; quia licèt irregularitas nõn possit incurri ante Baptismum, neque priuatio insit ante tempus idoneum, in quo natus est inesse habitus; tamen impedimentũ præcedere potest habitus ponendi, ex quo sequetur priuatio. Deinde, irregularitas non est propriè priuatio Ordinis, sed impedimentum, nè quis sit capax Ordinis pòst Baptismum, & licèt priuatio ante tẽpus, quo natus est inesse habitus, non insit: tamen causa priuationis inesse potest. Quod etiam verum est in proposito: quia defectus significationis potest esse, & inest bigamo ante Baptismum: ergo nequit rectè per illam rationem ostendi; cur non possit etiam manere defectus lenitatis per modum impedimenti, & causæ priuationis Ordinum suscipiendorum post Baptismum, & sic etiam de aliis, quæ sunt ex delicto, aut alia causa, quæ Baptismum præcessit. *Veritas admissa.* *Impedimentum habitus potest ipsum præcedere.*

SCHOLIVM.

Ideò de congruo bigamum esse irregularem, quia non potest repræsentare Christum vnicum sponsum vnius sponsæ Ecclesiæ. Refutat duas opiniones de ratione huius à priori, & resoluit eam esse Ecclesiæ statutum, quo cauetur, irregularitatem bigamiæ per Baptismum non tolli, sicut tollitur irregularitas homicidij, & ponit pro hoc bonam congruentiam.

DE m secundo, aliud est loqui de causa congruitatis, & de causa necessitatis: nam causa quare congruit bigamum arceri ab Ordinibus sacris, vna communiter ponitur ab omnibus, defectus Sacramenti: quam tangit Augustinus *dist. 26. cap. Acutius.* & Ambrosius *ibidem cap. Vna.* Et arguitur sic, Sacerdos tanquam Christi Vicarius in Ecclesia repræsentans personam Christi, non debet habere aliquid repugnans Christo, in comparatione Christi ad Ecclesiam, & è conuerso; nunc autem Christus est vnicus sponsus vnius Ecclesiæ, & Ecclesia est vnica sponsa vnici sponsi Christi: ergo habens oppositum huius non rectè signat, vel repræsentat Christum in Ecclesia; sed bigamus, qui habuit duas, vel vnam, quæ fuit duorum, habet aliquid repugnans isti coniunctioni Christi, & Ecclesiæ: ergo. 4 *Vide D. Th. & Rich. & alios d. 27. huius.* *Bigamus quare nõ ordinandus?*

Sed n quærendo causam necessitatis, propter quam iste necessariò excluditur ab Ordini

Bart. Bri. in decret. dist. 26. super c. Deinde.

Ordinibus, est duplex opinio. Vna, quia per Baptismum deletur peccatum, & sequela peccati propriè; bigamia autem nec est peccatum, nec propriè sequela peccati. Et per hoc respondetur ad illud de homicidio commisso ante Baptismum, quia non est simile: illud enim est sequela peccati, vel peccatum, maximè si peccet in occidendo. Sed quid si occidat iustè, sicut iudex: ergo illud homicidium non deletur quantùm ad irregularitatem? Hoc concedit vnus Glossator, & irrationabiliter: quia tunc esset melior conditio peccantis, quàm non peccantis in simili actu. Alij dicunt, quòd istud homicidium est peccatum hoc modo, quia esset peccatum, nisi esset per circumstantias aliquas excusatum, ideò ex se non exit genus actus peccati.

Bassianus, vt notatur in Decr. d. 50. super c. Super viduam, *super illo verbo*, post Baptismum.

Si quæritur, quare ergo Baptismus non tollit pœnas istius mortalitatis, quæ sequitur peccatum mortale, vel originale? Respondetur, quia non sunt sequela peccati proprij. Stat igitur tota ratio in hoc, quòd Baptismus delet omne peccatum proprium, & quod natum est esse peccatum ex genere actus, nisi circumstantiæ impedirent, & sequelas ad istud: non autem tollit, quod neutro modo est peccatum proprium, vel sequela: & sic est bigamia.

5 Contra hoc, esto quòd bigamus peccet in bigamia, puta in contrahendo illicitè, sequeretur, cùm ille contractus sit peccatum, vel annexum peccato, quòd deleretur. Prætereà Augustinus *in illo cap. Acutius: Fœmina si catechumena vitiata est, non potest post Baptismum inter Dei virgines consecrari.* & tamen possibile est illam corruptionem ante Baptismum fuisse peccatum: ergo non deletur per Baptismum, quantùm ad pœnas proprias correspondentes sibi. Prætereà, si ex ista causa esset necessariò irregularitas in bigamia, quia scilicet non est peccatum, nec sequela, Ecclesia non posset istam irregularitatem tollere, quia non potest tribuere bigamiæ, quòd sit ex se peccatum, vel sequela peccati.

6 Alia º opinio dicit, quòd sicut aliqua est infamia consequens actum ex natura actus, aliqua consequens actum præcisè ex statuto Ecclesiæ: & primam non potest Ecclesia, nec Sacramentum Ecclesiæ tollere, puta Baptismum; secundam potest, ita & de irregularitate: nunc autem bigamia non ex statuto Ecclesiæ, sed ex defectu significationis inducit irregularitatem, quia bigamus non repræsentat Christum, vt est sponsus Ecclesiæ, quomodo Sacerdos debet repræsentare, vel saltem non habere aliquid repugnans illi repræsentationi; homicidium autem non inducit irregularitatem, nisi ex statuto Ecclesiæ, ideò per Sacramentum primum Ecclesiæ, scilicet Baptismum, tollitur, & aliud non.

Nicolaus vt notatur in Decr. d. 50. super c. Quicumque.

Contrà, si irregularitas bigamiæ esset ex aliquo priori quàm ex statuto Ecclesiæ, Ecclesia non posset ibi dispensare, cuius oppositum habetur *distinct. 34. cap. Lector*; vbi Papa Martinus concedit Lectorem, qui duxit viduam, posse in Subdiaconum promoueri, sed non vltra. Sed Glossa dicit ibi, quòd Papa dispensat. Contra Apostolum 1. Timoth. *Vnius vxoris virum*, &c. & dicit Innocentium tenere contrarium, quia non licet dispensare cum bigamo, vt hîc *Extrà de bigamis. Nuper.* Et idem Martinus hoc dicit *dist. 50. Si quis viduam.* Lucius tamen dispensauit cum Panormitano Episcopo, qui fuit bigamus.

1. Timoth. 3.

Sed quædam Gloss. ista concordat, scilicet quòd in primitiua Ecclesia Subdiaconatus non erat Ordo sacer, & ideò Martinus concedit bigamum fieri Subdiaconum, sed vltrà non ascendere. Disputationem contra Glossam istam cuiusdam, qui dicebatur Nicolaus furiosus, habent aliqui libri dist. 59. Quicquid sit, hoc saltem tenet Ecclesia, scilicet nec ad Diaconatum, nec ad Sacerdotium cum bigamo dispensari: nec factum Lucij quantùm ad Episcopum Panormitanum reprobatur in hoc, quasi fecerit aliquid quod facere non potuerit; sed quòd hoc non decuit, nisi ex magna causa.

Bernardus Extrà de bigamis super c. Super eo.

7 Dico ᵖ ergo quòd causa irregularitatis non est nisi ex statuto Ecclesiæ. Sed quare regulariter illa pœna de homicidio perpetrato remittitur in Baptismo, & hæc, quæ ex statuto Ecclesiæ sequitur bigamiam, non remittitur? Causa non est, nisi statutum Ecclesiæ volentis istam pœnam remitti, & non illam. Ista autem ordinatio Ecclesiæ rationabilis est ex hoc, quòd iste homicida non est inhabilis ad Ordines, nisi propter horrorem sanguinis effusi, propter quem horrorem Dauid fuit prohibitus ædificare templum Domino 2. *Reg. c. 7.* iste autem horror tollitur in Baptismo, quia præsupponitur quòd de lupo factus sit agnus: sicut & Paulus ante Baptismum persecutor, post Baptismum factus est ouis, & pastor.

Resolutio Doctoris.

Cùm igitur in Baptismo cesset causa illius inhabilitatis, debet cessare etiam effectus; sed causa inhabilitatis in bigamo ad Ordines non cessat in Baptismo, quia semper

per remanet defectus Sacramenti, id est, significationis, quæ requiritur in Sacerdote repræsentante personam Christi, in comparatione ad Ecclesiam: ideò nec ibi tollitur effectus, nisi posteà per specialem dispensationem.

Ad [q] argumenta. Ad primum, vel Hieronymus negatur, sicut communiter Canonistæ negant eum, tenentes Augustinum: vel potest exponi, crimina non obsunt quantùm ad gratiam recipiendam: obsunt tamen quantùm ad gradum dignitatis in Ecclesia habendum: hæc autem distinctio accipitur *ex illo cap.* Ambrosij *Vna*. *Argum. 1.*

Ad secundum, non est simile de irregularitate ista, & illa, cuius causa dicta est in solutione quæstionis. *Ad 2.*

COMMENTARIVS.

5 m DE *secundo, aliud est loqui*, &c. Hîc assignat *in secundo articulo, seu membro quæsiti* 1. distinctionem inter causam congruitatis, & necessitatis. Causam congruitatis optimè assignat, quia bigamus nequit vt Sacerdos repræsentare Christum in Ecclesia, vt vnum sponsum vnius sponsæ, quia bigamus est diuisus in plures sponsas verè, aut interpretatiuè, & secundùm fictionem Iuris, vt posteà videbitur. Litera est clara, & ratio communis.

Congruitas vnde bigamia post Baptismum maneat ex defectu significationis.

6 n *Sed quærendo causam necessitatis*, &c. Adducit causam huius necessitatis ex quibusdam Canonistis. Ratio stat in hoc, quòd Baptismus tollat omne peccatum, & sequelam peccati, vel eius quod natum est esse peccatum; quod intelligunt tantùm de peccato personali, & non originali. Ideò ergo defectus ex homicidio etiam iusto tollitur per Baptismum, quia est sequela peccati personalis, aut illius actus personalis, qui potest esse peccatum, nisi circumstantiæ excusarent. Hanc impugnat Doctor, quia etiam bigamia posset esse hoc modo ex peccato, sicut homicidium, quia posset esse ex matrimonio illicito, & inualido consummato: ergo tunc esset sequela peccati, & tolli deberet per Baptismum, quod est falsum secundùm opinantes. Deinde, ex Augustino *cap. Acutius*, si catechumena ante Baptismum est corrupta, nequit post Baptismum velari: potuit illa corruptio esse sequela proprij peccati: ergo Baptismus non tollit omnes illas sequelas. Tertiò denique ex hac sententia sequeretur, quòd Ecclesia non posset tollere bigamiæ impedimentum, quia non potest tribuere bigamiæ, vt sit peccatum, vel sequela eius. Hæc tertia ratio Doctoris explicatur quia quod inest independenter ab Ecclesia, nequit tolli per Ecclesiam, nisi virtute Sacramenti; Sacramentum autem Baptismi tantùm applicari potest per Ecclesiam ad tollenda impedimenta, quæ præcesserunt; & hoc nequit tollere, nisi vt institutum est contra peccatum, & sequelam peccati, secundùm opinantem; talis non est bigamia, quæ præsupponitur ad Baptismum; & idem etiam diceretur consequenter de quacũque sequente non posse deleri per pœnitentiam, aut alia Sacramenta. Vnde ex hac sententia sequitur bigamiam esse indispensabilem, & hoc Iure diuino. Econtrà verò defectum homicidij deleri Iure diuino per ipsum Sacramentum; aliàs frustrà recurreret ad Sacramentum, seclusa omni ordinatione Ecclesiæ, vt ostenderet irregularitatem homicidij deleri per Sacramentum: quia est peccatum, aut sequela peccati, & non bigamiæ irregularitatem à sensu contrario.

Causa necessitatis, iuxta sententiam quorumdam.

Impugnatur ratio præmissa.

Tertia ratio explicatur.

Ecclesia delet peccatum per Sacramenta.

7 o *Alia opinio dicit*, &c. Hæc non differt à priori in conclusione: asserit enim vtraque bigamiam esse Iuris diuini, & indispensabilem ab Ecclesia; quamuis hæc aliam causam assignet, nempe ea, quæ ex natura actus sequuntur, non posse tolli per Ecclesiam; huius autem generis est bigamia; quæ autem ex statuto Ecclesiæ sequuntur, Ecclesia potest tollere, & sic irregularitas ex homicidio sequitur, non ex natura actus, sed ex statuto Ecclesiæ, & ideò per Sacramentum primum Ecclesiæ tollitur hæc irregularitas; & non illa. Hanc sententiam, & perinde est de priori, impugnat Doctor ex inconuenienti, quòd scilicet sequeretur Ecclesiam non posse dispensare in hac irregularitate, quod falsum est, vt patet *cap. Lector, dist.* 34. & *cap. Si quis viduam, dist.* 50. Glossa *in cap. Lector.* referens etiam dispensationem factam à Lucio Papa cum Panormitano, qui fuit bigamus; quæ est communis sententia Theologorum, *dist.* 27. & Iurisperitorum *in cap. Lector*; & patet, quia non est hoc contra vllum præceptum legis naturæ, aut diuinum; neque etiam contra præcepta legis nouæ, quæ concernunt Sacramenta, & eorum administrationem; quorum nullum prohibet nè bigamus ad sacros Ordines admitteretur.

Secunda opinio, & ratio aliorum.

Impugnatio.

Inconueniens.

Ecclesia dispēsare potest in bigamia.

Dices cum Glossa *in cap. Lector*, esse contra Paulum, 1. *ad Timoth.* 3. 8

Responsio.

Contrà, Paulus ibi non proponit præceptum diuinum, sed institutionis Apostolicæ, in qua potest Ecclesia dispensare; sicut patet ex Concilio Gangrensi *cap. finali* 82. *dist.* vbi ibi Glossa. Quam etiam dispensationem cõfirmant posteriores Canones, & nouissimè Tridentinum *sess.* 25. *de reformat. cap.* 14. Canon Apostolicus deponendum præcepit Presbyterum in fornicationem lapsum; quem rigorem temperauit Syluester Papa, & Clemens, & Calixtus, vt ibi Concilium: nec obstat *cap.* 2. *de bigamis*, vbi dicitur non licere dispensare, quia, vt benè Doctor in litera, non licet sine magna causa, quia difficilis dispensatio censetur impossibilis præsumptione, & interpretatione Iuris; accedente tamen causa licet dispensare per Pontificem, non per alios inferiores, maximè in bigamia vera, & notoria.

Ecclesia potest in constitutionibus Apostolicis dispensare.

p *Dico ergo quòd causa irregularitatis*, &c. Hîc statuit conclusionem huius articuli, nempe causam irregularitatis bigamiæ esse ex defectu significationis, & ante Baptismum independenter à constitutione Ecclesiæ; irregularitatem autem esse ex solo statuto Ecclesiæ, quo voluit remanente causa eum non promoueri ad sacros Ordines: quam causam non tollit Baptismus; tollit autem causam, seu defectum significationis homicidij, quæ oritur ex horrore sanguinis, 9

Cõclusio Doctoris.

Causa vera assignatur ex statuto Ecclesiæ.

propter mutatum statum homicidæ per Baptismum, ex lupo in agnum, &c. sic deposita feritate induit lenitatem, quæ tollit priorem defectum: & sic rationabiliter Ecclesiæ statutum diuersum fundatur.

10 *Responsio ad argumenta.*

q *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Explicat Hieronymum ex Ambrosio, quem communiter tamen negant Canonistæ præter opinantes superiùs impugnatos: & ad secundum, negat paritatem inter irregularitatem ex defectu significationis in homicidio, & bigamia.

Diuisio bigamiæ.

Petes quis possit dispensare in irregularitate bigamiæ? Triplex genus bigamiæ aliqui Doctores assignant cum Speculatore, *tit. de dispensatione.* Primum est bigamiæ veræ, qua quis duplex matrimonium contrahit, & consummat. Secundum est bigamiæ interpretatiuæ, vt cùm duplex matrimonium quis init, & consummat, quamuis vtrumque, vel alterum fuerit inualidum. Vel quando ducit viduam, vel quando propriam vxorem post adulterium cognoscit. Tertium genus bigamiæ dicitur similitudinariæ, vt quando constitutus in Ordine sacro, aut professus in Religione ducit etiam virginem, & consummat cum ea matrimonium. Hanc speciem aliqui reducunt ad priores. Sed parùm hoc refert: quia diuersam habet legem, siue sic, siue aliter dicatur. Nulla harum incurritur, nisi interuenerit consummatio matrimonij, vt patet *cap. Debitum, de bigamis.* Cuius ratio assignatur, quia matrimonium ratum, & non consummatum non significat vnionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem. Idem patet *cap. finali, dist. 34.* vbi contrahens cum vidua, quam non cognouit, non fit irregularis. Contrarium huius docuit Magister *dist. 27.* Idem tenetur non solùm in bigamia vera, sed etiam similitudinaria contra Rosellam *v. Bigamia*, vt communiter Doctores tenent requiri in hac etiam copulam. Neque obstat *cap. Quotquot, 27. q. 1.* quia ibi loquitur textus de transgressione voti secuto effectu, scilicet consummationis: loquitur enim de matrimonio, vt communiter intelligitur, consummato, *Quotquot*, inquit, *virginitatem pollicitam præuaricatæ sunt professione contempta; inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierant, haberi debebant*, &c. ad bigamiam autem in his requiritur consummatio matrimonij in vtrisque nuptiis: ergo in iis, qui perinde se habent, vel inter illos numerantur: & requiritur non solùm consummatio in bigamia vera, sed etiam similitudinaria, vt irregularitas hæc incurratur; licèt in foro externo purgari debeat præsumptio, & probari contrarium, quia ad defectum significationis requiritur, vt quis suam carnem diuidat per copulam, vt patet *locis citatis suprà.*

Bigamia vera. *Interpretatiua.* *Similitudinaria.* *Non incurritur ex matrimonio tãtùm rato.*

11 *Defectus significationis in his speciebus aliter inuenitur.*

In primo genere bigamiæ vera significatio deest. In secundo verò, etsi contractus sit nullus quoad vnam, vel quoad vtramque, deest significatio interpretatiuè, quantùm ad affectum secuto facto. Hic casus non reperitur expressus in Iure, sed eum communiter Doctores deducunt *ex cap. Nuper*, &c. *de bigamis*, &c. vbi declaratur ille esse bigamus, qui ante sacrum Ordinem contraxit matrimonium, & post sacrum Ordinem contraxit alium non ob defectum Sacramenti, cùm posterius fuerit irritum: sed ob intentionis affectum ad duo matrimonia cum opere secuto per consummationem; ita communis: meritò enim hanc inhabilitatem induxit Ecclesia, quia talis quantùm ad intentionem, & factum, caret significatione, licèt de Iure non ita, cùm secundum matrimonium fuerit nullum.

Bigamia sequens ad matrimonium cum corrupta.

Tertium genus habetur *in multis Canonibus in dist. 34. vt cap. Curandum, cap. Præcipimus, cap. Si quis viduam, 1. & 2. eod. cap. Si quis viduam, dist. 50. cap. Qui in aliquo crimine, dist. 51. c. Qualiter 30. q. 5. cap. Nemo, dist. 32. cap. Matrimonium, dist. 32. cap. 1. de bigamis. & cap. Debitum, eodem cap. de clericis coniugatis in 6.* perinde est quòd corrupta fuerit aliàs corrupta interueniente matrimonio, siue per fornicationem ab alio cognita: neque ignorantia ducentem excusat, quamuis existimauit se ducere virginem: quia irregularitas est ex defectu significationis, & nequit repræsentare vnionem Christi cum Ecclesia virgine. An requiratur vt matrimonium sit in re validum? Aliqui tenent non esse irregularem, quando est nullum: ita Nauarr. *in Summa Latina, cap. 27. & lib. 1. consil. cons. 1. de bigamis*, citans decisionem Pœnitentiariæ Apostolicæ; & ita plures moderni. Sed antiquiores, vt Richardus *dist. 27. art. 4. quæst. 3.* Paludanus, Couarruuias *in clement. Si furiosus*; & alij tenent contrarium argumento *cap. finalis, de bigamis*, vbi declaratur clericum in sacris Ordinibus contrahentem fieri bigamum: quia ille clericus contraxit quidem ante Ordines verum matrimonium, post Ordines autem, & si nullum fuerit matrimonium, tamen intentio opere secuto declaratur sufficere, supposito priori matrimonio. Hic autem non fuit matrimonium in re ipsa validum, & vnicum fuit: pro qua sententia facit communis decisio Doctorum, qui asserunt ex duobus matrimoniis in re ipsa inualidis contrahi irregularitatem argumento illius capitis: nam si requiratur, vt matrimonium sit in re ipsa validum, siue vnum, siue plura matrimonia init contrahens, perinde est, quia non perdit significationem Sacramenti, cùm nullum verum fuit matrimonium. Quam sententiam tenet etiam Goffred. *in Summ. tit. de bigamis.* Hostiensis *ibidem.* Albericus *in suo dictionario litera B, v. Bigamus.* Summa Astensis.

An matrimoniũ in reipsa validum requiratur? *Sententia affirmans.* *Sententia negans.* *Puniri affectum opere secuto.*

Alia est difficultas, An qui à se defloratam posteà ducit, fiat bigamus? Aliqui affirmant Glossa *in cap. Maritum, verb. Concubinam, dist. 33. & in cap. Nemo, dist. 32.* Negatiua est communis, quia ille non diuisit carnem suam cum alia, neque vxor etiam cum alio, & matrimonium sequens purgat vitium antecedens retrotrahens contractum, *c. Tanta, qui sint filij legitimi.*

Defloratam à se ducens an sit bigamus?

12 *Bigamia ex copula cum vxore adultera.*

Vltimum genus huius bigamiæ habetur *c. Si cuius, dist. 34.* ex Concil. Neocæsariensi *can. 8.* neque refert siue sciuerit adulterium, siue non, vt communis tenet: sicut etiam si quis ducit corruptam, putans esse virginem: hæc enim bigamia non est pœna, sed defectus Sacramenti.

Bigamia similitudinaria. Qualis est?

Bigamia similitudinaria ad prædictas confertur tanquam aliquo modo participans naturam earum; an autem dicatur per modum pœnæ ob peccatum contra votum professionis, & sacro Ordini adiectum, an autem ex defectu aliquo significationis, variant Doctores. Quod ad rem attinet, non refert, modò admittatur esse irregularitas. Similitudinaria dici potest ob eundem effectum, & præterea etiam quia à matrimonio

Habet defectum significationis.

monio

monio spirituali per consensum, & votum inito, est transiens ad matrimonium corporale, in quo diuidit vinculum, seu consensum interiorem, quo Christo, & Ecclesiæ ligatur, admittens aliud quantùm ad intentionem, & affectum subsecuta copula intuitu matrimonij carnalis contracti, licèt fuerit nullum Iure ob impedimentum voti solemnis, aut Ordinis sacri. De irregularitate, quam contrahunt ordinati Ordine sacro per matrimonium, habetur *cap. Nuper*, &c. *de bigamis in fine*. Idem de Religiosis asserunt Doctores *ex cap. Quotquot citato*, 27. *quæst*. 2. quamuis ibi sit sermo per se de virginibus, quia par ratio est, & quod impedit fœminas religiosas inter Virgines, aut Diaconissas numerari, idem etiam ex simili extensione transgressionis, & seruata proportione in hoc facit viros irregulares, quando contrahunt contra votum.

13 His positis, respondeo ad dubium, posse Pontificem in omni irregularitate dispensare; de aliis inferioribus Prælatis, aliqui negant; aliqui affirmant. Communis sententia est ad Ordines sacros, saltem Diaconatus, & Presbyteratus non posse alium, quàm Pontificem dispensare; & hanc supponit Doctor *in textu*, §. *Sed quædam Glossa*, &c. vbi in his non solere Ecclesiã dispensare docet. In iis autem casibus, in quibus Ecclesia non solet dispensare, censetur reseruari ius soli Pontifici. Quoad minores Ordines docetur Episcopum posse dispensare *ex cap. Lector*: aliàs enim fuit prohibitio generalis excludens bigamos ab Ordinibus quibuscumque. Hic autem ex indulto Martini Papæ permittitur, vt maneat Lector: lex ergo generalis tenet, nisi in iis, in quibus derogatur. Hinc autem rectè colligitur, non licuisse aliàs Episcopis ordinare bigamos in vllo gradu Ordinis; hîc conceditur, vt in minoribus possint ordinare. Manet ergo lex generalis quoad alios gradus non concessos. In hoc capite permittit Pontifex, si necessitas vrgeat, vt promoueatur in Subdiaconum; nihil autem supra recipiat. Vnde rectè colligitur legem illam Apostolicam à pluribus Pontificibus, & Conciliis approbatam, & receptam obtinere etiamnum in iis, in quibus non fuit relaxata.

Quis dispensare potest. Põtifex tantùm quoad maiores.

Episcopus quoad minores.

Concessio specialis derogat generali.

De Subdiacono est controuersia; aliqui enim putant, nec nunc Subdiaconum facere bigamum etiam posse Episcopos: quia post illam concessionem Martini factus est Ordo sacer; ac proinde cum aliis eandem legem sortitur. Ita Sanchez *lib*. 7. *disput*. 86. *num*. 14. Sed hæc ratio non subsistit, quia diu ante Martinum Subdiaconatus fuit Ordo sacer, nam & Concilium Ancyranum circa tempora Niceni præcepit continentiam Subdiaconis *can*. 33. & Concilium Africanum VI. cui interfuit Augustinus *cap*. 28. Idem statuit Leo Papa I. *epistola* 84. aliàs 82. huius tanquam vniuersalis, & antiquioris in Latina Ecclesia obseruatæ meminit. Idem supponit Gregorius Magnus *lib*. 1. *epistolarum*, *epist*. 42. & refertur *can. Ante triennium*, *dist*. 31. *& lib*. 3. *epistolarum*, *epistola* 34. & refertur *can. Multorum*, 27. *quæst*. 2. qui omnes præcesserunt Martinum. Non ideò ergo tunc Martinus *in*

An concessio Martini nũc valeat quoad Subdiaconum. Sententia negatiua. Impugnatur. Subdiaconatus fuit sacer ante Martinum.

præfato canone Lector, dedit hanc facultatem Episcopis, quia suo tempore non fuit sacer Ordo Subdiaconatus, voto cõtinentiæ ei adiecto, sicut & aliis superioribus; ac proinde cùm non reperiatur hæc concessio per aliam posteriorem correcta, non est quòd censeatur Iure reuocata. Alludere videtur Martinus ad cap. 3. Toletani I. in quo prohibetur Lector ducens viduam alterius, ampliùs promoueri, nisi fortè fiat Subdiaconus. Restringit tamen Martinus Canonem ad casum necessitatis, & retinet illam facultatem, postquàm inter sacros Ordines Subdiaconatus relatus est.

Scopus Martini.

Quantùm ad similitudinariam potest Episcopus peracta pœnitentia dispensare in ea irregularitate, quantùm ad hoc vt ministret in Ordine suscepto irregularis, vt patet *cap. Sanè Sacerdotes*, &c. *de cleric. coniugatis*, &c. *& indulgentia*, inquit, *sui Episcopi eius habere executionẽ*, &c. Supple poterunt executionem Ordinis suscepti habere. Hoc à quibusdam limitatur ad casum, quo cum virgine contraxerunt, & non cum vidua, aut corrupta, ne repugnet *c. Nuper*, *& cap. finali, de clericis*, &c. in quibus dicitur non licere dispensare, quando cum viduis, aut corruptis contraxerunt. Sed hoc non videtur cohærere, quia *cap. Sanè Sacerdotes*, &c. est Alexandri III. *c. Nuper, & finale, de bigamis*. Innocentij III. qui fuit posterior, ideóque potiùs statutum eius est correctio prioris, quia Decreta absolutè loquuntur; neque est inconueniens, vt posterius repugnet priori, eidémque deroget. Dici potest tamen decreta Innocentij intelligi absolutè, quantùm ad promotionem ad vlteriores Ordines, & etiam quantùm ad impedimentum incursum; quo Iure remouentur à ministerio in receptis: quia hi sunt actus, qui proponuntur, & de quibus quæritur quid iuris: non derogant ergo priori decreto, quia casus est diuersus, & spectans restitutionem supposita pœnitentia. Prior interpretatio est Glossæ *in cap. Sanè Sacerdotes*; quam sequitur Sanchez, & Couarruuias *Clementina si furiosus*, & plures alij. Vide *c*. 2. *Qui cler. vel voventes*. An autem Episcopi possint cum talibus dispensare, vt promoueantur ad alios Ordines, non reperio concessionem, nisi dicatur, quòd facultas dispensandi in restitutione supposita pœnitentia etiam extendatur ad promotionem quoad alios Ordines. 14

Dispẽsare potest Episcopus, vt in receptis ministret.

Limitatio.

Reijcitur.

Concordãtur decreta.

An possint Episcopi dispensare, vt ad alios ascendant.

Cæterùm, cùm decreta vniuersalia subtrahant auctoritatem Episcopis, & præfata statuta concedant auctoritatem in specie ad restitutionem in gradibus susceptis, & ministerium in iisdem, non videtur Iure concessa facultas promouendi, quia hæc maior est, & minùs conueniens, nisi fortè ex consuetudine habeant illam facultatem. Neque refert hanc irregularitatem esse ex delicto per modum pœnæ, & si occulta sit, posse dispensari ab Episcopo ex concessione Tridentini *sess*. 24. *cap*. 6. quia hæc concessio ad occultas tantùm referri potest. Cæterùm, sententiæ communi Doctorum in hoc standum est, quorum interpretatio praxim sequitur, vel inuectam approbat, aut certè nouam inducit. 15

Sequẽda praxis, & sententia cõmunis.

QVÆ

QVÆSTIO III.

Vtrùm in lege Mosaïca fuerit licitum repudiare vxorem?

D. Thom. *in addit. q. 67. art. 2. & hic q. 2. art. 1.* D. Bonau. *art. 3. q. 1. 2. 3.* Durand. *quæst. 4.* Paludan. *quæst. 1.* Bellarm. *lib. 1. de matrim. c. 17.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 15.*

1 *Argum. 1.* DE [r] repudio, quæro, vtrùm in lege Mosaïca fuerit licitum repudiare vxorem? Quòd sic. Deuter. 24. *Si acceperit homo vxorem, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, scribet ei libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittit eam de domo sua.* Præterea Malach. 2. *Cùm odio habueris vxorem, dimitte eam, dicit Dominus Deus Israël.*

Argum. 2. Præterea, Extrà de regul. Iur. *Per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissoluitur:* sed matrimonium nascitur per consensum mutuum: ergo dissolui potest per dissensum mutuum.

Argum. 3. Præterea *distinct. 34. Si cuius. Si in clericatu marito constituto, vxor adulterauit, dato repudio eam dimittere debet:* ergo repudium vxoris est licitum, etiam in lege Euangelica.

2 *Ratio ad opp.* Contrà, quia videtur esse contra legem naturæ, quam promulgauit Adam, Genes. 2. *Adhærebit homo vxori suæ,* ex qua Christus concludit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

Præterea, contractus matrimonij est essentialiter datio potestatis proprij corporis alteri irreuocabiliter, pro potestate corporis illius alterius: ergo nulla accommodatio, vel datio ad tempus potest esse matrimonium; sed si repudium licet, talis contractus non est nisi ad tempus, quia si perpetuò fuisset; ergo repudiata maneret vxor, & tunc illicitè dimitteretur. Sequitur ergo quòd si repudium fuit licitum in lege Mosaïca, quòd ibi nullum fuit matrimonium.

Præterea, nunquam licuit mulieri repudiare virum: ergo nec è conuerso, cùm quantum ad ea, quæ sunt coniugij, ad paria iudicentur.

COMMENTARIVS.

1 *De repudio.* r DE *repudio quæro, &c.* Hæc quæstio est controuersa inter Patres, & etiam ipsos Theologos; ac proinde problematicè eam tractat Doctor, respondens argumentis vtriusque partis, sicut & D. Thomas & Richardus *loco citato* à Scholiaste. *Controuersia.* Alij sunt in extremo: quidam enim putant repudium in lege Mosaïca fuisse illicitum, sed toleratum, vt minus malum, quàm vxoricidium. Quidam docent fuisse licitum. Authores mox citabimus iuxta sententias eorum, quas subiicit Doctor.

SCHOLIVM.

Prima sententia, repudium in lege, non fuisse licitum, sed tantùm propter duritiam Iudæorum permissum. Ponit huius rationes, quam tenent Hieron. lib. 1. in Matth. cap. 5. & lib. 3. cap. 19. Gloss. ordin. in id Matth. 5. Det eis libellum. *Magister hîc, & D. Bonau. art. 3. quæst. 1. Alens. 3. part. quæst. 46. memb. 2. art. 1. Couar. 4. Decret. 2. part. cap. 7. §. 4. Nauar. 3. cons. de conuers. infid. con. 3.*

3 *Rich. præsenti dist. art. 3. q. 1.* HIc [s] dicitur quòd repudiatio vxoris, etiam in lege Mosaïca, fuit illicita. Quod probatur primò, auctoritate Christi reprobantis illam, Matth. 19. *Dico vobis, quòd quicumque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, mœchatur, & qui duxerit dimissam, mœchatur.* Probatur hoc etiam per rationem, quam Christus pro se adducit, quæ est talis, à principio coniunxit Deus masculum & fœminam contractu matrimonij, vt patet ex verbo Adæ, & infert Christus: *Ergo quod Deus coniunxit, homo non separet.*

Probatur tertiò ex responsione Christi ad quæstionem Pharisæorum: cùm enim obiicerent: *Cur ergo mandauit Moyses dare libellum repudij, & dimittere?* ait illis, *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit dimittere vxores vestras; hoc autem ab initio non fuit sic.* Et Gloss. interlin. super illud: *Permisit Moyses, non Deus.* Et dicit Gloss. quòd fuit consilium hominis, non Dei imperium. Et Magister 2. cap. huius distinct. *Hoc fuit à Moyse permissum, non vt concederetur diuortium, sed vt tolleretur homicidium.* & Augustinus

gustinus in lib. de sermone Domini in monte. *Non qui præcepit dare libellum repudij, hoc præcepit, vt vxor dimittatur: sed qui dimiserit* (inquit) *det libellum repudij, vt iracundiam temerariam eÿciendi vxorem libelli cogitatio temperasset.* Quod intelligi potest eo modo, quo Ambrosius præcepit Theodosio. Namque propter quandam crudelitatem ex præcepto eius impetuoso, perpetratam, voluit Ambrosius vt ipse legem conderet, ne quis minister præcepta eius crudelia infra triginta dies exequeretur, si fortè infra tempus illud ira eius quiesceret, & sententiam temperaret. & subdit Augustinus vbi priùs, *Qui priùs dimittendi quæsiuit moram, significauit quantùm potuit duris hominibus se nolle dissidium.* Præterea, *Extrà de diuort.* repudium vxoris veritas in Euangelio reprobauit.

COMMENTARIVS.

2 *Sententia negans eã fuisse licitam.*

HIc dicitur quòd repudiatio vxoris, &c. In hac sententia fuit Hieronymus *lib. 1. in Matth. cap. 5. & lib. 3. in cap. 19.* Glossa ordinaria *in Matth. 5.* Lyranus noster *in vtroque loco. & Deuteron. cap. 24.* Magister *in hac dist.* Alensis *3. part. q. 48. memb. 2. art. 1. 2. & 3.* Gulielmus Parisiensis *de Sacramento matrimonij, cap. vltimo.* Mayron. *in 4. dist. 35. quæst. vnica.* Sotus *in hac dist. quæst. 2. art. 2. conclus. 2.* Arboreus *lib. 16. Theosophiæ, cap. 2.* Noster Castro *de leg. cap. 11.* Viguerius *2. part. Instructionum, cap. 16. impedimento 10.* Carthusianus *in 19. Matth.* Hugo *in cap. 24. Deuteron. & ibidem.* Gagnerus *Glossa cap. Cùm in lege 23. q. 4.* Innocentius *cap. Gaudemus, de diuortijs.* Hostiensis *ibidem.* Cardinalis, Alexander de Neuo. Archidiaconus *cap. Qui peccat, eod. Glossa 23. quæst. 4.* Tiraquellus *lib. 9. connub. num. 5.* Nauarrus *lib. 3. Consiliorum, de conuers. infidelium, cons. 3. in 2. editione.* Couarruuias *in 4. Decret. 2. part. 2. cap. 7.* Fundamenta huius sententiæ optimè ponderat Doctor, ex Scriptura & ratione, vt patet, &c.

SCHOLIVM.

Sententia tenens licitum fuisse olim repudium, quia quos Moyses separabat, Deus approbabat; hæc est satis communis quoad primam partem. D. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 5 ad 3. Durand. hic quæst. 3. Paludan. q. 1. art. 2. Maior. q. 2. Gab. q. 1. art. 1. Henriquez de matrim. lib. 11. cap. 8. num. 13. Bellarm. 1. de matrim. c. 17. & alÿ: & hanc partem tenet Doctor, quia scilicet Deus dispensauit ad repudium, sicut ad polygamiam.

ALia [t] opinio dicit, quòd datio libelli, & repudiatio vxoris licita fuit pro tempore legis Moysi: quia Moyses promulgauit legem Dei, & ideò quos ipse coniunxit vt legislator & pronuntiauit, & Deus coniunxit: & quos separauit, Deus separauit: Deus autem potest separare matrimonialiter coniunctos. Præterea secundùm Augustinum in epistola I. ad Hieron. & ponitur in Canon. dist. 9. *Si ad sanctas Scripturas admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis?* quasi dicat, nihil. Et ratio est, quia quæcumque auctoritas adducatur ad repellendum hæresim: respondebitur illud esse dictum mendaciter iocosè, sicut & illud alibi: ergo à simili in Scriptura nulla auctoritas præceptiua auctoritatem habebit; & consimiliter de consiliis, si aliquod consilium datum in Scriptura non esset salubre, vel vtilius ad seruandum, nulla esset auctoritas obseruationis in Scriptura: ergo à simili, si aliqua concessio sit in Scriptura de aliquo illicito, sicut ista, sequitur quòd nulla concessio simpliciter auctoritatem habeat, quod concessum sit licitum. 4 *Rich. vbi suprà.*

Præterea, lex iusta non debet directè dare occasionem peccandi mortaliter; sed ista concessio videbatur directè esse occasio Iudæis dimittendi vxores: si enim hoc non fuisset scriptum, non magis dimisissent, quàm Patres ante legem Moysi: ergo vel hoc non erat peccatum mortale, vel lex non erat iusta. 5

Modus conueniens, quo ista opinio teneri posset, est iste: completa iustitia non est in ista commutatione, vel contractu matrimoniali, nisi ex ratificatione diuina, licèt ante in ea inueniatur illud, quod sufficit ad iustitiam ex parte commutationis, & commutantium: & quandocumque talis iustitia inueniri potest in commutatione, rationabile est Deum ratificare eam: sed sicut commutatio corporis viri pro pluribus corporibus mulierum, est iusta, quando talis commutatio est necessaria ad procreationem prolis; & ideò tunc iustè Deus dispensauit, & approbauit bigamiam, propter maius bonum proueniens, quàm esset ex alia parte commutando vnicum pro vnico, & commutantes deberent sic velle commutare secundùm rectam rationem: ita in proposito propter maius malum vitandum, quàm sit bonum indissolubilitatis coniugij, potest Deus dispensare, vt fiat contractus ad tempus, donec mulier displiceat viro: & in hoc saluatur iustitia aliqualiter, quia non tantùm propter maius bonum

Rationes dispensationis ad repudium.

Repudium cõcessum ad vitandũ vxoricidium.

num consequendum, sed etiam propter maius malum vitandum, debent partes velle sic commutare; maius autem malum est vxoricidium, quàm dissolubilitas, quia illud esset magnum malum pœnæ vxoris interfectæ, & graue malum culpæ interficientis: & esset malum toti Reipublicæ, quia occasio continuæ discordiæ, & pugnæ propter iram parentum vxoris, ad interfectorem: & in hoc continua familiæ dissipatio, quia viro interfecto ab aduersariis, vel à lege, destrueretur familia eius, & educatio prolis.

COMMENTARIVS.

3 *Sententia affirmatiua.* ALia opinio dicit, &c. Hæc dicitur Authoris imperfecti inter opera Chrysostomi *homil.* 34. *in Matth.* Tenet Albertus Magnus *in hac distinct. art.* 25. Durandus *quæst.* 3. Paludanus *quæst.* 1. *art.* 2. Maior *quæst.* 2. noster Medina *lib.* 4. *de sacrorum hominum continentia, c.* 10. noster Angles *in floribus* 1. *part. in* 4. *de matrim. quæst.* 7. *de bigamia, art.* 2. *difficultat.* 2. *conclus.* 1. Bellarmin. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 17. Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 8. Probabiliorem sentit Sanchez *lib. de matrim. disput.* 1. & plures alij, quos *ibidem* citat. Optimè hanc sententiam probat Doctor; primò, quia id promulgauit Moyses *Deuteron.* 24. & argumenta à simili, ex auctoritate Augustini; quia sicut mendacium quodcumque à Scriptura reiicitur propter auctoritatem eius quoad veritatem, & faciendam fidem, ita à simili cùm Scriptura sit regula faciendorum, ostendens quid licitum, quid non sit licitum; & secundùm voluntatem Dei, derogaret eius authoritati, si quid consuleret, quod non esset salutare, & vtilius ad vitam; & consequenter quòd si illa concessio non sit de licito, idem sequetur in aliis. Item, quia nulla lex iusta debet dare occasionem peccandi. Ex hac lege Deuteronomij Iudæi admiserunt repudium, quod aliàs Patres non admiserunt.

Fundamenta huius.

Mendacium alienum à Scriptura, & error in practicis.

Lex non suadet malum.

4 *Fuisse dispensationem.* Tandem adducunt alij quòd verba legis non permissionem, sed concessionem sonent. Vltimò addit Doctor ad veritatem huius sententiæ requiri diuinam dispensationem, sine qua nequit sustineri: & hoc admittunt auctores moderni, qui eam tenent. Quam declarat Doctor ex hoc, quòd completa iustitia non sit in matrimonij contractu, nisi vt ratificatur à Deo; licèt ergo commutantes transferant potestatem sui, quantùm est ex consensu eorum intantùm valet, inquantùm illa permutatio est conformis legi diuinæ; insolubilitas autem matrimonij est ex lege Dei, sicut & monogamia. Sicut ergo pro congruitate temporum, & finis, dispensauit in hoc, ita etiam dispensare potest in solubilitate matrimonij, quod fecit in lege ad maius malum euitandum, propter duritiem cordis Iudæorum; minùs enim malum est Reipublicæ, & vxori, vt solui possit matrimonium, quàm vt occideretur. *Finis dispensandi.*

Quòd si ad congruentiam ex significatione mystica recurrere libet, quoniam matrimonium significat vnionem Christi cum Ecclesia indissolubilem; quæ vnio eius cum Synagoga ex reprobatione illius populi erat soluenda; sic etiam interpretari licet præfiguratam fuisse in illo libello repudij, & antiquandas fore figuras eius adueniente veritate, quam ipsi non erant recepturi. Sic Paulus ad Hebræos discurrit de vtroque Testamento, & de filio ancillæ, & liberæ, vt ostendat vetus Testamentum finem accepisse, adueniente nouo, & Sacerdotium Leuiticum commutatum fuisse in illud, quod est secundùm ordinem Melchisedech, & in æternum. *Significat repudij.*

SCHOLIVM.

Deum dispensasse ad repudium propter maius malum vitandum, sicut in polygamia ad maius bonum consequendum; & soluit exactissimè argumenta vrgentia pro prima sententia, adducta num. 3. sed in fine quæst. ostendit se in hac quæst. problematicum, & sic est D. Thom. hîc quæst. 2. artic. 2. & Richard. art. 3. q. 1. soluit ergo argumenta posita num. 1. probantia repudium fuisse licitum.

6 *Ad argumenta primæ sententiæ posita n. 3.* SIc [u] ergo posset dici, quòd sicut Deus dispensauit in bigamia propter maius bonum: ita cum ista gente, in repudio propter maius malum vitandum. Et tunc ad illa, quæ adducuntur pro prima opinione, potest dici, quòd Christus promulgauit illud pro tempore legis suæ, scilicet Euangelicæ, ita quòd sicut ipse reduxit matrimonium eo modo, quo institutum fuit in lege naturæ, vt scilicet esset vnius cum vna, cùm tamen in lege Mosaïca esset licita bigamia: ita etiam reduxit matrimonium simpliciter perfectum, id est, indissolubile pro lege sua, sicut institutum fuerat in lege naturæ: & ita irritat pro lege sua contractum illum, qui licuit pro lege Mosaïca, qui erat accommodatio corporum ad tempus ad procreationem prolis, quousque scilicet mulier esset gratiosa in oculis viri, sicut & multas alias imperfectiones licitas sub Moyse, euacuauit Christus, reducendo ea, quæ erant permansura ad perfectiones in lege sua.

Ad probationem ergo Christi, patet quòd loquitur pro lege naturæ: & in hoc sufficienter refellit Pharisæos, quòd ipsi non obseruabant matrimonium, sicut erat in lege naturæ, & ostendebat se rationabiliter statuere inseparabilitatem pro lege sua, quia hoc consonum est primæ institutioni in lege naturæ.

Ad aliud de responsione Christi ad Pharisæos, *Ad duritiam cordis vestri permisit:* quod multi ponderant, quòd fuerit tantùm permissio, non concessio. Dico quòd Christus per verbum *permisit*, intelligit, quòd Moyses hoc non præcepit, nec consuluit, nec approbauit, sed tanquam ex quadam necessitate licitum, non prohibuit: nec hæc est solùm permissio, seu dissimulatio cuiusdam illiciti; hoc enim nihil aliud est dicere, quàm quòd Moyses permitteret ire ad damnationem, & non nuntiaret eis, quòd ista esset via damnationis, imò magis insinuaret eis oppositum, quod nullus iustè legislator potest facere etiam in legibus humanis, quæ multa mala dimittunt inulta, secundùm Augustinum 1. *de lib. art. 6.* & si enim legislator non puniat omne malum, & ita permittit, quia non punit, tamen nullo modo in lege sua illud concedit. Vnde iniusta esset lex humana, vel eius lator, qui, vel quæ scriberet aliquid, quod esset contra illam legem. 7

S. Bonau. in præsenti distinct. art. 3. q. 1. & 2.

Quod autem additur ibi, *ad duritiam cordis vestri*, non concludit hoc esse illicitum; quia frequenter duritia subditorum est causa, vt aliquid relaxetur eis, quod aliàs esset eis vtile non relaxari, si essent tractabiles: sicut Prælatus videns collegium pronum ad aliquid, cuius oppositum esset honestius, & vtilius seruare, etsi posset illud oppositum statuere vtiliter, si subditi essent faciliter inclinabiles; potest tamen non statuere: vel si statutum est, relaxare verè potest, & hoc iustè, nè stante illo, ipsi multipliciùs peccent.

Duritia subditorum sæpè causa est legis relaxationem.

Ad illas Glossas, prima videtur neganda: quia Moyses vt legislator non erat nisi præco Dei. Sed qui vult exponere illam, potest dicere, non Deus, scilicet immediatè præcipiendo Moysi inter alia præcepta. Vnde nunquam in quatuor primis libris Legis inuenitur Deum hoc præcepisse Moysi, nec alij. Ideò istud magis præcisè Moysi est imputandum, sicut omnia quæ sunt in Deuteronomio, & non alibi, quàm illa, quæ alibi locutus est Deus ad Mosen. Et est hæc ratio congrua, quia laxationes pertinentes ad industriam humanam, Deus non ita voluit ponere in Scriptura tanquam à se prolatas, sed sicut à seruis suis. Vnde & subleuationem laboris Moysi, qui tota die sedebat ad iudicandum populum, Deus non per se immediatè expressit, sed Iethro cognatus Moysi, tanquam ad humanam industriam pertinens, expressit. 8

Magis Moysi tribuūtur contēta in Deuteron. quàm in alijs quatuor libris.

Ad aliam Glossam facilè est respondere, quia nihil dicit contra opinionem istam: verum est enim quòd non fuit Dei præceptum dimittere, sed si dimitteret, quòd daret libellum repudij: sed fuit consilium hominis, non sicut hominis, sed sicut præconis legis diuinæ. Ad illud Augustini, concedo, quòd ex mora illa, quam iniunxit in scribendo libellum, insinuauit, quòd absolutè displicebat sibi dimissio illa, non solùm ergo tunc faciebat melius, qui non dimittebat, quàm qui dimittebat: sed qui dimittebat, faciebat malè, sed non ita malè, quòd peccaret mortaliter contra matrimonium, sicut fecisset, si non fuisset licentiatus per legem. Ad istud de diuortiis patet in primo. Verum est enim, quòd Christus reprobauit pro tempore legis suæ.

Num. 5. & 6.

Ad argumenta principalia. Ad primam partem ad primum patet ex solutione. Ad secundum, concedo quòd matrimonium simpliciter est obligatio perpetua: sed matrimonium secundùm *quid* potest esse obligatio ad aliquod tempus, licèt non perpetua: & sic concedo, quòd in lege Mosaïca non fuit aliquod matrimonium simpliciter, nisi aliqui fortè vltra perfectionem legis voluissent se obligare perpetuò; quòd non oportebat inquantùm contrahebant coniugium in illa lege. 9

Ad argum. posita n. 2.

Matrimonium in lege Mosaïca fuit solubile: vel in eo dispensabile.

Vel posset dici, quòd si tunc fuit matrimonium simpliciter, & ita obligatio indissolubilis: verum est, nisi legislator reuocaret, vel dispensaret; dispensauit autem quando mulier nimis displicebat viro, vt timeretur vxoricidium: sicut dictum est suprà de matrimonio rato non consummato, quod dissoluitur per Religionis ingressum, & tamen fuit simpliciter matrimonium, non tantùm accommodatio ad tempus; sed legislator dispensat in tali casu propter maius bonum consequendum: hoc autem propter maius malum vitandum.

Ad aliud, non est simile, quia non est similis ratio dispensandi: non enim tantùm timeretur, si mulier odiret virum, sicut è conuerso, quia ipse sexus cohibet à vindicta exteriori, magis quàm virum.

Qui vult tenere primam opinionem, ad argumenta in oppositum potest faciliter respondere. Ad illas auctoritates Deuteron. & Malach. potest dici, quòd sunt permissiones minoris mali, sed tamen peccati mortalis, nè scilicet grauius peccatum mortale eueniat.

Soluit argumenta posita n. 1. in fauorē primæ sententiæ.

Ad secundum, illa regula præcisè vera est de dissolubilibus, cuiusmodi non est obligatio ista. Posset etiam dici ad minorem, quòd obligatio ista innascitur ex volun-

tatibus contrahentium, tanquam ex causa instrumentali, principaliter autem ex ordinatione diuina: & illa regula debet intelligi tantùm de causis instrumentalibus. Vnde ex causa principali concludit Christus, Matth. 19. inseparabilitatem, dicens, *Quos Deus coniunxit, homo non separet.*

SCHOLIVM.

5 *Sustinetur affirmatiua.*

SIc ergo posset dici, &c. Hanc esse magis ex mente Doctoris docet Scholiastes in præcedenti Scholio, & probari posset; tum quia hîc statuit conclusionem suam; tum quia fusiùs respondet ad prioris sententiæ fundamenta, quamuis priorem etiam doceat probabilem, quæ magis graues pro se habet assertores; & si litera, *Matth.* 19. attendatur, magis in superficie fauet. Sed forma legis, *Deuteronomij* 24. huic sententiæ secundæ videtur magis subscribere, & interpretatio fundata in inconuenienti, nè sensus absurdus sequeretur, aut inducens in errorem in practicis: Scriptura enim non dissimulat peccata, sed reprobat. In tota autem lege veteri non inuenitur aliqua reprobatio repudij, & forma alioquin verborum talis est, vt concessionem sonet, quia modum præscribit, quo repudium fieri debeat: ergo factum probat.

Præceptũ legis, seu indultum.

Coniectura probabilis.

6 *Conclusio huius paragraphi.*

Conclusio ergo est, quòd sicut Deus dispensauit in polygamia, ita etiam in perpetuitate huius vinculi; & hoc supposito respondet ad argumenta primæ sententiæ.

Obiectio ex verbis Christi.

Obiicitur ergo primò contra prædictam conclusionem. Christus respondens Pharisæis de hoc interrogantibus, *Dico vobis, quòd quicumque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, mœchatur; & qui duxerit dimissam, mœchatur,* &c. & subdit rationem: quia à principio coniunxit Deus masculum & fœminam, vt patet ex verbis Adæ: ergo, *quod Deus coniunxit, homo non separet.* Argumentum hoc fortissimum est, & confirmatur; quia Pharisæi interrogantes an liceat dimittere vxorem quacumque ex causa, intendebant secundùm præscriptum legis: ergo responsio Christi etiam secundùm præscriptum legis intelligenda est. Patet etiam consequentia, quia Pharisæi opposuerunt præscriptum legis, seu indultum. *Deuteron.* 24. & Respondet Christus: *Propter duritiem cordis vestri, Moysen id permisisse, ab initio autem non fuit sic,* &c. Ergo verba sequentia ad statum legis sunt referenda. *Dico autem vobis, quia qui dimiserit vxorem,* &c. *mœchatur.* Hoc etiam sic intellexerunt discipuli, vt patet ex subiecta sententia: *Dicunt ei discipuli eius: si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere,* &c. Confirmatur secundò, quia aliàs verba Christi nisi intelligenda sunt, vt sonant, possint inducere in errorem Iudæos, qui illa referebant ad statum legis: lex autem prohibebat dimissam, si alij nuberet, post mortem eius duci posse à priore marito, qui repudium dedit. Contrarium autem sequeretur, si repudium esset illicitum, aut per illud non solueretur matrimonium. Vnde Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. dicit dimissam ob fornicationem manere innuptam, aut suo viro reconciliari: ergo manente matrimonio insolubili per repudium, idem dicendum est in lege; nec licuisse huic alium ducere, neque vetitum fuisse, vt priori reconciliaretur.

Confirmatio ex contextu.

Confirmatio secũda ex ratione.

Respondet Doctor verba Christi intelligenda esse pro statu legis nouæ. Vnde Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. hoc præcepti loco apponit: *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere,* &c. Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *Stromatum, c.* 12. *Quòd consulat Scriptura vxorem ducere, nec à coniugio vnquam discedere, legem apertam constituit: non dimittes vxorẽ præterquàm propter fornicationem,* &c. & ille est sensus communis interpretum; idémque supponit Tridentinum *sess.* 24. *in cap. Doctrinali,* asserens his verbis, *Quod Deus coniunxit, homo non separet,* confirmasse Christum nexum insolubilem matrimonij prædictum ab Adamo; verba ergo Christi non solùm sunt interpretatiua Iuris naturæ, seu prioris institutionis, sed etiam præceptiua eius; ac proinde reuocatiua libertatis, qua ex lege Moysi licuit repudium. Non hîc autem primum Christus reuocauit hanc libertatem legis: sed *Matthæi* 5. vbi plura legis documenta reformauit, & præcepta dedit charitatis discipulis, & initium doctrinæ Euangelicæ; cuius verba sunt; *Dictum est autem* (supple antiquis) *quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij: Ego autem dico vobis: quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat,* &c. quod præceptum repetiit *hîc*, & *Marci* 10. *Lucæ* 18. Hinc ergo ex *Matthæi* 5. colligitur, sicut & alia præcepta ibi dicta referuntur ad legem nouam, vt patet ex frequenti antithesi, qua opponitur lex Euangelio, & documentis ibi traditis; iustitia Pharisæorum iustitiæ discipulorum. Ita etiam hoc præceptum Christi, quo reformauit matrimonium in primam institutionem insolubilis nexus, intelligi pro lege noua, quod magis confirmatur ex tenore legis, *Deuteronomij* 24. vbi repudium permittitur. 7

Responsio Doctoris.

Verba Christi referuntur ad statum Euangelij.

Clem. Alex.

Trident.

Reuocatio repudij, Matth. 5.

Si acceperit, inquit, *homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam in oculis eius, propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua, cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino: Nè peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tibi tradidit possidendam,* &c. Ex his vltimis verbis, sicut *suprà* notauimus, colligitur matrimonij solutio, aliàs posset prædicta reconciliari priori viro, iuxta doctrinam Pauli, quam vt præceptum Domini tradidit; hoc autem ideò licitum est, ex præcepto Domini, quia matrimonium constat, & maritus Iure suo potest renunciare, & conciliari vxori dimissæ, vel è contra hæc marito. 8

Lex Deuteronomij 24.

Ex his patet responsio Doctoris, nempe Deum per Moysen dispensasse in insolubilitate matrimonij cum Iudæis; sicut cum Patribus dispensauit in polygamia; quam dispensationem Christus

Christus posteà reuocauit; sicut & priorem factam cum Patribus.

9 *Ad confirmationem.* Ad confirmationem primam respondet benè Doctor *in litera*, quia verba Christi referenda sunt ad legem naturæ, vt patet ex ipsis, & ad legem suam Euangelicam, in qua reuocauit pridem illam libertatem, & hìc secundò eandem confirmat, allegans Moysen propter duritiam cordis Iudæorum admisisse repudium, non quòd fuerit tantùm permissio minoris mali, sed quòd insinuetur causa dispensationis factæ; nam sicut *Congruentia dispensationis facta.* Iudæi erant duri cordis, & ad vindictam, & sanguinem prompti; ideò lex etiam condescendit infirmitati eorum, decernens medium iustitiæ seruandæ, vt oculum pro oculo, dentem pro dente, & huiusmodi, nè ex priuata authoritate hæc attentarentur cum excessu; sed ex publica legis authoritate in iudicialibus medium seruaretur commodum refrænandæ libidini, & ferocitati illius populi, & iustum modum figeret, nè vltio ad maiore iniuriam redundaret, quàm fuit accepta iniuria, vt optimè declarat Augustinus *lib. 19. contra Faustum, cap. 25.* *Augustin.* *Sed duro populo*, inquit, *modus prius adhibendus fuit, quo discerent non egredi debitum*, &c.

10 *Redargutio Pharisæorum ex lege.* Rectè ergo Christus refellit Pharisæos ex ipso Moyse, qui legem, & institutionem matrimonij eis tradidit, *Genes.* 2. vt ostenderet ipsos non seruare iustitiam legis, neque enim *Deuteronomij* 24. Moyses præcepit eis dimissionem vxoris, sed quod fortè aliàs factitabant, vel dimittendo vxores, vel certè occidendo reduxit ad modum, vt hæc dimissio fieret per repudium authoritate legis, cui aliter non potuit subueniri in dicto populo: rectè ergo conuincuntur ex ipsa lege, vt ostendit Christus Moysen propter duritiam cordis eorum hunc modum præscripsisse, quamuis etiam diuina authoritate, & dispensatione ita subuentum sit, vt maius damnum euitaretur, & nè dimissio illa fieret illicita.

11 *Responsio ad confirmationes reliquas.* Ex quo patet ad vtramque confirmationem, quia & Christus Pharisæos conuincit ex lege naturæ, quam proposuit Moyses, & reuocauit indultum legis scriptæ, quod necessitati, & infirmitati seruiebat, reducens matrimonium ad primum statum. Vnde non potuit inde error vllus induci; admittit ergo Christus indultum legis, sed docet quid vtilius erat, & conuenientius, & secundùm primam institutionem matrimonij, & illud statuit obseruandum, vt optimè declarat Doctor in litera; neque enim aliter Moyses poterat formam, & modum præscribere, quo actio vetita sortiretur contra legem, quam ipse promulgauit, effectum; legislator autem debet quandoque subditis condescendere, vt laxet eis aliqua, vel non statuat alioquin vtilia, quando inde maiorum peccatorum, & transgressionis sumendam videret occasionem à refractariis.

Ex his etiam optimè in litera soluit reliqua fundamenta primæ sententiæ. Et respondet ad argumenta principalia, ostendens dispensationem illam exemplo dispensationis, qua matrimonium ratum dissoluitur ingressu Religionis, & matrimonium infidelis cum fideli conuerso ad fidem, quando sine iniuria fidei nequit saluari cohabitatio.

12 *Sustinetur prima sententia.* x *Qui vult tenere primam opinionem*, &c. Quamuis secundam opinionem reduxerit ad dispensationis diuinæ casum, & secundùm hanc respondet fundamentis primæ sententiæ; dicit tamen sequendo primam, facilè posse responderi fundamentis secundæ, vt ipse breuiter in litera respondet. Hanc sententiam esse magis probabilem existimo, & non minùs assertam à Doctore, quia licèt priori diutiùs inhæsit; ideò tamen id fecit, vt reduceret eam ad debitum sensum, in quo potest sustineri, & expediret difficultates, quæ sunt vrgentes: mihi autem magis probatur prima, quia & magis conformis *Prima probabilior.* est verbis Christi, & eam plures Patres defendunt; pro secunda autem nullum inuenio; quamuis autem potuit Deus dispensare per Moysen, non colligitur tamen dispensasse, imò ex verbis Christi intelligitur tantùm fuisse permissionem minoris mali, & non dispensationem in vinculo coniugali.

Ambrosius *lib. 16. in Lucam*, cùm probet ex *Ambros.* verbis Christi non esse dimittendam vxorem, obiicit, *Quomodo*, inquit, *Moyses mandauit dari libellum repudij.*

Respondeat ei (supple sic obiicienti) *Domi-* 13 *nus ad duritiam*, inquit, *cordis vestri, permisit vobis Moyses dare libellum repudij, & dimittere vxores; ab initio autem non fuit sic. Moyses permisit*, inquit, *non Dominus*, &c. ergo non fuit dispensatum ex mente Ambrosij, & infrà, *ostendit autem hic locus, quæ propter fragilitatem humanam scripta sunt, non à Deo scripta.* Vide quæ sequuntur.

Chrysostomus *homilia 17. in Matth.* dicit esse *Chrysost.* minoris mali permissionem, non legem principalem. Item in illa, *Qui enim dimiserit*, &c. *ille enim, etsi alteram non duxerit, se constituit criminis reum, quòd adulteram fecit ex coniuge, hic verò accipiens alienam adulter effectus est; nequaquam enim mihi referes; quia illam alter eiecit, nam expulsa etiam vxor esse eius, qui eam expulit, perseuerat*, &c. & loquitur respectiuè ad legem, & eos, qui in lege erant, ad quos verba Christi referuntur respondentis Pharisæis secundùm obligationem legis, vt apertè constat *ex loco sequenti homil. 63. in Matthæum*, vbi explicans verba Christi huc spectantia illud supponit per totum discursum, *in secundo membro*, asserens hãc tolerantiam fuisse, nè Iudæi sanguinarij in vxores machinarentur homicidium. Speciatim autem in illa verba: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, &c. *Ita*, inquit, *ostendit, & præter naturam, & contra legem esse repudium. Præter naturam quidem: quia vna caro inciditur; contra legem autem, quia cùm Deus coniunxerit, & iusserit non separare, ipsi contra præcepta Dei dimittendo vxores ausi sunt*, &c. ac proinde non fuit ex mente Chrysostomi cum iis vllo modo dispensatum.

Item, Author imperfecti inter eadem opera 14 Chrysostomi *tom. 2.* qui malè adducitur in oppo- *Author imperfecti.* situm *hom. 12. in Matth.* hanc partem apertè sentire videtur: *Vide* (inquit in fine) *quia qui secundùm legem repudium dat, quatuor commisit iniquitates*, &c. (*secundùm legem*, &c. ergo loquitur de iis, quæ sub lege erant, & vtebantur repudio eius) *primam, quia quantùm ad Deum existit homicida. Secundam, quia dimisit non fornicantem*, &c. *Tertiam, quia fecit eam adulterari. Quartam, quia accipiens eam, fecit adulterium*, &c.

Idem docuit Beda *in Matth. 19.* transcribens *Beda.* dictum Ambrosij, ex vtroque autem Glossa interlinearis, quam citat Doctor *suprà*: sed vt cæteros posteriores omittam, eadem est sententia

Augustin. Augustini *lib.*19. *contra Faustum, cap.* 26. *& sequentibus.*

Nam & illud de vxore non dimittenda, quod Dominus pracepit, cùm antiquis dictum sit: Quicumque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij: si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium: exposuit enim Dominus, quid lex voluerit, cùm passim dimittenti vxorem iusserit libellum repudij dare: neque enim ait, (supple lex) *Qui voluerit, dimittat vxorem suam: cui esset contrarium non dimittere: sed vtique nolebat dimitti vxorem à viro, qui hanc interposuit moram, vt in dissidium animus praceps libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset dimittere, cogitaret,* &c. quod fusiùs prosequitur explicando ipsam moram, & recursum ad Scribas, quibus tantùm libellum scribere licuit, qui vt erant in lege docti, ac prudentes dissuaderent factum. Intentum Augustini hîc est, ostendere Christum non soluisse legem, sed adimplesse, & declarasse; ac proinde legem de scriptione libelli non fuisse dispensationem, sed impedimentum transgressionis legis, nè aliud peius consequeretur per vxoricidium. Quod ampliùs declarat *in pracedenti capite*, quoad reliqua præcepta. Hic ergo Christus declarat veram legis sententiam: ex qua Iudæi malè interpretabantur permissionem libelli repudij.

15 *Probatio. Ex pœna legis in dimissam alteri nubentem.*

Et hoc ipsum potest ex verbis vltimis Deuteronomij citatis confirmari: quia ideò statuit in in vxorem repudiatam, quæ alium maritum acciperet, non posse eam ampliùs reconciliari priori, siue dimissa esset per secundum repudium, siue etiam soluta per mortem secundi mariti, quia adulterata est; & nè passim commixtiones connubiorum fierent, vt vna nunc huius, nunc alterius fieret diuersis viris contra finem matrimonij. Hoc autem non statuit, si illa innupta permaneret: ergo lex ipsa in pœna expressa iudicat adulterium, quod committebat, vt Christus refert, dimissæque alij iungebatur, atque ideò libertatem adimit, tam primo marito, quàm ipsi, vt possint reconciliari; tum quia ipse eam contra legem fecit adulterari; tum etiam, quia ipsa fuit adultera; vnde indicatur causa, quam affert Christus Dominus, nempe ob fornicationem solam esse dimittendam, & sic pœnam legis explicandam monet.

16 *Obiectio.* Sed dices, etiam viro licuit tenere superinductam.

Soluitur. Respondetur non licuisse ex verbis Christi, *apud Marcum cap.*10. *Discipuli*, inquit, *eius in domo interrogauerunt eum, & ait illis: Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur,* &c. Quidquid sit de polygamia, de qua *suprà* egimus, *quæst.*1. *huius*, an licuit Iudæis exemplo Patrum, saltem non licuit in hoc casu: sed causa finis principalis, aut ad suscitandum semen fratri defuncto sine prole: nam non potuerunt etiam Patres vti secunda vxore, aut eam ducere per repudium prioris: minùs ergo Iudæis multiplicato genere id licuit.

Confirmatio. Vxor non potuit dare libellum. Confirmatur ergo intentum, non licuit vxori repudiare virum etiam per legem Deuteronomij: ergo neque viro vxorem. Patet consequentia, quia par vtrique fuit obligatio; quamuis enim in casu polygamiæ ex diuina dispensatione, & supposita necessitate finis principalis, aut præcepta legalis, de suscitando semine fratri defuncto licuerit polygamia; tamen non licuit cum solutione prioris connubij. Et quamuis fratre defuncto liceret superstiti eius viduam ducere, in casu quo prior moreretur sine prole, nunquam licuit ipsi eo viuo vxorem eius habere; vt patet *ex Leuitico, c.*18. *&* 20. & ex reprehensione Herodis à Ioanne; minùs etiam licebat eidem priorem vxorem huius causa repudiare: ergo similiter eam repudiare, vt aliam superinduceret. Et hoc ideò quia iustitia, & lex contractus parem in hoc obligatione perpetua connubij fecit vtrumque coniugem, nisi perfidia interueniret, qua aliis contra fidem matrimonij iungebantur adulterio. *Polygamia in casu licita ex lege.*

Hoc denique colligitur ex fine ipsius matrimonij, quod est bonũ prolis, quia, vt benè ponderat Ambrosius, in hoc maximum detrimentum patitur: ergo non est interpretandus locus Deuteronomij, quasi approbaret repudium; sed vt formam indiceret, qua maius malum euitaretur, non approbando aliud malum, quod per repudium fiebat. Iudæi enim, vt dicit Author imperfecti, Israëlitæ erant genere, sed moribus Ægypti, à quibus hanc consuetudinem repudij didicerant. 17 *Dimissio, seu repudium est contra finem matrimonij.*

Moyses autem promulgauit illis legem Dei, & indissolubilitatem coniugij. Cæterùm, quia hoc non posset subuenire eorum feritati, tandem formam repudij, quod ob causam superiorem permisit, iisdem præscripsit, pœnam addens iam explicatam: præscripsit, inquam, vt maius malum impediret, & hoc principaliter ob duritiam cordis eorum imminens vxoribus; qui neque etiam filiis parcerent, vt ait Chrysostomus: modum autem sic repudiandi auctoritate publica per scriptionem libelli, vt benè Augustinus, præcepit, vt impedimẽtum transgressionis obiiceret, & medium reconciliationis adhiberetur. *Repudiũ tantùm permissum ob maius malum euitandum.*

Accedit vltimò, quòd *Matth.*5. Christus proponat hoc præceptum non faciendi repudij, nisi per libellum, vt declarat legem, sicut ibi etiam declarat præceptum de fraterna charitate, de odio inimici, quibus congruè additur; & intelligentia huius, quod est de sociali vita, & prima, quæ in genere humano est instituta: vt aduertit Augustinus, & Chrysostomus: ex forma ergo illius capitis non sequitur hîc esse mandatum nouum, sed declarationem legis naturæ, & antiquæ scriptæ, quibus non derogabat libellus repudij, licèt ipsum repudiũ fuerit vtrique contrarium. Idem etiam sequitur ex forma verborum, & responsionis Christi, *Matth.* 19. quia Pharisæi, vt Ambrosius, & alij, eum volebant capere in sermone; & ex vna parte per dilemma calumniari, si repudium contra legem Dei approbaret; ex alia verò parte, si reprobaret libellum repudij, vt eum traducerent tanquam Moysi contrariũ. Quibus sic respondet Christus, vt legem Dei declararet fuisse ex duritia eorum, tanquam permissionẽ, scilicet minoris mali, non tanquam fundamentum, aut dispensationem repudij: ergo ex forma verborum hîc etiam nihil sequitur, nisi declaratam fuisse legem. Vnde Trident. *sess.*24. *in doctrina de matrim.* dicit Christum firmasse, quod ab Adam est prædictum, & à Deo primò institutum. Ex quibus facilè respondetur ad fundamenta secundæ sententiæ, nam ad illud, quod dicitur Moysen per illa verba, nisi subesset diuina dispensatio, deducere in errorem. 18 *Declarat Christus legẽ non approbare repudium.* *Patet ex progressu textus.* *Soluũtur fundamenta secũda sententia.*

Responde

Scopus Moysis. Respondetur negando sequelam, quia Moyses id quod fuit in vsu Iudæorum, & quod in maius periculum redundabat, coërcuit, vt potuit, inducens modum, quo fieret auctoritate publica, & non priuata, quo magis consuleretur legis obseruationi, & ex ipsa adiecta pœna remedium adhibuit, quantùm illi tum erant capaces.

19 *Vtrùm fornicatio dirimat matrimoniū? Error Græcorum, & aliorum.* Superest alia difficultas contra dicta in corpore, num scilicet in lege Euangelica propter adulterium sit matrimonium solubile? Qua in re errant Græci moderni, Lutherani, Anabaptistæ, & Caluinistæ. Incautè etiam Caietanus *in hac quæstione*, loquitur *in Matth.* 19. Catherinus *lib.5.annotationum in Commentaria Caietani.* Erasmus *annotat. in 7. cap.1. ad Corinth.* quamuis priores subiiciant se Ecclesiæ. Error versatur in eo, quòd dicant matrimonium solui posse per adulterium.

Conclusio, non solui vinculum. Conclusio Doctoris est negatiua, §. *Sic ergo potest dici*, &c. quam omnes Scholastici tenent; éstque definita à Florentino, &c. *de vnione Armenorum*, & Tridentin. *sess.24.can.*10.tenet Elebertinum *cap.9.* Arelatense I. *cap.*10. Mileuitanum *can.* 17. Africanum *can.*69. Anglicanum *cap.* 10. Triburiense *cap.*16. Forolíuiens. *cap.* 1. Nanneten.*cap.*12. *canon.*48. *Apostolorum.* Patet conclusio, *Marci* 10. vbi habetur hæc veritas sine vlla limitatione, & sine illis verbis: *excepta causa fornicationis*, &c. quæ leguntur apud Matthæum: *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*, &c.

Luc.18. & Lucæ 18. *Omnis qui dimiserit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur*, &c.

20 *Responsio.* Dices subintelligi illam exceptionem, quam exprimit Matthæus.

Impugnatur. Contrà: Neque Matthæus, neque Christus illam causam expressit, vt sit exceptio à communi regula insolubilitatis matrimonij: nam absolutè dixit Christus; *Quod Deus coniunxit, homo non separet: erunt duo in carne vna, iam ergo non sunt duo, sed vna caro*, &c. ergo non debent illa verba referri ad dissolutionem, sed ad alia adiuncta, vt mox videbimus: ergo vniuersaliter intelligenda sunt verba Christi, & quoad omnem casum esse insolubile matrimonium. Probatur consequentia, quia ipse confirmat verba Adami, & primam institutionem matrimonij, quæ nullam exceptionem patitur, sed est absoluta: ergo etiam Christus conuincens Pharisæos quoad insolubilitatem matrimonij ea intellexit vniuersaliter, & non cum exceptione, quia respon-

Interrogatio vniuersalis. det ad interrogationem Pharisæorum: *Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa?* quæ interrogatio fuit vniuersalis, & responsio etiam Christi fuit vniuersalis ex prima institutione; & refertur ad indissolubilitatem matrimonij, sicut & interrogatio Pharisæorum, qui prætendebant libellum repudij opponere; sicut mox post responsionem Christi, quæ negatiua est, obiecerunt. Marcus ergo, & Lucas hanc ipsam responsionem Christi vniuersalem tradiderunt sine vlla exceptione, sicut data est à Christo.

21 Subdunt mox Pharisæi: *Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij, & dimittere.*

Respondet Christus, *Quoniam Moyses ob duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis: quia quicumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur*, &c. vbi illa verba, vt sonant exceptionem, referuntur ad priora, nempe *qui dimiserit*, &c. quia dat auctoritatem marito ex causa fornicationis, & si sic dimiserit, non est causa mœchandi in vxore, quia illi iustè dimittenti non imputatur vxoris lapsus post dimissionem; & ideò *Matthæi* 5. *non* addit illa verba, *& duxerit aliam*, &c. Excipitur ergo causa dimissionis vxoris sine peccato (dimissionis, inquam, iustæ) quæ est sola fornicatio ex diuina lege, & intelligitur auctoritas priuata marito concessa in hoc casu, in aliis autem casibus non potest authoritate priuata dimittere vxorem sine sententia Ecclesiæ, vt *suprà* disseruimus de debito coniugali, *dist.*32.non soluitur tamen matrimonium si dimittatur ex quacumque causa. *Quid refert exceptio?*

Hæc est interpretatio Pauli 1. ad Corinth. 7. *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari:* ergo manet vinculum, quando discedit etiam ob causam fornicationis, quia vniuersaliter loquitur Apostolus, qui in doctrina, & declaratione præcepti non deficit tradens legem insolubilitatis matrimonij, neque iuberet vxorem in omni casu discedentem à marito manere innuptam, aut si non continuerit, marito suo reconciliari, ex præcepto Domini, si matrimonium esset solutum ob causam aliquam, aut fornicationis, aut aliam. Ideò *ad Roman.* 7. hoc planiùs docet; *Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege*, &c. Quibus verbis nullum casum solubilis matrimonij excepit præter solam mortem. Et inde infert: *igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro*, &c. ergo per solam mortem viri, ex Paulo, soluitur lege matrimonij, non aliter. Ex quibus constat verba Christi, *excepta fornicatione*, &c. referenda esse, non ad solubilitatem matrimonij, aut solutionem vinculi coniugalis: sed ad potestatem separandi, quam habet vir ex causa illa, quoad thorum, & cohabitationem, quam in aliis casibus non habet, sed per Ecclesiæ sententiam debet fieri, & non authoritate priuata mariti. 22 *Probatio ex Paulo.*

Hanc sententiam, & interpretationem prædictam tenent Patres. Athenagoras *in Apologia pro Christianis.* Clemens Alexandrinus *lib.2.Stromatum, cap.*12. Origenes *tractat. 7. in Ioannem.* Basilius Magnus *epist. ad Amphilochium, can. 9.* Victor Antiochenus *in cap. 16. Lucæ.* Euaristus Papa *epistola* 2. deducens argumentum ab insolubilitate matrimonij corporalis ad spirituale matrimonium. Ambrosius *in idem c. Lucæ, lib.*8. Hieronymus *epistola* 30.*cap.*1. *& epistola* 147. *& in cap. 19. Matthæi.* Augustinus *de bono coniugali, cap.*7.15. *&* 18. *de adulter. coniug. lib.* 1.*cap.* 9. *&* 11. *lib.*2.*cap.*5. *&* 9. Innocentius I. *epistola* 3. *cap.* 6. & alij deinceps, quos videre licet apud Bellarminum per diuersa sæcula, ac tandem id ipsum docuit Alexander III. *cap. Ex parte*, &c. *de sponsalibus.* 23 *Probatio ex Patribus.*

Ad obiecta aduersariorum facilis est responsio ex dictis, quia illa verba, ad quæ refugiunt,

Soluitur ratio opposita. iam declarata sunt ex Apostolo; quia datur auctoritas dimittendi vxorem quoad thorum, & cohabitationem ex causa fornicationis, & saluatur maritus à peccato eius, si dimissa se non contineat: manet tamen vinculum inter vtrumque insolubile. vide interpretes in prædicta loca, Maldonatum in Matth. 19. Sanchez *lib.* 10. *disputat.* 3. ex quo suppleri possunt reliqua, quæ hîc desiderantur de diuortio, causis eius, & ex Summistis, & ex titulo de diuortiis, quibus resoluendis copiosior tractatus exigitur; neque alioquin in compendium commodè reduci possunt disserendo, ob varias Doctorum sententias, quibus diutiùs inhærendum esset: & materia magis est legalis, quàm Scholastica.

DISTINCTIO XXXIV.

De matrimonio secundùm causam materialem.

A NVNC superest attendere, quæ personæ sint legitimæ ad contrahendum matrimonium. Legitimæ iudicantur personæ secundùm statuta Patrum, quæ diuersa sunt. Aliæ namque fuerunt legitimæ ante legem, aliæ sub lege, aliæ in tempore gratiæ. Item, in primitiua Ecclesia quædam erant legitimæ, quæ modò non sunt. Earum verò quæ modò legitimæ sunt, vel illegitimæ, quædam sunt plenè legitimæ, quædam omnino illegitimæ, quædam mediæ. Plenè legitimæ sunt, quibus non obuiat votum continentiæ, vel ordo sacer, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturæ frigiditas, & si quid est aliud. Penitus verò illegitimæ sunt per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. Mediæ verò sunt, nec plenè legitimæ, nec omnino illegitimæ, per frigiditatem, per conditionem. Si enim tales iunguntur ignoranter, commanere possunt quibusdam accedentibus causis, & eisdem deficientibus diuidi.

De frigidis separandis.

B *Sententia huius cap. summatim continetur* Extrà de frigidis & malef. *Gregor.* 27. *q.* 2. *Decret.* *& ibid. cap.* Quod autem interrogasti, 33. *quæst.* 1. *cap.* Requisisti de his.

DE his enim qui causa frigiditatis debitum reddere non possunt, consulit Gregorius vt permaneant. Sed si mulier causatur, dicens, Volo esse mater, & filios procreare, decreuit vt vterque eorum septima manu propinquorum iuret, quod nunquam carnaliter conuenerint, & tunc mulier secundas nuptias contrahat. Vir autem qui frigidæ naturæ est, absque spe coniugij permaneat. Ait enim sic, [Interrogasti de his, qui matrimonio iuncti sunt, & nubere non possunt, si ille aliam, vel illa alium ducere possit, de quibus scriptum est, Vir & mulier si se coniunxerint, & pòst dixerit mulier de viro, quòd coire non possit cum ea, si potest probari quod dicit per iustum iudicium, alium accipiat; si verò ille acceperit aliam, separentur.] Item, [Requisisti de his qui ob causam frigidæ naturæ dicunt se non posse inuicem operam carni dantes, commisceri. Iste verò si non potest ea vti pro vxore, habeat eam quasi sororem. Quòd si retinaculum coniugale voluerit rescindere, maneant vtrique innupti: nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conueniet?]

Ibidem. Item, [Si vir aliam vxorem vult accipere, manifesta patet ratio, quia suggerente diabolo odij fomitem exosam eam habuerit: & ideò eam dimittere mendacij falsitate molitur. Quòd si mulier causatur, & dicit, Volo esse mater, & filios procreare, vterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis iureiurando dicat quòd nunquam per

Rom. 6. *c*

commixtio

commixtionem carnis coniuncti, vna caro effecti fuissent. Tunc videtur mulierem secundas posse contrahere nuptias. humanum dico propter infirmitatem carnis eorum, vir autem qui frigidæ naturæ est, maneat sine coniuge. Quòd si & ille aliam coniugem acceperit, tunc hi qui iurauerant, periurij crimine rei teneantur: & pœnitentia peracta priora cogantur recipere connubia. Hoc seruandum est, cùm vterque idem fatetur. Sed vir si asserit se debitum reddidisse vxori, & illa diffitetur, cui potiùs fides habenda sit, meritò quæritur. De hoc ita statutum est, Si quis ita acceperit vxorem, & habuerit eam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit quòd nunquam coisset cum eo, & ille vir dicit quòd sic fecit, in veritate viri consistat, quia vir est caput mulieris.] Hoc de naturali impossibilitate statutum est.

Ibid. cap. Si quis acceperit.

Ephes. 5. d

De his qui maleficijs impediti coire non possunt.

DE maleficij autem impedimento hoc tenendum decernitur. Quòd si per sortiarias & maleficas concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus illa eueniunt, vt spiritu contrito & humiliato, Deo, & Sacerdoti de omnibus peccatis confessionem faciant, & lacrymis, atque eleemosynis, orationibus, & ieiuniis Domino satisfaciant, & per exorcismos, ac cætera Ecclesiasticæ disciplinæ munimina ministri Ecclesiæ tales sanare procurent. Quòd si non potuerint, separari valebunt. Sed postquàm alias nuptias expetierint illis viuentibus, quibus pòst iunctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Quod in fine huius capituli continetur, ex rigore magis dictum intelligendum est, quàm ex Canonica æquitate. Vel intelligendum est non posse reconciliari prioribus, nisi iudicio Ecclesiæ, quo diuisio facta fuerat.

C

Hincmarius Remēsis Archiepisc. 33. *quæst.* 1. *cap.* Si per sortiarias.

De furiosis addit.

FVriosi quoque dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non valent. Vnde Fabianus, Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur. Item, Nicolaus Papa, Hi qui matrimonium sani contraxerunt, & vni ex duobus, vel ambobus amentia, vel furor, vel aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem talium coniugia solui non possunt. Similiter est etiam sciendum de his qui ab aduersariis excæcantur, vel membris truncantur, vel à Barbaris execti fuerint.

D

Fab. 32. *q.* 7. *cap.* Neque furiosus. *Ibid. c.* Hi qui matrimon.

De his qui cum duabus sororibus dormiunt.

DE his etiam qui cum duabus sororibus, vel quæ cum duobus fratribus dormiunt, videndum est quid censeant Canones. Qui dormierit cum duabus sororibus, & vna ex illis ante fuerit vxor, neutram ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri vnquam in coniugio copulentur. Item, nec propriæ vxori licet sibi reddere debitum: quam sibi reddidit illicitam, sororem eius cognoscendo. Nec post mortem vxoris licet ei adulteræ, vel alicui copulari in coniugium. Item, Zacharias Papa. Concubuisti cum sorore vxoris tuæ, si fecisti, neutram habeas, & vxor tua, si non fuerit conscia sceleris, & continere non vult, nubat in Domino, cui vult. Tu verò & adultera sine spe coniugij maneatis, & dum viuitis, pœnitentiam agite.

E

Ex Aurel. Concil. 27. *q.* 2. Qui dormierit.

Nõ tenetur hic Magister, Zacharias Papa 32. *quæst.* 7. *c.* Concubuisti.

*Gregorius ibidem. Cap.*Hi verò qui. *Nota etiam cap.*Si quis viduam,*&* *cap.*Si quis cũ nouerca, *ijsdem c. & quæst. quia faciũt ad propos.*

Quod ait, Cui vult nubat, intelligendum est post mortem viri. Vnde Gregorius, [Qui vxores suas in adulterio deprehendunt, nec ille, nec illa aliam vxorem accipiat, vel alium virum, quamdiu ambo viuunt. Si verò adultera mortua fuerit, vir eius, si vult, nubat, adultera verò nunquam, etsi mortuus fuerit vir eius, sed omnibus diebus vitæ suæ pœnitentiæ lamenta persoluat.] Hic de illo adulterio agitur, quod cum cognato viri, vel cognata vxoris committitur.

Non est dimittenda vxor pro aliqua macula, seu deformitate corporis.

F ILlud etiam sciendum est, quòd pro aliqua infirmitate, vel macula corporali, non licet viro vxorem dimittere, & è conuerso, sed debet alter alteri subsidia prouidere. Vnde Augustinus: [Si vxorem quis habeat sterilem, siue deformem corpore, vel debilem membris, vel cœcam, vel claudam, vel surdam, vel si quid aliud, siue morbis, vel laboribus doloribúsque confectam, & quicquid, excepta fornicatione, excogitari potest vehementer horribile, pro societate, fidéque sustineat.]

Aug. lib. de Sermon. Domini in mõte, c. 31. & 32. quæst. 5. Si vxorem.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm impotentia coëundi impediat matrimonium simpliciter?

D.Thom. *in addit. quæst. 68. art. 1. & 2. & hîc quæst. 1. art. 2.* D.Bonau. *art. 2. quæst. 1. & 2.* Richard. *art. 1. quæst. 1. & art. 3. quæst. 1.* Durandus *quæst. 2.* Sanchius *lib. 7. de matrim. disput. 92. 93.*

1 *Argum. 1.* CIRCA istam [a] trigesimamquartam distinctionem quæro, Vtrùm impotentia ad actum carnalem, impediat matrimonium simpliciter? Quòd non, quia hoc non est nisi quia contrahendo obligat se ad actum illum; sed hoc est falsum, quia potest contrahere cum voluntate intrandi statim Religionem.

Argum. 2. Præterea sequeretur, quòd senex esset ineptus ad contrahendum matrimonium, cuius oppositum tenet Ecclesia, quæ patitur talia coniugia.

Argum. 3. Præterea, maleficium non est impedimentum perpetuum: potest enim per destructionem maleficij, maleficiatus curari; sed impotentia temporalis non impedit: ergo saltem impotentia per maleficium non impedit matrimonium.

Ratio ad opp. Contrà 33. quæst. 1. *Si per sortiarias.* Item, *Extrà de frigidis, & maleficiatis, cap. vltim. & cap. Quod sedem: Qui impotentes sunt, ad contrahendum matrimonium apti minimè reputantur.*

COMMENTARIVS.

De impedimento impotentiæ. a CIrca *istam distinctionem trigesimamquartam quæro*, &c. Hîc agitur de impedimento impotentiæ, quam vnica quæstione resoluit Doctor, multis argumentis, quæ doctrinam in corpore quæstionis traditam concernunt, vt ipsi moris est. Diuidit quæstionem in duos articulos: quorum primus decernit conclusionem communem cum suis fundamentis. Secundus declarat, quid sit impotentia. *Diuisio quæstionis.*

SCHOLIVM.

Impotentiam naturâ, & arte incurabilem, dirimere matrimonium, si illud præcedat, de frigid. cap. vltim. probat triplici ratione; si verò superueniat matrimonio, etiam tantùm rato, non vitiat.

2 HIc [b] primò de conclusione videndum est in generali. Secundò, de duplici impotentia in speciali. In generali omnis impotentia simpliciter & perpetua, cui scilicet subueniri non potest per naturam, vel artem, si præcedat matrimonium, simpliciter

pliciter impedit contrahendum, & dirimit iam contractum: & ad hoc eſt triplex ratio ex natura iſtius contractus. Prima, quia iſte contractus eſt datio poteſtatis corporum ad talem actum, ſi petatur; ſed iſte non habet poteſtatem ad talem actum: ergo nihil tale poteſt dare, & ita nec contrahere. Prætereà, in contractu iſto obligat ſe ad actum iſtum, ſi petatur; ſed huiuſmodi actus eſt ſibi impoſſibilis, etiam ſi petatur: ergo obligat ſe ad impoſſibile: obligatio autem ad impoſſibile eſt nulla ex lege diuina: ergo lex diuina non approbat talem obligationem; ergo nulla eſt. Prætereà, alia perſona intendit commutare poteſtatem ſui corporis pro poteſtate corporis alterius: ergo credit alium è conuerſo poſſe commutare: ſed non poteſt; ergo hic eſt error pertinens ad aliquid, quod eſt per ſe requiſitum ad contractum: talis autem error facit contractum nullum, ſicut dictum eſt *ſuprà, diſt.* 30. *quæſt.* 1.

Triplex ratio quòd impotentia dirimat.

Si [c] autem talis impotentia ſequitur matrimonium conſummatum, non dirimit: 3
quia iam poteſtas eſt tradita verè, & ille cui fuit tradita, miſſus fuit in poſſeſſionem: ergo non poteſt reuocari per aliquod impedimentum ſuperueniens. Si autem tale impedimentum veniat inter matrimonium ratum, & conſummatum: dubium eſt an dirimat, 33. *quæſt.* 1. *prim. cap.* videtur dicere partem affirmatiuam, *coniugium confirmatur officio.* & ſequitur pòſt, *antequàm confirmetur, impoſſibilitas officij ſoluit vinculum.* Contrarium videtur, quia iam data eſt poteſtas, & ſi impedimentum vſus accidat, non propter hoc reſcindi poteſt datio prior, licèt difficile eſſet iudicare, ſi non præcederet ratum, an præcederet conſummatum, niſi fortè eſſet ablatio alicuius partis neceſſariæ ad actum illum tempore illo interueniens.

COMMENTARIVS.

1 *Communis concluſio affirmatiua. Ratio ex natura contractus.*

b Hic *primò dicitur*, &c. Hæc concluſio eſt communis: & patet *ex* 32. *q.* 1. *Si per ſortiarias.* Item, *de frigidis, & maleficiatis, c. vltim.* & *cap. Quod ſedem*, &c. *& toto titulo.* Triplex ratio ex natura contractus aſſignatur, quia contractus ordinatur ad copulam, ſi petitur; contrahens obligat ſe ad debitum eius, & contrahens, qui eſt potens, commutat corpus ſuum cum tali intentione. Ad impoſſibile autem non eſt obligatio, neque actio, & error in commutatione ſubſtantialis vitiat contractum: ergo, &c.

Limitatio concluſionis.

Intelligitur concluſio, ſi impotentia eſt perpetua, cui neque per artem, neque per naturam ſubuenire poſſit.

2 *Impotentia ſuperueniens conſummato non dirimit.*

c *Si autem talis impotentia ſequitur*, &c. Dicit matrimonium conſummatum per nullam impotentiam ſuperuenientem dirimi, quæ eſt communis ſententia. Difficultas eſt, quando ſuperuenit impedimentum matrimonio rato tantùm, & ante conſummationem. Aliqui dicunt dirimi, *ex capitulo primo*, 33. *q.* 1. Ita ſentit Gratianus, & pauci alij.

Concluſio Doctoris eſt in contrarium, & ſufficienter probata *ſuprà diſt.* 31. *q. vn.* vbi oſtenſum eſt matrimonium ratum ſolui dumtaxat ingreſſu Religionis.

Quid præſumendū in dubio, ſi præceſſit impotentia?

Sed difficile eſſe iudicare aſſerit Doctor, quando impotentia matrimonium ſubſequitur præcisè, vt diſcernatur non præceſſiſſe, niſi quando aliquod membrum ad vſum matrimonij neceſſarium abſcinditur. Difficultas eſt in dubio, quid præſumendum ſit?

3 *Præſumptio eſt in fauorē contrahentium.*

Reſpondetur cum cōmuniori ſententia præſumendum eſſe eam præceſſiſſe; quia id ſupponit *cap. vlt. de frigidis, & maleficiatis*, &c. vbi datur tempus triennij ad probationem, ſi maleficium ſit perpetuum, aut impotentia. Præſumit ergo maleficium præceſſiſſe; & quamuis in cæteris præſumendum ſit pro contractu, quando eſt dubium, intelligitur de matrimonio, quod finem ſuum ſortitur, tam in bonum prolis, quàm etiam in remedium; qui finis ceſſat, quando impotentia iudicatur perpetua, quia debet præſumptio cedere in fauorem contrahentium, quando non præiudicat fini matrimonij: ſic enim magis conſulitur eorum continentiæ, & ſaluti; quando ergo non poſſit allegari probatio contraria, neque præiudicium aliquod prolis ſequitur, non ſunt grauandi coniuges in periculum continentiæ, & animæ. Hanc tenent Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Ancharan, Abbas, & communiùs Canoniſtæ *in tit. de frigidis, & maleficiatis.* Richardus *hic art.* 3. *q.* 1. *ad* 2. Henriquez *lib.* 12. *de matrim. cap.* 8.

Aliàs in fauorem matrimonij ſi ſortiri poſſit ſuum ſtatum.

Limitatio quorumdam.

Aliqui diſtinguunt hanc impotentiam in naturalem, & accidentalem. Si naturalis eſt, præſumi anteceſſiſſe matrimonium, quia natura non deficit in neceſſariis: ſi accidentalis, præſumendum eſſe pro matrimonio.

Reijcitur.

Sed quoniam accidentalis impotentia, ſi eſt ex maleficio, poſſit vtroque modo contingere, ante, & poſt matrimonium, non eſt præſumendum eueniſſe poſt matrimonium, niſi aliqua ratio, aut probatio faueat. Si autem eueniat ex aliquo morbo, quæ cauſam daret impotentiæ ex natura ſua, tunc habetur ſufficiens indicium prouenire poſt matrimonium; ſi autem morbus ille ex cauſis ſuis non tendat in talem effectum, præſumendum non eſt ex cauſa incerta proueniſſe effectum, qui aliàs non ſequitur; neque ex diſpoſitione particulari impotentis colligitur morbum iuduxiſſe alium effectum diuerſum, quàm ſoleat in aliis inducere: ac proinde potiùs in naturam, & cauſas generatiuas refundēda eſt, quæ frequenter deficiunt in ſua actione, vel ex aliis cauſis prouenire poſſet: effectus enim certus in eas cauſas referendus eſt, ſecundùm rationem naturalem, à quibus communiter euenit, & non in alias, à quibus nunquam, vel raro, licèt coniungantur effectui concomitanter. Sic ergo præſumptio conſequens naturā regulanda eſt, prout exigit vis cauſarum, & connexio effectus, quando dubitatur de impotentia, & conſummatione matrimonij, tunc fauendum eſt matrimonio in tali dubio, donec conſtet de impotentia.

Præſumptio nō debet fundari in cauſa incerta.

SCHO

SCHOLIVM.

Explicat impotentiam naturalem, & ex maleficio: & remedium huius ait esse orationes Sanctorum, si tamen non exaudiantur, licere, & meritorium esse, destruere signa maleficij, vt malus spiritus vexare desinat. Ita Sotus hic quæst. vnic. artic. 3. Manuel 1. tom. Sum. cap. 223. Nauar. cap. 11. n. 29. Delrius lib. 6. disquis. mag. c. 2. sect. 1. quæst. 3. Henric. quodl. 5. quæst. 33. Castro 1. de iust. hæret. pun. c. 15. ponit differentias inter naturalem impotentiam, & maleficium: hæc est præcipua, quòd si maleficiatus ducat aliam, & cognoscat, non est reddendus priori, secus est de impotenti naturaliter, cap. 2. & cap. Laudabilem, *de frigid.*

4 *Naturalis impotentia.*

De [d] secundo duplex est impotentia in genere, naturalis, & casualis. Naturalis in viro est frigiditas, vel mutilatio partis necessariæ, in muliere arctatio. Casualis est per maleficium. Impossibilitas prima satis patet. Secunda fit per malignos spiritus, qui habentes pactiones cum hominibus seruant promissa: non quia veraces, sed vt alij eis adhæreant (quia si nulla pacta seruarent, nulli eis seruirent) & vt illi, quibus seruant promissa, eos colant. Nam ex superbia sua præcipuè appetunt honores diuinos.

Cur Deus permittat dæmones exercere potestatẽ impediẽdi homines quãdoque.

Deus etiam permittit eos exercere potestatem suam ad impediendum aliquos ab aliquibus actibus, in quos possent, si non essent impediti: & hoc vel propter peccata eorum, vel propter aliquam aliam causam occultam: & hoc modo maga habens pactum cum dæmone procurat ab eo vt istum impediat à tali actu, cum tali muliere, quamdiu tale maleficium perseuerat, puta acus curuata, vel aliqua huiusmodi.

Quid remedij contra maleficia?

Quod [e] igitur est remedium contra istud impedimentum per dæmonem? Respondeo, si per orationes Sanctorum impediatur virtus dæmonis, benè fit. Si tamen Deus illas non exaudiat, tunc si sciretur maleficium, & destrueretur, dæmon non fatigaret eum ampliùs, quia ex pacto non assistit, nisi dum durat aliquod signum.

Meritum est destruere maleficia.

Et ex hoc patet quòd trufatica est illa quæstio, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum. Non enim solùm licet, sed est meritorium destruere opera diaboli. Nec in hoc est aliqua infidelitas, quia destruens non acquiescit operibus malignis: sed credit dæmonem posse, & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis signi imponet finem tali vexationi.

5 De [f] istis duobus impedimentis ad propositum dico, quòd in aliquo sunt similia, & in aliquo dissimilia. Similia, quia impediunt contrahendum, & dirimunt iam contractum respectu illius personæ, respectu cuius sunt ista impedimenta; quod pro tanto additur, quia non tantùm casuale, sed etiam naturale impedimentum potest esse respectu vnius personæ, & non respectu alterius, maximè de naturali in muliere.

Sed [g] post diuortium est duplex differentia; vna, quòd habenti impedimentum casuale licet contrahere, & si post contractum carnaliter copuletur secundæ, non debet reddi priori: quia maleficiatus respectu vnius, non propter hoc est maleficiatus respectu omnium: sic enim est maleficiatus sicut ministri diaboli procurant eum per maleficium diaboli: sicut aliqua maga vult istum perpetuò impediri respectu istius, non tamen respectu alterius, puta si nollet quòd istam duceret, sed se, vel aliam.

Differentia inter has impotẽtias.

Alter autem, scilicet habens impedimentum naturale perpetuum, & hoc respectu cuiuslibet, debet manere sine spe coniugij, & tutum esset sibi intrare Religionem: quia si pòst contrahat de facto, & carnaliter copuletur, cogetur redire ad priorem: quia apparet sententiam diuortij processisse ex errore; & ita nullum fuisse coram Deo, & matrimonium primum verum fuisse: quia impedimentum, quod putabatur perpetuum, non erat.

6 Sed [h] quomodo innotescit perpetuitas istius impedimenti, habetur *Extrà de frigidis, Laudabilem.* debent enim per triennium commorari, & dare operam illi actui. Si autem posteà reclamant, debent iurare cum septima manu, id est, vir, & vxor de scientia, & septem vicini proximi de fidelitate. Si vir reclamat accusationi vxoris, creditur viro, qui caput est mulieris, *ibidem, cap. 1.* Si vir accusat, incumbit sibi probatio modo prædicto.

In dubio qualis sit impotentia, præsumitur esse maleficium.

Sed qualiter cognoscetur differentia istius, & illius impedimenti? Respondeo, difficile est videre nisi per inspectionem corporis, si deficiat aliqua dispositio necessaria requisita in parte illa ad istum actum: vel per iudicium Medicorum quantùm ad frigiditatem, si aliqua signa manifestè ostendant ipsum esse talis complexionis. Si verò nec sic, nec sic, & tamẽ simpliciter impeditur, præsumendum est quòd sit maleficium.

Ad

Ad [i] argumenta. Ad primum concedo, quòd obligat se ad actum, si petatur saltem pro aliquo tempore determinato: sed infra aliquod tempus non oportet reddere illum actum, si velit intrare Religionem. Iste autem non potest obligare se ad actum pro quocumque tempore, si est perpetuum impedimentum: quia, vt dictum est in principio solutionis, sola impedimenta perpetua impediunt, & habetur *in titul. isto, cap. Fraternitatis.* 7 *Ad arg. 1. cap. ex publico de cõuers. coniug.*

Ad [k] secundum, si senex esset omnino impotens, dicerem quòd non contraheret matrimonium, licèt aliqua posset consentire in eum ad cohabitandum, sicut frater & soror: & ita fortè multæ magis desponsant diuitias, quàm personas. *Ad 2. Tunc non esset matrimonium, sed societas quædam.*

Ad tertium patet ex dictis, quia si maleficium est temporale, non impedit nisi temporaliter: præsumitur autem perpetuum si per triennium perseuerat. *Ad 3.*

COMMENTARIVS.

4 *Impotentia alia naturalis, alia ex casu, & accidentalis. Naturalis.*

d DE *secundo, duplex est impotẽtia*, &c. Diuidit impotentiam in naturalem, & casualem, seu accidentalem. Naturalis ex parte viri est frigiditas, ideò titulus Iuris de hoc impedimento agens indigitatur *de frigidis & maleficiatis.* Aliqui addunt etiam prouenire quandoque ex nimio calore: sed hæc impotentia rarò est perpetua: vel naturalis impotentia ex parte viri procedit ex mutilatione alicuius membri ad vsum matrimonij necessarij. Ex parte mulieris est arctitudo.

Casualis.

Impedimentum casuale est ex maleficio: modum quo infertur hoc maleficium docet, & causam ex parte dæmonis: quamuis causam putarem esse maleficium: quia dæmon nequit exercere suum odium in homines Deo id non permittente, nisi quando ipsi suis peccatis merẽtur; vel quando Deus ex occulta causa permittit innocentes exerceri: sed quod nequit dæmon per se, potest per homines sibi subiectos, & dicatos, Deo permittente aliquando, vt quoniam ipsis Deus, quamdiu sunt viatores, constituit vsum libertatis in bonum, aut malum, cùm se dæmoni deuouent, potest illis vti in malum aliquod, quod infert ex pacto, & quod malum ipse per se sine interuentu eorum non permitteretur exercere: neque habet ius illud exequendi, nisi mediante potestate, quam acquirit in ipsos. Aliqui cum Paludano *in hac distinct. q. 2. artic.* 4. quinque genera huius maleficij constituunt: sed fortè hanc distributionem magis accommodat modis, quibus impediri possit vsus matrimonij regulariter, quàm ex certa regula: signa autem, quibus dignoscitur maleficium, vt discernitur ab impotentia naturali, tradit Sanchez *lib. 7. de matrimonio, disput. 94.*

Quomodo oritur ex maleficio?

Quinque modi maleficij.

5 *Remedia cõtra maleficium.*

e *Quod igitur est remedium*, &c. Duplex remedium assignat Doctor. Primum est illud, quo impeditur virtus dæmonis, vt sunt orationes Sanctorum, quibus & pœnitentia propria, frequens oratio, frequentatio Sacramentorũ, exorcismi Ecclesiæ, & alia media, quibus dæmoni resistitur, comprehendi debent, & maximè fides intrepida, & non vacillans. Aliud remedium est, si quis sciret signum, cui alligatum est pactum dæmonis, illud destruere: quia tam pactum ex parte dæmonis, quàm malefici est ei alligatum, quo soluto, aut destructo cessat omnis potestas dæmonis: quia Deus non permittit eum vti sua potestate, nisi inquantum ligatur per maleficium ex vi pacti: licèt in ipso non desit voluntas peccandi. Hinc colligit illam quæstionem esse inanem, *An scilicet liceat destruere tale?* dicens non solùm licere, sed etiam meritorium

Signum cui alligatur maleficiũ destrui potest, si sciatur.

esse, quia ad hoc nihil aliud interuenit, quod vetet, & nulla superstitio, neque inuocatio tacita, aut explicita dæmonis. Hanc sententiam Doctoris sequuntur eius discipuli, Anton. Andreas *in hac dist.* Bassolis, Nicolaus de Orbellis. Briansonius *in recollect. super 4. q. 13.* Vorilon. *quæst. 1. art. 3.* Prætereà Caietan. *in opuscul. tom. 2. tract. 12.* Rosella *in Summa tract. de impedimento matrimon.* Caietan. etiam *in Summa, verb. maleficium.* Syluester *quæst. 7.* Armilla, Astens. *in 2. part. lib. 8. tit. 29.* noster Castro *lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 15.* Nauar. *in Summa, c. 11.* Ledesma *in 2. p. 4. quæst. 60. art. 2.* Angles *in florib. 1. part. q. 8. art. 2. dub. 2.* Sotus *in hac dist. art. 3.* Bannes *2. 2. q. 78. art. 4. dub. 2. in solutione ad 4.* Henriquez *lib. 12. de matrimonio, cap. 8.* & Sanchez *lib. 7. disput. 96.* citans & hos. Delrio *disquisit. magic. quæst. 3.* qui hanc conclusionem variè probat contra Ioannem Heselt, qui *in suis lectionibus* contrarium docuit, quamuis asserat ludibrio dæmonis id fieri posse.

Hanc sententiam tenet cõmunis Doctorum.

Contrarium tenet Ioannes Heselt.

6 *Probatio sententiæ Doctoris cõtra eundem Heselt. Argumẽtum ad hominem.*

Probatur conclusio ex ratione Doctoris: quia licet destruere opera diaboli, animo illudendi diabolo per præfatum Authorem: ergo licet etiam animo mihi consulendi, aut liberandi alium à vexatione diaboli. Probatur consequentia; quia ideò licet primũ, quia ex vi talis actionis non sequitur cum tali intentione superstitio, aut fides in dæmonem, aut pactum implicitum, aut explicitum, modò adsit debita intentio, non vitians actum: hic actus ex obiecto, vt concedit aduersarius, non est malus, aliàs non posset per intentionem finis liciti, & aliàs boni iustificari; sed intendere liberationem vexati à dæmone, quamdiu manet signum, cui adhæret pactum, non est intentio maligna, sed specificata à charitate: ergo non potest facere actum aliàs non prohibitum esse illicitum: charitas enim non agit perperam; imò perfectior est hic finis & intentio, quàm prior, ex qua dicit præfatus Author (vt imponitur) hunc actum destructionis signi esse licitum.

Confirmatur. Ex natura actus vt tendit in suum finem.

Confirmatur, ille actus, vt fit ad ludibrium dæmonis, si est bonus, vt supponitur esse, vel est actus fidei, aut Religionis, vel certè diuinæ charitatis, quatenus ex odio dæmonis procedit. Si charitatis: ergo etiam quæcumque via participat honestatem diuinæ charitatis, potest & participare honestatem charitatis proximi, vt cedit in profectum eius; cedit autem in profectum proximi, & ad finem Sacramenti, & reuerentiam eius, ne matrimonium contractum, aut contrahendum impediatur à suo fine per virtutem dæmonis: ergo, &c. Si est actus fidei, aut

Religionis, sequitur quòd sit capax etiam honestatis charitatis, quæ hæc est vniuersalis, & forma virtutum, ad quam reliquæ ordinantur: ergo potest dare finem cuicumque actui, qui capax est honestatis ab aliis virtutibus inferioribus, & consequenter destructio illa ex motiuo charitatis facta est licita, & meritoria.

7 *Responsio.* Dices ex fundamentis præfati Authoris, quòd tunc speratur salus à dæmone, & beneficium, quo ab incepta vexatione desistat.

Impugnatur. Contrà, ex vi actionis destructiuæ hoc non sequitur: quia aliàs ex nullo fine facta esset licita; non ex natura finis, seu intentionis habitæ, quia nihil tale supponit, sed actione licita vtitur ad commodum proprium, aut aliorum: aliàs si ex huiusmodi, aut vexationibus dæmonis data causa, prædicatores vterentur ad exhortationem populi ad pœnitentiam, quo illa vexatio *Nõ exspectari beneficium à diabolo destruendo signum.* tolleretur, proponerent aliquod beneficium exspectandum à dæmone, à quo sunt peccata, ex quibus acquirit ius maleficij, Deo id permittente. Soluere ergo colligationes peccatorum ad excludendum vexationem, esset sperare beneficium à diabolo.

Responsio. Dices disparitatem esse, quia nos per peccata, & propria voluntate inducimus illas pœnas, non ita est maleficium, quod à solo dæmone est.

Impugnatur. Contrà, maleficium, vt superiùs dixi, non à solo dæmone, sed ex pacto, & peccato malefici, sine quo nullum acquirit ius dæmon in maleficiatum, vt per se constat, si loquamur propriè de maleficio, & in rigore: ergo sicut peccata aliquorum, quæ vendicantur in populum, solui possunt, & debent per satisfactionem, & opera pœnalia à reliquis; ita etiam peccatum malefici, quod notum est adhærere signo ex pacto, potest etiam summoueri, nè ampliùs noceat innocenti.

8 *Licet tollere nocumenta.* Deinde, quod dicitur beneficium à dæmone exspectari, planè friuolum est, nisi dicas quando quis se saluat ab inuasore, aut innocentem, quando summouet media nocendi, vt extorquens ensem de manu eius inuasoris exspectare ab eo beneficium: ita fit in proposito, quia media, quibus dæmon potest maleficiato nocere, est signum illud, cui adhæret voluntas malefici: ergo si quis subtrahat signum, vt est medium nocendi, non exspectat beneficium à dæmone, sed aufert illud, ex quo est omnis potestas eius nocendi, quam non habet aliàs, nisi vt adhæret voluntati malignæ malefici; qui sicut ex diuina permissione, qua committitur suæ libertati, potest per seipsum nocere, ita etiam potest per inuocationem dæmonis ex pacto, quando Deus id permittit, neque aliter potest inferre hanc vexationem regulariter, & vt experien- *Praxis Ritualium, & exorcisantiũ est extorquere signum, & destruere.* tia Ritualium, & exorcismorum constat, & extorta per auctoritatem Ecclesiæ confessione veritatis ab ipso dæmone, quando maleficiatus obsidetur, vt sæpissimè contingit. Praxis autem est, vt primùm extorqueatur confessio, & causa vexationis; secundò, si interuenerit pactum, & cui signo adhæret. Deinde extorquetur per coniurationem ipsum signum integrè, antequàm procedatur ad expulsionem dæmonis, nè durante signo ei maneat aliquod ius in maleficiatum. vltimò tandem expellitur, & destruitur ipsum signum eius, cui adhæret pactum, & quo remoto dæmon nullum habet ius vexandi in maleficiatum. Falsum ergo supponit dicens æquè posse dæmonem sublato signo nocere, ac illo conseruato; quia licèt, si permitteretur, posset semper nocere; non tamen potest nocere hoc modo, nisi persistat voluntas malefici, ex qua acquisiuit ius nocendi, quæ voluntas adhæret signo, & eo destructo destruitur, & redditur inefficax.

Secundò arguitur, quia ipse maleficus potest, & tenetur ex obligatione charitatis, & iustitiæ rescindere pactum, per sublationem signi, cui adhæret; neque aliter, si pœniteat, est absoluendus. Experientia enim docet, quamdiu prius pactum, quod adhæret tali signo, manet, etiam vexationem, & effectum illum manere, nisi per alia media dæmonis virtuti detrahatur. Et ratio etiam docet, supposito quòd dæmon nullum ius habet, aut virtutem nocendi, quam hîc & nunc exercere potest, nisi ex vi pacti, illam virtutem tantùm exercere posse secundùm naturam pacti, & modum, seu determinationem adiectam, qua sublata irritatur pactum: si ergo pactum recipit determinationẽ præcisè, vt adhæret signo, sequitur destructo signo irritari pactum, vt adhæret voluntati malefici. Ad hoc ergo sicut tenetur maleficus destruendum, & destruere potest sine nouo pacto, imò si recedens à seruitute renuntiat dæmoni per veram pœnitentiam, ita etiam alium scientem illud pactum adhærere signo, hoc posse destruere sine vllo pacto cum dæmone, tacito, aut explicito, imò si sciatur maleficus, potest cogi per iustitiam, vt recedat à pacto, & destruat signum, vel exhibeat destruendum, si est in eius potestate. Vnde siue ab ipso, siue ab alio scitur illud, siue ab ipso dæmone per viam exorcismi extorta confessione. Omnibus, inquam, his modis potest scientia acquiri sine pacto vllo eius cum dæmone, qui ea vtitur; & quamuis etiam scientia illa in debito modo acquireretur, vsus eius esset licitus ad hunc effectum, & sine peccato, non quo fides adhiberetur dæmoni, sed quo experientia probaretur veritas dicti.

9 *Secũda ratio ex obligatione malefici. Tenetur destruere signũ.*

Licitus est vsus scientiæ acquisita de signo Pacti.

Tertiò, vt dicit Doctor, per destructionem illius signi destruuntur opera dæmonis, qui operatus est ad signum, & magis cõtemnitur, quàm ex opposito: ergo neque fides vlla, neque cultus tacitus adhibetur dæmoni per destructionem signi: sed magis improperatur ei sua infirmitas, cùm nocere non possit nisi ex voluntate malefici, & eius virtus nocendi à voluntate eiusdem in substantia, & modo dependeat. Neque opus hoc est alterius rationis, quàm est tollere impedimentum boni proximi sui, & soluere colligationes iniquitatis, neque dæmonis inuocatione, aut auxilio fit; neque id requiritur, cùm illa res naturalis, cui adhæret signum; per causas naturales destrui potest: neque interuenit aliqua amicitia cum dæmone ex hoc, quia potiùs in incommodum eius, & destructionem virtutis nocendi, & iuris acquisiti ex pacto destituitur. Ad fundamenta prioris sententiæ patet ex dictis. 10 *Tertia ratio ex contemptu dæmonis.*

Obiectio. Obiicit Hieronymum in vita Sancti Hilarionis, in qua refert Hilarionem non permisisse signa amoueri, quibus ablatis dæmon falsus est se recessurum à puella, cuius rationem assignat Hieronymus, nè aut solitis incantationibus dæmon recessisse videretur, aut ipse dictis eius accommodasse fidem.

Respon

Responsio. Respondetur, rectè quidem id Sanctum fecisse ob scandalum vitandum, vt patet ex priori ratione, quam adducit, & etiam ex secundo, & magis ne virtus miraculi, quod dæmon intendebat, obscuraretur; neque negandum est virtute miraculorum, & potestate Ecclesiæ, dæmones vim nocendi perdere: hinc non infertur non licere signum destruere. Ideóque Doctor vtrumque hoc remedium adhibendum docet; primum, vt se commendet patiens maleficium Orationibus Sanctorum; secundum si sciat, signum destruat.

11 *Comparatio, & conuenientia vtriusque impedimenti.* ¶ *De istis duobus impedimentis*, &c. Comparat impotentiam naturalem, & casualem ad se inuicem, vt conueniunt, quantùm ad irritationem matrimonij contracti, scilicet rati, & contrahendi. Quoad naturale, id *suprà* probatum est. Quoad casuale, patet ex iisdem fundamentis, quibus probatur impotentiam naturalem irritare matrimonium contractum, & contrahendum, 33. *quæst.* 1. *& cap. finali, de frigidis & maleficiatis*, & rationibus allatis; quacumque enim ratione reddatur quis impotens, perinde est, quantùm ad destruendum finem matrimonij, & inhabilitandum ad contractum, impedimentum hoc non ideò irritat, quia ab hac, vel illa causa prouenit, sed quia positus in *esse* obstat fini, ad quem est matrimonium ex natura sua ordinatum. Hanc conclusionem tenent communiter Theologi *in hac distinctione*, & Summistæ *verb. Impedimentum*, & *verb. Matrimonium*, & Canonistæ in præfatos textus.

Cōtraria sententia. Contrarium docet Almainus *in hac dist. quæst. vnica in fine*, & Glossa *in cap. Ex literis*, &c. *de frigidis & maleficiatis*, &c. & 33. *q.* 1. *& cap. Fraternitatis*, &c. *de frigid. & maleficiat.* Innocentius *in c. Laudabilem, eodem.* *Fundamenta eius.* Ducuntur ex eo, quòd putent impedimentum hoc non esse perpetuum, quia auferri potest per ipsum maleficij authorem. Deinde, quia in potestate dæmonis non est contractus, aut valor, aut nullitas.

Impugnatur. Sed falsum supponunt, quia Ecclesia *in cap. finali citato*, constituit tempus triennij ad experientiam, si maleficium sit temporale, aut perpetuum, & si non tollatur toto illo tempore, censetur perpetuum. *Impedimentū casuale perpetuum ex causis.* Item, perpetuum est, si nō possit tolli modo licito, vt communiter Doctores; & si non possit tolli, nisi per miraculum, vt quando impedimentū ex maleficio sit tale, vt neque ipse dæmon illud destruere possit, vt si induxit impotentiam per causas naturales, destruēdo aliquod membrū, quod ad vsum matrimonij requiritur.

Item, vt aliqui etiam tenent, si nullus sciat impedimenti signum præter sortilegum; qui etiam occultus est, aut si mortuus est, quia perinde est hoc, ac amittere facultatem destruendi maleficij. Ratio prioris sententiæ non subsistit, quia falsum supponit: neque etiam secunda ratio probat, quia licèt valorem contractui, aut nullitatem non tribuat dæmon: tamen potest causare impedimentum perpetuum, quo posito contractus fit nullus ex ipsa lege matrimonij. *Tēporarium non irritat.* Ex his sequitur, si impedimentum hoc, siue à natura, siue ex præstigiis sit tantùm temporale, matrimonium fieri validum.

12 *Secunda conclusio. Impedimentū respectiuè irritare.* Secunda conclusio Doctoris in prædicta litera est, non solùm matrimonium annullari, si impotentia hoc, vel illo modo sit vniuersalis, & perpetua, respectu omnium, vt potest esse; sed etiam respectiuè ad determinatam personam, si sit quis impotens, quamuis respectu aliarum sit potens. Quantùm ad impotentiam respectiuam naturalem, similiter dicendum est, illam dici talem, cui per artem, aut naturam subueniri non possit, sicut Doctor *suprà* dicit de impotentia absolutè. Casus autem huius impotentiæ respectiuæ duo proponuntur, nempe arctitudo ex parte fœminæ, ita respectu contrahentis vt nequeat separari, aut cum ea consummari matrimonium: & alius casus est, quando quis fit impotens ad virginem cognoscendam, qui tamen est potens ad cognoscendum corruptam.

Conclusio prædicta de impedimento respectiuo non ab omnibus conceditur: aliqui enim Doctores negant dari impedimentum perpetuum, nisi sit respectiuè ad omnes personas. *Sentētia negans impedimētum respectiuè irritare.* D. Thom. *in hac dist. art.* 2. *ad* 5. D. Bonauentura *art.* 2. *q.* 2. Summa Astensis 2. *p. lib.* 8. *tit.* 29. Turrecremata 33. *q.* 1. *in Summ. art.* 1. Syluester *verb. Matrimonium*, 6. *q.* 1. Viguerius *Institut. c.* 16. *impedimento* 9. Alij verò magis in terminis eam tenent; vt Innocentius iam citatus. Tabiena *verb. Impedimentum, impediment.* 12. *quæst.* 5. Armilla *verb. Matrimonium.* Sotus *in hac dist. q. vnic. art.* 2. *concl.* 6. Petrus Ledesma *de matrim. dub.* 48.

Conclusio tamen Doctoris est communis aliorum; quam tenent eius discipuli: Bassolis *hic, q. vnic.* Orbellis, Vorillon, Nicolaus de Nisa *in* 4. *tract.* 6. *de matrimon. p.* 3. *q.* 6. Richardus *hic art.* 2. *quæst.* 2. Paludanus *q.* 2. *art.* 2. *conclus.* 2. *&* 3. Durandus *q.* 2. Supplementum Gabrielis *quæst. vnic. art.* 2. *corollario* 3. Maior *q.* 1. Carthusianus *q.* 2. Valentia 4. *p. disp.* 10. *q.* 5. *puncto* 4. D. Antoninus 3. *part. tit.* 16. Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio, c.* 7. Glossa *in cap. Fraternitatis*: & alij plures, quos sequitur Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 93. *q.* 1. 13 *Conclusio ab aliis sustinetur.*

Probatur. Probatur, 33. *quæst.* 1. *cap. fin.* conceditur impotenti per maleficium ad aliud transeat, dissoluto priori matrimonio: ergo admittit matrimonium per impotentiam respectiuam dissolui, & consequenter hanc posse esse impedimentum perpetuum respectu eius; quamuis non sit respectu illorum. Item *cap. Fraternitatis*, &c. *de frigidis, & maleficiatis*, &c. quod est fundamentum prioris opinionis, non decidit arctam separatam à priori viro esse restituēdam, nisi ex suppositione, quòd ei erat apta, sicut fuit posteriori viro. *Cùm pateat*, inquit, *ex post facto, quòd illa cognoscibilis erat illi, cuius simili commiscetur*, &c. Ergo à contrario sensu, si non erat cognoscibilis, matrimonium cum priori erat nullum, non subsistente causa, ob quam restitui deberet. Deinde, in fine illius capituli, casus illi, qui non resoluuntur ob difficile iudicium, quod pendet à futuro euentu, hoc ipsum declarant, vt quando virgo nubens alicui sit ipsi arcta, vt ab eo cognosci non posset, tamen separata, & alteri nubens, cui arcta non est, an debeat restitui primo, cui sit apta ex frequenti vsu secundi matrimonij: *De talibus autem*, inquit, *non est facile iudicandum, cùm finale*, &c. *iudicium pēdeat ex futuro*, &c. Sed si in priori parte decideretur vniuersaliter, cognitam in secundo matrimonio esse idoneam primo marito, & restituendam; idem esset iudicium in vtroque casu: ergo decisio prioris innititur præsumptioni, qua iudicatur mulier cognita à secundo viro simili, esse idoneam primo; quando in re ipsa per impotentiam non sit idonea, eliditur præsumptio, ac proinde supponitur matrimonium fuisse nullum cum priori, & vniuersaliter quando impotentia per naturam, & artem superari non

non possit annullare matrimoniũ, etiam respectiuè ad personam, ad quam est impotentia. Item *cap. Literæ vestræ, eodem.* decernitur separatio matrimonij in simili casu, quando vir allegabat potentiam ad alias, quamuis non potuit consummare matrimonium cum sua vxore, cum qua per octo annos cohabitauit.

14 Deinde, rationes superiùs factæ à Doctore idem probant, quia requiritur potentia ad vsum matrimonij inter contrahentes, vt possint se mutuò obligare ad debitum: ergo illa deficiente vniuersaliter, si inducit impedimentum, ita etiam in hoc particulari contractu cum determinata persona, si impotentia supponitur, cui nequit natura, aut parte remediũ adhiberi, etiam dirimit matrimonium, & inducit impossibilitatem obligationis ad debitum respectiuè ad illam personam; ex quo facilis est responsio ad fundamenta prioris sententiæ.

Obiectio. Soluitur. Obiicitur *cap. Fraternitatis.* sed patet responsio ex dictis, quia ibi non deciditur restituenda vxor priori viro, quæ cognita est per secundum, nisi quando vterque respectu eius est similis. Patet hoc ex causa præsupposita ipsius decisionis: *Nos tamen perspicaciter attendentes quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit remoueri*, &c. Supponit ergo decisio illud impedimentum non fuisse perpetuum respectu prioris viri, & huic præsumptioni innitens decernit restituendam esse priori, & ex alia parte, si experientia constat oppositum, & causa subsit naturalis impedimenti, in quam facilè reduci potest, aut maleficij, oppositum iudicandum censet. Poterat hæc causa subesse, vt communiter tradunt Doctores, & Summistæ, respectiuè ad vnam, & non ad aliam: de qua vide Sanchez *loco citato*, qui illam exponit cum aliis. Quando ergo causa deprehendi potest, cur priori non sit apta, & differentia inter ipsum, & secundum respectiuè ad mulierem arctam, quæ arte medicinæ superari nequit sine periculo vitæ, tunc præsumptio Iuris innitens facto posteriori eliditur. Quando autem non deprehenditur talis differentia, standum erit præsumptioni Iuris, & præsumitur fraus, vbi nulla causa differentiæ notabilis, aut sufficiens oritur, ex qua manifestè impotentia colligatur.

Impedimentum quod arte superatur, sine periculo non est perpetuum. Ex his sequitur illud impedimentum iudicio medicorum, quod est medicabile sine periculo, non dirimere matrimonium; quod enim per artem sine notabili periculo acquiri potest, censetur esse in potestate nostra.

15 *Exceptio.* Quid si non possit esse præstò, qui impedimento mederetur, & si est absens, non possit adiri, neque vllo modo exspectatur eius copia, vel non possit haberi sine maximis sumptibus, quibus non sunt pares coniuges, neque aliquod medium suppetat tollendi impedimenti?

Respõdetur simpliciter in eo casu, & circumstantiis reddi impedimentũ perpetuum, & æquiualere maleficio, quod præsumitur perpetuum, quia sic impedimentum non est in potestate coniugum per se, aut alios, ac proinde redditur hîc & nunc perpetuum respectiuè ad ipsos, quo fiunt inhabiles ad matrimonij vsum & finem.

16 *Casus.* Sed quid dicendum de illo periculo, si, verbi gratia, requiratur incisio fœminæ arctæ, cum probabili periculo infirmitatis grauis, quamuis non mortis. Vel an requiratur periculum mortis, vt censeatur impedimentum esse temporale, & matrimonium valere.

Responsio aliorum. Respondetur à quibusdam requiri periculum probabile mortis, vt impedimentum dicatur perpetuum, & ei per medicinam subueniri non posse. Hanc vt probabiliorem docet Sanchez, quia in capitulo illo *Fraternitatis.* quod primo loco additur sine periculo corporali, si impedimentum est medicabile, in secundo loco explicatur per periculum mortis.

Resolutio. Respondeo tamen infirmitatem grauem, & periculum eius sufficere, vt iudicetur impedimentum perpetuum. Ita Paludanus, Richardus, Maior, & plures alij; quia periculum grauis infirmitatis est morale periculum mortis. Et sic intelligitur in illo capitulo synonymè vtrumque. Ista enim non est grauis infirmitas, quæ non inducit periculum morale mortis. Et probatur ratione ex aliàs dictis: quia infirmitas grauis soluit obligationem reddendi debiti inter coniugatos, vt *suprà* visum est, *dist. 32. quæst. vnic.* ergo etiam impotentia, cui nequit subueniri sine periculo grauis morbi, impedit contractum ne possit fieri translatio corporum cum obligatione debiti, & simpliciter impossibilitat ad hoc. Et puto in re ipsa non esse discrimen inter præmissas sententias. Vnde impotentia, cui nequit subueniri sine mortis periculo, aut grauis infirmitatis; quod idem est, facit matrimonium ab initio nullum, neque personæ tenentur tale periculum subire.

Quoad secundum casum communior sententia est, si vir sit potens ad consummandum matrimonium cum corrupta, validè contrahere cum virgine, quia sine periculò vitæ subueniri potest eius arctitudini. Ita D. Thomas, Albertus Magnus, & alij, *in hac distinctione*, & teneri virginem hanc pati medicinam. Quod limitat noster Angles, & benè, si certum sit virum esse potentem ad corruptam; alioquin non teneri cum iactura virginitatis admittere medicinam. Alij etiam id negant, quia defloratio per artem infert graue nocumentum. 17

g *Sed post diuortium est duplex differentia*, &c. Statuit differentiã inter vtrumque impedimentum quoad diuortium, quod facto diuortio inter maleficiatum, & vxorem non subsit restitutioni in integrum. Non sic est de impotente viro, quia si post diuortium contrahat cum alia, & eam cognoscat carnaliter, cogetur redire ad priorem, quia præsumitur de valore matrimonij, & sententia lata ex præsumptione impedimenti, per posterius factum eliditur. Hîc loquitur Doctor in casu, quo allegatur impotentia perpetua, & vniuersalis; nam si aliam cognouit posteà carnaliter, signum est non fuisse impotentem virum, ac proinde sententiam innixam fuisse falsæ præsumptioni. Non loquitur autem de impotentia respectiua proueniente impedimento ex parte mulieris, quia arcta est, & priori non apta: huius enim causa impedimenti in re subsistit, & deprehendi potest. Impedimentuum perpetuum, & vniuersale, de quo loquitur Doctor, dicens eidem expedire, vt ingrediatur Religionem, deprehenditur non esse benè, aut veraciter alligatum, si aliam ducens eam cognoscit carnaliter. Vnde superiùs decidit casum, quo impedimentum respectiuè ad vnam personam, maximè in muliere irritat 18 *Differentia inter vtrumque impedimentum.* *Declaratur.*

contra

Impedimentum ex frigiditate allegatum inhabilitat ad matrimonium. contractum matrimonium; sed eo ipso, quo quis, vt frigidus, separatur ob impotentiam vniuersalem, non permittitur ampliùs contrahere, quia inhabilitas eius per sententiam est notoria, & declarata. Quòd si contrahat, præsumitur de fraude, neque matrimonium tenet, sed ex vi prioris sententiæ separatur. Quòd si interim appareat copulam habuisse, restituitur primum matrimonium, vt communis sententia; & ratio tenet, quia eliditur præsumptio, & allegatio, cui sententia separationis adhæret, & deprehenditur fraus. Idem ex simili ratione dicendum, si maleficiatus cognoscat post separationem vxorem, respectu cuius fuit maleficiatus, quia tunc intelligitur non fuisse perpetuum, & sententia separationis matrimonialis non transit in rem iudicatam.

19 h *Sed quomodo innotescit*, &c. Hìc primò assignat Doctor inquisitionem, quam Ecclesia adhibet in dignoscendo impedimento, & spatium probationis triennij, & testimonia iurata, quæ patent ex textu, quem allegat. Quomodo autem dignosci possit impotentia naturalis, & casualis.

Differentia in naturalem, & casualē, quomodo discernenda. Si non deprehenditur causa, præsumitur casuale. Respondet difficile esse nisi inspectione corporis, vt si aliquod instrumentum necessarium desit, vel ex complexione iudicio Medicorum, si signa appareant frigiditatis in viro. Quòd si nullum signum naturalis impotētiæ deprehendatur, & nihilominùs maneat impedimentum, dicit præsumi esse ex maleficio: quia deficiente causa naturali impedimenti, vt præsumptio ritè fundetur, & secundùm prudentiam debet referri ad causam extrinsecam, & accidentalem. Discrimen inter vtramque impotentiam, & quomodo possit ex signis iudicari, vide apud Sanchez *lib.7. disput.94. num.12.*

20 *Dubium de matrimonio eunuchorum.* Circa illud, quod dicit ex defectu instrumentorum oriri impotentiam perpetuam, *quæres de matrimonio eunuchorū, qui ita completè sunt exsecti?*

Aliqui docent eos posse contrahere, & etiam generare. Alij docent eos posse aliquale semen emittere, licèt ineptum generationi, quod sufficit ad finem secundarium matrimonij, & consequenter valorem, cùm validè contrahatur inter steriles. *Tres species eunuchorum.* Tres species eunuchorum assignat Paulus *lib.6.* & videtur comprehendisse Moyses, *Deuteron.23.* de quibus videri possunt expositores. Id supponitur eos non esse potentes, aut habiles ad matrimonium; quæ est communior sententia Theologorum, & Iurisprudentium. *Matrimonia eorum inualida declarauit Sixtus V.* Sed rem extra dubium posuit Constitutio Sixti V. qui declarauit matrimonia ab illis contracta esse inualida, sicut impotētiam esse perpetuā.

21 *Ad argumenta. Ad primum.* i *Ad argumenta. Ad primum*, &c. Respondet Doctor, quòd aliud est de contrahente cum animo ingrediēdi Religionem, aliud de impotente: quia ille, licèt non permutet corpus cum obligatione ad reddendum debitum, si petatur pro tempore determinato, quod ipsi conceditur ad deliberandum, neque teneatur sibi præiudicare; tamē tenetur pro aliquo tēpore indeterminato, in casu, quo non profiteatur; at impotens nequit pro vllo tēpore se ipsum obligare, respectu impossibilis, cuius habet impedimentū perpetuum.

22 *Ad secūdum.* k *Ad secundum*, &c. Hoc argumentum petit, An inter senes possit celebrari matrimonium?

Respondet affirmatiuè, nisi adeò sit senex impotens, vt non possit consummare matrimonium; tunc dicit non eum contrahere, quia habet impedimentum, quod Iure naturali obstat contractui. Hæc est communis sententia, quam pluribus allegatis sequitur Sanchez *disp.92. n.14.* Addit præterea Doctor, *licèt aliqua possit consentire in eum ad cohabitandū, sicut frater & soror, & ita fortè multa magis desponsant diuitias, quàm personas.*

Ad tertium, patet ex dictis, & ex litera. *Ad tertium.*

Occasione verborum quæ in responsione ad secundum iam scripsimus.

Quæritur vtrùm matrimonium quoad contractum possit esse verum inter senes modo dicto impotentes, aut alios?

In hac quæstione variæ sunt sententiæ Doctorum. Prima negat illud matrimonium esse, aut personas esse habiles ad ineundum matrimonium. Pro hac sententia plures allegat Sanchez *lib.7. de matrim. disp.97.* inter quos primum enumerat nostrum Doctorem, *in responsione ad 2.* Secunda sententia affirmat cum Magistro *in hac dist. cap.1.* quem sequitur S. Thomas, & plures alij; nec immeritò pro hac sententia citari potest Doctor ex postremis verbis, in quibus dicit idem quod Magister, & Iura, & vsus Ecclesiæ Romanæ fert. *cap. Consultationi, de frigidis, & maleficiatis*, &c. Aduertendum est matrimonium duobus modis contrahi posse, vel cū animo continendi, & abstinendi à copula, vel vt implicitè, & regulariter importat obligationem ad copulam, quæ ex vi contractus regulariter intenditur. 23 *Variæ sententiæ.*

Aduertendum secundò, contractum iniri posse cum ignorantia impotentiæ alterius, vel vtriusque coniugis, vel cum scientia illius impotentiæ. His positis,

Sit prima conclusio: cum ignorantia impedimenti, & non concepto animo consummandi ex vtraque parte matrimonium est nullum. Hæc probatur, quia Ecclesia noto impedimento pronunciat separationem, & declarat nullitatem contractus in fauorem reclamantis. 24 *Prima conclusio. Si resciatur impedimentū irritat.*

Secundò, quia contractus bona fide celebratus, & cum debita solemnitate, intenditur vt inducit omnem effectum sibi connaturalem, & obligationem, quæ ex prima sui institutione eidem competit; sed matrimonium ex fine principali, & minùs principali, hoc est, vt institutum est ad officium naturæ, & remedium infirmitatis, est permutatio corporum cum obligatione ad copulam: ergo sub hac intentione celebratum requirit materiam non impeditam, & capacem illius obligationis, quæ ab intrinseco competit matrimonio, regulariter. Et conclusio patet ex dictis in corpore quæstionis præmissæ, & de impedimento erroris. *Matrimonij naturalis effectus.*

Secunda conclusio: matrimonium initum ex communi consensu continendi, est validum, vt patet in iis, quæ aliàs diximus *suprà* de matrimonio Virginis *dist.30. quæst.1. & 2.* 25

Tertia conclusio: inter impotentes probabiliùs iudico non posse celebrari matrimonij contractum etiam scita impotentia. Probatur hæc conclusio ex prima institutione matrimonij, quia non possunt duo esse in carne vna (quod superiùs diximus intelligi etiam de matrimonio rato, & non solùm consummato) sed vbi est impo 26 *Inter impotētes non posse iniri matrimonium. Non sunt duo in vna carne.*

impotentia nota, non poteſt fieri tranſlatio corporum, vt ex fine huius contractus, & inſtitutione requiritur: ergo neque validè celebrari contractus. Probatur minor, contractus nequit celebrari, vt abſtrahitur à ſuo fine in actu, & habitu, quamuis poſſit celebrari, vt abſtrahitur à ſuo fine in actu; poteſt enim acquiri dominium rei, cuius finis eſt certus vſus, & commoditas, quamuis Dominus ea non vtatur ad talem finem: tamen requiritur vt ſit apta ad finem, aliàs non eſſet materia permutabilis per contractum, cuius nullus poſſet eſſe vſus, neque conſequenter diſpoſitio, aut dominium; ſed inter impotentes nequit ſaluari vſus dominij corporum, quoad actum, aut habitum: ergo per contractum matrimonij nequit acquiri ipſis ius in corpora mutua, neque conſequenter dominium, aut obligatio nata eſſe ex contractu, cuius non ſunt capaces, & ideò non fiunt vna caro.

Cōtractus includit ordinē ad finem.

Hunc finē neque in actu, aut habitu attingūt impotentes.

Confirmatur, in materia iuſtitiæ commutatiuæ requiritur aliqua res ſubiecta, capax permutationis, & perſonæ capaces obligationis, & iuris acquirendi, alioquin contractus celebratus eſt inanis, & verbalis tantùm, & fictus; ſed in propoſito res, quæ permutatur, ſunt corpora coniugum, & contrahentes ſunt ipſi coniuges: ergo ſuppoſito impedimento in re ipſa ad hanc permutationem matrimonij in ſpecie, & incapacite ex parte perſonarum contractus fit nullus, quia nequit ſeruari medium requiſitum; perſonæ ſunt incapaces contractus, vel abſolutè, ſi vtraque eſt impotens, aut reſpectiuè, ſi altera tantùm, & hoc Iure naturali diuino, & ſecundùm inſtitutionem ſpecialem contractus, & materia circa quam ipſius contractus eſt incapax permutationis eodem Iure: ergo contractus eſt ipſo Iure nullus. Patet hæc conſequentia, quia quando materia eſt interdicta; vel inhabilitantur perſonæ ad matrimonium Iure Eccleſiaſtico, contractus initus eſt irritus; ſed Ius diuinum & naturale non minùs inducit ſimilem effectum: ergo, &c.

Confirmatio. Requiruntur ad cōtractum materia, & perſonarū capacitas.

27 Dices naſci bonum fidei, & vnionem animorum, & mutui obſequij.

Euaſio.

Contrà, nequit bonum fidei innaſci, ſi vtraque perſona eſt impotens, quia obligatio ex iuſtitia, & lege aliqua ſupponit materiam liberam, cuius oppoſitum eſt in poteſtate obligati, aliàs nullam vim legis haberet, aut regulæ faciendorum, reſpectiuè ad neceſſaria, in quibus nulla eſt indfferentia, aut capacitas obliquitatis, neque etiam innaſcitur bonum fidei, niſi ex completo contractu circa permutationem rei capacis.

Impugnatur.

Lex eſt de materia libera, & non neceſſaria.

Si dicas alterum coniugum eſſe tantùm impotentem, & naſci bonum fidei ex parte alterius.

Euaſio.

Contrà, quia non innaſcitur bonum fidei, niſi vbi ſeruata eſt æqualitas in permutatione: ſed hìc nequit eſſe talis æqualitas, quia corpus impotentis nequit permutari, cùm ſit incapax: ergo ex contractu non ſequitur bonum fidei ex parte impotentis ipſum obligans coniugi, quæ non patitur impedimentum, quia contractus non eſſet æqualis, neque obligatio hæc ex parte vnius poteſt ſaluari, niſi ex parte alterius ſaluetur: quia innaſcitur ex permutatione, vt ſeruat medium iuſtitiæ commutatiuæ ſecundùm rectam rationem. Vnde nullus Patrum, aut Doctorum (excepto vno) in matrimonio Virginis cum Ioſepho recurrit ad hunc modum commutationis; & meritò, quia contractus eam non permittit. Quod dicitur de vnione animorum; inter fratrem & ſororem poteſt eſſe talis vnio, & mutua obſequia, quamuis nequeat eſſe matrimonium, ſicut & inter patrem, & filiam, non eſt tamen maritalis: quia maritalis eſt illa, quæ ex natura contractus per iuſtitiam commutatiuam in corporum permutatione conſiſtit, in qua fundatur ipſa ſocietas inter maritum & vxorem: ergo vbi nequit ſaluari ipſa permutatio, per quam acquiritur indiuidua ſocietas per iuſtitiam commutantem, non ſaluatur etiam vnio animorum maritalis, atque obligatio nata eſſe ex ſocietatis huius titulo, ſed alia diuerſo titulo fundata; ſicut eſt amicitiæ, aut ſocietatis in bonis. Vnde ſicut variatur titulus, ita etiam ius, ſeu obligatio fundata in titulo, & ſicut acquirens aliquid titulo donationis, nequit illud poſſidere titulo emptionis; ita etiam neque mutuus amor, & obſequia poteſt acquiri titulo matrimonij veri & validi, inter impotentes, inter quos ille contractus eſt impoſſibilis.

Impugnatur. Non poſſe habere bonum fidei.

Vnio animorum.

Naſcitur ex contractu valido.

Variato titulo variatur ius.

Secundò, nequit hic contractus inter tales iniri cum animo ſeruandi continentiam: ergo nequit intelligi verum matrimoniū. Patet conſequentia, quia in hoc ſolo poteſt iuſtificari contractus, quatenus ad finem altiorem ordinatus valeat. Probatur conſequentia, quia continentia, vt poſſit iuſtificare contractum, debet eſſe circuſtantia honeſta, & liberè adiecta, & poſſe induci per votum; ſed nihil horum competit impotenti, qui ex natura impoſſibilitatur ad incontinentiam, & cui neceſſaria eſt ipſa continentia ob impedimentum, maximè ſi eſt abſolutè frigidus, neque continentia eius eſt materiæ voti: quia debet eſſe de maiori bono, & indifferenti, non de neceſſario. 28

Secunda probatio. Non eſſe contractū ex fine continentiæ.

Dices impotentem validè vouere Religionem, cuius votum ſubſtantiale eſt caſtitas: ergo etiam vouere caſtitatem extra Religonem, & in connubio.

Euaſio.

Contrà: validè Religionem vouet, quia alia vota continet paupertatis, & obedientiæ, & reliquarum obſeruationum, & illa etiam media, quæ ad finem continentiæ ordinantur, vt ſunt mortificationes carnis: ſed ſi ſtatus Religionis conſiſteret præciſè in ſolo voto continentiæ, dicerem votum eſſe nullum: quia eſt de materia neceſſaria, quamuis poſſet etiam vouere mortificationem carnis, quæ ex natura ſua poteſt eſſe medium ſeruandi continentiam in eo, qui diſpendium eius incurrere poteſt; in impotente autem abſolutè & ſimpliciter, qui impedimentum carnis internè, aut externè non patitur, & qui nullis ſtimulis ſubiacet, illa opera erunt ex obiecto bona, quatenus temperantia à licitis ob finem temperantiæ, non tamen caſtitatis, quia hæc non eſt ipſi libera. 29

Impugnatur.

Quando impotens ad matrimonium habet ſtimulos incontinentiæ, poteſt vouere continentiam: tamen non poteſt vouere continentiam ea ratione, qua impotens eſt, & qua continentia eſt ipſi neceſſaria reſpectiuè ad mulierem, loquendo de continentia thori; quia hæc ipſi eſt neceſſaria: ergo nequit matrimonium ex hac continentia fieri ei honeſtum, & voluntarium. 30

Impotens non validè vouet continentiam thori.

Probatur

Probatur consequentia, quia in ordine ad copulam est naturaliter impeditus; in ordine verò ad continentiam à tactibus, & aliis huiusmodi, quæ in matrimonio permittuntur, aut tolerantur in ordine ad finem eius matrimonium non est medium proportionatum, aut cohabitatio: nequit enim licitè iis vti; quia ex incapacitate, aut impotentia ad finem præscinditur ratio, vnde eiusmodi fierent ei licita, quia præscinditur finis, ex quo honestantur.

Indulgentia fundata in contractu. Deinde, quia matrimonium in ordine ad finem intrinsecum initum facit illa tolerabilia, aut venialia, & ex communi sensu Doctorum non sunt licita inter impotentes, quando iam de impotentia constat; neque sumendum est experimentum, vt permittitur, quando est dubia; quia tunc licent, & iustificantur per contractum, vt in ordine ad finem suum intrinsecum est initum primò, donec constet de impedimento: quando verò constat de impotentia, ex qua sequitur separatio, tollitur bona fides, ex qua licuerunt. Hæc autem continentia à tactibus non iustificat matrimonium, sed continentia ab vsu matrimonij, vt supponit obligationem debiti, & possibilitatem eius: sic enim, & non aliter, potest esse circumstantia matrimonij, & ex eo titulo tantùm frustrari debitum, vinculo tamen manente.

31 *Causa inhabilitatis aliquorū ad matrimonium.* Tertiò, incapacitas ad matrimonium inter patrem & filiam, inter fratrem & sororem in Religioso professo, & in sacris Ordinibus existente, prouenit ex eo quòd matrimonium est contractus in ordine ad finem designatum, ex quo innascitur obligatio ad copulam: sed data priori sententia potest esse matrimonium illud spirituale inter hos validum, & iniri, quod Ecclesia non permittit, neque admittit, quia inhabiles sunt: ergo interpretatur matrimonium non posse iniri sine permutatione corporum in ordine ad finem generationis; aut vt est remedium infirmitatis. *Interpretatio Ecclesiæ circa finem matrimonij.* Probatur antecedens cum consequentia, quia inhabilitas horum siue Iure naturæ, siue Ecclesiastico ad matrimonium, respicit dumtaxat matrimonium ratione finis intrinseci, & obligationis in ordine ad copulam: caro enim patris est caro filiæ; frater & soror descendunt immediatè ab eodem, & communicant inter se in tertio: Sacerdos altari, & Ecclesiæ, Religiosus Religioni coniunguntur, & commixtio maritalis est ipsis prohibita, vel quia contra naturam est, vel contra obligationem matrimonij spiritualis. Sed aliud matrimonium spirituale, si iniri potest, his non repugnat, neque ad illud inhabilitantur: ergo posset saluari matrimonium hoc inter ipsos in ordine ad continentiam, & mutua obsequia; quia tunc pater acquireret maius ius in filiam, quàm habuit ratione potestatis paternæ, quia Iura matrimonij sunt alterius tituli, & rationis, propter quæ *relinquit homo patrem suum, & matrem suam, & adhæret vxori suæ*; & similiter filia patrem, & matrem, vt adhæreat marito suo. Et similiter de aliis dicendum est, verbi gratia, de Religioso; neque refert quòd Religioni obligatus non posset vacare vxori, quia etiam serui similiter patronis subsunt, quoad vsum ipsorum ex titulo seruitutis; tamen validè contrahunt matrimonium, etiam carnale matrimonium cognita eorum conditione. Ideò ergo hi simpliciter nequeunt contrahere matrimonium, quia contractus inducit ex natura sua obligationem, cuius sunt incapaces; sed non minùs est incapax huius obligationis impotens: ergo perinde incapax matrimonij, ex quocumque fine.

32 *Responsio.* Dices, quando persona inhabilitatur à Iure, non esse capacem matrimonij.

Impugnatio. Contrà: Impotens Iure naturali inhabilitatur, & ideò Ecclesia declarat matrimonium eius esse irritum: quod autem non inhabilitatur ad contrahendum ab Ecclesia ideò est; tum quòd matrimonium inire nequeat Iure naturæ validè, neque Ecclesiæ frustrà aliam inhabilitatem adiecit: tum quia impedimentum hoc, vt plurimum, est ignotum; quando autem notum est Ecclesiæ esse inhabilem, non permittit inire matrimonium; vnde qui declaratur inhabilis, prohibetur deinceps coniungi, vt patet etiam ex constitutione Sixti V. quoad eunuchos.

Quarta ratio. Insolubile matrimonium. Quartò, matrimonium hoc, vt sit verum, debet esse contractus perpetuus ex natura sua, & inducere impedimentum coniunctionis matrimonialis, cum altero; sed contrahens cum impotente, sciens etiam eius impotentiam, si contrahat per verba de præsenti cum alio, & consummet secundum matrimonium, soluitur prius, & Ecclesia probata impotentia alterius, *Reclamans auditur.* ferret sententiam pro secundo matrimonio: ergo primum non potest dici verè matrimonium, quod solubile est. Confirmatur matrimonium ratum, si ineatur, non potest solui per matrimonium subsequens consummatum; quia illud natura sua est insolubile, nisi alter coniugum ingrediatur Religionem, aut interueniat dispensatio Pontificis; sed matrimonium, quod ex fine suo est perfectius, & cui cedit matrimonium ratum, quando quis Religionem capessit, debet fortiùs tenere ex vi contractus, si est verum matrimonium, quàm matrimonium ratum: ergo non deberet cedere matrimonio subsequente consummato; quod est falsum, & praxi contrarium; quotiescumque enim pœniteret facti coniugem capacem matrimonij, exaudiretur ab Ecclesia, & factum approbaret matrimonium secundum cum dissolutione prioris. *Confirmatio. Ratum non soluitur per aliud cōsummatum.*

33 *Quinta ratio.* Quintò: *cap. Consultationi*, &c. *de frigidis, & maleficiatis*, vbi Lucius III. agit de eo, qui scienter contraxit cum arcta, dicit matrimonium quidem esse nullum, & quas tanquā vxores habere non possunt, habeant vt sorores: ergo si non possunt esse vxores, nec matrimonium constare potest, ex quo titulus vxoris, & appellatio innascitur: appellatio autem diuersa sororis aliud genus societatis indicat, & non coniugalis: & idem habetur *cap. Landabilem*, &c. *eodem titulo*. *Diuersa appellatio diuersam indicat societatē.*

Pater Basilius Legionēsis tenet contrariam sententiam. Contrariam sententiam acriter defendit Pater Basilius Ponce in suo libro *de impedimentis matrimonij*, qui etiam se remittit ad disputationes Scholasticas de hoc, quas ego non vidi. Interim *in hoc libro*, quæ obiicit, diluemus.

34 *Obiectio prima.* Obiicit primò. Primùm Magistrū, & D. Thomam, quos alij in eandem sententiam adducunt; quantùm ad priorem autem intelligi nequit ad scopum distinctionis præmissæ ab eodem Authore, nempe matrimonium scienter contractum ad finem continentiæ inter impotentes esse validum, modò, vt dixi, scientes impoten-tiam

tiam ad hunc finem contrahunt. Esse verò nullum, si contrahant ignorantes, aut fine regulari, ex quo emanat obligatio debiti, saltem in habi-
Explicatur Magister. tu, & vinculo. Magister dicit frigidos esse partim legitimos, partim illegitimos; hoc autem intelligit de iisdem, vt ignorantes contrahunt, & secundùm contractum, vt regulariter est ad finem destinatum propagationis, quo casu admittit Basilius matrimonium esse nullum. Ver-
Diuersæ qualitates personarum. ba Magistri sunt: *Media verò sunt, nec plenè legitima, nec plenè illegitima, per frigiditatem, per conditionem: si enim tales coniunguntur per ignorantiam, commanere possunt, quibusdam accedentibus causis, & eisdem deficientibus diuidi*, &c. Diuidit personas in plenè legitimas, & plenè illegitimas, & medias, quæ nec in vno, nec in altero extremo sunt; & loquitur de iis, quæ ignoranter coniunguntur; & inter quos est inualidum matrimonium, quia separari potest, & mulier transire ad secundas nuptias, vt patet ex verbis Gregorij, quæ citat: quod ergo quibusdam accedentibus conditionibus commanere posse dicit, intelligit non de commanentia, sicut mariti & vxoris, sed sicut fratris & sororis, in com-
Explicatur D. Thomas. munione obsequij, & bonorum. D. Thomas etiam, quamuis clariùs proponit casum de contractu inter impotentes scienter facto, tamen ab aliis aliter intelligitur, & sentẽtia eius, quam *suprà* expressimus de matrimonio Virginis, & Iosephi, & de voto Virginis ante matrimonium (quod secundùm ipsum fuit conditionatum tantùm, & non absolutum, quia aliàs non liceret ei contrahere matrimonium, quia nempe matrimonium ex natura contractus ordinatur ad copulam) hæc, inquàm, sententia parùm fauet illi, quam ex eo asserit præfatus Author.

35 *Obiectio secunda.* Augustin. Obiicit secundò D. Augustinum de bono coniugali, cap. 1. *Consequens ergo est* (inquit Augustinus) *connexio Societatis in filijs, qui vnus honestus fructus est, non connexionis maris, & fœminæ, sed concubitus: poterat enim esse in vtroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius regentis, alterius obsequentis amicabilis quædam, & germana coniunctio*, &c. In quibus asseritur proles fructus esse concubitus, non coniunctionis; concubitus etiam sumitur non pro copula, sed pro contractu in ordine ad copulam, quasi dicat filios esse finem, quem intendit matrimonium in ordine ad copulam: distinguit ergo Augustinus contractum in eum, qui fit ad copulam animorum, & eum, qui fit ad copulam corporum, in ordine ad filios: & ait posse stare priorem sine posteriori. Item *cap. 2.* relinquens quæstionem illam incertam, quomodo scilicet nascerentur filij primis parentibus, si non commiscerentur, si per alium amplexum, quod possibile est Deo: tamen certissimum est apud illum, si ita eueniret, matrimonium inter primos parẽtes verum fore.

36 *Responsio.* Respondeo primùm ex ipso Augustino *lib. 9. de Genesi ad literam*, quem librum scripsit post illum, *de bono coniugali*; vt patet *cap. 7. in fine*, vbi allegat librum *de bono coniugali. Vnde ait, quia satis disseruimus in eo libro, quem nuper edidimus de bono coniugali*, &c. scilicet de triplici bono matrimonij, Sacramenti, prolis, & fidei, de quibus in prædicto capite agit, & de gradu perfectionis virginalis, & vidualis, dicit se egisse *in libro de bono coniugali*, quod verum est, *cap. 19. & sequentibus.*

Augustin. Augustinus ergo super illa verba Genesis; *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*, &c. respondet cap. 3. *Si autem quæratur ad quam rem fieri oportuerit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos; sicut adiutorium semini terra est, vt virgultum ex vtroque nascatur: hoc enim, & in prima rerum conditione dictum erat, masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos Deus, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & dominamini eius. Quæ ratio conditionis, & coniunctionis masculi & fœminæ, atque benedictio, nec post peccatum hominis, pœnámque defecit*, &c. & infrà cap. 4. & 5. *Aut si ad hoc adiutorium gignendi filios non est facta mulier viro; ad quod ergo adiutorium facta est? si quia simul operarentur terram, nondum erat labor, vt adiumento indigeret; & si opus esset, melius adiutorium masculus fieret: hoc & de solatio dici potest* (scilicet causa condendi fœminam) *si solitudinis fortasse tædebat.*

Respondet, neque ad hoc fuisse conditam, 37 *Finis creandi mulierem.*
Quantò enim congruentiùs ad conuiuendum, & colloquendum duo amici pariter quàm vir, & mulier habitarent? quòd si oporteret alium iubendo, alium obsequendo pariter viuere, nè contraria voluntates pacem cohabitantium perturbarent: nec ad hoc retinendum ordo defuisset, quo prior vnus, alter posterior, maximè si posterior ex priore crearetur, sicut fœmina creata est. An aliquis dixerit de costa Deum fœminam tantùm, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? quapropter non inuenio ad quod adiutorium facta est mulier viro, si pariendi causa subtrahatur. cap. 6. idem declarat, & cap. 7. eandem conclusionem replicat. *Non itaque video*, inquit, *ad quod aliud adiutorium mulier facta sit viro, si gignendi causa subtrahatur: quæ nihilominus quare subtrahatur, ignoro*, &c. Quod probat, quia ideò virginitas nunc commendatur, quia propagatio est multiplicata. & *cap. 8.* examinat rationem quare connubium ad effectum prolis aliqui damnant, scilicet Manichæi: quia in concubitu est concupiscentia. Respondet fieri nunc venialem per matrimonium, & in paradiso non fore, ac tandem *cap. 11.* concludit censurans oppositam sententiam.

Factam itaque fœminam, inquit, *de viro, in eo sexu, in ea forma, & distinctione membrorum, quæ fœminæ nota sunt, quæ peperit Cain, & Abel, & omnes fratres eorum*, &c. *ex quibus omnes homines nascerentur, in quibus peperit etiam Seth, per quem ventum est ad Abraham, & ad populum Israël*, &c. *quisquis dubitauerit, omnia cogit vitare* (vel vt alia litera) *nutare, quæ credimus longéque à fidelium mentibus repellendus est*, &c. Sentit ergo Augustinus non esse consonam fidei illam sententiam, quæ asserit coniunctionem viri, & mulieris non esse factam, aut ipsam mulierem conditam ad finem solius propagationis de facto; quia *nutare*, aut *vitare facit omnia quæ credimus*, de ipsa conditione mulieris, de benedictione matrimonij, & propagatione populi Dei, si non ad hunc solum finem dicat fœminam in differentia sexus, & formæ creatam. Alios autem fines, qui attexuntur Societatis, & ordinis, *suprà* impugnat. Quæstionem ipsam ex proposito hîc tractat, vt patet ex verbis sequentibus immediatè. *Cùm ergo*, inquit, *quæritur ad quod adiutorium factus sit ille sexus viro diligenter, quantùm valeo cuncta cogitanti, non nisi causa prolis occurrit, vt per eorum stirpem terra impleretur*, &c. *Censura oppositæ sententiæ.*

Admittit Pater Basilius matrimonium in ordine 38

dine ad copulam, & generationem esse irritam inter impotentes; habet ex Augustino aliter non posse iniri matrimonium, neque coniunctionem viri, & mulieris, aut huius creationem in differentia illa sexus, & formæ esse, nisi ob eundem finem. Habet ex Matth. *cap.* 19. matrimonium primorum parentum esse idem in ratione contractus cum matrimonio reliquorum, & easdem leges sortiri. Habet idem ex Paulo 1. *ad Corinth.* 7. & *ad Ephes.* 5. qui aliud genus matrimonij non agnouit, nisi illud quo coniuges sunt vna caro, ac proinde viros debere diligere vxores, vt carnem suam, & matrimonium esse illud, ex quo innascitur debitum copulæ; aliud non agnouit Augustinus, quod nullum in actu, aut habitu saltem ordinē diceret ad propagationem.

Alij Patres idem asserũt. Nec solius Augustini est hæc sententia, sed reliquorum Patrum. Iustinus. Iustinus *in oratione ad Antoninum Pium: Aut vtimur coniugio propter sobolem, aut abstinentes in perpetua abstinentia degimus.*

Irenæus. Irenæus *lib. contra hæres. cap.* 30. loquens de Saturnino, & Marcione; *Abstinētiam à nuptijs annunciauerunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, & obliquo accusantes eum, qui & masculum, & fœminam ad generationem hominum fecit,* &c.

39 Basilius. Basilius *lib. de virginitate: Tunc legitimum constat esse connubium, & secundùm diuina Iura institutum, cùm non voluptatis affectus legis scita præcesserit, sed adiumenti necessarij, prolisque causa fuerit huiusmodi facta coniunctio*; & infrà: *Quid est autem in Domino nubere? Non autem vt vile mancipium voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi: sed indicio, & commodioris vitæ ratione nuptias eligere. Ideò enim matrimonij necessitatem creator in natura constituit,* &c.

Theodoret. Theodoretus *in epitome diuinorũ Decretorum, cap. de matrimonio. Sufficit autem,* inquit, *vt sexus differentia ad ostendendam causam opificij: eius enim causa formauit mulierem vniuersorum effector; quamobrem etiam adiutricem appellauit: faciemus enim,* inquit, *adiutorium simile sibi, non solùm autem formauit, sed etiam viro coniunxit,* &c. *ipse veluti donum quoddam matrimonio hanc benedictionem obtulit: Crescite & multiplicamini,* &c. *Videãtur reliqui contra hæreticos antiquos.* Sed vt breuior sim, Patres contra antiquos hæreticos impugnantes, alium finem non prætexunt, præter propagationem, seu officium naturæ, & remedium infirmitatis, de quibus in superioribus latiùs dictum est.

Explicatur locus Augustini. Ad prædictum ergo locum Augustini, patet ex dictis eum non velle intendere à matrimonij contractu separare finem propagationis, sed addere etiam societatem, quod omnes admittunt. Et in illis verbis, *Poterat enim in vtroque sexu, sine tali commixtione alterius regentis, alterius obsequentis amicabilis quædã, & germana connexio,* &c. intelligenda sunt de possibili, non autem de facto. De facto autem non ita datum esse hoc adiutorium homini, sed ad finem generationis loco proprio iam citato posteà tractauit. Quæstio subiecta Augustini: *Quomodo scilicet nascatur eis proles in eo statu coniunctionis, quo non fieret ad propagationem,* ostendit clarè eum loqui de coniunctione, quam Deus potuit efficere, non de ea quam de facto effecit. Nam *in lib.* 9. *de Genesi ad literam* negat expressè ob finem amicabilis Societatis conditam, & coniunctam esse mulierem, aut ordinis, quo alter regeret, & altera obsecundaret, sed ad finem prolis. Quòd si contrarium hîc dixisset, iam in opere posteriori rem attentiùs perscrutans censeretur retractasse.

40 Adde vlteriùs in eo casu, non dicere Augustinum fore Societatem coniugalem, sed amicabilem, & germanam, quæ alterius rationis esset à Societate coniugali, qua facti sunt duo in carne vna, & vniuersaliter intelligitur de omni connubio; non quia Eua ex costa Adami ædificata est; sed etiam quia coniuncta est in matrimonium perinde ac aliæ, quæ ex viris non descendunt.

Obiectio tertia. Obijcit tertiò, *ex cap.* 3. vbi coniugium esse bonum præmittens, subiungit: *Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem: alioquin non diceretur coniugium iam in senibus, præsertim si vel amisissent filios, vel minimè genuissent. Nunc verò in bono licèt annoso coniugio, & si marcuit ardor ætatis inter masculum & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum, & vxorem,* &c. Ex quibus verbis, & sequentibus, quæ idem significant, colligit præfatus Author duplicem finem matrimonij, quorum alter est prolis, alter verò societatis. Hos etiam fines non modò consideratione, sed re ipsa separari posse, verbi gratia, in senibus: finem verò societatis esse primarium.

41 *Responsio. Tria bona matrimonij docet Augustinus.* Respondetur eum torquere Augustinum ad prætensam sententiã magis, quàm assequi mentem eius: nam Augustinus disserit de triplici bono matrimonij, quorum primum dicitur vnio, seu vinculum naturale, seu nexus, vt appellat; Tridentinum *in c. Doctrinali, de matrimon. sess.* 24. vel vt alio nomine appellat Augustinus bonum Sacramenti. Secundum bonum matrimonij asserit esse prolem. Tertium bonum asserit esse remedium concupiscentiæ, vt patet ex discursu eius. De tribus ergo his bonis disserit Augustinus, vt patet ex titulo libri, & eius discursu. *Per societatẽ intelligit vinculum.* In initio verò huius capitis dicit bonum hoc societatis esse insolubile: intendit ergo vinculum: sed matrimonium cõsistit in vinculo ipso; & loquitur prætereà de matrimonio, vt etiam ordinatur ad copulam, vt patet ex ratione subiecta, qua probat bonum matrimonij non in sola prole consistere, sed etiam in societate: *Alioquin,* inquit, *non iam diceretur coniugium in senibus, præsertim si vel amisissent filios, vel minimè genuissent,* &c. nempe si essent steriles, intendit matrimonium in ordine ad copulam, contractum in iuuentute, quando illa haberi potuit, & illud perseuerare inter senes, qui amiserunt polem, *in quibus licèt emarcuit ardor libidinis inter masculum & fæminam; viget tamen ordo charitatis inter virum & vxorem, quia quantò meliores sunt, tantò maturiùs à commixtione carnis suæ pari consensu se continere cœperunt,* &c. *vt laudis esset primum voluisse quod possint,* &c. *Augustinus agit de matrimonio in ordine ad copulam.* possint ergo commisceri, & consequenter supponitur matrimonium eorum dicere ordinem ad copulam: nam aliud matrimonium impotentium, & spirituale ad finem continentiæ contractum; de quo Basilius; sine ordine ad copulam non permittit posse esse ad copulam, quia est contractus alterius rationis, & finis, non cohærentis cum potestate licita ad copulam, vt ipse asserit: ergo de tali matrimonio senum non agit Augustinus, sed de matrimonio dicente ordinem ad copulam, sicut reuera illud apprehendit, in quo fuit proles, licèt amissa, vel potuit esse; & in quo copula est licita; à quo communi consensu abstinendo,

nendo, cùm possit esse vsus eius licitus, acquiritur laus.

42 *Scopus Augustini est ostendere insolubilitatem vinculi.* Intentum ergo Augustini est (vt singula verba non percurram) ostendere insolubilitatem matrimonij, & vinculi, siue proles ex eo matrimonio suscipiatur, siue non, & in senibus, & cadauerinis iam corporibus, in quibus ardor concupiscentiæ emarcuit, perseuerare vinculum hoc insolubile, insolubilitatémque eius non à prole edita dependere, vt est bonum diuersum matrimonij, quod immediatè subiicit, vt videnti apparet; agit enim de matrimonio, vt habet tria illa bona, Sacramenti, fidei, prolis. De mamonio, inquam, quod ad hæc tria ordinatur; *Redargutio.* vnde collectio illa præfati Authoris non sequitur; primò enim non benè dicit Augustinum separare bonū societatis à bono prolis tanquam diuersos fines, ad quos seorsim subsistere posset contractus, quia non dicit, nisi matrimonium non esse insolubile propter solam prolem, sed etiam societatem. Intelligit ergo ex vtroque esse insolubile, ac proinde de eo loquitur, quod ad vtrumque ordinatur. *Reijciuntur illationes ex sententia Augustini.* Deinde, non rectè confundit ordinem contractus ad copulam, & prolem, vt finem matrimonij, cum ipsa prole, vt consequitur tanquam fructus matrimonij: sic autem loquitur Augustinus hîc de prole. Tertiò, non rectè dicit societatem hanc esse finem primarium matrimonij ex Augustino, quia id non dicit Augustinus. Si loquamur autem de societate in vinculo, nequit esse finis matrimonij, cùm sit ipsum matrimonium, vt nunc de eo loquimur. Si loquatur de societate quoad mutuum amorem, & obsequia, non est tam finis matrimonij, quàm effectus & obligatio sequens, quia si matrimonium est indiuidua vitæ societas inter marem, & fœminam, necessariò inducit hunc effectum mutui obsequij in opere, quantùm ad obligationem. Hic effectus non coincidit cum causa finali, quæ debet esse extrinseca; sicut neque finis præcepti dicitur obligatio præcepti. Finis ergo matrimonij non est illa societas hoc modo intellecta, sed proles, & copula, de quibus superiùs egimus *dist.* 30.

43 *Alia loca Augustini obiecta exponūtur.* Adducit prætereà quædam loca Augustini *lib.* 23. *contra Faustum, & lib.* 1. *de nuptijs & concupiscentia, de matrimonio Virginis, & lib.* 2. *de consensu Euangelistarum, cap.* 2. Sed nihil fauent, quia licèt matrimonium Virginis non dixerit ordinem ad copulam, habuit aliam rationem, quia per media altiora attigit finem prolis, vt suo loco diximus; *De cōtrahentibus cū animo abstinendi à debito.* licèt etiam de communi consensu, contracto matrimonio aliqui abstineant à debito, vel anteà etiam contrahunt cum animo, & voto abstinendi, non inde sequitur quin contractus inducat obligationem ex natura sua, & dicat ordinem ad copulam in habitu, licèt actus subsequens impediatur in effectu, quia cedunt vtrimque iuri suo, quantùm ad petitionem, quæ conditio requisita est, vt redditio fiat, quia vbi nulla petitio, nulla est mora, non tamen obligationi. *Requiritur in eis capacitas ad cōtractum.* Supponitur autem in eis capacitas ad contractum, vt possint esse capaces obligationis, quam inducit talis contractus, quod non inuenitur in impotentibus.

Obiectio. Obiit prætereà Hugonē de Sancto Victore.

Soluitur. Respondeo sententiam illam Hugonis, quam inuenit ad saluandum matrimonium Virginis & Iosephi, non admitti communiter, & reputatur singularis.

Obiicit vltimò rationem, non requiri ad matrimonium aliud quàm sit mutua animorum connexio cum differentia sexus; sed hoc totum reperitur in hoc matrimonio impotentium: ergo, &c. 44 *Obiectio vltima à ratione.* Maiorem probat primò, quia ex ratione contractus in genere, vbi dominium ab vsu distinguitur, potest acquiri dominium sine vsu: ergo etiam dominium corporum sine vsu copulæ, aut ordine ad ipsam. Non obstat etiam ratio particularis matrimonij, tum ex authoritatibus adductis in oppositum, tum etiam quia gratis assumitur, & non probatur. Contrarium patet ex Augustino, qui nullibi explicat ordinem matrimonij ad copulam in locis adductis. Deinde ex definitione matrimonij, vel à Magistro *in* 4. *dist.* 27. quòd sit *viri mulierisque coniunctio maritalis*, &c. vel ab aliis, quòd sit *coniunctio maris & fœminæ inter personas legitimas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens*, &c. Deinde, contra nihil cogit, quia ille finis tantùm cogeret, nempe procreationis, ad quem ordinatur matrimonium; sed ille non cogit, quia non est finis præcipuus, qui potest stare sine posteriori. Secundò, probat eandem maiorem, quia virtute duplex finis in matrimonio ita se habet, vt priùs respiciat societatem, & tanquam fundamentum alterius, nimirùm ordinis ad copulam, seu ad prolem. Et ita hæc causalis est vera; *Quia propriam fecit coniugem, éstque in sua potestate priori vinculo societatis, ideò vti potest corpore eius ad procreationem liberorum*: ergo tota ratio contractus est in priori vinculo, seu obligatione, cùm in eo ab omni alio distinguatur, & possit separari à posteriori: ergo corpus aptum generationi non requiritur ad priorem obligationem, quia ideò requiritur vt proles sequatur; hæc autem non est necessaria, sed merè concomitans, si corpus sit aptum generationi. Subiicit alias probationes eiusdem maioris à posteriori; sed antequàm adducantur, respondendum est ad præmissam.

Respondetur negando maiorem, & quidem ex Augustino *loco citato super Genesim ad literam, lib.* 9. qui differentiam sexus, & formam diuersam ad finem procreationis conditam asserit, non ad societatem primariò; neque ad seruandum ordinem in ipsa societate, ad quæ differentia sexus nihil cōducit, ex ipso, qui seuerè etiam notat oppositam sententiam. 45 *Responsio.* *Matrimonij finis procreatio ex Augustino, & Patribus.* Eandem sententiam tenent reliqui Patres, & ex ea solùm præsumptione heretici antiqui damnabant nuptias, ex eo quòd ordinarentur ad copulam, per quam vt per medium attingi deberet finis; damnabant, inquam, absolutè nuptias, quia ab hoc fine non diuelluntur. *Controuersia inter hereticos, & Ecclesiam, eiúsque punctus.* Patres è contra absolutè nuptias propugnabant, ex prima institutione earum, & vt ad procreationem prolis ordinabantur in officium naturæ, & ad remedium, seruando castitatem coniugalem; medium autem statum matrimonij ex natura contractus non inuenerunt Patres. Ideóque plerique negauerunt matrimonium propriè dictum esse inter Virginem, & Iosephum. Alij admiserunt matrimonium, sed sine vsu; quos sequuntur reliqui præter Hugonem à Sancto Victore, qui hoc genus matrimonij spiritualis ad finem charitatis inuenit, & mutui obsequij, ex quo desumpsit aduersarius distinctionem & differentiam, & separationem in re vtriusque matrimonij. *Sentētia Hugonis singularis.* Neque Ecclesia approbat aliud genus matrimonij corporalis, *Sensus Ecclesiæ & Canonum.*

ralis præter illud, quod ex natura contractus ordinatur ad copulam. Circa quod omnia Ecclesiæ statuta *in titulis de sponsalibus, & matrimonio*, & *reliquis sæpiùs citatis*, versantur; neque alterius matrimonij mentionem vllam facit, quamuis approbet continétiam coniugum, sine separatione thori, aut cohabitationis, aut certè conuersionem ad religionem, nisi aliud obstet, quàm matrimonium.

46 Ad primam probationem, & antecedens distinguo, quando personæ sunt capaces dominij concedo; & quando materia ipsa permutationis, cuius dominium ex contractu acquiritur, non sit lege prohibita, concedo. Ad contractum enim in genere, & lege firmatum, hæc duo requiruntur. Et nego consequentiam pro secunda parte, quia licèt dominium in corpus alterius separari possit ab vsu copulæ, & cohabitationis, vt quando coniuges ingrediuntur Religioné matrimonio consummato, vel quando vouent castitatem communi consensu: vel in quocumque casu, quo alter perdit ius petendi, & impeditur vsus matrimonij ex lege. Tamen matrimonium semper (excepto matrimonio Virginis, de quo *suprà* aliter dixi, ac proinde in locutionibus vniuersalibus illud non comprehendo) dicit ordinem ad copulam, quia translatio dominij in corpora mutua ad hunc effectum fit; & ideò hæc conditio vitiat contractum, *cap. finali, de conditionibus appositis, contraho tecum ea lege, vt non tenear tibi ad debitum reddendum; ea lege vt sumas venena sterilitatis*, &c. quia sunt contra substantiam contractus matrimonij.

Ad contractum legitimum requiri materiam capacē, & personas habiles.

Si dicas ibi agi de matrimonio in ordine ad copulam.

Respondeo id verum esse: quia id genus matrimonij solùm datur in *esse* Sacramenti, & contractus; & ideò loquitur absolutè, & sine vlla limitatione, aut distinctione, dicens illas conditiones apponi contra substantiam matrimonij.

Incapacitas impotentium.

Ad propositum ergo dico ex rationibus præmissis impotentes, cognitas vt tales, esse inhabiles ad contractum matrimonij, & obligationem connaturalem eius, & hoc lege naturali: corpus etiam impotentis esse materiam prohibitam eadem lege, quia nequit applicari ad finem contractus, qui supponit materiam capacem commutandam esse.

47 Ad alteram probationem ex natura contractus in specie, negatur, & contrarium sufficienter probatum est, neque Augustinus est contrarius, vt *suprà* explicuimus, neque illud genus matrimonij agnouit, aut docuit: *in loco* enim *secundo citato ex libro de bono coniugali*, rectè dicit Augustinus matrimonium, seu vinculum societatis inter coniuges esse insolubile, aut inseparabile, nisi ex causa fornicationis; vbi alludit ad verba Christi, *Matth.* 19. ergo loquitur de vinculo coniugali, de quo Christus ibi loquitur; sed ibi agitur de matrimonio in ordine ad copulam, vt omnes interpretes fatentur: ergo hoc intelligit Augustinus, & non aliud. Cuius ratio ex Euangelio adducta ad illud genus matrimonij respicit, sicut & altera eius ratio, nempe Christum approbasse matrimonium vt bonum sua præsentia in Cana Galilææ. Si autem Augustinus intenderet matrimonium, iuxta modum interpretationis adductæ in oppositum, illa exceptio causæ fornicationis non esset ad propositum de separatione illius matrimonij.

Natura contractus in specie.

Augustinus agit de matrimonio, de quo agit Christus.

Quod probatur: ex natura talis contractus non transfertur dominium corporis in ordine ad copulam, aut prolem, sed tantùm in ordine ad societatem, & mutua obsequia charitatis: ergo alter non acquirit ius aliquod in corpus alterius, nisi præcisè vt commutabile ad vsum, quem etiam præcisè respicit contractus talis in specie, & secundùm finem suum, vt distinguitur ab eo, quo acquiritur dominium in corpus in ordine ad generationem: ergo si vtatur fœmina suo corpore in ordine ad generationem cum alio, non tollit aliquod bonum fidei debitum alteri, quia non debetur, nisi fides obsequij, & non copulæ: ergo per hoc non solueretur tale matrimonium; & sic ratio adducta ab Augustino ex Scriptura non esset probabilis; proindéque intelligendus est de illo contractu, cuius fidem violat fornicatio, non de alio. Accedit quòd intentum eius ex verbis sequentibus clariùs innotescat, vt visum est in responsione ad ipsum.

Probatio.

Inconuenien. sequens ex priori sententia.

Ad definitiones allatas respondeo, definitioné Magistri in recto includere, vt matrimonium sit coniunctio maritalis, & amicabilis tantùm; ad hoc requiritur ordo eius ad finem generationis, ad quem instituitur. Eodem modo intelligenda est secunda definitio, quia Iura non tractant aliud genus matrimonij, neque proinde definiunt. 48

Definitiones matrimonij respiciūt contractum, de quo iura disponunt.

Ad illud quod dicit nihil cogere ad oppositum, iam responsum est per argumenta pro conclusione adducta.

Ad secundam probationem eiusdem maioris, respondetur inutiliter adduci duplicem consensum virtualem; est enim vnus tantùm formalis in permutationem corporum, prout natura contractus exigit, & exprimitur per formam vulgarem, qua contrahitur, *Accipio te in meum, accipio te in meam*, &c. reliquæ obligationes sequuntur ex natura ipsius contractus. Quod dicit obligationem societatis esse fundamentum obligationis ad copulam, & hanc causalem esse veram; *Quia recipit coniugem in suam potestatem, & facit propriam priori vinculo societatis, ideò potest vti corpore eius ad copulam.*

Secunda probatio reyicitur.

Causalis.

Respondetur committi æquiuocationem: vel enim intelligit vinculum societatis ipsum vinculum indissolubile, quod inducitur ex contractu, & inseparabile, quod ab aliis, & Augustino dicitur bonum Sacramenti, vel intelligit vinculum societatis obligationem mutui obsequij, quæ incurritur ex vinculo matrimoniali. Si primum intendit, concedo sic vinculum societatis esse fundamentum obligationis ad copulam. Sed sic dicimus nos ordinari illud vinculum ad copulam, & prolem, vt ad finem, ad quem est primò institutus contractus: & causalis eodem sensu intellecta admittitur, & sic nihil vrget. Si intelligat ipsa mutua obsequia, & obligationem ad illa, negatur hanc esse fundamentum prioris, sed è contra, sicut ipse contractus ordinatur ad procreationm, vt ad finem: sic etiam omnis eius obligatio connaturalis ad eundem finem refertur. Et hæc causalis est vera, *ideò ordinata est societas maritalis in differentia sexus*, &c. vt sequeretur procreatio generis arguendo à causa finali: ordo enim effectus ad causam finalem est immediatus, & nó mediante alio, 49

Fallacia causalis.

Causalis vera.

alio, quia circumstantia finis est prima inter reliquas; neque alioquin erat necessaria indiuidua hæc & singularis societas, nisi propter finem illum intentum; magis enim ordinabilis erat inter fratrem & sororem, inter ipsos fratres, & parentes, quàm inter virum, & alienam vxorem, nisi ad bonum prolis, & propagationem esset instituta.

50 *Ratio eiusdē Authoris à posteriori.* Secundò, probat intentum à posteriori: deficiente materia necessaria deficit Sacramentum, vt patet inductione in omnibus: ergo si materia necessaria matrimonij sit corpus habile generationi, superueniente impedimento soluitur matrimonium; neque enim alia ratione mutatio sexus, si euenerit, vt scilicet mulier in virum mutetur (vt sæpè euenit) soluitur matrimonium, nisi quia vterque sexus est materia necessaria.

Solutio. Torquetur ratio in oppositum. Respondeo, vt primùm ipse respondeat, quia in matrimonio cōtracto ad vsum procreationis, & ex illo fine, maximè quando est consummatum, de fide est esse insolubile per impedimētum superueniens impotentiæ; hoc matrimonium per ipsum est nullum inter impotentes, & manet, vt dixi, superueniente impedimento impotentiæ. Quòd si præcessisset, annullaret contractum; non annullat, si subsequatur. Vnde sequitur corpus habile esse materiam necessariam eius, quando initur. Item, matrimonium ad finem societatis nequit iniri cum amente, neque ob alium finem; tamen initum, si superuenit amentia, non dissoluitur. Ratio à priori est institutio, & lex, & perpetuitas cōtractus, quando non impeditur, dum initur; & quamuis contractus vitietur quoad substantiam à principio aliquando ex parte materiæ, aliquando ex qualitate materiæ, aliquando ex defectu solemnitatis requisitæ, aliquando ex defectu finis debiti, & huiusmodi; tamen in differenti gradu hæc requiruntur: differentia sexus requiritur in ordine ad matrimonij contractum, tamquam species personarum essentialis in *esse* morali ad hūc contractum; & materia per se requisita, in qua fit permutatio, quia est res ipsa commutata secundùm speciem, quæ si perit, perit etiam titulus acquisitus in illam rem, & omnis obligatio annexa rei, quacumque ex causa, tanquam subiecto, perinde perit persona in ordine ad contractum factum, vel faciendum siue moriatur naturaliter, siue moriatur quoad sexum requisitum in specie differenti; & sicut per mortem naturalem coniugis soluitur contractus, ita etiam per destructionem sexus perinde soluitur, quia perit res ipsa in substantia, vt erat subiectum contractus, & sic desinit consequenter contractus, qui ex vi consensus qui dirigitur ad personam, vt erat in differente sexu, mutato sexu non tenet, sicut vniuersaliter ex simili causa error personæ ex defectu consensus annullat ab initio contractum, quia consensus adhæret alteri personæ vt subiecto.

Diuersitas inter per se requisita ad contractum substantialiter.

Differentia sexus quomodo exigitur?

Mutatio sexus cur soluit matrimonium.

51 *Qua ratione potētia requiritur ad contractum?* Quandoque contractus ab initio est nullus, quando deficit qualitas, seu dispositio ex parte materiæ, requisita in ordine ad finem contractus, cui adhæret, non tanquam subiecto, sicut adhæret ipsi personæ, sed vt conditioni requisitæ ad vsum materiæ, &, vt dixi, respectiuè ad finem contractus; talis est potentia in viro, & muliere, quæ si præcessit contractum, erit validus ex hac parte, & quando semel transfertur dominium, & possessio materiæ dispositæ, & non impeditæ, translatæ in alium, ipsi manet. Quòd si mutetur in qualitate, aut quantitate requisitis aliàs ad celebrandum contractum ab initio, non refert, quia ipsum subiectum contractus manet, & vitium his superueniens non destruens substantiam, damno possessoris, & domini aduenit, & consensus prior respectiuè ad ipsam rem subsistentem, & manentem, ex accidenti tamen vitiatam posteà, in manu Domini possidentis, manet quoad substantiam suam, qui afficit rem ipsam manentem iuxta qualitatem, quam habuit, dum initus est contractus, & non iuxta mutationem accidentalem posteriorem eius acquisitioni. Ex quo patet diuersitas inter mutationem sexus, & impedimentum superueniens matrimonio in ordine ad solutionem eius: quia destructo subiecto, aut re ipsa, destruitur consensus matrimonialis prior, & quidquid adhæret subiecto. Destructa autem qualitate subiecti non destruitur, quia non adhæret subiecto nisi iuxta qualitatem, quam habuit pro tempore contractus, & non iuxta mutationem sequentem.

Consensus quomodo adhæret subiecto?

Prætereà, etsi qualitas materiæ respectiuè ad finem exigatur ad ineundum contractum; tamen ex hoc non cessat obligatio contractus initi etiam in ordine ad finem ipsius, quando aliquis finis eius manet, quia vsus vniuersaliter rei non tollitur, neque consequenter dominium acquisitum; sed licèt impotentia superueniens coniugi tollat vsum matrimonij in ordine ad finem prolis, & copulæ, non tollit tamen vsum eius in ordine ad obsequia debita, & mutua societatis, & educandæ prolis, si præcesserit, & gubernandæ familiæ, quamuis hæc sola non sufficerent ab initio, si fuit impotens, qui contraxit, tamen sufficiunt ad continuandum dominium acquisitum, vt vsus eius sit commodus, ac proinde ad continuandum dominium sufficit, licèt ad acquirendum non sufficeret: si enim finis minùs principalis, verbi gratia, in sterilibus sufficiat ad ineundum contractum validè, quando non excluditur finis principalis, sic etiam aliquis finis minùs principalis sufficit ad continuandum idem dominium acquisitum, licèt ex impotentia superueniente non posset res ordinari per vsum ad quemcumque suum finem. 52

Contractus initus manēte aliquo suo fine perseuerat.

Deinde, si contractus legitimè sit initus, sufficit ad perpetuum eius vsum, & vinculum perpetuum, vt finis vniuersalis, quem respicit ex perpetuans contractum, non cesset, quamuis particularis in his coniugibus cesset ex impedimento accidentali superueniente. Non enim ideò obligatio ieiunij ad macerationem carnis ordinati desinit in persona impotente, quamuis nullam carnis petulantiam sentiat, quia lex præcipiens intendit finem vniuersalem, & non particularem conditionem huius, aut illius personæ. Prætereà licèt obligatio ad copulam incurritur ex vi contractus, tamen in potestate coniugum, & libertate est vsus illius, à quo communi consensu non solùm licitè, sed etiam meritoriè abstinent, & ei renuntiare possunt; quamuis dominio ipsi non possint renuntiare, quia in iis perseuerat sine vsu ex natura ipsius contractus, & lege. Quod ergo possunt coniuges ex communi consensu sine præiudicio obligationis redundantis ex contractu, id 53

Perseuerat cōtractus initus stante fine vniuersali.

Cōsensus abstinendi à debito comparatur impedimento superuenienti.

etiam præstat impedimentum superueniens, quod tollit vsum separabilem manente dominio, & contractu.

4 Ex quibus patet ad reliqua, quæ adducit hic Author ex æquiuocatione magis terminorum, quàm ex fundata ratione; colludit enim in illis vocabulis, *Materia per se necessaria, vitiari contractum substantialiter*, &c. quæ iam declarata sunt: nam contractum vitiari substantialiter est deficere in aliquo per se requisito ad contractum, vnde fiat nullus; vt si deficiat præsentia, verbi gratia, Parochi, & testium, vbi matrimonia clandestina, & præsumpta non tenent. Cæterùm non inde sequitur ad contractum ipsum aliquid præ reliquis spectare ad substantiam magis, quàm alia: quia quæ de Iure diuino sunt requisita, magis spectant ad substantiam contractus, quàm de Iure humano requisita, imò inter hęc ipsa est magna latitudo. Materia etiam, seu res pemutanda, & persona magis requiritur, quàm qualitas materiæ, & aliæ conditiones: spectate ergo ad substantiam contractus ex communi vsu dicimus, quidquid ad valorem eius est necessarium; aliqua tamen in differenti sunt gradu, vt explicatum est. Personam in differentia sexus, viuam vita naturali & ciuili, hoc est, quæ non transit post matrimonium ratum ad Religionem; requirimus ad contractum non solùm ineundum, sed etiam continuandum, reliqua ad ineundum, & non continuandum contractum, quæ respectiuè ad personam comparata habent rationem accidentium, & qualitatis; respectiuè verò ad valorem contractus ab initio dicuntur substantialia, quia sine illis est irritus: substantialia, inquam, vt comparantur ad alia, quæ non irritant, sed vitiant contractum ne licitè ineatur; quæ differentia est vulgaris, & peruia in materia permutationis, & contractuum.

Differentia interea, qua ad substantiã contractus requiruntur.

Æquiuocatio terminorum declaratur.

55 Obiicit secundò argumentum ex impedimento morali voti, quod habuit Virgo ad matrimonium ineundum; inde deducens impedimentum naturale impotentiæ perinde se habere. De hoc matrimonio Virginis iam suo loco diximus, qualis fuerit eius consensus, ideò ne eadem repetamus, abstrahendo à materia hac, argumẽtum reducimus in sua principia vniuersalia. Admittit præfatus Author matrimonium in ordine ad copulam contractum annullari per impotentiam; at nullus admittit impediri per votum simplex, quale fuit illud Virginis: ergo magna differentia est etiam inter hæc duo impedimenta ex lege diuina in ordine ad matrimonium, & cõsensum in ipsum. Potest etiam in virgine votaria esse consensus in matrimonium, qua vt contractus ordinatur ad copulam, cum dissensu in ipsum vsum copulæ, & licitè, si ingrediatur Religionem, aut illam intendat, & semoueat omne periculum copulæ in actu, quo casu contrahit matrimonium ratum in ordine ad copulam, quantùm ad obligationem; quæ tamen suspenditur ab vsu, & impeditur; neque est inconueniens manere obligationem alicuius in dominio, & iure, cum suspensione, & impedimento vsus. Siue ergo Beata Virgo emisit votum simplex ante matrimonium, siue non, nihil refert ad propositum impedimenti annullantis contractum, sicut impotentia annullat: qua ratione autem potuerit licitè contrahere matrimonium, supposito altero voto, ex prædictis iam aliàs declarauimus, vel interueniente reuelatione suspendendi vsus, sine præiudicio voti potuisse contrahere, quia de impedimento vsus est certior reddita per reuelationem, & assistentiam Spiritus sancti; vel certe quia matrimonium Virginis ordinatum specialiter fuit ad finem contractus per media altiora, & supernaturalia, & speciali Dei institutione.

Obiectio ex impedimento voti.

Soluitur.

Differentia inter impedimentum voti, & impotentiæ.

Votũ simplex saluatur cum consensu in contractũ, & dissensu in vsum.

Instantia soluitur.

56 Obiicit prætereà, §. 5. hæc matrimonia cum impotente, scita eius impotentia, approbari per Ecclesiam vt valida, vt patet *cap. Consultationi*, quod est Lucij III. *cap. Laudabilem*, &c. *requisisti*, quod est Cælestini III. *de frigidis & maleficiatis.*

Obiectio. Ex approbatione Ecclesiæ.

Respondetur ex dictis non approbari hæc matrimonia ab Ecclesia, sed permitti vt cohabitent tanquam frater, & soror, cùm non possint, vt coniugati cohabitare tanquam maritus, & vxor: aliàs non audiret Ecclesia reclamantem, neque probata impotentia daret licentiam transeundi ad aliud matrimonium coniugi non impedito, quod est falsum, vt patet *cap. illo Laudabilem, & cap. Fraternitatis*, citatis.

Solutio.

Dices illam licentiam dari, quando impotentia est ignota, non verò quando nota.

Replica.

Respondetur siue vno, siue altero modo contingat contractus, dari potestatem hanc reclamanti: nam quod dicitur *in cap. Consultationi*, &c. de ea tenenda tanquam sorore, cùm non possit teneri tanquam vxor. Id etiam dicitur *cap. Laudabilem*, in quo datur potestas reclamandi, & transeundi ad aliud matrimonium: matrimonium autem, quod solubile est ex consensu partiũ (quale est præfatum ex suppositione Canonis) nequit esse matrimonium, quia hoc est contractus perpetuus natura sua, vt respicit consensum partium, in quarum potestate non est resilire, sicut possunt ex communi consensu rescindere alios contractus non perpetuos lege. Soluenda esse hæc coniugia etiam habetur 27. *quæst.* 2. *Quod autem interrogasti*, &c. & 33. *q.* 1. *per totam.*

Soluitur.

57 Dices, Ecclesia *in prædicto cap. Laudabilem*, permittit vt possint cohabitare per triennium: ergo illo triennio manent cum vinculo matrimonij.

Replica.

Respondetur manere cum vinculo matrimonij æstimati per triennium, sicut ab initio ignorata impotentia fuit æstimatum, quia illo triennio experimentum sumi vult Ecclesia, an sit perpetua impotentia, & cui per artem medicinæ nequit subueniri; an verò temporaria tantùm, quæ non impedit matrimonium: donec ergo de impedimento perpetuo constet, & consequenter de nullitate contractus, quem Ecclesia non soluit, neque soluere potest; sed declarat comperto impedimento annullante esse irritum; valet in dubio, & lite pendente fauor contractus initi, & possessio, donec de causa nullitatis per spatium præfixum temporis cognoscatur, & transacto illo tempore præsumitur impedimentum perpetuum, quod si aliàs non sit perpetuum, restituitur contractus, vt si vir, cuius impotentia allegatur, posteà cum alia deprehendatur consummasse, tunc enim deprehenditur error prioris sententiæ, & fraus allegationis, vt patet *cap. Requisisti*, 33. *quæst.* 1. & *cap. Fraternitatis*, &c. *de frigidis & maleficiatis.* Hæc ergo cohabitatio triennalis ad experimentum data, est matrimonialis, & in ordine ad copulam

Soluitur. Triennale spatium impotentibus concessum.

Præsumptio in dubio comperta veritate eliditur.

Cohabitatio triennalis est coniugalis.

pulam ex matrimonio æstimato, licèt dubio ob impedimentum, quia nescitur an sit perpetuum, aut temporarium, & omnes hi Canones dantes locum reclamationi partis, intelliguntur de matrimonio in ordine ad copulam, quod annulari admittit præfatus Author ex impotentia perpetua: alias non daretur locus reclamationi, aut secundis nuptiis.

58 *Obiectio ex modo loquendi.* Sed obiicit præfatus Author reliquos Theologos huius nostræ sententiæ deceptos fuisse ex ignorantia antiquitatis, quos fefellit ipsa phrasis Pontificum: *Quas vt vxores habere non possent, habeant vt sorores*, &c. Confirmat ergo illam phrasim ex modo loquendi Canonum, vt disponunt circa coniuges conuersos, vel quando alter coniugum assumitur ad Ordines sacros, quibus continentia est coniuncta in Ecclesia Latina, in his Canonibus dicitur vt priore coniuge vtantur tanquam sorore, non verò tanquam vxore: ergo habere eam vt vxorem non tollit vinculum matrimonij. Probat ex verbis Gregorij, *cap. Requisisti*, 33.*q*.1. vbi dicit, *Si nolit eam habere quasi sororem, vinculum coniugij rescindendum esse*, &c. ergo vt sororē habere non est cohabitare in eadē domo sublato vinculo matrimonij.

59 *Responsio.* *Modus loquēdi declaratur.* Respondetur Patrem Sanchez, quem vnum citat expressè instar omnium pro nostra sententia, magnum fuisse Lectorem antiquitatis, & Canonum, vt opera declarant: nimia ergo confidentia præfatus Author adhæret suæ opinioni; Canones quos citat, pernij sunt; matrimonia hominum sacrorum præmissa ordinationi constant, & ideò cohabitatio coniugum interdicto vsu matrimonij rectè dicitur fratrum & sororum; cohabitatio tamen inter eos, quorum matrimonium in re nullum fuit, licèt æstimata donec per cognitionem causæ annullantis constiterit de eius nullitate, nequit dare titulum fundatum cohabitationi, alias non esset solubile, neque liceret ad alias nuptias transire, & sic cohabitatio hæc de iure nequit dici maritalis, aut matrimonialis, sed germanæ societatis, quam permittit Ecclesia supposito matrimonio æstimato, & in re nullo, quatenus non præsumit aliquod periculum incontinentiæ, & in fauorem etiam continentiæ alterius coniugis, ex qua non emanat causa nullitatis, & sub custodia impotentis tutiùs seruare posset continentiam: quando tamen id periculum subest, Ecclesia separat eos, vt fecit Sixtus V. *in sua Constitutione de matrimonio eunuchorum*, quod nulla ratione faceret, si aliàs matrimonium constaret validum, licèt etiam contractum fuerit cum cognitione impotentiæ ad generationem, quia eunuchi ex signis externis facile cognoscuntur. Verba ergo Gregorij intelligenda sunt de retinaculo vinculi æstimati tantùm, & non matrimonij validi. *Sensus Gregorij.* Præterea, Canones posteriores Ecclesiæ non permittunt cohabitationem hominum sacrorum cum vxoribus relictis, ob eadem pericula, licèt antiquitùs permitebatur, vt patet *de vita & honestate Clericorum*. *Vsus Ecclesiæ.* Quando autem non est spes seruandæ continentiæ, omnino separari debent etiam qui contraxerunt matrimonium nullum ob impedimentum perpetuum: quia in eo casu non esset cohabitatio germanæ societatis; sed fornicariæ, vel quasi fornicariæ, matrimonio nullo.

DISTINCTIO XXXV.

De diuortio quod fit propter adulterium.

A *Matt.* 19.*a Hieron. in epistol. ad Oceanum, de morte. Fab. tom.*1. *& habetur* 32.*quæst*.5. c.Precepit. *Et ibid.cap.* Apud nos. *Innoc. Papa in epist. ad Exup. Tolosan.Episc.c.*4. *&* 32.*quæst*.5. c. Christiana, 32.*q*.6. *paragr.*Ecce.

HOc etiam notandum est, quòd cùm Dominus concedat vxorem dimitti causa fornicationis viro, eadem licentia non tollitur fœminis. Vnde Hieronymus, [Præcepit Dominus vxorem à viro non dimitti, excepta causa fornicationis: & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas. Non enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus tenendus.] Item, [Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem seruitus pari conditione censetur.] Ex his ostenditur, quòd mulier potest super fornicatione virum conuenire, vt vir mulierem. Vnde Innocentius Papa [Christiana Religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat, sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, viri autem liberiùs vxores suas adulteras apud Sacerdotes deferre consueuerunt. Et ideò mulieribus prodito earum crimine, negatur communio, virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus arcetur: qui tamen submouebitur, si eius flagitium detegatur.]

Quod

Quòd fornicariam nequit dimittere vir, nisi & ipse expers fuerit, & è conuerso.

SI verò quæritur, An adulter adulteram possit dimittere causa fornicationis? ? Dicimus, quia nequit adultera vxor dimitti à viro, nisi & ipse expers fornicationis existat, & è conuerso. Vnde Augustinus, [Nihil iniquius est, quàm causa fornicationis dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud, *In quo alterum iudicas, teipsum condemnas.* Quapropter, quisquis fornicationis causa vult abiicere vxorem, prior debet esse fornicatione purgatus, quod similiter, & de fœmina dixerim.] Idem, [Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cùm tantò grauiùs eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas.] Ex his apparet quòd adulter adulteram dimittere non valet, & è conuerso. B

Lib. 1. de serm. in mõte, cap. 28. tom. 4. *Rom. 2. a* *Lib. 2. de adult. coniug. cap. 8. & 32. q. 6.* Indignantur.

Quòd possunt reconciliari, qui separantur causa fornicationis.

SI quis autem fornicationis expers fornicariam dimiserit, alij copulari non potest, sed continere oportet, vel ad dimissam redire, sic & de fœmina. Vnde & Apostolus, His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Et de viro addit, Et vir vxorem non dimittat. Sed Ambrosius ait, Ideò non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere. Sed hoc à falsariis in Ambrosij libro positum creditur: supplendum enim esse in viro, quod de vxore præmisit, apertè dicit Augustinus sic, [Quare non addit de viro quod præmisit de muliere, nisi quòd similem formam vult intelligi? vt si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori.] Idem, [Si nec nubere illi conceditur, viuo viro, à quo recessit, nec huic alteram ducere viua vxore, quam dimisit: multò minùs fas est illicita cum quibuslibet stupra committere.] Idem, [Vt non facilè dimittatur vxor, Dominus solam fornicationis causam excepit: cæteras verò vniuersas molestias, si quæ extiterint, iubet pro fide coniugali, & pro castitate fortitur sustineri: & mœchum dixit, qui à viro solutam duxit.] Ex his ostenditur quòd si causa fornicationis fit separatio, non potest vir, vel mulier in aliam transire copulam. Possunt autem reconciliari, & cohabitare sicut priùs, si dimissum alter reuocare voluerit. C

1. Cor. 7. b *Matt. 19. a.* *In Com. 7. c. 1. Cor. circa illud*, Et virũ vxorem non dimittat. *Lib. 1. de serm. in mõte, c. 26. & 32. quæst. 7. c.* Apost. *cit.* *Continuè ad præced. & 32. q. 7.* Fieri potest. *Immediatè ante verba præalleg. & habetur 32. q. 7. c.* Dominus, *ad illud.*

Quæ prædictis videntur obuiare.

DIcit tamen Ioannes Chrysostomus, [Sicut crudelis, & iniquus est, qui castam dimittit, sic fatuus est, & iniquus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen vxoris.] Item Hieronymus, [Cùm mulier vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione à marito separauerit, non debet teneri: ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura, Qui tenet adulteram, stultus est, & insipiens.] Idem, ad Amandum Presbyterum, scribens de quadam, quæ viro suo viuente alij nupserat, sic ait, [Rem nouam loquor, imò non nouam, sed veterem, quæ D

Com. 2. super Matth. hom. 32. circa principiũ, & habetur 32. q. 1. c. Sicut crudelis, *& c. & q. ijsdẽ cap.* Dixit Dominus. *Prou. 18. d*

veteris Teſtamenti auctoritate confirmatur. Si reliquerit ſecundum virum mulier, & reconciliari voluerit priori, non poteſt.]

Determinatio.

E

In epiſt. de diuerſis qq. cuius initiũ, Breuis epiſtol. *tom.* 3. *&* 34. *q.* 2. Non ſatis. *Deut.* 24. *a* 32. *quæſt.* 1. Apud miſericordẽ. *Ad Pollentium lib. de adult. coniug.* 2. *cap.* 6. *&* 32. *q.* 1. *cap.* Quod autẽ. *ibid. cap.* 9. *lib. qui dicitur* Paſtoris *viſione* 5. *manda. tomo* 4.

SEd hæc omnia intelligenda ſunt de illa, quæ ab adulterio recedere noluit, nec per pœnitentiam peccatum delere. Quod ſi vir ſcienter patitur, conſentire videtur. [Si enim in adulterio perſeuerare elegit patronus turpitudinis, & lenocinij reus maritus habebitur, niſi eam adulterij ream facere voluerit.] Si autem à peccato receſſerit, & per pœnitentiam illud purgauerit, poterit viro reconciliari. Vnde Auguſtinus, [Quod tibi durum videtur, vt poſt adulterium reconcilietur coniux, ſi fides adſit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos credimus pœnitentia eſſe ſanatos?] Idem, [Non erit turpis, nec difficilis, etiam poſt patrata, & purgata adulteria, reconciliatio coniugij, vbi per claues regni cœlorum, non dubitatur fieri remiſſio peccatorum: non vt poſt viri diuortium adultera reuocetur, ſed vt poſt Chriſti conſortium adultera non vocetur.] Item Hermes, [Si vir ſcierit vxorem ſuam deliquiſſe, & non egerit pœnitentiam mulier, ſed permanet in fornicatione ſua, & viuit cum illa, vir reus erit, & particeps peccati eius. Quòd ſi mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum reuerti, debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit, ſed non ſæpè.]

De illis qui ſe antè polluerunt per adulterium.

F

31. *quæſt.* 1. *c.* Nullus. *Ex Concil. Triburiẽſ. & vbi ſupr. c.* Relatũ. *Lib.* 1. *de nuptijs & concupiſc. cap.* 10. *& vbi ſuprà cap.* Denique, *& cap. ſeq.* * *In Orig. habetur* nõ. *De bono cõiugali, c.* 13.

SOlet etiam quæri, an valeat duci in coniugium, quæ priùs eſt polluta per adulterium? De hoc Leo Papa ait, [Nullus ducat in matrimonium, quam priùs polluit adulterio.] Item, [Relatum eſt auribus ſanctorum Sacerdotum, quemdam alterius vxorem ſtupro violaſſe, & inſuper mœchæ iuramentum dediſſe, quod poſt legitimi mariti mortem, ſi ſuperuiueret, duceret eam in vxorem, quod & factum eſt. Tale ergo connubium prohibemus, & anathematizamus.] His aliíſque auctoritatibus vetantur in coniugium copulari, qui ſe priùs adulterio maculauerunt. Sed contrà Auguſtinus oſtendit, dicens, [Denique mortuo eo, cum quo fuit verum coniugium, fieri * poteſt coniugium cum qua præceſſit adulterium.] Idem, [Poſſe fieri ſanè licitas nuptias, ex perſonis illicitè coniunctis, honeſto placito ſubſequente, manifeſtum eſt.]

Determinatio.

G

Ibidem in cap. Non.

SEd hæc vltima auctoritas de concubinis loquitur, perhibens concubinas poſſe tranſire ad honeſtum placitum nuptiarum, ſi caſtitatem, & fidem ſeruare velint. Prima verò auctoritas Auguſtini de illis agit, qui de peccato pœnituerunt, & nihil in mortem viri machinatæ ſunt, nec viuente viro fidem adulteræ dedit mœchus, quòd eam in coniugio duceret, ſi ſuperuiueret. Qui verò hæc faciunt, aliis præmiſſis auctoritatibus, prohibentur copulari.

QVÆ

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm adulterium cum aliqua, viuente viro, impediat matrimonium cum eadem post mortem illius viri?

D.Thom.*hic q.vnic.*Richard.*art.*3.*q.*3.4.5.Gabr.*q.vnic.*Maior *q.*2.Paludanus *dist.*34.*q.*1.Sotus *dist.*37. *q.vnic.art.*4.S.Anton.3.*p.tit.*1.*c.*5.Syluest.*v.Matrim.*8.*q.*9.Sanchius *latè lib.*7.*de matrim.disp.*79.

CIRCA [a] istam trigesimam quintam distinctionem quæro: Vtrùm adulterium cum aliqua, viuente viro, impediat matrimonium cum eadem, post mortem illius viri? Quòd non, 2.Reg. Dauid adulteratus est cum Bethsabee: & pòst interfecto Vria contraxit cum ea matrimonium. 1 *Cap.* 11.

Prætereà August. de Nupt. & Concupisc. & ponitur in litera, *potest fieri coniugium, cum qua præcessit adulterium.*

Contrà, 31. quæst. 1. *Illud verò*, & cap. *Relatum.*

COMMENTARIVS.

De impedimento criminis. Ordo & diuisio quæstionis

a *Circa istam trigesimam quintam distinctionem quæro*, &c. In hac quæstione agitur de impedimento criminis, quod Doctor vnica quæstione resoluit. Primò, proponit ipsa crimina, quæ impediunt matrimonium. Secundò, proponit aliquos casus secundùm circumstantias diuersas scientiæ, & ignorantiæ, quos resoluit. Tertiò, statuit conclusionem principalem, & soluit argumenta.

SCHOLIVM.

Fidei dationem, vel iuramentum de contrahendo, vel contractum actualem simul cum adulterio dirimere matrimonium posteà contractum cum adultera, cap. 1. *& cap. vlt. de eo qui duxit in matrimonium.*

RESpondeo [b], tria sunt crimina, quæ coniuncta, vel separata, videntur facere difficultatem circa matrimonium contrahendum: sunt autem crimina illa, adulterium, machinatio in mortem coniugis legitimi, fidei datio ipsi adulteræ, vel contractus de facto cum ea, vel promissio cum iuramento; quia hæc tria vltima ad propositum pro eodem reputantur. De duobus primis patet, *Extrà de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, c. vltim.* De tertio, scilicet promissione cum iuramento, an valeat, habetur *Extrà de his, quæ metu, vel vi fiunt. Ad aures.* 2 *Crimina dirimentia matrimonium.*

De [c] his tribus dico, quòd vltimum per se non impedit matrimonium contrahendum post mortem viri, sicut habetur *Extrà de eo, qui duxit in matrim. c. vlt. Si quis vxore viuente, fide data, promiserit se aliam ducturum, vel cum ipsa de facto contraxerit: si nihil aliud fuerit, non est matrimonium, quod cum ea contraxit post vxoris obitum, dirimendum.* *Fidei datio adulteræ, an dirimat matrimonium posteà contractum.*

Tertium cum primo simpliciter impedit, & dirimit; *ibidem in eodem cap.* sequitur enim ibi, *Tolerari non debet, si priùs, vel posteà dum vixit vxor illius, illam adulterio polluisset.* & refertur priùs, & pòst ad fidei dationem [d]. Hoc autem intelligendum est, quando ambo sunt conscij, quòd actus ille est adulterium: si enim vir tantùm sit conscius, & mulier inscia, puta quia nescit eum habere aliam, tunc si vir posteà contrahat cum illa, ad petitionem viri non est diuortium celebrandum, sicut habetur *tit. eod. c.* 1. 3 *In optione partis innocentis est, quòd recedatur à contractu, vel non.*

Sed [e] quid si persona priùs nescia, postquàm scit impedimentum, petat diuortium? Videtur celebrandum, *ex eodem cap.* & hoc argumento à contrario sensu: habetur enim ibi in textu, quòd si mulier diuortium non petat, non sunt separandi: ex quo innuitur, quòd si ipsa petat, sunt separandi.

COMMENTARIVS.

1 *Crimina enumerantur.*

b *REspondeo, tria sunt crimina*, &c. Hæc crimina sunt adulterium, machinatio mortis coniugis legitimi, fidei datio, contractus de facto, aut promissio cum iuramento factæ adulteræ. Hæc tria vltima ad idem reducũtur. In textu habetur primo loco *contractus cum persona coniugata*, &c. Ita hæ reliquæ impressiones cum Antuerpiana: sed deleuimus, quia superfluit, & habetur in tertio mẽbro in illis, vel *contractus de facto*, & dicursus Doctoris ad adulterium tanquam primũ refertur, vt patet §. *Tertium cum primo*, &c. Reducuntur ab aliis ad duo tantùm, nempe ad machinationẽ mortis cum adulterio, & ad contractum de præsenti, aut futuro cum adulterio. *Literа emendata.* *Reducuntur ad duo membra.*

2 *Prima cõcluſio.* *Fides data, aut contractus ſine alijs non irritant.*

c *De his tribus dico*,&c. Prima concluſio eſt, quòd vltimum, nempe contractus, aut fides præſtita cum iuramento non ſtatuit impedimentum, niſi interuenerit aliud, ſcilicet adulterium, aut machinatio mortis. Habetur *cap. vltimo. Si quis, de eo qui duxit in matrimonium*,&c. & c. *Veniens*,& *cap. Propoſitum eſt*,&c. *eodem*.& *cap. Relatum*, 31.*q*.1. vbi concubinatus adulterium cum contractu, aut fide data.

3 *Secunda concluſio.* *Adiuncto adulterio irritant.*

Secunda concluſio: fides data, aut contractus de facto cum adulterio impedit matrimonium. Patet *cap. finali, de eo qui in matrim.*& *cap. Relatum*, 31.*q*.1. Ita Doctor, §.*Tertium cum primo*,&c. Ad conſummationem impedimenti requiritur copula adulterina, ſine qua contractus de præſenti, aut fides data non ſtatuerent impedimentum. Gloſſ. *in cap. finali, de eo qui in matrimon.* Abbas, Ioannes Andreas, Cardinalis, & alij. Quòd præcedat, aut ſequatur adulterium, nihil vetat; perinde enim complet impedimentum *ex cap. illo finali*. Perinde etiam ad impedimentum facit ſiue per ſe, ſiue per alium eo approbante, vel ſollicitante fidem exegerit de matrimonio contrahendo, quia fraus nemini patrocinatur. *cap. Aduerſus*,&c. *de immunitate Eccleſiæ*; nam quod nomine eius fit, per ipſum etiam fit. Item, ſi factum ratificet; quod ſi fidem datam non acceptauit, non ponitur impedimentum, quia forma contractus non eſt completa: quia requiritur mutua promiſſio. Requiritur præterea, vt durante priore matrimonio concurrat fides, ſeu contractus cum adulterio, quia hos caſus explicant Canones, & ſtrictè intelligi debent; tum quia pœnales; tum quia in præiudicium matrimonij ſuperuenientis; tum quia finis eorum huc ſpectat, ne ex fide data, & adulterio coniuncto machinetur in mortem prioris coniugis: quod non præſumitur, ſi alterum tantùm præcedat. Item, ſi fides data retractetur, aut contractus initus ante adulterium, ſi caſu ſuperuenerit hoc reſciſſo contractu, aut promiſſione, non inducere impedimentum: quia contractu reuocato, aut fide, re integra perinde eſt, ac ſi nunquam interueniſſet, & ceſſat finis legis in hoc caſu, ideò adulterium ſequens non complet fidem priorem, & reuocatam, aut contractum reſciſſum, neque confirmat facto.

Fides data per aliũ ſufficit. *Fides non acceptata non impedit.* *Nec data non durante matrimonio.* *Non impedit etiam retractata antè adulterium.*

Hinc etiam reſoluitur caſus controuerſus inter Authores, an ſcilicet requiratur vt hæc duo coniungantur in eodem matrimonio, vel ſi ſufficiat, vt diuiſim in diuerſis matrimoniis eueniat, verbi gratia, fides viuẽte priore vxore, adulterium poſt initum matrimonium cum altera. 4 *Caſus.*

Reſpondetur hoc modo non inducere impedimentum, niſi adulterium commiſſum dicat ordinem ad primam fidem datam, quæ reuocata eſt per ſecundum matrimonium: quòd ſi tamen ſecundo matrimonio adulterium dicat ordinem ad primam fidem datam, eam denuò inſtaurando, perinde eſt, ac ſi ſimul coniungantur reſpectiuè ad ſecundum matrimonium, tam fides, quæ reuixit, quàm adulterium, quamuis ſolo adulterio non reuixit, ſed ratificatione noua. *Reſoluitur.*

Petes, an requiratur promiſſio verbis expreſſa. 5 *An requirantur verba?*

Reſpondetur requiri eam promiſſionem, & formam eius, quæ ſufficit, & requiritur ad contractum ſponſalium, quia promiſſio, ſi eſſet non impedita, induceret talem obligationem, & ſufficit acceptatio eius ex parte alterius ſufficiens, quæ compleat contractum de futuro.

d *Hoc autem intelligendum eſt*,&c. Excipit caſum, in quo alter ſit ignorans illud eſſe adulterium, aut perſonam, ad quam accedit, eſſe coniunctam matrimonio, quia tunc non conſentit in adulterium, quod requiritur, ſed in fornicationem. Patet *cap*.1.& *cap. Veniens, eodem titulo*. eſt communis Theologorum *in hac diſt.* Intelligitur de impedimento ex parte mulieris neſcientis, non ex parte viri conſcij matrimonij, vt *ibidem* ſupponitur. 6 *Ignorantia adulterij excuſat.* *Limitatio.*

e *Sed quid ſi perſona*,&c. Mouet dubium, ſi perſona priùs ignorans impedimentum, & poſteà ſciens, an ſi petat diuortium, audiri poſſit? &c. 7 *Noto impedimento datur recurſus.*

Reſpondet affirmatiuè *ex cap*.1. *eodem*.

SCHOLIVM.

Si neſciente muliere viri coniugium initus eſt cum ea, vxore propria viuente, contractus, ad optionem innocentis cogendus eſt vir de nono cum ea contrahere, vel recedere, mortua propria. Nec ſufficit quòd is factus habilis clam conſentiat, niſi altera pars ſciat impedimentum. Sed dubius manet Doctor an fidei datio cum adulterio, cauſent hoc impedimentum, ſi altera pars eſt inſcia adulterij: & communis tenet quòd non; ex d.c.1.de eo qui duxit. Manuel 1.tom.c.227.Nauar.c.12.num.2. Veracruz 1.part.ſpecul.art.34.concl.4.Sanchius lib.7. diſp.79.n.31.vbi circa hoc ponit multas conditiones more ſuo exactiſſimè examinatas.

4 Sed [f] hîc eſt dubium, quia talis contractus cum muliere inſcia, vel eſt matrimonium, vel non. Si ſic, non debet dirimi ad petitionem mulieris: ſi non, debet fieri diuortium ad petitionem viri: quia non poteſt ſimul ſtare, cùm non ſint vir, & vxor. Reſpondeo, non eſt matrimonium, quia mulier conſentit in eum tanquam in potentem contrahere, ipſe autem ex parte ſui, non eſt talis, qualem eum credidit: & tunc cùm dicitur quòd non poſſunt ſimul ſtare, concedo quòd ille non poteſt eam matrimonialiter tractare, quia ex parte eius fornicatio eſt; ſed illa poteſt ſibi matrimonialiter copulari, quia ignorantia inuincibilis excuſat eam.

Sed eſto quòd mulier intelligens impedimentum non petit diuortium, non eſt diuortium celebrandum, ſecundùm illud caput: igitur debent ſimul ſtare: & non in coniugio, quia per te contractus non fuit contractus matrimonij: igitur aliqui debent ſimul ſtare fornicariè ſecundùm iſtam ſententiam. Reſpondeo, ſi mulier ſciens

sciens impedimentum, consentiat in matrimonium, vir cogendus est vt consentiat in pœnam peccati sui, quia scienter decepit insciam: & ita erit matrimonium nouum ex nouo consensu: & ista sententia est valdè iusta, vt decipiens insciam, in hoc, quod est dare potestatem corporis sui, qui tamen non intendit dare, vel non potest, cogatur posteà veraciter implere, quod priùs fecit dolosè.

Contrahens dolose iustè cogitur ad vere cōtrahendum

Sed g dices, nunquid virtute primi consensus non poterant simul stare? Et esto quòd inscia consentiat in quolibet actu coniugaliter, & iste sciens quòd illa vult esse 5
vxor eius, consentit de nouo in eam, non exprimendo sibi impedimentum, quia fortè ex hoc generaretur odium, nunquid possunt stare? Respondeo, primus consensus non fuit matrimonialis, & ideò nullus actus potest esse licitus in virtute illius consensus; & ideò ad hoc, quòd sint coniuges, requiritur nouus consensus. Et tunc ad secundum dico, quòd si impedimentum non exprimatur personæ insciæ, ipsa in copula carnali sequente, non consentit nouo consensu, sed solùm reddit in virtute primi consensus, qui nullus fuit: & ideò licèt persona sciens de nouo consentiat, non tamen sufficit. Hoc expressè dicit Glossa super illud caput in primo consensu, qui nullus fuit, intelligitur perdurare: sicut probatur de seruo, qui creditur liber, cum quo contrahitur, si pòst manumittitur, vxore ignorante, non contrahitur matrimonium: quia post manumissionem factam, manendo cum eo semper intelligitur approbare consensum primum, qui fuit erroneus, & non matrimonium.

Contrahens ignoranter cum seruo an tenetur, si ipsa inscia seruus fiat liber?

Aliter posset dici, quòd si illa inscia, fuit ducta viuente prima vxore ducentis legitima, vera est sententia ista: & in isto casu loquitur Glossa; quia iste est casus textus, 6
quòd vir quidam vxorem habens, sibi aliam huius rei insciam copulauit: sed prima mortua nititur recedere à secunda, & sic accepit secundam viuente prima: & tunc quidem verum est, quòd nullus erat contractus, quia ipse fuit ligatus alteri, licèt ista crederet eum liberum à matrimonio. Sed si sola duo, scilicet fidei datio, & adulterium, cum inscia coniugata fierent, & post mortem viri eius, & etiam vxoris alterius, adulter ille duceret istam, quid iuris? Videtur ex isto capite, quòd simpliciter est matrimonium, etiamsi nunquam exprimatur personæ insciæ defectus ille, nec ipse post expressionem defectus de nouo consentiat: & ratio est, quia ex isto capite colligitur, quòd Ecclesia non simpliciter illegitimauit personas illas propter illa duo concurrentia, sed secundùm *quid*, scilicet si persona decepta reclamet. Sed prima sententia videtur certior, quia si pòst sciat impedimentum, & reclamet, fiet diuortium, ex isto capite: igitur prius non fuit verum matrimonium verum.

An requiratur vtrūque scire cōmitti adulterium.

COMMENTARIVS.

8 *Casus.*

f Sed *hīc est dubium*, &c. Mouet difficultatem in casu, quo mulier nescia impedimenti, & posteà resciens non petat diuortium, an matrimonium constabit? an debeat etiam fieri diuortium ad petitionem viri?

Resolutio. Impedimentum irritans.

Respondet matrimonium initum cum impedimento esse nullum, quamuis impedimentum stet ex parte viri solius: quia contractus cum inhabili est ipso Iure nullus, licèt mulierem excuset bona fides, & ignorantia probabilis facti, quamdiu durat.

Dolosus cogitur consentire.

Ad aliud respondet, & benè, eum non posse reclamare, sed mulier, si petat diuortium, in pœnam facti vir cogetur per Ecclesiam consentire de nouo in matrimonium cum ea, quam decepit, quia fraus ei non patrocinabitur.

9 *Quid de cohabitatione?*

g *Sed dices, nunquid virtute primi consensus*, &c. Quærit an simul esse possint virtute primi consensus, quo stante impedimento, quamuis inscia vxore superinducta, possint cohabitare?

Requiri nouū consensum.

Respondet primò requiri omnino nouum consensum ex parte coniugis, quæ ignorauit impedimentum. hoc patet ex dictis *supra dist. 29. de simultate mutui consensus*: nouum autem consensum nequit coniux ignara impedimenti habere, donec ipsi de impedimento constet, quia omnia, quæ spectant ad vsum matrimonij facit in virtute primi consensus, qui fuit nullus ex impedimento ex parte alterius: quæ est sententia Glossæ, & exemplum etiam quod adducit de matrimonio cum seruo ex ignorantia conditionis, quamuis cum eodem manumisso cohabitet, ex vi prioris consensus erronei, non validatur matrimonium. Vide Glossam *in cap. 1. De eo qui duxit in matrimon.* Hanc sententiam approbat Doctor *infrà*, tanquam magis veram, quia aliàs si matrimonium constaret, non daretur optio reclamandi coniugi ignaræ.

Adhibet aliam solutionem, quam non approbat, nempe interueniente ignorantia ex parte 10
alterius coniugis Iura non statuere impedimentum, respectiuè ad ipsam, si tantùm fides præcessit cum adulterio viuente prima vxore, & non matrimonium de præsenti; sed hoc contrahitur post mortem prioris: in quo casu cessat impedimentum. Sed prior sententia est certior, inquit, tum ex ratione adiecta, tum etiam quia Iura æquiparant dationem fidei cum adulterio, & contractum initum viuente prima vxore adiuncto adulterio; & ratio etiam Canonum perinde idem concludit, quia ex fidei datione cum adulterio potest oriri machinatio mortis: ergo perinde est quoad impedimentum, siue præcesserit fidei datio cum adulterio, siue ipse contractus. Et ideò hanc sententiam sequitur *in §. sequenti* Doctor, tanquam propriam.

Secunda responsio.

Præfertur prima responsio.

SCHOLIVM.

Adulterium cum machinatione in mortem coniugis dirimere matrimonium posteà contractum cum adultera, cap. Laudabilem, *de conuers. infid. cap.* Super hoc, *de eo qui duxit in matrim. Addit Doctor sufficere solam machinationem, ex d. c.* Laudabilem: *vbi nihil habetur de adulterio. Quod intellige verum, modò vterque volentes copulari cooperati sint ad mortem coniugis. Circa hoc impedimentum multa conditiones requiruntur, de quibus doctissimè tradit Sanchius lib. 7. disput.* 78.

7 *Adulteriũ cum machinaio ne dirimit.* *An sola machinatio dirimat?* TErtiò [h] dico, quòd siue primum concurrat cum secundo, siue tertio, & impedit, & dirimit, sicut patet *Extrà de conuers. infidelium, Laudabilem*: imò solum secundum videtur impedire ex illo cap. & loquitur ibi de *Saracenis, qui dum essent in captiuitate, quarumdam Christianarum viros suis insidijs, & machinationibus occiderunt*: & sententiat Ecclesia, quòd si pòst per ipsas ad fidem Christianam accesserint, & cum eis adhæserunt, supple in matrimonio, non sunt tolerandi, cùm tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit. Hîc non tangitur de adulterio Saraceni cum Christiana, nec de fidei datione, sed tantùm de machinatione in mortem legitimi viri, & adhuc conscia vxore: nec Glossa addit ibi ad casum istum, fidei dationem, vel adulterium; sed ista machinatio debet intelligi cum effectu, vt simul sit affectus, & effectus, sicut Glossa super illo verbo, *Procurauerunt*.

8 Sed [i] quid, si non conscia vxore, iste solus occidit maritum, nunquid potest ducere istam? Respondeo, *cap.* 1. §. 2. si fiat sine intentione ducendi eam, puta si in bello iusto occidit eum, non ad hoc vt ducat illam, non habetur expresè quin possit eam posteà ducere, dum tamen mulier non sit conscia; quia in casu iusti belli, dicit caput illud, quòd cùm tales, supple mulieres, non procurauerint virorum interitum defunctorum, matrimonium inter huiusmodi personas, scilicet interfectorem & vxorem interfecti, licitè potest contrahi. Et probatur per locum à simili, vel à minori: quia si vir non consentit in mortem legitimi viri, sed vxor eum occidit, potest pòst ab alio huius criminis inscio duci, 33. *quæst.* 2. *Interfectores*.

Hoc etiam confirmatur per illud Extrà de sponsalibus, *Cùm apud*: *Cùm prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, quicumque non prohibetur, per consequens admittitur.* Sed [k] esto mulier primò ignara, pòst audita interfectione viri, ratum habet, nunquid impedit? Videtur quòd sic; quia in maleficiis, *ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur.* Oppositum tamen tenet Glossa *cap. prædicto, Laudabilem, in fine*, propter illud caput nunc adductum, *Cùm apud*, & *ex eodem* [l] *cap. Cùm apud*, potest concludi, quòd simplex promissio non æquiualet alicui illorum triùm enumeratorum in tertio membro; nec igitur nuda sponsalia.

De reg. iur. in 6.

9 *Epilogatio prædictorũ.* Sic igitur patet quòd istorum trium tertium solum nunquam impedit, ita quòd dirimat. Primum etiam solum nunquam impedit, sicut patet per auctoritatem Augustini adductam in arguendo. Secundum quandoque impedit, & quandoque non, sed semper quando est cum tertio, impedit.

Sed nunquid semper, quando est cum primo? Respondeo *suprà tit. isto, cap. Significasti.* Tertium cum primo semper impedit: & ratio tota est ordinatio Ecclesiæ, quia iste est primus casus ad hoc tactus, vbi impeditur contractus ex statuto Ecclesiæ præcisè, illegitimantis personas ad contrahendum. Sed ratio inducens Ecclesiam ad sic ordinandum, est repressio adulterij, & homicidij, quæ frequenter acciderent, si tales personæ possent legitimè contrahere.

10 *Ad argum.* Ad argumenta. Ad primum, patet quòd lex ista non fuit statuta pro tempore illo: iustiùs tamen fecisset si eam lapidasset. Et si dicas, non, quia seipsum tunc lapidasset, quia fuit socius in crimine. Contrà, quia vel non excusas eum per hoc: vel oportet te dicere quòd socius in crimine non tenetur ad eandem pœnam publicam inferendam, ad quam teneretur, si non esset socius. Si autem excusas eum de non puniendo illam per hoc, quòd remisit sibi illam pœnam legis, hoc non habemus ex Scriptura: sed quia fuit peccatum priuatum, & ideò non debuit illud punire pœna publica. Et hæc videtur rationabilior responsio: & tunc quòd accepit eam in vxorem post illa grauia peccata adulterij, & homicidij, illud vltimum non fuit impedimentum.

COMMEN

COMMENTARIVS.

11 *Cõcluſio principalis.*

h *Tertiò dico quòd ſiue primum*, &c. Docet adulterium, ſi concurrat cum machinatione mortis, vel cum fide data, aut contractu de præſenti, aut promiſſione cum iuramento (quæ eundem effectum inducũt, vt in initio huius ſuppoſuit) inducere impedimentum. Hæc eſt concluſio principalis, quamuis quoad caſum concurſus adulterij cum fide data, aut promiſſione iurata, aut contractu inito iam *ſuprà* reſoluit. De ſecundo ergo reſoluit, ſi concurrat cum primo, aut etiam tertio, vt *infrà* refert, ſemper dirimere matrimonium; §. *Sic igitur*, & hoc patet *cap.1.cap.Super hoc, cap. Significaſti, & c.Si quis viuente, 31.q.1. & cap. Laudabilem*, &c. *de conuerſione infidelium.*

Ipſa ſola machinatio mortis, ex fine matrimonij ſufficit.

Secundò dicit *ex illo c.Laudabilem*, &c. quamuis non præceſſit adulterium, aut fidei datio, ſed ſola machinatio mortis mariti, conſentiente vxore, induci impedimentum: quod intellige, quando fine matrimonij contrahendi fiat machinatio vtroque conſentiente. Probat, quia *cap.Laudabilem*, exprimens caſum, quo Saraceni interfecerunt maritos quarumdam fidelium Chriſtianos in captiuitate detentos. Quòd ſi poſteà ad fidem fuerint conuerſi, quo adhæreant vxoribus defunctorum, non eſſe tolerandum eiuſmodi matrimonium, cùm damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit; vbi non loquitur de fidei datione, aut adulterio coniuncto: ergo ſola machinatio in mortem communi conſenſu factam, ſufficit ad hoc impedimentum: quia etiam ratio legis ad idem extenditur, ne ex ſpe matrimonij vtrimque confirmata per intentionem machinationis, & concurſum, licèt abſit contractus, aut fides, aut etiam adulterium, inducit eundem effectum, & ideò in aliis caſibus requiruntur hæc coniungi, vt adulterium cum contractu de futuro, aut præſenti, quia illis magis ſollicitatur machinatio in mortem coniugis innocentis, intuitu matrimonij ſubſequendi. Cùm ergo ipſa machinatio, quæ principaliter ſubmouetur per hos Canones, tanquam finis, communi conſenſu fit intuitu matrimonij ſequentis in ſpe, & intentione ſufficit, & ſupplet reliqua quæ in ordine ad illum finem, quantùm ad periculũ, & ſollicitationem præſumuntur facere, & ideò prohibentur. Hanc ſententiam docet Innocentius *cap. Super hoc, citato.* Hoſtienſis citans Hugonem, & alij plures Canoniſtæ, & Gloſſa *in cap. Laudabilem, de conuerſione infidelium.* D.Antoninus *3.p.tit.1. cap.5.* Veracruz 1. *part. Speculi, art. 33. concluſ.4.*

Requiri communem conſenſum.

12 *Dubium.*

Sed quid ſi inſcia vxore machinetur in mortem mariti?

Reſoluitur.

Reſpondetur requiri adulterium cõiunctum machinationi, vt inſinuare videtur Doctor per illa verba, *& adhuc conſcia.* Ergo ſi ipſa non ſit conſcia, neque præceſſit adulterium, non inducitur impedimentum. Hanc ſententiam ſequitur Sanchez *diſput.* 78. pro qua citat communiter Doctores; caſus enim rarus eſt, vt quis interficiat maritum alterius, ſine ipſam ducendi, niſi præceſſerit aliquod, in quo ex natura rei, & conniuentia alterius ſpes illa, & intentio fundatur: ſi ergo non præceſſit adulterium, neque conſcientia homicidij in vxore, neque fides, aut promiſſio data, tunc non fundatur talis præſumptio homicidæ reſpectiuè ad vxorem interfecti. Proinde Canones talem caſum non comprehendunt, qui regularis non eſt, aut ordinarius; neque etiam puniri debet innocens, vbi deeſt culpa eius, aut præiudicari contractui, cuius fauor aliàs obtinet, niſi contrarium expreſsè decidatur per legem.

Si vxor non ſit cõſcia machinationis, non reſultat impedimentum.

Requiritur homicidiũ in effectu, & intuitu matrimonij.

Tertiò, dicit Doctor illam machinationem debere intelligi cum effectu, vt ſimul ſit affectus, & effectus ex Gloſſa, id eſt, intentio, & homicidium ex fine ineundi matrimonij inter partes, quia ſi homicidium fiat alio fine, aut caſu, non inducit impedimentum. Quòd verò requiratur mors illata in effectu, patet *ex cap. Si quis viuente*, 31.*q*.1. & quamuis alia Iura ſecundùm hoc ſtatuentia non faciant mentionẽ mortis, ſed machinationis, intelligenda ſunt verba cum effectu, *cap. Relatum*, &c. *de Clericis non reſidentibus.* Ita communis Theologorum, & Canoniſtarum. Aduertendum tamen, ſi præceſſerint reliqua, & mors coniungatur, ex alio tamen fine, Eccleſiam in foro externo præſumere factam intuitu matrimonij, & ſententiam pro impedimento laturam, niſi aliud probetur.

i *Sed quid ſi non conſcia vxore?* &c. Reſpondet ad caſum expreſſum dicens, ſi in iuſto bello interfecit, non impediri contractum ex parte viri: quod ſi etiam intentione matrimonij fecerit, impedimentum quidem ſtat ex parte homicidæ, vt patet *ex cap.1. de eo, qui duxit in matrimonium*, &c. ex parte vxoris non ita, modò nõ præceſſerit ſcientia, aut fides, aut adulterium. 13 *Caſus.*

Probatio.

Quantùm ad caſum reſolutum hîc, probationem eius ſubiicit *ex c.Laudabilem*, &c. *de conuerſ. infidelium*, vbi deciſio ipſa in terminis habetur, §. *Ad hoc Saraceni*, &c. addens probationem à ſimili, aut minori, quia ſi vir in mortem legitimi viri, quam vxor cauſauit, non conſenſerit, poteſt, illam ducere, *ex cap. Interfectores*, 33.*q*.2.

A ſimili, & minori.

Declaratur.

Hæc probatio in ſuperficie obſcura eſt, ideò ad eius intellectionem aduertendum eſt, duos caſus comprehendere, alium à ſimili, alium à minori: vnde illa verba, *per locum à ſimili, vel à minori*, &c. non debent ſynonymè, aut reſpectiuè ad idem intelligi; ſed tanquam diuerſa membra, aut argumenta: ſi vxor inſcio alio, quem prætendit, vel cui copulari vult, & ex ea intentione mortem mariti eſt machinata, licèt ſit impedimentum ex parte eius; tamen non ſtat impedimentum ex parte alterius, quem duxit: & hoc præciſè, niſi præceſſerit adulterium, vel fides data. Et hoc eſt argumentum à ſimili, quia ſi interfector mariti non conſcia vxore, neque machinante ea mortem, non inducit impedimentum, niſi ipſa concurrat ex parte vxoris, vt deciſum eſt in præcedenti caſu; ita etiam non ſtatuit impedimentum ex parte viri, qui ignarus eſt talis homicidij.

Alius caſus eſt: An viricidium inducat impedimentum matrimonij vniuerſaliter cum quocumque, & conſequenter cum hoc, quem ducit de facto: & hoc argumentum eſt à minori: quod probat *ex illo cap. Interfectores*, vbi imponitur pœna vxoricidis, & non matricidis, quia caſus eſt rarus, vt dixi, & hac lege non comprehenditur. & probat hoc in genere quoad vtrumque caſum *ex cap. Cùm apud*, &c. *de ſponſalibus.*

salibus; *Cùm prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, quicumque non prohibetur, & per consequens admittitur*, &c. Hanc sententiam, nempe viricidium non inducere impedimentum matrimonij, sicut vxoricidium, tenet Sylvester *v. Matrimonium 9. q. 6.* Armilla *v. Matrimonium.* Ledesma *2.part.4. q.62. artic. 2.* Toletus *lib.7.Summa, c.15.* Probatur, quia nec masculinum sub fœmineo clauditur in odiosis, & pœnalibus, *ff.de verborum signific. l. Iuxta, de leg.* Leges non aptantur rarissimè contingentibus, *l. Nam ad ea, ff.de leg.* Ratione ergo frequentioris vsus delicti leges statuunt pœnam, ac proinde cùm viricidium sit rarissimum, neque timor eius vrget, cùm vix in fœmina contingat, quæ timidioris est naturæ, & honestioris; ideò leges statuentes pœnam, illius mentionem non faciunt, sed vxoricidij, quod frequentiùs euenit, propter audaciam, & promptitudinem viri ad simile facinus perpetrandum, cui leges per pœnam frænum iniiciunt, vt *in illo cap. Interfectores, 33.quæst.2. cap. Admonere, cap. Quicumque, eod.*

Pœna in vxoricidas non extēditur ad viricidas.

Ratio huius.

14 k *Sed esto mulier*, &c. Proponit casum, quo inito matrimonio mulier sciens prioris mariti homicidium, & ratum haberet, quid iuris? Videtur inducere impedimentum: quia in maleficiis etiam ratihabitio retrotrahitur, & mādato comparatur, *cap. Cùm quis, &c. de sentent. excommunicat. in 6.* Contrarium resoluit Doctor cum Glossa *cap. Laudabilem, &c. citato*, & Glossa *cap. Si quis viuente, 31. quæst.1.* Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Ancharanus, Cardinalis *in cap. Laudabilem*, & plures alij, quos sequitur Sanchez *lib.7.disput.78.num.6.* Ratihabitio enim non potest esse machinatio iam morte illata. Et exigitur duo extrema esse habilia ad actū exercendum, vt comparatur mandato, aliàs fictio Iuris, qua ratihabitio retrotrahitur, non subsistit. Post mortem itaque illatam, sicut coniux superstes, & ignara non est habilis ad machinandum mortem illatam, ita ratihabitio eius nequit retrotrahi.

Quid operetur ratihabitio subsequēs vxoris?

Ratihabitio vt comparatur mandato, quid requirit?

15 l *Et ex eodem cap. Cùm apud, potest concludi*, &c. Hîc tangit illam difficultatem: *An simplex promissio, & non vestita æquiualeat fidei datæ, aut promissioni cum iuramento, aut contractui de præsenti?* Et respondet posse ex illo capitulo concludi non æquiualere, sicut neque nuda sponsalia. Promissio simplex intelligitur, quando quis non interponit propriam fidem, quando autem interponit propriam fidem, dicendo, *per fidem meam*, dicitur vestita, & vallata, seu confirmata, vt distinguitur à promissione simplici, quando non interponitur fides. Fides iurata dicitur, quando interuentu rei sacræ, & facto iuramento confirmatur promissio. Dicit ergo Doctor requiri fidem vallatam, aut vestitam ad incurrendum impedimentum, quia Canones, ex quibus est impedimentum, cùm sint pœnales, strictissimè intelligendi sunt, & secundùm verborum proprietatem; neque extendenda est in odiosis eorum sententia. Sed fides interposita non æquiualet simplici promissioni in Iure, sicut neque promissioni iuratæ. Ergo in his Canonibus, qui requirunt fidei dationem, aut iuramentum non venit intelligenda. Patet subsumptum *cap. Relatum*, quod est Concilij Triburiensis; & primus Canon in hac materia facit mentionem iuramenti *tantum relatum est*, &c. *quondam alterius coniugem stupro violasse, & insuper mœchæ viuente viro suo iuramentum dedisse*, &c. vbi Glossa *in verb. Viuente*; *Fidem*, inquit, *dedit, cap.1. de eo qui duxit in matrimon.* &c. solius fidei datæ mentionem facit, *& cap. Cùm haberet vxorem*, &c. pro eodem sumit fidei dationem, & iuramentum; *& cap. Significasti, eod. titulo*, facit mentionem fidei datæ tantùm, & sic *cap. Veniens ad præsentiam, & cap. finale, eodem titulo*, faciunt mentionem fidei datæ tantùm: ergo æquiualet fides data, & iuramantum, quod exprimitur in Concilio Triburiensi, secundùm cuius Canonem hæc decreta sunt, ad concordiam legum, & ne verba impropriè sumantur in præiudicium contractus fauorabilis.

Simplicē non æquiualere promissioni vestitæ.

Quid sit vtraque.

Pœna strictē interpretādā.

Canon Triburiensis.

Fides data æquiualet iuramento.

Item *cap. Ad aures, &c. de his quæ vi, &c.* Fides præstita, & iuramentum pro eodem sumuntur, vbi Ioannes Andreas, Innocentius, Hostiensis, Imola, Archidiaconus fidei interpositionem asserunt esse iuramentum, & solùm differre, quòd in iuramento res sacra tangatur. Ita etiam Cardinalis, & Abbas *in præfatum textum*, Glossa *in cap. Constitutus*, &c. *de transactionibus*, & Glossa finalis *in cap. 2. de fideiussione.* Hanc sententiam tenent nostri, Nicolaus de Orbellis *in hac dist.* Nicolaus de Nisa *in 4.tract.6.part.3.q.6.* Bassolis *in hac dist. q. vnic. art.2.* Tabiena *verbo imped.impedimento, 7.q.3.* Veracruz *1.part.speculi, artic.34.post 9. conclus. dub.1.* Eandem sententiam ex cōsequentia opinandi debent sequi Authores, qui dicunt viricidium non impedire matrimonium: quia hoc non inuenitur in Canonibus præfatis comprehensum; quamuis id falsum sit, quia etiam comprehendunt hoc delictum, vt patet ex textu. 16

Resolutio præmissa ab alijs tenetur.

Obiicies: Promissio etiam nuda dicitur fides, & fidei interpositio non est iuramentum. 17

Obiectio.

Respondetur promissionem in pactis non dici fidem, nisi lato modo, nō autem stricto modo.

Solutur.

Ad secundum: Respondeo quòd contrarium constat ex Canonibus, Glossis, & iurisperitis citatis; & quidquid sit de aliis, hîc dicendum est sumi pro iuramento, hoc est, vt inducit differentem obligationem à nuda promissione; quia Canon antiquus, qui vtitur nominē *iuramenti*, non est immutatus; & alij Canones substituunt appellationem *fidei datæ*, iuxta antiquas Constitutiones: nam *cap. Cùm haberet, &c. de eo, qui in matrimonium duxit, &c.* primò vtitur appellatione *fidei præstitæ*, & secundò appellatione iuramenti: *Hîc*, inquit, *plus processum fuit, quàm si fides præstita dumtaxat fuisset adultera.* & infrà, *Quod*, inquit, *connubium vbi etiam nulla intercessit Religio iuramenti*, &c.

Obiicies secundò rationem legis extendi ad hunc casum: ergo comprehenditur; ideòque Pontifices vti appellatione fidei dationis, aut iurisiurandi, quia frequentiùs hæc interponuntur; non quòd etiam promissionem simplicem non comprehendant; quia perinde inducit eundem effectum machinationis.

Secunda obiectio.

Respondetur fidē interpositam, aut iuramentum habere diuersum effectum; vnde multi contractus nulli ex sola promissione non tenent; quamuis si addatur iuramentum, obliget iurantem ad factum, donec relaxetur. Vnde sicut in his est maius vinculum, ita etiam magis ex natura sua sollicitant ad machinationem mortis innocentis coniugis, ad quam simplex promissio non ita sollicitat. Ex alia parte Iura comprehendunt illud, quod frequentiùs accidit, 18

Responsio.

Promissio simplex inefficax ad sollicitandam mortem.

&

& magis sollicitat proximè ad effectum machinandi mortem, & continuandi adulterium, & sic comprehendunt fidem datam, siue iuramentum, & non simplicem promissionem; ex qua non resultat maior pœnæ efficatia ad machinationem, quàm ex spe matrimonij futuri, nulla interposita promissione, quam tamen non comprehendunt Iura, licèt sit, aut esse possit hîc, & nunc causa machinationis: quia & ipsum adulterium magis sollicitat ad effectum machinationis, quàm simplex promissio; tamen non inducit se solo impedimentum. Iura ergo intendunt illud quod strictiorem obligationem ex natura sua inducit, & proximam, quæ induci posset, nisi esset impedimentum obstans; & ideò strictè loquuntur. Ex quo patet ad obiectionem, negando simplicem promissionem inducere effectum machinationis, aut ad eam extendi rationem canonum, quæ nec in re æquiualens est fidei datæ, aut iuramento, quantùm ad firmitatem, neque comprehenditur ratione Canonum, quia non est causa proxima machinationis, sed omnino remota. Vnde si quæ dicat non interueniente pacto, aut promissione de futuro, *per fidem meam, aut iuro, &c. quòd te ducerem, nisi essem iam alteri ligata*, non inducit impedimentum, interueniente etiam adulterio, quamuis alter similia verba, & iuramentum reciprocè addat. Cæterùm, hoc magis ex natura actus sollicitat ad machinationem, quàm simplex promissio de futuro. Non omnia ergo, ex quibus potest esse periculum sollicitationis, prohibentur his Canonibus; sed illud quod proximè, & quasi ordinariè ad maiorem confirmationem pacti interuenit, quia simplex promissio, cùm non inducat obligationem vllam, quasi contractus in opinione adulterorum, & habetur magis pro lenocinio, quàm pro contractu obligante, ideò addunt firmitatem iuramenti, & fidei datæ, quo magis sibi obligentur. Qui voluerit tenere oppositum huius, dicat Doctorem esse problematicum, & facilis erit responsio ex dictis.

Non comprehenditur in lege.

19 Recolligit deinceps Doctor dicta *in hac quæstione* de impedimento criminis sic adulterium se solo non inducere impedimentum, sicut neque fides data etiam se sola nisi coniũgatur adulterium, aut machinatio mortis; machinatio autem mortis se sola inducit impedimẽtum, quando vtraque pars est conscia criminis, vel concurrit; potest autem vxor concurrere, aut approbando, & ratificando machinationem, qua mors subsequitur, si intuitu matrimonij contrahendi consentiat. Si autem ex alio fine, vt in odium mariti permittat, non habens animum contrahendi, neque fouens spem alterius, tunc non videtur impedimentum esse ex parte eius, licèt in foro externo præsumatur, machinationem solam impedire contractum, vt docuit *conclusione 3.* & similiter quando concurrit cum adulterio. *Hoc impedimentum*, inquit, *est ex statuto Ecclesiæ in odium adulterij, & homicidij, quæ frequenter acciderent, si tales permitterentur contrahere*, &c. Probat prætereà coniugium non impediri adulterio ex sententia Augustini *de nupt. & concupiscentia, cap.*10. sic legitur apud Magistrum; apud Gratianum tamen addebatur, *non potest fieri coniugium*, &c. *In aliquibus editionibus, 31. q. 1. cap. Denique*, variant etiam Augustini textus: sed ex discursu eius videtur locutio negatiua esse consentanea magis; quamuis in aliis desit codicibus, vt notarunt correctores impressionis Iuris sub Gregorio XIII. in notis ad præfatum capitulum.

Recapitulatio dictorum.

k *Ad argumenta.* Ad primum patet ex litera.

DISTINCTIO XXXVI.

De impedimento conditionis, quod respicit statum legis humanæ.

NVNC de conditione videamus, an valeat coniugium diuidere? Ad quod dicimus, quia non negatur ingenua posse nubere seruo: sed si nescitur esse seruilis conditionis, liberè potest dimitti, cùm seruitus eius fuerit deprehensa, secundùm illud, Si quis ingenuus homo ancillam alterius vxorem acceperit, & æstimat quòd ingenua sit, si ipsa fœmina fuerit posteà in seruitute deiecta, si eam à seruitute redimere potest, faciat: si non potest, si voluerit, aliam accipiat. Si verò ancillam eam scierat, & collaudauerat, pòst eam vt legitimam habeat. Item, ex eodem, Si fœmina ingenua acceperit seruum, sciens quòd seruus esset, habeat eum: quia omnes vnum patrem habemus in cœlis, vna lex erit viro, & fœminæ. Cùm dicitur sciens illum, datur intelligi, quòd si nescierit illum seruum esse, non cogitur manere cum ipso. Si enim conditionis dolum patitur, non cogitur adhærere ei, cuius fraude decepta est. Si autem scierit vir conditionem mulieris, vel è conuerso: non valet eam dimittere. Vnde Zacharias Papa, Si quis liber ancillam in matrimonio

A

In Concilio apud Vermeriã, c. 6. & habetur 29. quæst. 2. c. Si quis ingenuus.

Ibid. cap. Si fœmina ingenua.

Ibid. cap. Si quis liber.

trimonio acceperit, non habet licentiam dimittendi eam, si consensu amborum coniuncti sunt, nisi ob fornicationem. De illis agit, quibus alterutrius conditio nota est, quando coniunguntur.

De copula serui, & ancillæ diuersorum dominorum.

B *In Concilio Cabilonest, ibidem cap.* Dictũ est. *Matth. 19.*

QVæritur etiam si seruus vnius ancillam alterius acceperit, an sit inter eos coniugium. De hoc etiam ita statutum est, Dictum est nobis, quòd quidam legitima seruorum matrimonia potestatiua quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud, *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Vnde nobis visum est, vt coniugia seruorum non dirimantur, etiamsi diuersos dominos habeant: sed in vno coniugio permanentes dominis seruiant suis. Et hoc in illis obseruandum est, vbi legalis coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum. Attende finem huius capituli, vbi videtur innui præter voluntatem dominorum, inter seruum, & ancillam non posse contrahi coniugium: vel si contrahitur, non esse ratum. Quibusdam tamen videtur inter eos posse fieri coniugium dominis ignorantibus.

De viro qui se facit seruum, vt dimittatur ab vxore.

C *In Triburiensi Cõcil. ibid. c.* Cuius rei, *&* *cap.* Perlatum.

ILlud etiam notandum, quòd si mulier virum liberum acceperit, & ille vt causam præstet dissidij, se alicuius seruum fecerit, nec ille vxorem dimittere, nec illa ob vinculum coniugij in seruitutem redigi poterit. Vnde illud, Perlatum est ad sanctam Synodum, quòd quidam ingenuus ingenuam accepit vxorem, & post filiorum procreationem occasione diuortij, cuiusdam seruum se fecerit, vtrùm & mulierem necessariò tenere debeat: & si tenuerit, an illa etiam seruituti subiici debeat, quæsitum est. Iudicatum est vxorem minimè debere dimitti: non tamen ob Christi legem mulierem in seruitutem redigi, dum ille non ex consensu coniugis se seruum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat.

De ætate contrahentium.

D *32. quæst. 2. cap.* Sponsalia.

HOc etiam sciendum est, quòd pueri ante quatuordecim annos, & puellæ ante duodecim annos secundùm leges, matrimonium inire nequeunt. Quòd si ante prædicta tempora copulam inierint, separari possunt, quamuis voluntate, & assensu parentum iuncti fuerint. Qui verò in pueritia copulati post annos puberatis nolunt se relinquere, sed in coniunctione permanere, iam ex hoc efficiuntur coniuges, & deinceps nequeunt separari. Item, Sponsalia ante septennium contrahi non possunt: solo enim consensu contrahuntur, qui interuenire non potest, nisi ab alterutra parte intelligatur, quod inter eos agitur. Duo illa executi sumus cum aliorum quorumdam adiectione, quibus coniugium solui potest, nec tamen solui semper necesse est. Nunc de illis quæ personas illegitimas penitus faciunt, addendum est, & primum de ordine.

QVÆ

QVÆSTIO I.

Vtrùm seruitus impediat matrimonium?

D. Thom. *in addit. quæst. 52. art. 1. & hìc quæst. 1. art. 1.* D. Bonauent. *art. 1. quæst. 1. & 2.* Richardus *art. 1. quæst. 1.* Durandus *quæst. 1.* Sanchius *lib. 7. de matrim. disp. 19. & tribus seqq.*

CIRCA istam trigesimam sextam distinctionem quæro: Vtrùm seruitus impediat matrimonium? Quòd sic; nullus potest dare alienum; sed corpus serui est domini, secundùm Philosophum, 3. *Politicorum.* 1 *Argum. 1.*

Præterea, fauorabilior est professio Religionis, quàm matrimonium carnale; sed seruus non potest profiteri Religionem sine voluntate domini: igitur nec matrimonium contrahere. *Argum. 2.*

Contrà, *Extrà de coniugio seruorum, cap. 1.*

SCHOLIVM.

Distinguit duplicem seruitutem, naturalem, & legalem. Hanc ait dupliciter esse posse iustam. Primò, quando aliquis se vendit. Secundò, si ob crimina iustè damnetur ad seruitutem: quod ait fortè esse contra Ius naturæ. Sic etiam dicitur l. Libertas, ff. de statu hom. *sed tantùm vult esse dissonum ei, quatenus natura inclinat ad libertatem: non enim vult esse contra præceptum naturæ; quia suprà docuit, dist. 26. num. 10. exemplo B. Paulini, liberum posse se vendere: dubitat de iustitia seruitutis capti in bello: quia videtur sapere crudelitatem, quando iam hostis subest, & obedit, & sufficere videtur quòd subsit more subditi politicè, non instar mancipij, despoticè: si tamen captus subesse nollet politicè, colligitur ex Doctore (ibi fieret obediens libertate sibi donata) licere eum in seruitutem redigi: sed secundùm communem, quam non negat Doctor, talis seruitus absolutè iusta est,* §. Item ea, Inst. de rerũ diuisione. *l.* Si captiuus, §. 1. *ff.* de capt. *& d. l.* Libertas. *Summistæ, v.* Seruitus: *sed ex consuetudine præscripta Christiani à Christianis non rediguntur in seruitutem; quo priuilegio non fruuntur apostatæ secundùm rem, & nomen, vt notant Salon. 2. 2. tom. 1. tract. de dom. q. 3. art. 1. Zayrus lib. 9. cap. 6. num. 10. & alij. Serui tamen belli fugere possunt iuxta communem. Soto 4. de iustit. q. 2. art. 2. Couar. reg.* Peccatum, *part. 2. §. 11. n. 5. & 1. Var. cap. 2. Salon. supr. Petr. Nauar. 3 de restit. cap. 1. num. 200.*

HIc [a] sunt duo videnda. Primò, vnde inducta sit seruitus, & si iustè inducta. Secundò, ad propositum. De primo dico, quòd de lege naturæ omnes nascuntur liberi, tamen seruitus, vel magis propriè subiectio filialis ad patrem, est de lege naturæ, puta obedientia filialis pertinens ad disciplinationem: quia secundùm Philosophum 8. Ethic. *Filius habet à patre esse, & disciplinam.* Ista autem seruitus, de qua loquimur, secundùm quam dominus potest vendere seruum, sicut pecudem, de qua loquitur Philosophus 1. *Politicorum*, quòd seruus non potest exercere actus virtutis, pro eo quòd oportet eum ad præceptum domini exercere actus seruiles: ista non est inducta, nisi aliqua lege positiua. 2 *Cap. 11.* *Cap. 3.*

Sed an iusta? Respondeo, sicut dictum est, *dist. 15.* quomodo inceperunt primò dominia esse iusta: ita dico quòd ista vilis seruitus non potest esse iustè inducta, nisi dupliciter. Vno modo, quia aliquis voluntariè se subiecit tali seruituti, licèt talis subiectio esset fatua; imò fortè contra legem * naturæ, quòd homo libertatem suam à se abdicet: postquàm tamen facta est, necesse est seruare, quia hoc est iustum. Alio modo, si aliquis iustè dominans communitati, videns aliquos ita vitiosos, quòd libertas eorum nocet eis, & Reipublicæ, potest iustè punire eos pœna seruitutis, sicut & iustè posset eos occidere in certis casibus propter bonum Reipublicæ. *An seruitus iustè introducta sit?* ** Id est, dissonum Iuri naturæ, vel quia ius nil disposuit de hoc, ex n. 5.*

Si dicas, quòd est tertia causa seruitutis, vtpote si captus in bello seruetur, & sic seruatus à morte, fiat seruus deputatus ad seruiendum, non apparet manifestè iustitia hìc: quia fortè, etsi captor potuerit occidere captiuum, si habuit bellum iustum defendendo se, non autem inuadendo, & hoc stante pertinacia ipsius contra bellantem: tamen ex quo desinit esse pertinax, quia est in voluntate ipsius iam captus, inhumanum videtur infligere sibi pœnam contra legem naturæ; non enim est hìc ratio, quia in hoc casu non remaneret iste rebellis, nec abuteretur sua libertate: sed fortè fieret obediens, & libertate sibi donata benè vteretur. 3 *De captis in bello.*

Si

Si arguatur contra primum membrum, scilicet quòd seruitus non est contra legem naturæ: quia secundùm Philosophum 1. Politicorum, *Pollens mente debet præsidere, pollens viribus debet seruire.* Aliqui sunt naturaliter pollentes mente: ergo naturaliter ad dominium apti: aliqui minùs prudentes mente, & magis robusti corpore: ergo naturaliter debent esse serui. Respondeo, hoc non est intelligendum de ista seruitute extrema, de qua loquimur, sed tantùm de seruitute politica, qua inferior disponitur à superiore: non tamen sicut inanimatum, sed sicut minùs vigens mente, ordinatur per illum, qui magis pollet mente..

Cap. 2.

4 Si arguas contra secundum membrum, quòd illud quod est contra legem naturæ non potest fieri iustum, nec antiquitas temporis ratificat crimina, sed magis condemnat: omnis autem seruitus alia ab illis duobus casibus, est iniusta, & contra legem naturæ: igitur per nullam longinquitatem temporis videtur iustum quòd dominus dominetur talibus seruis. Respondeo, tactum est *dist.* 15. quomodo per præscriptionem potest ius acquiri, si concurrant conditiones illæ, quas Iura determinant, scilicet quòd iusto titulo acquirat, & sit bonæ fidei possessor, & quòd possiderit sine interruptione temporis à lege determinati: sed illud extendit se ad possessiones, non autem ad seruitutem, quia non est eadem ratio in possidendo aurum, & seruum, quantùm ad legem naturæ. Et ideò esset difficilè saluare per præscriptionem, iustitiam esse detinere tales seruos, nisi præsumatur quòd altero duorum modorum fuerint facti serui à principio.

Quæst. 2. Conditiones præscriptionis.

Si obiicitur, quare igitur Apostolus præcipit tales seruos obedire dominis suis? Respondeo, multæ obligationes sunt iniustæ ex parte illorum, quibus fiunt: & tamen postquàm factæ fuerint, seruandæ sunt. Vnde Apostolus ostendens seruitutem secundùm se non esse laudabilem, nec multò magis detentionem alicuius in seruitute, ait, *Si seruus vocatus es, non sit tibi curæ: sed si potes liber fieri, magis vtere.*

Ad Ephes. 6.

1. Cor. 7.

COMMENTARIVS.

Diuisio, & ordo.

IN hac distinctione, in qua Magister agit de impedimento seruitutis, & ætatis in ordine ad matrimonium, subiicit Doctor duas quæstiones; quarum prima est de impedimento seruitutis. Secunda verò de impedimento ætatis puerilis.

1 a *Hîc duo sunt videnda,* &c. Diuidit quæstionem in duos articulos; primus quærit qua lege inducta est seruitus? Secundus verò, an impediat matrimonium? Quoad primum fusiùs illud resolutum est *distinct.* 15. de diuisione rerum; ac proinde hanc difficultatem denuò tractare est superfluum, & sic transibimus ad secundum articulum; qui ad præsens institutum spectat. Hîc obiter aduertendum est non agi de coniugio seruorum ex errore conditionis, de quo *suprà* tractauit; sed de ipsa seruitute, vt inducit aliquod impedimentum.

SCHOLIVM.

Reÿcit sententiam asserentium ideò seruum posse contrahere inuito domino, quia seruitus est de lege positiua, & matrimonium de Iure naturæ. Refutatio est efficax, & clara.

5 DE [b] secundo dicunt aliqui, quòd seruus potest contrahere matrimonium inuito domino. & hoc ex isto articulo primo, quia matrimonium est de lege naturæ: seruitus autem non est de lege naturæ, sed magis contra: quod autem est de lege naturæ, non tollitur per aliud, quod est tantùm de lege positiua. Alia ratio ponitur, quia seruus non est ita sui domini, quin sit sui iuris, quantùm ad actus naturales, pertinentes ad conseruationem indiuidui. Patet, quia potest vti necessariis ad vitam: ergo à simili, quantùm ad actus pertinentes ad conseruationem speciei. Consequentia probatur, quia conseruatio speciei, cùm sit maius bonum naturale, quàm conseruatio indiuidui, magis est de lege naturæ.

S. Thom. præsenti distinct. q. 2. Rich. art. 4.

Rationes [c] istæ possent solui. Prima, quia obligatio, quæ non est de lege naturæ, benè potest impedire aliquam libertatem, quæ competit alicui ex lege naturæ. Exemplum, nam ex lege naturæ nihil tibi debeo, tamen si voueo tibi obedientiam, teneor tibi obedire. Matrimonium etiam non est de lege naturæ, nisi secundariò, vt dictum est *suprà*: & æquè videtur de lege naturæ reddere vnicuique quod suum est, imò primariò: igitur ex quo per obligationem seruus fecit se domini, tenetur ei reddere suum, & abstinere ab illo, quod impedit talem redditionem, licèt illud aliud impediens competeret sibi non obligato secundario secundùm legem naturæ.

Soluit rationes aliorum.

Dist. 26. & 33. & 17.

6 Secunda ratio non concludit, quia certum est quòd non omnis, qui tenetur conseruare

conseruare

seruare indiuiduum, tenetur multiplicare speciem. Si dicas, quòd saltem ita licet sibi, quod illud licere, non potest sibi tolli per hominem; verum est in casu necessitatis, in quo conseruatio speciei dependeret ab actu eius: sed quia multi non serui intendunt generationi, etiam in lege Christiana, ideò non est necessarius ad conseruationem speciei actus istius pertinens ad hoc, & ideò per aliquam obligationem potest hoc sibi præcludi. Et confirmatur, quia ante matrimonium tenetur domino ad certos actus, puta ad *A*, *B*, *C*, si contrahat matrimonium, obligatio illa erit ad aliquid incompossibile ipsi *B*, vel *C*; igitur illa obligatio sequens non potest iustè fieri, quia in illa tollitur alienum, quod non potest reddi post istam obligationem factam.

COMMENTARIVS.

2 b *DE secundo dicunt aliqui*, &c. Adducit duas rationes, quibus alij vtuntur, vt D. Thomas, & Richardus *in hac distinctione*. Quarum prima est, quòd matrimonium sit de lege naturæ; seruitus autem de lege positiua, aut Iure Gentium; sed obligatio inducta per legem positiuam non præiudicat ei, quod est concessum lege naturæ.

Prima ratio aliorum.

Secunda ratio est: quia seruus non est ita domini, quin sit sui iuris quoad actus naturales pertinentes ad conseruationem indiuidui: potest enim vti cibis necessariis ad vitam: ergo similiter quantùm ad actus necessarios ad conseruationem speciei, quia hoc est magis bonum naturale, quàm sit conseruatio indiuidui.

Secunda ratio eorundem.

3 c *Rationes istæ possunt solui*, &c. Has rationes docet nō esse concludentes, & meritò: quia principia illa generalia non concludunt vniuersaliter in omni materia. Instat contra primam: quia obligatio, quæ non est de lege naturæ, potest impedire aliquid, quod permittitur de lege naturæ, non autem præcipitur, hoc est dicere, quòd præceptum quidem positium licèt cedat præcepto legis naturæ; tamen non cedit libertati legis naturæ, aut ei, quod lege naturæ permittitur, & non præcipitur; materia enim illa libera de lege naturæ est indifferens, & capax obligationis, indifferens, inquam, vt refertur ad legem naturæ: si accedat ergo præceptum aliquod alterius legis, iam redditur materia determinata, & sub obligatione illius præcepti, & sic se habet omnis materia legis positiuæ, quia ablata lege positiua simpliciter est indifferens, & libera, vt refertur ad legem naturæ, loquor autem de materia, quæ non est prohibita lege naturæ, quia eo ipso quòd naturæ lex non reseruat illam materiam, permittit eam liberam sub dispositione voluntatis: si ergo voluntas Principis, aut Reipublicæ disponit particulariter de illa materia, quæ secundùm dispositionem legis naturæ dat regulam voluntati particulari huius, aut illius (lex enim positiua iusta descendit à lege diuina, & naturali) magis consonum erit legi naturæ, vt seruetur talis dispositio, quàm vt contra fiat secundùm libertatem, quam ipsa lex permittit.

Prædictas rationes nō esse conuincentes. Instātia contra primam.

Libertas legis naturalis limitatur per Ius positiuū.

Lex positiua conformis naturali.

Ideò enim lex naturæ non omnia comprehendit, quia debet suppleri per positiuam, prout hîc & nunc in certis circumstantiis expedit; quæ circumstantiæ sicut non sequuntur ad naturam inseparabiliter, sed merè contingenter ex libera rerum dispositione; inde est quòd materia in his circumstantiis non comprehenditur à lege naturæ; sed permittitur dispositioni liberæ, quæ vt est à voluntate superioris tenet contra dispositionem particularem, & priuatam inferioris, & hoc magis consonum est legi naturali.

Exemplum subiicit Doctor, *Quamuis de lege naturæ nihil tibi debeo, tamen si voueo tibi obedientiam, teneor tibi obedire*, &c. vt Religiosus vouens obedientiam superiori. 4

Exemplum.

Dices hoc debitum esse ex eo, quòd Deo vouet quis obedientiam in statu perfectionis.

Obiectio.

Contrà, si libertas legis naturæ præualet præcepto positiuo, vt lex naturæ sumitur strictè, ita etiam præualet voto, quod non est de lege naturæ eo modo, quo principia, aut conclusiones necessariæ indispensabiles sunt legis naturæ: quia votum dispensabile est; non ideò enim libertas legis naturæ præualet legi positiuæ, quia positua est; sed quia minùs obligans: ergo si minùs obligat votum, quàm libertas legis naturæ, etiam hæc præualebit voto.

Impugnatio.

Dices legem naturæ permittere, vt quis emittat votum, & emissum tenere.

Obiectio.

Contrà: ergo permittit vt emittat votum castitatis, sicut & obedientiæ, & consequenter permittat, vt non ineat matrimonium; imò se inhabilitet ad illud ineundum: ergo ex libertate matrimonij ineundi, vt est hæc ex lege naturæ, non infertur seruitutem vt inducit rationem debiti, loquendo de iusta seruitute, non impedire matrimonium ex eo præcisè, quòd matrimonium fit sub libertate legis naturæ: sicut eadem seruitus impedit votum Religionis solemne, & ordinationem, quæ tamen in circumstantiis, in quibus non obstat præceptum legis naturæ de vtroque fine matrimonij, sunt magis permissa, & ratione status, & perfectionis magis consona legi naturæ, quæ ad illud, quod est magis perfectum, & conforme rectæ rationi, magísque facit ad laudem, & præmium, inclinat fortiùs.

Impugnatio.

Secundò instat contra rationem allatam, aut fundamentum eius: quia matrimonium non est de lege naturæ strictè sumpta, sed tantùm secundariò, quando scilicet non vrgent præcepta matrimonij, hîc, & nunc ineundi: reddere autem debitum alicui est de lege naturæ primariò, & sub præcepto: ergo ex quo per obligationem iustam seruus se fecit domini, tenetur iure lege iustitiæ reddere illi quod suum est, & abstinere ab illo, quod impedit iura seruitutis præstitæ. Hæc instantia, seu ratio est à priori. 5

Instātia contra rationem præmissam aliorum. Reddere est de lege naturæ strictè sumpta, non ita matrimoniū, seclusa necessitate.

Contra secundam rationem instat: quòd non omnis, qui tenetur ad conseruationem indiuidui, tenetur ad conseruationem speciei: seruus autem hîc, & nunc, vbi non est necessitas vlla propagationis, non tenetur ad conseruationem speciei: ergo per aliquam obligationem potest excludi illa propagatio. Et confirmatur, quia iure

Secūda ratio soluitur. Non esse obligationē conseruandæ speciei, nisi in casu.

iure seruitutis tenetur ad hæc, & illa seruitia, quibus non satisfacit minus reddens: ergo tenetur non inducere impedimentum debitæ seruitutis.

Responsio Sanchy.

Respondet Sanchez *lib. 7. disput. 21.* licèt istæ rationes non concludant in omnibus, concludere tamen in hac materia, & negat paritatem quoad primam rationem: quia libertas homini concessa est in bonum priuatum ipsius, cui potest renuntiare, ac proinde Ius Gentium potuit inducere seruitutem: at matrimonium ordinatum est ad bonum commune, & publicum propagationis, in remedium concupiscentiæ, & ad euitandam fornicationem, & flagitia carnis. Quia nulli Iuri positiuo id permissum est, vt possit matrimonium interdicere, nisi ipsemet perfectiori statui continentiæ se obliget.

Libertas ad bonum priuatum, & publicũ diuersa.

6 *Respondet ad secundum.*

Ad secundum Doctoris respondet, quòd conseruatio speciei ita est naturæ opus, sicut conseruatio indiuidui; sicut ergo illud permittitur, ita & hoc, non obstante seruitute.

Impugnatio dictarum responsionum.

Contrà, ratio deducta ex principiis legis naturæ est vniuersalis, & perinde in omni materia concludit, quando fortius præceptum ipsius legis naturæ non concurrit: si ergo ratio illa in aliis non concludit, ita etiam neque in hac materia; ac proinde libertas matrimonij non obstante seruitute debet ad aliquod aliud speciale principium ex natura seruitutis, & matrimonij, vt comparantur & concurrunt, desumi; non ex illo principio generali, quod in aliis materiis non concludit. Conclusio enim practica, vt procedit ex principiis, non sortitur aliam veritatem, quàm mediatam, quæ infertur ex virtute, & veritate principiorum, & prout ipsis innititur solùm tenet quæ deducta est. Rectè ergo infertur principium fallens in alia materia non concludere in hoc ex vi sua: ergo restringi debet ex propriis huius conclusionis, vt det causam veritatis eius.

Quod ex principio generali non infertur, debet reduci ad particulare, si verum est.

7 *Impugnatur disparitas data.*

Prætereà, disparitas assignata non soluit argumentum; quia libertati matrimonij perinde renuntiare potest, sicut & libertati propriæ, qua se priuat per seruitutem, quia nullo Iure diuino, aut humano tenetur hîc & nunc seruus inire matrimonium, vt benè probat secunda ratio Doctoris; nequit ergo priuare bono, quod Reipublicæ debetur, quamuis bono priuato renuntiare possit, verbi gratia, clericus non potest se priuare priuilegio Canonis, neque iudex exemptione suæ personæ: quia hæc debentur statui ex communi lege, quæ dispositioni horum priuatæ non subest, quæ & seruanda lex ipsa præcipit: non ita tamen se habet matrimonium serui, quod nulla lege obligat ad illud ineundum, & cuius libertati ipse potest renuntiare authoritate priuata, sicut & eadem authoritate potest subire seruitutem se priuando libertate, & dispositione sui ipsius: si ergo ipse potest priuare se libertate matrimonij, ita etiam per legem priuari potest eadem libertate, quia quidquid potest ipse de se abdicare, si ratio subest, potest etiam per legem eò spoliari: quinimò potest inhabilitari ad matrimonium, per legem positiuam ex crimine, sicut inhabilitatur ad votum. Sic enim de facto per legem inhabilitantur adulteri vt contrahant, quando machinati sunt in mortem coniugum ex communi consensu, & non solùm antiquitus inhabilitabantur inter se contrahere; sed etiam cum vllo contrahere, vt patet *cap. Si quis viuente, 31. quæst. 1. & cap. Interfectores, 33. quæst. 2. & cap. Admonere te cum lachrymis*, &c. *eodem, & cap. Cùm haberet vxorem*, &c. *de eo, qui duxit in matrimonium*, &c. ergo hæc libertas iuri positiuo subest, sicut & propriæ voluntati.

Lex supplet voluntatem priuatam.

Inhabilitare posset lex ad matrimoniũ.

Neque ex eo, quòd aliquid sit institutum in bonum commune, subditum tamen priuatæ cuiusque particularis dispositioni, inducit præiudicium authoritati publicæ, quando dispositio illius non est speciali lege reseruata legislatori: nam eo ipso quòd priuatæ dispositioni subdatur liberæ, cessat omnis eius reseruatio; quamuis ergo matrimonium institutum sit in bonum publicum; tamen voluntati propriæ cuiusque, quando non obligat finis eius, relictum est illud inire, vel renuntiare tali libertati, & impedimentum eius statuere: sicut ergo seruitus inducta statuit impedimentum voto solemni ex incompatibilitate iuris vtriusque, ita etiam ex his principiis non ostenditur ratio cur non statuat simile impedimentum matrimonio, spectato solo Iure naturæ, cùm domino nihil possit præiudicare seruus. 8

Bonũ publicum quandóque subijcitur priuatæ dispositioni.

Deinde, ipsum matrimonium est quædam seruitus, quam non posset homo inire secundùm rectam rationem, vt præfatus Author aliàs asserit (de quo actum est *suprà distinct. 31. quæst. vnic. §. Hîc dicitur,*) ob detrimenta annexa, nisi per matrimonij tria bona compensaretur: ergo consideratis his detrimentis secundùm rectam rationem, & legem naturalem libertas matrimonij non est adeò connexa naturæ, aut legi eius, quin omitti, & impediri possit, quando vrget præceptum: obligatio tamen seruitutis iustæ est in præcepto legis naturæ, sicut alteri soluere debitum: ergo supposita seruitute, libertas matrimonij nequit ei derogare, vt vtrumque subest præcisè legi naturæ.

Matrimoniũ inducit seruitutem.

Prætereà, obligatio seruitutis præualet obligationi matrimonij, quantùm ad subtrahendam cohabitationem, & reddendum debitum petente vxore, si subtrahatur seruitus necessaria, & cũ notabili damno domini: ergo magis impedit seruitus matrimonium contrahendum, quando officit seruituti (& loquor semper de obligatione legis naturæ) quia si præceptum matrimonij contracti cedit obligationi præcepti seruitutis, quando vtrumque simul repugnant, à fortiori libertas matrimonij contrahendi cedit obligationi seruitutis, quando non cohærent. 9

Ex his patet ad responsionem præfati Authoris contra secundam rationem Doctoris, nempe de libertate conseruandi indiuidui, & consequenter speciei per matrimonium, quia non est par ratio, conseruatio enim indiuidui est in præcepto legis naturæ strictè, ac proinde non est liberum ipsi, aut subiectum voluntati, & dispositioni eius, sicut ipsi est liberum contrahere, vel non contrahere matrimonium. Deinde, iura seruitutis, quæ sunt tantùm ad operas serui, non impediunt conseruationem indiuidui, imò necessariò supponunt, sicut & vitam, quia seruitus ipsa personalis finitur cum morte, opponitur tamen matrimonio, & debito ex eo proueniente, qua seruus fit obligatus vxori, filiis, & familiæ. Ad reliqua patet ex dictis.

Instãtia contra secundam rationem Doctoris, soluitur.

Conseruatio indiuidui, & speciei aliter se habent.

SCHO

SCHOLIVM.

Potest seruus de licentia domini matrimonium contrahere, & tunc tenetur dominus tollere seruitia repugnantia actibus coniugij; potest etiam inuito domino contrahere, quia non se priuauit omni libertate ad quoscumque actus. Ita D. Thom. hîc, quæst. vnic. art. 2. & habetur cap. 1. de coniug. seru. sed non videtur tunc quòd tenetur dominus ex iustitia, non mittere eum vbi non possit vacare rei vxoriæ. Videndus Sanchius lib. 7. de Matrim. disp. 21.

Dico [d] ergo quantùm ad istum articulum, quòd seruus de voluntate domini potest contrahere matrimonium: & si onus matrimonij sit in aliquo repugnans seruitiis consuetis, dominus concedens sibi contrahere, relaxat sibi implicitè illa seruitia consueta: & si dominus posteà reuocaret istam concessionem, vtpote ipsum totaliter impediendo à copula carnali, vel mittendo eum in partes longinquas, vel detinendo eum in laboribus, ita quòd non posset aliquando visitare vxorem; peccaret mortaliter, & in manifestis esset per Ecclesiam corrigendus. 7 *Resolutio Doctoris*

Potest [e] etiam contrahere domino inuito, pro quanto habet aliquid iuris in corpore suo: non enim priuauit se quacumque libertate ad quoscumque actus: & pro quanto corpus eius est suum, potest commutare cum alio: quia si alius, siue seruus, siue liber, velit esse contentus illa modica potestate, siue ad modicum vsum, quem scit eum posse dare, benè potest sibiipsi præiudicare, & tenet commutatio.

Ex [f] hoc sequitur quòd seruus potest contrahere cum libera, dum tamen ipsa sciat conditionem eius, & consentiat in eum, non obstante tali conditione: quia tunc commutat potestatem sui corporis pro illo modico, quod habet seruus potestatis in suo corpore. Et potest contrahere cum ancilla, & tunc videtur vterque concedere id quod potest; & sicut contrahunt, ita tenentur posteà secundùm iustitiam reddere debitum, pro quanto scilicet illi actus non impediunt à seruitiis consuetis. 8 *Seruus potest contrahere cũ libera, & ancilla.*

Sed [g] esto in casu isto contrahunt sine voluntate domini, & vnus dominus mittit seruum in Africam, & alius dominus mittit ancillam in Franciam, nunquid licet hoc facere? Respondeo, cùm causa matrimonij sit fauorabilis, inducendi essent domini ne hoc facerent: sed si facerent, non apparet qualiter supposita seruitute, facerent contra iustitiam; quia iste priùs fuit in potestate domini vt mitteret eum illuc, imò vt venderet eum: & similiter illa in potestate domini sui, similiter quantùm ad illum locum: & per actus proprios, sine voluntate dominorum non potuerunt se facere liberiores, nec se à iure dominorum suorum magis eximere, quàm priùs: igitur adhuc licet. *Quid si mittantur lõge ab inuicem.*

Sed [h] si ancilla credit contrahere cum libero, qui tamen est seruus, nunquid contrahitur? Posset dici quòd error conditionis peioris impedit contractum: quia impedit commutantem recipere tantum pro quanto intendit commutare: sed ignorantia melioris conditionis, vel æqualis non impedit propter contrariam rationem.

Ad [i] argumenta. Ad primum, patet secundùm istam viam vltimam, quòd seruus non est domini secundùm omnia, sed secundùm aliqua est sui iuris, vt ad comedendum, bibendum, dormiendum, & breuiter ad quoscumque actus exercendum, propter quos non subtrahuntur domino debita seruitia: igitur cùm pro tunc posset vti actu carnali, potest ad illum se obligare, quantùm sui iuris est. Quod Philosophus dicit de seruitute illa maledicta, qua seruus est sicut pecus, potest intelligi quod est domini sui sicut possessio, vel pecunia: non tamen quòd in actibus suis ducatur tantùm, & non ducat: quia quantumcumque sit seruus, est tamen homo, & ita liberi arbitrij: ex quo patet magna crudelitas fuisse in prima inductione seruitutis, quia hominem arbitrio liberum, & dominum suorum actuum ad virtuosè agendum, facit quasi brutum, & libero arbitrio non vtentem, nec potentem agere virtuosè. 9 *Ad arg. 1.*

Ad secundum, non est simile, quia profitens in Religione totaliter se submittit obedientiæ Prælati illius Religionis: & in hoc ex toto subtrahit se à consuetis seruitiis domini sui: non sic contrahens matrimonium, sed solùm in aliquibus actibus, qui possunt stare cum hoc, quòd reddat seruitia consueta. *Ad 2.*

COMMENTARIVS.

10 *Conclusio cõmunis.* *Voluntas domini consentientis interpretanda.*

d **D**Ico ergo quantùm ad istum articulum, &c. Hæc conclusio est communis: & patet 29. *quæst.* 2. *per totam,* & maximè *cap.* 1.

Secundò asserit Doctor, si onus matrimonij sit in aliquo repugnans seruitiis consuetis, dominus concedens licentiam ineundi matrimonium, tacitè ipsi remittere videtur illa seruitia consueta, quia nempe dans licentiam ineundi matrimonij iuri suo cedit quoad ea, quæ necessariò coniuncta sunt matrimonio: nam concesso principali, conceditur accessorium, *cap. Prudentiam,* &c. *de officio delegati.*

Consensum datũ nequit dominus reuocare.

Tertiò, inde deducit, si obstaculum reddat reuocando concessionem, & impediat ex toto ab vsu matrimonij, vt eum separando, vel implicando operibus, vt nullo modo vacet vxori, vel vendendo in longinquas partes, eum peccare lethaliter, nempe contra iustitiam, in re graui, & in manifestis esset per Ecclesiam corrigendus. Hanc conclusionem esse communiorem censeo quantùm ad hoc quòd seruus de voluntate domini contrahens maiorem libertatem acquirat vacandi vxori, quam si eo inuito contraheret. Et hanc distinctionem communiter tam Theologi, quàm Canonistæ admittunt. Ex qua resoluitur illa difficultas, quando scilicet vrget vtrimque necessitas ex parte vxoris, & ex parte domini, cui simul nequit à seruo satisfieri, vtri magis debeat obedire?

Vtri in necessitate subueniendum, domino, an vxori?

11 *Responsio.*

Respondetur enim ex hac resolutione Doctoris in iis, quæ necessaria sunt coniugio, vt reddere debitum in periculo fornicationis præsenti eum magis obligari vxori, si aliter euitari non possit hoc periculum; quia quoad hoc obligatur iure matrimonij, & non præiudicat domino, qui in hoc consensit dans licentiam contractui; vnde sicut si seruus de voluntate domini locaret suas operas alteri, teneretur illas præstare etiam domino reclamante, quando non est res integra, quia in eo casu dominus cessit iuri suo in seruum, quoad eas operas, neque potest reuocare non integra re, consensum datum; sed in proposito res non est integra, quia matrimonium de licentia eius contractum est, & consensus domini validat contractum ex parte sua, quoad necessariò coniuncta: ergo, &c. Præterea, si dominus donaret seruum integræ libertati, ita vt suo iuri ex toto renuntiaret, non posset posteà eum sine culpa reuocare in seruitutem: ergo similiter ea ratione, qua in parte eum relaxauit, non potest ipsi præiudicare; consentiens autem in matrimonium serui, eum relaxauit quoad iura necessaria coniugij, & sine quibus stare non potest: ergo tunc obligatio seruitutis in hoc casu commutatur voluntate domini consentientis in iura matrimonij quoad casus necessarios, qui vrgent.

In causa vrgenti debiti ius matrimonij præualet.

Obiectio.

Dices dominum consentientem in matrimonium serui, non censeri per hoc relaxare aliqua iura seruitutis.

Impugnatur.

Contrà: quia hoc ipso, quòd consentiat in matrimonium serui, tacitè consentit, vt seruus vacet illi contractui, & stet eius obligationi in circumstantiis necessariis: nam omnes DD. admittunt aliter se habere ad iura matrimonij seruum consentiente domino contrahentem, & eo inuito contrahentem: ergo aliquid libertatis acquirit ille ex consensu domini, quod non acquirit hîc: nam ille consensus non habet rationem puræ permissionis, sed æquiualet mandato, aut missioni respectiuè ad actum, in quem consentit.

Sed dices: quid si ipse dominus sit in periculo vitæ constitutus, aut in alio simili æquiualenti, cui nequit aliter succurri, nisi per operam præsentem serui? 12 *Casus.*

In casu subueniri debet domino.

Dicerem obligari domino iure charitatis, & seruitutis, quinimò si esset liber dimissus titulo gratitudinis, & charitatis: quia non iudico hæc pericula paria esse; quin in potestate vxoris sit continere si velit, & alia media opportuna adhibeat, neque eidem proinde iudico in simili casu extremæ necessitatis alterius vacandum esse, omittendo opera charitatis obligantia hîc & nunc, quibus aliter non possit subueniri, neque putarem ius debiti in tali casu obligare in præiudicium charitatis, & debitæ seruitutis, quibus tenetur maritus; sed & vxor etiam tenetur illa non impedire: ergo non exigere debitum, ex quo alterius mors, aut damnum ineuitabile sequitur, nam, vt *suprà* Doctor, ius debiti est præcepti affirmatiui, quod in certis, & determinatis circumstantiis obligat, & non aliter: quarum vna est præcepti maioris concurrentis, & repugnantis: aliàs dicam cum periculo infantis, & vitæ propriæ, aut infirmitatis grauis, obligare ius debiti coniugalis, quod non admittitur. Cùm ergo periculum lapsus non sit periculum ineuitabile, quod summoueri non possit alia via, nequit comparari periculo mortis domini, & notabilis damni, cui subuenire tenetur seruus, neque consensus prior domini in matrimonium serui ad casum hunc est extrahendus; cùm rationabiliter, eo præuiso, esset inuitus; sed ad relaxationem moderatam, in iis seruitiis, quæ maioris lucri sunt, non tamen necessariò, & relaxatio intelligenda venit, cum qua compatitur onus seruitutis, maximè in necessariis, & prout solùm important libertatem aliquam vocandi matrimonio, non in eo gradu, quo liberi vacant. Attendendæ ergo sunt circumstentiæ, & prout pondus huius negotij trahit, ei cedendum est, aut necessitas.

Cõsensus domini nõ comprehendit casum.

Spectãdæ circumstantiæ.

Alij reducunt resolutionem hanc in anterius ius, quorum aliqui censent esse seruitutis, alij matrimonij, & pro anteriori iure standum est: quia res cum suo onere transit ad possessorem, *cap. Ex literis,* &c. *de pignoribus,* &c. *qui prior est tempore, potior est iure, de reg. iur. in 6.* sed cùm vtrumque ius perinde cohæreant, in casu quo hîc & nunc repugnent, spectandæ magis sunt circumstantiæ, quàm ordo vtriusque iuris: nam si circumstantia adiecta magis determinat materiam in fauorem iuris posterioris, illi fauendum erit. 13 *Aliorum resolutio.*

Seruum non posse vendi in partibus remotis, qui voluntate domini, & consensu contraxit, docet etiam S. Bonauentura *in hac dist. in exposit. literæ.* Richardus *art.* 4. *quæst.* 2. Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 10. Toletus *lib.* 7. *Summ. cap.* 3. Nauarr. *in Summam, cap.* 22. Syluest. *verb. Penitus, quæst.* 7. Petrus Ledesma *de matrim. q.* 52. Angelus *verb. Matrimonium* 3. *impedim.* quin etiam S. Thomas

Non posse seruum vẽdi in partes remotas, si contraxit cum consensu domini.

S. Thomas *in hac dist.* à fortiori id asserit, *q. vnic. art. 2. ad 4.* Paludan. *quæst. 2. art. 1. conclus. 3.* Glossa *cap. 1. de coniugio seruorum, verb. Seruitia.* Turrecremata *cap. finali, 29. quæst. 2.* Viguerius *lib. instit. cap. 16. impedim. 2.* Ludouicus Lopez *lib. 1. de contract. cap. 5.*

14 *Opposita sententia.* Contrarium huius tenet Sanchez *lib. 7. disputat. 21.* modò vxor possit sequi seruum, quocumque vendetur, quia licèt dominus consensit in matrimonium serui, ita vt habeat ius seruus, eo etiam inuito, nè impediatur vsus matrimonij: *Fundamenta huius sententia.* tamen quando, verbi gratia, vxor est libera, potest, & tenetur sequi seruum maritum, & tunc non impeditur vsus matrimonij à domino. Secũdò, quia seruus, si manumitteretur, posset vbique eligere domicilium, & vxor teneretur eum sequi. Tertiò, quia nullum onus imponitur vxori, quod ipsa non assumpsit ducens seruum, & quem teneatur sequi. Et idem asserit de seruo si manumittatur, tenere sequi vxorem ancillam venditam in longinquas partes, si commodè potest: tamen si nequit commodè, aut vxor sequi virum, aut è contra vir vxorem, nequit dominus eos vendere cum impedimento vsus matrimonij, modò ipse consenserit primùm in matrimonium. Iuxta hanc modificationem videtur loqui Doctor: quia intendit eum non remitti posse in partes longinquas, quando impediretur vsus matrimonij, & in hoc sensu loquuntur cæteri Doctores, quia regulariter nequit coniux vendi in partes longinquas, ita vt vxor maritum, aut maritus vxorem commodè sequi possit, quia si libera est, subiicit se periculo seruitutis, & aliis, quæ in longinquis partibus inferri possunt, sicut & ordinariè infertur aduenis, & seruis. Deinde, vsus matrimonij impedietur, quando non datur recursus ad iudicem, qui difficilis est in aliis partibus, & pluribus iniuriis subiicietur libera, aut liber, quæ præuenire, aut prouidere non potuit, quando matrimonium iniit rebus in priori statu manentibus; quando conditio vtriusque non deterioratur per venditionem serui, tunc facilè admittendus est casus. Aduertendum tamen dominum consentientem in matrimonium serui, debere ipsum vendere cum hoc onere, vt possit vacare matrimonio, quamuis pretium eius necessarium sit diminuere, quia nequit seruum aliter vendere, nisi vt ipsum possidet, & salua fiunt ei sua iura, quæ remissa sunt à domino consentiente in matrimonium.

15 *Secunda conclusio.* e *Potest etiam contrahere domino inuito, &c.* Patet *ex cap. 1. de coniugio seruorum, &c. nec inter seruos debent matrimonia vllatenus prohiberi, & si contradicentibus dominis, & inuitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc soluenda, &c.* *Ratio conclusionis.* Rationem huius optimam assignat Doctor, quia dominus non habet potestatem in corpus serui, sed in operas eius, neque lex ciuilis, aut Ius Gentium potuit dare illam potestatem; neque seruus ipse ex propria voluntate, quia solus Deus est dominus vitæ, & mortis, animæ, & corporis, & permisit tantùm potestatem vsus corporis in ordine ad matrimonium, quamuis reliquus eius vsus, quantùm ad operas subiecit *Per seruitutē non acquiritur ius in corpus, sed in operas.* nostræ voluntati. Seruus ergo vendens suam libertatem solùm vendit operas suas, & non corpus secundùm omnem libertatem, quam habet: ergo manet ipsi ius corporis commutandi in ordine ad matrimonium, quod non est pretio æstimabile, nisi vt recepit aliud æquale in ordine ad vsum corporis, quem Deus respectiuè ad hunc solùm contractum ei permisit: & hæc commutatio non derogat iuri seruitutis: quia contrahens cum seruo remittit de suo iure, quod aliàs ipsi ex vi contractus competeret, nè præiudicium tertij sequatur, & sic tenet contractus.

Dices ergo de Iure naturæ tenet matrimonium, & eius libertas, quod supra impugnatum est, contra iura seruitutis. 16 *Replica.*

Respondetur tenere de Iure speciali naturæ, *Solutur.* ratione materiæ, in qua versatur commutatio, cuius dominium nequit plenum cum seruitute transferri, sed in ordine ad certum vsum, & operas; manet autem dominium corporis ex Dei concessione seruo in ordine ad vsum matrimonij tantùm, & sustentationis propriæ, sine præiudicio tamen iuris alterius, quod acquisiuit per inductam seruitutem, quia nequit seruus vacare matrimonio, nisi quoad vsum aliqualem, qui non impedit, aut subtrahit consueta seruitia, vt *prædicto capite primo potest, de coniug. seru.* vbi decernit Adrianus Pontifex: *debita tamen*, inquit, *& consueta seruitia non minùs debent consuetis dominis exhiberi*, &c. vbi Glossa: quamuis ergo seruus habeat libertatem ineundi coniugij, non habet libertatem cum detrimento domini ad vsum talis coniugij, sed tantùm quando seruitia consueta non subtrahantur. Doctor autem *suprà* non impugnat conclusionem, sed *Explicatur Doctor.* rationes, quibus probatur, & ipse proinde ex ratione in specie, & à priori probat conclusionem ex natura contractus, seruitutis, & iuris tantùm acquisiti, & quoad secundum in ordine ad operas est, non priuando seruum omni sua libertate, quam per politicam seruitutem transferre non potest, neque etiam per matrimonium subtrahere iura seruitutis, nisi dominus consenserit in matrimonium: quia ad liberum vsum matrimonij, & cohabitationis potest seruus suum corpus commutare cum detrimento domini, neque dominus præiudicare potest vsui corporis serui in ordine ad matrimonium in necessariis, quia non acquirit plenum dominium corporis eius per seruitutem, ac proinde quoad vsum, cui non est subiectus seruus, est liber, aliàs peccaret contra iustitiam, qui vel in vno, vel in altero subtraheret debitum.

Dices, potest dominus vti seruo non solùm ad seruitia consueta, sed etiam ad extraordinaria. 17 *Replica.*

Respondeo seruitia consueta intelligi in præfato textu, illa quæ ex voluntate domini, & iure seruitutis præscribuntur; excluduntur tantùm illa, quæ præiudicant libertati serui, & vsui necessario matrimonij, quia in ordine ad hæc impedienda, ius non acquisiuit dominus in seruum à principio. *Soluitur.*

f *Ex hoc sequitur quod seruus potest contrahere cum libera, &c.* Hunc casum *suprà* resoluimus *dist. 34.* & patet ex titulo *de coniugio seruorum,* matrimonium esse validum non ignorata conditione. Si ignoratur esse inualidum ex defectu consensus requisiti, & hoc Iure naturæ. 18

g *Sed esto in casu isto contrahant sine, &c.* Quæritur an possint contrahentes siue ancilla, & seruus (quando inuito domino, aut non consentiente contrahunt) possint vendi in diuersas partes. 19 *Casus de seruo cōtrahente inuito domino.*

Respondet inducendos esse dominos nè id faciant,

Vendi posse in longinquas partes, & distrahi ab vxore. faciant, cùm contractus sit fauorabilis. Sed si facerent, non apparet quomodo contra iustitiam, supposita seruitute, facerent, quia ex voluntate particulari ipsorum coniugum non acquirunt ius aliquod in præiudicium seruitutis, & dominorum, quod ante non habuerunt, cùm domini non consenserint: anteà autem id licuit dominis secundùm iustitiam: ergo etiam nunc. Hanc sententiam tenet Cardinalis *in cap. 1. de coniugio seruorum.* Almainus *in hac dist. quæst. vnica, art. 3.* Supplementum Gabrielis *quæst. 1. art. 3. dub. 3. conclus. 3.* quamuis oppositum probabile etiam sit: Angelus *suprà* citatus, & plures alij quos citauimus, maximè si est necessitas vendendi, quamuis hæc sententia sit probabilis; tamen quia videtur dura, interpretarer Doctorem loqui de iustitia politica, & ciuili, quantùm ad eam spectat, non esse peccatum sic diuendere in partes remotas: quia ratio eius adducta huc spectat.

Ratio resolutionis.

Sententia dura.

Explicatur Doctor.

20 *Non posse talem vendi.*

Cæterùm innitendo illi rationi, quam pro secunda conclusione subiicit, dicendo seruos inuitis dominis contrahere posse, quia aliquod ius sui corporis habent, quo non priuantur per seruitutem, dicendum videtur non posse sic distrahi maritum, & vxorem, vt vsus matrimonij fiat impossibilis simpliciter, quia corpus serui non subest domino, quantùm ad libertatem sufficientem ad matrimonium, ita vt hoc impedire possit, ita etiam neque quantùm ad vsum, qui ex tali contractu, considerata conditione seruili, sequitur: ergo nequit habere ius vendendi seruum cum impedimẽto vsus matrimonij contracti, & sicut Ecclesia tenetur, si fideles sunt, subuenire, ne impedimentum statuatur contrahendo; ita etiam ne impedimentum statuatur contracto. Imò iudex ciuilis, & Respublica debent subuenire seruis conseruando eorum iura; erit ergo contra iustitiam, & charitatem talis venditio. Contra, inquam, iustitiam ex ratione allegata Doctoris; contra charitatem ob periculum spirituale vtriusque coniugis. Accedit prætereà contractum esse fauorabilem: sicut ergo non potest dominus præiudicare seruo quoad potestatem corporis in ordine ad matrimonium; sic etiam neque præiudicare potest vsui talis potestatis.

Debere Ecclesiam subuenire.

21 *An maritus renitẽte vxore possit se vendere in seruitutem?*

Dubitatur an possit maritus vendere se in seruitutem viuente vxore? Partem affirmatiuam communiùs tenent Doctores, quos citat Sanchez *lib. 7. dist. 23.* Cæterùm, saluo meliori iudicio, videtur mihi præferenda sententia Glossæ, *cap. Perlatum, 29. quæst. 2.* quam tenet etiam noster Angles *in flor. 4. 1. part. q. 10.* de errore conditionis *artic. 3.* Palacios in 4. *disput. 30.* Probatur, iura matrimonij obstant primò, quia ex Apostolo, *Vir potestatem sui corporis non habet, sed vxor,* &c. quia contractus ipse consistit in æqualitate, vt per commutationem sui corporis tantumdem recipiat, quando suo iuri non cedit. Secundò, obligatio debiti libera ex primo contractu ei debetur; hæc autem nulla ratione compatitur cum obligatione seruitutis propriè dictæ. Tertiò, nequit res alterius, sine proprio eius consensu disponi, aut reddi peioris conditionis, & fructus, domino inuito, quia hæc esset iniusta vsurpatio rei alienæ; nequit dominus præiudicare matrimonio inito in præiudicium contractus, & vxoris, aut ipsius serui, quamuis in seruitute contraxit: ergo neque maritus præiudicare matrimonio contracto, aut coniugi; præiudicaret autem per seruitutem, vt res nota est, quia nequit duobus dominis seruire; vxor autem per anticipatum matrimonium acquisiuit seruitutem in corpus mariti, cui præiudicat seruitus politica, per quam consueta seruitia debet domino, neque implere potest eum satisfactione prioris oneris, & obligationis.

Obstare iura matrimonij.

Ex iure liberò debiti.

Ex iustitia, & iure actionis, & possessoria.

A simili.

Ius anticipatum.

22 *Nequit inhabilitare se ad debitum reddendum.*

Quintò, non solùm tenetur maritus ad debitum quando petitur, sed etiam tenetur non imponere impedimentum, vnde reddatur inhabilis ad reddendum quoties iustè petitur: ergo neque seruitutem superinducere. Sextò, quia tenetur ad cohabitationem thori, & domus, quæ non patiuntur cum iure seruitutis, quo domino adhærere tenetur. Septimò, quia sicut nequit diuortium propria authoritate, & sine causa facere, aut petere: quia hoc est contra perpetuitaatem vinculi, & obligationes ex eo innatas; seruitus autem in parte diuortium est, quia separatio thori, & cohabitationis, si ita placuerit, & vtilitas domini exegerit pro maiori tempore.

Ius thori, & cohabitationis.

Esset diuortium.

Octauò, conditio ignorata, quando annullat matrimonium, nequit induci ex sola voluntate alterius, contracto matrimonio; sed seruitus ignota annullat matrimonium, vt *suprà* visum est, quia subest fraus, quam non comprehendit consensus substantialiter, & sic deest ipse consensus, ob notabilem deceptionem in materia commutata: ergo quæ contraxit cum libero sciens esse liberum, & nullo modo contractura, si esset seruus, consensum suum dirigit substantialiter, non solùm ad personam; sed etiam ad conditionem eius: ergo ex vi talis consensus, cui innititur contractus initus, debetur ei corpus liberum ab omni seruitute; sed contractus ille est irreuocabilis: ergo non potest maritus superinducere seruitutem matrimonio inito, sine manifesta iniuria vxoris, cùm hæc conditio fuerit substantialis in contractu, & commutatione, ita vt non solùm acquisierit ius per commutationem in corpus eius; sed etiam in illud, vt erat liberum ab omni onere seruitutis.

Conditio irritans contractum nequit induci.

Præiudicium partis ex contractu frustrato.

Nonò, tenetur maritus ad bonum prolis, eiúsque rectam educationem ad prouidendum vxori, & familæ, & consequenter ad assistentiam necessariam, quæ non compatiuntur cum seruitute; accedit nota infamiæ, & dispendium honoris, quæ incurrit vxor ingenua, & proles eius, ex superinducta seruitute, & dari pluribus occasionem hoc modo, vt subterfugiant onora debita matrimonij. Vnde mihi valdè durum videtur, quòd maritus vendens se in seruitutem posset venundari in partes remotas, si vxor eum commodè sequi tenetur, vt dicit Sanchez, quasi ipsa teneretur subiicere se damnis, & periculis, quæ in vxorem serui, atque in alienis partibus, quarum linguam non nouit, etiam viro ipsa renitente in seruum se vendente, vel quasi fingatur vxor cõmodè posse sic sequi virum, qui non est casus practicus, sed merè speculatiuus, cùm incommoditas & vxoris, & prolis ex migratione longinqua sequendi conditionem seruilem illius, à quo ibi commodum reportare non possunt, redundare semper videatur.

23 *Obligatio quoad alia iura matrimonij.*

Senẽtia valdè dura, & intolerabilis.

Suppositio incongrua, & nõ subsistens.

24 *Obiectio.*

Pro opposita sententia non adducitur alia ratio, nisi quòd maritus sit caput vxoris, & vtatur iure suo, & possit vti sine detrimento debiti coniugalis.

Soluitur.

Respondeo hanc suppositionem non esse subsisten

subsistentem, nempe non frustrari per seruitutem debitum coniugale, quod ex primo contractu æquale debetur. Dico ergo esse contra iustitiam, & fidem datam, & leges matrimonij, nec refert quòd vir sit caput vxoris, quia id intelligitur quoad ea, quæ communia sunt in gubernatione familiæ, & domus, & secluso iure proprio vxoris. Imò videtur magis consentaneum, vt vir possit vendere vxorem ea inuita in seruitutem, quia sic vteretur re sua, & dominio, quod habet in vxorem, eiúsque corpus, quàm quòd se ipsum vendere possit, quia nullum habet dominium in corpus suum in præiudicium vxoris, cuius est corpus viri: nullum ergo ius ipsi fauet, & contrà fauent vxori.

Sufficiẽs causa diuortij, & negandi debiti. Imò illam esse sufficientẽ causam non solùm diuortij iudico cum Henriquez *lib.* 11. *de matrimon. c.*10. & Bartholomæo Ledesma *de matrimonio, quæst.* 52. *&* 53. sed etiam negandi debitum coniugale, & cohabitationis, ob violatam fidem primi contractus, & propulsandum opprobrium, quod ille contranitente vxore contra iura matrimonij ei debita induxit, nam si potest negare debitum ob causam subtractorum alimentorum sibi & proli, vt plures tenent. Eadem ratio currit in proposito, cùm ob iura seruitutis inductæ, ipse se priuat omni possibilitate alendi vxorem, & prolem, cùm omnia quæ acquirat, suo domino acquirat, & nihil vxori, sed sibi tantùm necessaria ad sustentationem sui.

25 *Replica.* Dices pretium venditæ libertatis posse sufficere vxori ad alimoniam.

Soluitur. Respondeo, si ratio prioris sententiæ subsistat, eum se posse gratis constituere seruum, quia sic vtitur iure suo, neque adeò tribuendum est potestati viri in vxorem, vt Sacramento, & debito vxoris detrahatur, cùm ex prima institutione Sacramenti, *Vir relinquere debeat patrem, & matrẽ, &c. & adhærere vxori suæ:* ergo si maior hæc sit coniunctio, si filius sub potestate patris constitutus nequeat seipsum vendere patre renitente, minùs potest renitente vxore. Quod autem dicitur sufficere nè ipsi subtrahat debitum coniugale, vel impedimentum ei statuat ob periculum fornicationis, non subsistit: quia ei impedimentum statuit, prout ex vi prioris contractus ei debetur, qui initus est cum libero, acquirendo dominium, & illud transferendo, sine vllo onere, aut impedimento. Ampliùs etiam dico non ex hoc solo venditionẽ esse contra iustitiam, sed ex aliis etiam causis educationis prolis debitæ, gubernationis, & assistentiæ, alimoniarum, & cohabitationis. Vnde si in casu redderetur impotens post contractum matrimonium, & consummatum, adhuc non posset se vendere renitente vxore: sicut neque separare, aut ingredi Religionem, aut suscipere sacros Ordines, quibus tamen contractus magis fauet, quàm seruituti voluntariæ inductæ, qua posita, redditur inhabilis vxori ad vsum matrimonij, siue debiti, dato quòd sit factus impotens, siue ad alia commoda enumerata, quibus procurandis tenetur. *Obligatio mariti.*

h *Sed si ancilla credit contrahere*, &c. De hoc casu videantur dicta *dist.* 30. *quæst.* 1. circa errorem conditionis. 26

i *Ad argumentum*, patet ex litera, & ex dictis.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ætas puerilis possit impedire matrimonium?

D. Thom. *in addit. quæst.* 58. *art.* 5. *& hic quæst.* 1. *art.* 5. D. Bonauent. *art.* 2. *quæst.* 1. Richard. *art.* 6. *quæst.* 2. Couar. 4. *Decret.* 2. *part. cap.* 5. *num.* 5. *gloss. c. Continebatur, v. Proxima, de despons. impub. vbi* Innocent. *num.* 2. Anchar. *num.* 4. Cordub. *num.* 3. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *num.* 11. Sanchius *lib.* 7. *disput.* 104. *à num.* 37.

SECVNDO [a] quæro, Vtrùm ætas puerilis possit impedire matrimonium? Quòd non, quia aliquis potest accipere potestatem antequàm possit in vsum: igitur in contractu matrimonij, vbi est datio vsus, & acceptio potestatis, potest aliquis antequàm possit in vsum, & ita puer. Confirmatur, quia ætas puerilis non impedit susceptionem Ordinis; de hoc *suprà* dictum est *dist.* 25. & tamen ibi recipit potestatem exequendi actum Ordinis, quem pro tunc non potest exequi. 1 *Argum.* 1.

Contrà, Extrà de frigid. & malef. Quod Sedem. *Puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio.* *Ratio opp.*

COMMENTARIVS.

a SEcundo quæro, vtrùm ætas, &c. De impotentia puerilis ætatis ad contrahendum agit Magister in calce huius quæstionis, ideò de ea breuiter Doctor hìc agit. 1

SCHOLIVM.

Puerum non posse contrahere matrimonium, quia pro præsenti est impotens; ætas ad contrahendum in masculo, est 14. annorum, in fœmina 12. sed sæpè malitia supplet ætatem, c. Puberes, de despons. impub. Vide Sanchium suprà.

1 RESpondeo [b], sicut dictum est *suprà dist.* 34. impotentia simpliciter prohibet contrahere: quia datio potestatis coniugij est in isto contractu: & qui non habet potestatem, nihil dat. Ratio ista concludit de pueris pro tempore, pro quo sunt pueri: sed quia illa impotentia non est perpetua, sed expectatur futura potentia [c]; ideò potest nunc promittere potentiam pro tempore futuro, pro quo habebit: & hoc fit in sponsalibus, quia puer potest contrahere sponsalia, non matrimonium. Ratio [d] autem quæ ponitur ibi de defectu intentionis, siue adducatur hoc ad contractum, siue ad matrimonium, nihil est ad *B*, quia antè potest habere discretionem sufficientem ad intentionem debitam, quàm habeat potentiam, quæ debet commutari in isto contractu.

Quære D. Thom. & Ricard. dist. 25. huius, & dist. præsenti.

Si [e] quæras tempus pubertatis, regulariter ponitur in masculo tempus quatuordecim annorum, fœminæ duodecim; sed tamen aliquando malitia supplet ætatem, & complexio præuenit tempus regulare. Et tunc ex quo habet potestatem istam, & discretionem sufficientem ad debitum consensum, potest contrahere: quia habet quod det, & consensum sufficientem, & signa.

Ad argum. Ad argumenta, concedo quòd aliquis potest suscipere potestatem antequàm possit vti illa; sed non potest dare potestatem antequàm habeat illam: in isto autem contractu est datio potestatis.

COMMENTARIVS.

2 *Conclusio.* b REspondeo, sicut dictum est suprà, &c. Conclusio hæc est communis: patet *ex cap. Quod sedem, &c. de frigidis, & maleficiatis*, &c.

Fundamentum ex impotentia. Probat Doctor ratione, quia sicut impotentia perpetua inhabilitat ad matrimonium, ita etiam impotentia ad tempus in pueris similiter inhabilitat, quia contractus de præsenti debet esse datio corporis potentis, aut habilis ad generationem.

Esse impedimentum iuris naturalis. Videtur ergo reducere hoc impedimentum ad Ius naturale, & diuinum, perinde ac reducitur impotentia perpetua, & non ad ius positiuum; sicut *infrà dist.* 42. *quæst. vnica*, §. *In speciali autem*, &c. eam comprehendit sub impedimento impotentiæ.

Opposita sententia. Contrarium docent plures apud Sanchez *lib.* 7. *disput.* 404. *quæst.* 1. *num.* 9. esse impedimentum Iuris Ecclesiastici, & positiui. Ratio tamen Doctoris est optima, quia nequit esse materia habilis ad contractum de præsenti corpus pueri.

Confirmatur ratio Doctoris, & sententia. Confirmatur, materia apta huic commutationi debet esse capax obligationis de præsenti, quam inducit contractus, si absit ignorantia; sed notum est corpus pueri, quando malitia non supplet ætatem, non esse aptam materiam, aut capacem obligationis huius contractus: ergo neque ipsius contractus.

3 *Responsio.* Dices impedimentum temporale non dirimere matrimonium, vt *suprà* visum *dist.* 34. *quæst. vnic.* sed hoc impedimentum pueri est temporale, quod cessat perueniente puero ad pubertatem: ergo valet matrimonium.

Impugnatur. Impotentia temporalis in adultis nō dirimit. Contrà: Ideò dixi requiri, vt absit ignorantia, quia impedimentum temporale in adultis ideò non dirimit, quia est ignotum, & non præsumitur, & consensus dirigitur ad personam habilem secundùm cursum communem, & præsumptionem fundatam in principiis naturæ, & capacitas materiæ stat in opinione, quod sufficit vt contractus inducat obligationem de præsenti, & expectetur sublatio impedimenti casualis, quia contractus hic regulatur per ea, quæ communiter accidunt, & non per casuale non perpetuum: & sic non inducit ex lege sua obligationem, quia materia est capax secundùm æstimationem fundatam, sed in pueris impedimentum de præsenti est notum: ergo contractus, qui est de præsenti neque in re, neque in opinione subsistit ad materiam capacem contractus, vt de lege naturæ, & diuina inducit obligationem de præsenti ipsius contractus: ergo lex ipsa excludit pueros, de quorum impedimento est certa scientia, quamuis non excludat adultos, de quibus nequit esse cognitio, neque præsumi debet ex principiis naturæ. *In pueris aliter dicēdum.*

4 *Confirmatio. Cōtractus debet sortiri finem saltē in opinione.* Confirmatur, contractus matrimonij, & de præsenti debet celebrari vt valeat, & in ordine ad finem institutum matrimonij, quæ est propagatio: ergo vbi certum est de præsenti finem non posse coniungi cum contractu, sicut est certum in pueris, non ita coniungi posse: nequit ergo fieri contractus de præsenti inter pueros coniunctus cum fine suo. ergo etiam neque obligatio connaturalis contractui esse de præsenti. Probatur consequentia, quia contractus ex natura sua non suspendit obligationem pro futuro, sed eam inducit de præsenti: ergo ad hoc requiritur materia apta in re, aut præsumptione vt verificetur, vel teneat ipse contractus de præsenti inducens obligationem. Ac proinde vbi est certum materiam non esse aptam de præsenti, nequit contractus de præsenti in eadem materia incapaci in re, & æstimatione celebrari, quamuis sit capax contractus de futuro.

Replica. Dices, eo ipso quo pueri sunt, contrahens cum illis, aut ipsi inter se cedunt iuri suo, nempe petendi

petendi debiti; debitum verò non obligat, nisi quando petitur: ergo potest saluari obligatio de præsenti in tali matrimonio; quamuis suspendatur debitum vsque ad tempus idoneum.

5 *Impugnatur. Cessio est iuris acquisiti.* Contrà, nullus iuri suo cedit, nisi vbi ius ipsum acquiritur: ergo nequit interpretari cessio iuris, sed impedimentum iuris acquirendi de præsenti, & consequenter contractus.

Secunda ratio. Impotentia puerilis, & perpetua cōparantur. Secundò, *in cap. Quod sedem, de frigidis & maleficiatis*, æquiparatur puer, quantùm ad impotentiam, & inhabilitatem contrahendi impotentiæ perpetuæ. *Sicut*, inquit Pontifex, *puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio; sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur*, &c. Ita Alexander III. Idem etiam *cap. Nobis*, &c. *de sponsalibus impuberum*, &c. rogatus an qui ante annos nubiles, id est, aptos matrimonio, contrahunt, liceat iis à matrimonio discedere.

6 *In puero non est coniugalis consensus.* Respondet, *quòd pro eo quod ante nubiles annos coniugalem consensum non habeat, ætatem expectare tenetur*, &c. vbi per *coniugalem consensum*, intelligit illum, qui fit inter aptos matrimonio, seclusa impotentia reddendi debitum; non autem consensum, qui potest esse liber, & ex discretione, quia illum possunt habere ante discretionem. Vnde posteà subiungit, si peruenientes ad annos discretionis, simul esse noluerint vt separentur: *Nisi*, inquit, *carnalis commixtio ante interuenerit, cum interdum illa tempus anticipare soleat pubertatis*, &c. *Exceptio indicat causam nullitatis.* Hæc exceptio est ratione potentiæ reddendi debiti, quatenus inest ante annos pubertatis: ergo à contrario sensu ideò non sunt capaces consensus matrimonialis ante annos pubertatis, quia sunt impotentes.

Idem etiam *cap. De illis*, &c. *eodem*, &c. *de illis qui in minori ætate desponsantur*, respondet, *quòd si ita fuerint ætati proximi, quòd potuerint copula carnali coniungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si vnus in alium visus fuerit consensisse*, &c. *Malitia quādo supplet ætatem matrimonium valet.* & dat rationem, cùm in eis ætatem suppleuisse malitia videatur, vbi Glossa in illud: *Copula carnali*, &c. *Hoc solum*, inquit, *consideratur, vt possint coniugali vinculo sociari*, &c. Malitia autem hìc intelligitur ipsa coniunctio carnalis, vt *ibidem* Glossa; & ita tenet Hostiensis *cap. Puberes, eod.* Cardinalis, Præposit. Henricus, Anchar. Ioan. Andreas *cap. Continebatur*, &c. *eodem*, &c. & alij plures Canonistæ; quamuis alibi intelligatur prudentia; nullitas ergo matrimonij reducitur in impotentiam pueri, quæ si absit ante annos pubertatis validè contrahet, quod supponitur *cap. Attestationes*, & *cap. Ex literis, eod.*

7 *Confirmatio. Quid sit pubertas?* Confirmatur *cap. Puberes, eodem: certum autem est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare iam potest, & puerperæ sunt, quæ in annis puerilibus pariunt*, &c. vnde colligitur Canones Ecclesiæ in hac materia de sponsalibus impuberum non esse Constitutiones, sed declarationes Iuris naturalis, quatenus matrimonium requirit materiam capacem huius obligationis de præsenti, vt dicit Doctor; ex cuius defectu Ecclesia declarat matrimonium esse nullum in pueris, nisi malitia, & pubertas præuenerit ætatem, & supponatur potentia ad generandum.

Tertia ratio. Defectus potentiæ, nō consensus inhabilitat pueros. Tertiò, quia vel ex defectu consensus requisiti, vel ex defectu potentiæ pueri sunt inhabiles ad matrimonium, quorum vtrumque perinde dirimit matrimonium ex diuina, & naturali institutione, non ex defectu consensus, etiam præsumpti ab Ecclesia, quia qui potest habere discretionem, & consensum idoneum ad sponsalia, potest etiam habere consensum ad matrimonium sufficientem, perinde est quantùm ad libertatem, & discretionem requisitam, vt contractus sit de præsenti, aut futuro: sed sponsalia possunt contrahi ante annos pubertatis, non ita matrimonium, nisi pubertas præueniat annos, & tunc matrimonium est validum: ergo solùm ex defectu pubertatis pueri sunt incapaces matrimonij, & ideò anni nubiles dicuntur anni pubertatis, quia hæc iure diuino, & naturali exigitur ad contractum matrimonij: vnde in *cap. Quod autem, 27. quæst. 2. & 33. quæst. 1.* nubere pro copula sumitur.

Ex his patet ad fundamenta oppositæ sententiæ. 8

Obiiciunt enim primò illud quod est *suprà* impugnatum, nempe impotentiam temporariam non dirimere matrimonium; sed talis est in pueris: ergo, &c. *Prima obiectio.*

Respondetur, quando est nota, & certa, nego: quando ignota, & præsumitur potentia in opinione, concedo: pueri autem impotentia est per se nota, eámque Pontifex *supra* comparat impotentiæ frigidi, & maleficiati perpetuæ quantùm ad inhabilitatem, & incapacitatem contractus de præsenti: si non placet hæc responsio, sequere aliam proximam. *Soluitur.*

Obiiciunt secundò, impotentia, quæ dirimit matrimonium, debet esse talis, vt naturâ, aut arte nequeat superari, sed tantùm per miraculum; at impotentia pueri potest superari, quia ipsi naturæ, & tempori cedit: ergo. *Secunda obiectio.*

Respondetur maiorem intelligi, quando impotentia præsumitur non esse, dum contrahitur, quia tunc consensus subsistit ad materiam capacem, & in reipsa quantùm est ex prncipiis eius intrinsecis, licet casualiter, & per accidens impediatur, & etiam in opinione. Sed aliud est de pueris, qui inhabiles sunt, non solùm casualiter, & per accidens, sed etiam ex principiis intrinsecis, & causis vniuersalibus, atque id notum est, lex autem matrimonij respicit ea, quæ ordinariò accidunt, non autem quæ casualiter ex dispositione accidentali. Vnde aliud est considerare potentiam generatiuam, vt conceditur à natura in principiis proximis; aliud verò vt tantùm conceditur in principiis remotis: pueris tantùm conceditur in principiis remotis, & non in proximis; adultis verò, quibus inest impedimentum ad tempus, conceditur in principiis proximis, & vsus tantùm impeditur quoad tempus; ideò sunt materia capax huius commutationis, quia impotentia eorum est tantùm secundùm *quid*, & superabilis; pueri autem, quibus non est concessa potentia generatiua in principiis proximis, sunt incapaces simpliciter, & impotentes negatiuè, quia nunquam receperunt potentiam generandi in causis proximis, neque eius erant capaces: materia autem huius commutationis est corpus potens, saltem potentia proxima in causis, quamuis per accidens impediatur quoad tempus ab vsu: ideóque qui simpliciter sunt potentes, & secundùm *quid* tantùm impotentes, capaces sunt obligationis, quod nequit dici de pueris, quia licèt habituri sunt potentiam: tamen quia eam nunquam habuerunt, neque iam habent in causis proximis, ideò *9 Soluitur. Impotentia pueri per causas naturales, & vniuersales. Impotentia per accidens, & temporaria. Impotentia negatiua.*

ideò nequeunt dici potentes simpliciter, *cap. Ergo fraternitatis tuæ*, &c. *de frigidis & maleficiatis*, &c. vbi discernitur perpetua impotentia illa, quæ neque natura, neque arte auferri potest, & ex contrario sensu illam esse temporalem non dirimentem, quæ auferri potest, intelligitur tantùm respectiuè ad adultos, & non ad pueros, qui vel lege naturali, vt nos dicimus, vel Ecclesiastica, vt alij volunt, ad matrimonium sunt inhabiles: non ergo comprehenduntur in illo titulo: disparitatem autem assignauimus inter ipsos, & adultos impeditos casualiter ab vsu potentiæ, & tantùm ad tempus. Et sic infantes ex eo præcisè, quòd recipiunt intellectum & voluntatem, & consequenter potentiam remotam consensus, non rectè per hoc dicuntur habere potentiam consentiendi requisitam ad contractum; ita etiam neque materia contractus, quæ debet esse corpus capax obligationis, & idoneum generationi, potest dici materia sufficiens per potentiam in causis remotis.

Pueri non comprehenduntur in illo Canone citato.

10 Obiiciunt tertiò, quia qui non est soluendo, potest recipere obligationem soluendi pro futuro: ergo etiam puer.

Tertia obiectio.

Responsio.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem: quia hîc ex vi contractus matrimonialis requiritur vt sit potens soluere de præsenti, quia obligatio, quam incurrit, est pro præsenti, vt patet ex dictis: neque suspenditur obligatio pro futuro, licèt possit non reddi debitum pro præsenti ex consensu partium, aut impedimento legis; non tamen ex incapacitate de præsenti inducitur suspensio pro futuro, quia quando contractus est nullus ex defectu materiæ, de qua agimus, non inducitur ius, quod suspendi posset quoad vsum manente obligatione. Hinc reiiciuntur corollaria quæ deducit Sanchez, nempe Pontificem posse dispensare, vt pueri ante pubertatem contraherent, aut infideles sic contrahentes inire verum matrimonium, quia legibus Ecclesiæ non tenentur, aut etiam Episcopos in hoc impedimento posse dispensare ex causa.

11 c *Ideò potest nunc promittere potentiam pro tempore futuro*, &c. Hoc patet *ex titulo de sponsalibus impuberum*, quia etiam matrimonium initum per verba de præsenti inter impuberes, aliqui dicunt potestate Iuris habere vim sponsalium, vt Glossa *in cap. A nobis*; quia Iura volunt, vt is contractus, qui in vsu est, valeat, non valet vt matrimonialis ex defectu ætatis: valere ergo tantùm potest vt sponsalitius. Sed probabile etiam est non esse sponsalitium: quia nisi confirment matrimonium, quando perueniunt ad legitimam ætatem Canones permittunt vt ad alia vota transeant liberè altero resiliente, quæ permissio locum non haberet, si matrimonium præcedens haberet vim sponsaliorum. Deinde, non minùs requiritur consensus ad sponsalia, quàm ad matrimonium; ad matrimonium autem de præsenti requiritur, & non extenditur talis consensus ad futurum; neque Iura videntur eam potestatem habere, vel saltem exercere in præiudicium consensus liberi, & requisiti, neque trahere consensum illum de præsenti, vt fiat consensus sponsalitius, & vim habeat consensus de futuro, & si haberet, Ecclesia non faciliter permiteret, reclamante parte, rescissionem contractus. Pro priori sententia facit *cap. fin. de sponsal. impuberum.*

Pueri contrahere possunt sponsalia.

Contractum de præsenti inter impuberes non esse sponsalitium.

d *Ratio autem quæ ibi ponitur*, &c. Hîc breuiter tangit fundamentum aliorum, quo putant matrimonium impuberum esse nullum ex defectu consensus, & discretionis ante pubertatem; improbat autem ex eo, quòd priùs habere possit discretionem sufficientem ad matrimonij intentionem, quàm sit materia capax in ipso, id est, potentia proxima generandi. 12

Ratio aliorũ improbatur.

Obiicies capitulum finale iam citatum, in quo ponderatur an puella contrahens proxima pubertati, habuerit prudentiam, quæ suppleret ætatem? & *cap. Continebatur*, &c. *eodem*, &c. ponderat puellam, vt proxima erat pubertati: ergo ad consensum matrimonialem requiritur discretio maior, ex cuius defectu non possit esse consensus.

Obiectio.

Respondetur ante annos pubertatis sufficientem discretionem habere posse, quo discernat obligationem, & finem contractus, & hanc sufficere ad consensum, quamuis nondum insit pubertas: in primo autem loco citato *ex cap. finali*, per prudentiam, in muliere intelligitur ipsa pubertas, seu concupiscentia, vt dicit Glossa carnalis, quia in fœminis illo modo loquendi honesto explicatur, & præsumitur ex maturitate, & discretione. In viris appellatur malitia. Ad secundum locum per *proximationem pubertati*, comprehenditur acceleratio eius, & capacitas matrimonij, vt requiritur in puella, aut eius præsumptio.

Soluitur.

e *Si quæras tempus pubertatis*, &c. Hoc tempus præscriptum est Iure ciuili, & etiam Canonico, *cap. Puberes, cap. Continebatur, cap. Ex literis, cap. Attestationes*, &c. *de sponsalibus impuberum*, &c. quando malitia non supplet ætatem. Cætera patent ex litera. 13

Tempus pubertatis.

DISTINCTIO XXXVII.

In quibus Ordinibus possit contrahi matrimonium, & in quibus non?

A SVNT igitur quidam Ordines, in quibus nullatenus potest contrahi coniugium, & si intercesserit copula, fit diuortium: vt Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus. In aliis verò permittitur sortiri coniugium, nisi Religionis habitum sumpserint, vel continentiæ

Dist. 32. c. Seriatim.

tinentiæ votum fecerint. Vnde Leo Papa Clericos, Lectores, Ostiarios, Exorcistas, Acolytos, si extra votum, & habitum inueniuntur, & continentiam profiteri nolunt, vxorem ducere virginem Ecclesia Romana permittit, non viduam, vel repudiatam: quia deinceps, nec ad Subdiaconatum prouehi poterunt, nec laicus vxorem sortitus, nisi virginem, vel bigamus ad clericatum. Item, ex Carthaginensi Concilio, placuit Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos etiam ab vxoribus abstinere: quod si non fecerint, etiam ab Ecclesiastico remoueantur officio. Cæteros verò clericos ad hoc non cogit. Item, Leo Papa, Lex continentiæ eadem est ministris altaris; quæ Episcopis, & Presbyteris: qui cùm essent laïci, vel lectores, licitè vxores ducere potuerunt; sed cùm ad prædictos peruenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Item, in sexta Synodo, Si quis eorum, qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali lege mulieri copulari, hoc ante Ordinem Subdiaconatus faciat. Item, Calixtus Papa, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, concubinas habere, seu matrimonium contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi: & personas ad pœnitentiam debere redigi, iuxta sanctorum Canonum definitionem iudicamus. Item, Gregorius, [Nullum facere Subdiaconum Episcopi præsumant, nisi qui se castè victurum promiserit, quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.] Item, Innocentius, [Decernimus, vt hi qui in Ordine Subdiaconatus, & supra, vxorem duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque beneficio Ecclesiastico careant; cùm enim ipsi templum, & vasa domini, sacrarium Spiritus sancti debeant esse, & dici, indignum est eos cubilibus, & immunditiis deseruire.]

Ex Carthaginen. Concil. V. cap. 3. ibid. c. Placuit.
Epist. 92. quæ est ad Rust. Narbon. Episc. c. 3. & dist. 31. c. Lex continentiæ.
Dist. 32. c. Si quis.
Dist. 27. c. Presbyteris.
Greg. lib. 1. Reg. c. 42. Dist. 28. c. Nullum.
Innocentius Papa 2. distinct. 28. c. Decernimus.

De interfectoribus suarum coniugum.

B

HIs adiiciendum est de occisoribus suarum coniugum, de quibus Nicolaus Papa scribit Radulpho Bituricensi Archiepiscopo, [Interfectores suarum coniugum sine iudicio (cùm non addis adulterarum, vel aliquid huiusmodi) quid aliud habendi sunt, quàm homicidæ? ac per hoc ad pœnitentiam redigendi, quibus penitus denegatur coniugium.] Hic videtur Nicolaus permittere maritis, pro adulterio, aut alio huiusmodi vxores suas interficere: sed Ecclesiastica disciplina spirituali gladio, non criminosos ferire materiali iubet. Vnde idem Nicolaus, [Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cuius vxor adulterium perpetrauerit, vtrùm marito eius secundùm mundanam legem interficere liceat? Sed sancta Dei Ecclesia nunquam mundanis constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem.] Item, Pius Papa, [Quicumque propriam vxorem absque lege, & sine causa interfecerit, aliámque duxerit, armis depositis publicam agat pœnitentiam: & si contumax extiterit, anathematizetur vsquequo consentiat.]

33. quæst. 2. Interfectores.
Ibid. c. Inter hæc.
33. quæst. 2. Quicumque.

QVÆ

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm Sacramentum Ordinis impediat matrimonium?

D.Thom.2.2.q.88.*art.*11.*& hic q.*1.*art.*1. D.Bonauent.*art.*1.*q.*1.Richard.*art.*1.*q.*1.Durand.*q.*4.Henr. *quodl.*5.*q.*38. Bellarminus *lib.de memb.Eccleſ.c.*18. Sanchius *latè lib.*7.*de matrimon.diſput.*27.*& tribus ſeqq.*

1 *Argum.*1. CIRCA[a] iſtam trigeſimam ſeptimam diſtinctionem quæro: Vtrùm Sacramentum Ordinis impediat matrimonium? Quòd non. 1.Timoth.3.*Vnius vxoris vir.* dicitur de Epiſcopo.

*Argum.*2. Item, diſt. 31. *Aliter.* Sacerdotes Græcorum copulantur matrimonio: & tamen habent eundem Ordinem ſacrum, quem habent Latini.

*Argum.*3. Præterea, non magis opponitur Ordo, & matrimonium, quàm è conuerſo: ſed coniugatus poteſt recipere Ordinem ſacrum: igitur, & è conuerſo. Minor apparet, ſi coniugatus in minoribus Ordinibus recipiat poſteà Ordines ſacros, verè recipit, ſi ſit intentio conferentis, & ſuſcipientis.

Ratio ad opp. Contrà, diſt.32. *Placuit Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos ſecundùm priora inſtituta abſtinere ab vxoribus*, id eſt, non contrahere, vt dicit ibi Gloſſ. Item, diſt.37. *Presbyteris.* Item, diſt. 28. *Nullum facere Diaconum Epiſcopi præſumant, niſi qui ſe caſtum promiſerit.*

COMMENTARIVS.

Ordinis impedimentum. a CIrca *trigeſimam ſeptimam diſtinctionem*, &c. In hac diſtinctione agitur de impedimento Ordinis, quam vnica quæſtione abſoluit Doctor. Primò, præmittit concluſionem. Secundò, eius ſubiungit rationem.

SCHOLIVM.

Reycit modum dicendi aliorum, ſcilicet ideò Ordinem illegitimare ſimpliciter ad matrimonium, quia habet annexum votum caſtitatis, quia poteſt ibi non eſſe votum tale, ſed oppoſitum ei, & ſi dicas eſſe ei annexum ex præcepto Eccleſiæ, non ſufficit, quia contra id factum teneret.

2 *D. Bonau. hic artic.* 1. *q.*2. HIc[b] eſt concluſio certa. Dicitur enim quòd non licet contrahere; quia perſona ſuſcipiens ſacrum Ordinem, efficitur illegitima ſimpliciter ad contrahendum matrimonium: & hoc vel per Eccleſiam, vel immediatè à Chriſto, licèt hoc non legatur in Scriptura. Sed ſecundum non videtur probabile, quia in primitiua Eccleſia non tenebatur, niſi fortè dicas, quòd nunquam licuit poſt ſuſceptionem ſacri Ordinis contrahere matrimonium, licèt liceret aliquando vti matrimonio iam contracto, ſicut nunc apud Græcos.

Sed[c] quæ ratio huius illegitimationis? Videtur aliquibus quòd propter votum annexum ſacro Ordini: qualiter autem illud votum illegitimet, dicetur *diſtinct. ſequenti.*

3 *Richard. præſenti diſtinct.art.*1. *q.*1. *D.Th. ibid. art.* 1. *q.*1. Sed contrà, aut votum illud eſt ſic annexum, quod ſuſcipiens vouet: aut eſt tantùm ex præcepto Eccleſiæ quaſi annexum, quia tenetur ita ſeruare, ac ſi voueret. Primò non, quia nullus vouens vouet nolitum: ſed iſte ſuſcipiens Ordinem ſacrum explicitè habet in voluntate non continere: igitur poſſibile eſt, quòd ipſe non vouet continentiam. Si dicas, quòd vouet in facto, quod facit in ſuſcipiendo Ordinem ſacrum, quia antiqui Patres Latini vouerunt, & iſte ſuſcipit ſimile ſignum. Contrà, nullus tenetur ex voto ad votum factum ab alio, maximè ſi habet votum contrarium. Præterea, Orientales ſuſcipiunt idem ſignum, & tamen ſine voluntate caſtitatis.

Si ſecundo modo, igitur contrahens ſimpliciter contrahit. Probatur Extrà de matrimon.contract. contra interdi. Eccleſ. cap. Ex literis. *Licet contra interdictum Eccleſiæ tranſire ad ſecunda vota non debuerit, non eſt tamen conueniens, vt ob hoc Sacramentum coniugij diſſoluatur: aliqua tamen pœnitentia debet eis imponi, quia contra prohibitionem Eccleſiæ hoc fecerunt:* igitur ſi votum continentiæ eſt annexum Ordini ſacro ſolùm ex præ-

cepto Ecclesiæ: sequitur quòd non simpliciter illegitimat ad contrahendum: vniuersaliter enim in Iure statutum prohibens hoc fieri, non illegitimat: sed oportet quòd contineat talem sententiam, quòd si contractum fuerit, dirimatur, vel si copulati fuerint, non sunt aliqualiter tolerandi.

Lex prohibens nō irritat contractum.

COMMENTARIVS.

1 b HIc est conclusio certa, &c. Conclusio est Ordinem sacrum inhabilitare, vel inducere impedimentum dirimens matrimonium, nec licere in sacris Ordinibus existenti vxorem ducere; vt primò ergo veritatem fidei propugnemus, plures, & antiqui & moderni hæretici improbant continentiam sacrorum hominum. Nicolaus Antiochenus vnus ex septem Diaconis electis ab Apostolis, teste Irenæo *lib.1. cap. 27.* Epiphanio *heres. 25.* Clem. Alexandrino *lib. 3. Stromatum.* Aug. *heres.5.* Vigilantiani Episcopi, vt ait Hieronymus *contra Vigilantium.* VVitclefus *in serm. in vigilia Natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ, & in Pastorali, cap.29.* Lutherus, & alij eius sectatores.

Hereses contra continentiā sacrorum hominum.

Contrarium huius erroris definitur in Trident. *sess.24.can.9.& 25.* Apostolorum. in Ancyrano *canon.1.* Neocæsariensi *can. 1.* Nicæno *can.3. ex Græco translato*, in translatione ex Arabia *can. 78.* Eliberino *cap.33.* Romano *cap.3.* Arelatensi II. *cap.2.& 3.* Idem definit Carthaginense II. *cap.2.* III. *cap.17.& 19.* IV. *cap.3.* Toletan. I. *cap. 1. & 4.* Africanum I. *cap. 22.* Andegauense apud Baronium anno 453. Turonense I. *cap.1.2.6.* Aurelianense II. *cap.8.* Auernense *cap. 12.* Aurelianense III. *cap. 2. & 7.* IV. *cap.17.* V. *cap.4.* Turonense II. *cap. 10.* Matisconense *cap. 11.* Lugdunense II. *cap. 1,* Toletanum III. *cap.1.* Hispalense I. *cap.3.* Toletanum IV. *cap.20.& 26.* Toletanum VIII. *cap.4.* Cabilonense I. *cap.3.* Moguntinum *cap.10.* Rhemense *cap. 22.* Aquisgranense *cap.6. & 9.* VVormatiense *cap.9. & 11.* Lateranense *sess.9.* Omnia hæc Concilia statuunt continentiam virorum sacrorum, vel declarant, vel puniunt, & reprobant contrarium.

Veritas fidei ex Concilijs.

2 In secunda classe succedunt Pontifices Romani pro eadem veritate. Clemens Romanus *epist.2.& lib.6.Constit.Apostolicarum, cap.17.* Calixtus *apud Gratian.dist.27.cap.Presbyteris.* Syricius *epist. ad Hymerium Tarraconensem, cap.7. & epist.4.ad Episcopos Africæ, c.9.* Innoc. I. *epist.1. cap.9.& epist.4.* Sixtus III. *de castitate.* Leo I. *epist.84. cap.4.epist.92.cap.3.* Gregorius Magnus *lib.1. Epistolarum, epist. 42. lib.3. epist.34. lib.8. epist.40. ad Augustinum Angliæ Episcopum, cap.2.* Zacharias Papa *epist. ad Bonifacium prima.* Stephanus III. *apud Gratianum, d.31. c.Aliter, &c.* Eugenius II. *in sua epistola, cap.2.* Nicolaus I. *in epistola ad Adonem Viennensem Episcopum,* & habetur *d.32. De illo clerico, &c. Ad consulta Bulgarorum, cap.70.* Leo IX. *apud Gratianum, d.31. & d.32.* Nicolaus II. *ad omnes Episcopos Catholicos.* Alexander II. & habetur *d.81.c.16.& 17.* idem *Extrà cap.1.de clericis coniugatis, & sequentibus, vsque ad 5.* Gregorius VII. *lib.2.Epistolarum, epist.25.epist.62.67. & lib.4.epist.10.* Vrbanus II. *epist. 22.* Alexander III. *ad Salernitanum Episcopum.* Innocentius III. *cap.5. eodem.*

Probatur ex Decretis Pontificum.

3 Tertia classis est Patrum, ex Græcis, Origen. *lib.8.contra Celsum in Leuiticum, homil.4. in Numer.homil.23.* Basilius Magnus *in cap.3. Isaiæ, & epist.17.epist.1.ad Amphilochium, can.3.* Cyrillus Ierosolymitanus *catechesi 4. & 12.* Epiphanius *heres. 19. hær. 79. & in compendio Doctrinæ fidei.* Chrysostom. *homil.33.in Genes. & homil.2.in Iob, canon.6. in Trullo, & can.12. & 48.* Ambrosius *epist.82.ad Vercellensem Ecclesiam.in cap.3.prioris, ad Timoth. lib.1. officiorum, cap.50.* Hieronymus *contra Vigilantium, c.10.contra Iouinianum, c.14. & 19.& lib.1. Apologiæ ad Pammachium, cap.2.& ad cap.1. Epistolæ ad Titum.* Augustinus *de adulterinis coniugijs, lib. 2. cap. 20.* Primasius *ad cap.5. prioris ad Timotheum.* Isidorus *de officijs Ecclesiast. lib.2.cap.10.* Beda *ad cap.1. Lucæ, & lib.3.de Tabernaculo, & vasis, &c. cap.9.* & vt breuior sim, posteriores omnes, qui sequentes instituta Patrum, exemplum Apostolorum, veritatem hanc fidei propugnant; de qua latè noster Medina, & alij, quos citat Scholiastes, & controuersiarum scriptores huius temporis, & consuetudine patet vniuersalis Ecclesiæ, & posteà videbitur, nam licèt Ecclesia Græca consuetudinem habuerit promouendi ad sacros Ordines etiam coniugatos, & cum facultate vtendi matrimonio primùm inito; tamen promouendo cœlibes, maximè qui non protestabātur se non velle continere, cogebat ad continentiam, vt patet ex Concilio Ancyrano *canon. 10.* vbi qui Diaconi ordinabantur, si protestationem emittebant se non posse continere, eis permittebatur coniugium: si autem non profitebantur hoc, vel tacebant, etiam cogebantur ad continentiam; habetur *apud Gratianum, d.28. cap. Diaconi.*

Probatur ex Patribus.

Cœlibatus virorum sacrorum apud Orientales.

4 Controuersia est, an Iure diuino, aut Ecclesiastico sit continentia virorum sacrorum inducta. Ioannes Maior *in 4. dist.24. quæst. 2.* docet esse Iuris diuini. Bassolis probabilem docet *in 4. dist. 37.* & Sotus *ibid.* Cum Maiore sentit Franciscus Turrianus pro Canonibus Apostolorum, *cap.1.* VValdens. *de Sacram. cap.128. & 129.de Sacramentalibus, c.66.* Limitant hanc conclusionem noster Medina *de sacrorum hominum continentia, cap.7.lib. 2.* & Clictouæus *lib.de continentia Sacerdotum, c.4.* vt scilicet Iure diuino non possit sacris institutus inire matrimonium, sed ante matrimonium inito posse vti.

Quo Iure inducta est continentia virorum sacrorum? Prima sententia esse Iuris diuini. Limitatio.

Secunda sententia est communis, nempe Iure Ecclesiastico, & non diuino hanc continentiam præscribi; quam tenet Doctor asserens contrarium non esse probabile: Nisi fortè, inquit, dicas quòd nunquam licuit post susceptionem sacri Ordinis contrahere matrimonium, licèt liceret aliquando vti matrimonio iam contracto, sicut nunc apud Græcos. Videantur Theologi *in hac distinct. & dist.24.*

Esse Iuris Ecclesiastici.

5 Probat autem Doctor hanc conclusionem communem ex consuetudine primitiuæ Ecclesiæ, & Græcorum, quam supponit *ex 1. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1.* & hanc videtur insinuare Tridentinum *sess. 24. can.9. Si quis*, inquit, *dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit, &c.* vbi totam inhibitionem refert in legem

Probatio.

Trident.

Ecclesiasticam quoad Ordines sacros, ad votum solemne quoad regulares. Idem patet *ex can.* 10. Ancyran. I. Concilij. Epiphanius *hæres.* 59. idem supponit, vbi primò dicit bigamos repelli ab Ecclesia, nè ordinentur, & subdit de continentia ordinatorum in Episcopum, Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum: *Sed adhuc*, inquit, *viuentem, & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit. Sed qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum, maximè synceri sunt Canones Ecclesiastici*, &c. vide sequentia. Et vt alia plura omittamus ex iis quæ citata sunt contra hæreticos, conclusionem docet Innocentius III. *cap. Cùm olim*, &c. *de clericis coniugatis*, & Clemens III. *cap. Quæsitum*, &c. *de pœnitentijs, & remiss.* Stephanus Papa *cap. Aliter*, 31. *distinct.* Concilium II. Carthaginense hoc refert ad Apostolorum doctrinam, & ad antiquitatem. Agathense, & Toletanum II. Aurelianense III. & IV. Toletanum III. locis citatis suprà, hanc continentiam referunt ad Canones, non ad Ius diuinum: originem autem sumpsit ab Apostolis, vt patet *ex canon. Apostolico*, 23. aliàs 27. & patet etiam ex Clemente Roman. *lib. 6. Constit. cap.* 17.

Epiphan. *Consuetudo Orientis.*

6 *Origo, & causa inhabilitatis.*

c *Sed quæ ratio huius illegitimationis*, &c. Hîc tangit controuersiam, an hæc inhabilitas proueniat ex vi voti coniuncti cum Ordine, an verò ex statuto Ecclesiæ inhabilitantis existentem in sacris Ordinibus ad matrimonium. Prima sententia docet ex vi voti annexi sacro Ordini matrimonium esse nullum posteà initum; quam sequitur D. Thomas, & Richardus *in præsenti distinctione*; quos sequitur Sanchez cum pluribus aliis, quos citat *lib. 7. disput. 27. quæst.* 2.

Prima sententia, docet esse ex voto annexo Ordini.

Impugnatio.

Hanc sententiam impugnat Doctor, primò, quia illud votum, ex eo quòd emittatur à suscipiente, habet illum effectum, vel quia ex præcepto Ecclesiæ est coniunctum Ordini sacro. Non primum, quia sic ordinatus, & nolens continere, non esset inhabilis ad matrimonium. Non secundum, quia licèt Ecclesia simpliciter prohiberet matrimonium existenti in sacro Ordine, non inde irritatur matrimonium, quia non omnis prohibitio irritat factum, vt probat *Extrà de matrimonio contract. contra interdictum*, &c. ex eo ergo quòd Ecclesia adiunxit Ordini sacro illam prohibitionem ineundi matrimonij, non ideò matrimonium est nullum, nisi inhabilitauerit personam simul.

Simplex prohibitio nō irritat factum.

7 *Confirmatio ex antiquis Canonibus.*

Confirmatur hæc ratio Doctoris, quia licèt continẽtia fuerit adiuncta Ordini sacro in principio, saltem in Ecclesia Latina, & etiam in Græca (modò promotus non præmitteret primùm protestationem, se non seruaturum continentiam) matrimonium superinductum non erat irritum Iure Ecclesiastico, aut Canonũ: ergo non ex voto continentiæ adiuncto Ordini sacro fit impedimentum dirimens. Probatur antecedens ex Concil. X. Ancyrani, in quo Diacono ineunti matrimonium, & aliàs ex vi Ordinis obligato ad continentiam, imponitur pœna depositionis ab Ordine tantùm, & non indicitur separatio. Canon 78. Niceni ex lingua Arabica translatus eis communionem laicam permittit, & perinde eã statuit Canon Ancyrani. Aurelianense IV. depositionem perpetuam indicit talibus, concedit tamen communionem. Toletan. I. *cap.* 4. ordinat vt Subdiaconus vxorem ducens mortua priore amoueatur ab ordine Subdiaconatus, & seruiat tantùm in inferioribus.

Responderi posset ad hoc ob bigamiam remoueri, sed non refert, quia non indicitur separatio; ac proinde matrimonium cum secũda non irritatur, sed permittitur, sicut ipse Subdiaconus in inferioribus Ordinibus seruire, quibus non indicebatur continentia. Concilium II. Aurelianense: *Si quis Diaconus*, inquit, *in captiuitate redactus, vxori fuerit copulatus, reuersus ab officij ministerio remouendus est, cui sufficere debet pro actus sui leuitate, impleta pœnitentia, pro satisfactione communio*, &c.

Resp̄ōsio rejicitur.

Ex his Canonibus, in quibus vel datur communio laica, vel permittitur in inferiori Ordine ministerium, cui Ordini non est coniuncta continentia, videtur sequi intentum, quòd simpliciter ex præcepto Ecclesiæ pro statu illorum temporum non fuerit Ordo impedimentum dirimens matrimonium: ergo rectè sequitur quòd non ex præcepto Ecclesiæ, quo præscripsit continentiam in sacris Ordinibus, habeat Ordo vt sit impedimentum dirimens. Toletanum etiam VIII. *cap.* 6. cùm aliqui Subdiaconi contrahebant matrimonia post ordinationem, allegantes ignorantiam obligationis, quia in sua ordinatione non recipiebant benedictionem ab Episcopo, inde se à lege exemptos prætexentes; statuit, inquam, vt deinceps tribueretur benedictio ordinandis, nè talis excusatio obtineret, nihil durius statuendo in promotos, & coniunctos. 8

Confirmatur secundò, quia eadem pœna Canonum complectitur vtentes primo matrimonio, superstite adhuc vxore, & ineuntes matrimonium post ordinationem. Hæc autem pœna fuit depositionis: ergo perinde prohibitio hæc se habuit ad vtrumque casum; sed si matrimonium sequens ordinationem fuerit irritum, dispari pœna ordinandum erat, quia maius hoc crimen, quia fornicationis, quam seueriùs Canones puniebant in personis sacris, quàm commixtionem cum propria vxore, vt patet ex Concilio Neocæsariensi cap. 1. *Presbyter si vxorem duxerit, ab ordine deponatur: si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetrauerit, ampliùs puniri debet, & ad pœnitentiam redigi*, &c. ergo minùs peccatum, & pœna erat in Presbytero ducente vxorem, quàm fornicante; hoc autem ideò, quia matrimonium non fuit irritum, quamuis illicitum: si enim esset irritum, peccatum esset fornicationis, & non vsus matrimonij.

Secunda confirmatio.

His suppositis probatur maior ex Elibertino *can.* 33. vbi depositio ab honore clericatus imponitur clerico in sacris repetenti vsum prioris coniugij. Idem decernit *can.* 1. Ancyrani *can.* 3. Carthaginensis V. Toletani I. *canon* 2. Arausicani I. *can.* 23. Turonensis I. *can.* 2. Agathensis *cap.* 9. Auernensis *cap.* 12. Aurelianens. IV. *cap.* 19. & Aurelianense V. *cap.* 4. & reliqua posteriora idem decernunt. Alia pœna non imponebatur ducentibus vxorem post ordinationem, vt facilè ex dictis apparet: ergo eadem lege censebantur tam hi, quàm illi; ac proinde fuit tantùm simplex prohibitio non irritans factum, & non inhabilitatio personæ in gradu illo Ordinis, seu ratione eius ad matrimonium: ergo hæc habilitatio referri debet ad alia Decreta posteriora, per quæ inhabilitatur per Ecclesiam talis persona

9 *Pœna vtentium matrimonio ante ordinationem contracto.*

Inhabilitas per posteriora Decreta sancitur.

persona ad matrimonium, non verò ad legem illam præcisè, qua continentia indicebatur, & quæ pariformiter se extendebat ad matrimonij contracti vsum, & contrahendi sine vllo discrimine in forma præcepti, aut pœnæ adiunctæ.

10 *Tertia confirmatio.*

Confirmatur tertiò, quamuis fortè in obseruantia particulari Ecclesiæ Romanæ huiusmodi matrimonia erant irrita; tamen hanc legem non receperunt vniuersaliter in Occidente, vt patet ex dictis. Dixi *in obseruantia particulari Ecclesiæ Romanæ*, quia sic statuere videtur Calixtus, & habetur apud Gratianum dist.27. *Presbyteris*, inquit, *Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu matrimonium contrahere penitùs interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta sacrorum Canonum definitionem iudicamus*, &c. vbi separatio coniugij interdicitur, & aliquid huc spectans videtur insinuare Syricius Pontifex *in epistola ad Hymerium Tarraconensem*, vbi reprobans Sacerdotes, & Leuitas, qui exemplo Sacerdotum Aaronicorum, & Leuiticorum post longa continentiæ tempora, coniugiis inhærebant, quorum aliquos, qui ex ignorantia lapsos se esse asserebant, ea conditione admittendos decernit, si pœnitentiæ prioris vitæ deinceps continerent. *Si tamen*, inquit, *post hac continentes statuerint se exhibere*, &c. quæ indicant separationem, quæ alioquin sine vxoris consensu non liceret, si matrimonium constaret.

Calixtus. Syricius.

Verùm hæc lex non fuit vniuersaliter recepta, vt ex præmissis patet, sed maximè obtinuit in Occidente sub Innocentio II. Concilio Romano, & habetur *cap. Vt lex*, 27.*q*.1. vbi mandat connubia sacrorum hominum in ordine Monachorum, Canonicorum, conuersorum, professorum, vt separentur: *Huiusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus*, &c. & quamuis Pontifex aliam legem anteriorem supponat, ex qua illud matrimonium fuerit irritum, tamen deinceps hæc lex magis inualuit sui receptione vniuersali, vt in Concilio Rhemensi, sub Eugenio II. *can*. 3. & 7. in Lateranensi sub Alexandro III. vt habetur in appendice ipsius, *cap*.2.4.6.12. ac tandem deinceps vim impedimenti irritantis habuit ordo. Rectè sequitur ergo intentum Doctoris, nempe Ordinem non habuisse hanc rationem impedimenti, donec Ecclesia ipsa inhabilitando personas, id statuerit, non simplici prohibitione, & pœna solius depositionis; sed etiam declarando nullitatem matrimonij; alioquin simplex prohibitio non debuit in odiosis ad hunc effectum trahi, donec lege adiiceretur. Vnde neque matrimonia vouentium continentiam separanda docuit Augustinus; & habetur *eodem tit. cap. Nuptiarum*, &c. *cap. de viduis*, &c. *eodem*: quod est Gelasij, & *cap. Si quis votum*, &c. quod est sequens, *eodem*, éstque Theodori.

Innocent.II. Rhemense. Lateranens.

11 *Obiectio.*

Dices ad hæc, hanc solemnitatem non adiectam esse ab Ecclesia, nisi voto, quod annexum est Ordini sacro. Quamquam hoc nõ plurimùm repugnet Doctori, qui intendit solùm inducere effectum huius impedimenti in statutum Ecclesiæ, quatenus hanc specialem solemnitatem induxit; tamen in prædictis capitulis proximè allegatis, hæc solemnitas dicitur esse propria ipsius Ordinis, vt discernitur à voto solemni castitatis in Religione, & communiter à Canonistis, tanquam diuersa impedimenta numerantur Ordo, & votum solemne Religionis.

Contra ergo hanc solutionem confirmatur vltimò sententia Doctoris. Potuit Ecclesia hanc solemnitatem adiunxisse ipsi Ordini sacro, quamuis enim Virginitas sit res magis consilij, quàm præcepti, *cap. Integritas*, 32.*quæst*.1.& idem de continentia; potuit tamen ex pacto, & onere Ordinis conferendi præcipi, & congruè; neque aliter factum constat: imò constat oppositum, quia omnia Decreta, quæ hactenus citauimus, & alia, quæ huc spectant, specificant finem Decreti esse, vt in sacris Ordinibus constituti non habeant impedimentum ministerij sacri, non implicentur negotiis sæcularibus; deferant sanctitatem ad altare, placeant Deo; & vt vno verbo dicam, totum institutum est ob decentiam, & reuerentiam debitam ministerij, & sacrificij, quod optimè ponderat Ambrosius *lib. officiorum, cap*.50. Syricius *epistola ad Hymerium Tarraconensem*. Hieronymus *contra Vigilantium, cap*.1. Innocentius I. *epistola* 1.*cap*.9. Si ergo finis continentiæ in Ordine sit decentia ministerij, & sacræ functionis, sequitur non propter se fuisse indictam continentiam, sed propter Ordinem tanquam finem: ergo etiam quæcumque limitatio adiecta est etiam propter Ordinem, & non propter votum, aut continentiam, & consequenter hæc solemnitas ipsi Ordini sacro adhæret, ex quo oritur obligatio continentiæ, & non aliunde.

Impugnatur. *Solemnitas adiuncta est ipsi Ordini.* *Finis illius expressus in Canonibus.* *Continentia nõ propter se, sed propter Ordinem indicta.*

12 *Lex statuit continentiam absolutè, & sine consensu ordinati.*

Præterea, lex ipsa primò indicens continentiam, vt adiunctam Ordini, non præscribit continentiam vt obligantem per modum voti, & dependenter à voluntate ordinati: sed absolutè obligat per modum statuti, vt canon Apostolicus, & reliqui posteà adiuncti; & ita potuit absolutè instituere continentiam seruandam ratione solius Ordinis, & non vllius promissionis expressè, aut tacitè, quia neque Ordo, neque susceptio eius diuina lege est votum tacitum, aut expressum: quòd ergo ipsi hoc onus adiunctum sit per legem, atque ex speciali fine diuerso, nequit intelligi, vt per legem importatur, esse votum, quia lex specificatur à fine expresso, ad quem ratio legis, & præscriptum ordinatur; sicut enim quando ob culpam Ecclesia iniungit continentiam perpetuam alicui vxoricidæ, hoc præceptum non habet vim voti propriè loquendo, sed pœnæ inflictæ: ergo quando similiter Ecclesia iniungit personis sacris in Ordine continentiam, vt ministerij onus, non potest dici propriè indixisse votum, sed actum, qui potuit esse voti, si ex propria promissione procederet facta Deo, ideóque Concilium Tridentinum *sess*.24. retinet differentiam inter continentiam ex Ordine, & voto solemni professionis, quòd illa sit legis Ecclesiasticæ, hæc verò promissionis, & voti facti, *Non obstante*, inquit, *lege Ecclesiastica, vel voto*, &c. vbi prior particula refert alterum disiunctum *suprà* expressum, nempe *Ordinis sacri*.

Tridẽt.

13 *Obiectio.*

Sed obiicies appellari hanc continentiam votum, aut promissionem, vt patet *ex lib*.1. *epistolarum Gregorij, epistola* 42. *Nullum*, inquit, *facere*

Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit, &c.

Responsio.

Respondetur Gregorium in illa epistola dare legem Episcopis Siciliæ, inter quos Subdiaconi non continebant, sed matrimonia retinebant, secundùm loci consuetudinem antiquam, quibus vsum matrimonij prædecessor Gregorij interdixit: hoc autem mitigauit Gregorius; ita tamen vt deinceps nullum Episcopi promouerent ad hunc Ordinem, nisi qui promitteret se castitatem seruaturum. Hæc promissio ex ratione speciali illius loci, & circumstantiis exigebatur; quæ tamen non fuit in vsu aliàs: causa autem promissionis exigendæ fuit, vt ne posteà priorem illius Ecclesiæ consuetudinem allegarent in contrarium. Alioquin iuxta Canonem Ancyrani sufficiebat promissio tacita, nempe si taceret, neque allegaret se velle continere; sed negatur consequentia prætensa, nempe illam promissionem fuisse necessariò votum: quia nisi Deo fieret, non erat votum: fiebat autem Episcopis per modum pacti, quo ordinandus deinceps non subterfugeret quæ ex lege annexa sunt Ordini, vt erat continentia. Vnde Toletanum III. *Canone* 1. hanc eandem legem indixit Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, venientibus ex hæresi, & qui priùs neque castitatem vouerant, & suis vxoribus post conuersionem vtebantur, sicut priùs, alioquin depositionis sententiam in eos à prædictis gradibus profert, & vt Lectorum tantùm officio fungerentur. Non fuit ergo votum, aut promissio causa huius legis; sed potestas absoluta Ecclesiæ, quæ quod suum erat cum hoc onere transferre tantùm statuit.

Statutum decernens promissionē continentiæ præmitti ad Ordinē sacrum.

Illa promissio non fuit votum, sed pactum.

Toletan.III.

14 *Decretū Concilij.*

Compertum, inquit, *à sancto Concilio, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos venientes ex hæresi, carnali adhuc desiderio vxoribus copulari. Ne ergo de cætero hoc fiat præcipitur, quod & Canonibus prioribus determinatur, & vt non liceat eis viuere libidinosa societate, sed manente inter eos fide coniugali, communem vtilitatem habeant, & non sub vno conclaui maneant, vel certè, si suffragatur virtus, in alia domo suam vxorem faciant habitare, vt castitas apud Deum, & apud homines habeat testimonium bonum. Si quis verò post hanc conuentionem obscœnè cum vxore voluerit viuere, vt Lector habeatur,* &c. *post hanc conuentionem,* inquit, supple mandati, quod habet vim pacti, vt si in gradu suo quisque eorum vellet ministrare, ab vxorum vsu, & consortio coniugali maneret continens, aliàs in officio Lectorum, quibus vxores permittebantur, seruirent, & non in altioribus, hi, vt dixi, in ordinatione sua non vouebant in hæresi castitatem, sed propositum habebant contrarium; tamen ex lege continentiæ annexæ Ordini in Ecclesia Occidentali, non permittuntur in iis gradibus ministrare, nisi vxoribus renuntient quoad thorum, ideóque Canon hic secundùm priores statuens non interpretatur obligationem hanc ex voto redundare, sed ex Ordine per constitutionem legis.

Alia quædam obiicit Sanchez, nempe quia continentia ex lege sit annexa Ordini, & quòd eo ipso, quo quis vult ordinari voueat castitatē. 15 *Obiectio.*

Respondere enim licet ex præmissis, licèt castitas magis sit voti, quàm præcepti, *cap. Integritas, 32. quæst.* 1. tamen ex pacto potest esse præcepti, seu conuentione, vt hîc contingit; Ecclesia enim neminem cogit ad sacros Ordines: sed qui hunc statum vult ab Ecclesia, cuius est, ministros promouere, Ecclesia cum eo onere continentiæ ipsum gradum confert, sicut & beneficium confert propter officium, & beneficium curam habens annexam conferens, confert cum onere residentiæ. *Responsio.*

SCHOLIVM.

Matrimonium Clericorum in sacris existentium esse nullum; quia Ecclesia eos inhabilitauit, & hoc aptissimè, & ponit congruentias. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 11. Bellarmin. lib. 1. de memb. Eccles. cap. 18. Sanchius latè & doctè lib. 7. de matrim. disp. 27.

4 *Mens Doctoris. Congruētia cœlibatus clericorum.*

Dico [d] igitur quòd nec propter votum continentiæ propriè dictum annexum Ordini sacro, nec annexum ex præcepto Ecclesiæ præcipientis tali non contrahere, est, quòd iste non potest contrahere: sed ex hoc quòd Ecclesia facit talem personam simpliciter illegitimam. Quod statutum fuit rationabile, siue habitum fuerit à Christo, siue non, quia talis deputatur ministerio sacro, quod requirit munditiam mentis, & carnis, perspicacitatem intellectus, & feruorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, & ad eorum opposita frequentia carnalis actus. Nec in hoc debet aliquis dicere Ecclesiam sibi præiudicare in suo iure: quia Ecclesia communiter non cogit aliquem ad susceptionem Ordinis sacri: & satis publicauit, quia post talem Ordinem susceptum, suscipiens est inhabilis ad contrahendum: igitur voluntariè incurrit talem inhabilitatem.

5 *Ad arg. 1. Ita Hier. 1. contra Iouinian. Aliàs,* inquit, *Ioannes non esset Episcopus. Ad 2.*

Ad [e] argumenta. Ad primum, illud Apostoli, *Vnius vxoris vir,* intelligitur, id est, non plurium: nec tunc tantùm de præsenti, sed de præterito, id est, quòd non habuit plures, quia tunc esset bigamus, & irregularis. Si tamen dicas, quòd etiam tunc licuit habere vnam; verum est secundùm consuetudinem Ecclesiæ primitiuæ vtendo matrimonio priùs contracto: sed non licuit tunc contrahere, si nullam priùs habuerat: & per hoc patet ad auctoritatem sequentem: cùm enim dicit textus, *matrimonio copulantur,* exponit Gloss. id est, *copulato vtuntur.*

Ad aliud, nego similitudinem: quia susceptio sacri Ordinis non requirit nisi sexum debitum,

debitum, & ministrum debitum, & intentionem debitam in suscipiente, & ministrante, & ideò confertur coniugato, licèt suscipiendo peccet: sed matrimonium requirit habilitatem in personis ad contrahendum: & sic per Ordinem sacrum susceptum, est omnino inhabilis ad illud matrimonium contrahendum. Vnde è conuerso, non est impedimentum matrimonij ad Ordinem, quale est Ordinis ad matrimonium.

COMMENTARIUS.

16 *Conclusio esse impedimentũ iuris Ecclesiastici.* d *Dico igitur quòd nec propter votum continentiæ*, &c. Hæc est conclusio Doctoris, reducit enim impedimentum hoc præcisè in illam legem Ecclesiæ, qua inhabilitauit personam sacram ad matrimonium, quia neque votum simplex, aut simpliciter sumptum inualidat matrimonium Iure diuino, neque etiam præceptum Ecclesiæ annectens continentiam Ordini inualidat, vt *suprà* visum est, sed illa lex præcisè, qua inhabilitatur persona in sacro Ordine ad matrimonium contrahendum; quam sententiam sequitur Paludanus *hic quæst.1. art.2. & sequenti dist. quæst.2. artic. vnic.* Bassolis, Durandus, Argentina, & plures alij, maximè Canonistæ. Idem docuit Gandauensis *quolib. 5. quæst. 38.*

Sed quid dicatur in re ipsa, parùm refert: nam si intelligatur votum facti, id est, tacitum ex susceptione Ordinis, & lege adiuncta continentiæ, non repugnat Doctor, quia tantùm excludit votum propriè dictum. *Scopus Doctoris primarius.* Deinde, scopus eius principalis est reducere hoc impedimentum dirimens in legem inhabilitantem personas, vel inducentem illam solemnitatem, qua irritatur matrimonium supposito Ordine sacro. Et magis intendit excludere hoc impedimentum prouenire à Iure diuino, eo modo, quo aliqui dicunt votum solemne Religionis diuino Iure inhabilitare ad matrimonium; de quo disserit *dist. sequenti.* vbi etiam admittit Glossam docentem tres modos voti solemnis, inter quos est votum annexum Ordini sacro, vt *ibidem* videbitur. Hìc autem solùm contendit impedimentum statui Iure Ecclesiastico inhabilitante personas: quod statutum docet esse rationabile propter excellentiam finis, scilicet ministerij sacri, & congruitatem medij, quæ est continentia remouens impedimenta impuritatis, & distractionis, neque Ecclesiam hoc inducens cuiquam imponere necessitatem simpliciter, quia neminem ad Ordines cogit; & publicato onere, & lege inducente tale onus, iam ipse sibi præiudicat suscipiens gradum Ordinis voluntariè; & non Ecclesia, cuius est prouidere decentiam, & reuerentiam debitam in ministro sacro.

e *Ad argumenta* patet ex litera, & ex dictis.

DISTINCTIO XXXVIII.

Quid sit votum?

NVNC de voto inspiciamus. *Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ Dei sunt, propriè fieri debet.* Sunt tamen, & vota stultorum, quæ frangenda sunt. A

De votorum differentijs.

SCiendum verò quòd votorum aliud est commune, aliud singulare. B Commune, vt illud quod in Baptismo omnes faciunt, cùm spondent *Hug. lib.2.* renunciare diabolo, & pompis eius. Singulare, vt cùm aliquis sponte pro- *de Sacram.* mittit seruare virginitatem, vel continentiam, vel aliquid huiusmodi. *part.12.per multa cap.* Item, singulare votum aliud est priuatum, aliud solenme. Priuatum est in abscondito factum. Solemne verò in conspectu Ecclesiæ factum. Item, priuatum votum, si violetur, peccatum est mortale. Solemne verò violare, peccatum & scandalum est. Qui priuatum faciunt votum continentiæ, matrimonium contrahere non debent, quia contrahendo mortaliter peccant. Si tamen contraxerint, non separentur: quia probari non potest quod occultè factum est. Qui verò solemniter vouent, nullatenus coniugium inire queunt: quibus non solùm nubere, sed & velle damnabile est. Vnde Augustinus, [In coniugali vinculo si pudicitia seruatur, damnatio non

timetur: ſed in viduali continentia, & virginali excellentia virtus muneris amplioris expetitur: qua expetita, & electa, & voto oblata iam non ſolùm capeſſere nuptias, ſed etiam ſi non nubatur, nubere velle damnabile eſt. Vouentibus enim virginitatem, vel viduitatem, non ſolùm nubere, ſed etiam velle damnabile eſt. Quod Apoſtolùs oſtendit Timotheo ſcribens, *Adoleſcentiores autem viduas deuita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt*, id eſt, cùm poſt votum continentiæ in delitiis egerint vitam, non dico nubunt, ſed nubere volunt in Chriſto, quaſi tunc non ſit peccatum, ſed quòd ſit, oſtendit, ſubdens, *Habentes damnationem:* & quare, ſubdit, quia primam fidem irritam fecerunt, etſi non nubendo, tamen volendo: vt voluntatem, quæ à propoſito cecidit, appareat eſſe damnatam, ſiue ſequantur nuptiæ, ſiue non. Damnatur enim propoſiti fraus: damnantur tales, quia continentiæ fidem primam irritam fecerunt, id eſt, votum, vel in voto violato fidem, quam in Baptiſmo profeſſæ ſunt.] Si autem pro voluntate nubendi damnantur, conſtat ſi eam effectui mancipauerint, reuocandum id eſſe in irritum, eáſque arcendas redire ad propoſitum. Vnde Gregorius, [Viduas à propoſito recedentes viduitatis, ſuper quibus nos conſuluiſti, credo te noſſe à ſancto Paulo, niſi conuertantur, olim eſſe damnatas: quas & nos Apoſtolica auctoritate damnandas, & à communione fidelium, atque à liminibus Eccleſiæ arcendas fore cenſemus, vſquequo obediant Epiſcopis ſuis, & ad bonum, quod cœperunt, inuitè, aut voluntariè reuertantur.]

1.Tim.5.b *Ad Iulianum de ſancta viduitate, cap.9.* *& alleg.27. q.1. c.* Nuptiarũ bonum. *Diſt. 27. c.* Vouentibus. *1.Tim.5.* *Ad Bonif. & habetur 27. quæſt.1. c.* Viduas à propoſito. *1.Cor.5.b*

De virginibus non velatis.

C [DE virginibus autem non velatis, ſi deuiauerint, à prædeceſſore noſtro Innocentio Papa tale decretum habemus. Hæ quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper ſe ſimulauerunt permanere: licèt velatæ non fuerint, tamen ſi nupſerint, aliquo tempore, his agenda pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolui, quantò magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, ſolui, ſine vindicta, non poterit.] Item, [Si virgines nondum velatæ taliter publica pœnitentia puniuntur, & à cœtu fidelium vſque ad ſatisfactionem excluduntur: quantò magis viduæ, quæ perfectioris ætatis, & maturioris conſilij exiſtunt, & habitum Religionis aſſumpſerunt: & deinde apoſtatauerunt, atque ad priorem vomitum ſunt reuerſæ, à nobis, & ab omnibus fidelibus à liminibus Eccleſiæ, & à cœtu fidelium vſque ad ſatisfactionem ſunt eliminandæ, & carceribus tradendæ.] Ex his apparet virgines, vel viduas voto continentiæ aſtrictas, ſiue fuerint velatæ, ſiue non, nullatenus coniugium ſortiri poſſe. Quod itidem de omnibus intelligendum eſt, qui continentiam vouerunt. Quod enim antè erat licitum, poſt votum fit illicitum. Non eſt igitur prætermittendum, quod Innocentius Papa de viduis, & puellis decreuit, quæ Chriſto ſpiritualiter nubunt, ſi poſteà publicè nupſerint, non eas admittendas eſſe ad pœnitentiam, niſi hi, quibus ſe iunxerant, de mundo receſſerint. Si enim de omnibus hæc ratio cuſtoditur, vt quæcumque viuente viro alteri nupſerit, adultera habeatur, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia conceditur, niſi vnus de illis fuerit defunctus: quantò magis de illa tenenda eſt, quæ antè ſe immortali ſponſo coniunxerat, & poſt hoc ad humanas nuptias tranſmigrauit? Attende quòd non ſolùm coniugium talibus negare videtùr,

In epiſt. ad Victorium Rothom. Epiſc. c. 12. 13. qua incipit, Et ſi tibi, *& habetur 27. q. 1. cap.* Hæc verò. *Ibid. c.* Viduas, *para.* Si virgines. *Cap. 15. eiuſdẽ epiſtolæ, & vbi ſuprà, cap.* Quę Chriſto.

tur, sed etiam locum pœnitentiæ. Sed non ita intelligendum est, vt aliquando excludantur à pœnitentia, quæ dignè pœnitentiam agere volunt: sed illæ non sunt admittendæ ad pœnitentiam, quæ ab incestus copula discedere noluerint: quia post Religionis propositum non potest Deo reconciliari per pœnitentiam, quæ ad habitum suæ professionis redire neglexerit. Tunc enim ille, qui se coniunxerat ei, defunctus erit, cùm ab eius illicitis amplexibus hæc penitus recesserit. Cùm ergo dicitur eas non esse admittendas ad pœnitentiam, nisi hi quibus se iunxerant, de mundo recesserint, subaudiendum est, *eis*. Tunc enim eis viri de mundo recedunt, & defunguntur, cùm ab eorum concupiscentia istæ se alienant, quem sensum similitudo subdita declarat, & confirmat.

Quàm grande malum sit adulterium?

D

CVm vir & mulier legitimè coniuncti sunt, constat alterum altero viuente ad aliam non posse transire copulam: alioquin adulterium committitur: de quo Clemens Papa ait. Quid in omnibus peccatis adulterio est grauius? Secundum namque in pœnis tenet locum, quem primum illi habent, qui aberrant à Deo. Grauissimè ergo peccant adulteri, grauiter fornicarij, sed cunctis his grauiùs incestuosi: quos omnes transcendunt contra naturam delinquentes. Vnde Augustinus, [Adulterij malum vincit fornicationem, vincitur ab incestu. Peius enim est cum matre, quàm cum aliena vxore dormire: sed horum omnium pessimum est, quod contra naturam fit, vt si vir membro mulieris non ad hoc concesso vtatur, hoc execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore.]

Epist. 1. ad Iacobũ Apostolũ, quæ incipit, Notum tibi facio, *& habetur 32. q. 7. c.* Quid in omnibus.

De bono cõiug. cap. 8. & habetur 32. quæst. 7. c. Adulterij malum.

De illis qui post longam captiuitatem redeunt.

E

HIc quæritur de illis fœminis, quæ putantes viros suos interemptos, vel in captiuitate, vel ab iniqua dominatione nunquam liberandos, in aliorum coniugia transierunt: si illi, qui putabantur periisse, remeauerint, vtrùm eis reddi debeant: & an secundi fornicati sint, & ipsæ reæ adulterij. De hoc Leo Papa sic ait, [Necesse est vt legitimarum fœdera nuptiarum reintegranda credamus, & remotis his, quæ hostilitas intulit cuique id legitimè reformetur, quod intulit, procurandúmque est, vt recipiat quisque quod proprium est. Nec tamen culpabilis iudicetur, & quasi alieni iuris inuasor habeatur, qui personam eius mariti, qui iam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa ad eos, qui in captiuitatem ducti sunt, pertinebant, in ius alienum transire potuerunt: & tamen plenæ iustitiæ est, vt eisdem reuersis reformentur. Ideóque si viri post longam captiuitatem reuersi, ita in dilectione suarum coniugum perseuerant, vt eas cupiant in suum redire consortium, dimittendum est, & inculpabile iudicandum quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poscit. Sin autem aliquæ mulieres ita virorum posteriorum amore sunt captæ, vt malint his cohærere, quàm ad legitimum transire consortium, meritò sunt notandæ, ita vt etiam Ecclesiastica communione priuentur, quæ de re excusabili contaminatione criminis elegerunt. Redeant ergo in suum coniugia statum, quia sicut mulieres, quæ ad viros suos reuerti noluerint, impiæ sunt habendæ, ita illæ, quæ redeunt, meritò sunt laudandæ.] Ex his ostenditur illos, qui taliter iunguntur, vt credant virum interemptum, per ignorantiam, aliquam excusationem habere de peccato, & tan-

Leo Papa c. 1. in epist. ad Nicetã Episc. cuius initium est, Regressus ad nos, *& est 79. c. 2. & tribus sequẽtibus. & habetur 34. q. 1. & 2. c.* Cùm per bellicam.

tùm primam copulam esse legitimam, non secundam, veniam tamen habere, si careat opprobrio malæ voluntatis. Sed si quis relicta in patria sua vxore in longinquam abiens regionem, aliam ducat vxorem, deinde pœnitentia ductus eam dimittere velit, asserens se aliam habuisse, quæ viuit, nec Ecclesia permittat, quæ quod ille asserit, ignorat, quæritur an in hac secunda copula sit coniugium? Sanè dici potest non esse coniugium, & mulierem de crimine excusari per ignorantiam, virum autem adulterium admisisse. Sed ex quo ad primam redire volens, nec valens, cogitur Ecclesiæ disciplina hanc tenere, incipit excusari per obedientiam, & timorem, de hoc quòd poscenti mulieri debitum reddit, à qua ipse nunquam poscere debet, & sic de aliis huiusmodi sentiendum est.

Hug. 4. Sét. cap. 4.

Hoc hodie non tenetur, imò non debet Ecclesiæ obedire.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm votum continentiæ impediat matrimonium?

D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 7. *&* 11. *hic q.* 1. *&* 2. D. Bonauent. *art.* 2. *q.* 1. Richard. *art.* 7. *q.* 21. Gabr. *quæst. vnic. art.* 3. Paludan. *quæst.* 4. Bellarm. *lib.* 2. *de Monachis à c.* 22. Sanchius *latè lib.* 7. *de matrim. disput.* 25. *&* 26. Assor. *lib.* 12. *cap.* 6. *q.* 1. Vorillon *hîc quæst. vnic. art.* 2. Ouando *quæst. vnic. propos.* 16. Medin. *de sacr. homin. cont. contr.* 7. *cap.* 22.

1 *Argum. 1.* CIRCA [a] istam trigesimam octauam distinctionem quæro: Vtrùm votum continentiæ impediat matrimonium? Quòd non, Extrà qui clerici, vel vouentes possunt contrahere matrimonium. Præterea non minùs obligat apud Deum votum simplex, quàm solemne; sed simplex non impedit matrimonium, *ibidem c. Meminimus*, & *cap.* 2. Sed dices hoc ideò esse, quia votum simplex probari non potest, solemne potest. Contrà, si votum non solemne fieret coram multis, posset tunc probari: & tamen tunc non impediret contrahere: igitur illa non est causa.

Ratio opp. Contrà, *ibidem, Insinuante*, dicitur de quadam nobili, quæ fecit votum continentiæ, & seruauit per biennium, posteà contraxit, & coacta fuit redire ad statum pristinum: igitur dirimit iam contractum.

COMMENTARIVS.

1 *Ordo & diuisio quæstionis.* a CIrca *istam trigesimam octauam distinctionem*, &c. In hac distinctione, & vnica quæstione agit Doctor de impedimento voti irritante matrimonium, aut impedimento. Primò assignat diuersas acceptiones voti. Deinde, resoluit votum solemne irritare matrimonium, simplex verò tantùm impedire, & non irritare. Tandem reiectis aliorum rationibus reducit hunc effectum in statutum Ecclesiæ illegitimantis voto solemni professos, in ordine ad contractum matrimonij.

SCHOLIVM.

Explicat rationem voti solemnis, & simplicis, quorum differentia non consistit in eo, quòd illud sit publicum, hoc priuatum, quia è contra potest eis contingere; sed in hoc, quòd solemne habeat annexam quandam Ecclesiæ institutionem, ratione cuius debet in publicum venire, & sic vouens alterius potestati subijci, quod fit tantùm in professione tacita, vel expressa, & in susceptione sacri Ordinis.

2 *Votum priuatũ potest esse solemne, & publicum, simplex. Tripliciter solemnizatur votum.* DIco [b] quòd votum continentiæ potest esse publicum, vel priuatum, simplex, vel solemne: nec istæ duæ distinctiones sunt eædem, quia tam publicum, quàm priuatum potest esse simplex, vel solemne. Votum enim non solennizatur, nisi aliquo istorum modorum, qui ponuntur *Extrà de vot. & vot. red.* Et est hodie *in 6. lib. Extrà* etiam *eod. tit. cap. Rursus*, tanguntur in Glossa tres modi, vbi habetur sic: *Votum solemne est, quòd fit interueniente aliqua istarum solemnitatum, videlicet per susceptionem sacri Ordinis, 28. dist. Diaconi. Item per susceptionem sacræ vestis, quæ tantùm profitentibus dari debet, præsentibus testibus, per quos probari posit, si hoc negaret., Extrà de regularibus*, Statuimus.

Tertio

Tertio modo, cùm per professionem deuouet se alicui Religioni, Abbati, vel Abbatissæ, Extrà de regularibus, Statuimus, *præsentibus testibus, per quos probari posset, si hoc negaret. Et ne hæc negari possint, fiat inde publica scriptura, 27. quæst. 1.* Omnes fœminæ, *in qua scriptura profiteatur velle religiosè viuere: aliàs autem votum continentiæ factum, quamuis coram multis, dicitur simplex, quasi non vestitum, vel institutum aliqua solemnitate.* Hæc in Glossa.

Isti tres modi, qui hîc ponuntur, & illi, qui ponuntur in alio cap. *in 6. lib.* non sunt Iuris, nisi duo, scilicet per susceptionem sacri Ordinis, & per votum Religionis verum, vel præsumptum. Præsumptum quidem est, quando recipit habitum professorum, vbi est distinctio inter habitum professorum, & nouitiorum: & etiam quando vltra annum moratur in monasterio absque protestatione de non profitendo: dicitur ergo solemne non quia publicum, sed quia in se habet aliquid annexum, vt in publicum debeat venire, & per quod vouens ponitur sub alterius hominis potestate: & sic est præcisè in susceptione sacri Ordinis, per quem suscipiens constituitur minister Ecclesiæ, & aliter quàm priùs sub Episcopi potestate: quia Episcopus potest eum cogere ad statum clericalem seruandum, & ad vitandum ea, quæ repugnant statui clericali. Vnde si prædictum Ordinem susciperet in secreto, adhuc esset solemne propter rationem iam dictam: sicut etiam professio Religionis facta in manu eius, qui potest recipere, habet in se aliquid annexum, vnde debeat in publicum venire: quia oportet talem, vitam sæcularem dimittere, & cum aliis in claustro sui Ordinis conuersari, & ideò est solemne, etiamsi fieret in occulto. 3 *Votum solemne duplex, professionis, & susceptionis sacri Ordinis.*

COMMENTARIVS.

2 *Diuisio voti.* b Dico quòd *votum continentiæ potest esse publicum*, &c. Distinguit votum in publicum, & priuatum; in simplex, & solemne. Publicum est, quod præsentibus testibus fit, aut adhibita Scriptura, per quã probari possit. Contrario modo dicitur priuatum. Solemne verò dicitur, quando adhibetur solemnitas instituta ab Ecclesia: simplex, quod non est vestitum illa solemnitate, siue publicè, siue priuatim fiat. *Solẽnitas voti.* Hanc solemnitatem voti reducit ad ea, quæ præscribuntur *Extrà de voto, & voti redemptio. in 6.* Subiungit tres modos huius solemnitatis ex Glossa *in c. Rursus in 4. Decretalium, tit. Qui clerici, vel vouentes mat.* &c. quam sequitur Glossa *in c. Quod votum*, &c. *de voto, & voti redempt. in 6.* Reducit autem ipse ad duos modos, nempe suscepti Ordinis sacri, & votum Religionis verum, *Votũ verum.* aut præsumptum. Præsumptum autem duobus modis fit, vel permanentia per annum in monasterio absque protestatione de non profitendo; vel per portationem habitus religiosi, qui à solis professis gestari potest. Vtrumque modum exponit Bonifacius VIII. *c. Constitutionem*, &c. *de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem*, &c. Ita iure antiquo statutum: sed seruanda nunc Constitutio Tridentini *sess. 25. de regular. cap. 15.* & Decretales Pontificum, & sacræ Congregationis posteriores. quid autem dicendum sit in casu conuersionis alterius coniugum ad Religionem, superiùs explicuimus, *dist. 32... q. vnic.* Dicitur votum solemne, non quia publicum, sed quia habet aliquid annexum, id est, solemnitatem, ex qua in publicum venire debet, prout ex textu patet, & communiter recipitur. *Votum præsumptũ quid sit?* *Lex noua.*

SCHOLIVM.

Votum simplex tantùm impedire matrimonium; cap. Rursus, *qui cler. vel vo. solemne verò dirimere, cap.* Insinuante, *eodem tit. Trident. sess. 24. can. 9. Cyprian. lib. 1. epist. 11. Basil. lib. de virgin. paulò post med. Ambros. lib. ad virginem lapsam, c. 5. Vide Bellarm. lib. 2. de Monach. à cap. 22. Refutat varias rationes, quas alij assignant, quare solemne dirimat; & resoluit ideò dirimere, quia sic Ecclesia voluit. Ita Iuristæ d. c.* Rursus. *Richard. hîc artic. 7. quæst. 2. Gabr. quæst. vnic. art. 3. Bellarm. 2. de Monach. cap. 34. Sanchius lib. 7. disp. 27. Falluntur ergo qui cum D. Thom. hîc quæst. 2. art. 2. putant essentiam voti solemnis consistere in traditione, contra quos efficaciter procedunt rationes Doctoris. quod ait hîc num. 5. voto castitatis astrictum peccare, vt videtur, reddendo primò debitum, loquitur quando intentione non consummandi contraxit, alioquin non peccabit reddendo primò, vel pòst: peccat tamen mortaliter petendo. Ita D. Thom. hîc quæst. 1. art. 3. D. Bonauent. art. 2. quæst. 1. Richard. art. 7. q. 1. de quo latè Sanchius lib. 9. disp. 33. vbi citat multos tenentes, post consummationem licere etiam petere. Alij etiam tenuerunt votum castitatis extingui per matrimonium, quod de voto Religionis tenet Abulens. cap. 27. Leuit. quæst. 6. est tamen falsa opinio. Sed admittendum, licere marito sic astricto aliquoties petere, ne matrimonium reddat vxori valdè onerosum, de quo Sanchius lib. 9. disput. 7.*

EX c dicta distinctione voti, respondeo ad quæstionem, quòd quicquid dicant 4
opiniones, quas recitat Glossa *Extrà, Qui clerici, Rursus.* hæc tamen opinio est communis, quod votum simplex non impedit simpliciter, sicut habetur in textu, licèt

Simplex impedit, solemne dirimit.

Rich. hic art. 7. q. 2.

licèt enim impediat matrimonium contrahendum: non tamen dirimit iam contractum, & solùm hoc dicimus simpliciter impedire. Votum autem solemne simpliciter impedit, sicut habetur *ibidem, cap. Insinuante.*

Ratio [d] duplex assignatur. Vna, quia solemne probari potest, non autem simplex. Sed hoc nihil est, quia, vt dictum est, simplex, etsi sit publicum, & probetur, non tamen dirimit. Alia ratio est, quia per votum solemne dat aliquis illi, cui vouet, ius sui ad actum sequentem illud votum: & per consequens vouens solemniter continentiam dat illi, in cuius manu vouet, ius sui ad faciendum illud obseruari: igitur non potest dare ius sui ad actum oppositum, quia iam non habet illud.

Hæc ratio probabilis est. Instaretur tamen, quia vouens voto priuato, dat corpus suum Deo quantùm ad actum voti: igitur non posset posteà dare corpus suum coniugi ad actum contrarium: non enim minùs transfert aliquis à se quod immediatè dat Deo, quàm quod dat sibi mediante homine Vicario. Si dicatur quòd Deus noluit potestatem corporis immediatè sibi dari, sic quòd datio sequens ad coniugium simpliciter nulla esset: sed sic voluit de datione facta sibi mediante homine. Sed vnde hoc? Scrptura non videtur continere istam voluntatem Dei.

Rich. eadẽ dist. art. eodem, q. 1.

Solẽne non magis est datio, vel possessio, quàm simplex.

5 Alia [e] ratio est, quòd vouens solemniter mittit in possessionem illum, cui vouet solemniter: vouens autem priuatè non, sed quasi promittit. Sed hæc valet minùs, quàm secunda, quia omnia intrinseca voto, vt respicit actum voluntatis, per quem obligat se vouendo, & transfert dominium suum in alterum (quia per solam voluntatem est dominus, & transfert dominium) omnia, inquam, ista sunt æqualia hinc inde: igitur non magis datio hîc quàm ibi, nec promissio ibi quàm hîc.

Magister Sententiarũ præsenti dist. c. 2.

Si [f] ponatur quarta ratio, quòd transgressio voti solemnis est scandalosa, & ideò ad eius obseruantiam tenetur non tantùm Deo, & sibi, sed etiam toti Ecclesiæ: transgressio voti priuati non est sic scandalosa. Hoc nihil arguit, nisi grauius peccatum hîc quàm ibi; sed de hoc non quæritur: non enim semper peccatum grauius tollit potestatem ad contrahendum.

Rich. hic art. 7. q. 1.

Consimiliter [g], si de peccato ageretur, videretur illicitum contrahere post votum priuatum; quia simpliciter peccat mortaliter in contrahendo cum intentione consentiendi, & consummandi actum carnalem: & ideò non potest licitè contrahere, nisi cum intentione non consentiendi, & per consequens intrandi Religionem. Quando etiam consummat, videtur peccare mortaliter, quia contra votum suum; licèt secundùm aliquos post primum actum non peccet mortaliter in reddendo, quia ad illud iam est obligatus vinculo fortiori: peccat tamen mortaliter petendo, quia nihil habet iuris in hoc, cùm renuntiauerit tali iuri in voto. Hæc etiam ratio de scandalo non cogit, quia votum publicum, etsi non solemne, inducit scandalum, si vouens transgrediatur finaliter.

6 Ratio [h] igitur ad hoc poni potest hæc, scilicet quòd Ecclesia illegitimauit sic vouentem: & hoc fuit rationabile, quia ipse posuit se in potestate Ecclesiæ quantùm ad oppositum eius, ad quod est contractus matrimonij. Vouentem autem priuatè non illegitimauit, quia non sic se posuit in eius potestate: sed quia se posuit in manu Dei ad oppositum seruandum, & consuluit animæ suæ apud Deum nè transgrediatur: nam Ecclesia reliquit eum iudicio diuino.

Ecclesia prudenter non punit omnia peccata.

Et [i] si quæras quare non illegitimauit eum, cùm peccet mortaliter contrahendo, nisi cum proposito non consummandi? Respondeo, non omnia mala punit Ecclesia, nec sic ea prohibet, vt propterea pœnas Ecclesiasticas iniungat: & fortè maius malum sequeretur ex illegitimatione vouentium voto simplici, quàm ex non illegitimatione: quia ibi sequeretur frequentior culpa in actu carnali, si nollent continere, sicut valdè probabile est de multis: nec haberent suas quibus contenti essent, etsi non petendo, tamen reddendo licitè vterentur.

Ad arg.

Ad argumenta patet, quia obligatio apud Deum, etsi facit peccatum, non tamen facit hunc illegitimum ad contrahendum.

COMMENTARIVS.

Votum simplex non irritat.

3 c EX *dicta distinctione voti respondeo*, &c. Glossa *in cap. Rursus*, &c. *qui clerici, vel vouentes*, &c. citat opinionem Hugonis, quam approbat Bernardus. Hi dicunt votum simplex perinde irritare matrimonium, ac votum solemne; contrarium est commune Theologorum, & Canonistarum *in cap. Rursus*, &c. patet *ex textu, & cap. Consuluit*, &c. *eodem, & cap. Insinuante*, &c. *cap. Meminimus*, &c. *eod. cap. vnico, de voto in 6. cap. Quidam*, &c. *dist. 27. c. Si vir*, &c. *eod. cap. Nuptiarum*, &c. *27. quæst. 1.* qua ex causa Gregorius XIII. solemnizauit vota simplicia religioso

religiosorum Societatis Iesu, eósque inhabilitauit post biennium Nouitiatus, illis emissis, ad dominium rerum, & matrimonium ineundum.

4 *Conclusio Doctoris de fide.* Prima conclusio Doctoris est votum simplex impedire matrimonium, & non dirimere contractum. Hæc conclusio est de fide contra hæticos huius temporis, qui putant votum castitatis siue solemne, siue etiam simplex, vel nullam inducere obligationem, vel si vllam inducit, eam solùm esse ad tempus, vsque dum incipiat professus, aut votarius vri, & tentationibus exagitari; has autem tentationes diuinæ voluntatis internuntias, & signa quædam reprobationis voti esse contendunt. *Hæresis Apostatarum impium.* Hunc errorem Apostatarum colluuies, quæ post carnem abiit, veteris instituti pertæsa in libidinem exardens, tanto Ecclesiæ damno inuexit. In his præcipuus est Lutherus, & antesignanus, *varijs in locis, epistola ad VVolfgangum de vita coniugali, contra Catherinum, & in 1. ad Corinth. 7. in colloquijs Germanicis, de votis monasticis.* Caluinus *lib.* 4. *Institutionum, cap.* 13. Has hæreses *dist. præcedenti* confutauimus, in qua agitur de continentia, quæ annexa est Ordini sacro. Eadem ipsa argumenta propugnant præsentem veritatem: & patet Matthæi 19. *Non omnes capiunt verbum istud*, &c. *Impugnatur.* vbi agitur de eunuchis spiritualibus, qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum. 1. *ad Corinthios* 7. præfertur virginitas, & cœlibatus matrimonio. 1. *ad Timoth.* 5. *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, &c. supple viduæ, quæ vouerunt castitatem Christo seruandam, & mox labuntur discedentes à voto, & violantes fidem Deo datam, quem locum ita exponunt omnes Patres, & interpretes, tam Græci, quàm Latini, & Carthaginense IV. *canon.* 104. Tolet. IV. *cap.* 55. Innocent. I. *epist.* 2. *cap.* 13. Gelasius *epist.* 1. *cap.* 22. Augustinus *de bono viduitatis, cap.* 8. & 9. Epiphanius *hæres.* 48. Basilius *in lib. de Virginitate.* Hieronymus *in lib.* 1. *contra Iouinianum.* Chrysostomus *lib. de Virginitate, cap.* 36. Fulgentius *in epist.* 1. Primasius *in Apostolum.* Vide de hoc argumento Bellarminum *lib.* 2. *de Monachis*; & nostrum Medinam *lib.* 4. *de continentia virorum sacrorum, controuers.* 7. & reliquos controuersistas, & quæ aliàs *suprà* diximus in hoc genere: vt ergo progrediamur ad disputationem Scholasticam supponendo votum simplex impedire matrimonium.

5 *Secunda conclusio. Votum solemne irritat. Dubium quo Iure.* Secunda conclusio Doctoris est votum solemne irritare matrimonium: hæc est communis, & patet ex Canonibus citatis contra Hugonem, & Bernardum glossatores initio huius paragraphi. Superest ergo, vt quæratur quo Iure sit votum solemne irritans matrimonium.

Prima sententia. Iure diuino irritare. Prima sententia docet Iure diuino irritare matrimonium. D. Thomas, S. Bonauentura, Richardus, & Durandus, pluresque alij discipuli D. Thomæ, cùm aliis grauissimis Theologis hanc sequuntur, quos abundè citat Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disput.* 25.

Secunda sententia esse Iuris tãtùm Ecclesiastici. Secunda sententia est Iure Ecclesiastico tantùm illud irritare, quæ est Doctoris in litera infrà, & plurium aliorum, quos *ibidem* ex parte citabimus, & nunc passim accepta in scholis, in cuius fauorem Decreta Bonifacij VIII. & Gregorij XIII. faciunt; interim Doctor reiicit rationes prioris sententiæ.

d *Ratio duplex assignatur*, &c. Complectitur duas rationes impugnandas; quarum prima est, quòd solemne probatur; votum autem simplex non possit probari. 6 *Vtraque ratio impugnatur.* Hanc optimè excludit ex dictis: quia etiam tam solemne potest fieri priuatim, quàm simplex publicè, vt si quis in manu Prælati seruatis reliquis profiteatur, erit votum solemne hac solemnitate, qua dirimitur matrimonium. E contrà si quis emittat votum simplex publicè, non irritat matrimonium: vt si emittat illud in manibus eius, cuius non est recipere eum ad Religionem, vel si absolutè voueat coram aliis.

Deinde, hæc solemnitas, qua contractus celebratur coram testibus, est Iuris positiui; *Solemnitas iuris positiui.* matrimonium enim clandestinum valeret Iure naturali, & diuino, si Ecclesia non inhabilitaret personas; sic etiam promissiones, donationes, accommodatio, & reliqui contractus valent in foro conscientiæ, non adhibitis testibus, & valerent reliqui omnes, nisi Ius positiuum statueret impedimentum: ergo etiam votum valet factum sine testibus, & inducit obligationem.

7 Secunda ratio est, quia vouens solemniter dat ius ei, cui vouet, vt faciat votarium obseruare quod vouit, ideóque nequit ius sui dare coniugi ad actum contrarium. *Secunda ratio opposita sententia. Impugnatur.* Hanc rationem dicit esse probabilem: sed instat, quia etiam vouens per votum simplex, transfert ius suum in Deum immediatè, quod transfert in eius Vicarium, supple hominem: ergo nequit similiter transferre ius sui corporis in coniugem ad actum contrarium. *Votũ simplex ius transfert.*

Obiectio. Dices Deum non acceptare talẽ ius, nisi mediante homine suo Vicario.

Impugnatur. Contrà Doctor: hæc voluntas Dei nullibi ex Scriptura colligitur. Confirmatur: quia per votum simplex acquirit Deus ius speciale in vouentem ratione voti, aliàs non peccaret transgrediendo votum, neque inferret sibi damnationem, vt Paulus inferre docet 1. *ad Timoth.* 5. *Quia fidem priorem violauit*, &c. *Ius acquisitum ex simplici voto.* neque statueret impedimentum matrimonio, vt verè statuit: ergo constat Deum acceptare tale votum; aliàs nullam induceret obligationem, aut impedimentum matrimonij: sed hæc obligatio præcisè oritur, quia vouens transfert ius sui in Deum, & renuntiat coniugio: ergo in voto simplici inuenitur translatio Iuris.

8 Gabriel Vasquez 1. 2. *disputat.* 165. *cap.* 4. contendit probare nullum ius ex voto transferri in Prælatum Religionis, neque aliquem Iure naturali ex vi voti se posse alteri submittere, *cap.* 5. *Sentẽtia Vasquez. Nullam fieri translationem ex voto tantùm.* dixit statum Religionis, quantùm ad iurisdictionem fuisse institutum ab Ecclesia, & non Iure diuino; fuit autem prædicatum à Christo, *cap.* 6. & 7. nullum Religiosum ex vi præcisa voti reddi inhabilem ad dominia, aut connubium. Quantùm ad hoc secundum, nobiscum consentit, quidquid sit de dominio. Hæc autem sententia præfati Authoris intelligitur non solùm de voto simplici extra Religionem facto, sed etiam de voto solemni, quod primariò intendit, & ad quod respicit eius probatio à ratione, c. 7. num. 68. & sequentibus.

Hæc sententia reducitur in vniuersum ad duas propositiones; quarum altera est negatiua, nempe non dari posse ex præcisa ratione, & obligatione voti, aut transferri aliquod ius dominatiuum, aut iustitiæ in superiorem à votario. *Non dari ius dominatiuũ in Prælato ex vi voti.*

Altera

Altera est affirmatiua: nempe totum ius Superioris in subditum Religiosum fundari in iurisdictione clauium ipsi commissa ab Ecclesia, aut Pontifice, à quo deriuatur, & nullam interuenire donationem, aut traditionem, ex quibus redundaret ius dominatiuum, aut iustitiæ, in statu Religionis.

Totum ius Prælati fundari in potestate clauiũ.

9 Hanc sententiam impugnat Pater Basilius Ponce, tanquam falsam, & singularem contra communem Theologorum, *tractat. de impedim. matrimonij, de impedimento voti*, §. 11. Probat autem primò ex sententia Scholæ; quia D. Thomas, & frequens sententia Theologorum statuit solemnitatem voti in ipsa traditione, & licèt non tenet hæc sententia, maximè post Gregorium XIII. eiúsque declarationem; tamen in eo vera est, & communis, inquantùm admittit traditionem, & donationem, & ius in his fundatum, & acquisitum Religioni. Deinde, hanc traditionem admittit Alensis 2. *part. q.* 151. *memb.* 3. & noster Doctor cum aliis hîc, qui docent solemnitatem voti esse Iuris tantùm Ecclesiastici, vt inducit impedimentum matrimonij irritans contractum. Item, ex alio principio, quo dicunt extrahentem Religiosum professum ex Religione, obligari ad restitutionem ipsi Religioni, quam docet Doctor *dist.* 15. *quæst.* 3. *Ad secundum*, & plures alij tam antiqui, quàm etiam moderni. Si autem Prælatus, & Religio non acquireret aliquod ius in professum præter solius iurisdictionis, id esset falsum.

Impugnatio prædicta sententia.

Sententia cõmunis.

Ius dominatiuum esse ex traditione.

Ad restitutionem teneri eum, qui extrahit professum ex monasterio.

10 Secundò impugnat ex epistola Bernardi ad fratrem Robertum; in qua ius ex professione, & oblatione præfertur iuri ex sola promissione, quam contendebat Bernardus Cluniacensibus, eiusdem Roberti à suis parentibus Cistercienfibus. Contrà, tam oblatio ipsa, quàm professio fauebat; è contra Cluniacenses opponebant sibi factam oblationem: ergo oblatio, & donatio facit Monachum, & obligat ex iustitia; sed non minor obligatio iustitiæ consequitur professionem voluntariam: ergo, &c.

Secunda impugnatio ex decisione in controuersia inter Cluniacenses, & Cistercienses.

Respondet Vasquez neminem fieri Monachum, aut obligatum monasterio, nisi ipse saltem tacitè approbet talem oblationem sui factam, quando peruenit ad annos discretionis, quia aliàs hoc impium esset.

Respõsio Vasquez.

Contrà faciũt plura Decreta *apud Gratianum*, 20. *quæst.* 1. *cap. Addidistis*, &c. *cap. Monachum*, *c. Quicumque à parentibus*, &c. *c. Progenitores*, &c. quod est Concilij Triburiensis, *cap. Sicut qui monasteria*, &c. vbi permittitur libertas iis tantùm, qui inuiti ingressi sunt, aut traditi monasterio. Verum est in *cap. sequenti*, dari optionem, & libertatem, quando perueniunt ad annum 15. sed si Canon ille sit Marcelli I. alij posteriores ei derogant: & hoc ipsum confirmant quæ adducit Ponce ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. celebrati; & iudicium Innocentij Pontificis pro Cluniacensibus ex titulo oblationis tantùm, qui eis adiudicauit fratrem Robertum, quem D. Bernardus repetebat. Non fuit ergo recepta Decretalis Marcelli, & per posteriores fuit etiam reuocata. Ex quibus rectè infertur intentum: quia oblatio est donatio, quæ infert titulum dominatiuum acquisitum in oblatum, & æquiualet professioni propria voluntate emissæ, & hæc etiam idem ius infert, & eadem onera: ergo etiam ius dominatiuum acquirit Prælatus monasterij in suum subditum.

Impugnatur.

Sola oblatione acquiri ius.

Tertiò probatur eadem veritas ex communi Patrum, & Doctorum sententia, qui dicunt professum fieri ampliùs alieni iuris, & amittere propriam libertatem, & si quid acquirat, acquirere monasterio, & si proprium habeat, non solùm esse sacrilegum contra votum, sed esse furem contra iustitiam. Basilius Magnus *in Constitutionibus Monasticis*, *c.* 35. *in Asceticis, id est, de abdicatione rerum.* Ratio ipsa id confirmat, quia res monasterij est, cuius dominium ad monasterium spectat, administratio ad superiores: qui ergo rem alienam ex propria præsumptione vsurpat, reus est furti. Sic Iudas furti insimulatur, quia loculos habebat, sic Prælati res Ecclesiæ vsurpantes, & distrahentes sunt obnoxij, vt patet *causa* 12. *per totum*. 11

Tertia impugnatio. Ex communi sententia Patrum.

Monachus acquirit monasterio.

Proprietarius reus est furti.

Quartò, 20. *quæst.* 4. Superior potest irritare vota sui subditi, sed non ex potestate clauium: ergo ex potestate dominationis. Minor probatur, quia Pontifex nequit irritare vota fidelium, neque Episcopi, sed relaxare tantùm, aut commutare possunt; è contra dominus serui, maritus vxoris; & è contra vxor mariti, pater filij, ex iure dominatiuo, inquantùm illa vota concernunt ea, quæ à potestate alterius dependent, vel ei præiudicium inferunt, quia nemo potest disponere de eo, quod est alterius, sine consensu domini proprietarij, aut cum iure suo defraudare: ergo irritatio voti per Superiorem facta, reduci debet ad ius dominatiuum, quod acquirit in professum. Vide *cap. Monacho*, 20. *quæst.* 4. & Doctores, quos allegat Ponce, qui communiter in hanc sententiam veniunt. Ratio est, quia Monachus non habet propriam sui dispositionem, aut voluntatem, sed Superior; eam enim renuntiauit in voluntatem Superioris, per veram sui traditionem.

Irritat Prælatus vota subditorũ ex iure dominatiuo, & non clauium.

Dices ex vi voti obedientiæ irritari alia vota per Superiorem. 12

Obiectio.

Contrà: Obedientia non inducit illum effectum, aut ius, nisi vt includit traditionem propriam eius, qui vouet, & consequenter donationem sui; hinc Abbatissa, quæ incapax est potestatis clauium, potest irritare vota Monialium ex vi illius traditionis; non potest confessarius irritare pœnitentis vouentis ipsi obedientiam, quia incapax est donationis, aut iuris dominatiui in pœnitentem, Ecclesia reuocante hanc donationem, & traditionem ad certos status, in quibus tantùm fieri possit, sicut & alios contractus reuocat ad certas regulas, & solemnitatem, qua omissa non acquiritur ius, neque traditio valet; quamuis ex vi ipsius traditionis sequeretur ius, si teneret traditio, adhibitis solemnitatibus præscriptis.

Impugnatur.

Abbatissa irritat vota ex iure dominatiuo; non tamen confessarius.

His suppositis quæ fusiùs prosequitur Ponce argumentor quintò, suppositio illa, ad quam se reducit Vasquez, est nulla, nempe ex vi voti non acquiri ius Superiori, nisi tantùm ex virtute Religionis: quia nempe votum est actus Religionis, ac proinde illius honestatem, & legem sortitur, non autem naturam, aut legem specialem iustitiæ in particulari. Hæc, inquam, suppositio non tenet vniuersaliter; vt quando aliquis actus alterius virtutis ob finem Religionis elicitur, non variat propriam naturam, aut legem, quamuis appellationem, & speciem sortitur à fine, cuius gratia fit, verbi gratia, voti. & ratio est peruia; sicut intentio electionem infert, & finis media, ita actus imperans infert actum impera 13

Quinta ratio. Suppositio falsa aduersarij diditur.

Actus imperatus à Religione non exuit propriã naturam.

imperatum, quibus non obstantibus, tam electio, quàm media, & actus imperatus seruant propriam naturam, & honestatem, vt qui imperat actum pœnitentiæ, & temperantiæ ob finem charitatis, non solùm habet honestatem charitatis, sed etiam honestatem temperantiæ, & pœnitentiæ Religiosus professus honestatem obedientiæ, castitatis, & paupertatis; quamuis hæc vouet ex fine Religionis, & charitatis acquirendæ: ergo votum non derogat aliis virtutibus, quin propriam naturam, & leges sequantur: ergo neque iustitiæ, quando eius materiam concernit.

Exempla.

14 Exemplis fit clarior hæc doctrina à posteriori, qui vouet prædium Ecclesiæ, hoc ipsum votum trahit secum traditionem, tanquam medium necessarium, sine quo votum non est efficax, & per eam traditionem transit prædium in ius Ecclesiæ, & definit ampliùs esse prioris domini vouentis; quamuis ergo vouens tenetur ad alienationem, & traditionem prædij ex vi voti, tamen per ipsam traditionem, quæ est materia voti, transit prædium in ius Ecclesiæ. Item, qui dat indigenti eleemosynam ex charitate, aut misericordia, traditio sequens, aut concomitans alienat eleemosynam à priori domino, & transfert in ius indigentis tanquam propriam rem, de qua disponere potest ad votum; hoc autem ideò est, quia donatio licèt fiat ex fine charitatis, tamen non exuit propriam naturam, qua efficax est secundùm iustitiam alienare dominium in donatarium: ergo similiter contingit in voto, vt versatur in materia iustitiæ; vnde hæreditas transit cum Religioso ad monasterium, si se & patrimonium voueat, & sic in reliqua eius iura succedit monasterium, non præcisè ex vi voti, vt est actus Religionis, sed vt votum est coniunctum suæ materiæ, & traditioni, quæ hunc effectum inducit, & consequenter mediante voto, vt est in materia iustitiæ, & trahit secum actum iustitiæ, vt medium, acquiritur ius dominatiuum ex vi voti, non quomodocumque considerati in Ordine ad finem Religionis, sed vt completur in materia iustitiæ, in qua velut in medio perficitur, & attingit finem intentum principalem, seu *cuius gratia*, per tale medium determinatum, quod non absoluitur à propria lege, & natura, ex eo quòd cadat sub voto, vel ab ipso imperetur.

Alia exempla ad propositum.

Votum trahit secum traditionem.

15 Ad propositum, vouens obedientiam in Religione approbata donat sui integram dispositionem Religioni, & superiori eius, & renuntiat propriæ voluntati: ergo per talem traditionem, seu donationem sui ipsius, mediante voto, acquiritur ius dominatiuum, & non tantùm ex obligatione propria Religionis virtutis; sed etiam ex obligatione iustitiæ interueniente donatione, & acceptatione cum solemnitatibus requisitis per legem, vt contractus teneat. Hæ autem solemnitates sunt vt professus non sit incapax, aut impeditus per fortius vinculum, verbi gratia, matrimonij corporalis, aut spiritualis, aut aliàs inhabilis ex lege communi, aut particulari Religionis, inhabilitante receptionem; ex altera parte, vt Religio sit approbata, & iurisdictio in recipiente: ergo his stantibus valet contractus, & donatio: ergo ex communi, & particulari lege infert suum effectum, & ius acquisitum secundùm iustitiam.

Solemnitates requisitæ ad traditionem.

Dices valere tantum ex iurisdictione, quam Ecclesia per claues communicat superiori Religionis. 16

Responsio.

Contrà: licèt requiratur talis iurisdictio in superiore, vt fiat capax donationis recipiendæ, & iuris per eam acquirendi, & acquisiti: non tamen ex ea valet contractus, aut transfertur ius, sed ex propria voluntate, & consensu donatarij: primò, quia Ecclesia non habet potestatem disponendi sic de votario, iuxta omnes Patres, qui sequuntur Apostolum, 1. *ad Cornth.* 7. & dicunt hunc statum Religionis esse consilij, & non præcepti, & neminem ad eum secluso demerito cogi posse: sic enim loquuntur de virginitate, quod perinde in proposito dici potest de aliis consiliis Euangelicis, quæ diuina institutione subiiciuntur proprio cuiusque arbitrio sequenda, & non ex præcepto obeunda: ergo iurisdictio clauium communicata Religioni, aut superiori eius, non tribuit eis ius, quod competit mediante donatione, & consensu votarij, quod ius est iustitiæ.

Impugnatur. Discrimē iurisdictionis, & donationis.

Deinde, quamuis ad contractum ineundum requiratur, vt fiat secundùm regulam, seu leges: tamen ipse contractus, vt procedit ex voluntate partium, est, qui inducit obligationem ex iustitia naturali, & legali, obseruata lege: nemo enim dicit quòd obseruans leges in contractu fiat obligatus, & transferat dominium rei commutatæ in alium per ipsas leges; sed per contractum obseruatis legibus, & per proprium consensum, aut quòd translatio fiat per voluntatem legislatoris; sed per voluntatem subditi obseruatis conditionibus præscriptis per legem; is enim validè transfert rem ipsam, cuius est dominium rei, quod spectat tantùm ad priuatum, non ad legislatorem, aut Rempublicam, nisi vbi commune emolumentum requirit: translatio etiam per contractum cedit in commodum priuatorum hîc, & nunc. 17

Commutatio fit per cōtrahentes, nō per legem solemnizantem.

Deinde, capacitas ad contractum in personis supponitur necessariò in ipsis, & quamuis incapacitas reddat contractum irritum, tamen capacitas sola non reddit validum, neque ex vi eius commutantur iura personarum, sed ex vi contractus præcisè habilitatem ipsam supponentis; sed per iurisdictionem clauium confertur tantùm Prælato capacitas, seu potestas, per quam fit capax iuris acquirendi, per acceptationem donationis factæ, & nihil aliud respectiuè ad ius acquisitum ex contractu, licèt supposito contractu habeat potestatem directiuam, & coactiuam necessariam etiam ex clauibus, non tamen dominatiuam, quæ ei prouenit ex donatione tantùm, per quam potestatem dominatiuam & irritat vota, & iura professi transeunt in Religionem, quod & Canones confirmant *cap.* 1. *de statu Monachorum*, & aliàs. 18

Capacitas ad contractū non est eius causa, sed consensus.

Iurisdictio dat Prælato solam capacitatem.

Confirmatur; à matrimonio corporali ad spirituale valet argumentum; sed in matrimonio corporali ius dominationis acquiritur, & hoc præcisè inducitur ex vi contractus: ergo etiam in 19

Confirmatio à corporali ad spirituale matrimonium.

in spirituali matrimonio Religionis idem prouenit: quia vtrumque matrimonium fundatur in contractu, contractus autem ex natura sua inducit obligationem iustitiæ in specie talem, qualis est natura contractus: sed contractus Religiosi profitentis est donatio sui ipsius in seruitutem. Vnde Gregorius *lib. 4. epistolarum, epistola 44. in fine*, ait de seruis assumentibus Monachatum, eos arctiori vinculo seruitutis ligari, quàm fuit illud, quod aliàs sub dominis temporalibus habuerunt: ergo per professionem acquiritur ius seruitutis in professum.

Seruitus Religiosa.

Præterea, sicut superiùs dictum est, Iure diuino matrimonium ratum cedit professioni in Religione iuxta sententiam Doctoris. Idem concedunt omnes, quamuis plures admittant tantùm esse Iuris Ecclesiastici; tamen intelligunt interuenire traditionem Religiosi per professionem, quæ derogat contractui matrimonij rati: ergo per talem traditionem acquiritur ius proprium in professum, quod derogat iuri matrimoniali, & sequitur superiorem in Religione tam clauium, quàm dominationis potestate frui, quam recipit Iure naturali donationis.

Ex commutatione iuris matrimonij in Religionem.

20 Ex his patet responsio ad fundamentum Vasques. Obiicit enim primò, si oriretur talis iurisdictio dominatiua ex vi donationis, & acceptationis priuatorum, posse illum statum mutuo consensu dissolui, nec dependere à voluntate Summi Pontificis, quod est inconueniens.

Prima obiectio.

Respondetur, quantùm ad institutionem Religionis eam esse diuinam, & quoad hoc non dependere ab homine illum statum, quantùm ad iurisdictionem dominatiuam etiam eam esse Iuris diuini, sicut est institutio status; quantùm verò ad perpetuitatem, approbationem huius, aut illius status in particulari per media consentanea consiliis Euangelicis obseruandis, in quibus perficitur substantialiter status ipse Religionis in genere, & quantùm ad legitimationem, aut illegitimationem personarum, & quantùm ad iurisdictionem clauium pendere à voluntate Pontificis, & Ecclesiæ, sicut etiam dependet legitimatio, aut illegitimatio personarum ab eodem respectiuè ad matrimonium carnale. Ex quibus negatur sequela maioris, quoad primum, & secundum illatum, quia ille quasi contractus dependet modo dicto à voluntate Pontificis.

Responsio.

Quòd status Religionis institutus à Deo dependeat etiã ab Ecclesia.

21 Obiicit secundò: Facta diuisione regnorum, & rerum, non posse aliquem priuatum eligere sibi iudicem, vt patet *cap. Diligenti, &c. de foro competenti*, vbi dicitur Ecclesiasticum non posse sibi constituere iudicem sæcularem: ergo omnis iurisdictio spiritualis oritur à potestate clauium, quæ est penes Pontificem, & Ecclesiam. Respondetur negando antecedens, quia potestas paterna, & arbitraria, & dominatiua in seruos non derogatur per ius Gentium, & vniuersim omnis illa, quæ est Iuris diuini, qualis est dominatiua in Religione. Capitulum autem citatum non est ad propositum, quia licèt non possit ex consensu particularium iurisdictio clauium conuenire alicui; tamen potest ex alio titulo eidem conuenire iurisdictio alterius rationis: sicut potest aliquod ius conuenire alicui etiam diuina lege, aut Iure Gentium, vt est mariti in vxorem, & filios domini in seruum, non inde sequitur ei conuenire potestatem, quæ in Principe est, & magistratu.

Secunda obiectio.

Dices, superflueret iurisdictio clauium, si titulo donationis conuenit ius dominatiuum ex diuina institutione superiori in suum Religiosum. 22

Obiectio.

Respondetur, negando sequelam, quia voluntas priuata cuiusque subordinatur voluntati Principis, & legislatoris, quoad ea, quæ ad communem statum pertinent, & hoc ipsa rerum dispositio congrua exigit: quia bonum commune præfertur bono priuato, & potestas œconomica, aut politica, quæ respicit altiorem finem, subordinat potestatem priuatam, eísque statuit legem. ita etiã contingit in potestate spirituali clauium, quæ est primaria in Ecclesia quoad forum externum, vt potestas inferior subordinetur ipsi etiam ex diuina institutione, & recipiat legem ab ipsa: vtraque enim est diuinæ institutionis; sed clauium est primaria in Ecclesia, quæ subordinat reliquas inferiores, licèt sint diuinæ institutionis. Exempli gratia: Potestas clauium in Sacerdote est diuinæ institutionis, & data eidem in sua ordinatione: tamen recipit terminum, & modum, & exercitium à potestate clauium, vt tantum extendatur, quantum Ecclesia statuit, siue ad personas, siue ad peccata grauia, quæ reseruantur nunc vni, nunc alteri, iuxta dispositionem Ecclesiæ. Sic potestas ineundi matrimonij, quæ est Iuris diuini, limitatur ab Ecclesia quoad certas personas, quas facit inhabiles ad hunc contractum, sicut & potestas ingrediendi Religionem, vt dictum est. Vnde sequitur potestatem Pontificiam, quæ suprema est, posse statuere terminum potestati, quæ conuenit superiori Religionis, ex donatione, & quasi contractu, eámque posse limitare prout expedit saluti profitentis, & dantis professionem, & communi statui Religionis; & inhabilitare personas ad contractum ipsum ineundum, & inducere alias limitationes, & solemnitates, quibus non obseruatis nihil omnino fieret, & à fortiori limitare donationem, & receptionem ad certum modum, & tempus, aliásque circumstantias seruandas.

Responsio.

Potestas superior inferiorem subordinat.

Exemplum.

Potestas Pontificis in Religiones.

Non sunt ergo confundendi tituli, licèt alter alteri subordinetur, & inferior reguletur per superiorem, & vna potestas ab altera facilè discernitur in effectu: nam titulo donationis per votum conuenit iurisdictio dominatiua, & hæc ex diuina institutione. statũ namque Religionis & Christus instituit, & opere in suo collegiò exercuit (vt benè probat Pater Ponce, & de hoc aliàs ex alia occasione tractauimus de paupertate Franciscana, & regulæ eius statu, quod proinde iam tractare omittimus) sicut autem status ille communis est Societatis, ita etiam infert iurisdictionem ex natura rei, quæ vel in corpore, vel in vno capite residet: nequeũt enim diuersa membra, sine subordinatione in vnum corpus coalescere; hâc autem iurisdictionem ex vi assumptionis ipsius status, & incorporationis in ipsum per traditionem sui conuenire dicimus ex voto obedientiæ & donatione, quâ quis arbitrium suum, libertatem, & iura transfert in caput mysticum, in quo residet iurisdictio huius corporis politici, quod sine iurisdictione non potuit institui, & sibi propria, qua ab aliis discernitur. Huic iurisdictioni accedit altera superior clauium 23

Status Religionis institutus à Christo includit iurisdictionem.

modo dicto. Vnde concluditur, sicut vnio membrorum in vno corpore mystico, seu politico nequeat haberi sine ordine, & consequenter iurisdictione, ita in corpore Religionis residere iurisdictionem propriâ, sicut & leges, quæ executionem petunt, cùm nullus sibi possit dici esse iudex. Ad alia P. Vasquez non respondemus hìc, breuitatis gratia: tum quia partim conuenit nobiscum in conclusione, partim dissentit; sed in iis, quæ ad aliam materiam spectant; & certè argumenta, & fundamenta eius nimium extranea sunt intento probandi votum simplex Societatis constituere veros Religiosos, quia ad hoc nihil facit impugnatio iurisdictionis dominatiuæ, aut institutionis Religionis à Christo. Tertium, quod addit, *infrà* tangemus, nempe solemnitatem voti consistere in perpetuitate, quod non est verum.

24 *Tertia ratio confutatur.* e *Alia ratio est, quòd vouens solemniter, &c.* Hîc impugnat tertiam rationem pro sententia præmissa; consistit in eo quòd vouens solemniter mittit in possessionem illum, cui vouet, verbi gratia, obedientiam; non ita vouens priuatè, aut voto simplici, sed tantùm est promissio. Hæc est potior ratio, in qua fundatur prima sententia, nimirum solemnitatem voti Iuris diuini esse, & consistere in ipsa traditione, seu possessione, vt dicit Doctor, qua quis plenum sui dominium tradit Deo mediante Ecclesia acceptante: *Per votũ solemne tãtum fieri traditionem.* non ita fit in voto simplici, quo emisso manet persona adhuc sui iuris, quia nulla sequitur traditio, aut possessio eius acceptata, & completur contractus tantùm per acceptationem, sicut qui rem suam promisit, non ideò re ipsa, aut dominio spoliatur, sed manet apud promittentem donec sequatur traditio.

Impugnatio. Contra hanc rationem vrget Doctor, quia omnia intrinseca, siue quoad traditionem, siue quoad promissionem, perinde se habent in vno, & in altero, quantùm est ex vi voti, & Iuris diuini, cùm per voluntatem transferat dominium, per quam Dominus est, & sui iuris, & vniformiter transferat se per simplex, & solemne.

25 *Obiectio.* Dices deesse acceptationem ex parte Dei.

Impugnatur. Contrà, sicut *suprà* dictum est, votum simplex acceptatur, & obligat; vnde, sicut ait Doctor *infrà*, contrahẽs matrimonium animo illud consummandi, peccat mortaliter; peccat etiam in consummando, & nequit petere debitum, quamuis reddere teneatur, quia nullum ius habet illud petendi. Sed haberet ius, nisi obstaret *Fieri traditionẽ per votum simplex.* votum simplex, hoc autem non obstaret, nisi abdicaret dominium sui, & acceptaretur: ergo completur contractus per votum simplex, quantùm ad dationem, & acceptationem. Quod autem reddere teneatur debitum, inde est quòd per matrimonium, quod fortiùs ligat, acquisitum sit alteri ius in corpus eius, cui nequit ipse præiudicare, quamuis sibi ipsi quoad ius, quod ei competere posset per matrimonium, quantùm ad exigendum debitum, præiudicarit per votum, aliàs suo iure si suppeteret ipsi, posset sine peccato vllo.

26 *Solẽnitas voti est Iuris Ecclesiastici tantùm.* Præterea, votum solemne ratione solius solemnitatis differt à simplici voto; sed hæc solemnitas est tantùm Iuris Ecclesiastici: ergo quantùm ad naturam voti, & traditionis inclusæ ex diuina lege vniformiter se habent. Probatur minor, *cap. Rursus, &c. qui clerici, vel vouent. matrim.* vbi Cœlestinus III. dicit *votum simplex non minus obligare apud Deum, quam votum solemne*, &c. *apud Deum*, inquit, & non apud Ecclesiam, quæ votum solemnizauit. Deinde, Bonifacius VIII. *cap. vnico, de voto*, &c. dicit solemnitatem annexam esse voto Iure Ecclesiastico: quod & definit Gregorius XIII. *in extrauaganti, Ascendente Domino*, &c. cõtra Theologos, qui asserebant esse Iuris diuini, & non Ecclesiastici: nam ex hac ratione potissimùm aliqui contendebant vota simplicia Societatis Iesu non constituere Religiosum, & refutat sententiam, quæ asserebat sine voto solemni neminem posse esse Religiosum: quia nempe status Religionis nequit consistere sine eo, quod ipsi intrinsecum est, diuina institutione, qualem dicebant prædicti Theologi esse solemnitatem, qua fit incapax matrimonij, aut dominij, & iuxta principia D. Thomæ consequenter esse indispensabile. *Cœlest. III.* *Bonif. VIII.* *Greg. XIII.*

Dices solemnitatem voti in *esse* cæremoniæ esse quidem Iuris Ecclesiastici; tamen in *esse* acceptationis esse Iuris diuini. 27 *Obiectio.*

Sic respondet Sotus *in hac distinct. q. 2. art. 1.* & exponit Bonifacium VIII. *Responsio.*

Alij dicunt solemnitatem quidem voti esse Iuris diuini: tamen requiri vt acceptatio sit valida, vt obseruetur ordinatio Ecclesiæ, quæ inhabilitat personas, & acceptationem aliter factam.

Contrà: hæ responsiones non satisfaciunt Decretis. Primò, quia quæsitum fuit à Bonifacio, quod votum debeat dici solemne, & ad dirimendum matrimonium efficax? quæ est quæstio, quam in terminis disputamus; agitur enim de ratione illa, seu solemnitate, per quam votum Religionis professæ dirimit matrimonium posteà contractum. *Impugnatur.* *Quæstio proposita.*

Respondet Pontifex primò solemnitatem voti ex sola Ecclesiastica constitutione fuisse inuentam: ergo loquitur ad scopum quæstionis propositæ, de ea scilicet solemnitate, ex qua votum habet dirimere matrimonium, quam dicit inuentam ab Ecclesia solùm, quæ particula est exclusiua solemnitatis Iuris diuini, quæ irritaret matrimonium. *Respõsio Pontificis.*

Secundò, loquitur per antithesim, opponens hanc solemnitatem voti ad vinculum matrimonij, quod diuino Iure tenet. *Matrimonij verò vinculum*, inquit, *ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in Paradiso, & in statu innocentiæ instituente vnionem, & indissolubilitatem acceperit*, &c. Ex mente Pontificis vinculum, quod habet votum solemne, quo dirimat matrimonium posteà contractum, est solius Ecclesiæ institutionis; vinculum verò matrimonij est diuinæ institutionis. Tertiò, subiungit *illud votum solum dici solemne, quantùm ad post matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis*, &c. In hac clausula nullum discrimen statuit Pontifex inter solemnitatem sacri Ordinis, & voti Religionis professæ, & approbatæ. Sed solemnitas voti adiuncta sacro Ordini est institutionis Ecclesiasticæ, vt *suprà in præcedenti distinct.* dictum est: ergo etiam solemnitas voti professionis in regula approbata est Iuris Ecclesiastici. Perinde etiam Gregorius XIII. alludit ad verba Bonifacij, eiúsque decisionem, asserens voti solemnitatem 28 *Antithesis opponit solemnitatem voti vinculo matrimonij.* *Votum solemne.*

tatem esse solius institutionis Ecclesiasticæ, & decernit contra assertores oppositæ sententiæ, qui impugnabant hac ratione professionem per vota simplicia in Societate post biennium Nouitiatus.

29 *Decretũ, seu decisio Gregorij XIII.* Ex his facilis est impugnatio secundæ responsionis, quæ libera est, & contra expressam decisionem Bonifacij, vt patet ex dictis, & Gregorij XIII. contendit Gregorius solemnitatem voti esse Iuris Ecclesiastici, vt inde contra impugnatores Societatis ostenderet vota simplicia ab Ecclesia solemnizata constituere statum essentialem Religionis, & tales esse professas Scholares per tria vota simplicia in Societate: ergo nihil eis deest, quãtùm ad essentialem statum Religionis; aliàs non posset Pontifex cum tota Ecclesia solemnizare vota simplicia, ita vt constituerent verum Religiosum, si Iure diuino exigatur alia solemnitas ab his diuersa, in qua consisteret status Religionis; sicut tota Ecclesia nequit supplere aliquid, quod essentialiter est requisitum Iure diuino ad matrimonium, aut Ordinem, si illud desit.

30 *Obiectio.* Dices Gregorium acceptasse vota illa simplicia Societatis, & per eam acceptationem fecisse solemnia, quæ aliàs non essent solemnia sine acceptatione Ecclesiæ.

Impugnatur. Contrà: ergo non ex parte voti, aut votarij potest esse differentia Iure diuino in voto simplici, & solemni, sed tantùm ex parte Ecclesiæ, in persona Dei acceptantis: sed Ecclesiæ acceptatio sicut est libera, sic etiam potest esse talis, aut alio modo, neque aliter acceptare votarium, aut votum. verbi gratia, potest pro aliquo tempore acceptare vota, & non acceptare vt perpetua, & pro tota vita. Vel acceptare sub conditione libera subiecta voluntati ipsius votarij adimplenda; vel acceptare absolutè potest & votum, & votarium, non inhabilitando ipsum ad matrimonium, si contraxerit, aut inhabilitando pro tempore aliquo determinato. Potest etiam acceptare votum castitatis viduæ existentis extra Religionem, eam inhabilitando ad matrimonium. *Acceptatio Ecclesiæ potest acceptare aliquã diuerso modo.*

In his ergo casibus accedit Ecclesiæ acceptatio ad votum, non tamen erit solemne in sensu aduersariorum, quo scilicet reddatur persona incapax matrimonij Iure diuino, & simpliciter: ergo non ex quacumqe acceptatione Ecclesiæ sequitur votum esse solemne Religionis; quamuis illa accederet voto! contrarium est contra fundamenta aduersariorum; quia, vt dicunt, accedente acceptatione hominis loco Dei acceptantis votum, acceptatur à Deo: ergo solemnizatur Iure diuino, & completur traditio ipsa, qua votarius transit in ius Dei, & desinit ampliùs esse sui iuris, aut capax matrimonij. Hoc fundamentum, & assertio aduersariorum est, quæ ex dictis impugnatur.

31 Quòd autem Ecclesia sic acceptare possit vota Religionis liberè, & prout vult, ita vt non esset simpliciter, & absolutè perpetua in omni casu, & euentu, sed sibi liberum esset iis renunciare, patet primò ratione, quia contractus hic, aut quasi contractus non solùm dependet à voluntate vouentis, & se tradentis, sed etiam dependet à consensu Ecclesiæ, quæ limitare potest ex parte sua contractum, sicut & votarius etiam, verbi gratia, si vouet tantùm castitatem in statu Religionis seruandam, & non aliter (loquor de iis, quæ Iure diuino interueniunt huic contractui duntaxat, & ad scopum præsentis difficultatis) imò per voluntatem expressam excipere statum sæcularem à voto: potest ergo similiter Ecclesia, cuius arbitrio Deus remisit hanc acceptationem, inducere limitationem contractui, respectiuè ad voti acceptationem; quo casu traditio non tenebit Iure diuino, nisi sub illa acceptatione, & limitatione inducta. *Sicut votarius ita Ecclesia accepitãs potest limitare contractum.*

Probatur idem secundò; vota simplicia Societatis sic acceptat Ecclesia cum limitatione, vt non simpliciter, & absolutè essent perpetua ex parte Religionis acceptantis, sed constituerentur in arbitrio Præpositi Generalis, & rationabiliter, votarium dimittere, & in casu dimissionis manet non Religiosus, & nulli obligatus, si dimissio sit absoluta, & non reseruata voluntati, aut arbitrio sequenti, quo posset repeti. Ideóque hæc vota dicuntur simplicia, & manent talia ad distinctionem votorum, quæ in aliis, & in hac ipsa Religione sunt perpetua absolutè, tam ex parte votarij, quàm Religionis, & quibus manet etiam dimissus ex incorrigibilitate obnoxius extra Religionem. 32 *Vota simplicia Societatis, sic acceptata sunt.* *Cur dicantur simplicia?*

Sed hæc vota Societatis simplicia constituunt verè Religiosum, & quoad omnia substãtialia, & essentialia Religionis: ergo à primo ad vltimum potest acceptatio Ecclesiæ esse talis, vt non sequatur perpetuitas voti simpliciter, & absolutè sine limitatione, & compati cum statu vero Religionis; consequenter non ex Iure diuino reddi votum solemne Religionis, ea solemnitate, qua quis professus Religionem maneat perpetuò incapax sui iuris, aut matrimonij; ac proinde hæc solemnitas inducta est Iure Ecclesiastico, & non diuino; aliàs, vt dixi, si esset Iuris diuini, sine illa non staret verus, & essentialis status Religionis, quod est contrarium Decretis. 33 *Constituunt verum Religiosum.*

Hanc rationem Doctoris confirmant plura citata *suprà* ex sanctis Patribus, & Canonibus antiquis, ex quibus constat hanc solemnitatem, quæ induxit inhabilitatem ad matrimonium, non fuisse semper coniunctam statui Religionis: iã sufficit ratio præmissa, vt innititur Decretis, quæ in hac quæstione in specie emanarunt.

f *Si ponatur quarta ratio*, &c. Hæc ratio est Magistri, quam alij antiqui Theologi ex eo assumpserunt, vt D. Thomas, & alij. Rectè eam reiicit Doctor, quia licèt ex hoc sequatur scandalum, non est natum inducere impedimentum matrimonij, sicut neque alia peccata, ex quibus scandalum oritur ex fractione voti simplicis, & publici notorij. Demus ergo violationem voti solemnis esse grauius etiam Iure diuino, non inde deducitur inhabilitas ex eo ratione scandali tantùm. Præterea, scandalum ex genere suo est contra charitatem, sed peccatum contra charitatem non priuat aliquem Iure debito, quod aliàs ex iustitia ipsi competit, excepta fama, quæ quolibet peccato notorio, & graui læditur: ergo ratione scandali non priuatur votarius iure matrimonij contrahendi lege diuina. Præterea, non fit iniuria Ecclesiæ, nisi quatenus offenditur Deus, non stando pactis: quando enim Ecclesia acceptat votum, vt præfati Authores contendunt, illud acceptat vt sit Deo, cui se obligat votarius, & non Ecclesiæ, sed vt eius acceptatio substituitur Deo acceptanti per hominem Vicarium. Quòd si aliàs Ecclesiæ fiat hæc iniuria immediatè violandi eius Iura propria, sequitur intentum, 34 *Quarta ratio opposita sententiæ.* *Impugnatur. Ratione scãdali non solẽnizari votum.* *Scandalũ non priuat iure debito.* *Iniuria hæc quomodo in Ecclesiam redundet.* *Redargutio.*

intentum, nempe Ecclesiastico Iure reddi personam inhabilem, quia Ecclesiæ quis obligatur inquantùm Iura eius propria violat; ratione, inquam, iniuriæ. Sed si primo modo tantùm fiat iniuria Ecclesiæ, quia fit Deo, non stando pro-

Idē sequi de voto simplici. missis, & pactis, similis iniuria fit Deo etiam ex violatione voti simplicis, quod secundùm ipsos includit promissionem, & secundùm nos etiam includit traditionem, quantùm est ex parte vouentis, & Dei acceptantis, *vouete & reddite Deo*, &c. in quo Deus suam acceptationem expressit, quamuis non fiat illa traditio, cui adhæret inhabilitas personæ ad matrimonium simpliciter, quæ est ex statuto Ecclesiæ: sequitur tamen inhabilitas ex parte sui ad matrimonium, quantùm ad ius petendi debiti, cui renunciauit per votum. Vnde non rectè dicunt quidam

Sentētia quorumdam reijcitur. moderni Ecclesiam non habere potestatem coactiuam, qua compellere possit iudicialiter votarios ad voti simplicis obseruationem, quod omnino falsum esse *infrà* probabitur, §. *Et si quæras*, &c.

35 g *Consimiliter si de peccato agitur*, &c. Hæc est alia impugnatio, quæ patet ex dictis. Primò dicit peccare mortaliter votarium si post votum simplex contrahat matrimonium, animo illud consummandi; quid verò dicendum sit in casu, quo contrahat animo ingrediendi Religionem, superiùs explicuimus, *dist.* 31. *quæst. vnic.* Quæ sequuntur, patent ex dictis *ibid.*

36 h *Ratio igitur ad hoc poni potest*, &c. Docet solemnitatem voti Iure tantùm Ecclesiastico fuisse inductam, quo personæ votariorum factæ sunt ab Ecclesia inhabiles ad matrimonium.

Cōclusio Doctoris. Eam tenent alij. Hæc conclusio Doctoris patet ex Decretis citatis; quam etiam tuetur Richardus *in hac distinct. artic.* 7. *quæst.* 2. *in solut. ad* 3. Henricus *quodlib.* 5. *q.* 38. & omnes Scholæ nostræ discipuli *in hac distinct.* & Paludanus *quæst.* 4. *art.* 4. *& conclus.* 11. Supplementum Gabrielis *q. vnic. art.* 3. Pighius *controuers.* 15. Gerson *in regul. moralibus*, 1. *part. post dub.* 3. *conclus.* 4. & alij tam Theologi, quàm Canonistæ, quos videre licet apud Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, disput.* 36. & optimè noster Medina *loco citato.* Pater Basilius Legionensis *de impedimentis, de impedimento voti*, qui confirmant hanc conclusionem ex Canonibus antiquis, & Patribus, Augustino, Hieronymo, Cypriano, Gregorio; probantes hanc solemnitatem non fuisse semper, & vbique annexam voto Religionis; quod perinde etiam Vasquez *loco citato* exhibet; ad quos breuitatis causa remitto Lectorem: quia prædicti Canones, aut plures eorum diuersam interpretationem patiūtur, quam longum esset prosequi, aut examinare; an de voto continentiæ solo, an etiam de voto Religionis sint intelligendi; vel de voto solemni, aut simplici, & an votum, quod nunc simplex diximus continentiæ, fuerit aliàs, iuxta diuersam consuetudinem Ecclesiarum solemnizatum: sicut & Subdiaconatus relatus est inter sacros Ordines per adiunctionem continentiæ, & solemnizatus hoc modo iuxta diuersos Canones, & consuetu-

Argumētum probandi consuetudinem. dinem Ecclesiarum. Ex Canonibus enim particularium Ecclesiarum, & Conciliorum Prouincialium, aut Nationalium, non licet inferre consuetudinem vniuersalem Ecclesiæ, quoad statuta morum, & ritus, nisi supposita acceptatione earum, vel quando in idem concurrunt, sine discrepantia in ritibus, & moribus. Mihi

etiam dubium est, si omnes Canones, qui indicunt continentiam, intelligendi sint de continentia regulari mulierum, quod in proprium locum nunc examinandum relinquo, sufficiant Decreta citata, de quibus nequit esse dubium. Fundamenta etiam oppositæ sententiæ potiora sunt examinata in litera. Ad reliqua respondebimus hîc.

Obiiciunt capitulum, *Si quis sacro*, &c. 27. 37
quæst. 1. quod est Concilij Triburiensis, iuxta Decreta Gelasij, & Concilij Chalcedonensis: in hoc autem Decreto habetur: *verbo Domini, & Canonica authoritate, in hac sancta Synodo præcipimus, vt omnino separentur*, &c. separatio autem indicat nullitatem matrimonij: ergo *verbo Domini*, est nullum matrimonium eius, qui emisit votum in Religione. *Obiectio.*

Respondent quidam hanc separationem non indicare semper nullitatem contractus in Canonibus antiquis: sed quia ab examine huius difficultatis nos iam retraximus. *Respōsio quorumdam.*

Respondetur hanc separationem *verbo Domini*, faciendam intelligi quoad communionem, & cœtum aliorun, non verò quoad ipsum contractum: vt patet *ex cap. Viduas*, &c. quod est Gregorij *in epistola ad Bonifacium*; vbi loquens de viduis transgredientibus votum professionis, *A nobis*, inquit, *& ab omnibus fidelibus, à liminibus Ecclesiæ, à cœtu fidelium vsque ad satisfactionem sunt eliminandæ, & carceribus tradendæ, qualiter iuxta Apostolum tradentes huiusmodi hominem Satanæ, vt spiritus eius saluus sit in die Domini: de talibus enim & Dominus per Moysen loquitur, dicens: Auferte malum de medio vestri*, &c. hoc ergo est *verbum Domini*, ad quod alludit Canon præfatus, quo iubentur à Domino separandi mali de medio fidelium. *Respōsio propria.*

Obiiciunt secundò: Tridentinum sess. 24. 38
can. 4. *Si quis dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, & voto, anathema sit*, &c. vbi videtur lex Ecclesiastica referri ad sacros Canones, votum autem ad professionem: ergo ex vi voti matrimonium esse nullum: quia diuersa impedimenta inducunt. *Secunda obiectio. Trident.*

Respondetur admittendo, vt *suprà* diximus de impedimento Ordinis, esse hæc diuersa impedimenta, & extra controuersiam esse inter Theologos, votum solemne in Religione; ea solemnitate, quæ nunc est in vsu in Ecclesia, maximè post Innocentium II. dirimere matrimonium; sed neque ex intento Concilij quidpiam sequitur ad propositum contra conclusionem; An scilicet votum solemne sit diuino, an humano Iure, neque hæc quæstio faciebat ad intentum eius cōtra hæreticos modernos, quos damnat. Per particulam ergo illam *votum*, intelligit votum solemne, de quo superiùs egit, prout nunc est in vsu, & licèt eadem sit inhabilitas inducta ab Ecclesia vtrobique: quia tamen intuitu Ordinis annexa est Ordini continentia, non Iure diuino, sed merè Ecclesiastico, ideò dicit impedimentum Ordinis esse legis Ecclesiasticæ: non ita tamen se habet continentia respectu votarij: quia Iure diuino est annexa voto, licèt non inhabilitet ad contractum, nisi accedat constitutio Ecclesiastica. *Responsio.* *Interpretatio Canonis.*

Doctor in præsenti litera dat congruam ra- 39
tionem, cur vouens publicè Religionem, aut

Ratio inhabilitatis inducta.

eam professus fuerit illegitimatus ab Ecclesia, non autem vouens priuatè, quia nempe prior constituēs seipsum in statu Religionis, qui nunc reuocatus est ad eos, qui in communi viuunt, sub certa regula approbata ab Ecclesia (ad hunc enim statum alludit Doctor) constituit etiam seipsum in potestate Ecclesiæ, & dispositione, quoad oppositum contractus matrimonialis: ideò Ecclesia eum rationabiliter illegitimauit ad matrimonium: sicut enim non cogit ad Religionem, aut sacrum Ordinem, tamen rectè statuere potest circa accedentes ex propria voluntate. Accedit maior ratio in voto, quia est expressa fides data Deo de continentia sub directione, & dispositione, seu iurisdictione aliorum, & potissimùm Ecclesiæ: in sacro autem Ordine non interuenit expressus contractus, sed tacitus.

Per oppositum huius, qui vouet priuatè continentiam, nō sic se tradit Ecclesiæ, sicut professus Religionem, sed Deo se committit, quem iudicio diuino committit Ecclesia, sicut & Paulus egit de viduis, qui priorem fidem violant, & damnationem habent.

40 *Interrogatio.*

i *Et si quaeras quare non illegitimauit eum,* &c. Scilicet vouentem priuatè, & voto simplici cùm peccet mortaliter violando votum?

Soluitur.

Respondet non omnia mala punit Ecclesia, neque expediebat hæc illegitimatio ob pericula multorum, & maius damnum, quod sequeretur ex opposito, vt patet *cap. Veniens, qui clerici, vel vouentes*, &c. ex his colligi Doctorem in priori paragrapho, quando dicit Ecclesiam non recipere potestatem in votarium ratione voti priuati, non negare ipsam absolutè habere potestatem in illum coactiuam, sed loqui cum limitatione, scilicet non habere potestatem in eum, sicut in professum ex propria traditione sub Ecclesiæ potestate, qualis est professi, licèt aliàs habeat potestatem coactiuam, si vellet ea vti.

Explicatio Doctoris.

41 *Sentētia quorumdam reijcitur.*

Aliqui moderni, qui defendunt solemnitatem voti Religionis esse Iuris diuini, & non Ecclesiastici tantùm, dicunt Ecclesiam non acquirere ius ratione voti simplicis in votarium: neque posse eum conuenire via iudiciali, sed tantùm via fraternæ correctionis. Hæc sententia inquantùm negat posse Ecclesiam habere ius conueniendi simplicem votarium, via iudiciali non est admittenda, neque vera, aut conformis Canonibus. Tum, quia votum simplex est fides data Deo, & quasi contractus: si ergo Ecclesia habet potestatem coactiuam, qua contractum, aut quasi contractum factum homini bonæ fidei, & sponsionis seruari debere compellat, verbi gratia, sponsalia de futuro matrimonio, quæ includunt tantùm promissionem inter sponsos, à fortiori habet potestatem, compellendi in iudicio obligatum voto simplici. Primum autem patet *ex titulo de sponsalibus*. Patet etiam *ex titulo de voto, & voti redemptione, in pluribus capitulis*; vbi agitur de voto peregrinationis in terram Sanctam. Item, patet *ex Innocentij Papæ Decretis, cap. 20. in Codice Canonum, & ex epistola 2. ad Victricium*, cuius verba etiam citat Gregorius ad Bonifacium, & habentur *cap. Viduas, & cap. Hæ verò, 27. quæst. 1. Hæ verò, quæ nedum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulauerunt permanere, licèt velatæ non fuerint, si nupserint aliquanto tempore, his agenda pœnitentia est; quia sponsio earum à domino tenebatur: si enim inter homines solent bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quantò magis illa pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solui sine vindicta non poterit*, &c. Quibus verbis videtur loqui de voto simplici in virginibus non velatis, quia de velatis aliter loquitur *cap. 12. in eadem epistola, & cap. 10. Canonum*, quibus nubentibus negat dandam esse pœnitentiam, donec is, cui se coniunxerant, à mundo recesserit, &c. & habetur *cap. Quæ Christo*, &c. ex differentia ergo pœnæ colligitur differentia status inter virgines velatas, & non velatas; de his enim dicit, quòd spiritualiter nubunt Christo, & vocat adulteras, sicut & illas, quæ viuente adhuc marito alteri nubunt; de prioribus autem dicit non eas nuptas, *sed sponsionem earum à domino teneri*, & adducit aliud diuersum exemplum à matrimonio, nempe contractus bonæ fidei, quod tenet, cui accommodat sponsionem non velatarum, & non matrimonio.

Ecclesia via iudiciali potest conuenire violantes votum simplex.

Probatio.

Differentia inter virgines velatas, & non velatas, & eorum vota.

Prætereà, id ipsum docent leges ciuiles, vt patet de pollicitationibus; & patet exemplo Vestalium, quarum pœna grauis erat. Deinde, transgressionem publicam diuinæ legis spectat ad Ecclesiam coercere, qualis est fractio voti simplicis, & notorij. Accedit tandem vota simplicia Societatis Iesu fuisse sic solemnizata ab Ecclesia, quæ etiam perinde vota simplicia priuati extra Religionem posset eodem modo solemnizare sine vlla iniuria, supposita traditione sui per votum: & de facto reseruat semper dispensationem voti Religionis ingrediendæ Summo Pontifici, etiam data facultate in Iubilæis, quoad alia simplicia, exceptis paucis, quæ est aliqua pœna. 42

Secunda probatio.

Sequitur prætereà ex dictis non rectè Vasquem constituisse *loco suprà citato*, solemnitatem voti Religionis in perpetuitate, quamuis hoc verum esset, si perpetuitatem intelligeret ex constitutione Ecclesiastica, qua inhabilitantur votarij ad matrimonium absolutè; sed aliter determinat ipse votum simplex non esse perpetuum ex natura sua, & animo vouentis, sed conditionatè. Votum autem Religionis solemne est perpetuum, quia absolutum ex natura voti, & animo vouentis. Hoc non subsistit, quia votum simplex est absolutum, & non conditionatum semper, vt supponunt Canones: & ideò votum simplex castitatis statuit impedimentum perpetuum matrimonio; licèt non illud dirimit, & votum simile post matrimonium ex communi consensu coniugatorum factum inducit impedimentum petendi debiti, sicut etiam emissum ante matrimonium eundem effectum habet. Obligat etiam de præsenti, quod est contra naturam voti conditionati obligare, non purificata conditione, quod si intelligat esse conditionatum donec Ecclesia illud relaxet, hoc nihil est, quia etiam Ecclesia, vt communiùs iam docetur in scholis, seu Summus Pontifex potest etiam votum solemne Religionis relaxare per dispensationem, aut commutationem in aliquod æquiualens. 43

Sentētia Vasquez de voti solemnitate.

Impugnatur. Votum simplex non esse conditionatū.

k *Ad argumenta patet*, &c. Responsio petenda est ex dictis. Quòd si quis obiiciat prætereà votum Religionis ex Doctore suprà dirimere Iure diuino matrimonium ratum: ergo etiam irritat contractum superueniens, quia est fortius ligans. 44

Obiectio.

Respondetur, licèt hæc obiectio videatur satis plausibilis, supposita Doctoris sententia: (nam

Soluitur.

(nam in sententia aliorum, qui dicunt irritare Iure tantùm Ecclesiastico, non habet difficultatem.) Respondetur, inquam, de lege ordinaria vinculum matrimonij fortiùs ligare ex diuina institutione, quàm voti, vt in corpore, & aliàs sæpè docet Doctor *in præmissis*, & specialiter *dist. 31. quæst. vnic.* vbi asserit diuina dispensatione solui vinculum matrimonij rati per votum Religionis.

45 *Matrimoniũ ratum antecedens dirimitur per votum subsequẽs Religionis.*

Dico ergo per dispensationem specialem in fauorem Religionis solui matrimonium ratum ante initum, quæ dispensatio non extenditur ad matrimonium subsequens votum, quia dispensatio, & priuilegium recipiunt interpretationem stricti Iuris contra ius ordinarium; neque sunt trahenda, aut extendenda vltra casum particularem, in quo versantur; quod perinde currit, siue sit fauor contra legem diuinam ordinariam, siue contra legem positiuam humanam: sufficit enim ad priuilegium, vt non sit omnino inutile, quòd habeat effectum in proprio casu. Iure diuino ordinario, vt dixi, vinculum matrimonij est fortiùs ligans, & dispensatio, seu priuilegium concessum extenditur tantùm ad matrimonium antecedens, non ad subsequens votum; ideò dirimit illud; non autem hoc, quia in fauorem delinquentis contra votum non debuit extendi fauor, aut priuilegium, quod concessum est in fauorem proficientis, & aspirantis ad statum perfectiorem. Argumentum ergo propositum haberet vim contra Doctorem, si assereret Iure ordinario diuino, & ex propria lege, seu institutione votum professi in Religione habere illam vim annexam; non verò currit in casu dispensationis tantùm, quæ est fauor in profectum, cui & ipse renunciat, dum statui, & perfectioni renunciat per subsequens matrimonium.

Dices hoc gratis dici.

Respondetur ex dictis vtrumque nos à posteriori colligere ex praxi Ecclesiæ, & interpretatione; quia, vt suo loco dictum est, *dist. illa 31. quæst. vnic.* vinculum matrimonij etiam rati est insolubile Iure diuino, nisi per ingressum Religionis; ex hac autem quæstione inhabilitatem professi ad matrimonium esse Iuris humani, & Ecclesiastici probatum est. Et S. Paulus, approbat matrimonium viduarum, quæ continentiam antè vouerunt, licèt asserat eas damnationem habere, quia priorem fidem irritam fecerunt, & Bonifacius VIII. *cap. vnico, de...* dicit vinculum matrimonij esse insolubile Iure diuino; solemnitatem autem voti inuentam esse à constitutione Ecclesiæ. Hinc ergo colligimus dispensationem factam matrimonij rati in fauorem intrantis Religionem, non extendi Iure diuino ad matrimonium subsequens votum professionis; sed Iure tantùm Ecclesiastico esse inualidum, non directè annullando contractum, sed inhabilitando personam ad contractum, sicut in aliis casibus facit Ecclesia, & facere potest, vt *infrà dist. 42.* dicetur.

46 *Replica. Soluitur.*

DISTINCTIO XXXIX.

De dispari cultu.

POST hæc de dispari cultu videndum est: hæc est enim vna de causis, quibus personæ illegitimæ fiunt ad contrahendum matrimonium. Non enim licet Christiano cum Gentili, vel Iudæa inire coniugium: quia etiam in veteri Testamento prohibitum est fideles viros infideles ducere vxores: Domino dicente, *Non accipias vxores de filiabus alienigenarum filijs tuis, nè traducant eos post Deos suos.* Iuxta hoc Domini præceptum Iudæorum coniugia cum alienigenis inita Esdras separauit. Hoc idem etiam in nouo Testamento seruatur. Vnde Augustinus, [Nè nubat fœmina, nisi suæ Religionis viro: vel nè vir talem ducat vxorem. Id enim, vt dicis, iubet Dominus, docet Apostolus, vtrumque præcipit Testamentum.] Item Ambrosius, [Caue Christiane Gentili, vel Iudæo filiam tuam tradere, caue nè Gentilem, vel Iudæam, vel alienigenam, id est, hæreticam, & omnem alienam à fide tua, vxorem accersas tibi.] Item, [Si quis Iudææ, siue Christiana Iudæo, siue Iudæa Cristiano carnali consortio misceatur, quicumque tantum nefas admiserit, à Christiano cœtu protinus segregetur.] Ex his, aliísque pluribus testimoniis apparet, non posse contrahi coniugium ab his, qui sunt diuersæ Religionis, & fidei.

A

Exod. 34. a
Deut. 7. a
1. Esdr. 10. a
Lib. 1. de adult. coniug. c. 21. & habetur 28. q. 1. cap. Sic enim.
Exod. 34.
1. Cor. 7. c
Lib. de Abrahã Patriarcha, c. 9. & ponitur 28. q. 1. cap. Caue.
Ex Concil. Vrbanensi, & habetur 28. q. 1. c. Si quis iudaicæ.

De coniugio fidelis, & infidelis, & duorum infidelium.

B

1.Cor.7.b

Lib.& cap. eisdem, & habetur 28. q. 1. c. Sic enim.

Aug. de ser. Domini in monte, lib. 1. cap. 27. Idem lib. de adult. cõiug. cap. 13. Ibidẽ, c. 18. & habetur 28. quæst. 1. cap. Iam nũc illud.

1. Cor. 7.

HVic autem videtur obuiare quod Apostolus ait de imparibus coniugiis. Ego dico, non Dominus; Si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si quæ mulier, &c. Sed aliud hoc esse, aliud illud, euidenter ostendit Augustinus, [Ibi enim agitur de illis coniugiis fidelium, & infidelium, quæ contrahuntur ab eis in dispari Religione, & in fide manentibus. Apostolus verò agit de illis, qui vnius, eiusdémque infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt. Sed cùm venisset Euangelium, alter sine altera credidit. Intelligis ne quid dicam? Attende, vt rem ipsam diligentiùs explanem, Ecce coniuges duo vnius infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt; nulla de his quæstio est, quæ pertineat ad illud præceptum veteris, & noui Testamenti, quo prohibetur fidelis cum infideli copulare coniugium. Iam sunt coniuges, & ambo adhuc sunt infideles. Tales sunt adhuc, quales fuerunt antequàm iungerentur, qualésque coniuncti sunt. Venítque Euangelij prædicator, credidit eorum vnus, vel vna, sed ita vt infidelis cum fideli habitare consentiat: non iubet Dominus, vt fidelis infidelem dimittat taliter coniunctum.] [Nec Apostolus iubet vt non dimittat, sed consulit, vt si quis aliter agat, non sit transgressor, sicut & de virginibus consulit.] [Monet autem quod est lucrandi occasio, cùm possit licitè relinquere, sed non expedit.] [Tunc enim non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed ipsius vsus aliis affert impedimentum salutis, sicut discessio fidelis ab infideli, quam non prohibet Dominus, quia coram illo non est iniusta, sed Apostolus nè fiat, consilio charitatis suadet, vt nemo in ea re iussionis necessitate teneatur, sed consilij voluntate liberè faciat.] Ex his monstratur inter infideles coniugium esse, & consilium Apostoli non obuiare præcepto Domini, quo iubet fidelem non iungi infideli, & si coniuncti fuerint, separari. [Legitur enim quòd Esdras Propheta, imò Dominus per eum iussit Israëlitis vxores dimittere alienigenas, per quas ibant ad deos alienos, non illæ per maritos acquirebantur Deo. Rectè hoc præcepit, quia per Moysen iusserat Dominus, nè quis vxorem alienigenam duceret. Meritò ergo quas duxerant Domino prohibente, Domino iubente dimiserunt:] quia, vt ait Ambrosius, [Non est putandum matrimonium quod extra Decretum Dei factum est: sed cùm cognoscitur, emendandum:] vt quando fidelis infideli copulatur. Sed, vt ait Augustinus, [Cùm cœpisset Gentibus Euangelium prædicari, iam coniunctos Gentiles Gentilibus comperit coniugibus: ex quibus si non ambo crederent, sed vnus, vel vna, & infidelis cum fideli consentiret habitare, nec prohiberi à Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec iuberi. Ideò non prohiberi, quia iustitia permittit à fornicante discedere. Et infidelis hominis fornicatio est maior in corde, nec vera eius pudicitia cum coniuge dici potest: quia omne quod non est ex fide, peccatum est, quamuis veram fidelis habeat pudicitiam, etiam cum infideli coniuge, quæ non habet veram. Ideò autem nec iuberi, quia nec contra iussionem Domini Gentiles fuerunt ambo coniuncti. Licitum ergo erat per iustitiam fideli infidelem dimittere: sed licitum non erat faciendum, propter liberam beuolentiam.] euidenter apparet, & inter infideles coniugium esse, & Apostolum de illis agere, qui in infidelitate coniuncti fuerunt, & pòst alter ad

1. Esdr. 1. c Aug. lib. de adult. coniug. 1. c. 18. Exod. 34. Deut. 7. Ambros. super 1. ad Cor. 7. & habetur 28. q. 1. c. Quod autem.

Aug. lib. & cap. iisdem, & habetur 28. quæst. 1. c. Sic enim neque.

Matt. 19. b Non est vera pudicitia infidelis etiam cum fideli, & habetur 28. quæst. 1. in princ. Rom. 14. d August. ibi. cap. 17.

ad fidem conuersus est: cum quo etiam infidelis habitare consensit, & hunc non dimittere fideli consulit Apostolus: quia fortè per fidelem saluabitur infidelis.

De fornicatione spirituali, ob quam potest dimitti coniux.

POtest tamen licitè dimittere: quia in infideli est fornicatio, si non corporis, tamen mentis. Causam enim fornicationis Dominus excepit. Fornicationem verò generalem & vniuersalem intelligere cogimur, non modò scilicet corporalem, sed & spiritualem: de qua Augustinus ait, [Idolatria, & quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit, & causa fornicationis vxorem dimitti, sed non iussit; & sic dedit Apostolo] locum monendi, vt qui voluerit non dimittat: potest tamen licitè dimittere. Si enim fornicatio carnis detestanda est in coniuge, quantò magis fornicatio mentis, id est, infidelitatis? C *In gloss. 1. Corinth. 7.* Si quis frater vxor. *Matth. 5. & 19. in serm. Domini in mõte, lib. 1. c. 27. & habetur 28. quæst. 1 c.* Idololatria.

Pro quibus vitijs possit dimitti?

SI autem quæris, An propter aliud vitium, nisi propter infidelitatem, vel idololatriam, possit dimitti? Attende quid Augustinus ait: [Si infidelitas fornicatio est, & idololatria infidelitas, & auaritia idololatria, non est dubitandum, & auaritiam fornicationem esse. Quis ergo quamlibet illicitam concupiscentiam potest à fornicationis genere separare, si auaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quòd propter illicitas concupiscentias non tantùm quæ in stupris cum alienis viris, vel fœminis committuntur, sed ob quaslibet, quæ animam à lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè corrumpi, possit sine crimine, & vir vxorem suam dimittere, & vxor virum.] Item, [Rectissimè dimittitur, si viro suo dicat, Non ero vxor tua, nisi mihi de latrocinio diuitias congreges: vel, nisi solita lenocinia exerceas, aut si quid aliud facinorosum, vel flagitiosum à viro suo expetat. Tunc ille si veraciter pœnitens est, habétque fidem per dilectionem operantem, membrum, quod eum scandalizat, amputabit.] Ex his apparet, quòd non solùm infidelitas, sed etiam quælibet concupiscentia, quæ perniciosè turpitérque corrumpit, fornicatio spiritualis est, per quam vir vxorem, vel vxor virum dimittere potest. Consulit tamen Apostolus, nè fidelis dimittat infidelem volentem cohabitare, nec à Deo reuocare. D *Ibid. suprà c. 28. & habetur 28. q. 1. c.* Idololatria. *Augusl. de fide, & operibus, c. 16. & habetur 28. quæst. 1. cap.* Vxor legitima. *Matt. 17. & 1. Cor. 7.*

Si fideli liceat aliam ducere, infideli discedente, vel dimissa?

HIc quæritur, Si fidelis dimittat infidelem, vel infidelis à fideli discedat, an liceat fideli aliam ducere. Videtur auctoritas testari, quòd illa viuente alteram ducere non valeat. Ambrosius enim verba Apostoli exponens ait, [Alioquin si disceditis ab inuicem, & volentes cohabitare dimittitis, & aliis vos copulatis, adulteri estis: & filij vestri, qui de hac copula nascuntur, immundi, id est, spurij sunt.] Item, [Si quis habuerit vxorem virginem ante Baptismum, viuente illa post Baptismum alteram habere non potest. Crimina enim in Baptismo soluuntur, non coniugia.] E *In Com. circa 7. c. prioris ad Cor. & 28. q. 2. quasi per totum tractatur hæc quæstio.*

Quæ præmissis contraria videntur.

SEd contra Ambrosius testatur, [Si infidelis (dicit Apostolus) discedit, discedat. Non enim est seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi, quia non debetur reuerentia coniugij ei, qui horret auctorem coniugij. F *Ex Concil. Meld. & 28. q. 2.* Si quis.

Circa illud 1. Cor. 7. Non enim seruit. *& habetur 28. q. 2.* Si infidel. *In gloss. 1. Corinth. 9. circa illud,* Non est enim.

iugij. Non est enim ratum matrimonium, quod sine deuotione Dei est, & ideò non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alij se copulauerit. Contumelia enim creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur, nè accusetur alij copulatus. Infidelis autem discedens & in Deum peccat, & in matrimonium: nec est seruanda ei fides coniugij, qui ideò recessit, nè audiret Christum esse Deum Christianorum coniugiorum. Si verò ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmatur coniugium.]

Determinatio.

G
28. *quæst.* 2. Si infid. *parag.* Hic disting.

ATtende hæc prædictis contraria posse videri, ita vt sibi Ambrosius contradicere videatur. Sed distinguendum est hîc aliud esse dimittere volentem cohabitare, aliud dimitti propter Deum ab illo, qui horret nomen Christi. Ibi lex beneuolentiæ non seruatur: hîc veritas custoditur. Et ideò cùm liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen ea viuente aliam ducere licet. Discedentem verò sequi non oportet: & ea viuente aliam ducere licet. Sed hoc non est intelligendum, nisi de his, qui in infidelitate sibi copulati sunt. Sed si ad fidem vterque conuersus est, vel si vterque fidelis matrimonio coniunctus est, & pòst alter eorum à fide discesserit, & odio fidei coniugem reliquerit: dimissus discedentem non comitabitur: nec tamen illa viuente alteram ducere poterit: quia inter eos fuerat ratum coniugium, quod non potest dissolui.

Quidam dicunt coniugium non esse inter infideles, & quare?

H
Hic locus quasi de verbo ad verbum habetur 28. quæst. 1. in princip. Rom. 14. d August. ad Pollentium, cap. 18. q. 1. Sic eum.

SVnt tamen nonnulli, qui inter infideles asserunt non esse coniugium: quia nec rata, nec legitima est eorum copula. Rata non est, quia solui potest: nec legitima, quia Apostolus ait, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Eorum autem coniunctio non est ex fide, & ideò peccatum est. Non est ergo coniugium: quia nullum coniugium peccatum est. Augustinus etiam dicit, [Quia non est vera pudicitia infidelis cum fideli.] Sed vera negatur esse pudicitia: non quòd infidelium coniugium non sit verum, sed quia non habet illud triplex bonum, quod excusat coitum, & meretur præmium. Item illud Apostoli; Omne quod non est ex fide, peccatum est: non ita intelligendum est, vt quicquid fit ab infidelibus, peccatum sit: sed omne quod fit contra fidem, id est, conscientiam, malè fit, & ad gehennam ædificat. Vel in omni eo, quod infidelis facit, peccat: non quia illud facit, sed quia non eo modo illud facit quod debet, non referens ad debitum finem.

Quòd legitimum sit coniugium infidelium, sed non ratum, & quare?

I.
22. quæst. 1. cap. vlt. lib. de fid. & operibus, c. 16. & habetur 28. q. 1. c. Vxor legitima. *1. Cor. 7.*

COpula ergo maritalis, quæ est inter infideles, coniugium est legitimum, sed non ratum. Legitimum, quia est inter legitimas personas: sed non ratum, quia sine fide: Coniugium verò fidelium est legitimum, & ratum, si tamen legitimæ sunt personæ. Quòd autem legitima sit infidelium coniunctio, Augustinus testatur, dicens, Vxor legitima societate coniuncta sine vlla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit. Ex hoc etiam probatur, quòd infideli ad fidem conuerso, Apostolus consuluit infidelem non dimittere: quod non faceret, si non esset inter eos legitimum coniugium. Legitimum est, quod legali institutione, vel Prouinciæ moribus, non contra iussionem Domini contrahitur.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum disparitas cultus impediat matrimonium?

D.Thom.*in addit.q.59.art.1.& hic q.1.art.1.*D.Bonauent.*art.1.q.1.*Richard.*art.1.q.1.*Gabr.*quæst.vnic.* Sotus *q.vnic.art.2.* Sanchius *lib.7.de matrim.disp.71.* Valent.4.*tom.d.10.q.5.p.3.* Lud. Lop.2.*part. instruct.cap.53.* Summistæ, *v.* Impedimentum, *de dispari cultu.*

CIRCA [a] istam trigesimam nonam distinctionem quæro: Vtrùm dispar cultus impediat matrimonium? Quòd non, *Genes.* 41. Ioseph accepit Aseneth filiam Putipharis, cùm tamen ipse esset fidelis, & ipsa infidelis. 1 *Argum.1.*

Præterea, *Exod.* 2. Moyses accepit filiam Iethro infidelis. Quòd probatur ex hoc, quia cùm vellent redire in Ægyptum, Moyses circumcidit filium suum. Vnde ipsa ait, *sponsus sanguinis tu mihi es.* *Argum.2.*

Præterea, *Hesther* 2. habetur, quomodo Hesther nupsit Assuero, qui non fuit Iudæus, sed Gentilis. *Argum.3.*

Præterea, 3. *Regum c.*11. Salomon accepit filiam Pharaonis, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, & Hetthæas. *Argum.4.*

Præterea, 1. ad Corinth.7: *Si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat eam:* igitur dispar cultus non dirimit matrimonium iam contractum; nec per se repugnat matrimonio: quia tunc consilium Apostoli, quòd frater stet cum infideli, esset consilium de fornicatione.

Contrà, *Esdræ lib.1.c.9.& 10.* vbi separatio fiebat coniugum alienigenarum. Præterea, 2. ad Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio lucis ad tenebras, aut quæ pars fidelis cum infideli?* Præterea, 28.quæst.1. *sic non nisi eiusdem Religionis, & fidei maneant copulata coniugia.* Et ibid. cap. *Caue, non nisi baptizata sumatur in coniugium; quia Baptismus est primum Sacramentum.* *Ratio ad opp.*

COMMENTARIVS.

a CIrca *istam distinctionem trigesimam nonam,* &c. In hac distinctione, & quæstione agit Doctor de impedimento ex disparitate cultus. Diuiditur quæstio in duos articulos; primus est de matrimonio infidelium inter se; secundus, de matrimonio infidelis, & fidelis. *Ordo, & diuisio quæstionis.*

SCHOLIVM.

Sententiam Richardi dicentis inter infideles non posse esse matrimonium, quia carent bono fidei, cùm sint infideles, & bono prolis, cùm educanda sit in infidelitate, & bono Sacramenti, quia carent primo Sacramento, reÿcit Doct. quia fidelitas coniugi seruari potest sine fide diuina, & proles educari potest secundùm rationem naturalem, nec ratio Sacramenti est essentialis matrimonio, quia non fuisset in statu innocentiæ. Mouet, & soluit duo bona dubia; & quoad primum, innuit si infideles non habuissent consuetudinem (fortè acceperunt à progenitoribus fidelibus) matrimonia ineundi, quòd multi eorum ea non obseruarent, quia, vt dictum est, d.26. non est de stricto Iure naturæ, vt ibi explicui: & ideò multæ nationes polygamiam, & repudium admiserunt.

HIc [b] sunt duo videnda. Primum, quomodo infideles possunt contrahere, vel habere coniugium: & quomodo fidelis cum infideli. De primo, dicitur quòd non; quia ibi non potest esse bonum fidei ex parte eius: quia non est fidelis Deo: igitur nec proximo. Secundò, quia ex parte eius non est bonum prolis, quia quantum in ipso est, educaret prolem in ritu suo, & ita non religiosè. Tertiò, quia ibi non est bonum Sacramenti, quia infidelis ex quo non habet primum Sacramentum, non est capax aliorum, vt probatur *Extrà de Presbytera non baptizato, cap.*1. 2 *Rich. hac dist. artic.1. q.3.*

Hæc [c] non mouent. Primum non, quia fides, id est, fidelitas, seruari potest sine fide, qua creditur in Deum: & hanc seruant infideles fidelibus in contractibus, & è conuerso, & habetur per Augustinum *in epistola ad Publicolam:* non enim sequitur, non vult seruare fidem istam ad Deum, à qua dicuntur Christiani fideles: ergo non vult seruare fidem, id est, fidelitatem proximo: tum, quia non sequitur, non vult seruare *Reÿciuntur rationes Richard.*

uare perfectius: igitur nec minùs perfectum: tum, etiam quia non potest attingere per rationem naturalem ad obseruantiam huius fidei, sicut illius.

3 Secunda ratio non mouet, quia vult educare prolem, quantùm potest per rationem naturalem noscere ipsam esse educandam: igitur non potes plus habere, nisi quòd non est ibi perfectum bonum prolis, scilicet quod educetur ad cultum Dei: nec mirum, quia educator non nouit ipsam sic esse educandam.

Tertia etiam ratio non mouet, quia omnibus contractibus matrimonij præcedentibus legem Euangelicam non fuit annexum Sacramentum propriè dictum: nec fuisset annexum contractui in statu innocentiæ, si semper in illo mansisset, sicut dictum est *suprà dist.* 26. nec tamen tunc defecisset aliquid de perfectione pertinente ad contractum matrimonij.

Sed [d] duo alia sunt, quæ faciunt difficultatem. Vnum, quomodo infidelis potest dare corpus suum alteri, cùm non faciat hoc innitens approbationi legis diuinæ: quia illam ignorat, & sine illa non potest simpliciter dare, vel saltem non potest licitè dare, nisi in virtute approbationis domini superioris.

Secundum est, quia cùm matrimonium essentialiter includat indissolubilitatem, quomodo infidelis contrahit matrimonium, cùm illud sit dissolubile, si posteà alter coniugum conuertatur ad fidem sine altero: potest enim tunc discedere: & istam rationem ponit Magister in litera, dicens matrimonium illud non esse ratum, licèt legitimum.

4 *De contractu coniugali, etiam inter infideles.*

Sed [e] ad primum istorum potest dici, quòd Deus post lapsum generaliter licentiauit omnes ad talem commutationem, non tantùm ptopter primum finem, scilicet propter officium: sed etiam propter secundum, scilicet in remedium: & tunc vtentes commutatione ista, licèt nesciant se licentiatos, quia ignorant legem Dei: non tamen peccant. Sicut in aliis licentiis, licèt quis nesciat se licentiatum, dum tamen non sciat illud, quod agit, esse illicitum, non peccat. Probabile enim est, quòd à principio ex vittute illius licentiæ diuinæ, vel præcepti inoleuit vsus contrahendi matrimonium, etiam apud infideles: quia à Patribus suis secundùm quandam consuetudinem deriuatam hoc acceperunt.

Et licèt primi infideles nollent sequi patres in fide, quæ est ad Deum: tamen in isto imitati sunt eos: nec mirum, quia hoc est de lege naturæ secundariò, vt dictum est *suprà:* & ideò valdè consonum mentibus singulorum. Esto etiam, quòd nullo modo licitè transtulissent: transtulerunt tamen, ex quo Dominus superior omnibus concessit transferre, non tantùm fidelibus, sed etiam infidelibus: igitur ex parte domini superioris erat fortè translatio illa licita: & ad minùs aliqua, & ex parte contrahentium, firma & iusta; licèt non completa, tamen non iniusta si seruabant conditiones, quas seruandas dictabat ratio naturalis.

Ad [f] secundum, rata erant, nisi superueniret aliquod fortius vinculum, cum quo non posset stare istud: cuiusmodi est obligatio noua ad Deum, per fidei susceptionem, quando alter coniux nollet commorari absque impedimento illius fidei, ad quam magis tenetur, quàm ad vinculum coniugale. Est igitur ratum stantibus eisdem conditionibus extremorum: sed non ratum pro tunc, pro quando fortius vinculum superueniret, cui obseruantia istius vinculi repugnaret.

COMMENTARIVS.

1 *Sententia Richardi.*

b HIc *sunt duo videnda*, &c. In hoc articulo reiicit primùm sententiam Richardi, & resoluit duo dubia, quæ mouet in corpore. Sententia autem Richardi *in hac distinct. artic.* 1. *q.* 3. est matrimonium infidelium excusare à culpa concubitum eorum, non tamen in eo inueniri bonum matrimonij completè; quia in eo non est bonum fidei, neque educatio prolis, aut bonum, neque Sacramentum, quia nec est in ipsis fides ad Deum, neque educatio prolis ad cultum diuinum, neque bonum Sacramenti, nisi secundùm *quid.* Sanctus etiam Thomas *in hac distinct. quæst. vnic. artic.* 2. asserit matrimonium infidelium, quod tendit tantùm ad perfectionem naturalem, esse matrimonium materialiter sumptum, & imperfectum, vt comparatur ad matrimonium fidelium; quod attingit finem gratiæ.

Doctor autem in proposito tenet conclusionem, quæ deduci potest ex his rationibus, quas affert Richardus, & ipse ex Richardo magis impugnat, quàm intentum Richardi: in infidelibus enim non inueniuntur illa bona fidei ad Deum, Sacramenti propriè dicti, aut Religiosæ educationis ipsius prolis. Cæterùm, quia destructo bono matrimonij, ad quod ordinatur eius institutio, destruitur & ipsum matrimonium, vt *suprà* visum est, videtur Doctor inde reiicere magis argumenta Richardi, quàm sententiam: quinimò & ipsam eius sententiam reiicit inquantùm ad completum matrimonium requirat bonum fidei in ordine ad Deum, Sacramenti propriè dicti, & educationis Religiosæ filiorum; nihil enim excusat copulam coniugum à peccato, nisi matrimonium, vt fundatur in 2 *Scopus Doctoris.* *Impugnatur.*

in contractu, iuxta primam eius institutionem. Si ergo secundùm Richardum excuset matrimonium infidelium copulam, nè sit fornicaria, & ex natura contractus, seu matrimonij, & non per accidens ex ignorantia, sequitur quòd matrimonium infidelium sit verum matrimonium, iuxta primam eius institutionem in officium naturæ, & secundariam post lapsum in remedium concupiscentiæ; quamuis in eo non reperiantur illa tria bona, quæ inueniuntur in matrimonio Christiano.

Matrimoniũ in esse contractus excusat copulam.

3 Secundò, in hæreticis non inuenitur fides ad Deum, neque educatio prolis in eadem fide, quæ radix est, & fundamentum salutis; in matrimonio catechumenorum non inuenitur bonum Sacramenti propriè dicti: vtrumque tamen est matrimonium, hæreticorum quidem ratum, & insolubile, ratione Baptismatis suscepti, sicut & eorum, qui Baptismo deficiunt ad Iudaismum, aut infidelitatem; matrimonium catechumenorum est matrimonium verum, sicut & infidelium, licèt non sit ratum, vt habetur *cap. Quanto, &c. de diuortijs*, vbi dicitur matrimonium inter infideles esse verum, licèt non ratum, nisi inter Christianos baptizatos.

4 c *Hæc non mouent, &c.* Reiicit rationes Richardi, eásque soluit; & solutio patet ex dictis, & ex litera, quæ plana est, & iis, quæ *suprà* tractauimus de bonis matrimonij, & an possit esse matrimonium inter impotentes *dist. 34. q. vnic.*

Quid sit bonum fidei.

Respondet ad primam rationem desumptam ex bono fidei, intelligi fidelitatem seruandam coniugi, quoad præceptum affirmatiuum, & negatiuum, prout superiùs explicuit, & hîc etiam patet ex Augustino *epistola ad Publicolam*; patet etiam ex natura contractus: quia fides intelligitur, qua coniunx tenetur alteri coniugi secundùm naturam contractus, & per iustitiam commutatiuam corporũ; nulla autem ex hoc contractu resultat obligatio specialis fidei diuinæ: ergo salua fidelitate saluatur fides, quæ per contractũ, & commutationem spectat ad matrimonium.

5 Ad secundam responsionem de bono prolis. Respondet esse in hoc matrimonio bonum prolis secundùm dictamen naturalis rationis, vel esse posse, quod sufficit: nam bonum prolis secundùm naturam, est illud, quod intrinsecum est contractui, vnde conditio huic repugnans, nempe propagationi, repugnat etiam contractui; bonum autem educationis est finis extrinsecus contractus, & obligat in debito tantùm: siue enim in euentu sequatur bona, vel mala educatio, aut contemptus eius, vt si proles exponatur, non tollit vinculum matrimonij, licèt sit peccatum; debitum enim præcepti transgressum non annullat contractum, quia non est contra substantiam eius illa transgressio, neque ipsum præceptum obligat ignorantem simpliciter, & inuincibiliter; obligat enim secundùm naturam, & modum cognitionis, seu regulæ.

Responsio ad secundam. Educatio prolis vt obliget.

Respondet ad tertiam rationem bonum Sacramenti non esse coniunctum matrimonio ex prima institutione: sed, vt aliàs *dist. 26.* dixit, concomitanter se habet: ex defectu ergo eius non tollitur matrimonium, iuxta primam institutionem, aut secundariam, vt est in officium scilicet, & remedium; licèt, vt habetur *cap. Quanto, &c. preallegato*, insolubilitas vinculi non sit rata, nisi in fidelibus, id est, omnino, & quolibet casu: quia excipitur casus conuersionis ad fidem alterius coniugis, vt mox dicetur.

Responsio ad tertiam rationem.

d *Sed duo alia sunt, quæ faciunt, &c.* Mouet duo dubia: primum est quomodo inter infideles possit celebrari contractus, qui ex ignorantia non innititur voluntati, aut legi diuinæ approbanti, vt procedit ex tali ignorantia contrahentium; vel quomodo saltem possit esse licitus, nisi in virtute approbationis domini superioris. Secundum dubium est, quomodo teneat matrimonium, cùm sit solubile, altero conuerso ad fidem, & altero indurato in sua infidelitate. 6

Dubia. Primum.

Secundum.

e *Sed ad primum istorum potest dici, &c.* Respondet Deum per legem vniuersalem indulsisse omnibus matrimonium, non solùm ad officium naturæ, vt fuit institutum in statu innocentiæ, sed etiam in remedium concupiscentiæ post lapsum, & sic licentiauit, & habilitauit omnes ad contractum, licèt infideles lapsi ignorarent in specie illam Dei legem, sicut & ipsum, quando se conuerterunt ad idola, & multitudinem Deorum: vtentes ergo hoc contractu, licèt nescirent legem Dei in particulari, non peccabant, sicut in aliis contractibus, qui lege firmantur superioris, modò contrahentes sint habiles, & seruent in re ipsa ea, quæ spectant ad substantiam contractus à lege, licèt ipsam legem nesciant, contractus erit validus: quia lex intendit seruari solemnitates, & formam præscriptam, non verò scientiam sui, quæ præsumitur in singulis supposita promulgatione sufficienti; non peccant, inquam, contrahentes obseruatis requisitis, modò existiment licitum esse contractum. Dicit prætereà vsum matrimonij in Gentibus deriuatum esse primùm à lege diuina, mox per consuetudinem & traditionem inoleuisse, & retentum esse, deficiente fide in Deum; quia contractus est de lege secundaria naturæ, ad quam inclinat, tam ipsa natura, quàm eius dictamen. Et hoc confirmant sententiæ Philosophorum Gentilium, quia matrimonium referebant in leges Societatis, propagationis, & inclinationem naturæ. De hac cognitione traditiua diximus *suprà* de regula pœnitentiæ, & cognoscendi peccatum lumine naturæ *dist. 14.* 7

Resolutio primi dubij.

Contractum valere cum ignorãtia legis vniuersalis.

Cognouerunt infideles legitimũ esse contractum.

Dicit secundò; *Esto quod nullo modo licitè transtulissent, de facto tamen illos transtulisse, & ex quo dominus superior habilitauit omnes ad contractum ex parte eius, erat fortè illa translatio licita, & ad minus aliqua, & ex parte contrahentium firma, & iusta, &c.* Hæc litera est aliquantùm obscura: nam si nullo modo licita, quomodo potest esse licita ex parte domini superioris ipsa translatio, aut iusta & firma ex parte contrahentium? Sed facilis est eius sensus: nam superiùs dixit infideles habuisse notitiam contractus veri, & legitimi per traditionem, & licèt non sciebant legem Dei, ex qua contractus ille firmabatur, & institutus fuit; tamen sciebant contractum valere ex vsu, & traditione, quod sufficiebat, quando reliqua seruabantur ad valorem necessaria, ac proinde habuerunt regulam, ex qua iudicarent positiuè contractum fuisse licitum. Hic autem, quando dicit, etiamsi nescirent contractum esse vllo modo licitum, intelligit etiamsi non haberent regulam extrinsecam cognitam, per quam scirent approbari contractum; eo tamen ipso, quo iudicabant non esse illicitum, licèt non scirent vllo modo esse licitum, id est, lege aliqua superiori approbatum, licitè contrahebant supposita potestate facta à Deo contrahendi, quam ipsi non cognoscebant ex hypothesi ignorantiæ (quam tamen non admittit 8

Secunda responsio.

Explicatur dicta responsio.

mittit Doctor, sed hæc dicit ad confirmationem superioris responsionis à loco à maiori ad minus) licèt etiam non cognoscerent esse illicitum, aut prohibitum, tenebat translatio in virtute legis superioris, & sic fuit rata vt subiecta legi Dei.

9 *Fuit etiam stabilis & iusta*, ex voluntate contrahentium, *licèt non completa*, inquit, *tamen non iniusta fuit*, si cætera seruabant, quæ cognoscebant esse de æquitate iustitiæ commutatiuæ in contractu; dicit non fuisse completam: quia vt *suprà distinct. 33. quæst. 3.* docet legem diuinam instituentem hunc contractum spectare ad complementum iustitiæ in ipso seruandæ, quæ alioquin, vt spectatur æqualitas medij in commutatione ipsa, vt procedit à mutuo consensu contrahentium, & secundùm dictamen naturæ, est iusta; quamuis in ignorantibus legem positiuam Dei, quæ dat formam, & stabilitatem contractui, non fuit completa hoc modo, vt procedit contractus à voluntate contrahentium per regulam generalem iustitiæ commutatiuæ cum ignorantia absoluta legis diuinæ; quia cæteri contractus ex consensu partium dissoluuntur, licèt aliàs ex forma ipsius contractus erant perpetui, & ex voluntate contrahentium, nisi lex superior aliud disposuerit.

Completa iustitia matrimonij.

Cæterùm hæc ignorantia non tollit, quin contractus teneret etiam ex vi legis superioris, & esset ratus, quæ lex, vt afficit contractum, supplet ignorantiam contrahentium. Vnde si contraherent ad tempus tantùm matrimonium, aut si mulier contraheret cum pluribus simul ex ignorantia legis, non validat contractum, licèt contrahentes in tali ignorantia, si dari posset, inuincibili, non peccarent. Hinc adducit Doctor illam exceptionē, quā dicit aliqua fuisse valida, nempe illa matrimonia, quæ seruabant in reipsa omnia præscripta à lege diuina: dubium enim nō est inter Gentiles plurima matrimonia fieri irrita, quia fiunt contra illā legem.

Lex supplet ignorantiam particularem contrahentium.

10 Sed petes cur non dicat Doctor hæc matrimonia seruatis reliquis esse absolutè valida; sed fortè esse valida.

Interrogatio.

Respondetur rectè eum dubitare, non quòd matrimonia seruatis omnibus requisitis non sint valida: sed dubitat an matrimonia talia cum omni ignorantia legis diuinæ in seipsa, aut per traditionem aliquam, facta possint seruare omnia requisita ad substantiam contractus, & debitum consensum cum omni ignorantia regulæ, per quam ille consensus deberet regulari, & ex qua deberet concipi in specie. Hinc dicit fortè aliqua fore valida; consensus enim vt teneat, debet esse liber, & secundùm aliquam regulam, quæ dictat omnia per se requisita ad ipsum contractum; aliàs non erit consensus idoneus inducens obligationem in specie. Vnde supposita ignorantia legis diuinæ, quæ dat formam, & stabilitatem contractui, regulatur tantùm contractus per lumen naturale, & regulas communes iustitiæ commutatiuæ; & tenebit tantùm iuxta naturam præsentis consensus, cui si subsit dolus, aut deceptio notabilis etiam in qualitate, aut si retractetur ex communi partium consensu, erit nullus ex communibus regulis iustitiæ: quia sortitur legem & insolubilitatem ex natura consensus vt regulati per tales regulas, suspenso consensu ex intentione contrahentis ad eas conditiones, quæ, etsi Iure diuino non vitient contractum: tamen vt refertur ad intentionem contrahentis non consentientis aliter, quàm seruata illa conditione, non tenebit.

Cur dubitauerit de valore matrimonij quorūdam infidelium.

Dices legem diuinam excludere eiusmodi conditiones: ergo iis appositis non vitiatur. 11

Replica.

Respondetur legem diuinam excludere eiusmodi conditiones aliquas; exigere tamen consensum absolutum in ipsum contractum. vnde, dum consensus inhæret conditioni, nequit dici absolutus, sed conditionatus, & suspenditur donec conditio purificetur, qua subtracta, ex natura consensus fit nullus. Possunt etiam matrimonia iniri ex tali ignorantia cum conditionibus irritantibus Iure ipso diuino contractum, vt si sint contra substantiam, aut finem eius, vel inter personas Iure diuino inhabiles ad contractum, vt inter impotentes, & eiusmodi. Illa ergò exceptio Doctoris excludit eiusmodi contractus, qui ex defectu consensus necessarij inter infideles esse possunt ob ignorantiam, vel quia apponere possunt conditiones contra substantiam contractus; vel quia ipsi sunt inhabiles ad contractum Iure diuino, & ideò addit necessariò deberi seruari, vt contractus esset ratus.

Soluitur.

f *Ad secundum, rata erant nisi superueniret aliquod*, &c. Respondet ad secundum dubium propositum; dicit primò matrimonia inter infideles fuisse rata, id est, insolubilia seruatis seruandis, & perseuerando in illo statu: non intelligit fuisse rata eo modo quo *cap. Quanto, &c. de diuortijs*, dicuntur matrimonia fidelium esse rata, ad distinctionem matrimonij infidelium, & intendit de matrimonio consummato, sed intelligit rata ex vi legis superioris, qua indissolubilitas matrimonij ex prima institutione constat. Paulus etiam permittit coniugem fidelem permanere cum infideli, 1. *ad Corinth.* 7. quod nullo modò permitteret nisi matrimonium constaret. Patet *ex cap.* 19. *Matthæi*, & ex aliàs dictis *suprà* de vinculo matrimonij. 12

Responsio ad secūdum dubium.

Quomodo rata sunt?

Secundò, dicit esse matrimonium ratum, & firmum, seruatis iisdem conditionibus extremorum. Tertiò, dicit solui per couersionem alterius ad fidem, quando infidelis non vult cohabitare fideli sine fidei iniuria, 1. ad Corinth. 7. *Quòd si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi, &c.* soluitur ergo matrimonium si infidelis cohabitare non velit; soluitur etiam si habitare non vult cum fideli sine iniuria creatoris, aut sine periculo subuersionis ipsius fidelis, alliciendo eum ad peccatum, vt patet *cap. Simili modo, &c. cap. Si vxor, &c. 28. quæst. 1. cap. Infidelis, &c. eod. q. 2. cap. Idololatria, &c. cap. Non solùm, &c. quæst. 1. cap. Quanto, &c. & cap. Gaudemus, &c. de diuortijs.* Quòd si extra hos casus se separauerit fidelis ab infideli coniuge, tenetur ad cælibatum: quia matrimonium prius tenet, vbi vinculum fortiùs repugnans eidem non superuenit, intuitu autem fidei, & ex priuilegio Christi datur libertas ineundi aliud matrimonium; quando ergo causa fidei non subest, non potest extendi priuilegium, aut quando non est contumelia creatoris, aut periculum peccati mortalis infideli cohabitante infideli ad hæc sollicitanti. Idem dicendum, si aliàs infidelis non ex his causis nolit cohabitare, sed propter culpam fidelis, vt quia violauit iura thori per adulterium, quo casu non soluitur matrimonium. 13

Matrimoniū infideliū solui per cōuersionem ad fidem in casu.

Extra casum tenet.

SCHO

SCHOLIVM.

Matrimonium inter fidelem, & infidelem esse absolutè possibile (& de facto sæpè est, quando initum fuit, dum ambo essent infideles) tamen Iure Ecclesiæ redditur nullum, quod inter tales contrahitur, & hoc valdè congruè, 28. *q.*1. *cap.* Sic enim. & *cap.* Caue.

De [g] secundo articulo, aliud est esse inter aliquos matrimonium, vel contrahi simpliciter, & absolutè: & aliud licitè, & honestè. Posse autem esse matrimonium inter fidelem, & infidelem primo modo, necesse est dicere, & etiam secundo. Probatur vtrumque per illud Apostoli, *Vir fidelis non dimittat vxorem infidelem, quæ consentit habitare cum eo:* si enim non esset matrimonium, suaderet fornicationem; si autem non esset hoc licitum, & honestum, Apostolus non consuleret. Sic igitur patet qualiter potest esse matrimonium inter fidelem, & infidelem; & rationes adductæ ad primum articulum, possent adduci contra istud: sed patet priùs earum solutio. 5

Possibile est matrimoniũ esse inter fidelem, & infidelem.

Nunquid igitur potest contrahi? Respondeo quòd sic, quantùm est ex Iure diuino: quia ex illo non magis habetur, quòd contractus sit nullus, quàm quòd obligatio ex contractu priori sit nulla: quia non posito nouo impedimento, qui potest esse alterius, potest se dare alteri [h]. Sed de Iure positiuo Ecclesiæ simpliciter non potest: quia Ecclesia illegitimauit fidelem, non simpliciter, sed respectu infidelis, sicut patet in auctoritate adducta ad oppositum, 28. *quæst.*1.

Matrimonium fidelis cum infideli Iure Ecclesiæ nullum est.

Hoc autem Ecclesia rationabiliter ordinauit, quia hoc non potest congruè, & honestè fieri: & ad hoc valent aliquæ rationes adductæ ad primum articulum: non enim est honestum fidelem contrahere cum aliquo, vbi deficiat bonum prolis completum, quod est educatio ad cultum veri Dei: nec honestum est fidelem contrahere, cui contractui non sit annexum Sacramentum fidei Christianæ: & etiam vbi non sit bonum Sacramenti, id est, indissolubilitas: quia coniugium Christianorum natum est habere hæc bona.

Congruentia prohibitionis huiusmodi.

Si quæris, quare Apostolus suadet matrimonium inter infideles contractum esse seruandum post conuersionem alterius: si enim propter aliquem bonum finem honestè seruatur: igitur propter eundem posset honestè contrahi. Respondeo, causa Apostoli patet ibi. *Saluabitur*, inquit, *vir infidelis per mulierem fidelem:* igitur seruare matrimonium priùs contractum, est occasio conuertendi coniugem infidelem; cessante autem euidenter causa illa, non debent insimul commanere: vt puta, si non consentit habitare cum conuerso; vel non sine iniuria creatoris, blasphemando scilicet, vel sollicitando conuersum ad infidelitatem: vitanda est enim tam singularis familiaritas cum quocumque contrariæ sectæ, nisi propter maius bonum. 6

Ad propositum autem, contrahere de nouo cum infideli non est occasio probabilis ad expectandum tantum bonum, scilicet conuersionem eius: quia multum amans coniugium, multa & magna faceret, vt illud attingeret quæ non esset facturus ipso adepto: & ideò si iste non vult conuerti in primo, vt possit habere coniugium cum Christiana non est probabile, quòd ista posteà lucretur eum, sed magis è conuerso: quia ille videtur abducere istam: & ideò cessat ratio tantæ familiaritatis ad infidelem, & manet ratio fugiendi illam familiaritatem: & ideò idem Apostolus, qui consuluit manere conuersum cum non conuersa; dissuasit contrahere fidelem cum infideli, sicut argutum est ad oppositum.

Ad [i] argumenta. Ad primas duas auctoritates, dico quòd non fuit tunc ista lex positiua illegitimans fidelem respectu infidelis. Si arguas, saltem illa ratio naturalis tunc fuit, quæ nunc est ratio illegitimandi? Respondeo, in illis casibus, de quibus nunc arguitur, fortè erat probabile, quòd fidelis lucraretur infidelem: vel erat necessitas fugiendi maius inconueniens cum certa confidentia de adiutorio diuino, quòd fidelis non subuerteretur per infidelem: & ita liceret hodie, nisi esset illegitimatio Ecclesiæ superaddita. Vnde non oportet ordinationem Ecclesiæ fundari super naturalem rationem necessariam: sed sufficit, quòd super probabilem. 7

Ad arg. 1. & 2.

Ad aliud, non fuit prohibitum tempore legis Mosaïcæ coniugium cum alienigenis, nisi cum illis Chananæis: illos enim voluit Deus ex toto extirpari, ideò Esther non illicitè nupsit Assuero.

Ad 3.

Ad illud de Salomone, concedo quòd ipse, sicut pessimus, & ingratissimus homo, Deo suo, non solùm in hoc peccauit, quia alienigenas duxit contra legem, etiam de gentibus specialiter prohibitis: sed etiam in multitudine mulierum: siquidem ha- 8

Ad 4.

* Al. translationem. buit secundùm vnam * literam 700. vxores quasi reginas, & 300. concubinas, cùm tamen diceret lex specialiter de Rege, Deuter. c. 17. *Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius.* quod fortè specialiter dixit Moyses propter malitiam istius præuisam; vt si non compesceretur, saltem confunderetur, ne alij etiam cum imitarentur: & quod peius est, copulatus est eis amore ardentissimo, in tantum, vt faceret eis idola, & templa ad colendum Deos suos. vnde non sine causa subiunxit Moses, vt suprà, *quæ alliciant animum eius.* & hæc omnia aggrauat singularis ingratitudo sapientiæ eminentis sibi subito à Deo concessæ, ita quòd ista auctoritas non requirit responsionem, sed solam detestationem.

Ad vltimum, patet ex secundo articulo qualiter licet seruare matrimonium contractum cum infideli: nec tamen contrahere, quia non est eadem ratio vtrobique.

COMMENTARIVS.

14 *Articulus secundus. Ius diuinum non irritat matrimoniũ fidelis cũ infideli.* g De *secundo articulo aliud est esse inter aliquos*, &c. Resoluit in hoc secundo articulo matrimonium posse esse licitum, & validum inter fidelem, & infidelem, quantùm est de Iure diuino, quod optimè probat ex verbis Apostoli ex inconuenienti subiuncto: & patet ex iam dictis in litera præcedenti; & præterea, quia matrimonium contractum inter infideles manet, modò non conuersus cohabitet sine iniuria Dei, aut periculo conuersi, vt patet ex Paulo: sed ex Iure diuino matrimonij non magis habetur, quòd contractus nouus sit nullus inter fidelem, & infidelem, quàm quòd per conuersionem alterius irritetur prior contractus: quia non posito nouo impedimento qui potest esse alterius coniux, per priorem contractum adhuc perseuerantem, potest etiam per contractum de præsenti se alteri tradere: ergo, &c.

15 *Secunda conclusio, esse inualidum Iure Ecclesiastico.* h *Sed de Iure positiuo Ecclesiæ*, &c. Hæc est secunda conclusio, in qua dicit contractum de præsenti inter fidelem, & infidelem, licèt non sit inualidus de Iure diuino: esse tamen nullum de Iure positiuo Ecclesiæ inhabilitantis fidelem ad contractum respectiuè ad infidelem. Hæc conclusio est communis Theologorum, & Canonistarum, præter paucos, qui censent matrimonium hoc nullum esse Iure diuino. *Opinio contraria paucorum.* Ita Viguerius *Instit. cap.* 16. §. 7. Paulus Grilandus *de pœnis omnifariam coitus, quæst.* 12. *n.* 4. negans Pontificem in hoc dispensare posse. Catherinus *lib.* 5. *contra Caietanum, cap. de matrimonio.* Contrarium, vt dixi, docent Theologi *in hac distinctione*, vt D. Bonauentura *artic.* 1. *quæst.* 1. *Communiter tenetur conclusio.* Richardus *ibidem.* Durandus *quæst.* 1. *n.* 8. Ex nostris Mayrones *quæst. vnic.* Rubion *quæst.* 1. *artic.* 2. Bassolis *q. vnic.* Orbellis *ibidem.* Vorilon. *artic.* 2. Nissa *tract.* 6. *part.* 3. *de matrimonio, quæst.* 6. *conclus.* 3. Sotus *quæst.* 2. *art.* 2. *conclus.* 3. & reliqui, sicut & Summistæ. Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. c.* 23. *conclus.* 2. Henriquez *lib.* 12. *de matrimonio, c.* 13. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 71. *num.* 7. & 8.

16 *Probatio.* Probatur ratione Doctoris, quia matrimonium infidelium, conuerso altero coniugum ad fidem, est validum, & permanens, seclusa exceptione speciali in casibus præmissis, quos excipiunt Pontifices, & Canones: ergo etiam matrimonium fidelis cum infideli secluso Iure Ecclesiastico tenebit. *Nõ obstat disparitas cultus.* Probatur consequentia, quia nullum superuenit impedimentum præter disparitatem cultus; hæc autem disparitas cultus perinde obstat priori matrimonio, quod constat ex Paulo esse validum, seu manere post conuersionem alterius coniugis: *Vir fidelis non dimittat vxorem infidelem, quæ consentit habitare cum eo*, &c. & patet ex Decretis *suprà* allegatis, &c. ergo etiam quantùm ad Ius diuinum non irritat matrimonium de præsenti fidelis cum infideli ex dispari cultu. Patet consequentia, quia fides eatenus statueret impedimentum, quatenus aduersatur contractui, & vinculo eius, & sit fortiùs obligans, quàm vinculum matrimonij: ergo quando nullum statuit impedimentum vinculo matrimonij, aut etiam bono eius, cum quo nequiret stare matrimoniũ, aut obligatio ex eo inducta, non repugnat matrimonio, neque matrimonium ipsi, quia debitum, fides, & bonum prolis, quantùm ad educationem potest stare cum tali matrimonio in primo casu: ergo etiam in secundo casu. *Bona matrimonij non repugnant.* Quando autem diuersarum virtutum præcepta concurrunt, quæ nullo modo aduersantur, ex actu, & obligatione alterius, nullum statuitur impedimentum alteri, ac proinde neque alterum suspendet, aut tollit obligationem alterius, neque reddit subiectum, seu personam incapacem talis obligationis. *Regula de concurrentia diuersorum præceptorum.* Iure autem diuino, vt supponimus, nullus est incapax matrimonij ex hoc impedimento, nisi vt fides aduersatur matrimonio, aut bonum matrimonij bono fidei; ita vt simul nequeant stare: in casibus autem superiùs enumeratis, tantùm inuenitur talis repugnantia; ac proinde ea sublata potest aliàs habilis ad contractum illum inire.

Confirmatur, quia aliàs si fides statueret impedimentum, vel esset ex priuilegio Christi dato specialiter fidei contra iura matrimonij dispensata per Christum in fauorem fidei, & libertatem contrahentium, seu capacitatem huius vinculi aliàs ipsis conuenientem diuino Iure, & lege contractus, vt primùm fuit institutus; vel certè prima institutio ab initio hanc exceptionem comprehenderet: sed neutrum horum dici potest. 17 *Confirmatio.* Non primum, quia & Canones excipiunt casus particulares, in quibus matrimonium initum aliàs soluitur in fauorem fidei: ergo supponunt seclusis illis casibus non pati exceptionem, & esse validum, & personas non reddi incapaces ob fidem alterius, vel infidelitatem. *Exceptio Canonum supponit extra casu valere cõtractum.* Neque secundum dici potest, quia Iudæi in statu legis antiquæ contrahebant cum infidelibus, vt Esther cum Assuero, Ioseph cum filia Putipharis, Moyses cum filia Iethro Æthiopissa, Iacob cum filiabus Laban, qui tamen erat Gentilis, & idolis seruiens; & pluribus aliis exemplis patet. *Exempla matrimonij cum infidelibus.* In nouo etiam Testamento illa matrimonia erant frequentia, vt docet Hieronymus *contra Iouinianum, lib.* 1. Augustinus *de fide & operibus, cap.* 19. & Canones posteriores id vetantes supponunt.

18 *Obiectio.* Ex his sequitur altera pars conclusionis: nempe hoc impedimentum esse Iuris Ecclesiastici.

Sed obiiciunt prioris sententiæ defensores, nullibi inueniri hanc legem inter Canones, quia 28. *quæst.* 1. *&* 2. vbi potissimùm de hac materia agitur, non inuenitur, nisi vel separatio coniugum facienda, quæ aliquando etiam fiebat in pœnam transgressionis, & non in declarationem nullitatis matrimonij contracti, & prohibitio, eodémque tenore loquuntur Canones de matrimonio Iudæorum, infidelium, & hæreticorum. Inter hæreticos autem non fit matrimonium nullum ex Decreto aliquo Ecclesiæ, aut diuino, quamuis eadem forma verborum matrimonia fidelium cum ipsis reprobentur.

Responsio aliorum. Respondent Sotus, Bellarminus, Valentia, impedimentum hoc non fuisse statutum aliqua lege vniuersali Ecclesiæ: sed ipsa consuetudine quadringentis ab hinc annis inducta.

19 *Nō sola consuetudine, sed etiam statuto fuisse inductum impedimentum.* Cæterùm meliùs dicitur illis Canonibus, qui separationem indicunt hoc impedimētum fuisse statutum, neque refert quòd separatio aliquando ex culpa fiebat, aut quòd Canones comprehendant etiam hæreticos in simili forma verborum: quia consuetudo Ecclesiæ est sufficiens interpres Canonum, & sensus eorum ex subiecta materia eiúsque diuersitate haberi potest. *Canon Niceni.* Extat Canon Niceni 67. & aggrauat pœnam contra eos, qui contrahunt cum infidelibus, supra pœnam, quam præscribit ducenti secundam vxorem viuente priore, in quo casu matrimonium communi sententia est nullum. *Quicumque*, inquit, *duas mulieres in matrimonium acceperit, ipse cum secunda excommunicetur: & quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque ex Ecclesia eijciatur, quæ si pœnitentiam egerit maleficij, & cùm virum, quem habere non poterat*, id est, infidelem, *dimiserit, non est recipienda nisi eo modo, quo recipitur, qui postquàm fidem negauit, ad fidem reuertitur; debétque ipsa infidelem relinquere*, &c. Pœna autem Apostatarum ad infidelitatē erat grauissima, & negabatur eis communio in fine, vt patet ex Canone Eliberitani Concilij. Notanda præterea illa verba Niceni, *& cùm virum, quem habere non poterat*, id est, infidelem, *dimiserit*, &c. quæ verba sonant matrimonij nullitatem, quamuis autem in aliquibus *Canon Niceni ignoratus ab Africanis.* partibus non fuit receptus hic Canon Niceni, ob ignorantiam, vt in Africa, & aliis locis, fuerunt rata, vel consuetudine contraria abrogante vim legis, vel ea non recepta ex ignorantia Canonis, vel concedentibus, & permittentibus Prælatis talia matrimonia.

20 *Decreta aliorū Canonum.* Cæterùm alia Concilia aduertendo damnum, & pericula huius contractus cum infidelibus, & Iudæis, id inhibuerunt, Carthaginense III. prohibuit clericis filias suas nuptui dare infidelibus *cap.* 12. Aurelianense II. *cap.* 19. prohibet matrimonium cum Iudæis non conuersis, & indicit separationem facti. Aurelianense III. *cap.* 13. Aruernense *cap.* 6. Meldense *can.* 73. *& in cap. Theodosiano lib.* 5. *de adult.* hoc matrimonium pœna adulterij plectitur; quæ constitutio videtur supponere legem Ecclesiæ irritantem talem contractum. *Cum hæreticis aliquando nullum erat matrimoniū.* Aliqui etiam non improbabiliter docent cum hæreticis, aliquibus in locis, matrimonium ex Decreto Ecclesiæ fuisse quandoque nullum, vt insinuat Canon Trulanus 72. qui includitur in Canone 67. Laodiceni, & indicat Theodorus Balsamon in priorem Canonem, & *in nono Canone, tit.* 12. *cap.* 13. hanc praxim docet viguisse in Græcia non ex alio capite, quàm ex Canonibus antiquis inhabilitantibus personas ad contractum fidelis quidem respectiuè ad infideles, & Iudæos; sed prætereà baptizatos hæreticos, & fideles vtrinque comprehendētes, damnat præfatus Author Iberos, qui connubium inibant cum Saracenis. Vnde colligi rectè poterit hanc legem irritantem matrimonia fidelium cum Gentilibus, & Iudæis, anteriorem esse præscripto tempore à Doctoribus *suprà* citatis.

Congruentiam huius legis rectè probat Doctor à fine matrimonij fidelium, quem debent *Congruentia legis latæ.* in hoc contractu prætendere, iuxta argumenta Richardi, quæ superiùs impugnauit *artic.* 1. vt militant contra contractum inter infideles in statu infidelitatis. vide §. *Hoc autem Ecclesia*, &c.

Si quæris quare Apostolus, &c. Mouet dubium, 21 quare Apostolus suadeat fidelem conuersum *Dubium.* manere cum infideli, qui cohabitat sine iniuria creatoris, & non ita inire matrimonium cùm infideli: sed potiùs vetat 2. ad Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio lucis ad tenebras, aut quæ pars fidelis cum infideli?* &c. Huius disparitatis optimam assignat ra- *Resoluitur.* tionem in litera ex Apostolo propter spem lucrandi infidelem, societatem illam debere continuari, nisi subsit periculum; aliàs separari debere, si nequeat conseruari sine iniuria creatoris; non excusari autem societatem, quando prædicta spes non subest. In coniugio autē fidelis cum infideli contracto post Baptismum non subesse illam spem, quia quod non concedit infidelis intuitu matrimonij ineundi, non est expectandum post matrimonium iam initum: quia magis affectatur ineundum, quàm iam initum, regulariter loquendo. Proinde nullus finis excusat societatem, quæ alioquin est vetita in secundo casu. Huc spectant rationes, quibus hoc connubium Iure diuino est illicitum, vt patet *Deu-* *Iure diuino connubiū hoc est illicitum cum infideli.* *teron.* 7. *Exodi* 34. 3. *Reg.* 11. *ex canone* 16. *Eliberitani Concilij.* ex Augustin. *lib.* 1. *de adulterinis coniug. cap.* 13. 14. 18. *&* 25. tenet Tertullianus *lib.* 2. *ad vxorem.* Hieronymus *lib.* 1. *contra Iouinianum.* Theodoret. Theophylactus *in* 1. *ad Cor. cap.* 7. in illa, *Quòd si vir eius dormierit, cui vult nubat in Domino*, &c. Vbi etiam D. Thomas, Sedulius, Anselmus. Vitandam ergo hanc *Societas interdicta.* familiaritatem singularem, quæ est summæ coniunctionis, cum quocumque contrariæ sectæ, rectè monet Doctor, nisi propter maius bonum, quod ex connubio cum infideli nequit esse regulariter. Hinc etiam patet, qua ratione tolere- *Connubium cum hæreticis toleratum.* tur coniunctio cum hæreticis, vt fiat licitè, vbi mixtim viuunt, nempe ob bonum Reipublicæ, & pacem, & communionem inter membra eius, secluso periculo subuersionis.

i *Ad argumenta. Ad primas duas auctoritates*, &c. Illæ sunt ab exemplo Moysis, & Ioseph, 22 *Ad argumēta principalia.* qui duxerunt Gentiles.

Responsio. Respondet eo tempore non fuisse legem, quæ illegitimaret personas ad contractum, & ita etiamnum coniugium cum infideli esset ratum, nisi obstaret hæc lex. Et si dicas fuisse periculum subuersionis. Respondetur in illis non fuisse tale periculum; & addit ad ferendam le-

Periculū probabile sufficit ad legem statuendam. gem positiuam, qua submoueatur periculum, non requiri, vt periculum sit certum, scilicet ineuitabile, & in omnibus,& singulis; sed sufficere esse probabile, id est, vt in pluribus, & secundùm existimationem prudentum, & vt contingit sæpiùs in praxi.

Ad tertiam auctoritatem, quæ est de matrimonio Esther cum Assuero, & inhibitione Iudæorum quoad contractum cum alienigenis.

Prohibitio in lege comprehendit Chananaos. Respondet intelligi quoad gentes, quæ erant in terra Chanam, scilicet de Chananæis, in quibus erat periculum subuersionis, & ad alias etiam extendebatur, similitudine rationis, vbi tale periculum esset certum, aut probabile, non aliter.

Ad quartum, quod est ex facto Salomonis.

23 *Peccatū Salomonis.* Respondet eum peccasse, quia & alienigenas duxit promiscuè, ex iis Gentibus etiam, quibus cum non licebat Iudæis connubium, vt docet & Irenæus *lib*.4. Peccauit etiam in multitudine vxorum contra præceptum *Deuteronomij cap*.17. & Augustinus *quæst*.27. *& lib*.4. *de ciuit. cap*.45. *lib*.17. *cap*. 8. Glossa, Hugo, & alij; Numerus autem vxorum & concubinarum sumitur *ex lib*.3.*Reg*. & hanc literam citat Doctor. *Canticorum* autem 6.*&* 7. Reginæ dicuntur 60.concubinæ 80.Peccauit etiam Salomon ex amore inordinato vxorum,& mulierum,quo ipsis ardenter adhæsit,vt lapsus fuerit in idololatriam;& licèt duxerit filiam Pharaonis ante lapsum, vt communiter docetur: tamen quia ei mox condescendit, in peccatum Idololatriæ lapsus est. *Numerus vxorum eius.*

Ad vltimum patet ex dictis *in primo articulo*, posse conuersum retinere coniugem infidelem, modò sine periculo cohabitet, aut iniuria creatoris; contrarium verò est, si hæc adsint. Quod autem adducit in argumento in oppositum *ex lib.Esdra,cap*.9.intelligitur quoad Gentiles vxores, cum quibus connubium Iudæis erat inhibitum.

DISTINCTIO XL.

De cognatione carnali, & spirituali.

A NVNC superest de cognatione aliquid dicere. Est autem cognatio alia carnalis,alia spiritualis.Primum de carnali cognatione, & affinitate inspiciamus. Cognati ergo, vel affines in septimo gradu, vel infrà,copulari non debent. Vnde Gregorius, [Progeniem suam vnumquemque vsque ad septimam obseruare decernimus generationem, & quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad coniugalem copulam accedere denegamus, quod si fecerint, separentur.] Item Nicolaus Papa, [De consanguinitate sua nullus vxorem ducat vsque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest.] Item, [Nulli ex propinquitate sui sanguinis vsque ad septimum gradum vxores ducant.] His auctoritatibus, aliisque pluribus, consanguineorum coniunctiones prohibentur vsque ad septimum gradum.

Gregor. lib. 12. *regist. epist*.31.*ad Episcopum Siciliæ, &* 35.*quæst*.3. *cap*.Progeniē suam. *Ibid. c.* De cōsanguinitate. *Ex Concil. Lugdunēsi, ibi.c.*Nulli.

De computatione graduum consanguinitatis.

B QVomodo autem gradus consanguinitatis computandi sint, Isidorus ostendit sic, [Series consanguinitatis sex gradibus dirimitur, hoc modo: Filius & filia, quod est frater & soror, sit ipse truncus. Illis seorsum seiunctis,ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos & neptis, primus: Pronepos & proneptis, secundus: Abnepos & abneptis, tertius: Adnepos & adneptis, quartus: Trinepos & trineptis, quintus: Trinepotis nepos, & Trineptis neptis, sextus.] Attende quòd sex gradus tantùm ponit Isidorus, quia truncum inter gradus non computat. Alij verò, qui septem gradus ponunt, truncum inter gradus computant. Variè namque computantur gradus consanguinitatis. Alij enim patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alij primum gradum filios appellant, negantes gradum cognationis inter patrem & filium esse, cùm vna caro sint pater

Lib. 9. *etymol. cap.* 5. *&* 6.*& habetur* 35. *q.* 5. *c.* Series.

35.*quæst*.3. Contradicimus.

&

& filius. Auctoritates ergo, quæ consanguinitatis cautelam vsque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu. Illæ verò, quæ vsque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant. Atque ita fit, vt eædem personæ, secundùm hanc diuersitatem, inueniantur in sexto, & septimo gradu. Patrem verò in primo gradu ponit, qui fratres dicit esse secundum gradum. Hoc modo computat Zacharias Papa, inquiens, Parentelæ gradus taliter computamus, Ego & frater meus vna generatio sumus, primúmque gradum efficimus. Rursus, filius meus, & fratris mei filius secunda generatio sunt, & secundum gradum faciunt: atque ad hunc modum cæteræ successiones. Inter illos verò, qui sex computant gradus, & illos qui septem computant gradus, nulla in sensu existit diuersitas, quamuis in numero graduum varietas videatur. Vltima enim generatio si à fratribus sumat initium numerandi, septima inuenitur. *Ibid. c. Parentelæ.*

Quare sex gradus computantur?

QVare verò sex computet Isidorus, ipse aperit, dicens, [Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens vsque ad vltimum gradum protraxerit, & propinquitas esse desierit, tunc primum lex in matrimonij vinculum eam recipiet, & quodammodò incipiet reuocare fugientem. Ideò autem vsque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, vt sicut sex ætatibus mundi generatio, & hominis status finitur: ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.] In his sex gradibus omnia propinquitatum nomina continentur: vltra quos nec affinitas inueniri, nec successio potest ampliùs prorogari. Secundùm alios, septem gradus ideò computantur, ita vt post septem gradus sponsus sponsæ iungatur, sicut post hanc vitam, quæ septem diebus agitur, Ecclesia Christo iungetur. His autem occurrit illud, quod Gregorius Augustino Anglorum Episcopo, à quo requisitus fuerat, quota generatione debeant copulari, rescribit sic: [Quædam lex Romana permittit, vt siue fratris, vel sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius, & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Vnde necesse est, vt quarta, vel quinta generatio fidelium licenter sibi coniungatur.] Sed post multum temporis idem Gregorius à Felice Messanæ ciuitatis Siciliæ præside requisitus, Vtrùm Augustino scripserit, vt Anglorum quarta generatione contracta matrimonia non soluerentur, inter cætera talem reddit rationem, [Quod scripsi Augustino Anglorum Episcopo, ipsi etiam Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo austeriora, recederet, specialiter, & non generaliter me agnoscas scripsisse. Nec ideò hæc eis scripsi, vt postquàm in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inuenti fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est, vsque ad septimam generationem iungantur.]

C

Isid. lib. 9. etym. cap. 6. & habetur 25. quæst. 4. c. Consanguinitas.

Quare septem?

De dispensatione Gregor. in resp. ad 5. interrog. in fine. 35. quæst. 3. c. Quędam lex Romana.

Lib. 12. regist. in epist. ad Felicem, & est 31. in ordine.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm cognatio carnalis impediat matrimonium?

D.Thom.*in addit.q.54.art.2.& hic q.1.art.2.* D.Bonauent.*art.1.q.2.* Richardus *art.1.q.2.* Durand.*q.1.* Sotus *quæst.vnic.* Couar.4.*Decret.c.6.§.6.* Paludanus *quæst.vnic.* Summistæ, *v.* Affinitas. Sanchius *lib.7.disput.50. & tribus seqq.*

1 *Argum.1.* CIRCA istam quadragesimam distinctionem quæro: Vtrùm cognatio carnalis impediat matrimonium? Quòd non: quia matrimonium videtur strictissimè seruatum, & seruandum fuisse in lege naturæ: sed Cain contraxit cum sorore sua, & contraxisset etiam in statu innocentiæ, quia *Genes. 2.* cum aliqua contraxisset ex præcepto illo, *Crescite*, &c. non autem cum matre, ex illo verbo, *Relinquet homo patrem & matrem*, nè scilicet iungatur eis matrimonialiter: & nulla fuisset alia, nisi soror; quia filia Adæ: ergo.

Argum.2. Præterea, amicitia firmat domum: igitur confert ad coniugium: sed consanguinei specialiori amore afficiuntur ad se, quàm ad alios.

Argum.3. Item, non est contra aliquod bonum matrimonij; patet discurrendo: ergo, &c.

Ratio ad opp. Oppositum, *Leuit.* 18. excluduntur multæ personæ propter consanguinitatem. Item, Magister in litera, & Extrà de consanguinitate, *Non debet.*

SCHOLIVM.

Describit optimè consanguinitatem, stipitem, lineam triplicem, & gradum. Ponit duas regulas. Prima, in linea recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, minùs vna. Secunda, in linea transuersa, quoto gradu remotior distat à stipite, toto distat à quolibet descendente ab eodem, cap. Vir, *de consang. Vide Sanchium suprà exactè hæc discutientem.*

2 *Vide Isidor. 9. lib. etymol. cap. 5. Consanguinitas quid? Quid stipes, linea, & gradus?* HIc [a] præmittendæ sunt quædam descriptiones quorumdam nominum, & quædam regulæ: & secundò est soluenda quæstio [b]. De primo fit hæc prima descriptio. Consanguinitas est vinculum personarum ab eadem persona carnali propagatione descendentium. Secunda, persona à qua plures carnali propagatione descendunt, stipes vocatur. Tertia, linea consanguinitatis, est ordo personarum consanguinitate iunctarum.

Quarta, hæc linea diuiditur in ascendentem, & descendentem, & transuersalem. Linea descendens est à persona propagante ad propagatas, & ascendens, à propagato ad illas, à quibus descendit. Transuersalis est, quando ambæ personæ descendunt ab eadem, sed neutra ab altera. Quinta, gradus est determinata propinquitas personæ ad personam secundùm consanguinitatem: gradus enim propriè inuenitur in linea ascendente, & descendente: impropriè autem in linea transuersali.

Regula 1. Prima [c] regula est hæc, in linea recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, vna minùs. Hoc probatur, quia tot gradus, quot propagationes, cùm gradus sit habitudo, vel propinquitas inter personam, & personam: sunt autem personæ vna plures, quàm propagationes: quia præsupponitur toti collectioni aliqua ibi non propagata.

3 Secunda regula. In transuersali computantur gradus secundùm magis remotum à stipite, Extrà de consang. *Vir, qui à stipite, secundùm regulam approbatam quoto gradu remotior distat à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentem.* Et ratio huius est, quia personæ, quæ sunt in linea transuersali, non habent inter se propinquitatem, nisi ratione stipitis: & ideò non possunt inter se propinquiùs coniungi, quàm remotior eorum coniungatur stipiti.

Magis est cõtra naturam iũgi in primo gradu in linea recta, quàm transuersa. Ad propositum etiam est vna regula, quòd efficacior gradus est in linea descendente, quàm in transuersali: & ratio naturalis est, quia plus coniungitur proles parenti, quàm proles proli: & ideò magis est contra legem naturæ coniungi in primo gradu in linea recta, quàm in transuersali: semper enim fuit contra matrimonium illa coniunctio: & magis filij ad matrem, quàm patris ad filiam: quia maior irreuerentia est. vnde 8. *de animalibus*, dicit Aristoteles de equo, qui velatus cognouerat matrem suam, quod posteà discoopertis oculis, videns hoc, se præcipitauit. & alibi legitur

legitur de elephante, qui ingeniatus, vt matrem suam cognosceret, post hoc ingeniatorem occidit; ex quo patet quòd hoc est contra legem naturæ, etiam vt competit brutis per propagationem. & ideò primus gradus descendens, & potissimè matris ad filium, maximè impedit matrimonium.

COMMENTARIVS.

1 *Ordo, & diuisio.*

a HIc præmittendæ sunt, &c. Diuiditur in duos articulos hæc quæstio, in qua de impedimento cognationis carnalis. Primus continet tres descriptiones consanguinitatis, & distributionem graduum, & tres regulas generales. Secundus articulus resoluit quæstionem, docens qua lege inductum sit hoc impedimentum, & respondet ad argumenta in oppositum.

2 *Definitio consanguinitatis.* *Explicatur.*

b *De primo sit hæc prima descriptio*, &c. *Consanguinitas est vinculum personarum ab eadem persona carnali propagatione descendentium*, &c. Dicitur *vinculum*, &c. quia 8. *Ethic. cap.* 12. Omne vinculum amicitiæ fundatur inter homines in aliqua communicatione inter se. Dicitur *personarum*, &c. quia inter bruta non est propriè consanguinitas. Dicitur *ab eadem persona carnali propagatione*, &c. vt denotetur stipes, in quo vniuntur, & modus, quo coniunguntur per carnalem propagationem; ideò Adam & Eua non erant consanguinei, neque Angeli sunt consanguinei, licèt à Deo procedant. Dicitur *descendentium*, &c. per modum subiecti, quod vinculo afficitur. Hæc definitio est communis Theologorum, & Iurisperitorum: eam impugnat Paludanus *in hac distinct. art.* 1. *quæst.* 1. & Couarruuias 2. *pari. Decret. cap.* 6. primò, quòd non addatur particula, *propinqua persona*, &c. quia aliàs omnes essent consanguinei, vt referuntur ad Adamum. Sed hæc ratio nihil valet: quia illa particula comprehenditur, & rectè explicatur per secundam descriptionem, quæ est talis: *Persona à qua plures carnali propagatione descendunt, stipes vocatur.* In hac explicatur ordo consanguinitatis, vt à capite ad membra descendit, &c. Tertia descriptio: *Linea consanguinitatis est ordo personarum sanguine coniunctarum*, &c. Deinde hanc lineam diuidit in ascendentem, descendentem, transuersalem. Prima est propagantis ad propagatas; secunda è conuerso propagatarum ad propagantem. Transuersalis autem propagatarum ad se inuicem in tertio, nempe in stipite, à quo descendunt. Ducitur similitudo à linea Mathematica, vel à serie, prout res in classem certam ordinantur, & distribuuntur.

Impugnatur à quibusdam. *Definitio stipitis.* *Linea cōsanguinitatis definitur.* *Eius diuisio, & ordo.*

3 *Describitur gradus.*

Quinto loco definit quid sit gradus, dicens esse *determinatam propinquitatem personæ ad personam secundùm consanguinitatem.* Aliqui describunt gradum per distantiam, sed perinde est; vtrumque enim includit; nam qui propinquus tantùm est, est etiam distans: sed magis propriè describitur per propinquitatem, & accessum ad stipitem, cum quo vnitur, & ratione eius cæteris; nam consanguinitas in vinculo consistit, quod designat vnionem, & societatem, secundùm aliquam communicationem. Dicit præterea gradum propriè inueniri in linea recta ascendente, & descendente, impropriè verò in linea transuersali, quæ non facit propinquitatem, nisi vt contingit lineam rectam in stipite, per quem vniuntur laterales ad inuicem.

Melius describitur per propinquitatē, quàm per distantiam. *Propriè seruatur inter ascendētes, & descendentes, impropriè inter transuersos.*

Hæc descriptio vocum est communis Theologorum *in hac distinctione*, & Canonistarum; & quamuis Isidorus *in cap. Series* 35. *quæst.* 5. asserat stipitem huius consanguinitatis non esse primum parentem, à quo propagatur, sed primam generationem, nempe filios eius: tamen Ecclesia iam aliter recepit in suo computo, & discriptione consanguinitatis. Cæterùm ratio discriminis est inter vtramque computationem, vt declaratur *cap. illo, Ad Sedem*, &c. quòd prior computatio, quam affert Isidorus, sit ciuilis, & in ordine ad successionem hæreditariam, qua hæreditas ipsa ab vno in alium transfertur. Secunda computatio est Canonica, in qua consanguinitas per Canones describitur in ordine ad matrimonium tantùm, & duo gradus ciuiles constituunt vnum Canonicum; quod optimè declaratur loco præfato, & in sequentibus, vbi subiicitur arbor consanguinitatis.

Duplex modus cōputandi consanguinitatem. *Ciuilis, & Canonicus.* *Duo gradus ciuiles constituunt vnum Canonicum.*

c *Prima regula*, &c. Assignat tres regulas, quæ communiter receptæ sunt à Canonistis, & Theologis hîc. Vide Glossam *in cap. finali, de consanguinitate & affinit. cum text. & cap. Ad Sedem, & cap. Parentela*, 35. *quæst.* 5. In 3. regula asserit *gradum in linea recta esse efficaciorem, quàm in linea transuersali*, &c. quod & verum est; & exempla quæ adducit ex feris, sunt Aristotelis *lib.* 9. *historiæ animalium, cap.* 46. & tradit Plinius *in naturali hist. cap.* 42. Reprehenduntur passim Persæ, & aliæ nationes, quæ hoc connubio vtebantur parentum, & filiorum, & filiarum; vt videre est apud Tertullian. *in Apolog. c.* 9. Augustinum *quæst.* 61. *in Leuit.* 4 *Regula.*

SCHOLIVM.

In lege naturæ primus gradus lineæ rectæ impediuit, & fortè tota hæc linea. In lege Moysi multi gradus impediebant, de quibus Leuit. 18. *In lege Euangelij nunc, consanguinitas ad quartum gradum inclusiuè impedit, cap.* Non debet, *de consanguin. vbi reuocantur prohibitiones de secundo & tertio genere affinitatis: quid hoc sit, vide in gloss. ibi. hîc ferè omnes editiones Scoti falsò ponunt tertium & quartum consanguinitatis pro secundo & tertio genere affinitatis; ideò ex ipso textu, cap.* Non debet, *oportuit istum errorem turpissimum corrigere. Resoluit ex ipso Euangelio nullum gradum à matrimonio prohibitum, sed tantùm Iure naturæ, vel Ecclesiæ.*

De

4 *Resolutio. Non loquitur de lege naturæ strictè, vt sup. d. 26.*

DE [d] secundo dico, quòd in omni lege aliqua propinquitas impediuit. In lege naturæ illa sola, vt dictum est, in primo gradu in linea descendente, ex illo verbo Adæ; *Relinquet homo patrem, & matrem*, quantùm ad copulam coniugalem [e]: & non intelligitur tantùm de patre proximo, sed de quocumque in linea recta; ita quòd si Adam hodie viueret, non posset ducere aliquam vxorem [f]. Fortè etiam post multiplicationem humani generis, si stetissent in innocentia, fuisset prohibitio in quibusdam gradibus vltra primum; sed in principio non potuit fieri, quia non erant aliæ fœminæ, quàm sorores.

In [g] lege Mosaïca erat prohibitio quantùm ad quosdam gradus vlteriores, vt patet *Leuit.* 18. [h] In lege autem Euangelica fuit aliquando prohibitio vsque ad septimum gradum; patet per Magistrum in litera. sed sub Innocentio III. restricta est vsque ad quartum gradum inclusiuè, Extrà de consang. *Non debet: Prohibitio copulæ coniugalis, quartum consanguinitatis gradum de cætero non excedat.* & assignat rationem, quoniam in vlterioribus gradibus, iam non potest absque graui dispendio, obseruari. & pòst approbat, & ratificat pro futuro: *cùm ergo inquiens iam vsque ad quartum gradum prohibitio coniugalis copulæ sit requisita*; scilicet per nos hîc in concilio: & infrà, *ita eam volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab alijs, vel à nobis.* & in eodem capite reuocat omnes prohibitiones de coniugio contrahendo in secundo & tertio genere affinitatis, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri prioris non copulanda; quæ prohibitiones multas difficultates inducebant, & (vt dicit) aliquando periculum animarum.

Sed [i] vnde est, quòd propinquitas talis, vel talis simpliciter impedit? Respondeo, in lege Euangelica non inuenitur à Christo alia prohibitio vltra prohibitionem legis naturæ; nec etiam explicitè confirmauit prohibitionem super hoc factam in lege Mosaïca; sed Ecclesia illegitimauit personas aliquando in gradu remotiori, posteà in quarto gradu: & ratio illegitimationis fuit propter pacem, & amicitiam seruandam in Ecclesia: vsque enim ad quartum gradum manet amicitia ratione consanguinitatis: & ex tunc incipiunt esse quasi extranei, & amore contepescere: & ideò congruum est tunc per vinculum coniugale tepescentem amicitiam reuocare.

6 *Ad arg. 1.* Ad [k] argumenta. Ad primum patet, quòd illud fuit necessarium pro principio humani generis, scilicet quòd contractus fieret in primo gradu: in linea tamen transuersali, non recta.

Ad 2. Ad secundum dico, quòd alia est amicitia consanguineorum, & alia coniugum: illa consanguineorum maximè in linea recta est reuerentiæ, quantum ad descendentes respectu superiorum, & cuiusdam regiminis, seu præsidentiæ: è conuerso, amicitia coniugum est sine tali reuerentia: imò est cum irreuerentia, intantum, vt synceriùs diligens consanguineam, magis odiat in ea illam reuerentiam non solùm à se, sed à quocumque alio, exiberi; & ideò concedo, quòd amicitia disponit ad coniugium, sed alterius rationis omnino ab illa, quæ est inter consanguineos.

COMMENTARIVS.

5 *Aliqui gradus in omni lege irritabant. Matrimoniũ in primo gradu lineæ rectæ irritum.*

d DE *secundo dico*, &c. Asserit primò in omni lege aliquam propinquitatem impediuisse matrimonium, vt in primo gradu, inter patrem & filiam, filium & matrem; & sicut dicit in fine præcedentis paragraphi, filij cum matre maximè videtur impediri, quia sequendo instinctum naturalem etiam belluarum ab hoc magis videtur abhorrere natura, & minùs ad illud inclinari. Hæc cõclusio est communis omnium. *Relinquet homo patrem suum*, &c. Genes. 2. quantùm ad connubia, quæ non debent esse, nisi distantium in carne; perfectior autem est vnio filiorum ad parentes in *esse* naturæ, quàm coniugum ad inuicem, quia in ordine ad generationem data est indifferentia sexus, & secundùm vinculum indissolubile, ex lege superioris, quod fundatur in contractu iustitiæ commutatiuæ. Coniunctio verò filij ad parentes, fundatur in ipsa communicatione naturæ, & participatione eius, quæ coniunctio est magis intima naturæ, quàm sit alterius Societatis fundatæ in vinculo

Perfectior cõiunctio filij ad parentẽ, quàm ad vxorem.

Ratio huius.

extrinseco secundùm contractum, & obligationem inde sequentem, & in ordine ad propagationem tertij; magis enim communicant sibi in *esse* causa, & effectus, quàm diuersæ concausæ eiusdem communis effectus; hinc magis tenetur filius parenti concurrente eadem necessitate ex parte eius, & vxoris extrema, quàm vxori, & plura alia disponunt Iura, iuxta hanc firmiorem obligationem, quibus tenetur filius parenti, non autem vxori.

Hinc ergo habetur ipso Iure naturæ strictius esse vinculum inter filios, & parentes, quàm sint illa quæ sunt connubij, per Iura autem connubij plurimùm derogatur priori vinculo, & amicitiæ in eo fundatæ, seu amori reuerentiali, & pietati, quia licèt simpliciter possint simul stare: tamen vtplurimùm potestas mutua in corpora, & debitum, & amor thori omnia in seipsum transferret, quia vehementiùs impellit ob concupiscentiam, quàm alius affectus, qui est secundùm rationem rectam, & effectum iustitiæ, 6 *Confusio societatis.*

iustitiæ, & ita planè obseruaretur hic affectus, vt discerni vix posset ordo ad alterum secundùm pietatem, ab ordine secundùm connubium, vnius ad alterum: sicut ergo strictiori vinculo cedit illud, quod non ita strictum, ita etiam iura, quæ sunt inter parentes, & filios, & sunt de lege naturali strictè sumpta, excludunt contractum connubij, qui est tantùm secundùm legem naturalem, vt consonum, quia præiudicat ipsis.

7 *Secunda ratio impedimenti ex præiudicio societatis publicæ, & priuatæ.*

Secundò, præter plura pericula, quæ ex his connubiis prouenire possint, præiudicant amori indifferenti, quem parens in filios exercere debet, & paci domesticæ, & communi societati seruandæ in genere humano, & Republica, quæ stabilitur connubiis cum extraneis: nam si liceret tale connubium, vix aliud tentaretur, aut fieret: ideò communiter Theologi docent illud connubium non posse per vllam potestatem humanam dispensari; licèt possit à Deo ordinari: quamuis enim congruentiæ superiùs allatæ ostendant esse vetitum iure naturali; at non ita vetitum vt sit ex terminis, aut principiis necessarium, aut quin iura pietatis cum connubio possint concordare in aliquibus saltem, quando natura non fuit corrupta in statu innocentiæ, si perseuerasset, aut per gratiam supplentem eius defectum in natura lapsa.

An in casu liceret connubium inter patrem & filiam?

An verò in casu excusari possit, vt quando nulli essent in mundo nisi filius, & mater, aut pater, & filiæ: plures moderni affirmant esse licitum in eo casu, vt Sotus *in hac distinctione, quæst. vnic. artic.* 3. & Sanchez *lib.* 7. *disput.* 51. *quæst.* 1 *n.* 10 citans alios. Ratio est, quia reuerentiæ paternæ bonum cedit in eo casu bono communi, quod præponderat, propagationis; & sic aliqui Patres excusant incestum filiarum Loth cum parente ex ignorantia, qua existimabant reliquos omnes conflagrasse, neque hoc impedimentum destruit finem matrimonij simpliciter.

Sententia affirmatiua.

8 *Negatiua sustinetur. Præcepto multiplicationis non comprehendi hunc casum.*

Iudicarem tamen esse illicitum, nisi Deus dispensaret, & deberi tunc eius voluntatem expectari; præceptum enim illud, *Crescite & multiplicamini*, &c. non comprehendit tale connubium; quia personæ sunt inhabiles Iure diuino, & naturali; & sicut non liceret citra matrimonium, & contractum multiplicare; quia hoc lege diuina non est concessum, sic etiam neque personæ inhabiles eadem lege ad matrimonium possunt illud inire ex obligatione præcepti propagationis, nisi Deus tollat impedimentum.

Deinde, quia finis matrimonij est propagatio hominum in cultum Dei, in casu ergo illo incertum esset an Deus vellet talem cultum, aut eos sic propagari, donec ipse suam voluntatem declararet maximè stante impedimento, quod per ipsum solum potest relaxari: aliud autem est in casu, quo Religiosi soli manerent: quia illi lege diuina non sunt inhabiles ad matrimonium, sicut pater cum filia, aut mater ad contrahendum cum filio.

9 *Rationes prioris sententiæ soluuntur.*

Ad rationes in oppositum respondetur, quòd non solùm contractus sit irritus ex eo capite, quamuis reuerentia paterna, nè commisceantur, aut confundantur iura pietatis, & thori, sit bona congruentia, vnde colligamus impedimentum; sed impedimentum oritur ex ipso contractu, vt fundatur lege diuina, & naturali alterius societatis, & amicitiæ diuersæ. Quod additur de filiabus Loth, nihil confert, quia licèt illæ desiderio prolis commixtæ sunt cum parente ebrio; tamen certum est non intercessisse connubium, quia defuit voluntas parentis ad contractum: ac proinde fuit copula illicita ex parte ipsarum; quamuis magis excusabilis, quia ob finem successionis, & non libidinis habita. Ad aliud, quamuis verum sit, non obesse bono prolis, aut fini matrimonij hîc, & nunc, in casu, tale connubium: tamen repugnat vinculo, quod nequit induci, nisi in materia capaci, & intrinsecè repugnat contractui legitimo.

Illicitus fuit concubitus filiarum Loth.

Prior tamen sententia est probabilis, si verum est, quod à fide dignis audiui, nempe fuisse confirmatum, & dispensatum tale matrimonium parentis cum filia, ex quo secuta est proles, vtroque ignorante impedimentum, donec auia secreto reuelauit nepoti se duxisse filiam, postquàm aliquot annis in bona fide conuixerunt; dicitur autem communicasse casum Clementi VIII. & Clementem ob circumstantias præponderantes scandali, & aliorum inconuenientium dispensasse in foro interno, vt in tali matrimonio bona fide contracto perseuerarent. Viri fide digni id mihi retulerunt. Non inde sequitur matrimonium tale absolutè esse subiectum dispensationi Pontificiæ; sed in circumstantiis, in quibus vinculum fortiùs diuini Iuris obligat, & grauissima damna, & scandala alioquin sequerentur; idque iudicarem tantùm in foro interiori, quando aliter nequit prouideri: quia plenaria potestas etiam ad casus quoscumque extenditur in ea circumstantia, qua necessariò prouideri debet saluti animarum: & materia hæc non est ita intrinsecè, & ex obiecto mala, vt sit omnino indispensabilis, vt lex stricta naturalis, sicut scandalum quod ex dissolutione illius matrimonij sequeretur, & alia pericula contrahentium. 10 *Prior sententia in casu sustinetur.*

e *Et non intelligitur tantùm*, &c. Docet Doctor hoc impedimentum extendi ad omnes gradus ascendentes in linea recta vsque ad Adamum, ita vt si hodiè resuscitaretur, aut viueret, non posset contrahere cum aliqua suæ stirpis. Hanc sententiam communiùs docent Theologi, Canonistæ, & Summistæ, *in hac distinctione*, vt Richardus, Durandus, Paludanus, Mayrones, Bassolis, Rubion, Supplementum Gabrielis, Maior, Bellarm. *lib.* 1. *de matrimon. cap.* 28. Vasquez 1. 2. *disput.* 112. *n.* 7. & alij, quos citat *suprà* Sanchez *quæst.* 2. contrarium tamen docet ipse, & alij, quos citat *quæst.* 3. qui hoc impedimentum vel ad incertum, vel ad primum, vel ad secundum gradum extendunt. 11 *Impedimentũ stipitis ad totam lineam extenditur.* *Sentẽtia communis.* *Sentẽtia contraria.*

Probatur tamen conclusio Doctoris, quia in quocumque gradu ascendente respectu descentium saluatur honor, & reuerentia paterna, & communicatio naturæ: ergo & hoc impedimentum, quod in eis fundatur. Probatur antecedens stylo Scripturarum; quo Iudæi dicuntur filij Abraham, Isaac, & Iacob, Christus filius Dauid, & Abraham, iuxta promissionem his factam. Omnes nascimur filij Adæ secundùm originem, & virtute huius originis per propagationem naturalem descendentes contrahimus etiam maculam originis; & benedictiones Patriarcharum extendebantur ad futuram successionem filiorum, & magis prospiciebant venturos, quàm præsentes, vt patet de benedictionibus Iacob, & Isaac; hæc autem benedictio authoritati paternæ innitebatur, & rata fuit coram *Probatio conclusionis.* *Honor & reuerentia paterna in stipite perseuerat respectu descendentium.*

coram Deo, & aliàs sublata illa auctoritate in posteris in primo, aut secundo gradu, vt Authores præfati volunt, cessaret etiam fructus benedictionis, quæ solùm in paterna authoritate fundabatur: ergo origo ad omnes descendit, quos ipsa benedictio comprehendebat, & consequenter authoritas, & reuerentia paterna.

12 *Secunda probatio ex præscripto Canonum. Consanguinitas vsque ad septimũ gradũ inclusiuè extensa.* Secundò, Canones, qui interpretantur Ius diuinum, & naturale, vel saltem secundùm illa statuunt, consanguinitatem extendebant olim vsque ad septimum gradum inclusiuè, vt mox videbimus: ergo origo paterna extenditur ad septimum gradum saltem. Probatur consequentia, quia in linea transuersali non est vlla coniunctio personarum ad inuicem in sanguine, quia nulla ab alia procedit, nisi vt vniuntur in stipite: ergo stipes etiam ratione originis coniungitur ad singulas personas vsque ad septimum gradum: ergo ipsi manet ius saluum paternum vsque ad illum gradum inclusiuè in linea recta.

Tunc sic argumentor, sub lege matrimonij non comprehenditur casus impossibilis: sed impossibile est, vt stipes sit idoneus matrimonio cum aliqua persona in septimo, & octauo gradu naturaliter, quamuis etiam ad illos extendatur origo: ergo casus hic est imaginarius practicè, & non comprehensus lege matrimonij, quæ sequitur cursum naturalem viatoris. Reducendo itaque casum ad considerationem speculatiuam, quamdiu extenditur titulus iuris paterni, tamdiu etiam extenditur ius in ipso fundatum, & consequenter excluditur omne aliud ius repugnans ex lege; sed origo ex dictis extenditur ad septimum gradum, vltra quem non est possibilitas matrimonij, quamuis ipsa origo protrahatur eadem linea in posteros omnes: ergo sicut in primo, & secundo gradu hoc ius inducit impedimentum matrimonij, sic etiam inducit vsque ad tertium, & quartum; & sic de cæteris. Quòd verò extendatur origo ad septimum gradum patet, ex ratione præmissa; quia alioquin inter laterales nullum foret motiuum, vnde Canones statuerent impedimentum consanguinitatis, nisi ratione originis, quæ linea recta descendit à stipite.

13 *Obiectio.* Dices consanguinitatem oriri à virtute generante stipitis, quæ debilitatur in gradibus remotioribus, ac proinde cessare hoc fundamentum impedimenti.

Impugnatur. Originẽ protendi ad septimum gradum. Contra, hæc ratio nulla est: quia ex mente antiquorum Canonum perinde durabat vsque ad gradum septimum; alioquin hoc impedimentum, quod plurimùm grauabat, non inducerent Canones: alij autem posteriores, qui correxerunt in parte priores, reducentes consanguinitatem ad quartum gradum, non ideò id statuerunt, quod originem in linea recta censerent non petendi vlterius; sed propter incommoda descendentium, & difficultatem ineundi matrimonij, aliàs sub priori impedimento inter ciues in locis non adeò frequentis concursus populi: manet ergo origo vsque ad quartum saltem gradum secundùm omnes Canones tam priores, quàm posteriores, & in eo gradu sui vigoris, & perfectionis, qui sufficiat statuere impedimentum hoc Iuris Canonici: ergo à fortiori manet in linea recta etiam quoad Ius naturale in ea fundatum.

14 Deinde, quòd dicatur virtus generatiua debilitari in tertio, aut vlterioribus gradibus, nescio quid per hoc insinuari velint hi Doctores, nisi desumere velint argumentum Physicum ex causa naturali, cuius virtus repatiendo per frequentes actiones debilitatur, sed nequit hæc doctrina applicari proposito: quia potiùs in primo gradu ex generatione plurium filiorum deberet sic debilitari, quamuis vltimus filius perinde sit in primo gradu, sicut & primus filius Benjamin, sicut & Ruben; vel debet intelligi, quasi natura recepta per generationem deficeret in vlterioribus gradibus, & redderetur extranea primo parenti, aut ei, quam communicauit: sed neque hoc etiam rectè dicitur: quia etiam sic posset in ipso filio desinere per continuum fluxum, non ideò tamen desinit esse filius: quia à parente recepit *esse*, & in vltima resurrectione etiam non desinet esse filius: sufficit ergo ad saluandam seriem originis, quòd in virtute eius, qui primò generauit dando *esse* filio, per hunc recipiat nepos *esse*, & sic de cæteris; hoc autem saluatur quoad gradus omnes descendentes: ergo & ipsa origo, & ius in ea fundatum, iuxta mẽtem & interpretationem Canonum, & sicut filius est aliquid patris quoad naturam, ita etiam nepos nequit esse filij, quin sit patris quoad naturam, hoc est, aui, & sic de singulis eius posteris, quia Benjamin decimatus est in lumbis Abrahæ. Exemplum potest esse in causis secundis, quarum effectus non solùm est à Deo, quia ad ipsum immediatè concurrit, sed etiam est à Deo, quia ad ipsum mediatè concurrit, quà virtutem tribuit causæ secundæ, per quam agit in effectum.

Ratio adducta refutatur.

Fundamentum originis continuata.

Hinc euacuatur solutio Sanchez reducentis hoc impedimentum ad primum gradum, quia auus respectu nepotis est tantùm causa per accidens; hoc, inquam, non subsistit: quia causa remota eo ordine comparatur ad effectum mediante proxima in eadem serie, quo comparatur ad causam proximam, & immediatam, quæ est eius per se effectus; causa autem per accidens neque virtutem confert causæ per se, neque agit in effectum; sed solùm ex coniunctione sui, aut sui effectus ad effectum causæ per se dicitur denominatiuè causa, non autem virtute, & actione. 15 *Respõsio Sanchez reijcitur.*

Causa per se, & per accidens quomodo dicantur.

Tertiò, Ius ciuile determinat hoc impedimentum esse perpetuum in recta linea. *Instit. de nuptijs. l. Nuptiæ 53. & l. & nihil, ff. de ritu nuptiarũ.* 16 *Tertia ratio.*

Respondent Ius ciuile fuisse correctum per *cap. Non debet, &c. de consanguinitate, & affinit.* *Responsio.*

Contrà, hoc capitulum intelligi debet de linea transuersa. *Impugnatur.*

Dices non distinguere inter vtramque lineam, sed comprehendere vtramque. *Obiectio.*

Contra hoc est Glossa, & Doctores, qui primo modo intelligunt Canonem; est & ipsa ratio legis, quæ sunt incommoda, & pericula, ob quæ restrictio consanguinitatis, & affinitatis est facta; hæc autem pericula, & incommoda non fuerunt in linea recta, neque memoriæ traditum est, fuisse dispensatum in consanguinitate secundùm lineam rectam, neque ætati & conditionibus requisitis ad matrimonium conuenit spectata nostra natura, vt matrimonium in linea recta extenderetur ad quintum, aut vlteriores gradus, quis enim in quinta generatione stipes superuiuit, aut idoneus est matrimonio etiam in tertia, aut quarta generatione, ad quos extendi

Impugnatur.

Ratio legis. Incommoda, ex quibus restringitur impedimentum, sunt lineæ transuersalis.

extenditur Canon *Non debet?* Incommoda ergo, & pericula, quæ dederunt causam huic Canoni, intelliguntur illa, quæ in euentu fuerunt, aut possint esse, cùm lex sit regula factorum, & faciendorum, non verò impossibilium, aut eorum, quæ nunquam eueniunt, & circa quæ neque prudentia, neque fides aliquid disponit, quæ sunt regula legis ferendæ.

17 *Responsio Sanchez. Impugnatur.* Respondet secundò Sanchez ius ciuile non posse disponere circa matrimonium, aut eius impedimenta. Contrà quidquid sit de hoc ius ciuile est secundùm instinctum legis naturalis, & ipsius naturæ. Vnde Alexander II. *cap. Ad Sedem 35. quæst. 5. in Synodo Lateranensi*, in computatione graduum consanguinitatis, licèt ex fine successionis, dicit legem ciuilem esse veracem, & probat, & approbat dictum Imperatoris, vbi determinato gradu sexto subintulit: *Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur, namque ex his palam est intelligere quemadmodum vlteriores quoque gradus numerare debeamus, generata quippe persona gradum adijcit*, &c. hactenus Ius ciuile. Subinfert Pontifex contra asserentes consanguinitatem terminari in sexto gradu. *Ecce*, inquit, *in his breuibus verbis apertè ostenditur tales gradus, quales isti computant, non tantùm ad sextum, verùm etiam vltra numerari debere*, &c. *nec mirum cùm in præcedentibus ipse firmauerit Imperator decimo etiam gradu consanguineos, sibi inter se posse succedere*, &c. Quod fusiùs prosequitur: ergo computatio consanguinitatis, quam admittit Ius ciuile, recipitur per Canones; & quamuis Canones agunt de consanguinitate in ordine ad matrimonium, Ius verò ciuile in ordine ad successionem, & translationem hæreditatis, idem est titulus, & fundamentum conseruatæ originis, & consanguinitatis, in quibus vtrumque Ius fundatur.

18 Deinde, redit ratio iam facta, quia capitulum, *Non debet*, &c. *de consanguinitate & affinitate*, reducit hoc impedimentum ad gradum quartum inclusiuè quoad collaterales: ergo etiam quoad stipitem, vt concedunt aduersarij: ergo saltem Ius naturale fundatum in origine, extenditur ad illum gradum, & consequenter inducit eundem effectum.

Confirmatur primò, ex Calixto I. *epist. 2. ad Episcopos Galliæ*, confirmat leges ciuiles, & pœnas ab eis latas contra eos, qui in consanguinitate ineunt matrimonium, id est, infamiæ, quæ est pœna legis ciuilis, *Coniunctiones*, inquit, *consanguineorum fieri prohibere, quando has & diuinæ, & sæculi prohibent leges: leges ergo diuinæ hoc agentes, & eos, qui ex eo prodeunt, non solùm eijciunt, sed & maledictos appellant; leges verò sæculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos verò sequentes patres nostros*, &c. *infamia eos notamus*, &c. *eos autem consanguineos dicimus, quos diuinæ, & Imperatorum ac Romanorum, ac Græcorum leges consanguineos appellant, & in hæreditate suscipiunt, nec repellere possunt*, &c. Hic ergo expressè recipitur lex ciuilis de consanguinitate, & eius serie, ac proinde retinetur per Canones; sed ex lege ciuili, vt constat, in tota linea recta manet origo, & impedimentum in ea fundatum: ergo, &c. Item, Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum, cap. 39. *De consanguinitate generationum exquiritis, vt quibus vtique fœminis iungi debeatis, liquidò cognoscatis; verum quod leges hinc sanciunt, iam meminimus, & iam memorare summatim operæpretium ducimus; aiunt enim: ergo omnes nobis vxores ducere licet: nam quarumdam nuptijs abstinere debemus. Inter eas enim personas, quæ parentum, liberorúmve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel auum & neptem, auiam, & nepotem, & vsque in infinitum*, &c. Fauet Augustinus *lib. 15. de ciuitate, c. 16.* Hieronymus *in quæstionibus, aut traditionibus super Genes.* vide *cap. Lex diuinæ constitutionis*, &c. 27. *quæst. 2.*

Leges ciuiles in hoc receptæ.

Confirmatur secundò, ideò Canones antiqui restrinxerunt impedimentum hoc ad septimum gradum, quia vltra illum vix retineri posset memoria, aut cognitio consanguinitatis. Patet ex *cap. Progeniem tuam*, &c. 35. *quæst. 2. & 3.* quod est Gregorij Papæ. *Progeniem*, inquit, *tuam vsque ad septimam decernimus obseruare generationem, & quamdiu agnoscant se affinitate propinquos, ad coniugalem copulam accedere denegamus; quod si fecerint, separentur*, &c. Item, Nicolaus II. Suffraganeis Amalphitanæ Ecclesiæ: *de consanguinitate sua vxorem nullus ducat, vsque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit*, &c. Item, Concilium VVormatiense, c. 32. *De consanguinitate sua vxorem nullus ducat vsque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit*, &c. Gregor. III. in epist. ad Bonifacium: *Dicimus quòd oportuerat quidem, quamdiu cognoscant se affinitate propinquos ad huius copulæ non accedere societatem*, &c. concedit nihilominus ob barbariem gentis, vt post quartum gradum generationis iungantur. Ex quibus sequitur, & parentelam conseruari post septimam generationem, & si Adam vixisset, nemini posse coniungi, quia parentela eius notissima esset, & origo perseueraret; quod in aliis non posset ita commodè cognosci, aut notari, in quibus ignorantia, & bona fides excusat contractum, qui inter laterales tantùm iniri posset: quod ergo leges ciuiles, & Canonici in hoc conueniant, patet ex dictis, & sufficienter interpretantur legem naturalem. 19 *Secunda confirmatio. Ex Canonibus eorúmque fine, & præscripto.* Gregorius. Nicol. II. Conc. VVormatiense.

Tertiò probatur conclusio ex lege diuina. *Leuit. 18.* in qua prohibetur, *turpitudinem filiæ, & filij tui, vel neptis ex filia non reuelabis, quia turpitudo tua est*, &c. Hæc lex non est iudicialis, sed moralis, vt aliàs *suprà* probauimus ex Augustino *dist. 32. q. vnic.* ergo neptis est caro aui, iuxta diuinam Scripturam, & consequenter non in solo primo gradu continetur legis naturalis impedimentum: sed extenditur etiam ad secundum in linea recta, & proptereà etiam leges politicæ ordinant auum vt primarium dominum, cui debetur reuerentia à nepotibus. 20 *Tertia probatio ex lege diuina.*

Dices hinc non colligi extendi impedimentum ad vlteriores gradus. *Obiectio.*

Contrà: in vlterioribus non est idoneus regulariter atauus, aut tritauus ad matrimonium, ideò non fuit necessum vlteriores gradus exprimi; in prædicto autem loco dicitur matrimonia ibi prohibita esse abominationes coram Domino, & propter ea destructos Chananæos: ergo hæc prohibitio etiam fuit ante legem, aliàs connubia illa non essent abominabilia. *Impugnatur.*

Fundamenta oppositæ sententiæ sunt soluta in prædictis, quia reducuntur ad hæc, quòd reuerentia, & origo per se, quæ sunt causæ huius impedimenti, cessant extra primum gradum in linea recta: vtrumque horum negatur ex dictis, quæ maximè confirmat vsus Ecclesiæ; quia in recta 21 *Fundamentũ oppositæ sententiæ soluitur.*

recta linea non habetur authenticè eam vnquam dispésasse. Quòd si obiicias infideles conuersos, quibus illa matrimonia fuerunt consueta, & nullo iure positiuo prohibita permitti in eodem matrimonio post conuersionem, iuxta capitulum *Gaudemus*, &c. *de diuortijs.* Respondetur intelligi istud capitulum de connubiis in linea tranuersali: sicut & concessio Gregorij facta genti Anglorum in prima sui conuersione, non autem intelliguntur de irritis lege naturali.

22 f *Fortè etiam post multiplicationem humani generis*, &c. Dicit fortè in statu innocentiæ, si perseuerasset, & facta multiplicatione hominum, fortè etiam matrimonia fore prohibita in linea transuersali quoad aliquos gradus: quod satis probabile est, quia sicut natura ad hoc inclinat, & recta ratio; vnde diuina lege in Leuitico fuerunt aliqua prohibita, & instinctu naturali Gentiles, in quibus magis viguit dictamen rectum, & politia ex tali dictamine, talia connubia vt prohibita respuerunt: in statu autem innocentiæ non deficeret talis ratio rectè dirigens matrimonij contractum, iuxta decentiam, & inclinationem ipsius naturæ, ideóque rectè coniicit Doctor talem prohibitionem fore in illo statu.

Cóclusio probabilis.

23 g *In lege Moysáica erat prohibitio, quãtum*, &c. Hæc prohibitio habetur *Leuit.* 18. Dubitatur an sit moralis, an verò iudiciails. Caietanus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 9. *circa solutionem ad* 3. fuisse, ait, secundùm *quid* moralia, iudicialia autem simpliciter. Primum modum habebant, quatenus quædam indecentia naturæ in illis matrimoniis continebantur. Secundum autem modum habebant, quatenus in illa Republica Iudæorum ad pacem stabiliendam spectabant, intelligit hoc non de omnibus, sed de quibusdam gradibus affinitatis, & consanguinitatis.

Legis Moysaïca prohibitio. Qualis fuerit? An moralis? an iudicialis?

Probabilius iudico fuisse legis diuinæ positiuæ & moralis, atque etiam manere absolutè loquendo, nisi circumstantia maioris boni accedat, quæ tale matrimonium ad finem altiorem ipsius contractus promoueat, & eandem prohibitionem fuisse in omni lege multiplicato genere humano. Hanc existimo esse de mente Doctoris; quidquid alij senserint, qui eum pro opposito citant. Nam vt *suprà* dicit: *fortè multiplicato genere humano in statu innocentiæ, etiam esset hæc prohibitio in aliquibus gradibus.* & infrà, §. *Sed vnde est quòd propinquitas*, &c. quamuis dicat Christum non instituisse aliam prohibitionem vltrà illam, quæ est legis naturæ, intelligit prohibitionem diuinam, quæ in lege naturæ ante scriptam viguit: sumit enim legem naturæ latè pro omni eo, quod principiis, & conclusionibus necessariis eius est consonum, vt sæpe in superioribus agit de lege matrimonij, vt *dist.* 26. *quæst. vnic.* §. *Et ex hoc patet solutio cuiusdam quæstionis*, &c. dicit contractum ipsum esse de lege naturæ latè sumpta, reducens tamen ipsum ad legem positiuam diuinam, quæ dat formam contractui, & complementum iustitiæ, vt ipse dicit. Si ergo contractus firmatur per legem positiuam, sic etiam prohibitio in personis, aliàs habilibus ad contractum, ad eandem legem est reducenda, quæ lato modo lex naturæ appellatur à Doctore.

Fuisse moralem.

Sentẽtia Doctoris.

24 His positis, probatur conclusio, quia ex ipso textu apparet, quia in singulis replicatur esse turpitudinem, & non debere reuelari; ergo & peccatum, ergo contra aliquam legem; non naturalem strictè sumptam; ergo ad positiuam, quæ lato modo dicitur naturalis, quia viguit in statu legis naturæ, sicut præcepta secundæ tabulæ ex mente Doctoris *in* 3. *dist.* 38. dicuntur legis naturalis, ac proinde S. Augustinus reducit has prohibitiones ad Decalogum *lib.* 3. *quæst. in Leuit. quæst.* 53. vt aliàs *suprà* diximus.

Probatio ex forma legis.

Secundò, quia pœna ipsa denotat opus hoc non esse indifferens, sed contra legem, & peccatum quod vindicauit Deus in Chananæos, quos destruxit in pœnam horum scelerum, vt patet clarè ex textu, vbi in exemplum castigati peccati proponuntur Iudæis, ne similia faciant: ergo viguit prohibitio hæc ante legem scriptam; sed non fuit legis naturalis strictè sumpta, aliàs esset indispensabilis, quod est erroneum asserere, quoad aliquos gradus ex Tridentin. *sess.* 24. *can.* 3. Tertiò, hæc sententia videtur esse non solùm Augustini expressa loco citato, sed etiam aliorum Patrum, & Pontificum, vt Calixti I. *suprà epist.* 2. *cap.* 4. Ambros. *epist.* 66. *ad Paternum.*

Secunda probatio ex pœna.

Viguit prohibitio ante legẽ scriptam.

Calixtus Papa.

Ambrosius.

Quid enim, inquit, *est quod dubitari queat, cùm lex diuina etiam patrueles prohibeat conuenire in coniugalem copulam*, &c. Gregorius *in respons.* 6. *ad August. Angliæ Episcopum*, reprehendit leges Romanorum, quæ talia matrimonia approbarunt, dum essent Gentiles; ergo censet prohibita. Concilium Toletanum II. *cap.* 5. *Nam & hac præcauenda salubriter sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui vsquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari: quoniam scriptum est; omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius, nec sine denunciatione fuit sententia: nam paulò pòst infert, & dicit: anima, quæ fecerit de abominationibus istis, peribit de medio populi sui*, &c. Carolus Magnus *lib.* 6. *legum*, *c.* 206. idem sanciuit citans præfatam scripturam. Item, Ioannes VIII. *epist.* 198. citans Stephanum, Eugenium, & Leonem prædecessores suos, vtitur etiam eiusdem scripturæ testimonio *turpitudinem vxoris patris*, &c. & à fortiori dicit hanc legem comprehendere Christianos, quæ obligauit Iudæos. *Et si Deus*, inquit, *Hebraico populo ante incarnationem vnigeniti filij sui hæc seruanda mandauit, quantò amplius nos, qui Christianæ Religionis documenta tenemus, ab illicitis connubijs obseruare debemus, ne demersi in voraginem ignis æterni concrememur incendio*, &c. De his videri potest Tiraquell. *lib.* 7. *de connubio.* Aug. *lib.* 15. *de ciuit. c.* 16. *lib.* 22. *contra Faustum, cap.* 35. Tertullianus *in Apologia, cap.* 9. Minutius Felix *apud Arnobium in octaua lib.* 8. Chrysost. *hom.* 34. *in* 1. *ad Corinth.* Ambrosius *epist.* 66.

25

Gregorius.

Toletan. II.

Carolus Magnus.

Ioan. 8.

26 Hinc sequitur hæc præcepta moralia esse, atque præcessisse legem supposita multiplicatione generis humani. Vnde D. Thom. *in* 5. *d.* 39. *quæst. vnic. art.* 3. *ad* 3. D. Bonauentura *art.* 2. *q.* 4. *in corp.* Richardus *in præsenti distinct. artic. vnic. quæst.* 5. Durandus *quæst. vnica.* Maior *q.* 3. *post* 3. *conclusionem.* Paludanus *art.* 3. & plures alij apud Sanchez *disput.* 52. *quæst.* 1. *num.* 5. affirmant etiam idem, & infideles ad fidem conuersos, anteà verò coniunctos in gradibus prohibitis in Leuitico esse separandos.

Eadẽ est sentẽtia D. Thomæ, & aliorum.

Esse impedimentum irritans.

Cæterùm videtur Doctor agnoscere tantùm esse prohibitionem quoad aliquos gradus, & non irritationem contractus; quia solùm in linea recta admittit coniunctionem esse nullam, non

Esse prohibitionem, nõ irritationem.

non in linea transuersali, quantùm est ex parte legis diuinæ: an autem in Iudæis specialiter irritans fuerit extra casum, quo proximus sanguinis succedebat in matrimonium ad suscitandum semen fratri defuncto, & non aliàs, videtur ex pœnis ibi adiunctis fuisse aliàs irritũ contractum in his gradibus, & hoc concesserim Caietano, & aliis fuisse speciale in lege veteri: quamuis aliàs fuit prohibitum in omni lege contrahere in illis gradibus, nisi quando necessitas, & maioris boni circumstantia vrgebat, vt in Patriarchis ad propagandum populum fidelem, vel fortè etiam in Regibus, aut eorum filiis, vt comprehendamus Thamar, quæ ita suadere conabatur Aman fratri, vt eam à Rege peteret, & non violaret per vim.

Probabile in Iudæis fuisse impedimentũ irritans.

27 Hinc ergo faciliùs concordare licet plures Patrum, & Doctorum sententias, qui asserunt hæc connubia fuisse vetita Iure naturæ, intelligendo Ius naturæ latè pro omni eo, quod fuit in præcepto ante legem scriptam: quamuis aliàs præceptum hoc sit Iuris positiui diuini ob reuerentiam, & societatem in vinculo sanguinis, & communicatione propaginis fundatam, quæ est alterius rationis à societate coniugali, & cui non erat conueniens, vt matrimonium præiudicaret sine diuina dispensatione ob causas particulares; nam coniugia promiscua inter consanguineos non solùm tollunt illam societatem sanguinis & fœdera; sed etiam plurimùm derogant amicitiæ, & societati publicæ inter ciues conciliandæ, & conseruandæ. Hinc rationabile fuit præceptum; ipsum verò viguisse colligimus ex Scriptura, & Patribus citatis, & valdè consonum fuit diuinæ prouidentiæ, & conseruandis iuribus diuersis, & titulis fundatis in lege naturæ, quatenus ordinant societatem humanam, iuxta disparem proportionem, & diuersos titulos, & fines. concessionem verò contrariã factam esse quandoque vel ob necessitatem, vt initio generis humani; vel ob interdictam communionem cum populo infideli, & ad multiplicandum populum fidelem ex pari cultu; sicut contigit in Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob; vel ob dignitatem sanguinis, & authoritatis in Regibus conseruandam; vel ob suscitandum semen defuncti fratris, vt ex lege licebat; vel ne obstaculum fiat fidei, vt *cap. Gaudemus*, &c. *de diuortijs*. permittitur matrimonium in secundo & tertio gradu initum ante Baptismum, & dicitur matrimonium inter infideles constare, & illud in gradibus aliàs prohibitis esse licitum; quod intelligendum est ex ignorantia inuincibili diuinæ legis, & ex vsu, & consuetudine cõtraria, vbi vigebant talia matrimonia. Pontifex autem non permitteret illa manere, nisi essent valida, quia pluralitatem vxorum non permittit, quamuis plures quis duxerit ante conuersionem; habitare enim cogitur cum prima, reliquis separatis. & *cap. sequenti, eodem.* permittitur Liuonibus, vt maneant coniuncti cum vxore fratris defuncti sine liberis, quam ante Baptismum sibi coniunxerunt. Concil. Agathense *cap.* 61. Epannense *cap.* 80. permittunt matrimonia iam inita in gradibus prohibitis.

Concordantur varij modi loquendi.

Finis prohibitionis.

Finis dispensata legis.

28 De cætero autem illa inhibent ineunda; ex quibus colligitur hæc matrimonia non fuisse irrita Iure diuino, aut naturali, quamuis fuerunt prohibita Iure diuino; & August. *lib.* 15. *de ciuit. c.* 16. dicit quidem peruersis legibus inter idololatras fuisse admissa coniugia in secundo gradu, id est, fraterna coniugia: *Melior tamen consuetudo in alijs hanc licentiam exhorruit*, &c. intendit ergo & peruersam fuisse consuetudinem: quia nempe contra Dei prohibitionem simplicem, & non irritantem, matrimonia autem fuisse valida, vbi consuetudo illa confirmauit, & lex ipsa humana; vbi autem consuetudo oppositum statuit, aut lex, fuisse illa inualida, & hanc meliorem dicit; quia nempe conformis fuit diuinæ legi. Sanctus etiam Hieronymus *in quæstionibus, aut traditionibus super Genesim*, dicit has nuptias tunc fuisse licitas, id est, validas, *quia nondum leges fuerunt, quæ talia connubia abrogarent.*

Augustin.

Hieronym.

Accedit Pontifices quandoque in gradibus his prohibitis dispensasse, quod non facerent si ipsa lege diuina, aut naturali matrimonium in talibus esset nullum.

Aut ergo dicendum erit in hac quæstione satis incerta ob varias grauium Doctorum sententias, & interpretationes, hæc matrimonia fuisse non solùm prohibita, sed etiam inualida, seclusis circumstantiis particularibus, ad quas non se extendebat, neque de facto extendit diuina præceptio, & lex: hæ autem circumstantiæ sunt, aut necessitas communis boni, quod præponderat, pacis, aut fidei, aut propagationis, & facultas Ecclesiæ, ita quòd particulari arbitrio non permittebantur talia coniugia inter fideles; aut lex, & consuetudo inter infideles, qui nullam aliam regulam habent contractus. Hæc secunda circumstantia est rationabilis: quia coniugia in his circumstantiis communis boni tam temporalis, quàm etiam spiritualis debent ad communem, & publicam authoritatem reuocari, & hoc olim in coniugio Isaac, & Iacob fuit obseruatum, qui ex facultate, & dispensatione parentum, in quibus fuit authoritas spiritualis, & Ecclesiastica illius status, vxores in his gradibus consanguinitatis acceperunt; in Gentibus verò, vbi consuetudo, & lex viguit, hæc authoritas etiam ad primates spectabat, qui eiusmodi connubia inuexerunt. In lege autem Euangelica residet in Vicario Christi, sine cuius authoritate talia connubia etiam lege diuina essent inualida, & non solùm authoritate Canonica; & sic intelligi possunt plures Doctores, qui hæc matrimonia asserunt ipso Iure naturali, aut diuino esse irrita, id scilicet absolutè, & regulariter verum esse, & spectata materia in se, seclusis particularibus circumstantiis maioris boni, & authoritatis publicæ. 29

Primus modus reconciliandi sententias extremas.

Vel dicendum est secundò illa matrimonia fuisse tantùm prohibita diuina lege positiua, sed simplici prohibitione, & non irritante contractum; esse autem nulla per legem Canonicam inter fideles; inter infideles autem per authoritatem publicam, vbi consuetudine reprobantur, aut lege. 30

Secundus modus reconciliandi prædictas sententias.

Et si dicas hanc restrictionem esse liberam, & voluntariè excogitatam.

Replica.

Respondetur esse fundatam, in communibus principiis, quia in quæstione tam graui, & periculosa, cui admiscetur authoritas diuinæ, & humanæ legis, Pontificum, Patrum, plurium Conciliorum, & Doctorum, non est vacillandum, aut ad extrema transeundum, fouendo controuersias, sed Iura concordanda sunt, & ex praxi Ecclesiæ interpretanda, quæ veritatis est columna. Plures Patres dicunt esse hæc matrimonia inhibita Iure diuino, cuius originem in

Soluitur.

Fũdatur præmissa concordia.

Extremæ sententiæ.

in discursu videntur referre ad Ius naturale connubij, & sanguinis. Ex alia parte habemus decreta Ecclesiæ nunc ampliantis, nunc restringentis illos gradus, ad valorem matrimonij, vt ex dictis apparet, & permittit infideles in secundo & tertio gradu, tam affinitatis, quàm consanguitatis coniunctos, post conuersionem permanere. Dispensari etiam ob bonum publicum, & præponderans in gradibus similibus affinitatis, oportet hinc colligi neque Iure naturali, aut diuino eos comprehendi in particularibus circumstantiis maioris, & communis boni; quamuis aliàs præcisè sumpta, & absoluta essent nulla sine talibus circumstantiis. Et hoc modo reducitur opinio negatiua ad praxim Ecclesiæ, quæ suam authoritatem eiusmodi contractui sæpiùs interposuit, & saluatur eius dispensatio, & authoritas Patrum, qui valorem horum contractuum reducunt ad legem humanam, vt Hieronymus, & Augustinus. Si verò dicamus esse simplicem tantùm prohibitionem diuinam, & seclusis præmissis circumstantiis, perinde saluantur Decreta, & Canones, & praxis Ecclesiæ.

31 *Confirmatio interpretationis à posteriori.*

Ad confirmationem præmissæ interpretationis, vt discurramus à posteriori, hæc conclusio pro certa statuenda est: matrimonia illa in præfatis gradibus fuisse valida in Patriarchis; fuisse valida inter Gentiles conuersos, vt inita primùm in infidelitate *ex cap. Gaudemus*, esse valida ex dispensatione Pontificia. Debet ergo hæc conclusio reduci ad principia certa; proinde decisio eius non cohæret cum hoc, quod est talia matrimonia esse Iure diuino, & naturali in quibuscumque circumstantiis nulla, quæ principia non cohærent cum veritate conclusionis; ideóque reducenda sunt ad limitatum sensum, & materiam, seclusis circumstantiis, in quibus matrimonia erant valida, quæ circumstantiæ iam præmissæ sunt.

Illa matrimonia saltem fuisse prohibita.

Ex alia parte ipsa diuina Scriptura in Leuitico reprobat illa matrimonia, aut reprehendit tanquam illicita, etiam ante legem inita à Chananæis, & in ipsis à Deo punita. Patres dicunt esse contra Ius diuinum, etiam sunt contra debitam in familia disciplinam, & cohabitationem, qua ratione reducuntur ad Ius naturale, & etiam ab iis Gentiles abstinuerunt, in quibus fuit maius lumen, & melior consuetudo, tanquam ab illicitis, & contra inclinationem sensus, vt dicit Augustinus loco proximè citato, quod plurimùm valet ad interpretationem legis naturalis, vel in se ipsa, vel quoad ea, quæ sunt consona: ergo ex hac parte non est ita declinandum ad alterum extremum, vt dicantur nulli Iuri diuino repugnare, etiam comprehendendo simplicem prohibitionem; ideóque concordia præmissa retinet medium reducendo extrema ad interpretationem congruam, desumptam ex praxi Ecclesiæ, cum qua vtraque sententia cohærere potest. Et neganda est sequela, quam aliqui Authores inferunt hinc, inde, vel

Negatur sequela pretensa.

dicendo matrimonia simpliciter inualida, & separandos esse infideles conuersos, qui in gradibus illicitis aliàs contraxerunt ante Baptismum; vel ex alia parte neganda est sequela, quam deducunt alij, vel ex praxi, vel ex principiis, quibus innituntur probantes nullo diuino Iure esse talia illicita: & per hoc patet ad fundamenta vtriusque sententiæ extremæ, inquantùm plus probant, quàm contineatur in principiis; admitti enim potest illa matrimonia aliquando seclusis circumstantiis fuisse inualida, vel fuisse illicita, iuxta vnum, vel alterum modum.

h *In lege autem Euangelica*, &c. In hac conclusione docet præscriptum antiquum Canonum, & patet ex pluribus *cap. 35. per totum*, *ex titulo de consanguinitate & affinitate*, *ex titulo de diuortijs*. Subiungit mox Decretum Innocentij III. in Concilio Lateranensi *cap. Non debet*, &c. *de consanguinitate, & affinitate*, qui reduxit statutum ad quartum gradum propter plura incommoda, vbi communiter Doctores: vide Glossam. vide etiam Bellarminum *lib. 1. de matrimonio, cap. 25.* vbi dissoluit argumenta hæreticorum, eósque impugnat. Lutherus & Buccerus solùm agnoscunt gradus in Leuitico prohibitos esse indispensabiles, & hac ratione aliqui seduxerunt Henricum VIII. Angliæ Regem, vt Reginam Catherinam repudiaret, quasi dispensatio fuerit nulla; vide Bellarminum loco citato, qui singulos errores de hoc exponit, & impugnat. 32

Statutū Canonum antiquorum.

Restrictio ad quartū gradum.

i *Sed vnde est quòd propinquitas talis*, &c. Resoluit hoc impedimentum esse Iuris Canonici, Ecclesia illegitimante contrahentes in tali gradu consanguinitatis. Christus enim non induxit aliam prohibitionem, quàm quæ fuit in lege naturæ, neque confirmauit prohibitionem super hoc factam in lege Mosaïca. Hæc sententia Doctoris est satis frequens in scholis, quam sequitur Sanchez *disput. 52. quæst. 1.* alios citans. Hîc autem loquitur Doctor de inhibitione annullante matrimonium in his gradibus, non autem de simplici inhibitione non irritante factum. ideò videtur sentire gradus illos Leuitici irritasse matrimonium in lege illa, quod satis probabile est quoad aliquos, quibus constituitur in lege, *cap. 20.* pœna mortis. Quoad alios verò pœna leuior, vt quòd filij non reputentur ipsis; quæ pœna videtur non annullasse factum, sed permisisse. Non negat Doctor fuisse prohibitionem simplicem contrahendi in illis gradibus, vt *suprà* visum est, quia agit tantùm ex scopo discursus, de prohibitione illegimante personas. Rationem subiungit prætereà, cur Ecclesia reduxerit hoc impedimentum ad quartum gradum, quæ ratio communiter est recepta, & insinuatur in illo cap. *Non debet*, &c. 33

Esse impedimentum Iuris Canonici.

Explicatur sententia Doctoris.

k *Ad argumenta*, &c. Patet ex litera, & ex dictis de impedimentis cognationis spiritualis, & legalis agit Doctor *dist. 42.* cum Magistro, ideò quid circa illa statuant Canones, *ibid.* resoluetur. 34

DISTIN

DISTINCTIO XLI.

De gradibus affinitatis.

NVNC de affinitate videndum est, de qua Gregorius ait, [Porrò de affinitate, quam dicitis parentelam esse, quæ ad virum ex parte vxoris, seu quæ ex parte viri ad vxorem pertinet, manifesta ratio est: quia si secundùm diuinam sententiam ego, & vxor mea sumus vna caro, profectò mihi & illi mea, suaque parentela propinquitas vna efficitur. Quocirca ego & soror vxoris meæ in vno & primo gradu erimus: filius verò eius, secundo gradu erit à me, nepotis verò in tertio. Idque vtrimque in cæteris agendum est successionibus. Vxorem verò propinqui cuiuscumque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua fœmina propriæ propinquitatis sit. Quod nimirum vxori meæ de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus conuenit obseruare. Qui verò aliorsum sentiunt, Antichristi sunt.] Item, Iulius Papa, [Æqualiter vir coniungatur consanguineis propriis, & consanguineis vxoris.] Item, Isidorus, [Sanè consanguinitas, quæ in proprio viro conseruanda est, etiam in vxoris parentela, de lege nuptiarum custodienda est: quia constat eos duos fuisse in carne vna. Ideóque communis est illis vtraque parentela.] Item, Iulius Papa, [Nullum in vtroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel vxoris, vsque in septimum generationis gradum, vxorem ducere, vel incesti macula copulari: quia sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic nec de consanguinitate vxoris coniugem ducere, propter carnis vnitatem.] Item, Gregorius, [De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit vsque ad septimam generationem obseruare. Nam & hæreditas rerum per legales instrumentorum definitiones sancita, vsque ad septimum gradum hæredum protendit successionem. Non enim eis succederent, nisi de propagine cognationis deberetur.] His auctoritatibus insinuatur, & quæ sit affinitas, & vsque ad quem gradum sit obseruanda, scilicet vsque ad septimum.

A *35. quæst. 5. c.* Porrò de affinitate. *35. quæst. 2. & 3. cap.* Æqualiter. *Lib. 9. etymol. c. 5. & vbi suprà c.* Sanè cõsanguinitas. *Ibid. cap.* Nullum. *In Concilio Meldensi, ibid. c.* De affinitate.

Variæ traditiones de affinitate.

SEd aliꝭ videntur concedere, in quinta generatione inter affines contrahi coniugium, & in quarta, etiamsi contractum fuerit, non separari. Ait enim Fabianus Papa, [De propinquis, qui ad affinitatem per virum & vxorem veniunt, defuncta vxore, vel viro in quinta generatione iungantur: in quarta, si inuẽti fuerint, non separentur: in tertia verò propinquitate non licet vxorem alterius accipere post obitum eius. Æqualiter vir iungatur in matrimonio eis, qui sibi consanguinei sunt, & vxoris suæ consanguineis, post mortem vxoris.] Ecce hîc conceditur, in quinta, vel quartà propinquitate, affinium fieri coniugium. Iulius etiam Papa ait, [Statutum est, vt relictam patris vxoris suæ, relictam fratris vxoris suæ, relictam filij vxoris suæ, nemo sibi in matrimonium sumat: relictam vxorem consanguineorum vxoris suæ vsque in tertiam progeniem, nemo in vxorem sumat. In quarta verò, & quinta, si inuenti fuerint, non separentur.]

B *Ibid. c.* De propinquis. *Ibid. cap.* Æqualiter. *Ibid. c.* Et hoc quoque.

Ecce quàm variè de affinitatis obseruatione loquuntur auctores. Alij enim vsque ad septimum gradum eam obseruari sanciunt. Alij verò in quinto, vel quarto matrimonia contracta non diuidunt. Sed illi veritatis rigorem, isti misericordiæ dispensationem videntur proponere. Potest enim Ecclesia dispensare in copula affinium, vsque ad tertium gradum: sicut Gregorius dispensauit in quarto gradu consanguinitatis. Illud autem non est prætereundum, quod Gregorius Venerio Episcopo scripsit, [Sedem Apostolicam consulere decreuisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro coniuncta, cognationi eius pertineat, si eo defuncto cognatio maneat, vel si sub alio viro cognationis vocabula dissoluantur, vel si susceptæ soboles possint legitimè ad prioris viri cognationis transire copulam. Si vna caro fiunt: quomodo aliquis eorum potest propinquiùs vni pertinere, nisi pertineat alteri? Hoc minimè posse fieri credendum est. Porro vno defuncto, in superstite affinitas non deletur: nec alia copula coniugalis affinitatem copulæ prioris soluere valet: sed nec alterius coniunctionis soboles, placet ad affinitatis prioris viri consortium transire. Si quis ergo sacrilego, & temerario ausu in defuncto quærit propinquitatem extinguere, vel sub altero affinitatis vocabula dissipare, vel si suscepta soboles alterius copulæ propinquitati prioris credit legitimè sociari: hic negat Dei verbum validum esse, quod dixit, *Erunt duo in carne vna.*] Ecce hîc prohibet, si mortuo primo viro vxor eius alij nupserit, filios de secundo viro genitos, ducere vxores de cognatione prioris viri: quia filij mediante matre, ad cognationem prioris viri pertinent, cum quo mater eorum vna caro extiterat. Hoc idem etiam Innocentius Papa ait, [Si qua mulier ad secundas nuptias transierit, & ex eis sobolem genuerit, nullatenus potest ad consortium cognationis prioris viri pertingere.] Hoc autem obseruandum est vsque ad septimum generis gradum: sed maximè vsque ad tertium & quartum, sicut suprà positum est.

Supr. dist. 40. lit. C. 35. q. 10. c. Fraternitatis.

Genes. 2. Matth. 19.

35. q. 10. cap. Si qua mulier 1. & 2.

Si coniugium sit inter eos, qui nota consanguinitate diuiduntur.

C ET est sciendum, quòd Ecclesia infra prædictos gradus consanguinitatis coniunctos separat. Si autem ignoranter coniuncti fuerint in conspectu Ecclesiæ, & postmodum probata consanguinitate eiusdem iudicio separati: quæritur vtrùm copula illa coniugium fuerit? Quibusdam videtur non fuisse coniugium, quia non erant legitimæ personæ: sed tamen de crimine excusantur per ignorantiam, & quasi coniugium reputatur, quia bona fide, & per malum Ecclesiæ conuenerunt. Vnde & filij eorum legitimi habentur. Alij verò dicunt fuisse coniugium, licèt non essent legitimæ personæ: quia talium coniunctiones vocant Canones coniugia, vbi de personis agitur, quarum testimonio consanguineorum sit dirimenda coniunctio. Vnde Vrbanus Papa, [Si duo viri, vel tres consanguinitatem iureiurando firmauerint, vel ipsi fortè confessi fuerint, coniugia dissoluantur. Si verò neutrum contigerit, Episcopi eos per fidem Christi obtestentur, quatenus palam fateantur, si se recognoscunt consanguineos. Si se iudicio Episcoporum segregauerint, alia matrimonia non prohibeantur contrahere.] Idem, [Notificamus tibi, vt cùm tres, vel duo ex propinquioribus eius, qui accusatur, hanc propinquitatem iuramento firmauerint: vel si duo, vel tres ex antiquioribus Ianuensibus, quibus hæc propinquitas

Quibus personis testificantibus sint diuidẽda cõiugia. 35. quæst. 6. Si duo viri. Idem Rich. 10. Ianueñ. Episc. vbi supr. c. Notificamus.

pinquitas est nota, qui bonæ famæ, & veracis testimonij sint, remoto amore, timore, pretio, & omni malo studio, prædicta firmauerint, sine mora coniugia dissoluantur. Consanguineos verò extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in Synodo computet: sed propinqui, ad quorum notitiam pertinet. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus & veracioribus, quibus propinquitas tota nota sit, Episcopus canonicè perquirat: & si inuenta fuerit, separentur.] Ecce quibus accusantibus, vel testificantibus dirimenda sit consanguineorum coniunctio, quæ coniugium vocatur.

Fabianus Papa, ibid. c. Consanguineos.

Distinctio vtilis, quid sit fornicatio?

HIc dicendum est, quòd aliud est fornicatio, aliud stuprum, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus. Fornicatio, licèt sit genus omnis illici coitus, qui fit extra vxorem: tamen specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum. Stuprum propriè est virginum illicita defloratio. Adulterium est alieni thori violatio. Vnde adulterium dicitur quasi alterius thori accessio. Incestus est consanguinearum, vel affinium abusus. Vnde incestuosi dicuntur, qui consanguineis, vel affinibus suis abutuntur. Raptus admittitur, cùm puella violenter à domo patris educitur, vt corrupta in vxorem habeatur. Siue puellæ, siue parentibus vis illata constiterit, hic morte mulctatur. Sed si ad Ecclesiam cum rapta confugerit, priuilegio Ecclesiæ mortis impunitatem meretur. Attendendum est etiam illud Alexandri, qui ait, Quòd frater, sorórve vxoris tuæ cognati dicuntur, æquiuocationis iure fit, & necessitate vulgaris appellationis potiùs quàm vlla cognationis causa. Vxor enim fratris, fratrissa potiùs, quàm cognata vocatur. Mariti frater, leuir dicitur, duorum fratrum vxores, ianitrices vocantur, quasi eandem ianuam intrantes. Viri soror, glos appellatur. Sororis autem vir non habet speciale nomen, nec vxoris frater.

D

Hoc totum vsque ad parag. Attendendũ, *habetur* 36. *q.* 1. *c.* Lex illa prætеritorũ. *parag.* Sed nõ omnis.

Quid sit fornicatio, stuprũ, adulterium, incestus, & raptus. 35. *quæst.* 5. *cap.* Quod autem frater.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm affinitas impediat matrimonium?

D. Thom. *in addit. q.* 55 *art.* 2. *& hic q.* 1 *art.* 6. D. Bonauent. *art.* 1. *q.* 3. Richard. *art.* 2. *q.* 1. Paludanus *q.* 1. Sotus *quæst. vnic.* Durand. *quæst.* 1. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. c.* 3. Ouando *hic propos. vlt.* Petr. Ledesm. *de matrim. quæst.* 55 *art.* 1. *diffic.* 1. Sanchius *lib.* 7. *de matrim. disput.* 64. *& tribus seqq.*

CIRCA [a] istam quadragesimam primam distinctionem quæro: Vtrùm affinitas impediat matrimonium? Quòd non: effectus non repugnat suæ causæ; sed affinitas est effectus matrimonij: ergo non repugnat matrimonio. 1 *Argum.* 1.

Præterea, tunc incestus cum sorore vxoris impediret copulam coniugalem cum ea simpliciter, quia per illum incestum fit affinis vxoris suæ; consequens est falsum, vt habetur *Extrà eod. tit. de affinitate, & consanguinitate: Non debet.* *Argum.* 2.

Oppositum, 35. *quæst.* 3. *de propinquis.*

COMMENTARIVS.

a CIrca *istam quadragesimam primam distinctionem*, &c. In hac quæstione agit de impedimento affinitatis. Diuiditur in duas partes. Prima describit affinitatem, tradit regulam, ex qua gradus eius dignoscuntur, & assignat causas eius, & species. Secunda pars respondet ad quæstionem propositam, & declarat qualiter impedimentum sit irritans matrimonium, & respõdet ad rationes oppositas. *Ordo, & diuisio.*

SCHOLIVM.

Definit affinitatem: & ponit regulam, scilicet toto gradu affinitatis te attingere aliquem, quoto consanguinitatis attingis personam, cui carnaliter commixtus es. Ad affinitatem propriè dictam non sufficit aliquam esse uxorem; sed requiritur, & sufficit copula. Lato modo, impedimentum ex matrimonio rato dicitur affinitas, & dirimit vsque ad quartum gradum, licèt non habeatur expressum de hoc ius; ita Sotus hîc quæst. vnic. art. 2. col. pen. Abbas d. cap. Non debet, *n. 13. Nauar. 4. consil. de sponsal. 1. edit. cons. 13. Sanchius lib. 7. disput. 70. n. 1. magis propriè dicitur hoc impedimentum publica honestas, vt ait Scot. hîc. quem sequitur Sanchius citans multos.*

2 *Affinitas describitur.* HIc [b] breuiter ratio affinitatis potest poni talis. Affinitas est vinculum quoddam personæ ad personam aliquam, ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum. Semper enim, quia persona carnaliter copulata est consanguinea alicui, ideò illa, cui copulatur, fit affinis illius, & è conuerso: & est quasi expositio nominis *affinis*, id est, accessio ad affines. coniunctus enim carnaliter alicui de consanguinitate aliqua accedit per hoc ad affines illius consanguinitatis: & ideò habet vinculum talis accessus ad omnes de illa consanguinitate. In isto vinculo possunt assignari gradus, & lineæ, sicut priùs in consanguinitate: & pro his omnibus est vna breuis regula.

3 *Regula de affinitate.* Quoto [c] gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto gradu affinitatis distat ab eodem, illa quæ est ab isto carnaliter cognita. non [d] dico, vxor: quia hoc non requiritur. non solùm enim cum vxore, sed cum concubina, vel meretrice contrahitur affinitas consanguineorum ipsius viri: imò in incestu.

Ad affinitatē requiritur carnalis copula. Non [e] sufficit ad affinitatem propriè dictam, quòd sit vxor, sed requiritur carnalis coniunctio, vt habetur 35. quæst. vltim. *Fraternitatis*, dicitur de coniugibus, *quòd si vna caro fuerint, non potest esse, quòd aliquis sit propinquus vni eorum, quin pertineat alteri.* in quo datur intelligi affinitatem non contrahi, nisi mediante commixtione carnali: extendendo tamen affinitatem, dicitur contrahi non solùm cum vxore carnaliter cognita, sed etiam cum non cognita: & quod plus est, cum illa, cum qua præcisè contrahuntur sponsalia. Vbi est aduertendum, quòd istud vinculum contractum ad aliquam propter coniunctionem eius cum aliquo consanguineo, & hoc, siue coniunctionem matrimonialem, siue concubinariam, dicitur communiter publicæ honestatis iustitia.

COMMENTARIVS.

1 *Affinitas definitur.* b HIc breuiter ratio affinitatis potest poni, &c. Affinitas hîc definitur: *Affinitas est vinculum quoddam personæ ad personam aliquam, ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum*, &c. *Alia definitio.* Hæc definitio eadem est cum illa communi Doctorum: qua definitur *propinquitas personarum ex carnali copula proueniens, omni carens parentela.* *Explicatio definitionis.* Dicitur *vinculum*, &c. aut *propinquitas:* quia in hoc conuenit cum consanguinitate; est enim quædam coniunctio, & societas proueniens ex carnali commercio duarum personarum ad inuicem, *cap. Fraternitatis*, 35. *quæst.* 10. *Si vna caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus vni pertinere, nisi pertineat alteri*, &c. & Glossa *in cap. Non debet, ver. in 2. persona addita personæ per carnis copulam mutat genus, & non gradum*, &c. *mutare genus*, est acquirere nouam propinquitatem, quam anteà non habuit, quia per copulam redditur affinis consanguineis personæ, cui commiscetur, *non mutat gradum:* *Quomodo desumitur gradus affinitatis.* quia gradus affinitatis sequitur gradum consanguinitatis, ita vt in eodem sit gradu affinitatis ad cõsanguineos personæ, cum qua fit vna caro, quo ipsi consanguinei sunt secundùm distantiam, aut propinquitatem, vt colligitur *ex cap. Porrò*, 35. *quæst.* 5. Dicitur *personæ ad personam*, &c. quia in his est ipsa coniunctio per copulam carnalem; quia ex illa fit vna caro, & est fundamentum propinquitatis, aut vinculi; & intelligitur tam de licita, quàm de illicita copula. Additur autem in definitione communi *omni carens parentela*, vt denotetur causa per se affinitatis, & præcisa; vnde per accidens est si cõcomitetur consanguinitas ex alio vinculo: quia inde nõ resultat affinitas, neque mutatur.

Hæc definitio est nominis, & expositio eius: *Etymon.* quia affinis est accessio ad finem, aut finium coniunctio, & indistantia, qua sic duæ cognationes inter se copulentur per nuptias, & copulam personarum carnalem, *l. Non facilè, ff. de grad. consanguin.*

Quoto gradu consanguinitatis, &c. Hæc regula communis est, & patet *ex cap. Porrò, citato*; extenditur enim affinitas ad septimum gradum, sicut & consanguinitas, iuxta antiqua Decreta; qui autem copulantur, non censentur affines, sed vna caro, quia affinitas est distantium propinquitas, coniuncti enim sunt truncus, seu stipes ipse, à quo sumitur initium affinitatis; vnde numerando parentes vxoris, eodem gradu affinitatis distant à marito, quo gradu consanguinei ab eodem distant, & propinquant secundùm consanguinitatem, & vice versa, ita Moguntinum sub Rabano *cap.* 30. 2 *Regula communis. Extenditur affinitas ad eos gradus, ad quos se extēdit consanguinitas.*

Non

3 *Ius antiquũ.* d *Non dico vxor,*&c. Ita statutum fuit Iure antiquo perinde incurri affinitatem ex copula matrimoniali, & ex copula fornicaria, aut incestuosa vsque ad septimum gradum, vel vsque ad quartum, iuxta restrictionem factam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *c. Non debet,*&c. *de consanguinitate, & affinitate.* Sed ex *Restrictio iure nouo.* statuto nouo Concilij Tridentini *sess.* 24. *de reformat. matrimon. cap.* 4. restringitur affinitas ex copula fornicaria ad primum, & secundum gradum inclusiuè, & non vltrà.

4 *Requiritur copula.* e *Non sufficit ad affinitatem propriè dictam,*&c. Docet ad affinitatem propriè dictam requiri copulam, & patet *ex cap. Fraternitatis,* 35. *quæst.* 10. & patet ex definitionibus allegatis, & causa affinitatis, quæ est copula; vnde affinitas nascitur ex sola fornicaria, vbi non intercedit vinculum matrimoniale, & omnia Decreta, ex quibus hoc impedimentum statuitur, referunt affinitatem ad copulam. Hinc colligit ad affinitatem propriè dictam non sufficere matrimonium ratum tantùm, quia etsi potestas corporum transferatur in hoc matrimonio; tamen non inde consurgit affinitas propriè dicta nisi accedat copula, qua fiant vna caro; ideò affinitas ex matrimonio rato tantùm est largo modo dicta, propriè autem spectat ad publicæ honestatis iustitiam, quæ inducit impedimentum, & ita appellatur, *cap. Porrò,* 3. *q.* 3. quod & tenet Glossa *in cap. Si quis desponsauerit,* 27. *q.* 2. *si quis desponsauerit sibi aliquam, & praeueniente mortis articulò eam cognoscere non potuerit: frater eius non potest eam ducere in vxorem,* &c. vbi Glossa intelligit textum de sponsa, de præsenti, & non pro futuro, & subdit; *& hac causa est impedimentum publicæ honestatis iustitiæ, non affinitatis: quia illa non est, nisi interueniat carnalis copula.* & *cap. Lex diuina, eod.* docet Pontifex aliter non fieri virum, & mulierem vnam carnem, nisi per copulam carnalem, & subdit: *Propinquitas enim sanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur: sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem,*&c. Idem docet Abbas, *cap. Iuuenis.* & *cap. Sponsam,*&c. *de sponsalibus.* Cardinalis, & Præposit. *cap. Sponsam.* Couarruuias *in* 2. *part. Decreti, cap.* 6. Nauarrus *lib.* 4. *consiliorum, consil.* 33. *de sponsal. consil.* 8. *de consanguin.* aliàs *de sponsal. consil.* 11. *de consanguin. consil.* 4. Bassolis, Nicolaus de Orbellis. Supplementum Gabrielis *in hac distinct.* Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, disput.* 54. *quæst. vltim.* plures citans.

Ex matrimonio rato non est affinitas propriè dicta.

Spectat ad publicæ honestatis iustitiã propriè.

SCHOLIVM.

Affinitas impedit Iure Ecclesiæ, & dirimit vsque ad quartum gradum, d. c. Non debet. *& c.* 1. *de consanguin. idem ait de publica honestate, ex matrimonio rato, vel sponsalibus, etiam nullis, aliter quàm defectu consensus. ex cap. vnic. de sponsal.* 6. *tamen Trident. sess.* 24. *cap.* 3. *impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus restrinxit ad primum gradum tantùm, & ad sponsalia valida. Sed nihil restrinxit circa impedimentum ex matrimonio rato, atque adeò oritur modò vsque ad quartum gradum, & ex contractu irrito, ex motu proprio Pij V. de quo Sanchius lib.* 7. *disp.* 70. *num.* 5. *Restrinxit etiam Concilium ibidem, cap.* 4. *affinitatem ortam ex illicito coitu, ad secundum gradum. De hoc impedimento tradit exactissimè Sanchius lib.* 7. *disp.* 64. *& tribus seqq.*

AD [f] quæstionem ergo dico, quòd affinitas simpliciter impedit matrimonium: 4 & ratio non est nisi statutum Ecclesiæ illegitimantis affines, & [g] in eodem gradu impedit matrimonium, in quo consanguinitas. & hoc quidem de affinitate propriè dicta; patet *in tit. illo de consanguinitate, & affinitate, cap. Non debet.* [h] Consimiliter de affinitate communiter, & extensiuè dicta, quæ vocatur publicæ honestatis iustitia, habetur *Extrà de consang. & affinit. cap.* 1. æquè vt Canones dicunt, abstinendum est à consanguineis vxoris, & propriis. De ista etiam publicæ honestatis iustitia, multa habentur *Extrà de consanguin. & affinit. & in 6. lib. quod ex sponsalibus*, quæ ipso iure sunt nulla, vel qualitercumque, dum tamen non sunt nulla ex defectu consensus, oritur istud impedimentum matrimonij impediens contrahendum, & dirimens iam contractum.

Affinitas impedit matrimonium.

Cap. vn. de sponsal. 6. corrigitur per Tridẽt. sess. 24. c. 3.

5 *Ad arg.* 1. Ad primum argumentum dico, quòd affinitas, quæ est effectus matrimonij cuiusdam præcedentis, illud non impedit: sed impedit aliud inter illos, inter quos per matrimonium est contracta affinitas.

Ad 2. Ad secundum dico, quòd affinitas contracta per copulam cum sorore vxoris ante matrimonium, simpliciter impediret matrimonium pro futuro: sed post matrimonium contractum, affinitas superueniens non dirimit: & ratio est, quia multa impediunt nondum factum, quæ non destruunt iam factum; priuatur tamen vir iure petendi propter illud crimen, & post mortem vxoris sine coniugio permaneat, vt habetur *ibidem.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

5 *Cõclusio principalis quæsiti.* AD *quæstionem ergo dico*, &c. Hæc prima conclusio huius articuli est: Affinitas simpliciter impedit matrimonium, &c. Probatur *cap. Si mulier 35. quæst.10. cap. de propinquis.* Eliberitanum *cap.61.& 66.* Neocæsariense *c.2.* Agathense *cap.30.* Epannen.*cap.30.* Tolet. II. *c.5.* Aurelianense I. *c.20.* Secundum *c.10.*Tertium *cap.10.*Aruernense *cap.11.*Turonense II. *c.21.* Parisiense III. *c.4.* Lugdunense II. *c.4.* Matisconense II. *cap.18.*Altisiodorense *cap.27.* 28.& 29.Concil.Romanum I.sub Zacharia *c.6.* Arelatense IV. *cap.11.*Cabilonense II. *cap.29.* Moguntinum sub Leone III. *cap. 54. & 56.* sub Rabano *cap. 29. & 30.* Alexander III. *in appendice Concilij Lateranensis, p.6. cap.32.* Tridentin. *sess.24.cap.3.* Accedunt plurima Decreta Romanorum Pontificum, vt Higini, & Fabiani, quorum sunt illa duo capita primùm enumerata. Iulij I. *cap. Nullum in vtroque 35. q.5.* Vigilij *epistola 3.* *Gregorij.* Gregorij I. *lib.12. epistola 31. interrog.6.& 7.& epist.32.* Secundi *epist.14.* Zachariæ *epist.1.* Septimi *lib.7. epistolarum, epist.9. lib.8.epist.3.*Ex quibus patet conclusio,& reprobata Nouatorum proteruia, qui contra tot Canones, & antiquitatem pugnant,recipientes tamen impedimenta, quæ lege ciuili statuta sunt matrimonij.

6 *Secunda conclusio. Impedimentũ esse Iuris tantùm Ecclesiastici.* Secunda conclusio Doctoris,hoc impedimentum esse Iuris tantùm Ecclesiastici.Ex hac conclusione sequitur primò impedimentum ex copula illicita non irritare matrimonium Iure naturali: est contra Ioannem Andream *cap. 1. de conuers. infidelium*, & quosdam alios. *Sentẽtia Ioannis Andreæ reijcitur.* Patet,quia non inuenitur vinculum aliquod amicitiæ, & societatis inter consanguineos vtriusque; neque reuerentiæ debitum aliquod, ex tali copula. Deinde,quia Iure antiquo Romanorum non oriebatur affinitas ex tali copula. *l. Non facilè, ff. de gradibus consanguinitatis*; neque *in l. Leuitici*,habetur mentio talis affinitatis. Tertiò,quia Tridentinum reuocauit talem affinitatem ad duos gradus tantùm. Si autem Iure naturæ matrimonium talis copula irritaret, haberetur aliquo modo expressum in legibus prædictis, & dilataretur affinitas ad vlteriores gradus, sicut & consanguinitas,& fundaret aliquã amicitiam, & societatem, quam non fundari experientia docet: ergo Iure tantùm Ecclesiastico fundatur hoc impedimentum, quamuis innitatur vt consonum Iuri naturali, & similitudine quadam ad affinitatem ex legitimis nuptiis contractam, non verò proprietate. *Explicantur Patres.* Hinc patet ad aliqua loca Patrum, qui matrimonium cum ea, quæ cognita est à consanguineo fornicariè, vocant incestum. idem enim Iure antiquo Ecclesiastico verum fuit, & quadam accommodatione ad Ius naturale, ex eo quòd ex ea copula facti sint vna caro; sed quia affinitas nata est inducere vinculum naturalis socitatis, quod in proposito non inducit, ideò non accedit ad affinitatem, quæ est ex copula coniugali.

7 *Matrimoniũ in linea recta,& transuersali dirimi Iure Ecclesiastico,affinitate.* Sequitur secundò affinitatem ex copula coniugali etiam Iure Ecclesiastico dirimere matrimonium tam in linea recta, quàm transuersali, non autem Iure naturæ. Est contra plures, qui docent in linea recta dirimere matrimonium in infinitum. vt Ioannes Andreas *in arbore affinitatis*, & aliquot alij Canonistæ. Paludanus, & Supplementum Gabrielis *in præsenti distinctione.* Alij verò docent in linea recta esse prohibitum Iure naturæ quoad primum gradum, non quoad reliquos vlteriores; & hanc sententiam docet D.Thomas in illud 1.ad Corinth.1. *Omnino auditur inter vos fornicatio*, &c. & plurimi alij, quos citat Sanchez *lib.7.disput.56.* Sotus *in hac distinct.quæst.vnic.art.3.* Couarruuias citatus.Bellarminus *lib.1.de matrimon.cap.28.* *Aliorum sententia in primo gradu prohiberi Iure naturali.*

Conclusionem sequelæ tenent Alensis *2.part. q.169. memb.2. & 3. part. memb.4.art.3.quæst.35. memb.6.*& videtur D.Thom.*2.2.quæst.154.art.9. ad 3.*vbi Caietanus,Sanchez *num.7.*alios citans. Probatio autem conclusionis quoad lineam rectam est difficilior: quia in hoc non habetur exemplum in Ecclesia, aut lege veteri, quamuis apud Gentiles alicubi fuerint quædam exempla rara,quæ tamen non sufficiunt ad hanc probationem: quia non apud omnes Gentiles viguit obseruantia perfecta legis naturalis, quoad conclusiones remotiores: neque alia ratio, quæ adducitur ex fine matrimonij primario & secundario etiam probat, quia inter patrem & filiam etiam ille finis propagationis, & educationis prolis, ac remedij saluari potest, quamuis matrimonium inter ipsos Iure naturæ irritum (loquendo de Iure naturæ latè eo modo, quo diximus *suprà distinctione præcedenti*,) neque etiam ratio, quæ petitur ex eo, quòd in linea transuersali in primo gradu matrimonium valeat: nam inde non rectè infertur valere in primo gradu lineæ rectæ; quia in his habemus exempla legis diuinæ veteris, & plura exempla in lege noua,& Decreta Pontificum,ex quibus id colligamus, & in primo gradu lineæ rectæ nullum suppetit exemplum. *Probatio difficilis.* *Reijciuntur vulgares.*

Vnica ratio videtur mihi magis idonea, nempe quòd matrimonium cum secunda vxore,sicut diuidit carnem parentis, & fit bigamus ex hac diuisione, neque repræsentet perfectè Sacramentum vnionis Christi cum vnica sponsa,quæ est Ecclesia: ita etiam respectiuè ad filios ex prima vxore nouercam, sicut non est principium dandi *esse*, sic magis discindere societatem, quæ est ex matrimonio respectiuè ad priores filios, & familiam, vt experientia constat, quia proprios etiam in præiudicium priuigni fouet, & amorem paternum discindit, ipsum ad suos proprios filios retrahens. Hinc ergo sequitur non attingere illam societatem perfectam, & vinculum in ea fundatum, & debitum reuerentiæ, quæ est inter filium, & veram matrem, ac proinde non reperiri eandem congruentiam irritandi contractum in affinitate, quoad primum gradum in linea recta, sicut reperitur in linea recta consanguinitatis quoad primum gradum. 8 *Probatio magis commoda.* *Ex diuisione societatis naturalis,& affectus.* *Deficit fundamentũ vinculi.*

Hæc quidem ratio, etsi vera sit in principiis, est valdè dubitabilis quoad conclusionem, neque alia mihi offertur, qua fundaretur disparitas inter primum gradum consanguinitatis, & affinitatis in linea recta. Cui placuerit hæc ratio, potest sequendo conclusionem, quam Doctor proponit absolutè, & tenent post eum alij, dicere matrimonium in linea recta affinitatis quoad primum gradum, sicut aliter participat finem 9

finem matrimonij quoad vinculum societatis inter propagatos, ita etiam aliter affici lege matrimonij diuina, (quam vocat Doctor naturalem in proposito, iuxta aliàs dicta;) nempe esse quidem interdictum, non tamen irritum illa lege, siue dicatur diuina, siue naturalis; non ita matrimonium, quod est in primo gradu consanguinitatis, quia illud etiam est irritum; lex autem sicut respicit subiectum, aut materiam in ordine ad finem, ita etiam quæ aliter attingunt ipsum finem, sic etiam aliter, & aliter afficit, verbi gratia, præceptum de fine comprehendit ea, quæ sunt necessaria ad finem per modum præcepti, ea verò quæ conducunt ad finem, & non necessariò, respicit per modum consilij. ita in proposito matrimoniũ, quod ordinatur ad finem societatis, & præceptum huius finis, id est, societatis, quò maior est societas, eò magis comprehenditur, & in differenti gradu sub lege; vnde ex opposito, quò magis recedit à vinculo societatis, eò etiam minùs comprehenditur sub lege; hìc autem non datur medium, nisi præcepti simplicis, aut irritantis, ex fine societatis: dici ergo potest respectiuè ad matrem esse irritans matrimonium, respectiuè ad nouercam prohibens, & sic responderi potest ad quædam loca Patrum, & Scripturæ, quibus hoc matrimonium reprobatur.

Lex quæ est de fine, respicit media in eo gradu, quo reducũtur ad finem.

Confirmatio.

Confirmari potest, quia non ex vi solius contractus lege diuina, aut naturali est impedimentum irritans, vt patet ex dictis: non ex copula sola, vt etiam patet ex dictis de copula fornicaria, non ex vtroque simul: quia hoc matrimonium non inducit vinculum amoris indissolubilis respectiuè ad filium, sed magis discindit amorem naturalem patris, qui adhæret vxori, & amorem etiam nouercæ, quæ, vt experientia constat, magis in seipsam, & proprios inclinatur, & negligit priuignum, eique inuidet.

10 *Præfertur sententia affirmatiua.*

His non obstantibus, ego magis inclino in illam sententiam, quæ docet matrimonium in primo gradu affinitatis esse omnino irritum lege diuina, seu naturali, vt alij vocant. Primò, quia *Leuit.* 18. perinde dicitur non reuelandam turpitudinem matris, & vxoris patris, & dat eandem rationem, quia turpitudo patris tui est: ergo simili lege comprehenditur vtrumque, & eadem regulatur. Secundò, quia nullum omnino talis matrimonij exemplum suppetit in diuinis, aut Ecclesiasticis Scripturis. Tertiò, quia *Genes.* 49. Iacob maledixit Ruben ex eo, quòd thorum patris maculasset. Tertiò, Paulus *loco citato*, 1. *ad Corinth.* 5. tanquam abominabile persequitur tale factum Corinthij, qui vxorem patris sui polluit; & dicit neque inter Gentes talem fornicationem fuisse; tum quartò, quia reuerentiæ paternæ id plurimum repugnat, cui lex matrimonij non debuit præiudicare, quiæ minùs obligat, quia reuerentia paterna est stricti Iuris naturalis, non ita lex matrimonij, aut libertas, & habilitas data ad matrimonium. Quintò, quia nouerca fit caro patris, & magis gradus hic affinitatis contingit stipitem, quàm matrimonium cum vxore fratris; hoc autem non licuit nisi in casu, quo necessarium erat suscitare semen defuncto, qui sine prole discederet, aliàs non fuit concessum; & ideò Ioannes Baptista rectè reprehendit Herodem

Probatur ex Scriptura.

Reuerẽtia paterna est stricti Iuris naturalis.

Nouerca magis contingit patrem, quàm vxor fratris germanum.

propter Herodiadem, quam tulit fratri suo Philippo vxorem: ergo à fortiori in proposito matrimonium illud erat irritum, quia cessat finis etiam successionis, cùm filius ducens nouercam sit patri superstes. Sextò, quia Salomon Rex sapientissimus seuerè vindicauit in Adoniam fratrem, quòd sollicitarit nuptias cum Sunamitide, quæ erat vxor sui patris, quamuis eam non cognouerit. Accedit præterea septimò exemplum Dauid, qui nunquam ingressus est ad eas, quas Absalon filius polluit. Octauò, quia *cap. Gaudemus*, &c. *de diuortijs*, &c. vbi permittitur infidelibus conuersis permanere in matrimonio ante conuersionem inito cum vxoribus coniunctis aliàs, non fit mentio, nisi de coniunctis in secundo, aut tertio gradu, non autem in primo gradu, de quo nunquam aliàs videtur fuisse dubitatio. Quòd si dicas sermonem esse de consanguinitate, & non de affinitate, textus id non exprimit: & patet in lege illa Leuitici affinitatem in aliquo gradu fuisse vetitam ex lege matrimonij non solùm Iudæis; sed etiam anterioribus Chananæis, & pro lege naturæ consequenter, quando maius bonum non præferebatur.

Tenendo itaque hanc sententiam quæ probabilis est. Respondeo Doctorem agere de affinitate, iuxta præscriptum Canonum, quos citat, vt est propinquitas ex copula carnali duorum ad inuicem, quia, vt dictum est, affinitas sequitur regulam consanguinitatis, in qua non numeratur stipes, sed qui vniuntur ad stipitem propinquitate sanguinis. Vnde & affinitas etiam non comprehendit in supputatione truncum, sed personas descendentes, & collaterales, vt ad se inuicem appropinquant in stipite. Ideóque conclusio eius de his intelligenda est de quibus agunt Canones; non verò de matrimonio cum ipso stipite: nam filius descendens, sicut est ipsa caro patris, ita non constituit gradum respectiuè ad patrem, sed ad alios descendentes, iuxta supputationem Canonicam, quæ requirit duas generationes ad vnum gradum. 11

Explicatur Doctor.

Cõclusio Doctoris intelligenda de linea transuersali.

Quoad gradum primum in linea transuersali affinitatis conclusio præmissa magis patet, éstque tenenda maximè si subest legitima causa maioris boni; nam & lex ipsa diuina in hoc gradu dispensauit, vt frater defuncti ex relicta suscitaret ei semen, *in c. Gaudemus*, &c. *de diuortijs*, &c. permittitur tale matrimonium infidelibus conuersis; & ratio, quam adducit Pontifex, nempe inter infideles esse matrimonium verum, & ad eos non extendi pro statu infidelitatis impedimenta Canonum, supponit hæc matrimonia non esse Iure diuino, aut naturali irrita, & accedente fine honestante, esse licita, etiam *in Leuit. cap.* 20. Longè alia est pœna ducentis vxorem fratris sui, & ducentis nouercam, aut sororem propriam, quia his statuitur pœna mortis; illis autem quòd erant sine liberis: *Qui duxerit vxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui reuelauit: absque liberis erunt*, &c. Alexander VI. in eodem gradu dispensauit cum Rege Lusitaniæ. Iulius II. cum Henrico VIII. & Catherina Regibus Angliæ, quam confirmauit mox Clemens VII. consultis primariis vniuersitatibus totius Europæ, cuius Decretum adducit Castro *de lege pœnali*, *cap.* 12. patet *Exod.* 12. quia Iacob duxit duas vxores, 12

Impedimentũ linea transuersalis est Ecclesiasticũ.

Ratio legis probat intentum.

Dispensationes factæ.

vxores, Lyam, & Rachelem *Genes.* 29. Iudas duos fratres coniunxit cum sua nuru Thamar. Et hanc conclusionem viri doctissimi propugnarunt in prædicta controuersia inter Reges Angliæ, quos sequitur & citat Sanchez *prædicta disput. 66. quæst.* 1. *&* 2. Bellarminus, & alij citati; neque reprehensio Herodis à Ioanne Baptista huc spectat, qui, vt aliqui dicunt, viuente Philippo duxit vxorem eius, & etiam nata ex Philippo Herodiade filia superstite.

13 g *Et in eodem gradu impedit matrimonium*, &c. Hoc rectè iuxta statutum *cap. Non debet, de consanguin. & affinit.* & tenet de facto quoad affinitatem ex copula coniugali: quoad affinitatem verò ex copula fornicaria, & illicita, restrictum est Ius antiquum per statutum *suprà* præmissum Tridentini.

Dubium. Quæri solet an copula illicita cum consanguinea vxoris, vltra tertium gradum, vel in tertio gradu priuet maritum iure petendi debiti ex hoc capite: quod perinde est ac quærere, an Iura antiqua sublata sint ex toto per statutum Tridentini, an solùm quoad impedimentum matrimonij? *Resolutio.* Probabilius est non priuari iure debiti, quia Iura antiqua accessoriè tantùm inducebant hanc pœnam, ex eo quòd statuerint affinitatem; hæc autem sublata est per Tridentinum: ergo & illa pœna accessoria. Ita Nauarrus *lib.4.consil.cons.30.de consanguinit.* Sanchez *disputat.67. num.8.*

14 *Triplex genus affinitatis.* Aduertendum est Iure antiquo triplex affinitatis genus fuisse statutum. Primum genus est, de quo hactenus est tractatum, vt inter fratrem & vxorem sui fratris, & oritur ex consanguinitate hæc affinitas. Secundum genus est, quod fundatur proximè in hac affinitate, verbi gratia, si frater moritur, & vxor eius ducit alium maritum, tunc oritur affinitas secundi generis inter maritum secundum, qui dicatur Petrus; & sororem primi mariti eiusdem vxoris, quæ nupta fuit Paulo primo marito. Tertium genus affinitatis fuit fundatum in hac secunda affinitate, verbi gratia, si discesserit vxor Petri, quæ primùm nupta fuit Paulo, & Petrus ducat aliam, hæc alia ex nuptiis cum Petro coniungitur affinitate cum Ioanne fratre Pauli. Primum ergo genus affinitatis est Ioannis cum vxore sui fratris Pauli. Secundum genus est cum secundo marito eiusdem vxoris. Tertium genus cum secunda vxore eius mariti. Hæc duo genera exprimuntur *in c. Porrò, & in cap. de propinquis* 35. *quæst.* 5. reuocata sunt *cap. Non debet*, &c. *de consanguin. & affinitate*, vt rectè monet Doctor *in præcedenti distinct.* & Glossa in illud capitulum.

15 *Impedimentũ publicæ honestatis.* h *Consimiliter de affinitate communiter*, &c. Extendit hoc impedimentum ad affinitatem, quæ dicitur publicæ honestatis iustitia, & dicit esse Iuris Ecclesiastici, comprehendendo ipsam sub generali assertione conclusionis præmissæ, hoc impedimentum causam habet ex solo Ecclesiæ statuto, cuius motiuum fuit honestas seruanda, quia vel oritur ex sponsalibus, quæ sunt initium matrimonij, vel ex matrimonio rato; ac proinde Ecclesiæ, & Religionis honestati congruit, & paci inter parentes consanguineos, vt à sponsa, aut sponso, tam de præsenti, quàm de futuro arcerentur. De hoc impedimento habetur *titulo de sponsalibus, cap. Iuuenis, cap. Veniens, cap. Ad audientiam, cap. Sponsam, & eodem in 6. cap. vnico, & cap. Literas*, &c. *de sponsalibus impuberum.* *Lex huius impedimenti.* Contrahitur cum consanguineis tantùm, etiam illegitimis, non cum affinibus; extenditur ad eos gradus, ad quos consanguinitas extenditur, vt colligit Glossa *in cap. vnico, de sponsalibus in 6.* & ibi Doctores; sicut enim ad nullos gradus lege ipsa restringitur, ita sequitur naturam eius, *Sequitur affinitatem.* ad cuius similitudinem est inducta hæc affinitas, nempe affinitatis propriè dictæ. Ita communis. Oritur iure antiquo ex sponsalibus tam validis, quàm irritis, vt patet *cap. illo vnico*, modò *Statutũ Iuris antiqui.* non sint irrita ex defectu consensus, vt sunt sponsalia puerorum, & furiosorum; ideóque non tollitur, si sponsalia sint irrita ex impedimento voti, aut impotentiæ, aut huiusmodi. Idem supponit capitulum *Ad audientiam*, &c. *de sponsalibus*, &c. requiritur autem consensus naturalis & liber, vt valeant inducere hoc impedimentum, quamuis alioquin sit persona alio impedimento subiecta. Id statutum est ad excludendum prætextus, & dolum.

Lex noua Tridentini *sess.* 24. *cap.* 3. corrigit Ius antiquum in duobus. Primum est, vt non consurgat ex sponsalibus quacumque ratione inualidis, & irritis. Secundum est, vt non excedat primum gradum, id est, siue in linea recta, siue transuersali, quia plura incommoda ex opposito tunc dierum sequebantur. Hoc impedimentum est etiam perpetuum, vt deciditur *cap. Sponsam, de sponsalibus, cap. Si quis vxorem, & c. Si quis desponsauerit* 2. 27. *quæst.* 2. colligitur *ex cap. Fraternitatis* 35. *quæst.* 10. Ita Glossa *cap. vnico, de sponsalibus in 6.* & alij in prædicta Iura: immeritò ergo Saa *de impedimentis diriment. v. Matrimon. n.* 12. excipit casum, quo dissoluantur sponsalia ex consensu partium, quia etiam mortuo sponso dissoluuntur sponsalia, tamen manet impedimentum, ad quod sufficit contractum fuisse verum, absolutum, & legitimum, siue matrimonium subsecutum sit, siue non. 16 *Trident. Correctio Iuris antiqui.* *Est perpetuũ impedimentum.* *Sentẽtia Saa reijcitur.*

Non oritur impedimentum publicæ honestatis dirimens priora sponsalia ex subsequentibus sponsalibus cum consanguinea prioris, vt patet *cap. vnico, de sponsalib. in 6.* & hoc rectè est statutum, ne scandalum oriatur, & iniuria prioris sponsæ, & vt secludatur fraus ex sponsalibus sub cõditione initis; non oritur hoc impedimentum, donec transeant in absoluta, & purificetur conditio. Aduertendum Concilium Tridentinum nihil innouasse circa hoc impedimentum, vt est ex matrimonio rato tantùm: ac proinde standum erit Iuri antiquo, ita vt ad quartum gradum extendatur, & consurgat ex matrimonio etiam inualido. 17 *Ex secundis sponsalibus non oritur.* *Neque ex cõditionatis.* *Impedimentũ ex matrimonio rato manet post Tridentinum.*

Ad argumenta patet ex litera.

DISTIN

DISTINCTIO XLII.

De spirituali cognatione.

DE parentalium graduum famosa quæstione aliud licèt minùs sufficienter diximus. Iam de spirituali cognatione addamus, quæ etiam personas impedit, vt non sint legitimæ ad ineundas nuptias. Tria quædam sunt, consanguinitas, affinitas, & spiritualis germanitas. Consanguinitas est inter eos, qui iunguntur secundùm lineam generis. Affinitas inter eos, qui genere quidem non sunt coniuncti, sed mediante genere sunt sociati: verbi gratia, Vxor filij fratris mei, quæ non est de genere meo, per ipsum, qui est de genere meo, mihi affinis facta est, & ego illi. Spiritualis proximitas est inter compatrem, & commatrem: & inter eos, quorum vnus alterum de sacro fonte leuauit, vel in catechizatione, aut confirmatione tenuit. Est etiam inter filios eiusdem hominis carnales, & spirituales. A *Hugo sent. 2. c. 13.*

Qui sint filij spirituales?

SPirituales filij sunt, quos de sacro fonte leuamus, vel in catechizatione, seu confirmatione tenemus. Filij etiam, & filiæ spirituales eorum sunt, qui trinæ mersionis vocabulo eos sacro Baptismate tingunt. Dicitur etiam spiritualis filia Sacerdotis, quæ ei peccata sua confitetur. Vnde Symmachus Papa, [Omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filij: vt & ipsi quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus, vnda Baptismi regenerauit.] Syluester etiam admonet, vt ad suam filiam pœnitentialem nullus Sacerdos accedat, quia scriptum est; Omnes quos in pœnitentia accipimus, ita nostri filij sunt, vt in Baptismo suscepti: quorum omnium flagitiosa est commixtio. Quòd autem compater & commater sibi iungi nequeant, nec pater spiritualis, nec mater filiæ, vel filio spirituali, ex Concilio Moguntinensi docetur. [De eo quod interrogasti, Si aliquis filiolam suam duxerit in vxorem, & de eo qui concubuit cum matre spirituali, & de eo qui filium suum baptizauit, & vxor eius eum de fonte suscepit, hac causa vt dissidium fieret coniugij, si pòst in tali copula possunt permanere, sic respondendum est, Si filiolam, aut commatrem suam aliquis in coniugium duxerit, separandos esse iudicamus, & graui pœnitentia plectendos. Si verò coniuges legitimi, vel vnus, vel ambo ex industria hoc fecerint, vt filium suum de fonte susciperent: si innupti manere voluerint, bonum est: sin autem, grauis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant: & si præuaricator coniugij superuixerit, acerrima pœnitentia mulctetur, & sine spe coniugij maneat.] Ex his apparet, quòd aliquis filiolam suam, vel commatrem non potest sibi copulare nuptialiter: & si præsumptum fuerit, separandi sunt. Qui autem legitimè coniuncti sunt, non ideò separandi sunt, quia alter eorum insidiosè filium de fonte leuauit. Quod etiam Nicolaus confirmat, dicens, [Nosse desideras, vtrùm mulier, quæ viri filium ex alia fœmina genitum de sacro fonte leuauerit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideò coniungi posse decernimus,

B *30. quæst. 1. c. Ad limina, paragr. Filia dicitur. 30. quæst. 1. c. Omnes quos.*

In Concil. Moguntinensi, c. 10. & 30. q. 1. c. De eo.

Ibid. cap. Nosse.

quia secundùm Canones sacros, nisi amborum consensu nullius Religionis obtentu debet coniux dimittere coniugem, cùm Apostolus præcipiat, Nolite fraudare inuicem: nisi fortè ex consensu ad tempus, &c.] Item, [Dictum est nobis, quasdam fœminas desidiosè, quasdam verò fraudulenter, vt à viris suis separentur, proprios filios coram Episcopis ad confirmandum tenuisse. Vnde nos dignum duximus, vt si qua mulier filium suum desidia, aut aliqua fraude coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam, vel fraudem, quamdiu viuat, pœnitentiam agat: tamen à viro suo non separetur.] Item, Ioan. Papa, [Ad limina sancti Petri homo nomine Stephanus veniens, nostro præsulatui innotuit, quòd filium suum in extremo vitæ positum, necdum Baptismi vnda lotum, absentia Sacerdotum cogente baptizauit, cúmque propriis manibus suscepit. Atque pro huiusmodi negotio reuerentia tua præfatum hominem à sua coniuge iudicauit esse separandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente Scriptura, *Quòd Deus coniunxit, homo non separet.* Et Dominus non dimittere vxorem, nisi causa fornicationis iubet. Et nos tanta auctoritate freti, dicimus dimittendum esse, & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit. Nam baptizandi opus laicis fidelibus, si tamen necesse fuerit, liberè conceditur. Vnde si supradictus homo filium morientem aspiciens, nè animam perpetuò perire dimitteret, vnda Baptismi lauit, vt eum de potestate mortis eriperet, benè fecisse laudatur. Ideóque suæ vxori, sibi iam olim legitimè sociatæ, impunè dum vixerit iudicamus manere coniunctum, nec ob hoc separari debere.] His aliísque pluribus auctoritatibus edocetur, coniuges non esse separandos, si post legitimam copulam alter alterius filium de fonte leuarit, vel in confirmatione tenuerit.

1. Cor. 7.

Ex Concil. Cabilonensi, ibid. Dictum est.

Ibid. Ad limina.

Matth. 5. & 19.

Quid præmissis obuiat?

C

HIs autem obuiare videtur, quod Deusdedit Papa ait, [Peruenit ad nos Diaconus sanctitatis vestræ epistolam deferens, quòd quidam viri, & mulieres præterito Sabbato Paschali, pro magno populi incursu nescientes filios suos, suscepissent de lauacro. Cupis ergo scire, an propter hoc debeant viri, ac mulieres ad proprium vsum thori redire, vel non? Nos verò hac re mœsti priorum inquisiuimus dicta, & inuenimus in archiuis, id est, in armariis Apostolicæ Sedis, iam talia contigisse in pluribus Ecclesiis, quarum Episcopis ab hac Apostolica Sede volentibus scire, vtrùm viri ac mulieres redirent ad proprium thorum. Beatæ memoriæ sancti Patres, Iulius Papa, Innocentius, & Cœlestinus cum Episcoporum plurimorum consensu in Apostolorum Principis Ecclesia præsidentes, talia rescripserunt, & confirmauerunt, vt nullo modo se in coniugio reciperent viri, ac mulieres, quicumque hac ratione susceperunt natos, sed separarent se, nè suadente diabolo tale vitium inualescat.] Item, [Si quis filiastrum, vel filiastram suam ante Episcopum tenuerit ad confirmationem, separetur ab vxore sua, & aliam nunquam accipiet.] Hæc autem, vel ad terrorem dicta sunt, non quòd ita esset faciendum, sed nè illud fieret summoperè cauendum, vel de illis est intelligendum, qui priùs filios suos vicissim de fonte susceperunt, quàm fierent coniuges. Præmissis autem auctoritatibus omnino consentiendum est, vt siue proprium, siue tantùm viri filium mulier de fonte susceperit, non ideò à viro separetur, quod & de viro similiter oportet intelligi.

Ibid. cap. Peruenit.

Ibid. cap. Si quis filiastrum.

De

De copula spiritualium, vel adoptiuorum, vel naturalium filiorum.

QVòd autem spirituales, vel adoptiui filij naturalibus copulari nequeant, Nicolaus Papa testatur, ita inquiens, [Ita diligere debet homo eum, qui se suscepit de sacro fonte, sicut patrem. Inter fratres, & filios spirituales gratuita & sancta communio est, quæ dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. Vnde inter eos arbitror non posse fieri legale coniugium, quia nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filij sunt, venerandæ leges matrimonia contrahi permittunt.] Item, [Si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio iungit, quantò potiùs à carnali inter se contubernio cessare oportet, quos per cœleste Sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit.] D *Ad consult. Bulgarorũ* 30. *quæst.* 3. *cap.* Ita diligere.

Si filij ante compaternitatem, vel pòst nati valent coniungi?

HOc autem quidam volunt intelligere tantùm de illis filiis, quibus compatres facti sunt. De aliis verò, qui ante compaternitatem, vel pòst geniti sunt, concedunt quòd legitimè, & licitè iungi possunt. Quibus videtur consentire Vrbanus II. dicens: [Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur respondendum, vt & Baptismus sit, si instante necessitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizauerit, & quòd spiritualium parentum filij, vel filiæ ante, vel post compaternitatem genitæ, possunt legitimè coniungi, præter illam personam, qua compatres effecti sunt.] E *De copula filiorũ, qui ante compaternitatem, vel pòst nati sunt, vbi supr. c.* Super quibus.

Paschalis Papa.

PAschalis verò II. post compaternitatem genitos copulari prohibet, scribens Egino Episcopo, [Post susceptum filium de fonte, vel filiam spiritualem, qui ex compatre, vel ex commatre fuerint nati, matrimonio iungi non possunt.] Illud etiam notandum est, quod in Triburiensi Concilio legitur. Si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuitu, & ita contingente rerum casu in coniugium duxerit, maturiori seruato Concilio habeat, atque legitimo connubio honestè operam det. F *Ibid. c.* Post susceptũ. *Ex Triburiensi Conc. Ibid. c.* Illud etiam.

Si quis ducere poßit duas commatres, vnam post alteram?

SOlet etiam quæri, Si commatrem vxoris post eius obitum quis ducere valeat? De hoc Nicolaus Papa sic scribit, [Sciscitatur à nobis sanctitas vestra, si quis duas commatres habere valeat vnam post alteram? In quo meminisse debes scriptum esse, *Erunt duo in carne vna.* Cùm ergo constet, quòd vir & mulier vna caro efficiuntur, restat virum compatrem constitui mulieri, cuius assumpta vxor commater erat, & ideò virum illi fœminæ non posse coniungi, quæ commater eius erat, cum qua idem fuerat vna caro effectus.] Huic autem illud contrarium videtur, Qui spiritualem habet compatrem, cuius filium de lauacro susceperit, & vxor eius commater non est, licet ei defuncto compatre suo eius viduam ducere in vxorem, quos nulla generatio spiritualis secernit. Item, ex epistola Paschalis Papæ, [Post vxoris obitum, cum commatre vxoris coniugio copulari, G *Salomoni Constant. Episc.* 30. *q.* 4. *c.* Sciscitatur. *Genes.* 2. *d Matt.* 19. *a Ex Triburiensi Conc. cap.* 47. *Ibid. c.* Qui spiritualẽ. *Ibid. c.* Post vxoris.

pulari, nulla ratio, vel auctoritas videtur prohibere. Non enim per carnis vnionem, ad vnionem spiritus transitur.]

Determinatio ibi. Sed sciendum est quòd auctoritas Nicolai de illo ait, qui vxori suæ debitum reddidit, postquàm commater illius extitit. Aliæ verò auctoritas de illo agunt, cuius vxor postquàm à viro suo derelinquitur, illius commater efficitur, nec post compaternitatem à viro suo cognoscitur; vel de viro potiùs agunt, cuius vxor antè defungitur, quàm ab eo cognoscatur.

Si vir, & vxor possint simul tenere puerum?

H *Ibid. cap.* Quòd autem vxor.

SOlet etiam quæri, Si vxor cum viro simul debeat in Baptismo suscipere puerum? De hoc Vrbanus ait, [Quòd vxor cum marito in Baptismo simul non debeat suscipere puerum: nulla auctoritate videtur, vel reperitur prohibitum, sed vt ipsa puritas spiritualis paternitatis ab omni labe, & infamia conseruetur immunis, decreuimus vt vtrique simul ad hoc aspirare non præsumant. Quia verò piaculare flagitium commisit, qui duabus commatribus, vel sororibus nupsit, magna pœnitentia debet ei iniungi.]

De secundis, & tertijs nuptijs, & deinceps.

I *Lib. de sancta viduitate, c. 12. 31. quæst. 1. c.* Quod si dormierit. *1. Cor. 7. g*

SCiendum est etiam, quòd non solùm primæ, vel secundæ nuptiæ sunt licitæ, sed etiam tertiæ, & quartæ non sunt damnandæ. Vnde Augustinus, [Secundas nuptias omnino licitas Apostolus concedit. De tertiis autem, & quartis, & de vltrà pluribus nuptiis solent homines mouere quæstionem. Sed quis audeat definire, quod nec Apostolum video definisse? Ait enim, *Si dormierit vir eius, cui vult nubat.* Non dicit, *primus*, vel *secundus*, vel *tertius*, vel *quotuslibet:* nec à nobis definiendum est, quod non definit Apostolus. Vnde vt breuiter respondeam, nec illas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre, nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, vt quoties voluerint, nubant, nec ex meo corde præter Scripturæ auctoritatem, quotaslibet nuptias damnare.] Idem testatur Hieronymus, [Ego nunc libera voce exclamo, nec damnari in Ecclesia bigamam, imò nec trigamam, & ita licere quinto, & sexto, quemadmodum secundo marito nubere.] Apostolus tamen bigamos à sacerdotali honore excludit. Sed hoc non facit pro vitio bigamiæ, imò pro Sacramenti virtute, vt sit vna vnius, sicut vnica vnici. Illud tamen Neocæsariensis Concilij videtur innuere, bigamiam esse peccatum, [Presbyterum, inquit, in nuptiis bigami prandere non conuenit, quia cùm pœnitentia bigamus indigeat, quis erit Presbyter, qui talibus nuptiis possit præbere consensum?] Sed hoc de illo intelligi potest, qui primæ vxori insidiatus putatur desiderio secundæ, vel pro signaculo Sacramenti illud dicitur, quod in bigamo non seruatur. Ambrosius etiam dicit, quòd primæ nuptiæ tantum à Domino sunt institutæ, secundæ verò sunt permissæ. Et primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ verò etiam in præsenti carent gloria.

Ad Pammachium in Apologia pro libris cōtra Iouin. editis circa finem, & in cap. ibid. c. Aperiant quæso, *ad finem.* *1. Tim. 3. a* *Ex c. 7. & ibid. c.* De his qui. *Sup. ep. ad Cor. priorē, cap. 7. circa illud*, Bea. aut. er.

QVÆ

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm cognatio spiritualis impediat matrimonium?

D.Thom. *in addit.q.56.art.1.& hic q.1.art.1.* D. Bonauent.*art.1.q.2.* Richard.*art.1.q.1.* Durand.*q.1.* Sanch. *lib.7.de matrim.disp.54.& inde vsque ad disp.62.*

CIRCA [a] istam quadragesimam secundam distinctionem quæro: Vtrùm cognatio spiritualis impediat matrimonium? Quòd non, extrà de cognat.spirit. *Si vir, vel mulier ignoranter de sacro fonte susceperint.* & sequitur, *nobis videtur quòd siue ex ignorantia, siue ex malitia fecerint, non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debet debitum subtrahere.* 1 *Argum.1.*

Contrà, ibidem cap. *Veniens; mandamus quatenus si constiterit mulierem prædicti viri filiam de sacro fonte leuasse, antequàm eam desponsauerit vxorem, vos inter ipsos diuortium celebretis.* *Ratio opp.*

COMMENTARIVS.

a Circa *istam quadragesimam secundam distinctionem.* In hac distinctione, & quæstione agit de cognatione spirituali, & legali, & diuiditur in duas partes; quarum prima resoluit quæsitum. Secunda verò est anacephalæosis, seu recapitulatio summaria dictorum hactenus in superioribus distinctionibus, & collectio impedimentorum matrimonij. *Ordo & diuisio quæstionis.*

SCHOLIVM.

Ait primò cognationem spiritualem præcedentem matrimonium, illud dirimere, non tamen si sequatur, c. Veniens,*& c.*Si vir,de cognat.spirit.*hoc impedimentum post Trident.sess.24. c.2.tantùm contrahitur inter baptizantem, confirmantem, ac tenentes, ex vna parte, ac baptizatum, confirmatum, horúmque parentes, ex altera. Parentes extra necessitatem, peccant baptizando, vel tenendo proprium filium, quia faciunt contra cap.1.& 2.30.quæst.1. de quo D.Thom.3.p.q.67.art.8. Nauar. c.22.n.9. & probabiliùs priuantur iure petendi debitum, sed debere debent. Ita communis, Alens.2.p.q.170.memb.3.§.3. D.Thom.hîc quæst.1 art.1. D. Bonau.art.1.q.2. Richard.art.1.q.1. Sotus q.1.art.1.conclus.3. Nauar.c.22.n.40.& c.16. n.34. Alij tenent probabiliter quòd etiam petere possunt; de quo latè Sanch. lib.9. disp.26. Secundò, ait adoptionem dirimere matrimonium, intellige inter adoptantem, eiúsque vxorem, ac filios ex vna parte, & adoptatum ex alia, cap.vnic.de cogn. leg. hæc cognatio superueniens matrimonio non impedit debiti petitionem, quia id nullo iure habetur. Circa hoc impedimentum omnia desiderabilia habet Sanchius lib.7.disp.63.*

RESpondeo [b], cognatio spiritualis est quoddam vinculum contractum ex dispensatione Sacramentorum, specialiter Baptismi, & Confirmationis. Quia sicut habetur extrà de cognatione spirituali in 6. lib. *Quamuis*, §.vlt. *Ex datione aliorum Sacramentorum à Baptismo, & Confirmatione, cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel dissoluat*; de qua, & eius gradibus habetur *extrà de cognat. spirituali, in 6. lib.* 2 *Cognatio spiritualis.*

Quantùm [c] autem ad illud, quod quæritur, dico quòd si præcedat matrimonium, simpliciter impedit, sicut patet *in cap.ad oppositum præallegato, Veniens.* Si sequatur matrimonium, non dirimit, sicut patet ex primo argumento. Et ratio primi non est nisi statutum Ecclesiæ illegitimantis personas in casu illo. 3 *Cognatio legalis impedit matrimonium.*

Iuxta [d] quod notandum, quòd cognatio legalis impedit etiam matrimonium, de qua habetur extrà de cognatione legal. cap. vnico: *Si qua per adoptionem soror mihi esse cœperit, quamdiu durat adoptio inter me, & ipsam, nuptiæ consistere non possunt.* & Gloss. super illo cap. dicit, quòd illud verum est, siue cognatio legalis sit per arrogationem, siue per adoptionem. Dicimus autem arrogari illum, qui sui iuris est, & pér arrogationem transit in nostram potestatem; & fit arrogatio auctoritate Principis: adoptio fit per quemlibet magistratum: nec adoptatus transit in potestatem adoptantis, sed remanet in potestate sui patris: & tam adoptati, quàm arrogati dicuntur filij adoptiui, & inter fratres adoptiuos, & naturales: impeditur matrimonium quamdiu durat adoptio, vt auctoritates istæ probant, & auctoritates pro & contra solutæ sunt, quia vna loquitur de cognatione præcedente matrimonium, alia de sequente. *Adoptio & arrogatio quomodo differunt. De hoc, §.* Adoptio. *Instit. de adopt. & l. 2. ff. eod. & l.* Nec ei. *ibid. & l.1.C.eod.*

COMMENTARIVS.

1 *Cognationis spiritualis definitio.*

b RESpondeo cognatio spiritualis, &c. Definit cognationem spiritualem *esse vinculum contractum ex dispensatione Sacramentorum, specialiter Baptismi, & Confirmationis*, &c. negat ex aliis Sacramentis oriri, nisi ex his duobus, vt patet *c. Quamuis*, &c. *de cognat. spirituali, in 6.* ex dispensatione autem Baptismi, & Confirmationis oritur inter ministrum, & suscipientes respectiuè ad illum, cui ministratur Sacramentum, & suscipitur, & respectiuè ad parētes eius, iure antiquo, *cap. de eo, 30. q. 1. c. Veniens, & c. Martinus*, &c. *de cognatione spirituali, & c. 1. eodem in 6.* Triplex erat huius cognationis species: alia dicebatur paternitas respectiuè ad susceptum, aut recipiens Sacramentum ex vna parte, & ministrātem, & suscipientem ipsum ex alia parte. Alia species fuit compaternitatis inter hos, inter se & patrem, ac matrem carnalem eius, & hæc etiam transibat ad vxorem suscipientis, quamuis solus maritus susciperet: quia vna caro erant. Tertia species est fraternitatis inter filios ministrantis, & suscipientis, ac fratres suscepti.

Tres species cognationis spiritualis.

Reformatio Tridentini. Tridentinum *sess. 24. de matrim. cap. 2.* sustulit cognationem hanc fraternitatis, & etiam compaternitatis inter baptizantem, & suscipientem, & sustulit etiam compaternitatem, qua transibat ad vxorem suscipientis, quamuis ipsa non susciperet infantem.

2 *Dubium. De impedimento, vt est ex Sacramento Eucharistia.*

Dubitari solet, an inter cōfessarium, & filiam spiritualem oriatur cognatio spiritualis ex Sacramento Pœnitentiæ? Ex hoc dubio Doctor in descriptione cognationis spiritualis dicit esse vinculum contractum ex dispensatione Sacramentorum, vt comprehendat etiam Sacramentum Pœnitentiæ simul cum Baptismo, & Confirmatione, ex quibus sine controuersia tale vinculum consurgit, & subdit Decretum Bonifacij VIII. in quo hæc cognatio, vt est impedimentum matrimonij, declaratur tantùm esse ex Baptismo, & Confirmatione. Cæterùm hoc intelligi potest duobus modis, scilicet quòd restrictio sit Iuris antiqui, quod posteà citabimus; vel quòd Pontifex agat tantùm de impedimento propriè dicto inter personas alias habiles, inter quas posset secluso impedimento esse contractus, non autem de impedimento impropriè dicto, quia aliàs confessarius in Ecclesia Latina est inhabilis ad contractum ex ordine: impedimentum autem superueniens ex Sacramento tantùm valeat, vt inducat peccatum incestus, si confessarius carnaliter misceatur suæ filiæ spirituali, & hoc Iure Ecclesiastico: ex aliis autem Sacramentis non oritur tale impedimentum.

Decretū Bonifacij quomodo intelligatur?

Sententia negatiua. Prima sententia respondet nullum esse hîc impedimentum cognationis spiritualis. Hanc tenet Sà *in Summa, v. Confessio in noua edit. correcta Romæ.* Negatiuam hanc tenet, & Bernardus Diaz *in practica can. in noua edit.* fauet & sequiquitur magis Basilius Legionensis *de cognatione spirituali, §. 2,* putans per Decretū Bonifacij fuisse sublatum, quod Iure antiquo in hoc statutum est, & posset videri Doctoris in præsenti litera.

3 *Præfertur sententia affirmatiua.*

Secunda sententia docet esse confitendam hanc circumstantiam tanquam incestum: hæc est communior magis tuta, & in praxi sequenda iuxta antiqua Decreta *cap. Omnis, 30. q. 1. c. Si quis Sacerdos, & cap. finali, eodem*; quam sequitur D. Thom. *in hac dist. q. 1. art. 1. ad 8.* vbi dicit non contrahere propriè cognationem spiritualem per Sacramentum Pœnitentiæ. Vide Sanchez *lib. 7. disp. 55.* & quos ibi citat. Dicendum ergo hanc circumstantiam inducere speciem sacrilegij contra reuerentiam Sacramenti, & fœdus quoddam spirituale mediāte Sacramento inductum, quod fœdus reducitur ad virtutem Religionis ex statuto Ecclesiæ; intelligitur autem casus hic, quando non vtitur confessarius ipso Sacramēto ad peccatum, quia tum est sacrilegium, & seruanda est Constitutio Gregoriana contra sollicitantes ad *cap. Veniens.* Patet ex dictis.

Est species sacrilegij.

4 c *Quantùm autem ad illud quæritur*, &c. Hæc conclusio est communis, nempe hoc impedimentum dirimere matrimoniū subsequens, non verò contractum: sed suspendit ius debiti, nisi in casu necessitatis. *c. Ad limina 30. q. 1.* Excusat etiam fraus, & ignorantia probabilis. Primum patet *c. Fraus, c. Dictum, c. De eo, 30. q. 1.* Secundum patet *cap. De his, eodem.* Est inductum etiam Iure Ecclesiastico, patet *c. Si quis filiastrum, c. De eo, & alijs 30. q. 1. & cap. Veniens*, &c. *de cognatione spirituali in 6. & cap. 1.* Est autem antiquissimi Iuris Ecclesiastici, & ab Apostolis deriuata hæc consuetudo Patrinorum. Dionysius Areopagita *de Ecclesiast. Hierarch. cap. de Baptismo* appellat *fideiussores.* Iustinus *q. 56. ad Orthodoxos, offerentes.* Tertullianus *de Baptism. c. 28. sponsores.* August. 1. 106. 1. 163. *& 215. fideiussores, & epistola 23. ad Bonifacium fidei Doctores.* Higinus appellat *Patrinos, cap. in Catechismo, de cons. dist. 4.* Arelatense IV. *cap. 19.* Moguntinum sub Leone III. & alij posteriores sic appellant. Eorum officium erat spondere pro suscepto, eum docere, & castigare; inter Decreta autem, quæ exprimunt impedimentum, videtur esse Canon Niceni 21. esse primus. Plura alia subsecuta sunt, vt patet *30. q. 1.* vnus vel vna ad summum admittendi ad susceptionem in Baptismo. ex Trident. *sess. 24. cap. 7.* vt vnus tantùm esset, habetur *c. Non plures, de consecrat. dist. 4.* quod est Leonis I. Idem statuit Metense *cap. 3.* Moguntinum sub Paulo III. *cap. 19.* cæteri non contrahunt hanc cognationem, quamuis tangant baptizatum ex Decreto Concilij Tridentini.

Dirimit subsequens.

Iure Ecclesiastico. Antiquissimū esse vsum Patrinorum.

Eorum officium.

Quot esse debeant?

Admonendus Lector decretalem, quæ nuper emanauit Deidati Pontificis in quibusdam verbis esse corruptam vitio impressoris, aut scriptoris, vt benè aduertit Legionensis, §. 4. *sub finem* corruptam clausulam citans, quæ est hæc, *& post expletam annum recipiant alium virum, similiter & vir vxorem*, &c. agitur de iis, qui proprios filios susceperunt in Baptismo, qui separandi sunt per annum, assignata dote, aut alimentis; verba autem illa *recipiant alium virum*, &c. debent intelligi, *illum*, aut *suum virum:* quia matrimonium inseparabile est, viuente priore viro. vide præfatum Authorem.

5 Dubitatur an possit cognatio spiritualis esse inter suscipientem filium, & parentes infideles. Affirmat Glossa *in c. 1. 30. q. 1.* Syluester *v. Matrimonium 8. q. 8.* Angelus *v. Baptism. 8. & v. Matrimonium, impediment. 7.* & alij. Negant D. Thomas, Richardus, Durandus, & alij, *in hac distinctione*, & hæc omnino probabilior est: quia infidelis non est capax huius impedimenti legis Ecclesiasticæ, quæ respicit fideles tantùm *c. Gaudemus*, &c. *de diuortijs.* probabilius est nasci ex Baptismo

An possit esse cum infideli. Affirmatiua sententia. Verior est sententia negatiua.

Baptismo minus solemni dato: quia contrahitur ex Sacramento, non verò ex sacramentalibus; debet etiam suscipiens tangere susceptum, vt patet ex Canonibus citatis.

6 *Cognatio legalis.* d *Iuxta quod notandum, quòd cognatio legalis*, &c. Docet etiam cognationem legalem esse impedimentum dirimens matrimonium. Patet ex lege, quam citat *de cognat. leg. cap. vnico.* Duplex autem est adoptio, alia perfecta, alia imperfecta. *Duplex est.* Perfecta dicitur arrogatio, & conuenit ei, qui est sui iuris, & per arrogationem transit in ius adoptantis. *Arrogatio quid sit?* *Adoptio.* *Adoptatio* est eius, qui manet in potestate alterius, neque per eam transit in ius adoptantis, verbi gratia, filij, qui adhuc manet sub potestate patris naturalis; ab hac autem potestate solutus dicitur emancipatus, dum fit sui iuris, non secus, ac seruus manumissus dicitur emancipari, id est, extra manum, & potestatem positus patris, aut domini, *l. Non modo, C. de emancipat. lib. & Instit. quibus mod. vis pa. po. sol.* Arrogatio fit authoritate Principis *l. 1. C. de adopt.* Simplex autem adoptio authoritate Magistratus fieri potest.

Sententia Sanchez. Aliqui negant cognationem legalem oriri ex simplici adoptione; quos sequitur Sanchez *lib. 7. disput. 63. num. 9.*

7 *Per simplicem adoptionē induci cognationem legalem.* Contraria opinio, quam tenet Doctor cum Glossa citata, est communis, & probatur; quia vbi Iura de adoptione non distinguunt, neque nos distinguere debemus. Deinde, filius adoptiuus habitat in domo adoptantis, sicut filius naturalis; congruum ergo erat inducere impedimentum hoc respectu adoptati, sicut & arrogati. Deinde, tenetur ad reuerentiam adoptanti, eique succedere potest vt hæres ab intestato. *Instit. de adoption.* hoc impedimentum primum inductum est lege ciuili, *l. Adoptiuus, ff. de ritu nupt. & Instit. de adoption.* quam lex Canonica confirmauit *cap. Ita diligere, cap. Per adoptionem 30. q. 3. & extra cap. vnico, de cognat. legali.*

Triplex linea huius cognationis. Triplex est linea cognationis legalis. Prima est inter adoptantem & adoptatum, & filios adoptati in linea recta; & hæc sequitur naturam consanguinitatis ob reuerētiam patris adoptantis inter adoptantem, & vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis: & impedimentum etiam hoc est perpetuum. Tertia linea est inter adoptatum, & filias naturales adoptantis, & hæc est temporalis, quia cessante adoptione cessat impedimentum, vt benè Doctor in litera; *Quomodo cessat.* cessat autem adoptio per mortem naturalem, & ciuilem adoptantis emancipationem adoptati, aut alia via, qua adoptatus absoluitur à potestate adoptantis.

8 Hactenus Doctor egit de impedimentis irritantibus matrimonium, quæ Iure antiquo vsque ad sua tempora viguerant. *De impedimentis inductis per Tridentinum.* Alia duo impedimenta adiecit Tridentinum; quorum alterum est ex defectu solemnitatis, alterum verò contra raptores; de quibus hîc breuiter agendum erit ad complementum materiæ.

Clandestina semper fuisse prohibita. Matrimonia clandestina fuisse prohibita semper constat ex pluribus Decretis, quæ congerit Gratianus 3. q. 5. & docet Trident. *sess. 24. de reformat. matrimon. cap. 1.* In hoc capite præscribit *Denuntiationes præmittenda.* post Concilium Lateranense præmitti debere denuntiationes inter Missarum solemnia tribus diebus festis continuis à Parocho.

Secundò, si nullum apponatur impedimentum, celebrari debere matrimonium in facie Ecclesiæ, dicente Parocho: *Ego vos coniungo in matrimonium, in nomine Patris, & Filij*, &c. vel alia verba, iuxta consuetudinem Prouinciarum.

Tertiò, si suspicio subsit probabilis impediendi matrimonij, tunc præmissa vna denuntiatione, vel saltem coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. 9 Deinde, ante illius consummationem fiant denuntiationes, nisi Ordinarius ex iusta causa remittat, cuius iudicio, & prudentiæ id committit sancta Synodus.

Quartò, inualidat personas ad contractum, si fiat non præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, aut Ordinarij licentia. *Inhabilitas contrahendi non præsente Parocho.*

Quintò, præcipit Parochum sine testibus, qui adest matrimonio celebrato, aut testes sine Parocho, & ipsos contrahentes puniendos grauiter ad arbitrium Ordinarij. *Pœna transgressionis.*

Sextò, hortatur vt coniuges non cohabitent ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam.

Septimò, hanc dandam esse ab ipso Parocho, aut ab alio de licentia Ordinarij.

Octauò, statuit pœnam in alios, qui præsumpserint eandem benedictionem dare.

Nonò, vt Parochus in libro describat nomina contrahentium, & testium, diem, & locum contracti matrimonij.

Decimò, vt triduò saltem ante contractum matrimonium confiteantur omnia peccata sua, & ad sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum accedant.

Inter has solemnitates diuersi sunt gradus: 10 nam præsentia Parochi, & testium est necessaria, vt substantialis solemnitas, sine qua contractus esset irritus. *Solēnitas substantialis.* Reliquæ verò quædam sunt præcepti, quædam consilij; quæque in suo gradu seruanda, & prout Concilium præscribit, seruandæ etiam aliæ solemnitates, quæ in Prouinciis rectè institutæ sunt, quæ Concilium etiam suo Decreto approbat. Aduertendum hanc legem Concilij obligare, vbi receptum est, quia *Obligatio legis.* in fine statuit Ordinariis, cùm commodè possint, eam declarare, & publicare in singulis Parochiis, & publicatione, ac declaratione facta, obligare post triginta dies. Obligat tam incolas, quàm aduenas, vbi est receptum, quantùm ad illud statutum de præsentia Parochi, & testium; vbi verò non est receptum, non obligat: probabilius etiam obligat eò migrantes, & domicilium ponentes, quamuis aliàs in alio loco commorantes non obligarit.

Aliqui docent hanc legem semel promulgatam semper obligare, quamuis etiam Prouincia 11 *Opinio.* desinat in hæresim: sed hoc nimis durum est, *Reijcitur vt dura.* neque sic, aut in eo rigore piæ matris Ecclesiæ debet interpretari statutum obligare, vbi non est copia Parochorum, aut Ordinariorum, si defecerint in Prouincia; quinimò statutum ipsum loquitur respectiuè ad loca, & personas, in quibus haberi possit Ordinarius, aut Parochus; neque intendit impossibile, aut matrimonia omnia in eo casu esse nulla, quo non adsunt Parochus, & testes, cum copia Parochi non suppetat: datur ergo locus Epiikiæ, & etiam necessitati, quæ inducit impossibilitatem seruandæ legis, sicut & præscriptioni. Neque Ecclesia annullare intendit matrimonium hæreticorum, qui in Prouinciis admixti Catholicis sunt, & contemnunt hoc statutum promulgatum, potest matrimonium celebrari coram Parocho alterutrius coniugis: sed in proprio districtu, aut vbi potest iurisdictio

risdictionem suam exercere: nam aliquando iurisdictio hæc ligatur certo loco, & districtui, vt plurimùm contingit vbi Parochiæ sunt diuisæ. Aliquando non ligatur loco, sed personis, verbi gratia, Græci Venetiis habent Ministrum Græcum, cuius iurisdictio respicit personas, non locum; ita etiam aliquando milites, qui gaudent ministris suis propriis, à quibus recipiunt Sacramenta quocumque in loco, ex indulto Sedis Apostolicæ. Sic societates mercatorum aduenarum in quibusdam locis, vel eodem indulto, aut Ordinarij. De reliquis hîc non expressis latè Summistæ: & Sanchez *lib. 3. de matrimonio*, explicans Decretum per varias disputationes quoad omnia sua membra.

12 *De impedimento raptus.* Aliud impedimentum est raptus, seu violenta extractio mulieris dissentientis è domo propria, aut parentum; si autem proprio consensu sequitur, non est raptus, vt Lucius III. ad Burgensem Episcopum declarat. Impedimentum naturale est donec adueniat consensus sponsæ, quæ si consenserit, lege communi, & ordinaria valebat matrimonium, quamuis in aliquibus Prouinciis ex Decretis Synodalibus erat nullum, & reddebantur inhabiles ad matrimonium inter se, vt statuit Synodus Regiaticina sub Leone IV. *cap. 1. & cap. de puellis 36. q. 2.* quod est Concilij Cabilonensis, *& cap. finali eod.* ex Aquisgranensi. Sed hæc Decreta erant particularia, vnde valuisse matrimonium consentiente rapta patet *ex can. 66. Apostolorum.* Aurelianensi I. *c. 4.* ex Meldensi *cap. 64. & 65.* tandem *ex cap. finali de raptoribus*, quod est Innocentij III. Tridentinum autem *sess. 24. cap. 6. de reformat. matrimonij*, statuit impedimentum, quo matrimonium esset nullum, donec sponsa restitueretur loco tuto, & extra præsumptionem consensus coacti.

Varia Decreta circa hoc.

Statutũ Tridentinum.

13 *Pœna raptorum, & concurrentium.* Pœnæ in raptores statutæ sunt excommunicatio *illo can. 66. Apostolorum.* Extenditur ad consentientes, & adiuuantes à Chalcedonen. *act. 11. c. 27.* & si clerici essent, iubentur deponi. Eadem pœna confirmatur per Concilium Romanum I. sub Gregorio II. *c. 10. & 11.* per Symmachum *epist. 5.* Romanum sub Zacharia *c. 7.* Tridẽtinum adiungit infamiam perpetuam, inhabilitatem ad omnes dignitates, quæ pœna etiam dantes consilium, auxilium, & fauorem comprehendit. Vt præterea raptor teneatur raptam, siue eam duxerit, siue non, dotare decenter arbitrio iudicis, quæ pœna proinde actionem iudicis exposcit, reliquæ verò ipso Iure incurruntur.

SCHOLIVM.

Explicat impedimentum dirimens oriri ex natura matrimonij, vel ex statuto Ecclesiæ. Si primo modo, & ex necessarijs ex natura ipsius contractus, oritur impedimentum ex metu cadente in virum constantem; de quo dist. 29. & ex errore personæ, conditionis peioris, & consensus ficti alterius; de quo dist. 30. Item ex conditione opposita triplici bono matrimonij; de quo dist. 31. si ex necessarijs ex parte contrahentium, oritur impedimentum impotentiæ; de quo dist. 34. ad quam reducitur alligatio matrimonialis alteri; de quo dist. 33. Item ætas puerilis; de quo dist. 36. Iuxta hunc computum sunt tria impedimenta ex parte contractus, scilicet metus, erroris, & appositionis conditionis repugnantis, & ex parte contrahentium duo, scilicet impotentia simpliciter, & impotentia secundùm iustitiam, quam habet alligatus alteri matrimonialiter. Non dicit Doctor omnia ista completè dirimere Iure naturæ, seclusa Ecclesiæ determinatione, & Iuris diuini positiui dispositione, vt constat ex superioribus.

4 *Impedimẽtum simpliciter est tantùm dirimens, & sumitur ex natura contractus, vel ex lege Ecclesiæ.* EX [c] dictis breuiter colligo impedimenta matrimonij, quæ impediunt simpliciter. Dico autem impedimentum simpliciter, post quod, si fuerit attentatum, nihil fit: non simpliciter autem dico, prohibitionem quamcumque, propter quam illegitimè fit: si tamen fit, non est irritum. Impedimenta autem simpliciter, aut accipiuntur ex natura talis contractus, aut ex statuto Ecclesiæ superaddito. Si primo modo, igitur vel ex conditionibus necessariis ad contractum, vel ex necessariis ex parte contrahentium: ex parte contractus, quia ex natura eius est, quòd sit datio voluntaria potestatis corporis pro potestate corporis, & perpetuò commutantium, ideò, quod impedit voluntariam dationem talem, impedit naturam contractus huius. Tale autem est ex parte voluntatis inuoluntarium ex metu, qui potest cadere in constantem virum, qui metus est ex certitudine sufficiente mali imminentis, quod magis debet quis vitare secundùm rectam rationem, quàm cum ista non contrahere; & huiusmodi mala sunt malum mortis, mutilationis enormis, carceris, propriæ seruitutis, stupri, & huiusmodi; & de isto impedimento dictum est *distinct. 29.*

Inuoluntariũ ex metu est contra naturã matrimonij.

Cap. 2. & 3. De furioso. Inuoluntarium autem ex defectu notitiæ præcedentis (siquidem ad voluntarium requiritur notitia voliti. 3. *Ethicorum*,) aut est ex carentia totali notitiæ intellectualis, aut est cum aliquali, licèt defectiua, quia erronea. Si primo modo, sic furia impedit matrimonium dum durat, & ita contractum istum: si tamen furiosus habet lucida interualla, pro tempore interualli potest contrahere, & eodem modo post contractum tunc petere, & est sibi debitum tunc reddendum: non autem pro tempore furiæ, quia tunc nescit ex iure suo petere, sed sicut brutum, tunc etiam reddere esset alteri periculum in persona.

5 *Triplex error dirimit matrimonium.* Si autem sit aliqua cognitio, sed cum errore, vel deceptione, triplex deceptio simpliciter impedit: quia quælibet est contra illud, quod necessariò requiritur ad contractum: quarum prima est error personæ: secunda error conditionis peioris, puta

seruitutis:

seruitutis: tertia error dationis mutuæ, puta ista dat credens istum posse redonare, siue secum posse permutare: ille autem non redonat, licèt proferat verba doloso animo tantùm, scilicet vt extorqueat libidinem, & de isto triplici errore dictum est *suprà distinct.* 30. pœna autem istius vltimi, scilicet qui decipit in contractu, est, vt veraciter illud impleat, quod fallaciter simulabat: quia tenetur reddere isti illud, pro quo reddendo ista commutauit, & ideò in foro conscientiæ cogendus est vt veraciter cum illa contrahat. *Contrahens fallaciter tenetur cõtrahere veraciter.*

Si autem iam veraciter contraxit cum alia, & per consequens non possit cum ista; pœniteat de peccato illo, & de impossibili, & procuret illi restitutionem ei æquiualentis quantum potest, vt scilicet reddatur illi mulieri per ipsum, corpus alterius viri potentis æquiualentis corpori suo quantum ad contractum istum: vel saltem satisfaciat ei in aliis secundùm arbitrium boni viri.

In foro autem contentioso si probatur contractus exterior dolosè factus ab isto, cogetur seruare illum tanquam verum: sed si cum secunda contraxit tempore intermedio, adhuc Ecclesia præcipiet, vt adhæreat primæ; sed in foro conscientiæ dicetur oppositum, quia secunda est vera vxor eius, prima non. Et iste debet seruare sententiam Ecclesiæ, seruando veritatem legis diuinæ, & imputet sibi, quòd tanta pœna manet super ipsum propter talem fraudem, quam fecit: quia etiam iste contractus est obligatorius ad aliqua bona, puta ad fidem seruandam, & indissolubilitatem, & prolem suscipiendam, & educandam, si euenit: quæ tria bona sunt matrimonij: & generaliter in omni contractu, contrahens sub conditione opposita illi contractui, nihil facit, & ideò contra rationem istius contractus, est conditio opposita repugnans alicui bono matrimonij: & ita sunt tria impedimenta ex triplici conditione opposita contractui, contra tria bona matrimonij, & de istis dictum est *dist.* 31. *Cõditio opposita bonis matrimonij, an dirimit?*

Ex [f] parte autem personarum contrahentium requiritur, vt possint dare illam potestatem corporum: simpliciter autem impotens ad copulam carnalem non potest dare hanc potestatem, quia non habet: nec alligatus alteri matrimonialiter, quia iam corpus suum non est suum, sed coniugis: sic igitur impotentia simpliciter, & alligatio matrimonialis alteri impediunt ex parte contrahentium: de ista autem impotentia dictum est *dist.*, 34. qualiter est quædam naturalis, & quædam casualis, & vtraque, nisi sit perpetua, non impedit simpliciter. Naturalis autem in viro est, vel per frigiditatem, vel per carentiam partis necessariæ. In muliere per arctationem simpliciter: quod dico contra arctationem, alicui. Casualis autem est per maleficium, & hoc, siue respectu cuiuslibet, siue respectu determinatæ personæ. Ad istam autem impotentiam reducitur impedimentum ætatis puerilis: quia etsi ibi non sit impotentia perpetua, tamen pro tali ætate nulla est potentia, & ideò nulla potest dari; & de isto impedimento ætatis dictum est *dist.* 36. 6 *Impotentia & alligatio alteri dirimũt matrimonium.*

Sic igitur habemus ex parte contractus tria impedimenta in genere, scilicet per metum, per defectum notitiæ, & per appositionem conditionis repugnantis: & ex parte contrahentium duo in genere, scilicet impotentiam simpliciter, & impotentiam secundùm iustitiam, quia alligatus est alteri.

COMMENTARIVS.

14 *Recapitulatio dictorum, & collectio impedimentorum.*

e EX *dictis breuiter colligo*, &c. Hæc est vltima pars huius distinctionis, in qua recapitulat dicta hactenus per totam materiam de impedimentis irritantibus matrimonium. Diuidit primò impedimentum in illud, quod dicitur simpliciter, & irritans factum si fiat: & in illud, quod prohibet fieri, & non irritat factum: quod communiter ad distinctionem prioris dicitur tantùm impediens, & non irritans; hoc autem nascitur ex quacumque prohibitione contractus ineundi. Duo autem communiter numerantur propria, quæ dirimentibus non communicant, vt interdictum Ecclesiæ, & tempus feriarum; alia etiam impedimenta sunt huius generis, quæ aliquo modo ad dirimentia reducuntur, vt voti simplicis impedimentum ad impedimentum voti solemnis, impedimentum Catechismi; de quo *cap. Ante Baptismum*, &c. *de consecrat. dist.* 4. *& cap. contracto*, &c. *de cognat. spirituali*, *& cap.* 2. *eod. in* 6. ad impedimentum cognationis spiritualis quod dirimit; impedimentum sponsaliorum cum altera, ad impedimentum ligaminis: de quibus *in titulo de sponsalibus, & matrimonio.* Annumeratur etiam raptus, de quo *suprà* diximus, & inquantùm impedit tantum, potest reduci ad impedimentum criminis, sicut & incestus, mors mulieris, seu vxoris, de quo actum *distinct.* 37. mors Presbyteri, *cap.* 2. *de pœnitent. & remissio.* Pœnitentia etiam publica, & plura alia, quæ sub generali appellatione prohibitionis comprehendit Doctor.

Impedimenta impedientia non dirimentia.

Pleraque reducuntur ad dirimentia.

15 *Diuersitas impedimentorum in genere reducitur ad diuersitatem legis.*

Numerum autem, & rationem impedimentorum optimè reducit ad duo, nempe naturam ipsius contractus, & statutum Ecclesiæ superadditum, nam defectus & nullitas contractus est ex lege diuina, & naturali (eo modo quo *suprà* diximus hunc contractum esse secundùm legem naturalem) vel certè ex lege Ecclesiæ superaddita contractui; nam ex his solis potest esse defectus

Impedimenta ex lege diuina, & naturali, vt afficit contractum.

fectus substantialis in contractu. Lex diuina quædam afficit contractum per se, ad quem requiritur consensus liber & voluntarius: hinc metus cadens in virum constantem reddit nullum contractum: de quo impedimento egit Doctor *dist.* 29. aliquando deficit consensus ex defectu scientiæ, & libertatis, vt in furiosis, ex errore triplici, de quibus egit *in dist.* 30. nempe consensus personæ, & conditionis seruilis. His accedit impedimentum ex conditione apposita contractui contra tria eius bona, de quo egit *dist.* 31. quatuor ergo impedimenta oriuntur ex lege diuina, vt afficit, & complet ipsum contractum; nempe metus, erroris, consensus personæ, & conditionis seruilis, & conditionis appositæ, & repugnantis bono matrimonij; hæc ipsa reducit in fine huius paragraphi ad tria in genere: nempe ad metum, ad defectum notitiæ requisitæ, & ad conditionem oppositam repugnantem bono contractus. *Reducuntur ad tria in genere.*

16 f *Ex parte autem personarum contrahentium*, &c. Lex diuina non solùm afficit contractum, sed etiam materiam, in qua fit permutatio, nempe personas; & sic ex ea oritur duplex impedimentum in genere, nempe impotentiæ naturalis, aut casualis perpetuæ, ad quam reducitur impotentia, quæ est pro statu puerili; de his agitur *dist.* 34. *& dist.* 36. secundum impedimentum est ligaminis ex matrimonio; de quo *distinct.* 33. *Impedimenta ex eadem lege, vt afficit personas.*

SCHOLIVM.

Explicat, & epilogat in speciali quinque impedimenta orta ex natura matrimonij, de quibus in superioribus latè dictum est.

7 *Resolutio dictorum.* IN g speciali autem primum impedimentum potest esse ita multiplex, quotuplex est malum, quod iustè timetur: secundum impedimentum est triplex secundùm triplicem errorem, & quartum per defectum vsus rationis: tertium impedimentum continet sub se tria repugnantia tribus bonis matrimonij. Quartum impedimentum continet duplicem impotentiam naturalem viri, scilicet frigiditatem, & mutilationem, & vnicam impotentiam mulieris, scilicet arctationem simpliciter: frigiditas enim in muliere non impedit simpliciter, sicut nec sterilitas, & vnum generale vtrique sexui, scilicet ætatem puerilem, & continet sub se impotentiam casualem in vtroque sexu, dum tamen perpetuam. Vltimum impedimentum manet indiuisum; & ratio illius impedimenti patet *ex dist.* 33. vbi dictum est, quòd pro lege Euangelica non habet locum bigamia, nec licet dimittere vxorem: ergo nullo modo ipsa viuente, siue dimissa de facto, siue non dimissa, licet cum alia contrahere.

COMMENTARIVS.

17 g IN *speciali autem*, &c. Prior collectio, & diuisio impedimentorum, quæ oriuntur ex lege diuina, vt afficit contractum, & personas, est generica, & numero quinaria, metus, erroris, conditionis repugnantis appositio, impotentia, & ligamen; hic autem in specie subdiuidit prædicta impedimenta, iuxta species causarum, ex quibus oriri possunt, & subsistunt ipsa impedimenta in re, & cognitione, qua inuestigantur, & cadunt sub iudicio Ecclesiæ.

Diuisio impedimētorum præmissorum ex causa inducente. Primum impedimentum metus tam multiplex est, quàm multiplex est malum, quod impellit virum constantem, vt secundùm prudentiam eligat cedendum esse metui; de quibus dictum est *in commentario, dist.* 29. Secundum impedimentum est triplex, nempe erroris ex dolo subtracti consensus, & simulati erroris personæ, & erroris conditionis seruilis. Tertium impedimentum etiam multiplex est, & secundùm naturam conditionis appositæ, prout repugnat bono alicui ex tribus bonis matrimonij. Quartum impedimentum continet in viro impotentiam ex frigiditate & mutilatione, in muliere frigiditas non impedit simpliciter, sicut neque sterilitas, sed sola arctitudo, in vtroque est impedimentum commune ætatis puerilis, & potest esse maleficij.

Vltimum impedimentum est legis Euangelicæ, quæ tollit pluralitatem vxorum; loquitur de hoc impedimēto, vt inter Christianos nūc viget.

SCHOLIVM.

Ponit ordinem, & motiua, quibus Ecclesia condidit impedimenta dirimentia. Primò, ob nimiam propinquitatem, & sic statuit impedimentum consanguinitatis & affinitatis, vsque ad quartum gradum; de quo dist, 40. *&* 41. *vbi etiam actum est de publica honestate; & huc reducitur cognatio legalis, & spiritualis: de qua hac dist.* 42. *docet quas personas afficit cognatio spiritualis, & quòd eodem modo contrahitur ex confirmatione, ac ex Baptismo, de quo cap.* 1. *&* 2. *de cogn. spirit.* 6.

8 EX h statuto Ecclesiæ sunt tantummodò impedimenta ex parte personarum, quia Ecclesia nihil determinauit circa formam, vel materiam istius contractus, sed solùm personas aliquas illegitimauit, faciendo eas non capaces huius contractus: & hoc vel propter nimiam earum propinquitatem inter se, vel propter earum ad cultum diuinum specialem applicationem, vel propter alicuius horrendi criminis enormitatem,

mitatem. Primo modo illegitimauit consanguineos in quarto gradu, & infra, & ita in simili gradu affines: & hoc, vel propriè dictos, quorum scilicet vinculum contractum est ex coniunctione carnali: vel extensiuè, quorum scilicet vinculum contractum est non ex commixtione carnali, sed tantùm per matrimonium, vel sponsalia, quod vocatur publicæ honestatis iustitia. Et de istis tribus impedimentis dictum est: de primo *dist.* 40. de secundo, & tertio *dist.* 41. & de isto etiam vltimo impedimento habetur *Extrà de sponsalibus*, & est *in 6. lib.* ex sponsalibus puris, & certis, dummodò non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax impedimentum ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissoluendum, scilicet impedimentum iustitiæ publicæ honestatis.

Iuxta hoc etiam est quædam propinquitas, quasi mixta carnalis, & spiritualis; cuiusmodi est cognatio spiritualis, & legalis; de quibus dictum est dist. 41. & 42. & de ista habetur Extrà eo.tit. *Nedum inter baptizatum, & eum, qui illum suscipit de Baptismo, ac inter eundem baptizatum, & suscipientis filios, & vxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem; imò etiam inter suscipientem, patrem baptizati, & matrem, cognationem spiritualem in Baptismo iure contrahi constat, quæ cognatio impedit ad contrahendum matrimonium, & dirimit iam contractum. Et eadem, quæ sunt de suscipiente dicta, sunt etiam de baptizante censenda.* 9 *Cap. 1. in 6. Id de filijs suscipiẽtis, post Trid. non habet locum.*

Ex confirmatione quoque spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, matrimonium simpliciter impediens contrahendum, & dirimens iam contractum. Alias verò personas à supradictis ex Baptismo, vel Confirmatione non impediri ad matrimonium contrahendum, aut dirimi pòst contractum decreuimus. ibid. c. 2. *per catechismum, qui præcedit Baptismum, cognatio spiritualis contrahitur, per quam contrahendum matrimonium impeditur: per istam tamen cognationem matrimonium post contractum minimè separatur.* & ibid. c. 3. *Si plures accesserint ad suscipiendum de Baptismo infantem, spiritualis cognatio contrahitur, matrimonia pòst contracta impediens, & dissoluens.* & de Confirmatione insuper quantùm ad hoc idem iudicium est habendum. *Ab illis verbis, A*lias verò, *nihil habetur in illo textu. Cap. 2. de cogn. spir. 6.*

Ex datione verò aliorum Sacramentorum spiritualis cognatio nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel dissoluat. Et est ordo istarum propinquitatum, quia consanguinitas est merè carnalis propinquitas: affinitas propriè surgit ex copula carnali merè: publicæ honestatis iustitia ex propinquitate carnali contractu matrimoniali, & sponsalium. Spiritualis cognatio ex propinquitate carnali, & susceptione, vel datione Sacramenti Baptismi, vel Confirmationis, legalis ex carnali, & alio vinculò secundùm legem per adoptionem scilicet. *Ordo cognationum, carnalis, legalis, spiritualis.*

COMMENTARIVS.

18 *Impedimenta Canonica. Oriuntur ex triplici fine.* h EX *statuto Ecclesiæ*, &c. Primò docet Ecclesiam non immutare naturam contractus directè, sed inhabilitare personas ad contractum, & in genere id facit ex triplici fine, nempe propter earum propinquitatem, vel ob applicationem earum ad diuinum cultum; vel denique tertiò propter enorme crimen.

Primum genus ex propinquitate sanguinis, & alijs quæ reducuntur. Primi generis est propinquitas sanguinis, & alia vincula, quæ naturam eius sequuntur, vt affinitas, publicæ honestatis iustitia, cognatio spiritualis, & legalis. De consanguinitate agit *distinct.* 40. de affinitate & publicæ honestatis iustitia *distinct.* 41. de reliquis *in prima parte huius distinctionis*, & citat Decreta Bonifacij VIII. quæ suo tempore erant ius nouum, quod non viderunt antiquiores Theologi, qui præcesserunt Bonifacium. In hoc ergo paragrapho enumerat quinque impedimenta, consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis iustitiæ, cognationis spiritualis, & cognationis legalis, quas vocat mixti iuris, id est, participare tam spiritualem, quàm carnalem cognationem, & vinculum, quod ex ipsis est, in quo differunt à tribus prioribus, in quibus tantùm attenditur propinquitas carnalis ex propagine, copula, aut contractu. Reliqua duo dicuntur propinquitas carnalis, quia in ordine ad coniunctos carne siue per sanguinem, siue per affinitatem in certis gradibus contrahitur; dicitur verò spiritualis, quia in ratione propaginis, aut copulæ, aut contractus matrimonij rati, aut sponsalium, quæ ad copulam ordinantur, interuenit, sed ex spirituali, nempe ratione Sacramenti, aut adoptionis, quæ spiritualia sunt. *Sunt quinque.*

SCHOLIVM.

Secundò, Ecclesia propter specialem applicationem personarum ad cultum diuinum, reddidit incapaces matrimonij Religiosos; de quo dist. 38. & suscipientes sacrum Ordinem, de quo dist. 37. Tertiò, propter duo crimina, reddit incapaces, fidelem cum infideli: & adulterum, machinantem in mortem coniugis, vel dantem fidem adulteræ. De primo, suprà dist. 39. de secundo, d. 35. triplicia ergo in genere sunt impedimẽta Ecclesiæ, scilicet ob propinquitatẽ, ex qua sunt, cognatio carnalis, legalis, spiritualis affinitas, publica honestas: ob applicationẽ ad Dei cultum specialiter, ex qua, est voti solemnis, & sacri Ordinis impedimentum: & ob duo illa crimina.

Per

10 PEr [1] applicationem autem ſpecialem ad cultum diuinum, Eccleſia illegitimauit eum, qui ſolemniter vouit continentiam, & eum, qui ſuſcepit Ordinem ſacrum. De primo dictum eſt *diſtinct.*38. de ſecundo *diſtinct.*37. illud autem de voto ſolemni, ſi tamen ibi fiat traditio poteſtatis corporis ad caſtitatem ſeruandam ipſi Eccleſiæ, vel Prælato, in cuius manu vouet, & per hoc non habet poteſtatem ſui corporis ad actum coniugalem; tunc poteſt reduci iſtud impedimentum ad naturam contractus, ſicut illud de alligato ad aliud matrimonium.

Si autem tale votum non tollit iſti quin habet poteſtatem ſui corporis, tunc ex ſtatuto, & poteſtate Eccleſiæ eſt illegitimatio, & irritatio, non tantùm quia ſe tradit Eccleſiæ ad talem actum, ſed quia Chriſtus vocando Ioannem à nuptiis prætulit votum continentiæ vinculo coniugali: & ideò Eccleſia illum, qui eſt in gradu ſuperiori, iuſtè illegitimauit ad accipiendum gradum inferiorem, ſiue ad apoſtatandum.

Ob duo crimina Eccleſia illegitimat ad matrimonium.

Tandem propter enormitatem criminis tantummodò duplicis, illegitimauit iuſtè, propter ſcilicet enormitatem infidelitatis illegitimauit fidelem non ſimpliciter, ſed reſpectu infidelis, & è conuerſo ad matrimonium contrahendum. & de hoc dictum eſt *diſt.*39. Aliud crimen enorme eſt adulterium cum machinatione in mortem legitimi coniugis, & de iſto impedimento dictum eſt *diſt.*35. vel etiam cum fidei datione de contrahendo poſt mortem legitimi coniugis. Sic ergo in genere ex ſtatuto Eccleſiæ ſunt perſonæ illegitimæ ex duplici crimine, ex applicatione ad cultum Dei, & ex propinquitate conſanguinitatis, ex vinculo affinitatis, & publicæ honeſtatis, & ex cognatione ſpirituali, & legali; & hæc impedimenta tanguntur in his verſibus:

SCHOLIVM.

Ponit antiquos verſus continentes impedimenta omnia, ſed ſine ordine, claritate & diſtinctione: ideò addidit proprios, quibus clarè, diſtinctè, & ordinatè primò, collocat 14. *impedimenta ex natura contractus, deinde ex ſtatuto Eccleſiæ nouem, quibus adde alia duo ex Tridentin.ſeſſ.*24.*c.*1.*&* 6. *ſcilicet defectum parochi, & teſtium, vbi hoc Decretum eſt debitè promulgatum, & raptum, de quibus iunge hunc verſum, verſibus Scoti.*

Si parochus præſens non ſit, cum duplici teſte,
Capta loco mulier, ſi non ſit reddita tuto.
Hæc ſocianda vetant connubia, iuncta retractant.

11 *Impedimēta matrimonij.*

ERROR, Conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.

Sed in iſtis verſibus continentur impedimenta abſque omni ordine naturali: poſſunt igitur ordine debito, & magis in particulari iſtis verſibus explicari.

Vis, fraus perſonæ, ſerui dationis, & amens,
Addita conditio tria coniugij bona tollens.
Frigidus, arcta, puer, truncatus, præſtigiatus
Alterius coniux, obſtant mutuæ dationi.
Ordo ſacer, votum, duo cultus, ſponſio mœchi
Carnalis, legis, cognatio ſpiritualis.
Hæc vi præcepti, ſit huic affinis honeſtas.

Hi quatuor primi verſus continent impedimenta, quæ repugnant naturæ contractus matrimonij. Primus quinque in ſpeciali, ſecundus tria, tertius quinque, quartus vnum, & ſic ſunt quatuordecim impedimenta. Poſt quæ, ſubditur in fine quarti verſus, *obſtant mutuæ dationi.* Intellige, quæ eſt in contractu matrimonij, obſtant, ſcilicet hæc omnia prædicta. Tres alij verſus continent impedimenta ex ſtatuto Eccleſiæ. Primus quatuor, ſecundus tria, tertius duo, & ſic ſunt nouem, & hoc eſt, quod dicitur in principio tertij verſus, *Hæc vi præcepti*, ſcilicet Eccleſiæ, impediunt matrimonium, & ſic in ſpeciali ſunt viginti tria impedimenta ſimpliciter; illi autem verſus omnes non continent, niſi duodecim: ſed ſub errore debet intelligi quadruplex impedimentum in ſpeciali, & ſub conditione triplex impedimentum, de conditionibus appoſitis contra tria bona matrimonij. Vnde qui refert *error* ad errorem perſonæ, & *conditio* ad errorem conditionis, ſatis oſtendit ſe ignorantem in Iure Canonico. Votum ſicut ſtat, cognatio intelligitur pro carnali, ſpirituali, & legali, crimen pro adulterio cum fidei datione, &c. Et illud poſſet quãdoque diſtingui, ſecundùm quòd dictum eſt

Matrimonij impedimenta 23. quibus adde duo ex Trid. ſeſſ. 24.c.1.& 6.

est *dist.* 35. quòd istorum trium aliquando coniunguntur duo, & aliquando vnum illorum impedit; sed istud impedimentum non est distinctum in istis versibus distinctiùs exprimentibus cætera specialia. Secundùm alios versus non distinguuntur, nisi illud vltimum de impotentia, quod continet quinque impedimenta specialia secundùm alios versus.

Non est admirandum si sollicitudinem tantam ponit Ecclesia in ordinando matrimonia, quia communitas Christianorum vtitur matrimonio, per cuius vsum multiplicatur populus Christianus: & ideò sic ordinari debet, vt in eius contractu, & vsu vitentur ea, quæ obuiant charitati, siue in Deum, siue in proximum: & seruanda sunt, quæ congruunt honestati, vt sic honestum matrimonium Christianum congruè significet illam benedictam coniunctionem Christi, & Ecclesiæ; de qua dicit Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico in Christo, & Ecclesia:* quæ coniunctio nunc est per fidem, & aliqualem dilectionem; sed in patria erit per visionem, & perfectam fruitionem sponsæ non habentis maculam, neque rugam, ad sponsum speciosum præ filiis hominum; cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. 12

COMMENTARIVS.

19 *Secũdum genus ex applicatione speciali ad diuinum cultum.*

i PEr *applicationem autem,* &c. Hîc enumerat impedimenta ex applicatione ad cultum, quæ sunt secundi generis impedimenti Ecclesiastici, nempe ex ordine sacro, & voto solemni Religionis; addit tamen hoc votum solemne, tenendo sententiam aliorum, quam *suprà* tractauit *dist.* 38. si Iure diuino irritet matrimonium, reducendum esse ad impedimentum ex natura contractus, prout scilicet lex irritans afficit personas, & spectare reductiuè ad impedimentum ligaminis, quia est matrimonium spirituale, in quo professus transiens in potestatem Religionis, & Ecclesiæ per sui traditionem, ampliùs non habet potestatem sui corporis, sicut neque maritus potestatem sui, sed vxor, respectiuè ad matrimonium cum altera priore superstite. De impedimento Ordinis egit *dist.* 37. hoc autem exemplum de vocatione Beati Ioannis Euangelistæ, quod subdit ex antiquis Doctor *suprà* suo loco ibidem correctum est ex veriori historia.

Reducit impedimentum voti ad primum genus sequendo sententiam D. Thomæ, & aliorum.

20 *Tertiũ genus est ex crimine.*

Subdit tertium genus, quod est ex crimine, vt est infidelitas, & machinatio in mortem mariti cum adulterio, aut hoc cum fide data de futuro matrimonio. De priori agitur *dist.* 39. de secundo *dist.* 35. tandem seruando eundem ordinem naturalem, comprehendit septem versibus omnia impedimenta, vt ex natura contractus quatuordecim, Iuris Ecclesiastici nouem, quæ ex integro faciunt viginti tria impedimenta irritantia, quibus addendo alia duo ex Iure nouo Tridentini, in toto sunt viginti quinque, quæ his versibus, addendo vnum prioribus, comprehenduntur.

Vis, fraus personæ, serui dationis, & amens,
Addita conditio, &c.
Hæc vi præcepti; sit huic affinis honestas,
Sit præsens parochus, testes, sit libera rapta.

Circa hæc impedimenta tractauimus doctrinam necessariam suis locis, quæ proinde hîc repetenda non est.

21 *Ratio sollicitudinis Ecclesiæ circa matrimoniũ.*

Tandem Doctor assignat optimam rationem sollicitudinis Ecclesiæ circa matrimonium ritè celebrandum, quæ vel sola sufficit ad repellendam audaciam hæreticorum, & calumnias contra Ecclesiam. Hæc ratio autem est tam ex fine matrimonij, quàm etiam ex significatione mystica. Finis est cultus Dei per propagationem generis humani, & fidelium, ac proinde sicut Religio est vana, in qua offenditur charitas in Deum, & proximum, & turpitudo viget exclusa honestate, ideò contractus ad cultum institutus debuit sic ordinari, vt seruaretur tam charitas in ordine ad cultum, & honestas prout tangit societatem humanam, communem & particularem finem, prout etiam ipse contractus respicit finem secundarium remedij infirmitatis. Debuit etiam matrimonium proportionari in ratione signi suo significato, quod repræsentat: est enim signum coniunctionis Christi cum Ecclesia spiritualis; debuit ergo ordinari per fidem, & dilectionem, qua coniungitur Ecclesia Christo in via, vt mereatur in patria per visionem, & fruitionem eidem coniungi.

Ex fine.

Ratio ex significatione.

22 *Potestas instituendi impedimenti in Ecclesia est. Trident.*

Hinc ergo colligitur in Ecclesia esse potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonium inter fideles, definitur in Tridentino *sess.* 24. *can.* 3. & 4. Patet etiam ex vsu, & consuetudine totius Ecclesiæ ab initio vsque in hæc tempora, & ex Canonibus antiquis, quos *suprà* citauimus in specie de singulis impedimentis agentes. Eadem ratione patet qua constat in Ecclesia esse potestatem ferendi leges, & ordinandi ea, quæ ad salutem conducunt, aut sunt necessaria.

Institutio diuina non obstat.

Non obstat in primis institutio contractus à Deo, quia institutio diuina non reseruat potestati vniuersali à se etiam institutæ authoritatem inquirendi, & instituendi ea, quæ necessaria sunt ad obseruantiam finis vniuersalis salutis & legis, charitatis, iustitiæ, honestatis, & pacis publicæ, & priuatæ, aut etiam ordinandi circa contractum matrimonij, aut contrahentes ea, quæ ad finem eius faciunt, & legis specialis obseruantiam, secludendo pericula, quæ præiudicant communi societati, & particulari, ac Religioni, & Sacramento: sicut ergo bonum commune, & finis subordinat sibi bonum particulare, & finem matrimonij, ita etiam instituta potestas à Deo in ordine ad finem vniuersalem, & bonum commune, subordinat sibi potestatem particularem, seu libertatem, quam quisque habet ineundi matrimonium, atque de ea decernit.

23 *Matrimoniũ non derogat societati. Neque eximit à lege.*

Præterea, sicut hæc libertas ad ineundum matrimonium non eximit personas à communi lege, ita aliud est decernere circa personas ante contractum, & circa ipsum contractum positum & initum. Ecclesia nihil immutat circa

contractum; sed determinat, & disponit circa personas ea, quæ cōducunt, vt contractus suum finem sortiatur, iuxta institutionem eius à Deo, ideóque sua potestate vtitur respectiuè ad personas directè, quæ etiam subsunt Ecclesiæ directa subiectione; contractus autem matrimonialis institutus est ad finem societatis, & propagationis in familia, & cohabitationis, sine præiudicio societatis, quæ fundatur in reuerentia, & pietate & Religione, ad cuius conseruationem, & ad excludenda pericula Ecclesia rectè induxit impedimenta matrimonij inter consanguineos, affines, & cognatos spirituales, & legales, in quibus est vinculum alterius societatis, cui connubia promiscua derogarent.

24 *Institutio matrimonij non derogat Religioni.*

Præterea, matrimonium ordinatur ad cultum, & propagationem fidei in posteris; hic finis non debuit derogari Religioni, aut fidei in iis, quæ proximè accedunt ad finem eius, ad quem remotè tantùm facit contractus matrimonij, ideóque Ecclesia perpendens pericula, & sollicitudinem carnalem, seu affectum vxoris, & familiæ plurimùm derogare ministerio sacro, ideò quamuis necessitatem nulli imposuit; tamen hoc ministerium noluit esse in coniugatis, & eo assumpto inhabilitauit personas ad contractum: quia id exposcebat finis communis, & bonum Religionis, cui cedit libertas ineundi matrimonij, vt etiam ordinatur ad officium naturæ, quando propagatio per alios abundè suppletur, & nullum detrimentum hac in parte fides, aut cultus patitur. Idem etiam præstitit quoad eos, qui sectantur voto solemni Consilia Euangelica, ad maiorem voti obseruantiam, & nè ex gradu superiori descendant ad inferiorem, contra debitum voti; sicut ergo libertas ad matrimonium non derogat potestati, quam quis habet vouendi; ita etiam supposito voto, Ecclesia habet potestatem coactiuam, qua ad eius obseruationem disponat media necessaria, & subtrahat libertatem ad oppositum, quæ oneri & seruituti in Religione derogaret.

25 *Matrimoniū non derogat iustitiæ, & charitati sociali.*

Item, quantùm ad alia duo impedimenta, vt est disparitas cultus, & machinatio in mortem mariti: eodem modo iustè introducta sunt per ademptam libertatem ineundi matrimonij; primum enim est ex fine præfixo contractus, nè vel sollicitetur persona coniugis ad adulterium, & fornicationem spiritualem, contra fidem & Religionem, & nè proles indebitè educetur. Secundum contra charitatem, & vinculum specialis societatis ex contractu, & debitum iustitiæ, quod ex eodem incurrunt coniuges: ergo à primo ad vltimum Ecclesia vtens sua potestate, qua adimit libertatem ineundi matrimonij aliquibus, vel simpliciter, vel respectiuè, vel aliter quàm seruatis quibusdam solemnitatibus, vt contingit in impedimentis iuris noui Tridentini, ad propulsandam iniuriam, & pericula contractus, & adulteria, & irreuerentiam Sacramenti, vtitur iure suo respectiuè ad personas subditas, nè libertatem in licentiam vertant, contra institutum finem contractus particularem, & contra vniuersalem finem charitatis, honestatis, societatis, & iustitiæ, quibus talis libertas nequit derogare, sicut neque ipsum ius proprium iuri communi; hoc autem non est immutare, vt est à Deo institutus, sed saluare debitum eius vsum, & in ordine ad finem suum, secludendo inordinationes, quæ aliàs emergerent, nisi modus poneretur libertati hominum, & pronitati in malum. Accedit præterea debita reuerentia Sacramento annexa, quam procurare debet Ecclesia.

Secundò patet idem, quia etiam similis potestas statuendi impedimentum matrimonio infidelium est apud Principem ciuilem: ergo à fortiori competit Ecclesiæ quoad fideles. Antecedens patet, & supponitur *ex cap. Gaudemus*, &c. *de diuortijs*; & patet ex pluribus legibus Romanorum de nuptiarum ritu. Ex Concilio Triburiensi *cap. 39.* quod sentit matrimonium contractum ante Baptismum, iuxta leges proprias, & rationi consonas Gentilium valere. Hoc idem docet D. Thomas *in 4. dist. 39. quæst. vnic. artic. 1.* Sotus *ibid.* Paludanus *dist. 26. quæst. 4. art. 3.* Bellarminus *lib. 1. de matrimonio, cap. 21. & 22.* Sanchez *lib. 7. disput. 3. n. 5.* plures Doctores citans. 26 *Principes habent potestatem statuendi impedimēta matrimonij quoad infideles.*

Hæc impedimenta longo iam vsu reseruata sunt Conciliis generalibus, & Summo Pontifici; olim autem à Conciliis Nationalibus, & Prouincialibus sæpè inducta sunt respectiuè ad proprios subditos, vt patet ex pluribus Canonibus. Nequeunt ea inducere Principes fideles, Ecclesia reseruante sibi auctoritatem hanc circa matrimonium fidelium, vt patet ex Trident. *sess. 24. can. 12. c. Tuam*, &c. *de ordine cognit. cap. Multorum*, &c. *35. q. 6. c. Accedentibus*, &c. *de excessibus Prælatorum*; & colligitur ex *cap. 1. de sponsalibus*, *cap. Euphemiam 2. q. 3.* Possunt tamen Principes in causa dotis, & hæreditatis, quæ sunt merè sæcularia, disponere, & condere legem. Quid possit consuetudo circa hæc impedimenta, vide præfatum Authorem, & alios, potestatem prædictam à principibus fidelibus respectiuè tantùm ad subditos fideles reseruauit Ecclesia, &c. 27 *Quis statuere potest quoad fideles.* *Nulla potestas sæcularis.*

SCHOLIVM.

Tractauit hactenus Doctor hoc Sacramentum matrimonij, & omnia ad illud pertinentia, cum summa soliditate iuncta breuitati Scholasticæ; nec puto ab vllo Scholasticorum vnquam ita exactè tractatum. Qui autem cupit plura scire de hac materia, & de pertinentibus quouis modo ad eam, legat Doctissimum P. Thomam Sanchium Societatis Iesu, & sufficiet instar omnium, cuius an maior sit in legendo extensio, quàm in iudicando attentio; an fœcundior sit explicando, & citando, quàm solidior iudicando, non facilè iudicabis: nihil in eo, quod ad hoc Sacramentum spectat, desiderandum.

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc nono Tomo Doctoris ſubtilis continentur.

Prior numerus ad paginam, poſterior ad numeros marginales remittit.

A B

A C

Index rerum.

Clauis

C E

C H

C O

Conti

D A

D E

D I

Ecclesia,

H A

IN

Integri

I O

I R

I V

L A

L E

L I

L O

L V

M A

Maleficij,

in

Præceptum

Satisfa

S C

FINIS.

ERRATA.

Fol. 94. col. 1. lin. 47. leg. *vniuscuiusque.*
324. col. 1. lin. 45. leg. *inducere.*
330. col. 1. lin. 22. leg. *attendite.*

[illegible]

V X

[illegible]

FINIS.

ERRATA.

[illegible]